J. DUNS SCOTUS

OPERA OMNIA

IV

GEORG OLMS HILDESHEIM

JOHANNES DUNS SCOTUS · OPERA OMNIA IV

JOHANNES DUNS SCOTUS

OPERA OMNIA

IV

1968

GEORG OLMS VERLAGSBUCHHANDLUNG
HILDESHEIM

Anmerkung des Verlages:
Die falsche Paginierung der Originalvorlage wurde beibehalten.

Reprografischer Nachdruck der Ausgabe Lyon 1639
Printed in Germany
Herstellung: fotokop W. Weihert, Darmstadt
Best.-Nr. 5101854

R. P. F.
IOANNIS DVNS
SCOTI,
DOCTORIS SVBTILIS,
ORDINIS MINORVM,
In XII. libros Metaphysicorum Aristotelis
EXPOSITIO.

CVM SVMMARIIS, NOTIS ET SCHOLIIS
R. P. F. HVGONIS CAVELLI Hiberni.

ITEM EIVSDEM DOCTORIS IN METAPHYSICAM quæstiones subtilissimæ.

Cum Annotationibus R. P. F. MAVRITII DE PORTV Hiberni.

Quibus in hac editione additæ sunt eiusdem Doctoris subtilis quæstiones in libros decimum & duodecimum Metaphysicæ, antehac desideratæ.

TOMVS QVARTVS.



LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII DVRAND.

M. DC. XXXIX.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

R. P. F.

IOANNIS DVNS SCOTI,

DOCTORIS SVBTILIS, ORDINIS MINORVM,

In XII. libros Metaphysicorum Aristotelis

EXPOSITIO.

CVM SVMMARIIS, NOTIS ET SCHOLIIS R. P. F. HVGONIS CAVELLI Hiberni.

ITEM EIVSDEM DOCTORIS IN METAPHYSICAM *quæstiones subtilissimæ.*

Cum Annotationibus R. P. F. MAVRITII DE PORTV Hiberni.

Quibus in hac editione additæ sunt eiusdem Doctoris subtilis quæstiones in libros decimum & duodecimum Metaphysicæ, antehac desideratæ.

TOMVS QVARTVS.



LVGDVNI,

Sumptibus LAVRENTII DVRAND.

M. DC. XXXIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

CENSVRA
R. P. F. LVCÆ
WADDINGI
HIBERNI
de ſequenti opere.

Pvs *hoc Scoti eſſe omnes admittunt, nullus expreſſè negat, præter vnum Thomam Dempſterum, eiúſque amicum, & collegam, Matthæum Ferchium Veglenſem, Ordinis Minorum Conuentualium, virum doctiſſimum, mihi ſpectatiſſimum, qui eodem tempore Bononiæ ſcribebant. Ille vt faciliùs declinaret quorundam argumentum, ex hoc opere deſumptum, quo Hiberni ſuæ genti Scotum adſcribebant, opus non ipſius Scoti, ſed Antonij Andreæ Aragonij eſſe contendit, cui Ferchius acceſſit. Vterque nouæ ſuæ aſſertionis fundamentum poſuit in verbis Aragonij, ad operis finem ſubiectis. Statim atque vterque prodijt, monui eruditiſſimum virum P. F. Hugonem Cauellum, qui tunc emaculandi, & terſiùs recudendi operis laborem ſubibat. Hoc ſuum ille protulit iudicium, & operi inter alia præfixit; in eo tamen lapſus, quòd Ferchium priùs ſcripſiſſe, & hunc ſecutum aſſerat Dempſterum; prior enim ſcripſit Dempſterus, quippe quem eo ipſo loco Ferchius ex iſto opuſculo teſtem compellat.*

Dempſter. de Scoti patria.
Ferchius in vita Scoti c. 11. num. 40.

IVDICIVM
R. P. CAVELLI.

CÆTERVM quia author quidam, vir alioquin vndequaque doctissimus, ex quibusdam verbis ad calcem huius operis positis, inductus, asseruit, & apertè scripsit non Scotum, sed Antonium Andream, eius authorem extitisse; quod & ipsum secutus affirmat quidam Scoto-Britannus. Nos ad defensionem rerum nostrarum impulsi, operæpretium esse duximus, hunc errorem profundiùs eruere, & apertâ veritate conuellere, nè vlteriùs se dilatet ad aliorum grauium virorum, & doctorum minùs dignam æstimationem, & præiudicium veritatis. Conabimur itaque apertis veritatis argumentis, ac virorum grauium testimoniis ostendere, dictum opus genuinum esse Scoti nostri fœtum, ornatum tamen, & illustratum à clarissimo eius discipulo Antonio Andrea. Ac in primis ex ipsomet Scoto, cuius in hoc testimonium reliquis omnibus præferendum est. Is igitur in quæstionibus Metaphysicalibus, quas ab ipso conscriptas nemo negat, lib.7.quæst.1.ad 1. in oppositum, quo probatur accidens essentialiter inhærere, seu inhærentiam esse de eius essentia, quia Aristot. 7. Metaphys. text. 15. videtur dicere accidens esse ens, sicut non scibile dicitur scibile. Respondet Scotus his verbis: *illud exemplum corrigitur per paragraphum sequentem, sicut exposui textum, vnde exemplum quodlibet aliquid veritatis insinuat.* Exponit autem in text.15. citato, quomodo non scibile est scibile secundùm *quid*, non simpliciter, quatenus scilicet scitur non sciri, seu non posse sciri. Et paritas stat in hoc, quòd sicut scibile per se primò est tale, & non scibile non primò est tale; sic substantia primò est ens, & habet suum *quod quid*, & accidens posteriùs, seu non æquè primò. Sed similitudo non est in eo, quòd sicut non scibile est tantùm secundùm *quid* scibile, sic accidens est tantùm secundùm *quid* ens, seu æquiuocè cum substantia; quia accidens est ens simpliciter, & vniuocè cum substantia, etsi non æquè primò ac ipsa.

Item quæst. 7. §. *Dico ergo quòd.* ad locum Aristot. 7. Metaphys. text. 39. quo suaderi videtur *quod quid est* non esse idem cum eo cuius est. *Quære*, inquit, *expositionem textus in glossa iuxta textum.* Quæsiui in hoc opere eundem textum, & inueni quòd benè rem explicat: & in notabili adiuncto, quod vocat *glossam iuxta textum*, exponit Philosophum refutantem Socratis iunioris parabolam (quam ipse vocat fabulam) qui auferebat materiam à specie, & quiditate, asserens partes non esse de quiditate hominis, sicut nec æs de quiditate circuli.

Item, quæst. 19. eiusdem libri 7. ad 1. quo probatur conceptum Generis non esse alium à conceptu Speciei, quia Aristot. ibi text.43. ait, Genus nihil esse, præter eas, quæ sunt Generis Species. Respondet dicens: *addit aut si est, est quidem*

vt

vt materia; & exemplificat de voce; & illud membrum est verum, pro quo exemplum adducitur, & oportet intelligi ad manifestandum quòd singulare in re correspondet conceptui communi Generis, sicut expositum fuit legendo textum. Locus iste, ad quem se remittit, est in hoc opere ad textum iam allegatum, in quo optimè explicat quomodo Genus se habet vt materia, quia determinatur per differentias, & quomodo vox, quæ est genus, sit quasi materia, quam differentiæ additæ contrahunt ad species.

Item lib. 8. quæst. 4. §. *Ideò aliter.* positâ, & refutatâ sententiâ eorum, qui dicunt ex materia, & forma fieri vnum per se: quia illud idem quod priùs fuit in potentia per rationem materiæ, iam est in actu per formam: & extractio de potentia in actum non largitur multitudinem, sed perfectionem; resoluit in hunc modum: *Ideò aliter potest dici, quòd sicut dictum est exponendo textum huius capituli, quòd realiter, & naturaliter compositum est in potentia propter materiam existentem, quæ potest esse aliquid eius.* Quod probat ex Philosoph. 7. Metaph. text. 22. dicente in omni generatione oportere aliquid præexistere, quod sit pars geniti: hoc autem benè explicat Doctor in hoc opere, ad text. 15. circa quem mouit dictam quæstionem quartam ad vers. *Palam itaque*, vbi docet non ideò compositum ex materia & forma, fieri vnum per se, quia illud, quod priùs fuit in potentia per rationem materiæ, iam est in actu per formam, vt dicebat illa sententia: *Sed quia*, inquit, *in definitione, seu quiditate rei, hoc quidem est vt materia, illud verò vt forma, & hoc quidem, scilicet materia, est potentiâ, illud verò, scilicet forma, est actu.* & text. 13. eiusdem capitis, ostendit accidentia non habere materiam ex qua; nec etiam substantias sempiternas, quia non includunt duas partes, quarum vna sit potentia: tamen secundùm dictam sententiam dicerentur fieri ex materia. Et exponendo locum Philosophi adductum ex 7. Metaph. declarat tam in generatione naturali, quàm artificiali manere materiam.

Hæc clarè conuincunt nullam, vel apparentem esse rationem dubitandi, hanc expositionem verè Scoti esse, nisi velimus etiam eius quæstiones in dubium vocare, quas tamen omnes Authores communi consensu ipsi adscribunt. Verùm ad maiorem huius veritatis confirmationem, placet aliquid ex eiusdem Doctoris Theologia in medium adferre, quo faciliùs, quod hactenus prosecuti sumus, euincamus.

In 4. distinct. 11. quæst. 3. §. *Ad confirmationem.* num. 47. proponit locum Aristot. 7. Metaphys. cap. de Vnitate defin. text. 43. quo in fauorem D. Thom. 1. part. quæst. 76. art. 3. 4. probatur vnius compositi vnam tantùm esse formam, & consequenter non dari formam corporeitatis, quia dicitur: *Genus nihil est præter eas, quæ sunt Generis Species:* & iterùm, *Finalis Differentia, substantia rei erit, & definitio.* Ex quo colligitur, cùm Genus nihil sit præter Species, & Differentia, quæ habet rationem formæ, dicat totam substantiam rei, non dari aliam, & aliam formam in eodem composito, quia tunc si ab vna acciperetur Genus, & ab alia Differentia, Genus esset aliquid præter Species, saltem secundùm *esse* quiditatiuum. Respondet Doctor. *Ad confirmationem*, inquit, *adductam de 7. Metaphys. cap. de Definitione, capitulum illud non videtur benè exponi, sicut patet in expositione, quam edidi super illud caput: authoritates autem illæ truncatæ sunt, & nihil ad B. Prima quidem truncata est, quia sequitur; ergo Genus nihil est præter eas, quæ sunt Generis Species; aut si est, quidem vt materia est: & hæc secunda pars disiunctionis vera est; vnde ad illud secundum membrum subdit exemplum: vox quidem vt Genus;* quam expositionem in terminis

habet eodem cap. de Definit. text. citato in hoc opere his verbis: *Notandum, quòd negantes pluralitatem formarum, hinc volunt sumere argumentum, quòd vnitas definitionis est per hoc, quòd Genus nihil sit præter Generis Species, saltem secundùm esse quiditatiuum. Sed hoc non est verum, quia accipitur authoritas truncata: nam sequitur: Genus non est præter eas, quæ sunt Generis, Species; aut si est quidem, est vt materia. Secunda pars disiunctionis est vera; vnde ad illud secundum membrum subdit exemplum: vox enim Genus est, & materia,* &c. Hæc notaui dum percurrerem opus quæstionum; quòd si præfati doctissimi viri assertionem aduertissem, plura fortassis ad hoc collegissem. Verùm hæc ipsa pauca, quæ adduxi, satis clarè ostendunt, non magis adscribendas Scoto quæstiones in Metaphysicam, & Theologiam, quàm hanc textus expositionem, quam in vtrisque toties citat, & ita quidem exactè, vt in locis ex hac expositione citatis, non solùm reipsa id, quod asserit, reperiatur; sed aliquando etiam iisdem planè verbis expressum sit, vt in vltimo loco citato, & partim in tertio, qui de eadem authoritate tractat, visum est.

His accedit non leui argumento authoritas Mauritij nostri, Doctoris Subtilis fidelissimi quondam interpretis, & in eius operibus examinandis, & discernendis vigilantissimi speculatoris, qui sequenti post Scotum seculo floruit. Is in titulo, quem præfixit huic, de quo agimus, Commentario (quod & anteà in sua ad eundem Præfatione annotauerat) ita habet. *Ioannis Duns Scoti Doctoris Subtilis Ordinis Minorum in 12. libros Metaphys. Aristotelis, secundùm nouam translationem scriptum recollectum, ordinatum, & pluribus additionibus decoratum ab excellentissimo ipsius discipulo Antonio Andrea eiusdem Ordinis Prouinciæ Aragoniæ,* &c. Quæ verba Antonium Andream dicti Commentarij non authorem, sed auctorem, seu ampliatorem faciunt, vt qui illum pluribus additionibus decorârit: & huc non immeritò cuipiam videri possent referenda quædam Antonij verba inferiùs adducenda, ex quibus hæc primùm suborta dubitatio, seu coniectura, literali duntaxat verborum rigori innixa fomitem sumpsit.

Huic insuper veritati suffragantur omnes, qui Authorum catalogum texunt, quorum nullus vel verbum de vlla expositione Antonij Andreæ in Metaphysicam habet, cùm tamen alia eius opera, vt quæstiones in duodecim libros Metaphys. & quatuor libros Sententiarum exactè recenseant. In primis Henricus VVillot, qui ex professo catalogum Scriptorum Ordinis nostri texuit, quæstiones quidem Metaphysicæ Antonio Andreæ, expositionem autem illi nullam, sed Scoto tribuit. Valerius quoque Andreas Taxander in catalogo Scriptorum Hispaniæ, qui diligenter Authorum Hispaniæ operum indicem collegit, indicat quidem Antonium in Metaphysicam quæstiones edidisse, Commentarium autem nullum agnoscit. Idipsum loquuntur Conradus Gesnerus in sua Bibliotheca, & Fabianus Iustinianus in indice vniuersali, verbo *Metaphysica*, quorum posterior Scotum bis nominauit, tanquam duarum diuersarum in Metaphysicam lucubrationum authorem. Bellarminus de Script. Eccles. & Posseuinus in Apparatu nullam Antonij expositionem adducunt, benè tamen Scoti, hic expresè, ille tacitè. Si ergo nullus Authorum, vel Scriptorum collector, siue eorum qui generaliter Ecclesiæ, siue qui specialiter, & ex professo Ordinis, & nationis dicti Antonij, Scriptores recensent, nullam de huiusmodi Antonij expositione mentionem fecit, mirum est, quomodo post 300. & ampliùs annos vir ille doctissimus hanc nostri Doctoris expositionem ei voluerit ascribere, quam tamen Scoti esse & ipsius discipuli semper

per obseruârunt, & loca per nos ex ipsomet adducta apertè conuincunt.

Ad hæc, si dictus Commentarius Antonij esset, nunquid vel leuem aliquam eius mentionem in quæstionibus super Metaphysicam, vel (si has priùs elaborauit) saltem in Theologia, in qua passim Metaphysicalia discutiuntur, fecisset?

Huc spectat alia non leuis coniectura, nam Author huius operis lib.7. text.17. explicata definitione accidentis copulati, dicit in definitione albi non necessariò poni hominem, *Sed in definitione*, inquit, *Francisci, vel S. Patritij necessariò ponitur animal.* Ex quibus verbis cap.1. vitæ Scoti præmissæ eius operibus Antuerpiæ impressis, argumentum confeci, seu probabilem suasionem, Doctorem Subtilem Hibernum esse, non Anglum, vel Scoto-Britannum; quia exemplo rem declarans patrono, & patri suæ religionis Francisco adiunxit patrem, & patronum nationis Patritium: si enim Anglus esset, Francisco verisimiliter S. Georgium adiunxisset: si Scoto-Britannus, Andream, vel Columbam. Cùm ergo Hiberniæ patronum adiunxerit, Hibernus & ipse meritò censendus est. Quo argumento longè solidiùs suadetur opus hoc non esse Antonij Andreæ Hispani, qui ad rem exemplo monstrandam, Francisco non Patritium, quem fortè parùm nouit, sed S. Iacobum suæ gentis Apostolum copulasset. Vt huic argumento satisfaceret quidam Scoto-Britannus, hoc opus Scoto detraxit, præfati viri doctissimi authoritate suffultus: quod inter alia me mouit, vt conarer ostendere dictam dubitationem nullo niti fundamento.

Superest nunc vt ad rationem, & motiuum præfati viri ad asserendum, quod scripsit de dicti Commentarij authore, respondeamus. Fateor sanè rationem ipsius difficilem videri posse iis, qui motiua nostra pro hac veritate confirmanda hucusque adducta non viderunt; quibus maturè, & attentè expensis facillima apparebit. Stat autem dicta ratio in hoc, quòd in fine dicti operis legantur sequentia. *Volo autem omnes scire literam istam legentes, quòd tam sententiando, quàm notando secutus sum doctrinam illius subtilissimi Doctoris, cuius fama, & memoria in benedictione est, qui sua sacra, & profunda doctrina totum orbem impleuit, & fecit resonare Ioannis Duns Scoti*, &c.

Ad hanc rationem itaque respondeo. Cùm euidenter constet ex ipso Scoto, tam in Metaphysicis, quàm Theologicis quæstionibus, hoc opus ipsius esse; dicta verba eius esse nullatenus possunt, sed Antonij Andreæ, qui opus castigauit, ordinauit, & auxit, vt habetur ex titulo ipsius operis suprà posito. In his igitur, quæ ipse adiecit de suo sententiando, vel notando, protestatur se secutum Doctoris Subtilis mentem. Addo, cùm ille opus hoc anteà indigestum, & inordinatum, in ordinem redegisset, multa prætermisisse, primaria præceptoris sui capita, & sententias seligendo; & in iis quæ problematicè disputabat, alteram tantummodò partem, quæ magis ad eius mentem videbatur accedere, assumendo; quædam explicationis causa addendo; loco eius vacua, vel cancellata supplendo (constat ex Mauritio etiam in Theologia multa vacua, & cancellata mansisse) in quibus præstandis oportebat nonnulla de suo apponere, & quædam aliquando mutare, & loca corrosa, & exesa, aut obliterata restituere, & sensum, quando necesse erat, coniecturis inuestigare.

Similia fecit idem Author in Scoti quæstionibus super Metaphysicam, teste Mauritio in epistola ad Antonium Trombetam, earundem quæstionum castigationibus præmissa, *Quas*, inquit, *accuratè castigauit, primaria sui præceptoris dicta eligendo.* Et pòst. *Sed sicut in Dialecticis, ita & hîc obscuriora, & difficiliora prætermisit.*

Verisimile ergo, hæc & plura effecisse in castigatione dicti Commentarij, qui minùs tritus, minúsque notus semper extitit, quàm quæstiones. Vnde & hîc locum habet quod ibidem Mauritius iisdem quæstionibus, etiam post castigationem Antonij Andreæ accidisse scribit, nimirum quòd *earum textus variè correctus erat, nunc additione, nunc detractione, vt moris est antiquis Scriptoribus id in margine annotantibus.* Neque negauerim præmissorum occasione, castigatorem aliquando Doctoris dictionem, sensu seruato, mutasse. Quod, cum integra hac glossa colligere mihi videor ex vltimis verbis ipsius. *Nam ego*, inquit, *quantum sapio, quantumque capio quidquid est hîc, quod ipse exprimere intendebat, pes meus eius vestigia secutus est.* Quasi diceret opus digerendo, in mutatione, omissione, notatione, suppletione, &c. id tantùm posui, quod Doctor exprimere intendebat. Quia tamen alicubi falli potuit, subiungit claudendo opus: *Ideò si aliquid aliud repugnans sibi inueniatur quandoque, nunc pro tunc reuoco, paratus libenti animo reuocare.* Hæc sunt, benigne Lector, quæ pro veritatis defensione, & obiecti argumenti solutione, dicenda occurrerunt, de quibus te monitum volui, & præmunitum, ne dicti Authoris lectio, de operis huius Authore dubium te reddere posset. Expositio nostra ad eius rationem iis, qui in antiquorum operibus digerendis, & ad prælum parandis, experientiam habent, in quibus multa ex his quæ diximus necessariò interueniunt, non extorta, sed persuasibilis videbitur. Tu æqui boníque consule, & VALE.

INDEX

INDEX
SVMMARVM ET CAPITVM METAPHYSICÆ TEXTVALIS.

LIBRI I.

SVMMA I. *De natura & perfectione Metaphysicæ.*

SVMMA II. *De cauſis, & principijs rerum ſecundùm varias & repugnantes inter ſe antiquorum opiniones.*

SVMMA III. *Antiquorum opiniones de rerum cauſis, ac principijs, confutantur.*

LIBRI II.

SVMMA VNICA. *De ſpeculatione veritatis.*

LIBRI III.

SVMMA I. *Dubitationes multæ proponuntur.*

SVMMA II. *An vnius ſcientiæ ſit ſpeculari omnia genera cauſarum.*

LIBRI IV.

SVMMA I. *De quibus habeat prima Philoſophia pertractare.*

SVMMA II. *De principiorum cognitione.*

3. Contra

LIBRI V.

SVMMA VNICA. *Nonnullorum nominum multipliciter dictorum ſignificationes diſtinguuntur.*

LIBRI VI.

SVMMA I. *Declaratur de quo ente prima Philoſophia conſideret.*

SVMMA II. *Declarantur quædam entis ſpecies, quæ ab hac ſcientia ſecluduntur.*

LIBRI VII.

SVMMA I. *De ſubſtantia agendum eſſe, cùm ſit primum entium.*

SVMMA II. *De ipſa ſubſtantia tractatur.*

LIBRI VIII.

SVMMA VNICA. *De principijs ſubſtantiarum ſenſibilium.*

3. Non

LIBRI IX.

SVMMA I. *De potentia.*

SVMMA II. *De Actu.*

LIBRI X.

SVMMA I. *De* vno *in se considerato.*

SVMMA II. *De* vno *respectu multitudinis, & de contrarietatibus plurima.*

LIBRI XI.

SVMMA I. *Dubitationes, de quibus in tertio libro habitus est sermo.*

SVMMA II. *Proponuntur ea, quæ ad huius scientiæ considerationem pertinent.*

SVMMA III. *Primæ Philosophiæ ab aliis scientiis differentia; & ens per accidens à nulla scientia considerari.*

SVMMA IV. *De motu, eiúsque diuisionibus, & infinito: & definitionibus aliquorum terminorum.*

&

LIBRI XII.

SVMMA I. *De substantia.*

SVMMA II. *De substantia immobili.*

SVMMA III. *De bonitate, & natura vniuersi.*

Conclusiones vtilissimæ ex duodecim libris Metaphysicorum Aristotelis, quicquid in illis ab ipso resolutum est, mira comprehensione, & breuitate complectentes, à Doctore subtili collecta, in suis quæque libris per ordinem legi poterunt à pag 465. & sequentibus vsque ad pag. 495. inclusiuè.

R. P. F.

R. P. F.

IOANNIS DVNS SCOTI ORDINIS MINORVM

DILVCIDISSIMA EXPOSITIO IN duodecim Libros Metaphyſicorum Ariſtotelis:

Adiunctis ad quemlibet Librum propriis concluſionibus, ab eodem Doctore mira breuitate, & comprehenſione collectis.

Cum Summariis, & Notis R. P. F. HVGONIS CAVELLI *in Conuentu S. Mariæ de Ara Cæli in Vrbe S. Theologiæ primarij profeſſoris.*

PROOEMIVM.

G*YRVM cœli circuiui ſola*, Eccleſiaſtici 24. Secundùm doctrinam Ariſtotelis & eum communiter ſequentium, ſcientia Metaphyſicæ, quæ Theorica Philoſophorum, & ſapientia nominatur; verſatur circa totum ens, & ſignanter circa ſubſtantias ſeparatas, vt circa nobiliores partes ſui primi ſubiecti: & ideò, quia circa nobiliſſima entia, nobiliſſima ſcientia eſt, inter omnes alias ſcientias naturaliter adinuentas. Nobilitas enim ſcientiarum ex nobilitate oritur ſubiectorum *ex* 1. *de Anima.* Idcircò quaſi in perſona huius ſcientiæ congruè poteſt dici: *Gyrum cœli*, &c. Vbi deſcribitur eius dignitas admiranda, quantum ad quatuor, ſcilicet quantum ad amplexum ambitionis magnificæ; influxum correctionis authenticæ; actum inquiſitionis amplificæ; gradum prælationis mirificæ.

1 4. 6. 7. & 12. meta. & alibi ſæpè.

1. 6. & 12. Metaph.

Nobilitas ſcientiarum vnde?

Text. 1. Com.

Primum probat ipſius gyri continentia generalis, cùm præmittitur, *Gyrum.* Ad inſtar enim cuiuſdam gyri, ſiue circuli, quæ eſt figura capaciſſima, ſecundùm Geometras, ſcientia Metaphyſicæ omnia entia ambit. Nam vt dicitur 1. Met. in prologo: *Sapientis*, id eſt Metaphyſici, *eſt omnia ſcire, vt contingit.* Conſideratio enim Metaphyſica gyrat omnia entia, ſiue immobilia, & incorruptibilia: ſiue mobilia, & corruptibilia, in quantum in eis entis ratio reperitur: pro quo poteſt intelligi illud Eccl. 43. *Vide arcum, & benedic, qui fecit illum: valde ſpécioſus eſt in ſplendore ſuo, & gyrauit cœlum in circuitu gloriæ ſuæ.* Habitus quidem Metaphyſicus eſt quidam arcus myſticus, iaciens ſagittas veritatis contra hoſtes falſitatis, ideò eſt quaſi *Arcus refulgens inter nebulas gloriæ.* Eccl. 50. Vide ergo ipſum, & benedic Deum, qui fecit illum; nam gyrauit cælum, id eſt, totam vniuerſitatem entium, & ſpecialiter entium, quorum habitatio eſt in cœlo.

Quadruplex excellentia Metaphyſicæ.

Metaphyſica ambit omnia.

[2] *Vide 12. Metaph. ad finem, vbi dicit, quod Metaphysica nullam sciẽtiam habet contrariam. Text. 23.*

Secundum probat cæli influentia virtualis, cùm additur, *Cæli*: ſicut enim cœlum influit in hæc omnia inferiora, ſic ſcientia Metaphyſicæ in omnes alias ſcientias humanas, vtpote qui habent iſtam ſcientiam, poſſunt omnes alias, & earum principia corrigere virgâ veritatis, defendere haſtâ probitatis, approbare, & reprobare normâ æquitatis, ſicut innuit Ariſtot. 1. Poſter. parum ante illud Capitulum: *Difficile autem eſt noſſe.* Idcircò de hac ſcientia poteſt intelligi illud Eccl. 43. *Altitudinis firmamentum, pulchritudo eius eſt ſpecies cæli in viſione Dei.*

Inquirit de omnibus veraciter.

Tertium probat efficacia regularis, cùm ſubiungitur: *Circuiui*: circuiuit quidem inquirendo de omnibus veraciter ſine deceptione, & plurimùm efficaciter ſine defectione, & generaliter ſine exceptione; & ideò in figura, ipſa eſt ſicut fluuius Phiſon, de quo dicitur Geneſis 2. *Ipſe circuit omnem terram Euilath, vbi naſcitur aurum*, ſcilicet ſapientiæ, *& aurum terræ illius optimum eſt.* Euilath interpretatur ſtolidus, cuiuſmodi ſunt omnes ſcientiæ humanæ de ſe, Metaphyſicâ exceptâ.

Excellit omnes alias ſcientias humanas.

Quartum probat eminentia ſolitaris, cùm concluditur, *ſola*: inter omnes enim humanas ſcientias iſta ſola præcellit, & omnibus principatur. Sola enim eſt, cui nulla alia aſſimilatur. Sola eſt, cui omnis alia famulatur. Sola eſt, quam omnis alia admiratur, vt admiratiuè dicere poſſimus illud Thren. 1. *Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo, princeps prouinciarum, &c.* certè ſedet, vt Regina, reſpectu omnium cæterarum, &c.

SVMMARIVM R. P. CAVELLI.

PRIMVS iste liber est totus proœmialis, & diuiditur in tres Summas, quarum prima continet duo capita. Secunda quatuor. Tertia verò tria. Summa secunda refert antiquorum opiniones de causis, ac principiis rerum. Tertia easdem impugnat. Prima verò tractat de dignitate huius scientiæ, quam triplici medio probat Philosophus, primò ex eius naturali appetibilitate, probans cæteris scientiis appetibiliorem esse. De quo Doctor pulchra doctrinalia habet hîc q.1. rem hanc fusè tractans. Quòd dicitur, visum esse aliis scientiis nobiliorem, tractat Doctor q.6. de Anima. vide ibi Commentarium. De aliis duobus mediis infrà, suis locis.

SVMMA PRIMA.

De natura, & perfectione Metaphysicæ.

CAPVT I.

De ordine cognitionum, & cognoscentium in perfectione: & qualiter huius scientiæ dignitas ostenditur ex eius naturali appetibilitate?

1 Hanc propositionem examinat Doctor quæst.1.l.1.

Omnes homines naturâ scire desiderant.

Iuxta consuetudinem, in hoc libro, primò præmittit proœmium. Secundò subiungit tractatum. Secunda ibi: *Quoniam verò manifestum.* In tota autem prima parte ad prologum pertinente, intentio Aristotelis est ad beneuolentiam, & ad amorem huius scientiæ trahere auditorem. Circa quod duo facit. Nam primò reddit auditorem beneuolum ex scientiæ dignitate. Secundò ex scientiæ vtilitate. Secunda ibi iuxta finem prologi: *Oportet autem aliqualiter eius ordinem constituere.* Circa primùm quatuor facit. Nam primò probat huius scientiæ dignitatem, ex eius naturali appetibilitate. Secundò ex eius essentiali speculabilitate. Tertiò ex eius libertate ingenua. Quartò ex eius honorabilitate præcipua. Secunda ibi: *Quia verò non actiua.* Tertia ibi: *Sed vt dicimus homo liber.* Quarta ibi: *Nec tali aliam honorabiliorem oportet.* In tota prima parte intendit talem rationem: Omnes homines naturâ scire desiderant; ergo maximam scientiam maximè desiderabunt; sed scientia Metaphysicæ est maxima scientia; ergo ipsam maximè desiderabunt omnes homines: quia maximè est desiderabilis, & per consequens est dignissima. Circa istam rationem sic procedit, nam primò pertractat hanc propositionem: *Omnes homines, &c.* in qua stat virtus maioris. Secundò inuestigat minorem ibi: *Quoniam autem hanc scientiam quærimus.* Circa primum duo facit. Quia primò facit, quòd dictum est. Secundò quia mentionem fecerat de *scire*, & *cognoscere*, gratiâ huius distinguit, & determinat de diuersis gradibus cognoscendi in entibus cognitionem participantibus. Secunda ibi: *Animalia quidem igitur, &c.* Circa primum duo facit. Primò proponit dictam propositionem. Secundò subiungit eius probationem. Secunda ibi: *Signum autem.* In principio igitur huius libri proponit Aristot. hanc propositionem dignitatem, & nobilitatem huius scientiæ virtualiter continentem, dicens: *Omnes homines natura scire desiderant, &c.* Deinde cùm dicit:

Scientia maxima maximè desideratur.

2 *Signum autem est sensuum dilectio: præter enim vtilitatem propter seipsos diliguntur, & maximè aliorum, qui est per ipsos oculos. Non enim solùm vt agamus; sed & nihil agere debentes, ipsum videre præ omnibus, vt dicam, aliis eligimus.*

Subiungit probationem dictæ propositionis, & probat eam à posteriori, & signo. Circa quod duo facit, primò probat quod dictum est. Secundo assignat causam dicti. Secunda ibi: *Causa autem est.* Dicit ergo. *Signum autem*; quòd omnes homines naturâ scire desiderant; *est dilectio sensuum: Præter enim vtilitatem,* scilicet, si ad nihil aliud deseruirent: *propter seipsos diliguntur; & maximè aliorum*, id est, inter alios: *eum qui est per oculos*, id est, sensum visus, *: non enim solùm vt agamus*, id est, non solùm propter necessitatem vitæ; *sed etiam nihil agere conuenientes, vel debentes ipsum videre*, id est, sensum visus, *præ omnibus aliis sensibus*, concupiscimus, & amamus.

Præfert visum aliis sensibus.

Notandum, vt habetur 2. de Anima, & in libro de Sensu & Sensato, iuxta principium: sensus deseruiunt nobis ad duo, scilicet ad necessitatem vitæ, & ad scientiam. Nam per sensus cognoscimus sensibilia nociua, & vtilia, & fugimus nociua, & prosequimur vtilia. Per sensus etiam generatur in nobis scientia, nam omnis nostra scientia oritur à sensu. Dicit ergo Philosophus, quòd posito quod per sensus nihil agere deberemus quantum ad necessitatem vitæ; nihilominus diligeremus sensus, pro quanto deseruirent ad habendum scientiam, vt dicetur. Deinde cùm dicit:

Text.com. 16. & inde. Idem ad finem tertij de Anima.

3 *Causa autem est, quia hic maximè sensuum cognoscere nos facit, & multas rerum differentias demonstrat.*

Assignat causam dicti, quare scilicet sensum visus maximè amamus, quia scilicet est maximè cognoscitiuus, quod probatur: quia sensus aliquis potest dici

Vnam potentiam cognitiuam al-

teri praeferri contingit propter duo.

potest potest dici maximè cognoscitiuus dupliciter, vel quia certiùs scire facit, vel quia plura cognoscere facit: vtrumque autem habet visus in comparatione ad alios sensus; ideò praefertur eis in ratione cognoscitiui. Dicit ergo quòd *causa est* quare scilicet sensum visus prae aliis concupiscimus: *quia hic maximè sensuum,* id est inter omnes sensus, *nos cognoscere facit.* Et hoc quantum ad primum; *& multas rerum differentias nobis demonstrat,* id est, plures quàm alij, & hoc quantum ad secundum.

Visum aliis praeferri & praeamari cõtingit propter duo.

Notandum quòd sensus visus dicitur maximè cognoscitiuus, propter duo, scilicet propter cognitionis certitudinem; & propter cognitorum multitudinem. Certitudo prouenit aliquando ex parte potentiae; quia quanto virtus cognoscitiua immaterialior est, tanto est in cognoscendo certior. Plura etiam obiecta per hunc sensum cognoscuntur, quia omnia corpora tam superiora, quàm inferiora, cùm lucem vel colorem participent: non autem alias qualitates sensibiles, scilicet tangibiles, audibiles, & huiusmodi. Quare autem visus sit immaterialior, patet ex hoc: quia spiritualiori modo immutatur ab obiecto, quàm alij sensus. Alia enim sensibilia immutant aliquo modo medium vel organum immutatione reali: visibile autem solùm immutatione intentionali. Vnde etsi omnis sensus sit receptiuus specierum sine materia, vt patet. 2. de Anima, magis tamen visus. Obiectum verò tactus aliquo modo immutat organum, & medium, calefaciendo, & frigefaciendo. Obiectum verò gustus, inficiendo aliquo sapore ipsum organum gustus. Obiectum autem auditus, per motum corporalem aëris. Obiectum verò odoratus, per fumalem euaporationem. Obiectum autem visus tantùm immutat organum, & medium immutatione intentionali: non enim pupilla, vel aër coloratur: sed speciem coloris recipiunt, modo intentionali. Est ergo vis totius probationis Aristotelis in hoc: si magis naturaliter diligimus sensus magis cognoscitiuos, non propter vtilitatem vitae tantùm, sed propter cognitionem: ergo scire magis naturaliter desideramus; quia ista cognitio nobilior est cognitione sensitiua: nam sensitiua ad hanc finaliter ordinatur.

Immutatio duplex.

Text.com 121.

Vide Doct. q. 2. Met. sed fusius in principio lib. de Anima.

Sed contra hoc quod ait Aristoteles, *Sensum visus nos facere magis scire* arguitur: quia Philosophus in lib. de Sensu & Sensato dicit, quòd caeci nati, habentes auditum, sunt magis sapientes, quàm surdi nati habentes visum; ergo si sensus visus magis diligitur; quia magis est cognoscitiuus, secundùm quòd cognitio ordinatur ad scientiam, sequitur quòd auditus sit magis diligendus.

Praetereà Leo in sermone Paschae, praefert tactum Thomae visui, quoad certitudinem cognitionis, vnde palpans clamauit: *Deus meus, & Dominus meus, &c.* Item contra hoc quod dicitur, visum plures differentias demonstrare: nam tactus plures differentias demonstrat. Nam sensus, qui est duarum contrarietatum, plures differentias demonstrat quàm ille qui est vnius tantùm: sed sensus tactus est duarum contrarietatum, scilicet calidi & frigidi: humidi & sicci: visus autem est vnius tantùm, scilicet albi & nigri. ex 2. de Anima. Praetereà Arist. 2. de Generatione dicit, quòd primae qualitates sunt per se tangibiles: sed posterius non inuenitur sine priori; ergo vbicumque inuenitur qualitas visibilis, inuenitur & qualitas tangibilis, & non econuersò: ergo plures differentias nobis demonstrat tactus, quàm visus. Praetereà contra hoc quod ait: quòd *sensum visus maximè diligimus.* Probo quòd non: quia sensum illum magis diligimus, cuius oppositum magis odimus, ex 2. Priorum in illo Capit. *Quando autem conuertũtur extremitates,* in vltima regula, dicitur *quòd magis eligendum magis fugiendo opponitur:* sed magis odimus oppositum tactus, quàm oppositum visus; quia oppositum tactus destruit animal: non autem oppositum visus; ergo tactum magis diligimus quàm visum.

Text.com. 107. Text.com. 7. & inde.

11.

Respondeo quòd istae rationes non cogunt. Ad primum dicendum, quòd visus magis facit per se ad cognitionem, siue ad scientiam, quae est per inuentionem; sicut vult Aristot. in lib. de Sensu & Sensato, vbi suprà. Et ad Philosophum dicendum, sicut ipse ibidem vult: quod auditus per accidens solùm magis facit ad cognitionem, siue ad scientiam, quae est per doctrinam ex hoc, quòd vox audibilis, quae mouet auditum, est significatiua conceptuum mentis; & hoc accidit voci, secundùm quod immutat auditum. Si enim eaedem voces formarentur, quae modò, & non essent instituta signa ad significandum conceptus; auditio earum nihil iuuaret ad disciplinam. Si enim signa visibilia imposita essent ad significandum omnes conceptus, sicut habent Monachi de multis; tunc visus per illum modum conferret ad scientiam, per quẽ modum nunc confert auditus; sed voces sunt signa promptissima: & propter illud videtur linguam esse datam hominibus 2. de Anima. Sic igitur patet, quòd quantum ad scientiam habitam per inuentionem, visus facit magis ad scientiam: sed quantum ad scientiam habitam per doctrinam, auditus facit magis ad scientiam, non per se, sed magis per accidens: quia suum obiectum ex institutione factum, est signum conceptus, per quam institutionem nihil sibi accrescit; vnde per accidens auditus magis facit scire; visus autem per se, & directè, mediante lumine naturali ipsius intellectus. Ad illud Leonis, dico, quòd praefert tactum visui, non quoad per se, & proprium obiectum vtriusque; sed fortè quantum ad illud corpus Christi magis experiendum per visum, & per tactum simul, quàm per visum solum. Ad aliud concedo; quòd tactus est duarum contrarietatum, visus autem vnius tantùm; & ex hoc fortè sequitur quòd tactus non est simpliciter vnus sensus (de quo aliàs) tamen ex hoc non sequitur quòd tactus plures differentias rerum demonstret: quia obiectum ipsius visus, scilicet lux & color in pluribus corporibus reperiuntur, quàm omnes qualitates tangibiles, si essent mille: quia cognoscimus substantias per haec accidentia, vt dicetur in septimo huius, quaest. illa. *Vtrum substantia sit prior omnium entium cognitione*: & obiectum visus in pluribus corporibus reperitur, quàm obiectum tactus, vel cuiuscumque alterius sensus particularis; ideò visus plures res demonstrat, & magis facit ad scientiam, & ideò magis diligitur.

5 *Vide Doct. 1. Reportat. d. 16. & in 2. Anglico. dist. 42. & in 4. d. 1. q. 5.*

Scientia acquiritur per inuentionem & doctrinam.

Text.com. 88. expressius 3. de Anima. Text. Com. 68.

Vide Scotum super lib. de Anima q. 1.

Obiectum visus in pluribus reperitur quàm alterius potentiae obiectum.

Ad aliud de 2. de Generatione, dici potest quòd illud habet veritatem quando prius est de essentia posterioris, sicut animal de essentia hominis; sed non est sic in proposito: qualitates enim primae non sunt de essentia lucis: similiter illae qualitates tangibiles non sunt simpliciter primae, sed sunt primae respectu susceptiui earum: cuiusmodi sunt haec inferiora. Vnde & malè allegatur auctoritas ista, dicit enim sic: *quòd quaerimus sensibi*

Qualiter 4. qualitates tangibiles intelligi debent primae qualitates.

sensibilis corporis principia, & illud est tangibile: ideò solæ contrarietates secundùm tactum faciunt species corporis sensibilis, de quo intendit, & sequitur: *quamuis visus prior sit tactu: quapropter & subiectum prius*, id est, obiectum; sed non est obiectum visus, corporis tangibilis passio secundùm quod tangibile; sed secundùm aliud: & si sic, conuenit naturâ priùs, scilicet secundùm aliquam naturam communem corpori generabili, de quo intendit, & corpori cælesti, cuiusmodi forsan est natura perspicui. Patet igitur quòd auctoritas est ad oppositum: quòd obiectum visus est prius prioritate scilicet communitatis; & ideò est in pluribus. Ad vltimum de regula illa secundi priorum dicendum, quòd fallit per instantiam in terminis: nam melius est benè viuere quàm viuere: & tamen magis odimus oppositum viuere, quàm oppositum benè viuere; quia oppositum viuere destruit viuere & bene viuere. Vnde Aristot. 7. Topic. glossat illam propositionem sic: *nisi cum alterum infert alterum:* & vult quòd illa regula non teneat, quando magis eligendum includit minùs eligendum: sicut in exemplo posito, benè viuere includit viuere: similiter in proposito: sensus visus includit sensum tactus: & oppositum tactus destruit tactum & visum. Deinde cùm dicit:

Cap. 2.

Animalia quidem igitur sensum habentia natura fiunt.

Distinguit diuersos gradus cognoscendi in entibus. Circa quod duo facit. Primò ostendit propositum in brutis ratione carentibus. Secundò in hominibus rationem participantibus. Secunda ibi: *Animalia quidem igitur.* Prima in duas. Nam primò præmittit omnium animalium conuenientiam. Secundò describit eorum differentiam quantum ad cognitionem. Secunda ibi: *Sed ex sensibus quidem.* Dicit ergo quòd *animalia omnia sunt habentia sensum natura*, id est, secundùm naturam propriam. Ratio huius est, quia impossibile est rem priuari propria formâ, vel differentiâ specificâ: quia iam esset hoc, & non esset hoc. Animal enim constituitur in esse specifico animalis per sensitiuum, quod est habere sensum: nam quædam animalia habent sensus omnes, vt animalia perfecta: quædam plures: quædam paucos secundùm quod sunt perfectiora, vel minùs perfecta: omnia tamen habent necessariò, saltem vnum scilicet sensum tactus, vt habetur 3. de Anima, iuxta finem, & in libro de Somno & vigilia. sine tactu quidem animalia non possunt existere; cùm per tactum cognoscant, quæ sunt proficua: & quæ sunt corruptiua animalis; puta qualitates tangibiles. Deinde cùm dicit:

Sensus necessarius est animali & præcipuè tactus.

Text. com. 62. & inde.

SVMMARIVM, NOTA.

Ponit triplicem animalium diuisionem. Circa primam problematicus est Doctor 4. dist 45. q. 3. §. *inxta hoc*, n. 7. an bruta habeant memoriam necne, vbi saluat in eis, sine memoria, actus ex quibus ipsa colligitur, qui sunt vindicatio, beneficiatio, nidificatio, prouidentia, & disciplinatio. Vide Scholium ad qu. 3. hîc. Quod ait in secunda diuisione, *animalium qua-*

Actus ex quibus colligitur memoria in brutis.

dam habere prudentiam, intellige de prudentia latè sumpta, quia propriè dicta, sine deliberatione, qua bruta carent, haberi nequit. Ita ipse se explicat hîc q. 3. ad quã hîc se remittit, vt dicetur, inquit, in quæstione. Vbi obiter nota, prius eum scripsisse in textum, quàm circa eũ disputasse quæstiones, vt in præfatione operis notaui. Circa tertiam diuisionem, constat experientiâ quædam bruta nec cicurari, nec disciplinari posse; quædam verò mirum in modum esse disciplinabilia, & de Elephante mira scribuntur, quem Aristot. 1. hist. animæ c. 1. ait inter omnia mitem esse, & mansuetudini magis addictum; quod panegyrica spectacula exhibere, varias figuras effingere, coronas astantibus offerre, & alia ludicra facere, & literas efformare discat, plures scribunt. Vide Plin. l. 8. à c. 1. Elianum l. 6. c. 10. Plutar. l. de Animal. industria, & de Lucinia: vide Arist. 4. hist. an. c. 9. & Plin. 10. Hist. c. 29. vnde plures Philosophi, hisce animalibus quandam rationem tribuerunt. De quo Plut. l. de Placitis c. 20. vbi pro hoc citat Anaxag. & Pythagoram. Quod ait cum Arist. apes carere auditu, fortè intelligi debet de perfecto: quia non est vnde eis denegetur omnis auditus, sicut nec talpæ imperfectus visus, secundùm multos, de qua tamen minus id apparet. dixi de hoc Comment. ad q. 6. Scoti, de Anima. & in Supplem. ibid. Vidi ipse apes fugitiuas leni sono quasi harmonia per collisionem ad vasa ænea, ad aluearia reduci, quod fieri nequit sine auditu, idque testatur ipse Aristot. 9. Hist. Animal. c. 40. vbi etiam ait dubium esse, an audiant apes, de quibus ibi mirabilia refert.

Bruta non habent prudentiam propriè dictam.

Mira mansuetudo elephantis.

Quo auditu carent apes?

Ex sensibus autem quibusdam quidem ipsorum memoria non fit, quibusdam verò fit; & propter hoc alia quidem prudentia sunt: alia verò disciplinabiliora non potentibus memorari. Prudentia quidem sunt sine habilitate discendi, quæcunque sonos audire non potentia sunt, vt apes, & vtique si aliquod aliud genus animalium huiusmodi est. Addiscunt autem quæcunque cum memoria, & hunc habent sensum.

7 Hunc textum examinat Doctor q. 3. lib. 1.

Ponit animalium differentiam: & ponit tres diuisiones in animalibus respectu cognitionis; ex quibus colligitur triplex gradus cognitionis in eis. Prima diuisio est, quod animalium quædam habent memoriam: quædam autem non: ideò dicit quod *ex sensu quibusdam horum animalium non fit memoria: quibusdam autem fit*: & dicit ex sensu factam esse memoriam, vel non factam: nam virtutes interiores puta phantasia, memoria, &c. præsupponunt exteriores sensus. Ratio huius diuisionis est,

Triplex animalium diuisio in ordine ad cognitionem.

quòd animabilibus data est cognitio sensitiua ad necessitatem vitæ, & ad necessitatem propriarum operationum. Animalia ergo, quæ mouentur motu progressiuo, ad aliquid distans, indigent memoria; aliàs nisi in eis remaneret impressio memorialis de obiecto, motum continuare non possent, vsque ad obiectum quod appetunt. Animalia verò immobilia motu progressiuo, vt sunt quæ dicuntur ostreæ & conchæ marinæ lapidibus affixæ, non indigent memoriâ, sed sufficit eis ad proprias operationes obiecti præsentia: & ideò sola imperfecta, & confusa imaginatio, vt habeant aliquem motum indeterminatum, scilicet dilatationis & constrictionis, secundùm quod obiectum est delectabile, vel tristabile.

Quæ animalia habent prudentiam, & quæ non.

Secunda diuisio est, quæ sequitur ex prima; quòd animalium quædam habent prudentiam; illa scilicet quæ habent memoriam: alia verò non habent: illa scilicet quæ memoriâ carent, ideo dicit: *& propter hoc*, scilicet quòd aliqua habent memoriam, aliqua non; *hæc quidem animalia prudentia sunt*; *alia* supple *non*. Ratio huius diuisionis est, cùm enim prudentia prouideat de futuris, ex memoria præteritorum, *partes* autem *prudentiæ*, sunt tres; secundùm Tullium 2. *Rhetorica*, scilicet *intelligentia, memoria, & prouidentia*: quia ergo sic est, animalia, quæ carent memoriâ, nequaquam habere possunt prudentiam: quæ autem memoriam habent, aliquo modo prudentiam habere possunt, vt dicetur in quæstione.

Partes prudentiæ tres, sed vide Aristot. 6.

Tertia diuisio est, quòd animalium habentium memoriam, & prudentiam, quædam sunt disciplinabilia, puta habentia auditum; quædam indisciplinabilia, ea scilicet quæ auditu carent; ideò dicit: *alia verò sunt disciplinabiliora non potentibus memorari*, id est, aliqua sunt disciplinabilia, in quo differunt ab his, quæ memorari non possunt; nec per consequens sunt prudentia; ergo nec disciplinabilia. Et exponit quòd dixerat. *Prudentia quidem sunt sine addiscere: quæcumque sonos audire non possunt*, id est, quæ non habent auditum: *vt apes*; *& si aliquod alind genus animalium est huiusmodi: Addiscunt autem*, id est, disciplinabilia sunt: *quæcunque cum memoria, & hunc habent sensum*, id est, simul cum memoria auditum habent. Ratio huius diuisionis est, quia auditus maximè deseruit disciplinæ acquisitæ per doctrinam, & instructionem alterius; licèt per accidens secundùm Arist. in lib. de Sensu & Sensato, vt dictum est superiùs. Quæ ergo auditu carent, etsi prudentia esse possint; non tamen disciplinabilia: quæ autem non habent memoriam, & non habent auditum, non sunt disciplinabilia.

Animalia quæ sunt disciplinabilia, & quæ non.

8

Sed videtur falsum quod de apibus hîc dicitur, non enim videntur carere auditu, cùm per sonos paruarum campanarum, & percussiones lapidum, & huiusmodi, congregentur, & quasi teneantur. Respondeo quòd hoc non est ex hoc, quòd sonos illos audiant; sed accidit propter motum localem aëris moti, & impellentis apes: qui motus facit sonos istos, & causatur ex collisione corporum sonantium; sicut de tonitruo dicit Aristoteles, 3. de Anima, in fine, quòd interficit animalia, & frangit arbores, & diruit ædificia; non quòd sonus hoc faciat; sed ipse aër fortiter motus deferens ipsum sonum. Ex prædictis colligitur triplex gradus cognitionis in animalibus. Primus est, quòd animalium quædam habent memoriam, & prudentiam, & disciplinabilia sunt: quæ scilicet auditum habent. Secundus, quòd quædam memoriam habent, & prudentiam, sed indisciplinabilia sunt, scilicet quæ auditu carent. Tertius, quòd quædam nec memoriam, nec prudentiam habent, nec disciplinabilia sunt. Quartus autem gradus (scilicet quòd aliqua animalia sunt disciplinabilia, & per consequens habent auditum, non tamen habent memoriam nec prudentiam,) est omnino incompossibilis: sensus enim comprehendens obiectum per medium extrinsecum, cuiusmodi est auditus, est necessariò in animalibus mobilibus motu progressiuo; quæ necessariò memoriam habent, & per consequens prudentiam, vt patet ex prædictis.

Apes nõ habent auditũ.

Text. Com. 67. & inde.

Gradus cognitionis in animalibus est triplex.

Alia quidem igitur imaginationibus, & memoriis viuunt, experimenti autem parum participant. Hominum autem genus arte & rationibus.

Postquam Philosophus distinxit gradus cognitionis in animalibus ratione carentibus, nunc distinguit gradus, siue ordinem cognitionis in hominibus, rationem participantibus. Circa quod duo facit, primò præfert cognitionem humanam cognitioni brutorum animalium. Secundò accedit ad determinandum gradus, vel ordinem cognitionis in hominibus. Secunda ibi: *Fit autem ex memoria*. Dicit ergo quòd *animalia quidem, alia* ab hominibus *imaginationibus, & memoriis viuunt*; *sed experimenti participant parum: hominum autem genus, arte & rationibus viuit*; & per consequens experimento.

Ordo cognitionis in hominibus.

Notandum quòd *viuere* aliquando nominat primum actum: eo modo quo loquitur Arist. 2. de Anima, quòd viuere viuentibus est esse: & significat ipsum esse rei, in tali gradu, qui est viuere. Aliquando nominat secundum actum, qui est exercere opera vitæ: cuiusmodi sunt actus sensitiuæ partis, & intellectiuæ: & sic accipitur viuere in loco isto. Alia ergo animalia ab homine, viuunt imaginationibus, quantum ad animalia imperfecta, & memoriis: & per consequens etiã imaginationibus, quantum ad perfecta: & hæc sunt opera partis sensitiuæ: sed hominum genus, id est, species humana, arte, & rationibus, quæ sunt actus, vel habitus pertinentes ad animam intellectiuam & rationalem: homo enim ratione distinguitur à brutis. Deinde cùm dicit:

Text. Comment. 37. Viuere duplex.

9

Fiat autem ex memoria hominibus experimentum: eiusdem namque rei multæ memoria vnius experientiæ potentiam faciunt, & ferè videtur scientiæ, & arti simile experimentum esse.

Accedit ad determinandum gradus, siue ordinem cognitionis in hominibus. Circa quod duo facit secundùm quod dupliciter hoc declarat, primò comparando experimentum ad artem. Secundò comparando artem, siue scientiam speculatiuam ad practicam. Secunda ibi: *primum quidem igitur*. Circa primum duo facit: primò declarat generationem experimenti & artis. Secundò comparat ea ad inuicem; secundùm præeminentiam. Secunda ibi: *Ad agere quidem*. Prima in duas. Nam primò ostendit quomodo experimentum generetur in hominibus. Secundò quomodo ars. Secunda ibi: *In hominibus autem*. Dicit

Experimentum quomodo est simile scientiæ, & arti?

cit ergo quòd *hominibus fit experimentum*, idest, generatur, *ex memoria, nam multæ memoriæ eiusdem rei faciunt potentiam vnius experientiæ*, idest, vnius experimenti : eodem modo quo habitus potentiarum cognitiuarum vocantur potentiæ, scilicet rationales, quibus facilitantur ad operandum. Vnde addit quòd *ferè experimentum videtur simile scientiæ, & arti.* Ista autem similitudo potest intelligi dupliciter. Vno modo quantum ad modum generationis, quia sicut scientia, & ars generantur ex acceptione plurium, sic & experimentum. Alio modo quantum ad modum inclinationis, nam sicut scientia, & ars inclinant per modum habitus, & reddunt hominem facilem ad operandum, sic & experimentum, sed quia non est omnino simile, ideò ait *ferè*.

Memoria, & experientia differunt.

Notandum quòd *memoria*, & *experientia* videntur differre; sicut totum & pars: aut sicut vnum, & multa: quia *memoria* est respectu vnius particularis; sed *experimentum* respectu plurium simul, vel vnius frequenter cogniti per sensum. Deinde cùm dicit;

10

Hominibus autem scientia, & ars per experimentum euenit: experientia quidem enim artem fecit, vt Polus rectè dicens, sed inexperientia casum. Fit autem ars cùm ex multis experimentalibus conceptionibus, vna fit vniuersalis, velut de similibus acceptio.

Vide q. 4. li. 1.

Ostendit modum generationis artis. Circa quod duo facit, primò proponit illum modum. Secundò probat illum auctoritate. Dicit ergo primò quod *sicut experimentum fit ex memoria: ita ars ex experimento*; quod probat auctoritate Poli, qui in hoc rectè dicit, quod *experientia fecit artem, & inexperientia casum*: quod dupliciter potest intelligi: aut quia inexperti cadunt, idest, deficiunt à rectitudine operationis; aut quia si rectè operantur, inexperti, hoc est à casu: & hoc est quod dicit; *fit autem ars cùm ex multis experimentalibus conceptionibus fit vna acceptio vniuersalis; velut de similibus*: sicut enim experimentum versatur circa particularia; ita ars circa vniuersalia.

Vnde generatur experimentum & ars?

Notandum, quòd sicut ex multis memoriis colligitur vnum experimentum, sistendo in consideratione particularium; ita ex experimento colligitur ars, cùm in illis plurimis particularibus proceditur vltra, ad considerandum aliquam naturam communem, & vniuersalem, vt patet per exempla quæ sequuntur. Deinde cum dicit:

Acceptionem enim quidem habere, quod Calliæ, & Socrati hac ægritudine laborantibus hoc contulit, & ita multis singularium; experimenti est. Quod autem omnibus huiusmodi, secundùm autem vnam speciem determinatis, hac ægritudine laborantibus contulit, vt phlegmaticis, aut cholericis, aut æstu febricitantibus, artis est.

Declarat quod dixit per exempla, *laborantibus circa hanc infirmitatem, scilicet Calliæ & Socrati, contulit hoc*, puta reubarbarum, *& sic multis aliis particularibus*: sic inquam cognoscere *experimenti est*: cognoscere autem vniuersaliter *quod omnibus huiusmodi determinatis secundum vnam speciem* complexionis, vel infirmitatis, *vt phlegmaticis aut cholericis, aut calore febricitantibus contulit*, scilicet talis, vel talis medicina, *est artis.*

11

Ad agere quidem igitur experientia nihil ab arte differre videtur; sed & expertos magis proficere videmus, sine experientia rationem habentibus.

Ad hûc textum habes quæstionem 5. li. primi.

Postquam Philosophus declarauit generationem artis & experimenti, nunc comparat ea ad inuicem secundum præeminentiam. Circa quod duo facit, primò ponit præeminentiam vnius ad alterum penes operationem. Secundò penes cognitionem. Secunda ibi: *Sed tamen scire.* Prima in duas, quia primò proponit præeminentiam experimenti ad artem penes operationem. Secundò reddit causam dicti. Secunda ibi: *Causa autem est.* Dicit ergo quòd in comparatione *ad agere*, id est, ad operationem, *experientia non videtur differre ab arte.* Quod potest intelligi dupliciter, vel quia vtraque singulariter, licèt mediatiùs, & immediatiùs; vel quia vtraque est habitus practicus, & operatiuus licèt differenter: ideò addit: *sed expertos magis videmus proficere*, id est, certiùs operari, ipsis *habentibus rationem*, scilicet vniuersalem artem, *sine experientia.* Vult dicere, quòd experti certiùs operantur artificibus inexpertis. Deinde cùm dicit:

Experti certiùs operantur artificibus inexpertis.

Causa autem est, quia experientia quidem singularium est cognitio; ars verò vniuersalium: actus autem & omnes generationes circa singulare sunt; non enim hominem medicus sanat, nisi secundùm accidens; sed aut Calliam, aut Socratem: aut aliquid sic dictorum, cui esse hominem accidit. Si igitur sine experimento quis rationem habeat, & vniuersale quidem cognoscat, in hoc autem singulare ignorat; multoties quidem curatione peccabit; singulare namque magis curabile est.

Ad hûc textum habes q. 6. li. 1.

Reddit causam dictæ præeminentiæ. Dicit ergo quòd *causa* quare experti certiùs & efficaciùs operantur artificibus inexpertis, est ista: *Quia experientia est cognitio singularium; ars autem vniuersalium, omnes autem actus*, id est, operationes: *& vniuersaliter omnes generationes, vt circa singulare*: non autem circa vniuersale: quod probat per exempla inductiuè. *Nam medicus non sanat hominem vniuersalem; nisi secundùm accidens*: inquantùm scilicet sanat particularem hominem, in quo reseruatur natura hominis vniuersalis: ideò addit: *sed sanat aut Socratem, aut Platonem, aut aliquem sic dictorum* particulariter, *cui accidit esse hominem* sub ratione quâ sanatur: ideò sequitur ex præmissis, quòd expertus certiùs operatur: cum ipse per se consideret particularia. Vnde subdit: *si igitur aliquis sine experimento habeat rationem*, scilicet vniuersalem artem: cuiusmodi est artifex inexpertus, *& vniuersale quidem cognoscat, & ignoret singulare in hoc*: vel sub hoc vniuersali contentum, *multoties errabit in curatione; nam singulare magis est curabile* per se: vniuersale autem per accidens.

Medicus non sanat hominem vniuersalem nisi quatenus includitur in aliquo singulari.

Notandum quòd *per accidens* capitur dupliciter. Vno modo pro ente diuiso contra substãtiam, eo modo quo quantitas, & qualitas dicuntur esse

Accidens duplex.

 acci

accidentia. Alio modo pro esse extra rationem alicuius tertij: quomodo per tale accidens caussatur fallacia Accidentis: & hoc modo superiora possunt accidere inferioribus, & econtrà, vt dicendo sic: *Homo est species. Socrates est homo; ergo Socrates est species:* Hîc accidit inferius superiori; quia homini, vt stat sub illo prædicato, quod est *species*, accidit quòd prædicetur de Socrate, & Socrates est extra rationem eius. Similiter dicendo sic: *Socrates est indiuiduum: Socrates est homo; ergo homo est indiuiduum,* Hîc accidit superius inferiori. Quia ipsi Socrati vt stat sub illo prædicato, quod est *indiuiduum*, accidit, quòd sit homo, vel quòd homo de ipso prædicetur. Quando ergo dicitur hic in litera, quòd Socrates sanatur, cui accidit esse hominem: non est intelligendum de accidente primo modo, sed secundo modo: quia ipsi Socrati, vt stat sub illo prædicato, quod est sanare: accidit quòd sit homo: licèt aliàs illa: *Socrates est homo:* sit per se primo modo. Deinde cùm dicit:

12

Sed tamen scire & intelligere magis arte quàm experimento esse arbitramur, & artifices expertis sapientiores esse opinamur, tanquam magis secundum scire sapientiam omnia sequentem,

Comparat experimentum ad artem penes cognitionem. Circa quod duo facit, nam primò ponit præeminentiam artis ad experimentum penes scire, & cognitionem. Secundò probat eam ibi. *Hoc autem est.* Dicit ergo quòd licèt experimentum præferatur arti, quantum ad operationem, vt dictum est, tamen *scire & etiam obuiare*, scilicet in disputationibus, *magis arbitramur arte.* id est, per artem, *quàm experimento, & ipsos artifices opinamur esse sapientiores expertis:* & reddit causam, *tanquam* pro quia *magis secundùm id quod est scire omnes sequimur sapientiam*; vel secundum aliam literam: *quia magis secundum idem contingit scire sapientiam sequentem*, id est, speculantem, *omnia*, id est, vniuersalia, quæ dicuntur omnia, ratione continentiæ: si ergo magis est sciens qui considerat vniuersalia; consequens est artificem esse sapientiorem experto: cùm artifex negocietur circa vniuersalia: expertus autem circa particularia.

Quantum ad scire, & disputare, ars præfertur experimento.

Notandum quòd in tribus proponit præeminentiam artis ad experimentum. Primò, quantum ad scire simpliciter, sicut posteà probabitur. Secundò, quantum ad obuiare aduersario in disputando. Tertiò, quia ars est propinquior sapientiæ quàm experimentum; nam cùm sapientia sit de vniuersalissimis, vt pòst dicetur: ars quæ considerat vniuersalia, magis appropinquat sapientiæ, quàm experimentum, quod considerat singularia, & non vniuersalia: & quia sapientia est nobilissima scientia, vt posteà dicetur: ideò ars ex hoc nobilior ostenditur quàm experimentum: quia quod propinquius est nobiliori, nobilius est. Deinde cùm dicit:

Excedit ars experimẽtum in tribus.

Hoc autem est; quia hi quidem causam sciunt, illi verò non; experti quidem enim sciunt ipsum quia; sed propter quid nesciunt, illi autem propter quid & causam cognoscunt.

Probat dictam præeminentiam tribus rationibus: quarum secunda ponitur ibi: *Et omnino sciens signum.* tertia ibi: *Amplius autem sensum.* In prima parte intendit talem rationem: sciens causam & *propter quid*, est magis sapiens & sciens illo qui scit tantum *quia*, quia scientia *propter quid* nobilior est, & certior scientiâ *quia*: sed artifex habet scientiam *propter quid*: expertus autem tantum *quia*; ergo artifex est magis sciens experto. In ista ratione sic procedit: quia primò ponit rationem. Secundò exponit eam per simile, ibi: *Vnde architectores.* Dicit ergo quòd *hoc autem*, quod dictum est probatur; *quia hi quidem*, scilicet artifices, *sciunt causas: illi verò*, id est, experti, *non.* vnde addit; *experti enim sciunt ipsum quia: sed nesciunt ipsum* propter quid: *hi autem*, artifices scilicet, *cognoscunt* quia & propter quid.

Artifex est magis sciens, quàm expertus.

Notandum quòd Aristot. 1. Posteriorum, cap. illo. *Certior autem scientia*, dicit scientiam *propter quid* esse certiorem scientiâ *quia*: & ideò si artifex nouit *propter quid* de his quibus expertus nouit solum *quia*: sequitur artificem esse magis scientem, quàm expertum. Deinde cùm dicit;

Text. 42. Scientia propter quid est certior scientia quia.

13

Vnde & architectores circa quodlibet quidem huiusmodi honorabiliores, & magis scire manu artificibus putamus & sapientiores, quia factorum causas sciunt. Illi verò sicut quædam inanimatorum, faciunt quidem, non scientia autem faciunt quæ faciunt, vt ignis quod exurit. Inanimata quidem igitur naturâ quadam vnumquodque horum faciunt, sed manu artifices propter consuetudinem, quibus efficitur, vt sapientiores sint quidam, non quia peritiores sint in agendo; sed quia rationem habeant, causásque cognoscant.

Exponit prædictam rationem per simile: & intendit talem rationem sumptam à simili: sicut se habet ars architectonica ad artem manualem: sic se habet sciens *quia & propter quid* ad scientem *quia* tantum: sed ars architectonica est sapientior, & scientior ipsa arte manuali: ideò dicitur architectonica ab ἀρχὸς, quod est princeps, & τέχνη, quod est ars; ergo similiter sciens *quia, & propter quid*: cuiusmodi est artifex, sapientior & scientior est experto sciente solùm *quia.* Dicit ergo quòd *architectores putamus sapientiores, & nobiliores, & magis scire*, circa quodcunque genus scibile, *ipsis artificibus manu.* id est, manu operantibus. Et ratio huius est, *quia* architectonici artifices *sciunt causas, & propter quid* factorum, id est, artificialium: illos autem, id est manu operantes putamus: *sicut quædam de numero inanimatorum; faciunt enim: sed quæ faciunt incognita faciunt*, quia causam ignorant, quemadmodum inanimata: vtputa *cum ignis exurit:* ignis autem comburens ignorat causam quare comburit. Sed ne aliquis crederet omnino simile esse de actione inanimatorum, & manu artificum, subiungit differentiam; *Nam inanimata faciunt vnumquodque horum, quæ faciũt, naturâ quadam*, id est, quodam impetu, & necessitate naturali: & per hoc distinguuntur ab agente à proposito; sed *manu artifices faciunt* quæ faciunt *per consuetudinem:* quia per aliquem habitum acquisitum per consuetudinem; quod non est dicendum de inanimatis. Est ergo similitudo inter inanimata, & manu

Architectores sunt sapientiores artificibus manualibus.

& manu artifices: quia vtraque operantur absque cognitione causæ; nam sicut inanimata operantur ordinata in finem, ab aliquo agente superiori: sic & manu artifices ab aliquo superiori artifice architectore, respectu eius. Vnde concludit intentum, quòd *ex dictis patet* quòd non sunt sapientes aliqui secundùm practicos, id est, operatores esse, vel secundùm practicos, idest, secundùm operatoris habitus, quales sunt experti: sed secundùm quòd habent rationem vniuersalem, & causam: & *propter quid* cognoscunt, quales sunt artifices.

14 *Ars architectonica quæ sit & vnde dicatur?*

Notandum quòd ars architectonica dicitur principalis ars, ab ἀρχὴς, quod est princeps, & τέχνη, quod est ars; dicitur autem principalior, quia operationem principaliorem habet, & imperium respectu alterius. Exemplum, aliqua operatio artis ordinatur ad materiam disponendam, puta Carpentaria dolans, & disponens ligna, quæ sunt materia nauis: aliqua ordinatur ad formam inducendam, puta illa, quæ componit ligna, & inducit formam nauis: aliqua ordinatur ad vsum factæ nauis, puta Nautica, quæ nauigando vtitur naue constructâ, & iam factâ. Prima potest dici dolatiua. Secunda manufactiua. Tertia vsualis, & habent se sic per ordinem: quia prima est infima, & ordinatur ad secundam, vt ad finem, & vt materia ad formam; quia ipsa imponit necessitatem sibi: sicut forma materiæ, & finis his quæ sunt ad finem: vnde secunda est architectonica respectu primæ, & imperat primæ. Nā manufactor imperat dolatiuo, vt sic, vel sic, dolet ligna, secundùm quod sic, vel sic, sunt apta ad formam nauis inducendam. Quod igitur ligna sic, vel sic, dolanda, sicut manufactor nouit causam, *& propter quid*: quia scilicet expedit propter talem formam nauis: sed ipse dolatiuus, vt sic, solùm nouit quia sic dolanda sunt; sed causam *propter quid* ignorat. Simili modo secunda ordinatur ad tertiam, & tertia est architectonica respectu secundæ; quia sibi imperat, vt talem formam inducat: quia talis est necessaria ad vsum nauigandi; ita quòd ipsa manufactiua, vt sic, solùm nouit *quia*: sed vsualis nouit *propter quid*. Similiter in proposito artifex nouit *propter quid* eorum, quæ expertus solùm nouit *quia*. Ergo artifex est magis sciens, quàm expertus, & habetur propositum. Deinde cùm dicit:

Ars architectonica vt imperat aliis

Artifices possunt docere, experti non ita.

Et omninò scientis signum est posse docere, & ab hoc artem magis experimento scientiam esse existimamus. Possunt autem hi, hi autem docere non possunt.

Ponit secundam rationem, quæ potest sic formari: artifices possunt docere, & non experti; ergo artifices sunt magis scientes, & magis perfecti, quàm experti. Consequentia patet, quia scientis signum est posse docere, nam tunc *vnumquodque dicitur esse perfectum, quando potest sibi simile generare, & facere.* 4. Meteor. Antecedens probatur, quia artifex scit causam, *& propter quid*: expertus ignorat, ideò potest artifex docere, non autem expertus: Scire enim est causam cognoscere, & ideò qui causam scit, potest facere alium cognoscere, & scire: experti autem docere non possunt, quia causam ignorant: quòd si aliis tradunt ea, quæ experimento nouerunt, poterunt in eis generare habitum forsan opinionis, vel credulitatis: non autem scientificum: cùm scientia sit per causam. 1. Post. Dicit ergo quòd *omninò signum est scientis, posse docere: & ob hoc magis concupiscimus artem, quàm experimentum*: quia magis sumus scientes per artem, quàm per experimentum; vnde subdit quòd *hi* scilicet artifices *possunt* supple docere: *hi autem* scilicet experti *docere non possunt.*

Ad finem.

Text. 5.

15

Notandum quòd virtus istius rationis consistit in ista propositione, quæ colligitur. 4. Meteor. quia *vnumquodque est perfectum, quando potest generare sibi simile.*

Sed contrà, ergo Deus posset generare alium Deum sibi similem: consequens est falsum, ergo antecedens, quod est propositio allegata. Respondeo, non est factibilis alius: propositio autem habet veritatem, vbi aliud simile est factibile. Contrà. quia Angelus est factibilis: & tamen non potest sibi similem generare: ergo asinus erit perfectior Angelo, si propositio allegata vera sit. Respondeo quòd propositio illa fallit: quando productum aliquod est ita perfectum, quòd ad sui productionem requirit causam æquiuocam: & hoc est propter perfectionem: sic est in Angelo. Similiter in vniuocis deficit, quando est in potentia passiua tantùm: lapis enim durus quantumcunque perfectus non potest generare sibi similem: quia tantùm habet potentiam passiuam ad resistendum: durum enim est quod resistit impellenti: sed non habet principium agendi qualitatis actiuæ. Tunc ad propositum, *Vnumquodque est tunc perfectum &c.* licèt sequatur, *quando potest generare &c.* tamen non sequitur, perfectum est, ergo potest generare &c. nisi cum exceptionibus supradictis. Deinde cùm dicit:

Exceptiones illius propositionis 4. Meteororum. Vnumquodque tunc est perfectū, &c.

Amplius autem sensuum neque vnum sapientiam esse ponimus, cum his singulorum cognitiones maximè propriæ sint; sed propter quid de nullo dicunt, vt propter quid ignis calidus; sed quia calidus solùm sit.

Sensus non est sapiens nec sciens.

Ponit tertiam rationem quæ sumitur à signo, & probatur propositum: *quia nec vnum*, id est, nullum *sensum, ponimus esse sapientiam* & scientiam: quia sensus non est scientia nec capax scientiæ. Et ratio huius est: quia his sensibus *maximè sunt propriæ cognitiones singularium.* Nam vniuersale vt sic non cognoscitur à sensu, *& ideò* sensus, qui sunt circa singularia *de nullo dicunt*, id est, cognoscunt *propter quid, vt propter quid ignis est calidus*: sed tantùm: *quia calidus est*: si ergo sensus negatur esse sapiens, vel sciens, propter ignorantiam causæ *& propter quid*: expertum qui solùm nouit *quia*, non *propter quid*; negandum est esse scientem, vel sapientem. Sed artifex qui nouit causam, *& propter quid*, dicetur magis sapiens & sciens.

16

Primum quidem igitur cōueniens est quamlibet artem inuenientem vltra communes sensus ab hominibus mirari, non solùm propter aliquam inuentorum vtilitatem, sed sicut sapientem, & ab aliis differentem: Pluribus autem repertis artibus, & aliis quidem ad necessaria, aliis verè ad introductionem existentibus, tales illis sapientiores esse arbitrandum est propter id quòd illorum scientiæ ad vsum

ad vsum non sunt; vnde iam omnibus talibus institutis, quæ non ad voluptatem; neque ad necessitatem scientiarum repertæ sunt: & primum in his locis vbi vacabant; vnde circa Ægyptum Mathematicæ artes primùm constiterunt, ibi namque gens Sacerdotum vacare dimissa est.

Ars speculatiua est nobilior practica.

Postquam determinauit Philosophus, & distinxit gradus cognitionis, in hominibus rationem participantibus, comparando artem ad experimentum, nunc facit idem comparando artem speculatiuam ad practicam. Circa quod duo facit, primò quod dictum est, ostendens quòd speculatiua habet magis & tantùm rationem sapientiæ. Secundò adaptat illud quod dixerat ad hanc scientiam, de qua hoc intendit, quòd propter hoc scilicet hæc scientia meretur nomen sapientiæ, quia versatur circa primas causas, & circa principia. Secunda ibi: *Cuius autem gratia.* Prima in duo, nam primò facit quod dictum est. Secundò remouet dubium oriens ex prædictis. Secunda ibi: *In moralibus autem.* In prima intendit talem rationem: illa scientia cuius habens meretur nomen sapientis, & habetur in maiori veneratione, & honore inter homines, magis est sapientia: quia *propter quod vnumquodque tale & illud magis:* sed ars vel scientia speculatiua est huiusmodi respectu actiuarum practicarum; ergo speculatiua est magis sapientia quàm practica: Minorem ostendit in littera dicens, quòd *conueniens est mirari primum,* tanquam dignum honore, *inuenientem*, id est, illum qui inuenit quamuis artem, *& qui vltra omnem sensum*, id est ingenium aliorum hominum, *quærit*, scilicet causas rerum & quamcumque artem, *non propter vtilitatem vitæ*: sed propter ipsum scire solum, quod est proprium speculatiuæ: ille inquam est dignus admirari, qui sic facit vt scilicet sapiens, ad inueniendum causas rerum; & distinguens ab aliis, idest, sciens differentias rerum adinuicem: *sed talibus artibus repertis, & aliis pertinentibus ad necessaria vitæ*, quales sunt artes mechanicæ, & aliquo modo, omnes practicæ: *aliis verò pertinentibus ad introductionem* in aliis scientiis; quales sunt omnes sermocinales, vt Logica, Grammatica & Rhetorica, in omnibus, inquam, talibus iam repertis *semper tamen speculatiuos arbitrandum est esse sapientiores* illis, qui habent artes dictas priùs repertas: *propter illud quod illorum*, scilicet speculatiuorum, vel habentium speculatiuas scientias, *scientiæ*, quæ sunt speculatiuæ, non sunt ad vtilitatem vitæ repertæ: sed propter ipsũ scire, quod probat per signum: quia omnibus aliis repertis, *quæ vel pertinent ad necessitatem vitæ, vel ad introductionem in aliis*, vt iam dictum est: vel etiam quæ pertinent ad voluptatem; quod dicit propter aliquas scientias ad delectationem hominum ordinatas, vt fortè sunt scientiæ de ludis, vel huiusmodi; illæ speculatiuæ non sunt repertæ ad aliquid istorum: Quod patet, quia speculatiuæ scientiæ, primò repertæ sunt in his locis, in quibus primò studuerunt homines circa talia, *vnde & in Ægypto primò substiterunt artes Mathematicæ*, nam primò repertæ sunt à Sacerdotibus, qui concessi, & dimissi sunt studere circa huiusmodi speculatiua Mathematica.

SVMMARIVM.

De primis inuentoribus scientiarum Mathematicarum.

De inuentoribus Matheseos tantùm refert quid alij dicunt. Arist. 1, Met cap. 3. scribit Pythagoricos, primos Mathesi operam nauasse. Cùm Nilus sæpiùs inundatione possessiones confudisset, ad eas discernendas inuenisse Ægyptios Geometriam, scribit Strabo l. 17. & Herod. l. 11. Polyd. de Rerum inuent l. 1. c. 18. Arithmeticam à Phœnicibus inuentam, propter mercaturam, quidam putant; sed Ioseph. 1. Antiq. c. 3. id Abrahamo ascribit, quem etiam Astrologiam ad Ægyptios tulisse asserit, cuius inuentores secundùm eum fuerunt filij Seth, nepotes Adæ, à quibus recondita fuerunt in columna lapidea, quæ ad sidera spectabant, ne perirent, cùm ab Adamo intelligerent omnia diluuio peritura Plinius Ioui Belo inuentionem Astrologiæ tribuit l. 6. sed l. 5. Phœnicibus de quo Polydor c. 17. Quod de Atlante dicitur, merum figmentum est. Tubal filius Lamec fuit pater canentium cithara, & organo Gen 4. Quinam verò posteà, artificiosè Musicam, primò composuerunt sub lite est, de quo Polyd. suprà cap. 14. Multa de his videri possunt apud Zuingerum in Theatro, vol. 5. l. 4. & Laert. de vitis Philosoph.

17

Notandum quòd vt dicitur, quòd in Ægypto priùs inuentæ sunt artes Mathematicæ à Sacerdotibus, relinquentes occupationes alias, expensas de populo accipiebant in studio, concessi & deputati fuerunt: post omnes alias scientias repertas, quæ vel ad necessitatem vitæ, vel ad introductionem in alias scientias, vel ad delectationem hominum seruiebant. Et hoc est signum, quod Mathematicæ, & aliæ scientiæ speculatiuæ, non sunt repertæ propter aliquod illorum; sed propter ipsum scire tantùm. Deinde cùm dicit:

In moralibus quidem igitur quæ sit artis & scientiæ differentia, & similium generum dictum est.

Remouet dubium quod potest oriri ex prædictis: quia hominum vsus erat nomine artis, & sapientiæ & scientiæ: quasi indifferenter, ne quis putaret hoc idem significare: & esse quasi nomina synonyma. Respondet, quòd *in moralibus*, idest, in 6. Ethic. *Dictum est quæ sit differentia artis, & scientiæ, & aliorum similium generum.*

4. & inde.

Habitus intellectuales quinque.

Notandum, quòd Arist. 6. Ethic. distinguit habitus intellectuales, qui sunt *sapientia, intellectus, scientia, prudentia*, & *ars*: & differunt ab inuicem, penes obiecta: quia tria eorum scilicet sapientia, intellectus, scientia pertinent ad intellectum speculatiuum; & distinguuntur penes obiecta. Nam *sapientia* versatur circa causas altissimas, quæ sunt principia entis, inquantum ens: siue primæ causæ sint principia incomplexa, vt

substantiæ immateriales; siue complexa, vt sunt dignitates, & maximè propositiones, quæ demonstrationem omnium ingrediuntur virtualiter, etsi non substantialiter, de quo aliàs. *Intellectus* autem versatur circa principia propria demonstrationis, quæ demonstrationem ingrediuntur secundùm substantiam. *Scientia* autem versatur circa conclusiones: Nam *scientia* est habitus conclusionum. Duo alij habitus scilicet *prudentia*,& *ars* pertinent ad intellectum practicum; sed distinguuntur penes obiectum: quia *prudentia* versatur circa agibilia, vnde dirigit in praxim, quæ est actio immanens, non transiens in exteriorem materiam. *Ars* enim est recta ratio rerum factibilium, vt patet ex 6. Ethic. ideò versatur circa factibilia,& dirigit in operationem, quæ est actio transiens; prima autem propriè dicitur actio. Secunda autem factio, illa quæ scilicet est transiens. Deinde cùm dicit:

Cap. 5.

18

Cuius autem gratia nunc sermonem facimus, hoc est, quia nominatam sapientiam circa primas causas, & principia existimant omnes.

Metaphysica est circa primas causas, & principia.

Quod dixerat, adaptat ad propositum, volens ostendere ex dictis, quòd scientia Metaphysica, quæ meretur nomen sapientiæ, versetur circa causas,& circa principia. Et circa hoc duo facit. Primò ponit intentam conclusionem. Secundò, innuit eius probationem, ibi. *Quare sicut dictum.* Dicit ergo, quòd illud, *cuius gratia nunc sermonem*, idest, considerationem, *facimus*, de prædictis est hoc, quod intendimus, scilicet quia Metaphysica, quæ est *nominata sapientia, videtur esse circa primas causas, & principia.* Deinde cùm dicit:

Quare sicut dictum est priùs, expertus quod quemcumque sensum habentibus sapientior esse videtur, artifex enim expertis. Architector autem manu artifice; speculatiui autem magis actiuis. Quod quidem igitur sapientia, & circa quasdam causas, & principia sit scientia, manifestum est.

Innuit talem probationem: Quicumque magis considerat causas, & principia, sapientior dicitur; ergo scientia, quæ est sapientia, considerat causas,& principia. Tenet autem illa consequentia in virtute illius Maximæ: *sicut maximè ad maximè, & magis ad magis: ita simpliciter ad simpliciter:* & est similis modus arguendi: ac si diceretur: Quod est magis terreum, est grauius; ergo terra est simpliciter grauis. Similiter, magis considerans causas magis est sapiens; ergo sapientia simpliciter considerat causas, & principia. Antecedens autem istius consequentiæ, quòd scilicet *qui magis considerat causas sapientior dicitur*, ostendit Aristot. inductiuè dicens: quòd *sicut dictum est priùs, expertus videtur esse sapientior* eis, qui sensum habent solum sine experimento: *artifex enim sapientior est expertis*; & inter artifices, *architectus*, idest, habens scientiam architectonicam, est *sapientior ipso artifice manuali*, qui est inferior eo. Speculatiuæ etiam scientiæ sunt magis sapiẽtes ipsis actiuis practicis. Et ratio huius est, quia magis considerat causas, iste qui sapientior dignoscitur, vt patet ex dictis.

5.To. c. 21.

Notandum, quòd expressè non habetur in litera simpliciter, quòd expertus sit sapientior habente solum sensum sine experimento; tamen habetur ibi implicitè à simili: quia sic se videtur habere expertus ad habentem solum sensum, sicut artifex ad expertum: ideò connumerat hoc inter dicta superiùs expressa. Vltimò concludit intentam conclusionem dicens: *Quod quidem igitur sapientia*, id est, Metaphysica, de qua est sermo *principaliter, sit scientia circa quasdam causas, & principia, manifestum est*, ex dictis. Dicit ergo *circa quasdam*, quia nondum ostensum est circa quas; sed circa quasdam simpliciter, quæcumque sint illæ.

SVMMÆ PRIMÆ CAP. II.

Exponitur sapientiæ natura, & Metaphysicæ dignitas probatur ex eius essentiali speculatiuitate.

SVMMARIVM.

Ponit sex conditiones sapientiæ, quas omnes per ordinem ostendit conuenire Metaphysicæ, inde concludens ipsam debere sapientiam nominari. In altera parte huius capitis, quæ est secunda pars principalis huius primæ partis prologi, ostenditur dignitas huius sapientiæ, scilicet Metaphysicæ ex eius speculatiuitate, vbi in principio distinctiùs notatur.

19

QVoniam autem scientiam hanc quærimus circa quales causas, & circa qualia principia, scientia, sapientia sit, hoc vtique erit considerandum. Si itaque accipiat aliquis existimationes, quas de sapiente habemus, fortaßis ex his manifestius fiet.

Dicebatur superiùs, quòd ad ostendendum dignitatem huius scientiæ ex eius naturali appetibilitate, intendebat Arist. facere talem rationem; Omnes homines naturâ scire desiderant; ergo maximam scientiam maximè desiderant: sed scientia Metaphysicæ est maximè scientia; ergo, &c. Declarata ergo primâ propositione: *Omnes homines, &c.* in qua maior rationis virtualiter continetur, nunc inquirit minorem, scilicet, quòd scientia Metaphysicæ sit maximè scientia.

Maximè scibilia duplicia.

Ad cuius euidentiam sciendum, quòd scientia maxima dicitur, quæ est de maximè scibilibus: maximè autem scibilia dicuntur dupliciter, vel quia primò omnium sciuntur, sine quibus non possunt alia sciri; vel quia sunt certissima cognoscibilia; vtroque autem modo considerat ista scientia maximè scibilia. Nam maximè scibilia primo modo, sunt communissima, vt ens, inquantum ens, & quæcunque sequuntur ens, inquantum ens. Maximè autem scibilia secundo modo, sunt principia,& causæ; quæ tanto sunt secundùm se certiora, quanto sunt priora: hæc autem sciẽtia considerat de vtrisque, vt patet ex prima conclusione huius prologi. Virtus ergo huius minoris stat in hoc, quod Metaphysica est de maximè scibilibus, quod Arist. intendit ostendere in hoc loco; quod facit tali modo. Quia supponendo, quòd ista scientia sit sapiẽtia, probat quòd sapiens

Metaphysica versatur circa maximè scibilia.

versetur circa maximè scibilia, & per consequens Metaphysica, cum sit maximè sapientia. Circa autem hoc sic procedit, quia primò mouet modum inuestigandi dictam veritatem. Secundò iuxta illum modum exequitur de intento. Secunda ibi: *Primum itaque*. Dicit ergo, *quoniam*, pro quia, quòd *hanc scientiam quærimus*, quæ scilicet considerat causas & principia, vt superiùs immediatè est conclusum; *considerandum est circa quales causas, & qualia principia sit hæc scientia sapientia*, quæ est Metaphysica: hoc autem *fortassis ex his fiet manifestum*, scilicet hoc modo, si aliquis numerando comprehendat *communes existimationes* hominum, *quas habemus de sapiente*, nam per hunc modum patebit, quòd sapientia versatur circa prima principia, & proprias causas, quæ sunt maximè scibilia, & etiam quòd versatur circa communissima, quæ etiam sunt maximè scibilia. Deinde cùm dicit;

Vide ad hunc tex q. 9. lib. 1.

Itaque primum existimamus sapientem; omnia maximè scire, vt contingit: accipimus enim non singularem scientiam eorum habentem.

20

Conditiones sapientis sunt sex.

Ponit aliquas conditiones conuenire ei, quòd considerat maximè scibilia, & communissima, & primas causas, & principia, & ostendit quòd considerare maximè scibilia est eiusdem sapientiæ, quæ est Metaphysica: & diuiditur ista pars in sex secundùm quòd sex tales conditiones narrat de sapiente. Secunda ibi: *Postea difficilia*. Tertia ibi: *Adhuc certiorem*. Quarta ibi: *Et magna*. Quinta ibi: *Et hanc scientiarum*. Sexta ibi: *Et principaliorem, &c.* Dicit ergo quòd *primum accipimus sapientem scire maximè*, sicut decet, vel *vt contingit, non enim accipimus habentem scientiam singularem omnium*; hoc enim est impossibile, cùm illa sint infinita, quæ intellectu capi non possunt. Prima ergo conditio sapientis est scire omnia, vt contingit, scilicet in vniuersali, vt posteà dicemus. Secunda ponitur ibi;

Prima conditio sapientis est scire omnia.

Posteà difficilia cognoscere potentem, nec leuia homini noscere, hunc dicimus sapientem. Sentire enim omnium est commune: quare facile, & non sophon, id est, sapiens est.

Secunda conditio est cognoscere difficilia.

Et est quòd illum ponimus sapientem, qui potest cognoscere difficilia ex ingenio sui intellectus: non autem ponimus sapientem potentem scire ea, quæ leuia sint omnium communiter ad cognoscendum: *sentire enim*: id est, cognoscere sensibilia *commune est omnium*; *quare facile est* illa sensibilia cognoscere, *& non sophon*, id est, non est aliquid pertinens ad sapientem, vt sic: Illud ergo est proprium scire sapientis, quod non cognoscitur leuiter à quocumque. Tertiam ponit ibi:

Adhuc certiorem.

Tertia quòd sit certior de his quæ nouit, quam alij.

Et est quòd illum accipimus sapientem, qui est certior de his, quæ nouit, quàm sint communiter alij de his, quæ norunt. Quartam ponit ibi:

Et magis causam dicentem sapientem circa omnem scientiam esse.

Quarta con-

Et est quòd illum accipimus sapientem, qui *circa omnem*, id est, circa quamcunque scientiam magis potest dicere, id est, reddere, & assignare causas eorum, quæ sciuntur, & quæruntur, & per consequens potest magis docere. Quintam ponit ibi:

ditio, quòd promptius alijs reddat rei causam.

Et scientiarum autem ea quæ suiipsius causa & sciendi gratia eligibilis est, magis est sapientia, quàm quæ euenientium gratia.

Quinta, quòd sit propter ipsum scire, & non propter aliud.

Et est quòd *scientiarum*, id est, de numero scientiarum est magis scientia, *quæ per se est, & gratia scire*, id est, propter ipsum scire magis accipimus esse sapientiam, *& magis est sapientia*, quæ est circa speculatiua, quàm illa quæ est circa contingentia, id est, quæ possunt euenire contingenter, puta vitæ necessitas, vel delectatio, vel aliquid tale; tales enim vltra scire extendunt se ad aliquod aliud, sicut sunt scientiæ practicæ; scientia enim speculatiua est volita propter scire, non propter aliud: si ergo talis est magis sapientia; & habens eam magis sapiens, per locum à Coniugatis. Sexta patet ibi;

Et principaliorem subseruiente magis esse sapientem: non enim ordinari, sed ordinare oportet sapientem; nam hunc ab altero; sed ab hoc minùs sapientem persuaderi. Tales quidem igitur existimationes, & tot de sapientia & sapientibus habemus.

Sexta, quòd regat, & non regatur.

Et est quòd hanc sapientiam accipimus, *esse principaliorem*, id est, digniorem *famulante*, id est, quàm illa, quæ famulatur, quod probatur ex duobus. Tum primò, quia *ipsum sapientem oportet ordinare* alios, *& non ordinari*. Tum secundo, quia sapientem, *hunc non oportet ab alio suaderi: sed magis ab hoc suaderi minus sapientem*.

21

Notandum, quòd in artibus mechanicis famulantes sunt illi, qui præceptis superiorum artificum obsequuntur, & isti imperantes architectores, & sapientes dicuntur, propter duplicem causam dictam: primò quòd ipsi non ordinantur ab aliis, sed potiùs econuersò: quia ars famularia ordinatur in finem superioris artis: sicut ars nauifactiua ordinatur in finem vsualis. Secundò, quia inferiores persuadentur à superioribus, & non econuersò: nauifactor enim credit ipsi nautæ, vel gubernatori nauis, scilicet qualem formam debeat habere nauis: secundùm autem communem opinionem sapienti competit ordinare non ordinari; persuadere non persuaderi; quare talis scientia est magis sapientia famulante: & per consequens habens eam magis sapiens. Vltimò concludit quòd huiusmodi *tales acceptiones habemus communiter de sapientia & de sapiente*. Ex omnibus præmissis potest colligi vna talis descriptio sapientis: Quòd est qui omnia nouit sicut decet, & definibilia certitudinaliter; & per causam quærens ipsam scientiam propter scire, persuadere potens aliis, & etiam ordinare. Deinde cùm dicit:

Descriptio sapientis.

Istorum aut hoc quidem omnia scire vniuersalem scientiam maximè habenti inesse necesse est: hic enim nouit omnia aliqualiter subiecta.

Probat dictas sex conditiones conuenire ei, qui

qui considerat communissima & maximè scibilia: & diuiditur in sex, secundùm quod dictas sex conditiones probat tali inesse: & procedit ordine, quo posuit eas suprà. Secunda ibi: *Sed ferè sunt.* Tertia ibi: *Scientiarum.* Quarta ibi: *Doctrinalis.* Quinta ibi: *Et noscere & scire.* Sexta ibi: *Maximè verò.* Primò ergo ostendit, quòd ei, qui considerat communia, & vniuersalia, inest prima conditio sapientis, quæ est scire omnia: & intendit talem rationem: Sciens vniuersale scit aliquo modo subiecta ei; ergo sciens maximè vniuersalia, scit omnia. Dicit ergo quòd *istorum* quæ dicta sunt, primum eorum scilicet, *omnia scire necesse est inesse habenti maximè vniuersalem scientiam*, id est, illi qui nouit maximè vniuersale: *hic enim nouit subiecta*, id est, contenta sub vniuersali.

Quomodo cognoscens vniuersale cognoscit omnia contenta sub illo?

Notandum, quòd qui nouit vniuersale quodammodo nouit contenta sub vniuersali, scilicet in potentia & in communi: & ex hoc confirmatur quod dictum est, in conclusione præcedenti. Non enim oportet, quòd qui nouit vniuersale, sciat omnia in particulari: sed quòd sciat aliquo modo vt contingit, vt sæpiùs dicebatur. Deinde cùm dicit:

22 Ad hunc textum est q.10. lib.I.

Ferè autem & difficillima sunt hominibus ad cognoscendum, quæ maximè sunt vniuersalia, nam sensibus sunt remotissima.

Probat quòd considerare definibilia est sapientis, & intendit talem rationem: Nam omnis nostra cognitio oritur à sensu; ergo quæ magis distant à sensu, difficilius est attingere per cognitionem: sed maximè vniuersalia sunt huiusmodi: quia cùm sensus sit singularium, quanto vniuersalius, tanto remotius à sensu; ergo vniuersalia sunt difficillima ad cognoscendum; per consequens illi qui considerat communissima, & maximè vniuersalia, inest, cognoscere & considerare difficillima, & de illa ratione tangit virtutem dicens: Sed *ferè ea sunt difficillima hominibus ad cognoscendum, quæ maximè sunt vniuersalia; nam talia sunt remotissima à sensibus.*

Vniuersalia sunt difficilia ad cognoscendum & quare?

Metaphysica est in se certissima.

Sed contra dicta hic arguitur: nam scientia quæ est circa difficillima, est incertissima; si ergo Metaphysica est circa difficillima, erit incertissima, quod est contra tertiam conditionem sapientis. Respondeo, quòd si ratio concludat vniformiter, non concludit quòd Metaphysica sit incerta in se; sed sicut vniuersalissima sunt difficillima scilicet istæ causæ primæ vniuersales, de quibus loquitur, sunt difficiles nobis: sic & scientia. Contra hoc quod dicitur; quòd scientia est per causam; dicit etiam quod causæ, & principia quæruntur, ergo non sunt notæ causæ. Respondeo, quòd illa principia non sunt nota; sed sunt nobis quæsita: tamen in se sunt nota & certissima; ideò ait Philosophus: *ferè.* Deinde cùm dicit:

SVMMARIVM.

Vt Metaphysica est nobis difficilis, & facilis.

Vult quòd Metaphysica, vt est nobis aliis scientiis difficilior, ita & incertior, donec perueniamus ad eius principia & eorum vim capiamus; tunc enim, non solùm in se, sed etiam nobis, certior est aliis sciẽtiis. de quo vide Doct. hîc q.3. & ibi Scholium quartum. Experientia constat, Mathematicalia esse nobis faciliora, quia propinquiora sensui; in multis tamen sunt incertiora, vt de eclipsi Lunæ, quæ sine repugnantia posset esse ab alia causa præter interpositionem terræ inter ipsam, & Solem, & sic de multis aliis Mathematicalibus.

23

Scientiarum verò certissimæ sunt, quæ maximè priorum sunt: nam quæ sunt ex paucioribus, certiores sunt his, quæ ex additione dicuntur, vt Arithmetica Geometriâ.

Al. primorum.

Probat tertium inesse sibi, scilicet esse certiorem, & intendit talem rationem: Quanto scientiæ sunt priores, tanto sunt certiores: sed scientiæ de maximè vniuersalibus sunt priores naturaliter; ergo certiores, & per consequens habens eas certior est. Probat autem maiorem: quia scientiæ, *quæ sunt ex paucioribus, certiores sunt eis, quæ se habent ex additione, sicut Arithmetica*, certior est, *Geometriâ.*

Notandum, quòd tanto aliqua scientia est certior, quanto ad notitiam sui subiecti scibilis habendam, pauciora consideranda requiruntur: quia cæteris paribus, & faciliùs, & certiùs cognoscuntur pauca, quàm plura; vnde scientiæ factiuæ practicæ incertissimæ sunt: quia habent multas circumstantias considerare. Scientia ergo illa, quæ se habet ex additione ad aliam, & per consequens plura considerat, est incertior: quomodo se habet Geometria ad Arithmeticam: sicut patet considerando ea, quæ accipiunt, & quæ considerant, vt principia, vt sunt punctus & vnitas. Nam punctus addit supra vnitatem situm, vel positionem; ideò quantum ad hoc Geometria, quæ considerat punctum, incertior est, quàm Arithmetica, quæ considerat vnitatem. Hoc autem modo se habent scientiæ inferiores, & particulares ad scientias vniuersales; quia semper subiectum inferioris addit aliquid ad subiectum superioris: quicquid sit illud, siue sit differentia essentialis, siue accidentalis. Scientia ergo quæ considerat de ente, & huiusmodi communissimis, qualis est Metaphysica, est certissima omnium aliarum. Deinde cùm dicit:

Scientia quæ se habet per additionem ad aliam est incertior.

At verò & doctrina, quæ causarum est speculatrix, magis: namque hi docent, qui causas de singulis dicunt.

Probat quartum inesse sibi, quod est posse docere, & reddere causam de quæsitis, & intendit talem rationem: Illa scientia est magis potens docere, quæ maximè considerat causas: scire enim est rei causam cognoscere ex 1. Poster. & per consequens ille potest alium docere, & facere scire, qui causas nouit; sed scientia quæ considerat vniuersalia, considerat maximè causas, & principia omnium, qualis est Metaphysica; ergo &c. Dicit ergo, quòd illa scientia est doctrinalis, id est, doctrix: *quæ magis est speculatrix causarum: nam illi docent* alios, *qui de singulis causas dicunt*, id est, assignant. Deinde cùm dicit:

Et noscere, & scire sui gratiâ, maximè inest ei, qui maximè scibilis scientia: nãque qui scire propter se desiderat, ipsam maximè scientiam desiderabit; tale autem est quæ maximè scibilis: Maximè autem scibilia principia & causæ, nã propter hæc, & ex his alia dignoscuntur, & non hæc per subiecta.

Probat quintum inesse sibi, & intendit talem rationem; Scientiæ, quæ sunt de maximè scibilibus, maximè quæruntur propter seipsas, & non propter alias: sed scientiæ, quæ sunt de primis causis, & principiis, sunt de maximè scibilibus; ergo, &c. Maior patet, quia *qui desiderat scire propter se, magis scire magis desiderat*: sed maximè scientia est de maximè scibilibus; ergo maximè desideratur, & quæritur propter se. Minor sic probatur: illa per quæ, & propter quæ alia quæruntur, & sciuntur, sunt maximè scibilia: sed per causas, & principia alia cognoscuntur, & non econuersò; ergo causæ & principia sunt maximè scibilia. Dicit ergo, quòd *noscere, & scire sui gratiâ*, id est, per se, & non gratiâ aliorum contingentium, *maximè inest ei, quæ est maximè respectu scibilis scientiæ*, quia scientia aliqua quæritur propter se; vnde subditur, quòd qui *scire propter ipsum scire desiderat, ipsam maximè scientiam maximè desiderabit: talis autem*, scilicet maximè scientia, *est ipsa, quæ est respectu maximè scibilis: sed maximè scibilia* sunt, quæ prima *principia sunt, & causæ*: *nam propter ea, & ex eis* primis principiis, & causis *alia cognoscuntur*, quæ sunt subiecta illis primis principiis, & causis, & non econuersò. Deinde cùm dicit:

25 Ad hunc tex. habes q. 8. l. 1.

Maximè verò principalis scientiarum, & magis principalis subseruiente, quæ cognoscit cuius causa sunt agenda singula: hoc autem est bonum vniuscuiusque; atque id quod totaliter est optimum in omni natura.

Probat sextum inesse sibi, & intendit talem rationem: Illa scientia se habet ad alias, vt architectonica, & principalis ad famulantem, quæ considerat causam finalem, cuius causâ agenda sunt singularia: sed prædicta scientia, quæ scilicet est de primis principiis, & causis, est principalis, & archictetonica respectu omnium aliarum, & per consequens habens illam, habet illam sextam conditionem sapientis. Maior patet in supradictis: nam scientia vsualis se habet ad nauifactiuam, vt principalis, & architectonica ad seruilem: nam considerat finem eius, & præcipit sibi propter hoc, quòd talem formam inducat, quia ipsa est vtilis ad vsum nauigandi. Minorem autem ostendit ex hoc, quia gratiâ cuius agenda sunt singula, est bonum cuiusque, id est, particulare bonum, quia particularis finis est bonum in vnoquoque genere. Illud verò, quod est finis omnium, id est, in vniuerso, est illud, quod est optimum in tota natura, quod pertinet ad considerationem scientiæ supradictæ. Dicit ergo, quòd *maximè principalis scientiarum, & magis principalis*, ipsa *seruili est* ipsa *quæ* non ignorat; sed *nouit cuius causâ singularia sunt agenda, & hoc bonum*, id est, particulare bonum, quod est finis, *cuiusque*, in particulari: *sed omni*, id est, toti vniuerso finis est, *quod est optimum in omni*, id est, tota *natura*, de quo agit scientia de vniuersalibus, & maximè scibilibus, quia ipsa est principalis, & architectonica respectu omnium aliarum, & sibi omnes aliæ famulantur.

Finis & bonum duplex.

26 *Bonum vniuersi est duplex, & vnū ordinatur ad aliud.*

Notandum, quòd optimum in tota natura, quod est finis, & bonum totius vniuersi, vt bonum separatum, est primum mouens, vt in 12. Metaph. sed ordo vniuersi est bonum intrinsecum vniuersi, sed illud principalius: quoniam bonum tale, quod est bonum ordinis, est propter bonum finis, & non econuersò; sicut bonum exercitus est ordo exercitus, & tale ordinatur in bonum ordinis vniuersi, & non econtrà: bonum ergo secundum, & tertium ordinantur in primum, & non econuersò. De primo autem mouente, quod est principale bonum, & finis in tota natura, agit scientia Metaphysicæ, vt patet 2. huius. Tunc sequitur illa pars:

Ad hunc text. habes quæst. 7. l. 1.

Ex omnibus ergo quæ dicta sunt, in eandem cadit scientiam quæsitum nomen: oportet enim hanc primorum principiorum, & causarum esse speculatiuam: summum etenim bonum, & quod cuius gratiâ, vna causarum esse.

Vbi postquam enarrauit conditiones sapientiæ, & ostendit eas conuenire ei, qui considerat maximè scibilia, quæ sunt communissima, & primæ causæ, & principia; concludit ex prædictis, quòd nomen sapientiæ, & considerare maximè scibilia, sunt eiusdem scientiæ. Dicit ergo quod *ex omnibus his, quæ dicta sunt*, est manifestum, quod *in eandem scientiam cadit, quod quæsitum est nomen*, scilicet nomen sapientiæ in eandem scilicet scientiam, quam omnem esse Theoricam, scilicet *speculatiuam primorum principiorum, & causarum*, quæ sunt maximè scibilia, & hoc manifestum est, quantum ad dictas sex conditiones sapientiæ, quæ manifestè conueniunt ei, qui considerat prima principia, & causas: addit tamen, quod *bonum, & quod cuius causa*, id. est, finis, est *vna de numero causarum.*

Finis est vna ex causis.

Notandum, quòd apud antiquos finis non ponebatur esse causa, vt dicetur infrà, in isto primo: ideò ad remouendum hoc, & ad ostendendum, quòd istius scientiæ, cuius est considerare primas causas, est etiam de causa finali considerare, vt dicebatur in sexta conditione immediatè antè, addit quòd finis est vna causarum: ideò scientia, quæ considerat vniuersales causas omnium, habet etiam considerare vniuersalem finem omnium, quod est optimum in tota natura vniuersi, vt prædictum est.

SVMMARIVM.

Probat secundò Metaphysicam esse speculatiuam, hinc inferens aliis esse digniorem, de quo fusè Doct. hîc q. 7. & 8. Probat tertiò etiam solã hanc inter scientias esse liberam, seu gratiâ sui acquiri, quod optimè explicat Doctor. Quartò probat esse diuinam, & explicat Doctor quomodo sic dicitur, & quo sensu.

27 Secunda pars principalis primæ partis huius prologi.

Quare verò non actiua palam ex primum philosophantibus: nam propter admirari homines, & nunc, & primũ inceperunt philosophari: à principio quidem per pauciora dubitabilium mirantes; deinde paulatim procedentes, & de maioribus dubitãtes, vt de Lunæ passionibus, de his, quæ circa Solẽ, & astra, & de vniuersi generatione. Qui verò dubitat, & admiratur, ignorare se arbitratur; quare & Philomythes, id est, fabularum amator, aliqualiter Philosophus

phus est: fabula namque ex miris constituitur: quare si ad ignorantiam fugiendam philosophati sunt, palam quia propter scire, studere persecuti sunt, & non vsus alicuius causa.

Hæc est secunda pars principalis istius primæ partis prologi, & quia hucusque Aristot. probat dignitatem huius scientiæ ex eius naturali appetibilitate, nunc ostendit idem ex eius essentiali speculatiuitate. Circa quod duo facit: primò probat hanc scientiam esse speculatiuam per rationem. Secundò per signum. Secunda ibi: *Testatur autem hoc.* In prima parte intendit talem rationem: Omnis illa scientia, in qua quæritur ipsum scire propter seipsum, est speculatiua, non practica: Metaphysica est huiusmodi; ergo, &c. Minor probatur sic: Illa scientia, quæ quæritur solùm propter fugam ignorantiæ, intendit ipsum scire propter se: sed Metaphysica est huiusmodi; quod ostendit ex hoc, quòd circa istam scientiam, & alias speculatiuas, ex admirari cæperunt homines philosophari; admiratio autem oritur ex ignorantia; nam qui dubitat, & admiratur, dubitare videtur: philosophati sunt ergo homines propter fugam ignorantiæ. Dicit ergo, *quòd verò* ista scientia *non sit actiua*, id est, practica, sed speculatiua, *patet ex primis philosophantibus: nam per admirationem cæperunt homines philosophari nunc, & primùm:* licèt differenter quantum ad hoc: quia *à principio* erant *mirantes pauca dubitatiua*, quæ fortè magis erant in promptu, vt eorum causæ cognoscerentur: *sed pòst*, id est, ex cognitione minorum, *paulatim processerunt* ad maiora: *dubitantes de maioribus*, id est, quærentes eorum causas, *vt de passionibus Lunæ*, puta de Eclipsi: *& de his, quæ sunt circa Solem, & astra*, puta de quantitate, & de motibus ipsorum, *& de mundi generatione*: nam mundum quidam dixerunt generatum à casu: quidam ab intellectu, vt Anaxagoras: quidam amore, vt Empedocles. Certum est autem, quòd *qui dubitat, & admiratur, ignorare dicitur: & propter hoc Philosophus dicitur Philomythes, id est, amator fabulæ*: quod est proprium Poëtarum; ideò comparatur Philosophus Poëtæ: quia vterque versatur circa admiranda; vnde subdit: *fabula namque ex miris*, id est, admirandis; *constituitur.* Concludit ergò conclusionem intentam: *quare* inquam *si ad ignorantiam fugiendam*, quam arguit illa admiratio, *philosophati sunt: palam quia propter notitiam, scilicet propter* ipsum *scire scientiam persecuti sunt*, id est, secuti sunt quærentes: *& non causâ alicuius vsus*, vel operationis, quæ est praxis; & ideò tales scientiæ sunt speculatiuæ, & non practicæ.

Metaphysica est scientia speculatiua.

Opinio de mundi generatione.

28

Notandum, quòd, sicut dictum est, dubitatio, & admiratio ex ignorantia sumunt ortum, cùm enim videmus effectus manifestos, quorum causas non videmus, admiramur circa effectus illarum causarum: ex eo ergo, quòd admiratio fuit causa inducens homines ad Philosophiam, ideò Philosophus amator fabulæ vocatur, quod est proprium Poëtarum. Vnde & quidam antiqui, qui de rerum principiis tractauerunt per quendam modum fabularum, dicti sunt Poëtæ Theologantes: & vt dicitur, fuerunt septem Sapientes, de quibus etiam aliquid dicetur infrà, in isto primo. Quia ergo fabula ex admirandis constituitur, ideò Philosophus Poëtæ comparatur, nam & ipse circa admiranda versatur, vt prædictum est.

A. l. causas illorum effectuum.

Notandum vltra, quòd cum Aristot. priùs vsus fuit nomine *sapientiæ*, nunc vtitur *Philosophia*, quod pro eodem sumitur: dicitur enim quòd cùm antiqui studio sapientiæ insistentes sapientes vocarentur, Pythagoras interrogatus quid se profiteretur esse, noluit se nominare sapientem, vt antecessores sui: quia præsumptuosum hoc esse censebat; sed dixit se esse Philosophum, id est, amatorem sapientiæ: nomen philosophiæ, & nomen sapientis in nomen Philosophi est mutatum: & hoc nomen congruit præsenti proposito: nam ille videtur amator sapientiæ propriè, qui sapientiam, non propter aliud, sed propter sapientiam quærit: qui autem quærit eam propter aliud, magis illud aliud amat, & quærit; quia propter quod vnumquodque tale & illud magis, ex primo Posteriorum. Deinde cum dicit:

Philosophus vnde dicitur, & quis fuit primus inuentor vocabuli?

Text. 5.

Testatur autem ipsum quod accidit: nam ferè cunctis existentibus, quæ sunt necessariorum ad voluptatem, & eruditionem, talis prudentia inquiri cæpit. Palam igitur quia propter nullam ipsam quærimus aliam necessitatem.

Probat hanc scientiam esse speculatiuam à signo, dicens, quòd hoc quod dictum est, scilicet quòd sapientia, vel philosophia sit inuenta propter se, & propter ipsum scire, & non propter aliquod, scilicet propter necessitatem vitæ, *testatur hoc accidens*, id est, euentus circa sapientiæ inuentores; *nam ferè cunctis iam eis existentibus, quæ* vel *sunt necessariorum*, id est, de numero eorum, quæ sunt necessaria ad vitam, & *ad voluptatem*, & quietem, siue delectationem vitæ pertinentibus, vt dicebatur suprà, & ad *eruditionem*, id est, ad introductionem in alias scientias pertinentibus, vt supple scientiæ sermocinales & potissimè Logica. Omnibus, inquam, iam existentibus, & repertis: *talis prudentia*, de qua nunc est sermo, *inquiri cæpit*; ergo palam tanquam à signo probatum, *quia propter nullam aliam necessitatem quærimus sapientiam*, sed supple propter seipsam tantùm: & per consequens est speculatiua, & non practica.

Metaphysica propter seipsam quæritur.

Notandum, quòd secundùm intentionem Philosophi, scientia speculatiua est dignior practicâ: ex hoc ergo quòd probat istam scientiam esse speculatiuam, eius dignitatem putat sufficienter se probasse.

29

Sed vt dicimus homo liber, qui suimet, & non alterius causa est; Sic & hæc sola libera est scientiarum: sola namque hæc sui causa est.

Tertia pars principalis primæ partis prol.

Postquam Philosophus probauit dignitatem huius scientiæ, ex eius naturali appetibilitate, & ex eius essentiali speculatiuitate; nunc ostendit idē ex eius libertate ingenua. Circa quod duo facit: primò facit quod dictum est. Secundò ex dictis concludit corollarium quoddam ad eius pertinēs dignitatem. Secunda ibi: *Propter quod & iustè.* In prima parte intendit talem rationem: Illa scientia est libera, quæ est gratiâ suiipsius, & non gratia alterius; sed Metaphysica est huiusmodi; ergo, &c. Minorem probat à simili: quia homo iste dicitur liber,

Metaphysica libera est & suipsius gratia.

liber, qui est gratiâ suiipsius: serui enim dominorum sunt, & propter dominos operantur, & quicquid acquirunt, domino acquirunt. Dicit ergo secundùm quòd *dicimus, ille homo liber est qui scilicet est gratiâ suiipsius, & non est causa alterius; sic & hæc, scilicet* Metaphysica ipsa *sola libera est scientiarum*, id est, inter scientias; *sola namque est suiipsius causa.*

Sed videtur falsum, quod hîc dicitur, scilicet quòd sola hæc scientiarum sit gratiâ suiipsius, nã hoc videtur commune omnibus scientiis speculatiuis, vt patet ex dictis. Dicendum quòd hæc litera, *hæc sola*, potest dupliciter exponi, vno modo prout refertur ad genus scientiarum speculatiuarum in genere: ita quòd supponit ly *sola*, pro omni scientia speculatiua, & sic verum est quòd solæ scientiæ speculatiuæ sunt gratiâ suiipsius, quia propter ipsum scire, & non propter aliud quæruntur; ideò liberales propriè dicuntur: scientiæ autem, quæ ad aliud ordinantur, puta ad aliquod opus, vel vtilitatem, dicuntur non liberales, sed potiùs seruiles, vt sunt omnes practicæ communiter: saltem mechanicæ: alio modo exponit, quod litera, *sola*, refertur ad istam scientiam, quæ cùm sit circa altissimas causas, & circa causam finalem omnium, vt prædictum est: nam considerat vltimum finem omnium, propter quod omnes aliæ scientiæ ad eam ordinantur, tanquam in finem; & ideo ista scientia inter omnes maximè est gratiâ suiipsius. Deinde cùm dicit:

Qualiter intelligi debet solam Metaphysicam esse suiipsius gratiâ.

Propter quod & iustè non humana putetur eius possessio. Multipliciter enim hominum natura serua est.

Concludit ex dictis quoddam corollarium, pertinens ad huius scientiæ dignitatem. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est. Secundò excludit errorem quendam iuxta dicta. Secunda ibi: *Quare secundùm.* In prima parte intendit concludere ex prædictis, quòd ista scientia non sit humana possessio, & intendit talem rationem. Scientia maximè libera non potest esse possessio naturæ illius, quæ multipliciter est ministra: sed natura humana multipliciter est ministra; ergo ista scientia, quæ est maximè libera, vt prædictum est, non est possessio humana. Dicit ergo quòd *propter hoc*, quia, scilicet ista scientia est maximè libera: *iustè eius possessio non putetur humana*, multis enim in locis, id est, quantum ad multa *natura humana ministra est.*

Notandum, quòd natura humana dicitur ministra, eo quòd multis necessitatibus subditur, pro statu viæ, ex quo accidit quòd frequenter dicimus illud quod propter se quærendum est, non humana putatur eius possessio. Vnde licèt melius sit philosophari, quàm ditari: non tamen indigenti, vt dicitur tertio Top. Illa ergo scientia, quæ propter seipsam quæritur, est, quæ non competit homini, vt possessori, quâ ad libitum vti potest & liberè: illa autem scientia, quæ propter se tantùm quæritur, non potest homo liberè vti, cùm ab ea frequenter impediatur, propter necessitatem vitæ. Rectè ergo Metaphysica non est possessio humana, quia non subest homini ad nutum, cùm ad eam perfectè non valeat peruenire, illud tamen modicum, quod de ea habet, præualet omnibus, quæ per alias scientias cognoscuntur. Deinde cum dicit:

Vt natura humana dicitur ministra.

Capi. 4.

Quomodo Metaphysica non est possessio humana?

31.

Quare secundùm Symonidem solus quidem Deus hunc habet honorem: virum verò non dignum quærere quæ secundùm se est scientiam.

Excludit errorem quendam iuxta dicta. Circa quod tria facit, primò præmittit errorem. Secundò ponit causam erroris. Tertiò excludit illam causam. Secunda ibi: *Sic autem dicunt.* Tertia ibi: *Sed nec diuinum.* Dicit ergo quòd hæc scientia non est humana: immò *secundùm Symonidem*, qui fuit quidam poëta sic dictus: *solus Deus sic hunc habet honorẽ*, scilicet quòd velit istam sciẽtiam, quæ est tantùm propter se quærenda, *virũ*, id est hominem, *non esse dignum quærere hãc scientiam quæ est secundùm se*, supple secundùm suam conditionem: vtpote quæ non ordinatur ad necessitatem vitæ hominis; quasi diceret quòd solus Deus habet quærere hanc scientiam, & non homo. Deinde cùm dicit:

Si autem vera dicunt illi quidem poëtæ: quia diuinum natum est inuidere hac in re, id ipsum contingere maximè verisimile: & infortunatos eos homines esse, qui hæc superflua quærunt.

Ponit causam erroris, proueniebat enim iste error Symonidis ex errore aliorum Poëtarum, qui dicunt quòd diuinum, idest, res diuina inuidet: ita quòd ex inuidia Deus non vult ab hominibus haberi ea, quæ ad suum honorem pertinent, & hoc contingere maximè iustum est, si in aliis hominibus Deus inuidet: multò iustius in hoc, scilicet in scientia ista, quæ est honoratissima inter omnia. Nam secundùm opinionem eorum, oportet homines imperfectos infortunatos esse, fortunatos enim homines dicebant, quando Dij eis sua bona communicare volebant: sed ex inuidia bona sua Deus eis communicare nolebat: sequitur, omnes extra perfectionem huius scientiæ existentes, imperfectos esse, & infortunatos.

Notandum, quòd ex hoc loco videtur posse sumi hoc argumentum: quod etiam secundùm mentem Arist. Deus non est agens ex necessitate naturæ, cuius oppositum communiter tenetur. Nam, vt dicitur, si Deus est inuidus, omnes reliqui ab eo erunt infortunati: sed hoc non sequitur, nisi bonum aliorum sit ab ipso Deo voluntariè agente: si enim necessariò agat quanquam inuideat, aget: nullus erit infortunatus. Sed hoc non cogit: quia Arist. non loquitur ex intentione propriâ; sed antiquorum Poëtarum, qui forsam concederent Deum agere ex libertate voluntatis, non necessitate naturæ: licet oppositum Aristoteles fuerit opinatus. Deinde cùm dicit;

Notabilis obiectio.

Sed nec diuinum inuidum esse conuenit: sed secundùm prouerbia, multis in rebus mentiuntur Poëtæ.

Excludit causam erroris, dicens, *quòd diuinum*, id est, res diuina, puta Deus, *non contingit esse inuidum*, & ideò dicto Poëtarum non est credendum: *quia secundùm prouerbium, Poëtæ multa mentiuntur.*

Notandum, quòd inuidia in Deo cadere nõ potest: tum quia inuidia dicit passionem, quia est appetitus doloris in contrarium, qui Deo omnino repugnat;

Quòd inuidia in Deum

uidere nequit. Vide secundum Topicor. c. 5.

repugnat; tum quia quantum ad obiectum inuidia est vel respectu maioris: vel eius qui creditur, vel speratur esse maior: nullus autem est maior Deo, nec esse potest, quod Deo notum est: & ideo inuidere non potest: Tum (& est quasi idem) quia inuidia est tristitia de prosperitate alicuius, quatenus bonum alterius putatur diminutio boni proprij, quod in Deo accidere non potest: quia suum bonum diminui non potest ex bono alterius: quinimo ex eius bonitate, sicut fonte indeficienti, effluunt bona omnis creaturæ: quare radix & fundamentum illorum Poëtarum falsum est, vnde Plato ait, quod à Deo est remota omnis inuidia. Deinde cùm dicit:

33 Quarta pars principalis primæ partis.

Nec tali aliam honorabiliorem oportet existimare: nam maximè diuina, & maximè honoranda; talis autem dupliciter vtique erit solum; quam enim maximè Deus habet, dea scientiarum est: vtique si sit diuinorum aliqua: sola autē ista ambo hæc sortita est: Deus enim videtur omnibus causa esse, & principium quoddam: & talem scientiam aut solus, aut maximè Deus habet. Necessariores hac quidem igitur omnes, verò dignior nulla.

Metaphysica aliis scientiis honoratior.

Ponit quartum medium, ad probandum dignitatem huius scientiæ, quod sumitur ex eius honorabilitate præcipua: & intendit talem rationem: ista scientia est maximè diuina; ergo maximè honorabilis, & per consequens dignissima. Consequentia apparet, quia Deus est honorabilior omnibus rebus, ergo scientia diuina erit honorabilior omnibus aliis scientiis. Antecedens probat dupliciter, nam scientia diuina dicitur, vel ratione subiecti habentis, quia scilicet Deus eam habet; vel ratione obiecti, quia est de diuinis: vtroque modo ista scientia est diuina. Dicit ergo, quod *non oportet existimare aliam scientiam esse honorabiliorem tali*, id est, quàm ista: *nam ipsa est maximè diuina, & maximè honoranda.* Quod probat, quia ea *sola est talis diuina dupliciter*: *quam enim maximè habet Deus*, cuiusmodi supple est Metaphysica, dicta *dea scientiarum est*, id est, de numero scientiarum: vel est diuina *quam maximè Deus habet* iterum quantum ad secundum, nam *& si qua, scilicet scientia sit diuinorum*, id est, de diuinis: *ea tamen, id est, ista, sortita est hæc ambo*, scilicet quod est de diuinis, & maximè eam Deus habet. Quod autem sit de diuinis, probatur cùm subdit: *Deus enim videtur esse quoddam causarum omnibus*, id est, inter omnes causas Deus est prima causa. Cùm ergo ista scientia consideret de primis causis, vt prædictum est, sequitur quod maximè consideret de Deo. Subdit autem quantum ad primam conditionem scientiæ diuinæ, quod *talem scientiam de* qua nunc est sermo, *aut solus Deus habet, aut maximè.* Et ex his finaliter concludit, quod licèt aliæ scientiæ ab illa omnes sint magis necessariæ eâ, id est, quàm illa, scilicet ad vtilitatem, vel necessitatem vitæ; non vlla tamen dignior quàm ista.

Quòd solus, vel maximè Deus habet Metaphysicam.

Notandum, quòd cùm Deus sit incomprehensibilis à quacunque creatura; prout scilicet incomprehensibilitas dicit, vel negat, adæquationem actus ad obiectum; ideo scientiam Metaphysicam, prout est de Deo; aut solus Deus habet: aut maximè. Solus quidem habet secundùm perfectam comprehensionem: sed maximè habet, eo quod etsi ab hominibus habetur, non tamen vt possessio, sed sicut eis aliquid à Deo commodatum. Tunc sequitur illa pars.

SVMMARIVM.

Secundò principaliter ostendit dignitatem huius scientiæ, ex eius vtilitate quæ est, vt cognitis causis, cesset admiratio, & ignorantia: quod exponit optimè Doctor de immensurabilitate diametri, & costæ, quam hîc tangit Philosophus. Vide Doct. 2. d. 2. q. 9. & Euclidem ab ipso ibi citatum.

Secunda pars principalis prologi.

Oportet autem aliqualiter constituere ordinem ipsius ad contrarium nobis, quæ à principio quæstionum. Incipiunt quidem enim, vt diximus, omnes ab admirari, vt sit cùm miræ quadam spectantur, causâ nondum perspectâ, mirantúrque si ita res se habeat, vt circa Solis conuersiones, aut diametri quadrati incommensurabilitatem: mirum enim videtur esse omnibus si quid minimorum nunc mensuratur. Oportet autem in contrarium vt ad dignius iuxta prouerbium confirmare, quemadmodum & in his cùm didicerit: nihil enim ita mirabitur vir Geometricus, quàm si diameter commensurabilis fiat. Quæ quidem igitur sit natura scientiæ quæsita dictum est, & quæ sit intentio, qua oportet adipisci quæstionem, & totam methodum.

34 *Finis Metaphysicæ est certitudo.*

Postquam Philosophus induxit auditorem ad amorem huius scientiæ, ex eius dignitate, nunc inducit ipsum ad idem ex eius vtilitate. Vtilitas autē huius scientiæ est, quòd ista ordinatur ad notitiam causarum ex rebus: quæ summa vtilitas est: nam ex notitia causarum dependet notitia omnium aliorum. Hoc autem declarat, ostendendo ad quem finem illa scientia ordinatur: quia scilicet ad contrarium eius, quod fuit in principio philosophantibus: illud autem fuit admiratio & ignorantia, & ideò finis huius scientiæ est certitudo cognitionis, quod est oppositum ignorantiæ, & admirationis: & hoc est quod ait, quòd oportet confirmare, id est, terminare ad contrarium earum, quæ à principio, quæstionum: nam illa scientia incepit à quæstione, & dubitatione, & terminatur ad conditionem, quod est certitudo; ideò subdit, *incipiunt enim, vt diximus, à principio ab admiratione*: quæ admiratio erat si res se habent, quemadmodum mirabilium *anthomata*, id est, casualia, quæ videntur à casu mirabiliter euenire: nondum scilicet illis philosophantibus primis, speculantibus causam, vt circa conuersionem Solis, quæ fit in duobus punctis describentibus duos Tropicos, æstiualem scilicet, & hyemalem: quorum punctorum primus, qui describit Tropicum æstiualem, est punctus Cancri; secundus, qui describit Tropicum hyemalem, est primus punctus Capricorni: non enim speculantibus circa causam minimorum scita causa erit admiratio; sicut Geometricis diametrum esse non commensurabilem.

Mirum quidem videtur, quod aliquid quod non est minimotum, id est, de numero indiuisibilium non mensuratur omnibus, id est, cuicunque alij diuisibili: nam non mensurari videtur esse solius indiuisibilis: sicut vnitas, quæ etsi non mensuratur; tamen ipsa mensurantur aliâ: constat autem quòd diametrum quadrati, & latera eius non sunt indiuisibilia, nec minima. Addit autem quòd cùm inquisitio Philosophiæ ab admiratione incepit, oportet proficere, & terminare ad contrarium, & ad dignius, iuxta vulgare prouerbium, quod dicit, quòd semper proficere est in melius: hoc autem contrarium & dignius est cognoscere causas eorum, de quibus priùs admiramur: quia quando homines iam sciunt causas, non amplius admirantur, sicut apparet in exemplis dictis: non enim ita mirabitur Geometer, si diameter non fiat commensurabilis: cùm scilicet sciuerit causam huius. Vltimò epilogat ergò quod dictum est, quæ sit natura quæsitæ scientiæ, scilicet Metaphysicæ: quia scilicet est vniuersalis, desiderabilis, speculatiua, libera, honoranda, non humana propriè, sed diuina, vt dictum est, & quæ sit intentio finalis huius scientiæ, in qua oportet habere quæstionem terminatam, & totam methodum. Nam finis huius scientiæ est cognoscere causas, ne de effectibus ampliùs admiremur. Spectat etiam ad ipsam cognoscere primas causas, & prima principia rerum, de quibus in ista scientia quæritur, & determinatur, & ad earum notitiam tota ista scientia principaliter ordinatur.

Epilogus.

Termini scientificę inquisitionis qui sũt Text. c. 50. & inde.

Notandum, quòd omnis motus terminatur ad contrarium eius, à quo incepit; vnde cum inquisitio veritatis sit quidam motus ad scientiam, oportet quòd terminetur ad contrarium eius vnde incipit: incepit autem ab ignorantia, & admiratione, vt priùs ostensum est, admiratio autem erat, si res ita se haberet sicut *anthomata* quæ videntur à casu mirabiliter euenire. Casualia enim non sunt à causa determinata, ex 2. Physicorum: admiramur autem de eis propter ignorantiam: similiter nunc à principio Philosophi nondum potentes rerum causas speculari, admirabantur omnia, quasi quædam casualia, sicut circa conuersiones Solis: sequitur ergo quòd ista inquisitio ad contrarium eius terminetur, & quod est circa notitiam, de causis rerum, vt à nobis ignorantia, & admiratio auferatur.

Quare diameter est incommensurabilis costæ? Vide in 7. d. 2. q. 9. & in Euclide.

Notandum etiam, quòd, vt dicitur, diameter est incommensurabilis lateri, quia proportio quadrati diametri, ad quadratum lateris, non est sicut proportio numeri quadrati, ad alium numerum quadratum; sed sicut proportio duorum ad vnum: quare sequitur secundum regulas Geometricas, quòd proportio lateris ad diametrum, est sicut proportio numeri ad numerum: quare commensurari non possunt: illæ enim solæ lineæ sunt commensurabiles, quarum proportio mutua est sicut numeri ad numerum: hæc autem non sunt geometriam scienti: ille ergo, qui huius quæstionis ignorat causam, admiratur; sed vir Geometricus, qui nouit causam, non amplius admiratur.

SVMMA SECVNDA.

Incipit hîc tractare Philosophus de causis, & principiis rerum secundùm varias, & repugnantes inter se antiquorum opiniones, de quibus inferiùs per ordinem videbitur. Quod notat hîc Doctor propè initium capitis primi, non negasse Aristotelem materiam esse de quiditate rei, fusè probat esse de quiditate, contra Albert. & alios, 3. d. 22. q vn & 7. Met. q. 16. Vide ibi Scholium primum.

CAPVT I.

Causarum in modos diuisio; veterúmque opiniones de causa materiali.

Finito prooemio, incipit tractatus.

Quoniam autem manifestum quòd earum quæ à principio causarum oportet sumere scientiam (Tunc enim scire dicimus vnumquodque, quando primam causam cognoscere putamus) Causæ verò quadrupliciter dicuntur, quarum vnam quidem causam dicimus esse substantiam, & quod quid erat esse: reducitur enim in ipsam quare primum ad rationem vltimam: causa autem & principium ipsum quare primum. Alteram verò materiam, & subiectum. Tertiam autem vnde principium motus. Quartam verò ei causam oppositam, & quod est cuius causa, & bonum: finis enim generationis, & motus omnis est. Sufficienter enim quidem igitur de his speculatum est in his, quæ sunt de natura.

Hîc finito prooemio subiungitur tractatus.

Ad cuius euidentiam notandum, quòd quia in prologo præostensum est, quòd ista scientia, quia sapientia, versatur circa causas, & principia, & quia de causis, & principiis entium fuerunt variæ opiniones inter Philosophos antiquos, idcirco Philosophus in isto tractatu duo facit. Primò pertractat opinionem antiquorum de rerum principiis. Secundò opinionem propriam. Secunda ibi in principio secundi libri. *De veritate quidem.* Circa primum duo facit. Primò resumit causarum numerum positum in 2. Physic. Secundò descendit ad pertractandum opinionem antiquorum. Secunda ibi: *Accipiamus tamen.* Dicit ergo, *quoniam verò manifestum est,* scilicet quòd sapientia est causarum speculatrix, *oportet à principio,* nostræ inquisitionis *sumere scientiam, quæ est causarum,* id est, oportet priùs determinare de causis, & reddit causam huius: quia *tunc singula,* id est, singuli homines, vel scibilia, *scire dicuntur homines, quando putamus nos non ignorare causam primam,* in qua stat resolutio causarum in quolibet genere causæ. *Causæ autem quatuor dicuntur, quarum vnam dicimus substantiam, & quod quid erat esse,* id est, formam, à qua principaliter dependet quiditas rei. Et quòd forma sit causa probat, *quia ipsum quare primum,* id est, quæstio quærens quare est aliquid, quæ quærit de causa, *reducit ad vltimam rationem,* id est formam, *ipsum autem quare primum quærit causam, & principium.* Si ergo quæstio quærens de causa reducitur ad formam, respondendo per formam, signum est, quòd forma habet rationem causæ: dicit autem rationem, id est formam vltimam, nam incipiendo à formis proximis procedẽdo vsque ad vltimum ipsius *quare,* reducimus ad causam formalẽ, *vnã verò* id est, aliã, *dicimus materiam. Tertiã vnde principiũ motus,*

Text. com. 28. & inde.

Causæ quatuor.

motus, ſcilicet efficientem. *Quartam verò cauſam oppoſitam ei*, ſcilicet efficienti, ſcilicet cauſa finalis. Vnde ſubdit, quòd illud eſt cauſa, & bonum, & eſt *finis omnis generationis, & omnis motus*, finis autem habet rationem boni: addit autem, *quod de his* cauſis *ſufficienter ſpeculatum eſt*, in Phyſica, ſcilicet in 2. Phyſ. hoc dicit, vt ſe excuſet de prolixiori conſideratione cauſarum quoad præſens.

Vbi ſuprà.

Cauſæ quomodo conſiderantur à Metaphyſico & Logico. Vide Doct. in Theorem. & 8. diſt. 1. Report. q. 2. & in 2. diſt. 1. q. 3.

Sed hîc occurrit vnum dubium, Qualiter cauſæ conſiderantur à Phyſico, & à Metaphyſico, vtrum eodem modo, vel alio? Dicendum, quòd quatuor cauſæ, inquantum quælibet in ſuo genere, dat eſſe, circumſcribendo rationem motus, & mutationis, pertinent ad Metaphyſicam. Materia quidem & forma, inquantum ſunt partes eſſentiales: efficiens verò inquantum dat eſſe circumſcribendo motum: licèt enim non agat niſi mouendo, tamen ratio dantis eſſe, prior eſt ratione mouentis. Finis verò inquantum res, ſecundùm ſui entitatem, ad iſtum ordinatur, licèt non poſſet illum attingere niſi per motum, vel operationem; tamen prior eſt ratio ordinis ſecundum eſſe, quàm ſecundum operationem: pertinent autem dictæ quatuor cauſæ ad Phyſicum, inquantum dant eſſe, includendo rationem motus & mutationis, & ſic alio modo hic, & ille determinat, & conſiderat de eiſdem.

Cauſa formalis.

Notandum, quòd conſuetudo eſt Ariſtotelis hîc, & alibi, nominare cauſam formalem ſubſtantiam, *quod quid eſt rei*, non quod intendat materiam excludere à quiditate rei, quia oppoſitum vult in ſeptimo huius text. com. 33. expreſsè, ſed quatenus eſt principalior pars quiditatis, & definitionis rei.

Efficiens vocatur vnde principium motus.

Notandum etiam, quòd Ariſtoteles communiter loquens de cauſa efficiente, vocat eam, *vnde principium motus*, non quòd efficiens efficiat mouendo, non enim agens omne agit mouẽdo, vt patet de Deo; ſed dicit quandam operationem, quia vbi aliquid cauſatur per motum, ibi efficiens propriè mouet: finis enim non mouet niſi metaphoricè, forma enim non mouet, vt *quod*, licèt ſit ratio *quo* agendi: materia autem propriè eſt magis ratio patiendi, quàm agendi: ſed efficiens mouet propriè, & ideò appellatur, *Vnde eſt principium motus.*

Finis nominatur tripliciter.

Notandum etiam, quòd finis eſt oppoſitum efficienti, ſecundum oppoſitionem principij, & finis, nam motus incipit ab efficiente, & terminatur in finem: nominat autem cauſam finalem per tria nomina. Primò, quòd ipſa eſt oppoſitum efficienti, & hoc competit ſibi, quia eſt terminus, & finis motus. Secundò, quòd eſt cuius cauſa, & hoc competit ſibi, quia eſt primum in intentione. Tertiò, quòd eſt bonum, & hoc ſibi conuenit, quia eſt per ſe appetibilis, nam bonum eſt, quod omnia appetunt, ex 1. Ethic. Deinde cùm dicit:

36 *Accipiamus tamen nobis priores ad entium perſcrutationem venientes, & de veritate philoſophantes: palam enim quia & illi dicunt principia quædam, & cauſas. Si igitur illorum ſententias in medium attulerimus, aliquid euenerit ſanè, quod ad propoſitum doctrinæ huius accommodabitur; aut enim aliud aliquod cauſæ genus inueniemus, aut modò magis dictis credemus.*

Accedit ad pertractandum opinionem antiquorum de cauſis, & principiis. Circa quod duo facit. Primò, aſſignat cauſam huius pertractationis. Secundò, proſequitur de intento. Secunda ibi: *Primum quidem igitur.* Dicit ergo, quòd quamuis de cauſis pertractatum ſit in libris Phyſicorum, tamen nunc *accipiamus*, ſcilicet opinionem illorum, qui priores nobis, id eſt, priùs quàm nos fuerunt, *venientes ad perſcrutationem entium, & de veritate philoſophantes*, quia ipſi ſcilicet cauſas ponunt & principia; & reddit cauſam huius, quia ſuperuenientibus nobis conſiderare eorum opinionem erit aliquod opus vitæ, quæ eſt vita in præſenti methodo, id eſt, erit aliquid pernecessarium, & perutile ad præſens negotium, & vtitur metaphora eo modo, quo quælibet res vtilis alteri, poteſt eſſe de vita eius, vel quaſi opus vitæ reſpectu eius. Alia tranſlatio habet planiùs ſic. *Erit aliquid pretium operæ*, id eſt, præambulum *methodo*, id eſt, præſenti ſcientiæ, quæ nunc à nobis quæritur. Vtilitas autem eſt iſta, quia pertractando opiniones eorum, *aut inueniemus aliud genus cauſæ*, à quatuor prædictis, *aut modò dictis magis credemus*, ſcilicet quòd ipſæ ſunt cauſæ, & non plures. Deinde cùm dicit:

Quare pertractauit Philoſophus opiniones antiquorum de cauſis.

S V M M A R I V M.

Opinio tenens materiam eſſe principium materiale rerum, cum ſuis fundamentis Item opinio Thaletis Mileſij, aſſerentis aquam eſſe omnium tale principium. Nota pulchram relationem Doctoris de ſeptem ſapientibus Græciæ, de quibus Aug. 18. ciuit. 24. 25. & de tribus Poëtis Theologis apud Græcos. de quibus vide Laërtium.

Primum igitur Philoſophantium plurimi ſolas eas, quæ in materiæ ſpecie putauerunt omnium eſſe principia: nam ex quo ſunt omnia entia, & ex quo fiunt primò, & in quod corrumpentur vltimò, ſubſtantia quidem manente, in paſſionibus verò mutata: hoc elementum, & id principium dicunt eſſe eorum quæ ſunt.

Proſequitur ad narrationem opinionum. Circa quod duo facit. Nam primò opinionem antiquorum de principiis narrat. Secundò, contra eorum poſitiones diſputat. Secunda ibi: *Ergo quicumque ipſum eſſe.* Prima in duas. Primò facit quod dictum eſt. Secundò ſub quodam capitulo, vel compendio recolligit dicta ab antiquis, oſtendens qualiter in ſuis opinionibus, quatuor genera cauſarum tetigerunt. Secunda ibi: *Breuiter igitur & capitulatim.* Prima in duas. Primò narrat opinionem ponentium rerum principia rebus inexiſtentia, & non ſeparata. Secundò, opinionem ponentium ſeparata, vt fuit Plato. Secunda ibi: *Poſt dictas verò.* Prima in duas; nam primò ponit opiniones de principiis diſtinctionem rerum, & motum ab entibus non negantes, & tales opiniones fuerunt loquentium magis naturaliter. Secundò, ponit opiniones diſtinctionem rerum, & motum ab entibus penitus amouentes: cuiuſmodi fuerunt Parmenides, & Meliſſus loquẽtes minùs naturaliter. Secunda ibi: *Sunt aliqui qui dicunt.* Prima in duas. Primò ponit opinio-

Opinio ponentium rerum principia.

nem philosophorum ponentium principia rerum corporea. Secundò, ponentium incorporea, cuiusmodi fuerunt Pythagorici. Secunda ibi: *In his autem.* Prima in duas. Primò ponit opiniones Philosophorum entitatem à rerum principiis non negantes. Secundò, opiniones entitatem à rerum principiis aliqualiter auferentes, quales fuerunt Democritus, & Leucippus, ponentes rerum principia, ens, & non ens, puta vacuum, & plenum. Secunda ibi: *Leucippus verò.* Prima in duas: nam primò ponit opinionem solam naturalem causam ponentium. Secundò, opinionem ipsi materiæ efficientem addentium. Secunda ibi: *Procedentibus autem sic.* Prima in duas. Primò ponit opinionem horum in generali. Secundò, descendit ad quosdam in speciali. Secunda ibi: *Et Thales enim.* Prima in duas: nam primò ostendit quid illi antiqui senserunt de rerum substantia. Secundò, quid senserunt consequenter de rerum generatione, & corruptione. Secunda ibi: *Et propter hoc generari.* Dicit ergo, *quod primum quidem plurimi philosophantium*, id est, eorum, qui tantùm philosophati sunt de natura rerum, *putauerunt omnium principia esse solùm illa, quæ sunt in materiæ specie*, id est, in genere causæ materialis, cuius positionis tangit quadruplex medium sumptum à quatuor conditionibus materiæ, quæ videntur ad rationem principij pertinere. Primum est: nam illud ex quo res est, videtur esse principium ipsius rei: sed materia est huiusmodi; ergo &c. & hoc est, quod dicit, quod materia est *id, in quod corrumpuntur vltimò*, id est finaliter, scilicet omnia entia. Tertium medium est: nam id ex quo primò fit aliquid, videtur esse causa rei, quia res per generationem procedit ad esse; sed materia est huiusmodi, quia ex ea fit res per se, non per accidens, vt ex priuatione; ergo &c. & hoc est, quod dicit, *quod materia est ex quo fiunt primò*, scilicet entia. Quartum medium est: nam illud videtur esse principium, quod in generatione & corruptione manet: nam principia oportet manere: sed materia est huiusmodi; ergo &c. & hoc est, quod dicit, *substantia*, scilicet materiæ *manente*, quæ est secundùm eos tota substantia rei, *passionibus verò mutatis*: puta formis & accidentibus, *hoc*, scilicet materia, *est elementum, & illud dicunt esse principium eorum quæ sunt*, id est, omnium entium. Deinde cùm dicit;

38

Et propter hoc non generari quicquam putant, neque corrumpi, quasi tali natura semper conseruata, sicut neque dicimus Socratem generari simpliciter quando fit bonus, aut musicus: neque corrumpi quando deponit habitus istos, propterea, quòd subiectum maneat Socrates ipse, sicut nec aliorum quicquam. Oportet igitur esse aliquam naturam, aut vnam, aut plures vna, ex quibus, aut ex qua conseruata cætera fiunt. Pluralitatem tamen & speciem talis principij non idem omnes dicunt.

Ostendit quid consequenter ad principium senserunt de generatione, & corruptione rerum, & est quòd secundum eos contingit nihil generari, & corrumpi simpliciter. Dicit ergo, quòd quia materia est secundum eos tota substantia rei, *propter hoc nihil putant generari, nec corrumpi simpliciter, cum talis natura*, scilicet materia, quæ est tota rei substantia, semper *con eruata sit*: sic enim *Socratem quando fit bonus, aut musicus, dicimus non generari simpliciter: nec corrumpi cùm deponit habitus illos*, cum ipse Socrates, qui est subiectum harum transmutationum, maneat idem: *similiter, nec illorum*, id est aliorum, *aliquid*, supple dicunt, nec generari, nec corrumpi simpliciter; sed solùm secundum quid. Addit autem, quòd quamuis sic conuenirent in ponendo causam materialem, tamen differebant, quia quidam eorum ponebant materiam vnam, quidam plures, ponentes etiam plura differebant, quia non omnes eadem ponebant, & hoc est, quod dicit, quòd secundum eorum positiones, *oportet aliquam esse naturam talem*, scilicet materialem, *aut vnam, aut plures vna, de quibus alia fiant, illa*, scilicet natura, *conseruata*, quare oportet materiam manere; *pluralitatē verò & speciē talis principij*, scilicet materiæ, *non omnes idem dicunt*, vt patebit ex sequentibus.

Notandum, quòd secundum quod habetur 1. de generatione, 5. Physic. Generatio, vel corruptio est duplex. Simpliciter, & secundùm quid. Generatio, vel corruptio simpliciter, est in substantia, quandò scilicet forma substantialis generatur, vel corrumpitur, vt si ex aqua fiat ignis: sed generatio, vel corruptio secundùm quid est, quando manente substantia rei, fit transmutatio circa accidentia, & passiones, vt cùm Socrates fit musicus, vel bonus, vel cùm deponit hos habitus, vt fiat ex musico non musicus, vel ex bono non bonus. Cùm igitur secundùm opinionem antiquorum, materia sit tota substantia rei (nam ad notitiam formæ substantialis non peruenerunt, sed ad materiam, quam oportet manere secundùm ipsos, tamquam ingenerabilem, & incorruptibilem) sequitur secundùm eos, quòd nulla est generatio, vel corruptio simpliciter, sed secundùm quid, quia substantiā rei semper manente, solùm fieret mutatio circa accidentia, & passiones. Deinde cùm dicit:

Text. com. 11.
Text. com. 7.
Generatio & corruptio duplex.

39

Prima opinio quæ ponit principiū rerum materiale aquam.

Sed Thales quidem talis Philosophiæ princeps, aquam ait esse, vnde & terram esse super aquam asserebat.

Descendit ad quasdā opiniones speciales. Circa quod duo facit. Primò ponit opinionē ponentium huiusmodi principia, vnum tantùm. Secundò, opinionem ponentium principia plura esse. Secunda ibi: *Empedoclem verò.* Prima in tres. Primò ponit opinionem ponentium aquam esse huiusmodi principium. Secundò, aërem ponentium. Tertiò, ignem. Secunda ibi: *Anaximenes autem.* Tertia ibi: *Anaxagoras verò.* Prima in duas. Primò ponit opinionem. Secundò, positionis rationem. Secunda ibi: *Forsan enim.* Dicit ergo, quòd *Thales princeps talis Philosophiæ*, scilicet speculatiuæ, *ait esse aquam*, primum rerum principium; ex hoc autem dicebat vlteriùs, quòd terra est super aquam sita, sicut principiatum super suum principium, *vnde terram super aquas esse asserebat.* Hanc opinionem tangit Philosophus 2. de Cælo, vbi inquirit de loco terræ, & dicebant quidam, quòd terra erat natans super aquam. Quod si eis obijceretur, quòd terra submergeretur, si esset super aquas: dicebant quòd non, quia propter magnam latitudinem terræ prohibetur eius submersio, sicut videmus de quibusdam corporibus grauibus, quæ submergi prohibentur propter latitudinem, quæ aliàs submergerentur nisi latitudo prohiberet.

Text. com. 78.
Opinio ponentium terram natare super aquam.

Notandum, quòd post Poëtas Theologos de quibus in prologo facta est mentio aliqualis, dicitur

De 7. sapientibus.

citur fuisse apud Græcos septem Sapientes, quorum primus fuit Thales Milesius, qui vt videtur secundùm Magistrum, in historiis 4. lib. Regum in fine, fuit in tempore Zedechiæ Regis, & tunc est facta eclypsis Solis, quam prædictus philosophus prædixerat esse futuram. Quidam dicunt quòd fuit tempore Achas: non curemus. Secundus fuit Pythacus Mityleneus, tempore etiam Zedechiæ. Alij quinque fuerunt, vnus Solon Atheniensis, alius Chilon Lacedæmonius, alius Periander Corinthius, alius Cleobulus Lydius, alius Bias Prienensis, qui fuerunt omnes tempore Babylonicæ captiuitatis. Thales transtulit se ad considerandas causas rerum, aliis sex circa moralia occupatis, dicta etiam sua litteris commendans, & propter hoc Thales dicitur princeps talis Philosophiæ, scilicet speculatitæ: nam inquirens de rerum principiis, quod pertinet ad speculatiuum artificem, moralia & practica dereliquit. Deinde cùm dicit:

Vide August. 18 ciu. Dei c. 24. & 25.

Forsan opinionem hanc accipiens, quia cunctorum nutrimentum humidum videbat esse, & ipsum calidum ex hoc factum, & animal hoc viuere, ex quo fit verò, hoc est principium omnium. Propter hoc igitur eam est accipiens existimationem. Et quia cunctorum spermata materiam habent humidam, aqua verò natura principium est humidis.

Ratio pro dicta opinione

40

Ponit positionis rationem. Circa quod duo facit. Primò ostendit quod Thales mouebatur ad hoc ponendum ex rationis euidentia. Secundò, ex auctoritatis antiquorum efficacia. Secunda ibi: *Sunt autem & aliqui.* Primò enim ostendit, quòd mouebatur quadruplici ratione, sumpta à quadruplici signo, ad ostendendum aquam esse principium rerum. Primùm est, quòd incrementum viuentium, oportet esse humidum, ex eisdem autem nutrimur & viuimus, 2. de Gener. Dicit enim, quòd *forsan hanc opinionem accipiens*, scilicet Thales, *quia cunctorum nutrimentum videbat esse humidum.*

Thales cur aquam rerum principium posuit.

Text. com. 50.

Secundum signum est, quòd esse cuiuslibet corporeæ rei, & maximè viuentis, conseruatur per calorem proprium naturalem: calor autem naturalis fundatur in humido radicali, ex quo videtur, quòd humidum, & aqua sint principium essendi rebus; ideò dicit, quòd supple Thales ipse dicebat, *ipsum calidum*, scilicet naturale esse *factum ex hoc*, id est, humido, siue aqua.

Tertium signum est, quòd vita animalis consistit in humido: nam quandiu durat humidum radicale, viuit animal, quando deficit moritur: *viuere autem viuentibus est esse*, ex 2. de anima. Quare videtur quòd ipsum humidum sit principium essendi, sicut est principium viuendi: & hoc est quod ipse dicit, quòd supple Thales dicit, *animal viuere hoc*, id est, humido: addit autem quòd *illud ex quo fit aliquid*. i. suum esse consequitur, *videtur esse principium omnium.* Vnde concludit, quòd *propter hoc igitur est*, id est, contingit *accipere eam existimationem*, id est, dictam opinionem.

Text. com. 37.

Quartum signum est, quia generationes viuentium, quæ sunt nobilissima entia, fiunt ex semine, quod est natura humida communiter, sicut patet; ex quo patet quòd humor videtur generationis principium. Cùm ergo ipsa aqua sit principium humiditatis; sequitur quòd aqua sit primum principium simpliciter; ideò dicit, quòd *quia cunctorum, vel viuentium spermata naturam habent humidam: aqua verò naturâ*, id est, naturaliter apparet, *esse principium humidum*, secundùm eum; ideò suprà dixit, quòd aqua est principium substantiale rerum. Deinde cùm dicit:

Sunt autem & aliqui antiquiores, & multum ante eam, quæ est nunc, generationem: primos Theologizantes sic putant de natura existimasse. Oceanum enim & Tethyn generationis parentes fecerunt, sacramentum Deorum aquam, Stygem ab ipsis Poëtis vocatam. Honorabilius enim quoniam antiquius: sacramentum autem quod honorabilius. Siquidem igitur antiquorum aliqua ista, & senior fuit de natura opinio, forsan vtique incertum erit. Thales quidem secundùm hunc modum pronunciasse dicitur de prima causa: Hipponem quidem enim omnium non vtique aliquis dignificabit posuisse cum his propter sui intellectus prauitatem.

Auctoritas pro dicta opinione.

Ostendit quomodo mouebatur ad dictam positionem ex auctoritatis antiquorum efficacia. Dicit quòd *sunt aliqui antiquiores, & multò ante eam, quæ nunc est, generationem*, id est multò ante priores, quàm sit generatio hominum, qui nunc sunt, qui & primò fuerunt Theologizantes, *qui sic putant existimandam de natura rerum*, scilicet quòd aqua est naturale, & substantiale rerum omnium principium, in quo Thales eos imitatur: nam illi priores *fecerunt parentes*, id est, principia generationis, *Oceanum*, id est, mare, *& Tethyn*, id est, Deam aquæ: *dicebant* etiam *sacramentum* id est, *sacrum iuramentum Deorum esse aquam, vocatam à poëtis Stygem*, id est, aquam infernalem, & quia Dij iurabant per aquam; ideò asserebant, quòd àqua esset honorabilior, quàm Dij: nam *sacramentum*, id est, iuramentum, fit per illud, *quod* est *honorabilius*, & per consequens *antiquius*, id est, prius natura honorabilius, id est, perfectius: perfectum autem est prius simpliciter imperfecto. Vnde ex hoc patet, quòd aquam dicebant esse priorem Diis, & quia isti antiqui posuerunt aquam esse principium rerum, dicit quòd si aliqua antiquior, vel *senior*, id est, prior fuit opinio de natura, *forsan* nobis *non est manifestum*. Addit autem quòd quidam Philosophus antiquus Hipponas nomine, qui, in libro de Anima, Ipus dicitur, *non est dignus ponere*, vel suadere aliquid *cum his* dictis, *propter suæ* scientiæ, vel *intelligentia imperfectionem.* Quod potest dupliciter intelligi. Vel quia nihil addit supra sententiam ipsius Thaletis, aut quia imperfectè dixit, & reddidit se indignum, vt eius sententia hîc cum aliis tractaretur. Vnde primò de Anima, inter grossiores Philosophos computatur, vbi etiam habetur, quòd posuit animam esse aquam.

Iuramentum debet fieri per prius & honorabilius.

Text. com. 31.

Notandum, quòd, vt dicitur, tempore Iudicum Israël, fuerunt apud Græcos quidam Poëtæ famosi, primi in scientia, qui Theologi dicti sunt, eo quòd de diuinis modo fabuloso, quod est proprium Poëtarum, quædam carmina faciebant, loquentes etiam de rerum principiis. Fuerunt autem tres, vt dicitur, scilicet Orpheus, qui famosior fuit. Secundus Museus. Tertius Linus. Et quia fuerunt tempore Iudicum, vt est dictum, patet, quòd diu ante fuerunt, quàm Thales, & multò magis quàm Aristoteles, qui fuit tempore Alexandri.

41

Poëtæ famosi tres.

Alexandri. Isti autem Poetæ sub quibusdam ænigmatibus fabularum de natura rerum aliquid tradiderunt. Dixerunt enim quòd Occeanus, vbi est magna congregatio aquarum, & Tethys, quæ est Dea aquarum, quæ etiam, vt habetur fabulariter in Ouidio maiori, nupsit Pelio filio Iouis. Hi, inquam, dixerunt esse parentes generationis, dantes scilicet in hoc intelligere aquam esse generationis principium sub similitudine fabularũ: dicentes etiam quòd Dij iurabant per aquam dictam *Tethyn*, ex hoc volebant, quòd aqua esset honoratior ipsis Diis & prior, intelligentes per ipsos Deos corpora cælestia, quæ omnia patent esse dicta modo Poëtico fabularum. Deinde cùm dicit:

SVMMARIVM.

Tres aliæ opiniones de principiis rerum referuntur. De Philosophis, harum opinionum authoribus, Doctor refert quales fuerunt, & quando floruerunt, de quibus vide Laërtium.

2. Opinio ponens aërem principium materiale.

Anaximenes autem, & Diogenes, aërem priorem aquâ, & maximè principium simplicium corporum ponunt.

Ponit opiniones ponentium huiusmodi principia esse aërem. Dicit ergo, quòd *Anaximenes, & Diogenes posuerunt aërem esse principium, & priorem aquâ*, naturaliter, *& maximè ponunt ipsum*, scilicet aërem *principium* omnium *corporum simplicium* elementorum, & per consequens aliorum.

Notandum, quòd iste Anaximenes fuit tertius à Thalete, fuit enim discipulus Anaximandri, qui qui fuit discipulus Thaletis, & Diogenes fuit discipulus Anaximenis, & isti ambo conuenerunt quantum ad hoc, quia aërem dixerunt esse rerum principium; sed differebant, quia Anaximenes ponit principium aërem esse rerum simplicium loquendo simpliciter. Diogenes verò addit hoc, quòd aër non posset esse principium rerum, nisi quia erat compos diuinæ rationis, sicut primo de Anima, habet prolixiùs declarari. Motiuum autem huius fuit ex respiratione animalium, per quam vita animalium conseruatur: cuius signum est, quòd animalia tandiu viuunt quandiu respirare possunt, & cùm respirare cessant, cessant viuere. Deinde cùm dicit:

3. Opinio ponens ignẽ principium materiale.

Hippasus autem Metapontinus, & Heraclitus Ephesius ignem.

Ponit opinionem ponentium huiusmodi principia esse ignem, dicens, *Hippasus Metapontinus & Heraclitus Ephesius dicunt ignem*, supple esse rerum principium, scilicet materiale. Motiuum huius opinionis sumpsit fortè originem ex subtilitate & actiuitate ipsius ignis, quæ videntur conditiones principij, vt dicetur inferius. Tunc sequitur illa pars.

4. Opinio ponẽs 4 elementa principium materiale.

Empedocles verò, quatuor iam dictis addens terram quartum, ea namque dixit semper manere, & numquam fieri, nisi pluralitate, & paucitate congregata, & disgregata in vnum, ex vno.

Vbi ponit opinionem ponentium plura principia materialia, & diuiditur in duas, quia primò ponit opinionem ponentium plura principia determinata numero. Secundò opinionẽ ponentium infinita. Secunda ibid. *Anaxagoras verò*. Ponit ergo opinionem Empedoclis, quantum ad duo. Primò quantum ad hoc quòd tria prædicta elementa, scilicet aquam, aërem, & ignem dixit esse rerum principia addens eis quartum, scilicet terram: posuit enim quatuor elementa semper manere, & non generari, nec corrumpi: sicut & illi qui ponunt vnam causam materialem: nam principia oportet manere, vt dicitur 1. Physic. Text. Com. 42. attamen per aggregationem, & disgregationem pluralitatum & paucitatum dixit ex eis quatuor generari omnia alia, & corrumpi: & hoc est quod dicit, quòd *ea*, scilicet quatuor elementa, *oportet semper manere, & non fieri*, id est, non generari, & corrumpi, sed supple omnia alia ex eis generari, & corrumpi, *pluralitate, & paucitate congregata in vnum, & distincta*, id est diuisa, *ex vno*.

42. Empedoclis imaginatio, de generatione & corruptione rerum.

Notandum, quòd iste Empedocles, (sicut habetur 1. & 8. Physic. & adhuc dicetur infra) posuit quatuor principia materialia, scilicet quatuor elementa, & duo principia effectiua, scilicet amorem & litem: & hoc modo dicit mundum infinities corrumpi, & infinities generari. Nam aliquo tempore regnante amore (cuius est congregare) congragabantur omnia elementa, & in vnum conueniebant, & tunc mundus corrumpebatur, & fiebat vnum Chaos confusum, in quo erant simul omnia elementa: alio autem tempore, scilicet regnante odio (cuius est disgregare) omnia elementa, & omnes partes vniuersi diuidebantur ab inuicem, & fiebat rerum distinctio, ex illo vno *Chaos* confuso, & sic iterum mundus generabatur. Per istam ergo congregationem, paucitatem, & pluralitatem elementorum, & suarum etiam partium, volebat saluare generationem, & corruptionem. Deinde cùm dicit:

5. Opinio ponens principia materialia infinita.

Anaxagoras verò Clazomenius isto quidem ætate prior; factis verò posterior, infinita dicit esse principia: nam ferè omnia corpora partium consimiliũ, vt ignem, aut aquam, ita generari, aut corrumpi ait: congregatione aut disgregatione solum: aliter autem, nec generari, nec corrumpi, sed manere sempiterna. Ex his quidem igitur solam quis causam intelliget eam, quæ in materia specie dicitur.

Ponit opinionẽ ponentium illa plura principia materialia infinita, dicit quòd *Anaxagoras Clazomenius*, à patria sic dictus, *isto*, scilicet Empedocle *ætate prior, factis autem posterior*, quod dupliciter potest intelligi, vel quia minùs benè dixit, ponendo principia infinita; vel quia posteriùs philosophatus est: iste, inquam, *dixit principia esse infinita: nam ferè omnia dixit esse partium consimilium, vt ignem, aut aquam*, id est, nõ tantũ posuit principia rerum esse ignem, aut aquam, aut alia elementa; sed etiam infinitas partes similes cuiuscunque, dixit enim, quodlibet esse in quolibet, & quodlibet fieri ex quolibet, quia infinitæ partes cuiuslibet erant in quolibet, & ita dicebat res generari, aut corrumpi congregatione, aut disgregatione solùm: *aliter autem non* contingebat

gebat res *generari, aut corrumpi, sed tamen dixit permanere sempiterna illa*, scilicet principia infinita, quæ dicebant esse infinitas partes cuiuscumque. Vltimò concludit quòd *ex his igitur*, scilicet opinionibus prænarratis, *solam quis intelligit causam, quæ est dicta in specie materia*, id est, in genere causæ materialis: nam omnes prædictæ opiniones non faciunt mentionem nisi de causa materiali.

Anaxagoras dicebat quodlibet fieri ex quolibet.

Notandum, quòd iste Anaxagoras dicitur fuisse discipulus Diogenis: qui vt dictum est, & ampliùs dicitur primo Physicorum, vbi eius opinio prolixiùs pertractatur; posuit principia materialia rerum, esse infinita, & in hoc minùs benè dixit, quàm Empedocles qui ponit ea esse finita. Nam quod potest fieri per pauciora, & finita, non est ponendum fieri per plura, & infinita, vt dicitur primo Physicorum, text. com. c. 40. & 50. & ideò hîc dicitur Anaxagoras prior esse ætate, quàm Empedocles, sed posterior factis, id est, dictis, quatenus minùs benè dixit: non enim solum dixit principia rerum esse ignem, & aquam, & cætera elementa, sicut Empedocles; sed omnia quæ sunt similium partium, vt caro, os, medulla, sanguis, & cætera homogenea, quorum infinitas partes cuiuslibet ponebat esse in quolibet, & fieri de quolibet; ita quòd generatio fieret per quandam extractionem partium similium: puta si ex aqua fieret ignis, hoc erat quia infinitæ partes ignis quæ latebant in aqua, segregabantur ab ipsa aqua, & secundum hunc modum apparebat ignis ex aqua generatus. Et quantum ad hoc conueniebat cum Empedocle, quia sic & ipse generationem & corruptionem dicebat fieri per congregationem, & disgregationem illarum partium similium infinitarum, & aliter nihil fieri, vel corrumpi.

SVMMÆ SECVNDÆ CAP. II.

Veterum opiniones de causa efficiente.

SVMMARIVM.

Refert in hoc capite vsque ad §. *isti quidem*, Primò opiniones eorum, qui causam efficientem posuerunt propter motum, variè tamen rem explicantium. Secundò eorum, qui illam posuerunt, non tantùm propter motum, sed etiam propter bonum, & malum. Tertiò eorum, qui dicunt primum efficiens esse vnicum. Quartò eorum, qui illud dixerunt esse amorem. Quintò eorum, qui posuerunt talia principia esse contraria.

Opinio addentium causam efficientẽ materiali.

Procedentibus autem sic ipsa res viam verbi fecit & coëgit quærere. Si enim quàm maximè omnis corruptio, & generatio ex aliquo vno, aut pluribus est: quare hoc accidit, & quæ huius est causa; non vtique facit ipsum subiectum transmutare seipsum. Dico autem veluti neque lignum, neque æs alterutrum horum permutandi est causa: neque enim lignum facit lectum, neque æs statuam; sed aliud quid mutationis causa est: hoc autem quærere est aliud principium quærere, vt si nos dicamus, vnde principium motus?

Postquam Philosophus recitauit opinionem solam causam materialem ponentium: nunc recitat opinionem ipsi materiæ causam efficientem addentium. Circa quod duo facit. Primò ponit opinionem eorum, qui causam efficientem posuerunt propter motum. Secundò opinionem eorum, qui non solùm causam efficientem propter motum: verùm etiam propter causam boni, & mali in entibus posuerunt. Secunda ibi: *Post hos autem.* Prima in duas, primò præmittit rationem, qua ad ponendum huiusmodi causam antiqui Philosophi cogebantur. Secundò subiungit qualiter ad illam rationem diuersi diuersimodè se habebant. Secunda ibi: *Ergo omnino.* Ratio autem, quæ eos cogebat ad ponendum causam efficientem, talis fuit: nam nulla materia, vel subiectum transmutat seipsum ad formam. Exemplum de ligno, & ære: nam lignum non transmutat se ad formam lecti, neque æs ad formam statuæ; ergo præter causam materialem oportet dare aliquod principium, vnde motus & transmutatio oriantur: illud autem est efficiens vnde motus: & hoc est quod dicit: *Si ipsis* Philosophis *procedentibus sic*, hanc scilicet inquisitionem, *res ipsa*, idest veritas rei, quam quærebant, eis *viam fecit, & quærere coëgit* aliquod aliud principium à materia: *si enim quàm maximè*, idest, vniuersaliter *corruptio, & generatio est ex aliquo vno*, supple principio materiali, *aut pluribus*, dubium supple est *quare hoc contingit, & quæ ipsa causa* quæritur, scilicet aliud à materia, nam non sufficit materia sola. Vnde subditur, *non enim subiectum facit seipsum transmutare: dico autem veluti lignum, vel æs:* quod licèt sit materiale subiectum: nullum tamen inquantum tale, est causa mutandi suimet: *nec enim lignum facit lectum*, idest, transmutat se ad formam lecti: *nec æs ad statuam, sed aliquid aliud est causa mutationis*, scilicet artifex ipse. *Hoc autem quærere*, scilicet causam istius transmutationis, *est quærere aliud principium*, supple quàm materiam, *vt si dicamus vnde principium motus*, quod est principium effectiuum. Deinde cùm dicit:

Ratio dictæ opinionis.

Igitur omnino qui talem à principio vitam tetigerunt: & vnum esse subiectum, nihil difficultatis sibimet fecerunt. Verum quidam vnum omne dicentium quasi ab ea quæstione deuicti: ipsum vnum immobile dicunt esse, & naturam totam, non solùm secundùm generationem & corruptionem (hoc enim antiquum est, & quod omnes esse, confessi sunt) verum & secundùm vnam mutationem omne est, & hoc eorum est proprium. Vnum ergo solùm dicentium ipsum esse nulli talem intelligere causam conueuit nisi forte Parmenidi, & hoc in tantum, quia non solùm vnam causam; sed & duas aliqualiter ponit esse causas. Plura verò facientibus, magis conuenit dicere, vt ipsum calidum & frigidum, aut ignem, aut terram: vtuntur enim quasi motiuam habente naturam igne: aqua verò, & terra huiusmodi econuersò.

Varietas opinantium circa dicta.

Ostendit qualiter ad dictam rationem antiqui Philosophi diuersimodè se habebant: nam ad eam

eam taliter se habebant. Quidam enim ex ea non se aggrauabant, quia de ea non curabant. Quidam enim ad fugiendum eam, ne ponerent aliquod principium præter materiale, posuerunt omnia esse vnum & immobile, vt Parmenides & Melissus, præterquam per vim, saltem secundùm apprehensionem sensus; & duas causas tetigerunt, scilicet materialem & effectiuam, vt infrà dicetur. Quidam verò, qui pluralitatem entium consenserunt magis coacti dicta ratione, causam efficientem posuerunt, & hoc est quod dicit; *Ergo omnino. Quidam* supple *omnino qui talem à principio tetigerunt & vnum dixerunt esse subiectum*, id est, materiam, *se non aggrauabant*, scilicet ex dicta ratione: erant enim contenti ratione, causam motus penitus negligentes: *verùm*, pro sed, *quidam dicentium vnum esse omne*, scilicet omnia *quasi ab ea quæstione deuicti*, id est, à dubitatione, vel ratione, *ipsum*, supple vniuersum, *ens vnum immobile dicunt esse, & naturam totam*: & illud vnum *non solum* supple dicunt immobile secundùm *generationem, & corruptionem: hoc enim antiquum est, & secundùm quod omnes Philosophi sunt confessi*. scilicet nullam esse generationem, & corruptionem simpliciter, vt dictum est superiùs: *verum etiam* isti supple *dicunt*, illud vnum esse immobile, *secundùm aliam immutationem omnem*: & ita totum vniuersum esse vnum ens omninò immobile: *& hoc est proprium eorum*, in quo ab aliis primis Naturalibus differebant; qui saltem motum rarefactionis in entibus concedebant; & sic ex vno principio materiali plura generabant: licet generationem & corruptionem non ponerent esse simpliciter: sed secundùm quid, vt dictum est. Patet ergo *nulli dicentium vniuersum esse vnum tantùm, contingit intelligere talem causam*, scilicet causam motus: ex quo enim motum ab entibus auferebant, frustrà quærerent causam motus, *nisi tantùm Parmenidi, & huic*, contingebat ponere causam motus, quatenus *non solùm vnum principium*, vel vnum ens secundùm rationem, *sed duas ponit esse causas*: saltem secundùm sensum, vt inferiùs dicetur. Pro quanto ergo plura patebant, oportebat eum ponere plures causas, quarum vna mouens, & alia mota esset: ex vno enim subiecto non possunt intelligi esse plura, nisi concurrat aliquo modo motus; aliis autem *plura entia facientibus magis contingit dicere*, id est, ponere causas motus, & assentire præmissæ rationi: ponebant enim causas rerum *calidum, aut frigidum, aut ignem, aut terram*; ita tamen quòd *vtuntur ipso igne, tanquam habente naturam mobilem* actiuam: *aqua verò & terrâ, & huiusmodi; alij econuersò*, id est, principio passiuo; & sic secundùm hoc ignis erat causa efficiens; & alia vt materia, & principium subiectiuum. Deinde cùm dicit:

2. Opinio addentium causam efficientem.

Post hos autem & talia principia, tanquam non sufficientia existentium generare naturam: iterum ab ipsa veritate, velut aiebamus, coacti sequens quæsierunt principium. Ipsius enim & benè hoc quidem eorum quæ sunt, habetur illa fieri: forsan neque ignem, neque terram, neque aliud quicquam; nec verisimile causam esse, nec illos conueniens existimare. Neque iterum ipsi anthomato, & fortunæ tantam committere rem bene habere.

Tangit opinionem eorum, qui hanc causam, scilicet efficientem, non solùm propter motum, sed etiam propter bonum & malum, in entibus posuerunt. Circa quod duo facit. Primò præmittit eorum dictum. Secundò exponit eorum defectum, ostendens quòd insufficienter hoc fecerunt. Secunda ibi: *Ergo omnes*. Prima in duo: primò præmittit rationes, quibus ad id ponendum mouebantur. Secundò descendit ad ponendum opiniones eorum speciales. Secunda ibi; *Dicens*. Ratio autem quâ mouebantur, erat illa, quia prædicta principia siue materialia, siue effectiua, non sufficiebant ad causandum tantam diuersitatem dispositionis bonæ in diuersis entibus. Quia cum illa principia sint corporalia naturaliter agentia; puta ignis, & aqua, semper vno modo, & vniformiter causant. Nec potest dici, quòd illa accidant à casu, & fortuna: & sicut quædam *anthomata*, id est, à casu accidentia; nam hæc eueniunt frequenter, & in pluribus: fortuita autem, & casualia eueniunt vt raro, vt patet ex 2. Physicor. Text. Com. 48. & ideò ipsius *bene se habere* oportet causam aliam inuestigare. Dicit ergo, quòd *post hos* prædictos Philosophos, *& talia principia*, scilicet corporalia, & naturalia ab eis posita, habitum, id est, ad consequenter se habens quæsierunt, ac si illi antiqui *non sufficerent generare naturam existentium*, id est, entium aliud, inquantum quæsierunt principium, coacti *iterum ab ipsa veritate: velut* superiùs *aiebamus*, id est, dicebamus: *ipsius enim* esse, *& benè esse*: id est, bonæ dispositionis, quæritur *eorum quæ sunt*, id est, entium habere: *illa verò fieri*, id est, siue quàtum ad benè habere entium, siue quantum ad bene fieri, *forsitan, nec ignem, nec terram, nec aliquid fieri talium*, supple corporum materialium, *nec est verisimile causam esse*: *nec est conueniens istos sic existimare*, ex eo supple, quòd agunt semper vniformiter per naturam: quia agens naturale semper agit vno modo, *nec iterum*, supple est conueniens existimare ipsum benè se habere: *quod sint anthomata*, id est, casualia: *& quòd ad fortunam eorum tantùm committatur causalitas*, vel dispositio bona: nam supple hæc, patet esse falsum, per hoc quòd huiusmodi dispositiones bonæ entium, siue quantum ad loca naturalia, in quibus corpora naturalia sunt ordinata, & determinata: siue quantum ad partes animalium benè dispositas, & ordinatas; inueniuntur vel semper, vel frequenter; quod non potest dici de his, quæ eueniunt à casu & fortuna: quia talia sunt vt raro, & propter hoc necessarium fuit alterum inuenire principium bonæ dispositionis rerum præter quatuor elementa: alia litera habet, *nec iterum ipsi anthomato, & fortunæ*: & est idem quod prius. Deinde cum dicit,

Quod est principium bonæ dispositionis rerum.

Dicens & aliquis intellectum vnum inesse, quemadmodum etiam in animalibus, & natura causam, & mūdi, & ordinis totius, vt purificans apparuit priores omnia præter conuenientia dicentes. Palam quidem igitur Anaxagoram scimus hos sermones tetigisse, attamen habet prius Hermotimus Clazomenius causam dicendi. Siquidem igitur opinantes simul ipsius bene causam, principium existentium esse posuerunt, & tale vnde motus existentibus inest.

Descendit

45

Prima opinio specialis ponens principium effectiuum esse vnicum.

Descendit ad eorum opiniones speciales. Circa quod duo facit. Primò ponit opinionem eorum, qui dicunt illud principium esse vnum. Secundò eorum, qui dicunt esse plura, & contraria. Secunda ibi: *Quoniam verò contraria.* Prima in duas. Primò tangit opinionem Anaxagoræ, qui illam causam dixit intellectum. Secundò opinionem Hesiodi,qui illam dixit amorem. Secunda ibi: *Suspicabitur aliquis autem.* Dicit ergo quòd post prædictam rationem est *aliquis dicens intellectum vnum esse quemadmodum* spiritum, id est, animam, *in animalibus*; ita *& in natura* rerum, & illum intellectum *esse causam mundi,& ordinis,*scilicet totius vniuersi, scilicet in quo ordine consistit bonum, scilicet intrinsecum totius vniuersi; vt etiam dicitur 12. Metaphysicorum, text. 52. *& in hoc apparuit purificans*, id est, ad veritatem puram reducens *priores*, scilicet Philosophos, *dicentes præter conuenientia,*id est, inconuenientia; in hoc, quòd non tetigerunt dictam causam. *Palam enim ipsum Anaxagoram tetigisse hos sermones,* scilicet de causa efficiente; *attamen causam dicendi habet priùs*: quia hic scilicet non habet à se primo: sed à quodam alio Philosopho priori, qui dicebatur *Hermotimus Clazomenius.* Concludit ergo quòd *opinantes causam, & principium essendi ipsius benè,posuerunt tale*, scilicet principium, *quod inest existentibus,* id est, entibus; *vnde motus,*id est principium efficiens. Deinde cùm dicit:

Opinio Anaxagoræ ponentis intellectum esse principium.

Suspicabitur autem vtique aliquis Hesiodum primum quæsiuisse huiusmodi. Et vtique, si quis alius amorem, aut desiderium in existentibus, quasi principium posuisset,vt Parmenides; etenim hic tentans monstrare vniuersi generationem, primùm quidem ait Deorum amorem fore prouidentem omnibus. Hesiodus verò omnium primum chaos fuisse, deinde terram latam, & amorem, qui omnia condecet immortalia; quasi necessarium sit in existentibus causam, quæ res ipsas moueat,& congreget. His quidem igitur quomodo oporteat distribuere de hoc, quis primus liceat iudicare posterius.

Opinio Parmenidis,& Hesiodi.

Tangit opinionem Hesiodi, qui illam causam dixit esse amorem; & dicit quòd *aliquis suspicabitur Hesiodum quæsiuisse primò huiusmodi,* scilicet causam bonæ dispositionis rerum: & *si quis alius*: id est,quamuis fortè aliquis alius *amorem, aut desiderium in existentibus,* id est entibus,*quasi principium posuisset, vt Parmenides: etenim hic,* scilicet Parmenides, *tentans monstrare generationem vniuersi: primum quidem ait*, scilicet esse principium generationis vniuersi; dixit fore *amorem Deorum prouidentem omnibus*; *Hesiodus verò dixit primum omnium*, scilicet principium materiale *fuisse* quoddam *chaos* confusum: *deinde terram latiorem*, supple ex illo esse factam,vt scilicet esset receptaculum aliorum: nam, vt dicitur 4. Metaphysic. text. com. 16. locum & receptaculum dixit esse rerum principium. Vltra autem illud chaos posuit illud receptaculum, scilicet *amorem:qui* amor *condecet & omnia immortalia*: cuius ratio potest esse communicatio bonitatis, quam dixit esse Deorum prouidentem entibus, videtur procedere ex amore: nam beneficium videtur esse effectus amoris, cum probatio dilectionis sit exhibitio operis: si ergo corruptibilia habent in suo esse bonam dispositionem ab ipsis Diis immortalibus; oportet amori immortalium hoc attribuere: Deos autem,& immortalia vocat forsan corpora cælestia, & forsan aliquas substantias separatas, quas ponebat causas & principia rerum esse: patet igitur quòd posuit duo principia: *Chaos*, scilicet, & *Amorem*: cuius scilicet causam subdit,dicens: *quasi necessarium sit in existentiis,* id est, in existentibus; non solùm supple esse causam motam, quæ est materia, & chaos: sed etiam esse *causam mouentem, quæ ipsas res congreget, & moueat*, id est, res ex illo *Chaos* generet congregando, vel disgregando,modo, quo antiqui loquebantur de rerum generatione. Addit autem: *Oportet quoque hos,* scilicet Anaxagoram, & Hesiodum *distribuere, quis sit prior, & de hoc poterit posterius indicari*: quando scilicet agetur de Deo: dicit enim quòd iste Hesiodus fuit ante tempus Philosophorum de numero Poëtarum: sed vtrum Anaxagoras, qui primum principium posuit intellectum, sit prior in sua sententia; vel Hesiodus, qui posuit illud principium esse amorem: & posset forsan aliquis dubitare: hoc autem dicit posterius esse indicandum.

Beneficium quid?

Amor an sit principium bonæ dispositionis in rebus.

Quis fuit prior, Anaxagoras, an Hesiodus?

Notandum, quòd isti qui primum principium dixerunt esse amorem, non benè expressè, vel planè posuerunt; ideò dicit suspicationem fuisse apud antiquos: quod scilicet Hesiodus, qui posuit principium bonæ dispositionis rerum, vel quicunque alius, posuerunt amorem esse principium in rebus.

Notandum etiam,quòd hoc quod dicit, Parmenidem posuisse rerum principium per amorem, non repugnat opinioni suæ, quâ posuit omnia esse vnum ens,& immobile: nam licèt secundùm rem,& secundùm rationem diceret omnia esse vnum; vltra hoc secundùm sensum dicebat esse plura, & istius pluralitatis, & distinctionis rerum dicebat esse causam ipsum amorem, sicut aliqualiter dictum est suprà, & dicetur amplius infrà. Deinde cùm dicit:

Saluat Parmenidem vt potest.

46

Quoniam autem contraria bonis inesse videbantur in natura, & non solùm ordinatio & bonum; sed inordinatio & turpe,& plura mala melioribus,& praua bonis: sic alius aliquis amorem introduxit & litem: singula singulorum causam horum. Si quis enim assequatur & accipiat ad intellectum,& non ad quæ balbutit dicens Empedocles, inuenit amorem quidem causam esse aggregatorum bonorum, litem verò malorum. Quare si quis dixerit quodammodò dicere Empedoclem, bonum & malum principia, forsan benè dicet si bonorum omnium ei bonum est causa,& malorũ malum.

Ponit opinionem eorum, qui posuerunt huiusmodi principia esse plura, & contraria. Ad cuius euidentiam notandum, quòd ratio mouens eos, fuit ista: quia cùm contrariorum contraria sint principia, & in entibus multa mala reperiantur, & multa inordinata, quæ sunt contraria bonis; oportet eorum causam contrariam assignare: Ista enim non eueniunt à casu cum simul multa & frequenter, imò plura bonis; ideò Empedocles posuit duas causas: amorem, in quantum causa

Tertia opinio specialis ponens principia effectiua esse plura.

causa bonorum, & odium malorum. Dicit ergo: *quoniam*, pro quia, *in natura videbantur esse contraria bonis*, & non solùm inueniuntur in natura *ordinatio*, *& bonum*, id est, entia ordinata & bona; *sed etiam inordinatio & turpe*, id est, inordinata & mala, ita quòd *plura sunt mala melioribus & praua bonis*, si, id est, propter hoc, *aliquis alius amorem induxit & odium esse*, scilicet rerum principia, *singula causam esse horum singulorum*, id est, reddendo singula singulis, vt amor sit causa bonorum, & odium sit causa malorum, secundùm opinionem Empedoclis; vnde subdit quòd *si homo sequatur & accipiat*, id est, aspiciat *ad sententiam*, quam scilicet Empedocles intendebat; *& non ad verba, quæ dicit balbutiendo*: nam verba forsan videntur aliud sonare, *inueniet*, supple secundùm sententiam eius, *amorem esse causam aggregatorum, id est, bonorum, odium verò malorum*: vnde concludit, *ergo si quis dixerit modo quodam Empedoclem ipsum dicere principia esse bonum, & malum, forsitan benè dicet. Si* pro quia secundùm eius opinionem, *bonum est causa bonorum, & malum malorum.*

Opinio ponēs amorem princi ium bonorum, odium verò malorum.

Notandum, quòd secundùm Empedoclem, amoris est congregare, & odij disgregare; quia ex congregatione existit rerum generatio, ex qua res habet suum bonum, & suum esse: ex disgregatione verò existit rerum corruptio, ex qua res habent malum, & non esse; ideò amorem, qui est quoddam bonum, dixit esse causam bonorum; & odium, quod est quoddam malum, dixit esse causam malorum. Aduertendum autem, quòd licèt aliquorum malorum posuerit esse causam malum, scilicet corruptionis rerum: & aliquorum bonorum posuerit causam bonum, scilicet generationis rerum: tamen non sequebatur vniuersaliter esse verum, quod omnia bona erant per amorem, nec omnia mala per odium. Nam cùm secundùm eum distinctio vniuersi partium esset per odium, & constitutio & vnio per amorem, sequitur quòd amor esset causa corruptionis, quæ fit ex vnione, & odium esset causa generationis, quod fit ex distinctione partium vniuersi; vnde dictum suum reducitur contra eum; sicut inferiùs ampliùs apparebit. Tunc sequitur illa pars.

SVMMARIVM.

Refutat primò, eos qui posuerunt efficiens propter bonum, & malum, & postea sigillatim reliquarum opinionum defectus ostendit.

47

Isti quidem igitur, sicut diximus, & vsque ad hoc duas causas tetigerunt, quas in Physicis determinamus: materiam quidem, & id vnde motus principium: obscurè quidem, & non manifestè: sed qualiter in bellis ineruditi faciūt: etenim illi circumducti sæpè bonas plagas faciunt. At nec illi ex scientia: nec isti sunt aßimilati scientibus dicere, quod dicunt. His enim ferè vsi videntur nihil nisi parum.

Vbi postquam posuit opinionem eorum, qui non solùm propter motum, sed etiam propter bonum, & malum, in entibus posuerunt causam effectiuam, ostendit eos insufficienter locutos fuisse. Circa quod duo facit. Primò in generali. Secundò in speciali de singulis. Secunda ibi: *Anaxagoras quidem.* Dicit ergo, quòd omnes *isti* prædicti Philosophi, *sicut diximus, vsque ad hoc superuenerunt, quod duas causas tetigerunt*: earum scilicet, *quas determinauimus in Physicis, scilicet materiam, & vnde motus*, id est, efficiens: sed *tamen obscurè quidem, & non manifestè*, hoc fecerunt, quia scilicet non aspexerunt ad quod genus causæ reducuntur ea, quæ causas & principia esse dicunt; vnde *accidit eis*, simile ei, quod faciunt in bellis *aliqui ineruditi*: illi scilicet ineruditi *circunducti*, id est, circundati ab hostibus *sæpè percutiunt*; id est, *inferunt bonas plagas*, & bonos ictus, & hoc, supple faciunt, à casu, & non ab arte, & tamen artem non habent præliandi. Vnde subdit quòd *nec illi*, scilicet ineruditi, *faciunt ex scientia*; *nec isti*, scilicet Philosophi, de quibus est sermo, *assimilati sunt scientibus dicere, quod dicunt*, id est, dicunt sicut scientes: quod probat ex hoc: quia cum supple dictas causas posuissent; *his*, scilicet causis, *ferè vsi videntur nihil nisi parum*: quia ergo dictis causis in paucis vtebantur; signum est, quòd non ex arte; sed magis casualiter eas posuerunt. Deinde cùm dicit:

Ostendit in generali insufficientiam dictarum Opinionum.

Anaxagoras autem artificialiter vtitur ad mundi generationem intellectu: nam quando dubitat, quæ causa ex neceßitate inest, tunc tradit ipsum. In aliis verò omnia magis causa eorum quæ fiunt, quàm intellectum, ponit.

Ostendit in speciali in quo singuli defecerunt. Circa quod duo facit. Primò ostendit in quo Anaxagoras errauit. Secundò in quo Empedocles. Secunda ibi: *Empedoclem*. Dicit ergo quòd *Anaxagoras artificialiter vtitur intellectu ad mundi generationem: nam quando dubitat quæ causa ex necessitate est*, scilicet quæ res distinguat, & mundum generet, *tunc tradit ipsum*, scilicet ipsum esse causam mundi. *In aliis autem omnibus assignat causas magis*, supple ex aliis omnibus quàm ex intellectu. Vult dicere, quòd generationis vniuersi dicit intellectum esse causam: sed in generationibus rerum particularium alias assignat causas; quare videtur difformiter loqui de principio effectiuo. Deinde cùm dicit;

Ostendit in speciali insufficientiam Anaxagoræ.

Empedocles plus quidem vtitur causis, sed tamen nec sufficienter, nec in his inuenitur quod concessum est. Multis igitur in locis apud ipsum amor disgregat: lis autem congregat; nam cùm in elementa quidem ipsum vniuersum aliè distrahitur, tunc ignis in vnum, & elementorum aliorum singula concernuntur: cùm autem iterum in vnum ab amore conueniunt, necesse est rursum, vt ex singulis particulæ secernantur.

Ostendit in quo Empedocles errauit. Circa quod duo facit. Primò facit, quod dictum est. Secundò ostendit quid habet Empedocles proprium vltra alios Philosophos. Secunda ibi: *Empedocles igitur.* Dicit ergo, quòd *Empedocles* determinans de causis rerum, *plus vtitur causis*, à se positis, quàm Anaxagoras. Posuit enim principia quatuor elementa, & amorem, & odium, in quæ

48

Ostendit insufficientiam Empedoclis.

princi

principia & generationem, & corruptionem omnium rerum reducebat, quod Anaxagoras non fecit. Verum *sed nec sufficit*, *nec in his*, scilicet causis, *inuenitur, quod confessum est*, id est, positum ab eo, tanquam per se notum, quod odium aliquo tempore regnaret in elementis, & alio tempore determinato amor, cùm tamen hoc non sit per se notum, & hoc est vnum in quo deficit. In secundo deficit, quia in his, quæ dixit non inuenitur id, quod ab eo confessum, id est, suppositum est quasi principium, scilicet quod *amor* congreget, & odium disgreget; *multis quidem in locis*, oppositum reperitur, scilicet quòd *amor diuidat*, *& odium congreget*. Vnde dicit, quòd amor quidem secernit, id est, diuidit, odium verò concernit, id est, coniungit, quod probat: *nam cùm ipsum omne*, id est, vniuersum *distrahitur*, id est, diuiditur *in elementa*, quod fit in generatione mundi, tunc partes, scilicet, *ignis in vnum* conueniunt, *& similiter singula*, id est, singulæ partes omnium *aliorum elementorum concernuntur*, id est, in vnum congregantur; ex quo patet, quòd odium non solùm segregat partes, scilicet ignis, à partibus aëris & aliorum, sed etiam congregat adinuicem partes eius, & similiter est de aliis, econuersò autem in corpore vniuersi. Vnde subdit, *cùm autem iterum*, elementa, scilicet, in vnum *conueniunt ab amore, necesse rursum vt particulæ singulorum* elementorum à singulis *secernantur*, id est, diuidantur: nam elementa non possunt adinuicem commisceri, nisi se inuicem penetrarent, & sic partes vnius simul essent cum partibus alterius ad constituendum vnum chaos mixtum, & confusum, quod esse non potest; nisi partes inuicem à quibuslibet diuidantur. Patet ergo ex prædictis secundùm opinionem Empedoclis quòd amor non tantùm congregat, sed etiam disgregat in mundi corruptione, & odium non solùm diuidit, sed etiam congregat in mundi generatione, cuius oppositum asserebat. Deinde cùm dicit:

Empedocles quidem igitur præter priores prius hanc causam diuidens induxit, non vnũ faciens motus principium; sed diuersa & contraria: amplius autem quæ in materiæ specie dicuntur elementa quatuor primus dixit: non tamen vtitur quatuor, sed vt duobus existentibus solùm: igne quidem secundum se. Oppositis verò quasi vna natura, terra, & aëre, & aqua. Sumet autem vtique aliquis id speculans ex versibus. hic quidem igitur sicut diximus, sic & tot dixit principia.

Posuit duo principia effectiua rerum.

Ostendit quid habet Empedocles proprium vltra alios Philosophos, & ponit duo. Primum est quòd causam vnde motus, diuisit in duas contrarias, & hoc est quod dicit, quòd *Empedocles inter priores*, scilicet Philosophos, *primus causam diuidens induxit non vnum faciens principium motus*, scilicet causam efficientem; *sed diuersa & contraria*, scilicet amorem & odium. Secundum est, quòd causam materialem posuit quatuor elementa, non quòd vtatur quatuor elementis, vt quatuor, sed vt duobus, quia ignem ponit ex vna parte, & alia tria ex alia parte, dicens, quòd ignis habet naturam actiuam, & alia tria naturã passiuam, Et hoc est quod dicit, quòd *amplius autem dicta elementa, quatuor dixit esse in materiæ specie*, id est, in genere causæ materialis, *sed vt duobus existentibus solùm vtitur*, scilicet istis quatuor, *igne quidem secundùm se*, id est, vna parte: *oppositis verò* scilicet *terra, aqua, & aëre quasi vna natura*, scilicet passiuã & opposita ipsi igni. Addit autẽ quòd *aliquis potest sumere ex elementis traditis*, scilicet ab ipso, id est, ex principiis doctrinæ suæ: alia translatio habet *ex versibus*, quia dicitur suam Philosophiam metricè tradidisse. Con[...]lit ergo, *hic igitur*, scilicet Empedocles, *sicut diximus, sic & tot dixit esse rerum principia*, scilicet quatuor materialia, & duo effectiua.

Quomodo posuit quatuor elementa esse causam materialem?

SVMMARIVM.

Sententia Democriti, & Leucippi, principia rerum, esse plenum, & vacuum, quã iuxta eorum mentem explicat benè Doctor. de qua agitur 1. de Gener. tex 5. & 6. vbi expenditur quid senserint hi de rerum generatione. Ponitur etiam in quibus conueniebant, & differebant ab illa opinione suprà relata, quæ tantùm ponebat vnam causam materialem.

49

Leucippus verò & collega eius Democritus elementa quidem plenũ & inane dicunt esse, dicentes velut hoc quidem ens, illud verò non ens: horum autem plenum quidem & solidum ens, inane quidẽ non ens. Propter quod & nihil magis ens non ente esse dicunt, quia nec inane corpore, causas autem entiũ hæc vt materiam.

Opinio auferentium entitatem à rerum principiis.

Postquam Philosophus recitauit opinionem Philosophorum entitatem à rerum principiis non negantium; nunc ponit opinionem aliorum entitatem à rerum principiis aliqualiter auferentium, cuiusmodi fuerunt Democritus & Leucippus, ponentes principia rerum esse ens, & non ens: puta vacuum & plenum. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est, & declarat quid Democritus; & Leucippus senserunt de rerum principiis. Secundò quid senserunt de rerum generatione. Secunda ibi: *Et quemadmodum*. Dicit ergo, quòd *Leucippus & amicus eius Democritus elementa quidem*, id est, principia rerum, *dicunt esse plenum & inane*, id est, vacuum, *dicentes velut hoc quidem ens*, scilicet plenum, *illud verò non ens*, scilicet vacuum, quod consequenter exponit dicens; *horum verò plenum quidem, & solidum esse ens, inane verò*, id est, vacuum, *non ens*; *quare nihil magis quidem dicunt*, si principium *ens non ente*, id est, quàm non ens, quia scilicet vtrumque ponunt rerum principium; *ea verò*, scilicet vacuum & plenum ponunt esse *causas entium*, *vt in materia* in genere, id est, in genere causæ materialis.

Quare dicuntur amici Leucippus, & Democritus?

Notandum, quòd isti duo Philosophi dicuntur amici, & sodales, quia in omnibus concordabant, & quod dicebat vnus, alius asserebat. Ad cuius euidentiam sciendum, quòd (vt innuitur in primo de Generatione; vbi eorum opinio diffusiùs tractatur) cùm quidam Philosophi posuissent omnia entia esse vnum ens, & continuum, & immobile saluare non valentes, vt eis videbatur, motum & distinctionem rerum sine vacuo, vacuum autem omnino ponere abhorrebant; superuenit Democritus, eorum rationi consentiens, scilicet motum & distinctionem rerum sine vacuo esse non posse. Distinctionem autem, & mo

Democritus primò posuit vacuum.

motum in rebus saluare volens posuit vacuum esse, & omnia corpora esse vacua, & ex quibusdam corporibus indiuisibilibus esse composita: videbatur autem sibi, quòd non posset ratio assignari, quare vniuersum ens magis diuisum est in ista parte, quàm in alia, vnde non poneret totum ens esse continuum: prælegit vbique & totaliter esse diuisum, quod non posset esse nisi remaneret aliquod indiuisibile: talia autem corpora indiuisibilia coniungi non possunt; nisi interueniente vacuo, quia nisi inter duo eorum vacuum mediaret, oporteret ex his duobus aliquod continuum constitui, quod tamen negabat propter iam dictam rationem: sic igitur magnitudinem cuiuslibet corporis, ponebat constitui ex illis corporibus atomis, vel indiuisibilibus, vel indiuisibilia spacia implentibus, & ex quibusdam spacijs vacuis, quæ interiacent corporibus atomis, quæ poros etiam nominabat. Cum ergo plenum habeat rationem entis, & vacuum non entis; ideò principia rerum ponebat ens & non ens, & non magis ens, quàm non ens. Deinde cùm dicit:

Quare posuit principia rerum ens & non ens?

50

Et quemadmodum qui vnam faciunt subiectam substantiam aliam passionibus eius generant, rarum & spissum principia passionum ponentes: eodem modo & hi differentes causas aliorum dicunt esse. Has verò tres dicunt esse figuram, ordinem, & positionem: differre enim aiunt ens & rhythmo, & diathige, & trope solùm: horum autem rhythmus figura est, & diathige est ordo, & trope positio. Differt enim A à B figura. AN autem à NA ordine, Z autem ab N positione. De motu verò vnde & quomodo inest existentibus; & hi aliis similiter negligenter dimiserunt de duabus quidem igitur causis; vt diximus in tantum videtur à prioribus esse quæsitum.

Quid senserunt sic opinantes de rerum generatione.

Ostendit quid isti senserunt de rerum generatione, comparando eos ad antiquos Philosophos, qui ponebant tantùm vnam causam materialem: conueniebant enim isti cum illis in duobus. Primò quidem, quia sicut illi antiqui ex illa vna materia generabant diuersa, secundùm diuersas illius materiæ passiones, quæ sunt rarum & densum; ita & Democritus, & Leucippus dicebant ex corporibus atomis, & poris diuersa entia constitui propter differentias illorum corporum atomorum, & hoc est, quod dicit, quòd *quemadmodum*, scilicet illi antiqui, *qui vnam faciunt subiectam substantiam*, id est, materiam, aliam à passionibus eius scilicet materiæ, *generant ponentes principium passionum rarum & densum*, ad quæ tanquam ad principia omnes passiones alias reducebant, *eodem modo & hi*, scilicet Democritus, & Leucippus, *dicunt esse differentes causas aliorum*, quæ scilicet ex illis corporibus atomis generabant, & *eas*, scilicet differentias *triplices dicunt esse, figuram scilicet, ordinem & positionem:* quibus differentiis differebant illa corpora atoma, & per consequens ex eis composita differebant abinuicem: differentia quidem secundum figuram attenditur ex hoc, quòd aliud est circulare, & aliud triangulare: differentia verò secundum ordinem attenditur ex hoc, quod vnum est prius, & aliud posterius; sed differentia secundùm positionem attenditur ex hoc, quod vnum est ante, & aliud retrò, vnum est dextrum & aliud sinistrum, vnum est sursum & aliud est deorsum: per hunc modum dicebant omnia ab inuicem differre. Vnde subdit Philosophus, quod secundùm eos supple differt vnum ens ab alio, *vel rhythmo*, id est, figura, *aut diathige*, quod est ordo, *aut trope*, quod est positio, quod probatur per similitudinem in litteris, *differt enim A, à B, in figura*, nam illæ non habent eandem figuram, AN autem à NA *ordine*. Nam A, est prior quàm N, in ordine litterarum, Z autem *differt ab N positione*. Secundùm enim Grammaticos, Semiuocales non possunt poni ante Liquidas in eadem syllaba, ante quas ponuntur Mutæ. Alia translatio habet litteras Græcas, & est eadem sententia, & exempla ponemus manifesta nobis, qui Græcum ignoramus. Sicut ergo propter istam triplicem differentiam litterarum ex eisdem litteris differenter se habentibus, fiunt Tragœdiæ, & Comœdiæ diuersæ syllabæ, & diuersæ dictiones, ita ex eisdem corporibus atomis differenter se habentibus modo prædicto, diuersas rerum species generabant. Secundò quidem isti ambo Philosophi conueniebant cum antiquis, quia sicut illi antiqui causam motus neglexerunt, id est, causam effectiuam, ita & isti, licet illi corpora indiuisibilia ponerent esse per se mobilia. Et hoc est, quod dicit, quod *de motu verò vnde, aut quomodo inest rebus*, id est, de causa efficiente, quæ est principium, vnde motus, *hi*, scilicet ambo similes aliis scilicet antiquis, *neglexerunt*. Vltimò epilogat quod *de duabus causis*, scilicet materiali & efficiente *in tantum videtur esse quæsitum priùs*, scil. ab antiquis, *vt diximus*. Tunc sequitur illa pars.

Differunt corpora tripliciter secundum antiquos.

SVMMARIVM.

Sententia Pythagoricorum, numeros, & alia quædam Mathematica, esse rerum principia, explicatur cum suis fundamentis, & ponuntur varij modi dicendi ipsorum, variáque motiua pro sua sententia.

51

In his autem & ante nos vocati Pythagorici Mathematica tangentes; primi autem produxerunt, & in eis nutriti horum principia esse omnia putauerunt. Horum autem quoniam numeri natura sunt primi, & in numeris videbantur multas speculari similitudines existentibus & factis magis quàm in igne, & aqua, & terra, quia talis numerorum quidem passio iustitia, talis autem anima, & intellectus: alia verò tempus, & aliorum, vt est dicere vnumquodque similiter.

Opinio ponentium rerum incorporea principia.

Postquam Philosophus recitauit opinionem antiquorum philosophorum ponentium principia rerum esse corporea. Nunc recitat opinionem ponentium principia esse incorporea quales fuerunt Pythagorici. Circa quod duo facit, quia primò dicit quid opinati sunt de rerum substantiis. Secundo quid opinati sunt de rerum principiis. Secunda ibi: *Sed cuius gratia.* Prima in duas, secundum quod ponit duo ex quibus Pythagorici mouebantur ad opinandum numeros esse rerum substantiam. Secunda ibi: *amplius autem*.

Ad

Sectæ Philosophorum antiqua duæ.

Ad euidentiam primi ſciendum, quòd antiquitùs fuerunt duo genera Philoſophorum, quorum aliqui dicebantur Ionici, alij Pythagorici. Primi morabantur in illa terra, quæ nunc Græcia dicitur; & iſti ſumpſerunt principium à Thalete, qui princeps Philoſophorum nominatus, eſt, vt iam ſuperiùs fuit dictum. Alij fuerunt in Italia quæ pro tunc magna Græcia dicebatur; vnde Italici dicti ſunt: quorum Philoſophorum princeps, fuit Pythagoras, & ideò Pythagorici dicuntur: qui produxerunt quædam Mathematica, & in eis nutriti, quia ſemper circa Mathematica intendebant. Horum autem Mathematicorum principia, putauerunt cunctorum, ſcilicet, entium principia eſſe; conſuetum eſt enim apud homines, quòd per ea quæ nouerunt, volunt de rebus iudicare, & quia inter Mathematica numeri ſūt principia * naturâ, ideſt, naturaliter; ideò niſi ſunt ſimilitudines exiſtentibus, id eſt, entibus & factis quantum ad eſſe, ſiue quantum ad fieri entium: niſi, inquam, ſunt multa in numeris ſpeculari magis, quàm in igne, terra, aqua, & aliis ſimilibus elementis. Prædicti enim philoſophi reſpicientes ad rerum ſenſibiliū paſſiones adaptabāt proprietates rerum ad numerorum paſſiones; vnde dicebant quòd aliqua paſſio numerorum eſt cauſa iuſtitiæ, & aliqua eſt temporis, & ſic de aliis. Et hoc eſt quod ſubdit Philoſophus, quia ſcilicet Pythagorici dicebant: quia hæc *talis paſſio numerorum eſt iuſtitia*, ideſt, cauſa iuſtitiæ: *illa autem*, ſcilicet talis paſſio, *anima, & intellectus, alia autem tempus, & aliorum, vt ſic dicam, ſingulorum ſimiliter*: vt ſic, ſcilicet paſſiones numerorum intelligantur eſſe rationes, & principia omnium apparentium in rebus ſenſibilibus; ſiue ad res voluntarias, quod deſignatur per iuſtitiam, quæ eſt habitus voluntatis; ſiue quantum ad formas ſubſtantiales rerum naturalium, quod intelligitur per intellectum & animam; ſiue quantum ad accidentia, quod intelligitur per tempus.

A l. primi.

Notandùm quòd Pythagorici dicuntur primùm Mathematica produxiſſe, quia etiam eos Platonici circa materialia ſunt ſecuti; ita quòd ipſi non ab aliis, ſed ab eis alij materialia ſuſceperunt. Deinde cùm dicit:

52

Amplius autem & harmoniarum in numeris ſpeculantes paſsiones & rationes: quoniam & alia quidem numeris ſecundum naturam omnem videbantur aſsimilata eſſe. Numeri autem omnes naturâ primi, elementa numerorum exiſtentium elementa cunctorum eſſe exiſtimauerunt, & totum cælum & harmoniam eſſe, & numerum. Et quæcunque habebantur confeſſa monſtrare, & in numeris, & harmonijs ad cæli paſsiones, & ad partes, & ad ornatum totum hoc colligentes adaptabāt; & ſi quid alicui deficiebat annectebant, vt ipſis totum negotium eſſet connexum. Dico autem puta quoniam perfectus denarius, eſſe videtur, & omnem comprehendere naturā numerorum, & quæ ſecundùm cælum feruntur decem quidem eſſe dicunt: ſolis autem nouem exiſtentibus manifeſtis: ideò ἀντίχθονα, id eſt, aduerſam terram decimam faciunt. De his autem certius eſt à nobis in alijs determinatum.

Ponit ſecundum motiuum, quod eſt, quia conſiderabant, & erant *ſpeculantes paſſiones, & rationes*, id eſt, proportiones harmoniarum, id eſt, conſonantiarum muſicalium *in numeris*, id eſt, ſecundùm naturam numerorum: vnde cùm ſoni conſonantes ſint quædam ſenſibilia, idcirco per eandem rationem *niſi ſunt*, id eſt, conati, *aſſimilare numeris omnia alia* entia *ſecundùm naturam*; ita quòd *numeri ſunt primi omnis natura*, id eſt, in tota rei natura: & propter hoc *exiſtimauerunt elementa*, id eſt, principia *numerorum eſſe elementa cunctorum entium*; *& totum cælum* dicebant *harmoniam & numerum* quendam; vnde *quæcunque habebant monſtrare confeſſa*, id eſt, conceſſa *in numeris*, *& in harmoniis adaptabant ad cæli paſſiones*, ſicut ſunt motus & eclipſes, & aliud huiuſmodi, *& ad partes* eius, cuiuſmodi ſunt cæli, & orbes diuerſi. Iterum adaptabant *ad totum ornatum cæli*; cuiuſmodi ſunt ſtellæ diuerſæ, & figuræ diuerſæ, quæ accidunt in conſtellationibus, & aliud huiuſmodi. *Et ſi quid deficiebat in rebus*, ſcilicet ſenſibilibus & manifeſtis, quæ non viderentur numeris poſſe adaptari, *adaptabant continuata eis omne eſſe negotium*, ſcilicet ipſa de nouo ponebant, ad hoc quòd totum negotium eorum, quod erat, vt ſenſibilia numeris adaptarent, continuarentur; ſicut patet in vno exemplo. *Dico autem quoniam denarius* numerus *videtur eſſe perfectus, & omnem comprehendere naturam numerorum*: eo ſcilicet, quòd eſt primus numerus, & comprehendit in ſe naturam omnium numerorum, quia omnes alij numeri à denario, non videntur niſi repetitio numeri denarij; propter quod Plato faciebat numerum vſque ad decem; ſecundùm quod dicitur, 12. Metaphyſicorum, text. c. 42. & 3. Phyſi. text. c. 61. Vnde ſecundùm Pythagoram ſphæræ, ſcilicet *quæ ſecundùm cælum feruntur decem, dicuntur* eſſe *manifeſtis exiſtentibus ſolùm nouem*, quæ apprehenduntur; ſeptem ex motibus planetarum; octaua verò ex motu ſtellarum fixarum: nona autem ex motu primi mobilis, qui eſt primus motus & diurnus: & ideò *ἀντίχθονα, ideſt, ſphæram in contrarium motam*. Et dicitur ab *ἀντί* quod eſt contra: *decimam faciunt*, ſcilicet Pythagorici. Vltimò epilogat quòd *de his* quæ pertinent ad opinionem Pythagoræ *certius in aliis determinatum eſt*, ſcilicet in 13. & in 14. libro huius ſcientiæ, qui ſunt vltimi libri.

Ponentes principia numerorum eſſe principia cunctorum entium, & cælum eſſe harmoniam.

Numerus ſphærarum ſecundùm Pythagoram.

Notandum, quòd Pythagoras nonam ſphæram, quam dixit ἀντίχθονα, ideſt, in contrarium motam, inferioribus ſphæris poſuit in contrarium moueri, de qua opinione agitur prolixè in ſecundo libro de Cælo, & mundo. Text. c. 51. & inde. Dicebat enim ex motu cælorum fieri quandam muſicam melodiam: ſicut enim ex proportione ſonorum contrariorum; puta grauis, & acuti, fit quædam muſica harmonia; ita dicebat in cælo eſſe vnum motum ad oppoſitam partem aliis motibus, ſcilicet motui primi mobilis qui eſt ab Oriente in Occidentem aliis motibus inferioribus procedentibus ex aduerſo, ſcilicet ab Occidente in Orientem, ex quorum motuum proportione dicebat cauſari ſuauiſſimam melodiam. De qua opinione, non oportet nunc prolixiùs pertractare; quia magis pertinet ad ſecundum de Cælo & mundo; vbi Philoſophus hanc opinionem pertractat & reprobat euidenter. Deinde cùm dicit:

Quare poſuit motum cæli eſſe harmoniam?

Sed cuius quidem gratia superuenimus, hoc est vt accipiamus, & de his quæ ponunt esse principia, & quomodo in dictas cadunt causas: atque videntur & hi numerum putare principium esse, & quasi materiam existentibus, & quasi passiones, & habitus. Numeri verò elementa par & impar, & horum hoc quidem finitum: illud verò infinitum: vnum autem ex his vtrisque esse, etenim parem & imparem; numerum autem ex vno, numeros, sicut dictum est, totum cælum.

Quid senserunt de rerũ principiis sic opinantes.

Declarat quid Pythagorici senserunt de rerum principiis. Circa quod duo facit. Primò ostendit quæ posuerunt rerum principia. Secundò qualiter illa principia ad quatuor causas reducantur. Secunda ibi; *Ex his igitur ambobus.* Prima in tres, secundùm quod narrat tria motiua eorum, qui posuerunt numeros principia. Secunda ibi: *Eorundem autem.* Tertia ibi: *Quemadmodum Alcmaon.* Dicit ergo quod cuius gratia ad opinionem, scilicet Pythagoræ pertractandum, hoc est, vt de his tractemus, quæ secundùm eorum opinionem possunt esse rerum principia & quomodo cadunt in dictas causas; videntur enim hi, scilicet Pythagorici, putare numerum esse principium *& quasi materiam existentibus*, idest, entibus, & scilicet *passiones & habitus* numeri esse quasi passiones, & habitus rerum; fortè per passiones intelligentes accidentia citò transeuntia, & per habitus accidentia permanentia, quod exponens dicit quòd *numeri elementa*, idest, principia, dicebant esse *par & impar:* istæ enim videntur primæ differentiæ numerorum, *& hoc quidem*, scilicet impar ponebant *finitum: illud quidem*, scilicet par ponebant *infinitum.* Sed *ex his* duobus, scilicet pari & impari, finito, & infinito, non solùm numerum constituebant; sed etiam *ipsum vnum*, id est ipsam vnitatem: *etenim ipsa vnitas par est & impar* in virtute, nam omnes differentiæ numeri virtualiter cõpetunt vnitati, ex eo quòd omnes differentiæ numeri in vnitatem resoluuntur; cuius ratio est: quia in ordine cuiuslibet numeri paris, siue imparis, siue quadrati, siue perfecti, & sic de singulis differentiis numerorum; semper inuenitur vnitas esse prior: sicut patet scientibus Arithmeticam. Vltrà, iste Pythagoras sicut dicebat ipsum numerum componi ex pari & impari; ita dicebat esse *numerum ex vno:* idest, vnitatibus, *vt dictum est: & totum cælum esse numeros*; idest, cælum & omnia sibi similia, esse ex numeris, vt dictum est suprà. Iste ergo ordo est, quem de rerum principiis asserebat.

Numeros Pythagorici posuerunt principia rerum.

Quare Pythagoras attribuebat infinitatem numero pari & finitatem impari?

Notandum, quòd Pythagoras attribuebat infinitatem numero pari; finitatem autem numero impari, motus ad hoc ponendum ratione, & signo, secundùm quod dicitur 3. Physicorum, capit. de infinito. text. c. 36. & inde. Ratione quidem, quia in corporibus quandam infinitatem aspicimus: quia corporea semper sunt diuisibilia in duo æqualia: diuisio enim continui tendit in infinitum, quia semper est diuisibilis in duas medietates. Cùm ergo de ratione numeri paris sit posse diuidi in duas æquales medietates; idcirco videtur numerus par de se ipso habere infinitatem quandam. Sed quia additâ vnitate constituitur numerus impar, qui amplius non est diuisibilis in duas æquales vnitates, ideò videtur de se habere finitatem quandam, quia eius diuisio stat cùm peruentum est ad vnitatem, quæ remanet indiuisa, & idcirco numero impari attribuebat finitatem. Signo autem mouebatur: quia numeri impares, qui sunt extra, & alij ab vnitate, semper faciunt eandem speciem numeri: si numeri impares accipiantur ordinatè, scilicet *vnum, tria, quinque, septem, nouem*, & sic in infinitum: nam isti omnes congregati semper constituunt numerum quadratum. Verbi gratiâ, *vnum* & *tria* faciunt *quatuor*, qui est primus numerus quadratus. Et vltrà, *quatuor* & *quinque* faciunt *nouem*, qui est etiam numerus quadratus. Vltrà, *nouem* & *septem* faciunt *sedecim*, qui est etiam numerus quadratus, & sic de aliis in infinitum. Sed numeri pares non habent se isto modo: nam *vnum & duo* faciunt *tria: tres* autem & *quatuor* faciunt *septem.* Septenarius autem numerus est alterius speciei à ternario: nam ternarius est numerus primus, & incompositus dupliciter. Tum quantum ad ductum numerorum, nullus enim numerus ductus in alium, vel seipsum, facit numerum ternarium. Tum quia non fit ex aggregatione numerorum: nulli enim duo numeri simul congregati faciunt ternarium: septenarius autem fit primus, & incompositus, quantum ad ductum numerorum: quia scilicet nullus numerus ductus in se, vel in alium numerum, facit septem: non tamen est incompositus quantum ad aggregationem numerorum: nam quatuor & tria simul congregata faciunt numerum septenarium: quia scilicet numeri pares additi ordinatè vnitati, variant semper speciem in infinitum; ideò Pythagoras numerum parem attribuebat infinito: sed quia numeri impares ordinatè sumpti, modo præexposito, semper seruant vniformitatem specierum; ideò numerum parem attribuebat finito.

Ternarius est alterius speciei à septenario, vt est primus, & incompositus.

Quare passiones numerorũ posuit Pythagoras esse aliarum rerũ.

Notandum etiam, quòd passiones, & habitus numerorum ponebat Pythagoras esse passiones, & habitus rerum illo modo: dicebat enim quòd passio alicuius numeri, secundùm quam dicitur numerus esse par, erat iustitia in rebus, propter æqualitatem diuisionis: quia tales numeri æqualiter diuiduntur vsque ad vnitatem numerorum: vt octonarius diuiditur in duos quaternarios; quaternarius verò in duos binarios; binarius autem in duas vnitates: similiter verò accidentia alia assimilabat accidentibus numerorum. Deinde cùm dicit:

54


Eorumdem autem alij decem dicunt esse principia secundùm correlationem dicta: finitum, & infinitum: par, & impar: vnum, plurale; dextrum, sinistrum: masculinum, fœmininum: quiescens, motum: rectum, curuum: lucem, tenebras: bonum, malum: longius altera parte, & quadrangulare.

Ponit secundum modum, quo quidam Pythagorici numeros esse rerum principia crediderunt. Dicit ergo quòd *eorumdem*, scilicet Pythagoricorum, *quidam dicunt esse decem principia dicta, secundùm* quandam *coelementationem, aut correlationem.* Isti enim non tantùm posuerunt vnam contrarietatem in principiis, vt prædicti; sed etiam posuerunt decem principia secundùm correlationem, idest, accipiendo vnumquodque illorum cum suo correlario, vel coelementario contrario: & sic sunt viginti, scilicet decem ex vna parte, & decem ex alia parte opposita; quæ enumerat,

Ponentes decem principia rerum secundum correlationem.

enumerat, finitum, & infinitum; par & impar: vnum, & plurale: dextrum, & sinistrum: masculinum, & fœmininum: quiescens, & motum: rectum, & curuum: lucem, & tenebras: bonum, & malum: quadrangulare & altera parte longius.

Notandum, quòd huius positionis potuit esse ratio, quòd isti non solùm accipiebant prima principia; sed etiam proxima generum singulorum: ponebant ergo primò finitum, & infinitum, sicut prædicti. Secundò par, & impar; sicut prima rerum principia: & quia ex pari, & impari causabantur numeri, ponebant tertiò differentiam numerorum, scilicet vnum, & plura; quæ duo ex pari, & impari causabantur. Et quia ex numero constituebantur magnitudines, secundùm quod numerus positionem habet: nam, secundùm eos, punctus nihil aliud est, quàm vnitas posita, & linea dualitas posita: idcirco quarto loco ponebant positionem habentia dextrum, & sinistrum: quorum vnum, scilicet dextrum, perfectionem dicit, aliud verò, scilicet sinistrum imperfectionem. Et quia naturalia addunt super mathematica virtutem actiuam, & passiuam; idcirco quinto loco ponebant masculinum, & fœmininum, quorum vnum pertinet ad virtutem actiuam, quod perfectionem dicit; alterum autem ad passiuam, & imperfectionem dicit, sicut de se patet. Et quia ex virtute actiua, & passiua, sequitur motus, & quies in rebus; idcirco sexto loco ponebant principia motum, & quietem: quorum vnum, scilicet motus, deformitatem & imperfectionem dicit: alterum verò, scilicet quies vniformitatem, & perfectionē dicit. Nam secundum Aristotelem 6. Phsy. tex. c. 31. & alibi, sicut moueri est aliter nūc se habere, quàm priùs, ita quiescere est non aliter se habere nunc quàm priùs. Et quia primæ differentiæ motus sunt *rectum*, & *circulare*; ideò septimo loco posuerunt principia *rectum*, & *curuum*, quorum vnum, scilicet *rectum* pertinet ad numerum parem; vnde lineam rectam dualitatem asserebant; alterum verò, scilicet *curuum*, siue circulare, ratione vniformitatis (quia scilicet circulus ex vna linea constat) pertinet ad numerum imparem, qui ratione vnitatis indiuisionem, & vnitatem quandam habet. Vlteriùs quia non solùm ponebant principia rerum quantum ad motus, & actiones naturales, sed etiam quantum ad actiones animales; idcirco quidem quantum ad cognitionem, ponebant octauo loco principia, scilicet, lucem, & tenebras: nam lux videtur principium cognitionis; tenebræ verò ad ignorantiam pertinent. Sed quantum ad appetitum ponebant nono loco principia bonum, & malum: bonum enim videtur in quod tendit appetitus, malum à quo resilit, & recedit. Vlteriùs quia diuersitas perfectionis, & imperfectionis non solùm inuenitur in naturalibus, & voluntariis virtutibus, & motibus; sed etiam in magnitudine, & figuris: idicirco quantum ad hoc ponebāt decimo loco quadrangulare, id est quadratum, & altera parte longius.



Quadratum quid?

Dicitur autem quadratum, figura ex quatuor lateribus æqualibus, cuius anguli sunt quatuor recti.

Figura autem altera parte longior dicitur; cuius omnes anguli sunt recti, & altera vicissim sibi opposita sunt æqualia: non tamen omnia latera sunt æqualia omnibus.



Ex omnibus præcedentibus patet, quòd vna coordinatio principiorum habet rationem priuationis, & imperfecti, illa scilicet quæ se tenet ex parte infiniti & paris; alia enim coordinatio habet rationem perfecti, & habitus respectu alterius: illa scilicet, quæ se tenet ex parte finiti, & imparis, sicut patet intuenti, & ista sufficiant dicta de hac opinione, ad habendum aliqualiter sensum litteræ præsentis. Deinde cùm dicit:

Quemadmodum Alcmæon Crotoniates suscipere, aut hic ab illis, aut illi ab hoc hunc sermonem acceperunt: etenim fuit ætate Alcmæon, sene existente Pythagora: his verò consimiliter enumerauit; nam ait esse duo, multas humanorum dicens contrarietates, non sicut hi determinatas, sed quascumque, vt album, nigrum; dulce, amarum; bonum, malum; magnum, paruum. Hic quidem indeterminatè proiecit de cæteris. Pythagorici verò, & quot & quæ contrarietates enunciarunt,

Ponit tertium modum quo aliqui Pythagorici rerum principia numeros posuerunt, dicens, quòd *Alcmæon Crotoniates*, à ciuitate, vnde fuit oriundus, sic dictus, *videtur suscipere*, id est, idem opinari, quod prædicti Pythagorici, qui principia rerum posuerunt esse contraria, *vnde, aut hic habuit ab illis*; *aut illi ab hoc*, scilicet Alcmæone *hunc receperunt sermonem*, id est, opinionem. Vtrumque autem esse potuit: nam ille Alcmæon fuit tempore Pythagoricorum, quod ostendit cùm subdit, *etenim* pro quia, *Alcmæon fuit philosophatus Pythagora iam existente sene*, vnde valde *similiter enunciauit his* Pythagoricis dictis: nam sicut illi posuerunt principia esse contraria, sic ille *ait duo esse*, quæ multa sunt *humanorum*, id rerum sensibilium *contrarietates*, id est, quòd multitudo rerum sensibilium est in quadam dualitate constituta: Intelligens per dualitatem opposita contraria. Sed ab eis differebat, quia illi principia contraria ponebant in numero determinato, idem autem Alcmæon posuit principia quæcumque contraria indifferenter; & hoc est quod dicit, quòd iste supple Alcmæon fuit, dicens, *non sicut hi determinatas* principiorum contrarietates, *sed quascumque* contingentes, *vt album, nigrum; dulce, amarum; bonum, malum; magnum, paruum. Hic quidem* Alcmæon *indeterminatè proiecit de cæteris*, scilicet contrarietatibus principiorum, *Pythagorici verò quot, & quæ contrarietates enumerauerunt.* Deinde cùm dicit:

In quibus cōueniebat & differebat positio Alcmæonis à Pythagoricis?

Ab his ergo ambobus tantùm est accipere, quia contraria sunt existentium principia: quot verò ab aliis, & quæ hæc sint: qualiter tamen ad dictas causas conuenit adducere, planè quidem non est dearticulatum ab illis. Videntur autem in materiæ specie elementa ordinare, ex his enim, vt ex his, quæ insunt, constitui, & plasmari dicunt substantiā. Antiquorum quidā

igitur elementa natura plura dicentium, ex his sufficiens est intellectui speculari.

Ostendit qualiter ista principia posita à Pythagoricis, ad dictas causas quatuor reducuntur. Dicit ergo, quòd *ex ambobus*, scilicet Alcmæone, & Pythagoricis, *vnum est accipiendum, quòd principia existentium*, id est, entium *contraria sunt*, quod non ab aliis dictum est: *quot verò, & quæ*, scilicet sunt hæc, quomodo etiam principia contraria ab eis posita, *ad dictas causas contingit adducere*, id est, reducere, *planè quidem non est dearticulatum*, id est, distinctè expressum *ab eis*: nunc autem *videntur ordinare elementa*, id est, principia, vel vt in *specie materiæ*, id est, in genere causæ materialis. Quod probat, quia ipsi dicunt *substantiam rei plasmari, & constitui ex his*, scilicet principiis, quæ ipsi ponunt, vt ex eis, quæ insunt: ista autem videtur esse conditio materiæ, nam materia est ex qua fit ens cùm insit.

Ad causam materialem reducuntur principia rerum contraria à prædictis assignata.

Notandum quòd hoc, quod ait Philosophus, 1. Physic. text. c. 82. & 5. Metaph. tex. c. 4. quòd principia contraria sunt posita à Pythagoricis, & non ab aliis, intelligendum est quantum ad causam materialem: nam causam efficientem posuit Empedocles contraria, puta amorem & odium. Antiqui etiam Philosophi contraria posuerunt principia, vt rarum & densum, verumtamen ista contrarietas erat ex parte formæ: isti autem Pythagorici contrarietatem posuerunt ex parte materiæ, & non illi sicut patet ex prædictis. Vltimò epilogat dicens quòd *antiquorum dicentium elementa*, id est, principia rerum, *ex his sufficit sententiam*, id est, opinionem eorum *speculari*.

In quibus Pythagorici, & antiqui alij differunt de contrarietate principiorum.

SVMMÆ SECVNDÆ CAP. III.

Opiniones distinctionem à rebus auferentium, & recitatarum opinionum epilogatio.

SVMMARIVM.

Opinio quorundam Philosophorum, quòd vniuersum est vna natura existens, & ponitur varietas huius sententiæ iuxta Parmenidem, Melissum, & Xenophanem, & præfertur Parmenides, eiusque sententia magis exponitur, & hoc est quod continetur in prima parte huius capitis vsque ibi. *Ex dictis*, &c.

Sunt autem aliqui qui de vniuerso, quasi vna existente natura, enunciauerunt: modo verò non eodem omnes, neque ipsius benè, neque secundùm naturam.

Postquam Philosophus posuit opinionem de principiis distinctionem rerum, & motum ab entibus non negantium, & ideò loquentium magis naturaliter: nunc ponit opinionem de principiis distinctionem rerum, & motum penitus auferentium, & loquentium minùs naturaliter. Circa quod tria facit. Primò, præmittit eorum opinionem in communi. Secundò, ostendit qualiter consideratio huius opinionis ad præsentem scientiam spectet & qualiter non. Tertiò, comparat ad inuicem ipsos opinantes. Secunda ibi: *Igitur ad præsentem.* Tertia ibi: *Igitur hi.* Dicit ergo, quòd *sunt aliqui* à prædictis, *qui enunciauerunt de omni*, id est, toto vniuerso, *quasi de natura vna*: posuerunt enim totum vniuersum esse vnum ens, *autem*, pro sed: *sed non eodem modo omnes*, vt inferiùs patebit: in ipso autem modo, quo diuersificati sunt, nec *quidem benè*, nec *secundùm naturam*, supple sunt locuti. Ratio huius est, quia isti motum à rebus auferebant: quare non naturaliter loquebantur, cùm naturalis motum præsupponat. Iterùm nullus eorum benè quidem dixit; quia positionem impossibilem posuerunt rationibus Sophisticis confirmatam, vt infrà patebit. Deinde cùm dicit:

Opin. auferentium distinctionem, & motũ de principiis rerũ & primò in communi.

Ad præsentem quidem igitur causarum perscrutationem, nullatenus congruit de ipsis sermo: non enim vt Philosophorum quidam, qui vnum posuerunt ipsum esse ens; tamen generant ex materia quasi ex vno, sed alio dicunt hi modo. Illi namque motum apponunt, ipsum esse generantes: hi verò immobile dicunt esse.

Ostendit qualiter pertractare, vel considerare istam opinionem spectet ad præsentem scientiam, & qualiter non. Circa quod tria facit. Primò, ostendit quòd non spectet si consideretur positionis conclusio. Secundò, quòd spectet si consideretur positionis ratio. Tertiò, incidenter tangit opinionem Xenophanis, qui ad opinionem Parmenidis, & Melissi accedebat. Secunda ibi. *Attamen quidem.* Tertia ibi: *Xenophanes verò.* Dicit ergo, quòd *ad præsentem perscrutationem* causarum *nullatenus de his sermo congruit*, quia scilicet isti causas à rebus auferebant, *nec enim* supple istorum sermo est, *vt Philosophorum* antiquorum, *qui ipsum ens posuerunt vnum, illi enim generant ens ex illo vno*, scilicet materia. *Sed hi alio modo dicũt*. nec possunt generationem, nec qualitatem rerum seruare: cuius causam subdit, *illi namque*, scilicet antiqui *ei quod dicunt*, id est, illi vni quod ponunt, *motum apponunt*: non enim auferebant motum à rebus, *ipsum omne*, id est, vniuersum *generantes: sed hi* illud vnum ens, quod ponunt, *immobile dicunt esse*.

Notandum quòd isti Philosophi posuerunt tantùm vnum ens, & quia vnum non potest esse causa sui ipsius: idcircò non potuerunt causas ponere in rebus: nam positio causarum diuersitatem arguit in rebus, quod antiquis Philosophis non accidebat, licèt ponerent vnum esse ens, ex quo vt ex materia alia generabant. Ratio huius diuersitatis est, quia antiqui Naturales motum in rebus concedentes, illud vnum principium materiale mobile esse dicebant, & idcircò per aliquem modum, puta per rarefactionem, & condensationem ex illo vno diuersa entia generabant; ita tamen quòd diuersitatem non ponebant esse secundùm substantiam; sed secundùm accidens, vt superiùs fuit dictum. Sed isti illud vnum, quod ponebant, dicebant esse penitus immobile, & idcircò ex illo vno negabãt diuersa generari, quia nec secundùm substantiam, nec secundùm accidens pluralitatem in rebus poterant saluare, nec per consequens causam & causatum; vnde cùm ad præsentem perscrutationem pertineat quærere de causis, patet istam positionem esse relinquendam, si positionis conclusio pensetur. Deinde cùm dicit;

Attamen tantùm conueniens est præsenti speculationi. Parmenides quidem enim videtur

tur vnum secundùm rationem tangere : Melissus verò ipsum secundùm materiam. Quare & hic quidem finitum, ille verò infinitum id ait esse.

Ostendit quòd ista positio ad præsentem perscrutationem pertineat, si consideretur positionis ratio. Dicit ergo, quòd licèt isti prædicti diuersitatem, & per consequens causalitatem tollerent à rebus : *attamen tantùm est conueniens*, id est, propriũ *presenti speculationi*, pertractare istã positionem intantum, scilicet dicere quantum ad positionis rationem. Vnde *Parmenides videtur tangere vnum esse*. scilicet ens: *secundùm rationem* id est, ex parte formæ : *Melissus verò ipsum*, scilicet ens *secundùm materiam*, id est, considerabat ex parte materiæ, & quia finitum pertinet ad formam : infinitum verò ad materiam ; *ideò Melissus dixit esse vnum ens infinitum : Parmenides verò vnum ens finitum.* Patet igitur quòd inquantum considerabant ens ratione formæ, & materiæ, ad præsentem considerationem, quæ inquirit de causis, pertinet tractare de eorum opinione, cum materia, & forma sint de numero causarum.

Rationes pro opinione antiquorum.

Notandum quòd, vt innuitur 1. Physic. text. com. 10. & 25. & habetur infrà parum pòst. Parmenides ad suam opinionem vtebatur tali ratione : Quicquid est præter ens, est non ens ; & quicquid est non ens, est nihil ; ergo quicquid est præter ens, est nihil : sed ens est vnum ; ergo quicquid est præter vnum, est nihil, & per consequens omnia sunt vnum. In quo patet, quòd ipse considerabat ipsam formalem rationem essendi, quæ videtur sibi esse vna, & ideò tetigit ens ex parte formæ. Melissus autem considerabat ens ex parte materiæ ; arguebat enim sic, vt habetur 1. Physicorum, text. com. 10. & 23. Quod est factum, vel generatum, habet principium ; ergo quod non est generatum, non habet principium : sed ens non est generatum ; ergo non habet principium ; quod autem non habet principium, non habet finem : quod autem non habet principium, nec finem, est infinitum : quod autem est infinitum, est immobile; quia infinitum numquam mouetur extra se, quia totum occupat ; ergo ens est vnum infinitum, & immobile. Quòd autem ens non generetur, probat sic : quia si generatur, aut generatur ex ente, aut ex non ente : non potest dici, quòd ex non ente, quia ex nihilo nihil fit : nec ex ente, quia aliquid esset antequam fieret; ergo ens nullo modo generatur. In quo patet, quòd tetigit ens ex parte materiæ : nam probat vnitatem entis ex eo, quòd non generatur ex aliquo priori, quod propriè pertinet ad materiam, quæ est ingenerabilis, & incorruptibilis, quia finitum pertinet ad formam : infinitum verò pertinet ad materiam. Melissus, qui considerauit ens ratione materiæ, posuit esse vnum ens infinitum ; sed Parmenides, qui considerauit ens ex parte formæ, posuit esse vnum ens finitum, sicut dictum est in sententiando. Quomodo autem rationes istorum peccent, nec concludant, non est præsentis speculationis, sed magis spectat ad librum Physicorum. Deinde cùm dicit :

Xenophanes verò primus horum vnum dixit. Parmenides enim, qui huius dicitur discipulus, nihil explanauit : neque de natura horum neutra visus est tangere, sed ad totum cælum respiciens, ipsum vnum dicit esse Deum.

Opin. Xenophanis.

Incidentaliter tangit opinionem Xenophanis, qui ad opinionem Parmenidis, & Melissi accedebat. Dicit ergo : *Xenophanes verò primus horum vnum dicens*, id est, qui fuit primus inter dicentes omnia esse vnum : *huius dicitur fuisse discipulus Parmenides*: iste, inquam, *nihil explanauit*, scilicet quã ratione diceret omnia esse vnũ: *neque de natura horum neutra visus est tangere*, id est, quòd neque sumens rationem ex parte materiæ, neque ex parte formæ, sic de neutra natura; id est, neque de materia, neque de forma attingit quantũ, scilicet ad rationabilitatem dicẽdi ; vnde sequitur, quòd *iste respiciens ad totum cælum dixit ipsum esse vnum Deum*, supple sine aliqua ratione.

Ponentes mundum esse vnum Deum.

Notandum, quòd ipsi antiqui opinati sunt ipsum mundum esse vnum Deum; vnde Xenophanes videns omnes partes mundi esse similes in hoc, quia corporeæ, iudicauit de eis quasi omnia essent vnum compositum. Ex quo patet, quòd prædicti Philosophi posuerunt vnitatem omnis entis considerantes, & attendentes ad materiam, vel ad formam : iste verò aspiciens ad totum compositum. Deinde cùm dicit :

58

Hi quidem, sicut diximus, prætermittendi sunt ad præsentem inquisitionem. Duo quidem & penitus tamquam existentes parum agrestiores, Xenophanes & Melissus. Parmenides autem magis videns visus est dicere : nam præter ens nihil dignatur esse : ex necessitate ens opinatur esse vnum, & aliud nihil. De quo manifestiùs in Physicis diximus.

Comparat adinuicem opinantes ipsos. Circa quod tria facit. Primò, facit, quod dictum est, præferens ipsum Parmenidem Xenophani & Melisso. Secundò, exponit magis opinionem Parmenidis. Tertiò, corollariè recolligit, quæ dicta sunt de opinionibus antiquorum. Secunda ibi : *Coactus verò.* Tertia ibi : *Igitur ex dictis.* Dicit ergo, quòd sicut diximus, *hi*, scilicet qui motum, & diuersitatem, & per consequens causalitatem ab entibus auferebant, *prætermittendi sunt ad præsentem inquisitionem* : si supple consideretur positionis conclusio, vt iam dictum fuit : sed *duo quidem, scilicet Xenophanes, & Melissus omnino*, scilicet sunt prætermittendi, *quasi parum*, id est, aliquantulum, *agrestiores*, id est, rudiores & minùs subtiliter procedentes. *Sed Parmenides visus est dicere magis videns*, id est, magis intelligens, *nam* ipse supple vtitur tali ratione: Quod est *præter ens*, est non ens, & quod non est ens, *nihil dignatur esse*, id est, est dignum iudicari esse nihil : vnde ex hoc *opinatur ex necessitate ens vnum esse, & aliud nihil*, id est, quòd quicquid est præter ens & vnum, est nihil : *de quo manifestiùs diximus in Physicis*, scilicet in 1. lib. Physic. text. com. 10. & 25. & hoc dicit ad excusandum se de prolixitate tractatus huius opinionis. Deinde cùm dicit :

Præfert Parmenidem aliis duobus

Coactus verò apparentia sequi, & vnum quidem

quidem secundùm rationem: plura verò secundùm sensum opinans esse duas causas, & duo principia rursus ponit, calidum, & frigidum: vt ignem & terram dicens: horum autem quoniam secundùm ens calidum ordinat; alterum verò secundùm non ens.

Exponit magis opinionem Parmenidis; dicit, quòd licet supple cogatur Parmenides dicta ratione ad opinandum omnia esse vnum; *Coactus tamen sequi apparentia*, quia scilicet ad sensum apparet entium multitudo, volens saluare vtrumque, scilicet rationem, & sensus apparentiam: *dixit vnum quidem esse secundùm rationem, plura autem secundùm sensum*: inquantum ergo ponebat pluralitatem entium secundùm sensum, potuit saluare causalitatem in rebus. Vnde subdit quòd *ipse*, scilicet Parmenides, *ponit rursus duas causas, & duo principia: calidum & frigidum, vt ignem & terram, dicens.* id est, quòd alterum eorum attribuebat igni, scilicet calidum, quod videbatur pertinere ad causam efficientem: alterum verò, scilicet frigidum, attribuebat terræ, quod videbatur ad causam materialem pertinere. Addit autem quòd *horum quod quid est, calidum secundùm ens ordinatur, alterum autem*, scilicet frigidum, *secundùm non ens.*

Parmenidis opinio reliquis rationabilius sentientis.

Notandum quòd iste Parmenides, ne videretur contradicere suæ rationi, qua concluditur, quicquid est præter vnum, est nihil; dicebat, quòd vnum istorum duorum, scilicet calidum erat ens: alterum verò, quod est præter illud vnum, quod est ens, scilicet frigidum, dicebat esse non ens secundùm rationem & secundùm rem, licèt esset ens secundùm sensus apparentiam. Sciendum autem, quòd quantum ad hoc ad veritatem aliqualiter accessit: nam principium materiale, quod ponebat esse terram, vel frigidum, non est ens in actu, sed in potentia; iterùm, priuatio habet rationem non entis ex 1. Physic. text. com. 75. terra autem, quam ponebat materiam, & frigidum, quod habet rationem priuationis respectu alterius contrarij, sunt aliqualiter non ens, vt iste asserebat.

SVMMARIVM.

Epilogus prædictarum opinionum, & fusior explicatio opinionis Pythagoricorum, seu Italicorum.

Text. co. 1. 59.

Ex dictis quidem igitur de rationi consentientibus iam sapientibus hoc accepimus: à primis quidem principium esse corporeum: aqua nãque, & ignis, & similia, corpora sunt, & ab his quidem vnum: ab illis verò plura principia corporea; vtrisque tamen hæc nihil in materiæ specie ponentibus, & cum hac illam vnde motus, & hanc ab his quidem vnam, ab illis verò duas.

Text. co. 2.

Igitur vsque ad Italicos, & absque illis mediocriùs dixerunt alij de ipsis. Attamen, vt diximus, duabus sunt causis vsi; & harum alteram, hi quidem vnam, illi verò duas, faciunt illam vnde motus.

Recolligit corollariè, quæ dicta sunt de opinione antiquorum. Et primò quæ dicta sunt de opinionibus primorum Philosophorum. Secundò, quæ dicta sunt de opinione Pythagoricorum. Secunda ibi: *Pythagorici verò.* Dicit ergo concludendo quòd *ex dictis Philosophis*, scilicet *consentientibus*, idem, scilicet causam materialem esse rerum totam substantiam, & *iam ratione sapientibus*, id est, qui iam per rationem incipiebant scire & sapere *causas rerum ea accepimus*, scilicet ea quæ dicta sunt, *à primis* Philosophis supple accepimus esse primum *principium corporeum*; quod probat, *namque* pro quia *aqua & ignis, & similia, corpora sunt*, quæ, scilicet illi ponebant esse rerum principia, sed differenter: quia *ab his quidem vnum, ab illis verò plura principia corporea*, scilicet ponuntur esse: patet enim ex præcedentibus, quòd Thales, Anaxagoras, & Diogenes tantùm vnum principium ponebant. Empedocles autem & Democritus plura ponebant, vtrique tamen in hoc conueniebant: quia principium siue vnum siue plura: ea in materiæ specie ponebant, id est, in genere causæ materialis: à quibusdam verò ponentibus talem causam, scilicet materialem cum ea, scilicet materia, illam secundùm principium motus, id est, causam efficientem etiam ponebant; sed differenter; quia *ab his quidem* eam, scilicet causam efficientem *esse vnam, ab illis verò duas*, supple esse positas, patet ex prædictis. Anaxagoras quidem posuit illam causam esse vnam, scilicet intellectum, & Parmenides amorem. Empedocles verò posuit duo, scilicet amorem & odium. *Igitur* prædicti Philosophi, qui scilicet fuerunt *vsque ad Italicos*, id est, Pythagoricos *absque illis*, & non communicãtes cum illis Pythagoricis in suis opinionibus *mediocriùs de his dexerunt*, scilicet principijs, qui supple non assignabant ad quod genus causæ huiusmodi principia reducantur, *& tamen, vt diximus, duabus vsi sunt causis*, scilicet efficiente & & materiali, *& harum alteram*, scilicet efficientem *ipsam, scilicet vnde motus* principium, *hi quidem vnam: illi verò duas faciunt*, sicut patet ex prædictis. Deinde cùm dicit;

Recolligit dicta de opinione antiquorũ

Qui ponebãt vnum principium corporeum, & qui plura.

Text. co. 3.

Pythagorici verò duo quidem principia faciunt secundùm eundem modum; tantùm autem addiderunt quod & proprium eorum est: quia finitum, & infinitum, & vnum, non aliquas alias putauerunt esse naturas, vt ignem, aut terram, aut aliud aliquid tale; sed infinitum ipsum, & vnum, horum esse substantiam, de quibus prædicantur: quapropter & numerum esse substantiam omnium.

Text. co. 4.

De his igitur secundùm hunc enunciauerunt modum, & de eo quidem quod quid est *dicere & definire cœperunt: valde autem simpliciter tractauerunt, superficialiter nanque definierunt: & cui primò inerat terminus dictus, hoc esse substantiam rei putauerunt; vt si quis existimet ratione idem esse duplum & dualitatem, eo quod inest primò duobus duplum; sed fortasse duplo & dualitati non idem esse: si autem non, multa ipsum vnum erit, quod & illis accidit. De prioribus quidem igitur & aliis, tot est accipere.*

60.

Recolligit quæ dicta sunt de opinione Pythagoricorum, & quantum ad illud habebant commune

In quibus conueniebant & differebāt Pythagorici ab aliis?

mune cum prædictis, & quantum ad illud quod erat eis proprium, & in quo differebant à prædictis. Dicit ergo quòd *Pythagorici*, qui scilicet *ponebant duo principia, dixerunt secundùm eundem modum*, quo scilicet Empedocles, & alij antiqui, & in hoc conueniebant cum antiquis: verumtamen habebant duo propria in quibus differebant à prædictis; vnde subdit, quòd *tantùm autem addiderunt*, scilicet Pythagorici, *quod est proprium eorum, quia finitum, & infinitum, & vnum, non putauerunt esse aliquas alias naturas*, quasi essent accidentia aliis naturis, quæ possunt dici infinitæ; *vt ignem, aut terram, aut aliquod tale aliud; sed infinitum ipsum, & ipsum vnum dixerunt esse substantiam horum, de quibus prædicantur: quapropter*, supple ex hoc concludebant, *numerum*, scilicet qui ex vnitatibus constituitur, *esse omnium substantiam*, & hoc est vnum primum, in quo Pythagorici ab aliis Naturalibus differebant: nam alij Naturales sunt aliter locuti, vt patet ex 3. Physicorum, capit. de Infinito, quia licèt ponerent vnum, & infinitum; tamen attribuebant illa alicui alteri naturæ, sicut accidentia subiecto, puta igni, vel aquæ, vel alicui alteri; sed Pythagorici ipsum infinitum, & ipsum vnum non dicebant esse accidentia alicui alteri naturæ; sed magis esse naturas ipsas, & substantias rerum.

Text.co.15. & 17.

Secundum est, in quo Pythagorici differebant à prædictis, quia ipsi inceperunt dicere, & definire quiditates rerum, licèt imperfectè; vnde dicit quòd *de his igitur*, quæ sunt dicta, *enunciauerunt secundùm hunc modum*: iterum, *& de ipso*, quod quid est, *cœperunt dicere, & definire, & valde simpliciter tractauerunt, & superficialiter autem definierunt*, scilicet quiditates rerum: nam definientes non attendebant in definitionibus assignandis nisi vnum tantùm: dicebant enim quòd si aliquis terminus dictus, id est, definitio inesset alicui primò, quòd hoc esset substantia illius rei, & hoc est quod subdit. *Cui primùm inest dictus terminus, hoc esse substantiam rei putauerunt, vt si quis existimet idem esse duplum* id est, duplam proportionem, & dualitatem, eo quòd duplum, id est, dupla proportio, primùm inest duobus, id est, numero binario, primùm inuenitur vnum, quia ens primò inuenitur in vno, quàm in multis; eo quòd multa ex vno constituuntur; ideò dicebant quòd ens est ipsa substantia vnius: hanc autem determinationem, & modum definiendi improbat, cùm subdit: *Sed fortasse duplo, & dualitati non est idem esse*, licèt supple dualitas sit dupla: ita quòd sint idem secundùm rationem, sicut definitio, & definitum; quod probat, cum subdit, *si autem non*, supple est sicut nos dicimus, sequitur quòd *multa vnum essent: quod, & illis conuenit*, id est, oportet dicere, quòd supple apparet esse falsum. Ratio huius consequentiæ est, quia contingit aliqua multa primò inesse alicui vni. Exemplum, dualitari primò inest paritas, & proportio dupla; sequeretur igitur quòd par, & duplum, sint idem in se, cum sint idem ipsi dualitati: sequeretur etiam, quòd quodcumque esset duplum, illud esset idem dualitati, ex quo duplum ponitur substantia dualitatis: & sic cùm multa alia sint dupla, multa dupla essent vnum, quod est dualitas. Vltimò cōcludit quòd *de prioribus*, scilicet Philosophis, qui posuerunt, scilicet tantùm vnum principium materiale, *& aliis posterioribus*, qui posuerunt plura, *tot est accipere*, vt dictum est.

Notandum, quòd Pythagorici, qui posuerunt duo principia, dixerunt secundùm eundem modum cum antiquis, pro quanto illi, sicut antiqui, posuerunt aliqui eorum duo principia contraria, quorum vnum erat principium bonorum, & aliud malorum, vt patet de Empedocle, & aliis quibusdam: ita Pythagorici: sicut patet ex coordinatione principiorum contrariorum, quam ponebant modo præexposito. Veruntamen non eodem modo, quia Empedocles illa principia contraria posuit ex parte causæ mouentis, siue efficientis: Pythagorici verò ex parte materialis, vt superiùs fuit dictum.

SVMMÆ SECVNDÆ
CAPVT IV.

Recitantur opiniones ponentium principia ab entibus separata; & ostenditur qualiter antiqui Philosophi aliqualiter quatuor genera causarum tetigerunt.

SVMMARIVM.

Sententia Platonis, qui post prædictos Philosophos floruit, de rerum principiis, ac de ideis; quam explicat Doctor, & de sententia Cratyli, & Heracliti: & hoc est quod tractatur in prima parte huius capitis, vsque ad §. *Vtrùm vnum*, &c.

Text.co.5.

Post dictas verò philosophias Platonis superuenit negocium, in multis quidem hos sequens: aliam verò præter Italicorum philosophiam habens: nam ex nouo consentiens Cratyli, & Heracliti opinionibus, sensibilibus omnibus semper defluentibus, & scientia de eis non existente, hoc quidem & posterius ita suscepit. Socrate verò circa moralia negociante, & de tota natura nihil: in his tamen vniuersale quærente, & de definitionibus primò intellectum firmante illum suscipiēs propter tale putauit, quasi de aliis hoc factum, & non de sensibilium aliquo: impossibile namque est communem rationem esse alicui sensibilium semper transmutantium. Sic itaque talia quidem entium ideas & species appellauit: sensibilia verò propter hæc, & secundùm hoc dici omnia: nam secundùm participationem esse multa vniuocorum speciebus, participatione verò secundùm nomen transmutatum. Pythagorici quidem enim existentia dicunt esse numerorum immutationem. Plato verò participatione nomen transmutans. Participationem tamen aut immutationem, quæ sit vtique specierum, dimiserunt in communi quærere.

61

Text.co.6.

Postquam Philosophus narrauit opinionem ponentium rerum principia rebus inexistentia non separata; nunc narrat opinionem ponentium principia ab entibus separata, qualis fuit Plat. Circa quod duo facit. Primò ponit opinionē eius

eius quantum ad hoc, quod opinatus est de rerum substantiis. Secundò quantum ad hoc, quod opinatus est de rerum principiis. Secunda ibi: *Quoniam autem species.* Prima in duas; quia primò ponit opinionem eius quantum ad ea quæ opinatus est de ideis. Secundò quantum ad ea quæ opinatus est de Mathematicis. Secunda ibi: *Amplius autem sensibilia.*

Philosophorũ duo genera.

Ad euidentiam primæ partis, notandum, quòd duo fuerunt antiquitus philosophorum genera: quidam in Græcia, dicti Naturales: quidam in Italia, dicti Pythagorici. Plato autem fuit secutus multum Philosophos naturales, qui in Græcia erant, puta Empedoclem, Anaxagoram, & alios huiusmodi. Postea autem peruenit ad Philosophiam Pythagoricorum, nam ipse, quia erat studiosus ad inquisitionem veritatis, vbique terrarum Philosophos perquisiuit, vt eorum dogmata sciret; sicut recitat Hieronymus in epistola ad Paulinum; vnde in Italiam, videlicet Tarentum dicitur peruenisse, vbi ab Archita Tarentino discipulo Pythagoræ, de opinione Pythagoricorum est instructus; & hoc est quod dicit, quòd *post omnes dictas Philosophias* Philosophorum, scilicet antiquorum, *Platonis superuenit negotium,* qui scilicet immediatè Aristotelem præcessit; vnde eius discipulus legitur fuisse; Plato *quidem in multis hos*, scilicet antiquos Philosophos iam dictos *sequens, alia propria fuit habens preter philosophiam Italicorum,* id est, Pythagoricorum, in quorum opinione, vt iam est dictum, postmodum est instructus: *nam,* supple cum naturales Philosophos, qui fuerant in Græcia, vellet sequi; secutus est & *conueniens,* id est, consentiens, *opinionem Cratyli & Heracliti ex nouo,* id est, tanquam ex nouis; qui scilicet posuerunt omnia sensibilia esse in fluxu, vt de his non possemus scientiam habere; vnde subdit, scilicet quasi secundùm illorum opinionem sensualibus, id est, *sensibilibus omnibus semper defluentibus, & scientia de eis non existente, ea quidem ipse,* supple Plato, *posterius ita suscepit, conueniens,* scilicet cum eis particularium & sensibilium scientiam esse non posse. Socrates, qui fuit magister Platonis, & discipulus Cratyli, qui fuit auditor Anaxagoræ, vt dicitur, propter hanc opinionem, quæ suo tempore pullulauit; scilicet de sensibilibus scientiam esse non posse, de naturis rerum, noluit aliquid perscrutari; sed dimissis naturalibus, ad moralia se transtulit inquirenda, & hoc est quod dicit: *Socrate verò circa moralia negociante, & de tota natura nihil in his quidem,* scilicet moralibus *vniuersale*, id est, vniuersalem naturam *quærente, & definitionibus primò intellectum firmante, illum,* scilicet Socratem, *recipiens* supple Plato, vt pote eius discipulus, nam *propter hoc suscepit, hoc quasi de aliis hoc eueniens:* quòd scilicet posset in eis vniuersale aliquod inuenire, *& non in aliquo sensualium,* id est, sensibilium: & vult dicere, quòd licèt in aliis generibus esset benè possibile naturam vniuersalis accipi, de qua possit scientia haberi, & definitio assignari: hoc tamen erat impossibile in sensibilibus, & naturalibus inueniri, cùm ista sint continuè transmutata. Et hoc est quod subdit: *impossibile namque est communem rationem,* definitionem, *esse alicuius sensibilium semper transmutantium*, id est, cùm sensibilia semper & continuè transmutentur. Ratio huius est, secundùm eos, quia oportet definitionem esse communem, id

Plato studiosus in inquisitione veritatis.

Opinio Platonis de ideis.

Explicatur qualiter posuit ideas?

est, quòd conueniat omni, & semper: quare definitio aliquam immobilitatem requirit, & ideo huiusmodi entia vniuersalia, quæ sunt à rebus sensibilibus separata, de quibus definitiones assignantur, *ideas & species existentium,* id est, entium, *appellauit: sensibilia verò omnia dicebat esse propter ea, & secundùm ea*, quæ scilicet sunt entia separata; putà species & ideæ; quod probat cum subdit: *nam speciebus attribuebat multa vniuocorum secundùm participationem*, id est, multa indiuidua naturam communem specierum, vel idearum simpliciter participantium, vt Plato dicebat: quia ipsa species, vel ipsa idea, est ipsa natura speciei, quæ est homo existens per essentiam: indiuiduum autem est homo per participationem, in quantum, scilicet participat specificam naturam. Nam indiuiduum, aliquid addit super naturam speciei; putà proprietatem, siue differentiam indiuidualé, quæ est indiuiduationis præcisa causa, & vocatur hæcceitas. Ipsa autem species, putà homo, vel asinus, nihil aliud includit à natura speciei, & propter hoc homo species, dicitur per se homo, siue homo per essentiam: indiuiduum autem, putà Socrates, dicitur homo per participationem: hoc autem nomen *per participationem,* accepit Plato à Pythagoricis; sed tamen transmutauit ipsum nomen, id est, quantum ad nomen, quod declarat cùm subdit: *Pythagorici quidem dicunt existentia,* id est, entia *numerorum immutationem*: ita quòd loco immutationis vsus est nomine participationis, & sic transmutauit nomen. Addit autem pro reprobatione Pythagoricorum, dicens, quòd quæ, scilicet *immutatio, si sit specierum, in communi quærere dimiserunt*, videlicet dicere, licet Pythagorici ponerent participationem, id est, immutationem; non tamen perscrutati sunt qualiter species communis participetur ab indiuiduis sensibilibus, siue ad ea immutetur; quod tamen Platonici tradiderunt.

Homo per essentiã, & homo per participationem.

Notandum quòd Plato entia separata, de quibus dixit scientiam esse, & definitionem assignari, nominauit existentium species, & ideas: ideas quidem, id est, formas, in quantum ad earum similitudinem sensibilia generantur: species verò, in quantum erant principia cognoscendi; sed siue sic, siue non sic, non est multum curandum.

62. Plato quare vocabat entia separata, quæ ponebat nunc ideas, nunc species?

Notandum etiam, quòd omnia sensibilia dicuntur esse propter prædictas ideas, & secundùm eas: propter eas quidem, in quantum ideæ sunt sensibilibus causæ essendi: secundùm eas verò in quantum sunt eorum exemplaria.

Notandum etiam, quòd Pythagorici dixerunt numeros esse causas rerum; ita quòd ista entia sensibilia erant, quasi quædam immutationes numerorum; nam in quantum numeri, qui de se positionem non habent, positionem accipiebant, corpora sensibilia causabant: sed quia Plato ideas immutabiles existimabat, vt sic de eis possent scientiæ haberi, & definitiones assignari; non debebat vti nomine immutationis; sed loco immutationis vsus est participationis nomine. Deinde cùm dicit:

Quare vsus est nomine participationis, & non immutationis.

Amplius autem præter sensibilia & species, Mathematica rerum intermedia dicit esse, & differentia à sensibilibus quidem, quia sempiterna sunt & immobilia: à speciebus, eo quòd hæc quidem multa quædam similia sint: Species autem ipsum vnum vnaquæque solùm.

Ponit

Ponit opinionem Platonis, quantum ad ea quæ opinatus est de Mathematicis, quæ ponebat intermedia. Dicit ergo, quòd *amplius præter sensibilia & species*, id est, ideas *dicit esse Plato Mathematica infra res*, id est, *rerum intermedia*, infra sensibilia, & ideas, quasi sint quædam tertiæ substantiæ, *differentia quidem à sensibilibus* inferioribus, *quia*, ista supple Mathematica, *sempiterna sunt, & immobilia*: sensibilia autem sunt corruptibilia, & mobilia sicut patet. Hoc autem fortè opinabatur ex ratione sciẽtiæ Mathematicæ, quæ abstrahit à motu: *à speciebus* verò, id est, ab ideis, differunt: quia scilicet Mathematica *sunt multa quædam similia*, id est, multa indiuidua similia sub vna specie: putà multæ lineæ, & multæ superficies, & huiusmodi: *species autem*, id est, idea est, *vna, & eadem singula solùm*, id est, quod plures ideæ non sunt differentes solo numero, & similes sub vna specie communi.

In quo deceptus est Plato?

Notandum, quòd Mathematica ponit multa sub vna specie differentia secundùm numerum, ad saluandum demonstrationes Mathematicas: nisi enim essent duo trianguli eiusdem speciei, frustrà demonstraret Geometria aliquos triangulos esse similes: similiter autem in aliis figuris. Hoc autem non accidit in ideis, siue substantiis separatis: nam cùm in idea separata nihil aliud sit nisi vnum, siue natura speciei, non potest esse singula nisi vna: sicut nec idea hominis, & similiter est de aliis ideis.

Non oportet modum essendi sequi modum intelligendi.

Notandum etiam Platonem in sua opinione propter hoc errasse, quia modum essendi credebat assimilari omnino modo intelligendi, & sic res esse abstractas, quantum ad esse, sicut quantum ad cognosci. Quia igitur intellectus humanus intelligit abstrahendo, non tantùm vniuersalia à singularibus, sed etiam particularia, putà Mathematica abstracta à materia sensibili, & etiam ab existentia naturali: idcirco vtrique abstractioni dixit correspondere duplicem abstractionem, quantum ad esse rei; putà posuit vniuersalia, & ideas realiter separatas: iterum multa Mathematica differentia numero, & eiusdem speciei, in singulis speciebus esse similiter realiter separata; putà plures triangulos, & plures quadrangulos, vnde ex hoc sequitur quod habuit oppositum modum, quantum ad Aristotelem, & quantum ad inquisitionem Physicæ veritatis; nam Plato ab vniuersalibus suam considerationem inchoans, ad inferiora & sensibilia quodam ordine descendebat: Aristoteles autem ècontrario fecit: nam à sensibilibus incipiens, ad inquirendam veritatem de vniuersalibus procedit: non quòd poneret vniuersalia realiter separata; sed solùm secundùm considerationem intellectus: quia abstrahentium non est mendacium, vt dicitur 2. Physicorum tex. com. 18. Non enim oportet quòd modus essendi sequatur modum intelligendi, sed sunt distincti modi; vnde non oportet nec vniuersalia nec Mathematica esse realiter separata quamuis separatim & distinctim à sensibilibus cognoscantur, quare motiuum Platonis nullum fuit. Deinde cùm dicit:

63 Text. co. 7.

Quoniam autem species causa sunt aliis, elementa illarum, omnium quæ sunt, elementa esse putauit. Magnum igitur & paruum; vt materiam esse principia: vnum autem, vt substantiam dixit. Ex illis enim secundùm participationem vnius, species esse numeros.

Ponit opinionem Platonis quantum ad hoc, quòd opinatus est de rerum principiis. Circa quod duo facit. Primò, ostendit qualia principia Plato entibus assignauit. Secundò, ad quod genus causæ ipsa principia reducantur. Secunda ibi: *Palam autem ex prædictis*. Prima in duas. Primò facit, quod dictum est. Secundò, eius opinionem comparat ad opinionẽ Pythagoræ. Secunda ibi: *Et vnum esse*. Dicit ergo, quòd *quoniam*, pro quia *species*, id est, ideæ *sunt causa aliis*, entibus, scilicet secundùm opinionem Platonis, *elementa illarum*; scilicet idearum *putauerunt*, scilicet Platonici *esse elementa*, id est, principia *omnium existentium*, id est, entium: ergo supple hoc, *magnum & paruum quasi materiam dixerunt esse principia* idearum, *quasi verò substantiam*, id est, formam, *ipsum vnum*, sic etiam principia existentium: quia quod est principium principij, est etiam principium principiati.

Quid opinatus est Plato de principiis rerum?

Notandum, quòd secundùm Platonem, sicut ideæ sunt formæ sensibilium, ita ipsum vnum est forma idearum: sicut igitur sensibilia constituuntur secundùm eum ex principiis materialibus, quæ sunt magnum, & paruum, secundùm participationem idearum: ita ipsæ ideæ, quas dicebat esse numeros, constituuntur secundùm eum ex magno & paruo secundùm participationem ipsius vnius: vnitas enim secundùm additionem & subtractionem, (in quibus consistit ratio magni & parui) constituit varias species numerorum. Cùm igitur Plato opinaretur ipsum vnum esse substantiam omnis entis, non distinguens, vt Commentator dicit, inter vnum quod est principium numeri, & de genere Quantitatis: & vnum quod conuertitur cum ente. Videbatur enim sibi quòd secundùm hunc modum multiplicarentur diuersæ ideæ separatæ ex vno, quod est substantia communis, sicut ex vnitate multiplicantur diuersæ, & variæ species numerorum. Deinde cùm dicit:

SVMMARIVM.

Comparatur opinio Platonis cum sententia Pythagoræ, quoad conuenientiam, & differentiam, & explicatur differentiæ causa, & Plato refutatur, & præferuntur Philosophi naturales.

Vnum tamen substantiam, & non aliquid aliud, ens dici vnum consimiliter Pythagoricis dixit, & numeros esse causas cæteris substantiæ, similiter vt illi.

In quibus conueniebant Plato & Pythagoras?

Comparat opinionem Platonis ad opinionem Pythagoræ. Primò penes conuenientiam. Secundò, penes differentiam. Secunda ibi: *Pro infinito autem*. Dicit ergo, quòd conueniebant in duobus. Primò, scilicet quia Plato dicebat, *vnum esse substantiam rerum, & non aliud ens dici vnũ, vt etiam Pythagorici dixerunt*: vult dicere quòd sicut Pythagorici dicebant, quòd ipsum vnum non prædicatur de aliquo alio ente, sicut accidens de subiecto, & quædam existentia natura; sed ipsum vnum significat substantiam rei, sic & Plato dixit. Secundò conueniebant, quia scilicet Plato dicebat *numeros esse causas substantiæ cunctis rebus; similiter sic illi*, id est, Pythagorici dixerunt. Ista autem secunda conuenientia sequitur ex prima, quia si numerus non est aliud quàm collectæ vnitates, sequitur quòd si vnitas est rei substantia, vt prima

conuenientia dicebat; ergo similiter & numerus, vt dicit secunda. Deinde cùm dicit:

64 Tex.com.8.

Pro infinito autem, vt vno dualitatem facere, & infinitum ex magno & paruo, hoc proprium ipsius est. Amplius hic quidem numeros præter sensibilia: illi verò numeros esse dicunt res ipsas, & Mathematica intermedia horum non ponunt.

In quibus differunt Plato, & Pythagoras?

Comparat eos penes differentiam. Et primò ipsam differentiam præmittit. Secundò causam differentiæ subiungit. Secunda ibi: *Vnum igitur*, Dicit ergo, quòd differunt in duobus. Primò, quia *pro infinito quasi vno*, quod scilicet Pythagoras, vt principium materiale ponebat, vt prædictum fuit, ipsi scilicet Platonici *dualitatem facere*, quia Plato ex parte materiæ posuit magnũ & paruum, *& sic infinitum*, quod Pythagoras ponebat, vt vnum principium, *ex magno & paruo*, supple Plato consistere dicebat, & hoc est proprium opinionis suæ in comparatione ad Pythagoram. Secundò differebant, quia *hic quidem*, scilicet Plato *numeros præter sensibilia ponebat*, & hoc dupliciter, vt patet ex prædictis: quia secundùm ideas & Mathematica intermedia ponebat esse separata, quorum quælibet dicebat esse quosdam numeros, *illi verò*, scilicet Pythagorici, *ipsas res dicunt esse numeros* vtique, *& inter has Mathematica non ponunt*: non enim ponebant Mathematica intermedia inter sensibilia, & ideas separatas; sed omnia esse in sensibilibus. Deinde cùm dicit:

Vnum quidem igitur & numeros præter res facere, & non vt Pythagorici, & specierum introductio propter eam quæ in rationibus perscrutationem euenit: priores enim Dialecticam non participauerunt.

Subiungit causam differentiæ, & primò ponit causam secundæ differentiæ. Secundò ponit causam primæ. Secunda ibi: *Dualitateus verò*. Dicit quòd *vnum & numeros facere*, id est, ponere, *præter ipsas res*, vt scilicet dicebat Plato, *& non Pythagorici*, & iterum, *specierum*, id est, idearum, *introductio euenit*, scilicet ipsi Platoni *propter perscrutationem in rationibus*, id est, in definitionibus rerum: Platonici enim, vt dictum fuit suprà, non credebant de rebus sensibilibus posse definitiones assignari, cum sint secundùm eum in continuo fluxu & mutatione, & hac ratione quasi coacti posuerunt quasdam res separatas, de quibus possent dari definitiones: *sed priores*, id est, Pythagorici, qui Platonem præcesserunt, *non participauerunt Dialecticam*, ad quam pertinet speculari definitiones, & vniuersalia, & propter hoc Pythagorici non curauerunt ponere vniuersalia separata. Deinde cùm dicit:

Dialectice est speculari definitiones.

Dualitatem autem facere alteram naturam: quia numeri extra primos naturaliter ex ea generantur velut ex aliquo ἐκμαγέιῳ, id est, sigillo.

* Effigie.

Ponit causam primæ differentiæ. Circa quod tria facit. Primò facit, quod dictum est. Secundò dicit Platonem in hoc irrationabiliter locutum. Tertiò recitat rationem, qua mouebatur Plato ad hoc ponendum. Secunda ibi: *Equidem è contrario*. Tertia ibi: *Videtur autem ex vna* Dicit ergo, quòd *dualitatem facere*, scilicet Platonici, *naturam aliam specie à natura ipsarum* specierum, *quia* omnes *numeri extra*, id est, præter *primos ex ea*, scilicet dualitate, *naturaliter generantur velut ex aliquo ἐκμαγείῳ*, id est, exemplari: ἐκμαγεῖον enim idem est, quod exemplar: dualitatem autem istam intelligit magnum & paruum, quæ Plato ponebat ex parte materiæ.

Numeri primi & compositi, qui?

Notandum, quòd secundùm Geometras vno modo dicuntur numeri primi, quos nullus alius enumerat. Exemplum, ternarius, quinarius, septenarius; & sic de aliis: isti enim sola vnitate numerantur: numeri verò quos alius numerus numerare potest, nõ dicuntur primi, sed compositi. Exemplum, quaternarius, quem numerat binarius: & generaliter omnis numerus par à binario, siue à dualitate numeratur; vnde quia numeri pares attribuuntur materiæ, cùm eis attribuatur infinitum sicut superius fuit dictum, ex hac ratione posuit Plato ex parte materiæ dualitatem, ex qua sicut ex quodam exemplari omnes alij numeri generantur præter istos, qui dicuntur primi, modo præexposito. Deinde cùm dicit.

Equidem è contrario contingit: non enim rationabile ita: nunc quidem enim ex materia multa faciunt: species verò semel generatur solùm.

Ostendit Platonem in hoc irrationabiliter locutum. Dicit ergo, quòd supple licèt Plato dualitatem ex parte materiæ assignabat, & ex parte formæ contrarietatem, vnde subdit: *Nec enim ita est rationabile*, supple quod ponebat Plato; sicut quod ponebant Philosophi antiqui: *nunc enim ex materia*, scilicet ita *multa faciunt*, supple Philosophi antiqui, *nam species*, id est, forma *solùm semel generat*, id est, constituit ipsa, scilicet materia semper ita permanente.

Notaudum, quòd sicut apparet, ex 1. Physic. tex.c.56.& 82.& alibi sæpè. Philosophi naturales posuerunt vnitatem in materia, & pluralitatem & contrarietatem in forma: ponebant enim materiã rerum naturalium aliquod corpus, putà ignem, aërem, vel aquam, vel huiusmodi, & ex isto vno dicebant diuersas res constitui secundùm raritatem, & densitatem, quæ principia formalia ponebant esse, & hæc rationabilius quàm Plato: nam Philosophi naturales ex vna materia generabant multa per quandam formarum successionem, quia materia modò est sub vna forma, modò sub alia, primâ iam corruptâ: vna autem forma vnum solùm & semel constituit totum compositum generatum, nec potest esse successiuè in diuersis, cùm corrumpatur ad corruptionem compositi; ex quo apparet euidenter quòd vna materia respicit potentialiter, & successiuè plures formas, & non è conuerso: quare rationabilius est ponere vnitatem ex parte materiæ, & pluralitatem ex parte formæ, quòd faciebant antiqui naturales, quàm è conuerso ponere vnitatem formæ, & pluralitatem ex parte materiæ, quod faciebat Plato. Deinde cùm dicit:

Antiqui ponebant materiam rerũ naturalium, aliquod corpus.

Rationabilius est ponere pluralitatem ex parte formæ, quàm materia.

SVMMARIVM.

Expenditur motiuum Platonis, & ad quod genus causæ principia ab eo designata, reducuntur,

Videtur autẽ ex vna materia vna mensura.

Speciem

Tex.com.9.

Speciem autem quam inducit vnus existens multa facit: similiter quoque sic se habet masculus ad fœminam: hæc autem ab vno impletur coitu: masculus verò multas implet, quamuis hæ immutationes principiorum illorum sunt. Plato quidem igitur de quæsitis ita diffinit.

Cur Plato posuit pluralitatem ex parte materia, & vnitatem ex parte forma.

Recitat rationem, qua mouebatur Plato ad sic ponendum, quæ sumitur à signo. Dicit ergo, quod *videtur*, scilicet Platoni *ex vna materia esse vna mensura*, id est, quòd vnum recipitur in aliquo secundùm vnam mensuram recipientis: nam diuersæ receptiones habent ortum ex diuersa ratione, vel mensura recipientium; vna ergo materia, quæ est receptiua formarum, habet tantùm vnam mensuram, scilicet rationem recipiendi, quia diuersitas rerum, & formarum, habet ortum ex diuersitate materiæ, & non ex diuersitate efficientis formam inducentis, quia vnum efficiens multas formas ex materia alia, & alia generare potest. Vnde subdit: *Speciem autem quam inducit*, scilicet agens, *vnus existens multas facit*, quod declarat per simile: *similiter quoque sic se habet masculus ad fœminam*, sicut supple agens ad materiam: *hæc enim* fæmina *ab vno*, motu, id est, ab vno actu masculi agentis, *impletur*, id est, impraegnatur, *ille verò*, scilicet masculus agens, *multas*, supple fæminas *implet*; *tales ergo mutationes*, seu participationes, seu *influentia illorum principiorum sunt*; quas scilicet ponebat Plato: hoc enim nomen immutationes accepit à Pythagoricis, vt superiùs fuit dictum, vel aliter: quia Plato mutauit opinionem de principiis, quã opinionem habuerunt primi Philosophi naturales. Concludit ergo; *Plato de quæsitis*, scilicet causis rerum, *ita diffinit*, & determinat.

Notandum, quòd ista diuersitas inter Platonem, & alios Philosophos naturales, orta est ex diuerso modo considerandi. Philosophi enim naturales considerabant sensibilia subiecta transmutationi, in quantum idem subiectum subiicitur contrariis successiuè, qui posuerunt vnitatem subiecti, & diuersitatem formæ: sed Plato ex consideratione vniuersalium descendebat ad ponendum principia sensibilium: quia igitur causa distinctionis singularium sub specie vniuersali, est aliqua entitas positiua, scilicet differentia, siue proprietas indiuidualis, quæ largo modo potest dici materia; eo quòd constituit rem in esse maximè susceptibili, quod est conditio materiæ: quia inquam sic est; ideò Plato forsan vnitatem posuit ex parte formæ, & pluralitatem ex parte materiæ. Deinde cùm dicit:

Quare differentia indiuidualis dicitur materia? vide Scotum q.2. quodlibeti & 3.dist 2.& 7 metaph.q.13.

66

Palam igitur ex dictis quia duabus causis solùm est vsus, ipsa quæ est eius quod quid est; & ipsa materia: species enim eius quod quid est causa sunt aliis. Speciebus verò vnum. Et quæ materia subiecta de qua species: hæc quidem in sensibilibus: hæc autem in speciebus. Vnum verò in speciebus dicitur, quia hæc dualitas est magnum & paruum. Amplius boni & mali causam dedit elementis singulis. Singulare quidem magis dicimus priores inuestigare quosdam Philosophorum vt Empedoclem, & Anaxagoram.

Ostendit ad quod genus causæ principia à Platone posita reducantur. Dicit ergo quòd *palam est dictis*: *quia Plato*, scilicet *vsus est solùm duabus causis*: *ipsa*, scilicet *quæ est eius quod quid est*, id est, forma, *& ipsa quæ est secundùm materiam*: quod declarat, cùm subdit. *Species enim*, id est, ideæ, *sunt aliis* scilicet rebus; *eius quod quid est esse*, id est, causa formalis: *& illa*, scilicet materia, est *materia subiecta*, *de qua sunt species*, scilicet magnum, & paruum: patet enim ex prædictis, quòd sicut ipsum vnum ponebant causam formalem ipsarum idearum, ita magnum & paruum ponebant causam materialem earundem: & *hæc quidem*, scilicet causa materialis & formalis, non solùm supple sunt in ipsis ideis, *sed etiam in sensibilibus. Vnum enim in speciebus dicitur*, quod supple eodem modo se habet ad sensibilia, sicut ipsum vnum ad ipsas species siue ideas: quia *eadem est dualitas*, quæ respondet sensibilibus pro materia. Addit autem quod *amplius*, scilicet Plato, *assignauit causam eius quod est benè & malè singulis elementis*, scilicet ab eo positis, & hoc sic: nam causam boni ascribebat ideæ specierum: causam verò mali ipsi materiæ: *quod magis dicimus inuestigasse priores quosdam Philosophorum, vt Anaxagoram & Empedoclem.*

Ad quod genus causa pertinet principia à Platone assignata.

Notandum autem, quòd secundùm opinionem Platonis, sicut ipsum vnum erat causa formalis ipsarum idearum, magnum autem, & paruum causa materialis; sic respectu sensibilium ipsam ideám, quæ habet rationem vnius, ponebat vt causam formalem, & magnum, & paruum causam materialem: sic quòd tam hic, quàm ibi esset semper vnitas ex parte formæ, & dualitas ex parte materiæ.

Notandum etiam, quòd Plato visus est assignare causam boni & mali in rebus, nam causam boni attribuebat ideæ, quæ se tenet ex parte formæ, & causam mali attribuebat magno & paruo, quæ se tenent ex parte materiæ. Quidam etiam primorum Philosophorum conati sunt dare causam boni & mali, vt fuerunt Anaxagoras, & Empedocles, qui conati sunt assignare causam boni, & mali, vt patet ex prædictis, & in hoc quòd tangebant causas boni, & mali, ad ponendum causam finalem aliqualiter accesserunt, licèt per accidens, & non per se, vt in fine dicetur. Tunc sequitur illa pars,

SVMMARIVM.

Recapitulat prædicta placita antiquorum Philosophorum explicans qualiter singuli, etsi insufficienter, tetigerunt quatuor genera causarum, discurrens per singulas causas: tandem concludit vtilitatem inquisitionis factæ, de opinionibus antiquorum.

Text. com. 10.

Breuibus igitur summatimque narrauimus, quinam, & quo pacto de principiis veritateque dixerunt. Veruntamen tantum ex his habemus, neminem inquam de principio causáque dicentium præter ea, quæ in hisce quæ de natura sunt à nobis determinata, dixisse.

Vbi postquam Philosophus recitauit opinionem antiquorum de causis rerum: nunc sub quodam compendio recolligit breuiter quæ dicta sunt ab eis: ostendens quòd in suis opinionibus prædicta quatuor causarum genera tetigerunt. Circa quod tria facit. Primò ostendit, quòd antiqui præter dictas causas nullam aliam posuerunt in genere causæ. Secundò ostendit, quomodo eas omnes aliqualiter tetigerunt. Tertiò, ex dictis concludit vtilitatem huius inquisitionis factæ de opinionibus antiquorum. Secunda ibi: *Sed omnes obscurè*, vel secundùm aliam litteram. *Tenuiter quidem*. Tertia ibi: *Ergo quia rectè*. Dicit ergo *breuiter*, & capitulariter, id est, sub quodam capitulo, & compendio *pertransiuimus*, id est, diximus, *qui* Philosophi, *& quomodo dixerunt de principiis rerum, & de veritate*, quantum, scilicet ad ipsarum rerum substantiam: *attamen ab eis tantùm habemus*, quod *dicentium*, id est, de numero determinantium, *de principio, & causa rerum nullus*, supple alius dixit esse principium, & causam *præter ea*, scilicet principia & causas, *quæ determinata sunt in Physicis*, scilicet 2. Phys. text. com. 28. & inde, vt statim inferius apparebit. Deinde cùm dicit;

Sed omnes obscurè quidem illa tamen tetigisse videri.

Ostendit quomodo dictas quatuor causas aliqualiter tetigerunt. Circa quod duo facit. Primò proponit, quòd obscurè, & insufficienter eas tetigerunt. Secundò declarat qualiter eas in speciali tetigerunt. Secunda ibi: *Illi namque*. Dicit ergo, quòd licèt antiqui quatuor causas tetigerunt, & non solùm nihil addiderunt, sed omnes videntur appropinquare illis non manifestè, sed obscurè. Ratio istius obscuritatis & insufficientiæ est: quia non assignauerunt, secundùm quod genus causæ essent rerum causæ principia posita ab eis, sed solùm simpliciter, & absolutè illa posuerunt: quæ tamen possunt reduci ad aliquod genus causæ. Deinde cùm dicit:

Quidam enim vt materiam principium dicunt; siue vnum, siue plura supponant: & siue corpus, siue incorporeum id ipsum ponant: veluti Plato quidem magnum dicens ac paruum: Italici autem infinitum. Empedocles verò ignem, terram, aërem, atque aquam, & Anaxagoras eorum quæ sunt similium partium infinitationem. Hi igitur omnes talem causam tetigerunt, & insuper qui aërem, aut ignem, aut aquam; aut igne quidem densius: aëre verò subtilius posuere. Sunt enim qui primum elementum tale esse dixerunt, atque hi solùm hanc causam tetigere.

Declarat qualiter eas in speciali tetigerunt. Circa quod quatuor facit. Primò ostendit quomodo tangebant causam materialem. Secundò, quomodo effectiuam. Tertiò, formalem. Quartò, finitiuam, id est, finalem. Secunda ibi: *Alij verò*. Tertia ibi: *Quod quid erat esse*. Quarta ibi: *Cuius verò causa*. Dicit ergo quòd illi namque, scilicet Philosophi priores, *dicūt principium quasi materiam*, id est, omnes in hoc conueniunt, quòd ponunt principium materiale rerum: differunt tamen in duobus. Primò, quia *aliqui vnum: aliqui vno plura supponunt*, scilicet esse principia materialia. Patet enim ex prædictis, quòd aliqui posuerunt principium materiale vnum; putà Thales, & Diogenes: quidam plura, vt Empedocles & Anaxagoras. Secundò differunt: quia principium illud materiale quidam posuerunt corpus: vt Empedocles, & alij prædicti. Quidam posuerunt incorporeum, *vt Plato dicens magnum & paruum*: quæ scilicet non significant aliquod corpus. *Italici verò*, id est, Pythagorici ponunt *infinitum*, quod supple similiter non est corpus. Et *Empedocles* ponit supple principia materialia, *ignem, aquam, terram, & aërem. Anaxagoras infinitatem similium partium*, id est, infinitas partes similes: patet ergo quòd Empedocles & Anaxagoras posuerunt principia materialia corporea; vnde subdit, quòd *hi omnes*, id est, prædicti, *sunt tangentes talem causam*, scilicet materialem, & non solùm isti, sed amplius quicunque supple ponunt principium rerum, *aut ignem, aut terram, aut aërem, aut aquam, aut aliquid spissius igne, & subtilius aëre. Etenim* pro quia, *quidam quoddam tale dixerunt esse primum elementum* rerum, sicut fuit forsan Heraclitus, qui posuit principium rerum vaporem, vt habetur primo de Anima, per vaporem forsan intelligens aliquod corpus medium inter aërem, & ignem: quod scilicet erat densius igne, & rarius aëre. Concludit ergo, quòd *eam solam causam*, scilicet materialem *hi*, id est, prædicti Philosophi *tetigerunt*. Deinde cùm dicit;

Ostendit quomodo antiqui tangebant causam materialem.

68

Quidam autem, & eam vnde est principium motus, vt qui concordiam discordiámue, vel mentem, vel cupidinem, principiū faciunt.

Quomodo tangebant causam efficientem?

Ostendit quomodo tangebant causam efficientem. Dicit ergo quòd alij verò, supple cum causa materiali, simul ponebant principium vnde motus, id est, causam efficientem; vt quicunque faciunt principium rerum amorem, & odium, sicut Empedocles; aut intellectum, sicut Anaxagoras; aut aliquid extra hoc, id est, præter hoc, sicut fuit Parmenides, qui posuit ignem, vel calorem, vt superiùs fuit dictum. Deinde cùm dicit:

Quidicatem verò substantiámue dilucidè quidem nemo reddidit: maximè verò hi dicunt, qui formas ponunt. Neque enim, vt materiam sensibilium, neque vt causam vnde est principium motus, formas ipsas, & ea quæ sunt in formis esse existimant: immobilitatis enim causam magis, & vt res sint in quiete formas inquiunt esse: sed quiditatem formæ quidem cæterorum cuique præstent; ipsum autem vnum formis.

Quomodo tangebant causam formalem?

Ostendit quomodo tangebant causam formalem, & dicit, *quod quid erat esse, & substantiam*, id est, formalem, quæ principaliter dicit esse rei, & substantiam: *nullus planè dedit*, id est, rebus assignauit: *maximè autem appropinquant*, ad ponendum causam formalem, qui *species*, id est, ideas *posuerunt*, & eas rationes in speciebus ponunt, quæ sunt vnitas & numerus, & alia huiusmodi, quæ ad ipsas species, id est, ideas videntur pertinere, & talia huiusmodi, quæ scilicet sunt in speciebus: *nec*, scilicet ponunt, *vt materiam sensibilibus*; *nec vt hoc prouenie̅s*, id est,

id est, ipsis rebus *principium motus*. Vult dicere quòd tales rationes, quæ pertinent ad ideas, puta vnum & numerus, non sunt principium rebus sensibilibus, vt materia: nec vt principium vnde motus; vnde subdit, quòd *immobilitatis dicunt esse magis causas, & eius quod est in quiete.* quicquid enim necessarium in sensibilibus inuenitur, *dicebant* hoc causari ex ideis, *& ipsas* ideas *in quiete*, & sine motu esse: vt sic de eis vniformiter se habentibus possent demonstrationes scientificæ fieri, & diffinitiones assignari. Subdit autem, quod ipsæ species præstant singulis aliorum, id est, rebus singularibus quod quid erat esse, id est, quiditatem, sicut speciebus vnum, id est, quod sicut ipsum vnum est *quod quid est* idearum: sic ideæ sunt *quod quid* est singularium sensibilium.

Notandum, quòd licèt antiqui Philosophi tangerent aliquid pertinens ad formam rei, sicut Empedocle, qui posuit os, & carnem, & huiusmodi consistere in quadam ratione, & quadam proportione elementorum, vt habetur expresè 1. de Anima, Text. 25. & 59. & inde non tamen hoc, quod pertinet ad formam rei ponebat per modum causæ: & ideò dicit Philosophus, quòd nullus planè posuit, *quod quid erat esse*, & substantiam in rebus, i. causam formalem. Deinde cùm dicit:

Id verò gratiâ cuius actiones, mutationes, motúsque fiunt, aliquo quidem modo causam esse dicunt. Sic autem non dicunt, nec eo modo quo sua natura flagitat, qui namque mentem, aut concordiam dicunt, vt bonū quidem hasce causas ponunt, non tamen, vt horum gratiâ quicquam sit eorum, quæ sunt, aut fiat; Sed vt ab his horum profluant motus. Similiter & hi qui & id quod est, aut ipsum vnum, talem naturam inquiunt esse. Causam quidem illud esse substantiæ, non tamen huiusce gratiâ esse, vel fieri dicunt: quare partim dicunt, partim non dicunt, ipsum bonum causam esse; non enim simpliciter, sed per accidens dicunt.

69. *Quomodo tangebant causam finalem?*

Ostendit quomodo tangebant causam finalem. Dicit ergo, quòd Philosophi *cuius causâ*, id est, causam finalem *propter quam fiunt actus, & trāsmutationes, & motus modo quodam dicunt:* ita verò, id est, alio modo, non dicunt, nec quod verè natum est, id est, nec quando est verè causa: nam hi dicentes causam esse intellectum, vt Anaxag. aut amorem, vt Empedocles, *ponunt esse causas, vt bonum quidem*, id est, vt causas boni, & tamen non finalis: bonum autem potest intelligi dupliciter. Vno modo sicut causa finalis, inquantum in aliquid fit gratia alicuius boni. Alio modo per modum causæ efficientis, vt quando dicimus, quòd bonus artifex facit bonum opus: dicti verò Philosophi posuerunt bonum, vt causam non sicut finem, sed sicut efficiens: vnde subdit, quòd supple isti *ponunt bonum causam, non quòd gratia horum*, scilicet bonorum, quæ ponunt causas, *aut existens, aut factum aliquid entium*, id est, quòd non gratia illius boni aliquid existat, vel fiat, quod pertinet ad causam finalem, *sed vt ab his*, scilicet bonis, quæ ponunt causas horum, scilicet entium, quæ fiunt, vel existunt, *procedat motus* quidem ad esse, & fieri rerum, quod pertinet ad rationem causæ efficientis. Intellectus ergo & amor si sunt causæ rerum secundùm opinionem illorum, non erunt causæ in ratione finis; sed in ratione mouentis. *Similiter autem dicentes causas esse vnum & ens*, vt Pythagorici & Platonici, cui, scilicet, vno & enti attribuebant rationem boni *talem naturam dicunt quidem esse substantiam*, id est, per modum causæ formalis, vt dicebat Plato: vel per modum materiæ, vt dicebant Pythagorici, *non tamen dicebant huius causa, aut esse, aut fieri aliquid in rebus.* vult dicere quòd Plato, & Pythagorici ponentes vnum & ens esse rerum principia non dixerunt ea esse, cuius causa alia sint, vel fiant, quod pertinet ad causam finalem; sed posuerunt ea pertinere ad substantiam rei: siue vt materia, vt dicebant Pythagorici: siue vt forma, vt dicebat Plato. Concludit ergo, *quare dicere & non dicere, modo quodam accidit eis: bonum causam esse, & modo quodam non*, vnde subdit: *non enim simpliciter, sed secundùm accidens dicunt.*

Notandum, quòd bonum secundum propriam rationem habet rationem finis: nam bonum est, quod omnia appetunt ex 1. Et hic. cap. 1. illud autē in quod tendit appetitus, videtur habere rationem finis: hic ergo ponit bonum esse causam simpliciter, qui ponit ipsum esse causam finalem: ille verò qui attribuit bono alium modum causalitatis, ponit ipsum esse causam per accidens: quia non secundùm propriam rationem boni, sed ratione eius, cui accidit esse bonum: puta ex hoc, quod est esse actiuum, vel motiuum. Vnde patet, quòd prædicti Philosophi ponebant bonum esse causam per accidens, quia posuerunt bonum in genere causæ efficientis, & non in genere causæ finalis: ponebant enim pro causa illud cui conuenit esse finem, scilicet, ipsum bonum, vt patet ex prædictis. Deinde cùm dicit:

Bonum habet rationem finis.

Quod quidem igitur rectè determinatum est de causis, & quot, & quæ nobis testimonium præbere videntur, & hi omnes aliam causam tangere non valentes. Adhuc autem quia quærenda sunt principia, aut sic omnia, aut horum aliquo modo. Palam quomodo etiam horum vnusquisque dixit, & quomodo habēt de principijs. Contingentes autem dubitationes post hoc pertranseamus de ipsis.

Text. c. 11.

Concludit ex dictis vtilitatē inquisitionis factæ de opinionibus antiquorum, & ponit duplicem vtilitatem: prima est, quòd ipsi testimonium præbent non esse aliud genus causæ à quatuor suprà dictis. Vnde dicit: *ergo, quia rectè definitum est*, scilicet à nobis *de causis quot sunt*, quantum ad numerum, & *quæ*, quantum ad substantiam, *testimonium nobis videntur præbere, & hi omnes*, scilicet Philosophi prædicti, *aliam causam addere non valentes*, scilicet, ad quatuor suprà dictas. Secunda vtilitas est, quòd ex dictis patet, quòd principia rerum sunt quærenda in ista scientia. Vnde dicit, *adhuc autem* supple est manifestum ex dictis, quia *quærenda sunt principia* in ista scientia: *aut sic omnia*, quæ scilicet antiqui posuerunt, *aut horum aliquod, & aliquo modo*; maximè enim hæc scientia considerat causam formalem & finalem, & aliquomodo etiam mouentem; ergo omnes causas modo præexposito circa principium tractatus huius primi libri. Iterum *palam est quomodò quilibet* Philosophorum *dixit, & quomodò de principijs habent* quæstiones, id est, *dubitationes cōtingentes:*

Vtilitas inquisitionis factæ de opin. antiquorum est duplex.

patet enim aliqualiter ex dictis, quilibet eorum in quo dixit benè, & in quo malè: subdit autem, quòd *post hoc oportet de eis pertranseamus*, id est, opinionem eorum pertractemus, vt sic magis pateat in quo benè,& in quo malè dixerũt:quod dicit propter sequens capitulum, in quo disputat contra opiniones prædictorum Philosophorum, quorum opiniones sunt superiùs recitatæ.

SVMMA TERTIA.

Antiquorum opiniones de rerum causis, ac principiis, confutantur.

In hac summa continentur tria capita, quibus Philolophus opiniones superiùs recitatas de rerum principiis, impugnat. In prima parte cap. I, vsque ad §. *Idem igitur*; refutat ponentes vnum principium corporeum: contra quos tres rationes adducit in communi; posteà specialibus rationibus eos impugnat. Primò redarguit, quòd omiserint ignem, Secundò quòd terram.

CAPVT I.

Aduersus eos, qui vnum, & eos, qui plura principia corporea omnium rerum statuebant.

70 *Quicumque quidem igitur vnum ipsum esse, & vnam quandam naturam esse, vt materiam ponunt & eam corpoream, & magnitudinem habentem, palam quia multipliciter delinquunt.*

Postquam Philosophus opiniones antiquorum de causis, & principiis, recitauit, nunc contra eas incipit disputare; vnde ista pars diuiditur in duas. Primò disputat contra opiniones dictas. Secundò concludit intentum, & continuat se ad dicenda. Secunda ibi: In fine huius primi. *Quoniam ergo dictas.* Circa primum duo facit. Primò disputat contra eos, qui principia rerum corporea ponebant, & magis Physicè loquebantur. Secundò contra eos,qui principia rerum incorporea ponebant,& minùs Physicè loquebantur. Secunda ibi: *Quicunque verò de omnibus.* Prima in duas, nam primò disputat contra ponentes principij vnitatem. Secundò contra ponentes principiorum pluralitatem. Secunda ibi: *Idem quolibet.* Prima in duas. Quia primò in generali. Secundò magis specialiter disputat contra eos. Secunda ibi: *Et adhuc facile.* Prima in duas. Primò proponit, quod ponentes vnum principium materiale multipliciter deliquerunt. Secundò ponit rationes contra eos: Secunda ibi: *Corporum elementa.* Dicit ergo quòd *quicunque ipsum omne*, id est, vniuersum ponunt *vnum esse, & vnam quandam naturam*, id est, materiam, *& eam corpoream & magnitudinem*, id est, dimensionem *habentem*, *palam* supple ex dictis, *quia multipliciter deliquerunt.* Deinde cùm dicit:

Disputat cõtra antiquos ponentes vnum principium materiale.

Corporum enim elementa ponunt solùm: incorporeorum verò non existentibus, & incorporeis.

Ponit tres rationes contra eos. Secunda ibi: *De generatione verò.* Tertia ibi: *Amplius autem non substantiam, &c.* In prima parte talem innuit rationem: Quicumque omnibus entibus principia habentibus, principia non assignat, insufficienter de principiis opinatus est: sed ponentes tantùm vnum principium materiale sunt huiusmodi; ergo &c. Minorem probat, quia principium corporeum non potest entibus incorporeis applicari: sed multa sunt entia incorporea, quæ scilicet habent principia; ergo omnibus entibus principia habentibus, principia non assignant; ergo insufficienter loquuntur de principiis. Dicit ergo, quòd *corporum enim elementa*, id est, principia *ponunt solùm*, scilicet dicti Philosophi: *incorporeorum autem non existentibus,& incorporeis*, id est, licèt sint entia incorporea, principia non assignant. Deinde cùm dicit:

De generatione quoque & corruptione causam dicere conantes,& de omnibus Physicè tractantes, motus causam auferunt.

Ponit secundam rationem, quæ potest sic formari: Quicumque in sui positione necessariò præsupponit motum, tractans de principiis, debet principium motus assignare: sed isti necessariò supponebant motum esse, quod patet, tum quia causas generationis & corruptionis supponebant, quæ vel sunt motus, vel sine motu esse non possunt; tum quia de rebus naturalibus naturaliter pertractabant: naturalis autem præsupponit motum; ergo debuerunt motus principia assignare; sed non fecerunt, quia non assignabant causam efficientem, quæ est principium vnde motus; ergo insufficienter de principiis tractauerunt. Dicit ergo, quòd *de generatione, & corruptione causas dicere conantes*, scilicet antiqui *de omnibus Physicè*, id est, naturaliter *tractantes,motus causam auferunt.* Deinde cùm dicit:

Amplius autem substantiam nullius posuere causam, nec quod quid est.

Ponit tertiam rationem, quæ talis est:Res naturalis non tantùm constat ex materia, sed etiam ex forma; ergo ipsi cùm formam non posuerunt causam, siue principium rerum, insufficienter de de causis naturalium dixerunt. Dicit ergo, quòd *amplius nec substantiam*, id est, formam, *ponere causam nullus*, supple voluit, *nec ipsum quod quid est*, quod est idem.

Notandum, quòd rei formam vocat rei substantiam, & quod quid est: substantiam quidem, inquantum ipsa est principale principium subsistendi: quod quid autem, inquantum est principium cognoscendi: nam quod quid est, est obiectum intellectus, ex 3. de Anima. Vel aliter substantiam, inquantum est principalius principium essendi: quod quid est, inquantum est principalius principium definiendi: nam principalior pars definitionis est differentia, quæ à forma rei sumitur. Deinde cùm dicit:

Forma vocatur substãtia rei, & quod quid est, & quare?

Text. c. 11.

Et ad hoc facile esse quodcunque simplicium corporum principium,exceptâ naturâ,non cõsiderãtes eam quæ exinuicem generationem,aliqualiter

qualiter faciunt. Dico autem ignem, & aquã, & terram, & aërem: hæc quidem enim congregatione: illa verò disgregatione ex adinuicem fiunt: hoc autem ad prius esse & posterius plurimum differunt. Aliqualiter enim vtique videbitur maximè elementare esse omnium, ex quo primo fit congregatione: tale verò est, quod minutissimæ partis & subtilissimum est corporum; vnde quicumque ponunt ignem principium, maximè confessè rationi huic dicunt: tale verò & aliorum vnusquisque confitetur elementum esse quoddam corporum: Nullus enim posteriorũ, & vnum dicentium terrã elementum esse voluit, palam quia propter magnitudinem partialitatis. Quodlibet autem trium elementorum iudicem quendam accepit: hi namque ignem; illi verò aquam; alij aërem hoc esse dicunt. Sed quare terram non dicunt quemadmodum hominum multi: omnia namque terram esse dicunt. Dicit autem & Hesiodus terram primam corporum factam esse: sic enim antiquam, & popularem contingit existimationem esse. Secundùm igitur hanc rationẽ, nec siquis horum aliquid dicit præter ignem, nec siquis aëre quidem spissius hoc ponit, aqua verò subtilius, non rectè vtique dicet.

Text. c. 13.

Text. c. 14.

Disputat contra eos magis in speciali. Circa quod duo facit. Primò disputat contra eos specialiter, qui prætermiserunt ignem ponere principium. Secundò contra eos, qui prætermiserunt terram. Secunda ibi: *Si verò est, quod in generatione.* In prima parte, quæ continet litteram prolixam, intendit talem rationem. Omnes Philosophi antiqui circa principium materiale sic se habuerunt, quòd nullus eorum posuit terram esse principium per se; ideò dicit, quòd omnia elementa præter terram habuerunt iudicem. Ratio motiua fuit, quia de ratione principij est subtilitas & simplicitas, & quia terra est grossior inter omnia elementa; ideò nullus terram esse principium iudicauit. Ad subtilitatem ergo aspicientes aliqui dixerunt illud principium esse aquam, quia ipsa est subtilior quàm terra; aliqui aërem, quia ipse est subtilior quàm aqua; aliqui ignem, quia ipse est subtilior aëre: tunc sic, si subtilitas est causa ponendi aliquod principium esse; ergo quanto subtilius, tanto magis debet poni principium; sed ignis est subtilissimum corporum; ergo & maximè principium: malè ergo fecerunt ponentes aliquod corpus esse principium, puta aquam, vel aërem, prætermittendo ignem: & hoc est quod in tota ista littera intendit.

Quare antiqui Philosophi nõ posuerunt terram principiũ materiale rerũ?

Dicit ergo, resumens earum positionem, quòd *adhuc quodlibet simplicium corporum*, id est, elementorum esse quoddam *principium*, quodammodò *faciunt*, scilicet antiqui *præter terram:* quæ scilicet corpora simplicia; *nam sunt speculantes adinuicem generationem*, idest, quæ adinuicem generantur: quod exponens subdit: *Dico autem, & ignem, & aquam, & aërem, & terram*, scilicet adinuicem generari, *hæc enim congregatione, illa verò disgregatione ex adinuicem fiunt: hoc autem ad prius esse, & posterius plurimùm differunt*, scilicet generari aliquid per congregationem, & disgregationem. Vult dicere quòd elementa spissiora & grossiora generantur ex subtilioribus per congregationem, idest, condensationem. Subtiliora autem ex grossioribus fiunt per disgregationem, idest, rarefactionem: & quia illud ex quo aliquid generatur, habet respectu eius rationem prioris; ideò dicit, quòd multum differunt hoc esse prius, vel posterius, quod sequitur, & ostendit cùm subdit: *videbitur enim* nunc, scilicet alicui *elementum maximè omnium*; illud, scilicet *ex quo fit primò aliquid congregatione*, id est, per congregationem, & inspissationem: *tale verò*, ex quo, scilicet fit aliquid isto modo, *est minutissimæ partis, & est subtilissimum corporum:* patet ergo, quia illud ex quo fiunt alia per inspissationem, est subtilissimum, & partes habens minutissimas: oportet quòd sit simplicius, & prius ipso composito; patet quòd tale principium habeat rationem prioris: quod magis etiam exponit per antiquorum positiones: subdit enim, *vnde quicunque ponunt ignem principium, maximè confitendo hac rationem dicunt*, scilicet quia est corpus subtilissimum; *tale verò*, scilicet corpus subtile, *confitetur quilibet aliorum*, scilicet Philosophorum, *esse ipsum elementum*, idest, principium *corporum:* quod patet, quia *nullus præteritorum*, scilicet Philosophorum naturaliter loquentium, *vnum primum dignatus est terram ponere elementum; palam*, idest, propter istam rationem, scilicet *propter magnitudinem partialitatis*, idest, quia terra est magnarum, & grossarum partium: *quodlibet autem trium elementorum*, scilicet aliorum à terra, *iudicem quemdam accepit: hi namque ignem: hi verò aquam: alij verò aërem hoc*, scilicet vnum principium *dicunt esse: sed quare non dicunt, & terram*, scilicet esse principium, *quemadmodum hominum multi, omnia namque terram esse dicunt: dicit autem, & Hesiodus terram principium fieri omnium corporum*, tanquam, scilicet principium eorum: *sic enim antiquam, & publicam*, idest, communem *contingit esse suspicionem*, idest, opinionem, quòd terra sit principium, & substantia omnium rerum. Vult dicere quòd quare Philosophi non dixerunt terram esse principium, non fuit causa, quia fuit contra communem omnium opinionem, nam multitudo hominum hoc existimabat quòd terra esset omnium substantia; sicut & ipse Hesiodus, qui vnus de prioribus Poëtis Theologicis dicitur fuisse. Restat ergo quòd hac sola ratione posteriores Naturales negauerunt terram esse principium, propter spissitudinem, & grossitudinem suarum partium: constat autem quòd aër, & alia elementa, & si quid etiam est medium inter ea, vt superiùs dicebatur, habent grossiores partes quàm ignis; si ergo aliquid ponitur principium propter partium subtilitatem, multò magis ignis. Et hoc est quod concludit, *ergo secundùm hanc rationem*, scilicet antiquorum, *nec si quis horum*, scilicet elementorum *aliquid dicit esse*, scilicet principium *præter ignem: nec si quis ponat aliquod* medium esse, scilicet principium, scilicet *aëre spissus, aquâ verò subtilius; nec rectè dicit:* quia scilicet secundùm illam rationem solus ignis, & nullum allud elementum ponendum est esse principium.

Hesiodus principium omnium corporũ posuit terrã.

Notandum, quòd illud medium, quod antiqui ponebant principium, quidam dixerunt esse me-

dium inter ignem,& aërem: ſpiſſius quidem igne, ſubtilius autem aëre, vt ſuperiùs dicebatur: quidam verò dixerunt illud eſſe medium inter aërem, & aquam: ſpiſſius quidem aëre,& ſubtilius aquâ, vt hîc dicitur expreſsè. Ratio huius poſitionis eſſe potuit, quia antiqui Philoſophi loquentes de rerum principiis, maximè loquebantur de principio materiali, puta illud vnum ſiue plura: principium autem materiale de ſe non habet contrarietatem, ſed eſt in potentia ad vtrunque contrariorum. Cùm igitur in extremis magis reſeruetur contrarietas quàm in medio; ideò aliqui Philoſophi poſuerunt principium rerum aliquod medium altero duorum modorum dictorum, credentes ex hoc magis tangere naturam materialis principij. Deinde cùm dicit;

Quare Philoſophi antiqui poſuerint medium elementorum.

Si verò quod eſt generatione poſterius naturâ prius: & quod eſt digeſtum, & contractum poſterius generatione: horum vtiq; erit contrarium: aqua quidem aëre prior, & terra aquâ. De ponentibus quidem igitur cauſam vnam, qualem diximus, ſint hæc dicta.

Tex.c.15.

Ponit ſecundam rationem, quæ eſt contra prætermittentes terram, & poteſt ſic formari: quod eſt poſterius generatione, eſt prius ſecundum naturam,& per conſequens magis principium: proceſſus quidem naturalis eſt ab imperfecto ad perfectum; ſed quod eſt denſius,& compoſitius, eſt poſterius generatione, quia natura procedit in ſua actione à ſimplicibus ad compoſita: ergo tale eſt prius natura,& magis principium; vltra: ſed terra eſt corpus denſius, & compoſitius quantum ad partium groſſitiem; ergo terra magis eſt principium; non ergo debuit prætermitti. Dicit ergo: *ſi verò quod eſt generatione poſterius, eſt prius natura, & quod eſt digeſtum, & contractum*, id eſt, congregatum & ſpiſſum, *poſterius eſt generatione, cõtrarium erit horum*, quæ ſcilicet dicta ſunt: *aqua quidem eſt prior aëre*; quia, ſcilicet ſpiſſior: *& terra prior quàm aqua*, eadem ratione. Concludit autem: *ergo de ponentibus cauſam vnam, qualem diximus*, ſcilicet materialem, *ſint ea dicta.*

Poſterius generatione prius ſecundùm naturam,

Notandum, quòd, vt ſuprà dicebamus, non ſolùm elementa ſpiſſiora ex ſubtilioribus generantur; ſed etiam è conuerſo: non ſolùm enim ex terra ignis generatur; ſed etiam ex igne terra: omnia enim elementa ex ſe inuicem generantur ſecũdùm quod dicitur 2. de generat. Tex.c.7.& inde. ex ea ergo parte, quâ groſſiora ex ſubtilioribus generantur, quãto corpus eſt ſubtilius, tãto magis eſt ponendum principium, cùm illud ex quo alia fiunt, habent principij rationem. Subtiliſſimum autem corpus eſt ignis, & ſic ſecundùm iſtam viam ignem ponendum eſt magis neceſſe eſſe principium, quàm aliquod aliorum. Ex ea autem parte qua è conuerſo ſubtiliora ex groſſioribus generantur, & quanto corpus eſt groſſius, tanto magis ponendum eſt eſſe principium: groſſiſſimum autem corporum eſt terra, & ſic ſecundùm iſtam viam terra magis ponenda erat principium quàm aliquod aliorum. Ex quibus patet quod cogebantur contrariis rationibus, vt diuerſa principia ponerent, & ſic deficerent dupliciter: tum quia ignem & terram prætermittebant: tum quia dato quòd ponerent principia, includebant in ſua poſitione repugnantiam manifeſtam, cùm aliàs principium non ponerent niſi vnum. Deinde cùm dicit.

Quomodo defecerunt dicti antiqui dupliciter oſtendit.

SVMMARIVM.

Refutat opinionem ponentem plura principia materialia, relatam ſupra nu 41. eodem communi fundamento, quo præcedentem, & vltrà tribus ſpecialibus rationibus.

Idem igitur, & ſi quis hæc plura ponit, velut Empedocles, quatuor dicit eſſe corpora, vel ſecundùm naturam. Etenim huic hæc quidem eadem: alia verò propria accidere neceſſarium eſt.

74

Diſputat contra ponentes plura principia materialia,& primò contra Empedoclem, qui poſuit huiuſmodi principia finita, ſcilicet quatuor elementa: ſecundò contra Anaxagoram; qui præter intellectum poſuit principia materialia infinita. Secunda ibi: *Anaxagoras verò.* Prima in duas. Primò proponit opinionem Empedoclis eſſe reprobãdam. Secundò arguit ſpecialiter contra eam. Secunda ibi: *Ex ad inuicem enim.* Dicit ergo quòd *idem quoque ſequitur, & ſi quis ea*, ſcilicet principia materiaiia, *plura ponit*, id eſt, quòd idem inconueniens ſequitur contra ponentes plura, quod ſequitur contra prædictas, *velut Empedocles*, qui *quatuor dicit eſſe corpora*, id eſt, eſſe principia, tum ſcilicet quia ipſe non aſsignauit, ſicut nec prædicti, principium entium incorporeum; tum quia cauſam formalem etiam prætermiſit; tum quia propter rationes proximè ſupradictas debuit, vel tantùm ignem, vel tantùm terram principium aſſignare: accidunt enim etiam contra eum alia inconuenientia propria, vt dicemus; ideò dicit; *etenim vt huic hæc quidem eadem; alia verò propria accidere eſt neceſsè.* Deinde cum dicit:

Contra ponentes plura principia materialia.

Ex ad inuicem enim generata cernimus, quod non ſemper igne, & terra eodem corpore permanente. Dictum autem eſt de eis in Phyſicis.

Arguit contra eum per tres rationes. Secunda ibi: *De mouentium cauſa.* Tertia ibi: *Ex toto.* In prima parte intendit talem rationem: Principia oportet manere, vt oſtenſum eſt 1. Phyſicor. Text. c.42.& inde, quia principia nõ debent eſſe ex aliis, nec ex alterutris; ſed illa quatuor corpora nõ manent,& ſunt ex alterutris, vt puta: quia videmus ea ex ſe inuicem generari; ergo ipſa non ſunt rerum principia. Dicit ergo, quòd *ex ſe adinuicem generata cernimus*, ſcilicet, quatuor elementa, *quod non ſemper igne, & terra eodem modo manente.* Similiter autem eſt de aliis duobus, ſcilicet de aëre & aqua. Subdit autem quod *dictum eſt in Phyſicis de eis*, quòd ſcilicet oportet principia manere incorrupta. Deinde cùm dicit:

1. Ratio.

Principia debent manere, nec debent eſſe ex aliis, nec ex alterutris.

Et de mouentium cauſa, vtrùm vnum, aut plura, ponendum, nec rectè, nec rationabiliter putandum eſſe dictum omnino.

Ponit

4. Ratio.

Ponit secundàm rationem contra hoc, quòd dixit principia effectiua esse duo & contraria, scilicet amorem, & odium; & intendit talem rationem: Principium entium efficiens non est nisi vnum, vt probatur 8. physicorum, text. com. 48. & inde. & 12. huius, text. com. 43. & inde & ante. quia licet principia proxima diuersorum sint diuersa, tamen principium omnium est vnum tantùm; sed scientia istal, & Empedocl. intendit de primis rerum principiis; ergo irrationabile est ponere plura principia effectiua. Dicit ergo, quòd *de mouentium causa*, id est, causa mouente, *vtrùm vnum, aut plura, sint ponenda, nec rectè, nec rationabiliter putandum est omnino dictum esse*, ab Empedocle. Deinde cùm dicit:

Non sunt ponenda plura principia effectiua.

75 *Et ex toto alterationem auferri aut necesse sic dicentibus; non enim ex calido frigidum, nec ex frigido, calidum erit. Quid enim ex hoc patietur hæc contraria, & quæ est vna natura, quæ sit ignis, & aqua? quod ille non ait.*

3. Ratio,

Ponit tertiam rationem; & arguit sic: Illa positio quæ totaliter aufert à rebus motum alterationis, est irrationabilis: sed ponere principia materialia esse quatuor, aufert totam alterationem à rebus; ergo talis positio est irrationabilis. Minorem probat; quia alteratio necessariò præsupponit subiectum commune vtrique terminorum; quia vnum contrarium non fit aliud, nisi quatenus commune est subiectum, & subest vtrique successiuè: Empedocles autem ponebat subiecta diuersa; putà subiectum calidi, ignem; & frigidi, aquam: ergo ex frigido non potest fieri calidum per alterationem. Dicit ergo, quòd *ex tali* positione, scilicet Empedoclis, *necesse est ex toto auferri alterationem sic dicentibus: non enim ex frigido calidum, nec ex calido frigidum erit*, supple secundùm eius viam; vnde subdit, *quid enim ex hoc patietur contraria?* scilicet vt substantiam: *& quæ est natura vna?* quæ sit scilicet communis igni, & aquæ; supple non est dare secundùm opinionem eius; ideò dicit quòd *iste hoc non ait*. Deinde cùm dicit:

Ponêtes quatuor principia materialia auferunt motum alterationis à rebus.

SVMMARIVM.

Refutat opinionem Anaxagoræ ponentis infinita principia, relatam suprà, num. 42. de qua habetur 1. Phys. tex. 32. 33. sed fatetur hunc cæteris subtiliùs posuisse intellectum impermixtum, seu separatum, primum principium effectiuum. Doctor trahit Anaxagoram ad sensum bonum, sententiæ Catholicæ, de rerum principiis, conformem.

Text. co. 16. *Anaxagoram verò siquis susceperit, elementa duo dicere suscipiat maximè secundùm rationem, quam ille quidem non dearticulauit: secutus est enim ex necessitate dicentes eam.*

Disputat contra Anaxagoram, qui præter intellectum, posuit principia materialia infinita. Circa quod duo facit. Primò proponit qualiter eius positio potest benè & malè intelligi. Secundò illud exponit. Secunda ibi: *Nam absurdo*. Dicit ergò, quòd *si quis vult suscipere, opinionem*, scilicet Anaxagoræ, esse veram, *elementa duo dicere*, id est, de eo quòd posuit duo principia, scilicet materiam, & efficiens, *suscipiat maximè secundùm rationem*, quam scilicet ipse videtur secutus: qui quadam necessitate veritatis coactus; vt scilicet sequeretur eos, qui hanc rationem exprimunt: ipse verò non dearticulauit eam. Et hoc est quod dicit, *quam*, scilicet rationem, *ille non dearticulauit: secutus est enim ex necessitate dicentes eam*. Vult dicere quòd eius opinio est vera quãtum ad hoc quod non expressit: falsa autem quantum ad hoc quod expressit. Deinde cùm dicit:

Contra Anaxagoram disputat.

76 *Nam absurdo existente taliter dicere permixta esse à principio omnia. Et quod oportet accidere quod impermixta præexistãt, & quia non aptum est cuilibet permisceri quodlibet. Adhuc autem, quia passiones, & accidentia separantur à substantiis: eorundem enim permixtio est, & separatio.*

Exponit quod proposuit. Circa quod duo facit, quia primò ostendit qualiter dixit malè, quantum ad ea quæ expressit. Secundò qualiter benè, quantum ad ea quæ non expressit. Secunda ibi: *Tamen siquis*.

Ad evidentiam primæ partis notandum, opinionem fuisse Anaxagoræ: sicut magis apparet primo Physicorum, text. com. 32. & 33. & inde. quòd à principio vniuersi fuit vnum chaos confusum, in quo erant permixta omnia, sine aliqua actuali rerum distinctione, quæ per intellectum fuerunt postea segregata, & distincta, & posita in esse specifico, & actuali. Contra hoc confusum chaos arguit Arist. breuiter tangendo quatuor rationes: tum primò, quia secundùm hoc distinctio rerum, & generatio non fuisset ab æterno: sed aliquando fuissent simul omnia, quod Philosophus habet pro absurdo; ideò dicit quòd supple Anaxagoras, malè dixit *tanquam absurdo existente totaliter dicere secundùm principium*, id est, à principio *omnia permisceri*; & quòd supple non fuerit rerum distinctio, & generatio ab æterno. Tum secundò, quia si sic, illud chaos haberet rationem posterioris respectu rerum distinctarum, quod est contra rationem principij; quia principium prius est principiato. Consequentia patet, quia res impermixtæ, & indistinctæ ab illo chaos se habent ad ipsum chaos confusum, sicut simplex ad compositum; sed simplex prius est composito naturaliter. Dicit ergo quòd, supple Anaxagoras, malè dicit, *& quòd oportet accidere quòd impermixta præexistant*, scilicet ipsi chaos confuso, & permixto. Tum tertiò, quia non quodlibet est aptum permisceri cuilibet, vt ostensum est primo de generatione, text. com. 82. & inde. sed quorum est alteratio mutua: quia mixtio est, mixtibilium alteratorum vicissim. Dicit ergo, quòd, supple Anaxagoras, malè dixit, ponendo in illo chaos quodlibet cum quolibet esse mixtum; *& non aptum natum est quodlibet cuilibet permisceri*. Tum quartò, quia si sic, ergo accidentia possunt naturaliter à subiecto separari; quod est absurdum. Consequentia patet, quia eorum est separatio quorum est mixtio: Anaxagoras autem posuit quòd omnia accidentia cum substantiis essent simul mixta in illo chaos confuso, & per conse

Opinio Anaxagoræ ponentis à principio vnum chaos confusum refutatur.

Simplex est prius composito.

Mixtio quid.

76sequens possunt ab inuicem separari: & hoc est quod dicit, quòd supple Anaxagoras malè dixit: *quia adhuc* quod sequitur contra eum *quòd passiones, & accidentia à substantiis separantur: eorundem enim est permixtio, & separatio.* Deinde cùm dicit:

77 Text.co.17.

Tamen si quis prosequitur dearticulans quæ vult dicere, forsan apparebit mirabilius dicēs: quando namque nihil erat discretum, palam quia nihil erat verum dicere de substantia illa. Dico autem quòd neque album, neque nigrum, aut fuscum, aut alium colorem, sed non colorata erant ex necessitate: horum enim colorem aliquem haberet. Similiter autem & sine sapore eadem hac ratione nec aliud similium quicquam: nec enim quale aliquid id possibile esse, nec quantum, nec quid: aliqua enim in parte dictarum specierum inesset vtique ei; sed hoc impossibile permixtis omnibus; iam enim discreta essent.

Quomodo saluari potest opinio Anaxagoræ?

Ostendit qualiter eius positio bene potest intelligi, quantum ad ea quæ non expressit. Circa quod tria facit. Primò ostendit quòd ipse magis accessit ad naturam principij materialis. Secundò quòd subtilius tetigit naturam principij effectiui. Tertiò excusat de prolixiori harum opinionum perscrutatione. Secunda ibi: *Sed permixta.* Tertia ibi: *Verum quidem, & hi.* Dicit ergò, quòd licèt malè dixerit quantum ad ea quæ expressit; *tamen si quis prosequitur eius*, scilicet opinionem *articulans*, id est, articulariter inquirens, *quæ vult dicere*, quantum scilicet ad suam intentionem, licèt verbis exprimere nesciret, *forsan apparebit dicere mirabilius*, id est, subtilius aliis supple Philosophis antiquis, quia supple magis accessit ad naturam materiæ. *Quando namque nihil erat discretum*, vel distinctum; sed supple omnia in illo chaos erant mixta, *palam; quia nil erat verum dicere*, puta *de illa substantia*, scilicet mixta, quam ponebat, scilicet rerum materiam: quod exponit primò in coloribus dicens: *dico autem nec album, nec nigrum, nec cæruleum, nec alium colorem*, supple contingebat de illa substantia prædicari, vt si diceretur alba, vel nigra; nam aliàs talis color nō esset cum rebus aliis permixtus; *sed nec colorata erant: ex necessitate enim horū*, scilicet specialiū *colorū aliquē haberet*, id est, non solùm de ista substantia aliquis color specialis non poterat prædicari, sed nec etiam color, quia de quocumque prædicatur genus, necesse est de eo aliquam illius speciem generis prædicari: 2. Topic. cap. 10. Si igitur illa substantia non est alba, nec nigra, &c. sequitur quòd nec sic esset colorata. Similiter autem est de aliis generibus, vnde subdit: *Similiter autem, & sine sapore erit illa substantia; eadem quoque ratione nec aliud similium*: vnde nec ipsa genera prima de illa substantia poterant prædicari; putà, Substantia, Quātitas, Qualitas, &c. quia si sic, necesse esset aliquam specierum illorum primorum generum de illa substantia prædicari, quod est impossibile, quando omnia sunt permixta. Rationem subdit: *nihil enim nec quale, aliquid id esse possibile, nec quantum, nec quid; aliqua enim in parte dictarum specierum inesset ei*, scilicet substantiæ illi, *sed hoc est impossibile permixtis omnibus*, id est, cùm omnia simul sint permixta: *iam enim discreta essent*, id est, distincta, & non mixta; illa scilicet quæ de tali substantia possunt distinctè prædicari.

Nulla forma potest prædicari de materia.

Notandum quòd talis est natura materiæ, vt nullam formam actu habeat, quæ de ipsa possit actu prædicari, sed habet omnes in potētia, ex hoc ergo quòd Anaxagoras sic locutus est de illo chaos mixto, & confuso, sicut fuit dictum, ad naturam materiæ videtur approximasse multùm. Est tamen aliqua differentia, quia mixtum illud, quod ponebat, licèt non esset actu aliquod eorum quæ in ipso dicebantur permisceri; nihilominus tamen ponebatur aliquid esse actu, quod de ipsa materia dici non potest, si de se naturaliter consideretur, & suis propriis naturalibus relinquatur. Deinde cùm dicit:

78 Text.co.18.

Dicit autem permixta omnia præter intellectum: hunc autem impermixtum solum, & purum. Ex his itaque accidit ei dicere principia ipsum vnum: hoc enim simplex, & impermixtum & alterum quale ponimus indeterminatum; antequam determinetur, & quandam speciem participet. Quare dicit quidem non rectè, nec plenè: videtur tamen aliquid dicere simile posterius dicentibus, & nunc apparentibus magis.

Anaxagoras subtilius tetigit materiā principij effectiui quam alij.

Ostendit, quòd præ aliis subtilius tetigit naturam principij effectiui, quod posuit intellectum. Dicit ergo quòd *permixta dicit esse omnia*, scilicet Anaxagoras, *præter intellectum, & hunc*, scilicet intellectum *dicit impermixtum solum, & purum: ex his autem accidit*, id est, *ei*, Anaxagoræ, scilicet *dicere principia*, supple duo: *vnum ipsum*, scilicet intellectum, quem ponit simplicem & impermixtum, & esse supple principium in genere causæ efficientis; *& alterum*, scilicet *indeterminatum*, id est, mixtum, & confusum, *quale nos*, scilicet *ponimus materiam, antequam determinetur, & quandam speciem*, id est, aliquam formam, *participet*: materia enim prima de se est indeterminata, nisi specificetur per aliquam formam, cum in potentia sit ad omnes. Concludit ergo *quare nec sic Anaxagoras dixit rectè, nec planè*, scilicet quantum ad ea quæ expressit, *videtur tamen aliquid dicere propinquum dicentibus posterius, & nunc magis apparentibus*, id est opinionibus Aristotelis, & Platonis, quæ sunt veriores, & magis apparentes quantum ad id, quod rectè de prima materia, & de primo principio tradiderunt.

Qualiter opinione Anaxagoræ concordari potest veritati Catholicæ.

Notandum quòd opinio Anaxagoræ posset trahi ad bonum sensum, & ad Theologicam veritatem; nam secundùm Scripturam, & Doctores à principio creationis mundi fuit creata materia prima, non sub aliqua determinata, & specifica forma, sed erat quædam massa confusa, & mixta, pertingens scilicet à centro terræ vsque ad circunferentiam primi cœli: quod Empyreum, siue cristallinum nominatur: & illa massa, vt habetur Gene. primo, aliquando nomine terræ, aliquando nomine abyssi, aliquando nomine aquarum nominatur. De ista autem massa factæ sunt res distinctæ, secundùm opera sex dierum, & hoc ab intellectu diuino puro, & immixto, vnde ibidem Genes. primo, dicitur, quòd Spiritus Domini ferebatur super aquas, eo modo quo, scilicet intelle-

ctus

Spiritus Domini ferebatur super aquas quomodo intelligatur.

ctus artificis fertur super lignum, & aliam materiã, vt ex ea fabricet artificialia, & hæc est veritas Catholica. Ad propositum, si Anaxagoras forsan per illud chaos confusum intellexit materiam primam, sic creatam, & per intellectũ immixtum, & purum, intellexit diuinum intellectum; verissimè opinatus est de rerum principiis: quare non immeritò aliis Philosophis hîc præfertur. Deinde cùm dicit:

Verùm hi quidem his, qui circa generationem sermonibus, & corruptionem, & motum proprij sunt solùm. Verum namque circa talis substantiæ principia, & causas quærunt solùm.

Excusat se de prolixiori perscrutatione opinionum prædictarum, dicens, *Verùm* pro sed, *sed quidem quia hi*, scilicet sermones dictorum Philosophorum, *sunt proprij ipsis sermonibus*, scilicet naturalibus, *qui sunt circa generationem, & corruptionem, & motum*, ideò supple pertractare opiniones istas ad Physicum magis pertinet, quam ad scientiam præsentem: vnde subdit, *fere, verum namque solùm quærunt*, scilicet dicti Philosophi, *principia & causas talis substantiæ*, scilicet generabilis, corruptibilis, & mobilis, de qua est ipsius Philosophi Physici speculari. Dicit autem *ferè*, quia de aliis substantiis non curabant; licèt quædam principia ab eis posita possent ad alia extendi, vt patet maximè de intellectu, quem Anaxagoras posuit: quia igitur non posuerunt principia communia omnibus substantiis, quod pertinet ad scientiam præsentem; sed principia substantiarum corruptibilium tantùm, quod pertinet ad Philosophiam naturalem: idcirco pertractare eorum opiniones potius est illius negocij, quàm præsentis; ideò non est amplius curandum de istis.

SVMMÆ TERTIÆ

CAPVT II.

Discutiuntur opiniones ponentium principia rerum incorporea.

SVMMARIVM.

In hoc capite vsque ad §. *Qui verò ideas* 18 refutat Pythagoricorum sententiam relatam suprà, num. 51. ponentem numeros principia rerum (quam tamen in quibusdam præfert opinioni antiquorum Naturalium, qui scilicet, solùm entia sensibilium admittebant) tribus rationibus, quas benè explicat Doctor.

Quicunque verò de omnibus existentibus faciunt Theoricam: existentium autem hæc quidem sensibilia: illa verò insensibilia ponunt, palam quia de vtrisque generibus perscrutationem faciunt. Propter quod magis vtique immorabitur aliquis, de eis quid benè, aut non benè dicunt, ad præsentem nobis propositorum perscrutationem.

Postquàm Philosophus disputauit contra eos, qui principia rerum aliqua corporea ponebant, & magis Physicè loquebantur, nunc disputat contraponentes principia incorporea, & qui minùs Philosophicè sunt locuti. Circa quod duo facit. Primò ostendit, quòd consideratio harum opinionum magis spectat ad præsentem scientiam, quàm consideratio prædictarum. Secundò contra eas incipit disputare. Secunda ibi: *Pythagorici ergo quidem*. Dicit ergo, quòd *quicunque faciunt ipsam Theoricam*, id est, considerationem *de omnibus existentibus*, id est, entibus, *& existentium*, id est, entiũ, *hæc quidẽ sensibilia, illa verò in insẽsibilia ponũt, palã quia de vtrisq; generibus perscrutationẽ faciũt*, id est determinãt tã de entibus sensibilibus, quàm insensibilibus, cuiusmodi fuerunt Platonici, & Pythagorici; *propter quod magis aliquis de eis inuestigabit, quòd benè, aut non benè dicunt*: nihil enim hoc pertinet *ad præsentem perscrutationem propositorum*, id est, quam proponimus in ista scientia tradere: nam supple, cùm ista scientia sit de omnibus entibus communiter, ad eam magis pertinet pertractare istorum opiniones, qui de omnibus entibus tam sensibilibus, quàm insensibilibus faciunt Theoricam; quod de prædictis Philosophis dici non potest, qui ferè de solis entibus naturalibus; & mobilibus pertractabant. Deinde cùm dicit:

Disputat contra ponentes principia rerum incorporea.

Text. co. 19.

Pythagorici quidem igitur vocati principiis & elementis extraneè à physiologis sunt vsi: causa verò, quia acceperunt ea ex non sensibilibus. Nam Mathematica existentium sine motu sunt extra ea, quæ sunt circa Astrologiam.

80

Disputat contra eos. Circa quod duo facit: quia primò disputat contra opinionem Pythagoræ, qui huiusmodi principia posuit rebus inexistentia, scilicet numeros. Secundò contra Platonem, qui principia rerum posuit separata, scilicet ideas. Secunda ibi: *Qui vèrò ideas*. Prima in duas. Nam primò comparat opinionem Pythagoricorum ad opinionem Philosophorum naturalium. Secundò disputat contra opinionem Pythagoræ, adducendo rationes. Secunda ibi: *Ex quo verò modo*. Prima in duas, nam primò comparat dictas opiniones penes differentiam, quæ erat in principiorum positione. Secundò penes conuenientiam, quæ erat in prædictorum consideratione. Secunda ibi: *Disputant quidem*. Dicit ergo, quòd philosophi, *qui Pythagorici sunt vocati, vsi sunt principiis & elementis extraneè*, id est, extraneo modo *à Physiologis*, id est, naturalibus Philosophis, cuius causam subdit, dicens, *causa verò supple*, est, *quia*, scilicet Pythagorici *acceperunt ea non ex sensibilibus*, sicut supple naturales, sed ex Mathematicis, quæ supple abstrahunt à motu; *nam materialia existentium*, id est, sunt de numero entium, *sine motu extra*, id est, præter ea *quæ sunt circa Astrologiam*; hæc est Mathematica, circa quam versatur Astrologia.

Notandum, quòd secundùm Philosophum 2. Physic. text. com. 16. & inde. Aliæ sunt scientiæ puræ naturales, quæ, scilicet principia & res, circa quas sunt, accipiunt à sensu. Aliquæ sunt puræ Mathematicæ, scilicet, quæ tam principia, quàm alia circa quæ sunt, abstracta habent à materia sensibili, & à motu, vt Arithmetica, & Geometria. Quædam sunt mediæ, nec purè Philosophicæ; nec purè Mathematicæ, quæ, scilicet accipiunt

Scientia triplex.

cipiunt principia materialia, & applicat ea ad res naturales, & ad motum, sicut est Astrologia. Cùm ergo dicitur, quòd scientiæ Mathematicæ abstrahunt à motu & à materia sensibili, intelligendum est de purè Mathematicis, & non de mediis, sicut est Astrologia. Deinde cùm dicit:

Disputant tamen & tractant omnia de natura; generant enim cœlum, & quod circa huius partes & passiones, & operationes accidit, obseruant, & principia, & causas in hac dispensant, quasi aliis Physiologis consentientes: quia ens, hoc est, quodcunque sensibile est, & comprehendit vocatum cœlum. Causas verò & principia sicut diximus.

Text. co. 20

Dicunt sufficientia pertingere vsque ad ea, quæ sunt entium superiora, & magis quàm de natura rationibus conuenientia.

81

Comparat dictas opiniones penes conuenientiam, quæ erat in prædictorum consideratione. Dicit ergo, quod Pythagorici *disputant, & tractant omnia de natura*, id est, de omnibus naturalibus; *generant enim cœlum*, id est, tractant, de generatione cœli, & obseruant omnia, *quæ* scilicet accidunt *circa partes eius*, scilicet cæli, putà quæ dicuntur diuersæ sphæræ vel diuersæ stellæ, & quæ accidunt *circa passiones*, vt sunt eclipses, & huiusmodi; & *quæ circa operationes*, vt sunt motus corporum cælestium, & effectus eorum in istis inferioribus, *& principia, & causas suas dispensant*, id est, vnicuique prædictorum causam propriam adaptant & assignant, *quasi aliis Physiologis consentientes*, id est, quòd videntur consentire aliis Philosophis naturalibus, scilicet *quia ens hoc est quodcumque sensibile quod comprehendit vocatum cœlum*, id est, quod hoc solum sit ens, quod comprehenditur sub cælo, quod videmus; quasi nulla essent entia nisi sensibilia. *Causas verò & principia sicut diximus sufficientia dicunt pertingere ad ea, quæ sunt superiora*, entiũ, id est, quòd licèt ponerent quasi omnia entia essent sensibilia, nihilominus tamen causæ, & principia, quæ ponebant, non erant determinata tantùm sensibilibus; sed erant sufficientia ascendere ad superiora, id est, entia intelligibilia, & propter hoc erant *conuenientia magis, quàm de natura rationibus*, id est, magis quàm rationes naturalium, quæ scilicet non poterant extendi vltra sensibilia.

Præfert Pythagoricos antiquos naturalibus.

Notandum, quòd isti Pythagorici tractantes de omnibus naturalibus, putà de cælo, & de his, quæ apparent, & accidunt circa cælum, videbantur consentire Philosophis naturalibus, scilicet quòd solùm illud esset ens, quod esset sensibile; licèt principia ab eis posita essent magis sufficientia: vt pote quæ poterant etiam extendi ad entia insensibilia, non sic principia posita à naturalibus, quæ erant principia corporea. Pythagorici enim, qui ponebant principia incorporea, scilicet numeros, quamuis non ponerent principia nisi corporum sensibilium; ponebant tamen principia entium intelligibiliũ, quæ non sunt corporea, sicut & Plato dicitur posteà fecisse. Deinde cùm dicit:

Ex quo tamen modo motus inerit finito, & infinito solùm suppositis, & pari & impar non dicunt.

Text. co. 21.

Et quomodo sine motu, & transmutatione possibile generationem, & corruptionem esse, aut eorum quæ feruntur opera circa cælum?

Adducit tres rationes contra opinionem Pythagoricorum. Secunda ibi: *Amplius autem siue.* Tertia ibi: *Amplius autem quomodo oportet.* In prima parte intendit talem rationem: Ille qui in sui opinione necessariò præsupponit motũ, insufficienter agit de rerum principiis, nisi assignauerit causam motus, aut qualiter sciet quomodo motus eueniret rebus? sed Pythagorici præsupponunt motum: agunt enim de generatione & corruptione eorum, quæ sunt circa cælum, quæ sine motu esse non possunt, & tamen causam vnde motus, id est, efficientem prætermittunt; ergo insufficienter agunt de rerum principiis. Dicit ergo. *Ex quo verò inerit motus*, scilicet in rebus ipsi *finito & infinito, pari, & impari subiectis*, id est, entibus principiis in genere causæ materials, *non dicunt*, quod est insufficienter dictum: *aiut quomodo est possibile sine transmutatione & motu, generationem & corruptionem esse, aut gestorum*, id est, factorum *operationes circa cælum*? quasi diceret, nequaquam est possibile. Deinde cùm dicit:

82

Amplius autem, siue quis det eis, ex his esse magnitudinem siue ostendatur hoc, tamen quomodo erunt hæc corporum leuia; illa verò grauitatem habentia? ex quibus enim supponunt, & dicunt, nihil magis de Mathematicis corporibus dicunt quàm de sensibilibus. Vnde de igne, & terra, & aliis huiusmodi corporibus nihil dixerunt; sicut nihil de sensibilibus existimo dicentes proprium.

Ponit secundam rationem, quæ talis est: Ille insufficienter agit de rerum principiis, qui per principia, quæ ponit, non potest causam assignare eorum, quæ accidunt in rebus; sed per principia quæ posuit Pythagoras, non potest causa assignari, quia quædam sunt corpora grauia, & quædam leuia, cùm principia ista, putà numeri, sint communia Mathematicis, quæ non sunt leuia, nec grauia; ergo Pythagoras insufficiẽter egit de rerum principiis. Dicit ergo quòd *Amplius siue quis dicit esse magnitudinem ex his*, scilicet numeris; sicut, supple Pythagoras, qui magnitudines dicebat componi ex numeris, *siue hoc ostendatur* per rationem, siue non: *tamen quomodo hæc quidem*, scilicet corpora *erunt leuia: illa verò grauitatẽ habentia?* quasi dicat, non potest ratio assignari: principia enim, scilicet numeri, *ex quibus supponunt & dicunt nihil magis de Mathematicis dicunt corporibus, quàm de sensibilibus* naturalibus. *Vnde de igne, aut terra, aut aliis huiusmodi corporibus nihil dixerunt, sicut dicentes nihil proprium existere de sensibilibus dixerũt*, secundùm nostram existimationem. Deinde cùm dicit:

Contra Pythagoricos.

82

Tex. co. 22.

Amplius autem quomodo oportet accipere eas quidem esse numeri passiones, & numerum circa cælum existentem & factorum, & ab initio,

Initio, & nunc: numerum verò alium nullum esse præter numerum hunc ex quo constituit mundum?

Tex.com. 23 *Nam cum in hac parte, opinio & tempus sit eis, parum verò desuper, aut subtus iniustitia, aut discretio, aut permixtio; demonstrationem autem dicunt, quia horum vnumquodque numerus est. Accidit autem secundùm hunc locũ iam pluralitatem esse constitutarum magnitudinum, quia passiones hæ sequuntur singula loca. Vtrum idem est numerus, qui in cælo est, quẽ oportet accipere, quia horum vnũquodque est, aut præter hunc alius? Plato namque aliud ait esse: existimat etiam quidẽ & ille numeros hac esse & horum causas: illos verò intelligibiles, hos verò sensibiles. De Pythagoricis ergo dimittatur ad præsens: sufficit. n. ea tangere tantùm.*

Tex. co. 24.

83 Ponit tertiam rationem, quæ sic formari potest: Illa positio est absurda, quæ repugnantiam includit: sed positio Pythagoricorum est huiusmodi; ergo, &c. Minor sic ostenditur: quia Pythagoras ex vna parte ponebat, quòd numerus est causa omnium: ex alia parte non ponebat alium numerum præter istum, qui est substantia rerum: ex quo sequitur, quòd idem esset causa sui, quod est impossibile & repugnans, & in hoc præfert Platonem ipsis Pythagoricis: quia Plato distinxit, & posuit quendam intellectualem numerum, & quendam sensualem siue sensibilem: interserit autem demonstrationem, siue rationem Pythagoræ, quia probat omnia esse numerum secundùm substantiam, & est: quia omnia sunt disposita & ordinata secundùm numerum quendam & proportionem, & quantum ad loca, & quantum ad proprietates naturales & proprias passiones: nam aliàs sequeretur deordinatio, & quantum ad iustitiam & discretionem, id est, separationem, & quantum ad mixtionem. Dicit ergo: *Amplius autem quomodo oportet accipere passiones numeri, & numerorum ipsum esse causas existentium & factorum*, circa cælum *ab initio mundi*, scilicet *vsque nunc*; sicut scilicet dicebat Pythagoras; *numerorum verò alium nullum esse præter hunc* numerum, ex quo consistit mundus: quasi diceret: Hoc est impossibile, cùm idem non sit causa suiipsius. Adducit etiam rationem eius, quâ dicebat omnia secundùm substantiam esse numerum, *nam cùm in hac parte*, scilicet vniuersi sint entia contingentia, de quibus, scilicet *est operatio, & de eis sit tempus*, vt subsistunt tempori, inquantum, scilicet aliquando sunt, aliquando non sunt, parùm verò desuper, aut subtus iniustitia, *aut discretio, aut permixtio*, scilicet sequitur in rebus, & hanc scilicet *dicunt demonstrationem esse, quia horum vnumquodque numerus est*, id est, quòd si ista generabilia, & corruptibilia essent parùm suprà, aut parùm subtus, scilicet in vniuerso aliter quàm sint ordinata; ponerentur inordinatè per modum iniustitiæ, dum scilicet aliquæ res sortirentur nobiliorem locum, aut minùs nobilem quàm sibi debeatur; aut per modum distinctionis, vel discretionis, inquantum corpus si poneretur extra locum suum, diuideretur à corporibus similis naturæ: vel per modum mixtionis, & confusionis, dum corpus extra locum suum positum oporteret permisceri alteri corpori, seu alteri naturæ; putà si aliqua

Nota de ordine vniuersi secundùm Pythagoram, & satis rectè.

pars ignis esset in loco aëris, vel terræ. Quare ad fugiendum ista inconuenientia, dicebat Pythagoras habere omnia entia in vniuerso ordinatum situm, & determinatam proportionem, & per consequens omnia entia esse numeros: nam omnis determinata proportio est secundùm numeros. Addit autem ibi: *Accidit autem*, quòd quia accidit secundùm hunc locum, scilicet vniuersi, *esse iam pluralitatem constitutarum magnitudinum, quia hæ passiones sequuntur singula loca; vtrum* igitur *idem est hic numerus, qui est in cælo*, id est, in toto corpore sensibili, quod cælo clauditur, *quem* scilicet numerum *oporteat accipere, quia vnumquodque horum est, aut præter hunc alius*. Vult dicere, quia videmus ex alia parte, quòd magnitudines constitutæ in diuersis locis sunt plures & diuersæ, quia propriæ passiones consequuntur singula loca vniuersi, quibus corpora differunt ab inuicem, nam aliæ sunt passiones corporis existentis sursum, & aliæ existentis deorsum. Si igitur ratione prædicta dicat Pythagoras omnia sensibilia esse numerum, & appareat diuersitas in sensibilibus secundùm diuersa loca, restat quærere vtrùm tantùm sit vnus numerus, qui est in toto corpore sensibili, quod clauditur sub cælo; qui quidem numerus vocatur substantia vniuscuiusque sensibilis; aut præter istum numerum, qui est substantia sensibilium, sit alius numerus, qui sit eorum causa: nam Plato distinxit alium numerum, qui est substantia sensibilium, vt qui est causa; vnde subdit, quòd *Plato namque ait alium esse*, scilicet qui est causa sensibilium, & alium qui est causa cælestium, hos quidem numeros sensibiles, illos verò intellectuales causas. *Existimat enim Plato*, sicut Pythagoras *ea*, scilicet corpora sensibilia *esse numeros & horum causas*, scilicet esse ipsos numeros, quod supple, quia Pythagoras non fecit mentionem, distinguendo numerum insufficienter locutus est & imperfectè. Vltimò epilogat, *de Pythagoricis ergo dimittatur ad præsens*, quia scilicet *hæc sufficiunt, nec oportet ampliùs hic morari; sed tantùm sufficiat tetigisse*.

SVMMÆ TERTIÆ CAP. III.

Impugnantur fusè ponentes principia à rebus separata, seu ideas.

SVMMARIVM.

Refutat Platonicos ponentes ideas principia rerum quibus tamen se connumerat, quia priùs Platonicus fuit: motiua, modósque dicendi ipsorum sigillatim conuellit satis fusè, sex rationibus, quarum efficaciam optimè exponit Doctor.

84 Tex. co. 25.

Qui verò ideas posuerunt, primus quidem existentium accipere causas quærentes, alia his æqualia numero attulerunt: vt siquis numerare volens paucioribus quidem existentibus putet non posse: plures verò faciens numerare, nã verè æquales aut non pauciores his sunt species. De quibus quærentes causas ab his ad illas peruenerunt; secundùm vnumquodque enim æquiuocum homogeneum aliquid est, & circa substantias aliorum est in multis vnum, in his, & in sempiternis.

Hic disputat contra Platonem quoad substantias & principia rerum.

Improbatâ opinione Pythagoricorum, qui posuerunt principia incorporea, non tamen separata, sed in rebus existentia, putà numeros; hîc improbat opinionem Platonis ponentis principia separata, scilicet ideas. Circa quod duo facit, quia primò arguit contra eum, quantum ad hoc quod opinatus est de rerum substantiis. Secundò quantum ad hoc, quod opinatus est de rerum principiis. Secunda ibi; *Omnis verò sapientia.* Prima in duas. Nam primò disputat contra eum quantum ad hoc, quod posuit de ideis. Secundò quantum ad hoc quod dixit de Mathematicis, Secunda ibi: *Volentes enim substantias.* Prima in duas, quia primò arguit contra eum inquantum posuit ideas, siue species separatas. Secundò inquantum posuit ideas esse quosdam numeros. Secunda ibi: *Amplius si sunt numeri species.* Prima in duas, quia primò arguit contra suæ positionis conclusionem. Secundò contra positionis, vel conclusionis rationem. Secunda ibi: *Amplius autem.* In prima parte quasi modo derisorio dicit positionem de ideis quasi irrationabilem. Dicit ergo quòd *qui ideas posuerunt*, vt Platonici, putà qui supple deliquerunt, *quia quarentes accipere causas* horum *existentium*, id est, entium sensibilium, *alia* supple à sensibilibus *his numero aqualia attulerunt*, id est, quòd adinuenerunt quædam alia noua entia æqualia in numero sensibilibus; quod videtur inconueniens, quia simile est; *vt si quis paucioribus quidem existentibus numerare volens putat non posse: plura verò faciens numerat.* Vult dicere, quòd positio Platonis est inconueniens: quia qui quærit causam aliquarum rerum de ipsis, debet ipsas res certificare, non addere alias res, ex quarum additione crescat difficultas inquirendi: quia hoc est simile, vt si quis vellet numerare res aliquas, quas non putat posse numerare, eo quòd sint pauciores; sed velit eas numerare multiplicando eas per additionem aliarum rerum; hoc enim videtur irrationabile: quia faciliùs numerantur & certificantur pauca, quàm multa: numerus enim tanto est certior, quanto est minor & propinquior vnitati, quæ est mensura certissima, vt habetur decimo huius, tex. com. 3. & inde. Quia igitur inquisitio de causis rerum est quædam mensuratio, & certificatio de naturis rerum: idcirco Plato, qui ad notificandum res sensibiles addit quasdam alias res separatas, adiungit difficultatem Anaxiomaticam, accipiens, quod est difficilius ad manifestationem faciliorum. Quòd autem ideæ separatæ sint æquales sensibilibus, ostendit consequenter, *nam ferè aquales, aut non pauciores:* sed supple plures *sunt species*, id est, ideæ *his*, scilicet sensibilibus, *de quibus quarentes causas ipsas, ab his* processimus nos, scilicet Platonici, ad eas scilicet ideas; cuius rationem assignat, cùm subdit; *vna enim species dicitur aliquid vniuocum, & circa substantias aliorum est vnum in multis & in his*, sensibilibus, *& sempiternis*, quia ratio propter quam Platonici posuerunt ideas, fuit ista: quia videbant in omnibus vniuocis esse vnum in multis, vnde illud vnum ponebant esse speciem separatam: hoc autem non inuenitur solùm in his sensibilibus, quæ sunt corruptibilia; sed etiam in Mathematicis, quæ sunt sempiterna: quia in eis multa sunt vnius speciei, vt superiùs dicebatur, & secundùm hoc omnibus speciebus, siue sensibilium, siue Mathematicorum respondet idea aliqua. Ex prædictis patere potest qualiter ideæ sunt æquales, aut non pauciores ipsis sensibilibus: quia ideæ vel ponuntur solius speciei, & sic erunt æquales numero istis sensibilibus, si sensibilia secundùm diuersas species numerentur, & non secundùm diuersa indiuidua, quæ sunt quasi numero infinita; vel ponuntur ideæ non solùm specierum, sed etiam generum, & sic sunt plures ideæ quàm species sensibilium: quia ideæ tunc erunt omnes species, & propter hoc omnia genera. Vel aliter, vt dicantur esse æquales, inquantum ponebant eas esse species sensibilium, & ideò non pauciores, sed plures, inquantum ponebant eas non solùm esse species sensibilium, sed etiam Mathematicorum.

Non oportet accipere difficiliora ad manifestandum faciliora.

85 *Arist. fuit discipulus Platonis.*

Notandum, quòd in isto loco, & per totum sequentem textum Philosophus connumerat se Platonicis, vt pote, quia primò Platonicus fuit, & discipulus Platonis.

Al. homogeneum.

Notandum enim quòd alia translatio, vbi nos habemus: *vnaquaque species dicitur aliquid vniuocum:* habet sic: *vnaquaque enim aquiuocum homonymum est:* licèt autem prima littera sit melior, vtraque tamen saluari potest. Prima sic: vnaquæque species dicitur aliquid vniuocum, inquantum scilicet est vnum in multis, & conuenit cum illis, de quibus prædicatur nomine & ratione speciei. Secunda littera sic: vnaquæque enim, scilicet illarum idearum, est cum istis sensibilibus quoddam æquiuocum vel homonymum, quod idem est; quia scilicet communicat cum istis sensibilibus in nomine: sicut enim Socrates dicitur homo, ita & illa idea; differunt tamen ratione, pro quanto ratio Socratis includit materiam sensibilem: ratio verò hominis idealis abstrahit à materia sensibili. Deinde cùm dicit:

Tex. com. 27

Amplius autem secundùm quos modos ostendimus, quia sunt species, secundùm nullum intellectum videntur horum. Ex quibusdam verò non est necesse fieri syllogismum: ex quibusdam verò est, & non quorum putamus, horum sunt species.

Impugnat rationes Platonis.

Arguit contra positionis rationem. Circa quod duo facit. Quia primò præmittit modos, quibus procedendum est contra rationes Platonis. Secundò exponit & prosequitur illos modos. Secunda ibi: *Quia secundùm rationes.* Ponit autem duos modos, quibus contra rationes Platonis inuehit. Primus modus est, quòd rationes eius non concludunt, nec faciunt Syllogismum. Secundò, quia rationes eius sunt reducibiles contra eum. Dicit ergo quòd *amplius* supple rationes, vel modi *secundùm quos ostendimus*, nos scilicet Platonici: *quia sunt species*, id est, ideæ *secundùm nullum horum videntur*, id est, quòd non cogunt. quod exponit. *Ex quibusdam enim*, scilicet illarum rationum, *non est necesse fieri syllogismum*; quia scilicet non concludunt: *ex quibusdam verò est*, id est, contingit fieri syllogismum, *& non quorum putamus, horum sunt species*, id est, quòd ex quibusdam modis, vel rationibus fit syllogismus; sed non ad propositum Platonis, nam per aliquas suarum rationum ostenditur, quòd ideæ separatæ sunt quarundam rerum, quarum species, vel ideas Platonici non esse putabant: similiter etiam quod ideæ non sunt illarum rerum, quarum ideas esse putabant, & sic rationes suæ sunt reducibiles contra eum. Deinde cùm dicit:

86

Quia secundùm rationes eas, quæ ex scientiis,

tiis, species omnium erunt, quorumcumque sunt scientiæ, & secundùm vnum in multis, & negationibus.

Prosequitur duos modos. Primo secundum, & secundo primum ibi: *Omnium autem dubitabit.* Prima diuiditur in sex, secundùm quod sex rationes fabricat contra eum. Secunda ibi: *Et secundùm quod aliquid.* Tertia ibi: *Amplius autem.* Quarta ibi: *Et omnino quæ sunt.* Quinta ibi: *Amplius autem ad existimationem.* Sexta ibi: *Hæ verò substantiam.* Ad euidentiam primæ partis,

Quare Plato posuit ideas?

Notandum, quòd ratio motiua Platonis ad ponendum ideas fuit, vt de eis scientia, & diffinitio possit esse, nam de sensibilibus non poterant haberi secundùm eum, vt superiùs dicebatur. Ex hoc primò sic arguitur contra eum: quorumcunque sunt scientiæ, illorum sunt ideæ, quia secundùm eum propter scientiam necessitas fuit idearum; sed non solùm de affirmationibus, sed etiam de negationibus habetur scientia; sunt enim aliquæ conclusiones demonstratiuæ negatiuæ; ergo negationum sunt ideæ, cuius oppositum Plato ponebat; & hoc est quod dicit, *quia secundùm rationes scientiarum species*, id est, ideæ *omnium erunt, quorumcunque sunt scientiæ, & sicut vnum in multis*, quod est per affirmationem, vbi vnum prædicatum dicitur de multis in quantum de subiecto vniuersaliter prædicatur: sed tam de affirmationibus, quàm de negationibus sunt scientiæ, & per consequens ideæ. Deinde cùm dicit:

Et secundum intelligere autem aliquid corruptibilium; phantasma enim aliquid horum est.

Ponit secundam rationem, quæ sic formari potest, eadem assumpta maiore, quæ priùs, & additur minor sic; sed de corruptibilibus secundùm quod corruptibilia, cuiusmodi sunt illæ naturæ, quarum est sensus, & phantasma, habetur scientia: nam de his est scientia Physica; ergo corruptibilium sunt ideæ, & per consequens aliquæ ideæ sunt corruptibiles, cuius oppositum asserebat. Dicit ergo, *& secundùm aliquid corruptibilium corrumpi intelligitur*, erit supple idea: *horum enim aliquid est phantasma*, id est, cognitio per phantasma. Deinde cùm dicit:

Text. co. 28.

Ampliùs autem rationum certissimæ; aliæ quidem eorum, quæ ad aliquid ideas faciunt, quorum non dicunt esse secundùm se genus: Aliæ verò tertium hominem dicunt esse.

Ponit tertiam rationem, quæ habet duas conclusiones, quæ vtique rationibus certissimis concluduntur. Prima est, quòd eorum quæ sunt ad aliquid sunt ideæ; quod tamen negabat Plato, dicens, ideas esse substantias per se existentes, & absolutas: Ista conclusio sequitur eodem modo quo priùs, scilicet eorum quæ sunt ad aliquid sunt scientiæ; ergo & ideæ: antecedens est euidens; sed consequentia valet per te. Secunda conclusio est, quia si sic, erit dare tertium hominem; consequens est falsum; ergo antecedens: sed consequentia sequitur ex eius positione, vt dicetur. Dicit ergo, *amplius autem rationum certissima*, supple probant quod sequitur, *aliæ quidem faciunt*, id est, probant esse ideas, *eorum quæ ad aliquid, quorum non dicunt*, scilicet Platonici, *secundùm*

Plato non posuit ideas eorum quæ sunt ad aliquid.

se genus, id est, ideam secundùm se existentem separatam: *aliæ verò*, scilicet rationes *dicunt*, id est, probant *tertium hominem*.

87 *Tertius homo secundũ Platonicos quomodo datur?*

Notandum, quòd esse tertium hominem secundùm opinionem Platonis potest tripliciter exponi. Vno quidem modo, quòd intelligatur homo idealis esse tertius à duobus particularibus, & sensibilibus hominibus, qui suscipiunt prædicationem hominis idealis: sed ista expositio non vadit ad intentionem Philosophi contra Platonem disputantis, nam Plato hoc non haberet pro inconuenienti, imò pro necessario. Alio modo exponitur, vt dicatur tertius homo, qui dicatur communis, & homini ideali, & homini singulari, & sensibili; nam cùm homo idealis, & homo sensibilis communicent rationem hominis, sicut duo homines singulares: sicut homo idealis ponitur tertius præter duos homines singulares sensibiles, ita oportet ponere alium tertium hominem præter hominem idealem, & hominem singularem sensibilem. Sed nec ista expositio videtur esse secundùm mentem Philosophi, nam ad hoc inconueniens deducit ratio, scilicet sexta quæ sequitur ad idem inconueniens bis deducere superfluum videtur. Tertio modo exponitur, quòd Plato posuit in quibusdam generibus tria; aliqua scilicet sensibilia, aliqua Mathematica, & aliquas species, siue ideas, sicut in numeris, & huiusmodi: sed non videtur maior ratio, quare in quibusdam rebus ponantur meliùs quàm in aliis: oportebit igitur in specie hominis ponere hominem, qui sit tertius inter hominem sensibilem, & hominem idealem. Deinde cùm dicit:

Et omnino quæ sunt de speciebus rationes auferunt ea quæ magis esse volunt, dicentes esse species, quàm ipsas ideas. Accidit autem ei dualitatem non esse primam secundùm numerum, & ad aliquid ipso quod secundùm se. Et omnia quæcunque aliqui de speciebus opiniones sequentes opposuerunt principiis.

Ponit quartam rationem, quæ potest sic formari: Quicunque per suam positionem remouet aliqua sibi magis necessaria, quàm sit sua positio, inconuenienter opinatur: sed rationes quas Plato posuit de ideis auferunt quædam principia, quæ Platonici ideas dicentes, volunt magis vera esse, quàm hoc ipsum quod est ideas esse; ergo Plato inconuenienter opinatur. Minorem autem sic ostendit: quia ideæ, secundùm Platonem, sunt priores rebus sensibilibus, & Mathematicis: sed ipsæ ideæ sunt numeri secundùm ipsum, & magis numeri impares quàm pares, quia numerum imparem attribuebat formæ, parem autem materiæ, vnde Plato dualitatem posuit ex parte materiæ; sequitur quòd alij numeri sint priores dualitate, quàm ponebant, sicut materiam sensibilium; scilicet magnum, & paruum, cuius contrarium Platonici maximè asserebant, scilicet dualitatem esse principium in genere numerorum. Tamen sicut probatum est per rationem præcedentem, quæ ponit ideas relationum, quæ scilicet secundùm se sunt ad aliquid, & ipsa idea est prior ideato quod ideam participat; sequitur quòd ipsum ad aliquid sit prius absoluto, quia secundùm se, & ad se dicitur: nam substantiæ sensibiles absolutæ sunt quæ tantùm participant ideas,

Al. veriora, vel notiora.

Quod ideæ sint numeri secundũ Platonem & præcipuè impares.

ideas, hoc autem videtur absurdum, quod relatiuum sit priùs absoluto. Dicit ergo, quòd *omnino rationes quæ sunt de speciebus*, id est, de ideis, *auferunt ea*, scilicet *qua dicentes esse species magis volunt esse*, scilicet vera quàm ipsas ideas esse, quod declarat cùm subdit: *Accidit enim*, scilicet secundùm Platonis opinionem *dualitatem non esse primam secundùm numerum*, quod scilicet abhorrebat, & sequitur etiam, Ad aliquid esse priùs *ipso quod secundùm se*, id est, ipso absoluto. Addit autem, quòd *omnia quacunque aliqui sequentes opinionem de speciebus principiis opposuerunt*, id est, quòd similiter est de aliis inconuenientibus, quæ sequentes opinionem de ideis dicunt opposita principiis per se notis, quæ ipsi etiam maximè concedebant. Deinde cùm dicit:

88
Text.co.29.

Amplius autem secundùm existimationem quidem, secundùm quam esse dicimus, & ideas, erunt non solùm substãtiarum species. sed multorum aliorum: etenim conceptus vnus non solùm circa substantiam, sed & de aliis est. Et scientiæ non solùm sunt ipsius substantiæ, sed & aliorum. Accidunt autem, & mille talia alia.

Text.co.30.

Secundùm verò necessitatem, & opiniones de eis si sunt participabiles species substantiarũ; necesse est ideas esse solùm: non enim secundùm accidens participantur; sed oportet hac vnusquisque participari, inquantum non de subiecto dicuntur, Dico autem, vt si quid per se duplo participat, hoc & sempiterno participat, sed secundùm accidens: accidit enim duplo sempiternum esse, quare substantia erit species.

Aperitur contradictio Platonis.

Ponit quintam rationem, quæ sic formari potest: Illa positio est impossibilis, quæ contradictionem includit euidentem: sed positio de ideis est huiusmodi; ergo, &c. Minorem declarat, quia secundùm positionem eius ex vna parte sequitur, quòd non solùm substantiarum, sed etiam accidentium sint ideæ, cùm eorum sint diffinitiones, & scientiæ. Ex alia parte dicit, quòd non sunt ideæ nisi substantiarum. cuius ratio est, quia ideæ participantur: ea autem quæ sunt per accidens non participantur, sicut ostendit per exemplum de duplo participante per se duplum, id est, duplum separatum, & perpetuum, & per consequens participat perpetuitatem; sed hoc est per accidens, quia aliàs duplum sensibile esset duplum per se perpetuum; ergo positio de ideis est omnino impossibilis. Dicit ergo, *ampliùs ad existimationem*, id est, ad opinionem, *secundùm quam quidem nos*, scilicet Platonici *dicimus esse ideas, non solùm substantiarum erit species, sed multorum aliorum*, scilicet accidentium. quod probat. *Etenim*, pro, quia *conceptus vnus*, id est, simplex, quo scitur res, qui est non solùm circa substantias, *sed, & de aliis est*, scilicet accidentibus, *scientia non solùm sunt ipsius substantiæ, sed & aliorum*, scilicet accidentium: *accidunt autem, & mille talium alia*, id est, non solùm propter definitiones, & scientias oportet esse ideas accidentium secundùm opinionem Platonis; sed etiam propter mille alia, id est, plurima alia; putà quia Plato ponebat ideas esse principia essendi, & fiendi rebus, & plurima alia; quæ etiam conueniunt accidentibus, *secundùm verò necessitatem, & opinionem de his*, id est, secundùm opinionem Platonis de ideis, & secundùm necessitatem, vt sunt, id est, necessariæ sensibilibus, si sunt participabiles species, scilicet à sensibilibus substantiarum solùm necesse est ideas esse: quod probat, *non enim secundùm accidens*, id est, ea quæ sunt secundùm accidens participantur, *sed eam*, id est, ideam *oportet participari ab vnoquoque inquantum non de subiecto dicitur*: non per accidens, quod declarat, *dico autem, vt si quid participat per se duplo*; hoc & sempiterno participat: qualiter, scilicet ipsum duplum per se est sempiternum: sed hoc est secundùm accidens, *Accidit enim ipsi duplo sempiternum esse, quare* sequitur supple, quod *substantia erit species*, id est, idea, quæ participatur, & non supple eorum quæ sunt per accidens, & tamen secundùm rationem sumptam ex ratione scientiarum oportet ideas esse accidentium, sicut & substantiarum. Deinde cùm dicit

89

Hæ verò substantiam hic significant & ibi. Aut quid erit ipsum esse dicere aliquid præter hoc vnum in multis. Et siquid eadem species idearum, & participantium aliquid erit commune: quid enim in corruptibilibus dualitatibus, & dualitatibus quidem multis, sed sempiternis dualitas magis vnum, & idem quàm in hac & alia? si verò non eadem species æquiuocatio erit, & simile, & si quis vocat hominem Calliam, & lignum, nullam illarum communitatem inspiciens.

Probatur processus in infinitum in ideis.

Ponit sextam rationem, quæ talis est: substantiæ tam sensibiles, quàm ideæ significant substantiam, & sunt substantiæ, ergo vel sunt eiusdem rationis, & speciei, vel non: si sic, ergo conueniunt in aliquo communi, quod est vnum in multis, & illud necessariò per se erit idea, nam illud quod est vnum in multis ponit ideam, ergo erit dare aliam ideam tertiam, & sic in infinitum. Nec valet si dicas quòd ideæ, cùm sint incorruptibiles, non indigent aliis ideis: quia etiam per se Mathematicorum sunt ideæ, non obstante quòd Mathematica sint incorruptibilia: si des aliam partem, quòd scilicet non sint eiusdem rationis, vel speciei; ergo erunt æquiuoca, sicut Callias & lignum sculptum, sunt homo æquiuocè, & tunc sequitur contra te quod ideæ non erunt principia cognoscendi substantias sensibiles, nam vnum æquiuocum non dat notitiam de altero, & hoc est quod dicit: *hæ verò hic*, id est, substantiæ sensibiles *substantiam significant, & ibi*, id est, substantiæ ideales similiter, quare necesse est apparere *quid præter eas vnum in multis*, id est, aliquam ideam tertiam: & *siquidem eadem species erit aliquid commune idearũ, & participantium*, id est, sensibilium substantiarum. Si dicatur quòd ideæ non indigent aliis ideis, cùm sint incorruptibiles: hoc reprobat dicens, *quid enim magis in dualitatibus corruptibilibus*, sicut sunt illæ sensibiles, *& dualitatibus multis quidem sed sempiternis*, cuiusmodi sunt dualitates Mathematicæ, *dualitas opposita*, scilicet tertia *vnum, & idem: aut in ea, aut in alia*? quasi diceret quòd non potest reddi ratio, quòd ideæ non habeant alias ideas, quia sunt incorruptibiles, cum Mathematica ponantur incorruptibilia, & tamen ponitur idea communis Mathematicis, & sensibilibus, sicut dualitas ponitur vna idea, & eadem communis dualitatibus sensibilibus

communis dualitatibus sensibilibus corruptilibus, & dualitatibus Mathematicis sempiternis: non est autem ratio, quare magis hîc quam ibi. *si verò non eadem*, scilicet si substantia idealis, & sensibilis non sunt substantia eadem communis, & vniuocè, *species*, id est, idea substantiæ *æquiuocum erit, & simile erit si quis vocat hominem Calliam & lignum*, supple figuratum figura hominis, *nullam communitatem inspiciens*, ex parte rei, & per consequens idea non erit principium cognoscendi res substantiales, cùm vnum æquiuocum non ducat per se in cognitionem alterius. Tunc sequitur illa pars:

SVMMARIVM.

Contra intentum Platonis ostendit ideas nihil conferre sensibilibus; quia non prosunt eis quoad motum, scibilitatem, vel exemplaritatem: nec sunt eorum substantia, nec fieri: & probat singula, & de exemplaritate fusiùs.

90 Text. co 31.

Omnium autem dubitabit aliquis maximè quid conferunt species sempiternis sensibilium, aut his quæ fiunt, & corrumpuntur.

Vbi exponit alium modum impugnandi Platonis rationes, scilicet quòd non concludant, nec faciant syllogismum.

Ostendit rationem Platonis non concludere.

Ad cuius euidentiam notandum, quòd Plato in suis rationibus hoc concludere intendebat, quòd scilicet ideæ essent necessariæ propter ista sensibilia: sed Aristoteles obuians huic, probat quòd ideæ in nullo prosint, nec sint necessariæ pro istis sensibilibus, in quo intentum rationum Platonicarum destruit, & quod concludere intendebat. Circa quod duo facit, quia primò proponit intentum. Secundò probat ipsum. Secunda ibi: *Nec enim motus.* Dicit ergo quòd *omnium dubitabit aliquis maximè*, id est, quòd inter omnia dubitabilia, quæ sunt contra Platonem, illud est maximum, *quid conferunt species*, id est, ideæ, *sempiternis sensibilium, aut his quæ fiunt & corrumpuntur*, quasi diceret, nihil, id est, quòd ideæ positæ à Platone non videntur aliquid conferre sensibilibus, nec sempiternis, vt sunt incorruptibilia cælestia; nec corruptibilibus, vt sunt corpora elementaria. Deinde cùm dicit:

Nec enim motus, nec transmutationis vllius sunt causa eis.

Ideæ Platonica nihil prosunt sensibilibus.

Probat quòd ideæ nihil prosint istis sensibilibus, & intendit hanc rationem; si ideæ in aliquo prodessent; hoc esset, vel quantum ad motum, vel quantum ad scientiam, vel quãtum ad exemplaritatem; vtpote quòd essent exemplaria sensibilium; vel quantum ad substantiam, puta quod essent substantiæ sensibilium; vel quantum ad eorum fieri; sed nullo dictorum modorum proficiunt eis, vt probabitur; ergo non sunt ponendæ propter ista sensibilia. Maior patet ex sufficienti diuisione. Minor probatur, & quia minor habet quinque partes: ideò quinque facit. Primò enim probat, quòd non proficiunt quantum ad motum. Secundò, quod non ad scientiam. Tertiò, quòd non ad exemplaritatem. Quartò, quòd non ad substantiam. Quintò, quòd non quantum ad fieri sensibilium. Secunda ibi: *At verò sed nec ad scientiam.* Tertia ibi: *Dicere exemplaria.* Quarta ibi: *Amplius autem videbitur.* Quinta ibi: *In Phædone verò.* Dicit ergo quòd *nec motus, nec transmutationis vllius est eis*, scilicet sensibilibus *causa*, scilicet ipsa idea.

Tenendo opinionem Platonis ideæ nequeunt poni causa motus.

Rationem huius non dicit, quia superiùs eam tetigit, & est: quia ideæ non introducuntur propter motum, sed magis propter immutabilitatem; Plato enim, quia opinabatur, omnia sensibilia esse in continuo motu, & fluxu, dixit de sensibilibus non posse haberi scientiam certam, & fixam, quia oportet ponere aliquod fixum stans immobile, quod dicebat esse ideam; si igitur ideæ sunt immobiles, magis videntur poni principia immobilitatis, quàm motus; puta quòd si aliquod fixum, & eodem modo se habens reperiatur in rebus sensibilibus; quòd hoc fit propter participationem idearum, quæ immobiles per se ponuntur, Deinde cùm dicit:

91

At verò nec ad scientiam quicquam auxiliatur eis quæ est aliorum: nec enim illæ horum substantia, nam in his essent. Nec ad esse conferunt; cùm non insint participantibus. Sic enim forsan causa videbitur esse album permixtum albo; sed hæc quidem ratio valde mobilis est quam Anaxagoras priùs, & Hesiodus posteriùs, & alij quidam dixerunt. Facile namque colligere multa absurda, & impossibilia ad talem opinionem. At verò nec ex speciebus sunt alia secundùm vllum modum consuetorum.

Ideæ non conferunt sensibilibus ad scientiam.

Ostendit, quòd ideæ non prosunt sensibilibus ad scientiam, & intendit talem rationem: scientia cuiuscunque rei habetur per cognitionem suæ propriæ substantiæ, & non per cognitionem alicuius alterius extrinseci; sed ideæ sunt aliæ substantiæ, & extrinsecæ à substantiis sensibilibus; ergo earum cognitio non proficit ad cognitionem substantiarum sensibilium. Nec valet, si dicatur quòd ideæ sint substantiæ sensibilium, sicut eis participantibus: sicut si intelligamus ipsum album per se existens separatum, & illud permixtum albo, quod est in subiecto particulari, & sensibili. Hæc enim ratio est valde mobilis, id est, destructibilis; quia ad eam sequuntur multa inconuenientia, dicit enim quòd *nec ad scientiam, quæ est aliorum*, id est, sensibilium, quæ sunt alia ab ideis, *nihil auxiliatur* eis, scilicet ponere ideas; *nec enim istæ*, scilicet ideæ, *sunt substantiæ horum*, scilicet sensibilium, *nam essent in his*, quia scilicet substantia vniuscuiusque non est separata à re, cuius est substantia, *nec ad esse, cùm non insint participantibus: sic enim forsan opinamur nos*, scilicet Platonici, causas esse, scilicet ipsas ideas: *vt album*, scilicet separatum *permixtum albo*, quod est in subiecto. Vnde subdit: *sed hæc quidem ratio mobilis*, id est, destructibilis est valdè, *quam Anaxagoras priùs*, tetigit, *& Hesiodus posteriùs, & alij etiam quidam dixerunt*, & benè supple dictum est, quòd illa ratio est destructibilis: *facile namque est colligere multa impossibilia ad talem*, id est, contra talem *opinionem*: sequitur enim, sicut suprà contra Anaxagoram dicebatur, quòd accidentia possunt esse sine subiectis; quia eorũ solùm est mixtio, quorum est possibilis separatio, & è con

Substantia rei nequit separari à re.

è conuerſo. Subdit autem quòd *nec ex ſpeciebus ſunt alia ſecundùm nullum modum conſuetorum dictorum*, id eſt, quòd non poteſt dici ideas proficere ad ſcientiam ſenſibilium ſicut eorum ſubſtantia: nec quòd ſint principia per modum participationis, & aſſiſtentiæ; ſed nec etiam poteſt dici, quòd ex ſpeciebus, ſicut ex principiis, ſiue alia, id eſt, ſenſibilia ſecundùm aliquem modum, qui conſueuit dici. Ex hoc patet, quòd quia eadem ſunt principia eſſendi, & cognoſcendi, oportet quòd ideæ non conferant ad ſcientiam, cùm non poſſint eſſe principia eſſendi; dicit autem ſecundùm nullum modum conſuetorum dici, quia Plato inuenerat multos nouos modos, vnum ex alio procedendi. Deinde cùm dicit:

92 Tex.com. 32

Dicere verò exemplaria eſſe, & eis alia participare, vaniloquium eſt, & Metaphoras dicere poëticas.

Idea non proficiunt ſenſibilibus, vt exemplaria.

Oſtendit, quòd ideæ non proficiunt ſenſibilibus, vt exemplaria. Circa quod duo facit. Primò proponit intentum. Secundò probat ipſum. Secunda ibi: *Nam quod eſt opus*, Dicit ergo quòd *dicere* ipſas ideas *eſſe exempla, & alia*, ſcilicet tam ſenſibilia, quàm Mathematica *participare eis*, eſt inconueniens, tum quia hoc *eſt vaniloquiū*, id eſt, vacuum & nulla eſt neceſſitas ponere talia exemplaria, vt dicetur; tum quia hoc *eſt dicere poëticas Metaphoras*, quod ſibi verecundum eſt ſcilicet Platoni, qui debet ex propriis procedere, & docere, quòd dicit propter hoc: quia Plato productionem naturalium aſſimilabat factioni artificialium, vbi artifex reſpiciens ad aliquod exemplar, producit aliquid ſimile ſuæ arti. Deinde cùm dicit:

Philoſophus non debet vti metaphoris poëticis.

Quid enim eſt quod agit ad ideas reſpiciens? contingit enim, & eſſe, & fieri ſimile quodcunque, & non aſſimilatum ad idem. Quare & exiſtente Socrate, & non Socrate exiſtente, fiet qualis Socrates.

Exemplar requiritur ad inducendam ſimilem formam in artificiato.

Probat propoſitum tribus rationibus, quarum ſecundam ponit ibi: *Similiter palam*, tertiam ibi: *Amplius autem.* In prima parte intendit talem rationem: exemplar ad hoc requiritur, vt artifex inducat ſimilem formam in ſuo artificiato reſpiciendo ad exemplar: videmus enim in naturalibus, quòd ſimilia ex ſimilibus generantur, ſicut homo ex homine: aut ergo illa ſimilitudo prouenit in rebus generatis per aſpectum alicuius agentis ad exemplar, aut non; ſi non, ergo nulla eſt vtilitas reſpicere ad ideas, ſicut ad exemplar; ſi ſic, ergo eſt cauſa ſimilitudinis, ad quod ſequitur inconueniens, quòd aliquis generetur ſimilis Socrati, ſiue poſito, ſiue non poſito ipſo Socrate, quod apparet eſſe falſum: quia niſi Socrates agat in generatione, numquam aliquis ſimilis Socrati generatur: ſi ergo eſt falſum, quòd ſimilitudo rei generatæ non dependeat ab agente proximo particulari, vaniloquium eſt ponere aliqua exemplaria ſeparata. Dicit ergo, nam *quod eſt opus*, id eſt, vtilitas ad *ideas reſpiciens?* quaſi diceret nulla, *contingit enim eſſe, & aliquid fieri ſimile illi*, ſcilicet agenti particulari, ſupple ex hoc ſolo, quod reſpicitur ad exemplar ſecundùm iſtam opinionem *quia, & exiſtente, & non exiſtente*, ſupple *ipſo Socrate, fiet quidem Socrates*, id eſt, generatur ſimilis Socrati, quod ſupple eſt inconueniens manifeſtum.

Licèt rationes Ariſt. deſtruant ideas Platonicas, non tamen ideas diuinas.

Notandum, quòd illa ratio non deſtruit exemplaria, ſiue ideas Theologicas, quæ in intellectu diuino obiectiuè habent eſſe; agens enim naturale, ſi intendit ſibi ſimile generare, hoc eſt quia aliquod ſuperius agens per intellectum ipſum determinat, dando ſibi talem formam, per quam poſſit, & intendit ſibi ſimile generare. Natura enim licèt agat propter finem, vt dicitur 2. Phyſic. Text.com.49. & inde. non tamen cognoſcit finem; ſed dirigitur ad finem ab aliquo cognoſcente finem. propter quod dicit Commentator 12. Metaphyſicæ, c. 18. quòd natura non agit niſi rememorata ex cauſis ſuperioribus; opus enim naturæ eſt opus intelligentiæ, qui eſt Deus omnia cognoſcens: ſed rationes ideales ſunt ipſæ res poſitæ in eſſe cognito, & obiectiuo intellectui diuino; ſed benè verum eſt, quòd pro vniuocatione generationis in iſtis inferioribus ſaluanda, non eſt neceſſarium ponere ideas Platonicas; ſicut hìc arguit Ariſtoteles contra eum. Deinde cùm dicit:

93

Similiter autem palam, quia ſi ſit Socrates ſempiternus, erunt eiuſdem exemplaria plura, quare & ſpecies, vt hominis, animalis, aut bipedis: Simul autē τὸ αὐτὸ ἄνθρωπος.

Superfluè ponuntur vnius exēplati plura exēplaria.

Ponit ſecundam rationem, quæ ſic formari poteſt: ſi ideæ ponuntur exemplaria ſenſibilium; ergo vnius exemplati erunt plura exemplaria, quod videtur inconueniens & ſuperfluum. Conſequentia patet ex hoc, quia ſicut Socrates aliquid addit ſupra hominem, ita homo aliquid addit ſupra animal, & ipſe Socrates vtrumque participat: ſi igitur præter Socratem ſenſibilem, poneretur alius Socrates ſempiternus, quaſi exemplaris; ſequitur quòd ille Socrates ſenſibilis haberet plura exemplaria ſcilicet Socratem ſempiternum, & ideam hominis. Eadem etiam ratione ſequitur, quòd ſpecies hominis habet plura exemplaria, vt animal & ipſum bipes, & ipſa ſimiliter hominis idea. Dicit ergo. *Similiter palam, quia etiam ſi ſit Socrates ſempiternus, erunt eiuſdem exemplaria plura* modo præexpoſito: *quare & ſpecies hominis habebit*, ſupple plura exemplaria, vt animal & bipes. *Similiter autem τὸ αὐτὸ ἄνθρωπος*, id eſt, idea hominis, quæ ſupple habebit plures alias ideas & plura exemplaria. Deinde cùm dicit:

Amplius autem non ſenſibilium ſpecies exēplaria; ſed etiam ipſarum, vt genus ſpecierum. Quare idem erit exemplar & imago.

Ponit tertiam rationem, quæ ſic formari poteſt: ſicut ſe habet ſpecies ad indiuiduum, ſic ſe habet genus ad ſpeciem: ſed ſpecies ſunt exemplaria indiuiduorum; ergo genera erunt exemplaria ſpecierum. Dicit ergo quòd *non* ſolùm *ſpecies erunt exemplaria ſenſibilium*, id eſt, indiuiduorum; *ſed etiam earum ſpecierum, vt genus*, id eſt, genus erit exemplar ſpecierum, quod ſcilicet eſt inconueniens, *quia idem erit exemplum*, id eſt, *exemplar & imago*, id eſt, exemplatum. Deinde cùm dicit:

Tex.co.33.

Amplius videbitur eſſe vtique impoſsibile, ſeparatim ſubſtantiam, & cuius eſt ſubſtantia. Quare quomodo ideæ rerum ſubſtantiæ erunt exiſtentes ſeparatim?

Oſtendit,

Idea Platonica non possunt esse substantia sensibilium.

Ostendit, quòd ideæ non proficiunt sensibilibus, quantum ad substantiam, id est, quòd sint substantiæ sensibilium. Et intendit talem rationem: impossibile est ipsam substantiam rei esse separatam ab ipsa re: sed ideæ ponuntur separatæ ab ipsis sensibilibus; ergo non possunt esse substantiæ sensibilium. Dicit ergo quòd *Amplius autem videbitur*, scilicet verè alicui *impossibile esse separatim substantiam, & illud cuius est substantia*; ergo *quomodo ideæ existentes substantiæ rerum* scilicet secundùm Platonem, *separatæ erunt?* quasi diceret impossibile est esse. Deinde cùm dicit:

Tex. c. 34.

In Phædone verò sic dicitur, quasi ipsius esse & fieri causæ sint species. Et etiam in existentibus speciebus cùm non fiunt participantia, si sit quod mouit.

94

Nequeunt esse causæ sensibilium.

Ostendit quòd ideæ non proficiunt sensibilibus quantum ad eorum fieri. Licet Plato hoc dixerit in Phædone id est in quodam libro sic nominato: ibi enim ponit quòd ideæ *sint causæ sensibilium, & quantum ad esse, & quantum ad fieri.* Contra hoc arguit duplici ratione. Secundam ponit ibi, *Et multa sunt alia.* In prima parte intendit talem rationem: positâ causâ sufficienti ponitur eius effectus; sed existentibus speciebus, siue ideis, non propter hoc fiunt hæc ipsa indiuidua participantia ipsas ideas, nisi sit aliquod motiuum, id est, agens particulare, quod moueat ad speciem & ad formam; ergo ideæ non erunt causæ rerum, quantum ad esse, & quantum ad fieri: litera patet.

A.l. fiunt.

Notandum, quòd ideæ secundùm Platonem semper sunt vniformiter se habentes. Si igitur ideis positis fierent indiuidua sensibilia, sequitur quòd indiuidua semper essent, & semper fierent: quod apparet esse falsum; ergo ideæ non proficiunt sensibilibus nec quantum ad esse, nec quãtum ad fieri: maximè cùm secundùm Platonem ideæ non ponantur causæ motiuæ: vt iam superiùs fuit dictum. Deinde cùm dicit:

Et multa alia, vt domus & annulus, quorum non dicimus species esse: quare palam quia contingit alia esse & fieri: præter tales causas; quales & nunc dictæ sunt.

Ponit secundam rationem, quæ sic formari potest: sicut se habent artificialia ad causas artificiales, sic naturalia ad causas naturales: sed artificialia, puta domus & annulus, fiunt à causis suis, quorum Platonici species non ponebant; ergo naturalia contingit fieri à suis proximis causis naturalibus & non ab ideis. Dicit ergo, *quòd multa alia* sunt scilicet artificialia, *vt domus, & annulus, quorum species esse non dicimus nos* scilicet Platonici. *Quare palam, quia contingit aliqua fieri & esse* scilicet naturalia *præter tales causas, quales nunc dictas*, id est, præter ideas, vel tales causas, quales nunc dictas, id est, naturales quales contingit esse nunc dictas, id est, quòd sic res naturales fiunt à causis naturalibus proximis, sicut artificialia à rebus artificialibus, vt nunc proximè dictum fuit &c.

Al. dictæ.

SVMMARIVM.

Refutat Platonem ponentem suas ideas esse numeros, sex rationibus, quas optimè exponit Doctor, earum efficaciam confirmans.

95. Text. c. 35.

Amplius, si sint numeri species, quomodo causæ erunt? vtrùm quia alij numeri sunt existentia ipsa, vt hic quidem numerus homo: ille verò Socrates, & alius Callias? Quid igitur his sunt causæ illi? Nec enim refert, si hi quidem sempiterni sunt, illi verò non.

Text. c. 36.

Si verò quia rationes numerorum, & hic vt symphonia, palam quia est vnum quid, quorum sunt rationes. Si itaque hæc materia, manifestum quia & ipsi numeri aliquæ rationes sunt alius ad aliud. Dico autem si est Callias ratio in numeris ignis, & terræ, & aquæ, & aëris; & τὸ αὐτὸ ἄνθρωπος: siue numerus quis existens: siue non. Tamen erit ratio in numeris quorumdam, & non numerus. Et non erit quus præter ea numerus.

Postquam philosophus disputauit contra Platonem, quantum ad hoc, quòd posuit ideas separatas; nunc disputat contra eum quantum ad hoc, quòd posuit ideas esse numeros, & diuiditur in duas partes. Quoniam primò probat positionem Platonis de numeris. Secundò de magnitudinibus. Secunda ibi: *Volentes autem.* Prima diuiditur in sex, secundùm sex rationes, quas ponit contra ponentes numeros. Secunda ibi: *Amplius ex multis.* Tertia ibi: *Amplius est aliquod.* Quarta ibi: *Amplius vnitates.* Quinta ibi: *Amplius quare.* Sexta ibi: *Amplius autem cum dictis.* In prima parte innuit rationem, & tres responsiones possibiles fieri, & earum reprobationes tangit breuiter & obscurè. Ratio talis est: Impossibile est ideam esse causam & principium suimet: sed, per te, illa sensibilia sunt quidam numeri. Si ergo ideæ sunt quidam numeri, & sunt causæ sensibilium, vt dicis; ergo numeri erunt causæ, & principia numerorum, & per consequens idem erit causa suimet. Si respondeas, Primò, quòd âlij sunt numeri illi, & hi, vt Plato etiam dixit, sicut dictum fuit suprà. Contrà, quia cùm vtrique sint numeri, & conueniant in ratione numeri: non videtur ratio quare magis illi sint causæ istorum & isti non illorum, vel debes dicere quare: ideò dicit: *quid igitur his sunt causæ illi.* Si dicas secundò, quòd illi numeri sunt sempiterni, isti non: ideò illi possunt esse causæ istorum, & non è conuerso. Contrà, quia propter hoc nihil differrent: nam sempiternitas, vel non sempiternitas sunt rationes absolutæ: esse autem causam & causam sunt rationes respectiuæ; ideò ex sempiternitate, vel non sempiternitate non potest reddi sufficiens ratio: quia hoc sit causa, & illud sit causatum, nisi plus addas: ideo dicit quòd nec sic differunt. Si dicas tertiò, quòd illa sensibilia sunt quædam rationes, id est, proportiones numerorum sicut symphonia musicalis; & ideò numeri illi sunt causæ istorum: quia proportiones numerales applicantur istis rebus eo modo, quo numeri dicuntur causæ symphoniæ, & proportiones numerales applicantur ad symphoniam.

Contra ideas Platonis in quantum eas numeros posuit.

Contrà: quia ex hoc sequitur, contra te, quòd ideæ non erunt numeri separati, ideò nullus erit

separatus. Probatio huius consequentiæ: quia si sic, oportet quòd illi numeri, siue proportiones numerales, applicentur ad aliquod genus, sic quòd quicquid continetur sub illo genere, sit substantialiter quædam proportio numeralis: sicut proportiones numerales, quæ sunt principia symphoniæ applicantur ad aliquod genus, scilicet ad sonum, vt quicquid continetur sub sono, sit quædam proportio numeralis. Illud ergo genus in proposito sit materia: puta quòd ideæ illæ sunt quædam proportiones terræ, aëris, vel aquæ, & ignis, ex quibus res materialiter componuntur sensibiles, & tunc sequitur, quòd ideæ non erunt numeri separati: sed numeri applicati, & quædam proportiones rebus applicatæ, cuius contrarium asserebat, & hoc est quod dicit: *Amplius si species*, id est, ideæ *sunt numeri: quomodo erunt causæ?* scilicet sensibilium: quasi, dicat, non potest dici: cùm ipsa sensibilia sint etiam quidam numeri, & sic idem esset causa suimet. Postea tangit primam solutionem dicens: *vtrùm quia ipsa existentia*, id est, ipsa sensibilia entia, *sunt alij numeri*, scilicet ab ipsis ideis, *vt hic quidem numerus homo: ille verò Socrates, & alius Callias*: sed hoc supple non sufficit: *quid igitur*, id est, quare *his sunt causæ illi?* quasi diceret, quòd non potest dari ratio, cùm vtrique communicent in nomine & ratione numeri. Postea innuit secundam solutionem dicens: *nec enim differunt, si hi quidem numeri sempiterni; isti verò non*, modo præexposito. Postea innuit tertiam solutionem dicens: *si verò*, scilicet dicas, quòd hæc scilicet sensibilia: *sunt rationes*, id est, proportiones numerorum, *vt symphonia: palam quia quorum vnum quid*, id est, genus *quorum sunt rationes* ad quod applicantur illæ proportiones: *sed si hæc sit materia: manifestum & ipsi numeri ideales* scilicet & separati *alicuius erunt rationes*, id est, proportiones *ad alium*, scilicet applicatæ, quod exponit: *Dico autem si est Callias ratio*, id est, proportio *in numeris terræ, & aëris, ignis, & aquæ, & τὸ αὐτὸ ἄνθρωπος*, id est, homo idealis *siue numerus quis existens, siue non: tamen ipse*, scilicet homo idealis, *erit ratio*, id est, proportio *quorundam in numeris, & non erit quis numerus præterea*, id est, præter res numeratas, id est, quòd homo idealis erit proportio aliquorum numeratorum, siue ipse in se ponatur numerus esse, siue non, secundùm duas opiniones. Nam quidam dicunt ideas esse numeros, vt Platonici: quidam non, vt Philosophi aliqui naturales, & sic nullus erit numerus separatus. Deinde cùm dicit:

Text.co. 37.

Amplius ex multis numeris vnus fit numerus: ex speciebus autem vna species qualiter?

96

Ponit secundam rationem. Circa quod duo facit. Primò præmittit rationem. Secundò excludit quandam responsionem. Secunda ibi: *Sed si nec ex eis.* In prima parte intendit talem rationem: Ex multis numeris fit vnus; ergo si ideæ sint numeri, ex multis ideis fieret vna: quod est impossibile, quòd scilicet ex multis diuersarum specierum constituatur aliquod vnum in specie. Dicit ergo. Quòd *amplius ex multis numeris fit vnus numerus: ex speciebus autē*, id est, ideis *qualiter fiet vna species?* quasi dicat, hoc est impossibile.

Notandum, quòd impossibile est fieri aliquod vnum secundùm speciē ex multis diuersarum specierum: nisi ista diuersa corrumpantur quantum ad suas formas, & non maneant in actu perfecto proprio formali. Exemplum, ex quatuor elementis, quæ sunt alterius speciei, generatur mistum vnius speciei: puta lapis: ipsa tamen elementa corrumpuntur totaliter quantum ad suas formas, & transeunt in ipsum mistum secundùm opinionem quam credo veriorem. Ad propositum ex diuersis speciebus non fit aliquod vnum secundùm rationem speciei: sed ratione indiuiduorum, quæ possunt adinuicem alterari & permisceri. Species autem numerorum, si coniungantur, numerū constituunt: sicut ternarius & quaternarius constituunt septenarium: quod de ideis non videtur posse intelligi. Deinde cùm dicit:

Quo ex elementis generatur forma misti.

Est opinio Doct. in 2, dist. 15.

Text.co. 38.

Sed si nec ex ipsis sed ex vnis, vt in millenario quomodo se habent vnitates: siue enim eiusdem speciei, multa inconuenientia accidunt; siue non eiusdem speciei, nec eadem sibiinuicem: nec aliæ omnes omnibus.

Quomodo namque differunt impaßibiles existentes? Nec enim rationabilia hæc; nec consentanea menti.

97

Excludit responsionē, quæ posset dari à Platone, scilicet quòd ex multis numeris non fit vnus numerus: sed quilibet numerus fit ex vnitatibus; immediatè hanc excludit, dicens *quòd si* dicatur quod *nec* numerus fit *ex eis*, id est, ex numeris: *sed ex vnis*, id est, vnitatibus: *vt in numero millenario*, vel quolibet alio: quia quomodo *se habent* adinuicem illæ *vnitates*, quæ numerum faciunt: quia vel sunt conformes adinuicem, vel difformes: *si namque conformes, multa inconuenientia accidunt:* quia scilicet sequitur contra ponentes ideas esse numeros, quòd diuersæ ideæ non differant secundùm substantiam: sed solùm secundùm excessum vnius super aliam; sicut vnus numerus excedit alium in pluralitate vnitatum; videtur etiam inconueniens quòd vnitates sint multæ & non differant: sed sint conformes, cùm ad multitudinē sequatur diuersitas & difformitas aliqualis: si verò non sunt conformes, hoc potest esse dupliciter. Vno modo, quòd vnitates vnius numeri sint difformes ab vnitatibus alterius numeri, puta vnitates senarij ab vnitatibus ternarij, & tamen vnitates eiusdem numeri sint sibiinuicem conformes. Alio modo, quòd vnitates eiusdē numeri, nec sibi inuicem, nec vnitatibus alterius numeri sint conformes. Et hanc diuisionem innuit cum dicit: *Et si non conformes, nec eadem sibi inuicem, nec aliæ omnes omnibus*; quæ scilicet pertinent ad diuersos numeros; quòd autē non ponatur difformitas inter vnitates arguitur; quia omnis difformitas est per aliquam formam, vel passionē: sicut corpora mista sunt difformia caliditate, frigiditate, dulcedine, amaritudine, & huiusmodi passionibus: vnitates autē cum sint impassibiles, secundū Platonem, nō habent tales passiones, nec per cōsequens possunt per tales passiones difformari ab inuicē, & differre. Et hoc est quod dicit, *quomodo namque differunt*, scilicet vnitates *impassibiles existentes*, quasi dicat, quòd nequaquam. Concludit ergo quòd ea supple quæ de ideis, & numeris dicta sunt à Platone *nec sunt rationabilia*, id est, conclusa per certā rationem: *nec intelligentiæ confessa*, id est, nec per se nota: sicut principia quæ solo intellectu sunt nota, & confessa. Deinde cùm dicit:

Multitudo arguit difformitatem.

Causa difformitatis sunt passiones.

Al. intelligere.

Amplius

98

Amplius autem aliud aliquod genus numeri facere est necesse, circa quod sit Arithmetica.

Text. c. 39

Et omnia intermedia dicta ab aliquibus simpliciter, ex quibus fiunt principiis: aut quia intermedia eorum quæ hîc, & ipsorum erunt.

Ponit tertiam rationem, quæ sic formari potest: Si ideæ sunt numeri, ergo erit aliquod tertium genus numerorum inter ideas, & res sensibiles, de quibus erit Arithmetica; consequens videtur inconueniens & superfluum, cum tam ideæ quàm res sensibiles sint quidam numeri: quare infra sensibilia, & ipsas ideas ponere oportet numeros medios. non videtur consequentia neganda:quia sicut in aliis generibus tu ponis eadem media, & eadem ratione in genere numerorum debes ponere aliquod medium. Dicit ergo quòd *Amplius autem necesse est, facere aliquod aliud genus numeri*, quod scilicet sit medium inter ideas, & res sensibiles: quæ omnia ponuntur quidam numeri esse:*circa quod genus medium erit Arithmetica*: *& hæc omnia infra dicta*, id est, intermedia, vt sunt dicta secundùm Platonem, *aut sunt sicut ex quibus simpliciter fiunt*, scilicet ex proximis principiis: *aut ex quibus fiunt primis*, hoc autem dicit: quia secundùm vnam opinionem videtur quòd numeri sint immediata principia aliquorum Mathematicorum, nam vnum dicebant constituere punctum,& binarium lineam, & ternarium superficiem, & quaternarium corpus, secundùm quod dicitur primo de Anima. text.com,5.& inde. Secundùm autem aliam opinionem Mathematica videntur resolui in numeros: sicut in prima principia, & non proxima: nam corpora dicebant componi ex superficiebus; superficies ex lineis; lineas ex punctis; puncta ex vnitatibus,quæ constituunt numeros. de qua opinione habetur tertio de Cœlo, & mundo, text. com. 26. & inde. vtroque tamen modo numeri erunt principia Mathematicorum: sicut enim Mathematica erant principia media inter sensibilia, & ideas; ita oportet facere aliquod genus numeri medium inter numeros,qui sunt ideæ,& numeros qui sunt substantiæ rerum, de quibus fit Arithmetica, vt de proprio subiecto: postea destruit conclusionem dicens arguendo: *quare infra principia*, id est, sensibilia, & species, id est, ideas supple erit aliquod medium: quod dicendum non videtur, cùm sint numeri tam sensibilia, quàm ideæ.Deinde cùm dicit:

Quomodo numeri sunt principia Mathematicorum duobus modis secundũ quosdam.

99
Text.co.20.

Amplius vnitates, quæ sunt in dualitate: vtraque est ex aliqua priore dualitate quamuis impossibile.

Ponit quartam rationem, quæ sic formari potest: Si ideæ essent numeri, ergo aliqua dualitas esset prior vnitate: consequens est falsum, ergo & antecedens. Consequentiam breuiter probat dicens: *amplius vnitates, quæ sunt in dualitate, vtraque*, scilicet tam sensibilis, quàm Mathematica, *est ex aliqua priori dualitate,& hoc est impossibile*: vult dicere quòd ea, si quæ sunt in sensibilibus, & Mathematicis, ponuntur causata ex ideis; ergo si aliqua vnitas reperiatur in sensibilibus, & Mathematicis, oportet quòd vtraque vnitas talis dualitatis posterioris, sit causata ex priori dualitate, quæ est idea dualitatis: sed hoc est impossibile,quòd vnitas ex dualitate causetur, sed magis potest dici èconuerso. Deinde cùm dicit:

Amplius quare vnum *numerus est collectus?*

Ponit quintam rationem, quæ talis est: Multa non concurrunt ad cõstituendum aliquod vnum,nisi sit aliqua causa coniungens illa concurrentia multa: siue sit causa extrinseca, vt agens; siue intrinseca, vt aliquod vinculum copulans, & coniungens; putà viscus, & clauus: sed nullum istorum potest dici de vnitatibus; ergo vnitates non constituunt ideam vnam. Ideò dicit: *Amplius quare vnum est numerus collectus?* quasi diceret, quòd non videtur posse causa dari.Deinde cùm dicit:

Multa non faciunt vnũ, nisi adsit aliquid coniungens vtraque

Text.co.41.

Amplius cum dictis, si sint differentes vnitates, oportebit vtique dicere quemadmodum quicunque elementa quatuor, aut duo dicunt. Etenim horum quilibet non commune dicit elementum esse, vt corpus: sed ignem, & terram, siue sit commune corpus ipsum,siue non. Nunc antem dicitur quasi vno existente, quemadmodum igne, aut aqua, similium partium: si verò sic, non erunt substantiæ numeri. Sed palàm, quia sic omne est aliquid vnum ipsum, & hoc est principium. Quare multipliciter dicitur ipsum vnum,aliter enim impossibile est.

100

Ponit sextam rationem, quæ sic formari potest: Si numeri sunt ideæ, & substantiæ rerum, oportet quod vel vnitates sint differentes, vel conuenientes, vt superiùs dicebatur: si sunt differentes, sequitur quòd vnitas, inquantum vnitas, non sit principium; sicut patet à simili: nam aliqui Philosophi naturales ponentes quatuor elementa esse principia, vt Empedocles, non ponebant corpus commune esse principium, licèt corpus sit quoddam commune ipsis quatuor elementis: sed ponebant principia rerum terram, aquam, aërem, ignem, quæ sunt corpora differentia; vnde licèt vnitates sint differentes, non tamen est dicendum, quòd ipsa vnitas,inquantum vnitas, sit principium;quamuis omnes conueniãt in ratione vnitatis, quod est contra Platonem,qui vult quòd ipsum *vnum* sit principium: sicut naturales dicunt principium esse ignem, vel aërem, vel aquam, vel aliquod huiusmodi. Et hoc est quod dicit: *Amplius* autem, *cum dictis*, scilicet rationibus,supple est ista ratio quæ sequitur,quia *si sint vnitates differentes, oportebit ita dicere quemadmodum dicunt quatuor elementa alij duo eorum*, scilicet esse principia, vt fuerunt Philosophi naturales: quod exponit dicens, *etenim quisque horum*, scilicet Philosophorum, *non dicit elementum*, id est, principium aliquod commune, *vt corpus*: sed ignem, & terram: *siue corpus sit commune, siue non*: quia de hoc non curabant: *nunc autem dicit* ab eis, quasi *vno existente*, scilicet illo principio quod ponebant:*quemadmodum aut igne,aut aqua similium partium:si verò sic* est, *numeri non erunt substantiæ* rerum, id est, quòd si hoc est verum, quod conclusum est contra Platonem,

Vnitas inquantum vnitas non est principium.

nem, scilicet quod vnum inquantum vnum, non sit principium, & substantia rerum, sequitur quòd numerus non erit substantia rerum: quia numerus non ponitur substantia rerum, nisi prout constituitur ex vnitatibus, quæ dicuntur substantia rerum: & per consequens est contra hoc quod dicitur; ideas esse numeros secundùm substantiam. Si detur alia pars, scilicet quòd vnitates non sint differentes, sed vniformes; *palam quia omne*, id est, totum vniuersum *est aliquod vnum*, & idem ex quo substantia cuiuslibet rei est, *ipsum* vnum, quod est indifferens: sequitur etiam quòd *hoc*, id est, illud vnum *est principium*, scilicet omnium, quod est impossibile: tum ratione positionis in se, quæ de se est impossibilis, scilicet quòd omnia sint vnum substantialiter: nam omne vnum est vnum propria vnitate: & si illud vnum in numeris esset principium, res non differrent: quod est impossibile: tum quia concludit repugnantiam contradictionis, eo quòd ponit omnium rerum esse vnam substantiam, & tamen illud vnum est principium, nam vnum, & idem, non est principium suimet; nisi forsan dicatur quòd vnum dicitur multipliciter: vt sic diuisa multiplicitate vnius dicantur omnia esse forsan idem genere, non idem specie, vel numero: ideò dicit, quòd *multipliciter dicitur vnum*, scilicet vnum genere, vnum specie, & vnum numero, *aliter enim impossibile est*, scilicet saluare omnia esse vnum, nisi diuidendo vnum modo dicto. Tunc sequitur illa pars.

Al. distincta vnitate dicantur.

SVMMARIVM.

Refutat Platonicos ponentes magnitudines esse substantiam rerum sensibilium, duabus rationibus, quas benè explicat Doctor, ac etiam illam Platonicorum positionem.

101 Tex. co. 41.

V*olentes autem substantias ad principia reducere. Longitudinem quidem ponimus ex producto, & breui; & ex aliquo paruo, & magno; & planum ex lato, & arcto; corpus verò ex profundo, & humili.*

Vbi disputat contra Platonem, quantum ad id quod posuit de magnitudinibus Mathematicis. Circa quod duo facit. Primò præmittit eius positionem. Secundò subiungit positionis improbationem. Secunda ibi: *At tamen quomodo habebit.* Dicit ergo, quòd Platonici *volentes rerum, substantias ducere*, id est, reducere *ad principia*, id est, prima, *ponimus* nos, scilicet Platonici, *longitudines quidem*, id est, lineas supple componi *ex producto, & breui, & ex aliquo paruo, & magno: & planum*, id est, superficies *ex arcto & lato*, id est, stricto, & amplo: *corpus verò ex profundo, & humili.*

Notandum, quòd cùm Platonici ponebant magnitudines esse substantias rerum sensibilium, scilicet lineam, superficiem, & corpus, assignantes principia istorum, putabant se rerum principia omnium assignasse: dicebant enim lineas componi ex longo & breui, & sic de aliis, ex eo quòd ponebant principia omnium rerum esse contraria: quia etiam linea est prima inter continuas quantitates, tribuebant ei magnum, & paruum: vt ex hoc quòd ista duo ponebant principia lineæ, ostendatur quòd etiam sunt principia aliarum quantitatum: dicit enim constitui lineam ex aliquo magno, & paruo: quia enim in ideis ponebant magnum, & paruum, vt prædictum fuit: sed secundùm quod ad situm contrahuntur, quodammodò determinantur ad magnitudinem: ita quòd primò constituant lineam, & consequenter reliquas magnitudines. Deinde cùm dicit:

Ponentes principia omnium rerum esse côtraria.

102 Text. co. 43.

At quomodo habebit aut planum lineam? aut solidum lineam, & planum? Aliud autem genus est, & latum, & arctum: & profundum & humile: quemadmodum ergo nec numerus est in eis: quia multum & paucum ab his alterum: palam quia nec aliud quicquam superiorum inerit inferioribus. At verò nec genus profundi latum: esset enim planum aliquod corpus.

Subiungit istius positionis improbationem, Circa quòd duo facit, secundùm quod per duas rationes arguit contra eam. Secunda ibi: *Amplius autem puncta.* In prima parte intendit talem rationem: Quorum principia sunt diuersa, & ipsa sunt diuersa; sed principia prædictarum magnitudinum secundùm dictam positionem sunt diuersa; ergo ipsæ magnitudines sunt diuersæ. Quomodo ergo poterit dici quòd superficies habeat in se lineam, & corpus lineam, & superficiem? quasi diceret, non videtur. Dicit ergo; *Attamen*, si supple prædicta sunt vera: *quomodo aut habebit planum*, id est, superficies, *lineam: aut solidum*, id est, corpus, *lineam, & planum*? quasi diceret, non videtur. Cuius rationem subdit, *aliud est enim genus*, scilicet principiorum, *latum & arctum*, quæ sunt principia superficiei; *& aliud humile & profundum*; quæ sunt principia corporis: quod declarat per simile in numero: multum etiam & paucum, quæ ponuntur principia numeri, sunt alterius generis à longo & breui, & aliis prædictis, & ideò numerus non continetur in his magnitudinibus; sed est per se separatus: vnde eadem ratione nec illud quod est superius inter prædicta erit in inferioribus, sicut linea non erit in superficie, nec superficies in corpore. Et hoc est quod dicit, *ergo numerus nec est in eis*, scilicet dictis magnitudinibus: *quia multum & paucum*, quæ scilicet sunt principia numeri, *diuersum est ab his*, scilicet à principiis dictis, *palàm, quia nec alius nihil superiorum inerit inferioribus*: vt dictū est. Subdit. *At verò, sed nec latum est genus profundi*: quod probat, *etenim aliquod corpus esset latum*, id est, superficies. Hoc autem dicit, quia fortè aliquis poneret quòd prædictorum contrariorum principia sunt genera aliorum: sicut quòd longum esset genus lati, & latum genus profundi: vt superficies corporis: quod patet esse falsum: quia tunc corpus esset aliqua superficies. Deinde cùm dicit:

Quæ habent diuersa principia sunt diuersa. Tange hæc quomodo in via Arist. corpus dicat tres dimensiones & superficies duas.

103

Amplius puncta ex quo existunt? Huic quidem generi & Plato oppugnabat: tanquam existente Geometrico dogmate. Sed lineæ principium vocabat. Hic autem multoties indiuisibiles lineas posuit: quamuis necesse sit tantùm aliquid horum esse. Quare ex qua ratione linea est, & punctus est.

Ponit

Ponit secundam rationem, quæ potest sic formari: Positio Platonis implicat contradictionem; ergo ipsa est impossibilis. Consequentia est euidens: sed antecedens probatur, ex eò quòd Plato aliquando posuit punctum principium, aliquando lineas indiuisibiles: errauit enim in hoc, quia cùm punctus sit terminus lineæ, sicut linea superficiei: & superficies corporis: sicut posuit aliqua principia, ex quibus prædicta componuntur, ita debuit aliquod ponere ex quo essent puncta: quod tamen prætermisit: & quantum ad hoc dicit: *Ampliùs puncta ex quo existunt?* quasi diceret, quòd Plato prætermisit ex quo essent puncta, quod tamen debuit dicere. Postea addit quantum ad id quod dicta ratio concludebat. dicit, *de hoc quidem genere*, scilicet de puncto, *Plato contendebat*, id est, variè loquebatur, nam aliquando secundùm eum, *doctrina Geometrica existente de puncto etiam ipsum*, scilicet punctum, *vocabat principium lineæ*: *hoc autem*, id est, principium rerum, *posuit multoties lineas indiuisibiles*: de *quibus*, scilicet est doctrina Geometrica: & *est necesse terminum aliquem esse harum*, id est, quòd tamen propter hoc quòd posuit lineas indiuisibiles esse principia omnium magnitudinum, non euasit quin puncta sint principia componentia magnitudines, cùm sint principia indiuisibilium linearum: ideò subdit, *ex qua ratione*, scilicet *linea* indiuisibilis est, supple principium magnitudinum, *eadem ratione & punctus est*: quia quod est principium principij, est etiam principium principiati.

Errauit Plato non ponendo aliqua principia ex quibus essent puncta.

S V M M A R I V M.

Refutat ea quæ dixit Plato de principiis essendi, sex rationibus. Nota, Doctorem hîc in tex. 47. ex Philosopho colligere, ens esse vniuocum omni enti, de quo agit quasi problematicè 4. Met. q. 1. sed resolutiuè tenet esse vniuocum 1. d. 3. q. 3. num. 7. & q. 2. à num. 5. & d. 8. q. 3. à num. 11. & q. 21. de Anima, vbi plura dixi de hoc in commentario.

104 Text. co. 44.

OMnino autem sapientia de manifestis causam inquirente: hoc quidem prætermisimus: nihil enim de causa diximus, vnde principium est transmutationis; horum verò substantiam dicere putantes: ipsorum alias quidem substantias esse dicimus. Quomodo verò illæ substantiæ superuacaneæ, dicimus; nam & participare sicut priùs diximus, nihil est. Neque quod in scientiis videmus existere causam, propter quam intellectus omnis, & omnis natura facit. Nec hanc causam, quam modò dicimus esse vnum principiorum ideæ, speciesque tangunt. Sed ea facta est Mathematica præsentibus Philosophia dicentibus, aliorum gratia ea oportere tractari.

Hîc Philosophus disputat contra Platonem quantum ad hoc, quod opinatus est de rerum principiis. Circa quod duo facit. Primò disputat contra eum, quantum ad ea, quæ sensit de principiis essendi. Secundò quantum ad ea, quæ sensit de principiis cognoscendi. Secunda ibi: *Quomodo autem aliquis*. Prima in sex: secundùm quod sex rationes addunt contra eum. Secunda ibi; *Ampliùs autem substantiam*. Tertia ibi: *Et de motu siquidem*. Quarta ibi: *Et quod quidem videtur esse*. Quinta ibi: *Nullam autem habent*. Sexta ibi: *Et omnino existentium*. In prima parte intendit talem rationem: Illa positio est insufficiens, quæ tractans de causis rerum, aliqua causarum genera prætermittit: sed positio Platonis est huiusmodi, nam prætermisit causam efficientem, & finalem: formalem & materialem tetigit; ergo ista positio est insufficiens. Dicit ergo, quòd *omnino sapientia*, id est, Philosophia, *inquirente causam de manifestis*, id est, de his quæ sensu apparent: *hæc enim*, id est, principia, & causas rerum *prætermisimus* nos, id est, Platonici, *nihil enim diximus de causa, quæ est principium transmutationis*, id est, de causa efficiente: *horum verò substantiam*, id est, causam formalem rerum, *dicere putantes: alias quidem esse substantias dicimus*, id est, ideas separatas à sensibilibus: *quomodo verò illæ substantiæ superuacuè dicimus*, id est, modus, quo Platonici assignabant, illas ideas esse separatas rerum substantias superuacuus est: nullam scilicet habens efficaciam, nec veritatem: dicebant enim, ideas substantias esse rerum secundùm participationem, quod excludit dicens, *nam & participare nihil est*, *sicut superiùs diximus*: *nec* supple ponimus, *causam*, scilicet finalem, *quam existentem videmus in scientiis*: quæ, scilicet propter causam finalem demonstrant: *propter quam*, scilicet finalem causam *omnis intellectus, & omnis natura facit*, id est, omne agens siue per intellectum, & à proposito; siue naturaliter, agit propter istam causam, quæ est finis: vt probatur 2. Physicorum, text. com. 49. & inde. Addit etiam, *nec qui*, scilicet ponunt species, id est, ideas, *tangunt causam quam dicimus esse vnde principium*, id est, efficientem: hoc est dictu, quòd ponentes ideas, sicut non tangunt finalem causam, sic nec tangunt efficientem, quæ fini opponitur, vt dicebatur circa principium huius primi: *sed facta sunt Mathematica præsentibus*, id est, sensibilibus, *Physicè dicentibus*, & *aliquorum*, scilicet sensibilium, *gratiâ tractari oportere*, ipsa Mathematica, scilicet, hoc est dictum, quòd istis Platonicis præmittentibus in sua Philosophia dictas causas, facta sunt naturalia quædam Mathematica sine motu, dum prætermittebant principium, & finem motûs: vnde dicebant, quòd Mathematica oportet tractari non solùm propter seipsa, sed gratiâ sensibilium, inquantum passiones Mathematicorum sensibilibus adaptant. Deinde cùm dicit:

Ostēdit Platonem errasse circa principia essendi rerum.

105 Text co. 43.

Ampliùs autem substantiam subiectam vt materiam, magis Mathematicam aliquis suscipiet, & magis prædicari, & differentiam esse substantiæ, & materiei, vt magnum, & paruum, sicut Physiologi rarum & spissum primas subiecti dicentes esse differentias has. Hæc namque sunt superabundantia quædam, & defectus.

Ponit secundam rationem, quæ sic formari potest: Illud quod est materia rei, magis est substantia rei, & prædicabile de re, quàm illud quod est separatum à re: sed ideæ sunt separatæ à rebus sensibilibus secundùm te; ergo materia erit magis prædicabilis de re quàm ideæ separatæ; cuius oppositum

Magis prædicatur de re

materia sibi inexistens, quà aliquid ab ea separatum.

oppositum Plato ponebat. Dicit igitur quòd, *Amplius substantiam subiectam, vt materiam magis suscipiet quis Mathematicam*, id est, esse substantiam Mathematicorum, & aliorum sensibilium: nam ideas ponebant respectu vtrorumque; & *magis*, scilicet prædicari debet materia de re, quia non est separata à re, quàm supple idea separata: quod tamen est impossibile. Et addit, aut quomodo Platonici accipiebant rei materiam dicentes, quòd *differentiam substantiæ, & materiei*; dicunt supple Platonici, *magnum & paruum: sicut Physiologi*, id est, Philosophi naturales, *rarum & spissum dicentes esse primas differentias subiecti*, id est, materiæ, per quas materia transmutabatur: *ea namque* scilicet rarum & spissum, *sunt quædam superabundantia & defectus.* Nam rarum est, quod parum habet de materia: spissum, quod multum: dimensionibus existentibus æqualibus, rarum ergo & spissum quodammodò habent rationem magni & parui, quæ ponebat Plato: & tamen supple secundùm Platonem, ipsæ ideæ magis sunt substantiæ sensibilium, & Mathematicorum, quàm magnum & paruum, quæ sunt vt materia. Deinde cùm dicit:

Rarum & spissum quid.

Et de motu siquidem hæc erit causa motûs: palam, quia mouentur species. Sin autem, vnde venit?

Text. co. 46

Tota namque de natura auferetur perscrutatio.

Ponit tertiam rationem, quæ potest sic formari: Si ideæ sint causæ sensibilium, inter ideas erit aliqua idea motus, vel non; si sic, cùm motus non possit esse sine mobili, sequitur quòd idea mouetur: quod est contra Platonem: si autem non sit idea motus, & ea quæ sunt in sensibilibus, ponuntur causari ab ideis; non erit dare vnde veniat motus ad illa sensibilia: & sic tollitur tota scientia naturalis, quæ de rebus mobilibus inquirit. Dicit ergo, *& de motu siquidem hæc erunt causa motus, palam quia mouentur species*, id est, ideæ: *si autem non, vnde venit*, scilicet motus in rebus? quasi diceret, non est dare vnde: & sic, *tota namque auferetur perscrutatio de natura.* Deinde cùm dicit:

106

Et quod videtur facile esse monstrare, quod vnum omnia non sint. Ex positione namque omnia vnum non fiunt. Sed id aliquid vnum siquis dat omnia, & nihil hoc, si non genus dat vniuersale esse. Hoc autem in quibusdam impossibile.

Ponit quartam rationem, quæ sic formari potest: Si vnum esset substantia omnium rerum, vt Platonici dixerunt; ergo omnia erunt vnum; consequens est falsum manifestè; ergo & antecedens. Antecedens patet à simili de Philosophis naturalibus, qui dicentes aquam, vel tale quid omnium esse rerum principium, ponebant omnia secundùm substantiam esse aquam, vel aliquod tale. Dicit ergo; quòd *quidem videtur facile esse monstrare, quòd vnum omnia non fiunt*: quod supple sequitur ad opinionem Platonis. Si fortè aliquis dicat, quòd ex positione Platonis sequitur, omnia esse vnum simpliciter, sed aliquid vnum: sicut dicimus aquam esse vnum secundùm genus, & secundùm speciem: si sic dicatur; hoc non posset esse, vt videtur, nisi ipsum vnum esset vniuersale genus omnium, quod videtur impossibile in quibusdam: sicut dicetur in 3. lib. Et hoc est, quod dicit: *nam ex positione*, scilicet Platonis, *non omnia fiunt vnum: sed si quis dicat omnia vnum esse id aliquid: nec hoc*, supple est possibile, *si non dat*, id est, ponat, *genus esse vniuersale*, scilicet ipsum vnum: *hoc autem impossibile in quibusdam*, scilicet videtur; per illum enim modum posset dici omnia esse vnum vniuersaliter, sicut dicimus hominem, vel equum, esse substantialiter animal. Deinde cùm dicit;

Nullam namque rationem habent naturæ, quæ sunt post numeros, longitudines, latitudines, & solida: nec quæ modò sunt, aut futura sunt. Nec si aliquam habent virtutem. Hæc enim nec species possibile esse, non enim sunt numeri. Nec intermedia. (Sunt enim Mathematica.) Nec corruptibilia.

Sed rursus videtur aliud hoc genus.

Tex. co. 47.

Ponit quintam rationem. Ad cuius euidentiam notandum, quòd post numeros ponebat Plato esse substantias rerum sensibilium longitudines, id est, lineas, latitudines, & soliditates, ex quibus scilicet sensibilia corpora componebãtur; contra quod dicit; quòd *nullam habent rationem*, vt scilicet ponantur *rerum substantiæ post numeros ipsę longitudines, & soliditates: nec quæ modò sunt, aut futura sunt*, id est, nec in præsenti, nec in futuro: *nec habent aliquam potestatem*, ad hoc, scilicet quòd sint causæ rerum: quod probatur, quia Plato ponebat tria rerum genera, scilicet sensibilia, ideas, & Mathematica: intermedia autem cuiusmodi sunt lineæ, & superficies, quæ ponuntur componere sensibilia, non possunt poni esse ideæ: quia ideæ sunt essentialiter numeri, hæ autem sunt post numeros; nec possunt intermedia esse Mathematica: quia Mathematica sunt separata à sensibilibus, hæc autem non, cùm ponantur componere sensibilia corpora: nec possunt poni sensibilia esse, nam sensibilia sunt corruptibilia; hæc autem non; ergo vel ista erunt nihil, vel erunt quoddam quartum genus, quod Plato non dixit, & hoc est quod dicit: Ea namque, scilicet lineæ, & superficies, &c. *nec possibile est esse species*, id est, ideas: *nõ enim sunt numeri*, sicut scilicet ideæ: *nec sunt*, quæ infra, id est, *Mathematica intermedia* propter rationem dictam: *nec sunt corruptibilia*, cuiusmodi sunt sensibilia, vt dictum est; *sed rursum videtur hoc esse aliud quartum genus*, quod scilicet Plato non dixit.

Rerum genera secundùm Platonem sunt tria.

Notandum, quòd cùm dicitur lineas, & superficies, &c. non esse substantias, vel principia, nec in præsenti, nec in futuro: per præsentia intelliguntur immobilia, quæ se habent eodem modo: per futura verò intelliguntur generabilia, & corruptibilia, quæ habent esse post non esse, quasi in futuro. Deinde cùm dicit:

107 *Immobilia solùm sunt præsentia mobilia verò futura, & præterita. Deus ergo est qui est: omnia alia fuerunt & erũt.*

Et omninò existentium quærere elementa, non diuidentem multipliciter dicta, inuenire impossibile est. Et aliter secundùm hunc modum quærentes ex quibus sunt elementis. Ex quibus enim facere, aut pati, aut ipsum rectum non esse accipere: sed siquidem

substantiarum

substantiarum solùm esse contingit: tunc quia existentium omnium elementa, aut quærere, aut putare habere, non est verum.

Ponit sextam rationem, quæ sic formari potest: Impossibile est accipere principia alicuius multipliciter dicti, nisi multiplicitas diuidatur. Cùm ergo ens dicatur multipliciter, quia dicitur de substantia, & de aliis generibus; Plato inconuenienter assignauit principia existentium, id est, entium non diuidendo entia inter se. Dicit ergo; quòd *omnino quærere elementa*, id est, principia existentium, id est, entium: *non diuidentem dicta multipliciter, impossibile est inuenire*, & quia aliquis posset aliquibus conuenientibus in nomine, & differentibus in ratione assignare principia propria singulis sine hoc, quod distingueret vnum multiplex, hoc Platonici non fecerunt, & hoc declarat cum dicit, quòd, & *aliter*, id est, aliâ ratione inconuenienter rerum principia quæsierunt, *Quærentes ex quibus elementis*, scilicet sunt entia: sed secundùm hunc modum quo scilicet quærebant: quia omnibus entibus sufficientia principia non aptabant: quia supple ex eorum dictis non est accipere, *ex quibus*, scilicet principiis, *est facere, aut pati, aut rectum*, & sic de aliis accidentibus: quia solùm scilicet assignabant principia substantiarum. Vnde subdit: *sed si substantiarum solùm contingit esse*, scilicet principia: tunc omnium entium existentium, *non est verum, aut quærere elementa, aut putare habere:* non enim omnium entium sunt eadem principia simpliciter, vt ostendetur duodecimo huius, text. c. 2. & in q. 2. in expositione.

Ecce secundùm Arist. alia à substantia habent propriã existentiam.

Notandum, quòd quia ens habet conceptum vniuocum communem omnibus entibus, vt ostendetur quarto huius, ideò multiplicitas entis, quam tangit hîc Philosophus, non est multiplicitas conuenientium solo nomine: sed est multiplicitas suppositorum, quæ vniuocationi entis non repugnat, & hoc modo habetur intentio Philosophi contra Platonem: quia cùm ens habeat multa contenta supposita sibi, scilicet substantiam, æqualitatem, quorum non sunt eadem principia simpliciter, vt ostendetur duodecimo huius: ideò Plato insufficienter egit assignando principia rerum, non distinguendo ens in suas partes subiectiuas, quæ distinctio nõ est æquiuoci: sed est verè vniuoci entis. Tunc sequitur illa pars.

Multiplicitas entis qualis.

Tex.com. 19. & inde. Asserit vniuocationem entis.

S V M M A R I V M.

Refutat quatuor rationibus Platonem ponentem, ideas esse principia cognoscendi. Nota iuxta tertiam rationem eius, materiam esse de rei quidditate. De quo dist. 3. d. 22. & 7. huius q. 16.

108

Quomodo autem aliquis discet omnium elementa? Palam est, quia non est possibile præexistere cognoscentem priùs. Sicut enim Geometrizare discentem, alia quidem oportet prascire, quorum est scientia, & de quibus debet discere, non prænoscit: ita & in aliis. Quare si qua est omnium scientia, vt quidam aiunt, nihil vtique præexisteret, hoc cognoscens.

Text. co. 48.

Quamuis sit omnis disciplina per præcognita, aut omnia, aut quædam, aut per demonstrationem, aut per definitiones. Oportet enim ex quibus est diffinitio, præscire & esse nota: similiter autem, & quæ per inductionem.

Vbi disputat contra Platonem quantum ad ea, quæ sensit de principiis cognoscendi. Ad euidentiam cuius notandum, quòd Plato causas, & principia cognoscendi in nobis posuit ideas, ita quòd secundùm eum eadem sunt principia essendi, & cognoscendi. Contra quod arguit Philosophus per quatuor rationes. Secunda ponitur ibi: *At verò quod si existit.* Tertia ibi: *Amplius quomodo aliquis.* Quarta ibi: *Amplius autem.* In prima parte intendit huiusmodi rationem: Ideæ sunt causæ cognoscendi, ergo nihil contingit nos addiscere: consequens est falsum; ergo antecedens. Consequentiam ipse probat ex hoc, quia nullus addiscit ea, quæ præcognoscit. Dicit ergo, *quomodo autem aliquis addiscit elementa*, id est, principia omnium, si supple ex ideis in nobis scientia causatur? quasi dicat quòd non: quod probat scilicet quòd nihil contingit addiscere; *palàm autem quia non est possibile*, scilicet addiscere, *præexistere prius cognoscentem*: quasi scilicet nullus id præcognoscit, quod addiscere debet: sicut manifestat per exemplum: *nam sicut discentem Geometriam*, licèt præcognoscat aliqua, quæ sunt necessaria ad demonstrandum, putà principia, non tamen præcognoscit, quod addiscere debet: similiter est in aliis scientiis: *quare si qua est omnium scientia, vt quidam aiunt, non praexistit hoc vtique præcognoscens, quamuis sit omnis disciplina per præcognita, aut omnia, aut quædam*, id est, si ideæ sint rationes omnium scibilium, vt aiunt Platonici; ergo non possumus aliquid addiscere, nisi dicatur aliquis addiscere res, quas præcognouit: veruntamen si ponatur aliquis addiscere, oportet quòd præcognoscat illa, quæ addiscit, aut omnia, id est, vniuersalia, quorum quædam præcognoscuntur notitiâ habitâ per demonstrationem, vel definitionem; aut quædam, id est, particularia præcognoscuntur notitiâ habitâ per inductionem. Ideò subdit, *aut per demonstrationem, aut per definitionem: oportet enim ex quibus est definitio præscire, & esse nota aliqua*, id est, vniuersalia, *similiter autem, & quæ per inductionem*, vt sunt quædam particularia.

Ostendit Platonem errasse circa principia cognoscendi rerum quæ posuit esse ideas.

Notandum, quòd virtus dictæ consequentiæ, & etiam consequentis tenet ex hoc: nam Plato dicebat, illas ideas esse essentias & substantias rerum: si igitur erant causæ sciendi, nihil addiscere poteramus, sed omnia essent nobis naturaliter nota, & per consequens nihil possemus obliuisci, cùm semper ideæ inessent, vel adessent nobis. Deinde cùm dicit:

At verò si existit connaturalis, mirum quomodo latemus habẽtes potissimam scientiarũ.

Text. co. 49.

Ponit secundam rationem, quæ sic formari potest: Si ideæ sunt causæ cognoscendi; ergo nihil contingit nos obliuisci: consequens est falsum; ergo & antecedens. Consequentia probatur sicut, & præcedens. Dicit ergo, *Quòd si existit connaturalis*, scilicet nobis scientia, id est, si ideæ sunt causæ scientiæ: *mirum est quomodo obliuiscimur potissima disciplinarum*, id est, potissimæ disciplinæ. i. scientiæ, si illa est nobis connaturalis, nec eius possemus obliuisci, sicut patet de notitia principiorũ, quæ nullus ignorat: si ergo scientia in nobis

nobis causetur ab ideis, non possemus earum obliuisci, quod est contra Platonem, qui dicit animam obliuisci scientiæ, quam habet naturaliter de omnibus propter vnionem ad corpus, & quòd postea per doctrinam addiscit, quod priùs nouit: vt sic addiscere non sit aliud, nisi reminisci. Deinde cùm dicit:

109

Amplius autem quomodo aliquis cognoscit ex quibus est? & quomodo erit manifestum? etenim hoc habet dubitationem. Ambiget enim aliquis quemadmodum, & circa quasdam syllabas. Hi namque syma *ex* s. *&* y. *&* m. *&* a. *dicunt esse. Alij verò quendam alium sonum dicunt, esse & cognitorum nullum.*

Ponit tertiam rationem quæ talis est: Ad cognitionem rei non solùm oportet scire formam rei: sed etiam principia materialia, ex quibus constat illa res: sed ex ideis non possunt cognosci nisi principia formalia, cùm ideæ ponantur formæ rerum; ergo ideæ non sunt sufficientia principia cognoscendi rem: si principia materialia sint ignota. Maiorem probat, quia de principiis materialibus contingit aliquando dubitare: sicut de illa syllaba, *syma*, de qua quidam dubitant, vtrùm sit composita ex quatuor litteris, aut sit tantùm vna littera habens proprium sonum. Dicit ergo, quòd *amplius quomodo aliquis cognoscit*, supple principia materialia rei ex quibus est, & quomodo, *erit manifestum*: quasi diceret, quod non, & subdit, *etenim hoc habet dubitationem: ambiget enim aliquis*, scilicet de principiis materialibus rei: *quemadmodum est circa quasdam syllabas: hi namque syma ex s. & y. & m. & a. dicunt esse: alij verò quendam alium esse sonum dicunt, & cognitorum nullum*, id est, dictam syllabam vnam litteram habentem proprium sonum præter dictas, & cognitas quatuor litteras prædictas. Deinde cùm dicit:

Al. Yma al. tribus.

Ad completā rei notitiam non sufficit cognoscere formam, sed requiritur etiam cognitio materiæ.

Amplius autem quorum est sensus, quomodo aliquis nō habens sensum cognoscet? quamuis oportebat si omnium sint elementa ex quibus, quemadmodum compositæ voces sunt ex propriis elementis.

Ponit quartam rationem, quam intendit talem: Si ideæ sunt causæ cognoscendi; ergo sensibilia cognoscimus sine sensu: consequens est falsum; ergo antecedens. Consequentia probatur, ex hoc quòd si ideæ causant in nobis scientiam omnium: causant ergo, & scientiam sensibilium. Cùm ergo scientia ab ideis insit nobis per influxum quendam, & non per sensum: habemus scientiam de sensibilibus sine sensu. Dicit ergo quòd, *Amplius autem, quorum est sensus*: hæc scilicet sensibilia: *quomodo aliquis cognoscit non habens sensum?* quasi diceret, impossibile est, *& oportet equidem*, supple sensibilia cognoscere, *si* pro quia ea sunt, *elementa omnium*, ex quibus tanquam ex materia fiunt res: *quemadmodum voces compositæ*, putà syllabæ, vel dictiones, *compositæ ex propriis elementis*. Necessarium est ergo cognoscere sensibilia, & tamen est impossibile sine sensu, sicut cæcus à natiuitate non potest scientiam de coloribus habere, quia deficiente sensu deficit scientia, quæ est secundùm illum sensum ex 1. poster. tex. 33. Tunc sequitur illa pars.

Hinc argum. contra Arabes, & quosdam Theologos de influxu intelligentiarum.

110. Text. co. 50. Al Quoniā ergo dictas.

Quod quidem igitur dictas in Physicis causas quærere, nisi sint omnes, & extra has nullam habemus dicere, palam est ex priùs dictis. Sed tenuiter hæ, & modo quodam omnes priùs dictæ sunt: modo verò quodam nullatenus.

Tex. co. 51.

Balbutiens enim visa est prima Philosophia, de omnibus velut nouum existens circa principium & primum: quoniam Empedocles os dicit esse rationem, hoc autem est, quod quid erat esse, & substantia rei. At verò similiter necessarium, & carnis, & aliorum singulorum esse rationem, aut nihil: propter hoc enim, & caro, & os est, & aliorum vnumquodque, & non propter materiam, quam ille dicit ignem, & terram, & aërem, & aquam. Sed hoc alio dicente quidem similiter dixit ex necessitate; manifestè verò non dixit. De talibus quidem igitur ostensum est priùs. Quæcunque verò de ipsis his dubitauit aliquis, resumamus iterùm. Nam forsan ex ipsis abundabimus aliquid ad posteriores dubitationes.

Vbi Aristoteles pertractatis opinionibus antiquorum de causis, & principiis entium concludit, & recolligit circa dicta, & continuat dicta dicendis. Dicit ergo, quòd *quoniam ergo dictas causas in Physicis, nisi sunt quærere omnes*, scilicet Philosophi antiqui, & quòd *extra has nullam habemus dicere*, id est, nullam aliam tetigerunt: *palàm est ex priùs dictis*: sed tamen antiqui Philosophi illas quatuor causas tetigerunt, obscurè tamen, & *modo quodam omnes*, scilicet causæ *priùs dicta sunt ab eis, modo verò quodam nullatenus*. Vnde accidit eis sicut pueris, qui nouiter tentantes loqui balbutiendo proferunt quæ loquuntur: ideò dicit quod *balbutiens visa est prima Philosophia de omnibus, aut noua existens circa principia rerum* sicut patet de Empedocle, *quoniam, & ipse Empedocles ipsum os dicit rationem*, id est, proportionem mistionis: *hac autem est, quod quid erat esse, & substantia rei*, id est, quòd quia illa proportio elementorum mistorum videtur esse forma rei, necesse est esse rationem, id est, proportionem mistionis, *carnis, & aliorum singulorum, aut nihil*, id est, propter hoc enim, & non propter aliud omnia ista videntur esse ex elementis commista, & *propter hoc enim* Empedocles *caro, & os est, & aliorum vnumquodque, & non propter materiam quam* scilicet materiam, *ille dicit ignē, & terram, & aërem, & aquam*, id est, quòd ex hoc patet, quòd caro, & os, &c. non sunt illud, quod sunt propter materiam: sed propter principium formale, quod ponebat illam mistionem: *sed hac alia quidem dicente dixit simul ex necessitate*, manifestè enim non dixit, id est, quòd Empedocles coactus necessitate ita dicente, & ostendente posuit hoc, licèt non expressit manifestè: quia clarè non tetigit naturam formæ, *de talibus ergo ostensum est priùs*, licèt ab eis imperfectè dicta sunt: *quæcunque verò de his dubitauerit aliquis*, scilicet ad vnam partem, vel ad aliam, *recapitulabimus iterum*, scilicet in 3. libro: *nam forsan ex eis*, scilicet ex talibus dubitationibus, *inuestigabimus aliquid*, scilicet vtile, *ad posteriores dubitationes*, quas scilicet per libros sequentes, & totam istam scientiam determinando prosequemur, & sic est finis huius primi libri.

Epilogus primi libri.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

Refutatis antiquorum opinionibus in primo libro, accedit in hoc secundo ad propriam intentionem, in quo tribus capitibus agit de pertinentibus ad considerationem veritatis in communi, explicans caput primum, quomodo eius consideratio sit facilis, & difficilis. Liber iste etiam est ex parte proœmialis, & vnicam tantùm continet summam in tria capita diuisam. Quod ait Doctor infrà cap. 1. num. 3. confusa esse priùs nobis nota, intellige, cognitione confusâ, non distinctâ, de quo vide eum primo huius, q. 10. & ibi Scholium primum. De eo quod ait ibidem, num. 4. difficultatem intelligendi esse ex parte intellectûs nostri; vide ipsum hîc, q. 3. & ibi Scholium vltimum. Quod ex peccato sit, nos dependere à phantasmatibus in intelligendo, docet 2. d. 3. q. 8. ad primum, & aliàs ex Augustino.

SVMMA VNICA.

De Speculatione Veritatis.

CAPVT I.

Quomodo facilitas, & difficultas accidunt circa considerationem veritatis?

1 Tex. com. 1.

De veritate autem theoria sic quidem difficilis est, sic verò facilis.

Hîc incipit secundus liber: vbi Philosophus postquam pertractauit opinionem antiquorum de causis, & principiis entium, accedit ad suam propriam intentionem, pertractando ea, quæ pertinent ad considerationem huius scientiæ.

Veritas, & scientia de veritate duplex.

Ad cuius euidentiam notandum, quòd omnis scientia est de veritate. Differenter tamen est hoc, quia aliæ scientiæ particulariter considerant de veritate, ista autem vniuersaliter, & ideò ad hanc propriè pertinet considerare, quæ respiciunt vniuersalem veritatem. Et secundùm hæc, ista pars diuiditur in duas: quia primò agit Philosophus de his, quæ spectant ad considerationem veritatis in communi. Secundò descendit ad ea, quæ spectant specialiter ad considerationem huius scientiæ. Secunda ibi, in principio tertij: *Necesse est ad quæsitam.* Prima diuiditur in tres, quia primò præmittit qualiter facilitas, & difficultas accidant circa notitiam, & considerationem veritatis. Secundò, ostendit ad quam scientiam maximè pertinet considerare, & habere notitiam veritatis. Tertiò exponit modum acquirendæ veritatis. Secunda ibi: *Vocari verò Philosophiam.* Tertia ibi: *Contingunt autem.* Prima in duas, quia primò facit, quod dictum est. Secundò, ostendit quomodo homines mutuò se iuuant in acquisitione veritatis. Secunda ibi: *Non solùm autem his.* Prima in duas: quia primò proponit, quòd consideratio veritatis est quodammodò facilis, & aliquo modo difficilis. Secundò probat propositum ibi: *Signum autem.* Dicit ergo, quòd *theoria*, id est, speculatio, vel consideratio, *de veritate sic quidem*, id est, vno modo, *difficilis, sic quidem*, id est, alio modo *facilis.* Deinde cùm dicit:

Speculatio veritatis est facilis, & difficilis.

2

Signum autem est, neque dignè quemquam adipisci ipsam posse: nec omnes exortes esse; sed vnumquemque aliquid de natura dicere. Et secundùm singulos quidem nihil, aut parum ei immittere, ex omnibus autem coaceruatis fieri magnitudinem aliquam.

Probat propositum, assignando causam dicti. Circa quod duo facit: quia primò ostendit quomodo consideratio de veritate est facilis. Secundò, quomodo est difficilis. Secunda ibi: *Sed habere.* Prima in duas: quia primò reddit causam dicti. Secundò corollariè infert quoddam ex prædictis. Secunda ibi: *Quare sic videtur.* Dicit ergo, quòd *signum est* supple, quòd consideratio de veritate sit facilis, *nullum eam dignè acquirere posse: nec omnes exortes esse*, id est, si nullus eam perfectè habeat: tamen nec omnes latet: ideò dicit, *sed vnumquemque quidem de natura aliquid dicere*, id est, quòd quilibet aliquid nouit, & potest enunciare de natura rerum; cuius probatio est, quia *secundùm vnumquemque quidem nihil, aut parum ei est immittere*, ex omnibus autem, *coarticulatis fieri magnitudinem aliquam*, id est, quòd quilibet seorsum nihil, aut parum nouit de veritate, & parum immittit ad gazophylacium veritatis: tamen si omnia coarticulentur, & congregentur, fiet aliqua vna magna quantitas. Deinde cùm dicit:

3 Ad hunc textum vide iam q. 1 2.

Quare si sic videtur habere, vt prouerbialiter dicimus: in foribus quis delinquet? sic quidem vtique erit facilis.

Infert quoddam corollarium ex prædictis, dicens: *quare* supple quilibet potest aliquid de veritate cognoscere: licèt parum *sic videtur habere*, scilicet circa notitiam veritatis, *vt dicimus prouerbialiter, in foribus quis delinquet?* id est, sicut dicimus communiter, quod in ianuis domorum nullus errat: licèt enim interiora domus possint ignorari, tamen circa introitum nullus errat:

Prouerbium.

similiter in cognitione veritatis sunt aliqua per se nota, circa quæ nullus errat, vt sunt prima principia: putà, *non contingit idem esse, & non esse*, & *omne totum est maius sua parte*. Circa conclusiones autem, ad quas per talia principia, quasi per ianuam peruenitur, contingit errare; concludit ergo quòd *hoc modo*, cognitio veritatis *est facilis*; inquantum, scilicet est cognitum principium per se notum, per quod, quasi per ianuam omnibus notam, introitur ad notitiam veritatis.

Circa prima principia nullus errat.

Notandum, quòd hæc quæ in notitia veritatis se habent, vt fores in domo: sunt principia complexa, quæ secundùm complexionem sunt sicut locus ianuæ, quem nullus ignorat. Deinde cùm dicit:

Habere autem totum, aut partem non posse, difficultatem eius ostendit.

Ostendit quomodo sit difficilis consideratio veritatis. Circa quod duo facit. Primò proponit intentum. Secundò reddit causam dicti. Secunda ibi: *Forsan autem*. Dicit ergo, quòd *habere* ibi scilicet in consideratione veritatis *totum*, & *partem non posse, ostendit difficultatem eius*.

Notandum, quòd hoc quod dicitur de toto, & de parte exponitur vno modo sic, scilicet quòd duplex est via procedendi ad cognitionem veritatis: vna quidem per modum resolutionis, secundùm quam procedimus à compositis ad simplicia, & à toto ad partem: sicut dicitur 1. physic. text. c. 3. quòd confusa sunt nobis priùs nota, & secundùm hanc viam tunc est perfecta notitia veritatis, cùm peruentum est ad cognoscendum distinctè singulas partes rei. Alia via est per modum compositionis, per quam proceditur èconuerso scilicet à simplicibus ad composita, & à partibus ad totum: & secundùm hanc viam tunc est perfecta, & imperfecta eo modo, quo imperfectum largè dicitur pars perfecti: quia igitur multi imperfectè cognoscentes veritatem opinantur, se cognoscere perfectè, nescientes distinguere inter perfectum, & imperfectum, & inter totum & partem: ideò ex hoc ostenditur difficultas circa notitiam veritatis. Deinde cùm dicit:

Duplex via procedendi ad cognitionem veritatis.

4 Ad hunc textum è q. 1.1.

Forsan autem, & difficultate duobus modis existente, nō in rebus, sed in nobis est eius causa. Sicut enim nycticoracum oculi ad lucem diei sese habent, sic & animæ nostræ intellectus ad ea, quæ sunt omnium naturæ manifestissima.

Reddit causam dicti. Dicit ergo, *forsan existente difficultate*, scilicet cognoscendi *secundùm duos modos* supple, vel ex parte rerum cognoscibilium, vel ex parte intellectus cognoscentis: *non in rebus, sed in nobis est causa eius*, scilicet difficultatis cognoscendi. Vult dicere, quòd licèt difficultas cognoscendi videatur accidere, vel ex defectu rei, quæ cognoscitur; vel ex defectu intellectus, qui cognoscit: tamen causa huius difficultatis non est ex parte rerum, sed ex parte nostra: quod probat cum subdit, *sicut oculi nycticoracum se habent ad lucem diei, sic & intellectus animæ nostræ ad ea, quæ sunt manifestissima in natura*, & ideò signum est, quòd defectus ille cognoscendi non est ex parte rerum: cùm illæ sint manifestissimæ, quantum est de se, & sua natura: sed defectus est ex parte intellectus: sicut defectus visionis non est ex parte luminis diei, sed ex parte oculi nycticoracis, &c. Deinde cùm dicit:

SVMMARIVM.

Gratias esse agendas his, qui pro veritate eruenda laborârunt, siue eam rectè comprobauerint, siue non; quia eorum opera aliis deseruit ad eius indagationem. Timotheus iste, de quo est sermo (ex Suida floruit tempore Philippi Macedonis, & Alexandri Magni, quem ferunt illo cantante arduum Mineruæ modulum, adeò permotum, vt inter audiendum, ad arma concitaretur, dicerétque regia carmina talia esse debere. Phrygnis fuit (vt dicitur) primus citharista apud Athenienses, & Magister Timothei licèt non in toto fortè excellens, dignus tamen cui gratiæ agantur ratione iam dictâ.

5 Tex. com. 1.

Non solùm autem his dicere gratiam iustum est, quorum opinionibus aliquis communicauerit, sed & his qui adhuc superficialius enunciauerunt: etenim hi conferunt aliquid: nam habitum quidem nostrum præexercitati sunt. Nam si Timotheus non fuisset, multam melodiam non haberemus: si autem non Phrynis, Timotheus non fuisset, Eodem autem modo & de enunciantibus veritatem, à quibusdam verò opiniones quasdam accepimus: sed alij, vt hi forent, fortè causa fuerunt.

Ostendit quomodo homines mutuò se iuuant in acquisitione veritatis, q. d. quod *non solùm iustum est reddere gratias his*, scilicet præcedentibus, qui aliquid dixerunt de veritatis natura: ita quòd nobiscum communicauerunt in veritate inuenta: sed etiam illis *qui superficialiter enunciauerunt*: *etenim*, pro quia, *hi*, id est, tales, *aliquid nobis conferunt, nam habitum quidem nostrum*, id est, intellectum, *præexercitati sunt*: ideò posteriores debent regratiari præcedentibus: quia aliquo modo in sciendo dependent ab illis: *nisi enim fuisset Timotheus, multam non haberemus melodiam*, id est, compositionem musicalem: quia nos fundamur super id quod ipse reperit, *& si Phrygnis non fuisset præcedens, Timotheus non fuisset*, id est, non reperisset, quod reperit: quia inuenit virtute illius: *sic & de enunciantibus veritatem à quibusdam accepimus quasdam opiniones*, quos credimus benè dixisse, *quibus etiam alij fuerunt causa*.

Antiqui regratiandi, & honorandi sunt.

Ad cuius euidentiam notandum, quòd intellectus virtute principiorum deuenit in posteriora, & ex lumine intellectus, & virtute principiorum possunt elici ex principiis multa posteriora; sic sequentes Philosophi accipientes principia, licèt pauca à præcedentibus, ex illis multa potuerunt elicere; si ergo tradiderunt principia vera, illis regratiandum est, quia profuerunt ad veritatem recipiendam: si autem tradiderunt principia non omninò vera, etiam illis est regratiandum, quia dederunt occasionem, vt illis reprobatis vera principia reperiremus.

SVMMÆ

SVMMÆ VNIC. CAP. II.

Cuius scientiæ sit speculari de veritate, & an detur processus in infinitum in causis?

SVMMARIVM.

Veritatis considerationem maximè ad Metaphysicam spectare. De causa æquiuoca, & vniuoca de quibus hîc loquitur Doct. vide eum 1.d.3.q.8. & 4.d.12.q.3. num 24. De veritate quam hîc tangit, vide eum l.6. huius q.3, & ibi nostra Scholia, & in supplemento de anima disp.3. sect. 7.8.9. Quòd verò non detur processessus in infinitum in causis, vt hîc tangitur in 5.tractat. Doct. bene 1.d.2.q.2.art.1. à num. 11.& de primo Princ. c.3. & hîc q. 4 5. reliqua huius capit. infrà suo ordine notantur.

6 Text.co.3.

Vocari verò Philosophiam veritatis sciētiam rectè habet: nam Theoricæ finis est veritas, & practicæ opus: etenim si quomodo res sese habent, intendunt practici. Non tamen eius causam per se: nec vt perpetuò talis est; sed vt ad aliquid, atque vt nunc speculantur.

Postquā Philosophus præmisit qualiter facilitas & difficultas accidit circa considerationem, & notitiam veritatis; nunc ostendit ad quam scientiam maximè spectat consideratio veritatis: intendens probare, quòd ad Metaphysicam. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est. Secundò declarat quoddam, quod in sua probatione supponebat. Secunda ibi: *At verò quia principium.* Prima in duas: quia primò probat quòd ad Metaphysicam spectat considerare simpliciter veritatem. Secundò, quòd ad ipsam quàm maximè spectat. Secunda ibi: *Nescimus autem.* In prima parte intendit talem rationem: Metaphysica est scientia speculatiua non practica; ergo est scientia veritatis. Antecedens supponitur ex prologo huius libri. Consequentiam autem probat ex differentia scientiæ speculatiuæ, & practicæ: quia finis speculatiuæ est veritas: practicæ verò opus. Dicit ergo, quòd Philosophiam, 1. Metaphysicā, *vocari scientiam veritatis rectè habet: nam finis Theoricæ.* 1. speculatiuæ, *est veritas; practicæ autem opus.* 1. praxis, quæ est actus voluntatis elicitus, vel imperatus, sicut declaratum fuit in prologo primi sententiarum, quæst. 4. quòd enim practica ordinetur ad opus, declarat hîc cùm subdit, *etenim,* pro quia, *& si practici intendunt quomodo se habet,* scilicet veritas in rebus: *non tamen secundùm se: sed ad aliquid, & nunc speculantur,* id est, quòd illam veritatem non intendunt per se, vt finem: sed vlteriùs ordinant illam ad dirigendam aliquam praxim: circa aliquod obiectum particulare operabile, & ad aliquid nunc, id est, secundùm aliquod determinatum tempus. Deinde cùm dicit:

Finis speculatiuæ, & practicæ.

7 Text.co.4.

Nescimus autem verum sine causa. Vnumquodque verò maximè ipsum aliorum dicitur, secundùm quod etiam aliis inest vniuocatio; puta ignis est calidissimus, etenim est causa aliis hic caloris. Quare & verissimum, quod posterioribus est causa, vt sint vera. Quapropter semper entium principia, semper esse verissima necesse est: non enim quandoque sunt vera, quandoque non: nec illis causa aliquid est veri vt sint; sed illa aliis: quare vnumquodque sicut se habet, vt sit, ita & ad veritatem.

Probat, quòd ad Metaphysicā spectat quàm maximè consideratio veritatis, & intendit talem rationem. Scientia Metaphysicæ considerat verissima, & maximè vera; ergo maximè est scientia veritatis. Cōsequentia est euidens: sed ad probandum antecedens intendit talem rationem: Metaphysica considerat primas causas & prima rerum principia; sed illa sunt verissima; ergo Metaphysica considerat verissima. Maior huius rationis supponitur ex prologo; quia ibi probata est: & minorem ipse declarat ex hoc, quòd illud est maximè tale, quod est causa omnibus aliis vt sint talia, & nihil est ei causa, vt sit tale: sicut exemplificat de igne: sed primæ causæ & prima principia rerum sunt huiusmodi quantum ad veritatem; ergo sunt maximè vera. Dicit ergo, quòd *nescimus verum sine causa*: scientia ergo quæ est de vero, habet aliquas causas, quæ etiam habent veritatem: quia verum non potest sciri ex falsis. Addit autem vnam propositionem, quod *vnumquodque est illud aliquorum maximè,* id est maximè tale, *quod aliis inest vniuocatio,* id est, quod est causa vniuoca aliis vt sint talia: *vt ignis est calidissimus: enim,* pro quia, *hic,* id est ignis, *causa caliditatis est aliis,* scilicet elementis: *illud ergo est verissimum, quod est causa posterioribus, vt sint vera.* Ex quo concludit, *quapropter principia semper existentium,* id est, corporum cælestium, cuiusmodi sunt substantiæ separatæ, *semper necesse est esse vera,* id est sunt verissima: cuius assignat rationem duplicem. Primò, quia *non quandoque sunt vera & quandoque non:* & in hoc præcellunt generabilia & corruptibilia: quæ quandoque sunt, & quandoque non sunt. Secundò, *quia illis non est alia causa,* scilicet suæ veritatis, *sed illa sunt causa aliis*: & in hoc præcellunt corpora cælestia, licèt sint sempiterna, tamen habent causam sui esse & sui motus. Ex prædictis infert quandā conclusionem, dicit *quare vnūquodque sicut se habet ad esse, ita ad veritatem.*

Metaphysica maximè considerat veritatem.

Quid est maxime tale?

Notandum, quòd duplex est genus causæ: quædam est causa vniuoca: quædā æquiuoca. Vniuoca dicitur quantum ad præsens spectat, quæ habet similem formam illi quam producit, æquiuoca verò dicitur, quæ non habet formam similem illi quam producit, licet eam habeat in virtute. Exemplum primi, ignis producens alium ignem. Exemplum secundi, Sol generans ignem: ad excludendum ergo causam æquiuocam, quæ licet sit causa aliis vt sint talia, ipsa tamen non est in se forma talis: & ideo signanter dixit Philosophus: *vnumquodque est maximè tale, secundùm quod aliis inest vniuocatio:* Sol enim licet sit causa caliditatis in istis inferioribus; ipse tamen non est in se formaliter calidus: in causis autem vniuocis intelligendum est, quòd hæc dicitur habere veritatem.

8 *Causa duplex, vniuoca, & equiuoca, & æquiuoca.*

Notandum etiam, quòd quia veritas est passio entis, ideò sequitur esse rei proportionabiliter: &

idcirco concludit Philosophus ex prædictis, quòd quia ea quæ possunt esse aliis causa essendi vera, sunt maximè vera, sequitur, quòd vnumquodque eo modo quo habet esse, habeat etiam veritatem; vt ea quorum esse est sempiternum, sit etiam veritas sempiterna; & quorum esse non est semper, & quorum esse habet causam, similiter veritas habet causam: & quorum non, non: quia etiam veritas in intellectu oritur ex veritate in re, idcirco sicut res habet esse, sic etiam est apta nata verè cognosci: vt sic semper ab ipso esse rei oriatur conformitas veritatis, siue in re, siue in intellectu: quare benè dicit Philosophus, quòd *vnumquodque sicut se habet ad esse, ita se habet ad veritatem.*

Veritas cōsequitur rei entitatem proportionabiliter, de quo & in 6. lib. q. 3.

Notandum etiam, quòd posset esse dubium de qua veritate hic loquitur Philosophus: vtrùm de veritate incomplexa, quæ est passio entis; vel de complexa, quæ est veritas propositionis: & iuxta hoc, vtrùm intendat de primis principiis & causis incomplexis, cuiusmodi sunt substantiæ immateriales, vel de principiis complexis: quando dicitur prima principia esse principia verissima. Vnde dicendum, quòd licèt de vtrisque verum sit quod hæc dicitur; tamen intellectus principalis Philosophi est loqui de veritate incomplexa, & principio incomplexo: ex quo enim vult habere, quòd substantiæ immateriales sunt verissima, de quibus est sapientia quæ Metaphysica no...inatur. Deinde cùm dicit:

Veritas duplex complexa, & incomplexa.

9 Text. co. 5.

Et manifestum est, quòd res habent principium, & quòd causæ rerum entium non sunt infinitæ, neque secundùm rectitudinem, neque secundùm speciem, scilicet vt species earum sint plusquàm possint numerari in infinitum: impossibile enim est secundùm naturam, vt aliquid sit ex alio in infinitum, v. g. caro est ex terra, & terra ex aqua, & aqua ex aëre, & aër ex igne, & hoc in infinitum, & non cesset in aliquo. Neque etiam est possibile secundùm illud ex quo est principium motûs. v. g. quòd homo mouetur ab aëre, & aër à Sole, & Sol à luce, & hoc in infinitum. Et similiter etiam est in eo quod est propter quid, impossibile est enim in hoc etiam procedere in infinitum. v. g. vt cursus propter sanitatem, & sanitas propter fortunam, & fortuna propter aliud, & sic in eo quod est, scilicet essentia.

Probat quoddam suppositum in ratione proximè dicta: supposuit enim esse aliqua prima principia & primas causas. Hoc probat, quia in causis non est processus in infinitum, sed est dare statum, & deuenire ad aliquod primum principium in quolibet genere causæ. Circa quod duo facit, quia primò proponit intentam conclusionem Secundò subiungit eius probationem. Secunda ibi: *Mediorum.* Dicit ergo quòd, scilicet *palam est ex dicendis, quod est quoddam principium,* scilicet esse & veritatis rerum: & quòd non *sunt infinitæ causæ existentium; nec ad directam Theoriam,* id est, nec procedendo in directum, secundùm vnam speciem causæ; puta secundùm speciem causæ materialis: & sic de aliis: *nec secundùm speciem,* supple sunt infinitæ causæ: ita, scilicet *quod sint infinitæ species causarum*; & exponit quòd dixerat, causas non esse infinitas in directum. Primò in causis materialibus: *nec enim ex materia est possibile progredi in infinitum,* vt fiat hoc ex hoc: *veluti vt dicamus carnem fieri ex terra,* vt ex materia: *terram verò ex aqua; aquam verò ex aëre: aërem autem ex igne,* & hoc non stare: sed supple procedere in infinitum. Secundò exponit in causis efficientibus dicens, *nec vnde principium motûs,* id est, nec in causis mouentibus, vel efficientibus est processus infinitus, vt dicas moueri hominem ab aëre: & hunc, scilicet aërem moueri à Sole: Solem autem ab alio & huiusmodi, scilicet processus nullum esse finem. Tertiò exponit in causis finalibus, dicit, *similiter autem nec illud cuius est causa,* id est, secundùm causam finalem, *possibile est ire in infinitum:* vt si dicamus, quòd ire, id est, ambulare, est causa sanitatis: illa verò, scilicet sanitas, est causa felicitatis: & felicitas sit causa alicuius, id est alterius in infinitum. Quartò exponit in causis formalibus dicens, quòd, *similiter est & in quod quid erat esse rei,* exempla non ponit, quia de se patent: puta quòd in prædicatis formalibus, & primo modo per se non est processus in infinitum, vt quod animal prædicetur de homine, & aliquod aliud de animali, & vlterius in infinitum.

In nullo genere causæ datur processus in infinitum.

SVMMARIVM.

Non dari processum in causis probat, discutiendo per singulas; explicat varios modos, quibus vnum ex alio fieri dicitur.

10 Text. co. 6.

Mediorum enim extra quæ est aliquid vltimum & primum, necesse est, quod prius est causam ipsorum esse, quæ sunt post se: nam si dicere nos oporteat vnum trium causam, quod primum est dicimus: non enim quod est vltimum; nullius enim quod finale est; sed nec medium, nam vnius. Nihil enim differt vnum aut plura esse nec infinita, aut finita. Infinitorum enim secundùm istum modum, & omnino infiniti partes omnes mediæ sunt. Similiter autem vsque modo. Quare si ex toto nihil est aliquid primum. Nec ex toto causa nulla est.

Postquam Philosophus posuit, quòd in causis non est processus in infinitum: nunc probat intentum. Circa quod duo facit, quia primò probat, non esse in causis processum in infinitum secundùm eandem speciem & in directum. Secundò, quòd sit impossibilis infinitas secundùm speciem. Secunda ibi: *Sed si infinita.* Prima in quatuor, nam primò ostendit idem in genere causæ efficientis. Secundò in genere causæ materialis. Tertiò in genere causæ finalis. Quartò in genere causæ formalis. Secunda ibi: *At verò nec in deorsum.* Tertia ibi: *Amplius autem & quod cuius est causa.* Quarta ibi: *Sed nec quod quid erat esse.* In prima parte intendit talem rationem: Si causæ efficientes procedunt in infinitum; ergo nulla est causa efficiens: consequens est falsum; tum quia contradicit sensui, tum quia contradicit antecedenti: consequentia probatur, quia si causæ sint infinitæ; ergo nulla erit prima, & si non est prima, nec aliqua sequens: ergo nulla. Dicit ergo, quòd *mediorū extra quæ est dare aliquid primum*

Probat inductiuè non dari processum in infinitum in aliquo genere causæ & primò in efficientibus.

& ali

& aliquid vltimum : quæ sunt duo extrema : *necesse est illud quod est prius , esse causam ipsorum post se*,id est,eorum,quæ posterius sequuntur,scilicet tam mediorum,quàm vltimi, quod declarat: quia si nos fuerimus interrogati , quod trium oportet dare causam,id est,acceptis tribus,scilicet primo,medio,& vltimo:si interrogemur, quod illorum sit causa aliorum , quod primum est dicimus , scilicet esse causam ; *non enim quod est vltimum*,scilicet est causa , *nullus enim quod finale est*, id est,vltimum supple ponit esse causam medij, vel primi:*sed nec medium* , supple est causa , *nam vnius*,id est,quod medium solum est causa vnius, scilicet vltimi , & non primi. Addit autem , quòd *nihil differt esse plura* , scilicet media , aut supple vnum,*nec infinita,aut finita*, vult dicere, quòd ad propositum non differt medium esse vnum vel plura,infinita , vel finita: quia siue sint multa,siue pauca, semper habent rationem vnius , id est,ranem medij : quatenus omnia sunt media : *infinitorum verò secundùm modum istum , & omnino partes infiniti omnia media sunt.* Ratio huius est: quia ante omnem , scilicet causam efficientem,est aliqua prima. Si ergo dictæ causæ efficientes dicto modo ponantur procedere in infinitum,sequitur quòd omnes causæ erunt mediæ : similiter oportet dicere,quod cuiuslibet infiniti,siue in ordine causæ , siue in ordine magnitudinis, omnes partes sunt mediæ ; quia si ponatur aliqua non esse medium, illa vel erit prima vel vltima, quod repugnat infinito, nam infinitum caret principio & fine. Addit quòd, *similiter autem vsque modò:* vult dicere , quòd licèt alicuius finiti partes mediæ non sint mediæ vniformiter, pro quanto aliquæ sunt propinquiores principio quàm aliæ; hoc tamen non potest poni in infinito , vbi nec est primum, nec est vltimum, & ideò similiter vsque modò, id est, vsque ad quamcunque partem, quam modò signaueris,omnes partes simul erunt mediæ : *quare si ex toto* , id est totaliter , *nihil est aliquid primum*, supple in causis efficientibus , si procedatur in infinitum : *ex toto nulla causa est*, quia amotâ primâ causâ omnes secundæ causæ remouentur.

Al.omnes mediæ.

Negato primo omnia destruuntur.

Contra rationem Philosophi instatur, quia videtur petere principium:nam supponit omnes causas esse medias si essent infinitæ ; ergo præsupponit primum, & vltimum. Respondeo,supponitur quòd omnes causæ essent mediæ per abnegationem primitatis & finitatis : non enim accepit Philosophus quòd essent infinitæ causæ mediæ positiuè ; ita quòd esset aliqua prima simpliciter, & aliqua vltima in quarum comparatione dicantur mediæ; sed accipit negatiuè , scilicet per negationem primæ causæ simpliciter, & vltimæ, & sic tenet ratio sine petitione principij. Deinde cùm dicit :

Medium duplex.

11 Text.co.7.

At verò neque in deorsum possibile est in infinitum ire,ipso sursum habente principium, vt ex igne quidem aquam , ex hac verò terram,& ita semper aliquod fieri aliud genus.

Idem probat in causis materialibus.

Probat intentum in genere causæ materialis, Circa quod duo facit,quia primò proponit intentum. Secundò probat. Secunda ibi : *Dupliciter enim*. Dicit ergo , quòd, *nec in deorsum* , id est, in causis materialibus , *possibile est ire in infinitum, ipso sursum habente principium:vt* si dicatur quòd *ex igne quidem*, vt materia, *est aqua : ex hac autem*, id est, aqua, *esse terram, & ita semper* ex hoc *aliquod aliud fieri genus.*

Notandum , quòd sursum & deorsum possunt dupliciter exponi. Vno modo sic,nam patiens dicitur subiici agenti : vnde procedere in agentibus est ire sursum : sed procedere in patientibus est ire deorsum : agere autem attribuitur efficienti , passio verò materiæ ; processus ergo in causis efficientibus est processus sursum : processus in causis materialibus est deorsum : supposito ergo quòd in sursum , id est , in causis efficientibus,sit dare aliquod primum ; vt primò ostensum est;probat etiam quod in deorsum,id est in causis materialibus sit dare statum. Alio modo exponi potest,quòd in genere causarum materialium supponitur vnum principium : quia in sursum, quod est basis & fundamentum aliorum. Et potest dubitari,vtrùm procedatur in infinitum in deorsum secundùm processum eorum , quæ ex materia generantur ? huic autem expositioni omninò seruiunt exempla quæ ponit : non enim dicit , vt ignis ex aqua,& hoc ex alio ; sed è conuerso,vt ex igne aqua, & ex hac terra &c. Vnde supple ponentes primam materiam quærimus , an sit processus in infinitum in his , quæ ex materia generantur.Deinde cùm dicit ;

Sursum , deorsum , exponitur dupliciter.

12

Dupliciter enim fit hoc ex hoc , non vt hoc dicitur post hoc, vt ex Isthmiis Olympia ; sed aut ex puero mutato vir, aut ex aqua aër.

Probat intentum, circa quod tria facit. Primò distinguit duos modos fiendi hoc ex hoc. Secundò probat quòd neutro illorum modorum contingit procedere in infinitum. Tertiò declarat , quo illorum modorum dicitur res fieri ex primo principio materiali. Secunda ibi : *Sed vtroque modo.* Tertia ibi : *Similiter autem & impossibile.* Prima in duas , quia primò distinguit duplicem modum , quo fieri dicitur hoc ex hoc ; secundò comparat illos modos penes differentiam. Secunda ibi : *Ergo sic ex puero.* Dicit ergo quod *dupliciter fit hoc ex hoc* , per se, scilicet, & propriè : *non vt quia dicitur post hoc*, id est , excludendo illum modum , quo dicitur aliud fieri hoc ex hoc : quia fit hoc post hoc:nam ille modus fiendi non est propriè hoc ex hoc , *vt ex Isthmiis fiunt Olympia :* nomina sunt Græca & significant quædam festa Græcorum , quorum vnum post aliud colebatur ; vt sic vnum festum diceretur fieri ex alio , quia fiebat post aliud : vt si diceremus , quod festum Sancti Francisci fit ex festo Beati Michaëlis , quia fit post illud , non enim dicitur propriè : & ideò istum modum excludimus , & accipimus modum quo propriè dicitur hoc ex hoc fieri. Quod est dupliciter , vno modo vt *ex puero mutato dicitur fieri vir :* alio modo vt *ex aqua fit aër.*

Aliquid ex alio fieri contingit dupliciter.

Notandum , quòd modus quo dicitur fieri hoc ex hoc,quia fit post hoc , vt in exemplo prædicto , est impropriius ; nam fieri est quoddam mutari : in omni autem mutatione non solùm requiritur ordo terminorum , sed etiam subiectum, quod transit & substat vtrique terminorum : sicut patet ex primo Physicorum , text. com.60.t.c.4.& 8.Idem.5.Physic.1.& 2.de Ge. & 12.Met. & 8. huius, quod assignari non potest in exemplo dicto,vbi imaginamur tempus , quod est subiectum diuersorum festorum,cum tamen idem

Idem 5. Physic. 1. & 2. de Gen. & 12. Met.

tempus non maneat sub vtroque festo quod finit: oportet ergo aliquod subiectum realiter mutari, vbi propriè dicitur fieri hoc ex hoc: sicut ex puero mutato debet fieri vir,& ex aquâ aër. Deinde cùm dicit:

13

Ita quidem igitur ex puero fieri virum dicimus; quomodo ex eo quod fit, id quod factum est, aut ex eo quod perficitur, perfectum; semper enim est medium inter esse & non esse generatio; & ita quod fit existentis & non existentis. Est autem addiscens qui fit sciens; & hoc est quod dicitur, quod fit ex addiscente sciens. Hoc verò vt ex aëre aqua, corrupto altero.

Comparat penes differentiam dictos modos, & ponit duas differentias. Secundam ponit ibi: *Propter quod illa.* Dicit ergo, quòd modus ille quo dicitur fieri hoc ex hoc, sicut, *dicimus, virum fieri ex puero*, accipitur *ex eo quod fit, & quod factum est; aut ex eo, quod perficitur, & quod perfectum est*, id est, quòd hoc modo dicimus fieri hoc ex hoc, sicut ex eo quod est in fieri & in perfici, fit illud quod iam factum est; aut illud quod iam perfectũ est: sicut enim *generatio est medium inter esse & non esse*; ita illud quod est in perfici, fit illud quod iam perfectum est, & perfici est medium inter ens & non ens: quia igitur ex medio peruenitur ad extremum, dicimus quòd ex eo quod fit & generatur, & ex eo quod perficitur, fit illud quod iam & generatum & perfectum est: & sic dicimus quòd vir fit ex puero, & ex addiscente fit sciens. Vnde subdit, *est autem addiscens qui fit sciens: & hoc est quod dicitur, quod fit ex addiscente sciens*: nam addiscens se habet, vt in fieri ad scientiam: *hoc verò*, id est, in alio modo, *quo dicitur aqua fieri ex aëre*, vnum extremum non se habet vt medium ad alterum; sed magis vt extremum ad extremum; vt sic ex aëre fiat aqua. Qualiter autem generatio sit medium inter esse & non esse, cum tamen esse & non esse videantur esse contradictoria, dicemus in quarto huius, quando quæretur, vtrùm inter contradictoria possit esse medium. Deinde cùm dicit.

Fit hoc ex hoc dupliciter.

14

Propter quod illa quidem non reflectuntur ad inuicem, nec fit ex viro puer, non enim fit ex generatione quod fit, sed est post generationem. Sic enim est dies ex aurora, quia post hanc, propter quod nec aurora ex die. Altera verò reflectuntur.

Ponit secundam differentiam, quæ sequitur ex prima, dicens, propter quod, scilicet in quibus illa dicuntur fieri hoc ex hoc, vt ex medio extremum & imperfecto perfectum, *non reflectuntur ad inuicem, nec fit ex viro puer*, sicut scilicet è conuerso ex puero vir, cuius rationem subdit; *nec enim ex generatione fit, quod fit*, id est, terminus generationis, quod est esse; *sed est post generationem: sicut dies dicitur fieri ex aurora, quia fit post hanc*: quare non reflectitur, vt supple aurora fiat ex die. Vult dicere, quòd ratio huius est, quia illa duo, ex quorum vno dicitur alterum fieri secundum istum modum, non se habent ad inuicem sicut duo termini mutationis; sed sicut ea quorum vnum est post alterum: sicut esse quod est terminus generationis, est post generationem, & dies post auroram, & vltimum post medium, quæ se consequuntur secundùm ordinem naturalem: quare repugnat eis reflexio propter ordinem, qui mutari non potest, vel reflecti. Vnde si consideremus illa duo, scilicet generationem, quæ est quædam via: & ipsum esse, quod est terminus generationis, non differunt quantum ad hoc ab illo modo quem exclusimus, in quo dicitur hoc fieri ex hoc; quia fit post hoc; sicut ex aurora dicitur fieri dies, quia fit post auroram. Vnde sicut nec ibi, ita nec hîc est possibilis reflexio. *Altera verò reflectuntur*, id est, secundum alium modum, quo fit hoc ex hoc, potest esse reflexio. Sicut enim ex aëre corrupto generatur aqua, ita è conuerso: nam illa duo non se habent ad inuicem secundùm ordinem naturalem, vt medium ad extremum; sed habent se sicut duo extrema, quorum vtrumque poterit esse vltimum & primum. Deinde cùm dicit.

In qua mutatione reperitur reflexio extremorum adinuicē, in qua no.

Vtroque autem modo impossibile est in infinitum ire: existentium enim intermediorum necesse est finem esse. Quædam verò ad se inuicem reflectuntur: alterius enim corruptio est generatio alterius.

Ostendit, quòd neutro istorum modorum contingit procedere in infinitum. Primò de primo modo: prout ex puero dicitur fieri vir; nam talis se habet, vt medium inter duo extrema, scilicet inter esse, & non esse: sed positis extremis impossibile est media esse infinita, quia habere extrema repugnat infinito; ergo secundùm istum modum non est procedere in infinitum: & hoc est quod dicit, quòd *vtroque modo est impossibile ire in infinitum: nam intermediorum existentium*, id est, talium mediorum, *necesse est finem esse*: ex quo supple supponuntur extrema talium mediorum. Secundò probat idem de secundo modo ex hoc; quia in alio modo inuenitur reflexio extremorum ad inuicem, *nam alterius generatio, est alterius corruptio*: vbicunque autem est reflexio, fit reditus ad primum: ita, scilicet, quòd illud quod fuit primò principium, fit posteà terminus, quod infinito non potest competere; quia infinitum non habet principium, neque terminum; ergo nullo modo potest in infinitum fieri hoc ex hoc. Deinde cùm dicit:

Non fit homo ex hoc in infinitum procedendo.

15

Similiter autem impossibile est primum sempiternum corrumpi: quoniam enim non est infinita generatio in sursum, necesse est id ex quo corrupto primo aliquid factum est, non sempiternum esse.

Ostendit quo dictorum modorum fiant res ex primo principio materiali.

Ad cuius euidentiam notandum, quòd Philosophus ponit duo, quæ communiter omnes Philosophi concesserunt. Primum est, quòd sit aliquod primum principium materiale; ita quòd in generatione rerum non procedatur in infinitum ex parte superiori, scilicet eius ex quo generatur. Secundum est, quòd prima materia est sempiterna: & ex hoc secundo supposito sequitur, quòd ex prima materia non fit aliquid secundo modo, scilicet sicut ex aëre corrupto fit aqua; quia cùm materia sit sempiterna, corrumpi non potest. Nec potest dici, quòd materia sit sẽpiterna per successionẽ; sicut dicimus per generationẽ hũc mundũ esse sempiternũ: hoc. n. excluditur per primã suppositionẽ, quia

Datur primũ principium materialẽ secundùm omnes sed sempiternum secundùm Philosophum.

quia generatio non est infinita in sursum, sed est deuenire ad aliquod primum principium materiale, quod vlterius non fit ex aliquo priori: ideò dicit quòd, *similiter est impossibile primum sempiternum*, id est, primam materiam, *corrumpi*, cùm sit sempiterna: *quoniam etiam non est infinita generatio in sursum*: ideò supple est deuenire ad aliquod primum principium materiale: quod probat, quia *necesse est illud, ex quo primo corrupto aliquid est factum, non esse sempiternum*; ergo cùm prima materia sit sempiterna, non potest aliquid fieri ex prima materia secundo modo, vt est aliquod corruptum, & ex ipso est factum, scilicet secundo modo, vt ex aliquo corrupto. Restat igitur, vt ex prima materia fiat aliquid primo modo, scilicet sicut ex imperfecto, & in potentia existente; quod est quoddam medium inter purum non ens, & ens in actu.

SVMMARIVM.

Non dari processum in genere causæ finalis probat quatuor rationibus, vide Doct. 1. d. 2. q. 2. art. 1. & de primo princ. c. 3. & ibi Scholium tertium.

16 Text. co. 8.

AMpliùs autem & quod est cuius causa finis est: tale verò quod non est alius causa: sed & alia illius. Quare siquidem fuerit tale ipsum vltimum, non erit infinitum. Sed si nihil tale, non erit quod cuius causa.

Postquam Philosophus probauit, non esse processum in infinitũ in genere causæ efficientis, & materialis, nunc probat quòd nec in genere causæ finalis. Circa quod quatuor facit, secundùm quod quatuor rationes adducit ad conclusionem probandam quam intendit. Secunda ibi: *Sed si qui infinitum*. Tertia ibi: *Sed nullus conabitur*. Quarta ibi: *Nec etiam erit*. In prima parte intendit talem rationem: Si causæ finales procedant in infinitum; ergo nulla causa finalis est: consequens est falsum, tum quia contradicit sensui: tum quia contradicit antecedenti. Consequentia probatur, quia finis est cuius causa alia sunt, & ipse non est causa alicuius: oportet ergo finem vltimum esse, & per consequens non procedere in infinitum. Dicit ergo, quòd *ampliùs finis est id, quod est cuius causa; tale verò est, quod non est causa alicuius*, id est, alterius, *sed alia illius*, scilicet gratiâ sunt, *quare siquidem ipsum*, scilicet cuius causa, *fuerit vltimum, non erit infinitum, si verò non erit tale*, id vltimum, *non erit cuius causa*, id est; non erit finis, quare tolletur hoc genus causæ quod est finis.

Non datur processus in infinitum in causis finalibus.

Notandum, quòd licèt in ordine finitum sit dare finem, qui est gratiâ alterius, puta finem sub fine; est tamen deuenire ad aliquem finem vltimum, qui vlterius non est gratiâ alterius, sed omnia alia sunt gratiâ eius. Deinde cùm dicit:

Sed qui infinitum faciunt, latent auferentes boni naturam.

Ponit secundam rationem, quam intendit talem: Si causæ finales procedant in infinitum; ergo nullum bonum erit in natura: consequens est falsum; ergo & antecedens. Probatio consequentiæ, quia finis & bonum idem sunt; sed qui ponit fines infinitos, tollit finem ex ratione præcedenti, ergo tollit bonum. Dicit ergo quòd *si qui infinitum faciunt* supple in causis finalibus, *obliuiscuntur auferentes naturam boni*. Deinde cùm dicit;

Finis & bonum idem sunt.

Vide Sco. q. 3 prol. sententiarum & d. 1. eiusdem.

Et nullus conabitur aliquid facere ad terminum non futurus venire.

Ponit tertiam rationem, quam intendit talem: Si fines sint infiniti; ergo nullum est agens in natura: consequens est falsum; ergo antecedés. Consequentia probatur, quia nullus conabitur aliquid facere ad finem non futurus venire: sed si fines sunt infiniti, ergo impertransibiles, & per consequens nullum erit agens, cùm ad finem non possit peruenire. Dicit ergo quòd *nullus conabitur aliquid facere non futurus venire ad terminum*. Deinde cùm dicit;

17 Text. co. 9.

Neque vtique erit intellectus practicus in talibus; nam causa alicuius semper facit, qui intellectum habet: hæc enim est terminus: finis enim terminus est.

Ponit quartam rationem, quam intendit talem: Si fines sunt infiniti, ergo nullum est agens per intellectum; consequens est euidenter falsum; ergo antecedens. Consequentia probatur, quia omne agens per intellectum intendit finem, & cognoscit quòd non posset, si fines essent infiniti. Dicit ergo *quòd nec aliquid erit intellectus*, id est, agens per intellectũ, *in talibus*, scilicet in infinitis: *nam causa alicuius semper facit, qui habet intellectum, hoc* enim terminus est, finis verò terminus est. Loquitur de intellectu practico, qui semper agit propter finem, qui est praxis. Tunc sequitur illa pars.

Dato processu in finibus, nullum esset agens per intellectum.

SVMMARIVM.

Non dari processum in causis formalibus, probatur quatuor rationibus. An omne quod mouetur, quod tangit Doct. hîc tex. 12. habeat materiam, discutit q. 15. de Anima, tractans an in anima, & Angelo sit materia; tex 13. innuit non dari processum in speciebus, ita vt non sit dare nobilissimam, de quo vide eum hîc q. 6. & ibi Scholium 1. vbi varia eius loca de hoc afferuntur.

Tex. com. 10

Sed nec quod quid erat esse conuenit reduci ad aliam definitionem multiplicantem rationem.

Vbi ostendit, quòd in causis formalibus non sit processus in infinitum. Circa quod duo facit. Primò proponit intentum. Secundò probat ibi: *Semper enim quæ est.*

In causis formalibus non datur processus in infinitum.

Ad euidentiam primæ partis notandum, quòd forma est vnde primò sumitur definitio speciei; quare processum in formis oportet accipere secundùm processum in definitionibus: in definitionibus autem vna pars est prior altera; sicut genus est prius differentiâ, & vna differentia est prior altera; idem ergo est esse processum in infinitum in formis, & esse processum in infinitum in defi

in definitionibus. Dicit ergo quòd *non contingit*, quod quid *erat esse reduci ad aliam definitionem multiplicantem rationem*: supple in infinitum: puta quòd sic multiplicetur ratio definitiua, vt sicut qui definit hominem, in eius definitione ponit animal, ita quòd definitio hominis reducitur ad definitionem animalis: sic definitio animalis reducatur vlterius in definitionem alterius, & sic in infinitum. Deinde cùm dicit:

18

Semper enim, quæ ante est, communiter est: & quæ posterior est, non est: cuius autem primum non est, nec habitum est.

Probat propositum per quatuor rationes. Quarum secunda ponitur ibi: *Amplius scire*. Tertia ibi: *Sed cognoscere non est*. Quarta ibi: *Sed materiam*. In prima parte intendit talem rationem: Si causæ formales procedunt in infinitum; ergo nulla causa formalis est. Consequens est falsum euidenter, & contradicit antecedenti; ergo & antecedens. Consequentia patet, quia si formæ sunt infinitæ, nulla erit prima, & si prima non est, nulla posterior erit. Dicit ergo quòd *semper enim forma*, scilicet *quæ ante est*, id est, prior, *magis est*, non quòd sit perfectior, sed quia est vniuersalior: forma enim generis vniuersalior est quàm forma speciei, licèt sit imperfectior: ideò dicit: quia forma, scilicet *quæ est posterior, non est*, scilicet vbicumque forma prior est; non enim vbicumque est forma animalis, ibi est forma hominis, & ex hoc vltra arguit. *Cuius autem primũ non est, nec habitum est*, id est, consequenter se habens; si ergo formæ sunt infinitæ, nulla erit prior; ergo nec altera posterior, Deinde cùm dicit:

Primum duplex & vtroque remoto remouentur consequenter entia.

19 Text. co. 11.

Amplius scire destruunt omnes; qui ita dicunt: non enim poßibile scire, antequam ad indiuidua perueniatur.

Ponit secundam rationem quam intendit talem: Si causæ formales sunt infinitæ; ergo nihil contingit scire; consequens est euidenter falsum: ergo & antecedens. Consequentia probatur, quia nihil contingit scire priusquam perueniatur ad indiuidua, quod supple non contingit, si formæ sunt infinitæ.

Notandum, quòd ly, *indiuiduum*, potest exponi tripliciter, vno modo, quòd indiuiduum accipiatur non pro indiuiduo singulari, quia singularium non est scientia: sed indiuiduum dicatur ipsa species specialissima, quæ vlterius per differentias essentiales, vel specificas non diuiditur, vt sit sensus, quòd non contingit scire, scilicet perfectè, quousque perueniatur ad speciem specialissimam: quia scire in genere est scire aliquid imperfectè, & secundùm istam expositionem dicimus, quòd sicut prima ratio concludebat, non esse in causis formalibus processum in infinitum secundùm sursum: sic ista secunda probat, quòd non sit processus in infinitum in deorsum: quia sic non esset peruenire ad inuiduam speciem. Secundo modo exponitur, vt per *indiuiduum* intelligatur supremum genus, cuius ratio non est vlterius diuisibilis in aliqua priora. Diuisio enim formalis non solùm est, secundùm quod genus diuiditur per differentias essentiales, per eius diuisionis priuatio nem species specialissima potest dici indiuiduum, sed etiam secundùm quòd definitio diuiditur in partes definitionis, vt sit sensus, quod *nõ contingit scire*, scilicet per definitionem, *priusquam perueniatur ad indiuidua*, id est, ad suprema genera; quibus ignoratis ignorantur omnia posteriora, & secundùm hanc expositionem illa secunda ratio sicut prima probat non esse in causis formalibus processum in infinitum in sursum. Tertio modo exponitur, vt per indiuiduum intelligatur propositio immediata, vt sit sensus, quòd si procedatur in definitionibus, vel causis formalibus in infinitum secundùm sursum, nulla erit propositio immediata, & per consequens non contingit aliquid scire per demonstrationem concludentem conclusionem ex principiis immediatis deductam. Deinde cùm dicit,

Indiuiduum in proposito potest sumi tripliciter.

Processum in infinitum imaginari dupliciter.

Et cognoscere non est: nam quæ sic sunt infinita, quomodo contingit intelligere?

Ponit tertiam rationem, quæ ducit ad hoc inconueniens, quòd tota cognitio habita tollitur, quæcunque sit. Circa quod duo facit. Primò adducit rationem. Secundò excludit falsam responsionem. Secunda ibi; *Non enim simile*. In prima intendit talem rationem: Si causæ formales sunt infinitæ, nihil omnino contingit scire; consequens est falsum euidenter; ergo antecedẽs. Cõsequentia patet, quia ad cognitionem rei oportet cognoscere formam rei: si ergo in formis proceditur in infinitum, non contingit eas intelligere; ergo, &c. Dicit ergo, quòd *non est*, id est, non contingit *cognoscere*, si supple causæ formales sunt infinitæ, *namque sic sunt infinita quomodo oportet intelligere*: quasi diceret, impossibile est. Deinde cùm dicit;

20

Non enim simile in linea, quæ secundùm diuisiones quidem non stat. Intelligere verò non est non statuentem. Propter quod non enumerabit sectiones, qui per infinita procedet.

Reprobat falsam responsionem: posset enim aliquis dicere, quòd res posset cognosci non obstante infinitate formarum sicut linea, quæ in infinitum diuiditur. Hanc responsionem excludit, d. quòd *non est simile in linea, quæ quidem non stat secundùm diuisiones*: non enim est simile: quia in linea est infinitas in potentia: in formis si esset, haberet esse in actu; vnde subdit quòd *intelligere non est statuentem*, id est, quòd impossibile est aliquid intelligi, nisi in aliquo stetur: vnde linea inquantum stat, vt finita in actu habet puncta terminantia, & sic potest intelligi: secundùm enim quod non statur in diuisione lineæ, non potest sciri; ideò subdit: *propter quod non enumerabit*, supple aliquis, *sectiones*, id est, diuisiones, quæ procedunt in infinitum: quia igitur formæ si essent infinitæ, essent actu; ideò nullo modo possent sciri. Deinde cùm dicit:

Infinitas duplex in potentia, & in actu.

Linea quomodo intelligi potest?

Text. co. 12.

Sed materiam in eo, quod mouetur, intelligere necesse est, & infinito nihil est esse, aut non. Si verò non est infinitum, quid est infinito esse?

Ponit quartam rationem, quæ talis est, quòd necesse est intelligere materiam in moto, id est, in omni eo, quod mouetur: materia autem habet rationem

Materia est prope nihil.

rationem infiniti: infinito autem competit esse nihil: materia enim quæ intelligitur rationem infiniti habere, de se nullam habet formã: quia de se est quasi nihil. Si ergo ei, quod est infinitum, competit esse nihil, sequitur per oppositum, quòd ipsa forma, quæ dat esse, non sit infinita; ergo in formis non erit processus in infinitum. Dicit ergo, quòd *necesse est materiam intelligere in moto, & infinito*, quod supple est materia, *nihil est*, scilicet quantum est de se: *esse autem non*, id est, forma quæ dat esse, non est infinita: quare non erit infinitum in esse, id est, in formis.

21 Notandum, quòd ex illa auctoritate, quòd in omni eo, quod mouetur, oportet intelligere materiam: videtur posse haberi, quòd in cælo sit materia, cum cælum moueatur. Veruntamen qui sunt alterius opinionis, distinguunt de materia, quòd materia dupliciter dicitur, vel quæ est altera pars compositi cum forma constituente per se vnum, vel potest accipi materia pro subiecto. Primo modo materia non est in cælo, nec in Angelis. Secundo modo ponitur in vtrisque, & hanc materiam sufficit intelligere in omni eo, quod mouetur: sed de illa quæstione quærendum est amplius in octauo huius, & ideò vsque tunc differatur. Tunc sequitur illa pars;

Materia duplex.

Vide Scot. in secundo de motu Angelor. d. 2.

Tex. co. 13. ***Sed si infinitæ essent pluralitate species causarum, non esset ita cognoscere. Tunc enim scire putamus, cùm causas ipsas nouerimus. Infinitum verò secundùm adiectionem non est pertransire in finito tempore.***

Vbi probat, quòd non est possibilis infinitas in causis secundùm speciem. Et talem rationem intẽdit: Si causæ sunt infinitæ; ergo nihil cõtingit nos cognoscere; consequens est falsum; ergo antecedens. Consequentia probatur; quia tunc opinamur scire, cùm causas cognoscimus, infinitum autem non contingit scire. Dicit ergo, quòd *si species causarum essent infinita pluralitate, non esset*, id est, non contingeret, nec ita *cognoscere: tunc enim putamus scire, cùm nouerimus ipsas causas: infinitum verò secundùm additionem*, scilicet speciei vnius ad aliam *non est pertranseundum*, in infinito tempore, id est, secundùm illam infinitatem: ita quòd possent cognosci omnes causæ, si ponantur infinitæ.

Species causarum esse finitas ostendit.

SVMMÆ VNICÆ

CAPVT III.

Modus acquirendi notitiam veritatis.

SVMMARIVM.

Magnam esse virtutẽ consuetudinis, ad acquirendam veritatem, suadet Doctor exemplo variarum nationum suis ritibus addictarum. Reliqua quæ in hoc capite tractantur, inferiùs noto.

22 Tex. co. 14. ***Contingunt autem auditiones secundùm consuetudines entibus: nam vt consueuimus ita dignamur dici, & quæ præter ea non similia videntur: sed propter inconsuetudinem minùs nota, & magis extranea. Nam consuetum notius,***

Postquam Philosophus præmisit facilitatẽ, & difficultatem, quæ accidunt circa considerationem veritatis, & quod ad scientiam Metaphysicæ maximè spectat habere notitiam veritatis, nunc ostendit modum acquirentiæ veritatis. Circa quod tria facit. Primò præmittit virtutem consuetudinis in acquisitione veritatis. Secundò subiungit diuersos modos, quos diuersi obseruant in acquisitione veritatis. Tertiò ex dictis describit regulam, & modum magis conuenientem, quem obseruare oportet in acquisitione veritatis. Secunda ibi: *Alij igitur si non.* Tertia ibi: *Propter quod oportet.* Prima in duas. Quare primò intentum proponit. Secundò probationem addit, quæ est per signum. Secunda ibi; *Quantam.* Dicit ergo quòd *auditiones contingunt entibus*, id est, hominibus *secundùm consuetudines: nam vt consueuimus, ita dignamur dici.* Vult dicere, quòd ea quæ sunt nobis consueta, & in quibus nutriti sumus, libentius audimus, & suscipimus, & sic videtur nobis dignum debere dici, & non aliter; vnde subdit quòd *ea quæ non videntur similia, & sunt præter ea*, quæ scilicet consueuimus, *videntur nobis magis extranea, & minùs nota propter inconsuetudinem, nam consuetum*, supple *notius* est quoad nos. Ratio huius est, quia consuetudo est quædam natura, & vertitur in naturam; vnde habitus qui ex consuetudine generatur, vt habetur 2. Ethic. cap. 1. inclinat per modum naturæ: propter quod illud videtur vnicuique ad quod secundùm habitum inclinatur. Et ideò quæ sunt secundùm habitum, videntur homini notiora; verbi gratiâ, homines nutriti, & habituati in opinione alicuius Doctoris, nihil dignantur audire, vel suscipere, quod repugnat opinioni illius, & quicquid consonat illi opinioni, reputant verum, & suscipiunt libentissimè, & gratanter. Deinde cùm dicit:

Quæ sunt magis consueta nobis, libentius recipimus.

Consuetudo est quædam natura.

Quantam verò vim habeat, quod consuetum est, leges ostendunt, in quibus fabularia, & puerilia magis quidem valent cognitione de eis propter consuetudinem.

Probat quod dixerat per signum, dicens *quantam vim habeat, quod consuetum est*, id est, consuetudo, *ostendunt leges*, scilicet humanæ: *in quibus* propter consuetudinem, *quædam fabularia, & puerilia magis valent cognitione*, id est quàm cognitio veritatis de eis.

Consuetudinis vis.

Notandum, quòd leges humanæ, quæ ad ciuilem conuersationem, vt ad finem ordinantur, institutæ sunt ab hominibus, vt ciues ad bonum ciuile inducantur, & à malis retrahantur: secundùm autem diuersitatem nationum sic sunt multa instituta, & friuola, & vana, quæ homines à pueritia in eis nutriti, propter consuetudinem magis approbant, quàm notitiam veritatis, & hoc est signum quantam efficaciam habeat consuetudo. Deinde cùm dicit;

SVMMARIVM.

Quinque modi acquirendi veritatem, quos Doctor benè explicat, ex Philosopho, ponens regulam, nempe priùs acquirendum

rendum modum sciendi, id est, Logicam quàm scientiam. De quo vide eum q. 1. super vniuersalia.

23 Tex. co. 15.

Alij autem si nō Mathematicè quis dicet, non recipient dicētes. Alij si non exemplariter. Et hi testem induci dignantur poëtam. Et illi quidem omnia certè. His verò flebilis est certitudo, aut propter impotentiam complectendi, aut propter micrologiam. Habet enim aliquid quod certum est tale. At queadmodū in symbolis, & ratiocinationibus non liberum quid quibusdam esse videbitur.

Modi acquirenda veritatis quinque

Ponit diuersos modos, quos diuersi obseruant in acquisitione veritatis, & ponit quinque modos. Primus est, quòd *alij igitur*, propter consuetudinem, scilicet *non recipiunt dicentes, si non Mathematicè quis dicet*, id est, non dicatur eis modo Mathematico: quod potest esse duplici de causa, vel quia propter consuetudinem in Mathematicis sunt nutriti, vel propter dispositionem animæ: quia scilicet sunt fortis imaginationis. Secundus modus est, quòd *alij sunt*, qui scilicet nihil volunt recipere de veritate, *si non exemplariter*, id est, nisi eis aliquod signum sensibile proponatur, quod potest accidere, vel propter consuetudinem, vel propter debilitatem intellectus, & dominium in eis potentiæ sensitiuæ. Tertius modus est, quia *hi testem induci dignantur aliquem Poëtam*, id est, nihil reputant dignum recipi, nisi adducatur testimonium Poëtæ, vel alicuius doctoris: quod potest accidere, vel propter consuetudinem, vel propter defectum iudicij intellectus non valentis iudicare, vel intelligere rationem: non enim credentes rationi petunt sibi dari testimonium alicuius. Quartus modus est, *quia illi*, scilicet alij, *omnia*, alia supple, *certè* quærunt, id est, alij sunt, qui per certitudinem omnia volunt dici, & per diligentem inquisitionem rationis: quod potest accidere, vel propter consuetudinem, vel propter bonitatem, & subtilitatem intellectûs quærentis rationem omnium, de quibus est certa ratio possibilis assignari. Quintus modus est, quòd *his verò*, id est aliis, *certitudo est flebilis*, id est, tristabilis, quòd, scilicet aliquid per certitudinem inquiratur, cuius causam assignat duplicem: quia hoc potest accidere, *aut propter impotentiam complectendi*, id est, quia habent debilem intellectum ad videndum complexiones principiorum ad conclusiones, & notorum ad ignota: *aut propter micrologiam*, id est, paruorum ratiocinationem; *tale autem*, id est, simile *habet aliquid, quod certum est*, id est, certam inquisitionem de re, quòd, scilicet nihil quantumcunque paruum prætermittit indiscussum, quod exponit cùm subdit, *vnde quemadmodum in symbolis*, id est, in compositis contractibus, *videtur quibusdam non liberum esse*, scilicet computare minima, & parua: *sic & in rationibus*, id est, scientificis. Vult dicere, quòd sicut in conuiuio magno videtur repugnare liberalitati, & largitati, computare minima: ita videtur quibusdam esse in scientia veritatis, quòd scilicet videtur esse quædam inopportunitas, & illiberalitas, si in cognitione veritatis minima discutiantur. Deinde cùm dicit:

24

Propter quod oportet erudiri quomodo singula sunt recipienda. Et absurdum est quærere simul scientiam, & modum sciendi. Est autem neutrum facile accipere.

Ex dictis describit regulam, & modum magis conuenientem, quem obseruare oportet in acquisitione veritatis. Circa quod duo facit. Primò quod dictum est. Secundò ostendit, quòd vnus modus inquirendi veritatem, qui est potissimus inter numeratos, non est in omnibus scientiis obseruandus. Secunda ibi: *Acribologia verò*. Dicit ergo, quòd quia supple diuersi varios modos quærunt circa notitiam veritatis, *propter hoc oportet erudiri quomodo*, id est, secundùm quem modum, *singula*, scilicet in singulis scientiis, *sunt recipienda*, ea, scilicet quæ traduntur; & subdit, quòd *absurdum est quærere simul scientiam, & modum sciendi: est autem neutrum facile accipere*. Vult dicere, quòd quia non est facile duo simul accipere, absurdum est simul velle habere scientiam, & modum sciendi: propter quod oportet priùs habere modum sciendi, quàm scientiam, & per istum modum procedere ad considerationem, & notitiam veritatis.

Oportet priùs discere modū sciendi quàm scientiam.

Notandum, quòd, secundùm expositionem Commentatoris, per modum sciendi intelligit Philosophus Logicam, quæ modus sciendi dicitur omnibus aliis scientiis, vt est vtens: omnes enim scientiæ Logicâ vtuntur, vt quatenus Logica tradit modum definiendi, syllogizandi &c. huiusmodi, quæ à Logica accipiunt omnes aliæ scientiæ, & per quæ procedunt ad inquisitionem, & notitiam veritatis: priùs ergo addiscenda est Logica, & sic est ad alias scientias procedendum ad inquisitionem, & notitiam veritatis. Deinde cùm dicit:

SVMMARIVM.

De Mathematicis dari maiorem certitudinem, Metaphysica tamen in se certior est, & etiam nobis, eius principiis iam perspectis, vt notaui in proœmio, §. Scientiam vno.

25 Text. co. 16.

Acribologia verò Mathematica non in omnibus est expetēda, sed in nō habētibus materiam: propter quod non naturalis est modus: omnis enim forsan natura materiam habet: ideóque primùm perscrutandum quid est natura: ita namque, & de quibus est Physica manifestum erit: & si vnius scientiæ, aut plurium est causas, & principia considerare.

Ostendit, quòd vnus modus, qui est potissimus ad inquirendum veritatem, ille scilicet qui est per certitudinem, non est in omnibus scientiis obseruandus. Dicit ergo, quod *acribologia Mathematica*, id est, certitudo demonstrandi, quæ est maximè in Mathematicis, *non est accipienda in omnibus*, scilicet scientiis, *sed in non habentibus materiam*, id est, in abstractis à materia: propter quod non est naturalis modus, id est, quòd ille modus, qui est per certitudinem demonstrationis, non spectat ad Philosophum naturalem: *omnis enim forsitan natura materiam habet*: ideò est alius modus inquirendi veritatem in scientia naturali, quem exponit cùm subdit: *ideò primum perscrutandum est, quid est natura: ita namque manifestum erit de quibus est Physica*, id est, de quo est scientia

ſcientia naturalis, & iterùm peſcrutandum eſt, *ſi vnius ſcientiæ*, ſcilicet naturalis, *eſt conſiderare cauſas, & principia*, aut hoc ſit, *plurium* ſcientiarum. Hunc autem modum obſeruat Philoſophus 2. Phyſ. text. com. 3. & inde, quia primò definit naturam, & poſtea determinat de cauſis rerum; per hunc enim modum poteſt patere, quis modus demonſtrandi competat Philoſopho naturali.

Differentia materialium & immaterialiũ, quoad cuititatem, & cognitionem noſtram.

Notandum, quòd ea, quæ habent materiam, ſunt ſubiecta motui, & tranſmutationi, propter quod non poteſt de eis haberi omnimoda certitudo, quia non eueniunt neceſſariò, nec ſemper, ſed vt frequenter ſicut dicitur 2. phyſ. text. com. 48. Immaterialia verò propter cauſam oppoſitam, quia ſcilicet abſtrahunt à motu, ſunt quantum eſt de ſe certiſſima: non tamen ſunt nobis certiſſima ſicut ſuprà dictum fuit de ſubſtantiis ſeparatis, & hoc eſt propter defectum noſtri intellectus: ſed Mathematica ſunt abſtracta à materia, & tamen non ſunt excedentia intellectum noſtrum, & ideò ſunt nobis certiſſima, & de eis certiſſimas demonſtrationes fabricamus.

Notandum etiam, quòd omnia naturalia dicit habere materiam forſitan, vt caueat ſibi à corporibus cæleſtibus, quæ ſecundùm eum, vel non habent materiam, vel non habent talem, qualem iſta inferiora: ideò dubitatiuè loquitur, quæ autem fuerit intentio Philoſophi circa materiam in cælo, inquiretur diligentiùs in octauo huius.

LIBER TERTIVS.

IN hoc libro determinat Philoſophus de iis, quæ ſpecialiter pertinent ad conſiderationem huius ſcientiæ: diuiditur autem in duas Summas; quarum prima dubitationes proponit; ſecunda examinat. In prima parte capitis primi vſque ad text. 2. oſtendit Philoſophus, vt acquiratur ſcientia à principiis nobis notis; agendum eſſe de iis, de quibus dubitatur, vel dubitari poteſt, cuius rei quadruplex datur ratio.

SVMMA PRIMA.

Dubitationes multæ proponuntur.

CAPVT I.

Oſtendit cauſas dubitationis.

Text. com. 1.

NEceſſe eſt autem ad quæſitam ſcientiam nos aggredi primùm de quibus dubitare primùm oportet. Hæc autem ſunt quæcunque de ipſis aliter ſuſceperunt quidam: & ſi quid extra hoc prætermiſſum eſt.

1

Poſtquam Philoſophus in ſecundo libro determinauit de his, quæ ſpectant ad conſiderationem veritatis in communi, nunc deſcendit ad determinandum ea, quæ ſpectant ſpecialiter ad conſiderationem huius ſcientiæ. Circa quod duo facit. Primò procedit modò diſputatiuo, & dubitatiuo. Secundò procedit modo determinatiuo, ſiue demonſtratiuo. Secunda ibi, in principio quarti: *Eſt autem ſcientia quædam.* Prima in duas. Quia primò præmittit ſuum intentum. Secundò proſequitur de intento. Secunda ibi: *Primum ergo de quibus.* Prima pars, quæ eſt quoddam procemium huius tertij, diuiditur in duas. Quia primò proponit ſuam intentionem in generali. Secundò exponit eam in ſpeciali. Secunda ibi: *Eſt autem dubitatio.* Prima in duas. Quia primò præmittit ſuam intentionem. Secundò ſubiungit intentionis rationem. Secunda ibi: *Ineſt autem inueſtigare.* Dicit ergò primò ſic, quòd *ad quæſitam ſcientiam*, ſcilicet à nobis de principiis *neceſſe eſt aggredi ea, de quibus dubitare nos oportet primum*, ſupple antequam veritas determinetur; *ea verò ſunt*, ſcilicet dubitabilia, ſcilicet de quibus intendimus: *quæcunque quidam*, ſcilicet antiqui Philoſophi, *de ipſis aliter ſuſceperunt*, id eſt, opinati ſunt aliter quàm habeat veritas rei; *& ſi quid extra hoc eſt*, ab eis ſcilicet *prætermiſſum*, quod dicit propter hoc, quod ipſe inquirit de quibuſdam, quæ Philoſophi antiqui dimiſerunt. Deinde cùm dicit:

Procemium huius tertij, in quo ſuam intenſionem

Ineſt autem inueſtigare volentibus pretium operæ benè dubitare: poſteriorum enim inueſtigatio priorum eſt ſolutio dubitatorum. Soluere verò non eſt ignorantis vinculum: ſed mentis dubitatio hoc de re demonſtrat. Inquantum enim dubitat, in tantum ſimiliter ligatis eſt paſſus. Impoſſibile enim vtriſque procedere ad id, quod eſt ante. Propter quod, & difficultates oportet ſpeculari omnes priùs, & harum cauſas.

præmittit, & eius rationẽ quadruplicẽ oſtendit.

2

Subiungit, & aſſignat iſtius intentionis quadruplicem rationem: quarum ſecunda ponitur ibi: *Et quia quærentes.* Tertia ibi: *Et adhuc.* Quarta ibi: *Ampliùs melius.* Dicit ergo, quòd *volentibus inueſtigare*, ſcilicet veritatem, *ineſt*, id eſt, oportet *benè dubitare ab initio*, id eſt, principio inquiſitionis. Cuius rationem ſubdit, *quia inueſtigatio poſteriorum*, in inquiſitione veritatis non eſt aliud, *quàm ſolutio priorum dubitatorum*, quod declarat per ſimile in ſolutione ligaminis corporalis dicens, quòd *ſoluere non eſt ignorantis nodum*; nam ille, qui ignorat nodum, non poteſt ipſum diſſoluere: *ſed mentis dubitatio hoc enim ſimile*

simile de re demonstrat: sic enim videtur se habere dubitatio de re ad mentem, sicut ad corpus nodatum, vel ligatum: *in quantum aliquis dubitat, in tantum enim est passus similiter*, id est, aliquid simile *ligatis*, *impossibile est enim vtrisque peruenire ad quod est ante*, id est, quod sicut ille, qui habet pedes ligatos, non potest procedere ad anteriora secundùm viam procedendi, vel progrediendi: sic ille, qui dubitat, quasi habens mentem ligatam, non potest ad anteriora procedere secundùm viam speculandi. Ideò subdit, *propter quod oportet speculari priùs omnes difficultates harúmque causas*: sicut enim ligatus corporaliter si vult soluere vinculum, & nodum, oportet quòd priùs respiciat vinculum, & nodum ligaturæ: sic ille, qui vult soluere dubitationem priùs debet considerare difficultates, & earum causas. Deinde cùm dicit:

Et quia quærentes sine dubitatione primò similes sunt quò oportet ire ignorantibus.

Assignat secundam rationem dicens, quòd oportet, supple priùs dubitare: *quia quærentes*, supple veritatem, *sine inuestigatione*, scilicet dubiorum, *similes sunt ignorantibus quò oportet ire*, id est, illis, qui nesciunt, quò vadant. Ratio huius est, quia sicut terminus viæ intenditur ab ambulante, ita exclusio dubij est finis intentus à speculante & inquirente veritatem. Sicut ergo ille, qui nescit, quò vadit, non potest peruenire ad terminum, nisi forsitan à casu: sic nec aliquis potest directè inquirere veritatem, nisi dubitationem præuideat, & præcognoscat. Deinde cùm dicit:

Dubitatio vtilis est speculanti.

Et adhuc neque quando quæsitum inuenit, aut non cognoscit. Finis enim huic est non manifestus. Prædubitanti verò manifestus.

Ponit tertiam rationem, quæ videtur explicare secundam, dicens quod *adhuc* quando scilicet aliquis, qui nescit quò vadit, *nec quando quæsitum inueniet cognoscet*, id est, cùm peruenerit ad locum, ad quem tunc intendebat, ignorabit vtrùm ille sit terminus, & vtrùm sit sistendum, vel vlteriùs procedendum. Similiter est de illo, qui inquirit veritatem sine dubitatione: ideò dicit, quòd *finis huic non est manifestus*, *prædubitanti verò est manifestus*. Deinde cùm dicit:

Ampliùs melius: necesse est enim habere ad iudicandum eum, qui audiuit velut aduersariorum, & dubitantium omnes rationes.

Ponit quartam rationem, quæ sumitur ex parte auditoris. Dicit ergo, quòd *amplius melius est*, scilicet inquirere dubitationes, *necesse est enim eum, qui audit, habere ad indicandum sicut aduersariorum, & dubitantium omnes rationes*, scilicet quòd auditorem oportet iudicare de auditis, vt sicut in iudiciis nullus potest benè iudicare, nisi audiat rationes vtriusque partis, ita necesse est audientem Philosophiam, & iudicantem de veritate audire omnes rationes aduersariorum dubitantium, quod fit inquirendo priùs dubia, quæ accidunt circa veritatem, quæ inquiritur. Deinde cùm dicit:

Inquirenti de veritate consideranda rationes vtriusque partis.

Idem 2. de Anima. Tex. co. 146.

SVMMÆ PRIMÆ CAP. II.

Dubitationes variæ ad hanc scientiam spectantes proponuntur.

SVMMARIVM.

In prima parte huius capitis vsque ad §. *Et vtrùm*, proponuntur dubitationes ex parte considerationis huius scientiæ.

Tex. com. 1.

Est autem dubitatio prima quidem de quibus proœmialiter dictis dubitauimus. Vtrùm vnius, aut multarum est scientiarum causas speculari? Et vtrùm substantiæ principia prima est scientiæ huius scire solùm? Aut etiam de principiis de quibus ostendunt omnes? Vt vtrùm contingit vnum, & idem simul dicere, & negare, aut non? & de aliis talibus? Et si est circa substantiam, vtrùm vna circa omnes, aut plures sunt? Et si plures, vtrùm omnes cognatæ, aut earum hæ quidem sapientiæ? Illæ verò aliquid aliud dicendæ sunt? Et hoc idem quoque necessarium est quærere: vtrùm sensibiles substantiæ esse solùm sunt dicendæ, aut præter has aliæ? Et vtrùm vnicæ sunt, aut plura genera substantiarum, vt facientes species, & Mathematica inter ista, & sensibilia dixerunt? De his ergo, vt diximus perscrutandum est, & vtrùm circa substantias solùm est speculatio? aut circa quæ accidunt secundùm se substantiis? Adhuc autem de eodem, & diuerso, simili, & dissimili, & contrarietate, & de priore, & posteriore, & de aliis omnibus talibus, & de quibuscunque Dialectici intendere tentant, ex probabilibus solùm perscrutationem facientes, quorum Theoria est de omnibus. Ampliùs autem his eisdem quæcunque secundùm se accidunt, & non solùm quid est horum vnumquodque: sed vtrùm vni est vnum contrarium?

4

Exponit suam intentionem in speciali, enumerans dubitationes omnes, circa quas versatur ista scientia. Circa quod duo facit. Primò enumerat dubitationes pertinentes, & tenentes se ex parte considerationis istius scientiæ. Secundò enumerat dubitationes tenentes se ex parte rerum consideratarum in ista scientia. Secunda ibi: *Et vtrùm principia, & elementa.* In prima parte enumerat, & proponit quæstiones tenentes se ex parte considerationis istius scientiæ.

Hic enumerat dubitationes ex parte considerationis huius scientiæ.

Prima dubitatio est, de quibus in prædictis dubitauimus, id est, dubitando proposuimus, scilicet in fine secundi libri: *vtrùm* scilicet *speculari causas*, quæ sunt quatuor, *sit vnius scientia, aut multarum scientiarum?*

Secunda dubitatio est, vtrùm *istius scientiæ sit scire solùm prima principia substantiæ: aut etiam* considerare *de principiis ex quibus*, scilicet *omnes* scientiæ *ostendunt*, id est, demonstrant sicut sunt prima principia, *vt vtrùm contingit vnũ, & idem simul*

simul dicere, id est, *affirmare & negare* ? *& de aliis talibus*: sicut sunt, omne totum est maius sua parte.

Tertia dubitatio est, *& si est circa substantiam*, id est, dato quòd ista scientia versetur circa substantiam: quæstio, est *vtrùm vna scientia sit circa omnes substantias* : *aut sunt plures* scientiæ de diuersis substantiis ? quia supple videtur prima facie, quòd de pluribus substantiis debent esse plures scientiæ.

Quarta dubitatio est, quòd & si plures, id est, dato quòd plures scientiæ sint de pluribus substantiis, quæstio est *vtrùm omnes sint cognatæ*, id est, vnius generis, aut non ? ita quòd quædam *hæ quidem dicendæ sunt sapientiæ : illæ verò*, id est, aliæ *aliquid aliud* : sicut videmus quod Geometria & Arithmetica sunt cognatæ : quia vtraque est in genere scientiæ Mathematicæ, quædam autem scientiæ sunt alterius generis : vt Mathematicæ & naturales : videtur enim primo aspectu quòd cùm substantiæ materiales & immateriales non sint vnius rationis, quòd scientiæ circa omnes substantias non sint vnius rationis, nec eiusdem generis.

Quinta dubitatio est, *& hoc idem necessarium est quærere, vtrùm substantiæ sensibiles dicendæ sunt esse solùm*, vt dixerunt antiqui Philosophi naturales : *aut præter eas*, scilicet substantias sensibiles & materiales sunt *alia* intelligibiles & immateriales, vt posuit Plato : & etiam Arist. vt patebit 7. & etiam 12. huius libri, tex.c.6.& inde tex. com.5. & inde.

Sexta dubitatio est, quòd dato quòd sint aliquæ scientiæ separatæ à sensibilibus, quæstio est, *vtrùm sint vniuocæ*, id est, vnius generis tantùm : *aut sint plura genera substantiarum, vt dicunt facientes species, & ideas, & Mathematica intermedia inter ideas & sensibilia*, quales fuerunt Platonici, vt dictum fuit in primo libro ? *De his igitur* dubitationibus *perscrutandum est vt prædiximus.*

Septima dubitatio est, *vtrùm speculatio* istius scientiæ *sit solùm circa substantias, aut circa ea quæ secundùm se accidunt substantiis*, id est, circa proprias passiones substantiæ ? Videtur enim prima facie quòd ad eandem scientiam pertinet considerare subiectum & per se accidentia subiecti.

Octaua dubitatio est, vtrùm ista scientia consideret de quibusdam, quæ videntur sequi ens inquantum ens, scilicet *de eodem & de diuerso, simili & dissimili : & de contrarietate, & de priore & posteriore, & aliis omnibus talibus, de quibuscunque Dialectici téntant intendere ?* nam Dialectici *facientes perscrutationem ex probabilibus solùm eorum theoria*, id est, consideratio, *est de omnibus.* Circa enim idem laborant Metaphysicus, & Dialecticus, vt dicetur in 4. huius, tex. c. 5. licèt Dialecticus procedat ex probabilibus, non tamen necessariis : videtur enim ex vna parte quòd cùm ista quæ numerata sunt, sint communia, quòd pertineant ad considerationem scientiæ Metaphysicæ ; sed videtur ex alia parte, quòd ex quo Dialectici est considerare talia, qui procedit ex probabilibus, quòd non pertineant ad considerationem Metaphysicæ ; cuius est demonstrare ex necessariis.

Nona dubitatio est quoad illa communia, quæ consequuntur ens inquantum ens : quæ talis est quæstio, vtrùm ad istam scientiam pertineat considerare de istis communibus : *non solùm quid est vnumquodque eorum* : sed etiam *quæcunque secundùm se accidunt his eisdem* : vt *vtrùm vnum sit contrarium vni* : & sic de aliis.

Notandum, quòd licèt omnes dictæ dubitationes pertineant ad considerationem istius scientiæ, tamen aliquo modo inter se distinguuntur: quod quomodo hoc sit, patebit inferiùs, quando de istis dubitationibus prosequetur : sufficit enim pro nunc dubitationes prædictas enarrare. Deinde cùm dicit :

SVMMARIVM.

Quatuordecim considerationes ex parte rerum consideratarum in hac scientia, de quibus postea suo ordine.

ET vtrùm principia & elementa genera sunt : aut in quæ diuiditur existentium singulum ? Et si genera, vtrùm quæcunque dicuntur de indiuiduis finalia : aut prima, vt vtrùm homo, aut animal principium est magis quàm singulare? Maximè verò quærendum est, & tractandum, vtrùm est aliquid præter materiam, causa secundum se, aut non ? Et hoc separabile aut non ? & vtrùm vnum, aut plura numero? Et vtrùm est aliquid præter synolon ? Dico autẽ synolon quando prædicatur aliquid de materia, aut nihil, aut horum quidem, horum verò non. Ampliùs autem vtrùm principia numero, aut specie determinata, & quæ in rationibus, & quæ in subiecto ? Et vtrùm corruptibilium & incorruptibilium eadem, & diuersa ? Et vtrùm incorruptibilia omnia, aut corruptibilia corruptibilium ? Ampliùs autem quod omnium difficillimum est, & plurimam habet dubitationem : vtrùm vnum, aut ens quemadmodum Pythagorici, & Plato dicebãt, non alterum aliquid est, sed entium substantia: aut non, sed aliquid alterum ipsum subiectum, vt Empedocles amorem dicit; alius verò ignem ; alius aquam, aut aerem ? Et vtrùm principia sint vniuersalia, aut singularia rerum? Et potestate, aut actu ? Ampliùs autem vtrùm aliter, aut secundùm motum ? Hæc enim dubitationem præstant magnam. Adhuc autem numeri, & longitudines, & figuræ, & puncta substantiæ quædam sunt, aut non ? Et si substantiæ, vtrùm separatæ à sensibilibus, aut in eis ? De his enim omnibus non solùm difficile veritatem ipsam inquirere ; sed nec ratione quidem benè dubitare facile est. 5

Enumerat dubitationes tenentes se ex parte rerum consideratarum in ista scientia & enumerat 14. dubitationes.

Dubitationes ex parte rerum consideratarum hic enumerat.

Prima dubitatio est, *vtrùm principia & elementa, de quibus considerat ista scientia, sint genera vniuersalia; aut sint illa in quæ diuiditur singulum existentium*, id est, illa vltima, in quæ diuiditur singulare existens ? Ratio huius dubitationis potest esse, quia elementum rei dicitur, ex quo primò res componitur, & in quod vltimò diuiditur. Est autem duplex modus compositionis & resolutionis. Vnus secundùm quem conceptus specierum resoluuntur in genera, &

Nota modum resolutionis & compositionis duplicem,

secundùm hunc modum genera videntur esse elementa. Secundus modus est magis realis & naturalis, secundùm quem corpora naturalia dicuntur resolui in elementa: & secundùm hunc modum non genera communia:sed corpora elementaria erunt principia & elementa rerum.

Secunda dubitatio est, quòd dato quòd genera sint principia rerum, est quæstio *vtrùm* illa principia sint *quæcunque finalia,* id est, vltima *aut prima,* id est, illa *quæ primò, & proximò de indiuiduis dicuntur*, sicut sunt species specialissimæ, quæ largo modo, & Platonico dicuntur genera, pro quanto de pluribus indiuiduis prædicantur: aut prima, scilicet genera principia sint rerum, vt sunt genera generalissima, vt *vtrùm principium sit animal aut homo*: quia secundùm Platonicos est magis principium circa singularia, id est, magis existens *quàm singulare.*

6 Diuisio duplex.

Ratio huius dubitationis sumitur ex duplici diuisione: quarum vna est secundùm quam genera in species diuiduntur. Alia est secundùm quam species resoluuntur in genera; nam illud, quod est vltimum in diuidendo, videtur in componendo esse principium & elementum.

Tertia dubitatio est, quòd *maximè quærendum est, & tractandum, vtrùm sit aliqua causa præter materiam, aut non?* Ista dubitatio habuit ortum ex opinionibus antiquorum, qui solam materiam ponebant causam & substantiam rerum, vt in primo libro dicebatur.

Quarta dubitatio est, quòd dato, quòd sit aliqua causa rerum præter materiam, est quæstio, *vtrùm hæc sit separata,* vt dicebat Plato, *aut non,* vt quidam alij posuerunt.

Quinta dubitatio est, quòd dato, quòd sit aliquid separatum à materia, est quæstio *vtrùm* illud sit *vnum numero,* vt Anaxagoras, qui posuit vnum intellectum: *aut sint plura*, vt posuit Plato: & etiam Aristoteles.

Sexta dubitatio est, *vtrùm sit aliquod aliud præter synolon,* id est, simul totum, quod est singulare, aut nihil: & exponit quid vocat synolon, *Dico autem synolon quando prædicatur aliquid de materia: aut nihil*: addit etiam quòd si sit dare aliquid præter synolon, est dubium *aut de his quidem: de illo verò non*, id est, in quibus sit & in quibus non; & qualia sunt in quibus est; & qualia in quibus non?

Synolon quid est?

Notandum, quòd vt imponitur Platoni, ipse posuit hominem, & leonem, & huiusmodi, esse quasdam formas separatas, quæ de istis inferioribus prædicantur: & per hoc homo prædicatur de Socrate, vel Platone, quòd ista materialia sensibilia participant illam formam separatam. Socrates ergo, & Plato dicuntur *synolon*, id est, simul totum constitutum ex hoc quòd materia participat formam separatam, quæ est quoddam prædicatum de materia, id est, de istis inferioribus materialibus. Est ergo ista dubitatio, *vtrùm quiditas indiuidui sit separata ab ipso indiuiduo, vel non: & in quibus sit verum, & in quibus non?* Quam dubitationem pertractat & determinat 7. huius.

Septima dubitatio est, vtrùm principia de quibus considerat ista scientia, *sint determinata numero, aut specie: & quæ in rationibus, & quæ in subiecto?* id est, quantum ad causam formalem, & quantum ad causam materialem siue subiectiuam. Dicimus enim tria esse principia, vt habetur 1. Physic. text. co. 56. iste autē numerus ternarius potest intelligi, vel secundùm numerum, id est, quòd sit vna forma numero, & materia vna numero, quæ sunt principia naturæ; vel potest intelligi iste numerus ternarius secundùm speciem, scilicet, quòd sint multæ causæ materiales, quæ conueniunt in specie, & ratione materiæ, & sic de aliis.

Octaua dubitatio est, *vtrùm corruptibilium, & incorruptibilium sint eadem principia, aut diuersa:* & dato quòd diuersa, *vtrùm omnia principia* sint *incorruptibilia, aut corruptibilium sint principia corruptibilia:* sicut incorruptibilium sunt principia incorruptibilia.

Nona dubitatio est, quam dicit esse difficillimam omnium, & habere plurimam dubitationem, *vtrùm vnum & ens sint substantia omnium, & non aliquod diuersum; quemadmodum dicebant Pythagorici, & Plato: aut non; sed sit aliquod alterum* aliud vnum *ipsum subiectum* ipsi vni & enti diuersum ab eis: quod subiectum *Empedocles dixit esse amorem: alius verò ignem,* vt Heraclitus: *alius verò aquam,* vt Thales: *alius aërem*, vt Diogenes. Plato enim, & Pythagorici dixerunt vnum, & ens esse rerum substantiam, & non additum aliquid substantiæ. Empedocles autem & alij naturales dixerunt vnum, & ens esse aliquid additum substantiæ rerum: sicut quoddam accidens superadditum substantiæ: substantiam autem rerum ponebant ignem, aut aquam, &c. Empedocles autem posuit amorem subiectum esse vnius, & entis: quem amorem ponebat principium rerum, vt efficiens: vt dictum fuit in primo libro. Dicit autem istam dubitationem esse difficillimam, quatenus ex ea pendet opinio tota Platonis, & Pythagoricorum, & ponentium numeros esse rerum principia.

7 Resumit breuiter op. antiquorum de substantia rerum & ente & vno,

Decima dubitatio est, *vtrùm principia rerum sint vniuersalia, aut singularia*, id est, vtrùm ea quæ ponuntur, vt principium, habeant rationem principij, & sint vniuersalia, vel habeant rationem singularis.

Vndecima dubitatio est, *vtrùm principia sint potestate an actu?* & hæc duo videntur conuenienter quæri de principio materiali, eo quòd ponebant antiqui Naturales aliqua corpora actu, putà ignem, aut aquam, &c. vel sit tantùm ens in potentia, vt posuit Arist.

Duodecima dubitatio est, *vtrùm secundùm motum, aut aliter?* id est, vtrùm principia rerum sint causæ solùm secundùm motum, sicut posuerunt antiqui Naturales materiam, vel efficiens: aut sint aliter, quàm secundùm motum principia; sicut dixit Plato ponens ideas esse principia, non secundùm motum, sed secundùm quandam participationem. Addit autem quòd *hæc*, scilicet dubia quæ dicta sunt, *præstant magnam dubitationem*, ex hoc, scilicet quòd circa ea Philosophi antiqui abinuicem discordabant.

Decimatertia dubitatio est, *vtrùm numeri, & longitudines, & figuræ, & puncta sint quædam substantiæ;* aut non? Aliqui enim Philosophi, vt Pythagorici, & Platonici posuerunt huiusmodi Mathematica esse rerum principia, & substantias.

Decimaquarta dubitatio est, dato, quòd huiusmodi Mathematica sint substantiæ, est quæstio, *vtrùm sint substantiæ separatæ à sensibilibus*, vt ponebat Plato; *aut sint in eis*, id est, in sensibilibus, vt Pythagorici ponebant? Addit autem rationem pertractandi dubitationes dictas, dicens quòd *de his omnibus,* supple oportet quærere; quia *non solùm difficile est inquirere ipsam veritatem de*

eis:

cis: sed nec est benè facile dubitare rationem inueniendo, scilicet rationes probabiles pro, & contrà.

Notandum quòd licèt omnes prænumeratæ quęstiones teneant se ex parte rerum, quæ subsunt considerationi huius scientiæ, tamen inter se aliqualiter distinguuntur; sicut patebit inferiùs pertractando ipsas.

SVMMA SECVNDA.

In hac Summa examinantur propositæ difficultates, in cuius primo capite vsque ad §. *At verò*, agitur, an vnius scientiæ sit speculari omnia genera causarum? & pars negatiua suadetur primò.

CAPVT I.

Disputantur difficultates de causarum, principiorum, ac substantiarum cognitione.

Text. co. 3.

PRimũ ergo de quibus in primis diximus, vtrùm vnius aut plurium scientiarum sunt speculanda omnia genera causarum?

8

Postquam Philosophus in præcedenti parte, quæ est in prologo huius tertij, præmisit suam intentionem, nunc exequitur de intento, disputando de quæstionibus prædictis, & formando rationes pro, & contrà. Circa quod duo facit: quia Primò disputat de quæstionibus, quæ se tenent ex parte scientiæ considerantis. Secundò de quæstionibus, quæ se tenent ex parte rerum consideratarum. Secunda ibi: *Ampliùs vtrùm sensibiles?* Prima in duas, quia primò facit quod dictum est, secundùm quod consideratio huius scientiæ respicit causas & principia. Secundò, vt respicit causata & principiata. Secunda ibi: *Totaliter quæ substantiarum.* Prima in duas; quia primò facit, quod dictum est, vt consideratio scientiæ respicit causas, & principia incomplexa. Secundò, vt respicit complexa. Secunda ibi: *At verò de principiis.* Prima in duas, quia primò proponit quæstionem. Secundò arguit ad quæstionem. Secunda ibi: *Vnius enim scientiæ.* Dicit ergo quòd *primum*, supple est inquirendum, *de quo in primis diximus*, scilicet enumerando quæstiones: vt sic ordo disputandi correspondeat ordini proponẽdi. Et est quæstio prima, quam priùs primò proposuit, *vtrùm vnius scientiæ, aut plurium scientiarum sit speculari omnia genera causarum?* Deinde cùm dicit:

Prosequitur problematicè disputãdo, & primo ad quæst.

Vnius enim scientiæ quomodo erit non contraria principia existentia cognoscere?

Arguit ad quæstionem. Circa quod duo facit, quia primò ponit rationes ad ostendendum, quòd ad eandem scientiam non pertinet considerare omnes causas. Secundò supponendo, quod pertineat ad diuersas scientias, mouet quandam aliam quæstionem annexam. Tertiò ex quæstione annexa pertractata concludit conclusiones primarum rationum. Secunda ibi: *At verò si causarum scientiæ.* Tertia ibi: *Quapropter videtur.* Prima in duas secundùm duas rationes quas adducit. Secunda ibi: *Ampliùs autem.* In prima parte intendit talem rationem: Contraria sunt vnius scientiæ; ergo quæ non sunt contraria, non spectant ad vnam scientiam. Dicit ergo, quòd si *vnius scientiæ quomodo erit cognoscere*, scilicet principia *non existentia contraria?* quasi diceret, quòd non.

Philosophus in disputãdo adducit, quãdoque rationes sophisticas,

Notandum, consuetudinem esse Philosophi, quòd cũ pertractat aliquam materiam disputãdo, non solùm adducit rationes probabiles, vel necessarias; sed interdum etiam sophisticas, sicut patet 4. huius, & in isto tertio frequenter. Vnde illa ratio, quæ nunc facta est sicut dicit Commentator; & est euidens de se: peccat per Consequens arguendo à destructione Antecedentis. Deinde cùm dicit:

Ampliùs autem multis existentium non insunt omnibus omnia. Quo namque modo possibile est motûs principium esse in immobilibus, aut boni naturam? si quidem omne quod est bonum secundùm se, & propter suam naturam finis est, & ita causa, quod illius causa, & fiunt, & sunt cætera. Finis autem, & cuius causa actus cuiusdam est finis: sed actus omnis cum motu. Quare in immobilibus non contingit hoc esse principium; Nec esse aliquid αὐτοάγαθον, id est, per se bonum. Vnde & in Mathematicis per hanc nihil ostendit causam. Nec est demonstratio nulla eo quod melius, aut deterius; sed nec omnino nullus talium alicuius reminiscitur; Quapropter, & Sophistarum quidam, vt Aristippus, ipsas præneglexit. In aliis enim artibus & illiberalibus, vt Tectonica, & Coriaria eò quod melius, vel deterius dici omnia; Mathematicas verò, nullam de bonis, & malis facere rationem.

9

Ponit secundam rationem, quæ sic formari potest: Si vnius scientiæ est considerare omnes causas, ergo quæcumque scientiæ considerant vnam causam, considerabunt omnes: consequens est falsum; ergo & antecedens. Falsitatem consequentis ostendit prolixè in litera. Dicit ergo, quòd *ampliùs multis existentium*, id est, de numero entium *non insunt omnia*, scilicet genera causarum omnibus, & per consequens, scientia considerans talia entia, non considerabit omnes causas: quod declarat primò de causa efficiente: *quo namque modo est possibile principium vnde motus*, id est, efficiens *in immobilibus*? quasi diceret, quòd non. Cùm ergo sint multa etiam entia immobilia, sicut patet ex opinione Platonis, & etiam Aristotelis, scientia considerans talia entia immobilia non considerabit causam mouentem, cùm talia entia non habeant principium, vnde motus. Secundò ostendit hoc idem in causa finali, dicit *aut* supple, quomodo est possibile ipsorum immobilium *esse boni naturam*, id est, causam finalem quæ habet rationem boni? quasi diceret, quòd non: quod probat cùm subdit: *si* pro quia, quia *omne quod est bonum secundùm se, & propter suam naturam est finis, & ita potior causa, quia illius causa cætera sunt, & fiunt; finis autem & cuius causa, est finis*, id est, terminus *actus cuiusdam*, id est, actionis, vel operationis; *sed omnis actus*, id est, omnis actio, vel operatio *est cum motu*, vt videtur, *quare* sequitur,

Non omnia causata habent omnes causas, nec omnis scientia illas considerat.

Al. si quid.

quòd *non contingit id esse principium*, scilicet finem *in immobilibus*, cùm talia abstrahant à motu, *nec* videtur *esse aliquid* αυτοάγαθον, *id est, per se bonum*; vult dicere quòd, quia illa quæ sunt per se existentia absque materia, sunt necessariò immobilia, ideò non videntur esse bona, vt ponebat Plato, qui omnia immaterialia, & separata vocabat per se existentia, puta ideam hominis, vocabat per se hominem; quia non participatam in materia. Iterùm per se bonum vocabat illud, quod est sua bonitas non participata, cuiusmodi est primum principium. Hanc autem rationem dictam confirmauit per quoddam signum, dicens *vnde* supple, quia in immobilibus non est ratio finis, & boni; idcircò *in Mathematicis*, quæ abstrahunt à motu, nihil *ostendit per eam*, scilicet causam finalem: *nec est vera demonstratio eius quod melius aut deterius*, id est, in Mathematicis nihil demonstratur ex ratione boni, puta quòd hoc modo sit; quia melius est hoc modo esse, aut deterius, si ita non esset: vt si diceretur, quòd triangulus habet tres, quia melius est quod habeat tres, quàm si non haberet. Ideò subdit, quòd *nec omnino nullus reminiscitur*, scilicet in Geometria, *alicuius talium*, scilicet modorum demonstrandi ex ratione boni, vel finis, vel formę, vel sint tales plures modi: *quapropter quidam de numero Sophistarum, vt Aristippus, ipsam enim neglexit*, scilicet demonstrationem per causam finalem: ex quo, scilicet, quòd talem demonstrationem reputabat vilem. Vnde subdit, quòd ille, scilicet Aristippus ponebat, quod in *aliis artibus liberalibus*, seruilibus, & vilibus: *vt in Tectonica & Coriaria*, & artibus aliis mechanicis, dici *omnia*, scilicet assignari *ex hoc, quod aliquid deterius*, id est vilius, *vel melius, Mathematicas vero*, scientias *nullam facere rationem de bonis, & malis*, cùm scilicet sint certissimæ & nobilissimæ. iste autem Aristippus dicitur fuisse de secta Epicureorum.

In Mathematicis non est demõstratio per causam finalem.

Notandum, quòd licèt in Mathematicis non probetur aliquid ex fine, & ex ratione boni, vt prædictum est, tamen hoc faciunt aliquæ aliæ scientiæ; sicut naturalis scientia, quæ vt plurimum demõstrat ex causa finali, vt habetur 2. Physic. vnde assignamus causam quare habet pedes, vt melius possit ambulare & sibi acquirere necessaria ad vitam.

Naturalis scientia demonstrat ex causa finali.

Notandum etiam, quòd vt habetur 4. Ethicor. cap. 9. & circiter, sed expressiùs habetur 8. Ethicorum, triplex est bonum, scilicet bonum honestum, bonum vtile, & bonum delectabile. Primum est bonum secundum se, & habet rationem finis propriè, & est amabile amore amicitiæ. Secundum bonum habet magis rationẽ amabilis amore concupiscentiæ, & sic potest habere rationem finis; non tamen ita propriè sicut primum bonum: magis autem habet rationem eius, quod est ad finem; sicut medicina vtilis ad sanitatem ordinatur ad sanitatem, vt ad finem. Tertium bonum, scilicet delectabile magis etiam habet rationem eius, quod est ad finem; licèt rationem finis habeat aliquo modo: non tamen sic sicut primum bonum. Benè ergo ait Aristoteles, quòd omne quod est bonum propter se, & secundùm suam naturam, quod propriè est bonum honestum: finis est, & ita causa cuius gratiâ sunt, & fiunt alia. Deinde cùm dicit:

Bonum triplex, honestum, vtile & delectabile.

SVMMARIVM.

Si de variis causis variæ dentur scientiæ, quænam erit nobilior? Excludit materiam, ratione à Doctore assignata.

10

***A**T verò si scientiæ causarum sunt plures, & altera alterius principij, quæ earum est dicenda quæ quæritur? Aut quis maximè rem quæsitam est sciens eam habentium?*

Interponit quandam aliam quæstionem annexam. Circa quod tria facit. Primò proponit quæstionem quæ habet duas partes. Secundò demonstrat secundam partem quæstionis. Tertiò resumit quæstionem quantum ad primam partem specialiter. Secunda ibi: *Conuenit autem eidem*, Tertia ibi: *Igitur ex dudum determinatis*. Dicit ergo, *at verò* dato quòd *sint plures scientiæ causarum, & altera alterius principij*, puta quòd vna scientia considerat de causa formali, alia de causa finali, &c. Est quæstio, *quæ earum sit dicenda illa*, scilicet scientia, *quæ quæritur*? id est, quæ illarum scientiarum debeat dici sapientia, de qua modò quæritur, & intenditur, & hæc est prima pars quæstionis. Secundam partem subdit: *aut* supple est quæstio *quis maximè rem quæsitam sciens, est habentium*, eas, scilicet causas, id est, quod si aliqua res sit, quæ habeat plures causas, est quæstio quis maximè cognoscit illam rem earum, quæ considerantur per diuersas scientias, & causas. Deinde cùm dicit:

Contingit enim eidem omnes modos causarum inesse, vt domus. Vnde quidem motus ars, & ædificator: cuius verò causâ opus, & materia terra, & lapides; species verò ratio.

11

Demonstrat secundam partem quæstionis: ex hoc scilicet quòd inuenitur aliqua res habens omnes causas. Dicit ergo, quòd conuenit aut *contingit eidem* rei *inesse omnes modos causarum*, *vt* ipsius *domus ars, & ædificator* est, *vnde motus*, id est, causa efficiens. *Cuius verò causâ*, id est, causa finalis, *est operatio*, id est, vsus, vel habitatio: *materia autem sunt terra & lapides*: *species verò*, id est causa formalis est *ratio*, id est compositio, vel proportio domus. Vel per rationem domûs intelligit formam domûs, quam artifex in mente habet, quæ 7. Metaphysicæ text. co. 23. vocatur, *quod quid erat esse*, & prima substantia: & ibidem dicitur, quòd ex domo intra, quæ est ipsa domus imaginata, fit domus cum materia, quæ est domus extrà. Deinde cùm dicit:

Quomodo in vna re concurrunt omnes causæ?

Igitur ex dudum determinatis quam decet vocare scientiarum sapientiam, habet rationem quamlibet appellari: inquantum senior quidem, & principalior, cui veluti seruientes non contradicere scientias alias certum est: quæ finis enim boni talis est: sunt enim huius causa cætera.

Resumit quæstionem specialiter, quantum ad primam partem, & adducit rationes. Circa quod tria facit. Quia primò inducit rationem ad ostendendum, quòd scientia considerans causam finalem, mereatur nomen sapientiæ, dato quòd de diuersis

uerſis cauſis, diuerſæ ſcientiæ tractarent. Secundò inducit rationem ad probandum idem de cauſa formali. Tertiò de cauſa efficiente. Secunda ibi: *Inquantum verò primarum.* Tertia ibi: *Circa generationem.* Dicit ergo, quòd *ex determinatis dudũ.* ſ. in primo libro, *quam,* ſcilicet ſcientiam decet *vocare ſapientiam, habet rationem quãlibet.* ſ. ſcientiã, de quacunque cauſa conſiderat *appellari*, ſcilicet nomine ſapientiæ: & primò quantum ad ſcientiam, quæ conſiderat cauſam finalem, intendit talem rationem: Scientia directiua aliarum, & ad quam aliæ ordinantur, meretur magis nomen ſapientiæ. (Hæc enim eſt conditio ſapientiæ, vt dictum fuit in prologo primi libri:) ſed ſciẽtia conſiderans de fine eſt huiuſmodi, quia ex fine omnia alia diriguntur, & ad finem omnia alia ordinantur; ergo talis ſcientia erit ſenior, id eſt dignior: & illæ erunt ſubſeruientes ſibi, & per conſequens ipſa meretur magis nomen ſapientiæ. Dicit ergo, quòd *inquantum* ſcilicet ſapientia eſt, *quidem ſenior & principalior,* eſt dignior, *cui non contingit alias ſcientias contradicere ſibi veluti ſeruiẽtes ſibi:* quia per eã. ſ. dirigũt: quia inquã ſic eſt, iuſtè ſciẽtia quæ eſt *de fine & bono talis eſt,* ſcilicet quæ dicatur ſapientia. *Huius enim causâ,* id eſt, propter finem *catera ſunt:* ſignum huius eſt: quia ars architectonica, ad quam pertinet finem conſiderare, principatur & imperat aliis artificibus, ſicut vſualis imperat nauifactiuæ, & nauifactiua dolatiuæ, quæ præparat materiam ad formam nauis: ſi igitur ſapientia eſt præceptiua aliarum, maximè videtur propter hoc pertinere ad ſcientiam de fine. Deinde cùm dicit:

Scientia directiua aliarum, eſt ſenior, & dignior illis.

12

Inquantum verò primarum cauſarum, & maximè ſcibilis diffinitiua eſt eſſe: quæ ſubſtantiæ, vtique erit talis. Multis enim modis idem ſcientibus, magis quidem ſcire dicimus eum qui nouit in ipſo eſſe quid res, quàm in non eſſe: & horum eorundem alium alio magis. Sed maximè quid eſt, & non quantum, aut quale, aut quid facere, aut pati apta nata eſt. Ampliùs autem & in alijs ſcire ſingula, & quorum demonſtrationes ſunt: tunc putamus exiſtere, quando ſcimus quid eſt, vt tetragonizare quid eſt: quia mediæ inteutio. Similiter autem & aliis.

Adducit rationem pro ſcientia conſiderante de cauſa formali. Et intendit talem rationem: Illa ſcientia quæ conſiderat primas cauſas, & eſt ſcientia maximè certa, meretur magis nomen ſapientiæ; hæc enim eſt conditio ſapientiæ, vt patet ex prologo primi libri: ſed ſcientia conſiderans cauſam formalem eſt huiuſmodi, quod patet ex hoc, quia inter diuerſos modos ſciendi, maximè dicimus illum ſcire, qui ſcit eſſe rei, & quod quid erat eſſe eius; ergo talis ſcientia magis meretur nomen ſapientiæ. Dicit ergo, quòd *inquantum verò ſapientia,* ſupple eſt *diffinitiua eſſe primarum cauſarum, & maximè ſcibilis,* ex hoc, ſcilicet videtur *quod* ſcientia *ſubſtantiæ,* id eſt, de cauſa formali & ſubſtantiali *erit talis,* ſcilicet ſapientia: *multis enim modis ſcientibus idem,* id eſt, inter multos modos ſciendi rem, *magis quidem dicimus ſcire eum qui nouit in ipſo eſſe, quid eſt in ipſa re, quàm in non eſſe,* id eſt, quòd magis ſcit ille aliquid, quàm qui ſcit aliquid non eſſe. Demonſtratio

Scientia de cauſa formali maximè ſapientiæ nomẽ meretur.


enim & ſcientia affirmatiua potior eſt, quàm ipſa negatiua: ſicut patet primo poſteriorum: *& horum eorundem* qui, ſcilicet ſciunt eſſe aliquid: *alium alio magis* dicimus ſcire: *ſed maximè qui* ſcit *quid eſt & non quantũ eſt, aut quale, aut quod eſt apta nata facere aut pati:* ſcire autem quid eſt, eſt ſcire formam rei. *Ampliùs autem & in aliis,* ſcilicet proprietatibus *ſcire ſingula, & quorum ſunt demonſtrationes,* vt ſunt propriæ paſſiones: *tunc putamus exiſtere, quando ſcimus quid eſt,* puta *vt* quid *tetragonizare, quia* ſcilicet eſt *mediæ inuentio, ſimiliter autem & in aliis.*

Vide notanter Scot. q. 3. prolog. Sent. in ſolutione. 1. lateralis.

Notandum, quòd ipſum quod quid eſt, non ſolùm inuenitur in ſubſtantiis, ſed etiam in accidentibus; & ideò ſicut in ſubſtantiis, tunc putamus maximè ſcire rem, quando ſcimus quid eſt: ita etiam in accidentibus, & in aliis proprietatibus, quorum ſunt demonſtrationes, tunc maximè ſcimus cùm ſcimus de eis, quod quid eſt.

13 *Quod quid eſt reperitur etiam in accidentibus.*

Notandum, quòd tetragoniſmus dicitur ſecundùm Geometram ſuperficies quadrati, vel quadrangularis, non habentis omnia latera æqualia, ſed alteram partem longiorem, cui ſi velimus inuenire quadratum æquale habens omnia latera æqualia, oportet inuenire lineam mediæ proportionis, & tetragonizare, id eſt, quadrare tetragoniſmum. Ad cuius euidentiam notandum, quòd regula eſt in Geometria, quòd quandocunque tres lineæ ſunt proportionales, illud quòd reſultat ex prima & tertia, eſt æquale ei, quod reſultat ex ductu ſecundæ lineæ in ſeipſam; quod manifeſtiùs apparet in tribus numeris proportionalibus, vt ſunt duo, quatuor, octo: nam ſicut ſe habent quatuor ad duo, ita ſe habent octo ad quatuor, & ideò illud, quod reſultat ex ductu binarij in octonarium, eſt æquale ei, quod reſultat ex ductu quaternarij in ſeipſum: nam bis octo, faciunt ſexdecim: ſimiliter quater quatuor faciunt ſexdecim. Similiter in propoſito, ſi accipiantur tres lineæ proportionales, quarum prima ſit duarum palmarum, ſecunda quatuor, tertia octo, quadrangulus conſtitutus ex prima linea, & ex tertia, erit æqualis quadrato, conſtituto ex ductu ſecundæ lineæ in ſeipſam: quia ſecunda linea quæ eſt quatuor palmarum, eſt quædam medietas & proportio media inter lineam duarum palmarum, & tertiam, quæ eſt octo palmarum. Tetragonizare ergo, id eſt, quadrare quadrangulum, cuius altera pars eſt longior, eſt inuenire mediam proportionem modo præexpoſito: & qui hoc ſcit, ſcit quid eſt *tetragonizare,* id eſt, quadrangulum quadrare. Deinde cùm dicit:



Tetragoniſmus quid?

Tres numeri proportionales.

Circa generationes verò, & actus, & circa omnem tranſmutationem opinantur nos perfectè cognoſcere, quando cognoſcimus principium motus. Hoc autem alterum, & oppoſitum fini.

14

Adducit rationem pro ſcientia conſiderante de cauſa efficiente. Dicit ergo, quòd *circa generationem, & actus, & circa omnem tranſmutationem:* tunc ſupple *dicimur maximè ſcire, quando cognoſcimus principium vnde motus,* id eſt cauſam efficientem: nam motus eſt actus mobilis à mouente, vt dicitur 3. Phyſic. ergo ſcientia conſide-

Scientia conſiderans de cauſa efficiente videtur maximè ſciẽtia.

ciente videtur maxime scientia.

rans de causa mouente, videtur esse maximè scientia, & per consequens maximè meretur nomen sapientiæ. Addit autem, quod *hoc*, scilicet principium mouens, & efficiens, *est diuersum, & oppositum fini*, id est, efficiens est principium oppositum principij finis, sicut dictum fuit in primo libro.

Notandum, quòd de causa materiali prætermisit facere mentionem, quia materia cùm sit ens in potentia, & ens imperfectum quantum est de se, minùs quàm aliæ causæ facit ad cognitionem rei, & ideò dato, quòd aliqua scientia consideret seorsum de causa materiali, non videtur posse haberi ratio, quòd illa meretur magis nomen sapientiæ. Deinde cùm dicit;

Quapropter videtur alterius esse scientiæ causarum harum singulas speculari.

Pertractatâ quæstione annexâ concludit conclusionem primarum rationum, ad quæstionem principalem dicens: *quapropter videtur alius*, id est, alterius *esse scientiæ speculari singulas harum causarum.*

Veritas quæstionis. Vide S. Th. hic copiosius.

Et tamen veritas quæstionis prinipalis est, quòd vnius scientiæ est considerare omnia genera causarum. Cuius ratio est, quia scientiæ cuius est considerare effectum, est considerare omnes causas eius: sicut de domo superiùs declarabatur; ergo ad illam scientiam pertinet considerare omnes causas. Hoc apparet manifestè in Physica 2. lib. text. com. 28. & inde. & de Metaphysica 5. Metaphysicæ cap. de causis, text. com. 2. & inde. licèt Physica, & Metaphysica, differenter considerent de omnibus causis; sicut dictum est in primo libro. Nec rationes in contrarium concludnnt. Prima est sophistica, & arguit à destructione Antecedentis, vt prædictum est. Secunda etiam ratio non valet: non enim sequitur, quòd si alicuius scientiæ non est considerare omnes causas; ergo nullius. Neganda est consequentia: quia potest esse, quòd alicuius vnius scientiæ sit considerare omnes causas, & alicuius non.

SVMMARIVM.

An de principiis complexis detur vna, & eadem scientia? & an eadem de his, & de substantiis? rationes pro parte negatiua.

Text. co. 4.

At verò de principiis demonstrationis, vtrùm vnius scientiæ est, aut plurium, dubitatio est? Dico autem demonstratiuas communes opiniones, ex quibus omnes demonstrant. Vt quoniam omne necessarium est, aut dicere, aut negare, & impossibile idem simul esse, & non esse, & quæcumque aliæ tales propositiones. Vtrùm harum vna scientia, & substantiæ, aut alia. Et si non vna est, quam oportet appellare, quæ nunc est quæsita?

15

Postquam Philosophus disputauit quæstiones respicientes principia incomplexa, nunc disputat eas, quæ respiciunt principia complexa. Circa quod duo facit. Primò proponit quæstionem. Secundò obiicit pro, & contrà. Secunda ibi: *Vnius igitur esse.* Dicit ergo quòd *dubitatio est de principiis demonstratiuis*, quæ scilicet sunt complexa, *vtrùm sunt vnius scientiæ, aut plurium*, id est, vtrùm considerare de eis pertineat ad vnam sciētiam, vel ad plures? & exponit quæ sunt huiusmodi principia. *Dico autem demonstratiuas, & communes opiniones; ex quibus omnes* scilicet scientiæ *demonstrant; vt quoniam omne necessarium est, aut dicere*, id est, affirmare, *aut negare, & impossibile est idem simul esse, & non esse: & quæcunque alia tales propositiones*: & dato quòd sint vnius scientiæ, est quæstio *vtrùm sit vna scientia harum, & substantiæ, aut alia*, id est, vtrùm sciētia considerans de substantia, & de talibus principiis sit vna, vel sit alia, & alia: & dato quòd nō sit vna, sed quòd alia scientia consideret de substantia, & alia de illis principiis communibus, est dubium, *quam illarum oportet appellare, quæ nunc est quæsita*, id est, sapientia.

2. q. principalis.

Prima principia quæ.

An sit vnius scientiæ considerare principia communia, & substantiam.

16

Principia communia quæ dicūtur, & qualiter intrant demonstrationē aliarum sciētiarum.

Notandum, quòd principia communia, de quibus exemplificat, dicuntur communes opiniones, vel conceptiones, quatenus omnes scientiæ vtuntur eis in demonstrando: non quòd ipsa ingrediantur demonstrationem secundùm substantiam, cùm ipsa sint communia, & demonstratio procedat ex propriis: sed pro quanto principia omnium scientiarum habent per illa communia robur, & firmitatē, ideò licèt non ingrediantur demonstrationes aliarum scientiarum secundùm substantiam, ingrediuntur tamen virtualiter. Deinde cùm dicit:

Vnius igitur esse non est rationabile. Quid enim magis Geometriæ, quàm qualiscumque de his proprium est audire? Si igitur similiter quidem qualiscumque est. Omnium verò non conuenit. Sicut nec aliarum: ita nec ipsas substantias cognoscentis, proprium est de ipsis cognoscere.

Arguit ad quæstionem. Primò ad partem negatiuam, scilicet quòd non est vnius scientiæ considerare principia demonstrationis, & substātiam. Secundò arguit ad partem affirmatiuam oppositam. Secunda ibi: *At verò si alia.* Prima in duas secundùm quod duas rationes adducit pro ista parte. Secunda ibi: *Simul autem.* Dicit ergo, quòd *non est rationabile esse vnius scientiæ*; quòd scilicet ipsa consideret dicta principia. Cuius causam subdit, *quid enim magis Geometriæ, quàm qualiscumque alterius* scientiæ est proprium *de his obaudire*, id est, considerare? quasi diceret, quòd non, cùm pertineat ad omnes: sed nec hoc videtur verum: ideò dicit, quòd *omnium verò non conuenit* quia videtur superfluum, quòd in diuersis scientiis de eisdem tractetur. Si igitur nec vna, nec omnes scientiæ considerant dicta principia, sequitur, quòd nulla, nec per consequens illa quæ est dé substantia; ergo non est eiusdem scientiæ considerare de substantia, & de principiis prædictis: & hoc est quòd concludit, quòd *sicut nec aliarum, ita nec ipsius cognoscentis*, id est, considerantis substantias ipsas, *est proprium cognoscere de his.* Deinde cùm dicit:

Quòd non sit vnius scientia considerare principia communia & substantiam.

Simul autem, & quomodo erit ipsarū scientia? Quid quidem enim, & vnumquodque horum existit ens, & nūc nouimus. Vtuntur igitur eis, vt notis artes aliæ. Si autem demōstratio

tio de eis est, oportebit aliquod igitur esse subiectum: & hæc quidem passiones: illa verò dignitates eorum. Nam de omnibus esse demonstrationem, impossibile est: necesse est enim ex aliquibus esse, & circa aliquid, & aliquorum demonstrationem. Quare accidit omnium esse genus vnum aliquid demonstratorum: omnes enim demonstratiuæ dignitatibus vtuntur.

Consideratio scientifica duplex.

Ponit secundam rationem, quam intendit talem: Omnis consideratio scientifica, vel est per definitionem, vel per demonstrationem: sed principia demonstrationis prædicta non possunt cognosci per definitionem, quia statim cognoscuntur quid sunt, notis terminis; nec per demonstrationem; quia cùm in demonstratione sint tria, scilicet subiectum, passio, & principia, ipsorum principiorum non est demonstratio, aliàs esset processus in infinitum, & per consequens scientia non esset de substantia. Dicit ergo, quòd *simul autem, quæ erit scientia eorum*, scilicet dignitatum? quasi diceret, nulla: quia illa scientia, vel esset definitiua, vel demonstratiua; & quòd non definitiua probat, cùm subdit. *Horum igitur cuilibet quid inest*, id est, quid sunt, *& nunc nouimus*, id est, statim in principio cognoscimus notis terminis; & propter hoc *aliæ artes vtuntur eis, vt notis*, scilicet quid sunt. Vlteriùs probat, quòd nõ cognoscãtur scientiâ demõstratiuâ dicens: *si autẽ de eis est sciẽtia demõstratiua exiget aliquod genus esse subiectũ, & hæc quidẽ passiones; illa verò dignitates eorum*; hæc enim tria ad demonstrationem requiruntur, necesse est enim demonstrationem esse ex aliquibus, scilicet principiis, & circa aliquid, scilicet circa subiectum, & aliquorum, scilicet accidentium propriorum: sed impossibile est dignitates demonstrari: tum ex parte principij; *nam de omnibus esse demonstrationem est impossibile*: quia esset processus in infinitum: tum ex parte subiecti, quia cùm vna scientia sit vnius generis subiecti, oporteret, quòd illa quæ demonstraret dignitates, haberet vnum subiectum: cùm ergo omnes scientiæ vtantur istis dignitatibus, omnes scientiæ haberent vnum subiectum commune, quod est falsum: ideò subditur; *quare accidit aliquid esse vnum, ergo omnium demonstratorum*, id est, omnium scientiarum demonstratiuarum: omnes enim scientiæ *demonstratiuæ ipsis dignitatibus vtuntur*. Deinde cùm dicit;

Principia cõmunia nequeunt cognosci per diffinitionem, vel demonstrationem.

Tria quæ necessario requiruntur ad demonstrationem.

SVMMARIVM.

Dato plures esse scientias de principiis, & substantiis, quæ illorum principalior? resoluitur de his agere hanc scientiam vnicam. tex 5. Arguitur pro, & contrà, an vna scientia sit de omnibus substantiis; de quo vide Doctorem 1. huius, q. 9.

18

AT *verò si alia, quæ substantiæ, & quæ de his, quæ eorum principaliter, & prior est? vniuersaliter enim maximè omnium principia sunt dignitates. Et si non est Philosophi, cuius erit alterius de eis speculari veritatem, & falsitatem?*

Arguit ad partem affirmatiuam oppositam, & dicit, quòd si alia est scientia, scilicet quæ *est de substantia*, & alia, *quæ est de his*, scilicet dignitatibus: restat dubium, *quæ earum est principalior, & dignior*: nam videtur ex vna parte, quòd scientia de dignitatibus esset prior: *nam dignitates sunt principia maximè vniuersalia omnium*, & per consequens videtur, quòd scientia de eis esset vniuersalior, & prior. Et ex alia parte cùm substantia sit primum ens, scientia de substantia erit prima Philosophia. *Et si igitur Philosophi*, scilicet primi, *cuius est substantiã speculari*, nõ est supple de huiusmodi dignitatibus, *cuius alius, id est, alterius*, scientiæ erit *speculari de eis veritatem, & falsitatem?* quasi diceret, quod nullius alterius.

Veritas huius quæstionis est sicut apparet ex quarto huius, text. com. 7. & circiter. quòd eiusdem scientiæ, scilicet Metaphysicæ, est considerare de substantia, & de dignitatibus: nam cum subiectum Metaphysicæ sit ens inquantum ens, ideò eius est considerare talia principia communia, quæ in ente, vel in partibus entis fundantur, sicut patet de primo principio simpliciter quidem, quod est: *Impossibile est idem simul esse, & non esse.* Nec rationes in oppositum concludunt. Prima non, quia licèt omnes scientiæ vtantur dictis principiis, non tamen sequitur, quòd omnes considerent ipsa; sed accipiunt ea ab vna aliqua communi, cuius est illa cõmunia cõsiderare, & hæc est Metaphysica. Secũda ratio procedit ab insufficienti; nõ enim omne, quod scitur, per definitionem, vel demonstrationem scitur: nisi illa tantùm, quorum cognitio est ex aliquo priori: principia autem cum sint prima simpliciter, non possunt cognosci ex aliquo priori: sed cognitis terminis, statim in lumine naturali intellectus cognoscentis, cognoscuntur, vt declaratum fuit in 2. lib. text. com. 5. Tunc sequitur illa pars:

Eiusdem scientia est considerare substantiam, & dignitates.

Satisfit argumentis in oppositum

Quodlibet nequit per demõstrationem sciri.

19

Totaliter quæ substantiarum, vtrùm vna omnium est, aut plures scientiæ?

Vbi disputat quæstiones, vt consideratio huius scientiæ respicit principiata, quæ sunt substantiæ, & accidentia. Circa quod duo facit, secundũ quod mouet duas quæstiones. Secunda ibi: *Ampliùs autem.* Prima in duas, quia primò mouet quæstionem. Secundò arguit pro, & contrà. Secunda ibi: *Siquidem ergo.* Est ergo prima quæstio, *vtrùm vniuersaliter sit vna scientia omnium substantiarum, aut plures scientiæ*, quæ scilicet considerarent substantias diuersas. Deinde cùm dicit:

3. q principalis.

Si quidem ergò non vna, cuius substantiæ ponenda est scientia ista?

Arguit ad quæstionem. Primò ad vnam partem, scilicet quòd vnius scientiæ est omnes substantias considerare. Secundò arguit ad oppositum, ibi: *Vnam verò omnium.* Dicit ergo, quòd *si quidem non est vna*, scientia scilicet de omnibus substantiis, est dubium, *cuius substantiæ ista scientia*, scilicet Metaphysica est ponenda, scilicet consideratiua? quasi diceret, quòd non possit assignari; cùm omnes substantiæ sint partes entis. Deinde cùm dicit:

Vnàm verò omnium non est rationabile, etenim demonstratiua vna de omnibus erit vtique

vtique per se accidentibus. Si quidem omnis demonstratiua circa aliquod subiectum speculatur per se accidentia ex communibus opinionibus. Et circa idem igitur genus accidentia pro se eiusdem est speculari ex eiusdem opinionibus: nam circa ipsum, quia vnius, & ex quibus vnius, siue eiusdem, siue alius. Quare & accidentia siue hæ speculabuntur, aut ex his vna.

20 Arguit ad oppositum, & intendit talem rationem: Si vna scientia est omnium substantiarum; ergo vna scientia erit omnium per se accidétium, *etenim*, pro quia, *tunc esset vna scientia demonstratiua in omnibus per se accidentibus.* Cuius causam subdit; *etenim* omnis *demonstratiua* scientia *speculabitur singula accidentia, circa aliquod subiectum ex communibus opinionibus*, vel conceptionibus, cuiusmodi sunt principia prima dúmodò fiat ex eisdem principiis. Nam *circa ipsum, quia vnius est demonstrare: quia ita est per aliqua principia vnius, & ex quibus vnius*, id est, quòd demonstrare, quia ita est, aliquando pertinet ad vna scientiam; & demonstrare principia ex quibus demonstrabatur, quia ita est, pertinet ad vnam scientiam: quandoque quidem ad eandem, quandoque verò ad aliam. Ideò subdit, *siue eiusdem, siue alius*, id est, alterius: *quare accidentia siue speculabuntur hoc siue ex his*, semper illa scientia erit vna.

Notandum quòd, principia demonstrationis non semper sunt indemonstrabilia simpliciter: sed quod est conclusio vnius demonstrationis, potest esse principium alterius demonstrationis, & quoniam sic est demonstrare talia principia, quandoque pertinet ad eandem scientiam, quandoque ad aliam. Exemplum primi in Geometria, quòd triangulus habet tres, &c. per hoc quòd angulus extrinsecus trianguli est æqualis duobus intrinsecis sibi oppositis, hoc etiam probari potest. Cuius probatio etiam pertinet ad Geometriam. Exéplum secundi: Musicus probat, quòd tonus diuiditur in duo semitona inæqualia, per hoc, quòd proportio sexquioctaua non potest diuidi in duo æqualia, cùm semper sit superparticularis: sed hoc probare non tantùm pertinet ad Musicam, sed etiam ad Arithmeticum. Aliud exemplum, quod Chirurgicus probat, quòd vulnera circularia tardiùs sanantur per hoc, quòd partes circuli difficiliùs coniunguntur: hoc autem probare non pertinet ad Chirurgicum, sed ad Geometricum. Sic ergo patet, quòd aliquando diuersitas scientiarum oritur ex diuersitate principiorum, putà quando vna scientia demonstrat principia alterius: secundùm quem modum se habent scientia subalternans, & scientia subalternata: sed supposità identitate principiorum remanet identitas scientiarũ: dummodo sint eadem per se accidentia, & idem genus subiectum, vt si vna, & eadem scientia consideret subiectum, & eius per se accidentia.

Vna scientia potest demonstrare principia alterius.

21 Veritas huius quæstionis est, quòd sicut habetur ex quarto huius, vnius scientiæ est considerare de omnibus substantiis, vel secundùm proprias rationes substantiæ, vel secundùm communem rationem, secundùm quam omnes substantiæ sunt entia, & primæ partes entis: hæc scientia est Metaphysica, cuius est considerare de ente inquantum ens, & omnes partes entis: putà de substantia, vt de nobili parte sui subiecti primi; nec ratio ad oppositum cogit, quia Metaphysica licèt consideret de omni substantia sub ratione entis, non oportet tamen propter hoc, quòd consideret omnia specialia accidentia per se, sed solùm per accidentia entis, quæ conueniunt substantiæ secundùm rationem entis. Ad alias autem scientias conuenit considerate particulariter passiones substantiæ; secundùm propriam, & particularem rationem. Deinde cùm dicit;

Veritas quæstionis. Qualiter Metaphysica cõsiderat omnes substantias.

SVMMARIVM.

Arguitur pro & contrà, an Metaphysica sit tantùm de substantiis, an etiam de accidentibus earum? resoluit Doctor affirmatiuè, de quo fusiùs quarto huius.

Text. co. 6.

AMpliùs autem, vtrùm circa substantias solùm est Theorica, aut & circa ipsis accidentia? Dico autem, vt si solidum quædam substantia est, & linea, & superficies, vtrùm & eiusdem scientiæ est ea cognoscere, & accidentia circa vnumquodque genus, de quibus Mathematicæ ostendunt, aut alius.

Ponit secundam quæstionem. Circa quod duo facit. Primò mouet quæstionem. Secundò arguit pro & contrà. Secunda ibi: *Nam si eiusdem.* Dicit ergo, quòd *amplius autem* est quæstio, *vtrùm Theorica*, id est, consideratio huius scientiæ, *sit solùm circa substantias, aut etiam circa accidentia eis*, scilicet substantiis. *Dico autem, vt si dicatur*, quòd, *solidum*, id est, corpus *est quædam substantia, & similiter linea, & superficies*, vt quidam, scilicet Platonici, & Pythagorici posuerunt: *vtrùm eiusdem scientiæ est ea cognoscere, & accidentia circa vnumquodque genus tale, de quibus*, scilicet accidentibus, *Mathematicæ ostendunt, aut alius*, id est, alterius scientiæ. Deinde cùm dicit:

4. q. principalis, sed est 7. in ordine suprà in proœmio ex parte considerationis huius scientiæ.

Nam si demonstratiua quædam eiusdem erit, & quæ est substantiæ. Non autem videtur eius quod quid est, esse demonstratio.

22 Arguit ad quæstionem & primò ad partem negatiuam. Secundò ad partem affirmatiuam oppositam. Secunda ibi: *Si verò diuersæ.* Dicit ergo, quòd *si eiusdem*, scilicet scientiæ, *est considerare accidentia & substantias*; cùm scientia, quæ considerat accidentia, sit demonstratiua: sequitur, quòd demonstratiua quædam erit, quæ est substantiæ, *non autem videtur eius quod est esse demonstratio*, quia hoc est impossibile cum definitio sit indicans substantiam, & quod quid est, sicut appatet ex 2. Poster. Deinde cùm dicit:

Ipsius quod quid est, non est demonstratio

Si verò diuersæ: quæ erit speculans circa substantiam accidentia? hoc enim reddere est valde difficile.

Arguit ad opinionem dicens, quòd *si diuersæ*, scilicet scientiæ, est considerare substantias & accidentia *quæ erit speculans accidentia circa substantiam*; quasi dicat, quòd nulla: non erit enim assignare quæ scientia speculetur accidentia circa substantiam, quia vtrunque consideraret: & tamen hoc

hoc videtur ad omnes ſcientias pertinere: quælibet enim ſcientia conſiderat paſſiones circa proprium ſubiectũ:& *tamen hoc reddere eſſet valde difficile*: immò impoſſibile, ſi alterius ſcientiæ eſſet conſiderare ſubſtantiam,& alterius paſſiones.

Scientia aliter conſiderat de ſubſtãtia, & aliter de accidente.

Veritas huius quæſtionis eſt (vt colligitur ex 4. huius) quòd eiuſdem ſcientiæ eſt conſiderare de ente inquantum ens; & de ſubſtantia & de per ſe paſſionibus tam entis, quàm ſubſtantiæ. Nec ratio ad oppoſitum cogit: quia licèt eadem ſcientia conſideret de ſubſtantia; & de accidentibus, non tamen eodem modo: ſed de ſubſtantia conſiderat modo definitiuo, vt arguebat ratio: de accidentibus autem conſiderat modo demonſtratiuo.

S V M M A R I V M.

Quoad res conſideratas in hac ſcientia; Primò agit contra ideas Platonicas, ſeu quiditates exiſtentes ſeparatas de quibus l. 1. tex. 5. Item contra ponentes Mathematica à materia ſeparata, de quibus ibi.

23 Tex.co. 7.

Ampliùs autem vtrùm ſenſibiles ſubſtantiæ eſſe ſolæ ſint dicendæ, aut præter eas aliæ? Et vtrùm vnicæ; aut plura genera ſubſtantiarum ſunt: vt dicentes ſpecies & intermedia circa quæ Mathematicas dicunt eſſe ſcientias?

Poſtquam Philoſophus pertractauit quæſtiones tenentes ſe ex parte conſiderationis huius ſcientiæ, nũc pertractat quæſtiones ſe tenentes ex parte rerum conſideratarum. Circa quod duo facit, quia Primò diſputat quæſtiones de principiatis. Secundò quæſtiones de principiis. Secunda ibi: *Et de principiis.* Prima in duas, quia primò proponit duas quæſtiones de ſubſtantiis, circa quas iſta ſcientia principaliùs verſatur. Secundò arguit ad partes. Secunda ibi: *Quomodo ergo dicimus*; Proponit ergo duas quæſtiones, quarum prima eſt, *vtrùm* in vniuerſitate entium *ſolæ ſubſtantiæ ſenſibiles ſint dicendæ eſſe*, ſicut communiter antiqui Naturales dicebant, non ponentes niſi entia ſenſibilia: *aut præter eas*, ſcilicet ſubſtantias ſenſibiles, *ſint aliæ* ſubſtantiæ, ſicut poſuerunt Platonici, & etiam Ariſtotol. Secunda quæſtio eſt, dato quòd ſint aliæ ſubſtantiæ præter ſenſibiles, *vtrùm* ſint *vnicæ*, ſcilicet vnius generis; *aut ſint plura genera ſubſtantiarum*, ſicut ſunt differentes ſpecies; id eſt, ideæ, & quæ ſunt infrà, id eſt, Mathematica intermedia, circa quæ dicunt eſſe, ſcientias Mathematicas; vt dicebatur in primo libro. Quidam enim Platonicorum præter ſubſtantias ſenſibiles poſuerunt ſolùm vnum genus ſubſtantiarum ſeparatarum, ſcilicet idearum, vt per ſe hominem immaterialem, & per ſe equum, & ſic de aliis ſpeciebus ſeparatis. Alij verò poſuerunt aliud genus ſubſtantiarum ſeparatarum, ſcilicet Mathematica media inter ideas & ſenſibilia, circa quæ dicebant eſſe Mathematicas ſcientias. Deinde cùm dicit:

Quomodo ergo dicimus ſpecies cauſáſque & ſubſtantias ſecundùm ſe, dictum eſt in prioribus de ipſis ſermonibus.

Arguit ad propoſitas quæſtiones. Circa quod duo facit, quia Primò innuit quomodo ſumi poſſit ratio ad probandum eſſe ſubſtantias ſeparatas, Secundò arguit ad partem contrariam negatiuam. Secunda ibi: *Multis autem.* Dicit ergo, quòd *quomodo dicimus ſpecies*, id eſt, ideas *eſſe cauſas* rerum *& ſubſtantias ſecundùm ſe*, id eſt, ſeparatas. *Dictum eſt de eis in prioribus ſermonibus*, ſcilicet in primo libro, pertractando opinionem Platonis: & ideò ex his quæ ibi dicta ſunt, ſumi poſſunt rationes pro parte affirmitiua propoſitarum quæſtionum. Deinde cùm dicit:

24

Multis autem modis habentibus difficultatem nullo minus abſurdum dicere quidem alias eſſe naturas præter eas, quæ ſunt in cœlo: has autem eaſdem dicere ſenſibilibus: niſi quia hæc quidem ſempiterna: illa verò corruptibilia. Nam per ſe dicunt hominem eſſe, & equum, & ſanitatem. Aliud autem nihil ſimile facientes Deos eſſe dicentibus, & humanæ ſpeciei eſſe. Nihil enim aliud fecerunt illi quàm homines ſempiternos: nec hi ſpecies, niſi ſenſibiles ſempiternas.

Corruptibile & incorruptibile differunt ſpecie.

Arguit ad partem oppoſitam, circa quod duo facit. Quia primò arguit ad oſtendẽdum non eſſe ideas à ſenſibilibus ſeparatas. Secundò ad oſtendendum non eſſe Mathematica intermedia ſeparata. Secunda ibi: *Ampliùs ſiquis præter.* In prima parte intendit talem rationem: Corruptibile & incorruptibile differunt, ſupple ſpecie: immò etiam genere, vt dicetur circa finem decimi huius; ergo inconueniens eſt dicere incorruptibilia eſſe eiuſdem ſpeciei cum iſtis ſenſibilibus, & corruptibilibus; ergo inconueniens eſt, & impoſſibile illo modo ponere ideas. Dicit ergo, quòd *multis modis habentibus difficultates*, ſcilicet contra opinionẽ de ideis: vt dictum fuit in primo libro cõtra Platonem, *nullo aliorum minus eſt abſurdum*: immo magis abſurdum, *dicere quidem eſſe aliquas naturas*, ſcilicet ideas ſeparatas *præter eas quæ ſunt in cœlo*, id eſt, præter res ſenſibiles quæ in cœlo continentur: ſed tamen dicere *eas eſſe eaſdem*, ſcilicet ſecundùm ſpeciem *ſenſibilibus niſi quia hæc quidem vt ſempiterna*, ſcilicet ideæ ſeparatæ: *illa verò corruptibilia*: Platonici enim licèt ideas ſeparatas ponerent eiuſdem ſpeciei cum ſenſibilibus; ponebant tamen aliquam differentiam, quãtenus ideas ponebant entia incorruptibilia: ſenſibilia eſſe entia corruptibilia, non obſtante identitate ſpecifica horum, & illorum: quod exponit, cùm ſubdit: *nam per ſe*, ſcilicet hominem *dicunt hominem eſſe*, ſcilicet Platonici, id eſt, hominem idealem ſeparatum, & *ſimiliter equum, & ſanitatem: aliud autem nihil* eſt, id eſt, non eſt aliud ſecundùm ſpeciem ab homine ſenſibili, vel equo, vel ſanitate: & ſic de aliis, quod ſupple eſt inconueniens: nam iſti ſunt facientes *ſimiles dicentibus Deos eſſe humanæ ſpeciei*, ſcilicet ſimilis ſpeciei cum hominibus: quæ fuit opinio Epicureorum ſecundùm Tullium in libro de natura Deorum: *iſti enim nihil aliud fecerunt quàm homines ſempiternos* eſſe illos, ſcilicet Deos; dicebant enim quoſdam homines deificatos, & incorruptibiles: quos Deos appellabant: *nec hi*, ſcilicet Platonici ponentes *ſpecies*, id eſt, ideas faciebant aliud *quàm res ſenſibiles eſſe ſempiternas*: & ſic

Opinio Epicureorum. Non contra modernos Epicureos.

ſic corruptibilia & incorruptibilia eſſe eiuſdem ſpeciei; quod eſt impoſſibile per naturam. Deinde cùm dicit:

Amplius autem ſiquis præter ſpecies, & ſenſibilia intermedia ponat, multas habebit dubitationes. Palam enim, quia ſimiliter lineæ præter ipſas & ſenſibiles erunt & vnumquodque aliorum generum. Igitur quoniam Aſtrologia harum vna eſt, erit quoddam cœlum, & Sol, & Luna, & alia ſimiliter caleſtia. Et quomodo his credere oportet? Neque enim immobiliter rationabile eſſe. Mobile verò omnino impoſſibile. Similiter autem de quibus Perſpectiua tractat, & in Mathematicis Harmonica. Etenim hoc impoſſibile præter ſenſibilia eſſe propter eaſdem cauſas: nam ſi ſint ſenſibilia intermedia & ſenſus: palam quia, & animalia erunt intermedia ipſorum, & corruptibilium.

25

Non eſſe Mathematica intermedia ſeparata.

Arguit contra ponentes Mathematica intermedia: & quia quidam poſuerunt ea à ſenſibilibus ſeparata, & quidam poſuerunt ea in ſenſibilibus. Primò ergo arguit contra eos, qui ponebant ea eſſe ſeparata, & ſecundò arguit contra eos, qui poſuerunt ea eſſe in ſenſibilibus. Secunda ibi: *Sunt autem aliqui.* Prima in duas, quia primò arguit contra eos. Secundò innuit rationem ad oppoſitum & pro eis. Secunda ibi: *At verò nec ſenſibilium.* Prima in tres ſecundùm quod tres rationes fabricat contra eos. Secunda ibi: *Dubitabit autem.* Tertia ibi: *Simul autem nec verum.* In prima parte intendit talem rationem: Eiuſdem rationis eſt vnam ſcientiam Mathematicam eſſe circa lineas ſeparatas, & omnes alias ſcientias Mathematicas, quæ verſantur circa aliqua alia Mathematica à lineis: ſed ſunt aliquæ ſcientiæ Mathematicæ, quæ non verſantur circa aliqua entia Mathematica ſeparata, verbi gratiâ, Aſtrologia, Muſica, & Perſpectiua; ergo ſimiliter ſcientia de lineis, vel quæcunque alia, non erit circa aliqua Mathematica ſeparata. Dicit ergo, quòd *amplius ſiquis præter ſpecies,* id eſt, ideas, & præter *ſenſibilia,* ponat quæ dicuntur intrà, id eſt, *Mathematica ſeparata, multas habebit dubitationes,* id eſt, impoſſibilia quæ ſequuntur: *palam enim, quòd ſimiliter,* ſcilicet, *erunt lineæ,* quæ ſunt, ſcilicet mediæ *præter eas,* ſcilicet lineas ideales, *& ſenſibiles,* id eſt, mediæ inter has & illas: ita ſupple erit *circa vnumquodque aliorum generum*: quod oſtendit eſſe impoſſibile, dicens, *igitur quoniam Aſtrologia eſt vna harum,* id eſt, de numero ſcientiarum Mathematicarum, *erit quoddam cœlum,* præter ſenſibile, & ſimiliter *Sol & Luna, & alia ſupercaleſtia & quomodo credere his oportet?* quaſi diceret, quod eſt incredibile: quod probat, quia ſupple tale cœlum ſeparatum, vel eſſet immobile, vel mobile, Non poteſt dici, quòd immobile, *nihil enim rationabile eſſe immobile* ſupple in cœlo, cum cœlum ſit naturale: ſemper verò mobile eſſe eſt omnino impoſſibile; quia nihil ſeparatum à materia naturali poteſt moueri. Secundò oſtendit hoc eſſe impoſſibile de aliis ſcientiis Mathematicis, dicit *ſimiliter autem,* eſt impoſſibile eſſe media ſeparata eadem, *& de quibus tractat practica Perſpectiua, & in Mathematicis,* de quibus ſcilicet agit *Harmonica,* id eſt, Muſica. Perſpectiua enim tractat de lineis, viſualibus: Muſica verò de ſonis audibilibus: *hac eſt enim impoſſibile eſſe media præter ſenſibilia,* cùm ipſa ſint quædam ſenſibilia: ideò ſubdit; *propter eaſdem cauſas, nam ſi illa ſenſibilia ſunt infrà,* id eſt, intermedia, *palam quia ſenſus* ſunt intermedij; & cùm ſenſus non ſint ſine animali, ſequitur quòd *animalia erunt infra ea,* id eſt, ideas & corruptibilia. Alia tranſlatio habet *ipſorum & corruptibilium*: & eſt idem, quod ſupple manifeſtum eſt eſſe impoſſibile, & falſum. Deinde cùm dicit:

Al. cum naturale ſit vt videmus cælo, quòd ſemper moueatur.

Text. co. 8.

Dubitabit autem aliquis, & circa quæ exiſtentium quærere oportet has ſcientias. Nam ſi in hoc differt Geometria à Geodæſia ſolùm: quia hæc quidem horum eſt quæ ſentimus, illa verò non ſenſibilium; Palam quia & præter medicinalem, & alia erit ſcientia: & præter vnamquamque aliarum inter ipſam medicinalem, & hanc medicinalem. Sed quomodo hoc poſſibile? Etenim ſalubria quædam vtique erunt præter ſenſibilia & ipſum etiam ſanum.

26

Scientiæ Mathematicæ nō ſunt circa illa intermedia ſeparata.

Ponit ſecundam rationem, quæ talis eſt: Si in illis generibus, id eſt, entium, de quibus ſunt ſcientiæ Mathematicæ, eſt dare tria, ſcilicet ſenſibilia, ideas, & intermedia; eâdem ratione & in omnibus aliis entibus: ſed hoc eſt falſum, vt oſtendetur; ergo illud ex quo ſequitur. Dicit ergo, quòd dato, ſupple, quòd in Mathematicis ſit dare illos tres gradus entium dictos. *Dubitabit aliquis circa quæ exiſtentium oportet quærere eas ſcientias,* ſcilicet Mathematicas, id eſt circa quod illorum trium verſantur ſcientiæ Mathematicæ: *nam ſi in hoc ſolùm differt Geometria & Geodæſia,* id eſt, à ſcientia de menſuris ſenſibilibus: *quia hæc quidem,* ſcilicet Geodæſia *eſt horum quæ ſentimus,* id eſt, de ſenſibilibus: *illa verò,* ſcilicet Geometria *non* eſt *ſenſibilium*; ſed ſupple, eſt de intermediis, *palam quia & præter medicinalem erit alia* ſcientia, ſcilicet quæ erit de intermediis medicinalibus: *& præter aliarum ſingulas,* id eſt, quòd ſimiliter eſt de aliis ſcientiis quibuſcunque; ergo aliqua ſcientia erit medicinalis intermedia, quæ ſcilicet erit *inter hanc ſcilicet medicinalem,* quæ eſt de ſenſibilibus, *& illam medicinalem quæ* ſcilicet erit de ideis: *ſed quomodo hoc eſt impoſſibile?* quaſi diceret, nullo modo: quod probat, *nam nunc ſalubria quædam erunt præter ſenſibilia; ergo ſalubre,* id eſt, quòd cùm medicina ſit circa ſalubria, id eſt, ſanatiua, ſi medicina eſt media, ſequitur quòd ſint quædam ſanatiua media præter ſenſibilia ſanatiua, & idealia, quod eſt euidenter falſum. Patet igitur quòd ſcientiæ Mathematicæ non ſunt circa aliqua intermedia ſeparata. Deinde cùm dicit:

Similiter autem nec hoc verum, quia Geodæſia ſenſibilium eſt magnitudinum & corruptibilium, corrupta enim eſſet vtique corruptis.

27

Ponit tertiam rationem. Vbi notandum, quòd opinio prædicta ponebat aliquam ſcientiam eſſe circa magnitudines ſenſibiles, & ſic eſſe aliã ſcientiam circa inſenſibiles, ex quo habetur eſſe aliquas magnitudines medias: contra hoc eſt præſens ratio. Dicit ergo quòd *ſimul autem nec hoc* eſt

est verum: quia Geodæsia est sensibilium magnitudinum, & corruptibilium, vt superius dicebatur: etenim, pro quia, *corruptis*, scilicet magnitudinibus *esset corrupta*, scilicet ipsa Geodæsia: scientia enim videtur corrumpi corruptis rebus: nam te non sedente, non erit vera opinio, quæ opinabatur te sedere: corrumpi autem videtur esse contra rationem scientiæ, quæ videtur necessaria & incorruptibilis; ergo vt videtur sequi ad dictam opinionem, nulla scientia etiam naturalis erit de sensibilibus; sed omnis vel erit de rebus intermediis, vel erit de ideis. Quod apparet euidenter esse falsum. Deinde cùm dicit:

Quæ notitia corrumpitur corruptis rebus, & quæ non.

SVMMARIVM.

Arguitur pro ponentibus Mathematica, media inter ideas, & sensibilia.

AT verò nec sensibilium erit magnitudinum: nec circa cælum hoc Astrologia. Nec enim sensibiles lineæ tales sunt, quales dicit Geometer: nihil enim rectum sensibilium, ita nec rotundum. Tangit enim regulam non secundùm punctum circulus, sed vt Pythagoras ait Geometras redarguens. Nec motus, nec reuolutiones cæli similes, de quibus Astrologia facit sermones, nec astris puncta naturam habent eandem.

28

Arguit ad opinionem, & pro dicta opinione; & intendit talem rationem: Omnis scientia est de rebus, quæ sic se habent quales in scientia traduntur; sed Mathematica sensibilia non sic se habent, sicut traduntur in scientiis Mathematicis; ergo scientiæ Mathematicæ non sunt de talibus sensibilibus: oportet ergo dare aliqua media, de quibus sint. Minorem ostendit in quibusdam exemplis, vt patebit. Dicit ergo, *at verò non videtur* supple scientias Mathematicas, *esse sensibilium magnitudinum: nec enim Astrologia erit circa hoc cælum*, quod est sensibile, & subdit probationem, *nec enim lineæ sensibiles tales sunt, quales dicit Geometer*: qui supple dicit quòd linea recta tangit circulum in puncto; *nihil tamen rectum, nec rotundum*, id est circulare *ita se habet sensibilium*, id est, quòd in sensibilibus non est reperire aliquam lineam rectam, vel superficiem, nec circulum aliquem, qui sic se tangant, scilicet in puncto: ideò subdit, quòd *circulus tangit regulam*, id est, lineam rectam, vel superficiem *non secundùm punctum*; *sed vt Pythagoras ait redarguens Geometras*, id est, quòd propter istam rationem Pythagoras nitebatur destruere certitudinem Geometricarum scientiarum; quia scilicet in re, non esset inuenire tres magnitudines; quales Geometræ dicebant. Addit etiam alias instantias dicens, quòd *nec motus, nec reuolutiones cæli sunt similes*, id est, tales, quales sunt illæ, *de quibus Astrologia sermones facit*: multa enim forsan ponunt Astrologi de motibus & de reuolutionibus cœlorum, quæ non se habent sic in re: sicut ostendit cùm subdit, quòd *puncta non habent eandem naturam astris*: Geometræ enim vtuntur aliquando illis stellis, quasi quibusdam punctis, cùm tamen stellæ sint corpora grandis magnitudinis. Videtur ergo oportere dare aliqua Mathematica intermedia, quæ sic se habeant sicut Mathematica tradit,

Vide Euclidem in 3. lib.

de quibus sint scientiæ Mathematicæ. Deinde cùm dicit:

Sunt autem & aliqui qui dicunt esse quidem intermedia hæc, inter species & sensibilia; non tamen sine sensibilibus; sed in his quibus accidentia impoßibilia omnia quidem pluris est orationis pertransire. Sufficit autem & talia speculari.

Text. co. 9.

Arguit contra aliam opinionem, quæ ponebat Mathematica intermedia esse in sensibilibus, & non separata. Circa quod duo facit. Primò præmittit & proponit illorum opinionem. Secundò arguit contra eam, ibi: *Non enim*. Dicit ergo, quòd *sunt aliqui qui dicunt esse*, id est, ponunt esse *infra species*, id est, ideas & sensibilia *quæ dicta sunt*, scilicet Mathematica intermedia non extra sensibilia: *sed in his*, scilicet sensibilibus esse: *quibus omnia quidem impoßibilia accidentia*, quæ scilicet sequuntur contra eos: *pluris orationis*, id est, maioris negocij *est pertransire: sufficit tamen speculari talia*, supple nunc breuiter & succinctè.

29

An sint intermedia Mathematica in sensibilibus?

Notandum quòd istius opinionis videntur fuisse illi, qui dixerunt locum esse quasdam dimensiones per se existentes: quæ omnia sensibilia corpora localia penetrabant: quam opinionem Aristot. prolixè pertractat. 4. Physicorum, cap. de loco, text. co. 37. & inde. ideo hic breuiter transit circa eam. Deinde cùm dicit:

SVMMARIVM.

Reijciuntur illa Mathematica, & sententia de ideis iuxta mentem Aristotelis refutatur.

NOn enim in talibus congruum est habere sic solùm: sed palam, quia & species contingit in sensibilibus esse: eiusdem enim rationis vtraque hæc sunt.

Arguit contra dictam opinionem per quatuor rationes. Secunda ponitur ibi: *Ampliùs autem*. Tertia ibi: *Et non esse*, Quarta ibi: *Totaliter*. In prima parte intendit talem rationem: Eiusdem rationis videtur esse ponere ideas, & Mathematica intermedia, quia vtrunque ponitur, vt abstractio rerum correspondeat abstractioni intellectûs, vt dictum fuit in primo libro: si igitur Mathematica ponuntur esse in sensibilibus, pari ratione & ideæ, quod est contra opinionem de ideis. Dicit ergo, quòd *non solùm congruum est se habere in talibus*, scilicet Mathematicis, *sed palam: quia species*, id est, ideas *contingit esse in sensibilibus: eiusdem enim rationis vtraque ea sunt*. Deinde cùm dicit:

Ampliùs autem duo solida in eodem necesse est esse loco.

30

Ponit secundam rationem, quæ sic formari potest: Si Mathematica sunt in sensibilibus; ergo duo corpora erunt simul: consequens est falsum; ergo & antecedens. Consequentia patet, quia corpus cum sit quoddam Mathematicum, simul erit cum corpore sensibili: duo autem corpora quomodocumque accepta siue Mathematicè,

Duo corpora nequeunt esse simul ex natura sua.

siue Physicè, siue mixtim, sunt simpliciter incompossibilia secundùm naturam propter repugnantiam dimensionum. Dicit ergo, quòd *amplius necesse est esse duo solida*, id est, duo corpora *in eodem loco*. Deinde cùm dicit;

Et non esse immobilia in motis existentia sensibilibus.

Ponit tertiam rationem, quæ sic formari potest: Si Mathematica sunt in sensibilibus; ergo Mathematica mouentur; consequens est falsum: quia Mathematica abstrahunt à motu. Consequentia patet; quia ad motum alicuius mouentur ea quæ sunt in eodem; cùm ergo sensibilia moueantur, si Mathematica sint in sensibilibus; oportet quòd ipsa etiam moueantur. Dicit ergo quòd supple impossibile est Mathematica *non esse mobilia existentia*, id est, cùm existant *in sensibilibus motis*. Deinde cùm dicit;

Totaliter autem cuius causâ quis ponet vtique esse quidem ipsa, esse autem in sensibilibus. Eadem enim contingent inconuenientia eis quæ prædicta sunt: erit enim aliquod cælum præter cælum: tamen non extrà; sed in eodem loco: quod magis est impossibile. De his ergo dubitatio multa quomodo oportet positam habere veritatem?

31

Ponit quartam rationem, quæ sic formari potest: Omnis positio est irrationabilis, ad quam sequitur maius inconueniens, & quæ ponitur sine ratione; sed opinio prædicta est huiusmodi: quia ponitur sine ratione, & ad eam sequuntur omnia inconuenientia, quæ sequuntur ad illam opinionem, quæ ponit Mathematica non esse in sensibilibus, & adhuc plura, vt patet ex dictis; ergo illa opinio est omnino irrationabilis. Dicit ergo quòd *totaliter cuius causa*, id est, quâ ratione *ponet quis quidem*, scilicet Mathematica *esse in sensibilibus:* eadem ratione supple, *eadem inconuenientia contingunt eis quæ prædicta sunt*, id est, contra dictam opinionem, quia *erit aliquod cælum præter cælum*, scilicet sensibile: *non tamen extrà: sed in eodem loco, quod est magis impossibile:* secundùm enim istam viam cœlum Mathematicum esset simul cum cælo sensibili. Vltimo epilogat, quòd *de his ergo* quæstionibus *multa est dubitatio: quomodo oportet habere positam veritatem*, id est, quomodo habent veritatem?

Veritas quæstionis.

Veritas huius quæstionis est secundùm quod colligitur ex 7. & 13. & 14. huius, text. com. 51. & inde, quòd nec ideas, nec Mathematica intermedia est ponere realiter separata. Nec ratio in oppositum sumpta ab abstractione intellectûs valet, vt dictum fuit in primo libro, non enim oportet esse separata secundùm rem quæcunque separatim ab intellectu cognoscuntur: nam multa sunt coniuncta in re: quæ distinctè concipiuntur; & tamen abstrahentium non est mendacium, vt habetur secundo physicorum, text. com. 18. illa autem ratio quæ hîc iniungitur, scilicet quòd non sit dare tales magnitudines, quales à Mathematica scientia traduntur, non cogit: quia vel est dare aliquas magnitudines sic in re se habentes: putà quòd aliquis circulus tangat planum in puncto, & sic de aliis, vel saltem eis non repugnat sic habere in re: & hoc sufficit ad veram scientiam habendam: quia vera scientia, vt plurimùm abstrahit ab existentia. Quòd autem dicitur Geometria vti suppositionibus falsis; vt putà astris quasi punctis, non est intelligendum, quòd Geometria supponat astra esse puncta simpliciter, cum aliquando demonstret quamlibet stellam visu notabilem esse maiorem tota terra: verumtamen hoc ponit aliquando non simpliciter, vt dictum est; sed in comparatione alicuius magnitudinis cæli, quæ excedit in magnitudine multum qualitatem astri, vt sic in comparatione, astrum dicatur, quasi punctum.

Sermones Astrologorum plerumque sunt hyperbolici, antonomastici, & comparatiui.

SVMMÆ SECVNDÆ CAP. II.

Examinantur quæstiones de generibus.

SVMMARIVM.

In priori parte huius cap. vsque ad §. *Adhuc autem*, arguit tripliciter pro, & cõtrà, an principia, seu elementa rerum sint genera, quæ de pluribus prædicentur, vel alia ex quibus vnumquodque consistit, vt ex partibus?

ET de principiis, vtrùm oportet genera elementa, & principia suscipere. Aut magis ex quibus cùm insimul est vnumquodque primis?

Text. co. 10.

32

Postquam Philosophus disputauit quæstiones de principiatis, nunc prosequitur quæstiones de principiis. Circa quod duo facit. Quia primò disputat quæstiones pertinentes ad principiorum quiditatem, quæ scilicet sint principia. Secundò quæstiones pertinentes ad principiorum qualitatem, siue proprietatem. Secunda ibi: *Ad hoc autem vtrùm substantia.* Prima in duas, quia primò disputat quæstiones de principiis, prout eorum natura, siue quiditas respicit vniuersalitatem. Secundò prout respicit separabilitatem. Secunda ibi: *Est autem habita his.* Prima in duas, secundùm quod duas quæstiones mouet, & disputat de principiorum vniuersalitate. Secunda ibi: *Adhuc autem si quam maximè.* Prima in duas, quia primò proponit quæstionem. Secundò arguit pro & contrà. Secunda ibi: *Vt vocis elementa.* Dicit ergo, quòd, supple quæstio est, *de principiis: vtrùm principia, & elementa rerum oportet suscipere esse genera, aut magis*, supple sint principia, & elementa illa *ex quibus est vnumquodque, cùm insint & primis*, id est, vtrùm principia rerum sint genera, quæ de pluribus prædicantur, vel sint ea, ex quibus vnumquodque est sicut ex partibus?

Sequitur q. de principiis, q. 3. Hac est prima superius assignata de numero q. ex parte considerätorum in hac scientia.

Aduertendum quòd de talibus partibus ponit duas conditiones. Prima est, quòd insint ad differentiam contrarij, vel priuationis, ex quibus dicitur aliquid fieri, cùm non insint. Exemplum, dulce dicitur fieri ex amaro, vel ex non dulci, quæ tamen non insunt ipsi dulci, & ideò non sunt elementa eius. Secunda conditio est, quòd sint prima, ad differentiam secundorum componentium. Exemplum, vt corpus animalis dicitur fieri ex carnibus, & ossibus, quæ insunt animali; tamen quia non componitur ex eis, vt ex primis, sed potiùs ex aqua, & aëre, & igne, & terra; ideò carnes, & ossa

Quomodo corpus hominis fit ex carne, & ossibus.

ossa non dicuntur esse elementa animalis. Deinde cùm dicit:

Vt vocis principia, & elementa videntur esse ea, ex quibus componuntur voces omnes primis: sed non commune vox. Et diagrammatum ea dicimus elementa, quorum demonstrationes insunt in aliorum demonstrationibus, aut omnium, aut plurimorum.

33 Arguit ad quæstionem. Circa quod duo facit. Primò probat quod dictum est. Secundò excludit quandam responsionem, quæ posset dari. Secunda ibi: *At verò non vtrobique.* Prima in duas. Primò arguit ad hanc partem, quòd scilicet ea, ex quibus primis aliquid componitur, sint principia, & elementa rerum. Secundò arguit ad partem oppositam. Secunda ibi: *In quantum cognoscimus.* Prima in tres, secundum quòd tres rationes adducit. Secunda ibi: *Ampliùs autem.* Tertia ibi: *Et adhuc autem.* Prima ratio sumitur ex rationalibus scientiis, ex quibus propositum ostendit inductiuè, & ponuntur duo exempla: primum est de voce litterata, & articulata: ideò dicit, quòd *principia, & elementa vocis videntur esse ea, ex quibus primis omnes voces componuntur,* vt sunt litteræ: *sed non genus commune*, quod est *vox.* Secundum exemplum est in diagrammatibus, id est, in demonstratiuis descriptionibus figurarum Geometricarum. Dicit ergo, quòd *diagrammatum ea dicimus elementa quorum demonstrationes, aut omnium, aut plurium insunt aliis demonstrationibus,* & non supple, ponit elementum hoc commune, quod est diagramma.

Litteræ sunt elementa vocis.

Notandum, quòd in demonstrationibus Geometricis aliquando proceditur ex suppositione aliarum primarum demonstrationum, vt vna demonstratio sit principium alterius, & quod est conclusio vnius demonstrationis non est simpliciter immediatum; sed potest demonstrari per aliquod prius; demonstrationes ergo priores dicuntur Theoremata, & elementa posteriorum, quatenus conclusiones primorum sunt principia posteriorum, & hoc modo procedunt aliquando demonstratiuæ descriptiones figurarum Geometricarum. Vnde liber Euclidis dicitur liber elementorum, pro quanto in eo demonstrantur aliqua principia Geometrica, ex quibus demonstrationes Geometricæ procedunt. Deinde cùm dicit:

Quomodo demonstrationes priores dicantur elementa posteriorum?
Al. principium vnius.

Vnde communiter lib. Euclidis dicitur liber elementorum.

Ampliùs autem corporum, qui dicunt esse plura elementa, & qui vnum, ex quibus componuntur, & constat principia esse dicunt, vt Empedocles ignem, & aquam, & quæ cum his: hæc elementa dicit esse ex quibus sunt entia inexistentibus. Sed non vt genera dicit ea eorum, quæ sunt.

34 Ponit secundam rationem, quæ procedit ab auctoritate, in rebus naturalibus, dicens quòd *ampliùs, qui dicunt elementa corporum*, scilicet naturalium *esse plura, & qui dicunt esse vnum, principia dicunt esse, ex quibus*, scilicet corpora *constituuntur,* & constant tanquam scilicet inexistentibus, & primis, *vt Empedocles ignem, & aquam, & quæ sunt infra*, scilicet aërem, & terram, quorum aër est infra ignem, & terra infra aquam. Dicit esse *elementa ex quibus inexistentibus sunt entia,* scilicet naturalia: *sed non dicunt* scilicet Empedocles & alij Naturales, *genera esse principia eorum quæ sunt.* Deinde cùm dicit:

Et adhuc autem, & aliorum si quis vult naturam speculari, vt lectus ex quibus partibus est, & quomodo compositus; tunc cognoscet eius naturam. Ex quibus quidem igitur rationibus non vtique erunt principia genera existentium hæc sunt.

Ponit tertiam rationem, quæ procedit in artificialibus, dicens, *& si quis vult speculari naturam ad hæc quæ dicta sunt*, scilicet naturalia, & aliorum, scilicet à naturalibus putà artificialia, *vt lectum ex quibus partibus*, scilicet constat lectus, *& quomodo componitur, tunc cognoscet eius naturam*, scilicet quòd genera non sunt principia lecti: sed potius partes ex quibus constat. Concludit ergo, quòd *ex his quidem rationibus*, supple patet, quòd *genera non sunt principia existentium*, id est, entium. Deinde cùm dicit:

Inquantum enim cognoscimus vnumquodque per definitiones: principia autem definitionum sunt ipsa genera; necesse, & definitorum principia, genera esse.

Arguit ad partem oppositam per tres rationes. Secunda ponitur ibi: *Et si est eorum.* Tertia ibi: *Videntur autem quidam.* In prima parte intendit talem rationem: Eadem sunt principia essendi, & cognoscendi: sed principia cognoscendi sunt definitiones, & principia definitionum sunt genera; ergo genera erunt principia essendi. Dicit ergo quòd *inquantum autem cognoscimus, vnumquodque per definitiones, & ipsa genera sunt principia definitionum: necesse est igitur genera esse principia definitorum.* Deinde cùm dicit:

Genera sunt principia definitionum.

Et si est eorum, quæ sunt accipere scientiam: specierum scientiam accipere, secundùm quas dicuntur entia, specierum autem principia genera sunt.

35 Ponit secundam rationem, quæ in hoc consistit, quòd scientia vniuscuiusque est secundùm quod scitur species eius, secundùm quam res est quiditatiuè, sicut Socrates cognoscitur quid est, inquantùm scitur quid est homo: genera autem sunt principia specierum: quia species constat ex genere, & differentia, ergo genera erunt principia aliorum: quia quod est principium principij consequenter est principium principiati. Dicit ergo, *etsi*, pro quia, *eorum quæ sunt accipienda*, scientia est acceptatio *specierum, secundùm quas dicuntur entia*, scilicet quiditatiuè: *specierum autem genera sunt principia*, & per consequens aliorum. Deinde cùm dicit:

Item sunt principia specierum.

Videntur autem quidam dicentium elementa existentium vnum, aut ens, aut magnum, aut paruum, vt generibus eis vti.

Ponit tertiam rationem, sumptam ab auctoritate Platonicorum, videntur enim quidam Platonici dicere vnum, aut ens, aut magnum, aut paruum esse elementa existentium, id est, entium, & vti eis, vt generibus: quare videtur, quòd elementa sint genera rerum. Deinde cùm dicit:

Elementa existentium secundùm Platonicos.

At verò neque vtrobique possibile dicere principia. Ratio namque substantiæ est vna: diuersa verò erit, quæ est per genera definitio, & quæ dicit ex quibus est inexistentibus.

36

Vnius rei vna definitio.

Genera, & partes simul, non posse esse principia rei.

Excludit quandam responsionem, quæ dari posset, scilicet vtraque tam genera, quàm partes, ex quibus res constant, esse principia; quod excludit tali ratione: Vnius rei vna est definitio, sicut & vna essentia: sed non est eadem definitio, quæ datur per genera, & quæ datur per partes, ex quibus aliquid componitur; ergo non est eadem definitio rei vtraque hæc,& illa,ex principiis autem rei potest sumi definitio essentialis rei; ergo impossibile est principia rerum esse genera simul, & partes rei. Dicit ergo, quòd *non est possibile dicere*, ipsa esse *principia vtrobique*, id est, vtraque tam genera, quàm partes; *ratio namque substantiæ*, id est, definitio substantialis *est vna: diuersa verò erit definitio, quæ est per genera, & quæ dicit, vel ex quibus*, id est, ex partibus quæ insunt, ergo vtraque non erunt rerum principia. Deinde cùm dicit:

SVMMARIVM.

Arguit vtrinque tripliciter, an genera communissima, vel vltimæ species sint rerum principia. Doctor notat vnam rationem Philosophi esse sophisticam.

Adhuc autem si quàm maximè principia genera sunt, quæ oportet existimare prima generum principia, aut vltima prædicta de indiuiduis? Etenim hoc dubitationem habet.

Quæst. 4.

Hæc est secunda superius assignata ex parte consideratarum.

Ponit secundam quæstionem. Circa quod duo facit: quia primò proponit quæstionem. Secundò arguit ad vtramque partem. Secunda ibi: *Nam si vniuersalia.* Dicit ergo, quòd *adhuc autem* supposito scilicet quòd genera *sint maximè principia*; est quæstio *vtrùm oportet existimare principia prima generum*, id est, genera communissima, *aut vltima prædicata de indiuiduis*, id est, species specialissimæ, quæ proximè, & vltimò de indiuiduis prædicantur? *etenim hæc*, scilicet quæstio *habet dubitationem.* Deinde cùm dicit:

Nam si quæ vniuersalia sunt magis principia, palàm, quia suprema generum: hæc namque dicuntur de omnibus. Tot ergo erunt entiū principia, quot genera prima. Quare erunt ens, & vnum principia, & substantiæ: hæc namque de omnibus maximè dicuntur existentibus. Non est autem possibile genus existentium vnum esse, neque vnum, neque ens: nam nec esse differentias. Cuiuslibet generis esse, & vnam esse quamlibet. Impossibile autem prædicari, aut species generis de propriis differentiis, aut genus sine suis speciebus. Quare si est vnum genus, aut ens, nulla differentia, nec vnum, nec ens erit. At verò si non ens, & vnum genera, nec principia erunt, si principia genera.

37

Arguit ad quæstionem. Circa quod tria facit: quia primò inducit rationes ad probandum prima genera non esse principia prima. Secundò inducit rationes ad probandum species vltimas esse magis principia. Tertiò arguit ad oppositum huius secundi. Secunda ibi: *At verò si magis.* Tertia ibi: *Iterùm autem quomodo oportet.* Prima in tres secundùm tres rationes. Secunda ibi: *Amplius quæ sunt intermedia.* Tertia ibi: *Adhuc autem magis.* In prima parte intendit talem rationem: Si suprema genera sunt magis principia; ergo principia non sunt genera. Consequens contradicit antecedenti. Consequentia probatur, quia si suprema genera sunt magis principia, hoc est ratione maioris communitatis; ergo communissima maximè erunt principia: hæc autem communissima sunt ens,& vnum, quæ de omnibus generaliter prædicantur: sed ens & vnum non sunt genera: quod probat ex hoc, quia tunc differentiæ eorum non erunt ens, vel vnum, & per consequens essent nihil; ergo principia non sunt genera, quod fuit consequens. Et hoc est quod dicit: *nam si vniuersalia sunt magis principia, palam quia suprema generum erunt* supple *maximè principia, namque* pro quia, ea *dicuntur de omnibus: tot igitur erunt principia entium, quot sunt prima genera: quare ens, & vnum erunt principia substantiæ*, id est, substantialia rerum, *namque* pro quia, ea scilicet *ens & vnum maximè de omnibus dicuntur*, id est, prædicantur. Posteà probat, quòd ens, & vnum non sint genera: dicens quòd *non est possibile, nec vnum, nec ens esse vnum*, id est, aliquod *genus existentium.* Cuius causam subdit, *namque* pro quia, *differentias cuiuscunque generis necesse est, & quālibet esse, & vnam esse*; quia supple ens, & vnum de omnibus prædicantur, *impossibile est autem species prædicari de propriis differentiis, aut genus sine suis speciebus.* Vult dicere, quòd nec species prædicatur de differentiis seorsum sumptis, nec genus sine speciebus, quod dicit pro tanto; quia genus quatenus prædicatur de specie, eatenus prædicatur quodammodò de differentia, quæ includitur in ratione speciei. Ratio primi est, quia cum differentia sit pars integralis, & essentialis speciei: ideò species non potest de differentia prædicari, sicut nec totum de parte sua integrali prædicatione quiditatiua dicente, hoc est hoc, de qua nunc loquimur. Ratio secundi est, quia differentia cùm diuidat, & contrahat ipsum genus; idcirco est extra rationem generis, sicut contrahens est extra rationem contracti, & per consequens genus non potest de differentia prædicari: vnde concludit Philosophus: *quare si vnum, aut ens sunt genus, nulla differentia erit, nec vnum, nec ens*: at verò *si vnum, aut ens non sunt genera*, vt probatum est; *ergo nec erunt principia: si principia* ponantur *genera*, quæ est conclusio principalis.

Si suprema genera sunt principia ratione communitatis, ergo communissima erunt maximè principia.

Ens non est genus: vide 3. dist. p. q. 3.

Quod genus non prædicatur de differentia, nec etiā species, ostendit.

Differentia contrahens est extra rationem contracti.

38

Notandum, quòd, vt superiùs dicebatur, non est multùm innitendum rationibus Philosophi in hoc tertio, quòd concludant, quia Philosophus intendit hîc arguere ad partes oppositas quæstionum, quas disputauit, sicut ipse promisit in procemio huius tertij: duo autem opposita non possunt concludi, nisi vbi argumentum alterum sit Sophisticum, quod Commentator dicit (vt superiùs dicebatur de primo argumento ad primam quæstionem superiùs disputatam) quòd ibi est fallacia Consequentis, scilicet quòd si contraria pertinent ad eandem scientiam; ergo non contraria non pertinent. Dico similiter hic, quòd si ens, & vnum essent genera, non sequitur, quòd eorum differentiæ essent nihil; sed benè sequitur, quòd

quòd non essent ens, vel vnum quiditatiuè, & formaliter sicut oportet concedere de primis contractiuis entis, per quæ ens descendit ad inferiora. Vnde cum Philosophus infert, quòd si vnum esset genus, aut ens, nulla differentia, aut ens, aut vnum erit. Quæro, aut intendit inferre, quòd differentia non erit ens, vel vnum per se primo modo, & sic concedo, nec hoc est inconueniens specialiter de vno, cùm vnum sit passio entis; aut intendit inferre negatiuam absolutè, & tunc consequentia non valet: non enim, si rationale est differentia animalis, sequitur quòd rationale non est animal absolutè: sed quòd non est animal primo modo, quod est etiam in proposito. Deinde cùm dicit:

Text. co. 11.

Amplius autem intermedia, & coaccepta cum differentiis erunt genera vsque ad indiuidua. Nunc autem hæc quidem videntur esse: illa verò non videntur.

39

Ponit secundam rationem, quæ sic formari potest: Si prima genera ponuntur principia, eo quòd sunt communia, & de pluribus prædicantur; ergo omnia communia de pluribus prædicata sunt principia, & genera: consequens est falsum; ergo & antecedens. Consequentia patet: quia omnia intermedia inter indiuidua, & genera prima, sunt communia de pluribus prædicata: si ergo omnia talia sunt genera, & principia, sequitur, quòd species specialissimæ, quæ sunt de numero talium, erunt principia, & genera, quod apparet esse falsum: quia species specialissima non est genus. Dicit ergo, *amplius*, supple, si sic est, *intermedia omnia coaccepta cum differentiis*, quæ sunt omnia contenta scilicet à primis generibus, *vsque ad indiuidua, erunt genera*, quod est falsum: vnde subdit: *Nunc autem hæc*, scilicet species subalternæ *videntur*, scilicet genera: *illa verò*, scilicet species specialissimæ *non videntur* esse genera. Deinde cùm dicit:

Si prima genera ratione communitatis ponuntur principia, sequitur, quòd species vltima erunt principia.

Adhuc autem magis differentiæ sunt principia quàm genera. Si autem & hæc principia, infinita, vt ita dicatur, erunt principia. Aliter & si quis primum genus principium ponat.

Ponit tertiam rationem, quæ talis est: Si prima genera sint principia; ergo differentiæ erunt principia: consequens est falsum; ergo antecedens. Consequentia patet: quia non solùm prima genera sunt principia cognoscendi speciem, sed etiam multò magis differentiæ, cùm sint actus, & principia formalia speciei, per quæ res maximè cognoscitur. Falsitas consequentis patet ex hoc, quia differentiæ rerum sunt infinitæ, scilicet quoad nos: quod patet, si accipiatur primum genus, putà substantia, cuius differentiæ sunt nobis innumerabiles; principia ergo rerum essent infinita: quod est impossibile. Dicit ergo, *adhuc autem differentiæ sunt magis principia quàm genera*, & si hæ scilicet differentiæ, *sunt principia, infinita, vt ita dicatur, quoad nos erunt principia*; quod patet supple in se considerando multitudinem differentiarum: *aliterque si aliquis ponat principium primum genus*, scilicet genus substantiæ, sub quo quidem innumerabiles differentiæ continentur. Deinde cùm dicit:

40

At verò & si magis principij speciẽ habens est vnum: vnum autem indiuisibile est. Indiuisibile verò omne, aut secundùm quantitatem, aut secundùm speciem. Prius autem quod secundùm speciem. Genera verò diuisibilia in species. Magis vtique vnum vltimum erit prædicatum. Non enim est genus homo aliquorum hominum.

Arguit quòd species specialissimæ sint magis principia, quàm genera prima, & hoc per tres rationes. Quarum secunda ponitur ibi: *Amplius in quibus*. Tertia ibi: *Amplius autem*. Prima ratio procedit ex opinione Platonicorum, qui posuerunt ipsum vnum esse principium: tunc sic, ipsum vnum habet rationem indiuisionis, quia vnum est, quod in se indiuisum est, & diuisum ab omni alio; ergo quod est magis indiuisibile, magis erit principium: sed species specialissima est magis indiuisibilis quàm genus, ergo erit magis principium quàm genus. Minor ostenditur: quia indiuisibile dicitur dupliciter, vel secundùm quãtitatem, vt punctus; vel secundùm speciem, putà, quod non diuiditur in plures species. Indiuisibile autem secundo modo est principalius, quàm indiuisibile primo modo, sicut species rei est principalior quàm eius quantitas. Si ergo aliquod vnum indiuisibile ponatur principium, multò magis species specialissima ponetur principium. Dicit ergo, *at verò & si magis habens speciem principij est vnum*, id est, quod species magis habet rationem principij; quia vnum, quod scilicet ponitur principium secundùm Platonicos: *vnum autem est indiuisibile, omne verò diuisibile, vel est secundùm quantitatem, vel est secundùm speciem, & prius*, & principalius *quod secũdùm speciem*, & per consequens suum oppositũ scilicet indiuisibile secundùm speciem erit principalius; *magis enim erit vnum vltimum prædicatum*, scilicet species specialissima quàm genera: *genera enim* sunt *diuisibilia in species*, quod patet, *quia homo non est genus aliorum hominum*: sed supple species cùm sit diuisibilis in indiuidua, & non in species. Deinde cùm dicit:

Vnum quid.

Indiuisibile duplex secundũ quantitatem & secundùm speciem.

Comparatio ergo fuit secundùm speciem, & non secundùm genus.

Amplius in quibus, & prius & posterius est, non est possibile in his aliquid esse præter ipsa. Vt si prima numerorum est dualitas, non erit numerus aliquis præter species numerorum. Similiter autem nec figura aliqua præter species figurarum. Si autem non horum schola, aliquorum erunt genera præter species. Horum enim maximè genera esse videntur. In indiuiduis verò non est hoc prius, & illud posterius.

Ponit secundam rationem, quæ etiam procedit ex opinione Platonis.

41

Ad cuius euidentiam notandum, quòd secundùm opinionem Platonis, quando aliquid vnum dicitur de pluribus non secundùm prius, & posterius, illud ponitur esse aliquod vnum separatum: qualiter se habet species respectu indiuiduorum, & ideò ponebat ideas separatas specierum, putà hominem præter omnes homines: quando verò aliquid dicitur de pluribus secundùm prius, & posterius: illud non ponebat separatum; secundùm quem modum se habet genus

Quod Plato præcisè posuit ideas specierum, & non generum, & quare?

respectu specierum: quarum vna habet rationem prioris, & perfectioris respectu alterius; ideò non ponebat ideas generum separatas: tunc sic: Communia separata secundùm Platonem sunt principia: sed solæ species sunt separatæ secundùm eundem, ergo solæ species erunt principia, & non genera. Dicit ergo, quòd *amplius in his in quibus est prius, & posterius, non est possibile*, secundùm Platonem *esse aliquid* præter hoc, id est, aliquid separatum *præter ea de quibus dicitur*, quomodo se habet genus respectu specierum: si *prima* scilicet species *numerorum est dualitas, non erit aliquis numerus præter species numerorum: similiter autem nec figura aliqua erit præter species figurarum*: quia supple tam species numerorum quàm etiam figurarum se habent secundùm prius & posterius: nam dualitas ponitur prima species numeri, & ternarius secunda: & sic de aliis. Similiter triangulus ponitur prima species figuræ, & quadrangulus secunda, & sic de aliis; quòd *si genera erunt præter species*, id est, si ponantur genera separata à speciebus, *non erit horum, sed aliorum schola*, id est, erit eorum alia doctrina & regula, quàm sit regula & doctrina Platonis: *horum enim*, scilicet specierum *maximè videntur genera*, id est, communia speciebus: *in indiuiduis verò non est hoc quidem prius & illud posterius*: quare supple species eis communis erit secundùm Platonem separata, & per consequens magis principium.

Ideo latet æquiuocatio in generibus.

Species sunt sicut numeri.

Notandum, quòd prius & posterius dicunt ordinem: Iste autem ordo vel est inter distincta essentialiter & specificè; vel inter distincta solùm numeraliter, non specificè. Exemplum primi, vt homo & asinus respectu animalis. Exemplum secundi, albedo intensa & remissa respectu albedinis in communi; primus ordo est essentialis, secundus autem non. Inter species ergo est ordo essentialis secundùm perfectius & imperfectius: non sic autem in indiuiduis eiusdem speciei, sicut hîc ait Philosophus. Ex hoc tamen non negatur, quin indiuidua secundùm prius & posterius habeant ordinem prout secundùm magis & minùs perfectiùs & imperfectiùs participant naturam propriæ speciei. Negat autem Philosophus ab indiuiduis esse ordinem essentialem solùm qui est in distinctis secundùm speciem. Deinde cùm dicit:

Prius & posterius habēt ordinem essentialem, & numeralem.

Quomodo negatur ordo ab indiuiduis eiusdem speciei, & quomodo non, qua re, 3. di. 3. q. 7.

Ampliùs vbi hoc quidem melius: illud verò vilius, semper quidem est melius prius. Quare neque horum erit vtique genus. Ex his quidem igitur ea quæ de indiuiduis prædicantur, magis inquam generum principia esse videntur.

42

Ponit tertiam rationem, quæ sumitur ex meliori & peiori: quia in quibuscunque vnum est melius alio, semper illud quod est melius, est prius naturaliter: & secundùm Platonem quæ sic se habent, non habent vnum genus commune separatum, & sic idem quod prius: quia species sub genere sic se habent, quòd vna habet rationem melioris respectu alterius, ideò dicit quòd *amplius vbi hoc quidem melius, illud verò vilius, semper quod est melius, est prius; quare nihil horum est genus*, scilicet separatum. Concludit ergo, quòd *ex his igitur*, scilicet ex tribus rationibus prædictis, *magis videntur esse principia quæ de indiuiduis sunt prædicata*, scilicet species specialissimæ, *magis inquam generum*, id est, quàm genera. Accipitur autem Genitiuus pro Ablatiuo casu more Græcorum, qui carent ablatiuo. Deinde cùm dicit;

SVMMARIVM.

Alia ratio suadens genera communissima esse prima rerum principia. Doctor resoluit rationes factas pro & contra, secundùm Platonem tantùm procedere; quia secundùm veritatem nullum est genus, vel species separata à rebus. Ad mentem Aristotelis explicat genera, & differentias, magis esse principia, cùm sint essentialia, quàm partes integrantes: comparando prædicata communia inter se, superiora sunt magis principia; quia inferiora ex eis fiunt.

Iterùm autem quomodo oportet hæc existimare principia non facile dicere. Principium enim & causam oportet esse præter res, quarum principium est, & possibile ab eis separatum esse. Tale verò aliquid præter singularia esse propter quod vtique aliquis suscipit; nisi quia vniuersaliter & de omnibus prædicatur. At verò si propter hoc, magis vniuersalia magis ponenda sunt principia. Quare principia prima erunt genera.

43

Arguit ad oppositum tali ratione: Principia rerum oportet esse separata ab his, quorum sunt principia, quod verum est de principiis extrinsecis; ergo quanto magis separata, tanto magis erunt principia: sed genera sunt magis separata à rebus, quia vniuersaliora, quàm species specialissimæ; ergo erunt magis principia. Dicit ergo, *quomodo oportet hæc*, scilicet species specialissimas *existimare*, id est, opinari *esse principia, non est facile dicere*: cuius causam subdit, *enim*, pro quia, *principium & causam oportet esse præter res, quarum est principium, & possibile esse ab his separatum: tale autem aliquid esse præter singularia*, scilicet separatum *propter quid*, id est, quare *aliquis suscipit*, id est, opinatur, *nisi quia vniuersaliter de omnibus prædicatur*: quasi diceret, quòd hæc est causa & nulla alia, ideò concludit; *sed si propter hoc aliquid ponatur*, separatum, *magis vniuersalia magis sunt principia*, ponenda; *quare prima genera erunt principia.*

Veritas harum quæstionum potest sic haberi, scilicet quòd si genera & species accipiantur modo prædicto Platonico, sic videntur procedere rationes factæ pro & contrà; sed secundùm veritatem non est dare talia vniuersalia separata, & sic quantum ad primam quæstionem partes rei erunt principia & elementa rei, & non aliquod genus commune. Quantum autem ad secundam, nec species, nec genera erunt principia. Si verò loquamur modo Platonico, & non secundùm veritatem, sic genera erunt magis principia quàm partes, quantum ad primam quæstionem; & intermediæ species magis quàm genera, quantum ad secundam: quia solùm specierum

Veritas harum quæstionum.

Partes rei sunt elementa eius, non species, nec genera.

ſpecierum poſuit Plato ideas: quas principia rerum ponebat eſſe. Si autem loquamur ſecundùm viam Ariſt.ſic videtur poſſe dici quantum ad primam quæſtionem, quòd genera communia, putà genus & differentia, cùm ſint principia eſſentialia & quiditatiua, ſunt magis principia quàm partes, de quibus quæritur quæ ſunt principia integralia & materialia. Sed pro quanto genus & differẽtia ſumuntur à materia & forma, quæ ſunt principia eſſendi & cognoſcendi rem compoſitam ab eis; quantum ad ſecundam quæſtionem videtur poſſe dici, quòd genera ſint magis principia, quàm ſpecies, pro quanto ſunt etiam principia ſpecierum: ꝓpter quod autem vnumquodque tale, & illud magis: vnde genus & differẽtia ſunt principia ſpeciei & quantum ad eſſe, quia ex eis componitur; & quantum ad cognoſci, quia per ea definitur. Ad argumenta autem facta in oppoſitum quid ſit dicendum, ſic poteſt patere ex prædictis: nec de eis multùm eſt curandum. Sicut nec de aliis quæ dicuntur in iſto tertio, ſicut dictum fuit ſupra.

SVMMARIVM.

Arguitur pro & contrà, an vniuerſalia ſint verè ſeparata. Doctor reſoluit negatiuè. Quæſtio eadem eſt ferè cum præcedenti.

Text.co.12.

***E**St autem habita his dubitatio & omniũ difficillima, & ad conſiderandum maximè neceſſaria, de quo oratio nunc exiſtit.*

44

Poſtquam Philoſophus diſputauit quæſtiones de quiditate pricipiorum, vt reſpiciunt vniuerſalitatem; Nunc diſputat quæſtiones prout quiditas principiorum reſpicit ſeparabilitatem. Circa quod mouet duas quæſtiones. Secunda ponitur ibi: *Ampliùs autem ſi quam maximè*. Circa primam quæſtionem duo facit. Primò quæſtionem proponit. Secundò ad quæſtionem arguit pro & contrà, Secunda ibi: *Nam ſi non*. Dicit ergo quòd *eſt quædam dubitatio habita his quæ*, ſcilicet proximè dicta ſunt *difficillima omnium ad conſiderandum maximè neceſſaria, de qua nunc exiſtit ratio*, ſcilicet vltimò poſita.

5. Q. *Hæc q. tãgit motiuũ 3. 4. & 5. q. ſuperius aſſignatarum ex parte conſiderat.*

Notandum, quòd in vltima ratione præcedentis quæſtionis, tactum eſt de ſeparabilitate principiorum, & ideò iuxta hoc eſt dubitatio habita, id eſt, conſequenter ſe habens, ſcilicet vtrum vniuerſalia ſint ſeparata à ſenſibilibus, ſicut præmiſſa ratio ſupponebat. De iſta autem dubitatione dicit tria. Primum, quòd eſt conſequenter ſe habens ad præmiſſa; quatenus conſideratio præcedentis quęſtionis dependet ex iſta: nam ſi vniuerſalia non ſint ſeparata, non erunt principia: ſi autem ſunt ſeparata, erunt principia ſecundùm illam viam. Secundum eſt, quod eſt difficillimum omnium dubitationum ad iſtam ſcientiam pertinentium, quatenus magni Philoſophi diuerſimodè de ipſa ſenſerunt. Nam platonici poſuerunt vniuerſalia ſeparata, & alij Philoſophi negauerunt. Tertium eſt, quòd eſt maximè neceſſaria ad conſiderandum, quatenus ex ea dependet tota notitia de ſubſtãtiis tam materialibus, quàm immaterialibus. Deinde cùm dicit;

Nam ſi non eſt aliquid præter ſingularia; ſingularia verò infinita, quomodo cõtingit accipere ſcientiam? Nam in quantum vnum aliquid & idem, & in quantum vniuerſale aliquid eſt, in tantum omnia cognoſcimus.

45

Arguit ad quæſtionem: & primò ad partem affirmatiuam. Secundò ad partem negatiuam. Secũda ibi: *At verò ſi hoc eſt*. In prima parte intendit talem rationem: Omnis ſcientia eſt de realiter exiſtentibus; ſed omnis ſcientia eſt de vniuerſalibus: nam ſingularia cùm ſint infinita, ſciri non poſſunt, niſi in quantum reducuntur ad aliquod vnum commune, quod eſt vniuerſale; ergo vniuerſalia ſunt realiter exiſtentia, & per conſequens ſeparata. Dicit ergo, *nam ſi non eſt aliquid præter ſingularia*, ſupple tolleretur ſcientia, *ſingularia enim infinita ſunt*: infinitorum quoque non contingit ſcientiam accipere: *nam in quantum aliquid vnum & idem, & in quantum vniuerſale aliquid eſt*, ſcilicet ſeparatum *in tantum omnia*, ſcilicet ſingularia *cognoſcimus*, Deinde cùm dicit:

At verò ſi hoc eſt neceſſe, & oportet aliquid eſſe præter ſingularia, neceſſe vtique erit genera eſſe præter ſingularia, aut vltima, aut prima: hoc autem quia impoſſibile, nuper oſtendimus dubitando.

Singularia ſunt infinita nec de eis eſt ſcientia.

Arguit ad oppoſitum dicens quòd *ſi hoc eſt neceſſe, & oportet aliquid eſſe præter ſingularia*, ſcilicet ſeparatum, *neceſſe erit iſta genera*, quæ ponunt *præter ſingularia*, aut *eſſe prima, aut vltima: hoc autem quia impoſſibile eſt eſſe*, ſcilicet ſeparata, *nũc dubitauimus*, ſcilicet ex præcedenti dubitatione. Patet ergo quòd vniuerſalia non ſunt à ſingularibus ſeparata.

Veritas quæſtionis.

Nec ratio ad oppoſitum cogit: nam ſicut ſæpè dictum eſt, modus ſciendi vel intelligendi non omnino ſequitur modum eſſendi: multa enim ſeorſum intelligimus & ſcimus, quæ ſeorſum non exiſtunt. Deinde cùm dicit;

SVMMARIVM.

Arguit dupliciter dari vniuerſale, vel aliquid ſeparatum à ſenſibilibus. Item ad oppoſitum. Doctor ex ipſo negatiuè reſoluit, docens dari ſubſtantias immateriales. Soluat quomodo à Philoſopho dicitur motus cœli finitus, & infinitus ſine contradictione.

***A**Mpliùs autem ſi quàm maximè eſt aliquid præter ſimul totum, quando prædicatur aliquid de materia: vtrùm ſi eſt aliquid, præter omnia oportet aliquid eſſe: aut præter quædam eſſe, & præter quædam non eſſe; aut præter nihil?*

46

Ponit ſecundam quæſtionem, circa quam ſic procedit, quòd primò quæſtionem ponit, ſecundò ad quæſtionem arguit pro, & contrà, ibi: *Siquidem nihil*.

Ad euidentiam primi, notandum quòd prima quæſtio eſt vniuerſalior, quàm iſta ſecunda: prima enim quærebat generaliter, vtrùm vniuerſale eſſet ſeparatum à ſingularibus? Singulare autem aliquod eſt compoſitum ex materia & forma: non autem omne ſingulare. Sunt enim multa ſingularia ſimplicia ſimplicitate quæ oppo-

nitur compositioni ex materia & forma, sicut sunt omnia singularia accidentium, & etiam multa singularia substantiæ; puta substantiæ separatę. De singularibus autem compositis ex materia & forma est maxima & specialis difficultas, vtrùm in talibus sit aliquod separatum de quo quærit ista secunda quæstio; ideò dicit. Quia *amplius si quàm maximè est*, id est, valde dubitabile *si est aliquid præter simul totum*, id est, præter singulare compositum ex materia & forma: quod exponit dicens, *quando prædicatur aliquid de materia*. Plato enim posuit ista sensibilia & materialia participare vniuersalia separata: aut vniuersale participatum prædicaretur de singulari, & sic constituetur quoddam simul totum. Est ergo quæstio, scilicet trimembris, vtrùm si est aliqua species, id est, idea separata à talibus singularibus, & an oporteat *aliquid esse præter omnia, aut præter quædam esse & præter quædam non esse; aut præter nihil*. Deinde cùm dicit:

6. Q. hæc est q. 6. superiùs assignata ex parte consideratarum.

Si quidem igitur nihil est præter singularia, nihil vtique erit intellectuale, sed omnia sensibilia, & nullius scientia; nisi quis dicat esse scientiam sensuum.

Arguit ad quæstionem. Primò ad partem affirmatiuam. Secundò ad oppositam negatiuam. Secunda ibi: *At verò si iterum*. Prima in duas, secundùm quod duas rationes inducit. Secunda ibi: *Amplius autem nec sempiternum*. In prima parte intendit talem rationem: Si nihil est separatum præter singularia; ergo nihil est intelligibile, vel sensus & scientia erunt idem: consequens vtrumque est falsum, sicut patet; ergo antecedens. Consequentia probatur ex hoc, quia omne singulare est sensibile: si ergo nihil est præter singularia, singularia omnia erunt sensibilia, & nihil intelligibile, & per consequens cùm de sensibilibus non sit scientia, nulla erit scientia de rebus, nisi quis dicat scientiam & sensum esse idem, vt dixerunt aliqui antiqui; quod tamen est falsum. Dicit ergo, *quod si quidem nihil est præter singularia*, scilicet separatum, *nihil erit intelligibile*; *sed omnia sensibilia, & scientia nullius erit*; *nisi quis dicat esse scientiam*. Deinde cùm dicit:

Amplius autem nec sempiternum est aliquid, nec immobile: nam sensibilia omnia corrumpuntur & in motu sunt.

47

Ponit secundam rationem quæ talis est: Si extra singularia nihil existit separatum; ergo nihil est sempiternum: consequens est falsum; ergo & antecedens. Consequentia est euidens, quia singularia omnia sunt corruptibilia; si ergo nihil est præter singularia, nihil est sempiternũ. Falsitatem autem consequentis probat dupliciter. Primò ex parte materiæ. Secundò ex parte formæ. Et secundùm hoc ista pars diuiditur in tres. Quia primò ponitur dicta consequentia. Secundò probatur falsitas consequentis ex parte materiæ. Tertiò ex parte formæ. Secunda ibi: *At verò si sempiternum*. Tertia ibi: *Amplius autem cum sit*. Dicit ergo, quòd *ampliùs autem si* supple nihil est separatum à sensibilibus, sequitur quod *nec sempiternum est aliquid, nec immobile: nam sensibilia omnia corrumpuntur & in motu sunt*. Deinde cùm dicit:

At verò si sempiternum nihil est, nec generationem esse possibile est. Necesse est enim aliquid esse quod fit, & ex quo fit, & horum vltimum ingenitum si statur, & ex non ente generari impossibile.

Probat falsitatem consequentis. Primò ex parte materiæ. Et dicit quòd, *at verò si nihil est sempiternum, nec est possibile esse generationem alicuius*, quod scilicet est manifestè falsum. Probat autem istam consequentiam, quia scilicet in omni generatione *necesse est aliquid esse quod factum est, vel quod fit & ex quo fit, & hoc vltimum*, scilicet ex quo fit, quod est materia, necesse est esse *ingenitum*, quod probat: si pro quia, quia *generatio stat*, & non procedit in infinitum; *& ex non ente impossibile est generari* aliquid: vult dicere quòd materia ex qua alia generantur, est ingenita, & per consequens sempiterna. Quia si generatur: vel generatur ex ente, vel ex non ente. Non potest dici quòd ex non ente: quia ex nihilo, nihil fit per naturam. Si generatur ex alio ente, quæretur de illo alio, vtrùm sit ingenitum; & sic vel generatio procedit in infinitum, vel stabitur ad aliquid ingenitum & sempiternum. Deinde cùm dicit:

Materiã esse ingenitam.

Ampliùs autem cùm sit generatio & motus finẽ esse necesse est: Motus enim nullus est infinitus, sed motionis omnis est finis: Generari enim non possibile quod impossibile est factum esse. Quod autem est generatum, necessarium est esse quando primum factum est.

48

Probat idem ex parte formæ, & hoc per duas rationes: quarum secunda ponitur ibi: *Ampliùs si materia*. In prima parte intendit talem rationem: Omnis motus & generatio & vniuersaliter omnis mutatio est finita secundùm terminos; cùm ergò forma sit terminus generationis, non erit procedere in infinitum in formis; sed erit aliqua forma vltima, cuius non sit aliqua generatio vt videtur. Sicut ergo materia ex qua aliquid generatur, ponitur esse ingenita, ab eo quòd non proceditur in infinitum; ita videtur quòd oporteat ponere aliquam formam esse ingenitam, ex eo quòd in formis non sit processus in infinitum; sed omnis est finis, supple quantum ad terminos: & *generari quidem non est possibile, quod impossibile est factum esse*, id est, nisi talis generatio posset terminari ad factum esse: *quod autem est generatum, necesse est esse, quando primum factum est*, id est, in termino generationis, qui est factũ esse, oportet esse generatum.

Omnis motus est finitus.

Datur forma ingenita.

Notandum, quòd Philosophus videtur sibi cõtradicere; nam 8. Physic. & 12. huius, text. co. 10. & inde. ostendit motum cæli esse infinitum, & tamen hîc videtur asserere motum esse finitum: sed sciendum quòd, vt habetur iuxta finẽ sexti Physi. infinitas in motu, potest dupliciter intelligi, vel secundùm durationem, vel secundùm terminos. Primo modo motus cæli est infinitus, secundùm viam Philosophi: & hoc probat ipse 8. Physi. Secundo autem modo, omnis motus etiam cælestis est finitus, licèt enim vna circulatio succedat alteri sine fine, quælibet tamen circulatio in se finita est secundùm terminos, à quo, & ad quem, & hoc modo verum est, quòd

Text. co. 34. & 41. & inde.

Motum esse finitum, vel infinitum cõtingit intelligi dupliciter.

quòd hîc dicitur, omnem motum esse finitum. Deinde cùm dicit:

Amplius autem si materia est, quia ingenita est, multò rationabilius est substantiam quando illa sit esse. Nam si hæc non erit, nec illa, nihil erit omnino. Sed si hoc est impossibile, necesse est aliquid esse præter synolon, scilicet formam, & speciem.

Si materia est ingenita, multò magis & forma.

Ponit secundam rationem sumptam ex parte formæ, quæ sumitur à minori dicens: quòd *amplius, si materia est ingenita, multò rationibilius est substantiam*, id est, formam, scilicet *esse ingenitam, quando ipsa fit esse*, id est, quia per illam scilicet formã res habet esse magis supple quàm per materiam; *nam si hæc non erit, nec illa*, id est, si nec materia, nec forma est ingenita, *nihil erit omnino*, scilicet ingenitum: *sed si hoc est impossibile*, vt probatum est: *necesse est aliquid esse præter synolon*, id est, simul totum compositum ex materia, & forma: puta *formam, & speciem*, nam materia de se non potest existere. Deinde cùm dicit:

49

Sed si hoc iterùm quis ponit, dubitatio est in quibus hoc ponet, & in quibus non? Nam quòd in omnibus non possibile sit, manifestum est: non enim vtique ponemus domum aliquam præter singulares domos.

Arguit ad partem oppositam negatiuam dicens, quod *si iterùm quis hæc ponit*, scilicet aliquam formam esse separatam præter singularia composita ex materia, & forma: est *dubium in quibus sit hoc verum, & in quibus non: nam quia in omnibus non existimatur*, scilicet aliquid esse sic separatum, *manifestum est* scilicet in artificialibus: *non enim ponimus aliquam domum separatam præter aliquas domos*, id est, singulares.

Veritas quæstionis.

Veritas huius quæstionis sumitur ex 7. huius, text. com. 51. & circiter. & ex. 12. text. co 29. & inde. nam præter sensibilia non est ponere aliquas formas sensibiles separatas: est tamen ponere aliquas substantias immateriales separatas, puta intelligentias. Rationes autẽ ad oppositũ nõ cogunt: non enim sequitur, quòd de sensibilibus non sit scientia: nec quòd scientia, & sensus sint idem: nam, vt sæpè dictum est, non est idem modus essendi rei in se, & in consideratione intellectus: quia res in se materiales, & corruptibiles modo immateriali, & incorruptibili ab intellectu concipiuntur; nec sequitur, quòd forma si non est separata à materia, generetur: quia forma per se non generatur, vt habetur 7. huius, text. com. 22. & inde. In quibusdam ergo ponere oportet formas separatas, & in quibusdam non: nam omnium sensibilium formæ non existunt separatæ: illa autem, quæ secundùm suam naturam sunt immaterialia, & insensibilia, existunt à sensibilibus separata; cuiusmodi sunt Intelligentiæ, de quibus agetur, 12. huius libri.

Forma immaterialium sunt separata, sensibiliũ verò non.

SVMMARIVM.

Non dari formam vnam omnium, quæ sint eiusdem speciei. vide Doct. 7. huius q. 7.

Text. co. 13

Adhuc autem vtrùm substantia vna erit omnium, vt hominum?

50

Postquam Philosophus disputauit quæstiones pertinentes ad principiorum quiditatem; nunc disputat quæstiones pertinentes ad principiorum qualitates, siue proprietates. Circa quod tria facit: quia primò disputat quæstiones de principiis penes eorum identitatem, vel diuersitatem. Secundò penes eorum actualitatem, vel potentialitatem. Tertiò penes eorum singularitatem. Secunda ibi: *His autem à fine.* Tertia ibi: *Et vtrùm vniuersalia.* Prima in duas. Primò facit quod dictum est. Secundò inquirit, quomodo ratio principij se habeat ad rationem vnius. Secunda ibi: *Omnium autem ad considerandum.* Prima in tres, quia primò in speciali quærit de principio formali, vtrùm sit vnum numero respectu omnium sub vna specie contentorum? Secundò vniuersaliter quærit hoc idem in omnibus principiis, vtrùm sint eadem numero? Tertiò magis specialiter quærit de vnitate, & diuersitate principiorum? Vtrùm scilicet sint eadem principia corruptibilium, & incorruptibilium? Secunda ibi: *Amplius autem de principiis.* Tertia ibi: *Nec minor dubitatio.* Prima in duas: quia primò proponit quæstionem. Secundò arguit ad eam. Secunda ibi: *Sed impossibile.* Dicit ergo, quòd *adhuc est dubitatio vtrùm substantia*, id est, forma *sit vna omnium*, scilicet existentium sub vna specie, *vt hominum*? Deinde cùm dicit:

7. q. hac q. & sequens tangunt motiuũ. 7. quod superius assignata ex parte considerata-rum.

Sed inconueniens est, non enim vnum omnia quorum substantia vna; sed multa, & differentia, sed & hoc extra rationem est.

Arguit ad vnam partem quæstionis, scilicet ad partem negatiuam, per duas rationes: Quarum secunda ponitur ibi: *Simul autem & quomodo.* In prima parte intendit talem rationem: Si omnium sub vna specie existentium est vna forma; ergo multorum differentium erit vna forma, quod manifestè videtur esse falsum. Consequentia patet, quia ea, quæ sunt sub vna specie, sunt multa, & differentia. Dicit ergo, sed hoc est impossibile, scilicet vnam esse formam omnium talium: *nõ enim omnia erunt vnum quorum substantia*, & forma ponitur esse *vna, sed erunt multa & differentia: hoc autem est extra rationem.* Deinde cùm dicit:

Simul autem & quomodo fit materia horum vnumquodque, & est synolon ambo hæc?

Ponit secundam rationem, quam intendit talem: illud quod est in se vnum indiuisum, non concurrit cum alio diuerso ad componendum multa: sed materia diuiditur in singularia: ergo forma vna, & eadem, non poterit concurrere cum diuersis partibus materiæ ad componendum plura singularia; ita quòd singulare in synolon, id est, simul totum, & singulare complectens ea ambo, scilicet materiam, & formam: ideò dicit, quòd *simul autem* scilicet cum præcedenti ratione, *quomodo fit materia horum singulum*, id est, singularium, *& est synolon*, id est, singulare, *ea ambo*, scilicet complectens materiam, & formam? quasi diceret, quòd non videtur.

Eandem formam nõ posse cum vna materia cõstituere singularia.

51

Ad oppositum non arguit. Quia rationes ponendæ in sequenti quæstione, & quæ positæ sunt

supràf

suprà de separatione vniuersaliũ, faciunt pro illa parte: nam si vniuersale sit separatum, necesse est, vnam esse formam, & substantiam eorum, quæ sub eadem specie continentur: nam vniuersale ponitur substantia singularium.

Veritas quæstionis. Text. co. 20. & inde.

Veritas huius quæstionis patet ex 7. huius, vbi ostenditur, quòd substantia, & *quod quid est* rei, non est aliud à re, & per consequens impossibile est, eandem quiditatem, vel formam esse plurium, vt plura sunt; licèt omnium singularium sub vna specie sit vna forma specifica, & communis, quæ diuiditur realiter in singularia. Deinde cùm dicit:

SVMMARIVM.

Arguit pro & contrà, an principia sint eadem, vel diuersa specie, aut numero. Doctor resoluit, efficiens, & finem in idem numero coincidere; materiam, & formam non. de quo 12. huius. vide eum Theor. 19.

Tex. co. 14.

Amplius autem de principiis, & hîc dubitabit aliquis. Nam si specie sunt vnum, nihil numero erit vnum.

Quærit vniuersaliter de omnibus principiis, Vtrùm sint eadem numero, vel eadem specie, vel diuersa numero? Circa quod duo facit, quia primò inducit rationes ad probandum, quod sint eadem numero. Secundò arguit ad oppositum. Secunda ibi: *At verò si vnum.* Prima in tres, secundùm quod breuiter tangit tres rationes pro illa parte. Secunda ponitur ibi: *Nec iterùm.* Tertia ibi: *Et scire.* In prima parte fecit talẽ rationẽ: quicquid in principiatis reperitur, illud oritur ex principiis: si ergo in principiis non inuenitur vnum numero, sed solùm vnum specie; ergo nihil erit in principiatis vnum numero, sed tantùm vnum specie, quod est falsum. Dicit ergo primò tangens quæstionem, quòd *ampliùs dubitabit aliquis de principiis,* scilicet generaliter, hæc scilicet quæ dubitata sunt de principio formali, vtrùm scilicet sint eadem numero principia, vel non? Secundò tangit dictam rationem dicens, *namque* pro quia *si specie vnum sunt*, scilicet principia *nihil erit vnum numero*, scilicet in principiatis, Deinde cùm dicit:

Nec iterùm vnum ipsum & ens.

52

Tangit secundam rationem, quæ talis est: Illud quod est ipsum vnũ, vel ipsum ens, oportet quòd sit vnum numero; si igitur principium rerum non sit vnum numero, sed vnum specie; ergo nihil erit ipsum vnum & ipsum ens, quæ scilicet vnum & ens separata ponuntur rerum principia; ideò dicit quòd *nec iterùm ipsum vnum & ens* erunt supple vnum numero. Deinde cùm dicit:

Et scire quomodo erit, si non aliquid erit vnum in omnibus.

Omnis scietia est vniuersalis.

Ponit tertiam rationem, quæ talis est: Omnis scientia est de vniuersali, quod est vnum in multis: quia de singularibus non est scientia. Cùm igitur scientia de principatis dependeat ex scientia principiorum, si igitur principia non sint eadem numero, non poterit de eis esse scientia, vt videtur; nec per consequens de principiatis, & & sic tollitur omnis scientia; ideò dicit. *Et scire quomodo erit,* id est quomodo continget: *nisi fuerit quid vnum in omnibus?* quasi diceret, quòd non. Deinde cùm dicit;

At verò si vnum numero, & vnum quodlibet principiorum, & non quemadmodum in sensibilibus alia aliorum, vt in hac syllaba, BA. specie eadem existente, & principia specie eadem, etenim hæc sunt numero diuersa. Si autem non ita, sed quæ sunt existentium principia numero sunt vnum, non erit præter elementa aliud quicquam. Nam numero vnum aut singulare dicere nihil differt. Sic enim dicimus singulare numero vnum: vniuersale verò quod in his est. Sicut igitur si vocis elementa numero essent determinata tot omnes litteras esse necesse esset quot elementa: non existentibus quidem duobus eisdem, nec pluribus.

Arguit ad oppositum, quòd non sint idem numero, intendens talem rationem: Si principium omnium entium sint eadem numero, ergo nullum erit dare principium: consequens est euidenter falsum, & contradicit antecedenti. Consequentia patet ex hoc, quia principium cùm sit relatiuum, arguit diuersitatem ad principiatum, cui opponitur relatiuè; si autem principium sit vnum numero, tollit principiatum: quia vnum numero dicitur quod est semel tantùm, nam vnũ numero & singulare idem sunt; ergo principium non erit principium. Dicit ergo, quòd si quodlibet principiorum *est vnum numero, & non* se habent, scilicet principia entium, *quemadmodum in sensibilibus* videmus quod *aliorum numero sunt alia principia numero*; videmus enim *quod in hac syllaba, Ba. specie autẽ eadem existente, & principia sunt eadem specie*; ea tamen *sunt numero diuersa*: nã quot sunt numero syllabæ BA. tot sunt numero B, & A, licèt B, & A, quotiescumque sumantur, sint eædẽ literę specie, sicut & ipsa syllaba supple specie est eadem quotiescũque sumpta; vnde addit quòd si non est ita, sed quæ sunt scilicet principia existentium, sunt vnum numero, *non erit aliquod aliud præter elementa*, scilicet principia: *nam dicere vnum numero, aut dicere singulare* vnumquodque vt habet alia litera, *nihil differt*: *sicut enim dicimus singulare vnum numero, vniuersale verò quod est in his*, scilicet singularibus: *si igitur elementa vocis essent numero determinata, necesse esset tot omnes esse litteras quot sunt elementa*; ita quòd non esset distinctio inter principia, & principiata, & sic literæ non possent multiplicari, vt essent duo, vel plura; ideò subdit *non quidem existentibus duobus, nec pluribus.* Eâdem ergo ratione, si omnium entium sint eadem principia numero, sequitur quòd nihil sit præter principia, quod videtur falsum; cùm principium dicatur ad aliquid, & sit alicuius principium: quare principium non erit principium si nihil sit præter ipsum.

53

Vnum numero quid.

Principium includit relationem formaliter.

Veritas quæstionis.

Veritas huius quæstionis colligitur ex 12. huius, text. com. 19. & inde. vbi habetur, quòd principia extrinseca entium, vt sunt efficiens, & finis sunt

sunt eadem numero omnium loquendo de primo efficiente, & de vltimo fine, qui est Deus benedictus: Etenim secundùm eũ omnes substantiæ immateriales, putà, Intelligentiæ, quæ sunt principia rerum extrinseca, & separata, sunt eadem respectu omnium: Principia autem intrinseca, vt sunt materia, & forma, & priuatio sunt alia aliorum simpliciter; licèt possint esse eadem secundùm proportionem, vt ibi exponetur. Principia etiam extrinseca proxima, putà agens particulare, & finis, possunt esse diuersa diuersorum. Nec rationes ad oppositum cogunt: nam non est necesse quantum ad primam rationem, quòd si principium sit vnum numero, quòd principiata sint vnum numero: quia ab eodem principio numero possunt procedere effectus numero diuersi. Nec valet etiam quantum ad secundam rationem, quòd ipsum vnum & ipsum ens non sunt vnum numero, propter eandem causam, & maximè cùm ipsum vnum, & ens, non sint aliquid realiter separatum, vt posuerunt Platonici. Nec oportet quãtum ad tertiam rationem, quòd vniuersale, de quo est scientia, sit vnum numero in multis; sed potest esse vnum alia vnitate, quæ est minor vnitate numerali, vt habet declarari 7. huius. Ratio autem ad oppositum, si aliquid valet, concludit de principiis intrinsecis; sicut patet in exemplo syllabæ BA, cuius principia intrinseca sunt A, & B, & concessum est talia principia intrinseca esse numero diuersa. Deinde cùm dicit:

Principium duplex, & vtrumque subdiuiditur.

Ab eadem causa numero possunt procedere effectus diuersi

SVMMARIVM.

Non eadem esse principia corruptibilium, & incorruptibilium. Reiicit responsiones varias, & præcipuè Theologorum poëtarum, de gustantibus nectar, & manna. Doctor reiicit circa hoc expositionem. D. Thomæ.

Text.co.15.

Non enim minor dubitatio modernis, & prioribus relinquitur. Vtrùm eadem corruptibilium & incorruptibilium sint principia vel diuersa?

Quærit magis specialiter de vnitate, & diuersitate, vtrùm scilicet sint eadem principia corruptibilium, & incorruptibilium? Circa quod duo facit. Primò proponit quæstionem. Secundò arguit pro & contrà ibi: *Nam si eadem.* Dicit ergo quòd quædam dubitatio, quæ *non minor modernis relinquitur*, scilicet Philosophis sequentibus Platonem, *quàm prioribus*; scilicet antiquis, quæ est: *vtrùm sint eadem principia vel diuersa corruptibilium & incorruptibilium.* Deinde cùm dicit:

9. Q. hac q. est 8. superius assignata ex parte considerandarum.

55

Nam si eadem sint, quomodo hæc quidem incorruptibilia: illa verò corruptibilia, & propter quam causam?

Arguit ad quæstionem, & primò inducit rationes, ad probandum non esse eadem principia corruptibilium & incorruptibilium. Secundò arguit ad oppositum, scilicet quòd non sint diuersa. Secunda ibi: *Si verò diuersa principia.* Prima in duo, quia primò ponit rationem. Secundò excludit duplicem responsionem. Secunda ibi: *Qui quidem igitur*, In prima parte intendit talem rationem: Ex eisdem principiis sequuntur iidem effectus; sed corruptibilia & incorruptibilia non sunt iidem effectus; ergo eorum non sunt eadem principia, ideò dicit, *nam si eadem sunt*, scilicet principia omnium: *quomodo hæc quidem corruptibilia, illa verò incorruptibilia sunt, & propter quam causam?* quasi diceret, quòd non posset assignari. Deinde cùm dicit:

Identitas effectuum arguit identitatem principij.

Qui quidem igitur circa Hesiodum, & omnem quicumque Theologi solum ad ipsos persuasiones curauerunt; nos autem neglexerunt. Deos enim facientes principia, & ex Deis dicunt esse facta: quæ verò non gustauerunt nectar, & manna, mortalia facta esse dicunt.

Excludit duplicem responsionem, quæ datur ad rationem dictam. Primò excludit responsionem Poëticam. Secundò excludit responsionem naturalem, siue Philosophicam. Secunda ibi: *A dicentibus verò.* Prima in tres, quia primò solutionem præmittit. Secundò ipsam includit. Tertiò excusat se de diligentiori improbatione talis positionis: Secunda ibi: *Palàm quòd hæc omnia.* Tertia ibi: *Sed de fabulosè.*

Ad euidentiam primæ partis, sciendum quòd sicut tactum fuit in primo libro apud Græcos, fuerunt ante Philosophos naturales quidam sapiẽtes vocati Poëtæ Theologi, qui veritatem diuinorum occultè sub quodam fabularum velamine tradiderunt, sicut Orpheus, & quidam alij. Dicit ergo quòd *quidam* Hesiodistæ, id est, sectatores *Hesiodi & omnes alij qui erant vocati Theologi solùm ad eos*, id est, ad seipsos *curauerunt facere persuasionem*; *nos autem spreuerunt*, id est, veritatem, quam intendebant taliter tradiderunt, quòd tantùm eis erat nota & non nobis: quia, scilicet veritatem tradiderunt sub quadam vmbra fabularum quæ eis tantùm notæ erant. Isti igitur Hesiodistæ *facientes principia rerum esse* quosdam Deos *& ex diuinis dicunt alia esse facta* immortalia, *illa verò quæ non gustauerũt ipsum nectar, & manna. dicunt esse facta mortalia*, id est, dixerunt quòd illi numero de Deorum, qui nõ gustauerunt quendam cibum dulcem, qui nectar, vel manna vocatur, facti sunt mortales: qui autem gustauerunt, facti sunt immortales. Et per istum modum forsan voluerunt saluare eadem principia, scilicet Deos esse omnium principia, tam corruptibilium, quàm incorruptibilium: sed inter ipsos Deos esset dicta differentia, vt sic Dij mortales essent principia corruptibilium: immortales autem ipsorum incorruptibilium; licèt omnes illi conuenirent in ratione Deitatis, & sic haberent aliquam identitatem.

56

Poëta Theologi diuina occultè tradentes.

Fictio Poëtica de Deorum diuersitate.

Vide Sco. in 7. di. 2. vbi hanc fictionem tangit.

Notandum, quòd, vt dicit quidam expositor, sub ista fabula potuit contineri aliquid veritatis, vt scilicet per nectar, & manna, intelligatur bonitas primi principij: nam omnis dulcedo dilectionis, & amoris refertur ad bonitatem: omne autem bonum oritur à primo bono; potuit ergo esse intellectus illorum Poëtarum, quod ex participatione summæ bonitatis aliqua reddantur incorruptibilia, vt illa quæ perfectè participant diuinum esse, vt intelligentiæ, & corpora cælestia: quædam verò propter longè distate à primo principio, quod est non gustare nectar, vel manna, non possunt

sunt perpetuò conseruari secundùm identitatem numeralem, sed tantùm specificam, vt habetur 2. de Anima. text. com. 35. & 2. de Generatione, text. com. 59. Sed quæ vtilitas est immorari circa intentionem fabularum? licèt ergo istud forsitan sit benè dictum, tamen dubium est, & fortè falsum, quòd illa fuerit intentio Poëtarum. Deinde cùm dicit:

57 *Palàm quòd hac omnia sibi nota dicentes equidem de allatione harum causarum super nos dixerunt: nam si gratiâ voluptatis, vt ipsi tangunt, non est causa existendi nectar & manna: si verò existendi, quomodo erunt sempiterni cibo egentes?*

Excludit istam responsionem dicens, *palàm esse quòd isti*, Hesiodistę, *sunt dicentes sibi hac omnia*, scilicet tanquam *sibi nota*, & non nobis, & *etiam de allatione harum causarum dixerunt prater nos*, id est, quòd quando afferuntur illæ causæ ad propositam quæstionem: hoc est supra nostrum intellectum. Et ideò subiungit talem rationem contra illud quod sonant eorum verba: quicquid sit de eorum occulta intentione: nam Dij, aut gustauerunt illud nectar, & manna propter delectationem, aut propter necessitatem essendi: hac enim de causa cibus sumitur: sed neutrum potest dari: *nam si gratiâ voluptatis*, id est delectationis, *ea tangunt*, id est, gustant, sequitur quòd *nectar, & manna non erunt eis causa existendi*, vt ex hoc fiant incorruptibiles: nam delectatio sequitur esse rei, & non præcedit. *Si verò causa existendi*, id est, propter necessitatem essendi, sumunt illum cibum, *quomodo egentes illo cibo erunt sempiterni?* quasi diceret, quòd non: quia omne indigens cibo, est corruptibile: nam cibus sumitur ad restaurationem deperditi, etiam corrumpitur, & transit in substantiam aliti: quod autem est corruptibile, non potest alteri esse causa incorruptibilitatis. Deinde cùm dicit:

Sed de fabulosè sophisticantibus non est dignum cum studio intendere.

58 Excusat se de diligentiori improbatione dictæ positionis, dicens, quòd *de fabulosè sophisticantibus*, id est, philosophantibus, *non est dignum intendere cum studio*. Ratio huius est, quia si quis vult contra eorum dicta disputare secundùm quod exteriùs sonant; ridiculosa sunt, & vana, cùm per modum fabulæ proferantur: si verò vult inquirere de veritate, quæ latet sub illis verbis, illa immanifesta est, & occulta. Et ex hoc aliqui volunt accipere, quod Aristot. disputans contra Platonem, & alios consequenter Philosophos, disputat magis contra dicta, quàm contra intentionem; eò quòd ipsi doctrinam suam sub quadam obscuritate, & velamine verborum tradiderunt, quod non pertinet ad Philosophum, qui ex propriis non per ænigmata, vel extrema debet procedere. Deinde cùm dicit:

S V M M A R I V M.

Refutat responsionem Empedoclis ponentis principia communia corruptibilium, & incorruptibilium. Doctor explicat eius positionem.

A Dicentibus verò per demonstrationem, oportet sciscitari: interrogantes quare ex eisdem existentia; hac quidem sempiterna secundùm naturam sunt, illa verò corrumpuntur existentium. Quoniam autem nec causam dicunt, nec rationabile est sic habere, palàm quòd nec eadem principia, nec causa ipsorum erunt.

59 Excludit secundam responsionem quorundam Naturalium. Circa quod tria facit. Quia primò resumit dictam responsionem. Secundò ponit illorum responsionem. Tertiò addit responsionis improbationem. Secunda ibi: *Etenim qui existimabit*. Tertia ibi: *Videbitur autem nihilominus*. Dicit ergo, quòd supple prætermissis illis, qui scilicet veritatem sub fabulis tradiderũt: *oportet sciscitari*, id est inquirere veritatem *à dicentibus*, id est, tradentibus veritatem *per demonstrationem interrogantes*, scilicet ab eis *quare ex eisdem*, scilicet principiis, *hac quidem existentia*, sunt secundùm naturam *sempiterna: illa verò corrumpuntur existentium*, id est, de numero entium: *sed quandoque, nec ipsi causam dicunt, nec est rationabile sic se habere*, scilicet ex vt eisdẽ principiis sint corruptibilia, *palàm quia eadem causa non sunt eorum vtrorumque*. Deiude cùm dicit:

Etenim & Empedocli, quem maximè sibi consona dicere quispiam arbitrabitur, idem sanè contingisse videtur. Ponit enim principium quoddam causam corruptionis odium.

Ponit quorundam naturalium responsionem, & dicit quòd supple responsio ad dictam quæstionẽ *quam aliquis existimabit dicere maximè ei cõfessè*, id est, quæ videtur magis conueniens ad quæstionem Empedoclis, est illa, quam Empedocles assignauit, & tamẽ hic scilicet Empedocles, *idem passus est cum aliis*: quia scilicet eius responsio est inconueniens, vt ostenditur: sicut & aliorum: *ponit enim principium quoddam*, scilicet *odium*, *esse causam corruptionis*.

Notandum, quòd Empedocles posuit quædam principia communia corruptibilium, & incorruptibilium, vt innuitur in littera: sed cum hoc posuit quoddam principium speciale, scilicet odium elementorum esse causam corruptibilium, vt sic istud principium adiunctum aliis principiis faceret corruptibilitatem in entibus: vnde sicut patet ex primo huius, & innuitur 1. de Anima, solum Deum posuit Emped. non compositnm ex odio, intelligens per Deum, vt communiter exponitur, corpus cæleste, & omnia incorruptibilia. Deinde cùm dicit:

Omnia præter Deum secundùm Empedocl. erant composita ex odio.
Text. co. 18.
Tex. co. 80.

Videbitur nihilominus, & extra vnum hoc generare: nam omnia ex hoc alia sunt prater Deum; dicit ergo ex quibus omnia, & quacunque erant, & quacunque erunt, & arbores pullulauerunt, & viri, & fœmina, bestiaque, & vultures, & aqua nutriti pisces, & Dei longæui, & prater hac palàm; quia si non esset in rebus, essent vnum omnia, vt ait: nam quando conuenerunt, tunc vltimum omnium stabat odium.

Arguit contra istam responsionem tripliciter. Primò

60 Primò ostendens, quòd contradicit suæ opinioni. Secundò quod est insufficiens. Tertiò quod non est ad propositum. Secunda ibi: *Similiter ipsius transmutationis.* Tertia ibi: *Attamen tantùm solum.* Prima in tres. Quia primò ostendit, quod dictum est ex parte odij. Secundò ex parte ipsius Dei. Tertiò ex parte amoris. Secunda ibi: *Propter quod accidit.* Tertia ibi: *Similiter autem nec amor.*

Quod retensio Empedoclis implicat.

Dicit ergo, quòd secundùm opinionem Empedoclis, hoc scilicet odium, quod ponebat causam corruptionis, *videbitur nihilominus generare*, id est, esse causa generationis, *extra vnum*, id est, præter vnum, quod non ponebant ex odio componi. Ideò subdit, *nam omnia sunt ex hoc*, id est, ex odio *præter Deum*, id est, quòd secundùm eius opinionem omnia sunt composita ex odio, & aliis principiis *præter vnum*, scilicet Deum, quem vtique dicebat componi ex aliis principiis, præter quam ex odio: Deum autem appellabat cælum: cælum enim dicebat componi ex quatuor elementis, & ex amicitia tantùm, sed omnia alia etiam componi ex odio. Ideò subdit: quòd *dicit ergo ex quibus*, scilicet principiis simul cum odio *omnia sunt*, scilicet composita, *& quæcunque sunt*, quantum ad præsentia; *& quæcunque erunt*, quantum ad futura; *& quæcunque erant*, quantum ad præterita, *vt arbores*, quæ *pullulauerunt*, *& viri*, *& feminæ*, *bestiæ*, putà animalia terrestria, *& vultures*, quantum ad volucres; *& pisces nutriti in aqua*, quantum ad aquatica, *& Dij etiam longæui*, omnia breuiter ponebat componi ex odio, & aliis principiis: ad hæc etiam scilicet secundùm opinionem Empedoclis *palàm quia si non erit in rebus, omnia essent vnum*, per amicitiam, & generatur chaos confusum, tunc vltimò per odium separantur, & ab inuicem dissoluuntur. Cùm igitur esse mundi consistat in ordine, & distinctione rerum: odium erit causa generationis mundi, cùm diuidat, & distinguat res.

Verba Empedoclis.

Notandum, quòd per Deos longæuos, quos ponebat componi ex odio, fortè intellexit stellas, quas ponebat aliquando corrumpi post longum tempus: vel intellexit dæmones, quos Platonici dicebant esse animalia aerea: vel intellexit Deos in forma humana, quos posuerunt Epicurei, vt dictum est suprà in hoc eodem tertio. Deinde cùm dicit:

Dij longæui qui intelliguntur?

SVMMARIVM.

Odium non magis esse causam corruptionis, quàm generationis, nec amorem causam generationis, vel existentiæ. Reiicitur etiam stulta eius responsio de mundo infinities genito, & producto.

P*Ropter quod, & accidit ipsi fœlicissimum Deum minus prudentem esse aliis: non enim cognoscit elementa omnium: nam odium non habet. Notitia verò simili similis fiat. Terram namque ait per terram cognoscimus, & per aquam aquam, & per affectum affectum, & adhuc odium per odium triste. Sed vnde ratio hæc etiam palàm; quia accidit ei odium non magis corruptionis quàm existendi causam esse.*

61 Ponit secundam rationem ex parte Dei sumptam.

Ad cuius euidentiam notandum, quòd secundùm quod habetur primo de Anima, tex. com. 25. opinio fuit Empedoclis sicut & multorum aliorum, quòd anima esset composita ex principiis omnium rerum, vt sic posset anima omnia cognoscere: dicebant enim simile cognosci à simili, vt terra cognosci per terram, & aqua per aquam, & sic de aliis; & ideò oportebat animam componi ex terra, aqua, & ex aliis. Empedocles ergo quia posuit sex principia rerum, scilicet quatuor elementa, vt principia materialia, & amorem & odium, vt principia effectiua; dixit animam esse compositam ex quatuor elementis, & ex amore & odio, vt sic posset omnia cognoscere: cùm secundùm eũ simile simili cognoscatur. Deus ergo qui est fælicissimus, est imprudentior aliis, cum non cognoscat omnia, quæ alij cognoscunt, quod videtur absurdum, & hoc est quod dicit Philosophus: *propter quod*, quia scilicet Deus non est compositus ex odio, *accidit ei*, scilicet Empedocli, *Deũ felicissimum esse minùs prudentem aliis: non enim cognoscit omnia elementa; nam odium non habet. Notitia verò similis fit simili*, secundùm eum, vt sic *terram cognoscamus per terram, & aquam per aquam, & affectum*, id est, amorem *per affectum, & odium per odium*, difficile, id est, cùm odium sit malum, est quoddam difficile & graue: sed quia illa ratio videtur esse præter propositum principale, ideò rediens ad propositum dicit, *sed vnde ratio*, scilicet erat prius, *hoc enim palàm*, scilicet contra Empedoclem, *quia accidit ei ipsum odium non magis esse causam corruptionis quàm existendi*, id est, generationis: sicut patet ex prædictis. Deinde cùm dicit:

Opinio ponẽs animam conflatam ex propriis omnium rerum.

Argumentũ contra negantes Deum alia à se cognoscere.

Odium est graue.

Similiter autem nec amorem existendi magis quàm corruptionis: colligens enim in vnum corrumpit alia.

62 Ponit rationem sumptam ex parte amoris. Dicit ergo, quòd *similiter nec amor est causa existendi*, id est, generationis, sicut dicebat Empedocles. Nam ex alia parte dicebat, quòd amor colligit, & congregat: *colligens autem in vnum corrumpit alia*, & per consequens erit causa corruptionis, quod negabat. Patet ergo ex prædictis quòd positio eius implicet repugnantiam, & contradicit sibiipsi.

Notandum, quòd secundùm Empedoclem sicut amor congregabat elementa in vnum, sic odium separabat: quia igitur congregatio in vnum chaos est corruptio elementorum in se, & similiter separatio elementorum ab inuicem, & ab illo vno chaos est generatio elementorum secundùm naturas proprias, & in se, ideò sequitur, quòd amor sit causa corruptionis, & odium generationis. Si ergo Empedocles ex alia parte dicat, amorem esse causam generationis, & odium corruptionis, contradicit sibiipsi euidenter. Deinde cùm dicit:

Amor congregat, & odium separat.

Similiter ipsius transmutationis causam nullam dicit: nisi quia sic aptum natum fuit. Ait vtique, magnum odium in membris nutritum est, & ad honorem intendebat perfecto tempore qui mutabilis dissoluit sacramentum: quare necessarium ens transmutari, causam verò necessitatis nullam ostendit.

Ostendit responsionem Empedoclis esse insufficientem.

Ad cuius euidentiam notandum, quòd vt habetur 8. Physicorum, iuxta principium, tex. com. 2. & hoc idem hîc tangitur, opinio fuit Empedoclis mundum infinities generari, & infinities corrumpi: nam secundùm eum amor, quem ponebat principium generationis, regnabat, & dominabatur super odium tempore determinato, in quo tempore mundus durabat & existebat generatus, odium verò quod ponebat principium corruptionis, similiter regnabat & dominabatur super amorem in alio tempore, in quo tempore mundus manebat corruptus, & post illud tempus redibat amor vt priùs, & post amorem odium: & sic successiuè per infinitum: tempus autem illud, in quo regnabat amor, vel odium dicebat esse quendam annum magnum. Quod si ab eo quęreretur causa huius, quare scilicet amor regnabat vno tempore & odium alio, nullam assignabat causam; nisi quia aptum natum erat esse, quod est insufficienter dictum, de qua insufficientia redarguit eum Philos. in hoc loco. Dicit ergo, quòd *similiter quoque nullam dicit esse causam*, eius vel *ipsius transmutationis*, quòd scilicet amor quandoque congregat, quandoque odium separat, *nisi quia sic aptum natum fuit*: ponit consequenter verba Empedoclis quæ vt dicitur in Græco metricè erant scripta: sunt autem verba eius ista, *aliàs vtique magnum odium in membris nutritum est, & ad honorem tendebat perfecto*, vel partito *tempore qui mutabilis soluit sacramentum*.

Imaginatio Empedoclis mundum infinities generari, & corrumpi.

63 *Vniuersum assimilauit Empedocles animali.*

Ad cuius euidentiam notandum, quòd Empedocles Poeticè locutus est de toto mundo, ad instar vnius animalis: in cuius membris primò est maxima conuenientia, quam vocabat amorem, vel concordiam; postea verò paulatim incipit esse aliqua dissolutio, quam vocabat discordiam: similiter in partibus vniuersi erat à principio magna concordia, & posteà paulatim in membris, id est, in partibus vniuersi nutritum est odium quousque odium intenderet, id est, procederet ad honorem, scilicet vt dominaretur super elementa. Et hæc perfecto, vel partito quodam tempore determinato, & completo quodam anno, quem ponebat Empedocles, qui scilicet odium vel discordia vel annus mutabilis existens soluit, vel dissoluit sacramentum, id est, vnionem elementorum præcedentem. Postea Aristot. rediens ad propria verba, & faciens mentionem in hoc quod dixerat, mutabilis, subiungit exponens *quare necessarium ens transmutari*: quasi diceret quod sic Empedocles affirmauit prædicta; ac si necesse sit esse transmutationem odij & amoris: *causam verò ex necessitate nullam ostendit*: quæ supple in vno animali apparet esse causa transmutationis odij & amoris, scilicet propter motum cæli, qui est causa generationis & corruptionis in rebus: quod de toto vniuerso causa assignari non potest; ex quo patet insufficientia dictæ positionis. Deinde cùm dicit:

Attamen tantùm solùm dicit confesse. Non enim existentium hæc quidem corruptibilia: illa verò incorruptibilia facit, sed omnia corruptibilia præter elementa. Dicta verò nunc hæc dubitatio est cur hæc quidem, illa verò nō si ex eisdem sunt. Quod quidem vtique non erunt eadem principia tot dicta sunt.

64 Ostendit prædictam responsionem non esse ad propositum dicens: quòd hîc solum *dicit confesse*, id est, manifestè, scilicet quod non ponit, vel facit existentia, id est, entia, *hæc quidem corruptibilia: illa verò incorruptibilia; sed omnia esse corruptibilia præter elementa*; qua re non videtur euadere dictam dubitationem: nam *dicta dubitatio est*, si omnia sint ex eisdem principiis, *cur hæc quidem sunt*, scilicet corruptibilia: *illa verò non?* quare sua responsio non est ad propositum, concludit ergo ad totum præcedens dicens, *ergo quod quidem non sunt eadem principia*, scilicet omnium, *tot dicta sunt*.

Sed hîc est dubium de dicto Philosophi, quando dicit, scilicet Empedoclem posuisse omnia corruptibilia præter elementa: cùm tamen supra dixerit solùm vnum, scilicet Deum esse incorruptibilem, & non compositum ex odio. Propter quod sciendum quòd Empedocles in rebus posuit duplicem corruptionem ex duplici causa procedentem: vnam quidem secundùm confusionem elementorum & totius mundi, quam faciebat amor: aliam verò rerum singularium, cuius principium erat odium, sicut apparet ex supradictis: à prima corruptione non excipiebat Deum: cùm in eo poneret amorem, sed à secunda excipiebat Deum: cum in Deo odium non poneret, vt dictum est superiùs. Deinde cùm dicit:

Empedocles posuit duplicem corruptionem in rebus.

S V M M A R I V M.

Rursus arguit dupliciter eadem esse principia corruptibilium, & incorruptibirium.

SI verò diuersa principia vna quidem dubitatio: vtrùm & incorruptibilia hæc erūt, aut corruptibilia? Nam si corruptibilia manifestum: quia necessarium & ea ex aliquibus esse: omnia enim corrumpūtur in ea ex quibus sunt. Quare contingit principiorum alia principia esse priora. Hoc autem & impossibile: siue stet; aut in infinitum vadat. Ampliùs autem quomodo erunt ipsa corruptibilia, si destruentur principia? si verò incorruptibilia, cur ex his quidem incorruptibilibus existentibus corruptibilia erunt, ex diuersis verò incorruptibilia? Hoc enim non rationabile est. Sed aut impossibile, aut multa oratione eget.

65

Arguit ad partem oppositam quæstionis, per duas rationes, quarum secunda ponitur ibi: *Ampliùs autem nec conatus.* In prima parte intendit talem rationem: Si sunt diuersa principia corruptibilium, & incorruptibilium, vel hæc & illa sunt corruptibilia, vel sunt incorruptibilia: sed neutrum istorum potest dari; ergo, &c. Non enim potest dari quòd sint corruptibilia: quia omne corruptibile corrumpitur in ea ex quibus est: si igitur principia corruptibilium sunt corruptibilia, oportebit ponere alia principia priora ex quibus sint, & sic procedetur in infinitum in principiis, cùm ad principia corruptibilia non possit esse status. Tum quia si principia corruptibilium sunt corruptibilia, oportet ea aliquando corrumpi. Postquam autem sunt corrupta, non possunt esse principia, quia quod non est, non potest esse principium alicuius: & tamen entia corruptibilia semper causantur successiuè, & per consequens principia eorum non erunt corruptibilia

Arguit non esse diuersa principia corruptibilium & incorruptibilium.

Si

Si dicatur, quòd principia corruptibilium sunt incorruptibilia, remanet dubium: cùm à principiis incorruptibilibus procedant aliqui effectus corruptibiles & aliqui incorruptibiles: quod non videtur possibile. Dicit ergo, quòd *si diuersa sunt principia*, scilicet corruptibilium & incorruptibilium, *est quidem vna dubitatio, vtrùm hæc*, scilicet principia corruptibilium, *sint incorruptibilia aut corruptibilia? nam si corruptibilia, manifestum est, quòd necesse est ea ex aliquibus esse: omnia enim corrumpuntur in ea ex quibus sunt; quare contingit principiorum esse alia principia priora: hoc autem est impossibile*, scilicet quòd principij sit principium, *siue stet, siue in infinitum vadat. Ampliùs autem quomodo corruptibilia erunt*, scilicet semper *si principia auferantur?* quasi diceret esse impossibile: & tamen oportet principia auferri si corrumpantur. *Si verò incorruptibilia sint* principia corruptibilium; *cur ex his*, scilicet principiis *incorruptibilibus existentibus erunt corruptibilia?* quasi diceret quòd non potest esse: *hoc enim non est congruum; sed aut est impossibile, aut eget multa ratione*, id est, inquisitione. Deinde cùm dicit:

66

Ampliùs autem nec conatus est aliquis diuersa dicere, sed eadem omnium principia omnes dicunt. Verùm primum dubitatum concedunt tanquam hoc parum aliquid accipientes.

Ponit secundam rationem, quæ sumitur ab opinione communi omnium: dicens quòd *ampliùs nec aliquis conatus est dicere diuersa: sed eadem dicunt omnium principia, verùm* pro sed, *primum dubitatum*, id est, primam rationem factam ad oppositum, *concedunt tanquam hæc parum aliquid accipientes*, id est, opinantur illam rationem parùm ponderare, quare eam despiciunt.

Veritas huius quæstionis. Prima principia effectiua sunt eadē omnium.

Veritas huius quæstionis colligitur ex 12. huius, tex. com. 19. & inde, quòd scilicet prima principia effectiua, & motiua, sunt eadem omnium; putà Intelligentiæ & corpora cœlestia; licèt inter se differant, quatenus quædam eorum sunt immobilia, putà Intelligentiæ: quædam sunt mobilia, scilicet corpora cœlestia, quæ mediante motu causant generationem & corruptionem in entibus, principia verò intrinseca sunt diuersa simpliciter, licèt sint eadem secundùm proportionem, vt ibi habet exponi; & etiam principia intrinseca corruptibilium, vt putà materia & forma non sunt per se corruptibilia, sed per accidens, vt dicetur 7. huius, tex. com. 22. & inde. Nec etiam rationes hinc inde factæ cogunt, vnde ab eodem principio primo potest esse effectus corruptibilis & incorruptibilis, propter diuersitatem principiorum intrinsecorum; principia etiam non procedunt in infinitum; esto tamen quòd corrumpantur in aliqua priora cùm sint simplicia, sicut vitâ comite in septimo huius habet prolixiùs declarari.

67 *Ab eodem principio potest procedere effectus corruptibilis, & incorruptibilis.*

SVMMÆ SECVNDÆ CAP. III.

An ens, & vnum sint rerum substantiæ.

SVMMARIVM.

In hoc capite vsque ad §. *At verò*, ponuntur variæ opiniones, an vnum, & ens sint substantiæ existentium, & an ipsorum sit aliquod ens, & vnum? rationes ponuntur singularum opinionum.

OMnium autem difficillimum ad considerandum, & ad cognoscendum veritatem maximè necessarium: vtrùm vnum & ens substantia entium sunt? Et vtrùm ipsorum non alterum aliquid ens, hoc vnum quidem, hoc autem ens est? Aut oportet quærere quid est ipsum ens & vnum, quasi subiecta alia natura?

Postquam Philosophus disputauit quæstiones de principiis penes eorum identitatem, vel diuersitatem, nunc inquirit quomodo ratio ipsius principij se habeat ad rationem vnius. Circa quod tria facit, quia primò inquirit, quomodo vnum & ens se habeant in ratione principij, vtrùm scilicet sint principium formale & substantia omnium entium? Secundò vtrùm ea quæ ex vna oriuntur secundùm opinionem Platonis, putà Mathematica sint rerum principia? Tertiò vtrùm ideæ, quas ponebat Plato quasdam vnitates separatas, sint rerum principia? Secunda ibi: *His autem habita est dubitatio*. Tertia ibi: *omnino verò dubitabit*. Prima in tres, quia primò proponit quæstionem. Secundò recitat opinionem Platonis, scilicet vtriusque partis ibi: *Hi namque illo modo*. Tertiò inducit rationem ad vtramque partem ibi: *Accidit autem*. Dicit autem quòd *omnium*, id est, inter omnes quæstiones motas est *vnum difficillimum ad considerandum*, scilicet propter efficaciam rationum pro vtraque parte: *& ad cognoscendum veritatem maximè necessarium*, scilicet quia ex hoc dependet veritas de substantia rerum, est ergo quæstio, *vtrùm vnum & ens sint substantia existentium*, id est, entium? *& vtrùm eorum*, scilicet entis & vnius, *non sit aliquod aliud ens aut vnum: hoc quidem vnum, illud verò ens*, est: *aut oportet quærere quid est ipsum ens & vnum quasi subiecta alia natura?*

68 10 *Q. hæc q. est 9. superius assignata ex parte considerátorum.*

Opinio duplex de ente & vno.

Notandum, quòd de vno fuerunt duæ opiniones, vt dictum fuit in primo libro; nam aliqui, sicut Platonici, & Pythagorici, dixerunt ipsum vnum, & ens esse substantiam rerum; ita quòd non subiicitur eis aliqua altera natura, quæ scilicet sit subiectum entis, & vnius, quasi accidentium; sed quod ipsum vnum & ens est ipsa tota natura, & substantia rei: aliqui enim vt purè naturales dixerunt vnum & ens non esse substantiam rei; sed quasi accidentia; quibus subiiciebant aliquam alteram naturam quasi subiectum, putà aquam, vel aërem; & sic de aliis secundùm variam opinionem de principiis: quæ principia dicebant rerum substantiam. Deinde cùm dicit:

Hi namque illo modo, illi hoc modo putant naturam se habere. Plato namque, & Pythagorici non aliud aliquid ens, nec vnum, sed hoc ipsorum naturam esse, quasi existente substantia ipsum vnum esse, & ens aliquid. Alij verò de natura, vt Empedocles, vt ad notius reducens, dicit quia vnū & ens est: videbitur enim vtique dicere hoc amorē esse: causa nāque est, hic omnibus vnum esse. Alij verò ignem: alij aërem dicunt esse vnum hoc, & ens ex quo entia

entia esse & facta esse. Similiter autem & qui plura ponunt elementa. Necesse namque & his tot dicere ens & vnum, quot principia dicunt esse.

69

Recitat opinionem ad vtramque partem, & dicit, quòd *hi*, id est, aliqui Philosophi *putant naturam se habere*, scilicet rerum *illo modo: quidam alio modo. Plato namque & Pythagorici non dicunt vnum & ens esse aliquid aliud*, supple à natura rerum, *sed hoc idem naturam esse quasi substantia eorum existente aliquid idem quod est vnum & ens. Alij vero de natura*, id est, Philosophi naturales, *vt Empedocles quasi ad notius reducentes, dicunt quòd est vnum & ens*, id est, quòd attribuunt vnum & ens alicui alteri naturæ; quasi vnum & ens reducentes ad aliquid notius: quod dicebant esse vnum & ens, vnde supple Empedocles, *videtur dicere hoc*, id est, illud quod subiicitur vni & enti *esse amorem, & cuius causa est; quia hic*, scilicet amor, *est causa omnibus*, vt sint vnum: amor enim videtur esse causa vnitatis. *Alij verò* Philosophi naturales, *dicunt esse vnum & ens ignem: alij autem aerem*; *ex quo* tanquam ex principio, *dicunt esse entia facta: similiter autem & qui plura ponunt elementa*, id est, principia, *necesse est namque his tot dicere ens & vnum quot dicunt esse principia.* Vult dicere quòd Philosophi naturales attribuebant vnum & ens alicui naturæ subiectæ, quam ponebant principium substantiale rerum, siue illud principium ponerent vnum, siue plura secundùm varias opiniones positas in primo libro. Deinde cùm dicit:

Varia opiniones antiquorum de ente, & vno.

Accidit autem siquidem quis non ponit esse quandam substantiam vnum & ens, nec aliorum esse vniuersalium nullum: hæc namque vniuersalia sunt maximè omnium. Si verò non est aliquid vnum ipsum; neque ipsum ens, nihil aliorum aliquid erit præter ea quæ dicta sunt singularia. Amplius autem non existente vnius substantia, palàm quia, nec numerus erit quasi natura alia ab existentibus separata: numerus enim vnitates: vnitas verò quod verè vnum aliquid est. Si autem aliquid est ipsum vnum & ens, necesse est substantiam ipsorum esse quod sit ens & ipsum vnum. Non enim aliquid aliud vniuersaliter prædicatur; sed hæc ipsa.

70

Inducit rationes pro vtraque parte. Et primò pro opinione Platonica & Pythagorica. Secundò pro opinione physica quæ fuit aliorum Naturalium. Secunda ibi: *At verò si erit aliquid.* In prima parte intendit talem rationem: Ipsum vnum & ens separatum, vel est quædam substantia, vel non. Si dicatur quòd non, sequitur duplex inconueniens. Primum, quod cùm vnum & ens sint maximè vniuersalia si non sint quædam substantia separata, sequitur quòd nullum vniuersale erit separatum, & per consequens quod nihil sit in rebus præter singularia, quod videtur inconueniens, vt dictum est in præcedentibus quæstionibus. Secundùm inconueniens est: quia cùm numerus non sit aliud quàm vnitates ex quibus componitur: vnitas autem non est aliud quàm ipsum vnum; si igitur ipsum vnum non sit separatum, vt quædam substantia per se existens, sequitur, quòd numerus non erit quædam natura separata ab his, quæ sunt in materia, quod videtur inconueniens secundùm ea, quæ dicta sunt in præcedentibus. Si detur secunda pars diuisionis, scilicet quòd vnum, & ens sit aliquid existens separatum; sequitur quod ipsum sit substantia omnium, de quibus ens, & vnum prædicantur: nam omne separatum existens, quod de pluribus prædicatur, est substantia eorum de quibus prædicatur, quod maximè competit vni, & enti; quæ maximè vniuersaliter de omnibus prædicantur, & per consequens sunt maximè omnium substantia. Dicit ergo, quòd *Si quis non ponit vnum & ens esse quandam substantiam*, scilicet separatam, *accidit nec aliorum vniuersalium vllum esse*, scilicet separatum; *ea namque*, scilicet vnum & ens, *sunt maximè vniuersalia omnium. Si verò vnum & ens non est aliquid separatum, vix aliorum aliquod erit præter ea, quæ sunt singularia*, quod fuit primum inconueniens. *Amplius autem substantia vnius non existente*, scilicet separata, *palàm quia nec numerus erit; quasi natura alia separata ab existentibus*, id est, ab entibus materialibus; *numerus enim est vnitates: Vnitas verò est aliquid, quod est ipsum vnum*, & hoc fuit secundum inconueniens. *Si verò vnum & ens est aliquid*, scilicet separatum, *necesse est vnum & ens esse substantiam eorum de quibus*, scilicet prædicantur; *etenim* pro quia, *non prædicatur vniuersaliter aliquid aliud, nisi ea ipsa*, scilicet vnum & ens, id est, quòd nullum vniuersale sic generaliter de omnibus prædicatur, sicut vnum & ens. Deinde cùm dicit;

Prædicatum esse subiecto idem hic sequitur.

71

SVMMARIVM.

Opinio Philosophorum naturalium, vnum & ens esse ignem, vel aërem. Reiiciuntur iterum ideæ.

At verò si erit aliquid ens ipsum, & ipsũ vnũ multa, erit dubitatio, quomodo erit diuersum aliquid præter hoc? Dico autem quomodo erunt vno plura entia. Quod enim diuersum est ab ente, non est. Quare secundùm Parmenidis rationem accidere est necesse vnum omnia esse entia, & hoc esse ens.

Arguit pro opinione contraria, quæ fuit Philosophorum naturalium, & ponit duas rationes, quarum secunda ponitur ibi: *Amplius si indiuisibile.* Prima in duas, quia primò proponit rationem. Secundò ostendit, quod ex ista ratione difficilis est opinio Platonis. Secunda ibi: *Vtrobique verò difficile.* In prima parte intendit talem rationem: quicquid est separatum ab vno, vel ente, est non ens; sed si ens, & vnum sunt separata ab aliis entibus inferioribus, ipsa inferiora separata ab ente, vel vno; igitur ipsa inferiora essent non entia, quare non possent esse multa: sed ad saluandum ipsa esse entia oportebit redire ad opinionem Empedoclis, scilicet quòd omnia sint vnum, & per consequens tollitur pluralitas ab entibus. Dicit ergo, quòd *at verò si dicitur ipsum ens, & ipsum vnum*, scilicet separata; *multa erit dubitatio, quomodo erit aliquid diuersum præter ea*, scil. præter ens, & vnum. *Dico autẽ quomodo erunt entia plura vno*, quod enim diuersum est ab ente, nõ est: *quare secundùm rationem Parmenidis necessè est accidere omnia entia esse vnum*, scil. vnum esse ens, & nihil aliud, quod scil. est absurdum. Deinde cùm dicit:

Ens & vnum non esse separata ab inferioribus.

Al. Parmenidis.

Numerus & vnitas quid?

Vtrobique

72

Vtrobique verò difficile: siue namque non sit vnum substantia, siue sit ipsum vnum, substantiam esse numerum est impossibile. Siquidem igitur non sit: dictum est priùs propter quid. Si autem fuerit, eadem est dubitatio, & de ente. Ex aliquo namque, & prèter vnum erit ipsum aliquod aliud vnum. Nihil enim esse est necesse. Omnia autem entia, aut vnum sunt, aut multa, quorum est vnum vnumquodque.

Ostendit quòd ex ista ratione accidit difficultas in opinione Platonis, dicentis ipsum vnum esse rerum principium; & substantiam. Dicit ergo; quòd *vtrobique*, id est, ex vtraque parte est difficile, scilicet siue dicatur, quòd ipsum vnum non sit scilicet substantia, separata: siue quòd sit. Nam supple quodcunque detur, *impossibile est numerum esse substantiam* rerum, quod exponit: quia si non, id est, *si vnum non sit substantia* separata, *dictum est prius*; quia, scilicet numerus non erit rerum substantia cum hoc posito non potest esse separatus: *quod si est*, scilicet vnum substantia separata, *eadem est dubitatio, & de ente*: sicut scilicet & de vno, *ex aliquo namque prater ens erit hoc aliud vnum*; id est quod si vnum, & ens sunt separata, & substantia rerum, quicquid erit præter vnum, & ens separatum, erit nihil; ergo si ponatur aliud vnum præter vnum separatum: puta aliquod vnum materiale, tale vnum erit nihil, cum sit præter ens, & vnum, quod est substantia rei: ideo subdit, quòd *nihil enim necesse est esse*: ex isto ergo vno materiali, & secundario cum sit nihil, non poterit constitui multitudo in entibus, & tamen omnia entia, aut sunt vnum, aut multa; quorum quodlibet est vnum: quia ex vno, & ente constituitur multitudo entium: Ideo subdit; *omnia autem entia, aut vnum, aut multa quorum quodlibet est vnum.*

73 *Plato siue ponat separationem vnius siue non, incidit in absurdum.*

Vis istius rationis est, quòd Plato quicquid det de separatione vnius, non potest euadere inconueniens, vel contra se, vel contra veritatem simpliciter: nam si ipsum vnum non ponatur separatum, sequitur quod nec numerus erit separatus, cum numerus ex vnitatibus constituatur; & tunc sequitur, quod non sit rerum substantia, cum secundùm eum nihil sit rerum substantia, nisi sit aliquid separatum. & hoc contradicit suæ positioni: nam ponit numerum substantiam rerum esse. Si verò vnum ponatur separatum: eadem ratione & ens, & tunc, vel aliquid erit vnum præter vnum separatum, vel non: si non; ergo omnia erunt vnum, vt ait Parmenides, & sic tollitur multitudo ab entibus: si verò sit dare aliquid vnum quasi secundarium, & materiale præter vnum separatum, tale vnum erit nihil; cum sit præter ens, & vnum quæ sunt separata, & ponuntur rerum substantia, & per consequens ex tali vno non poterit causari entium multitudo, & sic idem quod prius. Deinde cùm dicit;

Ampliùs, si indiuisibile est vnum ipsum secundum Zenonis dignitatem, nihil vtique erit. Quod enim nec additum, nec ablatum facit maius, nec minus: non ait hoc esse existentium. Tanquam palam, quod existente magnitudine ipso ente; etsi magnitudo corporalis: hoc enim omnino ens. Alia verò aliqualiter quidem addita faciunt maius: aliqualiter autem nihil, vt superficies, & linea. Punctum verò & vnitas nullatenus.

74

Ponit secundam rationem. Circa quam tria facit. Quia primò præmittit rationem. Secundò subiungit eius solutionem. Tertiò describit difficultatem, quæ adhuc remanet Platonicis post datam solutionem. Secunda ibi: *Sed quoniam hoc speculatur.* Tertia ibi: *Sed quomodo ex vno.* In prima parte intendit talem rationem: Si vnum separatum ponitur; ergo vnum separatum nihil est: consequens est falsum, & includens oppositum in adiecto. Consequentia probatur, ab auctoritate Zenonis cuius principium fuit, quia illud, quod additum alteri, vel remotum, non facit maius, vel minus, est nihil, & per consequens, quòd omne ens est aliqua magnitudo, & magnitudo corporalis: quia talis propriè facit maius, vel minus; sed vnum cùm sit indiuisibile, non facit maius, vel minus additum alteri, vel ablatum, & per consequens vnum, sicut & punctus, est nihil. Dicit ergo, quòd *ampliùs, si vnum est indiuisibile, sequitur quòd erit nihil secundùm Zenonis dignitatem*, id est, principium. *Quòd enim nec additum, nec ablatum facit maius, vel minus, non dicit esse existentium*, id est, de numero entium: *tanquam palam sit* secundùm eum: quia in omni ente *existente* mensura, id est, *magnitudine*: cum enim omne ens sit magnitudo corporalis: *hoc enim*, scilicet corpus *est omnino ens*, ex eo, scilicet quòd secundùm quamlibet partem facit maius, & minus additum alteri, vel ablatum, cùm habeat omnes dimensiones: *alia verò*, scilicet à corpore *aliqualiter addita faciunt maius, aliqualiter autem non, vt superficies, & linea*: quia scilicet superficies facit maius, scilicet secundùm longum, vel latum; non tamen secundùm profundum: linea verò secundùm longum tantum: *punctum verò, & vnitas nullatenus*; quare sequitur secundùm Zenonem, quòd punctus, & vnitas sint omnino nihil: superficies autem, & linea sunt aliqualiter ens, & aliqualiter non ens: corpus verò est omninò ens. Deinde cùm dicit:

Principium Zenonis. Si ens ponitur separatum, sequitur, quid erit nihil.

Sed quoniam hic speculatur onerosè, & contingit esse indiuisibile, vt & sic ad illum aliqua habeatur responsio: maius enim non faciet, sed plus additum tale.

75 *Indiuisibile facit, plus non autem maius.*

Ponit dictæ rationis solutionem, dicens, quòd *quoniam ipse* Zenon *ponderosè*, id est, grossè, & ruditer, *speculatur hoc*, scilicet tale principium, scilicet quòd *nullum indiuisibile contingit esse*: ideò supple oportet, *vt habeatur responsio ad illum*, id est, ad hominem: licèt non sit responsio quantum ad rem, vt dicamus, quòd *tale* indiuisibile *additum alteri non faciet maius, sed faciet plus*, & hoc sufficit ad rationem entis: nam in continuis est ens, quod facit maius, & in discretis ens, quod facit plus. Quare non sequitur, quòd indiuisibile sit non ens. Deinde cùm dicit;

S V M M A R I V M.

Duæ difficultates contra Platonicos, ponentes vnum esse principium numeri, & magnitudinis. Resolutio, ens, & vnum dicere eandem naturam, & substantiam cum rebus, vide Doct. 4. huius, q. 2.

Sed quomodo ex vno tali, aut pluribus erit magnitudo? Simile namque est, & lineam ex punctis esse dicere.

Ponit duas difficultates, quæ sequuntur Platonicos post datam solutionem: quarum secunda ponitur ibi: *At verò si quis.* Dicit ergo, *sed quomodo ex tali vno, aut pluribus erit mensura*, id est magnitudo? quasi diceret esse impossibile: *nam simile est hoc, & dicere lineam ex punctis.*

Positio Platonicorum de indiuisibili.

Notandum, quòd Platonici illud vnum indiuisibile dicebant esse causam non solùm numeri; sed etiam magnitudinis: cócesso ergo, quòd vnum additum alteri faciat plus, vt sic sit causa sufficiens numeri; non tamen videtur posse dici, quòd sit causa magnitudinis, vt Platonici posuerunt. Vt, scilicet ex vno indiuisibili, vel ex pluribus talibus constituatur magnitudo: nam hoc dicere simile est, ac si dicatur lineam componi ex punctis: nam tam vnitas, quàm punctus indiuisibilia sunt. Deinde cùm dicit:

At verò & si quis ita putat factus sit, vt quidam dicunt, ex vno ipso, & alio non vno aliquo numerus, nihil minus est quærendum, quare, & quomodo quandoque quidem numerus: quandoque autem magnitudo erit, quod factum est: si non vnum inæqualitas, & eadem natura erat. Nec enim quomodo ex vno, & hac; nec quomodo ex numero aliquo, & hac fient vtique magnitudines palàm.

96

Quomodo ponebant Platonici constitui numerũ, & magnitudinem?

Ponit secundam difficultatem. Ad cuius euidentiam notandum, quòd aliqui Platonici opinati sunt numerum constitui ex vno indiuisibili, & ex aliquo alio, quod est vnum formaliter: sed participat vnum sicut quædam natura materialis, & illud tale aliqui dicunt esse magnitudinem: nominabant enim illud quandam inæqualitatem, vel inæquale: iterum Plato ponebat ex isto materiali inæquali, & aliquo numero formali fieri magnitudines; sic quòd ex primo numero, qui est dualitas, fiebat alius numerus: ex quo alio numero, & aliqua inæqualitate fiebat magnitudo. Contra hoc dicit hîc Philosophus, quòd ex tali positione dubium est, & difficile quomodo ipsæ magnitudines possent constitui ex ipso vno indiuisibili, vel numero formali, & ex aliquo materiali, quod dicunt inæqualitatem quandam. Dicit ergo, quòd *at verò si quis ita suscipiat*, id est opinetur, *vt dicunt quidam*, scilicet Platonici, quòd *numerus fiat ex ipso vno, & aliquo alio non vno, nihil minus est quærendum quare, & quomodo quandoque quidem numerus, quandoque verò mensura*, id est *magnitudo erit, quod factum est*, scilicet ex talibus principiis, *si eadem natura quæ est inæqualitas non est vnum, nec est etiam palàm quomodo ex vno, & hac*, scilicet natura materiali, *fiant mensura, & magnitudines.*

Veritas quæsiti. Ens, & vnum non sunt separata à rebus.

Veritas huius quæstionis colligitur ex quarto huius, vbi probatur, quòd ens, & vnum dicunt eandem naturam, & substantiam cum rebus: quia idem est homo, & vnus homo, & ens homo; & per consequens non sunt separata à rebus: quia substantia vniuscuiusque non est separata ab eo cuius est.

Aduertendum tamen, quòd vnum est duplex; quoddam est passio conuertibilis cum ente, de quo loquitur Aristoteles quarto huius, text.co.3. vbi probat illud quod dictum est. Aliud est vnum, quod est principium numeri, quod quidem significat rationem mensuræ primò & per se: ita quòd ex tali vno deriuatur ratio mensuræ ad alia genera; sicut habetur 10. huius, cap.2. text.com.2.c.3.4. huius. Platonici verò, vt ait Commentator, non distinguebant inter vnum, quod conuertitur cum ente, & quod est principium numeri, & ideo dicentes vnum esse substantiam rei, ponebant numeros esse consequenter substantias rerum, inquantum ex pluribus vnitatibus substantialibus componuntur.

Vnum duplex, id est, quod est passio entis, & illud quod est principium numeri.

Nec rationes ad oppositum cogunt: nam illa ratio, qua putat se concludere inconuenientia, non concludit inconuenientia: nam verum est, quod nullum vniuersale est præter singularia separatum, quod fuit primum inconueniens; nec numerus est rerum substantia, loquendo de numero quomodo ipsi loquuntur, qui causatur ex diuisione continui, & est de genere quantitatis.

SVMMÆ SECVNDÆ CAP. IV.

An numerus, & magnitudo sint substantiæ, necne?

SVMMARIVM.

In prima parte huius capitis vsque ad §. *At verò si hoc:* ponitur sententia ponens numerum, corpora, superficies, seu puncta, esse substantias sensibilium. Varij modi explicandi huius sententiæ.

His autem habita est dubitatio, vtrùm numeri, & corpora, & superficies, & puncta substantiæ aliquæ sunt, aut non?

Text. co.17

77

Postquam Philosophus inquisiuit quomodo vnum & ens se habeant in ratione principij, nunc inquirit vtrùm ea, quæ ex vno oriuntur, secundùm opinionem Platonis, puta Mathematica, sint principia? Circa quod duo facit: Quia primò quæstionem proponit. Secundò ad quæstionem arguit. Secunda ibi: *Nam si non.* Dicit ergo, quòd *est quædam dubitatio habita*, id est consequenter se habens *his* quæ dicta sunt: *vtrum numeri, & corpora, & superficies, & puncta sint aliquæ substantiæ* istorum sensibilium, & supple separatæ, vel non?

11.q. Hæc.q est 13. superius assignata ex parte considerátorum.

Notandum, quòd dicit istam quæstionem esse habitam ad prædictam: quia in dubitatione prædicta, quærebatur, vtrùm vnum sit substantia rerum, vnũ verò est principiũ numeri: numerus verò videtur substantia magnitudinis, sicut & pũctum, quod est principium magnitudinis secundùm Platonicos: punctum quidem videtur esse vnitas habens positionem, & linea dualitas habens positionem, & superficies ternarius habens positionem, & corpus quaternarius habens positionem: hæc enim videtur fuisse opinio Platonis; vt habetur 1. de Anima, text.co.68.

Quantitas continua fit ex discretis, secundùm Platonem hoc dicit.

Nam si non sunt, diffugit nos quidnam sit ipsum ens, & quænam entium substantiæ? Passiones enim, & motus, & ad aliquid, & dispositiones, & orationes nullius videntur substantiam significare: dicuntur enim omnia de subiecto aliquo, & nihil hoc aliquid. Quæ verò maximè substantiam significare videntur:

tur: aqua, & ignis, & terra ex quibus composita corpora constant; horum calores quidem, & frigiditates, & similes passiones non sunt substantiæ. Corpus verò hoc patiens solùm remanet, vt ens aliquod, & substantia aliqua existens.

78

Arguit ad quæstionem: & primò ad partem affirmatiuam. Secundò ad partem negatiuam. Secunda ibi: *At verò si hoc quidem.* Prima in duas: quia primò inducit rationes. Secundò ex rationibus concludit quoddam consequens. Secunda ibi: *Propter quod multi.* Prima in duas, secundùm duas rationes: quarum prima principaliter arguit de corpore, quòd sit substantiale principium entium: secunda de aliis Mathematicis à corpore, quòd sint magis principia quàm corpus. Secunda ibi: *Sed corpus est.* Dicit ergo, quòd *si* supple prædicta Mathematica *non sunt*, id est substantiæ rerum: *diffugit à nobis quid sit ipsum ens* substantialiter, *& quæ namque sunt substantia entium: etenim*, pro quia, *passiones, & motus, & ipsum ad aliquid*, id est, relationes, *& dispositiones, & orationes* prout scilicet prolatæ ponuntur de genere Quantitatis, *nullam substantiam videntur significare: dicuntur enim omnia de aliquo subiecto, & nihil hoc aliquid*, id est, nullum eorum significat hoc aliquid, id est, substantiam: *quæ verò maximè videntur significare substantiam, sunt aqua, ignis, terra, ex quibus constant corpora composita*, id est, mista: in quibus corporibus inueniuntur aliquæ dispositiones & accidentia: sed *horùm calores & frigiditates & similes passiones non sunt substantia: corpus verò hoc patiens vt subiectum solùm remanet, vt aliquod ens & substantia aliqua existens*, ex quo sequitur quòd corpus sit principaliter principium substantiæ rerum.

Al. At vero corpus.

Notandum quòd in numerando elementa prætermisit aërē, propter hoc, quia est minus sensibilis, vnde aliqui opinati sunt aërem nihil esse, dicentes plenum aëre vacuum esse, vt habetur 4. Physicorum, text. co. 52. ipse etiam Arist. secundo de Anima, cap. de Sono, text. co. 81. nominat ipsum aërem vacuum, vtens modo loquendi antiquorum. Deinde cùm dicit;

Quare enumerando elementa, hic prætermisit aërem?

At verò corpus est minùs substantia superficie, & hæc linea, & hæc vnitate, & puncto: his enim diffinitur corpus. Et hæc quidem sine corpore contingere videntur esse: corpus verò sine his est impossibile.

79

Ponit secundam rationem probantem ipsa Mathematica magis esse substantiā rerum, quàm ipsum corpus dicens: quòd *corpus est minus substantia superficie*, id est, quàm superficies: *& ea*, scilicet superficies *minus quàm linea, & ea linea minus quàm vnitas vel punctus.* Ad quod probandum innuit medium duplex. Tum primò, quia illud per quod aliquid diffinitur, videtur eius substantia; cum diffinitio sit indicatiua substantiæ: sed corpus diffinitur per superficiem, & superficies per lineam, & linea per punctum & punctus per vnitatem, nam punctus est vnitas posita; ergo superficies erit substātia corporis; ideò dicit, quòd *his enim diffinitur corpus*: Tum secundò, quia illud quod est prius, videtur magis esse substantia; sed superficies est prior naturaliter quàm ipsum corpus: eodem modo potest argui de aliis speciebus quantitatis per ordinem; ideò dicit, quòd *hæc quidem videntur esse contingere sine corpore: corpus verò impossibile est esse sine his.* Deinde cùm dicit:

Diffinitio est substantia diffiniti.

Quibus diffinitur corpus?

Propterea multi quidem & priores substantiam & ens putabant corpus: alia verò huiusmodi passiones: quare & principia corporum entium esse principia. Posteriores verò & sapientiores his esse opinabātur numeros. Quemadmodum ergo dicebamus: si non sunt substātia hæc, omnino nulla substantia est; nec ens nullum: non enim horum accidentia dignum est vocare entia.

80

Concludit quoddam consequens ex prædictis dicens, quòd propter prædictas rationes *multi* antiquorum maximè *priores* Philosophi *substantiā & ens putauerunt corpus esse*, id est, quòd nihil putabant esse ens, vel substantiam nisi corpus: *alia verò* omnia *esse passiones* & accidentia *huius*, scilicet corporis: *vnde principia corporum* dicebant *esse principia entium, vnde sicut dictum est* in libro primo, volentes inquirere principia entium, inquirebant principia corporum: *posteriores verò*, id est, alij Philosophi posteriores, qui putati sunt *sapientiores esse quàm isti, opinabantur numeros*, scilicet esse rerum substantiam: isti fuerunt Pythagorici, & Platonici: inquantum enim numeri componuntur ex vnitatibus, vnum autem videtur esse rerum substantia, consequenter numerum posuerunt esse rerum substantiam. Epilogat ergo, *quòd quemadmodum dicebamus, si non sint substantia*, id est, Mathematica dicta scilicet numeri, lineæ, superficies & corpora, *nulla omnino sunt substantia, nec ens: non enim est dignum accidentia horum vocare entia*, scilicet ipsa non sunt entia: & hoc supple secundùm opinionem dictorum Philosophorum. Deinde cùm dicit:

Quare Platonici & Pythagorici numerum constituerunt rerum substantiam?

SVMMARIVM.

Prædicta Mathematica non esse principia rerum. Quod dicitur ratione tertia, superficiem externam tantùm esse in actu, intelligitur quoad terminationem: quia internæ superficies continuant, & idem est de aliis indiuisibilibus internis.

AT verò si hoc quidem confessum est: quia magis sunt substantia longitudines corporibus, & puncta. Hæc autem non videmus qualium vtique erunt corporum; nam in sensibilibus impossibile esse non vtique erit substantia nulla.

81

Arguit ad partem oppositam negatiuam per quatuor rationes; sed quæ sequuntur non sunt directè ad partem negatiuam quæstionis: sed contra hoc quod conclusum est in secunda ratione præcedente, scilicet quod alia Mathematica à corpore, sunt magis principia quàm corpus, cuius oppositum probant istæ quatuor rationes, & ex hoc sequitur propositum: quia si quod magis videtur esse, non est; nec illud quod mi-

nus; ergo si alia Mathematica à corpore non sunt principia, de quibus magis videtur secundum eos; multominus corpus erit principium de quo minus videtur. Secunda ratio ponitur ibi: *Amplius ea.* Tertia ibi: *Adhuc autem.* Quarta ibi: *Nam ad dicta*, vel *nam cum dictis*, vt habet alia littera. In prima parte intendit talem rationem: Longitudines & puncta non sunt substantia rerum; ergo nec corpus. Consequentia patet à maiori, si aliquis scilicet opinetur longitudines & puncta esse magis substantiam, quàm corpus. Antecedens probatur, quia hæc sunt accidentia corporum, nam punctus est terminus lineæ, & linea superficiei &c. sed ista non possunt esse substantia, quia sunt termini corporum sensibilium, & variantur circa idem subiectum, sicut alia accidentia; ergo nihil talium erit substantia. Dicit ergo, quòd *at verò si hoc quidem aliquis confitetur quòd longitudines corporum & puncta sint magis substantia quàm*, scilicet corpora: *non videmus qualium corporum sunt ea*, scilicet linea, superficies &c. quæ ponuntur esse substantia: *nam si sint in sensibilibus corporibus, impossibile est* talia esse substantias propter dictam causam, *non vtique nulla substantia erit.* Deinde cùm dicit:

81. *Corpus non esse substantiam rerum.*

Amplius hæc omnia videntur dimensiones esse corporis, hoc quidem ad latitudinem, hoc verò ad profunditatem, illud ad longitudinem.

Ponit secundam rationem quæ talis est: Dimensiones corporis non sunt substantiæ, sed omnia prædicta sunt quædam dimensiones corporis: puta superficies secundùm latitudinem, linea verò secundùm longitudinem; corpus autem secundùm profunditatem; ergo huiusmodi talia non erunt substantia; ideò dicit quòd *omnia hæc videntur esse dimensiones corporis, hæc quidem ad latitudinem: illa vero ad profunditatem & aliud ad longitudinem*, modo præexposito. Deinde cùm dicit:

Dimensiones corporis non possunt esse substantia.

Adhuc autem similiter inest in solido quæcunque figura. Quare si nec in lapide Mercurius, nec medietas cubi in cubo sit vt segregata; igitur nec superficies: nã si quæcunq; & vtiq; hæc erit determinans medietatẽ; eadem autẽ ratio est & in linea, & in puncto, & vnitate. Quare si maximè quidem substantia est corpus: hoc autem magis hæc. Nec sunt autem hæc, nec substantiæ aliquæ, diffugit quid est ens, & quæ substantia entium.

82

Ponit tertiam rationem quæ talis est: Omnis substantia est actu in eo cuius est substantia: sed superficies, & alia Mathematica, non sunt actu in eo cuius ponuntur esse substantia, ergo non sunt veræ substantiæ. Maiorem declarat ex eo quòd omnes figuræ sunt potentialiter in corpore solido, puta in lapide, vel in ligno, & nulla est in actu, nec per consequens superficies est in actu quæ nata est terminare talem figuram, quæ est ibi in potentia; nulla enim superficies est actu in corpore, nisi illa tantùm, quæ actu terminat ipsum corpus continuum: quam non constat esse substantiam. Dicit ergo quòd *adhuc autem quæcunque figura est in solido*, id est, in corpore: *similiter*, scilicet in potentia; *quare si nec in lapide est Mercurius*, id est figura Mercurij: *nec medietas* corporis *cubi est in cubo sicut segregata*, id est, diuisa in actu: sed supple vtrunque tam Mercurius in lapide quàm medietas cubi in cubo sunt ibi in potentia & non in actu: quia inquam sic est *non igitur erit superficies* in actu, illa scilicet, cuius est terminare figuram vel medietatem cubi: *nam si quæcunque* superficies præter exteriorem habet esse ibi in actu, *ergo & ista quæ terminat medietatem* vel figuram medietatis, quod supple falsum est. Addit autem quòd *eadem ratio est in linea & in puncto & in vnitate*; quòd scilicet non sunt actu in continuo. Concludit ergo, si omnia dicta Mathematica *sunt substantiæ, maximè quidem substantia est corpus: hæc autem*, scilicet linea & superficies, & alia præter corpus: oportet *magis eo*, id est, corpore esse substantias, & magis videntur esse substantiæ: quare *si ea non sunt*, scilicet in actu & per consequens non *sunt aliquæ substantiæ, diffugit*, scilicet cognitionem nostram: vt scilicet *videatur quid sit ipsum ens*, vel *substantia entium.* Et nota quòd corpus cubum vocatur corpus, quod habet sex superficies vt taxillus. Deinde cùm dicit:

Notabile de partibus, figuris, dimensionibus, & terminis continuorum duplicibus, sed omnia tamen expone.

Corpus cubi quid?

Nam cum dictis & circa generationem & corruptionem accidunt irrationabilia. Videtur enim substantia non ens prius nunc esse, aut prius existens, posterius tamen non per fieri & corrumpi hoc pati. Puncta verò & lineas, & superficies non contingit, neque fieri, neque corrumpi, quandoque quidem existentes, quandoque verò non existentes: nam quando copulantur, aut diuiduntur corpora simul: quandoque quidem vna copulatorum, quandoque verò duæ diuersorum fiunt. Quare non compositorum est, sed corruptum est diuisorum, quia sunt prius non existentes. Non enim indiuisibile punctum diuisum est in duo. Et si generantur & corrumpuntur, ex aliquo generantur.

83

Ponit quartam rationem. Circa quod duo facit: quia primò præmittit rationem. Secundò declarat eam per quoddam simile. Secunda ibi: *Similiter autem se habet.* In prima parte intendit talem rationem: Omnis substantia quæ aliquando est, aliquando non est, generatur & corrumpitur: sed linea puncta & superficies aliquando sunt, aliquando non sunt sine generatione & corruptione; ergo talia non sunt substantia. Prima pars minoris patet: quia si corpus aliquod diuiditur, fiunt ibi nouæ duæ superficies, quæ prius non erant: similiter cum duo corpora vniuntur & continuantur, ex duabus superficiebus, fit vna communis, licèt in potentia, ad quam vt communem partes continui copulantur; & nulla est in actu: quæ superficies prius erant postea non sunt. Secunda pars minoris probatur, quia omne quod generatur, vel corrumpitur, habet materiam: sed hæc non habent materiam, propter sui simplicitatem, ergo talia sunt, & nõ sunt sine generatione & corruptione. Dicit ergo, *nam cum dictis*, scilicet inconuenientibus, alia scilicet *accidunt irrationabilia*, quæ sunt circa *generationem & corruptionem*; *videtur enim substantia prius non ens, & nunc esse, aut prius existens*

Linea, puncta superficies aliquãdo sunt, sicut aliquando non sunt sine generatione & corruptione.

existens, posterius autem non cum generatione & corruptione *ea pati*, id est, quòd omnis substantia, quæ habet esse post non esse cum generatione & corruptione patitur, *puncta verò, lineas & superficies non contingit*, *id est, generari nec corrumpi: quondoque quidem existenies; quandoque non existentes. nam quando copulantur & distinguuntur carpora simul*, id est, ad inuicem, *quandoque quidem vna*, scilicet fit superficies *copulatorum, quandoque fient dua disiunctorum. quia non compositorū est; sed corruptum est diuisorum*, quæ sunt priùs non existentes, id est, quòd diuiso corpore fiunt duæ superficies: non ex illa diuisa in duas, cùm superficies sit indiuisibilis; sed illa prima desinit esse, & quando ex duobus corporibus fit vnum coniunctum, non fit vna superficies ex duabus, sed illæ duæ primæ existentes desinunt esse, & sunt non existentes, ideò subdit, quòd *punctum indiuisibile non est diuisum in duo*, id est, quod simile est de puncto, & de linea sicut de superficie, nā sicut superficies non potest diuidi in duas cùm sit indiuisibilis secundùm profunditatem, sic nec linea in duas, cùm sit indiuisibilis secūdùm latum: similiter & punctum, cùm sit indiuisibile omnino, non potest diuidi in duo puncta. Addit autem ad probandum quòd talia sunt, & non sunt sine generatione & corruptione, dicens: *quia si generantur & corrumpuntur, ex aliquo generantur*, scilicet ex materia: quod supple de talibus non potest dici. Deinde cùm dicit:

84
Hic argumētū quod quātitates sūt respectus, sed oppositum tenendo tange hac plura.
Al. ex vna

SVMMARIVM,

Declarat quomodo dicitur linea non generari, nec corrumpi, exēplo nūc temporis, quod manet idē secundùm substātiam, licet varietur secundùm esse. Doctor ex ipso lib. 13. & 14. docet prædicta Mathematica non esse substantias, sed accidentia rerum: ex ipso etiam explicat, quomodo idem nunc temporis, secundùm substantiam dicatur manere, & variari, secundùm esse, licèt verè nullum instans temporis maneat, de quo fusè agit 2. d. 2. q. 2. §. *Instatur contra*. num. 4. Quod hîc ait mobile secundùm se non mensurari tempore, sed æuo, ibi docet quæst. 4. §. *Primum essentialiter*. num. 9.

Similiter autem se habet circa nunc in tēpore: non enim hoc contingit fieri & corrumpi; attamen videtur aliquid semper esse, non substantia aliqua existens. Similiter autem palàm quia se habet & circa puncta, & lineas, & superficies: eadem enim ratio: nam omnia similiter, aut termini, aut dimensiones sunt.

Declarat dictam rationem in quodam simili, scilicet in *nunc* respectu temporis. Et innuit talem rationem: Sicut se habet *nunc* ad tempus, ita se habet punctus ad lineam: sed *nunc* nec generatur, nec corrumpitur, est tamen idem secundùm substantiam, licèt varietur secundùm esse; ergo similiter punctum non generabitur nec corrumpetur: & similiter est de linea respectu superficiei: & sic de superficie respectu corporis: nam sicut *nunc* est terminus temporis & quædam diuisio pro quanto tempus diuiditur per *nunc*: ita punctum est terminus & diuisio lineæ, & linea superficiei, & superficies corporis. Dicit ergo quòd *similiter se habet circa* nunc *in tempore: non enim contingit hoc vel fieri vel corrumpi*: quia supple si sic, generatio eius, vel corruptio eius, mensuraretur tempore, vel instanti: & sic mensura illius *nunc* esset aliud *nunc* in infinitum, vel tempus: quod est impossibile. Addit autem quod *nunc* ipsum *videtur semper esse aliud* quantum ad esse: *substantia tamen eius non est alia & alia existens; palam autem quia similiter se habet & circa puncta, & lineas & superficies* modo præexposito: *eadē enim est ratio: nam omnia similiter sunt termini aut dimensiones.*

Nunc ingenerabile & incorruptibile manet idem in toto tempore.

Veritas huius quæstionis est, quòd ista Mathematica non sunt substantia rerum, sed accidentia, sicut Philosophus ostendit 13. & 14. libro huius, vbi istam quæstionem prolixiùs pertractat: nec ratio ad oppositū cogit: nam fallit secundùm æquiuocationem, non distinguens de corpore, secundùm quod est de genere Substantiæ, vel de genere Quantitatis: sicut patet per exempla quæ adducit, aquæ, ignis, & terræ, &c. quæ sunt corpora de genere Substantiæ, composita ex materia & forma: ipsæ autem dimensiones, quæ sequuntur talia corpora, non sunt substantiæ, sed magis pertinent ad genus quantitatis: sic enim decipiebantur ponentes numeros substantiam rerum: quia non distinguebant inter vnum, quod est principium numeri, & quod conuertitur cum ente, vt superiùs dictum fuit.

85
Veritas quæsiti.

Corpus duplex.

Notandum, quòd ex illo loco, & ex 4. Physic. capitulo de tempore, text. com. 90. oritur vna opinio satis communis, quòd scilicet *nunc* est idē secundùm substantiam in toto tempore; licèt sit aliud & aliud secundùm esse, vt hîc & 4. Physic. vt suprà videtur dicere Philosophus expresè, quod declaratur sic: quia substantia ipsius *nunc* respondet substantiæ ipsius mobilis: variato autem ipsius *nunc* secundùm esse, respondet variationi motus: vnde secundùm defluxū motus variatur, & ita secundùm esse; licèt maneat idem secundùm substantiam, propter identitatem mobilis in toto motu. Sed contra istam opinionem, inquantum verba videntur sonare, arguitur per duas rationes Philosophi. ex 4. Physic. text. com. 92. primò sic: Illa dicuntur simul, quæ sunt in eodem *nunc* indiuisibili; si ergo idem est *nunc* in toto tempore; ergo illa quæ fuerunt ante millesimum annum, & quæ sunt hodie, erunt simul, quod est euidenter falsum. Respondetur, quòd omnia possunt esse in eodem *nunc* realiter; sicut vnum & idem mobile realiter per suum motum habet esse in omnibus partibus spatij: non tamen omnia sunt in eodem *nunc* secundùm rationem, sicut nec est idem mobile secundùm rationem, prout habet esse in diuersis partibus spatij. Contrà, quia vniformitas simultatis accipienda est, vt correspondeat identitati ipsius *nunc*: vt quæ sunt in eodem *nunc* realiter, sunt simul realiter, & quæ sunt in eodē *nūc* secundùm rationem, sunt simul secundùm rationem; si ergo in toto tempore est idem *nunc* realiter alterum, secundùm rationem eius, illa quæ fuerunt in millesimo anno & quæ sunt hodie, erunt simul realiter & secundùm veritatem, licèt non sint simul secundùm rationem, quod nullus sanæ mentis diceret, vt videtur.

Totam hanc literā habet Doct. 2. d. 2. q. 2.

Arguit cōtra opinionē ponentem nunc esse idem secundùm substantiam in toto tempore.

Præ

Præterea secundò sic: Cuiuslibet continui sunt duo termini distincti: sed tempus est quoddam continuum, cuius termini sunt ipsa *nunc*, ergo ipsa sunt distincta. Ista ratio declaratur, quia ipsũ *nũc* secundùm substantiam est aliquod indiuisibile de genere Quantitatis. Tunc quæro cuius continui est terminus; vel cuius discreti pars: quia omne indiuisibile quod est per se de genere Quantitatis, vel est terminus continui, vel pars discreti: si ponatur pars discreti, ergo tempus ponitur discretũ, quod Philosophus non concederet propriè loquendo: si ponitur terminus continui, ergo oportet quòd sit aliud secundùm quod terminat aliam, & aliam partem continui, quod est propositum. Respondetur quòd vnum & idem *nunc* secundùm rem potest terminare aliquod tempus ex vtraque parte: sicut vnum, & idem mobile per suum motum terminat aliquod spatium ex vtraque parte: quia priùs existens in principio alicuius spatij fit posteà per motũ in fine illius spatij. Cõtra, quia ista esse accidunt illi *nunc* eidẽ secundùm substantiam & secundùm rem, quia per te illud *nunc* manet idem sub diuersis *esse*, & per consequens ista *esse* accidunt sibi; ergo non per se, sed per accidens erit terminus temporis, quod est falsum: nam omne indiuisibile de genere Quantitatis per se terminat quantitatem, vel est pars discreti: quare sequitur quòd tale idem *nunc* non sit indiuisibile per se in genere Quantitatis.

Præterea ista *esse* quæro cuius generis sunt: si sunt indiuisibilia de genere Quantitatis, ergo sufficiunt ad terminandum proprium continuum absque illo *nunc* secundùm substantiam, quod nullus diceret: si autem sunt alterius generis, putà Qualitatis, ergo qualitas erit per se ratio terminãdi continuum in genere quantitatis, quod est falsum. Videntur ergo rationes Philosophi stare, nec ipse eas aliquando soluit, sicut patet inquirenti capitulum de tempore in 4. Physicorum.

Præterea ad principale: Si idem *nunc* secundùm substantiam flueret per totum tempus; ergo totus eius fluxus componeretur ex indiuisibilibus, & per consequens tempus secundùm eos *nunc* fluens causat tempus: consequens est falsum manifestè, ergo antecedens. Probatio consequentiæ, quia *nunc* indiuisibile non posset fluere nisi secundùm diuersa esse, quę necessariò sunt indiuisibilia: probat autem Philosophus 6. Physic. text. com. 89. quòd indiuisibile non potest moueri: quia tunc motus eius componeretur ex indiuisibilibus: quia priùs pertransiret minus quàm æquale sibi & quàm maius: esset ergo tempus compositum ex indiuisibilibus, quod est contra Philos.

Præterea, omnis mutatio habet aliquam mensuram: si ergo idem *nunc* secundùm substantiam mutatur secundùm diuersa esse, oportet eius, & suorum esse quærere aliquam mensuram: sed illa, vel erit tempus, vel *nunç*.

Conclusio dubij respõsiua.

Dicendum ergo aliter, quòd *nunc* est aliud, & aliud secundùm substantiam in toto tempore, sicut est aliud & aliud punctum in tota linea. Sed ad saluandum Philosophum, quia videtur prima fecie dicere oppositum; Notandum, quòd non est intentio Philosophi, quòd idem *nunc* maneat in toto tempore; sed quodcunque *nunc* de pluribus consideratum secundùm se est idem, & hoc est dicere idem secundùm substantiam: consideratum autem in ordine ad tempus præteritum, & futurum, cùm sit terminus præteriti, & principium futuri, distingui dicitur secundùm esse: quia alia est ratio termini, & alia principij. vt sic ergo vnũ nunc habet identitatem secundùm substantiam, hoc est, ad se, & habet distinctionem secundùm esse respectu partium temporis, & non est tanta identitas ipsius *nunc* in toto tempore, cùm illa sint infinita, quanta est identitas vnius instantis: igitur instans in toto tempore verè est aliud & aliud, secundùm substantiam. Et ad hoc valet declaratio Philosophi, quam isti adducunt pro se de mobili, quòd manet idem non quidem mobile, vt absolutè præcedit mutationem: quia hoc modo non est tempus mensura eius, nec aliquid pertinens ad tempus: sed fortè, vt sic æuum est mensura eiusdem, de quo aliàs: sed mobile, vt est sub vna mutatione, est idem secundùm substantiam, id est, secundùm esse istius mutationis consideratæ secundùm se: est autem aliud secundùm esse, hoc est, vt sub illa mutatione terminat præteritum & initiat fururum, & secundùm hoc dicitur alibi, & alibi esse, non quidem actu; sed in eodem vno *nunc* medio inter extrema; in quantũ illud terminat motum secundùm prius *vbi*, & inchoat motum secundùm posterius *vbi*: dicitur alibi & alibi esse, quatenus mutari est aliquid respectu vtriusque extremi.

87 *Nunc est aliud, & aliud secundùm substantiã in toto tempore etiam secundùm Philos.*

In 1. sententiarum vbi supra.

SVMMÆ SECVNDÆ

CAPVT V.

Dubitationes de ideis, & an principia sint in potentia, vel actu, & an sint vniuersalia, vel singularia?

SVMMARIVM.

In hoc capite vsque ibi: *Nam si aliter.* arguit pro & contra ponentes ideas principia rerum. Doctor resoluit ex ipso negatiuè.

Text. co. 18.

Omninò verò dubitabit aliquis, quare & oportet quærere alia quædam præter sensibilia, & intermedia, vt quas ponimus species.

88

12. q. Hæc q. est 14. superius assignata ex parte consideratorum.

Postquam Philosophus inquisiuit quomodo vnum & ens se habent in ratione principij, & & vtrùm Mathematica sint rerum principia, nũc inquirit vtrùm ideæ, quas ponebat Plato vnitates separatas, sint rerum principia? Circa quod duo facit: quia primò proponit quæstionem. Secundò arguit pro & contra. Secunda ibi: *Nam si ideò.* Dicit ergo, quòd supple dato, quòd Mathematica non sint rerum sensibilium principia: *omninò dubitabit aliquis, quare oportet quærere quadã præter sensibilia, & præter Mathematica*, quæ sunt infrà i. intermedia *vt species*, id est, ideas *quas ponimus*, supple quasi quoddam tertium genus. Deinde cùm dicit:

89

Nam si ideò quia Mathematica à præsentibus in aliquo quodam differunt, in esse verò plura similis speciei nihil differunt. Quare non erunt ipsorum principia numero determinata, quemadmodum, & præsentium litterarum numero

numero quidem omnium non sunt principia determinata, sed specie. Si verò sumat huius quis syllabæ, aut huius vocis harum erunt, & numero determinata? Similiter autem, & in intermediis, infinita namque sunt, & illic quæ eiusdem speciei. Quare si non sunt præter sensibilia, & Mathematica, alia quædam qualia dicunt species ipsas quidam, non erit vna numero, & specie substantia. Nec principia entium numero erũt quanta aliqua, sed specie. Ergo si hoc est necessarium, & species est necessarium propter hoc esse? etenim si non benè dearticulant dicentes, sed hoc est, quod volunt, & hoc ipsos necesse dicere, quia specierum vnaquæque substantia quædam est, & nihil secundùm accidens.

89 *Quare ideæ sunt necessaria secundùm ponentẽ eas?*

Arguit ad quæstionem, & primò ad partem affirmatiuam, assignans rationem, quare oporteat ponere species separatas. Secundò arguit ad partem oppositam negatiuam. Secunda ibi: *At verò si ponimus.* In prima parte intendit talem rationem: Si nihil esset separatum præter sensibilia, & Mathematica; ergo principia entium non erunt determinata numero: consequens est falsum, quia sic contingeret principia rerum esse infinita numero; ergo & antecedens. Consequentia probatur ex hoc; quia sicut in sensibilibus inueniũtur plura numero sub vna specie, ita & in Mathematicis: si ergo principia sensibiliũ nõ sunt determinata numero, sed tantùm specie, ita esset de Mathematicis. Videtur ergo, quòd necessarium sit esse ideas præter sensibilia & Mathematica. Dicit ergo, quòd *Mathematica quidem à præsentibus*, id est, à sensibilibus *in aliquo*, scilicet in eo quòd abstrahi habẽt à materia sensibili, *differunt: in esse verò plura similis speciei nihil differunt*: sicut enim plures equi sunt sub vna specie equi, ita plures circuli sunt sub vna specie circuli; si ergo sic est: *eorum*, scilicet Mathematicorum, *non erunt principia numero determinata, quemadmodum, nec præsentium litterarum*: exemplificat enim in vocibus, quarum principia sunt litteræ; ideò subdit: quod *omnium* scilicet vocum *nõ sunt principia determinata numero, sed specie*, *nisi quis sumat* scilicet principia *huius syllabæ* particularis, aut huius vocis, *harum erunt principia numero determinata*: vult dicere, quòd principia sensibilium non sunt in numero certo, nisi aliquis accipiat principium huius indiuidui, siue huius syllabæ vel illius: litteræ enim, quæ sunt principia vocis litteratæ, non sunt sub aliquo numero certo secundùm numerum, sed solùm secundùm speciem: non enim tantùm vnum A, vel tantùm vnum B, nisi secundùm speciem: *similiter autem, & in his*, quæ sunt infrà, id est, in Mathematicis *intermediis sunt infinita secundùm numerum*: licèt sint specialia, id est, determinata *secundùm speciem*, putà si dicatur, quòd principia pentagoni sunt quinque latera, & quinque anguli, *hoc est secundùm speciem*: quia secundùm numerum possunt multiplicari in infinitum: *quare si non sunt præter sensibilia, & Mathematica, alia quædam qualia quidam*, scilicet Platonici, *dicunt species*, id est, ideas: sequitur quòd *non erit vna substantia numero, sed specie; ergo si hoc est necessarium*, scilicet substantiam, & principia esse numero determinata, *necessarium est propter hoc esse species*; id est, ideas, & hoc est, quod volunt dicere isti scilicet Platonici, licèt non *bene dearticulant*, id est, certificant hoc, *dicentes & quidem necesse est eos hic dicere*, quòd scilicet singula specierum, id est, quælibet idea *est quædam substantia, & non secundùm accidens*, id est, cui nihil conuenit per accidens, sed solùm illud, quod est de ratione speciei. Deinde cùm dicit:

At verò si ponimus species esse, & vnum numero principia, & non specie: diximus quæ contingere necesse est impossibilia.

90

Arguit ad oppositum dicens, quòd, *at verò si ponimus esse species*, id est, ideas, *& principia vnum numero*, id est, determinato numero, *& non solùm specie* supple *iam diximus*, scilicet superiùs in hoc eodem tertio, & etiam in primo libro: *quia impossibilia contingere est necesse*, scilicet contra ponentes.

Veritas quæsiti.

Veritas huius quæstionis est, sicut patet ex 7. huius, quòd non est ponere species separatas præter Mathematica, & sensibilia; sicut nec Mathematica præter sensibilia, vt habetur 13. & 14. huius text. co. 45. & inde. Nec ratio ad oppositum cogit: quia licèt principia effectiua, vt sunt Deus & Intelligentiæ sint numero certo, etiam secundùm viam Philosophi, vt patet 12. huius, text. com. 42. & inde. principia tamen intrinseca rerum materialia, & formalia non sunt determinata numero; sed sicut indiuidua sub vna specie sunt multiplicabilia in infinitum secundùm numerum; sic & principia intrinseca eorum: nec hoc est aliquod inconueniens: quia illa infinitas non ponitur actualis, sed potentialis tantùm. Tunc sequitur illa pars:

Infinita duplicia.

Tex. co. 19.

His autem affine est quærere, vtrùm potestate sunt elementa, aut alio aliquo modo.

Vbi Philosophus disputat quæstiones de principiis penes eorum actualitatem, vel potentialitatem. Circa quod duo facit. Quia primò proponit quæstionem. Secundò arguit pro & contrà. Secunda ibi: *Nam si aliter.* Dicit ergo quòd *affine*, id est, in fine quæstionum huius tertij *est quærere vtrùm elementa*, id est, principia *sint potestate*, an aliquo alio modo, id est, actu?

13 q. Hæc q. est 11. superius assignata ex parte considerarum.

Notandum, quòd ista quæstio videtur introduci occasione antiquorum Naturalium, qui solùm principium materiale posuerunt, quod est in potentia: Plato autem qui posuit ideas, posuit principia esse in actu. Deinde cùm dicit:

SVMMARIVM.

Arguit pro & contrà, an principia sint in potentia vel in actu. Doctor resoluit efficiens esse in actu. Item materiam esse in actu entitatiuo, sed in potentia subiectiua; forma etiam quando principiat, est in actu; finis tamen, quando finalizat, quandoque est tantùm in potentia obiectiua, vt quando volo potionem amaram, propter sanitatem acquirendam.

Nam

Nam si aliter, aliqualiter prius erit aliquid principiis aliud: prior enim erit potestas causa illa. Possibile autem non necessarium est illo modo se habere.

Arguit ad quæstionem. Et primò ad probandum principia esse in potentia. Secundò arguit ad oppositum ibi: *Si verò potestate.* In prima parte intendit talem rationem: Si principia non sunt in potentia; ergo aliquid est prius ipsis principiis: consequens est falsum; ergo & antecedens. Consequentia probatur, quia illud est prius à quo non conuertitur subsistendi consequentia; sed benè sequitur, quòd si aliquid est in actu quòd possit esse, & non conuertitur quòd si potest esse, quòd sit actu; ergo potentia, est prior actu: si igitur principia non sunt in potentia, aliquid erit prius. Dicit ergo: *nam si aliter* sunt principia quàm in potentia *aliquid aliud erit prius* ipsis *principiis: prior enim est potentia illa causa*, id est, quàm principium, quod non poneretur esse in potentia; sed *possibile non est necessarium illo modo se habere*, quod scilicet sit aliquid prius quàm principium. Deinde cùm dicit;

Ab esse ad posse non ecōtra valet argumentum, nisi in necessariis simpliciter.

92

Si verò potestate sint elementa, nihil entium esse contingit: nā possibile est esse quod nōdum est ens: fit enim non ens. Nihil autem fit impossibilium esse. Has igitur dubitationes necessarium est dubitare de principiis.

Arguit ad oppositum per talem rationem: Si principia rerum sunt in potentia: ergo nullum ens est in actu: consequens est falsum; ergo & antecedens. Consequentia probatur, quia illud quod est in potentia nondum est: quia illud quod est, non fit: quod autem est, possibile fit; ergo omne possibile est non ens: si autem principia non sunt cùm sint in potentia, sequitur quòd nec aliquis effectus erit. Dicit ergo, quòd *si*, elementa, id est, principia *sint potestate, nihil entium contingit esse: nam illud est in potentia esse quod nondum est ens: quia nihil impossibilium esse fit*: sed supple quod fit non est. Vltimò epilogat, dicens, quòd *eas dubitationes quæ dictæ sunt, necesse est quærere de principiis.*

Quod est tātum in potētia, nondū est.

Quod impossibile est esse, impossibile est fieri.

Veritas istius quæstionis est, quòd loquendo de principiis effectiuis, talia principia sunt in actu: quia nihil efficit nisi, quod est in actu: loquendo autem de principiis intrinsecis, forma est quidam actus: materia autem est in potentia subiectiua opposita actui formali; licèt in se sit quoddam ens in actu distinctum contra nihil, vel contra potentiam obiectiuam: nam materia non est nihil. Nec rationes ad oppositum cogunt. Prima quidem non, quia licèt potentia præcedat actū respectu eiusdem generabilis, & corruptibilis, sicut arguit ratio, tamen actus est prior potentia simpliciter: quia nihil transit de potētia ad actum, nisi reducatur ad actum per aliquod ens actu, sicut habetur 9. huius. text. com. 13. Ratio ad oppositum arguit de potentia obiectiua: quia quod sic est in potentia, est non ens, & de tali concessum est nullum principium esse in potentia. Tunc sequitur illa pars:

Veritas quæsiti.

Materia est ens in actu entitatiuo & in potētia subiectiua.

Quomodo potentia prior est actu.

)?(

SVMMARIVM.

Arguit pro, & contrà, vniuersalia esse principia rerum. Doctor ex ipso resoluit negatiuè, soluens rationem in oppositum.

Et vtrùm vniuersalia sint, aut, vt diximus, singularia?

Text. co. 10.

Vbi Philosophus disputat quæstiones de principiis penes eorum singularitatem, & vniuersalitatem. Circa quod duo facit: quia primò proponit quæstionem. Secundò arguit pro, & contrà. Secunda ibi: *Nam si vniuersalia.* Est ergo quæstio *vtrùm principia sint vniuersalia, aut singularia?* Sed hîc est vnum dubium, qualiter ista quæstio differat à duabus aliis superiùs disputatis, quarum prima fuit; vtrùm principia sint vniuersalia, & genera. Secunda, vtrùm principia sint magis suprema genera, quàm immediatè prædicata de indiuiduis? Dicendum quòd illarum duarum quæstionum altera, scilicet prima, quærebat de vniuersalitate principiorum absolutè. Vtrùm scilicet genera essent magis principia, quàm partes, ex quibus res constat: altera verò scilicet secunda quærebat de vniuersalitate comparatâ; comparando scilicet magis vbiuersale ad minùs vniuersale. Sed ista quæstio quærit de vniuersalitate comparando vniuersalitatem simpliciter ad singularitatem simpliciter: vtrùm scilicet principia sint vniuersalia, vel singularia; & in hoc distinguitur ista quæstio ab illis. Deinde cùm dicit:

93

14. q.

Hæc q. est 10 superius assignata ex parte considerātorum.

Nam si vniuersalia non erunt substantiæ: nihil enim communium hoc aliquid significat, sed quale: substantia verò hoc aliquid est: sed si est hoc aliquid, & ponitur, quod communiter prædicatur, multa erit animalia Socrates, ipseque homo & animal: si significat vnumquodque hoc aliquid & vnum. Si igitur vniuersalia sunt principia hæc contingunt.

Arguit ad quæstionem, & primò ad ostendendum principia non esse vniuersalia. Secundò arguit ad oppositum. Secunda ibi: *Si autem non vniuersalia.* In prima parte intendit talem rationem: Si principia sunt vniuersalia; ergo principia non sunt substantiæ: consequens est falsum, quia saltem principia substantiæ, de quibus principaliter quæritur, sunt substantiæ; cùm ex non substantiis non fiat substantia: ergo antecedens ex quo sequitur, erit falsum. Consequentia probatur, quia omnis substantia videtur significare hoc aliquid: vniuersalia autem magis significant quale quid; quod si dicas, quòd vniuersale significat hoc aliquid, sequitur quòd aliquod vnum hoc aliquid, putà Socrates, erit multa hoc aliquid, cum de Socrate multa vniuersalia prædicentur, scilicet homo, animal, &c. Dicit ergo, quòd si *vniuersalia* scilicet ponantur principia esse: sequitur scilicet quòd principia *non erunt substantia: nihil enim communium*, id est, vniuersalium *significat hoc aliquid, sed quale quid: substantia verò est hoc aliquid* putà ipse Socrates: *sed si* supple vniuersale *est hoc aliquid, & ponitur quod communiter prædicatur, multa*, id est, vnumquodq; singulare *erit animalia,*

94

Principia nō esse vniuersalia.

Hinc argumentum contra Nominales.

malia, id est, multa *hoc aliquid*. Putà Socrates *erit homo, & animal*: quare quodlibet horum trium erit hoc aliquid, *si singulum eorum sit hoc aliquid & vnum: si igitur principia sunt vniuersalia, hæc*, scilicet impossibilia *contingunt*.

Qualitas duplex.

Notandum, quòd omne vniuersale significat quale quid, non quidem propter qualitatem accidentalem, sed substantialem: nam aliqua est qualitas substantialis, vt habetur 5. huius de differentia specifica. capit. de qualitate, text. com. 19. Ratio huius est, quia hoc aliquid videtur importare id quod secundùm se existit: quod non potest competere vniuersali, quod est vnum in multis, & ideò nullum vniuersale est hoc aliquid, propriè loquendo: substantia autem significat hoc aliquid; non quidem omnis substantia, sed sola prima, quæ propriè, & per se existit. Et ex hoc patet, quòd illa ratio parum cogit. Nam secundæ substantiæ vtique sunt substantiæ, licèt non significent hoc aliquid, sed magis quale quid. Deinde cùm dicit:

Si autem non vniuersalia, sed quasi singularia, non erunt scibilia: vniuersales enim sunt omnium scientiæ. Quare erunt principia diuersa priora principiis vniuersaliter prædicata: si futura est esse eorum scientia.

95

Arguit ad oppositum per talem rationem: Si principia non sunt vniuersalia; ergo non sunt scibilia: consequens est falsum; ergo antecedens. Consequentia patet ex hoc. Quia scientia est tantùm de vniuersalibus, & non de singularibus. Falsitas consequentis probatur: quia tunc nihil sciretur, cùm ignoratis principiis ignorentur, & alia. Vel si dicas, quòd oportet ipsa principia sciri, habebis dare alia principia priora vniuersalia, de quibus scientia possit esse. Dicit ergo, quòd *si principia non sint vniuersalia, sed quasi singularia*, sequitur quòd *non erunt scibilia: quia scientiæ omnium sunt vniuersales*, id est, de vniuersalibus: *quare* sup. si principia oportet sciri, *erunt aliqua principia diuersa, & priora principiis*, scilicet istis quæ ponuntur: quæ principia alia, & priora erunt, *vniuersaliter prædicata, si futura est esse scientia eorum*, id est, si de eis oporteat scientiam habere.

Scientia tantum est vniuersalium.

Veritas huius quæsiti.

Veritas istius quæstionis habetur ex 7. huius, tex. com. 45. & inde, vbi probatur, quòd vniuersalia non sunt principia, nec substantia rerum: quare oportet esse singularia. Nec ratio ad oppositum cogit, quòd de singularibus non sit scientia: quia singularia licèt singulariter existant, possunt tamen ab intellectu vniuersaliter concipi secundùm aliquam naturam communem abstrahibilem ab eis, secundùm quam erit scientia de eis.

LIBER QVARTVS.

Descendit Philosophus in hoc 4. libro ad tractanda, quæ determinate ad hanc scientiam spectant, in quo de obiecto, eiúsque partibus, affectionibus, & principiis tractat. De quibus Doctor optimè agit hic, & per quinque quæstiones, quas super hunc librum disputat. Diuiditur autem iste liber in duas Summas, quarum prima inquirit ad quæ se extendit consideratio Metaphysica. Secunda agit de cognitione principiorum. In primo capite summæ primæ resoluitur, ens quà tale, esse huius scientiæ obiectum, de quo vide Doct. hic q. prima: quod tangit de sensu reduplicatiuo, vide eum quodlib. 3. & 3. dist. 11. quæst. 2. & Theorem. 20.

SVMMA PRIMA.

De quibus habeat prima Philosophia pertractare?

CAPVT I.

Ens vt ens, & omnes eius partes à primo Philosopho considerari.

Tex. com. 1.

Est autem scientia quædam quæ speculatur ens in quantum ens, & quæ huic insunt secundùm se.

Postquam in lib. 3. processit modo disputatiuo circa inquisitionem veritatis eorum, quorum speculatio pertinet ad præsentem scientiam, nunc procedit circa idem modo determinatiuo, & demonstratiuo. Circa quod duo facit: Primò enim declarat ambitum huius scientiæ, ostendens ad quæ se extendit consideratio Metaphysica, ex quo colligitur veritas quæstionum priùs disputatarum, tenentium se ex parte huius scientiæ considerantis. Secundò inquirit veritatem eorum, quæ subsunt considerationi scientiæ Metaphysicæ, ex quo colligitur veritas quæstionum priùs disputatarum, tenentium se ex parte rerum consideratarum: sic enim distinguebantur omnes quæstiones propositæ in 3. libro vt patuit ibi: *Primum ergo de quibus*. Secunda incipit in principio septimi libri, ibi: *Ens dicitur multipliciter*. Circa primum tria facit. Quia primò facit, quod dictũ est. Secũdò, vt nó laboret in æquiuoco, distinguit intétiones, siue significata nominũ, quæ subsunt cósiderationi huius scientiæ. Tertiò describit mo

modum, quo ista ſcientia conſiderat de prædictis, Secunda ibi in principio quinti huius: *Principium dicitur aliud quidem.* Tertia ibi in principio ſexti: *Principia & cauſa quæruntur.*

Quælibet vna ſcientia reſpicit tria. Vide in pro-lo. Sent.q.3. *Diuidit librum in tres partes.*

Ad euidentiam primæ notandum, quòd ſcientia Metaphyſicæ ſupponitur eſſe vna. Vna autem ſcientia vt dicitur primo poſter. text. 43. reſpicit tria conſiderata, ad quæ ſe extendit ſcilicet ſubiectum, & partes ſubiecti, & iterum paſſiones ſubiecti: vna, inquit, ſcientia eſt quæ eſt vnius generis: quæcumque ex primis componuntur & partes aut paſſiones horum ſunt per ſe, & ſecundùm hoc iſte quartus liber diuiditur in tres partes. Primò enim ſecundùm quod dicit Commentator, ſtatuit ſubiectum huius ſcientiæ, oſtendens circa quæ verſatur. Secundò oſtendit quòd verſatur circa *vnum & multa, idem & diuerſum,* & hoc vt circa paſſiones entis. Tertiò oſtendit quòd verſatur circa prima principia, quæ dicuntur dignitates fundatæ in ente, & in terminis conuertibilibus cum ente: vel quæ ſunt partes entis. Secunda ibi: *Si igitur ens & vnum.* Tertia ibi: *Dicendum autem vtrùm.* Circa primum duo facit, Primò oſtendit, quomodo iſta ſcientia ſe habeat circa ens, probans quòd ad eam ſolam pertineat conſiderare ens inquantum ens. Secundò qualiter ſe habeat ad partes entis. Secunda ibi: *Ens autem multis modis.* Prima in tres, quia primò ſupponit, quòd eſt aliqua ſcientia, quæ ſpeculatur ens inquantum ens. Secundò oſtendit quòd illa non eſt aliqua particularium ſcientiarum. Tertiò quòd illa eſt Metaphyſica quam intendimus. Secunda ibi: *Hæc autem nulli.* Tertia ibi: *Quoniam autem principia.* Dicit ergo, quòd *eſt quædam ſcientia, quæ ſpeculatur ens inquantum ens, & quæ huic inſunt ſecundùm ſe*, id eſt, proprias paſſiones quæ per ſe inſunt enti, inquantum ens. Ratio huius eſt, quæ tractata fuit circa principium iſtius operis in prima quæſtione: quia ſcilicet ens inquantum ens & paſſiones entis, vt ſic, non ſunt de ſe nota, nec deſperata cognoſci; ergo poſſunt cognoſci, & cognoſcuntur in aliqua ſcientia: alioquin deficeret nobis aliqua ſcientia nobis poſſibilis haberi, quod eſt inconueniens: quare oportet eſſe quandam ſcientiam, quæ ſpeculatur ens inquantum ens, & paſſiones quæ per ſe inſunt enti inquantum ens.

Ens & eius paſſiones debent ab aliqua ſcientia conſiderari.

2 *De reduplicatiuis vide idem 3.q.quolibet. Dictio reduplicatiua dupliciter poteſt ſumi.*

Notandum, quòd ly *inquantum*, & quælibet dictio reduplicatiua poteſt teneri dupliciter: ſcilicet vel reduplicatiuè vel ſpecificatiuè. Primo modo ſumitur, quando illud quod ſequitur immediatè reduplicationem, notatur eſſe cauſa formalis & præciſa inhærentiæ prædicati ad ſubiectum. Secundo modo ſumitur, quando illud quod ſequitur reduplicationem immediatè, accipitur tantùm ſecundùm ſuam rationem formalem, ſine præciſione cauſalitatis inhærentiæ prædicati ad ſubiectum. Exemplum primi. *Triangulus inquantum triangulus habet tres*; nam hìc ly *triangulus*, qui ſequitur ly *inquantum* eſt, formalis ratio & præciſa inhærentiæ prædicati ad ſubiectum: nam forma ſpecifica trianguli eſt formalis, & præciſa ratio, quòd *habere tres*, inſit triangulo, quæ eſt eius paſſio adæquata inhærens ſibi per ſe primò. Exemplum ſecundi: *homo inquantum homo eſt albus*: hìc enim ly *homo*, qui ſequitur ly *inquantum*, non eſt cauſa formalis inhærentiæ prædicati ad ſubiectum; alioquin omnis homo neceſſariò eſſet albus, ſed accipitur tantùm ſecundùm ſuam rationem formalem, ſine illa præciſione cauſalitatis; vt ſit ſenſus, homo inquantum homo, id eſt, illud quod eſt homo eſt albus: iſto enim modo ly *inquantum* ſolùm ſpecificat, & non reduplicat ſubiectum. Ad propoſitum cum hìc dicitur, quòd quædam ſcientia ſcilicet Metaphyſica ſpeculatur ens inquantum ens; ly inquantum accipitur reduplicatiuè, ad denotandum quòd ratio formalis entitatis eſt ratio formalis ſubiectiua huius ſcientiæ: vt quicquid conſideratur in iſta ſcientia, conſideretur ſub ratione quâ ens formaliter, vel reduplicatiuè. Deinde cùm dicit:

3 *Hæc autem nulli in parte dictarum eadem eſt. Aliarum enim nulla intendit vniuerſaliter de ente inquantum ens: verùm partem eius abſcindentes aliquam circa hanc ſpeculantur ipſum accidens, velut ſcientiarum Mathematicæ.*

Nulla ſcientia particularis conſiderat ens in vniuerſali inquãtum ens.

Oſtendit quòd talis ſcientia conſiderans ens inquantum ens, *non eſt in parte dictarum eadem*, id eſt, quòd non eſt aliqua ſcientiarum dictarum particulariter: *enim* pro quia, *nulla* ſcientia aliarum, ſcilicet particularium ſcientiarum, *intendit vniuerſaliter de ente inquantum ens: vtrùm abſcindentes aliquam partem eius*, id eſt, entis *circa hanc* ſcilicet partem entis *ſpeculantur ipſum accidens*, ſupple per ſe, *velut ſcientiæ Mathematicæ:* quare ſequitur quòd ſcientia conſiderans ens, communiter non eſt eadem alicui particularium ſcientiarum.

Sola Metaphyſica conſiderat ens inquãtum ens.

Notandum, quòd nulla ſcientia alia à Metaphyſica conſiderat ens inquantum ens communiter: quia ſic conſideraret de omni ente, ſed conſiderant de aliqua parte ſubiectiua entis, putà Mathematica de ente immobili, & ſic de aliis: & ratione huius nominantur ſcientiæ particulares reſpectu ſcientiæ Metaphyſicæ, quæ conſiderat de toto ente, & ideò Metaphyſica non eſt eadem alicui earum. Deinde cùm dicit:

4 *Quoniam autem principia & extremas quærimus cauſas, palàm quia naturæ cuiuſdam ipſum ſecundùm ſe eſſe neceſſe eſt. Si ergo & entium elemenia quærentes hæc quæſierunt principia, neceſſe & entis elementa eſſe non ſecundùm accidens, ſed inquantum entia, vnde & nobis entis inquantum eſt ens primæ cauſæ ſunt accipiendæ.*

Probat ad Metaphyſicã ſpectare conſiderationem entis inquantum ens.

Probat quòd illa ſcientia, quæ conſiderat ens inquantum ens, eſt ſcientia Metaphyſicæ quam hic intendimus: & intendit talem rationem: Eiuſdem ſcientiæ eſt conſiderare principia entis inquantum ens, & ipſum ens inquantum ens: ſed ſcientia Metaphyſicæ conſiderat principia entis inquantum ens; ergo, &c. Minorem probat, quia iſta ſcientia conſiderat prima principia, & primas cauſas, vt oſtenſum eſt in prologo primi libri: prima autem principia ſunt cauſæ vniuerſales omnis entis. Dicit ergo, quòd *quoniam quærimus*, ſcilicet in iſta ſcientia, *principia, & cauſas extremas*, id eſt, primas: *palàm quia illas neceſſe eſt eſſe per ſe cuiuſdam naturæ*, ſcilicet entis in communi: quod declarat ex opinione antiquorum dicens: *ſi ergo quærentes*, ſcilicet antiqui, *elementa*, id eſt, principia rerum, *quæſierunt* ea princi

principia, ſcilicet entis inquantum ens: quia inquam ſic eſt, *neceſſe eſt eſſe principia entis non ſecundùm accidens, ſed inquantum ſunt entia; vnde & nobis accipienda ſunt cauſæ primæ entis inquantum ens.*

Notandum, quòd ly *inquantum ens*, poteſt accipi dupliciter: vt dictum eſt, ſcilicet vel ſpecificatiuè, vel reduplicatiuè. Primo modo accipitur cùm hîc dicitur, quòd entis inquantum ens ſunt primæ cauſæ. Primæ enim cauſæ cauſant propriè entitatem: quia ſunt cauſæ vniuerſales omnis entitatis. Secundæ enim cauſæ inferiores magis cauſant talitatem entis, ſiue entitatis: quia cauſant tale vel tale ens, non omne ens, nec aliquando ens inquantum ens: ſi autem ly *inquantum ens*, acciperetur reduplicatiuè; ergo omne ens haberet cauſam, quod eſt falſum: quia proceſſus infinitus eſſet in cauſis & cauſatis: de hoc ampliùs dictum fuit in prima quæſtione circa principium huius libri, quære ibi. Deinde cùm dicit:

In hac: entis inquantum ens ſunt primæ cauſæ, ly inquãtum ſumitur ſpecificatiuè.

Tex. com. 2.

Ens autem multis modis dicitur, ſed ad vnum, & ad vnam aliquam naturam, & non æquiuocè.

5

Oſtendit qualiter Metaphyſica ſe habeat ad partes entis, intendens, quòd conſiderat omnes partes entis, ſcilicet tam ſubſtantias quàm accidentia. Circa quod duo facit, quia primò præmittit quoddam neceſſarium. Secundò arguit ad propoſitum oſtendendum. Secunda ibi: *Sed quemadmodum.* Dicit ergo, quòd *ens dicitur multis modis non æquiuocè, ſed ad vnum, & ad vnam aliquam naturam,* id eſt, ſecundùm quandam attributionem, & analogiam ad aliquod vnum.

Notandum, quòd duplex eſt multiplicitas: quædam ſignificatorum, & quædam ſuppoſitorum. Prima multiplicitas eſt æquiuocorum, quando ſcilicet aliquod vnum eſt commune pluribus, ſine aliqua communitate, quæ ſit ex parte rei. Secunda multiplicitas eſt vniuocorum: ſpecies enim habet multa indiuidua ſuppoſita ſibi, non obſtante vniuocatione ad ſua ſuppoſita, & ſic accipitur in propoſito, cùm dicitur: *ens dicitur multipliciter*: quia ens verè eſt vniuocum ad omnia entia Metaphyſice loquendo. Deinde cùm dicit:

Multiplicitas duplex.

Ens eſt vniuocum omnibus entibus.

SVMMARIVM.

Arguit Metaphyſicam conſiderare omnia entia, ſiue ens dicat conceptum vniuocum omnibus entibus, ſiue non: & ſiue ens, & vnum dicant vnam naturam, ſiue non. De quo Doctor hîc q. 2.

Sed quemadmodum ſalubre omne ad ſanitatem: hoc quidem in cõſeruatione: aliud verò in actione: aliud verò quia eſt ſignum ſanitatis: hoc autem quia illius eſt ſuſceptibile, & medicabile ad medicinam: hoc enim in habendo medicinam dicitur medicabile: illud verò in exhibendo benè natum ad ipſam: & aliud per actus medicatiuæ. Similiter autem & alia ſumemus his dicta. Ita verò & ens multipliciter dicitur quidem; ſed omne ad vnum principium; hæc quia ſubſtantiæ etiam dicuntur: illa verò quia paſſiones ſubſtantiæ: alia verò quia via ad ſubſtantiam, aut corruptiones, aut priuationes, aut qualitates, aut effectiua, aut generatiua ſubſtantiæ, aut ad ſubſtantiam dictorum, aut horum cuiuſdam negationes, aut ſubſtantiæ. Quapropter & non ens eſſe non ens dicimus.

6

Probat Metaphyſicam conſiderare omnes partes entis.

Arguit ad propoſitum, ſcilicet quòd Metaphyſica conſiderat omnes partes entis per duas rationes, quarum Secunda ponitur ibi: *Omnis autem generis.* Prima in duas: quia primò præmittit rationem. Secundò ſoluit quandam dubitationem. Secunda ibi: *Vbique verò primi.* In prima parte intendit talem rationem: Omnia entia habent attributionem ad aliquod vnum ens; ergo omnia entia pertinent ad vnam ſcientiam, & per conſequens ad iſtam. Circa hanc rationem ſic procedit. Primò præmittit antecedens. Secundò ſubiungit probationem conſequentiæ. Tertiò concludit ipſum conſequens. Secunda ibi: *Quemadmodum ergo.* Tertia ibi; *Palàm ergo.* Antecedens autem declarat per ſimile ad ſanitatem & ad ſanatiuum. Dicit ergo, quòd *quemadmodum ſalubre,* id eſt, ſanatiuum *ſe habet ad ſanitatem*, ſecundùm quandam attributionem, *hoc quidem*, dicitur ſalubre *in conſeruatione*, ſicut diæta: *illud verò in actione*, ſicut potio: *aliud verò quia eſt ſignum ſanitatis*, vt veritas: *hoc autem quia eſt ſuſceptiuum illius*, id eſt, ſanitatis, vt animal, *ſimiliter medicinale*, id eſt, effectiuum medicinæ ſe habet *ad medicinam*, ſecundùm quandam attributionem: *hoc enim dicitur medicinale in habendo medicinam*; vt medicus: *illud verò in exiſtendo*, ſuſceptibile ad medicinam; vt homo aptus ad habendum medicinam: *aliud verò per actus exiſtentium medicinæ*, vt ſunt inſtrumenta, per quæ medicinam miniſtrat: *ſimiliter autem poteſt dici in aliis dictis*, ſicut ſumitur in iſtis: ſicut ergo eſt in iſtis, *ita verò & ens multipliciter dicitur*: ſed omne ens ad vnum principium reducitur, ſcilicet ad ipſum ens in communi, vel ad ipſam ſubſtantiam, ad quam omnia alia entia habent attributionem; vnde ſubdit, *hæc enim dicuntur entia, quia ſunt ſubſtantiæ: illa verò quia ſunt paſſiones ſubſtantiæ,* vt accidentia: *alia quia ſunt via ad ſubſtantiam,* vt motus, *& generationes, aut corruptiones, aut priuationes*: quæ ſunt via ad non eſſe ſubſtantiæ: *aut qualitatis*, quæ ſunt *effectiuæ aut generatiuæ ſubſtantiæ, aut ad ſubſtantiam dictorum*, vt ſunt quædam qualitates & accidentia actiua, *iterum negationes quorundam horum*, quæ ſcilicet habent habitudinem ad ſubſtantiam: aut etiam ipſius ſubſtantiæ ſupple dicuntur eſſe, *vnde dicimus quod non ens eſt non ens*: quod non eſſet verum, niſi negationi, & non enti aliqualiter competerèt ipſum ens: omnia enim prædicta dicuntur aliqualiter entia: quatenus habent aliquam attributionem ad ipſum ens, vel ad ſubſtantiam modo præexpoſito; licèt ſecundùm alium, & alium gradum, vt patet intuenti. Deinde cùm dicit:

Ambitus Metaphyſicæ hîc oſtenditur.

Eſt vt ſic & eſt vt non.

Quemadmodum ergo & ſalubrium omnium vna eſt ſcientia, ita hoc & in aliis, non enim ſolùm eorum quæ ſecundùm vnum dictorum eſt vnius ſcientiæ ſpeculari: ſed & dictorum ad vnam naturam, etenim hoc modo quodam ſecundùm vnum dicuntur.

7

Scientiæ est considerare illa quæ attribuuntur ad suum obiectum.

Subiungit probationem consequentiæ, & arguit sic: Eiusdem scientiæ est considerare ea, quæ habent ordinem attributionis, vt scientiæ medicinæ omnia salubria: sed omnia entia sunt huiusmodi; vt ostensum est; ergo ad vnam scientiam spectat considerare omnia entia. Maiorem ostendit ex hoc quòd vnius scientiæ est considerare non solùm illa quæ dicuntur ad vnum aliquid, quod formaliter participant & vniuocè, sed etiam quæ ad aliquam vnam naturam dicuntur secundùm rationem attributionis. Exemplum primi, vt omnes lineæ ad lineam, & omnes numeri ad numerum. Exemplum secundi: omnia salubria ad sanitatem. Entia autem primo modo dicuntur ad ens. Secundo modo ad substantiam. Dicit ergo, quòd *quemadmodum omnium salubrium est vna scientia, ita & in aliis: non enim solùm vnius scientiæ speculari dictorum circa vnum*, id est, ea quæ dicuntur vniuocè ad vnum, *sed etiam dictorum ad vnam naturam*, scilicet secundùm attributionem: *talia enim quodammodò dicuntur ad aliquod vnum*, ratione cuius vnius scientiæ est omnia illa speculari. Deinde cùm dicit:

Palàm ergo, quia & entia vnius est scientiæ speculari inquantum entia.

Ostendit consequens dictæ consequentiæ principalis: *palàm*, inquit: *quia vnius scientiæ est speculari entia in quantum sunt entia*, sicut intelligendo quod ly *inquantum*, accipiatur reduplicatiuè. Deinde cùm dicit:

Vbique verò propriè primi est scientia, & ex quo alia pendent, & propter quod dicuntur: ergo si est hoc substantia substantiarum, oportet principia & causas habere philosophum.

Soluit quandam dubitationem: quia dixerat omnia entia pertinere ad Metaphysicam. Dubitaret aliquis vtrùm æquè primo consideraret de omni ente? ad quod respondet quòd nō, sed principaliùs intendit de substantia, cuius ratio est: quia scientia considerans aliqua plura habentia ordinem attributionis, principaliùs considerat illud ad quod omnia alia attribuuntur, cuiusmodi est substantia inter omnia entia; ideò dicit quòd *vbique*, id est, in quacunque scientia quod est *scientia primi, ex quo alia pendent, & propter quod dicuntur*, id est, in pluribus considerat de illo primo, ad quod omnia alia attribuuntur; *ergo si hoc primum est substantia, oportet primum Philosophum*, id est, Metaphysicum, *habere principia, & causas* substantiæ.

Quomodo Metaphysica principaliter est de substantia?

Notandum, quòd intentio Aristot. est in loco isto, quòd primus Philosophus agit principaliùs de substantia, vt de nobiliori parte sui subiecti primi, quod est ens, sicut dictum fuit iuxta principiū huius libri. Ex quo patet, quòd argumentū illorum, qui ex loco isto volunt probare, quòd substantia sit subiectum primum huius scientiæ, & non ens inquantum ens, non vadit ad mentem Philosophi. Deinde cùm dicit:

8

Omnis autem generis vnius sensus est vnus, atque scientia, vt Grammatica vna ens omnes speculatur voces. Quapropter & entis inquantum ens quascunque species speculari vnius est scientiæ genere: species autem specierum.

Metaphysica considerat omnia entia, vt sunt entia.

Ponit secundam rationem ad probandum, quòd Metaphysica considerat omnes partes entis, quæ sic potest formari: Ea quæ sunt vnius generis, & vnius rationis, vt sic, pertinent ad vnam scientiam: sed omnia entia, vt sic, sunt vnius generis, & vnius rationis generalis; ergo omnia entia, vt sunt entia, pertinent ad vnam scientiam, quæ est Metaphysica, vt probatum est suprà. Dicit ergo, quòd *omnes*, id est, omnium eorum, quæ sunt *vnius generis, & vnus sensus est, & vna scientia*, sicut visus est de omnibus visibilibus, *& Grammatica vna existens speculatur omnes voces, quapropter vnius scientiæ* genere, id est generalis est, *speculari quascunque species entis inquantum est ens, & species specierum*, id est, quòd species, id est, partes subiectiuæ entis secundùm rationes speciales faciunt scientias particulares.

Ex prædictis patet veritas illius quæstionis, quâ querebatur in 3. vtrùm vnius scientiæ sit considerare substantias, & accidentia: quia ostensum est, quòd sic, vt patet ex præcedentibus.

SVMMÆ SECVNDÆ CAP. II.

Hanc scientiam considerare passiones entis, siue disiunctas, siue non.

SVMMARIVM.

Ostendit duabus rationibus Metaphysicam considerare *vnum*, & species *vnius*, & sic de reliquis passionibus simplicibus entis, quæ sunt *verum, bonum*, &c infert, hîc considerari *vnum*, sicut *ens*, cùm tot sint partes *vnius*, quot *entis*, quod benè explicat Doctor: deinde partes primæ Philosophiæ, seu Metaphysicæ distingui secundùm partes vnius, & maximè substantiæ.

9 Tex. com. 3.

SI igitur ens & vnum idem, & vna natura: eo quòd se adinuicem consequuntur, sicut principium, & causæ: sed non vt vna ratione ostensa. Nil autem differt, nec si similiter suscipiamus, sed & operæpretium magis.

Postquam Philosophus ostendit circa quod versatur ista scientia, vt circa subiectum, ostendens quòd circa ens, & circa partes entis, nunc ostendit quòd ista scientia versatur circa *vnum & multa, idem, & diuersum*, &c. huiusmodi, vt circa passiones entis.

Passiones entis duplicis.

Ad cuius euidentiam notandum, quòd passiones entis sunt in duplici genere. Quædam sunt vnicæ, quæ vno nomine designantur, & istæ simpliciter sunt conuertibiles cum ente. Quædam sunt disiunctæ, quæ disiunctis nominibus designantur, & hæ non sunt simpliciter conuertibiles cum ente; sed sub disiunctione, per quam disiunctionem circumloquimur vnam passionem entis innominatam nomine proprio. Exemplum primi: *Vnum, bonum, & verum*. Exemplum secundi: *Idem*, vel *diuersum: contingens*, vel *necessarium: actus*, vel *potentia*, &c. Secundùm hoc ergo ista pars

pars diuiditur in duas. Quia primò ostendit, quòd Metaphysica considerat *vnum*, & species *vnius*, per *vnum* dans intelligere alias passiones simplices, & vnicas. Secundò considerat passiones disiunctas, & contrarias. Secunda ibi: *Quoniam autem vnius*. Prima in duas, quia primò ostendit, quòd huius scientiæ est considerare de vno. Secundò infert quædam corollaria ex dictis. Secunda ibi: *Quare quot*. Prima in duas, quia primò proponit intentam conclusionem. Secundò subiungit eius probationem. Secunda ibi: *idem enim*. Dicit ergo, quòd *ens & vnum sunt vnum & idem natura: quia consequuntur se adinuicem, vt principium, & causa, sed non vt ostensa vna ratione: nihil autem differt, nec si similiter accipimus, sed operæ pretium magis*, id est, quòd primus modus identitatis magis est in proposito.

Ens & vnum idem.

Notandum, quòd dupliciter dicunt aliqua eandem naturam: vno modo, quia habent identitatem realem, & distinctionem rationum realium ex natura rei. Alio modo, quia sunt idem secundùm rem, & secundùm rationem realem. Exemplum primi, vt causa, & principium: nam eadem res est causa, & principium, sed secundùm aliam, & aliam rationem realem: nam principium dicitur ratione primitatis: idem enim dico primum, & principium, ex 1. Poster. text. 5. sed dicitur causa ratione dandi esse: quia causa est ad cuius esse sequitur aliud, & istæ rationes non sunt eædem ex natura rei, & vna est prior alia, sicut patet. Exemplum secundi, vt tunica, & vestis, & quæcunque synonyma. Primo modo sunt idem ens, & vnum, & non secundo modo, vt ostendetur inferiùs, in quæstione quadam. Deinde cùm dicit:

Dicere eandem naturam contingit dupliciter. Principium quid. Causa quid. Quomodo ens, & vnum sunt idem?

10

Idem enim vnus homo, & homo, & ens homo, & non diuersum aliquid ostendit secundùm dictionem repetitam: homo, & ens homo, & vnus homo. Palàm autem, quia non separantur, nec in generatione, nec in corruptione: similiter autem, & in vno. Quare palàm, quia additio in his idem ostendit, & nihil aliud vnum præter ens.

Probat intentam conclusionem per duas rationes, quarum secunda ponitur ibi: *Amplius autem vniuscunque*. In prima parte intendit talem rationem: Quæcumque vni, & eidem realiter sunt eadem, inter se sunt eadem realiter: sed ens, & vnum sunt huiusmodi: quia sunt eadem realiter homini, & cuicunque alteri; ergo sunt idem realiter inter se. Minorem probat ex hoc: quia quæcumque sunt inseparabilia quantum ad suum esse, & suum non esse, illa sunt idem realiter: sed homo & ens homo, & vnus homo, sunt huiusmodi; ergo, &c. Dicit ergo, quòd *idem sunt vnus homo & ens homo & non diuersum aliquod ostenditur secundùm repetitam dictionem* ipsum quod est *homo, & est vnus homo, & homo*: *palàm autem* quod dictum est, scilicet homo, & ens homo *non separantur, nec in generatione, nec in corruptione*, id est, nec quantum ad esse, nec quantum ad non esse, quod vnum non potest esse sine alio: *similiter autem, & se habet de vno: quare palàm quia additio in his*, cùm dicitur homo, vel ens homo, vel vnus homo, hoc ostendit, *& nihil aliud*, scilicet realiter est *vnum præter ens*; idem enim est generari hominem, & vnum hominem, & entem hominem, & similiter de corrumpi. Deinde cùm dicit:

Limita vt 2. d. 1. q. 4. soluendo 1. principale habet Scot. Idem sunt vnus homo, & ens homo.

Amplius autem cuiuscumque substantia est vnum non secundùm accidens: similiter autem & quod quidem ens aliquid.

Ponit secundam rationem quæ talis est: Quæcúnque duo prædicant substantiam alicuius rei, sunt idem realiter: sed ens, & vnum sunt huiusmodi: quia substantia vniuscuiusque est vnum, & ens, non secundùm accidens, sed per se, licèt differenter: quia est vnum per se secundo modo: sed ens per se primo modo; ergo vnum & ens sunt idem realiter. Dicit ergo, quòd *ampliùs substantia cuiuscumque est vnum, non secundùm accidens*; sed sup. per se secundo modo: *similiter cuiuscumque est ens*, non supple per accidens, sed per se primo modo. Deinde cùm dicit:

Quæcunque duo prædicant substantiam alicuius rei, sunt idem realiter.

11

Quare quotcunque vnius sunt species, tot & entis, de quibus quod quid est eiusdem scientiæ genere speculari. Dico autem de eodem, & simili, & aliis talibus. Ferè autem omnia reducuntur contraria in principium.

Speculata sunt autem à nobis, & in ecloga contrariorum.

Text. co. 4.

Concludit ex prædictis, quòd istius scientiæ est considerare vnum sicut, & ens. Circa quod duo facit: quia primò facit, quod dictum est. Secundò etiam concludit ex dictis, quòd partes primæ Philosophiæ distinguuntur secundũ partes vnius, & etiam substantiæ, quæ est principalior pars sui subiecti primi. Secunda ibi: *Et tot partes sunt*. Dicit ergo, quod sup. quia sic est, quòd vnum, & ens dicunt eandem naturam, sequitur, quòd *quot sunt species*, id est, partes *vnius, tot sunt, & entis, de quibus quidem est speculari eiusdem sciẽtiæ genere*, id est, generalis qualis est Metaphysica. *Dico autẽ de eodem, & simili, & aliis talibus*, quæ scilicet sunt partes vnius: addit etiam, quòd *ferè omnia contraria referuntur*, id est, reducuntur ad illud, scilicet ad vnum, vt ad primum principium. *Speculata autem sunt ista in ecloga contrariorum*, id est, in tractatu Elcon de contrariis, qui ponitur quarto huius. Dicit autem *ferè*: quia cùm in omnibus contrariis alterum habeat priuationem inclusam respectu alterius, oportet omnia contraria reduci ad prima priuatiua inter quæ ipsum vnum est præcipuum quatenus concludit quandam indiuisionem: multitudo etiam quæ ex vno causatur, est causa diuersitatis, differentiæ, & contrarietatis.

Notandum, quod quia *ens*, & *vnum* eandem significant naturam, oportet tot species, id est, tot partes subiectiuas esse *vnius*, sicut & *entis*, sibi inuicem correspondentes: sicut enim partes entis sunt *substantia, quantitas, qualitas*, sic & partes vnius sunt, *idem, æquale, simile*: nam *idem*, est vnum in substantia; *æquale*, vnum in quantitate; & *simile*, vnum in qualitate; similiter secundùm alias partes entis possunt sumi aliæ partes *vnius*, si essent nomina imposita: sicut igitur vnius scientiæ est considerare omnes partes entis, & ita omnes partes *vnius*, scilicet idem, æquale, & simile. Deinde cùm dicit:

Correspondent partes vnius partibus entis.

Et tot partes sunt Philosophiæ quot sub-

ſtantiæ: quare neceſſarium eſt aliquam primam, & habitam ipſis: ſtatim enim exiſtunt genera habentia ens, & vnum: quapropter & ſcientiæ hæc ſequuntur: eſt enim Philoſophus, vt Mathematicus dictus: etenim hæc partes habet, & prima quædam, & ſecunda eſt ſcientia, & aliæ conſequenter in Mathematicis.

Concludit ex dictis, quòd partes primæ Philoſophiæ diſtinguuntur ſecundùm partes *vnius*, & *entis*, & ſpecialiter ſecundùm partes ſubſtantiæ, de qua principaliter intendit, vt de principaliori parte ſui ſubiecti primi. Dicit ergo, quòd *tot ſunt partes Philoſophiæ*, id eſt, iſtius, *quot ſunt ſubſtantiæ, quare aliquam neceſſe eſt eſſe primam, & eas habentem*, id eſt, quia partes huius Philoſophiæ diſtinguuntur ſecundùm partes ſubſtantiæ, quæ habent pro genere vnum & ens, vt in conſideratione *vnius* & *entis* diuerſæ partes iſtius ſcientiæ vniuntur: ita quòd licèt ſubſtantiæ ſint diuerſæ; omnes tamen ad vnam ſcientiam pertinebunt: ideò ſubdit. *Exiſtunt enim ſtatim genera ens, & vnum habentia ſe*, ſcilicet æqualiter ad omnes ſubſtantias; *quapropter, & hæ ſcientiæ conſequuntur*, quod declarat à ſimili in Mathematicis: *nam* Philoſophia dicta Mathematica *habet partes quarum vna ſcientia eſt prima, & alia ſecunda, & alia deinde in Mathematicis*, id eſt, Mathematica habet diuerſas partes, quarum vna eſt prima, & principalis, vt forſan Arithmetica: alia ſecunda, vt forſan Geometria: alia ſe conſequenter habens ad iſtas, vt Muſica, perſpectiua &c. ſimiliter autem in propoſito licèt non ſit omninò ſimile; quia Arithmetica, & Geometria ſunt ſimpliciter diuerſæ ſcientiæ: vna autem eſt ſcientia de omnibus ſubſtantiis, quæ eſt Metaphyſica, licèt habeat diuerſas partes.

Al. rectè.

Notandum, quòd Metaphyſica eſt vna ſcientia vnitate generis, cuius partes ſunt plures: vna quædam quæ eſt de ſubſtantia ſenſibili, de qua agitur 7. & 8. huius: & iſta pars eſt prima primitate doctrinæ: nam omnis doctrina incipit à notioribus. Alia pars eſt de ſubſtantia inſenſibili, & immateriali, de qua agitur 12. huius, & iſta pars eſt poſterior poſterioritate doctrinæ, licèt ſit prima primitate dignitatis, & intenſionis iſtius ſcientiæ: veruntamen quia omnia ſcita reducuntur ad ens & vnum, quæ ſunt genera, id eſt, generalia generaliter de omnibus prædicata; ideò hæc ſcientia habet vnitatem.

De vnitate Metaph. vide inſt. in 6. q. 1. *Metaphyſ. eſt vna vnitate generis habẽs plures partes.*

13

Quoniam autem vnius eſt oppoſita ſpeculari, vni autem opponitur pluralitas; negationem autem, & priuationem vnius eſt ſpeculari: propter vtroque modo ſpeculari vnum, cuius negatio, aut priuatio, aut ſimpliciter dicta quia non ineſt illi, aut alicui generi. Huic quidem ergo vni differentia adeſt, præter id quod eſt in negatione: illius enim abſentia negatio eſt. In priuatione verò ſubiecta quædam fit natura, de qua priuatio dicitur.

Poſtquam Philoſophus oſtendit, quòd Metaphyſica conſiderat de *vno*, dans intelligere per *vnum* alias paſſiones entis ſimplices, & vnicas, nunc oſtendit, quòd Metaphyſica conſiderat omnes paſſiones entis diſiunctas & contrarias. Circa quod duo facit. Primò probat intentum. Secundò concludit ex dictis quædam contraria. Secunda ibi: *Palàm igitur ex his.* Prima diuiditur in quatuor, ſecundùm quatuor rationes quas adducit ad propoſitum oſtendendum. Secunda ponitur ibi: *Et Philoſophi de omnibus.* Tertia ibi: *Signum autem.* Quarta ibi: *Amplius contrariorum.* Prima in tres: quia tangit primò virtutem rationis, & addit quoddam incidens, ſcilicet quod hæc ſcientia conſiderat de priuatione, & negatione. Secundò reſumit rationem & concludit intentum. Tertiò excludit quandam cauillationem. Secunda ponitur ibi: *Sed vni pluralitas.* Tertia ibi: *Quare quoniam multipliciter.* Vis ergo primæ rationis eſt in hoc, quòd vnius ſcientiæ eſt oppoſita conſiderare: ſed vnum & pluralitas ſunt oppoſita; ergo illius ſcientiæ eſt conſiderare pluralitatem, cuius eſt conſiderare ipſum vnum: iſta autem eſt Metaphyſica, vt prædictum eſt. Addit etiam quòd quia de ratione vnius eſt priuatio & negatio; ideò hæc ſcientia conſiderat de priuatione, & negatione. Dicit ergo, quòd *quoniam vnius ſcientiæ eſt oppoſita ſpeculari, & vni eſt oppoſita pluralitas*; iterùm quia ſupple vnum importat, vel implicat negationem, & priuationem: ideò *vnius ſcientiæ eſt ſpeculari negationem, & priuationem*: illius, ſcilicet quæ de vno ſpeculatur; ideò ſubdit quòd *vtrũque ſpeculatur vnum*, id eſt, ex vtroque dependet conſideratio vnius, de cuius ratione eſt negatio & priuatio: nam *vnum* dicit quandam indiuiſionem oppoſitam diuiſioni, quæ pertinet ad multitudinem, quæ vni opponitur; ideò ſubdit: *cuius*, ſcilicet vnius, *negatio aut priuatio, aut ſimpliciter dicta quia non ineſt illi*, qualis eſt negatio extra genus, *aut alicui generi*, qualis eſt negatio infra genus, & *huic quidem*, ſcilicet vni *adeſt differentia propter quod eſt in negatione*, id eſt, propter quod differt hoc vnum in negatione: quia negatio tantùm dicit abſentiam alicuius ſine hoc, quod determinet ſubiectum; ideò negatio abſoluta poteſt verificari tam de ente, quàm de non ente: priuatio verò connotat ſubiectum determinatum; ideò dicit, quòd *illius abſentia negatio eſt, in priuatione verò fit quædam ſubiecta natura, de qua dicitur priuatio.* Ex quo patet, quòd cùm negatio, quæ in ratione *vnius* includitur, ſit negatio in ſubiecto (alias *vnum* poſſet dici de non ente) ſequitur quod *vnum* differt à negatione ſimpliciter, & magis declinat ad naturam priuationis, vt dicetur 10. huius, text. co. 9. & inde.

Vnius ſcientiæ eſt oppoſita conſiderare.

14

Vnum importat priuationem, & negationem.

Notandum, quòd ex hac ratione, & præcedenti lectione patet, quòd huius ſcientiæ eſt conſiderare de vno, tum quia *vnum* dicit eandem naturam cum ente, vt patet modo præexpoſito; tum quia opponitur pluralitati, & ideò dicitur fortè quòd propter vtrumque hæc ſcientia ſpeculatur *vnum*; licet ly *vtrumque poſſit* aliter exponi, & fortè melius, vt iam expoſitum eſt conſtruendo literam.

Notandum etiam, quòd duplex eſt negatio: quædam eſt ſimpliciter, & extra genus, per quam abſolutè dicitur, quòd hoc non eſt illud: alia eſt negatio in genere, ſiue infinitans, per quam aliquid negatur non abſolutè: ſed intra metas alicuius generis, ſicut cæcum dicitur, quod non habet viſum: non tamen omne non habens viſum eſt cæcum; ſed in genere animalium, quod natum eſt habere viſum. Vnde negatio extra genus poteſt verificari tam de non ente, quod non eſt natum habere affirmationem, quàm de ente, quod eſt natum habere & non habet. Vnde tam chymera,

Negatio duplex, extra & intra genus.

Metaphyſicæ conſiderare omnes paſſiones diſiunctas entis.

neta, quàm lapis, quàm etiam homo, poteſt dici non videns: non ſic autem de priuatione, quæ eſt negatio intra genus, quia non omne non videns poteſt dici cæcum; ſed ſolùm quod eſt aptum natum habere viſum: talem negationem, vel priuationem includit ipſum vnum, vt prædictum eſt.

15 *Vnum dicit negationem in genere.*

Notandum etiam, quòd licèt ſuperiùs probatum fuerit, quòd *vnum* fortè dicat aliquid poſitiuum: tamen hoc non obſtante, includit aliquam negationem non formaliter, ſed quaſi conſequenter: quæ quidem negatio fundatur ſuper illud, quod dicit poſitiuum.

Veruntamen ſciendum, quòd iſta negatio, vel priuatio quam importat ipſum vnum, non eſt priuatio multitudinis: quia cùm priuatio ſit poſterior habitu, ſequeretur, quod multitudo eſſet prior ipſo vno, quod eſt falſum, cùm vnum ſit principium multitudinis, & ipſa multitudo definiatur per vnum: nam multitudo eſt quædam aggregatio vnitatũ: ſi autem multitudo eſſet prior quàm vnum, poſſet ipſum definire, & ſic eſſet circulus in definitionibus. Idcirco dicendum, quòd *vnum* importat priuationem diuiſionis, non quidem diuiſionis quantitatiuæ, cùm iſta ſit determinati generis; ſed priuationem diuiſionis formalis, quæ fit per oppoſita, cuius radix eſt oppoſitio contradictoria: nam illa ſic adinuicem diuiduntur, quæ ita ſe habent, quòd hoc non eſt illud. Primò igitur ex natura rei intelligitur ipſum ens. Secundò non ens. Tertiò intelligitur diuiſio. Quartò conſequenter intelligitur *vnum*, quod priuat diuiſionem. Quintò, & vltimò intelligitur multitudo, de cuius ratione eſt diuiſio. Hæc autem diuiſa dicto modo non poſſunt habere rationem multitudinis, niſi cuilibet illorum attribuatur priùs ratio *vnius*. Iſtam autem priuationem, vel negationem primam, quæ eſt indiuiſio à ſe, conſequitur ſecunda negatio, quæ eſt non identitas, vel diuiſio ab omni alio. Deinde cùm dicit:

Vnum importat priuationem diuiſionis formalis.

16

Vni autem pluralitas opponitur, quare & oppoſita dictis diuerſúmque, & diſsimile, & inæquale, & quæcunque alia dicuntur, aut ſecundùm eadem, aut ſecundùm pluralitatem, & vnum eſt dictæ cognoſcere ſcientiæ. Quorum vnum quidem aliquid contrarietas eſt: differentia enim quædam contrarietas eſt, differentia autem diuerſitas.

Ordo transcendens attributionis.

Reſumit rationem, & intentum concludit dicens, quod *vni opponitur pluralitas*: quia igitur ſupple vnius ſcientiæ eſt oppoſita ſpeculari: ideò dictæ ſcientiæ, ſcilicet Metaphyſicę eſt cognoſcere vtrumque: quare igitur cùm ſupp. iſta ſcientia ſpeculetur *vnum* & ſpecies *vnius*, ſcilicet idem, ſimile, & æquale. *Similiter* oportet, *quod* ſpeculetur *oppoſita dictis*, *ſcilicet diuerſum, diſſimile, & inæquale, & quæcumque alia dicuntur*, id eſt, reducuntur ad iſta, aut ad pluralitatem, & vnum: *quorum vnum*, ſcilicet eorum quæ ſic reducuntur ad pluralitatem, eſt *contrarietas, nam contrarietas eſt quędam differentia*, & maxima, vt habetur 10. huius, text. com. 13: *differentia verò eſt quędam diuerſitas*, ex quibus patet, quod ad iſtam ſcientiam pertinet de contrarietate ſpeculari. Deinde cùm dicit:

Quare quoniam vnum multipliciter dicitur, & hæc multipliciter quidem dicentur, attamen vnius omnia cognoſcere eſt. Non alterius enim ſi multipliciter, ſed ſi nec ſecundùm vnum, nec ad vnum rationes referantur alterius tunc. Quoniam verò omnia ad primum referuntur, vt quæcunque vnum dicuntur ad primum vnum: Similiter dicendum eſt de eodem & de diuerſo, & contrariis ſe habere. Ergo diuiſum quotiens dicitur ſingulum ſic reddendum eſt ad primum in ſingulis prædicamẽtis quomodo ad illud dicitur: hoc enim in habendo illud: illa verò in faciendo: alia verò ſecundum aliquos dicentur tales modos. Palàm ergo, quod in dubitationibus dictum eſt, quia vnius eſt de his, & de ſubſtantia ſermonem habere, hoc autem erat vnum eorum, quæ in dubitationibus.

17

Excludit quandam cauillationem: fortè enim diceret aliquis, quòd cùm prædicta oppoſita dicantur multipliciter, ſicut & ipſum vnum à quo oriuntur; ideò non eſt vnius ſcientiæ conſiderare de ipſis. Ad quod reſpondet, quòd hoc non obſtante, quòd talia dicantur multipliciter; nihilominus pertinent ad eandem ſcientiam, quatenus dicuntur ad aliquid vnum ſecundùm ordinem attributionis. Dicit ergo, quòd *quoniam vnum dicitur multipliciter*, & ea, ſcilicet quæ determinantur ab vno, ſcilicet idem & diuerſum, & talia *etiã dicuntur multipliciter: attamen vnius ſcientiæ eſt omnia cognoſcere*. ſcilicet Metaphyſicæ: non enim ſunt ſcientiæ diuerſæ ſimpliciter ſup. de his, quæ multipliciter dicuntur: *ſed ſi nec ſecundùm vnum*, id eſt, vniuocè, *nec ad vnum*, ſcilicet analogicè *rationes taliũ referuntur*, tunc de talibus ſunt diuerſæ ſcientiæ. Vult dicere, quòd de pluribus, quæ nec habent vnitatem vniuocationis, nec vnitatem attributionis ad aliquod vnum, ſed ſunt purè æquiuocata: de talibus inquam ſunt ſcientiæ diuerſæ; ſicut de cane cæleſti conſiderat Aſtrologia: de cane verò marino, vel latrabili conſiderat Phyſica, ſed ſic non eſt in propoſito; ideò ſubdit. *Quoniam verò ad primum aliquod omnia referuntur, vo quæcunque vnum ad aliquod primum vnum*, id eſt, quæcumque ſignificantur per hoc nomen *vnum* reducuntur ad vnum primum; licèt ſint multa, & diuerſa: *ſimiliter oportet ſe habere, & de eodem, & diuerſo, & contrariis.* Sic ergo in talibus procedendum eſt: quia Primò videnda eſt eorum multiplicitas, quot modis vnumquodque dicatur. Secundò inueſtiganda eſt eorum reductio, & ordo attributionis; ideò ſubdit; ergo *diuiſum quoties dicitur ſingulum ſic reddendum*, id eſt, reducendum eſt ad primum, quãdo aliquid ad aliud reducitur: in ſingulis talibus nominibus quæ de pluribus prædicantur, & dicuntur, puta quòd *hoc* ibi reducitur ad aliquod *primum in habendo illud: illud verò faciendo: alia verò ſecundùm alios modos dicuntur*, id eſt, reducuntur. Vltimò epilogat quòd *palàm eſt quod dictum eſt in quæſtionibus*, ſcilicet tertij libri: *quia vnius vt huius*, ſcilicet ſcientiæ, *eſt habere ſermonem*, id eſt, conſiderationem de his quæ dicta ſunt & de ſubſtantia, *hoc enim erat vnum dubitatorum*, id eſt, vna quæſtionum diſputatarum ibidem. Deinde cùm dicit:

Quando varietas obiectorum varias ſcientiã, & quando non?

Text. co. 5.

Et Philoſophi eſt de omnibus poſſe ſpeculari: nam ſi non Philoſophi, quis erit qui inue-

stigabit si idem Socrates & Socrates sedens? aut si vnum vni contrarium, aut quid est contrarium aut quoties dicitur? Similiter autem, & de aliis talibus?

18

Ponit secundam rationem. Circa quod duo facit. Primò sub quæstione proponit quod istius scientiæ,& non alterius,est considerare de prædictis. Secundò format rationem. Secunda ibi: *Quoniam ergo vnius.* Dicit ergo quòd *Philosophi*, id est Metaphysici,qui primus Philosophus antonomasticè dicitur,*est posse speculari de omnibus*,scilicet prædictis: *nam si non est Philosophi quis est*, scilicet alius *qui intelligat, si est idem Socr.& Socrates sedens? aut si vnum vni est contrarium, aut quid est contrarium aut quotiens dicitur*, *scilicet contrarium? similiter autem & de his talibus?* quasi diceret,quòd nullus est alius,qui scilicet consideret de prædictis; puta de eodem & diuerso, & de contrarijs & aliis huiusmodi. Deinde cùm dicit:

Metaphysicus antonomasticè philosophus.

Quoniam ergo vnius inquantum est vnum, & entis inquantum est ens, eadem secundum se passiones sunt, sed non inquantum numeri, aut lineæ, aut ignis, palàm quia illius scientiæ, est, & quid sunt cognoscere & accidentia ipsius; & sic non peccant qui de ipsis intendebant, quasi non philosophantes: sed quia prius his est substantia, de qua nihil prorsus intelligunt. Quoniam sicut sunt & numeri inquantum numerus propriæ passiones, vt imparitas, paritas, commensuratio, æqualitas, excedentia, & defectio, & hæc secundùm se & adinuicem insunt numeris: similiter autem & de solido, & immobili, & mobili, & leui, & graui, sunt alia propria sic: & enti inquantum est ens sunt quædam propria, & ea sunt de quibus est Philosophi perscrutari veritatem.

19

Ponit tertiam rationem quæ talis est: Eiusdem scientiæ est considerare subiectum & passiones eius, ergo ens & passiones eius; sed ens inquantum ens habet proprias passiones, sicut linea inquantum linea,& numerus inquantum numerus; ergo Metaphysica quæ considerat ens inquantum ens,considerabit prædictas passiones entis. Dicit ergo quòd *quoniam vnius inquantum vnum, & entis inquantum ens, sunt eædem secundum se passiones*, quæ quidem *non sunt lineæ, aut numeri, aut ignis* inquantum talia; nam passiones entis inquantum ens, nullius inferioris sunt passiones per se primo,& inquantum huiusmodi; quare inquam sic *est palam, quia illius scientiæ*, scilicet Metaphysicæ *est cognoscere quid est subiectum*, scilicet ipsum ens & vnum, *& eorum accidentia*; *& ideò non peccabant qui de eis intendebant, quasi non philosophantes; sed quia principium est substantia de qua nihil audiunt*, id est, quia ens inquantum ens habet quædam propria, quæ sunt communia; ideò consideratio de eis pertinet ad Philosophum: & ideò illi, qui de eis intendebant, non peccant quasi non philosophati sunt; sed quia dimittunt illa quæ pertinent ad considerationem primæ Philosophiæ: quia substantiæ obliuiscuntur, cùm tamen substantia sit principium, de qua Philosophus principaliter intendit. Subdit autem declarando quomodo ens inquantum ens habet passiones: *quoniam sicut numeri inquantum numeri, sunt propriæ passiones, vt imparitas & paritas, commensuratio & æqualitas excedentia, & defectus, & alia quæ secundùm se insunt numeris ad se inuicem*, id est sub disiunctione: *similiter autem solido, id est corpori mobili, & immobili, graui, & leui sunt alia propria*, id est, propriæ passiones: & sic & enti inquantum ens sunt quædam propria, *& ea sunt de quibus est Philosophi perscrutari veritatem.*

Ens habet passiones.

Considerat Geometricus in vniuersali tantùm.

Notandum, quòd licèt *vnum* sit verè passio entis, tamen Philosophus hìc dicit, easdem esse passiones entis & *vnius*, quod dicit pro quanto, quia *vnum* est prima passio & immediatiùs adhærens ipsi enti, mediante qua insunt omnes aliæ passiones; & ideò quodammodò habet rationem subiecti respectu omnium aliorum, vt sic dicantur æqualiter passiones esse eædem vtriusque. Deinde cùm dicit:

Quo sensu dicuntur esse eadem passiones entis & vnius.

Signum autem: Dialectici namque & Sophistæ eandem subinduunt figuram Philosopho: quia Sophistica apparens solùm est sophia, & Dialectici de omnibus disputant, omnibus autem ens commune est. Disputant autem de his videlicet: quia Philosophiæ sunt ipsa propria: nam circa idem genus versantur & Sophistica & Dialectica cum Philosophia: sed differt ab hac quidem modo potestatis: ab illa verò vitæ proharesi. Est autem Dialectica tentatiua, de quibus Philosophia est sciens: & Sophistica quidem apparens, ens verò non.

20

Ponit tertiam rationem quæ talis est: Circa idem versantur Dialecticus, Philosophus, & Sophista: sed Dialectici & Sophistæ disputant de prædictis omnibus, quæ sunt entis passiones; ergo & Philosophus. Hanc rationem declarat, ostendens quomodo Dialecticus & Sophisticus differant à Philosopho,& quomodo conueniant. Dicit ergo *quòd signum est*, scilicet quòd Philosophi est considerare de prædictis: *nam Dialectici & Sophistæ subinduunt eandem figuram*, id est, similitudinem *cum Philosopho*, quod declarat: *quia Sophistica est apparens sophia*, id est, sapientia supple solùm: quia est apparens,& non existens: quod autem habet apparentiam alicuius rei, habet aliquam similitudinem cum ea: *similiter autem & Dialectici disputant de omnibus*: quia habent ens commune pro subiecto: *quia commune omnibus est ens*: disputant enim Dialectici, scilicet de his prædictis communibus, quæ sunt communia Philosophiæ. Et reddit causam dictorum, *nam circa idem genus versatur Sophistica & Dialectica cum Philosophia*, & ratione huius habent ad inuicem conuenientiam: quia quælibet scientiarum istarum versatur circa totum ens, in quo conueniunt omnia, de quibus quælibet istarum se intromittit. *Sed differunt, quia* supple Philosophia differt ab hac, scilicet Dialectica, *modo potestatis*: nam maioris virtutis est cõsideratio Philosophi; quàm Dialectici, pro quanto Philosophus procedit de prædictis omnibus demonstratiuè, & per certitudinem. Dialecticus verò ex probabilibus, quæ solùm habent opinionem generare: ab ista verò, scilicet à Sophistica differt supple

Dialectici & Sophistæ disputant de passionibus entis.

In quibus cõueniunt & differunt Philosophus, Dialecticus, & Sophista vide Commẽtatorem hic.

Philosophus *vitæ proberesi*, id est, electione, siue intentione finis: quia supple Philosophus intendit veritatem: Sophista verò apparentiam veritatis, vt scilicet videatur scire, licèt non sciat. Subdit autem declarationẽ dictæ differentiæ dicens, quòd ***Dialectica est tentatiua de quibus Philosophia est sciens***: quia considerat de eis per demonstrationẽ, quæ habet generare propriè scientiam: ***sophistica quidem visa, ens verò non***, id est, apparens & non existens: cùm tantùm intendat apparere scire, dato quòd non sciat, propter quod distinguitur à Philosopho.

21 *Dialectica & Sophistica duplex.*

Notondum, quòd Dialectica, & Sophistica distinguuntur, quia quædam est docens, & quædam est vtens: dicitur docens hæc, vel illa, vt habet considerare de proprio subiecto, dando modũ & artem arguendi, & syllogizandi verè, & apparenter, reddendo singula singulis: sed dicitur vtens hæc vel illa, quando modo arguendi adinuento vtitur ad arguendum vel ad concludendum aliquid in aliis scientiis. Primo modo quælibet earum habet aliqualiter rationem scientiæ, quatenus circa proprium subiectum quælibet modo aliqualiter demonstratiuo speculatur. Secundo autem modo recedunt à ratione scientiæ. Philosophus ergo comparans eas in loco isto ad Philosophiam, dicens solam Philosophiam esse scientiam, accipit eas vt vtentes: sic enim ex probabilibus vel ex apparentibus versantur circa omne ens; vnde Dialectica hæc dicitur tentatiua, pro quanto communes intentiones quas cõsiderat tanquam quædam extranea applicat ad propria in aliis scientiis. Deinde cùm dicit:

Dialectica tentatiua vocatur.

SVMMARIVM.

Hæc est altera pars huius capitis, in qua Philosophus quatuor rationibus ostendit omnes passiones disiunctas entis considerari in hac scientia; inferens hinc tria corollaria, quæ clarè ponuntur.

Tex. co. 6.

AMpliùs autem contrariorum altera coëelementatio, priuatio, & omnia referũtur ad ens & non ens, & ad vnum, & pluralitatem, vt status vnius, & motus pluralitatis. Entia verò & substantiam confitentur ex contrariis ferè omnes componi: omnes enim principia dicunt contraria: hi namque par & impar: illi calidum & frigidum: alij autem finitum & infinitum, alij amorem & odium; omnia verò & alia videntur reducta ad vnũ & pluralitatem: sumatur enim ipsa reductio à nobis, principia verò, & omnia quæ ab aliis & in genera hæc cadunt.

22

Ponit quartam rationem quæ talis est: Quæcunque reducuntur ad vnum & ens, pertinent ad considerationem huius scientiæ, quæ versatur circa vnum & ens; sed omnia prædicta sunt huiusmodi; ergo, &c. Minorem declarat inductiuè. Primò quomodo contraria reducuntur ad ens & & non ens, inquantum alterum habet rationem priuationis & alterum rationem habitûs. Secundò quomodo aliqua reducuntur ad vnum & plura, vt motus & quies: inquantum enim motus habet rationem alteritatis & diuersitatis cuiusdam, reducitur ad plura: quies verò inquantum habet rationem vniformitatis & cuiusdam vnitatis, reducitur ad vnum. Nam quiescere est non aliter se habere nunc quàm priùs ex 6. Physic. text. com. 32. Tertiò vtens opinione antiquorum omnia dicit esse contraria, vel ex contrariis: si ergo contraria reducantur ad ens & non ens, vnum & plura; sequitur quòd omnia entia similiter reducentur: nam cùm principia reducantur ad vnum & ens, & per consequens principiata, sequitur quòd omnia entia quæcunque sunt, est vnius scientiæ speculari. Dicit ergo quòd ***ampliùs alia coëlementatio contrariorum, priuatio, & omnia referuntur ad ens & non ens***: semper enim duorum contrariorum alterum habet rationem habitûs & entis: alterum verò priuationis & non entis, quatenus priuatio est formaliter quædam negatio, quæ est non ens. Similiter secundò aliqua reducuntur ***ad vnum & non pluralitatem vt status***, id est, quies quæ scilicet habet rationem vnius ***& motûs*** pluralitatis. Vlterius cùm ***ferè omnes***, scilicet Philosophi antiqui ***confitentur entia & substãtiam componi ex contrariis***, vt scilicet Philosophi ***omnes quidem dicunt principia contraria***, licèt differenter: ***nam hi*** dicunt talia contraria, scilicet ***par & impar***, vt Pythagoras: ***illi verò calidum & frigidum***, vt Parmenides: ***alij finem***, id est, finitum & infinitum, vt dictum est in primo libro: ***alij amorem & odiũ***, vt Anaxagoras. Ex quo patet, quòd omnia contraria reducuntur ad ens modo prædicto. Addit autem quòd sicut supple prædicta contraria reducuntur ad ens: & ***ita videntur reduci ad vnum, & multitudinem, & pluralitatem: sumatur autem***, id est, supponatur ***hic à nobis ipsa reductio***: quia supple longum esset ostendere de singulis cõtrariis: tamen hoc sit manifestum, quòd omnia contraria reducuntur ad vnum & ens: & omnia tam principia quàm principiata incidunt aut in vnum, aut in ens, ideò dicit, ***principia verò & quæ sunt præter alia***, id est, principiata ***reducuntur*** supple ad vnum & ens ***quasi genera***: non quòd sunt vera genera, sed ratione sui communitatis dicuntur genera, id est, generalia & communia: si igitur omnia contraria sunt principia vel ex principiis, oportet quòd ad vnum & ad ens reducantur; vnde patet ex prædictis, quòd contraria habent duplicem reductionem ad ens, vnam ratione priuationis, aliam quatenus contraria sunt principia, quæ habent reduci ad vnum & ad ens, quasi ad genera.

Quiescere quid.

Quomodo ens & vnum sunt genera?

23 *Prædicta cõtraria reducit ad vnum in genere.*

Notandum, quòd omnia enumerata contraria aliqualiter reducuntur ad vnum & pluralitatem, quod patet inducendo: nam imparitas habet aliquid vnitatis ratione suæ indiuisionis: paritas verò pertinet ad pluralitatẽ quatenus habet homogenea congregare: calidum habet rationem vnitatis, frigidum verò pertinet ad pluralitatem ratione oppositi, inquantum habet disgregare homogenea, commiscendo & congregando heterogenea: finitum etiam habet rationem vnius: infinitum verò pluralitatis, quæ potest augeri in infinitum: amor autem habet rationem vnitatis, sicut patet: odium verò rationem pluralitatis pro quanto habet separare. Deinde cùm dicit:

Palàm igitur & ex his, quia vnius est scientiæ eius inquantum ens speculari; omnia namque aut contraria aut ex contrariis, principia verò contrariorum vnum & pluralitas.

Hæc

Hæc autem vnius ſcientiæ, ſiue ſecundùm vnũ dicuntur, ſiue non, vt forſan habet veritas. At tametſi multipliciter dicitur vnum ad primum, tamen alia dicuntur, & contraria ſimiliter.

Concludit ergo tria corollaria ex prædictis. Secundum ponitur ibi: *Et propter hoc.* Tertium ibi: *Ergo quia vnius.* Primum corollarium eſt ad confirmationem dicti ſuprà in principio huius quarti, quod ſequitur ex nunc dictis, ſcilicet quòd vnius ſcientiæ eſt conſiderare ens inquantum ens, quod ſic patet, *omnia namque aut ſunt contraria, aut ex contrariis:* contraria autem reducuntur ad vnum & plura; ideò dicit quòd *principia contrariorum ſunt vnum aut pluralitas: ſed ea,* ſcilicet vnum & plura, *eſt vnius ſcientiæ conſiderare,* vt prius oſtenſum eſt; ſequitur ergo quòd vnius ſciẽtiæ ſit conſiderare omnia entia, *& hæc ſiue vnum & ens dicantur ſecundùm vnum,* id eſt, verè vniuocè, *ſiue non, vt forſan habet veritas: attamen & ſi vnum dicitur multipliciter, ad primum alia dicentur,* id eſt, reducentur, *& contraria ſimiliter:* & propter hoc, ſcilicet quòd ens & vnum non ſit vniuerſaliter dictum de omnibus, quale eſt genus propriè: aut ens ſit ſeparabile ſicut poſuit Plato, vt forſan non eſt; ſed hoc quidem ad vnum primum: illa verò in eo quòd conſequenter ſe habent ad illud primum. Vult dicere: ſiue *vnum*, ſiue *ens* ſunt genera, ſiue non: & ſiue ſunt vniuerſalia ſeparata, vt ait Plato, ſiue non; tamen omnia entia dicuntur ad vnum ſaltem ſecundùm attributionem, de quibus Metaphyſica agit priùs, & principaliùs: de aliis verò poſteriùs & conſequenter: vtitur autem iſta litera bis, iſto aduerbio dubitandi, ſcilicet *forſan*: quia ſiue ens ſit vniuocum omnino, ſiue non, ſicut forſan eſt verum, loquendo de vniuocatione Phyſica, quæ tollit omnino ordinem analogiæ, & proportionis: ſiue etiam vniuerſalia ſint ſeparata, ſiue non; ſicut oſtendetur 7. huius, nihil refert ad propoſitum, quin de ente inquantum ens, ſpeculetur ſcientia vna: ex quo omnia entia habent ad aliquod vnum analogiam ſecundùm ordinem attributionis.

Tollit inſtantiam de æquiuocatione entis.

24

Non omnia entia ſunt contraria, nec ex contrariis, vt voliit antiqui,

Notandum, quòd cùm ait Philoſophus omnia entia vel eſſe contraria, vel eſſe ex contrariis, loquitur modo antiquorum, qui ſolùm poſuerunt entia illa corpora ſenſibilia, quæ vtique ſunt contraria, vel compoſita ſunt ex contrariis: ſubſtantiæ autem incorruptibiles, & immateriales, cuiuſmodi ſunt corpora cæleſtia, & Intelligentiæ, non ſunt contraria, nec ex contrariis compoſita. Deinde cùm dicit:

Et propter hoc: & ſi non eſt ens, aut vnum vniuerſaliter, & idem in omnibus, aut ſeparabile, vt forſan non eſt, ſed hæc quidem ad vnum; illa verò in eo quod conſequuntur. Et ideò non eſt Geometræ ſpeculari quid contrarium, aut perfectum, aut vnum, aut ens, aut idem, aut diuerſum, niſi ex ſuppoſitione.

Ponit ſecundum corollarium dicens, quòd propter hoc quod dictum eſt, non eſt Geometræ ſpeculari, ſcilicet de prædictis, quæ ſunt communia conſequentia ens inquantum ens, vt quid eſt contrarium, aut perfectum, aut ens idem, aut diuerſum; niſi ex conditione, vel ſuppoſitione, pro quanto accipit ea, & ſupponit à primo Philoſopho inquantum ſibi eſt neceſſarium: ſimiliter intelligendum eſt de aliis ſcientiis particularibus. Deinde cùm dicit:

Quòd quidem igitur vnius ſcientiæ eſt ens inquantum ens ſpeculari, & quæ inſunt eis in quantum eſt ens manifeſtum. Et quia non ſolũ ſubſtantiarum, ſed & accidentium eadem eſt theoria, & de dictis, & de priore, & poſteriore; & de genere, & ſpecie, & toto, & parte, & aliis talibus.

Ponit tertium corollarium, dicens quòd *manifeſtum eſt quod vnius ſcientiæ eſt ſpeculari ens inquantum ens*: ex quo etiam manifeſtum eſt quòd *eadem theoria*, id eſt, conſideratio eſt, *non ſolùm ſubſtantiarum, ſed etiam accidentium*: & ſimiliter *eſt eadem theoria dictorum*, ſcilicet ſuperiùs, putà eiuſdem & diuerſi, ſimilis & diſſimilis, &c. *ſed etiam de priori, & poſteriori genere, & ſpecie, & toto, & parte, & aliis talibus,* quæ ſupple communia ſunt enti, & conſequuntur ens inquantum ens, & per conſequens de ipſis omnibus conuenit ſpeculari.

SVMMA SECVNDA

De principiorum cognitione.

In hac ſumma per ſex capita contenta fusè agit Philoſophus de principiis demonſtrationis in ordine ad conſiderationem. Primò diſputat de principiis omnibus communibus. Secundò fusè impugnat negantes prima principia, vt concedentes contradictoria ſimul vera, vel falſa, &c. examinans quibus motiuis in tales errores inciderunt. In cap. 1. vſque ibi. *niſi Phyſicorum.* docet ad Metaphyſicum ſpectare conſiderationem de ſubſtantiis, & principiis, ſeu dignitatibus, quas ſcientes particulares ſupponunt.

CAPVT I.

Ad Philoſophum pertinere conſiderationem de omnibus communibus principiis.

Dicendum autem, vtrùm vnius ſcientiæ, aut diuerſæ; de vocatis in Mathematicis dignitatibus, & de ſubſtantia?

Text. co. 7.

Poſtquam Philoſophus oſtendit, quòd iſta ſcientia verſatur circa ens inquantum ens, & circa paſſiones entis, nunc oſtendit quòd iſta ſcientia verſatur circa prima principia demonſtrationis, quæ dicuntur dignitates. Circa quod duo facit. quia, Primò oſtendit propoſitum de omnibus illis principiis communiter. Secundò ſpecialiter intentum de primo principio, Secunda ibi: *Congruit autem maximè.* Prima in tres, quia Primò proponit quæſtionem, vtrùm ſcilicet ſit vnius ſcientiæ conſiderare de ſubſtantia, & principiis communibus, quæ dicuntur dignitates. Secundò ſubiungit quæſtionis ſolutionem. Tertiò ponit

25

solutionis rationem. Secunda ibi: *Palam autem.* Tertia ibi: *Omnibus enim.* Dicit ergo quòd *dicendum est, vtrùm vnius scientiæ aut diuersæ sit* supple speculari *de substantia & de vocatis dignitatibus in Mathematicis?*

Quare appropriantur dignitates Mathematica?

Notandum, quòd ista principia magis appropriantur Mathematicis scientiis quàm aliis, quatenus certiùs demonstrant & manifestiùs vtuntur istis principiis per se notis, resoluendo omnes suas demonstrationes in ista principia simpliciter prima. Deinde cùm dicit:

Palàm autem, quia vnius est, & eius quæ est Philosophi, quæ de his perscrutatio.

Metaphysica est cõsiderare prima principia.

Ponit quæstionis solutionem, dicens esse manifestum *quia perscruratio de his est vnius scientiæ eius, quæ est Philosophi*, id est, Metaphysici, quam intendimus. Deinde cùm dicit:

26

Omnibus enim insunt existentibus, sed non generi alicui separatim ab aliis: & vtuntur omnes, quia entis sunt in quantum est ens, vnumquodque autem genus ens. In tantum verò vtuntur inquantum eis sufficiens est; hoc autem est quantum continet genus de quo demonstrationes ferunt. Quare quoniam manifestum quod in quãtum sunt entia, insunt omnibus; hoc enim est eis commune de ente in quantum est ens cognoscentis, & de eis est speculatio.

Ponit rationem circa datam solutionem. Circa quod tria facit. Primò quod dictum est. Secundò excludit quosdam errores circa huiusmodi principia. Tertiò concludit intentum. Secunda ibi: *Sed Physicorum.* Tertia ibi: *Quia igitur Philosophi.* Prima in duas secundùm quod dupliciter probat dictam solutionem. Primo à causa. Sedò à signo ibi: *Vnde nullus.* In prima parte intendit talem rationem: Illa quæ communiter consequuntur omne ens, pertinent ad hanc scientiam Philosophalem, quæ est de omni ente: sed talia principia communia sunt huiusmodi; ergo, &c. Minorem ostendit, quia omnes scientiæ vtuntur eis circa quoddam ens particulare, de quo considerant, secundùm quod sufficit eis: quod non esset, nisi consequantur ens in quantum ens. Dicit ergo, quòd supple principia communia, quæ dicuntur dignitates, insunt *omnibus existentibus*, id est, entibus *& non alicui generi entis separatim* & seorsum *ab aliis, & omnes*, scilicet scientiæ, *vtuntur eis, eo quia sunt entis in quantum ens:* & reddit causam quare omnes scientiæ vtuntur eis, quia *vnumquodque genus* subiectum scientiæ *est ens*, id est, recipit prædicationem entis: *in tantum verò vtuntur* scientiæ particulares illis principiis communibus *in quãtum eis est sufficiens: hoc autem est in quantum continet genus*, scilicet subiectum, *de quo* scientiæ particulares *ferunt ipsas demonstrationes, quare manifestum* est, quòd supradicta principia *insunt omnibus in quatum sunt entia; hoc enim est eis commune* quod sunt circa ens: quia scilicet consequuntur ens in quantum ens: manifestum est ergo *quòd speculatio de his* principiis *est scientiæ cognoscentis ens* in quantum ens.

27

Notandum, quòd sicut habetur ex primo Poste. text com. 24. cap. illo. *Difficile autem est nosse:* ista principia communia, quæ dicuntur dignitates, non ingrediuntur demonstrationem secundùm substantiam: sed tantùm secundùm virtutem, pro quanto omnia principia particularium scientiarum firmantur per ea, & roborantur. Ratio huius est, quia demonstratio procedit ex propriis nõ ex communibus: si tamen ista principia contrahantur & applicentur ad propria, sic aliqualiter & secundùm substantiam ingrediuntur demonstrationem: non quidem in sua communitate, sed contracta vt dictũ est ad propria alicuius scientiæ, & sic scientiæ vtuntur eis, quantum eis sufficit, & requirit eorum subiectum proprium. Exemplum: Geometria quandoque vtitur illo principio: *si ab æqualibus æqualia demas*, &c. contrahendo ipsum sic: *si ab æqualibus lineis æquales lineas demas, quæ remanent sunt æquales*; & sic aliis. Deinde cùm dicit:

Quare dignitates non ingrediũtur demonstrationẽ nisi contrahantur.

Vnde nullus particulariter intendentium nititur dicere de eis aliquid si vera, aut non, nec Geometer, nec Arithmeticus.

Sciẽtiæ particulares prę supponunt prima principia.

Ponit secundam rationem sumptam à signo dicens, quòd *nullus intendentium particulariter*, id est, nullus tradens scientiam de aliquo particulari, *nititur dicere aliquid de eis*, scilicet huiusmodi principiis communibus, *si sunt vera aut non*; *nec etiam Geometria nec Arithmetica*, de quibus magis videretur; eo quòd maximè vtuntur istis principiis, vt prædictum est; vnde est signum, quòd considerare de ipsis pertinet ad sciẽtiam quæ considerat de ente communiter in quantũ ens, qualis est Metaphysica. Deinde cùm dicit:

SVMMARIVM.

Reiicit errorem eorum, qui negabant substantias insensibiles, & eorum, quæ dicta principia demonstrare volebant. Ostendit specialiter hanc scientiam esse de primo principio.

Nisi Physicorum quidam meritò facientes hoc, soli namque putantur de tota natura intendere & de ente. Sed quoniam adhuc Physico aliquis est superior, vnũ enim aliquod genus entis est natura, vniuersalis sanè & circa primam substantiam theorizantes, & de his vtique perscrutari habebunt. Est autem sophia quædam Physica, sed non prima.

28

Error duplex de primis principiis hic excluditur.

Excludit quosdam errores circa huiusmodi principia. Circa quod duo facit: quia primò excludit errorem illorum, qui se intromittebant de dictis principiis, cum ad eos nequaquam pertinerent. Secundò errorem illorum qui de ipsis tractabant aliter quàm oportet de eis tractare. Secũda ibi: *Quicumque verò conantur.* Dicit ergo quòd *quidam Physicorum hoc facientes*, scilicet tractantes de principiis communibus *nisi*, id est, conati sunt hoc facere; & hoc *meritò: soli namque putantur intendere de natura & de ente*: vult dicere quòd quidam antiqui Naturales opinati sunt nullam esse substantiam præter naturalem & sensibilem, & sic secundùm eos, cùm omne ens sit sensibile & naturale, idem est intendere de natura & de toto ente, & sic ad eos pertinere considerare de

de primis principiis quæ habent considerari ab eadem scientia, quæ considerat de ente: sed hoc excludit tanquam falsum dicens: *sed quoniam adhuc est aliquis* Philosophus *prior Physico*, scilicet Metaphysicus: *nam ipsa natura*, id est, res naturalis & mobilis *est vnum aliquod genus entis vniuersalis*: probatum est enim alibi scilicet 8. Physicô text. com. 48. 53. & 78. quod omne ens immobile est nobilius, & superius ente mobili, de quo considerat Philosophus naturalis: de quo ente pertinet considerare ad illam scientiam, quæ considerat ens in communi quæ erit alia à Physica: quæ etiam considerabit de talibus principiis communibus; ideò dicit quòd ipsius scilicet scientiæ *vniuersalis theorizantis circa primam substātiam*, scilicet immobilem, *erit vtique speculatio, & de his vtique* scilicet principiis communibus: *Physica enim est sophia*, id est, quædam particularis Philosophia, *sed non prima*: quæ scilicet considerat ens inquantum ens, & ea quæ communiter ens consequuntur. Patet ergo ex prædictis quòd illi Philosophi naturales intromittentes se de huiusmodi principiis communibus, excedebant limites proprios, cùm tamen ad eos non pertineat, licèt meritò hoc fecissēt supposita hypothesi quam ponebant, scilicet quòd omne ens esset naturale: quia tunc Philosophia naturalis esset prima simpliciter & de omni ente, sicut habet 6. huius, text. co. 5. Verumtamen eorum suppositum erat falsum. Deinde cùm dicit;

Text. com. 8

Quicunque verò conantur dicentium quidē de veritate quo oportet modo recipere, propter ignorantiam analyticorum hoc faciunt. Oportet enim de his præsentibus venire, sed non audientes quærere.

29

Excludit secundum errorem eorum, qui de principiis communibus pertractabant aliter quàm deberent volentes scilicet ipsa demonstrare. Dicit ergo, quòd *quicunque dicentium quidem de veritate* dictorum principiorum *conantur dicere*, id est, demonstrare *& quo oportet modo recipere propter ignorantiam analyticorum*, id est, scientiæ de demonstratione, quæ traditur in Logica: *oportet enim præuenire*, id est, præcognoscere *præscientes de his*, scilicet principiis communibus *& non quærere audientes*, id est, quod illi, qui acquirunt scientiam per demonstrationem, oportet quòd præueniant ad cognoscendum huiusmodi principia communia & ipsos discipulos audientes, id est, instruendos in aliqua scientia, non oportet quærere de his, vt scilicet quærant ea sibi demōstrari, sed oportet quemlibet ducendum supponenere ipsa & habere in mente, sicut habetur primo Posteriorum. Deinde cùm dicit:

Oportet præcognoscere prima principia. Text. 5.

Quod quidem igitur Philosophi, & de omni substantia speculantis, inquātum congruit, & de omnibus syllogisticis principiis est perscrutari palàm.

Concludit intentum dicens *palàm est quòd Philosophi*, scilicet Metaphysici *est perscrutari de omnibus principiis syllogisticis speculantis etiam* de omni scientia *inquantum est* de huiusmodi principiis communibus.

Notandum, quòd huiusmodi principia communia sunt communiter nota omnibus, eo quòd termini eorum cadunt in conceptione cuiuscunque: nam componuntur ex terminis cōmunibus, qui sunt noti priùs nobis; eò quòd nostra cognitio incipit à communibus & confusis, vt habetur 1. Phys. text. com. 3. isti autem termini communes sunt ens, totum, pars, æquale, inæquale, & similia, & quia huiusmodi termini communes pertinent ad considerationem Metaphysici, & per consequens huiusmodi principia sunt de consideratione eius; considerat autem Metaphysicus dicta principia non demonstrando, sed rationes terminorum declarando, vt quid sit totum, & quid sit pars, &c. quod facit in quinto, quibus terminis notis, statim intellectus assentit veritati talium principiorum in virtute naturalis luminis intellectûs. Tunc sequitur illa pars:

Principia cognoscimus in quātum terminos, &c.

Termini communes.

Congruit autem maximè cognoscentem circa vnumquodque genus habere dicere firmissima rei principia. Quare & de entibus inquantum sunt entia omnium firmissima, est autem hîc Philosophus ipse.

30

Vbi ostendit specialiter, quòd ista scientia versatur circa primum principium simpliciter. Circa quod duo facit: quia primò innuit rationem probantem, quòd ad Metaphysicum spectat illud primum principium: & secundò incipit determinare, & exequitur de eo. Secunda ibi: *Et firmissimū omnium.* In prima parte intendit talem rationem: In quocunque genere scientiæ ille est maximè cognoscens, qui nouit firmissima, & certissima eius principia: sed Metaphysicus est cognoscens maximè, vt patet ex prologo huius libri, & inter principia communia, & metaphysicalia illud, quod est primum principium, est firmissimum; ergo Metaphysicus maximè considerat illud primum principium. Dicit ergo, quòd *circa vnumquodque genus* scientiæ *congruit maximè cognoscentem dicere*, id est, cognoscere *firmissima rei principia*: certitudo enim cognitionis dependet ex principiorum cognitione, & certitudine: *quare & de entibus inquantum sunt entia*, oportet supple principia præcognoscere *omnium firmissima*: *est autem hic Philosophus ipse*, qui scilicet nouit talia principia, & maximè quod est primum principium inter ipsa. Deinde cùm dicit:

Primū principium simpliciter est Metaphysici considerare.

S V M M A R I V M.

Ponit tres conditiones primi principij, quas optimè explicat Doctor, applicans eas ad propositum.

Firmissimum autem principium omnium est circa quod impossibile est mētiri: notissimū enim esse tale est necesse, nam circa ea quæ ignorant decipiuntur omnes, & non conditionale. Quod enim necessarium habere quodcunque entium intelligentē, hoc verò non conditionale; quod autem cognoscere est necessarium quemcunque cognoscentem, & venire ad habentem est necesse. Quod quidem igitur tale principium omnium est firmissimum palàm.

Incipit determinare; & exequitur de ipso modo

31

modo declaratiuo ostendens quid sit, & quale sit. Secundò determinat de eo modo defensiuo defendens ipsum contra negantes disputans contra eos. Secunda ibi: *Sunt autem quidam.* Prima diuiditur in duo. Primò enim præmittit, quæ sunt conditiones principij firmissimi. Secundo applicat eas ad propositum. Secunda ibi: *Quid verò sit illud.* Ponit ergo tres conditiones principij firmissimi. Prima conditio est, quòd circa ipsum non contingit mentiri, vel errare; ideò dicit, quòd *firmissimum omnium principiorum est id scilicet circa quod impossibile est mentiri.* Cuius causam subdit, *enim* pro quia, *tale* scilicet principium firmissimum *necesse est esse notissimum*; ex quo sequitur, quòd non contingit decipi circa illud, *cùm circa ea quæ ignorant decipiuntur omnes.* Secunda conditio est, quòd non sit conditionale, id est, notum ex suppositione, vel conditione, sed sup. sit per se notum; ideò dicit, quòd supple principium firmissimum *oportet non esse conditionale.* Cuius causam tangit: quia illud principium, *quod necessarium est habere intelligentem quodlibet entium hoc non est conditio,* id est, non est habitum ex conditione, vel ex suppositione, quasi non sit per se notum. Tertia conditio est, quòd supple principium firmissimum *necessarium est cognoscere, & necesse est venire habenti ipsum,* non supple per demonstrationem, sed notis terminis, posteà concludit *palàm esse, quod tale principium,* quod scilicet habet omnes dictas conditiones, *est omnium firmissimum.* Deinde cùm dicit:

Conditiones primi principij tres.

Firmissimum.

Absolutum nō cognitum ex suppositionem.

Euidens ex terminis.

Quod verò sit illud post dicamus.
Idem enim simul esse, & non inesse eidem, & secundùm idem impoßibile, & quæcumque alia determinaremus vtique sicut determinata ad Logicas difficultates.

Tex. com. 9.

Applicat dictas conditiones ad propositum de primo principio. Circa quod duo facit: quia primò dicit quid sit illud primum principium. Secundò adaptat ei dictas conditiones. Secunda ibi: *Illud enim firmissimum.* Dicit ergo, *quid sit illud,* scilicet principium firmissimum, scilicet *postea dicamus,* & posito, quòd sit ipsum, scilicet quòd *simul esse, & non esse eidem est impossibile, & oportet addere quæcunque alia sunt determinata ad Logicas difficultates,* id est, oportet addere alias omnes conditiones requisitas ad incompossibilitatem contradictionis positas 1. Elenchorum c. 3. scilicet quod impossibile est aliquid eidem inesse secundùm idem ad idem: similiter & in eodem tempore, & huiusmodi, quæ ponuntur in definitione elenchi, qui est syllogismus contradictionis. Deinde cùm dicit:

Primum principium.

Hoc autem omnium firmißimum est principiorum; habet enim dictam determinationem. Impoßibile namque quæcunque idem existimare esse, & non esse, quemadmodū quidem quidam putant dicere Heraclitum, non enim est necesse, quæ aliquis dicit hoc existimare. Si verò non, contingit simul inesse eidem contraria: determinata sint autem à nobis, & huic propositioni consueta. Contraria verò est opinio opinioni, quæ contradictionis. Palàm quia impoßibile simul existimare eundem esse, & non esse idem: simul enim habebit contrarias opiniones qui de hoc est mentitus.

Adaptat isti principio dictas conditiones. Primò primam. Secundò secundam. Tertiò tertiam. Secunda ibi: *Quapropter omnes.* Tertia ibi: *Natura namque.* In prima parte intendit talem rationem: Si contingat aliquem opinari, quòd idem sit & non sit; ergo eidem simul inerunt contraria: consequens est falsum; ergo antecedens, & per consequens nullum contingit decipi, vel errare circa hoc principium. Consequentiam probat ex hoc; quia contrariæ opiniones sunt illæ, quæ sunt contradictionis, vt habetur circa finem secundi libri Periherm. si ergo aliquis diceret, quòd cōtingeret aliquem opinari idem simul esse, & non esse, sequitur quòd ille, quod sic opinaretur, haberet simul contrarias opiniones. Dicit ergo, quòd *idem,* scilicet principium, quod nunc dictum est. *Est firmissimum omnium principiorum: habet enim dictam determinationem,* id est, primam conditionem supra determinatam: quod primò ostendit dicens, quòd *impossibile est suscipere,* id est, opinari *quemlibet idem esse, & idem non esse, sicut quidam dicunt Heraclitum hoc fuisse opinatum,* sed licèt hoc dixerit voce, non tamen opinabatur mente: ideò dicit, quod *non est sic quemadmodum quidam putant,* Heraclitum dicere: *non enim est necesse ea, quæ aliquis dicit,* scilicet voce, *ea & suscipere,* id est, opinari mente; postea tangit rationem ad oppositū dicens: *si verò non,* supple verum sit, quòd dictum est, *sequitur quod contingit eidem contraria simul inesse;* determinētur ergo nobis eadem, id est, quod ostendebatur propositum propositione consueta, quæ scilicet declarata est in Logicis, scilicet in 2. Perihermenias, quæ est ista, quod *contraria quidem est opinio opinioni, quæ est contradictionis,* quia ergo sic est, *palàm quia impossibile est eundem simul suscipere esse, & non esse, enim* pro quia, si sic, iste *quidem mentitus habebit contrarias opiniones,* quod supple est impossibile.

32

Impossibile est aliquem existimare idem simul esse, & non esse.

Notandum, quòd, vt probatur 2. Perihermenias, iuxta finem, si duo haberent duas opiniones contrarias, istæ opiniones non sunt contrariæ primò, & per se: si enim vnus opinatur, quòd Socrates est bonus, & alius opinatur, quòd Socrates est malus, non essent opiniones primò, & per se contrariæ, sed quod vnus opinetur, Socrates est albus, & alius opinetur, Socrates non est albus: si igitur vnus opinetur Socratem esse bonum, & idem opinetur Socratem non esse bonum, tunc erunt opiniones contrariæ per se, & primò: si igitur aliquis opinatur idem simul esse, & non esse, opinabitur duo contradictoria esse simul vera, & per consequens habebit simul duas contrarias opiniones; quare eidem simul inerunt contraria, quod est impossibile. Deinde cùm dicit:

33
Opiniones contrariæ triplices.

Quapropter omnes demonstrantes in hanc reducunt vltimam opinionem.

Adaptat dicto principio secundam conditionem, & innuit talem rationem: Illud, ad quod resoluuntur omnes demonstrationes, non habetur ex suppositione, sed est per se notum: sed dictum principium est huiusmodi, ergo, &c. Dicit ergo quasi concludens ex dictis: *quapropter,* quia supple sic est, quod circa illud principium non contingit mentiri, *ideò omnes demonstrantes reducunt in eam vltimam opinionem,* id est, in istam propositionem, & dignitatem vltimam, quæ est dignitas dignitatum. Deinde cùm dicit:

Natura namque principium, & aliarum dignitatum hæc omnium.

Adaptat ad dictum principium tertiam conditionem, & intendit talem rationem: Illud quod est notum in naturali lumine intellectus non habetur per demonstrationem, quia demonstratio est de ignotis: sed dictum primum principium est huiusmodi; ergo, &c. Dicit ergo, quòd dictum primum *principium est natura*, id est, naturaliter prius, & hæc scilicet propositio, vel dignitas *est aliarum omnium dignitatum* supple prior, ex quo sequitur, quòd non habetur per demonstrationem: qualiter autem prima principia fiant nobis nota in lumine naturali intellectus, declaratum fuit in quadam quæstione in prologo primi libri, & in quadam quæstione posita in secundo libro.

Demonstratio est de ignotis.

SVMMÆ SECVNDÆ

Cap. II.

Contra dicentes, contingere posse idem esse, & non esse.

SVMMARIVM.

In hoc capite vsque ibi: *Ampliùs si homo*, reiicit duos errores de primo principio, explicans quomodo dici possit aliqualiter demonstrari.

SVnt autem quidam, qui, vt diximus, dicebant contingere idem esse, & non esse, & existimare ita: Vtuntur autem ratione hac multi eorum, qui de natura. Nos autem nunc accipimus quasi impoßibile existente simul esse & non esse: & propter hoc ostendimus, quia firmißimum id principiorum omnium est.

34

Processus defensiuus.

Postquam Philosophus determinauit de primo principio, modo declaratiuo ostendens quid, & quale sit, nunc procedit ad determinandum de ipso modo defensiuo, defendens ipsum contra negantes ipsum disputans contra eos. Circa quod duo facit? Primò enim tangit & excludit duos errores circa primum principium. Secundò regreditur super primum errorem disputans prolixè contra ipsum. Secunda ibi: *Principium verò ad omnia.* Prima in duas secundùm duos errores quos ponit: primus est negantium: secundus est demonstrare volentium illud principium ibi: *Dignantur autem & hoc.* Dicit ergo, quòd *sunt quidam qui, vt diximus* de Heraclito, *dicebant contingere idem esse, & non esse, etenim existimare*, id est, opinari, *ita esse, hac autem ratione*, vel positione, *vtuntur multi eorum, qui sunt de natura*, id est, multi Philosophi naturales, sicut inferiùs dicetur: *nos autem accipimus nunc quasi impossibile existente aliquid simul esse & non esse*, hoc enim supponendo; *per hoc enim ostendimus, quod* illud principium *firmissimum omnium est*, vt patet ex præcedentibus. Deinde cùm dicit:

Primus error circa primum principium.

Volunt autem & hoc demonstrare quidam propter ineruditionem, est enim ineruditio non cognoscere quorum oportet quærere demonstrationem, & quorum non oportet: totaliter quidem enim omnium esse demonstrationem est impoßibile: nam in infinitum procederet, vt nec ita foret demonstratio. Si verò quorundam non oportet quærere demonstrationem, quod volunt magis esse tale principium non habent dicere.

35

Ponit secundum errorem volentium, scilicet primum principium demonstrare. Circa quod duo facit: quia Primò ostendit primum principium non posse demonstrari simpliciter. Secundò quòd potest aliqualiter demonstrari, accipiendo scilicet impropriè demonstrari. Secunda ibi: *Est autem demonstrare.* Dicit ergo, quòd *quidam dignantur*, id est, dignum iudicant, *demonstrare hoc*, scilicet principium *propter ineruditionem*, vel indisciplinationem, siue ignorantiam artis demonstrandi, quod exponit cùm subdit: *est enim ineruditio non cognoscere quorum oportet demonstrationem quærere, & quorum non oportet: omnium enim esse demonstrationem est impossibile: nam in infinitum procederet*, scilicet demonstrator, vel supple esset circulus in demonstratione, quorum vtrumque est impossibile; ideò subdit; *quare nec ita fieret demonstratio*; oportet igitur aliqua esse indemonstrabilia. *Si verò quorundam non oportet quærere demonstrationem*, id est, si oportet aliqua esse indemonstrabilia, vt dictum est, *quod dignantur tale esse principium*, scilicet indemonstrabile *dicere non habent*, scilicet prætermisso illo, quòd sit primum.

Secundus error.

Non omnium esse demonstrationem ostendit.

Notandum, quòd sicut habetur ex 1. poster. text. 5. & 6. idem non demonstratur per seipsum, sed per aliud: nam aliter idem esset prius, & posterius, notius & minùs notum respectu suimet, cùm demonstratio procedat ex prioribus, & notioribus: si igitur omnia essent demonstrabilia, vel oportet esse circulum in demonstrationibus, vel processum infinitum, quorum vtrumque improbat Philosophus 1. poster. si ergo oportet dare aliqua simpliciter indemonstrabilia, multò magis primum principium, de quo nunc est sermo, erit simpliciter indemonstrabile: quia si istud non sit indemonstrabile, non habemus dicere, quòd aliud sit indemonstrabile, cum de illo magis videatur ratione suæ primitatis. Deinde cùm dicit:

Idem non potest demõstrare seipsum.

Est autem demonstrare elenchicè, & de hoc: quia impoßibile si solùm aliquid dicit qui dubitat: si verò nihil, derisio est quærere rationem ad nullam habentem rationem, inquantum non habet rationem: similis enim plantæ talis inquantum talis iam est. Elenchicè autem demonstrare vtique videbitur parum differre, & demonstrare. Quia demonstrans quidem, quod in principio; sed nec tali existente causa, elenchus vtique erit, & non demonstratio.

36

Ostendit quomodo aliqualiter potest dici dictum principium posse demonstrari. Dicit ergo, quòd *est*, id est, contingit *demonstrare de hoc*, id est, principio, *elenchicè*, id est, argumentatiuè: *quia impossibile est*, scilicet idem simul esse, & non esse: ex hoc *si ille, qui dubitabit*, scil. de dicto principio; *solùm aliquid dicit*, id est, dummodò aliquid nomine significet: *si verò nihil significet*, per nomen, *derisio est quærere rationem ad nullam habentem rationem, inquantum non habet rationem*, scilicet in loquendo;

loquendo; *talis enim in quantum est talis, similis est plantæ*: quæ scilicet nihil significat voce, vel signo aliquo: bruta enim aliquid, vel per voces, vel per signa naturalia significant: exponit autem modum, quo primum principium potest demonstrari, dicens, quòd *elenchicè*, id est, argumentatiuè *demonstrare*, scilicet primum principium: *dico autem differre, & demonstrare*, si supple simpliciter opinabitur *sic demonstrans*: *quia quæreret, quod est in principio*. Vult dicere, quòd multùm differt demonstrare primum principium modo argumentatiuo, & modo elenchico, & demonstrare ipsum simpliciter: nam primum non est inconueniens. Secundùm autem est impossibile: quia si aliquis vellet primum principium demonstrare, videtur petere principium: quia non posset accipere ad eius demonstrationem, nisi aliquid quod ex virtute illius principij dependeat: sed quando fit demonstratio simpliciter, & non per modum elenchi, & syllogismi probabilis, non sequitur illud inconueniens; vnde subdit: *sed nec tali causa* in demonstratione simpliciter, *existente argumentatio erit, & non demonstratio*.

Primũ principium potest aliqualiter demonstrari ex quo sequi videtur, quod omnium potest esse aliqualis demonstratio.

Demonstratio duplex.

Notandum, quòd primum principium non potest simpliciter demonstrari, cùm nihil sit prius eo: potest tamen demonstrari impropriè, scilicet modo argumentatiuo, siue syllogismo Elenchico, qui est syllogismus contradictionis, & hoc supponendo, quòd vnum aliquid significet: hoc enim est vnum principium contra negantes primum principium, vt patebit statim infrà. Deinde cùm dicit:

37
Tex. co. 10.

Principium verò ad omnia talia non velle, aut esse aliquid dicere, aut non esse: hoc enim forsan vtique quis opinabitur, quod à principio petere; sed significare quidem aliquid & ipsi, & alij. Hoc enim necesse est si dicat aliquid: si enim non, cum tali non vtique erit sermo, nec ipsi ad seipsum, nec ad alium. Siquis autem hoc dederit, erit demonstratio: iam enim erit aliquid diffinitum, sed tamen non demonstrans, sed sustinens: interimens enim rationem, sustinet ratione.

Regreditur super primum errorem disputans prolixè contra ipsum.

Ad cuius euidentiam notandum, quòd istud principium, *Impossibile est idem simul esse, & non esse*, multùm est affine principio, scilicet, *De quolibet est vera affirmatio, vel negatio*: nam quasi ex illo sequitur, & in illo virtualiter continetur. Secundùm hoc hæc pars diuiditur in tres. Primò enim disputat contra ponentes contradictoria esse simul vera. Secundò disputat contra ponentes ea simul esse falsa ratione medij, quod ponunt inter duo contradictoria, & per consequens negantes illud principium: *de quolibet affirmatio, vel negatio*. Tertiò disputat contra quosdam errores annexos, & his opinionibus communicantes. Secunda ibi: *At verò nec contradictionis*. Tertia ibi, iuxta finem huius quarti: *His autem determinatis*. Prima in duas, quia primò disputat contra eos communiter. Secundò magis specialiter. Secunda ibi: *Est autem non idem modus*. Prima in duas, quia primò facit, quod dictum est. Secundò ostendit, & adaptat opinionem Pythagoricorum isti positioni negantium primum principium. Secunda ibi: *Est autem ab eadem opinio*. In prima septem viis procedit contra eos. Prima sumitur ex nominis significatione. Secunda ex termini, vel nominis prædicatione. Tertia ex rerum distinctione. Quarta ex certitudinis cognitione. Quinta ex veritatis conditione. Sexta ex rerum fuga, & electione. Septima ex falsitatis comparatione. Secunda ibi: *Omnino verò destruunt*. Tertia ibi: *Ampliùs si contradictionis*. Quarta ibi: *Ampliùs autem circa omnia*. Quinta ibi: *Ampliùs igitur aut habere*. Sexta ibi: *Vnde maximè*. Septima ibi: *Ampliùs si quam maximè*. Circa primum sic procedit. Primò exponit modum siue principium quo contra eos arguendum sit. Secundò arguit contra eos secundùm datum modum, & principia. Secunda ibi: *Primum ergo manifestum*. Dicit ergo, quòd *principium*, scilicet procedendi, *ad omnia talia*, id est, contra omnia talia inopinabilia, *non dignari*, id est, non esse dignum *dicere aliquid esse, aut non esse*, id est, non oportet accipere pro principio aliquam propositionem affirmatiuam, vel negatiuam: *hoc enim forsan aliquis opinabitur, quod est à principio quærere*, id est, quod esset petitio principij, sicut dictum fuit suprà, *sed oportet* supple accipere pro principio, scilicet *significare hoc aliquid*, scilicet ipsum vnum, *& ipsi*, qui scilicet loquitur, *& alij*, scilicet cui loquitur, & ipsum audit: *hoc enim necesse est si aliquid dicat*, vel loquatur: *si autem non*, id est, si non concedat vnum aliquid significare, *cum tali non erit sermo, nec ei ad seipsum, nec ad alium*; quare supple cum tali derisorium est loqui, vel disputare: *sed siquis dederit hoc*, & concesserit statim *erit demonstratio*, contra eos: *iam enim aliquid erit definitum*, id est, distinctum à suo contradictorio; quod per vnum significatur, sicut patebit infrà, *sed causam non demonstrans*, *verùm* pro sed, *sustinens*, id est, quòd hoc faciendo non erit demonstrare simpliciter primum principium, sed erit tantùm ratio sustinens, & defendens primum principium contra negantes ipsum, ille enim, qui sustinet rationem, scilicet veram, destruit rationem falsam, quasi contradicens sibi, vt patet. Deinde cùm dicit:

38
Incipit disputare contra primum errorem primo communiter ex prima via nominis significatione.

Primum quidem igitur manifestum, quòd hoc idem verum est, quod significat nomen esse, aut non esse: quare non vtique omne sic, & non sic se habebit.

39

Arguit contra eos secundùm datum principium, & modum. Circa quod duo facit secundùm quod dupliciter arguit. Secunda ibi: *Ampliùs si homo*. Dicit ergo, quòd si nomen aliquid significat, vt supponitur, *hoc primum est manifestum, quod hoc quidem verum est, quòd vnum significat hoc aliquid esse, aut non esse*, id est, quòd hoc erit manifestum, quòd hæc propositio est vera, quòd vnum aliquid significat, & eius contradictoria, quam negat, est falsa: quia saltem hoc habemus, quòd non omnis affirmatio est vera cum sua negatione: ideò concludit: *quare non vtique omne sic, & non sic se habet*. Deinde cùm dicit:

SVMMARIVM.

Nomen vnum significat naturam seu vnum quid, non autem vnum, & non vnum; vnde conuincit nulli, conuenire posse simul esse, & non esse.

Amplius si homo significat vnum, sit hoc animal bipes. Dico autem significare hoc, si hoc est homo, si sit aliquid homo, hoc est hominem esse. Nil autem differt, nec si plura quis dicat significare, solùm autem definita; ponetur enim vtique singulis rationibus alterum nomen. Dico autem, vt si non dicat hominem vnum significare, sed multa, quorum vnius quidem vna ratio animal bipes: sunt autem & aliæ plures. sed definitæ numero. Ponetur enim proprium nomen secundùm vnamquamque rationem: si autem non ponatur, sed infinita significare dicat, palàm quia non vtique erit ratio: nam non vnum significare, nihil significare est. Non significantibus autem nominibus auferetur adinuicem disputare, secundùm veritatem autem, & ad seipsum. Nihil enim contingit intelligere nihil intelligentem vnum: si autem contingit, ponatur huic rei nomen vnum.

Tex.com..11

Sit itaque sicut à principio dictum est significans aliquid nomen, & significans vnum.

1. Suppos.

Ponit secundam rationem contra eos. Circa quod duo facit: quia primò præmittit quædam necessaria. Secundò ex illis arguit ad propositum. Secunda ibi: *Necesse itaque.* Prima in tres secundùm quòd tria præmittit. Primum, quòd nomen vnum significat vnum. Secundùm est quod sequitur ex primo, quòd hoc nomen *homo*, significat id quod est hominem esse, non autem id quod est hominem non esse. Tertium est quòd *homo*, & *non homo*, non significant vnum. Secunda ibi: *Nec itaque contingit hominem.* Tertia ibi: *Si autem non significat.* Dicit ergo, quòd *si homo significat vnum, sit hoc vnum animal bipes*: hoc enim vnum quod significat nomen, est definitio rei & quiditas, ideò subdit: *dico autem hoc vnum significare si hoc est homo*; *hoc est hominem esse*, id est, si animal bipes est quod quid est hominis, hoc erit significatum huius nominis *homo.* Ad probandum autem quòd vnum nomen significat, innuit talem rationem; quia si nomen significat plura, aut finita, aut infinita; si finita, habetur propositum; si infinita, peribit omnis disputatio. Ideò dicit, *nihil differt vt si quis plura dicat significare solummodò quòd tantum definita*, id est, si illa plura sint finita; *ponatur enim in singulis rationibus diuersum nomen*, id est, quòd cuilibet quiditati & rationi significatæ potest imponi nomen proprium & diuersum: *dico autem vt si dicat* aliquis *hominem non significare vnum, sed multa, quorum vnius quidem vna ratio sit animal bipes: sunt diuersæ & plures*, scilicet aliæ rationes significatæ, *sed definita numero: ponatur enim proprium nomen secundùm vnamquamque rationem*, & tunc redibit id quod prius, scilicet quòd quodlibet vnum nomen, vnum significabit: *si autem non ponatur* significare finita, *sed videtur significare infinita, palam, quia non erit ratio*, id est, locutio vel disputatio: quod patet sic: *nam non vnum significare, nihil est significare: sed non significantibus nominibus aufertur adinuicem disputatio & secundùm veritatem & ad ipsum*, id est, ad hominem. Quod autem non significare vnum, sit nihil, probat ex hoc: quia nomen significat intellectum, siue conceptum mentis; si igitur nihil intelligitur, nihil significatur: sed nihil intelligitur nisi vnum, vel sub ratione vnius: quia intellectus illud, quod intelligit, ab aliis distinguit; ideò dicit quòd *nihil contingit intelligere nisi vnum intelligentem: sed si contingit*, id est, quia contigit aliquod vnum intelligere, *imponatur huic rei*, quæ intelligitur, *vnum nomen*, & sic vt à principio dictum est, ipsum vnum aliquid significans est vnum significans: *sic ita sicut à principio dictum est significans aliquid & significans vnum*, supple sunt idem,

40

Quod significatur & intelligitur, est vnum.

Significare sequitur intelligere.

41 *Nomen vniuocum est simpliciter nomen vnum.*

Notandum, quòd cum Aristot. ait, quòd cum vnum nomen vnum significat, tantùm loquitur ex intentione de nomine vniuoco solùm, quod patet: tum quia infrà supponit, quòd si aliquod nomen significat plura, hoc erit secundùm æquiuocationem; tum quia hic statim dixit quòd si vnum nomen plura significet, nihil differt solummodò illa plura sint finita: quia cuilibet illarum rationum plurium poterit nomen proprium imponi, & redibit idem quod prius: vnde patet quòd nomen æquiuocũ plura significans, non est vnum simpliciter. Intendit ergo Arist. quòd nomen simpliciter vnum, significat vnum & secundùm vnam rationem: quare etiam addit quod contingit vnum tantùm intelligere sicut verum, quod & si plura intelligit, non nisi in quantum sunt aliquo modo vnum, & secundùm vnam rationem, vnde & possit eis imponi vnũ nomen tantùm. Deinde cùm dicit;

Vide Scot. sup. 1. elen.

Non itaque contingit homini esse significare, quòd quidem non esse homini si homo significat non solùm de vno, sed & vnũ. Non enim hoc significat vnum significare quod de vno: quoniam sic vtique musicum, & album, & homo, vnum significarent; quare vnum omnia erunt synonyma: namque & non erunt esse & non esse idem, nisi secundùm æquiuocationem, vt si quem nos hominem vocamus, alij non hominem vocent. Dubitatum verò hoc non est, si contingit idem esse, & non est hominem secundùm nomen, sed secundùm rem.

2. Suppos.

Ponit secundùm præmittendum, scilicet quòd hoc nomen *homo* significat idem, quod est hominem esse tantùm. Dicit ergo, *nec contingit itaque hominem* esse non esse hominem: *si homo significat non solùm de vno, sed & vnum*, id est, quòd si hoc est verum quod nomen significans vnum non solùm significat de vno, & subdit quòd ideò *dicatur vnum; quia de vno* sed significat id quod est vnum simpliciter, & secũdùm vnam rationem, hinc est quòd *homo* significat id quod est hominem esse, quod non significat id quod est hominem non esse: non enim dignamur, id est, non dignum iudicamus vnum significare quod est de vno: *quoniam sic musicum, & album, & homo, significarent vnum*, in quantum scilicet omnia de vno verificantur: *quare* sequitur quòd *omnia erunt vnum.* Cuius ratio est: quia album dicitur de homine: & propter hoc est vnum cum homine, eâdem ratione erit idem cum lapide, cùm dicatur de lapide; ex quo sequitur, quòd homo & lapis erunt vnum & idem cùm sint idem vni. Tertiò quia quæ sunt eadem vni & eidem: eadem sunt sibijnuicem; quare sequitur, quòd *omnia nomina erunt synonyma*, id est,

Hoc nomen, homo, tantùm significare hoc quod est hominem esse.

id est, quòd significantia eandem rem in nomine; cùm ergo esse & non esse verificentur de eodem, secundùm negantes primum principium: oportet tamen quòd aliud sit id quod est hominem esse, & id quod est hominem non esse; sicut id quod est album, & quod est musicum, est aliud & aliud secundùm rationem: licèt de eodem dicantur, puta de Socrate: Ideò concludit quòd *non erunt idem esse & non esse, nisi secundùm æquiuocationem*: quod dicit ad significandum quòd homo non significat vniuocè hominem esse, & non esse hominem; esto quòd possit vtrumque æquiuocè significare, *vt si quem nos hominem significamus: alij*, scilicet in alia lingua *non hominem vocent*: sed hoc *non est* modò *dubitatum* vel quæsitum, *si contingit simul idem esse hominem, & non esse hominem secundùm nomen*, scilicet æquiuocum, *sed* si sit idem *secundùm rem*, & secundùm rationem. Ex quibus omnibus patet quòd hoc nomen *homo*, ita significat hominem esse, quòd non significat hominem non esse: & accipitur hîc *esse* hominis pro quiditate hominis, quam significat nomen, nam ratio quam significat nomen est quiditas rei, quod per definitionem exprimitur. Deinde cùm dicit:

Si autem non significet alterum homo & non homo, palam quia non esse homo ab esse homini non erit alterum: quare erit homini esse non homini esse: vnum enim erit: hoc enim significat esse vnum, vt vestimentum & indumentum si ratio vna. Si verò erit vnum, & vnum signficat homini esse, & non homini: sed ostensum est quod alterum significat.

42

3. Suppos. *Homo & non homo, non significant idē.*

Ostendit tertium præmittendum, scilicet quòd *homo* & *non homo* non significant vnum & idem. Et intendit talem rationem: *homo* significat id quod est hominem esse, id est, quod quid est hominis, & *non homo* id quod non esse hominem, id est quod quid est non homo: si igitur homo & non homo idem significant; ergo esse hominem & non esse hominem erunt idem & non aliquid diuersum, & per consequens vnum de alio prædicabitur, & erunt idem secundùm rationem, sicut vestimentum & indumentum: quia idem nomen puta *homo*, vtrunque significaret: cuius oppositum præostensum est; ergo homo & non homo non significant vnum & idem. Dicit ergo quòd *si non significat diuersum homo & non homo: palam quia non esse hominē non erit diuersum*, ab esse hominē: *quare erit esse non hominem, esse hominem*, id est, prædicabitur vnum de alio in quid, & prædicatione dicente, hoc est hoc, *vnum enim erunt* secundùm rationem: *nam hoc significat esse vnum, vt vestimentum & indumentum si ratio sit vna: si verò erunt vnum*, scilicet hominem esse, & hominem non esse, *& vnum*, scilicet nomen puta homo *significabit hominem esse, & hominem non esse: sed ostensum est*, id est, suppositum tanquam superius ostensum: *quia diuersum significant*: ostensum est enim quòd hoc nomen *homo* significat hominem esse, & *non homo* significat non esse hominem. Ex quo patet quòd nō sunt idem esse hominem, & non esse hominem: quare *homo* & *non homo*, non idem significabunt quod est intentum. Deinde cùm dicit;

Necesse itaque si verum quod est dicere, quia homo animal est bipes; hoc enim erat quod significabat homo: sed si hoc necesse, non contingit, non esse hoc ipsum animal bipes, hoc enim significat, necesse esse impossibile non esse hominem. Non igitur contingit simul verum esse dicere idem hominem esse, & non esse hominem: eadem autem ratio & in non esse hominem.

Text. c. 12.

Arguit ad propositum ex præmissis. Circa quod tria facit. Primò enim ex prædictis format rationem. Secundò subiungit cuiusdam suppositi probationem. Tertiò excludit quandam cauillationem. Secunda ibi: *Nam hominem esse*. Tertia ibi: *Si respondeatur ad interrogatū*. In prima parte intendit talem rationem: Necesse est quòd homo sit animal bipes: hæc est ratio, quam significat hoc nomen *homo*, vt prædictum fuit: sed quod est necesse esse, non contingit non esse: quia istæ æquipollent, scilicet necesse est esse, & non contingit nō esse: vel nō possibile est non esse: si igitur non possibile est non esse; ergo impossibile est hominem non esse animal bipes. Ex quo patet quòd non contingit affirmationem & negationē simul esse veram de homine, scilicet quòd homo sit animal bipes, & quòd non sit animal bipes. Dicit ergo quòd *necesse est itaque verum dicere si quidem, quia homo est animal bipes: hoc enim erat quod significabat* homo: *sed si hoc necesse non contingit non esse hoc ipsum, animal bipes: hoc enim significat necesse esse quod est impossibile non esse*: quia illæ propositiones æquipollent: *non igitur contingit simul verū esse dicere idem hominem esse, & non esse hominem*. Addit autem quòd *eadem ratio est & in non esse hominem*: quia scilicet necesse est non hominem esse non animal bipes, & per consequens non contingit non esse non animal bipes, & sic vlterius vt priùs.

Hic plura notabis de æquipollentiis modalium.

Notandum, quòd ea quæ præmissa fuerunt, sic valent ad istam rationem; quia si daretur quòd *homo* & *non homo* idem significarent, vel quòd hoc nomen *homo* significaret vtrumque illorum, scilicet hominem esse & non esse hominem, posset negari ista proposito, scilicet quod necesse sit hominem esse animal bipes; ex quo *homo* & *non homo* idem significarent: vel hoc nomen *homo* vtrunque significaret, scilicet id quod est esse hominem, & id quod est non esse hominem. Deinde cùm dicit:

43

Nam esse & non homini esse alterum significat: si quidem album esse & hominē esse alterum, multum enim opponitur illud magis, quare significat diuersum. Si autem & alium dixerit significare & vnum ratione cum homine & lapide, idem dicemus quod & priùs dictum est, quia vnum omnia sunt, & non solùm opposita. Si autem hoc non contingit, contingit quod dictum est.

Subiungit cuiusdam suppositi probationem, probando enim quòd hoc nomen, *homo*, non significat id quod est non esse hominem, dixerat quòd id quod est esse hominem, & id quod est non esse hominem sunt diuersa, dato per impossibile quod dicerentur de eodem, & hoc est quod hîc vult probare per talem rationem: Magis opponuntur esse hominem & non esse ho-

Esse hominem & non esse hominē, esse diuersa probatur.

minem, quàm homo, & album quæ sunt diuersa secundùm rationem, non obstante quòd sint idē subiecto; ergo esse hominem, & non esse hominem multò magis erunt diuersa. Minorem ostendit sicut priùs ducendo ad inconueniens, scilicet quòd omnia erunt vnum. Dicit ergo quòd *hominem esse & non esse hominem esse, diuersum*, scilicet sunt: *multum enim magis opponitur* id quàm supple *homo & album, quare significat diuersum. Si autem album idem dixerit* aliquis *significare*, scilicet *cum homine & vnum ratione: idem dicemus quod & priùs dictum est*, scilicet *quòd omnia vnum sunt, & non solum opponitur*, id est, quòd non erunt opposita, sed omnia erunt vnum, vt superiùs deductum fuit: *si autem hoc non contingit, contingit quod dictum est*, scilicet quòd esse hominem, & non esse hominem sunt diuersa. Deinde cùm dicit:

Si respondeatur ad interrogatum. Si autē apponat interrogāti simpliciter & negationes, non respondetur ad interrogatum. Nihil enim prohibet esse idem & hominem, & album, & alia mille secundùm pluralitatem. Attamen interrogante si verum est dicere hominem hoc esse, aut non, respōdendum est vnum significatum & non addēdum, quia & album & magnū; etenim impoßibile infinita entia accidentia permeare, aut igitur omnia permeētur, aut nullum. Similiter autē & si millies est idem homo, & non homo, non est correspondendum interroganti, si homo est, quia est simul & non homo, si non, & alia quacumque acciderunt sunt correspondentia quacumque sunt, aut non sunt, si autem hoc non fecerit, non disputat.

44 Excludit quandam cauillationem, quâ posset responderi ad prædicta: aduersarius enim interrogatus an necessarium sit hominem esse animal bipes, & non esse animal bipes? posset respondere dando affirmationem, & negationem: hoc autem Philosophus excludit, dicens prædictam conclusionem sequi; ideò dicit, quòd *si responderetur ad interrogatum*, sequitur supple propositum nostrum, scilicet sic vel sic: vel *si apponatur interroganit simpliciter* de affirmatione velit, respondens *addere & negationes, non videtur respondere ad interrogatum*, id est, quod si interroganti simpliciter de affirmatione, velit respondens addere negationem in sua responsione, vt dictum est modo prædicto: non respondet ad interrogata, quod declarat sic, *nihil enim obest idem*, puta Socratem, *esse hominem, & album, & alia huiusmodi mille in pluralitate, attamen interroganti si verum sit dicere hominem esse hoc, aut non*: puta esse album, vel non esse album, *respondendum est* tantùm *vnū significatum, & non est addendum: quia est album, & nigrum, & magnum*, & huiusmodi alia: quia supple oportet alia accidentia alicui respondere simul, aut nullum: sed omnia simul non possunt, cum sunt infinita, *etenim impossibile est, qua sunt infinita accidentia permeare*, id est, pertransire: *aut igitur omnia permeentur* in respondēdo scilicet *aut nullum*: dicuntur autem accidentia alicuius esse infinita non simpliciter, sed quoad nos: sic enim infinita accidunt eidem, saltem secūdùm relationem, & comparationem ad infinita accidentia, & cōsequentia. Patet igitur ex dictis, quòd non solùm id de quo quæritur, est respondendum, & nihil eorum quæ accidunt quæsito: *similiter igitur* in proposito: *dato quòd millies idem esset homo, & non homo, interroganti, si est homo, non est respondendum: quia est simul* supple homo, *& nō homo si non* pro nisi; nisi *& alia quacūque accidūt sunt responde nda quacumque sunt, aut non sunt; si enim hoc non facit, non disputat*, quia vt prædictum est, vel omnia accidentia sunt respondenda, quæcumque sunt, aut non sunt, secundùm quod interrogatio est affirmatiua, vel negatiua, vel nullum est respondendum, aliter nulla esset disputatio.

Non cōtingit infinita pertransire.

SVMMARIVM.

Si negatio & affirmatio verificantur de eodem, omne prædicatum esset accidentale, ostendit consequentis falsitatem. Explicat benè Doctor varios modos prædicandi per accidens.

Text. co. 13.

Omninò verò destruunt, qui hoc dicunt substātiam, & quod quid erat esse, omnia namque dicere accidere eis est necesse, & verè homini esse, aut animali esse non esse.

Al. ponentes cōtradictoria esse simul vera.

45 *Secunda via ex termini vel nominis prædicatione.*

Postquam Philosophus disputauit contra negantes primum principium per viam, quæ sumitur ex nominis significatione, nunc disputat contra eos ex secunda via, quæ sumitur ex termini, vel nominis prædicatione, & intendit talem rationem: Si affirmatio & negatio sunt simul vera de eodem; ergo nullum erit prædicatum substantiale, & in quid, sed solùm per accidens: consequens est falsum; ergo & antecedens. Circa hanc consequentiam sic procedit. Primò proponit ipsam consequentiam. Secundò subiungit consequentiæ probationem. Tertiò ostendit falsitatem consequentis. Secunda ibi: *Nam si quid fuerit.* Tertia ibi: *Si verò omnia secundùm accidens.* Dicit ergo, quòd illi, *qui hoc dicunt*, scilicet quòd affirmatio, & negatio simul verificentur de eodē, *omnino destruunt substantiam*, id est, prædicatum substantiale, *& quod quid erat esse*, id est, prædicatum in quid: *necessarium enim est eis dicere omnia accidere*, id est, omnia prædicata esse per accidens, *& non esse quod verè homini esse*, id est, prædicatum significans quid est homo, *aut* conuenit *animali esse*, id est, nec esse prædicatum significans quid est animal; sed supple omnia prædicata esse per accidens, vt prædictum est. Deinde cùm dicit:

Nam si erit quod verè homini esse hoc non erit non homini esse, aut non esse homini, quāuis hæ negationes huius; vnū enim erat quod significabat, & erat hoc alicuius substantia. Significare verò substantiam est, quia non aliquid aliud ipsi. Si autem erat ipsi quod verè homini esse, quod verò non homini esse, aut quod verè non esse homini, aliud erit. Quare dicere eos est necesse, quia nullius erit talis ratio, sed omnia secundùm accidens; hoc enim determinata est substantia & accidens, album enim accidit homini, quia est albus, sed non verè album.

Probat

Probat dictam consequentiam hoc modo scilicet quia ad oppositum consequentis sequitur oppositum antecedentis. Dicit ergo: *nam si quid fuerit: quod est hominis esse*, id est, si detur oppositum consequentis, scilicet quod sit aliquid prædicatum in quid significans esse & quod quid est hominis, & hoc scilicet tale prædicatum, *non erit non hominem esse* aut non esse hominem: *huius enim*, scilicet esse hominem sunt *due* prædictæ *negationes*, scilicet non hominem esse & non esse hominem: ex quo patet, quòd si aliquid sit quid est homo vel esse hominem, id est, aliquod prædicatum dictum in quid de homine, quòd affirmatio & negatio non verificabitur de eodem, quia scilicet de eo quod est esse hominem non verificatur non hominem esse, aut non esse hominem: cuius probationem subdit: *vnum erat quod significabat* substantiam, *& hoc erat alicuius substantia*, vult dicere quòd probatum est suprà, quòd hoc quod significat nomen est vnum, iterum dictum est, quòd illud quod significat substantiam, est aliquid rei, & non aliquid aliud; ideò dicit, quod *significare substantiam est quod non est aliud ipsi esse; si igitur fuit ipsi quod est verè homini esse* illud *quod verè est non homini esse*; aut quod non esse homini: sequitur quòd esse homini *aliud erit*, scilicet à se: vult dicere, quòd si illud quod est esse hominem, siue quod quid est homo fuerit, vel non esse hominem, vel esse non hominem: constat quòd erit quoddam alterum à se; *quare necesse est eos dicere*: *quare nullius talis erit ratio*, id est, diffinitio significans quod quid est esse rei, *sed omnia secundùm accidens*, id est, quia omnia prædicata erunt per accidens; *sed hoc enim determinata est substantia & accidens*, id est, quòd in hoc distinguitur prædicatum substantiale ab accidentali: quia vnumquodque est verè, id quod de ipso substantialiter prædicatur: sed non sic est de prædicato per accidens: nam homo dicitur albus non quòd verè sit illa albedo, sed quia albedo vel album sibi accidit: quia est albus denominatiuè, sed non quia albedo. Ex quibus omnibus patet, quòd prædicatum quod prædicatur substantialiter, non potest esse realiter nisi vnum; sed prædicatum per accidens non est necesse esse vnum tantùm, nec per consequens substantiale sed accidentale. Patet igitur ex prædictis probatio consequentiæ, quòd si de aliquo simul verificetur affirmatio & negatio, putà esse hominem & non esse hominem: quòd nullum erit prædicatum substantiale & in quid, cùm illud sit tantùm vnum realiter: affirmatio autem & negatio, putà esse hominem & non esse hominem, non sunt realiter vnum prædicatum. Deinde cùm dicit:

Differentia prædicati substantialis ab accidentali.

Quia per accidens prædicari non contingit.

46 Tex. co. 14.

Si verò omnia secundùm accidens dicuntur, nullum primum erit vniuersale: si autem semper accidens de subiecto aliquo significat prædicationem, in infinitum igitur ire necesse est, sed impossibile: neque enim plura duobus complectitur. Accidens enim non accidentia accidet, nisi quia ambo eidem accidunt, dico autem vt album, musicum, & homo albus, quia ambo homini accidunt. Sed non Socrates musicus ita, quia ambo accidunt alicui alteri: quoniam igitur hæc quidem ita, illa verò illo modo dicuntur accidentia, quæcunque sic dicuntur vt album Socrati, non contingit infinita esse in superius, vt Socrati albo alterum aliquod sit accidens, non enim fit aliquod vnum ex omnibus. Nec albo itaque aliquid aliud erit accidens vt musicum; nihil enim magis illi quàm illud huic accidit. Et simul determinatum est, quia hæc quidem ita accidunt, hæc autem vt musicum Socrati, quæcunque verò sic non accidenti accidunt, sed quæcunque illo modo, quare non omnia secundùm accidens dicuntur. Erit igitur aliquid & vt substantiam significans, si autem hoc, ostensum est quia impossibile prædicari contradictiones.

Ostendit falsitatem consequentis dicens, quòd *si omnia prædicata dicuntur secundùm accidens*, sequitur quòd *nullum erit prædicatum vniuersale*, id est, nullum erit prædicatum per se, & secundùm quod ipsum: accipitur enim hîc vniuersale, sicut primo poster. scilicet quod inest per se, & de omni, & secundùm quod ipsum: hoc autem est impossibile, quòd semper prædicatio sit de subiecto aliquo per accidens; ideò dicit: *si autem semper accidens de subiecto aliquo significat prædicationem, necesse est prædicationes in infinitum ire*: quatenus eidem possunt accidere infinita: *verùm* pro sed, sed hoc est impossibile: *non enim plura duobus complectitur*, id est, quòd prædicatio accidentalis complectitur tantùm duos modos in quorum nullo est processus infinitus, vt dicetur. Vnus modus est secundùm quòd accidens prædicatur de accidente, & hoc ideò quia ambo accidunt eidem subiecto; ideò dicit quòd *non accidit accidens accidenti, nisi quia ambo eidem accidunt: dico autem aut album est musicum & hoc*, scilicet musicum est album, èconuerso *quia ambo homini accidunt*. Secundus modus per accidens est, quando accidens prædicatur de subiecto, vt cùm dicitur, Socrates est musicus, quæ est prædicatio per accidens, non quod ambo accidant tertio, sed quia alterum accidit alteri; ideò dicit: *sed non Socrates, ita dicitur musicus, quia ambo accidunt alicui diuerso*: sed supple quia vnum, scilicet musicum, accidit alteri scilicet Socrati: in neutro autem istorum modorum per accidens contingit prædicationem procedere in infinitum: quia oportet stare ad subiectum; vnde dicit: *quoniam igitur hæc quidem ita, illa verò sic dicuntur accidentia*, id est, prædicata per accidens *quæcunque sic dicuntur vt album Socrati*; qui fuit secundus modus, *non conuenit infinita esse superius*, ascendendo, scilicet à subiecto ad prædicatum: vt si diceretur quòd Socrati accidit album: *& Socrati albo accidit aliquid aliud*: nam hoc haberet esse dupliciter. Vno modo sic quòd ex Socrate & ex albo fieret vnum, & sic sicut Socrates est subiectum vnum albedinis: ita Socrates albus esset subiectum vnum alterius accidentis: & hunc modum tangit Philosophus, & excludit dicens, quòd supple non contingit talia prædicata per accidens esse infinita: vt superius dicebatur: vt si dicatur quòd Socrati albo insit aliquod aliud accidens: & sic in infinitum, hoc autem est impossibile: *non enim fit aliquod vnum*, scilicet per se *ex omnibus* indifferenter; quia non ex subiecto & accidente: vnde non potest dici, quòd Socrates albus sit vnum subiectum, ideò subdit *nec itaque ambo*, scilicet subiecto & accidenti *aliquod aliud erit accidens vt musicum*: quòd scilicet de

Non omnia prædicata sunt secundùm accidens.

Prædicatio per accidens duplex.

Quando & qualiter accidens est sub iectum accidentis?

Non contingit procedere infinitum in prædicationibus nec per se nec per accidens.

Al. albo.

ambobus quasi de vno prædicatur. Alio modo haberet esse quòd sicut Socrati inest album: ita ipsi albo inesset aliud accidens, putà musicum, & sic in infinitum:& hunc modum tangit, & excludit dupliciter.

47

Tum primò, quia non est ratio quare musicum magis accidat albo, quàm èconuerso; vnde non erit ordo inter album & musicum quantum ad rationem subiiciendi: vnde quantum ad hoc videntur æqualiter se habere; ideò dicit: *nihil enim magis hoc illi quàm illud huic accidit.* Tum secundò, quia definitum est & ostensum, quòd alius modus prædicandi per accidens est ille, in quo accidens prædicatur de accidente ab illo, in quo prædicatur accidens de subiecto, vt musicum de Socrate, ideò dicit, quòd *& simul finita sunt,* id est, determinata: *quia hac quidem ita accidunt,* quando scilicet accidens prædicatur de accidente: hoc autem *vt musicum Socrati:* quando scilicet accidens prædicatur de subiecto: in illo autem modo, de quo nunc est sermo, non accipitur prædicatio per accidens: quia accidens de accidente prædicetur: sed illo modo quo priùs locuti sumus; ideò dicit, quòd *quacunque verò sic,* id est, illo modo prædicto quòd in prædicatione per accidens. Secundo modo non est processus infinitus, & de primo modo per accidens non videtur Philosophus facere mentionem, sed tamen potest patere ex prædictis, quòd nec etiam in primo modo est processus infinitus, ibi enim prædicatur accidens de accidente: quia ambo prædicantur de vno subiecto: quia descendendo à prædicato ad subiectum, est deuenire ad ipsum subiectum vt ad terminum: nec est vltrà procedere, sed oportet ibi stare: sic igitur manifestum est, quòd in prædicatione per accidens, non est processus infinitus. Ex quibus omnibus concludit Philosophus, *quod quare,* inquit, *non omnia secundùm accidens dicuntur: erit igitur aliquid & substantiam significans,* id est, aliquod prædicatum substantiale: *sed si hoc est* verum, *ostensum est, quia impossibile est contradictiones simul prædicari* supple de eodem, quæ est conclusio principalis.

48 *Modi prædicandi per accidens sunt tres. Quare tacuit Philosophus hic tertium modum prædicationis per accidens?*

Notandum: quòd Philosophus primo Poster. text. 35. distinguit tres modos prædicationis per accidens, quorum duo sunt qui hîc ponuntur, scilicet quando accidens prædicatur de subiecto, vel accidens de accidente. Exemplum primi: *homo est albus.* Exemplum secundi: *musicum est album.* Tertium autem modum ponit, quando scilicet subiectum prædicatur de accidente: vt si dicatur *musicum est homo*; non tamen propter hoc debet diiudicari, nam ille tertius modus reducitur ad istum, quando accidens prædicatur de subiecto; nam conuersiuus est istius & quantum ad propositum non refert loqui de isto, vel de illo: quia eodem modo probatur non esse processum in infinitum in illo, sicut nec in isto & propter hoc fortè Philosophus non curauit facere mentionem de isto. Tunc sequitur illa pars:

SVMMARIVM.

Omnia esse vnum, si contradictoria dentur simul vera. Hinc reiicit opiniones Pythagoræ, & Anaxagoræ.

Text. co. 15.

Amplius si contradictiones simul de eodem veræ sunt omnes, palàm quoniam omnia erunt; erit enim idem triremis, & murus & homo; si de omni aliquid aut affirmare, aut negare contingit.

Tertia via ex rerum distinctione.

Vbi ponit tertiam viam contra eos, quæ sumitur ex rerum distinctione: & intendit talem rationem: Si contradictoria sunt simul vera de eodem; ergo omnia sunt vnum, & per consequens entia non sunt distincta, consequens est falsum; ergo, & antecedens. Circa istam rationem sic procedit. Primò præmittit rationem consequentiæ. Secundò ponit eius probationem. Secunda ibi: *Sed dicendum est eis.* Prima in duas, quia primò facit quod dictum est. Secundò adaptat hanc consequentiam & eius falsum consequens ad duas opiniones Pythagoræ, scilicet & Anaxagoræ. Secunda ibi: *Quemadmodum est necesse.* Dicit ergo, quòd *ampliùs si contradictiones simul veræ de eodem sunt omnes, palàm quia omnia erunt vnum: erunt enim vnum triremis,* id est, nauis habens tres ordines remorum, *& murus,* vel sicut habet alia litera, *vniremis, & homo,* & hic supple *omnia erunt vnum, si omnium contingit aliquid affirmare & negare.* Deinde, cùm dicit:

49

Quemadmodum est necesse dicentibus rationem Pythagoræ: nam alicui si videtur non esse triremis homo, palàm quia non est triremis. Quare & est si contradictio vera, & fit vtique quod Anaxagoræ simul res omnes esse vt nihil verè vnum sit. Indefinitum igitur videntur dicere & putantes ens dicere de non ente dicunt: nam potestate ens & non ἐντελέχεια definitum est.

De veritate apparentium opinio Pythagoræ.

Adaptat dictam consequentiam, & inconueniens ad duas opiniones, quarum vna fuit Pythagoræ, qui dixit quicquid videtur esse verum; ideò dicit, quod *similiter est necesse,* scilicet omnia esse vnum *dicentibus rationem,* id est, opinionem *Pythagoræ:* nam si *videtur alicui homo non triremis, palam quia non est triremis: quare & est si contradictoria vera,* id est, si alicui videatur contradictoria esse simul vera de eodem, & per consequens omnia erunt vnum, vt priùs. Secunda opinio fuit Anaxagoræ, qui posuit omnia esse simul, & quodlibet fieri ex quolibet; ideò dicit: *quod fit itaque Anaxagoræ simul res omnes esse vt nihil verè sit vnum* distinctum, scilicet ab aliis; sed quod omnia sunt vnum in quadam confusione; ideò dicit, quòd *indefinitum igitur videntur dicere,* scilicet ipsum ens, & *putantes,* scilicet Anaxagoras & sequentes eum, dicere ens, id est, loqui de ente, supple perfecto, quod est in actu dicunt *de non ente,* id est, de ente in potentia, sicut dicetur infrà in hoc eodem quarto, *nam ens potestate,* id est, in potentia indefinitum est de se, *& non* ens ἐντελέχεια, id est, ens in actu.

Opinio Anaxagoræ.

Ens duplex, in potentia, & in actu.

Notandum, quòd iste Anaxagoras vt dicitur 1. physi. text. co. 32. posuit quolibet esse in quolibet: quod si verũ sit, omnes res essent simul, & nõ esset aliquod verè vnum in actu & ab aliis distinctum; vnde Anaxagoras credens loqui de ente perfecto & in actu, magis loquebatur de ente imperfecto, quod est ens in potentia: quia omnes res sunt in materia non in actu distincto, sed in potentia & in confusione quadam: sic igitur secundùm Anaxagoram omnia essent vnum modo præexposito. Deinde cùm dicit:

At verò dicenda est ipsis de omni affirmatio aut

30

aut negatio, inconueniens enim si vnicuique sua negatio quidem inest: quæ verò alterius quod nō inest, ei non inerit. Dico autē vt si verum est dicere hominem quia non homo, palàm quòd & non triremis: ergo si affirmatio necesse & negationem: si autem non existat affirmatio, negatio inerit magis quàm quæ sua; ergo si & illa inest, inerit & quæ ipsius triremis: si autem hoc, & affirmatio. Hæc ergo contingunt hanc dicentibus rationem.

Probat præfatam cousequentiam. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est. Secundò addit quoddam inconueniens, quod sequitur contra istos: & posset esse ratio per se, scilicet quòd affirmationes & negationes non erunt veræ, sed falsæ simul de eodem. Secunda ibi: *Et quia non est.* Dicit ergo quòd supple ex quo ipsi ponunt affirmationem & negationem simul verificari de eodem; Dicendum est eis generaliter quòd *de omni sit vera affirmatio, & negatio* quæcunque, *inconueniens enim est si vnicuique sua propria negatio inest: quæ verò est alterius quidem non inest ei*: magis enim videtur quòd de vnoquoque prædicetur negatio alteriùs, quàm negatio propria, quod exponit, cùm subdit. *Dico autem vt verum est dicere, quia homo non est homo, palàm quia* magis verum erit dicere, quòd *homo non est triremis*, vt sicut conceditur ab aduersario, quod homo est homo & nō est homo: ita etiā cōcedatur quòd homo est triremis; *ergo si est affirmatio*, scilicet vera de aliquo, *necesse est negationem* scilicet esse veram de eodem: quia aut prædicatur de eo affirmatio, & per consequens negatio secundùm te, aut si nō prædicatur affirmatio, prædicabitur negatio alterius magis quàm negatio propria, ideò dicit, sed *si non est affirmatio, negatio inerit magis quàm sua*; sicut si triremis non prædicatur de homine, prædicatur de eo non triremis, multò magis quàm non homo; *ergo si ipsa*, scilicet propria negatio *inerit, & quæ ipsius triremis*, vt si hoc est verum quòd homo nō est homo, & hoc ergo erit verum, quòd homo non est triremis: *si autem hoc, igitur affirmatio*, scilicet quòd si negatio prædicetur; ergo & affirmatio secundùm te, qui ponis vtraq; verificari de eodem: si igitur homo non est triremis, homo est triremis: & eadem ratio erit de quolibet alio: quare omnia essent vnum. Vnde concludit quòd *dicentibus hanc rationem*, id est, opinionem, *ea* supple inconuenientia *contingunt*, scilicet quòd omnia essent vnum, quod est euidenter falsum.

Probat ponentem contradictoria vera de eodē cogi ad ponēdum, omnia esse vnum.

Notandum, rationem in hoc consistere, quòd si de quolibet est vera affirmatio & negatio propria, multò magis erit de eo vera negatio alterius, quod est diuersum ab eo: vt si verum est dicere quòd homo non est homo, multò magis est verum dicere, quòd homo non est triremis: sed per te, qui ponis affirmationem & negationem verificari de eodem, si homo non est triremis, sequitur quòd homo erit triremis, & eàdem ratione potest argui de quocunque alio: quòd scilicet prædicatur de alio, prædicatione dicente, hoc est hoc, & per consequens omnia erunt vnum. Deinde cùm dicit:

Magis potest verificari de aliquo negatio alterius quā propria.

51

Et quia non necesse aut dicere aut negare: nam si verum quia homo & non homo, palàm quia nec homo nec non homo erit, nam duorum duæ negationes: si autem vna ex vtrisque, illi & hoc, vna vtique erit opposita.

Addit quoddam inconueniens, quod sequitur ad dictam opinionem, scilicet quòd affirmationes & negationes erunt simul falsæ, & per consequens quòd illa opinio includit repugnantiam contradictionis. Dicit ergo, quòd non solùm prædicta inconuenientia, supple sequuntur ad hanc opinionem, sed etiam quia *non est necesse dicere & negare*: quia nec affirmatio nec negatio erit vera, sed ambę falsæ: quod probat sic, *nam si verū*, supple est dicere, quia scilicet aliquid sit *homo & non homo, palā, quia nec* illud *erit homo, nec non homo*, vtraque erit falsa: nā istorum duorū quæ scilic. sunt homo & nō homo, sunt duæ negationes scilic. nō homo, & non homo, reddendo singula singulis: *si autem* illa *vna ex vtrisque*. id est, si ex vtrisque affirmationibus primis fiat vna affirmatiua propositio, putà dicendo Socrates est homo & non homo, *& ea vna erit opposita*, id est, quòd erit vna negatiua opposita composita ex duabus negatiuis, scilicet quòd Socrates non est homo, nec non homo, ex quibus sequitur quòd nec affirmatio, nec negatio erit vera, sed vtraque falsa.

Notandum, quòd Philosophus in loco isto accipit affirmatiuam de prædicato infinito, tanquam negatiuam, ex eo quòd æquipollet negatiuæ de prædicato finito; vnde infert istas duas: *Socrates non est homo: Socrates nō est non homo*, negātes & falsificantes has duas: *Socrates est homo: Socrates est non homo*: quia ambæ sunt affirmatiuæ; licèt valeant quantum affirmatiua & negatiua de prædicato finito.

Quod affirmatiua de prædicato infinito æquiualet negatiua vt hic.

Notandū etiam, quòd ista ratio sicut etiā & quædā sequentes vidētur petere principiū: nam aduersarius sicut concederet has affirmatiuas: *Socrates est homo: Socrates est non homo*: ita & concederet oppositas negatiuas, & similiter èconuerso: concedit enim contradictoria simul verificari de eodem, & ideò ex veritate negatiuarum non potest inferri falsitas affirmatiuarum isti aduersario: verùm quia Philosophus procedit hoc modo disputatiuo, sicut & in tertio libro, ideo quædam rationum non multùm cogunt, sicut apparebit in sequentibus rationibus, & sicut dictum fuit in tertio libro, ideò quædam harum rationum non valent. Tunc sequitur illa pars;

Quod rationes Philosophi hic petāt principium.

SVMMARIVM.

Negationem & affirmationem non posse verificari simul de omnibus, neque de aliquibus; contra assertorem vtriusque membri fusè disputat.

AMpliùs autem circa omnia ita se habet, & est album, & non album, & ens, & non ens, & circa alias dictiones negationésque modo simili, aut non: sed circa quasdam quidem, & circa quasdam non.

52 Text. co. 16.

Vbi ponit quartam viam procedendi contra eos, quæ sumitur ex certitudine cognitionis. Circa quā sic procedit. Primò præmittit quandam diuisionem. Secundò arguit contra membra eius. Secunda ibi: *Etsi quidem non.* Dicit ergo quòd

Quarta via ex certitudine cognitionis.

amplius

Arguitur à sufficienti diuisione.

amplius supple si affirmatio & negatio simul verificantur de eodem: *aut si habent circa omnia, vt est album, & non album, & ens, & non ens, & circa alias dictiones*, id est, affirmationes, *& negationes se habent: aut circa aliquas sic, & circa aliquas non*: Deinde cùm dicit:

Et si quidem non circa omnes: hæ vtique erunt confessæ.

Arguit contra membra dictæ diuisionis, & primò contra secundum membrum. Secundò contra primum ibi: *Si verò circa omnes.* Dicit ergo, quòd *siquidem non est verum circa omnes, hæ vtiq;* scilicet in quibus non est verum, *erunt confessæ*, simpliciter, & absolutè, ita quòd sic erit vera negatio, quia affirmatio erit falsa, & èconuerso, & sic saltem in talibus habetur propositum, quòd non erit affirmatio, & negatio vera de eodem. Deinde cùm dicit:

Si verò circa omnes iterùm, aut de quibuscumque dicere & negare, & de quibuscumq; negare, & dicere, aut de quibus quidem dicere, & negare, sed de quibuscumque negare non de omnibus dicere.

Arguit contra primum membrum. Circa quod duo facit, quia primò subdiuidit illud primum membrum. Secundò arguit contra membra subdiuisionis ibi: *Et si sic.* Dicit ergo, quòd *si* hoc est verum *circa omnes*, scilicet quòd contradictoria sint vera de eodem. Hoc iterum potest esse dupliciter, vno modo, *scilicet quod de quibuscumque* scilicet *est verum negare: sit etiam verum dicere*, id est, affirmare, & è conuerso, id est, quòd de quibuscumque sunt veræ negationes, sint etiam veræ affirmatioues, & è conuerso, aut alio modo, quod *de quibuscumque est verum* dicere, id est affirmare, *sit verum, & negare: sed de quibuscumque negare non de omnibus dicere*, id est, affirmare, id est, quòd de quibuscumque verificantur affirmationes, verificentur negationes: sed non èconuerso. Deinde cùm dicit:

53

Et si sic erit aliquid firmiter non ens, & hæc erit firma opinio, & si ipsum non esse firmum aliquid sit, & notum; notior vtique erit dictio quàm opposita negatio.

Arguit contra membra huius diuisionis, & primò contra secundum membrum. Et secundò cōtra primum ibi: *Si verò negando.* In prima parte intendit talem rationem, & ducit ad hoc inconueniens: quia *si sic*: sequitur quòd negatio erit notior affirmatione, quod est falsum. Dicit ergo, quòd & *si sic*, scilicet quòd de quibuscumque sunt veræ affirmationes, sunt veræ negationes, sed non èconuerso: sequitur quòd *non ens*, id est, negatio *erit aliquid firmum*, id est, certum *& ea erit firma opinio*, quæ scilicet est de propositione negatiua. Cuius ratio est: quia semper negatiua erit vera, non autem affirmatiua; ideò dicit, quòd *si ipsum non esse*, id est, negatio, *firmum quidem sit; & notum*, supple magis quàm affirmatio, sed hoc est falsum. Ideò subdit: *notior enim erit dictio*, id est, affirmatio, *quàm negatio.* Ratio huius est: quia veritas alicuius negatiuæ semper dependet ex veritate alicuius affirmatiuæ; vnde conclusio negatiua semper requirit alteram præmissarum esse affirmatiuam: quia ex puris negatiuis nihil sequitur; sed conclusio affirmatiua nullam præmissam requirit negatiuam, sicut patet ex 1. Priorum. c. 5. & inde. Deinde cùm dicit:

Negatio non est notior affirmatione.

Si verò negando similiter, & quæcumque negare dicere necesse de his; aut verum diuidentem dicere, vt quod album, & iterum, quod non album, aut non.

Arguit contra primum membrum. Circa quod duo facit: quia primò subdiuidit illud membrum. Secundò arguit contra membra eius ibi: *Et si quidem non.* Dicit ergo, quòd *si verò negando similiter de quibus est negare; de his necessarium est dicere*, id est, affirmare: hoc est, quod si detur primum membrum, quòd de quibuscumque sunt veræ negationes, sint veræ affirmationes. & èconuerso, hoc potest esse dupliciter: quia *aut hoc est verum dicere diuidentem*, id est, diuisim, *vt quod album, & iterùm, quod non album; aut non* supple diuisim, sed supple coniunctim, id est, quòd si semper affirmatio, & negatio sint veræ simul, aut hoc erit diuisim, scilicet quòd vtraque sit vera seorsum, putà quòd sit verum dicere seorsum, quòd homo est albus, & iterùm seorsum, quòd homo non est albus, aut solùm est verum coniunctim non diuisim, putà quòd ista copulatiua sit vera, *homo est albus, & homo non est albus.* Deinde cùm dicit:

54

Et si quidem non verum diuidentem dicere, non, dicet hoc, & non est nihil, nō entia autem; quomodo vtique pronunciabunt, aut ibunt? Et omnia vtique erunt vnum, vt & prius dictum est, & idem erit, & homo, & Deus, & triremis, & ipsorum contradictiones. Si autem similiter de vnoquoque, nihil differret aliud ab alio: nam si differret, erit hoc verum & proprium.

Arguit contra membra huius diuisionis: & primò contra secundum membrum. Secundò contra primum ibi: *Similiter autem &c.* Prima in duas, secundùm quod illud membrum ducit ad duplex inconueniens. Secundum ponitur ibi: *Et omnia erunt vnum.* Dicit ergo, quod *siquidem verum non est dicere diuidentem*, est primum inconueniens: quia *non dicet ea* id est, non asseret affirmationem, & negationē, & sunt nihil, quasi dicat, quod ambę erunt falsæ, sed *non entia quomodo pronunciabit, aut intelliget?* quasi dicat, quod nullo modo: quia si nihil est verum, non poterit dici, nec intelligi. Secundum inconueniens ponit, cùm subdit. *Et omnia erunt vnum, vt prius dictum est*, in præcedenti ratione; sequitur enim *quòd idem erit homo, & triremis, & eorum contradictiones*, scilicet quod non homo, & non triremis, quod sic patet; quia si affirmatio, & negatio *simul dicantur de vnoquoque, tunc nihil differt vnum ab alio*: nam si differrent oporteret, quòd aliquid diceretur de vno, quod non de altero diceretur; ideò dicit, quòd similiter de vnoquoque nihil differt aliud ab alio: *nam si differt, hoc erit verum, & proprium*, id est, quòd aliquid esset verum determinatè, & non proprium vni, quod non conueniret

Al. & non erit nihil.

niret alteri: quia non de quocumque verificaretur affirmatio, verificaretur & negatio: certum est autem quòd illa sunt vnum, quæ nullo modo differunt, quare sequitur omnia esse vnum. Deinde cùm dicit:

SVMMARIVM.

Asserentem affirmationem, & negationem de eodem, non tantùm coniunctim, sed etiam diuisim. deducit ad quatuor inconuenienta. Doctor colligit omnes præfatas rationes, ad vnam integram, notátque aliquas earum esse petitiones.

55 Tex. c. 17.

Similiter autem, & si diuidentem contingit verum esse, accidit quod dictum est. Adhuc autẽ quia omnes verũ dicũt, & omnes mentientur, & ipse idem si ipsum falsum dicere confitetur. Simul autem palàm, quia de nullo est adhuc perscrutatio: nihil enim dicet, nec enim ita, nec non ita dicit, sed ita & non ita. Et iterum hæc negat ambo, quia nec ita, nec non ita: nam si non, iam erit vtique aliquid determinatum. Ampliùs si quando affirmatio est vera, negatio est falsa, & si hæc vera, affirmatio falsa, non erit vtique simul idem dicere, & negare verè, sed forsan dicet vtique hoc esse, quod à principio positum est.

Quatuor inconueniẽtia, quæ sequũtur ex eo, quod affirmatio, & negatio non tantum coniũctim, sed etiã diuisim sint vera de eodem.

Arguit contra primum membrum ducens ipsum ad quatuor inconuenientia, quorum secundum ponitur ibi: *Adhuc autem.* Tertium ibi: *Similiter autem palam.* Quartum ibi: *Ampliùs si quando.* Dicit ergo quòd *similiter autem si* supple dicatur primo modo, scilicet quod *diuidentem contingit verum dicere*, id est, quòd non solum coniunctim vera sit affirmatio, & negatio de eodem, sed etiam diuisim supple sequuntur quatuor inconuenientia: quorum primum est, quòd supple ista pósitio *significat ipsum dictum*, id est, demonstrat hoc esse verum, quod immediatè dictum est, scilicet quòd omnia sunt vnum: hoc enim modo affirmatio, & negatio diceretur similiter, & de vnoquoque: quia non erit differentia vnius ad aliud, vt superius deductum fuit. Secundum inconueniens est ibi: *Adhuc* quia scilicet *omnes verum dicent*: nam quilibet, vel dicit affirmationem, vel negationem: & vtraque ponitur vera, *& omnes etiam mentientur*: nam hoc contradictorium est eius, quòd quilibet dicit esse verum, & per consequens illud, quod ipse dicit, est falsum secundùm legẽ contradictoriorum, *& idem etiam homo confitetur seipsum falsum dicere,* nam cùm dicit negationem esse veram, dicit se dixisse falsum, cùm dixit affirmationem. Tertium inconueniens est ibi: *Similiter autem palàm adhuc, quia de nihilo nunc est perscrutatio*, id est, quòd non poterit esse perscrutatio, vel disputatio; non enim potest disputari cum illo, qui nihil concedit; ideò subdit: *nihil enim dicit, nec enim ita, nec non ita dicit, sed ita, & non ita: iam si non,* id est, si non omnia ista neget: *nam vtique erit aliquid determinatum,* ita quòd sequitur, quòd ille dicat, vel nouerit aliquid determinatè verum, quod est contra suppositum. Quartum inconueniens est ibi: *Ampliùs si quando*, quod sumitur ex definitione veri, & falsi; verum enim est, cùm dicitur esse, quod est: vel non esse, quod non est: falsum autem est, cum dicitur non esse, quod est, aut esse, quod non est. Ex quibus definitionibus patet, quòd affirmatione existente verâ, negatio erit falsa: tunc enim dicitur non esse, quod est: similiter èconuerso negatione existente verà, affirmatio erit falsa: quia tunc dicit esse, quod non est; ideò dicit, quòd *ampliùs est quando affirmatio vera est, negatio est falsa*: & similiter supple èconuerso: *non ergo contingit simul dicere*, id est, affirmare, *& negare verè*: addit autem quod *forsan hic dicit*, scilicet aduersarius, *esse, quod est à principio positum*: posset enim dicere, quod hîc est petitio principij: nam qui ponit contradictionem esse simul veram, non concederet hanc definitionem veri, & falsi.

Verum quid & falsum èconuerso?

56 *Recolligit resolutè argumentum totũ diuisiuum, iñ factum.*

Ex omnibus præcedentibus potest integrari vna totalis ratio, quę talis est dicendo: Si affirmatio, & negatio sunt veræ de eodem, aut hoc erit verum de omnibus, aut de quibusdam; si de quibusdam, non videtur ratio, quare in quibusdam sit verum, magis quàm in aliis: si detur primum membrum, facit, quòd sit verum in omnibus. Vel hoc erit verum conuertibiliter, scilicet quòd de quocumque sit vera affirmatio, sit vera negatio, & èconuerso; vel non conuertibiliter, scilicet quòd de quocumque est vera affirmatio, sit vera negatio, sed non èconuerso: si secundo modo, sequitur quod negatio erit certior, & notior affirmatione, quod est falsum. Si primo modo adhuc dupliciter: quia vel hoc erit diuisim, vel coniunctim; si cõiunctim, sequuntur duo incõueniẽtia: primũ est, quòd ille non asseret affirmationem, & negationem, & quòd ambo erunt falsa: secundum est, quòd omnia erunt vnum: si dicas, quòd verum est diuisim, sequuntur quatuor inconuenientia. Primum quòd omnia erunt vnum sicut priùs. Secundum quòd omnes verum dicent, & omnes mentientur, & idem homo confitebitur se dixisse falsum. Tertiũ est, quòd tollitur omnis perscrutatio, & disputatio. Quartum quòd probatur ex definitione veri, & falsi, scilicet, quòd affirmatio, & negatio sint verè simul, quod est impossibile.

Petunt plerumque argumenta huius 4. sicut 2. 3. suprà.

Notandum, quod ex his potest patere id quod suprà dicebatur, scilicet quòd aliquæ harum rationum non cogunt, sed magis petere videntur: nam duo membra, id est, secundi inconuenientis, scilicet quòd omnes mentientur, & quòd idem homo confitebitur se falsum dicere, negaret aduersarius: quia non sequitur, quòd si contradictoriũ alicuius, quod quis loquitur, est verum, quòd dictum suum sit falsum: quia istud concedit aduersarius, contradictoria esse simul vera: hoc quoad primum: nec sequitur, quòd si aliquis dicit affirmationem esse veram, quòd confiteatur se dicere falsum, cùm dicit negatiuam; quia vtramque asserit esse simul veram. Quartum etiam inconueniens non sequitur sicut ipsemet dicit, sed petit. Dicendum ergo, vt priùs, quod aliquæ harum rationum non concludunt, sed adducuntur modo disputatiuo, sicut & rationes tertij libri, vt ibidem fuit dictum sufficienter.

):(

SVM

SVMMARIVM.

Aliæ tres viæ contra ponentem contradictoria simul vera. Vna ex ratione veritatis, quæ est conformitas ad rem; alia quòd nemo deberet vnum contradictoriorum magis appetere, quàm alterum, Tertia ex comparatione falsitatis, quia non magis mentiretur dicens, quatuor esse quinque, quàm esse mille.

57 *AMpliùs quidem igitur, qui aut existimans habere aliqualiter, aut non habere mentitus est: qui autem ambo, verum dicit: nam si verum dicit, quid vtique erit, quod dicitur: quia talis est entium natura; si verò non verum dicit, sed magis verum dicit, qui illo modo existimat, iam aliqualiter se habebunt entia, & hoc verum vtique erit, & non simul, & non verum. Si autem similiter, & omnes mentientur, & vera dicent, nec pronunciandum, nec dicendum est tali; similiter enim hoc, & non hoc dicit. Si autem nihil suscipit, sed similiter existimat, & non existimat, quid vtique differenter habebit à plantis?*

Hîc, vt dicebatur, ponit Philosophus quintam viam procedendi contra ponentes affirmationem, & negationem simul verificari de eodem, quæ sumitur ex veritatis conditione, quæ scilicet est conformitas siue correspondentia rei, ad opinionem siue vocem, quæ profertur: nam sequitur si vox est vera: ergo sic est in re. Dicit ergo, quòd *amplius igitur* si supple affirmatio, & negatio ponuntur simul esse vera: sequitur quòd *aut habere suscipiens*, id est, ille qui opinatur affirmationem tantùm esse veram, *aut non habere*, id est, ille qui opinatur tantùm negationem esse veram mentitus est: *qui verò ambo* supple similiter opinatur *verum dicit*; nam si verum sit, quod ita est in re sicut in opinione, vel in voce, sequitur quòd ita erit in re, sicut iste opinatur, qui ambo opinatur vera: ideò subdit: *nam si verum dicit quis, vtique erit ipsum verum, quod dicitur: quia talis est entium natura*, id est, determinata, & qualis dicitur scilicet vt non patiatur verum esse oppositũ eius, quod dicitur, & per consequens, quòd non patiatur affirmationem, & negationem simul: *si verò non verum dicit*, ille scilicet qui opinatur affirmationem, & negationem simul esse veram: *sed magis verum dicit, qui illo modo verũ existimat*, scilicet quòd tantùm affirmatio, & tantùm negatio vera sit ad hoc supple manifestum est, quòd *entia se habebunt aliqualiter*, id est, aliquo modo determinatè, & hoc verum dicit, scilicet quòd hoc erit verum determinatè, & non simul erit verum, & non verum: ex quo sola affirmatio, vel sola negatio ponitur esse vera; *sed si similiter, & omnes*, qui simul dicunt, vel vtramque partem contradictionis, vel alteram tantùm esse veram *mentiuntur, & vera dicunt, nec pronunciandum, nec dicendum est tali*, id est, quòd nec disputandum, nec loquendum est cum tali, qui hoc ponit: *similiter enim ea, & non ea dicit*, id est, eadem negat, & affirmat: *si autem nihil determinatè* supple suscipit, id est, mente opinatur; *sed similiter existimat, & non existimat*, scilicet mente opinatur: sicut supple profert voce: *quid vtique differenter habet à plantis?* quasi diceret, quòd nihil: nam bruta etiam animalia habent aliquas apprehensiones, & conceptiones determinatas.

Notandum, quòd hæc etiam quinta ratio petit: stat enim in hoc, quod si contradictio, vel altera pars contradictionis est vera, sicut per vocem significatur, sequitur, quòd ita erit in re, & per consequens negare hoc est falsum: sed aduersarius istam illationem negaret: concedit enim contradictoria esse simul vera tam in voce quàm in re. Dicendum ergo est de ista ratione, sicut de aliis præcedentibus dictum fuit. Tunc sequitur illa pars:

58 Text.co.18. *Vnde & maximè manifestum est, quia nullus ita disponitur, nec aliorum, nec dicentium hanc rationem. Quare namque vadit domum, & non quiescit putans ire? Neq; statim neque diluculò vadit in puteum, aut torrentem si cõtingit, sed videtur timens tanquam non similiter putans, non bonũ esse incidere, & bonum; palàm ergo, quia hic quidem melius existimat, hic autem non melius. Si autem hoc in bono, & nõ bono, necesse est similiter esse, & in aliis, & hoc quidem hominem, hoc autem nõ hominem, & hoc quidem dulce, illud autem non dulce putare necesse est: non enim ex æquo omnia quærit & existimat. Quando enim putans melius aquam bibere, & hominem videre, deinde ea quærit: quamuis oportebat si idem erat, similiter homo, & non homo: sed quod dictũ est, nullus qui non videtur hæc quidẽ timens, illa verò non. Quare sicut videtur, omnes existimant habere simpliciter, sed non circa omnia, sed circa melius, & deterius.*

Vbi ponit sextam viam procedendi contra eos, quæ sumitur ex rerum fuga, & electione, quæ est signum manifestum, quòd nullus opinatur idem esse bonum, & non bonum, & per consequens contradictoria non esse simul vera. Circa quod duo facit, quia primò præmittit rationem. Secundò excludit falsam responsionem. Secunda ibi: *Et finem non scientes.* Dicit ergo, quòd *vnde*, id est, quòd ex hoc, quòd homo, qui sic opinatur, non differt à plantis, *maximè manifestum est, quòd nullus ita disponitur*, vt simul tradat affirmationem, & negationem simul verificari de eodem, *nec dicentium hanc rationem*, id est, opinionem, *nec etiã aliquis aliorum: quare namque vadit ad domum, & non quiescit putans se ire*: vult dicere, quod si idem est ire ad domum & non ire: quare aliquis vadit ad domum, & non quiescit in vno loco? nam secundùm eum, idem est ire, & non ire; ex quo igitur aliquis vadit ad domum, & non quescit, patet quod putat aliud esse ire, & non ire: similiter forsan, *nec aliquis vadit* rectè viam, quæ supple ducit ad puteum, aut torrentem. Ratio huius est, *quia incidere* in puteum, vel torrentem *non similiter putat esse bonum, & non bonum*: nam aliter non magis vitaret, quàm eligeret: quia igitur vitat casum, & non eligit, *palam quia accipit*, id est,

Quinta via ex veritatis conditione.

Al. æstimans

Veritas in voce supponit veritatem in re.

Sexta via ex rerum fuga, & electione.

Al. si autem notanter.

Quilibet vitat sibi nocivum, & eligit magis conueniens.

opinatur, *hoc quidem esse melius*, scilicet non cadere in puteum:*hoc autem non melius*, scilicet cadere in puteum:*sed si hoc*, scilicet est verum, quòd hoc quidem melius, illud verò non bonum, *similiter* supple *est in aliis*:quia, scilicet *necesse est suscipere*, id est, opinari, *quòd hoc quidē dulce, illud autē non dulce*. Cuius probationem subdit; *non enim ex æquali omnia quærit, & suscipit quando putat esse melius aquam bibere*, supple quàm non bibere, *& hominem videre*, supple quàm non videre. Vnde ex ista diuersa opinione sequitur, quòd *deinde ea quærit*, scilicet determinatè vnum, & non aliud, & tamen supple si opinaretur contradictoria esse eadem, puta quòd *idem esset homo, & non homo, oporteret*, scilicet quòd vtraq; æqualiter quæreret, puta dulce, & non dulce:*sed quod dictum est, nullus est, qui videatur hæc quidem timens, illa verò non timens: quare sicut videtur omnes suscipiunt*: id est, opinantur, *habere simpliciter*, scilicet quòd idem non sit esse, & non esse, & omnes opinantur se habere veritatem, vel in affirmatiua, vel in negatiua tãtùm, & non vtraque simul, *aut si non circa omnia*, hoc scilicet opinantur, *sed saltem circa meliora, & deteriora*, id est, quòd saltem hoc opinantur in bonis, vel in malis, vel in melioribus, & deterioribus:ex tali enim diuersitate opinionis sequitur, quòd omnes homines aliqua timent, & fugiunt, & aliqua prosequuntur. Huic rationi astruit, & est simile quod dicit Auicenna, scilicet quòd negantes primum principium deberent tandiu verberari, quousque cognoscerent, & confiterentur, quòd aliud est verberari, & non verberari, quia vnum fugiunt, scilicet verberari; & aliud eligunt, scilicet non verberari, Deinde cùm dicit:

Efficax argumentum Auicennæ.

Si autem non scientes, sed opinantes, multò magis curandum vtique erit de veritate. Quemadmodum infirmo existente, quàm sano de sanitate. Etenim opinans ad scientem non salubriter disponitur ad veritatem.

Al. Et finem mentientes.

59

Excludit quandam falsam responsionem; diceret fortè aliquis, quòd homines quædam eligunt tanquam bona: quædam fugiunt tanquam mala, id est, non bona, non quasi scientes veritatem, sed quasi opinantes, quòd non sit idem bonum, & non bonum, licèt idem sit secundùm rei veritatem: hoc excludit Philosophus dicens, quòd *si* supple est verum, quòd *homines non sunt scientes, sed opinantes, multò magis curandum est*, scilicet eis, *de veritate*, vt scilicet addiscant veritatem quemadmodum infirmo magis curandū est de sanitate, quàm sano, *etenim*, pro quia: *opinans*, scilicet non verum, *ad scientem*, id est, in respectu ad scientem, *non salubriter disponitur ad veritatem*: habet enim se ad scientem, sicut infirmus ad sanum: quatenus opinio videtur quidam defectus scientiæ, sicut infirmitas est defectus sanitatis: patet igitur quòd homines debent curare de inuenienda veritate, quod non esset, si simul esset aliquid verum, & falsum, & nihil esset determinatè verum. Tunc sequitur illa pars.

Qualiter opinio se habet ad sciētiam

Ampliùs si quā maximè se omnia sic habēt, & non sic, sed magis, & minùs, verum est in natura entium: non enim vtique similiter dicimus duo esse paria & tria: nec similiter mentitus est qui quatuor πέντε opinatus est, & qui mille. Si igitur non similiter, palam quia alter minùs: quare magis verum dicit. Si ergo, quod magis affinius: erit vtique aliquid verum, cui affinius, quod magis verum, & vtique si non est, sed iam aliquid est firmius, & verius & ratione remoti vtique erimus incondita, & prohibente aliquid mente determinare.

Vbi ponit septimam viam procedendi contra eos, quæ sumitur ex falsitatis comparatione. Dicit ergo, quòd *amplius si quam maximè se* habet ita, quòd *omnia sic se habent, & non sic*, id est, quod omnia simul vera sic sint, & falsa: *sed tamen in natura entium hoc magis, & minus est verum: non enim similiter dicemus duo paria, & tria*, id est, quod non similiter se habet ad veritatem dicere, quòd duo sunt paria, & tria similiter sunt paria: quia alterum est verum, & alterum est falsum, *nec similiter mētiretur, qui sic opinaretur, quòd quatuor sunt πέντε* id est, quinque, *& quòd quatuor mille*, quod tamen falsum est: *si igitur*, supple *nō similiter* sunt falsa, scilicet dicere, quòd quatuor sunt quinque, & quòd quatuor sunt mille: sed quod est minùs falsum, aliqualiter est magis verum; quatenus vero est propinquius, sicut minùs nigrum dicitur propinquius albo, & quasi magis album, ideò dicit: *quare magis verum*, subdit: *si ergo quod magis affinius, erit aliquod verum simpliciter*, scilicet *cui affinius, quod est magis verū*, id est, quòd non esset aliquod affinius, vel propinquius: nisi esset aliquod simpliciter verum cui propinquius, vel affinius esset magis verum, & minùs falsum. *Etenim si non est, sed iam esset aliquid firmius, & verius*, id est, quòd dato, quòd per dictam rationem non sequatur, quòd aliquid sit simpliciter verum, iam tamē, scilicet simpliciter habemus, quòd aliquod sit verius, & conformius aliorum, & per consequens non similiter se habent affirmatio, & negatio ad veritatem, & certitudinem, *& à ratione*, id est, opinione, vel positione *remoti erimus, non condita*, scilicet per istam rationem nunc dictam, & etiam alias præcedentes, à positione inquam non condita, *& prohibente mente definire*.

Septima via ex falsitatis cōparatione.

Prima enim definitio consideratur in affirmatione & negatione, vnde qui affirmationem, & negationem simul dicit esse verã de eodem, excludit omnem definitionem, siue demonstrationē: vocat enim hanc opinionem non conditam, id est, temperatam; tunc enim opinio est benè temperata, quando non implicat repugnantiam: cùm autem implicat, tunc opinio non est benè temperata; talis autē est opinio, quæ dicit contradictoria simul verificari de eodem. Tunc sequitur illa pars.

Opinio temperata.

SVMMARIVM.

Ex dictis opinionem Pythagoræ refutat asserentis quæcunque apparent esse vera; quia hinc sequeretur contradictoria simul esse vera.

Est autem & ab eadem opinione Pythagoræ ratio, & necesse similiter ipsas ambas, aut esse, aut non esse: nam si quæ videntur omnia sunt vera, & apparentia, necesse omnia simul vera, & falsa esse. Multi namque contraria inuicem existimant, & non eadem opinantes sibi ipsis mentiri putant. Quare necesse idem esse, & nō esse, & si est hoc necesse putata omnia vera

Tex. co. 19.

esse: opposita namque inuicem opinantur mentientes, & verum dicentes; ergo entia si sic se habent, verum dicunt omnes. Quòd quidem igitur ab eodem sunt intellectu vtræque rationes palam.

60 Vbi adaptat opinionem Pythagoræ ad prædictam opinionem.

Opinio Pythagoræ de veritate apparentium. Ad cuius euidentiam notandum, quòd Pythagoras posuit omnia quæ videntur alicui esse vera: quod si verum sit, necesse est quòd affirmatio & negatio sint simul vera, vel falsa, & per consequẽs quòd omnia sint simul vera, vel falsa, sicut sequebatur ad dictam positionem, & hoc est quod dicit, quòd *ab eadem opinione* est *ratio*, id est positio *Pythagoræ*, *& necesse est eos ambos*, scilicet Pythagoram, & eum qui est dictæ opinionis, *similiter*, supple ponere, *aut esse, aut non esse*, id est, omnia esse simul vera, vel falsa, & per consequens quòd contradictoria sint simul vera de eodem, quod sic ostendit: *nam si quæ videntur omnia sunt vera & apparentia, necesse est omnia simul vera esse & falsa* esse, quod sic patet: *multi namque homines contraria sibi inuicem suscipiunt*, id est, contraria sibi inuicem opinantur, *& putant mentiri non de ea opinantes sibi*, id est, quòd putant mentiri eos, qui non eadem opinantur: sed èconuerso, *quare necesse est idẽ esse & non esse*, id est, quòd si quicquid alicui videtur, hoc est verum, sequitur quòd vtrique mentiantur, & vtrique verum dicãt; & sic quòd idem sit & non sit: quare sequitur ad opinionem Pythagoræ quòd contradictoria sunt simul vera: & si hoc sequitur, necesse est omnia visa, id est, apparentia esse vera, quæ fuit opinio Pythagoræ: *opposita namque sibi inuicem homines opinantur mentientes, & verum dicentes*, quia ex hoc quòd opposita sibi inuicem opinantur: sequitur quòd quilibet eorum mentiuntur secuncundùm veritatem, & quilibet eorum verum dicunt; ergo entia si sic se habẽt, scilicet quòd contradictoria simul de eodem verificentur: sequitur quòd verum dicunt omnes: vt quicquid alicui videtur, sit verum: vnde concludit: *quare ergo ab eodem sunt in intellectu vtræque rationes*, id est, opiniones, *palàm*; ex vna enim alia sequitur; vt dictum est.

Al. quidam.

SVMMÆ SECVNDÆ CAP. III.

Contra ponentes contradictoria simul vera de eodem, & asserentes omne, quod opinamur, & apparet, verum esse.

SVMMARIVM.

In prima parte huius capitis vsque ibi: *Similiter autem*, ostendit alios ex dubitatione, alios ex proteruia in errorem incidere; primis id euenit in proposito ex sensibilibus. Alij spontè volunt, tales opiniones, licèt impossibiles, defendere.

61 *EST autem non idem modus homiliæ ad omnes: hi namque persuasione egent, illi vi: quicunque enim dubitasse existimauerunt, horum benè curabilis ignorantia: non enim ad orationem, sed ad mentem obuiatio est eorum. Quicunque verò orationis causa dicunt, horum argutio curatio: & eius quæ in voce orationis, & eius quæ in nominibus.*

Hic in speciali disputat contra negãtes primum principium. Postquam Philosophus disputauit communiter & generaliter contra eos, qui concedunt contraria, siue contradictoria simul verificari de eodem, nunc disputat contra eos magis specialiter, ostendens quomodo diuersimodè est procedendum contra diuersos, qui ex diuersis viis in dictos errores inciderunt. Circa quod duo facit. Primò ponit intentum. Secundò exequitur de intento. Secunda ibi: *Venit autem dubitantibus*. Dicit ergo, quòd *non est idem modus homiliæ*, id est, popularis allocutionis, vel secundùm aliam literam cõstructionis, id est, ordinatæ dispositionis, vel persuasionis, *ad omnes*, scilicet dictas opiniones quæ sunt vel de veritate contradictionis, vel de veritatate apparentium: *hi namque persuasione egent: illi verò vi* secundum quod dupliciter incidunt in dictas opiniones quidam ex dubitatione, quidam quidem ex proteruia: *quicunque enim ex dubitatione ita suscipiunt*, id est, opinantur: cùm occurrunt eis aliquæ sophisticæ rationes, ad quas sequuntur dictæ opiniones nescientes eas soluere, concedunt conclusionem, *horum benè*, inquam, id est, *est curabilis ignorantia: non enim obuiatio eorum*, id est, quòd eis non est obuiandum, *ad orationem*, id est, ad rationem, quam ponunt sophisticam, *sed ad mentem*: vt scilicet soluatur de mentibus eorum dubitatio, per quam in huiusmodi opiniones deuenerunt: & tunc recedent à talibus opinionibus: *quicunque verò orationis causa dicunt*, id est, qui prosequuntur dictas opiniones, ex aliqua dubitatione eos ad hoc inducente: sed causâ orationis, id est, ex quadam proteruia volunt tales opiniones impossibiles defendere, & tenere propter seipsas, ex eo scilicet quia eorum contraria non possunt demonstrari: *horum medela est argumentatio, quæ est in voce orationis, & in nominibus*, id est, ex significato nominis, & hoc modo arguebatur contra eos in prima via de septem superiùs. Deinde cùm dicit:

Venit autem dubitantibus hæc opinio ex sensibilibus. Quæ quidem eius quod simul contradictiones, & contraria existere videntibus: ex eodem facta contraria. Ergo si non contingit fieri non ens, præexistit similiter res ambo ens, vt Anaxagoras mixtum omne in omni ait, & Democritus: etenim inane, & plenum similiter, secundùm quamcunque partem præexistere. Quamuis hoc quidem horum esse non ens: illud verò ens.

Hìc exequitur de intento.

62 Ad cuius euidentiam notandum, quòd contra eos, qui in dictum errorem ex proteruia inciderunt argumentatum est suprà ex nominis significatione, & ideò nunc tantùm procedit contra eos, qui ex dubitatione in dictum errorem deuenerunt. Circa quod duo facit: quia primò disputat contra eos, qui ponebant contradictoria simul verificari de eodem. Secundò contra eos, qui opinabãtur omnia apparentia esse vera. Secũda ibi: *Similiter autem*. Prima diuiditur in duas: quia

quia primò eorum motiuum, & rationem præmittit. Secundò illius rationis solutioné subiungit. Secunda ibi: *Ad eos quidem igitur ex his*. Dicit ergo quòd *ea opinio*, quæ est de cōtradictoriis, id est, quæ est, quòd contradictoria simul sint vera: *venit quibusdam dubitantibus*, id est, per modum dubitationis *ex sensibilibus*; vbi videmus ex vno facta esse cōtraria, id est, per modum generationis & motus: videmus enim quòd ex terra fit aqua, quæ est frigida, & aër qui est calidus; *ergo si* pro quia: quia *nō conuenit fieri non ens præfuit similiter res ambo ens*, id est, quia omne quod fit, fit ex priùs existente: quia quod non est, non contingit fieri: cùm ex nihilo nihil fiat; ideò secundùm eos oportet quòd res ex qua fiunt contraria, sit priùs habens in se ambo contraria: & eâdem ratione contradictoria: nam sicut ex eodem fit calidum & frigidum, ita ex eodem fit frigidum & nō frigidum: & hæc fuit ratio motiua illorum, per quam etiam rationem posuit Anaxagoras omnia misceri, quatenus videbat quodlibet fieri ex quolibet, putans nihil posse fieri ex alio: nisi priùs præfuisset. Iterum huic rationi assentit Democritus ponens principia rerum plenum & vacuum, vt dictum fuit in primo libro, ideò dicit Philosophus, quòd isti supple mouebantur ex dicta ratione: *vt etiam Anaxagoras ait omnia esse mixta in omnibus, & etiam Democritus*, hic *etenim*, scilicet Democritus, *inane*, scilicet vacuum, *& plenum posuit similiter secundùm quamlibet partem*, scilicet corporis, & etiam *hæc horum esse ens*, scilicet plenum: *illud verò non ens*, scilicet vacuum, vt iam dictum fuit in primo huius. Deinde, cùm dicit:

Motiuum antiquorum ponentium oppositum primi principij.

Ad eos quidem igitur qui ex his existimāt dicemus: quia modo quodam rectè dicunt, & modo quodam ignorant: ens enim dupliciter dicitur. Est ergo quomodo contingit fieri aliquid ex non ente, est autem quomodo non, & simul esse idem ens, & non ens, sed non secundùm idem. Ens potestate namque contingit simul idem esse contraria, actu verò non.

63 Text. c. 10.

Ponit dictæ rationis solutionem. Circa quod duo facit, secundùm duas solutiones quas ponit. Prima est per distinctionem. Secunda per instantiam siue interemptionem. Secunda ibi: *Ampliùs autem dignamur*. Dicit ergo, quòd ex his quæ dicta sunt, scilicet quòd obuiandum est ad mentem illis, qui ex dubitatione in dictos errores inciderunt: vel ex his, id est, ex prædicta ratione dicimus ad suscipientes, id est, opinantes contradictoria esse simul vera: *quia modo quodam rectè scilicet dicunt, & modo quodam ignorant*: quid supple dicunt. *Ens enim dicitur dupliciter*, scilicet ens in actu, & ens in potentia: cum ergo supple dicunt, quòd ex non ente non fit ens, quodāmodo dicūt rectè, & quodammodò non rectè, vnde subdit; *est ergo quomodo contingit aliquid fieri ex non ente, etiam quomodo nō*, quia scilicet ens fit ex non ente actu, ente autem in potentia: vnde idem simul non est ens, & non ens in actu: *contingit namque potestate idem esse contraria*: perfectè verò, id est, in actu *non omnino*.

Soluit motiuum antiquorum dupliciter.

Ens duplex.

Qualiter ex non ente fit ens, & cōtraria dicuntur de eodem. & qualiter non?

Notandum, solutionem istam datam esse per distinctionem, cùm enim arguebant, quòd ex non ente nihil fit; quare ergo ex eodem fiunt contraria; oportet vt videtur illa contraria præexistere in illo vno ex quo fiunt, & per consequens contraria simul esse in eodem, & eâdem ratione contradictoria, vt prædictum fuit. Respondetur distinguendo de ente: quia quoddam est ens in potentia: cùm ergo dicitur, quòd *ex non ente nihil fit*: verum est ex non ente in potentia, ex ente autem in potentia, fit omne quod fit, puta ex materia, quæ est ens in potentia, & nullum en in actu quantum est de se: & in tali ente in potentia vtique sunt contraria & contradictoria simul, non actualiter sed potentialiter: materia enim est in potentia ad vtrunque.

Ex non ente nihil fit exponitur.

Notandum etiam, quòd vt habet declarari 7. huius, duplex est potentia quantum ad præsens spectat, scilicet subiectiua & obiectiua. Prima potentia nominat subiectum potentiæ. Secunda potentia nominat obiectum potentiæ. Primo modo materia est ens in potentia. Secundo modo rosa non existens possibilis produci, est ens in potentia: quia igitur potentiæ opponitur actus, ideò duplex similiter est actus: vnus qui opponitur potentiæ subiectiuæ, & iste est actus formæ: alius qui opponitur potentiæ obiectiuæ, & iste est actus existentiæ, quæ est ipsa res actualiter existens. Primo modo accipiuntur hîc actus, & potentia, non secundo modo: verumtamen actus & potentia primo modo sumpta non sunt differentiæ entis communiter sumpti, sed secundo modo sumpta; vnde quando Philosophus 5. huius capitulo de ente diuidit ens per actum & potentiam, non accipit potentiam subiectiuam & actum ei oppositum, sed potentiam obiectiuam & actum ei oppositum; vnde diuisio de ente posita in loco isto est alia ab illa posita in 5. huius, text. com. 14. quinimmò tota ista diuisio cadit sub altero membro illius diuisionis: nam omne ens siue sit in potentia subiectiua, siue in actu sibi opposito, est ens in actu, quod opponitur potentiæ obiectiuæ; vnde ista prima diuisio videtur subdiuisio illius. Deinde, cùm dicit:

64 *Potentia & actus sunt duplices. Quare q. 9. huius in Scoto*

Qualiter accipit philosophus actum & potentiam 5. meta. cum diuidit ens in illa.

Ampliùs autem dignificemus ipsos existimare, & aliam substantiam esse entium, cui nec motus existit, nec corruptio, nec generatio omninò.

Ponit secundam solutionem, quæ est per instantiam siue interemptionem, dicens, quòd *ampliùs autem dignamur*, id est, dignum iudicamus, *eos suscipere*, id est, opinari, *aliquam substantiam entium*, id est, numero entium, *cui nec inest motus, nec corruptio, nec generatio omnino*, supple sicut probatum est 8. Physic. text. com. 45. & inde. quo posito, patet, quòd non potest concludi ex eorum ratione, quòd tali substantiæ insint contraria, vel contradictoria, cùm ex ea nihil fiat. Deinde cùm dicit:

SVMMARIVM.

Reiicit specialiter asserentes omnia apparentia esse vera, & Democritum tenentem nihil certò, & determinatè esse verum. De quo agit Doctor.

Similiter autem & quæ circa apparentia veritas quibusdam ex sensibilibus venit: verum enim non pluralitate iudicari putant, oportet nec paucitate. Idem verò his dulce gustantibus esse videtur quidem, illis verò amarum. Quare si omnes laborauerint, aut omnes desipuerint; duo autem, vel tres sani sint, aut

Tex. co. 11

aut intellectum habeant, hos quidem videri laborare, & desipere, alios verò non. Amplius autem multis aliorum animalium contraria videri & nobis, & ipsi autem vnicuique ad seipsum non eadem secundum sensum semper videri. Quæ igitur horum vera, vel falsa non manifestum: nihil enim magis hæc quàm illa vera, sed similiter. Propter quod Democritus ait, aut nihil esse verum, aut nobis non manifestum.

65 *Contra ponētes omnia apparentia esse vera.*

Disputat contra opinantes omnia apparentia esse vera. Circa quod duo facit: quia primò præmittit eorum motiuas rationes. Secundò subiungit earū solutiones disputando, scilicet contra eas. Secunda ibi: *Nos autem & hanc.* Prima in duas; quia primò ponit vnum motiuum, quod erat cōmune eis, & præcedentibus de contradictione simul vera. Secundò ponit motiua propria istorum ibi: *Omninò verò.* Dicit ergo, quòd sicut supple opinio ponens cōtradictoria esse simul vera, venit quibusdam ex sensibilibus modo prædicto: *similiter & quæ est circa apparentia veritas,* id est, opinio, de veritate apparentium *venit quibusdam ex sensibilibus:* illis, scilicet qui non ex proteruia, sed ex hac dubitatione in hanc opinionem deuenerūt; & hoc ideò, quia de eisdem sensibilibus habētur opiniones contrariæ à diuersis, & hoc tripliciter.

Contraria opiniones de eisdem habentur à diuersis tripliciter.

Vno modo à diuersis numero, eisdē tamen specie, vt quod vnus homo iudicat dulce, alius homo iudicat amarum; ideò dicit, quòd *idem his quidem gustantibus videtur dulce, illis verò amarum.* Alio modo habentur contrariæ opiniones à diuersis non solùm numero; sed etiam specie: quia aliquādo quod est sapidum brutis, est hominibus praui saporis; ideò dicit, quòd *amplius autem multis aliorum animalium contraria videntur & nobis.* Alio modo habentur contrariæ opiniones ab eisdem non solùm specie, sed etiam numero, vt idem homo secundùm diuersa tempora, & diuersas dispositiones iudicat idem nunc dulce, & nūc amarum, nunc album, nunc nigrum: ideò dicit, quòd *etiam suimet vnicuique ad seipsum non eadem secundùm sensum videntur* supple *semper: quæ igitur horum vera sit, aut falsa,* idest, quæ istarum opinionum sit dicenda vera, aut falsa *non est manifestum; nihil enim magis est quàm illa vera, sed similiter,* id est, quòd non est ratio, quare vna earum sit magis vera quàm altera: quia oportet, quòd æqualiter ambæ sint veræ, aut ambę falsæ: *propter quod ait Democritus, aut quod nihil est verum,* scilicet determinatè in rebus, *aut si est, non est nobis manifestum.*

Tollunt instantiam antiqui suo modo.

Sed quia posset aliquis dicere contra hanc opinionem, quòd potest dari aliqua regula, qua potest discerni de contrariis opinionibus quæ sit vera inter eas, vt scilicet dicamus, quòd illud sit verum iudicium de sensibilibus, quod dant sani: non autem quod dant infirmi: similiter de veritate, illud sit verum iudicium, quod dant sapientes, & intelligētes: non autem quod dant insipientes, & ignorantes: ideò ipsi respondent ad hanc obiectionem: quam responsionem ponit Philosophus in principio istius literæ: *dicunt enim, quod verum,* id est, certum iudicium de veritate, *non debet iudicari ex pluralitate, nec ex paucitate*, vt scilicet illud dicatur verum, quod videtur multis, & falsum, quod videtur paucis: quia aliquando non est sic sanitas, aut ęgritudo, siue sapientia, & insipientia, quia non videntur aliter differre quàm secundùm multitudinem, & paucitatem: *quia si omnes vel plures laborarent,* id est, essent infirmi, *aut omnes insanirent,* idest, essent insani, vel insipientes & fatui: *duo autem, vel tres sani essent, aut intellectum haberent: hos quidem,* scilicet duos, vel tres iudicant supple *videri laborare, & insanire: illos verò,* scilicet omnes & multos, *non,* id est, quòd illi multi reputarentur sapientes, & isti pauci insipientes: similiter intelligendum est de sanitate, & ægritudine; ex hoc ergo volūt isti quòd non magis credendum est de sanitate, vel veritate iudicio sani, & sapientis, quàm iudicio ægroti, & insipientis reddendo singula singulis.

66 *Quando sensus decipiuntur, & vnde regulantur, quæ omnia habet doct. 3, d. 1. q. 4.*

Notandum, quòd ideò forsan Democritus opinatus est nihil esse verum determinatè in rebus, aut si est quòd latet nos, eò quod nostra cognitio ex sensu oritur: iudicium autem sensus non est determinatè verum, cùm non semper vniformiter iudicet: quia non videtur aliqua certitudo esse in nobis de veritate: vt determinatè posset dici, hæc opinio est vera, & opposita determinatè est falsa: sed istud motiuum nullum est; tum quia sensus nunquam decipitur circa proprium obiectum sibi proportionatum; tum quia dato, quòd sensus decipiatur ex aliqua improportione, siue ex parte materiæ, siue ex parte obiecti, siue ex parte medij: tamen non est necessarium propter hoc intellectum semper decipi: nam intellectus, cùm sit potentia superior, posset corrigere errorem sensus; sicut dictum fuit in quadam quæstione in prologo primi libri. Deinde cùm dicit:

Omnino verò propter existimare prudentiam quidem sensum, & hunc autem esse alterationem, quod videtur secundùm sensum ex necessitate verum esse dicunt.

Secundum motiuum & est duplex.

Ponit motiua propria istorum, qui opinati sūt omnia apparentia esse vera, & sunt duo: quorum primum sumitur ex parte sensus. Secundum ex parte sensibilium, quod ponitur ibi: *Horum autem opiniones.* Prima in tres, quia primò ponit causam motiuam huius opinionis sumptam ex parte sensus. Secundò recitat diuersorum opiniones, qui in dictam causam concordabant. Tertiò arguit contra eos. Secunda ibi: *Ex his.* Tertia ibi: *Aut & grauissimum.* Dicit ergo quòd *omnino verò,* quare supple ab antiquis suscipitur, id est, opinatur prudentia esse sensus, id est, quòd scientia nihil est nisi sensus: non enim distinguebant inter sensum & intellectum, quare inquam sic est, *hunc autem esse per alterationem quod videtur secundùm sensum dicunt de necessitate esse veeum*, id est, quòd cùm cognitio sensus fiat per quandam alterationem, & immutationem à sensibili: ideò videtur quòd cognitio sensus correspondeat naturæ rei sensibilis, & sic oportet quòd illūd sit verum quod apparet secundùm sensum: quia igitur secundùm eos omnis cognitio est sensitiua, sequitur quòd omne illud sit verum, quod apparet alicui: secundùm sensum aliquo modo.

Al. quibus, &

Decipitur sensus plerisque & quare & circa quæ.

Notandum, quòd ista ratio deficit; tū quia non distinguitur inter sensū & intellectū; tū quia supponit iudicium sensus nunquā decipi, quod falsum est: nam decipitur frequenter circa obiecta communia, & per accidens, decipitur etiam quādoque circa obiecta propria, vel propter improportionem obiecti, vel propter indispositionem organi, & inde est quòd sensus quandoque iudicat de sensibili aliter quam sit in re. Deinde cùm dicit:

SVMMARIVM.

Quatuor opiniones Philosophorum de veritate rerum, cum earum motiuis.

67

EX his enim Empedocles & Democritus & aliorum; vt consequens est dicere, vnusquisque talibus opinionibus facti sunt rei, etenim Empedocles permutantes habitum permutare dicit prudentiam. Ad præsens enim consilium augetur in hominibus, & in aliis dicit. Quia quantum alteri transformati sunt, tantum ipsi & semper sapere altera affuit.

Recitat quasdam opiniones, quæ in dicta motiua concordabant, & diuidit in quatuor partes, secundùm quatuor opiniones, quas recitat Philosophus. Secunda ponitur ibi: *Parmenides verò.* Tertia ibi: *Anaxagoras quoque.* Quarta ibi: *Dicunt & Homerum.* Dicit ergo quòd *ex his*, idest, rationibus prædictis, *Democritus & Empedocles & singuli aliorum facti sunt rei talibus opinionibus, vt est dicere*, idest, probabiliter potest haberi ex eorum dictis: *etenim*, pro quia: quia *Empedocles permutantes habitum*, idest, dispositionem corporis, *dicit palam prudentiam permutare*, idest, supple intellectum, cuius est prudentia, cùm sequatur dispositionem corporis sicut sensus: nam secundùm eum prudentia *crescit hominibus ad apparens*, idest, quòd per hoc quòd aliquid apparere incipit de nouo ipsi homini, perfectio scientiæ fit in homine, ex hoc quod dispositio corporis variatur, *& in aliis*, scilicet locis, scilicet Empedoclis, quod *quantum ad alterationem transformantur*, idest, secundum quantitatem, qua homo transformatur ad alteram dispositionem corporis, tanta eisdem semper curare difficile inquit, id est, quod tot curæ siue sollicitudines, siue prudentiæ hominibus adueniunt, quot variationes sunt in corpore: ex quo sequitur quòd ad transformationem dispositionis corporalis sequitur transformatio prudentiæ, quod difficile est intelligere tanquam falsum. Deinde cùm dicit:

Opinio Empedoclis apparens.

Parmenides verò enunciat eodem modo, vt enim quicunque habuerunt membrorum complexionem, multa flexionis & intellectus hominibus adest. Idem enim est quod quidem sapit membrorum natura hominibus & omnibus & omni. Quod enim plus est intelligentia.

68

Opinio Parmenidis satis subtilis.

Ponit secundam opinionem ad idem, quæ est Parmenidis. Dicit ergo: quòd *Parmenides eodem modo enunciat*, scilicet de veritate rerum: sicut Empedocles. Dicit ergo, quòd sicut *quilibet homo habet complexionem membrorum circunflexorum: ita intellectus adest hominibus*: quasi diceret, quòd in membris hominis est magna diuersitas & circunflexio ad hoc vt talis dispositio membrorum conueniat operationi intellectus, qui sequitur complexionem membrorum: dicit enim quòd, *idem est quod sapit de natura membrorum*: *& quod est in omnibus*, id est, singulis partibus vniuersi, & etiam in homine: ita quòd in toto vniuerso illa virtus dicitur Deus: in singulis verò partibus dicitur natura: in homine autem dicitur intellectus: quia habet plus in homine, quàm in aliis partibus vniuersi: quia scilicet in homine illa virtus intelligit propter determinatam complexionem membrorum: non sic autem est in aliis rebus, propter quod debet intelligi, quòd intellectus sequatur dispositionem corporis & complexionem, vt sic non differat à sensu. Deinde cùm dicit:

In toto vniuerso Deus, in partibus vniuersi natura: sic in homine intellectus, & econtra.

Anaxagoræ quoque pronunciatio recordatur ad quosdam sociorum eius, quia talia ipsis erunt entia, qualia vtique existimauerũt ipsi.

Ponit tertiam opinionem quæ fuit Anaxagoræ, & dicit quòd *pronunciatio quoque Anaxagoræ recordatur ad quosdam amicorum*, id est, quòd locutus est ad suos socios, & amicos reducens eis ad memoriam: *quia talia erunt eis entia qualia suscipiunt*, id est, opinantur; ita quòd secundùm cũ veritas rei sequatur opinioné. Deinde cũ dicit:

Opinio Anaxagoræ.

Dicunt autem & Homerum videri hanc habentem opinionem quia fecit Hectorem tanquam in ecstasi fuerit à plaga iacere aliud sapientem, tanquam sapientes quidem & desipientes, sed non eadem. Palàm ergo quòd si vtraque prudentia, & entia simul sic, & non sic se habent.

Ponit quartam opin. quæ fuit Homeri dicẽtis, quòd dicunt supple *quidam Homerum videri habentem eandem opinionem, quia fecit*, id est, posuit in sua opinione *Hectorem iacere vt in ecstasi ab ipsa plaga*, id est, vulnere inflicto sibi, *& aliud sapientem*, id est, cogitantem quàm priùs *quasi sapientem quidem & non cogitantem*, id est, quasi in illo statu, in quo iacebat percussus, esset cogitans & non cogitans, id est, sapiens & non sapiens erat, quamuis secundum illa quæ priùs sapiebat & non ignorabat, non erat sapiens. Vltimò epilogat quantum ad istas opiniones dicens, quòd *palam ergo si vtraque prudentia*, id est, opiniones contrariæ secundum quas opinatur hîc contraria, & mutatur ab vna dispositione corporis ad aliam, supple sunt veræ, sequitur quòd *entia simul sic se habent, & non sic se habent*: ita quòd contrariæ opiniones sint simul veræ, & nulla earum sit falsa.

69

Opinio Homeri ficta.

Epilogus.

Notandum, quòd iste Homerus dicitur fuisse Poëta, qui in suis carminibus poëticis loquens de quodam bellatore, qui dictus fuit Hector, & fuerat in quodam bello grauiter vulneratus, ita vt iaceret quasi amens & alienatus à sensu, dixit quòd Hector iacebat aliud sapiens quàm priùs, quia nunc sibi alia videbantur quæ nunc sapiebat & non priùs, putans quòd quicquid apparet sit verum; & sic Hector verè sciebat illa quæ sibi in isto statu & ecstasi apparebant.

Notandum etiam quòd duæ primæ opiniones scilicet Empedoclis, & Parmenidis ad hoc tendũt quòd intellectus & sensus sunt idem, ita quòd intellectus sequatur complexionem corporis quòd est proprium sensus. Aliæ verò duæ opiniones quæ sunt Anaxagoræ & Homeri ad hoc tendunt quòd omnia vera sint quæ apparent, sicut patet intuenti. Deinde cùm dicit.

Intentũ Parmenidis & Empedoclis.

Quare & grauissimum accidens est: nam siqui maximè contingens verum viderunt: hi autem sunt maximè quærentes ipsum & amantes:

amantes: hi tales habent opiniones & talia enunciant de veritate, quomodo non est dignum & respuere philosophari conantes. Nam volantia persequi, erit veritatem vtique inquirere,

Arguit contra dictos Philosophos dicens, quòd *& grauissimum accidens est* eis scilicet accidit: *nam si qui maximè viderunt verum* quod contingit, id est, quantum contingit post se ab homine videri, *& hi sunt*, scilicet prædicti Philosophi qui id, id est, verum *sunt maximè quærentes*: hi tales *habent opiniones, & talia enunciant de veritate, quomodo* inquam *non est dignum* dolere istos *sic respuere philosophari*: quasi diceret, debent dolere de hoc quòd eorum studium frustratur, si veritas inueniri non potest: nam si secundùm eos, nullum verum potest ab homine determinatè sciri, quærere veritatem est quærere impossibile, sicut ille qui fugat volatilia: quanto enim magis persequitur, tanto magis ab eo elongantur; ideò subdit: *nam veritatem quærere est volatilia fugare.* Deinde cùm dicit:

Text.co 22.

Huius autem opinionis causa est: quia de entibus quidem veritatem intendebant: entia autem putauerunt esse sensibilia solùm: in his verò multa quæ indeterminati natura existit, & quæ entis sicut diximus, propter quod decenter quidem dicunt, non vera autem dicunt. Sic enim congruit magis dicere, quàm sicut Epicharmus ad Xenophanem.

Ponit motiua eorum sumpta ex parte sensibilium, & sunt duo: quorum primum sumitur ex sensibilium infinitate, siue indeterminabilitate: Secundum sumitur ex sensibilium mutabilitate & instabilitate. Secundum ponitur ibi: *Ampliùs autem totam.* Dicit ergo, quòd *causa opinionis* horum, id est, dictorum Philosophorum *fuit*: quia cùm ipsi *intendebant quidem veritatem*, scilicet cognoscere *de omnibus entibus*, *putauerunt*, id est, opinati sunt *entia esse sensibilia solùm: in his verò*, id est, in sensibilibus *multa exstiit natura infiniti*, & hoc est ratione materiæ, quæ de se est indeterminata & in potentia ad omnes formas: similiter *vt diximus* in sensibilibus *est multùm* supple *de natura entis, scilicet indeterminati*: puta quia esse rerum sensibilium se habet ad diuersa: quia vni videtur sic, & alteri aliter vel aliter: quia in sensibilibus est multum de natura quæ est entis, quatenus, sicut diximus, sola sensibilia sunt entia, scilicet secundùm eorum opinionem ipsique *decenter*, id est, probabiliter *quidem dicunt*, scilicet prædicti Philosophi, propter dictam rationem: *sed non vera dicunt* in hoc scilicet, quòd nihil ponunt determinatum esse: *sic enim congruit magis dicere* sicut supple ipsi dicunt, aut pro quã, *quã sicut* Epicharm⁹ dixit *ad Xenophanẽ*, qui formas dicebat esse immobilia, & necessaria, & certitudinaliter sciri.

Notandum, quòd licèt materia, quantum est de se, sit indeterminata & indifferens ad omnes formas, tamen determinatur per formam ad certum modum, & gradum existendi; cùm nihil sit actualiter, siue formaliter: quia igitur res magis cognoscuntur per suam formam, quàm per materiam, nõ est negandũ quin de re possit haberi cognitio determinata; ita videtur horum Philosophorum positio; licèt habeat aliquam probabilitatem, & magis quàm opinio Epicharmi loquentis ad Xenophanem: non tamen vera ponit pro quanto negat à rebus omnem determinatam cognitionem. Deinde cùm dicit:

Materia determinatur per formã & compositum principalius cognoscitur sicut & constituitur.

Ampliùs autem omnem videntes hanc motam naturam: de permutatione autem nihil verum dicemus. Circa verò omnino permutans non contingere verum dicere: ex hac existimatione pullulauit opinio dictorum summa quæ est dicentium Heraclitizare, & qualem Cratylus habuit. Qui tandem nihil opinatus est oportere dicere, sed digitum mouebat solùm. Et Heraclitum increpuit dicentem, bis in eodem lumine non est intrare; ipse enim existimauit nec semel.

71

Ponit secundum motiuum sumptum ex sensibilium mutabilitate, & instabilitate. Dicit ergo, quòd *ampliùs naturam autem videntes.* scilicet Philosophi *totam hanc naturam* sensibilem esse *motam de permutibilitate.* idest, de permutabili, & mobili, *nihil dicitur verum circa omninò verò semper permutans*, idest, quòd circa naturam rerum sensibilium permutabilem omnino permutant; ita quod nihil in ea fixum contingere verum determinatè esse potest de tali natura secundùm eos: quæ autem eorum fuerint motiua, patet ex hoc: nam *ex ea opinione pullulauit doctorum* Philosophorum opinio extrema, id est, quæ venit ad extremum illius scilicet finem, *quæ est dicentium Heraclitizare*, id est, sequi opinionem Heracliti, & quã habuit Heraclitus, qui scilicet posuit omnia continuè moueri, & nihil esse determinatè verum, qui scilicet Heraclitus ex tali opinione tandem supple ad hanc dementiam peruenit, quòd *opinatus est nihil oportere dicere*, id est, verbo exprimere, *sed digitum mouere solùm*, scilicet quòd volebat; *vnde & Aristippum prohibuit*, id est, reprehendit dicentem: *quia bis in eodem flumine non est intrandum*, id est, quod non potest homo bis intrare: Putabat enim iste Aristippus, quòd antequam homo intraret secundò fluuium, prima aqua fluminis iam defluxerat; nec eadem quæ prius: *is enim*, scilicet Heraclitus existimauit scilicet *quòd nec semel* potest homo in eundem fluuium intrare: quia antequam semel etiam intraret, dicebat totam aquam defluxisse.

Opinio Heracliti nihil oportere dicere, sed tantũ digitũ mouere.

Notandum, quòd motiuum istorum Philosophorum pro hac opinione fuit, quia opinati sunt totam naturam entium esse mobilem, & continuè moueri, de eo verò, quod mouetur, vt sic, nihil potest determinatè verum dici: nam quia omne, quod mouetur, fit, & est in continuo fluxu habens aliquid de vtroque termino; ideò non potest dici hoc, vel illud determinatè. Exemplum de isto, quod mouetur ab albo in nigrum, nec est determinatè album, nec determinatè nigrum: si igitur omnes res sunt in cõtinuo motu, & fluxu, non poterit dici de rebus aliquid determinatè verum; ex quo sequitur, quòd veritas opinionem non sequitur, determinatum modum essendi in rebus: sed magis quòd hoc sit esse verum vnumquodque, quod apparet cognoscenti, & veritas rei stet in apparere: ex hac igitur radice orta est opinio istorum, quæ peruenit vsque ad opinionẽ Heracliti: qui etiam posuit omnia esse in cõtinuo fluxu, & moueri, & nihil determinatè esse verũ: propter

Vide 1.d.3.q.4. in Sco.

Ponẽtes omnia moueri, seu esse in cõtinuo fluxu.

propter quod opinatus est non debere loqui, sed solum digitum moueri ad exprimendum conceptum mentis. Putabat enim, quòd veritas rei quam exprimere volebat, priùs transierat quàm vox siue oratio proferretur; vnde Aristippum dicentem, quod in eodem flumine non conuenit bis intrare, redarguebat Heraclitus dicens, quòd nec contingit semel propter continuum fluxum aquę: similiter ad propositum dicebat, quòd non solùm bis potest homo dicere aliqua, aut loqui; sed nec etiam semel propter continuum fluxum rerum.

SVMMARIVM.

Opinionem Philosophorum de mutabilitate sensibilium refutat sex rationibus. vide Doct 2. de An. q 9. num. 32. vbi ex Philosopho docet, non omnia esse in continuo motu.

72

Nos autem ad hanc quæstionem dicemus: quia permutans quando permutat, habet quandam ipsius veram rationem non existimari esse.

Motiua prædicta soluit, & impugnat.

Postquam Philosophus præmisit motiuas rationes de apparentium veritate, nunc subiungit earum solutiones, disputando contra eos. Circa quod duo facit. Primò disputat contra hoc quod dicebant de mutabilitate sensibilium. Secundò contra hoc, quod dicebant de veritate apparentium. Secunda ibi: *De veritate verò quod non.* Prima in sex secundum sex rationes, quas adducit ad propositum. Secunda ponitur ibi: *Et quidē est dubitatissimum.* Tertia ibi: *Sed hac prætermittentes.* Quarta ibi; *Amplius autem dignum.* Quinta ibi: *Amplius autem palam.* Sexta ibi: *Et enim contingit.* In prima parte innuit talem rationem: Quicunque opinatur non esse, quod non est, ille veram habet opinionem, & veram profert orationem, si hoc profert, & enunciat: sed illud quod mutatur, dum mutatur, non est: nec illud à quo mutatur, nec illud ad quod mutatur; ergo aliquid verè potest opinari, & enunciari de eo, quod mutatur, scilicet quod non est, nec hoc, nec illud. Dicit ergo quòd *nos autem dicimus ad hanc orationem.* idest, opinionem ponentem, quòd de eo, quod mutatur nihil potest verè dici: *quia permutans* idest, permutabile *dum permutat*, idest, quando permutatur, *habet quandam orationem.* scilicet veram eis, scilicet secundùm eos, scilicet *non existimari esse.* idest, quòd non existimetur aliquid esse simpliciter, & ideò saltem quantum ad hoc erit aliqua fixa, & determinata veritas in rebus. Deinde cùm dicit:

Et quidem est dubitatissimum: abiiciens enim habet aliquid eius, quod abiicitur, & eius, quod fit iam necesse aliquid esse omninò: Quia si corrumpitur, existet aliquid ens, & si fit ex quo fit, & à quo generatur, necesse est esse, atque hoc non esse in infinitum.

Al. à quo

Posse aliquid opinari de eo quod mouetur.

Ponit secundam rationem, quæ talis est: Omne quod mouetur, habet aliquid de termino ad quē, quia vt sic partim est in termino a quo, & partim in termino ad quem, vt probatur 6. Physic. text. com. 7. & 87. vnde ipsius facti, idest, eius quod fit necesse est iam aliquid esse; ergo saltem hoc est verum determinatè dicere, & opinari de eo, quod mouetur. Dicit ergo, quod supple *Dubitatissimum est*, etiam contra eos, qui ponunt de eo, quod mouetur nihil verè posse dici: *nam permutans*, idest, permutabile *habet aliquid eius, quod abiicitur.* idest, de termino in quem permutatur, & facti, idest, *eius, quod fit necesse est iam aliquid esse*: nam vt probatur 6. Physic. text. com. 52. & circiter. omne quod fit fiebat, & ante omne fieri præcedit factum esse, & omninò *si corrumpitur, aliquid existet*, id est, erit aliquid ens: quia supple si omninò non esset, iam non esset in corrumpi, sed in corrupto esse: similiter & si fit, idest, si aliquid generatur, *necesse est esse, & illud ex quo fit*, idest, materia, & à quo generatur, id est, generans, *& hoc non esse in infinitum*: probatum est enim secundo huius, text. com. cap. 5 & inde, quòd nec in causis materialibus nec efficientibus est processus in infinitum. Patet igitur ex prædictis, quòd de eo, quod mouetur, potest aliquid opinari, & enunciari; tum quia in omni eo, quod mouetur, & generatur, & corrumpitur, est aliquid de vtroque termino; tum quia in omni generatione, & motu oportet ponere subiectum, & agens generans, vel mouens. Deinde cùm dicit:

Al. à quo.

73

Sed hac prætermittentes illa dicamus, quia non est idem permutare secundùm quantitatem, & secundùm qualitatem: Secundum quantitatem quidem igitur sit idem non manens, sed secundùm speciē omnia cognoscimus.

Ponit tertiam rationem, quæ rectè obuiat causæ motiuæ dictæ opinionis.

Nota de motu augmenti. Quære 2. d. 2. q. 91

Ad cuius euidentiam notandum, quòd dicti Philosophi ponentes omnia sensibilia continuè moueri, mouebantur ex rebus, quæ augentur: videntes enim, quòd aliquid per multum tempus, puta per biennium crescit secundum modicam quantitatem, crediderunt, quòd motus aucti esset continuus, ita quòd quantitas secundùm quàm fit augmentum, diuideretur proportionabiliter secundùm partes temporis sic, vt in qualibet parte temporis fieret augmentum alicuius quantitatis, cuius proportio esset ad totā quantitatem, sicut proportio partium temporis ad totum tempus: sicut igitur iste motus est insensibilis, ita similiter putauerunt, quòd omnia, quæ videntur quiescere mouentur continuè; licèt motu insensibili, siue imperceptibili. Ista autē opinio de motu augmēti, scilicet quòd sit continuus, falsa est sicut ostendit Philosophus 8. Physic. text. c. 13. ponens exēplū de gutta aquæ cauante lapidem: nam licèt gutta vltima quodammodò in virtute præcedentium amoueat partem lapidis; non tamen dicendū, quòd ista amotio fieret in toto tēpore præcedenti, quo cadebant guttæ præcedentes: licet tunc fieret ista dispositio ad amotionem, vel cauationem, quæ fit per vltimam guttam. Similiter in proposito secundùm Philosophum ibidem non est imaginandum si aliquid crescit secundùm aliquam quantitatem, puta per palmū in aliquo tempore, puta in biennio, quòd ille motus augmenti fiat continuè in toto illo tempore modo prædicto; sed fit dispositio in tempore aliquo præcedenti, & quòd in vltimo illius temporis fit augmentum quantitatis: concesso tamen, quòd ita esset de motu augmenti, sicut ipsi opinantur, non tamen sequitur ita esse in omni motu. Dicit ergo Philosophus contra eos, quòd *prætermittentes hac quæ dicta sunt, ita dicamus, quia*, scilicet, *non idem* dicimus

Opinio ponēs omnia sensibilia continuè moueri.

Quomodo gutta cauant lapidem.

mus

mus, *permutare secundùm quantitatem, & secundùm qualitatem* : nam isti motus alteri sunt; *ergo secundùm quantitatem si non manens*, id est, non sit quiescens illud quod augetur secundùm quantitatem: *sed tamen secundùm speciem*, id est, qualitatem, vel formam, *omnia cognoscemus.* Vult dicere, quòd licèt concedatur eis, quamuis sit falsū, quòd motus secundùm quantitatem sit continuus in rebus, tamen secundùm qualitatem, vel formam non oportet omnia continuè moueri: quare cum res magis sit cognoscibilis per suam formā quàm per suā quantitatē, sequitur quòd cognitio determinata haberi poterit de rebus. Deinde cùm dicit:

Text. c. 13.

74

Ampliùs autem dignum est increpare sic existimantes, quod sensibilium in minoribus numerum scientes sic habentem de toto cœlo similiter enunciauerunt. Nam circa nos sensibilis locus, in generatione, & corruptione persenerat solum ens. Sed iste, vt dicatur nulla pars est omnis: quare iustius vtique propter illa hoc reueriti fuissent, quare propter hoc de illis errauerunt.

Ponit quartam rationem dicens, quòd *amplius dignum est increpare*, idest, contemnere, *sic recipientes*, id est, opinantes, scilicet, quod *quia in minoribus numerum sensibilium scientes sic habentem*, scilicet naturam: *similiter & de toto cœlo enunciauerunt*, id est, quòd isti renuēdi sunt ex hoc, quòd omnia sensibilia putabant continuè moueri ex hoc, quòd numerum paucorum sensibilium inuenerunt sic se habere; cùm tamen multa sensibilia, scilicet corpora cœlestia sint immobilia, præterquam motu locali: *nam locus sensibilis circa nos*, id est, sensibilia quæ sunt circa nos in loco siue sphæra actiuorum, & passiuorum, *existit ens solum in generatione, & corruptione*: sola enim sensibilia, quæ sunt in isto loco sunt generabilia, & corruptibilia: *sed iste* locus, *vt ita dicatur est nulla pars omnis*, id est, vniuersi, id est, quod nihil est respectu vniuersi: *quare iustius est, vt propter illa hoc reueriti fuissent*, quàm propter hæc illa diiudicaretur, id est, quòd quia omnia corruptibilia sunt, quasi nihil respectu illorum sensibilium incorruptibilium; ideò stultum videtur de tota natura sensibili iudicare propter ista pauciora; vnde intolerabilius esset, quod tota natura sensibilis diiudicaretur propter ista pauciora, quàm quod fiat econuerso.

Præposterè discurrit, qui ex mobilitate paucorum sensibilium, inferunt, omnia similiter moueri.

Notandum, quòd ista sensibilia, quæ sunt circa nos dicuntur esse nihil, non simpliciter, sed respectu vniuersi & corporum sensibilium, quæ sunt maximè quantitatis; ideò ait Aristot. vt ita dicatur locus iste nulla pars est omnis, id est, vniuersi, & hoc sic patet: nam sicut probant Astrologi, tota terra se habet sicut centrum respectu cœli vltimi; respectu cuius, vt dicunt, non habet sensibilē quantitatem, quod probant ex hoc: sicut patet in tract. de sphæra c. 1. quia sex signa Zodiaci apparēt semper super terram, quod non esset si aliquam partem notabilem cœli ipsa terra nobis occultaret: quando ergo dicit Philosophus sensibilia, quæ sunt circa nos esse minora. & pauciora secundùm numerum, videtur loqui impropriè de numero: quia secundùm dicta, illa paucitas accipienda est pro paruitate quantitatis continuæ, & non pro paucitate numerali: vel fortè posset dici, quòd etiam ista sensibilia inferiora sunt pauciora illis secundùm numerum, si numerentur omnes cœli, & omnes circuli sphærarū, puta omnes deferentes, & æquantes & epicycli: omnes etiam stellæ, quæ sunt innumerabiles: sic etiam fortè sensibilia illa sunt plura istis etiam secundùm numerum. Deinde, cùm dicit:

Nota de quantitate terræ, & numero sensibilium inferiorum.

Quare Ptolemæum primo Almagesti.

Ampliùs autem palam, quia & ad hos eadem olim dictis dicemus: quod enim est immobilis natura quædam ostendendum ipsis, & credendum eis.

75

Ponit quintam rationem dicens, quòd *ampliùs palam quia ad hos*, id est, contra hos, *dicemus eadem dictis olim*, id est, ea quæ supradicta sunt in hoc eodem 4. lib. scilicet quod est quædam natura immobilis, scilicet natura mouentis primi: *nam quia est quædam natura immobilis, dicendum est*, supple contra eos, *& eis credendum est*, id est, quòd ipsi debent hoc credere tanquam probatum, scilicet in 8. Physic. text. com. 45. & inde, quare falsum est dicere omnia esse in continuo motu, & quod nihil possit de rebus verè enunciari, siue opinari. Deinde, cùm dicit:

Equidem contingit simul dicentibus esse, & non esse, quiescere magis dicere omnia quàm moueri: non enim est aliquid in quod permutetur: nam omnia sunt omnibus.

Ponit sextam rationem dicens, quòd supple, ista positio, quâ dicunt omnia moueri, repugnat illi quæ ponit, scilicet contradictoria de eodem esse simul vera: nam *dicentibus idem simul esse, & non esse, contingit dicere omnia quiescere magis quàm moueri: non enim est illud in quod aliquid permutatur*: nihil enim permutatur ad quod iam sibi inest: nam habitibus præsentibus cessat motus & generatio, vt dicitur 1. de Generatione, text. com. 55. *omnia autem insunt omnibus*, si idem contingat esse simul, & non esse. Vt superiùs ostensum fuit: quia omnia essent vnum. Ita igitur positio videtur à seipso dissonare, & repugnare. Tunc sequitur illa pars:

Dicentes omnia moueri, destruunt opinionem, cōtradictoria esse simul vera de eodem.

S V M M A R I V M.

Probat septem rationibus, non omne apparens esse verum. Quod hîc tangit Doctor, sensum non decipi; intellige circa proprium obiectum, positis requisitis, & ablatis impedimentis, de quo vide eum q. 10. de An. & ibi commentarium con. 5. De deceptione sensus, & qualiter corrigitur per intellectum, vide eundem 1. d. 3. q. 4 n. 11. Quod ait etiam text. 25 in fine, sensum non esse reflexiuum; vide tractatum q. 9. de An. in comment.

Tex. co. 24.

DE veritate autem, quod non omne apparens verum primum quidem: quia neque sensus falsus proprij est, sed phantasia non idem sensui.

76

Vbi Philosophus disputat contra hoc, quod dicebant de veritate apparentium. Circa quod duo facit: quia primò disputat contra illos, qui ex aliqua dubitatione, vel ratione in dictam opinionem deuenerunt. Secundò contra illos, qui ex proteruia in eandem rationem inciderunt. Secunda ibi: *Sunt autem aliqui.* Prima diuiditur in septē, secundùm septem rationes, quas fabricat contra eos.

Hic arguit contra antiquos quoad veritatē apparentium.

eos. Secunda ponitur ibi: *Deinde dignum.* Tertia ibi: *Amplius autē de futuro.* Quarta ibi: *Amplius autē in sensibilibus.* Quinta ibi: *Quorum in eodem tempore.* Sexta ibi: *Verum & hæc.* Septima ibi: *Et ex toto.* Dicit ergo, quòd supple postquam ostensum est, quòd non omnia sensibilia sunt in continuo moueri: nunc supple ostendendum est *de veritate, quia non omne apparens est verum.* Primum quidem, *quia sensus non est falsificabilis proprij* obiecti, *sed phantasia quæ non est idem sensui.*

Certitudo, & deceptio sensuum. Vide 3. disp. 1. q. 4.

Notandum, quòd sensus numquam decipitur circa proprium obiectum, vt obiectum est, vt dicitur 2. de Anima, text. com. 63. sed benè phantasia, quæ non est idem sensui, sed est motus factus à sensu secundùm actū, vt dicitur 2. de Anima, text. com. 160. potest decipi circa obiectum ex eo, scilicet quòd ad phantasiam aliquādo non rectè perueniunt immutationes sensuum, propter aliquod impedimentum: diuersitas ergo iudicij, quæ accidit circa sensibilia, non prouenit ex sensu, sed magis ex phantasia: quia igitur isti Philosophi hanc diuersitatem iudicij attribuebant sensui, secūdùm quam vnus iudicat sentire falsum de quo alius verum sentit, irrationabiliter fecerunt. Si verò dicatur, quòd aliquando circa propria obiecta accidat error sensus: dicendum est, quòd supposità proportione obiecti ad sensum, & distantia conueniente, & proportionato organo, & medio, talis error non est ex sensu, sed à phantasia, ex cuius dispositione accidit aliquando, quòd obiectum sensus aliter percipiatur à phantasia quàm à sensu, sicut patet de phreneticis habentibus læsum organum phantasiæ. Deinde cùm dicit;

Error sensus circa propriū obiectum prouenit à phātasia non à sensu.

Deinde dignum mirari, si hæc dubitant: vtrùm tantæ sunt magnitudines, & colores tales, quales à remotis videntur, aut quales de propè? & vtrùm qualia sanis, aut qualia laborantibus? Et grauiora vtrùm qualia debilibus, aut qualia robustis? Et vera vtrùm qualia dormientibus, aut qualia vigilantibus? Quod quidem enim non putant palam. Nullus ergo si putauerit se de nocte Athenis esse ens in Libya, vadit ad Lyceum.

77 *Agens quantò remotiùs agit, tantò debiliùs.*

Ponit secūdam rationem dicens, quòd *dignum est mirari si hic*, supple aliqui quærunt, vel dubitāt *vtrùm tanta sunt mensura*, id est, quantitates, & *similiter colores vtrùm sint tales quales videntur à remotis, aut quales videntur propinquiùs*: cōstat enim quòd virtus agentis pro quanto videtur remotiùs agere, tanto debiliùs agit, sicut ignis minùs potest ignire remotus quàm propinquus, magnitudines ergo, vel colores, tantæ, vel tales sunt iudicandæ, quantæ, & quales videntur de propinquo: quia perfectiori modo immutant sensum de propinquo quàm à remotis: similiter etiam mirum est, si aliquis dubitet vtrùm supple aliqua sunt *talia qualia videntur sanis, aut qualia laborantibus?* Constat enim quòd sani rectè iudicant de sensibilibus, quatenus habent organa disposita & recipiunt immutationes sensibilium provt sunt; non sic est de infirmis propter causam oppositam, quatenus habent organa sensuum indisposita & infecta: similiter mirum est, si aliquis dubitet vtrùm supple *pondera sunt qualia vidētur debilibus, aut qualia robustis.* Constat enim quòd robusti veriùs iudicant de ponderibus quàm debiles: nam in debilibus est difficultas ad sustinendum pondus, non tantùm ex magnitudine ponderis, sicut etiam in robustis, sed vltra etiam ex debilitate virtutis; vnde etiam parua pondera videntur eis magna. Similiter mirum est si aliquis dubitet vtrùm, *vera sint qualia videntur dormientibus*, in quibus sunt ligati sensus, *aut qualia videntur vigilantibus?* Exponit autem quia mirum est si dubitant de prædictis: quia ex eorum actibus patet quòd non dubitant, nec opinantur omnia iudicia esse æqualiter vera; ideò subdit: *nam quia non existimant*, id est, non sic opinantur, *palàm: nullus enim eorum si suscipit*, id est, opinatur, *de nocte esse Athenis ens in Lybia, vadit ad Lyceum.* Vult dicere, quòd si aliquis existens in Lybia videretur in somnis sibi esse Athenis, surgens à somno non faceret talia, qualia faceret si in vigilia hoc vidisset; iret enim ad Lyceum, id est, ad quendam locum sic dictum, qui est Athenis, si in vigilia se videret esse Athenis: quod non facit quando hoc solùm in somnis videt. Ex quo patet quòd non opinatur æqualiter esse verùm, quod videtur dormienti, & quod videtur vigilanti. Similiter autem potest argui de aliis quæstionibus prædictis: licèt enim de talibus quærant voce, de eis tamen non dubitant mente. Patet ergo, quòd ratio eorum nulla est: illa scilicet per quam ponunt omnia apparentia esse vera: ex eo scilicet quod contrariorum opinantium non potest iudicari secundum eos quæ sit verior, vt superiùs dicebatur: hoc enim falsum est, vt patet ex nunc dictis. Deinde cùm dicit;

Varietas iudiciorum oritur ex varietate dispositionum.

78

Ampliùs autem de futuro, vt & Plato dicit, nequaquam similiter propria medici opinio, & ignorantes velut de futuro sanos fare, aut non de futuro.

Ponit tertiam rationem dicens, quòd *ampliùs vt dicit Plato, de futuro similiter non est propria*, id est, firma, vera & digna, *credo opinio medici*, scilicet experti in medicina, *& ignorantis*, scilicet medicinam *de* hoc *futuro* supple *infirmos fore sanos, aut nō de futuro.* Ratio huius est, quia medicus expertus cognoscens, causas ægritudinis, potest iudicare verè de sanitate futura, quod non potest imperitus & ignorans medicinam. Ex quo patet falsam esse opinionem, quæ dicit omnes opiniones æqualiter esse veras. Deinde cùm dicit:

Tex. co. 15.

Ampliùs autem & in sensibilibus non similiter propria alicui & proprij aut propinqui, & eius quod ipsius: sed de coloribus quidem visus, non gustus: de saporibus gustus, non visus.

Sensus non iudicat de obiecto alieno sicut de proprio.

Ponit quartam rationem dicens, quòd *ampliùs in sensibilibus non est similiter propria*, id est, æqualiter vera cognitio *proprij* obiecti & alieni: sicut non sic verè visus iudicat de sono, sicut de colore: *similiter non est* æqualiter vera cognitio sensus respectu *proprij obiecti aut propinqui*, id est, proprij obiecti, *& eius quod ipsius*, id est, substantiæ quæ est obiectum per accidens: nam iudiciū sensus semper est verum de proprio obiecto, sed est falsum quandoque de obiecto communi: quod est magnitudo, & numerus, & huiusmodi, quæ ponuntur secundo de Animal text. 64. & 65. & etiam de obiecto per accidens quod est substantia, puta diarij filius: decipitur etiā plus circa obiecta aliena, quæ sunt propria alterius sensus, & quantum ad hoc subdit, quod *de coloribus quidem visus* supple

supple iudicat verè, *non gustus: de saporibus gustus, non visus*: ex quo patet quòd dicere omnia iudicia sensuum esse vera æqualiter, est omnino extra rationem. Deinde cùm dicit:

79

Quorum vnusquisque in eodem tempore circa idem nunquam dicit; simul ita & non ita habere: sed nec in altero tempore circa passionem dubitauit, sed circa id cui accidit passio: dico autem puta idem quidem vinum videbitur vtique, aut mutatum, aut corpore mutato, quandoque quidem esse dulce, quandoque autem non esse dulce, sed quod non dulce quale est, quando fuerit nunquam mutauit, sed semper de ipso verum dicit, & est ex necessitate futurum tale dulce.

Ponit quintam rationem dicens, quòd *quorum*, scilicet sensuum, *quisque*, idest, quilibet, *nunquam in eodem tempore circa idem*, scilicet obiectum, *dicit simul ita & non ita se habere*; visus enim non dicit in eodem tempore aliquid esse simul album & non album; sed *nec in diuerso tempore circa passionem dubitauit*, idest, quòd licèt sensus in diuersis temporibus videtur de eodem obiecto opposita iudicare; tamen dubitatio nunquam accidit ex iudicio sensus circa ipsam passionem sensibilem quæ est obiectum; aut pro sed: *circa quod*, id est, circa subiectum, *cui accidit passio: dico autem veluti idem vinum videtur aut mutatum*, idest, quòd idem eidem gustui aliquando iudicatur esse dulce, aliquando non dulce: hoc est à mutato corpore, id est, organo gustus; quod aliquando est infectum aliquo humore & sapore prauo; & sic quicquid gustat, videtur sibi non esse dulce; *vel mutato corpore*, id est, vino ipso, quod est subiectum nunc dulcedinis, nunc acritatis, *sed non dulce quale est: quando fuerit nunquam mutatur*, id est, quòd nunquam gustus mutat iudicium suum, quando dulce tale iudicat quale percipit in obiecto quin iudicet ipsum esse dulce; vnde subdit: *aut* pro sed, *sed semper de eodem dicit verum, & est ex necessitate futurum tale dulce*, id est, quòd gustus de ipsa dulcedine semper verum dicit, & eodem modo. Ex quo patet quòd si iudicium sensus semper esset verum, vt ponebant isti, sequitur per necessitatem, quòd dulce, siue natura dulcedinis sit talis, qualem iudicat sensus gustus, & per consequens quòd aliquid sit in rebus determinatè verum, vlterius sequitur quòd nunquam contradictoria sunt vera de eodem: quia sensus nunquam iudicat aliquid simul esse album & non album, vt prædictum fuit. Deinde cùm dicit.

Sensum nunquam iudicare contradictoria de eodem in eodem tempore.

80

Quamuis & hæc hæ rationes omnes destruunt, quemadmodum & substantiam non esse nullius: ita nec ex necessitate nihil: necessarium enim non contingit aliter, & aliter se habere. Quare & siquidem est ex necessitate, non habebit ita & non ita.

Al. vnde & hæ, vel verũ & hæ.

Ponit sextam rationem dicens, quòd *omnes hæ rationes & opiniones dictæ, quemadmodũ auferũt nullius esse substantiam*, idest, prędicatũ substãtiale vt præostensum fuit, ita ponunt *nunc ex necessitate esse nihil*: nec esse aliquod prædicatum necessarium: *necessarium enim est quod non contingit aliter se habere*, nam si omne quod est ita, & non ita, vt ponunt dicentes contradictoria, vel contradictorias opiniones esse simul veras de eodem, sequitur quòd nihil erit necessarium, quin contingat aliter se habere; sed istud consequens est falsum; ergo & antecedens ex quo sequitur, ideò subdit: *quare & si quid est ex necessitate*, scilicet in rebus, *non se habebit ita & non ita*. Deinde cùm dicit:

Totaliter quia si est sensibile solùm, nihil vtique erit solum non existentibus animatis; sensus enim non erit: neque igitur sensibilia esse, neque sensationes forsan verum: sentientis enim passio hæc est subiecta vero non esse quæ sensum faciunt, & sine sensu impossibile: non enim sensus suimet est, sed est aliquid alterum præter sensum, quod prius esse sensu est necesse: Mouens enim moto prius est natura, & vtique si adinuicem dicuntur hæc ipsa, nihil minus.

Ponit septimam rationem, quæ sic formari potest: Si nihil est verum nisi ex hoc quod apparet sensui; ergo nihil est nisi vt est sensibile in actu; consequens est falsum; ergo & antecedens. Consequentia est euidens: falsitas consequentis patet ex hoc, quia tunc nihil esset, nisi esset sensus, & per consequens nisi esset animal: quod est falsũ: quia obiectum sensibile cùm sit mouens sensum, est prius sensu, sicut omne mouens est prius motu, prius autem in suo priori non dependet à posteriori, nec per consequens remouetur ad remotionem posterioris: ideò dicit: & si supple dicta opinio vera esset, sequitur ex toto, id est, *vniuersaliter quòd si sensibile solum est*, id est, quod si nihil sit verum nisi vt sentitur, quòd, *nihil erit non existentibus animalibus animatis: sensus enim*, supple *non erit*, sine animali, *nam sensibilia*, scilicet in actu, *non esse sensibilia*, supple sine sensu, *forsan verum est*: nam esse sensibile in actu, *est passio sentientis*: certum est enim quòd nihil actu sentitur sine aliquo actu sentiente: *subiecta verò*, id est, obiecta, *quæ sensum faciunt*, scilicet in actu, *non esse sine sensu est impossibile*: si supple accipiantur non vt actu sentiuntur; sed vt sunt in potentia, vt sunt possibilia sentiri: quod sic patet, *quia sensus non est suimet*: non enim sensus est potentia reflexiua, vt sentiat seipsum, *sed est aliquod*, scilicet obiectum diuersum, *præter sensum, quod necesse est esse prius sensu: mouens enim prius est natura moto*: addit autem, quòd *si adinuicem dicantur*, id est, quòd licèt mouens & motum adinuicem referantur; & per consequens videantur simul esse: nihilominus eadem sequũtur quantum ad propositum: quòd scilicet mouens prius sit moto quantum ad suum esse absolutum: licèt enim mouens & motum, sensibile & sensus semper referantur proportionabiliter accepta, puta sensibile in potentia, ad sensuum in potentia, & sensibile in actu ad sensum in actu, & èconuerso, & per consequens vt sic sunt simul naturâ; tamen non sequitur quòd si sensus non sit actu, quòd sensibile non sit in actu essendi, cum quo actu essendi stat quòd non sit sensibile in actu, sed tantùm in potentia vt nullo visu existente nix esset alba, & per consequens visibile esset quantum est de se.

Al. totaliter.

Posset hic inferri quòd sensus nõ est potentia reflexiua.

Fortè Philosophus accipit hic prioritatem naturæ pro prioritate originis.

SVMMÆ SECVNDÆ
Cap. IV.

Contra sustinentes ex proteruia, omnia apparentia vera esse.

SVMMARIVM.

In toto capite tradit qualiter obuiendum iis, qui in opinionem de contradictoriis simul veris, ex proteruia inciderunt, & refutantur duplici ratione. Concludit ergo impossibile esse contradictoria esse simul vera.

Tex. co, 26.

SVNT autem quidam qui dubitant hoc persuasorum, & has rationes solùm dicentium: quærunt enim, quis est qui iudicat sanum, & omnino circa singula rectè iudicantem? Tales verò dubitationes similes sunt dubitationi vtrùm dormimus nunc, aut vigilamus; Possunt autem dubitationes omnes tales idem omnium enim rationem hi dignificant esse: principium enim quærunt; & hoc per demonstrationem accipere: quicunque quidem non persuasi sunt & manifesti, sunt in actibus. Sed quod diximus hæc ipsorum passio est, rationem enim quærunt quorum non est ratio; demonstrationis enim principium non est demonstratio. Hi quidem igitur facilè hoc credent, est enim non difficile sumere.

81

Via 2 principaliter contra ponentes apparentium veritatem.

Postquam Philosophus disputauit contra eos, qui ex dubitatione, siue ex aliqua ratione in opinione de veritate apparentium deuenerunt, nunc disputat contra eos, qui in eadem opinione ex proteruia inciderunt. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est. Secundò epilogat circa determinata. Secunda ibi: *Ergo quoniam quidem igitur.* Prima in duas, quia primò exponit eorum positionem. Secundò subiungit eorum improbationem. Secunda ibi: *Si autem non omnia.* Prima in duas, quia primò ponit eorum motiuam responsionem siue rationem: cuius etiam falsitatem tangit. Secundò exponit eorum intentionem. Secunda ibi: *In sermone autem.* Dicit ergo quòd supple præter illos, qui in dictam opinionem inciderunt; *sunt aliqui qui interrogant persuasos*, id est, deceptos in his, scilicet opinionibus, vt supple eos retineant in deceptione, *& has solùm* supple *rationes habent* pro confirmatione suæ opinionis, has inquam rationes quæ dicentur: nam supple si eis dicatur quod de contrariis opinionibus sit magis credendum sanis quàm infirmis: & sapientibus quàm insipientibus, & vigilantibus quàm dormientibus: *quærunt enim quis est qui conualescentem indicat, & omnino indicantem rectè circa singula*, id est, quærunt quomodo posset discerni certitudinaliter sanus ab infirmo, sapiens ab insipiente, & vigilans à dormiente, & sic breuiter in *omni diuersitate*, opinionum quis eorum sit qui rectè iudicat: nam aliquis videtur sapiens quibusdam, qui ab aliis insipiens existimatur: similiter est de aliis prædictis: *tales verò*, supple, *dubitationes*, supple sunt irrationabiles: *nam similes sunt illi*, scilicet dubitationi, *vtrùm dormimus nunc, vel vilgilamus: omnes autẽ tales dubitationes valent idem*, quatenus ex eadem radice procedunt: *hi* enim *dignantur esse*, id est, tanquam dignam volunt *esse omnium rationem*, id est, demonstrationem: *quærunt enim principium*, scilicet demonstrationis: *& illud accipere scilicet per demonstrationem*: quod tamen est impossibile: quoniam ergo *quod non persuasi sunt*, id est, mente de veritate opposita, *manifesti sunt sũt in actibus* suis, *secundùm quod diximus*, nam vt prædictum fuit, oppositum faciunt his quæ dicũt: nam alia & alia faciunt, & secundùm iudicium & habitum dormiendo, vel vigilando: *hæc autem est passio eorum*, scilicet infirmitas: quia *rationem*, id est, demonstrationem, *quærunt quorum non ratio: nam illius quod est principium demonstrationis non est demonstratio. Hoc igitur hi facile credent*, id est, quod est satis facile ad credendum: est enim *non difficile sumere*, supple per demonstrationem hoc quod dicitur: ars enim demonstrandi ostendit omnium non esse demonstrationem ad vitandum processum in infinitum in demonstrationibus: hoc autem vtrùm nunc dormiamus, vel vigilemus: & vtrùm simus sani, vel infirmi, est per se notum, & oportet supponere sicut principium demonstrationis. Deinde cùm dicit:

Euasio antiquorum proterua.

Proteruo nũquam persuadetur.

Non omnium esse demonstrationem hic ostendit.

In sermone autem vim solùm quærentes impossibile quærunt: contraria namque dicere dignificant statim contraria dicentes.

82

Exponit eorum intentionẽ, dicens quòd *illi qui quærunt vim in sermone solũ*, idest, quòd nõ mouẽtur ex aliqua ratione nec difficultate alicuius dubitationis, sed solùm innituntur verbis, putantes se omnia posse dicere, licèt ea probare non possint: & hoc dicunt propter proteruiam: isti, inquã, *quærunt impossibile: contraria namque dicere dignantur rectè contraria dicentes*: quia intendentes, & volentes contraria simul esse vera, dicunt rectè contrariam repugnantiam & contrarietatem in sua positione implicantes, vt patet iam ex dictis, & patebit iam ex dicendis. Deinde cùm dicit:

Omnia æquè dicere videtur proteruo sibi licere.

Si autem non omnia sunt ad aliquid, sed quædam sunt & ipsa secundùm se: non vtique est omne quod apparet; nam quod apparet, alicui apparet. Quare qui dicit omnia quæ apparent esse vera, omnia quæ sunt facit ad aliquid. Propter quod & obseruandum vim in sermone quærentibus, simul autem & sustinere sermonem dignificantibus quod non apparet est: sed quod apparet, cui apparet, & quando apparet: & inquantum: & vt. Si autem sustineant quidem sermonem, non sic autem sustineant, accidit ipsis contraria citò dicere: contingit enim eidem secundùm visum mel apparere, gustui verò non. Et oculis duobus existentibus non eadem vtique visui si sint dissimiles. Quoniam ad dicentes propter olim dictas causas quod apparet verum esse: & propter hæc omnia similiter esse falsa, & vera. Neque enim omnibus eadem apparere contingit. Neque ipsi semper eadem, sed

multaties

multoties contraria secundùm idem tempus: tactus enim duo dicit in digitorum variatione, visus autem vnum, sed non quidem idem: & secundùm idem sensui, & similiter, & in eodem tempore. Quare hoc vtique erit verum: sed forsan propter hoc necesse dicere his, qui non propter dubitationem, sed orationis causa dicentibus quòd hoc non est verum, sed huic verum.

Text. co. 27.

Ponit prædictorum proteruorum improbationem. Circa quod duo facit, quia primo ostendit quomodo eis obuiandum sit apparenter, quasi destruendo eorum positionem. Secundò qualiter obuiandum sit eis existenter & secundum veritatem. Secunda ibi: *Et sicut prius dictum est.* Dicit ergo quòd verùm pro sed, id est, non omne quod apparet, esse verum: sit verum, *si non omnia sunt ad aliquid, sed quædam secundum* se & absoluta: *nam quod apparet, alicui apparet*, & ideò hoc, quod est apparere, includit relationem quandam: quia qui dicit, omnia quæ apparent, esse vera, facit omnia quæ sunt, id est, *omnia* entia esse ad aliquid, id est, relatiua, scilicet in respectu ad sensum vel opiniones, quod supple est falsum, scilicet omnia formaliter esse relatiua, & nihil esse formaliter absolutũ; *quapropter* quærẽtibus, id est, prædictis Philosophis, *qui* quærunt *vim in sermone: similiter quoque, & sermonem dare dignantibus*, id est, si aliquis dignetur eis concedere sermonẽ, id est, opinionem quam *ipsi* ponunt, *custodiendum est eis*, id est, cauendum, quia scilicet *non apparens est: sed apparẽs cui apparet, & quando, & vbi*, id est, quòd non debent concedere absolutè quòd omne apparens sit verum, sed solùm illi cui apparet & quando & vbi apparet: hoc enim est esse verum secundùm quid, non simpliciter. Cuius rationem subdit, scilicet quòd ita respondendum sit, dicens, verùm pro sed: *sed qui dant*, id est, qui concedunt sermonem simpliciter concedentes omnia apparentia esse vera: & non ita dant, id est, concedunt supple cum determinationibus supradictis, *accidit enim statim dicere contrarium*, id est, concedere contraria esse simul vera: *contingit enim eidem secundùm visum*, supple *mel apparere*, vel forsan propter similitudinem coloris, puta quia est rubeum: *gustui verò*, supple non apparet illud esse mel propter dissimilitudinem saporis: & similiter, *oculis existentibus duobus*, & diuersis, *non eadem est visio*, vtrique, *sed sunt dissimiles* quandoque, puta si aliquando vnus oculus sit infectus aliquo humore infecto & nigro: alter verò humore puro: per oculum infectum apparebunt omnia nigra, non autem per alterum: subdit autem causam, quare hoc quod dictum est sit obseruandum, & custodiendum. Causa enim huius ad ipsos dicentes verum esse, quod apparet propter iàm dictas causas: quia propter hoc omnia dicunt simul esse vera & falsa, quod non omnibus eadem apparent, nec eidem sẽper eadem: sed multoties contraria etiam secundùm idem tempus, & hoc supple secundùm diuersos sensus, vt prædictum est. Patet etiam, quòd visus iudicat esse vnum, tactus autem duo, vt patet in digitorum variatione: lapillus enim vnus duobus digitis inconflexis apparet esse duo secundum tactum, vnus autem secundùm visum: aut pro sed, sed nullatenus eidem, & secundùm idem sensui: & similiter in eodem tempore videtur, quòd hoc sit verum, id est, quod licèt secundùm diuersos sensus appareant hominibus contraria: non tamen eidem homini & secundùm eundem sensum: & similiter in eodem tempore videtur quòd hoc sit verum, scilicet cõtraria simul esse: addit autem, *quod forsan illud erat necesse dicere*, id est, respondere sic dictis Philosophis, *dicentibus hoc non propter dubitationem, sed orationis causa*, id est, propter proteruiam: quia hoc non est verum, scilicet simpliciter: sed hoc est verum secundùm quid: quia scilicet quòd hoc videtur vni, potest alteri non videri verum: sed hæc non sunt contradictoria, quia hoc concesso non sequitur contraria, vel contradictoria esse simul vera. Deinde cùm dicit;

Hic obuiat apparenter proteruiæ antiquorum.

Vide 3. q. 5. & 1. di. 2. q. 5.

Quare oculus aliquãdo iudicat omnia esse nigra, vel alterius coloris cuius nõ sũt?

Et sicut prius dictum est, necesse ad aliquid facere omnia, & ad opinionem, & sensum. Quare non factum est, nec erit nihil, nullo praeopinante. Si verò factum est, aut erit, palam quia non erunt omnia ad opinionem.

83

Ostendit qualiter prædictis Philosophis sit obuiandum existenter, & secundum veritatem. Circa quod duo facit, secundum quod duas rationes adducit contra eos. Secunda ponitur ibi: *Amplius si vnum.* Dicit ergo quòd *sicut prius dictum est, necesse est facere omnia ad aliquid*, scilicet *ad opinionem & ad sensum*: si supple quod apparet, *verum* sit, ex quo sequitur, *quod non factum est, nec erit nihil nullo praeopinante*, vel vt habet alia littera, *nec erit nullius praeopinãtis*, accipit enim genitiuũ pro ablatiuo more Græcorũ qui carent ablatiuo: *si verò* hoc supple est falsum & est verum quòd *aliquid factum est*: & erit, nullo scilicet præopinante palam, *quia non erunt omnia ad aliquid*, scilicet ad opinionem, & ad sensum. Posito enim per impossibile vel possibile quòd nullus esset sensus, vel opinio, nihilominus multa essent facta, & fierent, & fortè ita est de facto, quòd multa sunt in vniuerso quæ nunquam fuerunt cognita per sensum, puta quæ sunt in profundo maris vel circa centrum terræ. Deinde cùm dicit:

Hic obuiat existenter proteruiæ antiquorum.

Fortè multa sunt sensibilia nunquam cognita per sensum.

Amplius si vnum ad vnum, aut ad determinatum. Et si idem & dimidium & æquale, sed non æquale ad duplum, neque dimidium ad æquale ad opinans: itaque si idem est homo, & opinatum non est homo opinans, sed opinatum. Si verò vnumquodque fuerit ad opinans, ad infinita erit specie opinans.

Ponit secundam rationem, dicens: *Amplius*: quia *vnum ad vnum refertur tantùm*, nõ ad quodcunque vnum, sed *ad determinatum*, quod patet: quia *si idem est dimidium & æquale*; *non dicitur ad duplum inquantum æquale, sed inquantum dimidium*: *verùm si idem homo sit opinatum & opinans*; non *dicitur opinans* ad idem inquantum homo: *sed inquantum opinatum*, id est, quòd similiter si idem homo qui est opinans, sit etiam opinatus, non refertur homo ad opinans inquantum est opinans vel homo, sed inquantum est opinatus, *si verò vnumquodque fuerit ad opinans, ad infinita specie erit opinans*, id est, quòd si omnia entia inquantum sunt huiusmodi, referuntur ad opinans inquantum est opinans, sequitur quòd ipse opinans non sit vnum, cùm ad vnum

vnum tantùm referatur, sed erit infinita specie, cùm infinita ad ipsum referantur, quod est euidenter impossibile. Ex quo patet quod falsum est, quòd omnia ad opinans referantur, & per consequens quod omne illud sit verum quod apparet.

Vnum referri ad vnum vel plura qualiter contingit. Vide q. 12. Quodlibeti, & in prædicamentis, cap. de relatione.

Notandum, quòd qualiter verum sit, quòd vnum ad vnum tantùm referatur, dicetur in quinto in capitulo, de ad aliquid: quia hoc verum est quod primò & per se vnum ad vnum tantùm refertur: pro nunc verò ratio Philosophi intendit quòd secundùm illos omnia entia essent formaliter ad aliquid, & sicut entia specificè distinguuntur, sic & relationes haberent specificè distingui, & ideò cùm idem secundùm eandem relationem primò, & per se non possit referri nisi eidem secundùm relationem, oporteret quòd quot sunt species entium, tot essent relationes oppositæ in ipso opinante, & per consequens infinitæ, saltèm quoad nos, & cum ipsum opinans esset etiam formaliter ad aliquid, sequitur quòd non esset vnum specie, sed quasi infinita specie, quod est euidenter falsum. Deinde cùm dicit:

84

Quod quidem igitur firmißima opinio omnium non esse simul veras oppositas dictiones, & quid accidit ita dicentibus, & quare ita dicant, tot sunt dicta.

Infert conclusionem intentam,

Epilogat circa determinata, & facit duo: quia primò concludit conclusionem principalem. Secundò infert ex ea quoddam corollarium. Secunda ibi: *Quoniam autem impossibile.* Dicit ergo, quòd *quia cunctorum est opinio firmissima*, quòd inter omnes opiniones, ista est firmissima, scilicet *simul non esse veras oppositas dictiones*, id est, propositiones siue contradictiones: *quæ etiam accidit ita dicentibus*, scilicet contradictoria simul esse vera, *& quare ita dicunt*, id est, quæ fuerit eorum causa motiua ad sic dicendum, *tot dicta sunt.* Deinde cùm dicit:

Quoniam autem impoßibile est contradictionem simul esse veram de eodem, palàm quia nec contraria simul inesse eidem contingit: contrariorum enim alterum est priuatio nō minus; substantiæ autē priuatio negatio est ab aliquo determinato genere. Si igitur impoßibile est simul affirmare, & negare verè: impoßibile & contraria simul inesse nisi, aut aliqua ex parte ambo, aut alterum quidem aliqua ex parte, alterum verò simpliciter.

Contraria non insunt eidem simpliciter, & simul, nec inesse possunt.

Infert quoddam corollarium ex conclusione nunc conclusa dicens: *quoniam impossibile est contradictionem simul esse veram de eodem*, vt nunc dictum fuit statim. *Palàm quia nec contingit contraria simul eidem inesse*, cuius causam subdit: *etenim* pro quia, *alterum contrariorum est priuatio: non autem substantia priuatio*, id est, quòd licèt priuatio sit quædam negatio substantiæ, *ab aliquo determinato genere*, id est, in aliquo subiecto determinato, vel in aliquo determinato genere: quatenus priuatio est negatio infra genus, vt dictum fuit suprà in hoc eodem quarto, nihilominus tamen sicut est in aliis oppositis, sic est in contrariis: quia alterum contrariorum includit priuationem, siue negationem alterius; licèt aliquid positiuè addat vltra priuationem; alterum enim contrariorum est imperfectius altero; & ex hoc habet annexam alterius priuationem: *si igitur impossibile est affirmare simul & negare vere*, sequitur, quòd *impossibile est contraria simul inesse*: quatenus vnū dicit priuationem siue negationem alterius, vt dictum est: tamen possibile est ambo contraria inesse simul non simpliciter, sed quandoque, vel quo, id est, secundùm quid: vel alterum quandoque, vel quo, id est, secundùm quid, alterum verò simpliciter. Exemplum primi, si aliquid sit album secundùm vnam partem, & nigrum secundùm alteram: tunc enim ambo contraria insunt eidem non simpliciter, sed secundùm quid: sicut patet in scuto cuius medietas est alba, & medietas nigra. Exemplum secundi, quando alterum contrariorum inest secundùm plures partes, vel principaliores, alterum verò secundùm aliquam partem, minùs principalem, sicut patet de Æthiope, qui niger est simpliciter, albus autem secūdùm quid: hoc enim duplici modo inesse contraria eidem non est inconueniens: simpliciter autem inesse eidem ambo contraria, vel ambo contradictoria. est omninò impossibile.

Nota limitationem inhærentiæ simul eidem contrariorum duplicem.

SVMMÆ SECVNDÆ
CAP. V.

Contra ponentes medium inter contradictoria.

SVMMARIVM.

In hoc capite primò refutat septem rationibus ponentes contradictoria esse simul falsa, ratione medij, quod inter illa ponunt. Secundò ponit motiuum talis opinionis, & commune medium contra omnes opiniones prædictas, declarans etiam ad quas opiniones Philosophorum dictæ opiniones consequuntur.

58

AT verò nec contradictionis medium esse contingit, sed necessarium, aut dicere, aut negare vnum de vnoquoque. Palàm autem primum definientibus quid verum, & quid falsum. Dicere namque ens non esse, aut non ens esse falsum; ens autem esse, & non ens non esse verum. Quare & dicens esse, aut non esse, verum dicet aut mentietur; sed neque dicit ens non esse, aut esse, neque non ens.

Hic disputat contra ponentes contradictoria esse simul falsa.

Postquam Philosophus disputauit contra ponentes contradictoria simul esse vera de eodem, & per consequens negantes illud principium primum, quod Impossibile est idem simul esse, & non esse, nunc disputat contra ponentes contradictoria simul esse falsa ratione medij, quod ponunt inter contradictoria, & per consequens negantes illud principium: De quolibet est affirmatio vera, vel negatio. Circa quod duo facit. Primò enim disputat contra ipsorum positionem. Secundò contra motiuum positionis. Secunda ibi: *Euenit autem quibusdam.* Prima in septem secundùm quod septem rationes adducit ad propositum. Secunda ibi: *Amplius autem medium.* Tertia ibi: *Amplius autem omne intellectuale.* Quarta ibi: *Amplius præter omnes.* Quinta ibi: *Amplius in quibuscunque.* Sexta ibi: *Amplius autem in*

Al. intelligibile.

Inter contradictoria non dari medium.

infinitum. Septima ibi: *Amplius autem quando.* Dicit ergo, primò quare nec inter contradictionem esse contingit, scilicet medium: *sed necessarium est, aut dicere*, id est, aut affirmare, *aut negare vnumquodque de vnoquoque*, vel vnum de quocumque *palam est, primum quidem definientibus*, scilicet nobis *quid verum, & quid falsum*, nam ex definitione veri, & falsi patebit propositum. Vnde subdit definitiones veri, & falsi dicens, quod falsum *est dicere ens non esse, quod est: aut non ens esse*, id est, esse, *quod non est: verum autem est dicere ens esse*, id est, quod est: *& non ens non esse*, id est, quod non est: aut non esse verum dicet, aut mentietur, aut supple si dicet verum non dicit ens, id est, quòd qui dicit verum non dicit non esse, quod est: aut esse, quod non est: sed supple oppositum: qui autem dicit falsum, patet ex prædictis, quòd vel dicit non esse, quod est, vel esse quod non est. Ex quibus definitionibus patet, quòd qui dicit verum oportet, illud esse verum, si dicit illud esse, & non esse si dicit illud non esse: similiter patet, quòd qui dicit falsum, oportet illud esse: si dicit illud non esse, & oportet illud non esse, si dicit illud esse; ergo per necessitatem erit vera affirmatiua, vel negatiua: quod negat qui inter contradictoria ponit medium: quia tunc nec affirmatio, nec negatio esset de necessitate vera, sed possent ambæ esse falsæ. Deinde cùm dicit:

Definitio veri, & falsi.

86

Amplius autem medium erit contradictionis, quemadmodum pallidum albi, & nigri, aut quemadmodum neutrum hominis, & equi. Siquidem igitur sic non permutabitur, nam ex non bono in bonum permutatur, aut ex bono in non bonum: nunc autem non semper videtur. Non est enim permutatio nisi in contraria & media: si autem est medium & sic vtique erit aliqua in album non ex non albo generatio, nunc autem non videtur.

Ponit secundam rationem, quæ sic formari potest: si inter contradictoria est medium, ergo nihil omninò contingit mutari: consequens est falsum; ergo antecedens. Probatur consequentia sic: quia medium inter aliqua dupliciter contingit esse: vno modo quando medium participat aliqualiter vtrumque extremorum, & est eiusdem generis cum extremis. Alio modo accipitur medium per abnegationem extremorum, & est alterius generis ab extremis. Exemplum primi, vt rubeum est medium inter album, & nigrum. Exemplum secundi, vt asinus potest dici medium inter equum, & hominem: quia nec est homo, nec est equus. Si secundo modo sit medium inter contradictoria, patet quòd tollitur mutatio inter ea: quia omnis mutatio est inter ea, quæ sunt eiusdem generis, & oportet prius per medium transire. Si primo modo, sequitur quòd sit motus ad album, & non erit ex non albo: quia non tantùm est motus ab extremo in extremum, sed etiam ex medio ad extremum: hoc autem videtur inconueniens, quòd sit motus ad album, qui non erit ex non albo. Dicit ergo, quòd *amplius* si supple inter contradictoria sit medium, aut tale medium contradictionis erit: *quemadmodum viride* est medium *albi & nigri*, quod est medium eiusdem generis cum extremis; *aut quemadmodum medium hominis, & equi*, quod est medium per negationem

Medium duplex.

vtriusque, & alterius generis ab extremis; ergo si sic est isto secundo modo, sequitur quòd aliquid non mutatur, quod sic probat: *Nam* omne quod permutatur, aut *permutatur ex bono in non bonum*; aut ex hoc scilic. *ex non bono in bonũ*: omnis enim permutatio est aliqualiter inter contradictoria, vel priuatiuè opposita; nam termini primi omnis mutationis sunt habitus, & priuatio; vnde cum est mutatio inter contraria, alterum contrariorum includit negationẽ, siue priuationem alterius. *Nunc autem*, supple si isto modo ponatur medium inter contradictoria, *non apparet*, scilicet quando fit mutatio ex non bono in bonum, vel èconuerso: *non enim est permutatio nisi inter contraria, & media*, quæ scilicet sunt eiusdem generis: quia omnis mutatio est ab extremo in extremum, vel in medium eiusdẽ generis: sed si inter contradictoria non fit transitus per medium, sequitur quòd non poterit esse mutatio ab extremo contradictionis in medium, quod ponitur esse alterius generis, nec per consequens ab extremo in extremum: sed si est medium inter contradictoria primo modo, scilicet medium eiusdem generis participans naturam vtriusque extremi, sequitur quòd esset generatio in album, & nõ album: *sic quod erit aliqua generatio in album non ex non albo, nunc autem non videtur*, quòd aliqua generatio terminetur ad album, quæ non fiat ex non albo: nam tale medium ponitur esse neutrum inter duo extrema, scilicet quòd nec est album, nec est non album. Deinde cùm dicit:

Termini primi mutat qui?

87

Amplius autem omne intellectuale, & intelligibile mens aut affirmat, aut negat: hoc autem ex definitione palàm est, cùm verum dicit, aut mentitur. Quando autem sic componit dicens, aut negans, verum dicit, quando autem non sic, mentitur.

Al. intellectuale.

Ponit tertiam rationem dicens: *omne intelligibile*, id est, omne quod intelligit, aut sentit *aut affirmat, aut negat, hoc autem est palam ex definitione*, scilicet veri & falsi: *quia verum dicit, aut mentitur*, siue affirmet scilicet, siue neget, *quandoquidem* intellectus *sic componit dici*, id est, *affirmans, aut negans*, sicut supple est in re, *verũ dicit, quando verò non sic, mentitur*: ex quo patet, quòd oportet affirmationem, vel negationem esse veram, sicut deductum fuit in prima ratione, quæ non videtur ab ista differre multùm, & sic inter contradictoria non est medium aliquod. Deinde cùm dicit:

Al. dicens.

Amplius præter omnes oportet esse contradictiones nisi orationis causa dicatur; quare & nec verum dicet aliquis, nec non verum dicet, & præter ens, & non ens erit, quare & prater generationem, & corruptionem transmutatio quadam erit.

Ponit quartam rationem, dicens, quòd amplius si medium est in contradictione, oportet hoc dicere in omnibus contradictionibus, scilicet quòd præter omnes contradictiones sit aliquid verum, quod est medium inter eas: *nisi dicas causa orationis*, id est, ex proteruia, & absque omni ratione, quia sic dicere placet: quare sequitur supple quòd cùm verum & non verum sint quædam contradictoria, erit aliquid *quod non est verum nec falsum* quod patet esse falsum ex definitione veri, & falsi superiùs posita. Similiter sequitur, quòd

præter

Vide Scot. in-stantiam 8. d. 4. & 36. d. 1.

præter ens, & non ens erit aliquid, cùm ens, & non ens sint contradictoria: *quare sequitur quædam etiam transmutatio præter generationem, & corruptionem:* nam cum generatio sit ad esse, & corruptio sit ad non esse; esset quædam tertia transmutatio ad illud medium inter esse, & non esse, quod videtur absurdum. Deinde cùm dicit:

Ampliùs in quibuscumque generibus negatio, & contrarium insunt, & in his erit, vt in numeris, neque impar, neque non impar numerus erit, sed impossibile, ex diffinitione verò palam.

88

Ponit quintam rationem dicens, quòd *ampliùs in quibuscumque generibus negatio & contrarium inest*, vel infert secundùm aliam litterã, id est, quòd in omnibus generibus, vel saltem in quibusdam negatio inest, vel ponitur loco contrariæ differentiæ, & erit in eodem genere cum altero contrariorum: nam contraria sunt in eodem genere, & per consequens negatio, quæ accipitur loco contrariæ differẽtiæ, erit in eodem genere, si inter affirmationem, & negationẽ est aliquod medium, *& in* omnibus *his erit*, scilicet medium, *vt in numeris erit aliquis numerus neque par, neque impar; sed palam est ex diffinitione* paris, & imparis hoc esse impossibile: nam par numerus dicitur, qui potest diuidi in æquales partes: impar verò, qui sic non potest diuidi: vnicuique videtur non posse sumi medium; ergo nec erit medium inter affirmationem, & negationem. Deinde cùm dicit:

Par & impar quid?

Ampliùs in infinitum vadet, & non solùm ἡμιόλια quæ sunt erunt, sed plura. Iterum enim est hoc negare ad dictionem & negationem, & hoc erit aliquid, nam substantia est quædam ipsius alia.

89

Ponit sextam rationem, quæ ducit ad duplex inconueniens, dicens quod *ampliùs autem* si supple inter affirmationem & negationem sit dare medium, sequitur quod *non solùm ea quæ sunt erunt ἡμιόλια*, id est, sesquialtera proportione sed plura, *& in infinitum vadet*. Vult dicere quòd ponentes medium inter affirmationem & negationem, habent ponere quoddam tertium præter illa duo, inter quæ secundùm aliquos alterius opinionis non est medium: tria autem ad duo se habent in sesquialtera proportione. Secundùm ergo opinionem eorum, qui ponunt inter affirmationem & negationem medium in primo aspectu, apparet quod omnia erunt in sesquialtera proportione ad ea, quæ ponuntur ab aliis alterius opinionis: quia non solùm erunt affirmationes & negationes, sed etiam media earum, & hoc est primum inconueniens. Secundum inconueniens est, quòd erunt plura in infinitum: nam omne quod contingit affirmare, contingit & negare: sed contingit affirmare ista tria esse scilicet affirmationem, & negationem, & medium; ergo contingit & negare: quia igitur negatio est aliud ab affirmatione, sequitur quòd erit quoddam quartum præter illa tria: erit enim substantia eius, & ratio alia à prædictis, sicut ratio negationis est alia ab affirmatione: ideo subdit quòd *iterùm enim erit hoc negare ad dictionem*, id est, ad affirmationem *& negationem*, & hoc erit supple quartum: *nam substantia quadam est ipsius alia*, scilicet à tribus prædictis: similiter contingeret negare illa quatuor, & illa negatio esset quoddam quintum, & sic in infinitum, quia essent plura quàm modò ponantur in infinitum, quod est secundum inconueniens. Deinde cùm dicit:

Hic sequitur quòd negatio dicat aliam formalitatem ab affirmatione.

Ampliùs interrogante si est album, dicit quia non nihil aliud negauit quàm ipsum esse: negatio verò est quæ non esse.

Ponit septimam rationem quæ stat in hoc: quia si aliquis interroget aliquem, vtrùm cygnus, vel aliquod aliud sit album, vel nõn, per necessitatem vel respondens assentit quòd sic, vel non: si consentit, ergo concedit affirmationem veram esse: si non assentit, patet quòd negat illud, quod interrogans interrogauit; ergo respondens necessariò habet concedere affirmationem, vel dare negatiuam, & per consequens inter ista non est medium. Dicit ergo, quòd *ampliùs quoniam interroganti si est aliquid* supple *album dicens*, id est, respondens quòd non, *nihil aliud negauit quàm ipsum esse*, de quo scilicet interrogans interrogauit: *negatio verò* ista, scilicet quam respondens dat, *est non esse*: quia scilicet negat illud album esse. Deinde cùm dicit:

90
Tex co. 28.

Venit autem hæc opinio quibusdam, sicut & aliæ inopinabilium. Quando enim soluere non possunt orationes contentiosas: annuentes orationi, confirmant verum esse quod est syllogizatum. Hi quidem igitur propter talem causam dicunt, illi verò propter omnium rationem inquirere.

Secunda via contra ponentes contradictoria esse simul falsa.

Declarat motiuum huius positionis. Circa quod tria facit. Primò enim præmittit motiuum huius positionis. Secundò subiungit motiuum & principium procedendi contra eos. Tertiò exponit aliquas opiniones Philosophorum dictam opinionem sequentium. Secunda ibi: *Principium autem ad hos*. Tertia ibi: *Videtur autem Heracliti*. Dicit ergo, quòd *ista opinio euenit quibusdam, sicut & aliæ inopinabilium*, id est, sicut aliæ opiniones de numero inopinabilium hoc modo quo dicetur; & ponit duas causas: prima est, quia *quando* aliqui *non possunt soluere orationes contentiosas*, id est, Sophisticas *annuentes orationi*, id est consentientes, *confirmant verum esse quod est syllogizatum*, id est, quòd concedunt conclusionem Sophisticè syllogizatam. Secunda causa est, quam subdit: dicit igitur, *propter talem causam*, quæ scilicet dicta est, *dicunt*, scilicet aliqui dictæ opinionis, *illi verò*, id est, alij *propter omnium rationem quærere* probantem de omnibus: quam igitur probare non possunt, nolunt concedere, sed negant. Deinde cùm dicit:

Principium autem ad hos omnes ex definitione, definitio verò fit ex ipso significare aliquid necessarium esse. Ratio namque, cuius nomen est signum, definitio fit.

Describit modum, siue principium procedendi cõtra eos, qui sic de primis principiis opinãtur, dicens quòd *principium ad hos omnes*, id est, contra omnes istos, sumitur *ex definitione* veri & falsi, *definitio enim fit ex ipsis significare aliquid necessarium esse*, id est, quod necessarium est eis concedere rerum definitiones: si concedant nomina ali

aliquid significare. *Ratio namque cuius nomen est signum, definitio fit*: si verò supple negent nomen aliquid significare isti, sicut dictum fuit; non differunt à plantis, nec est cum eis loquendum, neque disputandum. Deinde cùm dicit:

Videtur autem Heracliti quidem ratio dicentis omnia esse, & nō esse, omnia vera facere. Quæ verò Anaxagoræ esse aliquid medium contradictionis, quare omnia falsa, Nam quando miscentur, nec bonum, nec non bonum est mixtum, quare nihil dicitur verum.

Exponit ad quas opiniones Philosophorum dictæ opiniones consequuntur. Dicit ergo, quòd *videtur oratio*, id est, opinio *Heracliti dicentis omnia esse, & non esse, & omnia* esse in continuo moueri: ista inquam opinio videtur esse ad quam sequitur vna positio iam dicta: nam si omnia mouentur, & per consequens contingit idem simul esse & non esse, quatenus omne quod mouetur habet non esse admixtum cum esse, sequitur quòd omnia sint vera, quæ fuit vna opinio de prædictis: *quæ verò est Anaxagoræ*, id est, opinio Anaxagoræ ponit *aliquid esse medium contradictionis*; *quare* sequitur secundùm eum *omnia esse falsa*: fuit enim opinio Anaxagoræ, sicut patet primo Physicorum, tex.c.32. & inde, & dictum fuit etiam in primo huius, quòd quodlibet fit ex quolibet, & quodlibet est in quolibet: quod autem est sic permixtum, non est aliquod extremorum; ideò subdit: *nam quando miscentur*, scilicet omnia secũdùm eum, illud *mixtum nec est bonum, nec est non bonum*; *quare nihil contingit dicere verum*, sed omnia esse falsa propter medium contradictionis: nam si illud mixtum nec est bonum, nec est non bonum, nec est dulce, & sic de aliis contradictoriis, sequitur quòd erit quoddam medium inter contradictoria, & per consequens, sequitur nihil esse verum, sed omnia falsa esse; nam secundùm veram opinionem, nihil ponitur nisi affirmatio vel negatio: si igitur tam affirmatio quàm negatio ponitur esse falsa, per consequens omnia falsa erunt, &c.

Sequitur ex opinione Anaxagoræ omnia esse falsa.

SVMMÆ SECVNDÆ
Cap. VI.

Non omnia esse falsa, nec omnia vera: Item non omnia quiescere, nec etiam omnia moueri.

SVMMARIVM.

In hoc cap. vsque ibi. *Palam autem*, refutat asserentes omnia esse simul vera, & falsa, quatuor rationibus, excludens quandam falsam responsionem.

91 *Determinatis autem his, palàm quòd vno modo dicta, & de omnibus, impossibile est esse sicut quidam dicunt, Hi quidem nihil dicentes verum esse, nihil enim prohibere dicunt sic omnia esse, sicut diametrum Commensurabilem esse. Illi verò omnia vera; ferè namque ipsis rationes eædem Heraclito: nam qui dicit quòd omnia sunt vera & omnia falsa, & seorsum dicit rationem vtramque: quare si sunt impossibilia illa, & hoc impossibile est,*

Postquam Philosophus disputauit contra ponentes contradictoria simul esse vera, & contra ponentes inter contradictoria esse medium, & per consequens posse simul esse falsa; nunc disputat contra quosdam errores annexos, & prædictis opinionibus communicantes.

Ad cuius euidentiam notandum, quòd error qui est circa esse & non esse, accidit circa verum & falsum, cùm verum & falsum habeant definiri per esse & non esse, vt patet ex prædictis: verum autem & falsum supponuntur & considerantur à Logico, qui versatur circa entia rationis: verum autem & falsum propositionis, (de quo modò est sermo) sunt in mente, vt dicitur 6. huius text.co.8. Iterum ex errore circa esse & non esse, accidit error circa motum & quietem: nam quod mouetur vt sic, quodammodo non est: nam motus est actus entis in potentia, 3. physic.tex.co.6. & inde quod vero quiescit vt sic quodammodò est. Improbatis ergo erroribus circa esse, & non esse, nunc improbat istos errores consequentes; & primò, errores circa verum & falsum, quæ sunt de cõsideratione Logici. Secundò improbat errores circa motum, & quietem, qui sunt de consideratione Physici. Secunda ibi: *Palàm autem quia nec.* Prima in duas, quia primò præmittit opiniones falsas circa verum & falsum. Secundò subiungit earum improbationes. Secunda ibi: *Amplius autem.* Dicit ergo quòd definitis, id est, *determinatis his quæ dicta sunt palam quod impossibile est esse, sicut quidam dicunt*, scilicet quòd vniuocè dicta, id est, vno modo opinandum sit de omnibus, vt scilicet omnia sint similiter falsa, & similiter omnia vera, *sicut quidam sunt dicentes nihil verum esse*, sed supple omnia falsa: *nihil enim prohibere dicunt sic omnia esse, sicut diametrum esse commensurabilem*, quod est manifestè falsum: & sic dicunt omnia esse falsa, *Illi verò*, id est, alij *dicunt omnia esse vera: & hæ namque orationes*, id est, opiniones *sunt ferè eædem ipsius Heracliti*, id est, quòd consequuntur ad opinionem Heracliti, vt prædictum fuit, qui dixit idem simul esse & non esse, ad quod sequitur omnia esse vera & falsa: subdit autem, *nam qui dicit quòd omnia sunt vera & omnia falsa*, & hoc supple simul, *& seorsum dicit orationem vtramque horum: quare si illa sunt impossibilia, & hoc impossibile esse*; hoc est, quia fortè enim aliquis diceret, quòd præter etiam duas opiniones dictas, est etiam tertia, scilicet quòd omnia sunt simul vera vel falsa; ad quod quasi tacitè respondens dicit, quòd qui hoc ponit, vtrumque prædictorum ponit: quia si illa sunt impossibilia, necesse est & illud esse impossibile, id est, illam tertiam opinionem. Deinde cùm dicit:

Verum & falsum definiuntur per esse, & non esse.

Errores de vero & falso.

Al. simul.

92 *Amplius autem euidenter contradictiones sunt, quas non est possibile simul esse veras, nec falsas omnes, & hoc quidem putabitur magis contingere ex dictis.*

Subiungit improbationes dictarum opinionum. Circa quod quatuor facit, secundùm quod quatuor rationes adducit ad propositum. Secunda ibi: *Sed ad omnes.* Tertia ibi: *Amplius si omne.* Quarta ibi: *Accidit itaque.* Dicit ergo, quòd *amplius autẽ palam, quia sunt aliqua*, scilicet *contradictiones, quas non est possibile simul esse veras: nec simul esse falsas*: sicut supple sunt verum & non verum; ens

Impugnatio dictorum errorum.

ens & non ens: *& hoc etiam putabitur magis contingere ex prædictis*, id est, quòd est manifestum ex prædictis. Si igitur in istis contradictionibus necesse est alteram partem esse veram, & alteram tem esse falsam, patet quòd nec omnia sunt vera, nec omnia sunt falsa. Deinde cùm dicit:

Sed ad omnes tales orationes oportet quærere quemadmodum in superioribus sermonibus dictum est, aut esse aliquid, aut non esse, sed significare aliquid. Quare ex definitione disputandum, accipientes quid significat esse verum aut falsum.

Tex.co.29.

Si autem nihil aliud verum dicere quàm negare falsum, impoßibile omnia falsa esse, est enim necesse contradictionis partem alteram esse veram.

93

Modus conuincendi negantes prima principia.

Ponit secundam rationem dicens, quòd *ad omnes tales orationes*, id est, opiniones *oportet quærere quemadmodum in superioribus dictum est*, supple concedendum *esse aut aliquid esse, aut non esse*, id est, aliquam propositionem affirmatiuam, vel negatiuam: quia vt suprà dicebatur, hoc videretur petere principium, sed hoc supple oportet petere, & concedere, nomen *aliquid significare*: quo concesso, scilicet *ex definitione* veri & falsi, *oportet* disputare, scilicet contra eos *accipientes quid significet verum & falsum*, id est, definitionem veri & falsi: nam ratio quam significat nomen est definitio vt prædictum fuit; *sed si nihil aliud est verum quàm dicere*, id est affirmare, *& falsum nihil aliud est quàm negare*, & iterùm supple, falsum non est aliud quàm affirmare illud quod negare, verum est, & èconuerso, sequitur quòd *impossibile est omnia falsa esse: est enim contradictionis alteram partem necessario esse veram.*

Verum quid, falsum quid.

Notandum, quòd verum non est aliud quàm dicere esse quod est, & non esse quod non est: falsum autem dicere esse quod non est, aut non esse quod est. Ex quo patet quòd verum est dicere illud esse, quod falsum est dicere non esse: vel verum est dicere non esse, quod falsum est dicere esse: similiter autem falsum est dicere illud esse, quod verum est dicere non esse: vel falsum est dicere non esse, quod verum est dicere esse. Ex quo patet per definitionem veri & falsi; quòd nec omnia sunt vera, nec omnia sunt falsa. Deinde cùm dicit:

Amplius si omne, aut dicere, aut negare est necesse, vtraque falsa esse impoßibile est, altera namque pars contradictionis est falsa.

Altera pars contradictionis est vera.

Ponit tertiam rationem dicens: quòd *amplius necesse est omne aut dicere*, id est, affirmare *vel negare*, ex eo, scilicet quod superius probatum est non esse medium inter contradictionem: quia inquam sic est: *impossibile est vtrasque*, scilicet partes contradictionis *esse falsas: altera namque pars contradictionis est falsa*, & altera supple vera; ex quo patet non omnia esse vera, nec omnia esse falsa. Deinde cùm dicit:

Ad hunc textum est vltima q. lib. 4.

Accidit itaque & famatum est de omnibus talibus orationibus, ipsas seipsas destruere, nam qui omnia vera dicit, orationis suæ contrariam veram facit, quare & suam non veram, contraria enim non dicit ipsam esse veram; Qui verò omnia falsa & ipso seipsum.

Vide Scot. super lib. Elench. q. 52.

Ponit quartam rationem, circa quam sic procedit, quia primò ponit veram rationem. Secundò excludit falsam responsionem. Secunda ibi: *Sed si auferant*. Dicit ergo, quòd *accidit etiam*, scilicet ad omnes dictas opiniones hoc inconueniens, scilicet *seipsas destruere; & hoc est famatum*, id est, famosum dictum de omnibus talibus opinionibus, scilicet orationibus, quod probatur sic: *nam qui dicit omnia esse vera, facit veram esse contrariam* suæ rationis, id est, opinionis, *quare eius non veram, contraria enim non dicit eam esse veram*, id est, quòd contraria suæ opinionis facit, quòd sua opinio non est vera; ergo qui dicit illam contrariam esse veram, dicit suam opinionem non esse veram, quia destruit suam opinionem, & contradicit suæ opinioni: *qui verò dicit omnia esse falsa, & seipsum*, supple dicit se sic esse falsum; quare & iste sic contradicit sibiipsi. Deinde cùm dicit:

94

Si autem accipiat, hic quidem contrariam quòd non vera sola est, ille verò suam propriam, quòd non falsa, nihilominus infinitas accidit ipsis petere orationes veras & falsas. Nam qui dicit veram orationem, verus est; hoc autem in infinitum vadet.

Excludit falsam responsionem: diceret enim aliquis fortè, quòd ille, qui dicit omnia esse vera, excipit ab ista vniuersalitate suam contrariam: similiter qui dicit omnia esse falsa excipit suam opinionem: hanc responsionem excludit dicens, *quòd si auferant*, id est, si excipiant, *hic scilicet contrariam quidem suæ opinionis*, dicens illam *non veram solam*, ille qui scilicet ponit omnia esse vera: *ille verò*, qui ponit omnia esse falsa excipit, scilicet *suam propriam opinionem, quia non falsam*: si inquam sic dicatur, *nihilominus erit*, id est, continget eis quærere: id est, *repetere infinitas orationes veras & falsas: nam qui dicit vnam orationem* esse veram, *hoc etiam in infinitum vadit*: vult dicere, quòd si respódetur modo prædicto, sequitur quòd continget eis repetere infinitas orationes veras, & falsas, & hoc contra ponentes omnia esse vera, & omnia esse falsa: si enim detur vna opinio falsa, vt dicunt ponentes omnia esse vera, sequitur etiam infinitas esse falsas: similiter si detur vna opinio vera esse, vt dicunt ponentes omnia esse falsa, sequitur etiam infinitas esse veras; quod sic patet, nam si ista opinio est vera, Socrates sedet, & ista erit vera, Socratem sedere est verum: & si ista est vera, ista vlterius est vera, Socratem sedere est verum, & sic in infinitum: semper enim qui dicit de oratione vera, quòd vera sit verum est, & verum dicit; similiter qui dicit de oratione falsa, quòd sit falsa, falsum est; & hoc potest procedere in infinitum, putà qui dicit orationem falsam esse veram, falsum est & falsum dicit, & sic vlterius in infinitum. Deinde cùm dicit:

SVMMARIVM.

Non omnia semper moueri, nec semper quiescere; nec omnia aliquando moueri, nec omnia aliquando quiescere; quę omnia Doctor clarissimè exponit.

95

Palàm autem hoc, quia nec qui omnia quiescere dicunt, vera dicunt, nec qui omnia moueri.

Improbat errores circa motum, & quietem; & primò errorem dicentium omnia moueri semper, vel omnia quiescere semper. Secundò errorem dicentium omnia aliquando moueri non semper, vel aliquando quiescere non semper. Secunda ibi: *Sed nec omnia.* Prima in duas, quia primò ponit erroneam opinionem. Secundò subiungit eius improbationem. Secunda ibi: *Nam si quiescunt.* Dicit ergo, quòd ex prædictis est manifestum, quòd nec opinio dicens omnia moueri, nec opinio dicens omnia quiescere, vera est, Deinde cùm dicit:

Nam si quiescunt omnia, semper hæc vera, & falsa erunt. Videtur autem hoc transmutatum: nam qui dicit aliquando ipse non erat, & iterùm non erit.

Opinio humana transmutatur, quia accidens non est stabilius subiecto.

Improbat dictum errorem, & primò quantum ad vnam partem, vel opinionem, quæ scilicet ponit omnia quiescere. Secundò quantum ad aliam, quæ ponit omnia moueri ibi: *Si verò omnia.* Dicit ergo, quòd *si omnia quiescunt*, sequitur quòd *omnia erunt semper vera, & falsa*, id est, sequitur quòd quicquid est verum, semper est verum, & quicquid est falsum, semper sit falsum: nam posito, quòd omnia quiescant, nihil mouebitur à sua dispositione in qua est: illud autem antecedens est falsum, ideò subdit, quòd *videtur hoc transmutatum*; id est, quòd veritas, vel falsitas propositionis transmutatur: nec hoc est irrationabile, quòd opinio, vel propositio transmutetur: *nam etiam, qui dicit*, id est, homo qui opinatur, vel profert propositionem *ipse aliquando non erat, & iterum aliquando non erit*: si igitur ipse homo opinans, vel proferens propositionem mutatur, quia aliquando non est: quid mirum si ipsa opinio, vel propositio mutetur? Deinde cùm dicit:

Si verò omnia mouentur, nihil erit verum; ergo omnia falsa: sed hoc ostensum est quia impoßibile est.

Improbat secundam partem, vel secundum errorem, qui ponit omnia moueri semper, per duas rationes, quarum secunda ponitur ibi: *Amplius ens.* Dicit ergo, quòd *si verò dicatur, quòd omnia semper mouentur*, sequitur quòd *nihil erit verum*, sed omnia erunt falsa; cuius ratio est, quia omne quod mouetur, vt sit nondum est: quod autem verum est, iam est: *sed ostensum est* suprà scilicet quòd *hoc est impoßibile*, scilicet omnia esse falsa, & nihil esse verum. Deinde cùm dicit:

96

Amplius ens permutari est necesse; nam ex aliquo in aliquid est permutatio.

Quod mutatur, vel mouetur manet sub vtroque termino.

Ponit secundam rationem, dicens, quòd *amplius necesse est ens vnum permutari*, id est, quòd omne, quod permutatur est ens: *nam permutatio est ex aliquo in aliquid* ita scilicet quod subiectum motus habet aliquid de vtroque termino, & manet idem sub vtroque terminorum: quare quod mutatur, est aliquid manens: quare non omnia mouentur. Deinde cùm dicit:

At verò nec omnia quiescunt, aut mouentur aliquando, semper autem nihil. Etenim est aliquid quod semper mouet, quæ mouentur, & primum mouens immobile ipsum.

Improbat errorem dicentium omnia aliquando moueri, non semper, vel omnia aliquando quiescere, non semper; ideò dicit, quòd *nec hoc supple*, est verum, quod *omnia quiescant, aut moueantur aliquando, semper autem nihil*, supple mouetur, vel quiescit: *sunt enim quædam quæ semper mouent mota*, vt sunt corpora cælestia, & *est aliquod primum mouens*, quod est idem *ipsum immobile*, scilicet quod est immobile semper idem manens, & hoc est primum mouens.

Notandum, quòd vt potest haberi ex loco isto, & magis expressè ex 8. physic. tex. c.22. & inde, hoc non est verum, quòd omnia semper moueantur, cùm sit dare aliqua immobilia; nec est verum, quòd omnia semper quiescant, cùm sit dare multa, quæ semper mouentur: nec est verum, quòd omnia aliquando quiescant, aliquando moueantur: nam est dare aliqua, quæ semper mouentur, & nunquam quiescunt, & aliqua quæ nunquam mouentur; & est ista veritas, quod aliqua semper mouentur, vt corpora cælestia, & aliqua nunquam mouentur, vt primum mouens, quod est Deus, & etiam Intelligentiæ secundùm viam Philosophi: aliqua autem sunt, quæ aliquando mouentur, & aliquando quiescunt, vt omnia generabilia, & corruptibilia, &c.

Aliqua semper quiescunt aliqua semper mouētur.

LIBER

LIBER QVINTVS.

ANtequam de rebus ipsis tractet, præmittit in toto hoc libro (qui vnicam tantùm Summam continet in 19. capita diuisam) quorumdam nominum spectantium ad considerationem huius scientiæ, acceptiones; ex quorum notitia tractandorum veritas maximè dependet. Imprimis ponit cap. I. varias acceptiones principij, vt comparatur ad rerum cognitionem, generationem, & factionem.

SVMMA VNICA.

Nonnullorum nominum multipliciter dictorum significationes distinguuntur.

CAPVT PRIMVM.

De principio.

Tex com. I.

PRincipium dicitur aliud quidem vnde aliquid rei mouebitur primùm, vt longitudinis, & viæ. Hinc quidem hoc principium, ex opposito autem alterum.

Postquam Philosophus in quarto huius declarauit ambitum huius scientiæ, ostendens ad quæ se extendit consideratio Metaphysica, nunc in 5. libro, ne laboret in æquiuocis, distinguit intentiones, siue acceptiones, siue significata nominum, quæ subsunt considerationi huius scientiæ.

Scientia versatur circa tria.

Ad cuius euidentiam notandum, quòd sicut dictum est in 4. lib. quælibet scientia versatur circa tria considerata, scilicet circa subiectum, circa passiones subiecti, & circa principia subiecti. Secundùm hoc ergo iste quintus liber diuiditur in tres partes: quia primò Philosophus distinguit significata, siue intentiones nominum, quæ significant causas, & principia; secundò quæ significant ens, & partes entis, quod est subiectum huius scientiæ; tertiò quæ significant passiones entis. Secunda ibi: *Vnum dicitur.* Tertia ibi: *Perfectum verò dicitur.* Prima in duas, primò enim facit, quod dictum est. Secundò distinguit vnum nomen significans quoddam consequens causas, & principia, scilicet necessarium, nam causa necessariò influit ad esse causati. Secunda ibi: *Necessarium dicitur.* Prima in quatuor: nam primò distinguit hoc nomen *principium.* Secundò hoc nomen *causa.* Tertiò hoc nomen *elementum.* Quarto hoc nomen *natura*: quorum quodlibet significat suo modo rationem causalitatis. Secunda ibi: *Causa verò.* Tertia ibi: *Elementum verò dicitur.* Quarta ibi: *Natura quidem.* Prima in duas, quia primò distinguit diuersos modos principij. Secundò reducit eos ad vnam communem rationem. Secunda ibi: *Omnium igitur.* Circa primum tria facit; quia primò ponit modos principij, secundùm quod principium comparatur ad rerum cognitionem. Secundò ponit modos principij, secundùm quod principium comparatur ad rerum generationem, & factionem. Tertiò ponit modum vnum principij, secundùm quod comparatur ad rerum cognitionem. Secunda ibi: *Aliud vnde primum generatur.* Tertia ibi: *Amplius vnde nota res.* Prima in duas, secundùm modos principij, ita quod primus sumitur simpliciter; secundus verò secundùm quid, & ad hominem. Secunda ibi: *Aliud autem vnde.* Dicit ergo, quòd *principium dicitur aliud quidem*, id est, vno modo, *vnde aliquis mouet primùm ipsam rē*: id est, illa pars magnitudinis, vnde primo incipit illa res moueri, vt in longitudine, & in via: *hinc quidem hoc principium, è contrario verò diuersum*; id est, quòd in longitudine, siue in via, ex parte illa est principium à quo motus incipit: ex parte verò contraria diuersum; id est, finis vel terminus motus.

Hic liber diuiditur in tres partes.

Al. ad rerum entitatē vel motionem.

Principij acceptio secundùm vnum modum.

Notandum, quòd sicut habetur ex 3. 4. & 6. Physicorum, text. com. 70. text. com. 99. text. com. 5. & inde. secundùm prius, & posterius in magnitudine, siue spatio, sumitur prius, & posterius in motu, & in tempore. Ex isto ergo modo principij accepto penes spatium in quo est motus, potest accipi correspondenter principium in motu illa pars, quæ respondet primæ parti spatij; & principium in tempore illa pars, quæ respondet primæ parti motus, & spatij. Deinde cùm dicit:

Vnde sumitur prius & posterius in tempore, & motu.

Aliud vnde vtique optimè fiet vnumquodque, vt doctrinæ non à primo rei principio aliquando inchoandum est; sed vnde facillimè addiscet.

Ponit secundum modum dicens, *aliud*, id est, alio modo dicitur principium; *vnde opportunè fit vnumquodque*, id est, illud vnde quis opportunè incipit moueri, vel optimè, vt habet alia littera: *vt est disciplinarum*, id est, sicut videmus in disciplinis: nam ibi aliquando non est inchoandum scilicet addiscere à primo rei principio. *Sed vnde facile addiscet*, id est, quòd quandoque aliquis incipit addiscere, non ab eo, quod est principium simpliciter primum secundùm naturam; sed ab eo, quod est magìs notum quoad nos, quod est quandoque posterius secundùm naturam, & ex hoc patet, quod dicebatur in diuidendo: quia primus

Alia acceptiones principij.

primus modus est principij simpliciter accepti; sed secundus modus est principij accepti secundùm quid, & ad hominem: nam illud quod isto modo est primum, est quandoque posterius simpliciter, vt patet ex prædictis. Deinde cùm dicit:

Aliud vnde primum generatur inexistente, vt nauis sedile, & domus fundamentum; & animalium alij cor, alij cerebrum, alij quodcunque sortiantur tale putant.

Ponit modos principij in comparatione ad rerum generationem, & factionem. Circa quod duo facit: Primò enim ponit vnum modum, secundùm quem principium factionis est intrinsecum. Secundò ponit alios modos, secundùm quos principium est extrinsecum. Secunda ibi: *Aliud autem vnde.* Dicit ergo, quod *aliud* id est, alio modo dicitur principium; *vnde primum generatur res inexistente*, id est, illa pars rei est principium generationis ex qua rei generatio inchoatur: *vt nauis sedile, & domus fundamentum.* In naui enim primò fit sedile, id est, carina quæ est quasi fundamentum nauis; similiter in domo primò fit fundamentum, & *animalium alij suscipiunt*, id est, opinantur illam partem esse *cor, alij cerebrum, alii quæcunque talium*, secundùm diuersas opiniones.

Aliæ acceptiones principij.

3

Notandum, quòd sicut habetur 1. & 2. de Anima, tex. co. 19. & tex. co. 13. animal distinguitur à non animali motu, & sensu: principium autem motûs est à corde, vt habetur in lib. de Somno, & Vigilia. Principium autem sensus licèt etiam sit à corde, vt ibidem dicitur, tamen operationes sensus maximè apparent in capite circa cerebrum. Aliqui ergo Philosophi considerantes animal ex parte motûs dixerunt, cor esse primũ in generatione animalis. Aliqui verò considerantes ex parte sensus dixerunt, cerebrum esse primum in generatioue animalis. Aliqui etiam considerantes animal, secundùm aliquas operationes dixerunt partem aptam illi operationi esse principium animalis, vt hepar, aut aliquod huiusmodi: secundùm verò sententiam Aristotelis prima pars animalis est cor: sicut patet 3. de Animalibus cap. 3. & inde non longè à principio, & de Somno, & Vigilia: nam omnes animæ, & spiritus à corde sumunt originem, & inde vadunt ad alias partes corporis animalis. Deinde cùm dicit:

Variæ opiniones de principio generationis animalium.

Cor est prima pars animalis.

Aliud vnde fit primum non inexistente, & vnde principium motus natus initiari, & permutatio, vt puer ex patre, & matre, & bellum ex conuicio.

Ponit modos principij secundùm quod principium factionis est extrinsecum, & ponit duos modos, quorum primus est secundùm quod principium extrinsecum reperitur in naturalibus: secundus est secundùm quod tale principium reperitur in mobilibus, & artificialibus: Secunda ibi: *Aliud cuius secundum.* Dicit ergo, quòd *aliud*, id est, alio modo dicitur principium illud *vnde fit primum non inexistente, & vnde motus natus est est initiari primùm, vt puer ex patre, & matre*; qui sunt principium suæ generationis, *& bellum ex conuicio* incipit: bellum enim oritur ex conuicio prouocante bellantes ad bellandum; similiter est in aliis mutationibus naturalibus, & quod illud dicitur principium motûs extrinsecum, vnde est ille motus initiatus. Deinde cùm dicit:

Al. moralibus.

Aliæ duæ acceptiones principij.

4

Aliud secundùm cuius voluntatem mouentur, quæ mouentur, & mutantur, quia mutantur, vt secundùm ciuitates principatus, & potestates imperia, & tyrannides. Principia dicuntur, & artes, & harum architectonicæ maximè.

Ponit secundùm modum prout principium extrinsecum factionis reperitur in mobilibus siue artificialibus dicens, quod *aliud*, id est, alio modo dicitur principium, *secundùm cuius voluntatẽ mouentur mobilia, & mutantur mutabilia, vt secundùm ciuitatem* dicuntur principia *principatus, & potestates, & imperia*: nam ex voluntate istorum fiunt, & mouentur omnia inter ciues. Addit, etiam simile esse in artificialibus posse dici.

Al. moralibus.

Circa quod sciendum, quòd principia supple artificiatorum dicuntur artes, quia ab arte incipit motus, & actio artificij construendi, & harum scilicet artium architectonicæ maximè, supple dicuntur principia: nam ars architectonica principiatur, & imperat aliis sibi seruientibus, sicut declaratum fuit in primo libro.

Principia artificiatorum sunt artes.

Notandum, quòd principiatus, & potestates dicuntur esse in ciuitate, qui præferuntur in officiis particularibus: puta Vicarij, Balliui, Iudices, & huiusmodi. Dicuntur autem imperia illi, qui dominantur ciuitatibus, & imperant, puta Reges. Deinde cùm dicit:

Principatus, potestates & imperia qui dicuntur.

Amplius vnde cognoscibilis res primùm, & hæc dicitur principium rei, vt demonstrationum suppositiones: toties autem & causæ dicuntur; omnes enim causæ principia.

Ponit vnum modum principii in ordine ad rerum cognitionem dicens, quod *amplius* supple dicitur principium illud, *vnde primum fit nota res, & illud tale dicitur rei principium*, vnde res primò innotescit, vt sunt suppositiones, id est, principia demonstrationum. Dignitates enim, & suppositiones dicuntur principia demonstrationum. Addit autem, etiam dicuntur causæ; quoties supple, & quot modis dicitur principium: *omnes enim causæ sunt quædam principia*, licèt non eodem modo: nam in plus se habet principium quàm causa; nam terminus à quo in motu potest dici principium vnde motus, non tamen causa. Deinde cùm dicit:

5

Acceptio principij in ordine ad rerum cognitionem.

Principium in plus est quã causa.

Omnium igitur principiorum commune est primum esse vnde aut est, aut fit, aut cognoscitur: horum autem hæc quidem inexistentia sunt, illa verò extra; quapropter, & natura principium, & elementum, & mens, & voluntas & substantia, & quod cuius causa: multorum enim & cognitionis, & motus principium est bonum, & malum.

Reducit omnes modos principij ad vnam communem

Omnibus principiis cõmune est esse primum.

Al. primum modum.
Al. 2. 3. 4. &c.

munem rationem, dicens, quod *omnium principiorum*, id est, omnium prædictorum modorum *est hoc commune vnum*, scilicet *esse primum, aut est, aut fit, aut cognoscitur*, id est, aliquid dicitur primum, vel quantum ad esse sicut prima pars rei quantum ad tertium modum: vel quantùm ad fieri, quantum ad primum, secundum, quartum, quintum modum, vt patet intuenti: siue quantum, ad cognitionem, quantum ad vltimum modum: hæc autem scilicet principia hæc quidem sunt inexistentia, vt in tertio modo, hæc autem extra, vt in omnibus aliis modis: quapropter, & natura, & elementum sunt principium intrinsecum, vt inferius patebit, *& mens*, id est, intellectus, *& voluntas*, quæ sunt principia artificialium, supple sunt principium extrinsecum; *substantia etiam*, id est, forma dicitur principium, scilicet intrinsecum, & *quod est cuius causa*, id est, finis dicitur etiam principium, sed extrinsecum: quod probat, quia *multorum est principium, & cognitionis, & motus id quod est bonum & etiam malum*: finis autem habet rationem boni, vt dicetur capitulo sequenti: bonum autem dicitur principium in prosequendo, sed malum in fugiendo; omne ergo principium reducitur ad rationem primitatis: nam idem dico principium, & primum, vt patet 1. posteriorum.

SVMMÆ SECVNDÆ CAP. II.

De Causa.

SVMMARIVM.

Ponit varias acceptiones quatuor causarum, quæ ad multas difficultates soluendas deseruiunt, de quarum proprietatibus, speciebus, & modis fusiùs in reliqua parte capitis, vt suis locis notabitur.

6
Tex. com. 2.

CAVSA verò dicitur vno quidem modo ex quo fit aliquid inexistente, vt æs statuæ, & argentum phialæ, & horum genera.

Postquam Philosophus distinxit hoc nomen *principium*, tunc distinguit hoc nomen *causa*. Circa quod duo facit. Primò enim distinguit causarum species. Secundò causarum modos. Secunda ibi: *Modi verò causarum.* Prima in tres: primò enim distinguit species causarum. Secundò declarat quasdam conditiones, & proprietates consequentes ipsarum causarum species. Tertiò, vt facilior appareat eius doctrina, resumit species causarum reducens ad quatuor, & exemplificans de eis. Secunda ibi: *Accedit autem multotiens.* Tertia ibi: *Omnes verò causæ.* Prima in quatuor secundùm quod distinguit quatuor species causarum: primò enim exponit speciem causæ materialis: secundo speciem causæ formalis: tertiò speciem causæ efficientis: quartò speciem causæ finalis. Secunda ibi: *Alio verò modo species.* Tertia ibi: *Ampliùs vnde principium.* Quarta ibi: *Amplius vt finis.* Dicit ergo quòd *causa dicitur vno modo ex quo aliquid fit vt inexistente*, id est, intus existente, vt æs statuæ, & argentum phialæ & horum genera.

Causa materialis quid.

Fieri ex aliquo cõtingit dupliciter.

Notandum, quòd aliquid dicitur fieri ex aliquo, non tantum ex materia, sed etiam ex priuatione & contrario, vt dicitur primo Phisic. text. com. 43. & inde. differenter tamen: nam ex priuatione & contrario fit aliquid non vt ex existente, nam si album fit ex non albo, vel ex nigro, ipsum nigrum, vel non album, non manet, nec inexistit ipsi albo: quinimmo corrũpuntur ad generationem albi, sed ex materia fit aliquid vt ex inexistente: nam æs manet & inexistit ipsi statuæ factæ ex ære, & similiter argentum phialę: non solum autem istæ sunt de genere causæ materialis, sed etiam eorum genera. Sicut igitur æs dicitur materia statuæ, & argentum phialæ: sic etiam metallum & corpus & huiusmodi quæ sunt genera æris, & argenti, possunt dici genera statuæ & phialæ. Deinde cùm dicit;

7

Alio verò modo species & exemplar, hæc autem est ratio ipsius quod quid erat esse, & huius genera, vt eius quod diapason duo ad vnum, & totaliter numerus, & partes quæ in ratione.

Diapason quid sit?

Exponit speciem causæ formalis dicens, quòd *alio modo* supple dicitur causa *species*, id est, forma, & *exemplar*: *hæc autem est ratio ipsius quod quid erat esse*: forma enim maximè pertinet ad quiditatem rei, *& eius genera*, id est, quòd sicut genus materiæ reducitur ad causam materialem: sic genus formæ ad causam formalem: quod declarat cum subdit, *vt eius quod est diapason*, supple est causa formalis, *duo ad vnum*, id est, proportio duorum ad vnum: tradunt enim Musici, quòd quando duo soni se habent adinuicem in dupla proportione, dicitur inter eos esse consonantia, quæ dicitur diapason, & ideò dualitas, siue proportio dupla, quæ oritur ex dualitate, est forma ipsius diapason, *& totaliter numerus*, qui scilicet est genus dualitatis, est etiam supple forma ipsius diapason: iterum *partes quæ sunt in ratione*, id est, in definitione, supple sunt etiam formæ.

Forma dicitur species, & exemplar.
Forma appropriatè dicitur quod quid erat esse, & rei essentia.

Notandum, quòd forma rei vocatur species, quatenus est principium essendi & specificandi: nam vnaquæque res ponitur in specie per suam formam, & distinguitur specificè à quocunque. Vocatur etiam exemplar quatenus est principium generandi, & assimilandi genitum generanti, in generatione vniuoca, vt sic ipsa forma generantis sit quoddam exemplar, ad cuius similitudinem ipsum genitum vniuocè generatur: ita etiam & forma appropriatè vocatur ratio eius, & quod quid erat esse, non quin materia pertineat ad definitionem rei, & quod quid erat esse rei, sicut vult Philosophus 7. & 8. huius text. com. 33. & infra. text. co. 6. & 9. expressè, sed hæc dicitur per quandam appropriationem quatenus forma est principalior pars diffinitionis, & principalius faciens ad quiditatem rei.

Nota de partibus formalibus, & materialibus rerum.

8

Materia potest dici pars formalis rei.

Notandum etiam, quòd partes rei sunt in duplici genere, sicut dicitur 7. huius: text. com. 34. quædam sunt partes formales, & quædam sunt partes materiales. Dicuntur autem partes formales illæ, quæ pertinent ad speciem & quiditatem specificam rei, vt quiditas est, & hoc modò cùm materia pertineat ad esse specificum rei, vt ibidem probat

probat Philosophus, text. com. 2. & inde. non tantùm forma, sed etiam materia est pars formalis rei. Sed dicitur pars materialis illa, quæ non respicit, nec pertinet ad quiditatem specificam rei, vt specifica est, sed magis vt indiuidua est; & hoc modo, vt ibidem dicitur, semicirculus est pars materialis circuli, & non formalis. Quando ergo dicit Philosophus quòd omnes partes definitionis sunt formæ, non intendit excludere materiam, cùm materia sit de essentia speciei, & pars definitionis rei, vt habetur secundo Physic. text. com. 33. & inde. & 7. & 8. huius, text. com. 6. & 9. quinimmo ipsa materia sicut est pars formalis rei, sic potest dici forma rei isto modo, vt per partem formalem intelligamus partem essentialem rei, modo præexposito. Deinde cùm dicit:

Ampliùs vnde principium permutationis primum, aut quietis, vt consiliator & pater pueri, & omnino efficiens facti, & permutans permutati.

Exponit speciem causæ efficientis, dicens quòd *amplius* supple, dicitur alio modo causa: *vnde principium primum permutationis aut quietis, vt consiliator* dicitur causa, *& pater* dicitur causa *pueri*: *& omnino*, id est, vniuersaliter, *efficiens facti, & permutans permutati.*

Nota de efficiente duplicē distinctionem.

Notandum, quòd causa efficiens distinguitur: quia quædam est principalis, & quædam est secundaria, & coadiuuans. Iterum potest distingui, quòd quædam est vniuersalis, & quædam est particularis. Quantum ergo ad causam principalem & secundariam dicit: vnde primum principium vt consiliator, ita quòd per primum principium intelligatur causa principalis, & per consiliatorē causa secundaria. Quantum verò ad causam particularem & vniuersalem, dicit, pater pueri, & efficiens facti, & permutans permutati: efficiens enim est vniuersalius quàm pater, & commutans & permutans, quàm efficiens: vt habetur primo de generatione, tex. com. 25. capitulo de tactu. Deinde cùm dicit:

Ad hūc textum est 1. q. lib. 3.

Ampliùs vt finis; hæc autem quod est cuius causa, vt ambulandi sanitas; nam propter quid ambulat? vt sanetur; & dicentes ita putamus reddidisse causam.

9 *Explicat quid sit causa finalis.*

Exponit speciem causæ finalis. Circa quod duo facit: quia primò determinat de fine. Secundò de his quæ sunt ad finem. Secunda ibi: *Et quæcunque mouente.* Dicit ergo quòd *ampliùs*, supple dicitur causa, *vt finis*: *hæc autem est quod cuius causa, vt ambulandi sanitas*: *nam* si supple interrogetur, *propter quid ambulat?* dicimus *vt sanetur*; *& dicentes*, id est, respondentes *ita putamus reddidisse causam*: ex hoc ergo probatur, quòd finis habet rationem causæ; quia ad quæstionem factam propter quid, quæ quærit de causa, respondemus per finem, & putamus nos respondisse, & assignasse causam eius quod quæritur: & hoc modo sanitas est causa ambulandi. Deinde cùm dicit:

Et quæcunque mouente alio intermedia fiunt finis, vt sanitatis attenuatio, aut purgatio, aut pharmacia, aut organa: hæc namque omnia finis gratiâ sunt. Differunt autem ab inuicem tanquam entia: hæc quidem vt organa: illa verò vt opera; ergo causæ ferè toties dicuntur.

Declarat qualiter media ordinantur ad finem.

Determinat de his quæ sunt ad finem ostendēs quæ se habent ad finem: dicens quod *quæcunque mouente alio sunt, intermedia fiunt finis*, id est, gratiâ finis: vult dicere quòd omnia quæ sunt media inter primum mouens, & vltimum finem, sunt gratiâ finis, siue sunt ad finem: *vt sanitatis*, scilicet gratiâ, fit *attenuatio, aut purgatio, aut pharmacia*, id est, medicina laxatiua, *aut organa*, id est, instrumenta per quæ ministratur aliqua medicina ad sanitatem ordinata, vt clyster quo ministratur pharmacia, & lanceola, quâ fit phlebotomia: *hæc namque omnia sunt gratiâ finis*, id est, sanitatis: *differunt tamen ab inuicem tanquam entia, hæc quidem vt organa: illa verò vt opera.* Patet etiam quòd purgatio & attenuatio dicunt quasdam operationes: clyster verò & lanceola, & huiusmodi, quædam organa, siuè instrumenta.

Notandum, quòd ista, quæ enumerata sunt, se habēt secundū quendā ordinē ad ipsam sanitatē: nam attennuatio est propinquissima sanitati; purgatio verò est per quam acquiritur attenuatio; organa verò, siue instrumenta, sunt quibus pharmacia ministratur: Vltimò epilogat quòd *causæ ferè toties dicantur*: & dicit ferè secundùm Alex super 2. Physic. text. com. 30. propter causas per accidens: nam omnes causæ dictæ sunt causæ per se; vel hoc dicit propter modos causarum inferiùs ponendos. Deinde cùm dicit:

10

SVMMARIVM.

Tres conditiones, seu proprietates, quæ causas consequuntur, explicantur; de quibus pulchras habet Doctor notationes.

Accidit autem multoties dictis causis; & multas eiusdem esse causas non secundùm accidens, vt statua statuæfactiua & æs, non secundùm aliquid aliud, sed in quantum statua, verùm non eodem modo: sed hoc quidem vt materia: illud verò vt vnde motus.

Ad eandem rem concurrunt plures causæ.

Declarat quasdam conditiones & proprietates consequentes dictas causas, & sunt tres. Secūda ponitur ibi: *Et adinuicem.* Tertia ibi: *Amplius autem.* Dicit ergo quòd *ipsis causis dictis multoties*, vt prædictum est, *accidit multas esse causas eiusdem rei, non secundùm accidens*, sed supple per se: *vt statua* ipsa res *statuæfactiua*, vel ipsæ statuæ factor, vt habet alia litera, *& etiam æs, non secundùm aliquid aliud, sed in quantum statua*, id est, non per accidens sed per se, *sed non eodem modo* sunt causæ; *sed hoc quidem*, scilicet æs, *vt materia: illud autem* scilicet statuæ factor, *vt vnde motus*, id est, vt causa efficiens. Deinde cùm dicit:

Et

Et adinuicem causæ sunt, vt laborare causa est euexia, & hæc laborandi, sed non eodem modo: verùm hoc quidem vt finis, illud verò vt principium motus.

Ponit secundam conditionem, dicens quòd aliquæ *sunt causæ adinuicem* sibi ipsis, *vt laborare est causa euexia*, id est, bonæ dispositionis quæ est in sanitate, *& hæc* euexia est causa *laborandi, sed non eodem modo, verum* pro sed, sed *hac quidem* scilicet euexia est causa *vt finis: illud verò*, scilicet laborare *vt principium motus*, id est, causa efficiens: labor enim moderatus causat bonam dispositionem effectiuè malos humores corporis consumẽdo; ista autem dispositio est id ad quod labor ordinatur vt ad finem.

11
Efficiens est causa finis, & èconuerso.
Quomodo materia est causa formæ, & èconuerso?

Notandum, quòd sicut efficiens & finis sibi hoc modo correspondent, sic etiam materia & forma: efficiens enim est causa finis, & èconuersò, tamen differenter: nam efficiens est causa finis quantum ad esse, nam producit formam quæ est finis; sed finis est causa efficientis, non quantum ad esse, sed quãtum ad causare, quatenus finis mouet efficiens ad causandum, & efficiens agit ex appetitu finis: similiter forma est causa materiæ, & èconuersò, etiam quantum ad esse, quatenus forma dat materiæ esse, & actum specificum, materia verò sustentat formam: nam loquendo naturaliter; sicut est impossibile materiam existere sine forma, sic & formam sine materia. Qualiter autem aliqua duo possent sibi inuicem esse causæ, non obstante quòd causa sit prior simpliciter quàm causatum; ex quo videtur sequi, quod idem respectu eiusdem sit prius & posterius simpliciter, & secundùm naturam, patebit in quæstione inferiùs ponenda. Deinde cùm dicit:

Ampliùs autem & idem quandoque contrariorum est causa: quod enim præsens huius causa est, hæc absens causa videtur quandoque de contrario, vt absentia gubernatoris deperditionis, cuius erat præsentia causa salutis: vtraque verò præsentia, & priuatio causæ sunt vt mouentes.

Ponit tertiam conditionem causarum dicens, quòd *ampliùs autem quod hoc idem quandoque est causa contrariorum: quod enim præsens est causa huius, hoc absens*, causamur, id est, accusamus, id est, dicimus *quandoque esse causam de contrario*, id est, quòd idem quandoque quod est causa vnius contrarij per sui præsentiam, est causa alterius per sui absentiam, quod exponit cùm dicit: *vt absentia gubernatoris* est causa *perditionis, cuius erat præsentia causa salutis: vtraque verò & præsentia & priuatio*: id est, absentia, *sunt causæ vt mouentes*, id est, de genere causæ efficientis: hoc autem dicit ne fortè aliquis crederet referendum esse ad diuersa genera causarum, sicut duæ primæ conditiones.

Quomodo idem est causa contrariorum?

Est autem attendendum quòd quãdo idem est sic causa contrariorum non est eodem modo, sed vnius est causa per se, & alterius per accidens: gubernator enim per se saluat nauem, sed per accidens perdit, quando non est præsens. Deinde cùm dicit:

SVMMARIVM.

Quatuor tantùm esse causarum genera, & exemplificat in singulis, cui apponit Doctor optimas notas.

Text. c. 13.

Omnes verò causæ dictæ in quatuor cadunt modos manifestissimos: nam elementa syllabarum & materia factorum, vt & ignis, & terra, & talia omnia corporum: & partes totius, & suppositiones, conclusionis, vt ex quo causæ sunt. Horum autem hæc quidem quasi subiectum vt partes: illa verò vt quod quid erat esse, vt totum & compositio & species. Sperma verò, medicus, & consiliator, & omnino efficiens omnia sunt causæ vnde principium permutationis, aut status: alia verò vt finis, & bonum aliorum, nam quod cuius causa optimum & finis aliorũ vult esse. Nihil autem differt dicere siue bonum, siue apparens bonum. Causæ quidem igitur hæ & tot sunt specie.

12
Exemplificat quatuor genera causarũ

Resumit omnes dictas species causarum, ostendens eas esse quatuor tantùm, exemplificans de eis dicens, quòd *omnes dicta causæ cadunt in quatuor manifestissimos modos: nam elementa*, id est, litteræ *syllabarum & materia factorum*, puta artificialium, *ignis, terra, & huiusmodi corporum* simplicium elementorum, *etiam partes totius, & suppositiones*, id est, principia respectu conclusionis: omnia supple ista *sunt causæ vt ex quo*, id est, de genere causæ materialis, & sic exemplificat primò est de causa materiali dicens *quod horũ* supple ex quo res constituitur, hæc supple habent *quasi subiectum*, & materiam: *vt partes* & cætera supradicta. Secundò exemplificat de causa formali, dicens, *sed illa*, id est, alia se habent *vt quod quid erat esse*: id est, vt formalis causa, *vt totum, compositio, species*. Tertiò exemplificat de causa efficiente, dicens, *sperma verò & medicus, & consiliator, & omnino efficiens, omnia* supple hæc *sunt causæ, vnde principiũ permutationis aut status*, id est, quietis. Ponit autem sperma inter causas efficientes ratione virtutis actiuæ, quæ est in spermate; nam secundùm suam opinionem sperma viri habet virtutem actiuam in generatione fœtus: menstrua autem fæminæ se habent vt materia, & cedunt in substantiam fœtus: de quo vtrùm verum sit, vel non, habet declarari in 8. huius. Quartò exemplificat de causa finali dicens, quòd *alia* causa se habet, *vt finis, & bonum aliorum: nam quod est cuius causa, est optimum* inter alia, *& vult esse finis aliorum*; vult esse, id est, habet aptitudinem, vt sit finis aliorũ: addit autem, quòd *nihil refert dicere bonum, siue apparens bonum*: hoc autem dicit si forte diceretur, quòd non semper finis bonus est: nam aliquando aliqui præficiunt sibi malum finem: quando inordinatè agunt; putà latro, vel homicida; ideò dicit, quòd nihil differt, siue ille finis sit bonus existenter, siue apparenter; nam omne agens agit propter illud, quod sibi apparet bonum, hoc enim per se intendit; licèt illud sit malum secundùm esse: latro autem intendit ditari, & homicida vindicare iniuriam,

Bonũ duplex Al. præfigũt, vel præstituunt.

iniuriam, quæ eis videntur bona magis quàm opposita: nullum enim agens agit respiciens per se ad malum: vltimò epilogat, quòd *causæ quidem hæ sunt, & tot species*, sicut dictum est.

13 *Qualiter principia respectu conclusionis sunt in genere causæ efficientis, & materialis.*

Notandum, quòd omnia enumerata in prima parte literæ reducuntur ad causam materialem: nam literę sunt materia syllabarum, patet de se, & materia artificialium, puta lignum, vel lapis; ignis etiam, & terra, aqua, & aër, sunt materia corporum mixrorum, partes etiam; nam quæcunque quantitates, seu quantitatiuæ, & materiales sunt materia totius. Præmissæ etiam dicuntur materia conclusionis: nam in præmissis est considerare medium, & duas extremitates, quarum vna de altera concluditur virtute medij, quod nō intrat conclusionem; præmissæ igitur possunt dici causa efficiens conclusionis ratione medij: sed sunt materia conclusionis ratione extremitatis maioris, & minoris, quæ sunt partes conclusionis.

Materia potest sumi in diuersis tripliciter. Et totiens sumitur forma.

Notandum etiam, quantum ad secundam partem literæ, quòd forma comparata ad materiam dicitur totum, & compositio & species aliter, & aliter secundùm quod materia sumitur tripliciter in diuersis: quædam enim est materia secundùm compositionem, vt lapides sunt materia domus, & isti correspondet forma, quæ dicitur compositio. Alio modo est materia secundùm alterationem quandam, vt cibus alteratus dicitur esse materia corporis, vel sanguinis, & isti materiæ correspondet forma, quæ dicitur species: nam alimentum corruptum, & conuersum suscipit speciem, & formam aliti. Alio modo accipitur materia secundùm alterationem simul, & compositionem, vt quatuor elementa sunt materia mixti, eo modo quo manet in mixto, & isti materiæ correspondet forma, quæ potest dici totum, sicut ex aqua, & melle fit quoddam totum, quod dicitur hydromeli.

SVMMARIVM.

Varij modi, seu combinationes causarum; sunt enim communes vel propriæ; per se, vel per accidens; actu vel potentia; simplices vel compositæ: quorum quilibet duo membra opposita continet, & variè subdiuidi possunt; quæ benè explicat Doctor.

14

Modi verò causarum numero quidē multi sunt; capitulati verò, & hi pauciores. Dicuntur enim causæ multipliciter, & ipsarum speciei eiusdem prius, & posterius alia quàm alia, vt sanitatis medicus, & artifex, & eius, quod est diapason duplum, & numerus, & semper continentia quæcunque singularium.

Postquam Philosophus distinxit causarum species, nunc distinguit causarum modos. Circa quod tria facit; quia primò ponit quatuor modos, siue combinationes causarum; secundò reducit eos in se inuicem. Tertiò ponit quoddam documentum circa prædicta. Secunda ibi: *Attamen omnia*. Tertia ibi: *Differunt in tantum.*

Combinationes modorum causarū sunt quadruplices

Ad euidentiam primæ partis sciendum, quòd modi causarum possunt quadrupliciter combinari. Prima combinatio est, vel sunt propriæ, vel communes. Secunda, vel sunt per se, vel per accidens. Tertia, vel sunt actu, vel potentia. Quarta, vel sunt simplices, vel complexæ. Primò ergo exponit primum modum. Secundò secundum. Tertiò tertium, & Quartò quartum. Secunda ibi: *Amplius autem, vt accidens*: Tertia ibi: *Præter omnes autem*. Quarta ibi: *Amplus autem complexa*. Dicit ergo quòd *modi causarum multi quidem numero, capitulati verò*, id est, principales, & capitales *sunt pauciores*, & hi qui sequuntur: *dicuntur enim causæ multipliciter & earum conspicialium*, id est, causarum, quæ sunt in eodem genere, supple est aliqua diuersitas; quia *altera*, supple causa *est prius, & altera est posterius*, id est, propria, & ille est primus modus, & prima combinatio causarum, quod exponit cùm subdit, vt causa *sanitatis est medicus, & artifex*, scilicet medicus est causa propria, artifex causa communis, sicut patet, & istę causæ pertinent ad genus causæ efficientis: *similiter* supple *ipsius diapason* est causa *duplum & numerus*: duplum vt causa propinqua, & numerus, vt communis. Addit autem, quòd *semper quæ* sunt *continentia singularia* se habent supple sicut causæ communes, & vniuersales.

15 *Modi iam assignati possunt vlterius subdiuidi.*

Notandum, quòd modi causarum hîc traditi sumuntur multùm vniuersaliter: nam quilibet eorum habet sub se multos modos, quatenus possunt accipi secundùm diuersa genera causarum: similiter est de per se, & de per accidens; iterum per se, & per accidens sunt duo modi, & tamen ducuntur ad vnum commune, & ad vnam combinationem. Iterum causæ dicuntur multipliciter non solùm quantum ad diuersitatem generis, vel speciei; sed etiam quantum ad causas particulares, quæ reducuntur ad idem genus: benè ergo dicitur, quòd modi causarum sunt multi numero: sed capitales, & sub compendio accepti sunt pauciores.

Causa communis, & propria sumitur dupliciter.

Notandum etiam, quòd causa communis, & propria in eodem genere causæ dupliciter sumi possunt, scilicet vel secundùm communitatem causalitatis, vel secundùm communitatem prædicationis. Exemplum primi. Sol & homo generant hominem: Sol est causa communis isto modo, & homo est causa propria, & particularis. Exemplum secundi, artifex, vt communis, & medicus vt propria. Patet autem quòd artifex de medico prædicatur; non Sol de homine, sicut patet: vtroque autem modo commune se habet, vt continens, & proprium, vt contentum, licèt difformiter. Vniuersalia enim, & genera continent sua inferiora, & virtutes cælestes continent inferiores, illâ continentiâ, quæ competit causis essentialiter ordinatis; prætermisso autem primo modo, exemplificat de secundo. Deinde cùm dicit:

Continentia duplex.

Amplius autem vt accidens, & horum genera veluti statuæ aliter Polycletus, & aliter statuæ factor, quia accidit statuæ factori Polycletum esse. Et continentia accidēs, vt homo causa statuæ, aut & totaliter animal, quia Polycletus homo, & homo animal. Sunt autem & accidentium alia aliis remotius, & propinquius, vt si albus, & musicus causa dicantur statuæ, & non solùm Polycletus, aut homo.

Expo

16

Exponit secundum modum dicens, quòd *Amplius*, supple est quædam causa, *vt accidens, & horũ genera*: quædam supple per se *veluti statua: aliter* est causa *Polycletus*: nomen est proprium vt Socrates: *& aliter statuæ factor*: nam supple statuæ factor supple est causa per se, Polycletus verò causa per accidens: sic & vniuersalia continentia Polycletum, vt homo & animal; ideò subdit, quòd *& continentia per accidens*, id est, causam per accidens, sunt supple causa per accidens: *vt homo est causa statuæ, aut ex toto*, id est, *vniuersaliter animal: quia Polycletus homo est, & homo animal.* Subdit verò, quòd *accidẽtium*, id est, causarum per accidẽs, *alia sunt remotiora aliis, alia propinquiora, vt si non solùm Polycletus aut homo*, dicantur supple causæ per accidens statuæ: sed *albus, & musicus etiam dicantur causa statuæ* isto modo: nam supple albus, & musicus sunt causæ per accidens remotiores, quàm Polycletus, aut homo.

Accidit artifici, quòd sit Polycletus, vel Socrates.

Notandum, quòd per se causa statuæ est ipse statuæ factor, nam habet propriam formam, scilicet artem, quæ per se ordinatur ad talem effectũ, & est sibi principium quo formale: ipsi autem statuæ factori vt sic accidit, quòd sit Polycletus, vel Socrates: nam dato, quòd non esset Polycletus, vel Socrates, nihilominus posset facere statuã per artem quam habet, & ideò vt stat sub isto attributo, quod est esse talem artificem accidit sibi esse Polycletum: sicut autem causa per se diuiditur in vniuersale, & particulare, siue in prius, & posterius; ita etiam causa per accidens, scilicet non solùm Polycletus, sed etiam homo, vel animal.

17

Per accidens dupliciter sumitur.

Notandum etiam, quòd *per accidens* potest dupliciter sumi, scilicet vel ex parte effectus, vel ex parte causæ. Primo modo dicitur, causa per accidens respectu eius, quod accidit effectui per se, quod potest etiam dupliciter intelligi. Vno modo, quia habet ordinem necessarium ad effectum per se, sicut remotio impedimenti habet ordinem necessarium ad effectum, & propter hoc agens remouens impedimentum dicitur agens per accidens. Exemplum: aperiens fenestrã est causa illuminationis domus, & remouens trabem est causa descensus lapidis existentis super trabem. Alio modo potest esse, quando effectus per accidens habet aliquem ordinem ad effectum per se non necessarium, nec vt in pluribus, sed vt rarò. Exemplum, vt inuentio thesauri ad fossionem foueæ, & hoc modo casus, & fortuna dicuntur causæ per accidens secundo Physicorum, t. c. 50. & inde. sed dicitur causa per accidens ex parte causæ: quando scilicet dicitur causa effectus id quod accidit causæ per se. Exemplum, hoc modo album, & musicum, & etiam Polycletus dicuntur causæ statuæ per accidens, quia quodlibet eorum accidit statuæ factori, vt statuæ factor est: sed sunt ibi gradus secundum propinquius, & remotius: nam licèt Polycletus, album, & musicum, sint causæ per accidens ipsius statuæ factoris; nihilominus tamen Polycletus est causa propinquior quàm album, & musicum: quatenus Polycletus est magis idem cum statuæ factore, quàm album & musicum: nam Polycletus est sibi idem realiter, & per se: album autem, & musicum sunt sibi idem per accidens, & non idem realiter: iterum album, & musicum inter se habent ordinem propinquioris, & remotioris, quatenus musica est in eodem subiecto proximo cum arte statuæ factiuâ, quæ est principium formale per se ipsi artifici: nam tam musica quàm talis ars sunt in intellectu, vt in subiecto: licet altera sit in intellectu practico, altera in speculatiuo; realiter tamen non sunt nisi vnus intellectus: albedo autem est in corpore, vt in subiecto, in quo non est ars statuæ factiua; & ideò licèt vtraque sit causa per accidens statuæ: musicum tamen est causa propinquior, & album, remotior. Deinde cùm dicit:

Intellectus practicus, & speculatiuus est idem intellectus realiter.

Præter omnia autem, & propriè dicta, & secundùm accidens, hæc quidem vt potentia dicuntur: illa verò vt agentia, vt ipsius ædificari ædificator, aut ædificans ædificator.

Exponit tertium modum causarum. Circa quod duo facit, quia primò facit, quod dictum est. Secundò autem ostendit istos modos, & istas combinationes similiter reperiri in causis, & effectibus. Secunda ibi: *Similiter autem.* Dicit ergo, quòd præter omnes huiusmodi causas *dictas propriè*, id est, per se, *& secundùm accidens* adhuc supple, *hæc quidem*, scilicet causæ *dicuntur potentia*, id est, sunt causæ in potentia: *alia verò vt agentia*, id est, sunt causæ in actu, *vt ædificationis ædificator* est causa, scilicet in potentia: *aut* etiam *ædificans*, scilicet est causa in actu: ædificator enim significat habentem habitum quo potest ædificare: ædificans autem significat actum iam ædificandi. Deinde cùm dicit:

18

Similiter autem dicuntur, & in quibus causæ sunt causæ dictis, vt huius statuæ, aut statuæ, & omnino imaginis, aut æris huius, aut æris, aut omnino materiæ, & in accidentibus similiter.

Ostendit dictos modos similiter esse in effectibus dicens, quòd *similiter dicentur causæ, & in quibus sunt causæ*, scilicet effectus *dictis modis, vt* supple ædificator est causa *huius statuæ*, quod est particulare, & posterius, *aut statuæ*, quod est vnisale, & prius, *& omnino imaginis*, quod est magis vniuersale, & magis prius: Similiter est aliqua causa *huius æris*, quod est particulare, & posterius, *aut æris*, quod est vniuersale, & prius, *aut omnino materiæ*, quod est vniuersalius, *similiter autem, & in accidentibus*, id est, in effectibus per accidens: nam supple statuæ factor, qui est causa statuæ per se potest dici esse causa per accidens albi, & nigri, quæ accidunt ipsi statuæ, vt causantur ab ipso statuæ factore.

Notandum, quòd sicut causa potest accipi specialiter, & generaliter; per se, & per accidens; in actu, & potentia, similiter & effectus, sed de actu, & potentia tacuit forsan Philosophus causa breuitatis. Deinde cùm dicit:

Amplius autem complexa hæc, & illa dicuntur, vt nec Polycletus, nec statuæ factor: sed Polycletus statuæ factor.

Causæ possunt sumi dupliciter.

Exponit quartum modum dicens, quòd *amplius* supple *dicuntur* causæ quædam *complexa & hæc, & illa*, scilicet per se, & per accidens, & dicuntur supple etiam incomplexè, & singulariter, *vt nec Polycletus dicitur* causa complexa seorsum, *nec statuæ factor* seorsum, *sed Polycletus, & statuæ factor* simul: vult dicere, quòd causæ possunt accipi dupliciter. Vno modo compositè, & complexè: Alio modo simpliciter, & incomplexè.

Exemplum primi. Polycletus statuæ factor, hic enim accipitur simulcausa per se,& per accidens. Exemplum secundi, si ipse Polycletus accipitur seorsum, vel statuæ factor seorsum, & ista est combinatio causarum. Deinde cùm dicit:

SVMMARIVM.

Omnes prædictos causarum modos reduci ad vltimum, scilicet actum & potentiam, hunc tamen docet cæteris differre.

19 *Attamen omnia hæc sunt pluraliter sex, dupliciter autem dicta: aut enim vt singulare, aut vt genus,& ipsius secundum se: aut secundùm accidens, aut vt genus accidentis, aut vt cõplexa hæc, aut vt simpliciter dicta: Ampliùs, vt agentia, aut secundùm potentiam.*

Reducit dictos modos, & combinationes causarum in se inuicem.

Ad cuius euidentiam notandum, quòd tres combinationes de prædictis possunt reduci ad aliam, quæ est tertia; nam proprium & commune, per se & per accidẽs, simplex & compositum, siue complexum reducuntur ad potentiam, & actum, cùm quodlibet illorum potest distingui per potentiam, & actum: cùm ergo sint tres combinationes reductæ ad aliam, tunc habẽt sex modos, quorum quilibet distinguitur per actum,& potentiam; ex quo sequitur, quòd omnes modi sic multiplicati erunt duodecim, vt dicit Commentator cap. 3. huius: ideò dicit quòd *attamẽ omnia*, quæ dicta sunt, *sunt pluralitate sex: sed dupliciter dicta*: ex eo scilicet, quòd quilibet illorum modorum diuiditur per potentiam,& actum: *aut enim* dicuntur causæ, *vt singula, aut vt genus*, id est, sicut singulares, aut sicut generales, quantùm ad primam combinationem; *aut secundùm se, aut secundùm accidens, aut vt genus accidentis*, quantùm ad secundam combinationem: quæ siue secundùm quod causæ possunt accipi per se, vel per accidens, & genus accidentis: *aut vt complexa: hæc autem vt simpliciter dicta*, quantùm ad tertiam combinationem, & quia omnes istæ combinationes possunt distingui per potentiam, & actum, vt prædictum est; ideò subiungit: *ampliùs* supple omnia prædicta dicuntur *vt agentia*, id est, causa in actu, *aut secundùm potentiam.*

Modi causarum quot numero.

Notandum circa prædicta, quòd alia est distinctio causarum per species, & alia per modos prædictos: nam distinctio per species est quasi per differentias essentiales, quatenus sumitur penes diuersas rationes causalitatis cõstituentes diuersas species causarum: diuisio verò per modos accipitur penes diuersas habitudines causarum, ideò est quasi per differentias accidentales; quæ speciem causæ non diuersificant: nam tales habitudines sunt in his, quæ habent eandem rationem essendi in genere, vel in specie, sicut sunt per se per accidens propinquum, & remotum,&c. sicut patet per dictos modos, siue per dictas combinationes intuenti. Deinde cùm dicit:

Distinctio causarum duplex.

20 *Differunt autem intantum, quòd agentia quidem & singularia simul sunt, & non sunt, & ipsa,& quorum causæ, vt hic medens cum hoc conualescente, & hic ædificator cum hoc ædificio. Quæ autem secundùm potestatem non semper: corrumpuntur enim non simul domus & ædificator.*

Ponit quoddam documentum circa dictas combinationes dicens, quòd supple licèt omnes causæ diuidantur per potentiam, & actum, tamen *differunt intantum* quidem *quòd agentia, & singularia*, id est, causæ in actu, & singulares *simul sunt, & non sunt, & ipsa & quorum sunt causa*, id est, effectus eis correspondentes, *vt hic medicus cum hoc conualescente*, qui scilicet sit sanus per medicinam, *& hoc ædificans cum hoc ædificio: quæ verò sunt secundùm potestatem non semper*, id est, quod causæ effectus accepti in potentia non semper simul sunt,& non sunt: *non enim simul corrumpuntur ædificium & ædificator*: patet enim quòd ædificium potest manere corrupto ædificatore, & è conuerso, sed impossibile est aliquid ædificari actu, nisi sit aliquis ædificans actu, & huiusmodi.

SVMMÆ VNICÆ CAP. III.

De Elemento.

SVMMARIVM.

Ponit in hoc capite vsque ibi, *transferentes*, descriptionem elementi, & diuersos modos eius,& iuxta quatuor particulas, quæ & conueniunt, secundùm quartum modum eius, Doctor contra D. Thomam ostendit esse materiam secundam, explicatur dicta descriptio tribus exemplis.

Elementum verò dicitur, ex quo componitur primò inexistente indiuisibili specie in aliam speciem. T. c. 4.

21 In ista parte, vt dicebatur, distinguit Philosophus hoc nomen elementum. Circa quod duo facit. Primò enim ponit diuersos modos elementi. Secundò exponit istorum modorum conuenientiam ostendens quid habeant commune. Secunda ibi: *Omnium autem commune*. Prima in duas secundùm duos modos elementi. Primus modus est proprius. Secundus modus est improprius, & transumptiuus. Secunda ibi: *Et transferentes*. Prima in duas, quia primò præmittit elementi propriè sumpti rationem quandam siue descriptionem. Secundò subiungit descriptionis declarationem. Secunda ibi: *Vt vocis elementa*. In descriptione autem elementi ponit quatuor particulas. Prima est, quòd *elementum est id ex quo componitur*, scilicet res, per quod apparet, quòd elementum pertinet ad causam materialem, & distinguitur à forma; *ex quo*, dicit habitudinem causæ materialis. Secunda est, *Primò*, nam elementum debet esse primum ex quo aliquid fit,& per hoc distinguitur elementum à materia proxima disposita; quæ non est prima in compositione; nec per consequens vltima in resolutione, & propter hoc corpus organicum non est propriè elementum hominis: nam etiam corpus est resolubile in aliquid prius

Elementum sumitur dupliciter.

Descriptio elementi propriè sumpti.

puta in primam materiam. Tertia particula est: *inexistente:* elementum enim est principium inexistens, & per hoc distinguitur à materia transeunte, vel à contrario, vel à priuatione: nam licèt ex contrario, vel priuatione dicatur res fieri; non tamen priuatio, vel contrarium inexistit rei, quæ fit, vt dictum fuit capitulo de causa. Elementum autem oportet manere. Quarta particula est: *indiuisibili specie in aliam speciem*, id est, quòd elementum debet esse vnius rationis indiuisibilis in partes alterius rationis, & per hoc distinguitur à toto heterogeneo. Ex istis colligitur, quòd ista ratio elementi propriè competit materiæ primæ, vt patet discurrendo per singulas particulas, vnde malè dicit quidam expositor, qui materiam primam dicit esse expertem ab hac ratione elementi, ex hoc, quod dicitur, quòd elementum est indiuisibile specie, & ideò, vt dicit, quia materia non est in specie, non est propriè elementum, sed hoc non valet, quia æquiuocat de specie: non enim loquitur hîc Philosphus de specie, quæ dicitur esse generis: sic enim materia non est in genere, vel in specie, nisi per reductionem, sed accipit speciem pro substantiali, & ratione formali, & hoc modo materia prima est indiuisibilis: quia eius substantia non est resolubilis in principia siue in partes alterius rationis. Vlterius patet: quòd hæc ratio elemēti non conuenit primò quatuor corporibus vocatis elementis; quia illa corpora puta ignis, aqua, terra, &c. vtique sunt resolubilia in materiam, & formam quæ sunt alterius rationis vt patet 1. phys. t.c.2. & alibi frequēter, & statim infrà dicetur ibi. *Similiter autem & corporum dicunt elementa*, scilicet antiqui; Philosophus nominat ea non eleméta simpliciter, sed vocata elementa: sic enim dicebantur ab antiquis qui ponebant illa quatuor cópora, vel omnia, vel quædam esse rerum principia prima, nec etiam vlterius resolubilia in alia priora. Deinde cùm dicit:

Impugnatur expositio S. Thom. hîc.

Præfata ratio elementi non cōuenit quatuor communibus elementis.

22

Et vocis elementa, ex quibus vox cōponitur, & in quæ diuiditur vltimò. Illa verò non adhuc in alias voces ab ipsis specie diuersas, sed & si diuidātur, particulæ sunt eiusdem speciei, vt aquæ particula aqua, sed non syllabæ.

Declarat dictam rationem, & specialiter quantùm ad vltimam particulam per exemplum, & diuiditur in tres partes, secundùm tria exempla, quæ adducit: Primum est in vocalibus, siue in sermocinalibus. Secundum est in naturalibus. Tertium est in scientialibus. Secunda ibi: *Similiter autem & corporum.* Tertia ibi: *Similiter autē æquè diagrāmatō.* Dicit ergo, primò, quia dictū est quòd elemētum est indiuisibile specie: patet, quia supple dicimus *vocis elementa ex quibus vox componitur*, scilicet primò, *& in qua diuiditur vltimò:* literæ enim dicuntur elementa vocis, quatenus ex literis primò voces componuntur, & in literas vltimò resoluuntur; quod enim est vltimum in resolutione, est primum in compositione, *sed illa*, scilicet elementa vocis non, supple *diuiduntur in alias species ab eis specie diuersas*, at pro sed, *sed si diuidantur*, scilicet ipsæ literæ, *particula sunt conformes*, id est, eiusdem rationis: *vt particula aquæ est aqua, non syllabæ:* nam pars syllabæ non est syllaba.

Al. & quæ sunt diagrāmatum.

Elementa vocis.

23

Sed hîc est vnum dubium: quomodo scilicet litera sit diuisibilis, vt Arist. innuit. Dicitur à quodā expositore, quòd litera in prolatione est diuisibilis secūdùm tēpora, quatenus litera longa habet duo tempora; breuis vnum, & hoc modo particulæ in quas litera diuideretur essent vnius rationis specificè. Sed contrà, tum quia secundùm Grammaticam, diuisio in tempora, siue habere duo tempora, vel vnum, non competit literæ, sed syllabæ: non enim dicitur vna litera longa, alia breuis inquantum litera est, sed si sic, hoc est, vt litera per se facit syllabam, & accentum: competit autem syllabę per se: tum quia esto, quòd ita esset, adhuc non esset ad mentem Philosophi, quia tempus cùm sit mensura extrinseca prolationis literæ, vel syllabæ, nec litera, nec syllaba potest diuidi in tempora, vt in particulas habentes rationem elementi, nam elementum est inexistens. Dicendum ergo aliter, quòd litera est simpliciter indiuisibilis in alias voces; nec habet quoad hoc rationem elementi. Sciendum tamen, quòd aliquando benè arguitur, & ostenditur veritas alicuius non solùm ex positione possibilis, sed etiam impossibilis. Exemplū, impossibile est hominem non esse risibilem: sed illo posito adhuc esset verum, quòd homo esset rationalis: quia homo non esset non risibilis per esse possibilis; sed magis fortè è conuerso: hunc modum loquendi seruat hîc Aristot. cùm dicit, quòd & si literæ diuidantur, supple ponendo impossibile: illæ particulæ literarum essent conformes vnius rationis specificè: quod non potest dici de syllaba: sicut patet. Deinde cùm dicit:

Arguit cōtra expositionem S. Thomæ.

Veritas probatur dupliciter.

Litera nō est diuisibilis.

Similiter autem & corporum dicunt elementa dicentes in quæ diuiduntur corpora vltima. Illa autem non adhuc in alia specie differentia corpora, & siue vnum siue plura talia hæc elementa dicuntur.

Ponit secundum exemplum in naturalibus dicens, quòd *similiter autem dicunt* scilicet antiqui, *illa elementa corporum in quæ diuiduntur corpora:* vt in *vltima: illa autem non adhuc*, scilicet diuiduntur *in alia corpora differentia specie*; sed supple in particulas consimiles: sicut quælibet pars ignis est ignis; *& siue talia elementa dicantur esse vnum siue multa* secundùm diuersas opiniones de principiis in primo libro tractatas. Deinde cùm dicit:

24

Similiter autem, & quæ diagrammaton dicuntur elementa, & omninò quæ demonstrationum: nam primæ demonstrationes, & in pluribus demōstrationibus existentes hæc elementa demonstrationum dicūtur, sunt autem tales syllogismi primi ex tribus per medium vnum.

Ponit tertium exemplum in scientialibus, dicens, quòd *similiter dicuntur elementa, & quæ diagrammatum*, id est, demonstrationum Geometricarum: *& omnino*, id est, vniuersaliter demonstrationes supple, *quæ sunt inexistentes in demonstrationibus dicuntur elementa, sunt autem tales syllogismi primi*, supple concludentes aliquid *ex tribus* terminis *per aliquod medium.*

Notandum, quòd (vt dicebatur in 3. lib.) demōstrationes Geometricæ, & vniuersaliter quæcū quæ demonstrationes non semper procedūt ex simpliciter immediatis, sed accipiunt quandoque præmissas, præsyllogizabiles, & illæ priores demō-

Nota de syllogismis primis, & nō primis, & demonstrationibus talibus.

ſtrationes dicuntur elementa poſteriorum: quatenus poſteriores ex illis prioribus virtualiter cōponuntur, & in eas vltimò reſoluuntur. Exemplum ſit prima demonſtratio iſta: *Omnis homo eſt riſibilis: Socrates eſt homo; ergo Socrates eſt riſibilis.* Iſta demonſtratio accipit maiorem mediatam poſſibilem demonſtrari per aliam priorem demonſtrationem, accipiendo pro medio definitionem ſic: *Omne animal rationale eſt riſibile: omnis homo eſt animal rationale; ergo omnis homo eſt riſibilis:* ſupple poſito quòd illa ſecunda demonſtratio procedat ex præmiſſis ſimpliciter immediatis: ipſa arguit ex tribus terminis per vnum medium: ſed prima demonſtratio procedit virtualiter ex quatuor terminis, quatenus accipit maiorem mediatam includentem quartum terminum, quod eſt medium: & ideò ſecunda demonſtratio eſt elementum primæ, quatenus prima in ſecundam reſoluitur vltimò: & iſta vlteriùs non eſt reſolubilis in aliam priorem, & ideò dicitur ſyllogiſmus primus. Similiter dicendum eſſet de minori propoſitione primæ demonſtrationis, dato quòd eſſet mediata; nā eſſet demōſtrabilis per aliam priorem, & tunc prima demonſtratio procedit virtualiter ex quinque terminis, & tunc idem, quòd priùs.

Primæ demonſtrationes immediatæ ſunt elemēta mediatarum, dicunturque ſyllogiſmi primi.

25

SVMMARIVM.

Explicat ſecundum modum improprium elementi, & iuxta eum duas concluſiones, quas clarè explicat Doctor, & quomodo elemētum dicitur indiuiſibile.

ET transferētes autem elementum vocant hinc quodcunque vnum ens, & paruum ad multa fuerit vtile, quapropter & paruum, & ſimplex, & indiuiſibile dicitur elementum.

Ponit ſecundum modum elementi, vt ſumitur à quibuſdam impropriè, ſiue tranſumptiuè. Circa quod duo facit. Primò enim ponit illum modum. Secundò iuxta iſtum modum ſic acceptum à quibuſdam, infert duas concluſiones ibi: *Vnde venit maximè.* Dicit ergo, quòd *hinc*, id eſt, ex præmiſſa ratione, ſiue deſcriptione elementi, quidam *transferentes vocant elementum*, ad ſignificandum ſupple *quodcunque vnum ens, & paruum quod ad multa fuerit vtile: quapropter* ſecundùm eos illud, quod eſt *paruum*, ſcilicet in quantitate, *& ſimplex*, non compoſitum ab aliis, *& indiuiſibile*, ſcilicet in alia diuerſa, *elementum dicitur.*

Tranſumptiua acceptio elementi.

Notandum, quòd ex eo, quòd elementum eſt indiuiſibile ſecundùm ſpeciem, modo præexpoſito, acceperunt aliqui, quòd elementum ſit vnum & paruum; ſed ex eo, quòd eſt primum, quòd ſit ſimplex, ex eo autem, quòd ex elementis alia fiunt, dixerunt elementum eſſe ad multa vtile. Deinde cùm dicit:

Quare dicitur elemetum eſſe vtile?

Vnde venit maximè vniuerſalia elementa eſſe, quia vnumquodque eorum vnum ens, & ſimplex in multis ineſt, aut omnibus, aut quāplurimis. Et vnum, & punctum principium quibuſdam videntur eſſe.

Iuxta modum elementi ſic acceptum, infert duas concluſiones, quarum ſecunda ponitur ibi: *Quoniam ergo vocata.* Dicit ergo, quòd ſupple, ex eo, quòd aliqui ſic tranſumptiuè accipiunt elemētum: *venit hoc*, quod ſupple habēt dicere, *maximè vniuerſalia eſſe elementa, quia vnumquodque eorum eſt vnum ens, & ſimplex.* Vniuerſale enim dicitur vnum ſecundùm rationem: dicitur ſimplex ratione abſtractionis: quia quantò abſtractiùs tantò ſimplicius: *ineſt etiam multis, & hoc ſiue omnibus*, ſicut ſunt vnum & ens: *aut quamplurimis*, ſicut ſunt alia vniuerſalia: & propter hoc vniuerſale poteſt dici eſſe vtile ad multa. Subdit autem, quòd ſupple per eandem rationem *vnum & punctum videntur quibuſdam eſſe principia*, ſiue elementa: quia ſcilicet vtrumque iſtorum eſt vnum & ſimplex, & vtile ad multa.

Qua ratione vniuerſalia dicitur elementa.

26

Notandum, quòd nec vniuerſalia, nec vnum, nec punctus, propriè participant rationem elementi: vniuerſalia quidem, quia non habent rationem materiæ, ex quibus particularia componuntur, realiter loquendo, ſed magis prædicant eorum quiditatem; punctus verò non eſt materia linearum: quia linea non componitur ex punctis. Vnitas videtur fortè poſſe dici elementum numeri, nam vnitati reſpectu numeri competunt omnes particulæ poſitæ in deſcriptione elementi. Deinde cùm dicit:

Nec vniuerſalia, nec vnum, aut punctus participāt rationem elementi propriè.

Quoniam ergo vocata genera vniuerſalia, & indiuiſibilia (vna enim eſt ipſorum ratio) elementa genera dicunt aliqui, & magis quàm differentiam. Quoniam vniuerſale magis genus: nam cui differentia ineſt & genus ſequitur; ſed cui genus, non omnino differentia.

Infert ſecundam cōcluſionem, dicēs, quòd quoniam ipſa vniuerſalia, quæ dicuntur genera: ſunt ſupple magis vniuerſalia, & indiuiſibilia, quàm ſpecies: *nam ipſorum*, ſcilicet generum, *eſt vna ratio*, & ſimplex: quare, inquam, ſic *aliqui dicunt genera eſſe elementa, & magis quàm differētiam*, quæ ſcilicet conſtituit ſpeciem: *quoniam genus eſt magis vniuerſale, nam cui differentia ineſt, ſequitur, quòd & genus*, quia de quocunque prædicatur differentia, prædicatur & genus: ſed non conuertitur: ideò ſubdit; *Sed cui genus non omnino differentia.*

Notandum, quòd genus dicitur eſſe indiuiſibile, & habere vnam rationem, quatenus genus, quod nullo modo eſt ſpecies, non poteſt habere rationem, vel definitionem, quæ ex genere, vel differentia componatur; vnde definitio non eſt niſi ſpeciei. Vnde & ſi aliquod genus, puta ſubalternū dicatur definiri, hoc eſt, vt habet rationem ſpeciei: & ideò ſpecies eſt propriè diuiſibilis: & propter hoc dixerunt iſti genera eſſe magis elemēta quàm ſpecies, & etiam quàm differentia; licèt differentia ſit æquè ſimplex, & fortè ſimplicior quàm genus, de quo aliàs. Ex his omnibus poteſt patere ſolutio cuiuſdam quæſtionis, quæ fuit in tertio libro t.c.2. & inde, diſputata, vtrùm ſcilicet genera ſint magis elementa? Deinde cùm dicit:

Quomodo vniuerſalius eſt ſimplicius, & magis elementum?

Omnium autem commune eſt elementum eſſe cuiuslibet, quod primò ineſt cuique.

Oſtendit quid habent commune omnes dicti modi elementi, dicens quòd *omnium*, ſcilicet dictorum modorum, *eſt* hoc *commune* quòd *elementum etiam cuiuſlibet, dicitur eſſe id quod ineſt primo cuicunque*, modo præexpoſito, &c.

SVM

SVMMÆ VNICÆ CAP. IV.

De Natura.

SVMMARIVM.

In hoc capite vsque ibi. *Násci verò*. ponitur triplex acceptio naturæ. Tertia coincidit cum diffinitione eius. 2. Phys. in 3. est principium motus, & quietis, vbi benè notat Doctor sumi principium passiuè, non actiuè, de quo agit q. 1. prol. & 2. d. 18. & 4. d. 43. q. 4.

27 T. c. 5.

Natura verò dicitur vno quidem modo nascentium generatio.

In ista parte, vt dicebatur, distinguit Philosophus hoc nomen *natura*, quæ etiam habet rationem prinipij, vt dicetur. Circa quod duo facit: quia primò præmittit diuersos modos naturæ. Secundò reducit eos ad vnum principalem cui attribuũtur. Secunda ibi: *Ex dictis igitur*. Prima in duas, quia primò facit, quod dictum est. Secundò exponit, & declarat magis quosdam illorum modorum. Secunda ibi: *Natura autem materia prima*. Prima in duas, quia primò præmittit quinque modos accipiendi naturam. Secundò concludit ex his, quid sit habens naturam: Secunda ibi: *Natura quidem igitur*. Prima in quinque secundùm quinque modos naturæ. Secunda ibi: *Vno verò*. Tertia ibi: *Amplius vnde motus*. Quarta ibi: *Amplius autem natura*. Quinta ibi: *Amplius autẽ alio modo*. Dicit ergo, quòd *natura dicitur vno modo generatio nascentium*, id est, natiuitas viuentium: nasci enim propriè est viuentium, quæ dicitur natura: generatio autem non viuentium non dicitur propriè natura, quod ipsum nomen sonare videtur, vt si quis extendens ly *y* dicat *physim*.

Natura sumitur 5. modis.

Nasci est viuẽtium duntaxat.

Notandum quòd *physis* significat naturam apud Græcos, & quando accipitur pro generatione viuentium habet primum *y* productum. Si verò pro principio accipiatur, sicut communiter vtimur isto nomine, habet primum *y* breue. Deinde cùm dicit:

Physis Græcè, natura Latinè.

Vno verò ex quo generatur primo, quod nascitur inexistente.

Ponit secundum modum dicens, quòd *vno verò*, id est, alio modo dicitur natura *id ex quo vt inexistente generatur primum quod nascitur.*

Notandum, quòd iste secundus modus non videtur distingui à quarto: quia hîc & ibi capitur pro materia vt patebit: sed tamen potest dici, quòd ille & iste modus distinguuntur sicut speciale, & commune: nam secundus modus accipit naturam pro principio intrinseco, ex quo quod est in rebus nascentibus, qualia sunt sola viuentia, vt dictum est; sed quartus modus accipit illud principium generaliter in omnibus quomodolibet generatis, vt patebit. Deinde cùm dicit:

2. Acceptio naturæ.

28

Amplius vnde motus primus in quolibet natura entium in ipso inquantum ipsum existit.

3. Acceptio naturæ.

Ponit tertium modum. Circa quod duo facit. Primò ponit illum modum. Secundò quia suprà mentionem fecerat de nasci; exponit quid sit propriè nasci. Secunda ibi: *Nasci verò*. Iste autem tertius modus est idem cum natura definita 2. Phys. t. c. 3. per hoc quod est principiũ motus, & quietis, &c. & hoc est quod dicit, quòd *amplius* supple dicitur natura entium illud: *vnde est primus motus in quolibet, & existit in ipso inquantum ipsum est*, dicit autem in ipso inquantũ ipsum est: quia natura, quæ est principium motus, & quietis inexistit mobili per se, & non secundùm accidens, vt habetur diffusiùs 2. Phys. t. c. 3. & inde, vnde licèt in medico qui egrotat insit principium sanitatis, puta ars medicinæ: non tamen inest sibi per se inquantum infirmus est: quia aliàs omnis infirmus haberet tale principium; sed inest sibi inquantum medicus: sanatur autem non inquãtum medicus, sed inquantum ægrotus; & ideò principium sanationis in medico non est principium motus sanationis per se, sed per accidens, & per consequens tale principium non est in eo, natura sic accepta.

Sed aduertendum quòd hoc principium motus quod dicitur *natura*, à quo dicitur motus naturalis distinctus contra violentum, accipitur non pro principio actiuo, vt quidam dicunt: sed pro principio passiuo: quod probatur primò sic: quia naturalis mutatio est secũdùm quam passum mutatur, sicut aptum natum mutari est à quocunque agẽte. Vnde 8. Phys. Philosophus assignans causam quare elementa naturaliter mouentur ad sua loca, puta leuia sursum, & grauia deorsum; dicit quòd causa huius est, quia sic apta nata sunt moueri, sed nunquam passum est sic aptum natum, propter principium actiuum inexistens sibi, sed propter principium passiuum, quo sic naturaliter inclinatur; ergo ista naturalitas est ex parte principij passiui naturaliter inclinati. Præterea secundò natura, vt est principium motus & mutationis naturalis, est principium intrinsecum: quia est principium motus & quietis eius in quo inest: sed natura respectu principij passiui est principium intrinsecum, & non ratione principij actiui; ergo ista naturalitas accipienda est ex parte principij passiui, & non actiui. Minor probatur ex secundo Physic. t. c. 3. & inde, vbi dicitur quòd accidit infirmo, qui mutatur ad sanitatem quòd sit medicus, vel habeat artem, quæ est principium actiuum sanitatis: quia tunc sanaretur inquantum medicus, quod est falsum: accidit enim infirmo qui sanatur esse medicum. Præterea tertiò hoc idem patet ex definitione naturæ: quia *natura est principium motus & quietis eius in quo inest primò & per se*, ex secundo Physic. t. c. 3. sed impossibile est quòd principium actiuum motus sit in moto primò & per se: quia quod mouens & motum concurrant in eodem accidit; quod patet, quia possunt separari; ergo natura sic accepta non dicitur de principio actiuo; ergo de passiuo. Deinde cùm dicit:

In definitione naturæ hîc, & 2. Physic. sumitur principium passiuè.

Vide q. 1. prolo. & d. 18. 2. & d. 43. 4. q. 4.

29

Natura vt est principiũ motus naturalis est intrinsecum.

SVMMARIVM.

Explicatur quid sit nasci, & tres conditiones nascentium; Item aliæ duæ naturæ acceptiones, vna qua sumitur pro materia; ália pro forma.

Nasci verò dicuntur quæcunque augmentum habent per alterum in tangendo: connasci autem & adnasci vt embryo. Differunt autem

connascentia à tactu: hic enim nihil prater tactum alterum necesse est esse. Insimul autem natis est aliquid vnum idem in ambobus, quod facit per tangi, simul nasci & vnum esse secundùm continuum & quantum, sed non secundùm quale.

Conditiones nascentium tres.

1. Quod nascentia habedt augmentum.

Exponit quid sit propriè nasci, de quo fecerat mentionem: & ponit tres conditiones. Prima est quòd *nasci dicuntur propriè quacunque habent augmentum:* differt enim generatio viuentium à generatione non viuentium: quia non viuens, non augmentatur, nec coniunctum vnitur generanti sed diuisum, vt cùm ignis generatur ab igne: generatio autem viuentium, quæ propriè dicuntur nasci, vt dictum est, fit per quandam vnionem ad principium generationis, sicut cùm in arbore nascitur fructus, vel ramusculus; & quia additio quanti ad quantum facit augmentum; ideò in generatione viuentium videtur esse augmentum quoddam. Secunda conditio est, quòd illa dicuntur nasci, quæ habent dictum augmentum per alterum, id est, per appositionem alicuius alterius diuersi, & per hoc distinguitur istud augmentum ab augmento propriè sumpto, quod est distincta species motus: nam in augmento dicto propriè augetur aliquid in seipso, per hoc quòd illud quod additur transit in substantiam eius quod augetur, sicut alimentum transit in substantiam aliti & nutriti: sed illud quod nascitur, non transit in substantiam illius à quo nascitur: sed magis ei apponitur tanquam alterum & diuersum, vt patet in exemplo dicto. Tertia conditio est, quòd tale augmentum fit in tangendo & in *connasci & annasci, vt embryo.* Omne enim faciens augmentum potest fieri dupliciter: vel per solum contactum, vel per solam connascentiam, & coaptationem vnius alteri in extremis. Exemplum primi: paries additus parieti. Exemplum secundi, capilli nati ex capite: in generatione autem viuentium vtraque fit appositio, vt patet in embryonibus, qui non solùm tangunt matricem, sed etiam alligantur & connascuntur: *differt autem* illa *connascentia à tactu; hîc enim* scilicet in tactu *nihil alterum est necesse esse præter tactum,* id est, nihil est necessarium præter tangentia quod faciat ipsa esse vnum; sed *in simul natis,* connatis, vel annatis *est aliquid idem vnum in ambobus quod facit pro tangi,* id est, loco tactus *simul ea nasci,* id est, coniuncta & ligata, *& vnum esse secundùm continuum & quantum: sed non secundùm quale,* quod dicit propter hoc: quia illud vnum, quod est ligamentum adnatorum: non oportet quòd alteret ligata à suis dispositionibus; & ideò licèt faciat ipsa esse vnum secundùm continuitatem quandam quantitatis; non tamen oportet quòd faciat ea vnum secundùm qualitatem. Deinde cùm dicit:

2. Quod illud augmentum habeant per alterum.

3 Quod tale augmentum fiat per tactū & connascentiam.

Differunt tactus, & connascentia.

Al pro tactu.

31

Amplius natura dicitur ex quo primo aut est, aut fit aliquid entium natura, inordinato existente & immutabili à sua propria potestate, vt statua, & vasorum æreorum æs natura dicitur, & ligneorum lignum: similiter autem & in aliis. Ex his enim est vnumquodque saluata prima materia: hoc enim modo & existentium natura elementa dicunt esse naturam: alij ignem, alij terram, alij aquam, alij aërem, alij aliquid aliud tale, dicentes alij quadam horum, alij verò hac omnia.

4. Acceptio natura.

Ponit quartum modum dicens, quòd *amplius* id est, alio modo *dicitur natura id ex quo primò, aut est, aut fit aliquid entium,* & hæc est prima materia, quæ est principium rei, & quantum ad esse, & quantum ad fieri *existente* natura *inordinato, & immutabili à sua propria potestate,* id est, quòd ipsa materia existit in natura de se inordinatum quoddam, pro quanto caret de se omni forma; ipsa tamen est immutabilis in sua potestate: quia ipsa non potest seipsam transmutare ad formam, sed habet transmutari ab exteriori agente, *vt æs dicitur natura statuæ, & vasorum æreorum, & lignum ligneorum: similiter autem & in aliis.* Exemplificat autem in artificialibus dans intelligere naturalia: mos enim est philosophi adducere notiora ad notificandum minus nota: materia ergo ex qua primò res fit, dicitur natura rei isto modo. Ideò subdit: *ex his enim,* scilicet ære & ligno, quæ sunt materia est *vnumquodque saluata prima materia; hoc enim modo natura existentium dicunt* supple antiqui *elementa esse natura, alij ignem, alij aquam, alij terram, alij aërem, alij aliquod alud tale dicentes,* putà aliquod medium inter ignem & aërem, vel inter aerem & aquam: *alij quadam horum* non omnia: *alij omnia* supple dicunt. hæc esse elementa & materiam rerum secundùm diuersas opiniones de principiis rerum positas in primo libro.

Quod materia est natura ostendit.

Modus docendi Arist.

Notandùm, quòd vt tactum fuit in primo libro antiqui nihil vel parum tetigerunt de forma substantiali, sed totam substantiam rerum putauerunt esse materiam semper manentem & saluatam: formas autem esse quædam accidentia: ac si naturalia essent quædam artificialia, quorum formæ accidentia sunt vt dicitur 8. huius, text. co. 5. & inde. & ideò secundùm diuersas opiniones, sicut diuersi diuersimodè opinati sunt de principio materiali, sic & de natura rerum: quam ponebant solam esse materiam: alij ignem, alij aërem, &c. Terram enim nullus Philosophorum posuit esse principium seorsùm, sed cum aliis, vt Empedocles, qui posuit principia rerum quatuor elementa. Deinde cùm dicit:

Imaginatio antiquorum de substantia rerum, quam posuerunt solā materiam.

12

Amplius autem alio modo dicitur natura existentium natura substantia, vt dicentes naturam primam compositionem esse, vt Empedocles dicit quòd natura nullius est existentium, sed solùm mixtio, & permutatio permixtorum est. Natura verò in hominibus nominatur: quapropter & quacunque natura sunt, aut fiunt iam existente ex quo nata sunt fieri, aut esse, non dicimus naturam habere si non habent speciem & formam.

Forma est natura.

5. Acceptio natura.

Ponit quintum modum dicens, quòd *alio modo dicitur natura existentium natura substantia,* id est, forma *vt dicentes naturam primam esse compositionem* ipsorum, scilicet mixtorum, *vt Empedocles dicit quòd nullo existentium natura* supple *est* aliquid appositum, *sed solùm mixtio, & permixtio mixtorum: natura verò in hominibus nominatur* hoc modo, vt homines, qui sunt diuersę permixtionis, dicant habere diuersam naturam: subdit autem rationem quâ vsi sunt ad probandum formam esse naturam rei, dicit *quapropter quacunque*

natura

natura sunt, *aut fiunt*, non dicimus habere naturam, *iam existente*, supple principio materiali, *ex quo nata sunt fieri, aut esse si non habent speciem & formam*, id est, quòd nulla res dicitur habere naturam ex hoc solo quòd habet materiam ex qua fit; nisi etiam habeat speciem & formam, quod est idem: vnaquæque enim res dicitur habere propriam naturam & speciem principaliter per suam formam. Deinde cùm dicit:

Forma est magis natura materia.

Natura quidem igitur quod ex his vtrisque est, vt animalia & eorum partes.

Concludit ex prædictis quid sit habens naturam: nam si natura dicitur de materia & forma, sequitur quòd illud quod est ex his vtrisque, est quidem natura, id est, ens naturale, & habens naturam, vt animalia, & eorum partes, puta ossa & carnes, & huiusmodi. Deinde cùm dicit:

Habens naturam quid?

33

Natura autem materia prima, & hac dupliciter; aut quæ ad ipsum prima, aut omnino prima, vt operum æreorum, ad ipsum quidem primum æs; totaliter verò forsan aqua si omnia liquabilia aqua.

Exponit & declarat quosdam modos prædictorum, scilicet quartum & quintum; primò quartum, & secundò quintum ibi: *Species autem & substantia.* Dixerat enim de quarto modo, quòd natura dicitur id, ex quo primo aliquid fit: hæc est materia, nunc exponit ly *primò*: nam prima materia, quæ dicitur natura, potest dupliciter accipi: materia prima: quia vel prima simpliciter, vel prima ad aliquid: quia scilicet immediata & proxima huic. Dicit ergo quòd *prima materia dicitur natura dupliciter*, id est, quod prima potest dici dupliciter, *aut quod ad ipsum prima*, id est, respectu alicuius, *aut omnino* vel ex toto *prima*, id est, simpliciter prima, *vt operum æreorum ad ipsum quidem primum æs*, id est, quòd respectu artificialium, quæ fiunt ex ære, prima materia est æs, id est, materia proxima & immediata: *totaliter autem*, id est, vniuersaliter *forsan aqua, si omnia liquabilia aqua*, vult dicere quòd respectu eorum quæ fiunt ex ære, prima materia, scilicet non simpliciter, sed secundùm quid, puta materia immediata & proxima est æs: materia autem prima simpliciter est aqua: quia in aquam omnia liquabilia resoluuntur: nam vt habetur quarto Meteororum, text. com. 28. & inde. omnia illa quæ liquescunt calido, & indurantur frigido, sunt aqua magis. Vnde omnium metallorum aqua videtur esse primum principium materiale. Deinde cùm dicit:

Aliter exponunt alij hūc locum.

Materia prima duplex.

Aqua est principium omnium metallorū materiale.

SVMMARIVM.

Declaratur fusiùs natura sumpta pro forma. Doctor reiicit expositionem D. Thomæ de forma totius. Reducuntur cæteri modi naturæ ad hunc; quia forma est maximè natura.

ET species, & substantia, hæc autem est finis generationis. Metaphora verò iam & omnis omnino substantia natura dicitur propter hanc; quia & natura substantia quadam est.

Exponit quintum modum: dixerat enim quòd forma est natura: hîc dicit quædam de forma, scilicet quòd ipsa est species, & substantia rei, & finis, id est, terminus formalis generationis: quia illa forma est substantia rei; ideò secundùm quandam metaphoram extensam, omnis substātia est natura. Dicit ergo quòd supple forma quæ dicitur natura quinto modo est *species & substātia; hæc autem est finis generationis, metaphora verò iam & omnino*, id est, vniuersaliter *omnis substantia dicitur natura propter hanc*, id est, propter formam quæ natura, id est, *forma, substantia quadam est.*

Al. & nomi... x... ...nem.

Notandum, quòd, vt habet declarari in 7. huius, text. com. 27. & 31. terminus generationis duplex est: quidam formalis *quo*: quidam principalis & primus *quod*. Primus est forma, secundus autem compositum: nam compositum per se generatur, vt ibidem dicitur; forma autem per accidens.

34 *Terminus generationis duplex vt quo, & quod.*

Notandum etiam, quòd hanc literam exponit quidam de forma totius, quæ est ipsa totalis quiditas & substantia rei: sed hoc non videtur benè dictum; quia forma, de qua loquitur hîc Philosophus, est terminus generationis, vt patet ex littera: quiditas autem vt quiditas est, abstrahit ab omni generatione: nam equinitas est tantùm equinitas secundùm Auicennam, quinto Metaphysicæ suæ cap. 1. Deinde cùm dicit:

Arguit cōtra D. Th. formā de qua hic loquitur Arist. non esse quiditatē rei.

Ex dictis igitur prima natura, & propriè dicta est substantia quæ principium motus habentium in se in quantum ipsa. Materia namque quia huius est susceptiua esse dicitur natura, & generatoinis; & generari: quia sunt ab hac motus & principium motus natura existentium, hæc est inexistens, aut potestate, aut actu.

Reducit omnes modos naturæ ad vnum principalem, intendens quòd omnes modi naturæ reducantur ad naturam, quæ est forma: forma enim est magis natura, vt patet 2. Physic. materia enim dicitur natura, quia susceptiua formæ: natiuitas verò & vniuersaliter omnes generationes dicuntur natura: quia sunt ad formam vt ad terminum, vel vt sunt à forma vt à principio formali quo; quia omne agens agit propter formam: ipsa autem forma est principium motus in rebus, vel in potentia, vel in actu, non enim mouens semper mouetur actu. Dicit ergo quòd *ex dictis* igitur patet, quòd *prima natura, & propriè dicta*, id est, principaliter, *est substantia*, id est, forma rei, *quæ est principium motus rerum habentium in se inquantum ipsa*, id est, quòd ipsa forma est per se principiū motus eorū, quæ in se habent principiū motus eorū, cuiusmodi sunt omnia naturalia; vnde ad formā omnes modi naturę reducūtur; ideo subdit: *materia namque dicitur esse natura, quia est susceptiua huius*, scilicet formæ, *& generationis & generari*, similiter *quia sunt motus ab hac*, id est, à forma, vt à principio, quo

Tex. co. 12. & inde.

Omnes naturæ reducūtur ad formam.

& natura est principium motus existentium, id est, rerum existentium secundùm naturam *hoc est inexistens, aut potestate, aut actu*: forma enim non semper facit motum in actu: quia potest impediri vel propter extrinsecum prohibens vel propter indispositionem materiæ, vel quouis alio modo.

Notandum, quod cum forma dicitur hîc principium motus, vel potest referri ad principium actiuum vt expositum est, vel ad principium passiuum à quo motus sortitur naturalitatem, vt dictum est:nam forma quandoque,vt patet,est principium passiuum, sicut patet in omnibus subiectis respectu propriarum passionum: nam esse risibile competit homini ratione propriæ formæ, & descendere deorsum competit graui propter formam propriam, & ideo quod hîc dicitur non repugnat illi quod prædictum est, scilicet quòd natura à qua dicitur motus naturaliter dicitur principium passiuum.

Quod forma potest dici principium passiuum motus & status.

SVMMÆ VNICÆ

Cap. V.

De necessario.

SVMMARIVM.

In toto hoc capite ostenditur *necessarium* sumi quatuor modis, quo clarissimè explicat Doctor, & reliquos tres reducit ad quartum, reiiciens D. Thomæ expositionem.

Tex. c. 6.

Necessarium dicitur, sine quo non contingit esse aut viuere, quasi concausali, vt respirare, & cibus animali necessarium: nam sine his esse est impossibile.

35

Postquam Philosophus distinxit intentiones siue significata nominum quæ significant causas & principia, nunc distinguit hoc nomen *necessarium* significans quoddam consequens causas & principia, quatenus causa necessariò influit ad esse causati. Circa quod tria facit. Primò enim præmittit modorum necessarij distinctionem. Secundò subiungit illorum modorum reductionem. Tertiò concludit ex dictis multiplicem conclusionem. Secunda ibi: *Et secundum hoc necessarium.* Tertia ibi: *Hoc quidem itaque.* Prima in quatuor secundùm quòd ponit quatuor modos necessarij. Secunda ibi: *Et sine quibus.* Tertia ibi: *Amplius vim faciens.* Quarta ibi: *Amplius non contingit.* Dicit ergo, quòd *necessarium dicitur,* vno modo illud *sine quo non contingit*; scilicet aliquid *viuere aut esse quasi concausali*; id est, quòd licet non sit causa rei principalis, est tamen quædam concausa: *vt respirare, & cibus est necessarium animali: nam sine his impossibile est esse* ipsum animal; respirare enim & cibus licèt non sint causæ principales vitæ, sunt tamen quædam concausæ, quatenus sine respiratione, quæ est ad contemperamentum caloris naturalis,& sine cibo per quem restauratur aliquid deperditum, & impeditur totalis consumptio humidi radicalis, animal viuere non potest. Deinde cùm dicit:

1. acceptio necessarij.

Vide 39. d. 1. soluendo argumenta 4. q.

Et sine quibus homini bonum non contingit, aut esse, aut fieri; aut aliquod malum expellere, aut priuari; veluti bibere pharmacum necessarium vt nõ laboret, & ad Æginam nauigare vt pecuniam recipiat.

Ponit secundum modum dicens, quòd supple necessaria dicuntur illa, *sine quibus non contingit aut esse, aut fieri aliquod bonum, aut expellere, aut priuari aliquod malum, vt bibere pharmacum*, id est, medicinam laxatiuam, est *necessarium vt non laboret*, id est, vt non febricitet aliquis: est enim hoc necessarium, non quia sine hoc non possit animal viuere: sed quia sine hoc non posset bene viuere: quia hoc confert ad expellendum vel vitandum malum, puta ægritudinem, *& nauigare ad Æginam*, supple hoc est necessarium, *vt pecuniam recipiat*, id est, quod nauigare ad illum locum qui dicitur Ægina est necessarium: non quia sine hoc non possit esse homo, sed quia sine hoc non posset aliquod bonum adipisci, puta pecuniam, quæ forsan sibi in tali loco daretur; & ideò talis nauigatio est sibi necessaria vt pecuniam recipiat. Deinde cùm dicit:

2. acceptio necessarij.

Necessarium illud quod confert ad melius esse.

Amplius vim faciens & vis: hoc autem est quod præter impetum & præuoluntatem impediens & prohibens, violentum enim necessarium dicitur.

Ponit tertium modum. Circa quod duo facit; quia primò ponit illum modum. Secundò ex illo infert duplex corollarium. Secunda ibi: *Quapropter & triste.* Dicit ergo, quòd *amplius*, id est, alio modo dicitur necessarium, *vis*, id est, violentia, *& vim faciens*, id est, violentiam faciens; vnde violentia dicitur quædam necessitas: *hoc autem*, scilicet violentia, *est aliquid impediens & prohibens præter impetum & præuoluntatem*, id est, contra appetitum naturalem & rationalem, *violentum enim necessarium dicitur.*

3. acceptio necessarij: qua violentum necessarium dicitur.

Notandum, quòd vt declaratum fuit in primo libro quidam est appetitus naturalis, quidam rationalis: primus appetitus potest dici quidam impetus quatenus non est liber; vnde quod mouetur secundùm talem appetitum mouetur quadam necessitate & impetu naturæ, vt grauia mouentur deorsum propter appetitum centri: secundus appetitus potest dici præuoluntas vel propositum: quia est ipsa voluntas quæ est appetitus rationalis: illud ergo quod prohibet vel impedit illa quæ sunt supple secundùm appetitum naturalem vel rationalem, est violentum & dicitur necessarium isto modo. Deinde cùm dicit:

37

Appetitus duplex naturalis & rationalis.

Idem 3. Ethic. cap. 1.

Quapropter & triste sicut Zenonus ait: omnis enim res necessaria tristis est, & vis necessitas quadam est, vt Sophocles dicit: sed vis me hoc facere coëgit.

Infert duplex corollarium ex dictis. Secundum ponitur ibi: *Et videtur necessitas.* Dicit ergo, quòd *quapropter*: quia supple necessarium dicitur isto modo; ideo omne violentum *est triste*, & flebile, *sicut ait Eneus*, quidam Philosophus, vel poëta sic dictus cuius verba subdit: *omnis enim res necessaria tristis est, & vis*, id est, violentia, *est quadam necessitas, vt Sophocles dicit*, quidam poëta sic

Al. Zenonus.

sic dictus; cuius verba subdit: *sed vis*, id est, necessitas, *vel violentia me hoc facere coëgit.*

Quomodo violentum contristat? Aug. 14. c. 15.

Notandum, quòd vt prædictum est, violentia dicit impedire voluntatem: illa verò quæ sunt contraria voluntati contristant: nam tristitia est de his quæ accidunt nobis nolentibus; & ideò omne necessarium isto modo quod est violentum est contristatiuum. Deinde cùm dicit:

Et videtur necessitas non aliquid increpabile esse rectè: contrarium enim motui secundùm præuoluntatem & secundùm cogitationem.

38

Infert secundum corollarium, dicens, quòd *necessitas*, isto modo dicta, *videtur esse aliquid non increpabile rectè: quia est contrarium motui secundùm præuoluntatem, & secundùm excogitationem.*

2. Ethic. c. 5. 2. de lib. art. & alibi. Necessitas non est increpabilis.

Notandum, quòd non rectè culpamur, nisi de his, quæ voluntariè facimus. Vnde Augustinus dicit, quòd peccatum adeò est peccatum, quia voluntarium, quòd si non esset voluntarium iam non esset peccatum, & ideò dicitur communiter, quòd necessitas magis meretur veniam, quàm increpationem: quia igitur necessitas violentiæ est contraria præuoluntati & excogitationi, vt prædictum est; ideò rectè dicitur quòd talis necessitas, siue violentia, non est increpabilis, siue reprehensibilis. Deinde cùm dicit:

Ampliùs quod non contingit aliter se habere necessarium dicimus sic se habere.

4. acceptio necessarij. D. Thomas sic declarat, cui concordat Alexander.

Ponit quartum modum, dicens, quòd *ampliùs*, id est, alio modo dicitur necessarium, *quod non contingit aliter se habere: tale* dicimus *necessarium sic se habere.*

Notandum, quòd ille quartus modus distinguitur à tribus primis: quia quartus modus est simpliciter, alij verò secundùm quid, quod sic ostendit quidam expositor: dicit enim quòd necessitas absoluta competit rei secundùm illud quod est intimum, siue illud sit forma, siue materia, siue ipsa rei essentia: sicut dicimus animal necesse esse corruptibile, quia hoc sequitur eius materiam, inquantùm est compositum ex contrariis. Iterum dicimus quòd animal necessariò est sensibile: quia hoc sequitur eius formam. Iterum dicimus animal necessariò esse substantiam animatam sensibilem: quia hoc est eius essentia. Sed necessarium secundùm quid non absolutè, est illud cuius necessitas dependet ex causa extrinseca: puta ex fine, vel ex efficiente: finis autem vel est ipsum esse absolutum, vel est aliquod bonum habere. A primo fine sumitur necessitas primi modi, à secundo verò fine accipitur necessitas secundi modi; sed necessitas quæ est ab efficiente, pertinet ad tertium modum: nam violentia est, quando aliquid mouetur ab exteriori agente ad id ad quòd ex propria natura non potest habere aptitudinem. Sed illa expositio videtur deficere: nam primus modus sumitur per comparationem ad viuere: viuere autem, etsi habet forsan rationem finis, nō tamen finis extrinseci, vt iste imaginatur, sed intrinseci: quia viuere viuentibus est esse: 2. de An. t. c. 37. Nisi dicas quòd accipitur viuere nō pro primo, sed pro secundo actu, qui est ipse motus vitæ: sed hoc non dicitur ad rē: quia etiam respirare, & alimentum sumere quod est necessarium secundo modo, isto modo est necessarium. Accipit ergo pro viuere quod est primus actus; non pro viuere quod est secundus actus: nisi consequenter & quasi per accidens. Aliter ergo dicendum, quòd quartus modus est absolutus; alij verò duo primi modi ad aliquod bonum intrinsecum, vel extrinsecum acquirendum, vel malum possibile euitandum. Tertius per comparationem ad agens extrinsecum violentum. Sed quartus modus accipitur absolutè, & in se, sicut patet. Deinde cùm dicit:

Impugnat dictum D. Th.

39

Quomodo quarta acceptio distinguitur à tribus primis.

Et secundùm hoc necessarium, & alia dicuntur aliqualiter omnia necessaria: violentum enim necessarium dicitur aut facere, aut pati tunc, quando non contingit secundùm impetum propter cogens, vt hanc necessitatem existentem, propter quam non contingit aliter: & in concausalibus viuendi, & boni similiter. Nam cùm non contingit, hîc quidem bonum: illic verò viuere & esse sine aliquibus: necessaria hæc, & causa necessitatis quædam est hæc.

Reducit omnes modos necessarij ad quartum modum, sicut omne comparatum reducitur ad aliquod absolutum. Circa quod duo facit. Primò enim reducit omnes modos repertos in rebus. Secundò modos repertos in actibus intellectus, scilicet in demonstratiuis. Secunda ibi: *Ampliùs demonstratio.* Dicit ergo, quòd *secundùm hoc necessarium* dictum, scilicet quarto modo *dicuntur aliqualiter necessaria omnia alia: violentum enim dicitur necessarium aut facere, aut pati tunc quando non contingit*, supple, *secundùm impedimentum* aliter agere, *propter cogens*, id est, propter violentiam agentis, vt supple talis, necessarium habeat, *necessitate existente, propter quam non contingit aliter* se habere: & iste fuit tertius modus. Consequenter ostendit idem de primo & secundo, dicens, quòd *& in concausalibus viuendi*, quantùm ad primum modum, *& similiter* in causis *boni*, quantùm ad secundum: *nam hæc dicuntur necessaria, cùm non contingit hîc quidem bonum:* quantùm ad secundum modum: *illic verò viuere & esse sine aliquibus*, quantùm ad primum modum: *causa* enim hæc sine qua supple non contingit esse, vel viuere, vel bonum habere, & malum vitare, *est quædam necessitas*, vt ex hoc sit prima ratio necessarij: quia impossibile est aliter se habere. Deinde cùm dicit:

Omnes modos necessarij reducit ad quartum modũ & primo repertos modos in rebus.

40

Ampliùs demonstratio necessariorum est, quia non contingit aliter se habere, si demonstratum est simpliciter: huius autem causa est, quæ prima sunt, si impossibile aliter se habere ex quibus est syllogismus.

Reducit ad quartum modum modos repertos in demonstratiuis.

Reducit ad quartum modum modos necessitatis, repertos in demonstratiuis, in quibus inuenitur necessitas, quantùm ad principia, & quantùm ad conclusiones. Dicit ergo, quòd *ampliùs* supple *demonstratio est necessariorum*, quantùm ad conclusiones: *quia non contingit aliter se habere, si demonstratum est simpliciter*: quod dicit ad differentiam demonstrationis, quæ est ad hominem non simpliciter, in qua demonstratione non semper concluditur necessarium: *huius autem* scilicet conclusionis demonstratæ *causa est quæ sunt principia si impossibile est aliter se habere* principia, *ex quibus est syllogismus*, scilicet demonstratiuus.

Demonstratio duplex.

Notandum,

Notandum, quòd demonstratio simpliciter est ex necessariis, vt patet primo posteriorum, tex. c. 8. & inde, & quia præmissæ siue principia demonstrationis sunt causę conclusionis, vt ibidem dicitur; ideò oportet & ipsa esse necessaria non contingentia aliter se habere: quia ex non necessariis non necessario sequitur contrario necessaria; sicut causa non necessaria non causat effectum necessarium. Deinde cùm dicit:

SVMMARIVM.

Ex præmissis de modis necessarij tres colligit conclusiones benè explicatas à Doctore.

HOrum quidem vtique altera causa essendi necessaria: horum autem nulla, sed propter hæc alia sunt ex necessitate.

Concludit ex prædictis triplicem conclusionem, quarum secunda ex prima: & tertia ex secunda secundùm quendam ordinem sequitur. Secunda ibi: *Quare primum.* Tertia ibi: *Ergo si quæ sunt.* Prima ergo conclusio est quòd quia, vt immediatè & statim dictum est, principia & conclusiones demonstrationis sunt necessaria, vt patet: principia autem sunt causæ conclusionis; ergo sequitur quòd necessariorum quædam sunt causæ, quædam causata. Dicit ergo, quòd *horum quidem*, id est, necessariorum alia sunt quorum, *altera est causa necessaria essendi: horum autem nulla,* supple est causa, *sed propter hæc alia sunt ex necessitate*, id est, quòd sunt aliis causa necessaria essendi. Deinde cùm dicit;

Necessaria sũt duplicia, quædam causę, & quædã causata.

Quare primum & necessarium, propriè quidem simplex est: Hoc enim non contingit pluribus modis habere: quare nec aliter & aliter; iam enim pluribus modis vtique habere.

Esse aliquod necessarium principium, & primum & simplex.

Ponit secundam conclusionem, quæ sequitur ex prima: si enim aliqua necessaria sunt causæ, & aliqua sunt effectus, & in causis non est processus in infinitum; ergo aliquod est principium necessariũ, & illud oportet esse simplex. Dicit ergo, quòd supple, *quia sic est primum propriè necessarium est quod simplex est*, quod probat: quia ea quæ sunt composita sunt materialia, & per consequens possunt pluribus modis & aliter & aliter se habere, quod est contra rationem necessarij; ideò dicit, *hoc* enim, scilicet primum necessarium, *non contingit pluribus modis se habere, quare nec aliter, & aliter*: quia si sic, *iam pluribus modis vtique sic se haberet*; & ideò oportet primum necessarium omnino esse simplex.

Necessaria complexa & incomplexa, & in vtrisque est deuenire ad aliquod primum simplex.

Notandum, quòd necessariorum quædam sunt complexa, & quædam incomplexa, & in quolibet ordine est deuenire ad aliquod primum: & illud oportet esse simplex simplicitate sibi competente: quia in ordine incomplexorum si sit secundùm rem aliquod est primum necessarium simplex omninò indiuisibile, puta prima Intelligentia: si verò sit secundùm intellectum, est deuenire ad aliquem primum terminum dicentem conceptum omnino simplicem, & irresolubilem in alios conceptus, qui erit conceptus simpliciter simplex, puta ens. Similiter in ordine complexorum est deuenire ad aliquam propositionem affirmatiuam primam simplicem, id est, immediatam, quæ non potest diuidi in duo accepto medio, cùm sit simpliciter indemonstrabilis. Deinde cùm dicit:

Ergo si qua sunt sempiterna & immobilia nihil illis est violentum, nec etiam præter naturam.

Sempiternis & immobilibus nihil est præter naturam.

Ponit tertiam conclusionem, quæ sequitur ex secunda: quia enim est dare aliquod primum necessarium, quod non se habet aliter & aliter: si qua sunt huiusmodi necessaria, ibi non potest esse violentum aliquod, nec præter naturam: nam violentum est quod contra naturalem, vel rationalem appetitum mouetur ab aliquo extrinseco agente; & per consequens iam illud non est necessarium, vel sempiternum, vel immobile. Dicit *ergo si quæ sunt* supple necessaria, *sempiterna & immobilia*, vt sunt substantiæ separatæ, *nihil est illis violentum, nec præter naturam.*

SVMMÆ VNICÆ

CAP. VI.

De vno.

SVMMARIVM.

In priori parte huius capitis vsque ibi: *Secundùm se*, exponit nomen *ens*, eiusque partes, & primò varios modos vnius per accidens & partes vnius per se. De vtroque vno vide Doctorem, 1. di. 1. 3. di. 26. n. 48 & 2. di. 12. qu. 1. & 3. di. 2. q. 2. n. 10.

Text. com 7 42

VNum dicitur aliud secundùm accidens, aliud secundùm se: secundùm accidens quidem vt Coriscus & musicus, & Coriscus musicus: idem enim est dicere Coriscus, quia musicum, & Coriscus musicus, & musicum & iustum, & musicus & iustus Coriscus. Omnia enim hæc vnum dicuntur secundùm accidens; iustum quidem & musicum, quia vni substantia accidunt: musicum verò & Coriscus, quia alterum alteri accidit. Similiter autem & modo quodam musicus Coriscus cum Corisco vnum: quia altera partium alteri accidit eorum quæ sunt in oratione, vt musicum Corisco, & musicus Coriscus iusto Corisco; quia vtriusque pars eidem vni accidit: nihil enim differt quàm Corisco musicum accidere.

Postquam Philosophus distinxit nomina significantia principia & causas, nunc distinguit nomina significantia subiectum, scilicet ens, & partes entis, quæ sunt subiectum huius scientiæ.

43

Sed statim occurrit dubium: quia cùm *vnum* sit passio entis, vt ostensum est in 4. huius, videtur quòd non debeat hîc poni inter nomina significantia subiectum huius sciẽtiæ. Respondeo, quod loquendo largè, vt subiectum accipitur pro materia, sic omnia considerata in scientia dicuntur subiectum, & hoc modo ipsum *vnum*, pertinet ad cõsiderationem huius scientiæ. Contrà: quia similiter omnes passiones pertinent ad subiectum huius scientiæ, & per consequens ista pars non distinguitur ab illa. Perfectum verò dicitur, vbi, vt dicebatur,

Nota benè quomodo vnum cùm sit passio entis dicitur subiectum, vel materia huius scientiæ secus de aliis passionibus entis.

Al. vnius.

cebatur, distinguit nomina significantia passiones. Dicendum quòd inter illa, quæ sunt materia huius scientiæ, & per consequens subiectum, est ordo; quia quædam sunt principaliùs, & quædam minùs principaliter considerata. Intentio enim Metaphysici primò & principaliter est circa *ens*, secundò principaliter circa *vnum*, quæ est passio immediatiùs adhærens ipsi enti, vt dictum est in primo, & 4. huius. Tertio principaliter est circa nobiliorem partem sui subiecti primi: aliæ autem passiones ab *vno* sunt posteriores & respectu huius minùs principaliter intentæ; & pro tanto ipsum *vnum* potest connumerari inter nomina significantia subiectum, & hoc modo hæc pars potest distingui ab illa. *Perfectum verò.* Secundùm hoc ergo ista pars diuiditur in duas: quia primò distinguit nomina significantia subiectum. Secundò nomina significantia partes subiecti: Secunda ibi: *Eadem verò dicuntur.* Prima in tres, quia primò distinguit ipsum *vnum.* Secundò *ens.* Tertiò *substantiam*, quæ quomodo se habeant dictum est. Secunda ibi: *Ens dicitur.* Tertia ibi: *Substantia autem dicitur.* Prima in duas, quia primò præmittit quandam bimembrem diuisionem. Secundò exponit membra ibi: *Secundùm accidens quidem.* Dicit ergo, quòd *vnum aliud dicitur secundùm accidens & aliud secundùm se.* Deinde cùm dicit. *Secundùm accidens quidem.* Exponit membra dictæ diuisionis, & primò primum de per accidens. Secundò secundum de per se. Secunda ibi: *Secundùm se verò vnum.* Prima in duas: quia primò exponit illud membrum in terminis singularibus. Secũdò in terminis communibus. Secunda ibi: *Similiter autem siue in genere.* Sententia primæ partis est quòd vnum per accidens dicitur quadrupliciter. Primus modus est secundùm quod vnum accidens comparatur ad subiectum: vt Coriscus musicus. Secundus est cùm vnum accidens comparatur ad aliud, vt musicum iustum. Tertius est cùm accidens comparatur ad subiectum complexum ex subiecto, & alio accidente, vt Coriscus & Coriscus musicus; vel èconuerso, vt musicus & Coriscus musicus. Quartus est cùm complexum comparatur ad cõplexum. Exemplum vt Coriscus musicus ad Coriscum iustum, hæc enim omnia sunt vnum per accidens: & hoc est quod dicitur *secundùm accidens* quidem supple dicitur *vnum, vt Coriscus & musicus: idem enim est dicere Coriscum musicum & Coriscus & musicus*; & iste fuit primus modus: *& musicum & iustum, & musicus iustus Coriscus*, & iste fuit secundus modus; *omnia enim hæc dicuntur vnum per accidens: iustum quidem & musicum,* sunt vnum: *quia vni substantiæ accidunt*, scilicet subiecto quantùm ad secundum modum: *musicus verò & Coriscus,* supple sunt vnum: *quia alterum alteri accidit*, quantùm ad primum modum: & in hoc tangit differentiam primi modi ad secundum. Postea accedit ad tertium modum dicens, *similiter autem & modo quodam sunt vnum musicus Coriscus*, cum Corisco: *quia altera partium alteri accidit eorum quæ sunt in oratione*, id est, in termino complexo: *vt musicum*, quodammodò *accidit Corisco*, & iste fuit tertius modus. Addit autem quantùm ad quartum modum, quòd *musicus Coriscus est vnum Corisco iusto: quia vtriusque*, scilicet termini complexi, *pars eidem vni accidit*, puta subiecto, vnde subdit, *nihil enim differt*, supple hoc dicere, *quàm musicum accidere Corisco:* pro tanto enim iustum & musicum sunt vnum:

Vnum per accidens quadruplex.

44

Al. dicit.

quia musicum accidit Corisco, cui inest iustum, & ideò vtraque pars termini complexi accidit eidem subiecto, scilicet Corisco: & iste fuit quartus modus. Patet autem ex prædictis qualiter isti modi distinguuntur inter se. Deinde cùm dicit:

Similiter autem siue in genere, siue in vniuersalis alicuius nominibus dicatur accidens, vt quia homo idem & musicus homo, aut enim, quia homini vni existenti substantiæ accidit musicum esse, aut quia ambo singulariũ alicui accidunt, vt Corisco, tamen non eodem modo ambo insunt, sed homo quidẽ forsan, vt genus, & substantia; illud verò vt habitus, aut passio substantiæ. Ergo quæcumque secundùm accidens dicuntur vnum, hoc modo dicuntur.

45 *Explicantur denuò varij modi se habendi vnius per accidens.*

Exponit quod dixerat in terminis communibus; & possunt accipi quatuor modi correspondentes quatuor prædictis, licet Philosophus non exprimat nisi tres modos: vnum cùm res complexa comparatur ad simplicem, vt si homo musicus comparetur ad hominem; ideò homo, & homo musicus sunt vnum per accidens: alius est si accidens comparetur subiecto, vt musicum homini: tertius est cùm ambo insunt, & comparantur tertio, scilicet termino singulari, puta Corisco; vt si dicatur Coriscus est homo musicus. Dicit ergo, quòd *similiter* autem accipitur, supple vnum per accidens, *siue in genere, siue in nomine alicuius vniuersalis dicatur accidens*, id est, si ipsum nomen accidentis accipiatur vniuersaliter, *vt quia homo idẽ, & musicus homo*, quantùm ad primum modum: *aut quia vni homini existenti substantiæ accidit musicũ esse*, puta si dicatur homo musicus, & iste est sẽcũdus modus: *aut quia ambo*, scilicet homo & musicus, *accidunt alicui singularium, vt Corisco*, puta si dicatur Coriscus est homo musicus, *non tamen eodem modo insunt*: quia scilicet homo inest Corisco, vt prædicatum substantiale: musicum verò, vt accidens. Ideò subdit, *sed hoc quidem forsan, vt genus*: puta si accipiatur animal loco hominis, *& in substantia*, id est, vt prædicatum substantiale: *illud verò* musicum, *vt habitus, vel passio substantiæ*: concludit, *ergo quæcunque dicuntur vnum secundùm accidens, dicuntur hoc modo.* Deinde cùm dicit:

T. com. 8.

Secundùm verò vnum dictorum alia dicuntur eò quòd continua sunt, vt onus vinculo, & lignum cum visco: Et linea etsi reflexa sit, continua, aut vna dicitur, sicut & partium singulæ tibia, & brachium. Ipsorum autem magis vnum continuum natura quàm arte: continuum verò dicitur cuius motus vnum secundùm se, & non possibile aliter: vnus autem cuius indiuisibilis: indiuisibilis autem secundùm tempus.

46 *Modi vnius per se realiter accepti sunt 5. principales.*

Declarat, siue exponit secundum membrum dictæ diuisionis. Circa quod duo facit, quia primò distinguit modos *vnius* per se. Secundò modos sui oppositi quòd est multa. Secunda ibi: *Palàm autem, & quæ multa.* Prima in duas: quia primò distinguit modos vnius per se secundùm diuisionẽ, quâ vnum diuiditur realiter. Secundò secundùm diuisionem, quâ vnum diuiditur Logicè. Secunda ibi: *Ampliùs autem alia secundùm numerum.* Prima in duas, quia primò facit quod dictum est. Secundò

cundò reducit omnes illos modos ad vnum principalem. Secunda ibi: *Vniuersaliter enim quæcunque.* Prima in quinque, secundùm quinque modos. Primus modus est, vnum continuitate. Secundus, vnum subiecto. Tertius, vnum genere. Quartus, vnum diffinitione. Quintus, vnum indiuisibilitate. Secunda ibi: *Amplius autem alio modo.* Tertia ibi: *Dicuntur autem vnum.* Quarta ibi: *Amplius autem vnum.* Quinta ibi: *Omninò verò.* Prima in duo, secundùm duos modos continuitatis, quorum primus est improprius secũdùm quòd se extendit ad contiguitatem. Secundus verò est propriè sumptus. Secunda ibi: *Secundùm se autem continua.* Dicit ergo, quòd *dictorum*, id est, eorum quæ dicuntur vnum secundùm se: *alia dicuntur*, scilicet vnum: *eo quòd continua dicuntur.* Primò supple accipiendo continuum pro contiguo, quod est continuum per aliquod, *vt onus*, supple lignorum *est vnum*, supple vinculo, quod ligat onus, *&* *ligna cum visco*: ligna enim conuiscata ad inuicem dicuntur vnum propter viscum, quod coniungit: sed hoc contingit dupliciter: quia quandoque talis contiguatio ligatorum fit secundùm lineam rectam, quandoque secundùm lineam reflexam, & hoc modo partes animalis dicuntur vnum continuum: sicut tibia cum coxa, & brachium cum vlna: hæc enim sicut patet coniunguntur per quandam reflexionem; ideò subdit, quòd *linea etsi reflexa sit continua, aut vna dicitur sicut singula partium* animal, vt *vlna, & brachium* modo prædicto: subdit verò, quod *ipsorum* supple, quæ sunt continua per aliud *magis sunt vnum, quæ sunt continua natura quàm quæ arte*: nam illud vnum per quod fit continuo, per naturam non est extraneum à natura rei; est enim inter vlnam, & brachium meum aliquod coniungens, puta aliquis neruus, vel cartilago, vel aliquod huiusmodi, quod est quid de natura eius, quod continuatur; non sic autem est in his, quæ coniunguntur arte: nam vinculum, siue viscus, siue aliquod huiusmodi, est omnino extraneum à natura eorum, quæ ligantur. Ex quo patet, quòd ea, quæ naturaliter ligantur, magis accedunt ad ea, quæ verè sunt continua quàm ea, quæ per artem colligantur. Vnde ad maiorem euidentiam prædictorum subdit diffinitionem veri continui: dicens, quòd *continuum est cuius motus est vnus secundùm se, & non est possibile aliter* se habere: impossibile est enim, quòd partes continui diuersis motibus moueantur. Quis autem sit motus vnus ostendit cùm subdit, *vnus autem* supple est motus, *qui est indiuisibilis: indiuisibilis autem secundùm tempus*, vt scilicet dum mouetur vna pars continui, simul & alia moueatur: non enim potest esse, quod vna pars continui moueatur alia quiescente, nec in diuersis temporibus diuersæ partes continui moueantur.

Impropria acceptio vnius secundũ continuitatẽ.

Al. continuatio.

Diffinitio cõtinui propriè accepti.

47

Notandum, quòd continuum est duplex, sicut potest haberi ex 4. Met. tex. c. 42. & inde, quoddam flexibile, vt virga lignea; quoddam inflexibile, vt later, aut lapis. Primum continuũ est continuum secundùm lineam reflexam. Secũdum continuum est secundùm lineam rectam, tale enim continuum habet motum indiuisibilem, quantùm ad omnes suas partes: non sic est de continuo flexibili, & secundùm lineam reflexam, vt patet, in exemplo suprapositio. Dicit autem, quòd continui est vnus motus secundùm se: nam possibile est continuum moueri vno motu per se, & alio motu, vel pluribus aliis per accidens. Exemplum, homo in naui existens potest moueri per se motu proprio contra motum nauis, & nihilominus per accidens mouetur ad motũ nauis: diffinit autem continuum per motum, & non per vnitatem termini, ad quem partes continui copulantur, vt in lib. Prædicamentorum cap. de Quantitate, quia ex diffinitione data ex parte motus possunt sumi diuersi gradus vnitatis in diuersis continuis, vt patebit: non autem ex diffinitione data per termini vnitatem.

Continuum duplex flexibile, & inflexibile.

Sed videtur dubium, quod dicitur, scilicet continui esse motum indiuisibilem secũdùm tempus; nam 6. Phys. t. c. 33. probatur quòd tempus diuiditur secundùm diuisionem spatij, & mobilis, sed nullum mobile, vel spatiũ est indiuisibile, vt probatur in eodem sexto, t. c. 4. & inde, ergo nec aliquod tempus mensurans motum. Dicendũ quòd motus dupliciter potest sumi: vno modo absolutè & in se: alio modo in comparatione ad aliquod determinatum signum, quod signatur in spatio: Primo modo loquitur hîc Philosophus, & sic verum est, quod dicitur, quòd vna pars continui non priùs incipit moueri quàm alia. Secundo modo loquitur 6. Physic. nam illud signum signatum in magnitudine, vel spatio transit prior pars mobilis in priore parte temporis, licèt simul moueantur cæteræ partes mobilis, si mobile continuum sit. Deinde cùm dicit:

Dubium. Motus sumitur dupliciter. Vide 2. di. 1. q. 9.

De quo motu est verum, quod vna pars continui non prius incipit moueri quam alia?

SVMMARIVM.

Modus vnius per se, de continuo propriè sumpto, vt distinguitur à contiguo, explicatur. Quod hîc notat Doctor tex. 9. aliqua posse continuari in diuersis subiectis, difficile est, de quo dixi Schol. 3. ad quæst. 20. lib. 7. huius.

SEcundùm se autem continua quæcunque non tactu sunt vnum: nam si ponis se tangentia ligna, non dices hoc vnum esse, nec lignum, nec corpus, nec aliud continuum nullum. Quæ itaque omninò sunt continua vnum dicuntur, quamuis reflexionem habeant, & adhuc magis quæ non habent reflexionem, vt tibia, aut crus quàm femur: quia contingit non vnum esse motum femoris, & recta quàm reflexa magis vnum; reflexam verò & angulũ habentem vnam, & non vnam dicimus: quia contingit non simul esse motum eius, & simul: rectè verò semper simul, & nulla pars habens magnitudinem, hæc quidem quiescit, hæc autem quidem mouetur, quemadmodum reflexa.

48

Iuxta primum modum vnius, quod est vnum continuitate, ex quo posuit vnum modum improprium, prout continuum se extendit ad contiguum: ponit secundùm modum, vt continuum propriè accipitur dicens, quòd *secundùm se autem dicuntur continua, quæcunque non sunt vnum solo tactu*: quod declarat per exempla, *nam si ponis ligna se tangentia, non dices ea esse vnum* lignum, *nec vnum corpus, nec aliquod continuum vnum*, id est, nec aliquid aliud quod sit de genere continui. Ex quo patet differentia inter continua, & contigua: *quæ itaque sunt continua omnino vnum dicuntur, quamuis habeant reflexionem*, puta duæ lineæ reflexæ continuatæ ad vnum punctum in quo constituunt angulum; *adhuc magis*, supple sunt

Propria acceptio continui.

sunt vnum illa continua, *quæ non habent reflexionem, vt tibia seorsum, & crus seorsum quam femur*, id est, compositum ex tibia, & crure, vel coxa simul. Ratio huius est, quia linea recta non potest habere nisi vnum motum, sed reflexa potest moueri pluribus, puta si vna pars intelligatur quiescens, & alia mota, vt patet in exemplo dato: quia coxà quiescente potest tibia moueri, vel èconuerso; non sic est de tibia seorsum accepta, & ideò continuum secundùm lineam rectam est magis vnum, & continuum, quàm secundùm lineam reflexam, & hoc est, quod subdit: *quare contingit non vnum esse motum femoris* id est, compositi ex tibia, & crure, vel coxa, *& recta* sunt *magis vnum quàm reflexa: reflexam verò*, scilicet lineam, *& angulum habentem vnam & non vnam dicimus: quia contingit simul, & non simul esse motus eius*, quantum scilicet ad partes suas*: rectè verò lineæ semper simul* supple est motus eius quantum ad omnes partes suas, *& nulla pars*, talis lineæ, *habens magnitudinem: hæc quidem quiescit, hæc quidem mouetur quemadmodum reflexa*: sed omnes supple partes simul mouentur, vel simul quiescunt.

Linea recta non potest habere nisi vnū motum, reflexa verò plures.

49 *Continuum secundùm lineam rectam est magis vnum cõtinuo secundùm reflexam.*

Notandum, quòd, vt patet ex prædictis, tam in continuo impropriè accepto, quam propriè, potest distingui continuum secundùm lineam rectam, & secundùm lineam reflexam, & vtrobique est magis vnum continuum, quod est continuum secundùm lineam rectam: vnde continuum secundùm lineam reflexam in secundo modo non videtur differre à continuo secundùm lineam reflexam in primo modo, vt patet per exempla, quæ vtrobique eadem ponuntur. Deinde cùm dicit;

Text. c. 9.

Ampliùs alio modo dicitur, eo quòd subiectum sit specie indifferens: indifferens verò, vt quorum indiuisibilis species secundùm sensum: subiectum autem aut vltimum, aut primum ad finem. Vinum enim vnum dicitur, & aqua vna inquantum indiuisibile secundùm speciē, & liquores omnes vnum dicuntur, vt oleum, vinum, & fluida: quia omnium vltimum subiectum. Nam aqua, aut aër omnia hæc sunt.

Quæ dicuntur vnum ratione subiecti indifferentis tam primi, quam vltimi, in quo fit resolutio?

Ponit secundum modum vnius, dicens, quòd *ampliùs alio modo dicitur* vnum, *eo quod subiectum sit specie*, id est, forma *indifferens: indifferens verò* supple dicitur secundùm speciem cuius *indiuisibilis est species secundùm sensum*, id est, quando eadem species sensibilis non diuiditur in actu: nam si alicuius subiecti vna pars sit alba, & alia nigra, tale subiectum non erit vnum, vt hîc loquimur. Subdit autem, quòd istud subiectū sit vnum, potest accipi dupliciter, dicens, *subiectum autem, aut erit primum*, id est, proximum: aut vltimum ad finem, id est, finale ad quod peruenitur in fine resolutionis: *vinum enim* seorsum acceptum *dicitur vnum*, ex eo, quòd omnes partes eius communicant in aliquo subiecto primo, quod est indifferens secundùm speciem, *& similiter aqua*, dicitur vnum *inquantum indiuisibilis secundùm speciem: omnes autem liquores, vt oleum, vinum & omnia fluida* dicuntur vnum: *quia omnium est idem subiectum vltimum* in quo resoluuntur: *nam omnia aut sunt aqua, aut aër*, quæ est radix omnium humidorum, scilicet aqua: facit mentionem de aëre non quòd aër sit principium omnium fluidorum secundùm opinionem suam, sed fortè secundùm opinionem aliorum.

Radix humidorum aqua.

Notandum, quòd iste secundus modus videtur aliquid addere supra primum: nam aliqua possunt esse continua, quæ tamen in subiecto sunt diuersa secundùm speciem & formam, puta ramus siccus ramo virenti in arbore, & manus arida coniuncta brachio viuenti: talia enim sunt vnum primo modo, non secundo. Dicit autem subiectum indifferens specie, cuius indiuisibilis est species secundùm sensum: per formam sensibilem dans intelligere etiam formam substantialem, vt per notiora intelligantur illa, quæ sunt minùs nota nobis. Deinde cùm dicit;

50

SVMMARIVM.

Alij duo modi vnius, scilicet secundùm genus, & secundùm differentiam, explicantur. Omnes alij modi ad vltimum reducuntur Doctor ostendit horum modorum sufficientiam.

Tex. co. 10.

Dicuntur autem vnum, & quorum genus vnum differens oppositis differentiis, & hæc dicuntur omnia vnum: quia genus vnum, quod subiicitur differentiis, vt homo, equus, canis, vnum quidem; quia omnia animalia, & modo itaque simili sicut materia vna.

Quæ dicuntur vnum genere?

Ponit tertium modum vnius circa quod duo facit. Primò enim ponit illum modum. Secundò subdiuidit illum ibi: *Hæc autem quandoque.* Dicit ergo, quòd *dicuntur alio modo vnum quorum genus vnum est differens*, id est, diuisum *oppositis differentiis, & hæc dicuntur omnia vnum: quia genus est vnum quod subiicitur huiusmodi differentiis*, vt homo: *equus, canis, sunt vnum, quia* sunt *omnia* ista *animalia*, sicut illa sunt vnum, quorum materia est vna.

Conueniunt genus & materia, & differunt.

Notandum, quòd illa quæ dicuntur vnum materia, distinguuntur per formas, sicut genus per differentias, & ideò aliqualiter est simile hæc & ibi; genus enim licèt propriè non sit materia, quatenus prædicatur de specie & significat totum: materia autem est pars, tamen genus sumitur à re, siue à realitate materiali & determinabili; differentia verò à formali & determinatiua: similis ergo modus isti est ille, quo aliqua sunt vnum materia.

51

Notandum, quòd etiam iste tertius modus conuenit in aliquo cum secundo, & in aliquo differt: conuenit, quia sicut aliqua dicuntur vnum, quia subiectum est vnum, ita hæc dicuntur vnum, quia genus est vnum, quod est subiectum differentiis; sed differunt in hoc, quia in illo modo subiectum manet vnum indistinctum secundùm formam; sed in isto modo genus distinguitur per differentias, sicut quasi per diuersas formas. Deinde cùm dicit:

Hæc autem quandoque quidem ita vnum dicuntur, quandoque verò genere superiore quod idem dicitur si sint vltimæ species generis superiores his, vt Isosceles & Isopleuros sunt vna & eadem figura, quia ambo triangulus, sed trianguli non idem.

Subdiuidit tertium modum quòd *hæc*, id est, aliqua *dicuntur vnum* genere, ita vt dictum est: quia sci

scilicet habent vnum genus, *quandoque verò superiore genere quod idem dicitur*, id est, quòd quandoque dicuntur aliqua vnum genere quod idem dicitur, id est, cùm idem genus prædicatur de multis speciebus, *si sint aliqua vltima species generis*, scilicet primi *superioris his*, supple inferioribus: nam tunc supple in vna illarum specierum superioris multæ inferiores species conueniunt, *vt Isosceles*, id est, triangulus habens duo latera æqualia, *& Isopleuros*, id est, æquilaterus, *sunt vna & eadem figura, quia ambo sunt triangulus*, qui est vna species superior, primi generis quod est figura; *sed trianguli non idem*: Isosceles ergo & æquilaterus non dicuntur vnus triangulus; sed possunt dici eadem figura, ex eo quòd conueniunt in vna specie supremi generis, qui est triangulus: figura enim est vnum genus supremum continens sub se species diuersas, puta circulum, quadratum, triangulum, &c.

Isosceles & Isopleuros sũt vna figura, sed nõ idem, nec vnus triãgulus.

Ratio huius dicti est: quia isti duo trianguli, scilicet Isosceles & æquilaterus non diuiduntur per differentias, quibus diuiditur triangulus: & quia illud dicitur idem, à quo aliud non differunt differentia, ideò possunt dici eadem figura, cùm cadant sub vna differentia figuræ, & non idem triangulus cum cadant sub diuersis differentiis trianguli. Deinde cùm dicit:

Text. co. 11.

Ampliùs autem vnum dicuntur quoruncunque ratio, quæ quod quid erat esse dicit, indiuisibilis est ad aliam significantem quid erat esse rei, ipsa enim secundùm se omnis ratio diuisibilis: sic verò augmentatum & diminutum vnum sunt; quia ratio vna, sicut in superficiebus quæ speciei vna.

52

Ponit quartum modum dicens, quòd *ampliùs dicitur vnum quoruncunque ratio*, id est, diffinitio quæ *dicit quod quid erat esse est indiuisibilis*, id est, eadem *ad aliam*, scilicet diffinitionem, *significantem quid erat esse rei: ipsa enim omnis ratio*, id est, diffinitio, *est diuisibilis secundùm se*: nam omnis diffinitio est habens partes, vt dicitur 7. huius & 8. enim supple hoc non obstente, vna diffinitio dicitur indiuisibilis ab alia: quando aliqua duo habent eandem diffinitionem: sic enim *augmentatum & diminutum sunt vnum*: *quia ratio*, id est, diffinitio *est vna* diffinitio, scilicet communis, quatenus vtrumque mouetur secundùm motum, qui est in quantitate, *sicut est in superficiebus, quæ est vna speciei*, id est, quòd omnes superficies sunt vnum isto modo: quia omnes habent vnam diffinitionem, quæ est superficiei, vt superficies est.

Notandum, quòd diffinitio de re potest assignari duplex, scilicet propria, quæ est speciei; & communis, quæ est generis; aliqua ergo possunt dici vnum diffinitione, quia habent vnam diffinitionem primo modo, vt Socrates & Plato, & quælibet indiuidua eiusdem speciei: aliqua verò dicuntur vnum diffinitione, quia habent eandem diffinitionem communem, puta homo & asinus, & quælibet species sub eodem genere: nam sicut diffinitio speciei est communis omnibus indiuiduis eiusdem speciei; sic diffinitio generis omnibus speciebus sub genere: Philosophus verò solùm exemplificat de secundo modo, vt patet in litera; licèt veriori modo sint vnum diffinitione, quæ sunt vnum diffinitione primo modo; magis enim sunt vnum isto modo Socrates & Plato, quàm homo & asinus. Deinde cùm dicit:

Diffinitio duplex.

Omnino verò quorum intelligentia indiuisibilis intelligens quid erat esse, & non potest separari neque tempore, neque loco, neque ratione, maximè hoc vnum, & horum quæcunque substantia.

Ponit quintum modum dicens, quòd *omnino*, id est, maximè perfectè dicuntur vnum: *quorum intellectus intelligens quod quid erat esse est indiuisibilis*, & illa quæ sic sunt vnum, *non possunt separari nec tempore, nec loco, nec ratione, & ideò* sunt *maximè vnum, & horum quæcunque substantia*, id est, quòd id quod est sic indiuisibile in genere substantiæ, est maximè vnum; quod potest dupliciter exponi. Vno modo sic, quia licet indiuisibile de genere accidentis non sit in se compositum, est tamen alteri compositum, scilicet subiecto in quo est; sed indiuisibile de genere substantiæ neutro modo est compositum: quia quod verè est, nulli accidit ex primo Physic. text. com. 26. & 27. Alio modo exponitur vt ly *substantia*, sit ablatiui casus, & tunc erit sensus, quòd licèt aliqua dicantur vnum, quia sunt indiuisibilia secundùm tempus, vel locum, vel rationem: tamen illa maximè dicuntur vnum inter ista, quæ sunt indiuisibilia secundùm substantiam, & redit idem quod prius.

Quod est indiuisibile in genere substãtiæ, est maximè vnum, vt intelligitur.

53

Notandum, quòd ista quæ sic dicuntur vnum, quia eorum intelligẽtia est indiuisibilis, sunt propriè indiuisibilia, & simplicia, non composita ex aliquibus principiis intrinsecis: & sic intellectus intelligens eorum quiditatem non componit diffinitionem de eis ex diuersis principiis, sed conceptu irresolubili attingit eorum quiditatem, sicut fortè se habent prima materia, & prima forma, in genere substantiæ, & punctus in genere continui; & vnitas in genere numeri; quæ omnia videntur habere intellectum indiuisibilem modo præexposito; hoc etiam modo conceptus entis, & conceptus vltimarum differentiarum habent vnitatem, quatenus sunt conceptus simpliciter simplices, & irresolubiles in alios conceptus partiales ex quibus componantur.

Quorum intelligẽtia est indiuisibilis.

Notandum, quòd sufficientia horum quinque modorum *vnius* potest sic haberi; quia de ratione *vnius*, est esse indiuisibile, vt habetur 10. huius, text. com. 2. & inde. & hîc in litera: aliquid autem esse indiuisibile potest esse dupliciter; vel simpliciter, vel secundùm quid: si simpliciter, sic est vltimus modus, qui est principalis ad quem omnes alij reducuntur vt patebit: si secundùm quid, aut ista indiuisibilitas attenditur penes quantitatem, aut penes naturam, & quiditatem rei. Si primo modo, sic est primus modus: continuum enim licèt sit diuisibile simpliciter, tamen secundùm se acceptum est quoddam vnũ & indiuisibile vt sic. Si secundo modo, aut ista indiuisibilitas in natura rei attenditur penes subiectum reale, & sic est secundus modus: aut penes subiectum conceptibile & mathematicum, & hoc dupliciter: quia aut penes subiectum conceptibile commune, aut proprium: si primo modo, sic est tertius modus: si secundo modo, sic est quartus modus. Et hoc patet quòd sic distinguuntur quinque modi *vnius* qui dicti sunt.

Sufficientia notabilis 5. modorum vnius realiter sumpti.

Vniuersaliter enim quæcunque non habent diuisionem, in quantum tamen non habent sic, vnum dicuntur, vt si inquantum homo non habet diuisionem vnus homo: si verò in quantum

quantum animal, vnum animal, & si inquantum magnitudo, vna magnitudo. Plura quidem igitur vnum dicuntur per alterum aliquid facere, aut pati, aut habere, aut ad aliquid esse vnum. Quæ autem primò dicuntur esse vnum quorum substantia vna: vno verò aut continuatione, aut specie, aut ratione: etenim numeramus vt plura, aut quæ non continua, aut quorum non vna species, aut quorum ratio non vna.

54

Postquam Philosophus distinxit modos *vnius* dicti secundùm se, nunc reducit omnes illos modos *vnius* ad vnum principalem. Circa quod tria facit: primò enim reducit omnes modos ad quintum modum. Secundò addit vnum modum, qui est quasi idem primo modo, sed aliquid addit, scilicet perfectum esse secundùm speciem. Tertiò dat quandam proprietatem ipsius *vnius* propriè & principaliter accepti. Secunda ibi: *Amplius autem est*. Tertia ibi: *Vni verò esse*. In prima parte intendit talem rationem: Ille modus *vnius*, cuius participatione dicuntur vnum quæcunque sunt vnum, est modus principalis, ad quem omnes alij reducuntur: sed quintus modus est huiusmodi, ergo, &c. Minorem in qua stat virtus rationis, declarat dicens: *vniuersaliter enim quæcunque non habent diuisionem, inquantum homo, sunt vnus homo*, puta Socrates vel Plato, qui non diuiduntur in ratione hominis: *si verò inquantum animal*, supple aliqua non habent diuisionem, sunt *vnum animal*, puta homo & asinus: *similiter si inquantum magnitudo*, vt omnes magnitudines: similiter si inquantum mensura, est vna mensura. Ex his autem modis *vnius* oriuntur quidam alij; ideò subdit: *plura quidem dicuntur* vnum *per alterum aliquid facere*, sicut plurimi homines ædificantes domum dicuntur vnum, vt sic: *aut quantum ad pati*, vt multi homines patientes tertianam dicuntur vnum, vt sic: *aut quantum ad habere*, puta duo homines possidentes vnam rem dicuntur vnum, vt sic: *aut quantum ad aliquod vnum in existendo*, puta multi homines albi dicuntur vnum: quatenus quilibet est albus, & sic de aliis: *quæ autem primò dicuntur vnum*, scilicet quantum ad istos modos secundarios, *sunt illa, quorum substantia est vna: aut continuatione*, quoad primum modum: *aut specie*, quantum ad secundum & tertium, secundùm quod vnitas generis habet aliquid simile cum vnitate speciei, vt sic dicantur vnum aliqua: vel ex vnitate speciei, siue rationis in genere: *aut* supple quorum est vna substantia *ratione*, quantum ad quartum & quintum modum. Ex hoc patet, quòd illi quinque modi priùs dicti sunt primi & principales: omnes autem alij sunt consequentes & annexi. Probat autem quòd illis quinque modis dicantur aliqua vnum per suum oppositum quod est multa, dicens, *etenim*, pro quia, *numeramus aliqua vt plura: aut quæ non sunt continua*, per oppositum ad primum modum: *aut quorum non est vna species*, quantum ad secundum & tertium modum: *aut quorum ratio non est vna*, per oppositum ad quartum & quintum. Deinde cùm dicit:

Reducit modos dictos vnius ad 5. principalem.

SVMMARIVM.

Ponit sextum modum *vnius* coincidentem ferè cum primo. Item proprietatem *vnius* propriè dicti, nempè quòd sit principium numeri, siue sumatur vt aliquid de genere quantitatis, siue vt transcendens: quod explicat Doctor, vide eum hîc q. 4.

55

Amplius autem in quocunque vnum continuitate dicimus esse, si sit continuum & quantum: est autem vt non, si non aliquod totum sit: hoc autem; si non speciem habeant vnam, vt non videntes vtique dicimus similiter vnum qualitercunque partes compositas calciamenti, nisi propter continuitatem. Sed si sit, vt calciamentum & speciem habeat aliquã iam vnam: Quapropter & quæ circuli maximè vna linearum, quia tota & perfecta est.

Ponit sextum modum *vnius*, qui est quasi idem primo, addens hoc quod est esse perfectum secundùm speciem, dicens quòd *amplius autem est* quidem supple vnum, *quodcunque continuitate dicimus esse si sit quantum & continuum*, & iste est primus modus secundùm quem aliqua dicuntur vnum ex sola continuitate: *est autem vt non, si non sit aliquod totum*, id est, perfectum: hoc est, si non habet speciem vnam; & ideò iste modus addit vnitatem speciei vltra vnitatem continuitatis, *vt videntes vtique qualitercunque partes calciamenti esse compositas*, non dicemus similiter esse vnum *nisi tantùm propter continuitatem*, vt accipitur vnum pro continuo, qui fuit primus modus: sed *si se habet vt calciamentum, sic & habeat iam, aliquam vnam speciem*: tunc supple dicimus omnes partes calciamenti esse vnum illo modo; ex quo concludit vnam contradictionem, dicens: *quapropter & quæ circuli*, id est, linea circularis est, *maximè vna linearum*, id est, inter lineas, *quia est tota & perfecta*.

6. Acceptio vnius.

Vnum specie secundùm quandam totalitatem, & debbitum ordinem partium.

Notandum, quòd linea circularis non solùm est vna vnitate continuitatis, sed etiam vna vnitate cuiusdam totalitatis & perfectionis, quod non habet linea recta; nam licèt linea recta sit continua, non dicitur tamen esse perfecta ex eo, quòd sibi potest aliquid addi: non autem sic lineæ circulari, sicut patet: perfectum autem dicitur cui nihil deest, 3. Physic, 1. c. 63. & ideò linea circularis dicitur perfecta, & totalis, non autem linea recta.

Linea circularis est prima & perfectior lineis.

Aduertendum tamen, quòd ista vnitas secundùm speciem, quæ pertinet ad istum modum, non est vnitas speciei, siue generis solùm quæ pertinet ad secundum modum; sed est vnitas speciei vt est existens in quadam totalitate, requirens etiam debitum ordinem partium, vt patet in exemplo posito de calciamento; ita quòd vnitas speciei requisita pro isto modo, addit aliquid supra vnitatem speciei requisitam pro secundo modo, sicut patet intuenti. Deinde cùm dicit:

Vni verò esse principium est alicui numero esse: prima namque mensura principium alicui esse est: nam quo cognoscimus primò hoc est prima mensura cuiuslibet generis. Principium

Text. c. 12.

cipium ergo cognoscibile circa quodlibet vnum. Non idem autem in omnibus generibus vnum: hîc enim est discrimen: illic autem vocalis, aut consonans: grauitatis autem alterum, & motus etiam aliud. Vbique verò vnum, aut quantitate, aut specie indiuisibile. Secundùm quantum quidem igitur & inquantum quantum indiuisibile. Quod quidem igitur omnino tale, & sine positione dicitur vnitas: quod autem omnino tale & positionem habens punctum: quod autem secundùm vnum linea; quod verò secundùm duo superficies: omnino verò & tripliciter diuisibile secundùm quantitatem corpus est: facta verò conuersione dualiter quidem diuisibile superficies; vnicè autem linea; nullatenus diuisibile secundùm quantitatem punctus & vnitas: hoc autem non habens positionem vnitas, illud verò habens positionem punctus.

57 *Proprietas vnius est esse principium.*

Ponit quandam proprietatem *vnius* propriè & principaliter accepti, quæ est, quòd de ratione vnius est esse principium numeri; ideò dicit quod *vni esse est alicui numero esse principium*, quod ex hoc patet: quia *prima mensura habet rationem principij*, ex hoc quòd mensura est principium cognoscendi mensurata: nam res mensuratæ cognoscuntur per mensuram; vnum autem habet rationem mensuræ, ideò dicit: *nam illud quo primo cognoscimus, hoc est, prima mensura cuiuslibet generis* entis, *principium ergo cognoscibilis*, siue noti circa *quodlibet est vnum*; vult dicere quòd illud quo res mensuratur & cognoscitur, habet rationem principij: quia res per sua principia cognoscitur; nam vnum est principium cognoscendi in quolibet genere entis: hoc tamen vnum quod est principiũ cognoscendi, nõ est idem in quolibet genere: ideò subdit, *non autem idem in omnibus generibus vnum: hîc enim*, scilicet in consonantiis illud *vnum est discrimen* vel diesis; diesis enim, vt dicitur, est semitonium: nam tonus diuiditur in duo semitonia inæqualia, quorum vnus vocatur diesis in musicis: *Illic autem*, scilicet in vocibus illud primum & vnum est littera *vocalis aut consonans*, sed supple magis vocalis propriè est vnum: *grauatis autem alterum*, id est, quòd in grauibus, & in ponderibus est etiam proprium vnum, quod est principium, & mensura in tali genere, puta vncia, vel aliquid huiusmodi: & motus alterum, id est, quòd in motibus etiam est aliquod vnum, quod est mensura omnium motuum, scilicet motus simplicissimus, qui est motus primi mobilis, vt habetur secundo de Cœlo & Mundo, tex. co. 28. & circiter. *Vbique verò vnum est indiuisibile, aut quantitate, aut specie*, id est, quòd in omnibus istis est hoc commune quòd illud quod habent pro mensura prima, est indiuisibile, vel secundùm quantitatem, vel secundùm speciem: *secundùm quantitatem igitur & inquantum quantum indiuisibile*, id est, illud quod est indiuisibile, & primum in genere quantitatis, *quod quidem omnino*, scilicet est indiuisibile, *& sine positione, dicitur vnitas: quod autem omnino & positionem habens* est *punctus*: licèt enim tam vnitas quàm punctus sit omnino indiuisibile secundùm quantitatem, tamen punctus super vnitatem addit positionem: *quod autem secundùm vnum*, id est, secundùm vnam tantùm dimensionem, est diuisibile, *est linea: quod autem secundùm duo*, id est, secundùm duas dimensiones est *superficies: omnino autẽ & tripliciter*, id est, secundùm tres dimensiones, *diuisibile secundùm quantitatem est corpus*: & illæ descriptiones conuertuntur: nam sicut omnis linea est secundùm vnam dimensionem, scilicet longitudinem: ità èconuerso omne diuisibile secundùm vnam dimensionem est linea, & sic de aliis; ideò subdit, quòd *facta conuersione dualitatis quidem diuisibilis est superficies: vnicè autem linea: nullatenus autem diuisibile secundùm quantitatem, vnitas & punctus* licèt differant, quia *hoc quidem*, scilicet vnitas est *non habens positionem: illud verò*, scilicet punctus *est habens positionem*.

Diesis quid?

Ratio mensuræ competit indiuisibili.

Vnitas. Punctus. Linea. Superficies. Corpus.

58

Vnum est principium numeri siue quantitatiui, siue transcẽdentis.

Notandum, quòd sicut dictum fuit in 4. huius quemadmodum est duplex *vnum*, ita est duplex numerus sibi correspondens: de ratione ergo *vnius* est quòd sit principium numeri sibi correspondentis, *vnum* ergo quod est de genere quantitatis est principium numeri, qui est de genere quantitatis: qui scilicet causatur ex diuisione continui; *vnum* verò quod conuertitur cum ente, est principium numeri transcendentis, qui est numerus entitatum. Benè ergo dicit Philosophus quòd ratio *vnius* est quòd sit principium alicuius numeri.

De ratione vnius ad numerum comparati sunt duo.

Notandum etiam, quòd sicut hîc dicitur, & magis expresse in 10. huius, tex. co. 2. & inde. Ratio mensuræ primò competit *vni* quod est principium numeri, & ex hoc transfertur ad alia genera, vt scilicet aliud sit mensura in quolibet genere. Vbi aduertendum, quòd *vnum* in comparatione ad numerum habet duplicem rationem, scilicet rationem mensurantis per applicationem, & rationem declarantis & dantis cognitionem de numero: vnitas enim aliquoties sumpta adæquat omnem numerum datum, & mensurat ipsum: per vnitatem etiam cognoscitur, nam per vnitatem habet numerus diffiniri; ex ipso ergo vno transfertur ratio mensuræ, vt sic in quolibet genere illud dicatur esse mensura, quod habet alteram harum rationum respectu omnium, quæ sunt in illo genere. Exemplum ponitur; albedo ponitur mensura in genere colorum, & patet quòd non est dicendum, quòd albedo per sui replicationem aliquoties sumpta, mensuret omnes alios colores; & ideò non competit sibi illa prima ratio vnius: habet tamen rationem mẽsuræ; quatenus albedo vt perfectior color, & habens quasi rationẽ habitus respectu aliorum colorum, est apta nata dare notitiã de aliis coloribus. Similiter se habet in aliis generibus: vt illud dicatur mensura in quolibet genere, quod habet hãc, vel illam rationem *vnius*, sicut cubitus, vel aliquod tale dicitur mensura in genere pannorum: quia per sui replicationem aliquoties sumptus, dat notitiã de panno. Deinde cùm dicit

59 *De mensura perfectionis & quanti molis.*

SVMMARIVM.

Vnum diuiditur Logicè, in vnum genere, specie, numero & proportione; de qua diuisione Doctor hîc agit q. 4. Impugnat S. Thomam asserentem materiam esse principium indiuiduationis. De quo latè agit 2. d. 3. q. 5. 6. & 7. huius, q. 1. Explicatur habitudo istorum modorum, & quomodo oppositum vnius nempe multa, tot modis dicitur, quot ipsum vnum.

AMplius autem alia secundùm numerum sunt vnum; alia secundùm speciem; alia

alia secundùm genus ; alia secundùm analogiam ; numero quidem, quorum materia vna; specie, quorum ratio vna ; genere, quorum eadem figura prædicationis secundùm proportionem : quæcunque se habent vt aliud ad aliud.

Diuisio Logica vnius in 5. modos.

Vbi diuidit *vnum* secundùm dispositionem Logicam. Circa quod duo facit: quia primò ponit illorum modorum distinctionem. Secundò eorum mutuam habitudinem & reductionem. Secunda ibi : *Semper itaque.* Dicit ergo, quòd *ampliùs alia sunt vnum secundùm numerum ; alia secundùm speciem; alia secundùm genus; alia secundùm analogiam : numero quidem sunt vnum, quorum materia est vna,* id est, differentia, siue proprietas indiuidualis, quæ est præcisa causa indiuiduationis; *specie verò sunt vnum, quorum ratio*, id est, diffinitio, *est vna :* diffinitio enim propriè est speciei, cùm diffinitio constet ex genere & differentia, ex quibus propriè constat species. Vnde si aliquando genus, puta subalternum, diffiniatur, hoc est vt habet aliqualiter rationem speciei, sicut dictum fuit suprà capitulo, de Elemento. *Genere verò dicuntur vnum, quorum eadem est figura prædicationis,* id est, quæcunque sunt in eodem Prædicamento: quodlibet enim Prædicamentum habet proprium modum prædicandi, distinctum ab aliis Prædicamentis ; sicut omnes qualitates prædicantur de subiecto per modum formæ informantis. *Secundùm verò proportionem*, id est, secundùm analogiam dicuntur vnum, *quæcunque sic se habent vt aliud ad aliud.* Quod dupliciter exponitur : vno modo: vt duo comparantur ad vnum secundùm diuersas habitudines, puta vrina & medicina comparantur ad sanitatem, altera vt signum, altera vt causa. Alio modo exponitur, vt comparantur duo diuersa ad alia duo diuersa, vt sicut se habet serenitas ad aërem: sic tranquillitas ad mare; & ideò serenitas & tranquillitas sunt vnum proportione, & vtrumque significat quietem quandam, reddendo singula singulis.

Genus subalternum nõ diffinitur nisi vt habet rationem speciei.

60

Opinio D. Thomæ, & Auerrois. Quid sit principium indiuiduationis, vide Scot. in 2. d 3. & 7. huius, q. 13. Probat materiam non esse principiũ indiuiduationis.

Notandum, quòd ex hoc loco quo dicitur quòd illa sunt vnum numero, quorum materia est vna, sumunt quidam argumentum, quòd materia, quæ est altera pars compositi, est causa indiuiduationis. Sed contra istam opinionem arguitur, quia si materia est causa indiuiduationis, vbi eadem materia, ibi erit idem indiuiduum : sed eadem est materia in generato & corrupto ; ergo generatum & corruptum erunt idem indiuiduum, quod est euidenter falsum. Confirmatur : si primò ex aqua generetur ignis, & secundò ex igne generetur aqua, patet quòd aqua primò corrupta, & aqua secundò generata habent eandem materiam, & sunt eiusdem speciei; ergo aqua priùs corrupta & secundò generata esset eadem numero, quod est falsum : quia tunc per naturam corrupta possent redire eadem numero.

Præterea, quod est causa indiuiduationis est causa distinctionis : sed materia non est causa distinctionis, quia actus distinguit ex 7. Metaphysicæ, tex. co. 6. 29. materia non est actus; ergo, &c.

Præterea, materia est de essentia speciei, vt probatur 7. huius tex. com. 33. & 8. huius text. co. 6. 29. sed quod est de essentia speciei, non est causa indiuiduationis, quia tunc species esset indiuidua, & hæc: ergo materia non erit causa indiuiduationis. Confirmatur, quia semper contractiuum est extra rationem eius quod contrahitur : sed materia est de ratione speciei ; ergo species, siue natura specifica ; non potest per materiam contrahi ad hæcceitatem, siue indiuiduationem: nec auctoritas hîc posita cogit, nam hîc æquiuocè capitur materia.

61

Forma duplex.

Materia duplex.

Ad cuius euidentiam notandum, quòd materia & forma opponuntur relatiuè, ex 2. physic. text. com. 26. & quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur & reliquum, ex primo Topic. c. 12. Forma autem (quantum ad præsens spectat) accipitur dupliciter, scilicet pro forma partis, quæ est altera pars compositi ; vel pro forma totius, quæ est ipsa quiditas. Similiter materia correspondenter dicitur dupliciter, quia quædam est materia, quæ opponitur formæ partis, & hæc est materia, quæ est principium essentiale rei constituens cum forma vnum ens per se : quædam est materia, quæ opponitur formæ totius, & ipsi quiditati, & per consequens est extra rationem quiditatis rei formaliter, & hæc est materia, quæ est differentia, siue proprietas indiuidualis : quæ est causa propria hæcceitatis, & indiuiduationis, quæ potest nominari hæcceitatis. Cùm ergo dicit Philosophus quòd illa sunt vnum numero, quorum materia est vna, loquitur de materia non primo modo, sed secundo modo dicta, quæ congruè & propriè vocatur materia, quatenus constituit rem in esse vltimo subiicibili, & materiali: non autem in esse formali : quia, vt dictum est, non pertinet formaliter ad formalem quiditatem rei, & ista expositio consonat literæ Philosophi: subdit enim quòd illa sunt vnum specie, quorum ratio est vna: *ratio* quidem sumitur pro quiditate, quæ dicitur forma respectu esse indiuidualis. Deinde cũ dicit :

Quomodo materia est causa indiuiduationis.

Semper itaque posteriora præcedentia sequuntur, vt quæcunque numero specie vnum: sed quæcunque specie non omnia numero: sed genere omnia vnum quæcunque & specie. Quæcunque verò genere non omnia specie, sed proportione, & quæcunque proportione non omnia genere.

Ostendit istorum modorum mutuam habitudinem, & reductionem, quæ est ista, quòd in istis modis semper posterius sequitur ad præcedens, & non conuertitur: quæcunque enim sunt vnum numero, sunt vnum specie, sed non conuertitur, & sic de aliis; & hoc est quod dicit, quòd *semper ipsa posteriora sequuntur ad præcedentia, vt quæcunque sunt vnum numero, sunt vnum specie: sed quæcunque sunt vnum specie, non numero* supple sunt vnũ: *sed omnia sunt vnum genere, quæcunque sunt vnum specie : quæcunque verò* vnum *genere, non omnia sunt vnum specie, sed proportione*; id est, quòd quæcunque sunt vnum genere, sunt vnum proportione: *sed quæcunque*, sunt vnum *proportione, non omnia* supple sunt vnum *genere*. Deinde cùm dicit :

Qualiter se inferunt illatiue modi vnius Logicè diuisi?

Palàm autem & quòd multa oppositè dicuntur vni: nam alia non existendo continua, alia in habendo materiam diuisibilem secundùm speciem aut primam, aut vltimam, alia in habendo rationes plures quid erat esse dicentès.

62

Distinguit modos oppositi *vnius* quod est *multa*, dicens *palàm esse quod multa dicuntur opposita vni, nam alia* supple dicuntur multa *non existendo continua*, & hoc contra primum modum ; *alia* supple

supple dicuntur multa in *habendo materiam diuisibilem secundum speciem aut primam*, id est, proximam, *aut vltimam*, id est, finalem, ad quam vltimò stat resolutio; & hoc est contra secundum & tertium modum *vnius*: per diuisionem enim proximæ materiæ dicuntur multa vinum & oleum, sed per diuisionem vltimæ, & finalis materiæ dicuntur multa vinum & oleum & lapis: si ergo materia accipiatur largè pro subiecto, vel pro genere, patet quòd iste modus *multi* opponitur illi secundo modo & tertio modo vnius: *alia* verò dicuntur multa, *in habendo rationes plures*, id est, diffinitiones *dicentes quòd quid erat esse*; & hic modus sumitur per oppositionem ad quartum modum *vnius*.

Notandum, quòd vt prædictum est, & habetur primo Topic. c.12. quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur & reliquum: quia igitur vnum & multa opponuntur, ideò iuxta modos ipsius *vnius* accepti sunt modi ipsius *multi*: præterquàm de quinto modo: cuius ratio assignatur, quia quod opponitur quinto modo *vnius*, non propriè habet rationem *multi*, nisi secundùm quid & in potentia: quintus enim modus *vnius* fuit propter aliquid, quod dicitur vnum vnitate indiuisibilitatis: ex hoc autem quòd per oppositum est aliquid diuisibile, non propter hoc est multa simpliciter, nisi in potentia, & secundùm quid: sic enim quod est vnum primo modo, est multa, vt opponitur quinto modo, vt dictum est.

SVMMÆ VNICÆ

CAP. VII.

SVMMARIVM.

Ens diuiditur in per se, & per accidens, & hoc secundum in tres modos, quibus Doctor alios duos addit Secundùm scilicet ens per se, in omnia, quæ in prædicamentis continentur. An verò ens benè diuidatur in decem genera, tractat Doctor hîc q 5. An hæc decem distinguantur realiter, q 6. vbi vide Scholia.

Text. co.13.

ENs dicitur, hoc quidem secundùm accidens, illud verò secundùm se.

Ens duplex, per se, & per accidens.

Postquam Philosophus distinxit hoc nomen *vnum*, nunc distinguit hoc nomen *ens*, & duo facit: quoniam primò diuidit ens in ens per se, & in ens per accidens. Secundò subiungit diuisionis declarationem. Secunda ibi: *Secundùm accidens quidem.* Dicit ergo, quòd *ens dicitur hoc quidem secundùm accidens: illud verò secundùm se.*

63

Notandum, quòd ista diuisio entis in per se, & per accidens, est alia ab illa, quâ diuiditur in substantiam & accidens: quod patet, quia ens per se diuiditur postea in decem prædicamenta, inter quæ sunt nouem prædicamenta accidentis. Sciendum igitur quòd diuisio entis in substantiam & accidens est secundùm quòd ens absolutè consideratur: sic enim accidens in se consideratum dicitur ens, & similiter substantia dicitur ens: sed diuisio entis in per se & per accidens est secundùm quod ens consideratur in respectu, putà comparando accidens ad substantiam dicendo *homo albus*, vel accidens ad accidens, vt dicendo *album musicum*, & sic est ens per accidens; circunscripta autem ista comparatione, putà accipiendo hominem seorsum, vel albedinem seorsum, erit ens per se. Deinde cùm dicit:

Dicta diuisio differt à diuisione entis in substantiam, & accidens.

Secundùm accidens quidem, vt iustum musicum esse dicimus, & hominem musicum, & musicum hominem, similiter dicentes, vt musicum ædificare, quia accidit ædificatori musicum esse, aut musico ædificatorem, hoc enim esse hoc, significat accidere hoc huic. Sic autem & in dictis, quando hominem musicum dicimus, & musicum quando hominem, aut album musicum, aut hunc album, Hoc quidem quia ambo eidem accidunt: illud verò quia enti accidit, hoc autem musicum hominem, quia huic accidit musicum, sic autem dicitur & esse album, quia enim accidit ille est. Quæ quidem igitur secundùm accidens esse dicuntur sic dicuntur, aut eo quòd eidem enti ambo insunt, aut quia illud enti inest, aut quia ipsum est cui inest, de quo ipsum prædicatur.

74

Modi entis per accidens tres.

Declarat dictam diuisionem. Primò quantum ad membrum de *per accidens*. Secundò quantum ad membrum de *per se* ibi: *Secundùm se verò.* In prima parte ponit tres modos entis per accidens. Primus modus est cùm accidens comparatur, & prædicatur de alio accidente, vt cùm dicitur, iustum est musicum. Secundus modus est cùm accidens prædicatur de subiecto, vt dicendo: homo est musicus. Tertius modus est cùm subiectum prædicatur de accidente, vt dicendo, musicus est homo: qui modi quomodo differant specie ipse tangit in littera. Dicit ergo, quòd supple *secundùm accidens* dicitur ens: vt cùm *dicitur iustum esse musicum*, & iste est primus modus: *& etiam dicimus hominem esse musicum*: quantum ad secundùm modum: *& musicum esse hominem*, quãtum ad tertium modum: quod declarat per simile in causis per accidens, dicens: *similiter dicentes*, supple ens per accidens, *vt musicum ædificare*: nã supple ideò dicimus musicum ædificare, *eo quòd accidit ædificatori musicum esse, aut* èconuerso *musico ædificatorem, hoc enim esse hoc*, id est, musicum ædificare, *significat hoc accidere huic: sic autem & in dictis, quando dicimus hominem esse musicum*, quantum ad secundum modum, *& musicum hominem*, quantum ad tertium: *aut album esse musicum aut* èconuerso: *hunc* scilicet *musicum esse album* quantum ad primum modum: quorum differentiam subdit dicens, quòd *hoc quidem* supple dicitur ens per accidens, *quia ambo eidem accidunt* quantum ad primum modum: pro tanto enim album & musicum sunt vnum, quia ambo accidunt tertio, scilicet subiecto: *illud verò quia enti*, id est, subiecto, *accidit hoc*, scilicet accidens quod prædicatur, quantum ad secundum modum: aut dicendo musicum esse hominem, *quia huic*, scilic. homini, *accidit esse musicum*, quãtum ad tertium modum: pro tantò enim est verũ quòd musicus est homo, quia ipsum musicũ accidit homini: *sic & ipsũ musicum dicitur esse albũ, quia cui accidit*, sci. *musicum, inest album*, vt iam dictum fuit exponendo primum modum. Concludit ergo, *quæ quidem igitur dicuntur*

Primus modus entis per accidens.

dicuntur secundùm accidens, aut eo quod eidem enti ambo insunt, quantum ad primum modum: *aut quia enti*, id est, subiecto *illud inest*, scilicet prædicatum quod est accidens, quantum ad secundum: *aut quia ipsum*, scilicet subiectum quod ponitur à parte prædicati *est illud cui inest*, scilicet accidens, *de quo ipsum subiectum prædicatur*, quando scilicet accidens ponitur ex parte subiecti, & hoc est quantum ad tertium modum.

Alij duo modi entis per accidens.

Notandum quòd possent etiam addi duo modi entis per accidens; vnus quando terminus cõplexus per accidens prædicatur de termino incomplexo: exemplum, vt homo est homo musicus. Alius est, cùm terminus complexus per accidens comparatur, & prædicatur de alio similiter complexo, vt si dicatur, homo musicus est homo iustus. Sed quia per istos modos tres positos in litera, possunt etiam intelligi isti duo modi, pro quanto ad istos reducuntur, sicut patet, ideò forsan Philosophus de illis non curauit. Deinde cùm dicit;

Text.c.14.

Secundùm se verò dicuntur esse quæcunque significant figuras prædicationis, quoties enim dicitur, toties esse significat. Quoniam ergo prædicatorum alia quid est significant; alia quale; alia quantum; alia ad aliquid; alia facere; alia pati; alia vbi; alia quando; horum vnicuique idem esse significat.

Prosequitur de alio membro diuisionis, scilicet de ente per se. Circa quod duo facit, secundùm duas diuisiones, quas ponit de ente per se. Prima est, vt diuiditur in decem prædicamenta. Secunda est, vt diuiditur per potentiam & actũ. Secunda ibi: *Ampliùs autem & esse significat.* Prima in tres, primò enim facit quod dictum est. Secundò remouet quoddam dubium. Tertiò incidentaliter addit quandam diuisionem, siue acceptionem entis, prout ens & non ens extenduntur ad ens & non ens rationis. Secunda ibi: *Nihil enim refert.* Tertia ibi: *Ampliùs esse & est.* Dicit ergo quòd *secùndùm se dicuntur esse quæcunque significant figuras prædicationis*, id est, diuersa prædicamenta: *quoties enim dicitur*, scilicet aliquid esse, *toties esse significat*, id est, tot modis significatur ens: *quoniam Prædicamentorum alia quid est significant*, id est, substantiam; *alia quale; alia quantum; alia ad aliquid; alia facere*, id est, actionem; *alia pati; alia vbi; alia quando. Horum vnicuique significat esse idem*, quod est dictum denominatiuè ab ente.

Prima diuisio entis per se in decem, videlicet genera.

Sed est dubium cùm communiter ponantur esse decem Prædicamenta, & Philosophus non enumeret nisi octo. c.14. huius. Respondet Commentator, quòd id fecit causâ breuitatis. Contrà, quæ prolixitas fuisset dicere duo verba, maximè cùm sint necessaria, non videtur. Vnde nec in tota Metaphysica inuenitur, quòd aliquãdo decem enumerat. Vnde occasione huius quærunt aliquì vtrùm sint plura vel pauciora quàm decem Prædicamenta: quærunt etiam iuxta hoc, vtrùm per istam diuisionem, quâ ens diuiditur in decem Prædicamenta, ipsa distinguantur realiter: sed quia neutra harum quæstionum posset breuiter pertractari, ideò causâ breuitatis vsque ad aliud tempus differantur, supponendo cum communi schola, & quòd prædicamenta realiter distinguantur, & quòd non sint plura quàm decem, neque pauciora: quando omne ens prædicamentale sit in aliquo istorum decem, vel saltem reducatur. Deinde cùm dicit:

Has duas quæst. habet Scot. suter hoc 5. enucleatas. De numero, & distinctione Prædicamentorum.

Nihil enim refert, homo conualescens est, aut homo conualescit: vel homo vadens est, aut secans, vel hominem vadere, aut secare. Similiter autem, & in aliis.

66

Remouet quoddam dubium: quia enim quædam prædicantur, in quibus hoc verbum, *est*, explicitè non ponitur, vt cum dicitur homo ambulat, fortè crederet aliquis, quòd tales prædicationes non pertinerent ad prædicationem entis: hoc remouet dicens, quòd *nihil* refert dicere, *homo est conualescens, aut homo conualescit*: aut dicere, *homo est vadens, aut secans: vel dicere hominem vadere, vel secare: similiter autem, & in aliis.* Vult dicere, quòd in omni prædicatione ponitur verbum essendi, implicitè, vel explicitè: nam si ibi ponitur aliquod verbum, illud resoluitur per participium, & per *est*; vnde idem est dicere, homo est conualescens, quod homo conualescit; & sic de aliis. Deinde cùm dicit:

In omni propositi. ne includitur verbum substantiuum.

Ampliùs autem, & esse significat, quia verum: non esse, quia non verum, sed falsum. Similiter in affirmatione, & negatione, vt quod est Socrates, musicus, quod est verum aut quod est Socrates albus, quod est verum: hoc autem non est diameter commensurabilis, quod est falsum.

Incidentaliter addit quandam acceptionem entis, prout ens, & non ens extenduntur ad ens, & non ens rationis, dicens, quòd *esse*, & *est significant, quia verum*, id est, aliqua propositio, & aliquod dictum est verum: *non esse autem, quia non verum, sed falsum*; & hoc *similiter in affirmatione & negatione*, quia siue propositio sit affirmatiua, siue negatiua; cùm dicimus ipsam esse, significamus ipsam esse veram; & cum dicimus ipsam non esse, significamus ipsam esse falsam: veram, vt dicentes affirmando quòd *Socrates est musicus*, quia *hoc verum* est; negando etiam dicendo, quòd Socrates non est musicus: quia hoc verum est: hoc autem dicendo, quod *diameter non est incommensurabilis*, scilicet lateri quadrati dicimus *quod est falsum*: falsum enim est diametrum non esse incommensurabilem; & ideò sic negando dicimus falsum. Similiter possumus dare exemplum quando affirmando etiam dicimus esse falsum, puta dicendo hominem esse asinum.

Vide Sco, in 3 dis. 6. q. 1, vbi appellat esse in proposito syncategorematicum. Hæc patent sup. in 4. in definitionibus veri & falsi.

Notandum, quòd iste modus accipiendi ens, differt ab ente accepto in prima diuisione entis, prout ens diuiditur in decem genera: quia ibi accipitur ens reale, & extra intellectum: hìc autem accipitur ens intentionis prout scilicet significat habitudinem prædicati ad subiectum in propositione: quæ habitudo capitur ab intellectu componente, & diuidente, & comparante terminum subiectum, & illa habitudo dicitur esse, vel non esse ipsius compositionis secundùm quod

67

Ens duplex. Hic accipitur diuisio prima entis in ens reale, & rationis.

propositio est vera, vel falsa. Ex quo patet, quòd iste modus accipiendi ens comparatus ad primũ se habet ad ipsum sicut effectus ad causam: quia ab eo, quod res est, vel non est, oratio vera, vel falsa dicitur, vt habetur in Prædicamentis. Deinde cùm dicit;

SVMMARIVM.

Explicatur diuisio entis in potētiam, & actum. Doctor benè explicat potentiam obiectiuam & subiectiuam, de quo agit, 2. d. 12. q. 1. & dist. 15. ad 3. prò Goffredo. Notat etiam diuisum hîc non dici de membris, quia alterum est distrahens, nempe potentia.

AMpliùs esse significat & ens, hoc quidem potestate dicibile: illud verò quod actu: horum enim dictorum terminorum esse dicimus, & quod potestate dicibile est terminorum, & quod actu, & scire similiter, & potens vti scientia, & vtens, & quiescens, & cuiiam inest quies, & potens quiescere: similiter autem, & in substantiis. Etenim Mercurium in lapide dicimus esse, & medietatem lineæ, & frumentum nondum perfectum. Quomodo verò potens, & quando nondum, in aliis determinandum.

Secunda diuisio entis per se per potentiam & actum.

Ponit secundam diuisionem entis per se, prout scilicet diuiditur per potentiam & actum, dicens *esse significat, quod hoc quidem ens est dicibile potestate*, id est, in potentia, *illud verò actu*: subdit autem, quòd *horum dictorum terminorum*, qui scilicet significant decem Prædicamenta, *dicimus esse & quod est dicibile potestate, & quod actu*: potentia enim, & actus diuidunt omne ens, & omne Prædicamentum, quod exponit per quædam exempla, dicens, quòd *similiter* aliquis dicitur *scire*, vel quia est *potens vti scientia*, vel quia est *vtens*, scilicet in actu: similiter dicitur aliquis *quiescens, & ille cui iam inest quies* in actu, *& qui est potens quiescere: similiter autem*, & se habet *in substantiis, etenim Mercurium*, id est, imaginem Mercurij *dicimus esse in lapide* supple in potentia, *& medietatem lineæ* supple dicimus esse in linea, similiter in potentia: sicut omnes partes continui sunt in continuo in potentia: quia verò fuit opinio quorundam Mathematica esse substantias, vt dictum est in 1. libro, ideò lineam hîc connumerat inter substantias, ex eo, quod istam opinionem nondum plenè reprobauit: *similiter frumentum nondum perfectum*, puta quando est in herba, dicitur supple frumentum in potentia. Subdit autem quòd *quando* aliquid fit *potens*, id est, in potentia, *& quando non*, sed supple est in actu, *in aliis determinandum est*, scilicet in nono hujus.

68

Potentia actus duplex obiectiua, & subiectiua quibus respōdet duplex actus similiter.

Notandum, quòd sicut dictum fuit in quarto libro, duplex est potentia scilicet obiectiua, & subiectiua, & dicitur potentia subiectiua respectu subiecti, vt cum dicimus, quòd forma est in potentia materiæ, sed dicitur potentia obiectiua respectu termini in comparatione ad agens; & hoc modo rosa non existens, sed possibilis produci, dicitur hoc modo esse in potentia. Similiter est duplex actus huic duplici potentiæ oppositus, actus oppositus potentiæ subiectiuę est actus formalis, qui est ipsa forma: actus autem oppositus potētiæ obiectiuæ est actus existentiæ actualis, & tunc dicitur aliquid esse isto modo, quando actualiter existit. Ad propositum cùm Philosophus diuidit ens per actum, & per potentiã, accipit potentiam obiectiuam, & actum sibi oppositum, sic enim actus, & potentia sunt differentiæ entis. Sed contrà, quia omne diuisum prædicatur de per se diuidentibus: sed ens non prædicatur de ente in potentia obiectiua, cùm illud fit non ens; nam rosa non existens est formaliter non ens, & nihil; ergo ens non diuiditur per talem potentiam. Respondeo quòd diuisio alicuius est duplex, quia quædam est diuisio distrahens, & quædam non. Exemplum primi, si dicatur quòd homo quidam verus, quidam pictus: nam esse pictum distrahit hominem, sicut esse mortuum. Exemplum secundi, vt cum dicitur, quòd animal quoddam est rationale: quoddam irrationale. In prima diuisione, diuisum non prædicatur de diuidente distrahente; ista enim est falsa, *homo pictus est homo*; sicut & ista, *homo mortuus est homo*. In secunda diuisione concedo, quòd quòd diuisum prædicatur de vtroque diuidente, vt patet in exemplo dicto: quia animal siue rationale, siue irrationale, est verè animal: diuisio autem entis per actum, & potentiam est omnino distractiua diuisio: nam potentia distrahit ab ente; & ideò non sequitur quòd ens in potentia sit ens. Quando ergo arguitur, quòd omne diuisum prædicatur de per se diuidentibus, dico quòd falsum est de diuisione facta per distrahens, qualis est diuisio entis per actum & potentiam: ad differentiam primæ diuisionis entis per se prout diuiditur in decem genera, quia verum ens distinguitur in decem Prædicamenta, secundùm diuersos, &c.

Diuisio duplex distrahens, & non distrahens.

Non prædicatur super diuisum de quolibet diuidente.

SVMMÆ VNICÆ

CAPVT VIII.

De Substantia.

SVMMARIVM.

Explicatur in toto hoc capite diuisio substantiæ in primam, & secundam; tangit aliam acceptionem substantiæ secundùm Platonicos, item quòd accipitur pro forma, reducit tamen quatuor hos modos ad 1. & 2.

Text. co. 15.

SVbstantia dicitur & simplicia corpora, vt terra, & ignis, & aqua, & quæcunque talia, & vniuersaliter corpora ex his consistētia, & animalia, & dæmonia, & partes omnium horum; hæc autem dicuntur omnia substantia, quia non de subiecto dicuntur, sed de his alia.

In ista parte, vt dicebatur distinguit Philosophus, hoc nomen *substantia*, quæ est principalior pars

Substantia sumitur 4. modis.

pars subiecti primi huius libri. Circa quod duo facit: quia primò distinguit modos substantiæ. Secundò reducit omnes modos ad duos. Secunda ibi: *Accidit itaque.* Prima diuiditur in quatuor, secundùm quod quatuor modos substantiæ ponit. Secunda ibi: *Alio verò modo.* Tertia ibi: *Amplius quæcunque.* Quarta ibi: *Amplius quòd quid erat esse.* Dicit ergo primò, quòd *substantia dicitur* vno scilicet modo ipsa *simplicia corpora, vt terra, ignis, aqua & quæcunque talia, & vniuersaliter corpora quæcunque* sint, siue simplicia, siue mixta, & etiam animalia *constantia ex his*, scilicet corporibus simplicibus, vel mixtis quæ sunt homogena, puta carnibus, & ossibus, & huiusmodi, *& dæmonia & partes horum, hæc autem omnia dicuntur substantia: quia non dicuntur de subiecto, sed alia de his* dicuntur: hæc est descriptio primæ substantiæ data in Prædicamẽtis, cap. de Substantia. Per quod Philosophus dat intelligere, quòd per istum primum modum intelligit primam substantiam, quæ est substantia particularis.

Dæmones apud Philosophum possunt intelligi dupliciter.

Notandum, quòd per dæmonia Philosophus hæc intelligit idola, quæ vt Dij ab antiquis ponebantur, vel intelligit quædam rationalia animalia, quæ Platonici, vt eis imponitur, duo esse ponebant, & esse similis speciei cum hominibus, secundùm aliquos, vt dictum fuit in tertio huius, vnde quidam, vt dicitur, vocatus Apuleius Dæmones sic deffinit: Dæmones, inquit, animalia sunt corpore aërea, mente rationalia, animo passibilia, tempore æterna. Deinde cùm dicit:

Dæmõ quid, secundùm Apuleium?

Alio verò modo quodcunque fuerit causa existendi inexistens in talibus: quæcunque non dicuntur de subiecto, vt anima animalis.

70 Quod est intrinsecũ substãtiale aliorum dicitur substantia eius.

Ponit secundum modum dicens, quòd *alio modo* dicitur substantia *quæcunque fuerit causa essendi inexistens in talibus quæcunque non de subiecto dicuntur*, id est, in prædictis substantiis primis quæ non dicuntur de subiecto; & dicit, inexistens, ad remouendum causas extrinsecas; vnde subdit, quòd *anima* supple est causa essendi inexistens *animali*, etenim dicitur esse substantia animal.

Notandum, quòd ad istum modum substantiæ potest reduci materia, quæ est principium inexistens primæ substantiæ: possunt etiam ad hunc modum reduci secundæ substantiæ, quæ de conceptu formali, & intrinseco sunt primæ substantiæ. Deinde cùm dicit:

Amplius quæcunque particula existentes sunt in talibus terminantes, & hoc aliquid significantes: quibus destructis destruitur totum, vt superficie, corpus, vt quidam dicunt, & superficies linea, & totaliter numerus videtur esse quibusdam talis; nam destructo nihil esse, & terminare omnia.

Ponit tertium modum, qui est secundùm opinionem Platonicorum, & Pythagoricorum, dicens quòd *Amplius* supple dicuntur substantia *quæcunque particulæ sunt existentes in talibus*, scilicet in prædictis substantiis, quæ sunt *terminantes*, id est, terminum earum, *& hoc aliquid significantes* secundùm eos, *quibus destructis destruitur totum, vt superficie* supple quâ corpus terminatur destructa, & *corpus* scilicet destruitur: *numerus videtur esse talis*, scilicet quòd sit substantia omnium rerum: *nam destructo* numero *nihil esse* dicunt, *& terminare omnia* supple dicunt ipsum numerum.

71 Opinio Platonicorum de substantia rerum.

Notandum, quòd secundùm illos linea est pars superficiei, & superficies corporis: dicebant enim lineas componi ex punctis, & superficies ex lineis, & corpus ex superficiebus, de qua opinione habetur prolixiùs 3. de Cælo, & Mundo, text. c. 5. & inde. ex quo sequitur, quòd pũcta essẽt substãtia lineæ, & linea superficiei, & superficies corporis. Iterũ secundũ hãc opinionẽ videtur numerus esse vniuersaliter substantia omnium entium, quatenus remoto numero, secundùm eos, nihil remanet in rebus: quia quod non est vnum, nihil est; & similiter, quæ non sunt plura, nihil sunt. Numerus etiam dicitur terminare omnia: ex hoc quod omnia per numerum mensurantur. Sed tamen istud motiuum eorum nullum est: non enim sequitur, quòd illud, sine quo res esse non potest, sit substantia illius rei; sed potest esse aliqua proprietas consequens rei substantiam: secundùm quemmodum se habent propriæ passiones ad subiecta propria. Peccabant etiam isti specialiter quantum ad numerum, non distinguentes inter vnum, quod conuertitur cum ente, & quod est principium numeri: nam benè verum est, quòd nullum ens potest esse non vnum, quod est passio entis, licèt sit non vnum, quod est principium numeri, qui est de genere Quantitatis, de quo loquebantur ponentes Mathematica esse rerum substantias, de qua opinione fuit dictum in primo huius. Deinde cùm dicit:

Vnũ duplex.

Amplius quod quid erat esse cuius ratio est diffinitio, & hæc substantia dicitur vniuscuiusque.

Forma duplex.

Ponit quartum modum dicens, quòd *amplius*, id est, alio modo, dicitur substantia quod *quid erat esse*, id est, quiditas rei: *cuius ratio est diffinitio*, id est, quam significat diffinitio, *& hæc dicitur substantia vniuscuiusque.* Ex quo patet quomodo differt iste quartus modus à secundo. Nam secundus modus accipit substantiam pro forma partis; iste verò pro forma totius, quæ est ipsa rei totalis quiditas, comprehendens non tantùm formam, sed etiam materiam. Deinde cùm dicit:

Accidit itaque secundùm duos modos substantiam dici subiectum vltimum, quod non adhuc de alio dicitur, & quodcunque hoc aliquid ens, & separabile fuerit: tale verò vniuscuiusque forma & species.

Reducit omnes dictos modos ad duos, dicens *substantia* vno modo est, secundùm quam *dicitur subiectum vltimum*, id est, prima substantia, quæ ita subiicitur, quòd *non adhuc de alio prædicatur, & quòd est hoc aliquid ens*, quasi per se existens, *& separabile fuerit*, id est, distinctum ab omnibus aliis: *tale verò*, id est, alio modo dicitur substantia *vniuscuiusque forma & species*: sicut etiam dictum fuit, in quo concludit secundum, & quartum modum: nam tã forma partis, quàm forma

forma totius, dicitur forma, & species, sicut etiã dictum fuit in præcedentibus, distinguendo de materia, prout opponitur formæ partis, vel formæ totius. Sed tertium modum prætermittit pro eo, quod est secundùm opinionem aliorum falsum.

SVMMÆ VNICÆ
CAPVT IX.

De eodem, diuerso, & differenti. Item de simili, & dissimili. Item de oppositis, contrariis, & diuersis specie.

SVMMARIVM.

In hoc capite vsque ibi, *Contraria dicuntur.* explicantur nomina, idem per se, & per accidens, cuiusque oppositum, scilicet, diuersum, seu differens. Item simile, & dissimile. Ponit quatuor modos oppositionis, eorumque sufficientiam, de quo cap. de oppositis. Vide Doctorem quæst. 37. & 38. de Prædicamentis.

Tex. non habens com. sed multum notabilis.

EAdem verò dicuntur, hæc quidem secundùm accidens, vt album, & musicum idem, quia eidem accidunt; & homo, & musicum, quia alterum alteri accidit; & musicum autem homo, quia musicum homini accidit, vtrique autem hoc, & horum vtrumque illi; etenim, homini musico, & homo, & musicum idem dicitur, & his illud.

72 Postquam Philosophus distinxit nomina significantia subiectum huius scientiæ, nunc distinguit nomina significantia partes subiecti. Circa quod duo facit; quia primò distinguit nomina significantia partes vnius. Secundò nomina significantia partes entis. Secunda ibi: *Potestas dicitur.* Prima in duas. Primo enim facit quod dictum est, Secũdo distinguit nomina significantia ordinem, scilicet prius, & posterius, quod consequitur ad vnum: nam vnum esse est principium esse, vt dictum fuit supra capit. de vno. Secunda ibi: *Priora & posteriora.* Prima in duas: Primò enim distinguit nomina significantia partes *vnius*, & sui oppositi, quod est *multa.* Secundò distinguit quædam nomina significantia quasdam secundarias partes multitudinis, quæ reducuntur ad diuersum, & differens. Secunda ibi: *opposita dicuntur.*

Considera quomodo 1. 3. sint partes vnius, cum tamen 1. 3. resolutiones fundit ur super vnitate bene.

Ad euidentiam primæ partis notandum est, quòd vt dictum fuit in quarto huius, partes *vnius* sunt *idem, simile*, & *æquale*: partes autem *multitudinis* sunt *diuersum, dissimile*, & *inæquale.* In loco autem isto est, *vt dicitur*, vel *dicuntur*, quia in eis est nobis occulta multiplicitas: secundùm hoc ergo, ista pars diuiditur in duas: quia primò distinguit hoc nomen *idem*, & suum oppositum. Secundò hoc nomen, *simile* & suum oppositum. Secunda ibi: *Similia autem dicuntur.* Prima in duas: quia primò distinguit ipsum idem. Secundò eius oppositum, scilicet diuersum. Secunda ibi: *Diuersa verò.* Prima in duas, secundùm quod idem potest dupliciter accipi, scilicet per se, & per accidens. Primò ergo distinguit idem per accidens dictum. Secundò idem per se dictum. Secunda ibi: *Alia verò secundùm se.* Prima in duas, quia primò ponit modos eiusdem per accidens. Secundò infert conclusionem quandam ex prædictis. Secunda ibi: *Quapropter.*

73 *Idem per accidens dicitur 5. modis.*

In prima parte ponit quinque modos eiusdem per accidens. Primus modus est, cùm accidens dicitur idem accidenti, puta dicendo, quòd album, & musicum sunt idem. Secundus est cùm accidens dicitur esse idem subiecto, puta musicum esse idem homini. Tertius modus est conuersiuus secundi, cùm subiectum dicitur idem accidenti puta homo musico. Quartus modus est, quando accidens incomplexum idem dicitur esse complexo ex subiecto, & accidente, vt si musicum dicatur esse idem homini musico. Quintus modus est, cùm terminus complexus dicitur esse idem subiecto simplici, vel accidenti simplici: vt si dicatur, quòd homo musicus est idem homini seorsum, vel ipsi musico seorsum. Dicit ergo quòd dicuntur *hæc quidem secundùm accidens, vt album, & musicum* dicuntur *idem*: quia eidem scilicet subiecto accidunt, & iste fuit modus primus. Pro tanto ista est vera: album est musicum: quia *vtrumque accidit alicui* tertio, in quo sunt vnum: & iterum *homo, & musicum*, id est, quod musicum prædicatur, & dicitur esse idem homini per accidens, *quia alterum* scilicet musicum *accidit alteri*, scilicet homini: & iste fuit secundus modus, vbi prædicatum accidit subiecto. Iterum *musicum & homo*, id est, quòd homo prædicatur, & dicitur esse idem musico: *quia musicum accidit homini*: & iste fuit tertius modus, vbi subiectum accidit prædicato. Iterum *vtrique*, id est, termino complexo ex subiecto, & accidente dicitur esse idem *hoc*, id est, accidens, quod de illo termino prædicatur, & ille fuit quartus modus, puta dicendo, homo musicus est musicus. Iterum *horum vtrumque*, id est, terminus complexus ex vtroque dicitur esse idem *illi*, id est, termino incomplexo, & iste fuit quintus modus, puta dicendo homo est homo musicus. Potest autem accipi ex parte subiecti, vt dictum est, terminus incomplexus significans subiectum, vel accidens. Ideò subdit, quòd *homini* scilicet seorsum, *& musico*, seorsũ *dicitur esse idem homo, & musicũ*, simul *& his*, scilicet homini musico, *illud* puta homo, vel musicus, quando accipitur èconuersò secundùm quartum modum. Deinde cùm dicit:

Quapropter & omnia hæc vniuersaliter non dicuntur: non enim est verum dicere quòd omnis homo idem, & musicum: nam vniuersalia secundùm se existunt: accidentia verò non secundùm se, sed in singularibus simpliciter dicuntur: idem enim videtur esse Socrates, & Socrates musicus, nam Socrates non in multis; propter quod non omnis Socrates esse musicus neque Socrates dicitur, quemadmodum omnis homo, & hæc quidem sic dicuntur eadem.

74 Infert ex dictis quandam conclusionem, dicẽs, *quapropter omnia hæc*, in omnibus modis prædicandi, in quibus scilicet prædicatur idem per accidens, *non dicuntur vniuersaliter*: *non enim*

enim est verum dicere scilicet necessariò, *quòd omnis homo est idem, & musicum*, id est, quòd omnis homo sit idem musico: cuius causam subdit: *nam vniuersalia secundùm se existunt: accidentia autem non secundum se*, id est, quod in propositione vniuersali in qua prædicatum dicitur de subiecto vniuersaliter, prædicatum conuenit ipsi vniuersali secundùm se, & non ratione singularium: non sic autem est vbi prædicatum est idem secundùm accidens subiecto: quia tale prædicatum non inest secundùm se ipsi vniuersali, sed ratione singularium, de quibus illud prædicatum prædicatur simpliciter; ideò subdit: *sed in singularibus simpliciter dicuntur, idẽ enim videtur esse*, scilicet subiecto: *Socrates, & Socrates musicus: nam Socrates non est in multis*, quia scilicet non est vniuersale, *propter quod non dicitur omnis Socrates, quemadmodum omnis homo*, & hæc est ratio: quia prædicatum idem per accidens non prædicatur vniuersaliter de termino singulari, quia singulare non est vniuersale: licèt prædicetur simpliciter de eo: quia talia accidentia primò insunt singulari, & ex consequenti dicuntur inesse vniuersali; ideò enim homo est albus, quia Socrates est albus. Concludit ergo, quòd *hæc eadem sic dicuntur*. Deinde cum dicit;

Differunt idẽ per se, & idẽ per accidẽs in modo prædicandi.

Alia verò secundùm se, quemadmodum & vnum: etenim quorum materia vna, aut specie. aut numero, eadem dicuntur, & quorum substantia vna.

Idem per se dicitur 5. modis.

75 Distinguit modos eiusdem per se. Circa quod duo facit. Primo enim facit quod dictum est. Secundò infert conclusionem quandam ex prædictis ibi: *Quare palam*. Dicit ergo quòd *alia verò* supple dicuntur eadem *secundùm se, quemadmodum, & vnum*, id est, quòd eisdem modis, quibus dicitur vnum per se, dicitur & idem per se: *etenim eadem dicuntur quorum materia est vna, aut specie, aut numero*, & in hoc tanguntur duo modi eiusdem per se correspondentes secundo, & tertio modis vnius, dicuntur etiam eadem *quorum substantia est vna*, & in hoc tanguntur tres modi eiusdem per se, correspondẽtes primo, & quarto, & quinto, modis vnius: nam substantia vna potest dici, vel ratione continuitatis, quoad primum modum; vel ratione vnitatis in diffinitione & ratione, quoad quartum, & quintum modum. Deinde cùm dicit;

Quare palàm quia identitas vnitas quædam plurium essendi, aut quando vtitur vno, vt pluribus, veluti quando dixerit ipsum ipsi idem; nam vt duobus vtitur eodem.

Infert ex dictis conclusionẽ quandam, dicẽs *palã* esse: *quia identitas est quædã vnitas, aut pluriũ essendi*; id est, quando illa quæ dicuntur idem, sunt plura secundùm esse, & tamen dicuntur idem inquantum in aliquo conueniunt, aut quia sunt vnum secundùm esse, & tamen intellectus vnus *vtitur vno, tanquam duobus: veluti quando dixerat ipsum idem ipsi, nã eodem vtitur vt duobus*, puta dicendo idem sibi idem. Ex hoc sumitur argumentum, quòd identitas numeralis non sit relatio realis; nam relatio realis requirit duo extrema distincta realiter, idem autem à seipso non distinguitur realiter. Deinde cùm dicit:

Vide in q huius 5 c. de relatione.

Diuersa verò dicuntur quorum, aut species plures, aut materia, aut ratio substantia. Et oppositè omninò eidem dicitur diuersum.

Distinguit oppositum *vnius*, quod est *diuersum*. Circa quod duo facit: quia primò distinguit ipsum *diuersum*. Secundò ipsum *differens*, quod est quasi idem cum diuerso ibi: *Differentia verò*. Dicit ergo quòd *diuersa dicuntur* vno modo, *quorum species sunt plures*, puta homo, & asinus: alio modo *quorum materia est alia*. & potest accipi materia pro subiecto, vel genere, & sic possunt sumi duo modi diuersitatis iuxta alietatem materiæ. Alio modo dicuntur diuersa, *quorum ratio substantiæ*, id est, diffinitio substantialis est alia, & subdit, quòd *omnino diuersum opponitur eidem*, ideò tot modis potest accipi, quot modis ipsum idem: quia quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis & reliquum correspondenter. Deinde cùm dicit:

Diuersum totiẽs quotiẽs & idem.

Differentia verò dicuntur quæcunque diuersa sunt idem aliquid entia, & non solum numero, sed specie, aut genere, aut proportione.

Distinguit ipsum *differens*. Circa quod tria facit. Primò enim ponit vnum modum. Secundò alium. Tertiò ostendit quæ propriè sint differentia. Secunda ibi: *Amplius*. Tertia ibi: *Et contraria*. Dicit ergo quòd *differentia dicuntur quæcunque dicuntur diuersa idem aliquid entia*, id est, in aliquo vno conuenientia, siue illud sit *vnum numero*, vt Socrates scribens differt à Socrate non scribente: tamen sunt idem in Socrate siue illud sit idem *in specie*, vt Socrates, & Plato, qui conueniunt in homine: siue illud sit vnum *genere*, vt homo, & asinus conuenientes in animali: siue illud sit vnum *proportione*, sicut tranquillitas maris, & serenitas aëris, quæ differunt, & tamen communicant secundùm quandam proportionem in hoc quod est esse quietum. Deinde cùm dicit;

Differens dicitur dupliciter, vel vno modo duntaxat.

Ampliùs quorum diuersum genus.

Ponit secundum modum dicens, quòd *Ampliùs*, id est, alio modo dicuntur differentia *quorum genus est diuersum*, & ideò non sunt aliquid idem entia in aliquo vno specie, vel genere, &c. sed fortè in aliquo transcendente, vt substantia, & quantitas in ente. Deinde cùm dicit:

Et contraria & quæcunque habent in substantia diuersitatem.

Ostendit quæ propriè sunt differentia, dicens quòd *contraria & quæcunque habent in substantia diuersitatem*, supple sunt propriè differentia, sicut duæ species sub genere: quæ duabus contrariis differentiis, & substantialibus differunt, & conueniunt

conueniunt in genere: posset tamen tota ista litera præcedens exponi sic, quòd totum sit vnus modus,& exemplificat de diuersis: quomodo sint differentia, & aliquid idem entia.

Notandum, quòd sicut potest elici ex litera, diuersa propriè dicuntur quæ vt sic non respiciũt aliquam conuenientiam, sed solùm dicuntur diuersa, vt non conueniunt; & ex hoc sequitur, quòd illa, quæ in nullo simpliciter conueniunt, sunt propriè diuersa,& dicuntur primò diuersa, vt sunt vltimæ differentiæ, secundùm quod fuit ostensum quarto huius; sed differentia, non tantùm respiciunt diuersitatem, sed etiam conuenientiam in aliquo vno; & ideò dicuntur diuersa idem aliquid entia, vt dictum est. Deinde cùm dicit:

Differentia & diuersitas differunt, & conueniunt.

Similia dicuntur quæcumque idem passa, & plura idem passa, aut diuersa, & quorum qualitas vna,

Hìc distinguit hoc nomen *simile*. Circa quod tria facit. Primò enim ponit modos similis. Secundò ostendit, quæ debeant dici maximè similia. Tertiò innuit distinctionem oppositi quod est *dissimile*. Secunda ibi: *Et secundùm quæcunque*. Tertia ibi: *Opposita verò*. Innuit autem tres modos similis dicens, quòd *similia dicuntur* vno modo, *quæ sunt omninò idem passa*, puta duo patientes febrem similes dicuntur: alio modo dicuntur similia aliqua *plura quæ sunt passa idem, aut diuersa*, sicut duo homines dicuntur similes non solùm si patiantur idem, puta ambo tertianã: sed etiam si patiantur diuersa, putà vnus febrem, alius verberationem: alio modo dicuntur similia, *quorum est qualitas vna*, puta duo equi albi, & iste est proprius modus ad quem reducuntur etiã prædicti, pro quanto istæ passiones possunt dici quædam qualitates: vnum enim in qualitate facit simile. Deinde cùm dicit:

77

Similia dicuntur tripliciter.

Et secundùm quæcumque alterari contingit contrariorum, horum quod plura habet, aut magis propria, huic est simile: opposita verò similibus dissimilia.

Ostendit quæ debent dici maximè similia: dicens quòd *secundùm quæcunque contrariorum cõtingit alterari*, id est, cùm sint multæ contrarietates, in quibus fit alteratio; *horum quod plura habet, aut magis propria, est huic simile*, id est, ille qui alteri similis secundùm plures contrarietates, aut secundùm magis proprias, est maximè illi similis. Exemplum primi, vt duo homines quorum vterque sapiens, vterque liberalis, &c. Exemplum secundi, aqua est magis similis aëri, quam ignis, pro quanto assimilatur sibi in humiditate, quæ est principalior, & magis propria qualitas aëris, quàm caliditas, in qua sibi assimilatur ignis. Vltimò innuit distinctionem dissimilis dicens, quòd *dissimilia dicuntur opposita similibus*, & ideò iuxta modos *similis* possunt accipi per oppositum modi *dissimilis*. Tunc sequitur illa pars:

Quis dicitur maximè similis?

Opposita dicuntur contraria, contradictio, & ad aliquid, & priuatio, & habitus.

Vbi distinguit quædam nomina significantia quasdam secundarias partes multitudinis, quæ reducuntur ad differens, & diuersum. Circa quod duo facit: quia primò distinguit modos oppositionis. Secundò dat documenta ad cognoscendum, aliqua esse opposita. Secunda ibi: *Et ex quibus*. Distinguit ergo quatuor modos siue species oppositionis, dicens, quòd *opposita dicuntur contradictiones*, id est, contradictoria, *& contraria & ad aliquid*, id est, relatiua, *& priuatio, & habitus*.

78

Modi oppositionis. 4.

Notandum, quòd sufficientia ista quatuor specierum oppositionis potest sic haberi: quia opposita, vel ponunt se, vel excludunt se. Si primo modo, sic sunt relatiua, quæ ratione mutuæ dependentiæ simul sunt,& non sunt: si secundo modo, vel vtrumque extremum ponit aliquid, vel nihil: si vtrumque ponit aliquid, sic sunt contraria, quæ sub eodem genere dicunt duas naturas positiuas maximè distantes: si verò vtrumque non est aliquid positiuum, sed alterum negatiuum, vel est negatio simpliciter, sic sunt contradictoria; vel est negatio in subiecto apto nato,& determinato,& sic sunt opposita priuatione. Deinde cùm dicit:

Sufficientia modorum oppositionis.

Et ex quibus,& ad quæ vltima, vt generationes,& corruptiones, & quæcunque verò nõ contingunt simul adesse amborum susceptibili, hæc opponi dicuntur aut ipsa, aut ex quibus sunt. Nam pallidum & album simul eidem non insunt; propter quod ex quibus sunt, opponuntur his,

Ponit duo documenta ad cognoscendum aliqua esse opposita. Primum in comparatione ad motum, vt si aliqua duo sic se habent, vt alterum sit terminus à quo motus,& mutationis,& alterũ sit terminus ad quem, illa erunt opposita: nam omnis motus est ab opposito in oppositum; ideò dicit, quòd illa *ex quibus*, vt à terminis à quibus, *& ad quæ vltima*, vt ad terminos ad quos, *vt generationes, & corruptiones* supple sunt opposita. Secundum documentum est in comparatione ad subiectum: nam illa quæ simul non possunt inesse eidem subiecto, opponuntur, vel ipsa, vel ea ex quibus sunt: ideò dicit quòd *quæcumque simul non contingit adesse susceptibili amborum hæc opposita dicuntur, aut ipsa*, vt sunt extrema, puta album, & nigrum; *aut ex quibus sunt*, supple media contrariorum, quæ etsi non sint propriè opposita, sunt tamen opposita ista ex quibus sunt, scilicet extrema: *nam pallidum, & album simul eidem non insunt propter quod* extrema scilicet, *ex quibus sunt*, scilicet media, *opponuntur his*, scilicet mediis: nam sic ex incompossibilitate extremorum arguitur ipsa media esse opposita extremis.

Documenta notanda ad cognoscendũ opposita.

Notandum, quòd signanter dicit opposita illa, quæ non possunt inesse simul eidem susceptibili amborum: quia aliquando non opposita possunt simul esse in eodem subiecto, pro quanto illud subiectum non est susceptibile amborum, vt albedo & scientia: quæ habet subiecta distincta, & ideò ex ista incompossibilitate non arguitur, quòd ipsa sint opposita, quia ista incompossibilitas non est ex eorum oppositione, sed ex carentia subiecti susceptibilis amborum. Deinde cùm dicit:

79

Non omnia quæ non stãt simul in eodẽ subiecto sunt opposita.

SVM

SVMMARIVM.

Contrariorum duo modi exponuntur, & modi contrarietatis propriè dictæ, ad quam tria requiruntur, scilicet in eodem genere circa idem obiectum, à quo se mutuo expellunt, & ab eadem scientia considerari. Ponit quatuor modos specificæ diuersitatis.

Contraria dicuntur quæcunque non possunt simul adesse eidem differentium secundùm genus: & quæ plurimum differunt eorum, quæ sunt in eodem genere; & quæ plurimum differunt eorum quæ in eodem susceptibili: & quæ plurimum differunt eorum, quæ sunt sub eadem potestate: & quorum differentia maxima, aut secundùm genus, aut simpliciter, aut secundùm speciem.

80

Distinguit modos contrarietatis. Circa quod tria facit. Primò distinguit modos contrarietatis in primò contrariis. Secundò in secundò contrariis. Tertiò remouet dubium. Secunda ibi: *Alia verò.* Tertia ibi: *Quoniam autem ens.* Ponit autem duos modos contrarietatis: vnum improprium, alium magis proprium, dicens quòd *contraria dicuntur* vno modo, *quæcunque non possunt adesse eidem differentium secundùm genus*, id est, licèt differant genere, vt si diceretur, quòd albedo, & scientia sunt contraria, nec possunt esse in eodem subiecto: iste enim modus est improprius: nam contraria propriè accepta oportet esse in eodem genere. Secundum modum subiungit dicens: quòd supple contraria dicuntur, *quæ plurimum differunt eorum quæ sunt in eodem genere: & quæ plurimum differunt eo quòd in eodem susceptibili*, scilicet habent esse: *& quæ plurimum differunt eorum quæ sunt sub eadem potestate*, id est, scientia, quæ dicitur potentia rationalis, 9. huius, text. com. 3. & 10. & inde. vna enim scientia est contrariorum: subdit etiam quandam rationem generalem contrariorum quòd contraria sunt, *quorum differentia est maxima, aut simpliciter, aut secundùm genus, aut speciem*, quod exponitur sic: simpliciter quidem, vt in motu locali duo puncta terminantia motum cœli, puta punctus Orientis, & punctus Occidentis; secundùm genus verò, id est, in eodem genere, id est, duæ species per duas differentias diuisiuas generis constitutæ: secundùm speciem autem, vt duo indiuidua per duas accidentales, & contrarias differentias diuersa. Aliter exponitur & magis ad mentem Philosophi, videtur, quòd differentia maxima secundùm speciem intelligatur in duabus speciebus, siue differentiis contrariis, sed secundùm genus in duobus generibus subalternis: simpliciter autem in duobus generalissimis, & in quibuscunque quomodocunque maximè distantibus.

Contraria duplicia.

Primò contraria dicuntur dupliciter.

D. Thom. hic sic exponit.

Notandum, quòd ex descriptione secundi modi accipiendi contraria, qui est proprius modus, colligitur quòd tria sunt de ratione contrariorum, scilicet esse in eodem genere, & habere idem subiectum, & comprehendi sub eiusdem scientiæ consideratione: dicit autem contraria differre plurimum, vt excludat genera contrariorum, quibus etsi conueniant tres dictæ conditiones; non tamē distant plurimùm: & ideò non sunt verè contraria: sanum ergo & ægrum sunt verè contraria: quia cadunt sub eodem genere, & habent fieri circa idem subiectum, scilicet animalis, & pertinent ad eandem scientiam, scilicet medicinam: plurimùm etiam distant. Deinde cùm dicit:

De ratione contrariorum sunt tria.

Alia verò contraria dicuntur; hæc quidem in talia habere, alia in talium susceptibilia esse: alia in actiua, alia in passiua esse talium, aut agentia, aut patientia, aut abiectiones, aut acceptiones, aut habitus, aut priuationes esse talium.

81

Secundò contraria dicuntur 8. modis.

Distinguit modos contrarietatis in secundò contrariis, dicens, quòd *alia verò dicuntur contraria, hæc quidem in habere talia*, scilicet verè cōtraria supradicta, scilicet aqua & terra dicuntur contraria, quia altera est humida, & altera est sicca: alia dicuntur esse contraria, pro eo quòd *sunt susceptiua talium*, scilicet contrariorum primorum: sicut sanatiuum & ægrotatiuum, quorum vnum est susceptibile in potentia sanitatis: alterum ægritudinis: *alia sunt contraria in esse actiua, alia in esse passiua talium*, & hoc in potentia: *aut esse agentia, aut patientia* in actu. Exemplum primi, calefactiuum, & frigefactiuum: calefactibile & frigefactibile. Exemplum secundi calefaciens & frigefaciens actu: calefactum & infrigidatum actu: *aut abiectiones, aut acceptiones, aut habitus, aut priuationes esse talium*, in quo tangit quòd generationes contrariorum, & habitus & priuationes contrariorum, quæ sunt termini generationis & corruptionis, omnia ista dicantur cōtraria: quia per comparationem ad ipsa primò contraria, vt non tantùm album & nigrum dicantur contraria, sed etiam generatio albi & generatio nigri, & similiter corruptio, & iterum priuatio nigri; & priuatio albi, &c. omnia enim prædicta dicuntur contraria secundùm aliquam habitudinem istam, vel illam ad primò contraria. Deinde cùm dicit:

Quoniam autem ens & vnum multipliciter dicuntur, sequi est necesse, & alia quæcunque secundùm hæc dicuntur: quare idem & diuersum & contrarium vt sic diuersum secundùm vnamquanque Categoriam.

Remouet quoddam dubium: quæreret enim fortè aliquis, quare prædicta, scilicet idem & diuersum, &c. dicuntur multis modis, ad quod respondet dicens, quòd *quoniam ens & vnum multipliciter dicuntur*, vel intelliguntur: *ideò necesse est sequi quòd alia quæcunque secundùm hæc dicūtur*, etiam multipliciter, scilicet idem & diuersum, &c. ideò subdit, *quare idem & diuersum, & contrariū vt est quoddam diuersum*, supple dicuntur multipliciter, vt sic diuersum diuidatur *secūdùm vnamquanque Categoriam*, id est, in vnoquoque Prædicamento. Deinde cùm dicit:

Diuersa verò specie dicuntur quæcunque eiusdem generis existentia, non subinuicē sunt, & quæcunque in eodem genere existentia differentiam habent, & quæcunque habent contrarietatem. Et contraria diuersa sunt specie ab inuicem, aut omnia, aut dicta primum, & quoruncunque in finali generis specie rationes diuersæ, vt homo & equus indiuidua genere & rationes eorū diuersæ. Et quæcunq; in eadē

Ens & vnū multiplex, sicut & horum passiones.

substantia entia differentiam habent: eadem verò specie his opposité dicta.

82 *Diuersa specie dicũtur quintupliciter.*

Distinguit modos specificæ diuersitatis, quorum primus est, quando aliqua sunt in eodem genere, non tamen sunt subalterna; ideò dicit, quòd *diuersa specie dicuntur quæcunque existentia eiusdem generis non sunt sub inuicem*, cuiusmodi sunt homo & asinus sub animali: vel etiam scientia & dulcedo sub qualitate: licèt non diuidantur ab inuicem contrariis differentiis, vel oppositis. Secundus modus est, quando aliqua sunt in eodem genere, & diuiduntur contra inuicem differentiis, siue sint contraria siue non; ideò dicit, quòd diuersa specie dicuntur, *quæcunque in eodem genere existentia differentiam habent*, puta rationale, & irrationale; bipes, & quadrupes. Tertius modus est, quãdo aliqua habẽt cõtrarietatẽ in subiecto, vt ea quæ diuiduntur differentiis contrariis, siue ipsa sint contraria, vt album & nigrum, quæ diuiduntur per congregatiuum, & disgregatiuum; siue non sint contraria, vt homo & equus, quæ diuiduntur per rationale & irrationale; ideò dicitur, quòd etiam dicuntur diuersa specie *quæcunque in substantia habent contrarietatem*, modo prædicto. Et subdit quòd *contraria sunt diuersa specie ab inuicem, aut omnia, aut dicta principium*, id est, quæ principaliter dicuntur. Quartus modus est quando sunt duæ species specialissimæ: vt homo & equus, quæ distinguuntur propriis differentiis & diffinitionibus; ideò dicit, quod diuersa specie dicuntur, *quoruncunque sunt diuersæ rationes in finali*, id est, in specialissima specie generis, *vt homo & equus quæ sunt indiuidua genere, & eorum rationes sunt diuersæ*; vocat autem species specialissimas indiuidua, quatenus sunt indiuisibiles in vlteriores species: vnde & vocantur quandoque species atomæ, id est, indiuisibiles. Quintus modus est, quando aliqua accidentia sunt in eodem subiecto simul, modo quo dicetur in quæstione; ideò dicit, quòd diuersa specie dicuntur *quæcunque existentia in eadem substantia differentiam habent*: subdit autem quòd *eadem specie dicuntur opposité his*, id est, per oppositum ad dicta: quia quot modis dicitur vnum oppositum, tot modis dicitur & reliquum.

Species specialissima indiuidua nominatur.

SVMMÆ VNICÆ CAPVT X.

De priori, & posteriori.

SVMMARIVM.

Explicat in hoc capite varios modos prioris, & posterioris, secundùm locum, tempus, motum, quantitatem discretam, cognitionem, & rerum substantiam, seu quiditatem, reducens reliquos modos ad hunc vltimum, de quo vide ipsum cap. de priori, & Doctorem, q. 43. de Prædicam. & hîc q. 8.

Text. co. 16.

PRiora & posteriora dicuntur quædam quidem, tanquam existente aliquo primo & principio in vnoquoque genere, quod propinquius quidem principio alicui determinato, aut simpliciter, aut natura, aut ad aliquid, aut vbi, aut ab aliquibus,*

83

Postquam Philosophus distinxit nomina significantia partes *vnius*, nunc distinguit nomina significantia ordinem, scilicet prius & posterius, quod consequitur ad *vnum*, vt prædictum est. Circa quod duo facit. Primò enim præmittit quandam communem rationem ipsius prioris & posterioris. Secundò iuxta illam rationem distinguit diuersos modos. Secunda ibi: *Vt hæc quidem secundùm locum*. Dicit ergo quòd *priora & posteriora dicuntur quædam quidem tanquam existente aliquo primo, & principio in vnoquoque genere, &* tunc supple illud dicitur prius, *quod est propinquius illi principio determinato*; sic quòd talis ordo principij, & illius quod est propinquum principio, aut est supple tale principium primum *simpliciter in natura*, puta pater est principium filij, *aut ad aliquid*, id est, in comparatione ad aliquid quod non est primum simpliciter, & secundùm naturam, sed potest esse posterius naturaliter, puta quod est principium quantum ad cognitionem, quomodo principiata sunt prius nota, & notiora quo ad nos, non secundùm naturam: vel potest esse sic principium quo ad perfectionem, & dignitatem, vel aliquo quouis modo: aut potest esse prius & principium *secundùm vbi, aut aliquibus* aliis modis.

Prius quid?

Notandum est, rationem prioris in hoc consistere, quia, vt suprà, in quocunque genere est aliquod primum in illo genere, vel simpliciter, vel ad aliquid &c. vt dictum est: & in comparatione ad illud primum dicetur aliquod prius: vt illud quod est propinquius primo, est prius: similiter intelligendum est de posteriori per oppositum, vt illud dicatur posterius quod est remotius à primo. Deinde cùm dicit.

In quo consistit ratio prioris.

84

Vt hoc quidem secundùm locum inexistendo propinquius, aut natura alicui loco determinato, vt medio, aut vltimo, aut sicut euenit quod verò remotius posterius.

Distinguit modos *prioris* iuxta datam rationem. Circa quod duo facit. Primò ponit modorum prioris distinctionem. Secundò eorum reductionem ad vnum principalem modum. Secunda ibi: *Modo itaque quodam*. Prima in tres secundùm quod ordo prioris & posterioris potest sumi tripliciter. Primò penes rerum quantitatem. Secundò penes rerum cognoscibilitatem. Tertiò penes rerum substantiam & entitatem siue quiditatem. Secunda ibi: *Alio verò modo*. Tertia ibi: *Alia verò secundùm naturam*. Prima in duas secundùm quod quantitas est duplex, continua scilicet & discreta. Primò ergo distinguit istos modos penes quantitatem continuam. Secundò penes quantitatem discretam. Secunda ibi: *Alia secundùm ordinem*. Prima in tres secundùm tres modos; quorum primus accipitur secundùm locum. Secundus penes tempus. Tertius penes motum. Secunda ibi: *Alia secundum tempus*. Tertia ibi: *Alia secundùm motum*. Continuatur ergo sic, dictum est quòd prius est quod

Ordo prioris & posterioris sumitur tripliciter.

Modi prioris omnibus enumerati sunt 10.

quod est propinquius primo, *vt hoc quidem inexistendo propinquius secundùm locum*, aliquem determinatum, siue ille locus sit determinatus esse priùs secundùm naturam, siue ad placitum; ideò subdit, *aut* esse supple propinquius *alicui loco determinato naturâ*, id est, à natura; *vt medio*, id est, centro; *aut vltimo*, idest circunferentiæ; *aut* supple determinato *sicut euenit*, id est, secundùm placitum: *quod verò est remotius*, scilicet à tali loco determinato, *est posterius*, secundùm locum.

Al. siue à casu.

Principium in loco est duplex.

Notandum, quòd locus centri & circunferentiæ sunt loca determinata à natura, vt quoddam principium in motu locali, vt grauia mouentur ad medium, & leuia à medio ad vltimum: si ergo centrum accipiatur pro primo principio in tali ordine, quod erit propinquius terræ, erit prius, & remotius erit posterius, puta aqua prior aëre, & aër prior igne: si verò circunferentia cœli accipiatur pro principio, in tali ordine erit econuerso: aliquando verò istud primum principium est determinatum secundùm placitum non à natura, secundùm quod in aliquo loco vel magnitudine possunt homines significare, vt placet aliquam partem esse primam quam volunt, & tunc quod erit propinquius illi, erit prius, & quod remotius, erit posterius. Deinde cùm dicit:

Quod est propinquius primo dicitur prius.

Alia secundùm tempus: hoc quidem enim eo quod remotiora nunc, vt in factis: priora namque Troica Medis quia remotiora nunc: hoc autem eo quod propinquius nunc, vt in futuris: priores enim præterea ludi Iouis, ludis Apollinis esse dicuntur: quia propinquius nūc, & ipso nunc, vt in principio, & primo vsi sūt.

85

Priora secūdùm tempus dicuntur dupliciter, quæ sunt propinquiora nunc præterito & quæ nunc præsenti.

Ponit secundum modum acceptum penes ordinem temporis, dicens quòd *alia* dicuntur priora *secundùm tempus* licet differenter: *hæc quidem eo quòd sunt remotiora* à præsenti *nunc, vt in factis*, id est, in præteritis, *priora namque sunt Troica*, id est, bella Troiana *Medis*, id est, quàm bella Medorum, atque Persarum: ratio huius est, quia bella scilicet Troica sunt *remotiora à præsenti nunc*; *alia* verò dicuntur priora: quia sunt *propinquiora* & magis affinia præsenti *nunc, vt in futuris, prius enim est Nemea Pythiis*: nomina sunt festorum futurorum: vt si dicatur tempore Paschali, quòd prius est, festū Ascensionis, quàm festum Pentecostes, quia propinquius præsenti nunc: vnde in tali ordine *vsi sunt*, scilicet homines *ipso nunc* præsenti, *vt principio, & primo*. Alia litera, vbi nos habemus nomina dictorum festorum, habet sic: prius enim Menelaus Pyrrho, sed est, vt dicitur, litera corrupta: quatenus tempore Aristotelis, *Sic dicit D. Thomas*, vterque illorum erat præteritus: in præteritis autem non est prius quod est propinquius præsenti nunc, sed quod est remotius, vt dictum est. Sed posset litera saluari, si Menelaus & Pyrrhus acciperentur pro duobus hominibus futuris: quorum vnus propinquior esset præsenti nunc, quàm alius; in tali ergo ordine vtimur ipso præsenti nunc, vt principio in tempore respectu cuius dicatur aliquid prius, vel posterius, secundùm propinquitatem, vel remotionem: & hoc habuit dicere Aristoteles ponens tempus æternum, quo posito non potest dari aliquod primum in tempore, nisi aliquod nunc inter præteritum & futurum: cùm, ex hypothesi tempus sit infinitum ex vtraque parte. Deinde cùm dicit:

Alia secundùm motum: propinquius enim primo mouenti est prius, vt puer viro, principium autem & hoc quoddam simpliciter. Alia secundùm potestatem; excedente enim potestate & quod potentius, est prius: tale verò est cuius secundùm præuoluntatem sequi est necesse alterum & posterius, adeò vt non mouente illo non moueatur, & mouente moueatur, & est præuoluntas principium.

86

Ponit tertium modum acceptum penes ordinem in motu, dicens, quòd *alia* supple dicuntur priora *secundùm motum: propinquius enim primo mouenti est prius, vt puer viro*, quia scilicet propinquior est primo mouenti, scilicet generanti: *hoc autem*, scilicet *primum* generans, *est principium quoddam simpliciter*, & secundùm naturam, & non ad plures: sicut euenit, vt dicebatur de loco in primo modo: iuxta etiam istum modum *alia* dicuntur priora, scilicet *secundùm potestatem, vt* in motibus voluntariis: nam supple inter homines in potestatibus constitutos *excedens potestate & quod est potentius, est prius: tale verò est secundùm cuius præuoluntatem*, id est, propositum imperans, *necesse est sequi alterum: & posterius*, scilicet quod habet obedire *vt non mouente illo, non moueatur*, & mouente mouetur, qualiter se habet Rex in regno, & Princeps in ciuitate, *& hæc præuoluntas est principium* respectu cuius quod est propinquius, est prius, & quod remotius, posterius: & iste est ordo dignitatis. Deinde cùm dicit:

Hinc confirmatur argumentum Scoti contra Philosophos de contingentia rerum.

Alia secundùm ordinem, hæc autem sunt quæcunque ad aliquid vnum determinatum distant secundùm rationem, vt παραστάτης τριτοστάτου πρότερον, ϗ παρανήτη, νήτης; *hic quidem enim qui sumitur, hæc autem quæ media principium; hæc quidem igitur priora dicuntur hoc modo.*

Distinguit modos priores penes quantitatem discretā; & est vnus modus, dicens, quòd *alia* supple dicuntur priora *secundùm ordinem*, qui scilicet inuenitur in quibusdam rebus nō continuatis, sed quadam discreta ordinatione ordinatis: *hæc autem sunt quæcunque ad aliquod vnum determinatum distant secundùm rationem*, id est, secundùm aliquam proportionem determinatam: *vt parastata & tritostata*: ita quòd parastata est prius, tritostata posterius. Parastata dicitur ille, qui stat iuxta aliquem, puta Regem: & dicitur à παρὰ quod est *iuxta*, & ἵστημι *sto, stas*, quasi iuxta stans: sed tritostata dicitur ille, qui stat tertius ab eo: & ideò parastata est prius quàm tritostata, cùm sit propinquius illi primo, puta Regi. Similiter secundùm istum modum *paranetæ sunt priores netis*. Vbi sciendum quòd in instrumentis Musicis chordæ graues dicuntur hipatæ: sed acutæ dicuntur netæ: mediæ autem mesæ, paranetæ verò dicuntur quæ sunt iuxta netas propinquiora mesis, id est, mediis & ideò cordæ mediæ habent hîc locum principij, quibus propinquiores priores esse censentur, scilicet paranetæ netis. Et ex hoc dat differentiā inter exempla data dicēs, *hæc quidē enim*, scilicet parastata & tritostata: ille qui est summus, puta rex habet rationē principij: *hæc autē chorda quæ est media est principium*. Cōcludit ergo quod *hæc quidē dicuntur priora hoc modo*. Deinde cùm dicit:

Parastata quis dicitur?

Tritostata quis?

87

Alio verò modo quod cognitione est prius, vt est simpliciter prius.

Ponit modos prioris & posterioris sumptos penes rerum cognitionem. Dicit *alio modo* quod supple dicitur aliquid prius, *quod est cognitione prius, vt simpliciter prius*, id est, quòd tale est simpliciter prius, cùm res per sua principia cognoscatur: & non est prius secundùm quid, vt de loco dicebatur in primo modo. Deinde cùm dicit:

Horum autem aliter: & quæ secundùm rationem & quæ secundùm sensum, nam secundùm rationem vniuersalia priora: secundùm autem sensum singularia. Et secundùm rationem accidens toto prius: vt musicum musico homine. Non enim est ratio tota sine parte: equidem non contingit musicum esse, non existente aliquo musico: amplius priora dicuntur priorum passiones; vt rectitudo lenitate, hoc enim lineæ secundùm se passio est: illud verò superficiei: hæc quidem itaque sic dicuntur priora & posteriora.

Tripliciter aliquid est prius cognitione intellectiua.

Sensus est singularis per se intellectus illius, & vniuersalis per se non æquè primò.

Subdistinguit istum modum. Vbi sciendum est quòd cognitio est duplex scilicet intellectiua & sensitiua: aliter autem sunt aliqua priora secundùm sensum: & aliter secundùm rationem & intellectum, & ideò secundùm quod variatur cognitio, variatur illud quod est prius cognitione. Dicit ergo quòd *horum*, scilicet quæ sunt priora cognitione, *aliter sunt*, scilicet priora, quæ secundùm rationem, id est, cognitionem intellectiuam, & aliter *quæ secundùm sensum*. Et ponit tres modos, quibus aliquid est prius cognitione intellectiua, *secundùm rationem priora sunt vniuersalia*, singularibus; *secundum autem sensum singularia*, & iste est primus modus, cuius ratio est; quia sensus non sentit vniuersalia nisi per accidens, vt cognoscendo Socratem cognoscit hominem, qui in Socrate includitur: intellectus autem per se intelligit vniuersale: singularia autem vel non intelligit, vel non æquè primò; & ideò vniuersalia sunt priora secundùm intellectum; singularia secundùm sensum. *Iterum secundùm rationem prius est accidens ipso toto*, scilicet composito ex subiecto & accidente, *vt musicum*, est prius *musico homine*, cuius rationem subdit: *non enim erit tota ratio*, scilicet hominis musici *sine parte*: *etenim non contingit musicum esse non existente aliquo* subiecto *musico*; ideò ergo tota ratio hominis musici non potest cognosci sine ratione partis: quare secundùm rationem simpliciora sunt priora compositis: cuius oppositum est aliquando in in sensu prius cognoscente compositum, quàm simplicia & partes; & iste est secundus modus. *Amplius*. Tertio modo *dicuntur priora secundùm rationem passiones* priorum, *vt rectitudo* est prior *lenitate*: *hæc enim*, scilicet rectitudo, *secundùm se est passio lineæ: illud verò*, scilicet lenitas est passio *superficiei*; & ideò quia linea est prior superficie, rectitudo erit prior lenitate: cuius oppositum quandoque accidit in sensu cognoscente prius passiones compositorum & posteriorum, quàm passiones priorum. Concludit ergo quòd *hæc quidem itaque sic dicuntur priora & posteriora*, scilicet secundùm ordinem cognitionis rerum. Deinde cùm dicit:

88

Alia verò secundùm substantiam & naturam quæcunque contingit esse sine aliis, & illa non sine illis; qua diuisione vsus est Plato. Quoniam autem esse multipliciter dicitur: primum quidem substantiam prius; deinde aliter quæ secundùm potentiam, & secundùm actum: nam alia secundùm potestatem priora sunt, alia secundùm actum: vt secundùm potestatem quidem, dimidietas toto, & pars toto, & materia substantia: secundùm actum verò posterius, nam dissoluta secundùm actũ erunt.

Ordo prioris & posterioris secundùm quiditatem triplex.

Ponit modos prioris & posterioris, sumptos penes rerum substantiam, siue quiditatem. Dicit ergo quòd *alia verò* supple dicuntur priora, *secundùm naturam & substantiam*, id est, secundùm ordinem quiditatis naturæ in essendo: & hoc tripliciter. Vno modo *quæcunque contingit esse sine aliis, & illa non sine illis*, & illud est prius, à quo non conuertitur subsistendi consequentia: vt dicitur in Prædicamentis, cap. de priori. *& hac diuisione*, id est, hoc modo accipiendi prius & posterius, *vsus est Plato*, volens scilicet propter hoc quòd vniuersalia sint priora in essendo, quàm singularia; & superficies quàm corpora; & lineę quàm superficies; & numerus quàm omnia alia: quemadmodum dictum fuit capitulo de Substãtia. Alio modo dicuntur sic priora substantiæ accidentibus; ideò dicit, quòd *quoniam esse*, id est, ens *dicitur multipliciter*, scilicet de substantia, de qualitate, & aliis accidentibus, *primum quidem subiectum est prius*, isto modo: propter quod substantia est prior accidente. Alio modo dicuntur sic priora *quæ se* habent *secundùm potentiam & actum*, id est, secundùm quod ens diuiditur per potentiam & actum; *nam alia sunt priora secundùm potestatem, alia secundùm actum. Secundùm potestatem* quidem priora sunt, *dimidietates toto*, id est, dimidium rei, quàm tota res; & pars *toto*; *& materia substantia*, id est, forma. Patet enim quòd hæc omnia comparantur ad illa, quibus dicuntur priora, vt potentia ad actum: nam & partes sunt potentia respectu totius, & materia respectu formæ. *Secundùm actum verò posterius*, id est, omnia prædicta sunt posteriora; *nam dissoluta secundùm actum erunt*, id est, quòd prædicta non sunt in actu, nisi per resolutionem: in qua resolutione ipsum totum est prius; nam resoluto toto in suas partes ipsæ partes sunt actu, quæ prius erant in potentia. Deinde cùm dicit:

89

Modo itaque quodam omnia prius & posterius dicta sic dicuntur. Quædam enim secundùm generationem, quæ sine aliis esse contingit, vt totum partibus: hæc autem secundùm corruptionem, vt pars toto: similiter autem & alia.

Applica vbique ad totum & partem & eorũ identitatem & distinctionem.

Reducit omnes modos prioris & posterioris ad hos modos vltimos: & sic generaliter ad primum, secundùm quod dicitur quòd potest esse sine aliis, & non èconuerso. Dicit ergo, quòd *modo quodam omnia* dicta secundùm *prius & posterius secundùm hoc dicuntur*: *quædam enim* possunt esse sine aliis, *secundùm generationem vt totum partibus*; nam cùm totum generatum est, partes non sunt nisi in potentia: & ideò

secundùm

secundùm generationem totum potest esse in actu: & *secundùm corruptionem* partes possunt esse in actu sine toto in actu: similiter autem, & alia, id est, quòd similiter se habet in aliis modis prioris & posterioris. Prius enim in suo priori, & vt prius est, non dependet à posteriori, sed magis èconuerso; & ideò priori non repugnat esse sine posteriori, sed posteriori repugnat esse sine priori: quod habet magis declarari 7. huius, quæstione de prioritate Substantiæ ad omnia alia entia secundùm tempus.

SVMMÆ VNICÆ
CAP. XI.

De potentia & possibili.

SVMMARIVM.

In prima parte huius cap. explicat quatuor modos potentiæ. Doctor reiicit D. Thomam negantem graue à se moueri, de quo fusè agit 2. d. 2. quæst. 10. & 9. huius, quæst. 14.

Tex. co. 17.

Potestas dicitur alia quidem principium motus; aut mutationis: aut in altero; aut inquantum alterum: vt ædificatiua potestas est quæ non existit in ædificato. Sed ars medicinalis potestas ens existit vtique in sanato, sed non inquantum sanatum est. Ergo totaliter principium mutationis, aut motus, dicitur potestas in altero, aut inquantum alterum.

90

Postquam Philosophus distinxit nomina significantia partes *vnius*, nunc distinguit nomina significantia partes entis. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est, secundùm quod ens diuiditur per potentiam & actum. Secundò vt diuiditur per decem Prædicamenta. Secunda ibi: *Quantum verò dicitur.*

Sed ista assignatio non videtur propria: quia potentia quæ est differentia entis, est potentia obiectiua, vt dictum fuit suprà, de qua potentia nulla fit mentio in præsenti capitulo: similiter de actu sibi opposito & sibi condiuiso nihil hic agitur. Posset dici quòd licèt potentia de qua hîc agitur, non sit illa potentia, quæ propriè est differentia entis, vt dictum est suprà, capitulo de ente: tamen largo modo & fortè secundùm aliam diuisionem entis, ista potentia posset dici differentia entis, quatenus omne ens vel est in potentia de qua hîc agitur, vel non: & sic non est facienda magna vis in proposito, dummodò intentio Philosophi & literæ habeatur. Secundùm hoc ergo hæc pars diuiditur in duas: quia primò distinguit varios modos potentiæ & impotentiæ: possibilis & impossibilis. Secundò reducit omnes ad vnum primum principalé. Secunda ibi: *Quæ verò secundùm potentiam.* Prima pars in duas: quia primò ponit modos potentiæ. Secundò modos impotentiæ oppositæ. Secunda ibi: *Impotentia autem est.* Prima in duas, quia primò ponit modos potentiæ in abstracto. Secundò modos potentiæ in concreto, puta modos potentis, siue possibilis. Secunda ibi: *Dicta verò potestate.* Prima in quatuor, secundùm quatuor modos potentiæ, quos ponit. Secunda ibi: *Hæc autem ab altero.* Tertia ibi: *Adhuc autem.* Quarta ibi: *Amplius quicunque.* Primus modus pertinet ad potentiam actiuam, quam describit, dicens quòd potentia, id est, potestas, dicitur hoc quidem principium, scilicet actiuum motus, aut mutationis, aut in altero, aut inquantum alterum: passum enim mobile, vel mutabile, aliquando est distinctum & separatum ab agente, & tunc potentia actiua est principium simpliciter transmutandi alterum: aliquando verò illud passum non est separatum, nec alterum simpliciter ab agente: puta cùm aliquid agit in seipso, vel mouet seipsum; & tunc potentia actiua est principium transmutandi alterum, non tamen simpliciter: quia idem inquantum idem non agit in seipsum; vnde exemplicat de vtroque dicens, vt ædificatiua potestas, puta ars ædificandi, est *quæ non existit in ædificato*, & ideò est principium transmutandi simpliciter alterum. *Sed ars medicinalis, quæ est potestas*, scilicet ad sanandum, existit vtique in sanato, puta cum medicus est infirmus & sanat seipsum: tunc enim ista potentia est in sanato, *sed non inquantum sanatum*, quia medicus per accidens sanat seipsum, vt dicitur secundo Physicorum text. com. 3. & tunc potentia actiua est principium transmutandi alterum non simpliciter, sed inquantum alterum. Vnde concludit, ergo *totaliter potestas dicitur principium*, scilicet actiuum, *mutationis in altero, aut inquantum alterum.*

Obiicit cōtra diuisionem D. Thom. sed saluat consequenter eum.

Potentia sumitur 4. modis.

91 D. Thom.

Notandum, quòd quidam expositor aliter exponit istam literam, dicit enim quòd illa potentia isto modo dicta, est quoddam principium motus, vel mutationis in eo quod mutatur, scilicet ipsa materia, vel aliquod principium formale, ad quòd sequitur motus; sicut ad formam grauis & leuis sequitur motus sursum & deorsum; & hoc principium non potest dici potentia actiua, ad quam pertinet iste motus: quia omne quod mouetur, ab alio mouetur: nec aliquid mouet seipsum nisi per partes; inquantum vna pars mouet aliam, ex 8. Physicor. text. com. 28. & inde. Potentia ergo secundùm quod est principium in eo in quo est, non comprehenditur sub potentia actiua, sed sub passiua. Sed ista expositio vel non est ad intentionem literæ, vel exponit literam de potentia passiua, & tunc minùs valet: tum quia est contra mentem Philosophi: quia loquitur hîc de potentia actiua, & sic distinguitur secundus modus à primo, vt patebit: tum quia supponit falsum: quod scilicet forma grauis non sit principium actiuum motus grauis, sed quòd principium motus sequitur ad eam, quasi ad materiam: nam ostendetur 9. huius, quòd grauia & leuia mouentur à seipsis effectiuè: tum quia mouentibus se cuiusmodi sunt animalia, principium, siue potentia actiua motus est in toto, vt patet ex 7. & 8. Physicor. cuius oppositum dicit iste: tum quia aliquod indiuisibile, puta Angelus, potest se ipsum mouere effectiuè, vt veri Theologi tradunt, & tamen non habet partem & partem, quarum vna mouet aliam: tum quia contradicit sibi ipsi, nam infrà ibi, *Dicta verò potestate*, dicit quòd iste primus modus possibilis accipitur correspondenter primo modo potentiæ, & iste modus est de possibili, siue de potente actiuè sumpto, vt ipse idem dicit. Deinde cùm dicit:

Impugnat dictam expositionem. Quære 2. d. 2. q. 10.

92

Hæc autem ab altero inquantum alterum, Secundùm quam enim patiens patitur aliquid quandoque quidem: si quodcunque pati sit poßibile: dicimus esse αὐτοπαθής, quãdoque autem non secundùm omnem paßionem, sed si ad melius.

Pati ab altero contingit dupliciter.

Ponit secundum modum, qui pertinet ad potentiam passiuam dicens, quòd *hac autem*, id est, alio modo dicitur potentia principium motus, vel mutationis, *ab altero*, aut *inquantm alterum*, quòd dicit propter hoc: quia aliquando passum patitur vel mouetur ab altero simpliciter: *aut inquantum alterum*, puta cùm mouetur vel patitur à seipso, vt prædictum fuit; & hæc potentia est potentia *secundùm quam patiens aliquid patitur*; nam illud principium propter quod alicui competit pati, vel moueri ab aliquo, est ipsa potentia passiua: hæc autem potest esse dupliciter: aliquandò quidem dicitur pati simpliciter quicquid sit illud quod potest pati siue sit bonum, siue malum: aliquando verò ex hoc quòd potest pati non malum, sed aliquod bonum excellentius & melius; & hóc est quod dicit, quòd secundùm potentiam passiuam patiens aliquid patitur, *quandoque quidem si possibile sit pati quodcunque*, scilicet siue bonum, siue malum, *dicimus* tale esse, *αὐτοπαθής*, id est, potens passiuè, siue patiens, *quandoque autem non secundùm omnem passionem*, sed secundùm aliquid excellentius, vt si sit possibilis ad aliquid melius. Ratio huius est, quia posse pati aliquem defectum quandoque attribuitur impotentiæ, vt patebit infrà parùm pòst, vt posse vinci, vel superari: & posse non pati, attribuitur potentiæ, vt qui vinci non potest potens dicitur. Deinde cùm dicit:

93

Adhuc autem vt benè hoc efficiatur, aut secundùm voluntatem, Quandoque enim solùm vtique ambulantes, aut loquentes non benè autem, aut non vt vellent: non dicimus posse loqui, aut ambulare, similiter autem & in pati.

Posse agere & pati antonomasticè.

Ponit tertium modum, dicens quòd *adhuc autem* dicitur potentia supple principium faciendi aliquid, non quocunque modo sed benè, *vt benè hoc efficiatur*: *aut secundùm preuoluntatem*, id est, secundùm quod homo disposuit, quod declarat per exempla ad oppositum: *quandoque enim solum vtique ambulantes, aut loquentes, non benè aut non, vt vellent, non dicimus posse loqui aut ambulare*; & ideò supple per oppositum benè ambulantes, & loquentes dicimus posse loqui, & posse ambulare: *similiter autem & in pati*, vt scilicet illud dicatur posse pati, quod potest benè pati: & non posse pati, quod non potest benè pati. Exemplum, dicimus lignum posse comburi quod est benè, & de facili combustibile, & non posse comburi quando malè, & de difficili comburitur. Deinde cùm dicit:

Ampliùs quicunque habitus secundùm quos impaßibilia omnino & immutabilia, aut non facilè in peius mobilia potestates dicuntur: Franguntur autem & conteruntur & curuantur, & omnino corrumpuntur non per posse, sed per non posse, & deficere in aliquo. Impaßibilia verò talium aut vix, aut & modicum patiuntur propter potentiam, & posse aliqualiter se habere.

94

Ponit quartum modum, dicens quòd *amplius*, id est, alio modo dicuntur potestates, id est, potentiæ *quicunque habitus*, id est, formæ siue dispositiones, *secundùm quos aliqua sunt impossibilia & immutabilia*, vel omnino, *vel non facile mobilia in peius*: ea enim quæ in peius mutantur, magis hoc habent ratione impotentiæ, quàm potentiæ; ideò dicit, quòd corruptibilia, supple *franguntur & conteruntur, & curuantur, & omnino corrumpuntur non per posse*, id est, nòn ratione potentiæ, *sed per non posse & deficere in aliquo*, puta quia deficit eis aliquod principium, per quod possunt resistere corrumpenti, & ideò corrumpens damnatur super ea. Illa verò quæ non possunt pati tales defectus, *aut* vix & paulatim, vel modicum patiuntur; habent hæc propter potentiam, ideò dicit, *quòd impassibilia talium, aut vix & paulatim*, id est, tardè *aut modicum patiuntur*: accidit supple eis *propter potentiam & propter habere aliqualiter posse*, id est, aliquam passionem, vel perfectionem, qua possunt resistere contrario corrumpenti: & forsan iste habitus, vel dispositio est illa potentia, vel impotentia, quæ est de specie secunda qualitatis, secũdùm quam sanatiuum dicitur, quod habet potentiam ad sanandum; & impotentiam per oppositum. Deinde cùm dicit:

Magis ergo impotẽtiæ debet attribui malè agere quam potentiæ.

SVMMARIVM.

Quatuor modi possibilis, seu potentiæ in concreto, declarantur. Item modi his oppositi, scilicet impossibilis, seu impotentiæ in concreto. De potentia & impotentia logica quomodo hîc tangit Doctor, vide eum d 7. num.7, & d.20. reducuntur cæteri modi potentiæ & possibilis ad primum, qui est potentiæ actiuæ.

Dicta verò potestate toties, & potẽs vno quidem modo dicetur quod habet motus principium, aut mutationis. Etenim id à quo status quiésve proficisci potest, potens aliquid in altero, aut inquantum alterum. Vno verò si quid ab ipso aliud potestatem habet talem.

Ponit modos potentiæ in concreto, scilicet modos possibilis, siue potentis. Circa quod quatuor facit, secundùm quod ponit quatuor modos, *possibilis* vel *potentis*, correspondentes dictis quatuor modis potentiæ. Secunda ibi: *Vno autem si habet*. Tertia ibi: *Vno verò in non habendo*. Quarta ibi: *Ampliùs autem hæc omnia*. Dicit ergò primò quòd *dicta potestate*, id est, potentia quatuor supple modis, *toties* dicitur *potens*, & possibile, quod pro eodem habetur: *vno quidem modo dicetur*, supple potens, *quod habet*, supple immediatè & de se, *principium*, scilicet actiuum, *motus & mutationis*: etenim sistitiuum dicitur, tamen *potens aliquid in altero, aut inquantum alterum.*

Possibile vel potens accipitur 4. modis.

Al. alio verò modo.

terum. Vno verò dicitur, sic potens, *si quid aliud habet ab ipso talem potestatem*, & in hoc tangit duos modos possibilis, siue potentis, secundùm potentiam actiuam: nam potens actiuè dicitur vno modo, quia per seipsum potest immediatè agere, vt sistitiuum, id est, potens facere stare, vel sistere aliud per se & immediatè: alio modo dicitur sic potens, quia agit mediante alio, cui potentiam suam committit, sicut Rex agit mediante Balliuo. Deinde cùm dicit:

95

Vno autem si habet permutari in quodlibet secundùm potestatem, siue in peius, siue in melius: etenim corruptibile videtur esse possibile corrumpi, aut vtique non corrumpi; si erat impossibile. Nunc autem dispositionem quandam habet, & causam, & principium talis passionis. Aliquando quidem igitur per habere aliquid videtur, aliquãdo per priuari tale esse. Si autem priuatio est habitus aliquo modo: omnia in habendo vtique erunt aliquid: æquiuocè verò dicimus ens; quare in habendo habitum quendam & principium est possibile, & habendo huiusmodi priuationem si contingit habere priua tionem.

Secunda acceptio possibilis correspondens potentia passiua.

Ponit secundum modum possibilis correspondentem secundo modo potentiæ, scilicet potentiæ passiuæ, dicens quòd alio modo, supple dicitur potens, vel possibile, *si habet potestatem*, scilicet passiuè *permutari in quodlibet, siue melius, siue in peius: etenim corruptibile videtur*, hoc modo *possibile esse corrumpi*: & hoc est in peius esse permutari: *aut non vtique corrumpi*, id est, non esse corruptibile per oppositum; *si erat impossibile*, scilicet corrumpi: *nunc autem* illud, supple quod est possibile aliquid pati, *habet quandam dispositionem & causam in se talis mutationis*, quæ scilicet est principium patiendi, quod dicitur potentia passiua. Subdit autem quomodo istud principium passiuum potest inesse possibili, dupliciter, scilicet vel positiuè, vel priuatiuè: ideò dicit quòd *aliquando itaque* videtur supple aliquid esse possibile, *per habere aliquid: aliquando per priuari tale esse*. Exemplum primi, homo dicitur possibilis mori per habere in se positiuè principium corruptionis, puta materiam, vel aliquem inordinatum humorem. Exemplum secundi: si dicatur potens vinci, vel superari, propter priuationem fortitudinis naturalis. Aliquando autem isti duo modi patiendi in vnum reducuntur: si autem inquit, *priuatio aliquo modo est habitus, tunc omnia* supple *erunt vtique* possibilia *in habendo aliquid*: & sic vterque modus erit in habendo aliquid, quod erit principium patiendi. Subdit autem probationem quomodo priuatio largo modo dicatur habitus: *æquiuocè*, inquit, *dicimus ens*, scilicet de affirmatione & negatione, habitu & priuatione, vt dictum fuit in quarto huius: nam negatio & priuatio non participant naturam entis formaliter, cùm formaliter sint nihil; & ideò solo nomine entia dicuntur, & sic æquiuocè loquendo negatio & priuatio dicuntur habitus quemadmodum & ens; ideò concludit: *quare*, scilicet vniuersaliter, *possibile est in habendo quendam habitum & principium, & habere huiusmodi priuationem, si contingit habere priuationem*, largo modo potest dici habitus, sicut dicitur forma primo Physicorum, vt sic habere priuationem sit quoddam habere. Deinde cùm dicit:

Habere principium passiuũ contingit dupliciter.

Quando priuatio est habitus & negatio ens.

Vno verò in non habendo ipsius potestatem, aut principium in alio, inquantum est aliud corruptiuum.

Tertia acceptio possibilis correspondens potentia non potenti corrumpi.

Ponit tertium modum *possibilis*, siue *potentis*, correspondentem quarto modo potentiæ, qui erat non posse corrumpi, nec in peius permutari. Dicit ergo quòd alio modo dicitur potens *in non habendo ipsius*, id est, in ipso, *potestatem, aut principium in alio, inquantum aliud corruptiuum*, ex eo scilicet quòd habet virtutem, vt non possit corrumpi ab aliquo extrinseco corruptiuo. Deinde cùm dicit:

96

Amplius autem hæc omnia aut in solùm accidere fieri, aut non fieri; aut in benè: nam in inanimatis inest talis potestas, vt in organis: aliam enim dicunt posse sonare lyram, Aliam verò non, si non est benè sonans.

Quarta acceptio correspondens potentia ad bene agendum, vel patiendũ.

Ponit quartum modum *possibilis* siue *potentis* correspondentem tertio modo potentiæ, qua aliquid dicebatur potens ad benè agendum, vel benè patiendum; ideò dicit quod *amplius hæc omnia*, id est, omnes dicti modi pertinentes ad agere & pati, sunt *aut in solum accidere fieri, aut non fieri* simpliciter: *aut in benè*: sicut exemplificat in rebus inanimatis: *nam in inanimatis est talis potestas vt in organis*, id est, in instrumentis musicis: *dicunt*, scilicet musici, *aliam* supple *lyram posse sonare: aliam non* posse sonare, *si est non benè sonans*.

Potens agere vel pati dicitur dupliciter.

Notandum, quòd sicut patet ex prædictis, aliquid potest dici potens agere, vel quia potest agere simpliciter, vel quia potest benè agere. Similiter potens pati dupliciter dicitur, vel quia potest pati simpliciter, vel quia potest benè & faciliter pati, & hoc pertinet ad istum modum *possibilis*, vel *potentis*. Deinde cùm dicit:

Impotentia autem est priuatio potentiæ, & talis principij sublatio quædam qualis dicta est: aut omnino, aut in apto nato habere, aut quando aptum natum est iam habere: non enim dicunt similiter impossibile generare puerum, & eunuchum.

Distinguit modos impotentiæ, quæ opponitur potentiæ. Circa quod duo facit. Primò distinguit modos impotentiæ in abstracto. Secundò in concreto. Secunda ibi: *Et impossibilia*. Prima in duas, quæ præmittit quandam rationem communem huius quod est *impotentia*. Secundò innuit modos impotentiæ. Secunda ibi: *Amplius autem*. Dicit ergo primò quòd *impotentia est priuatio potentiæ*: quod probat ex duobus, quæ sunt de ratione priuationis propriè dictæ; vnum est quod tollat habitum, aliud est quod requirat determinatum subiectum, ideò dicit quòd impotentia *est sublatio talis principij*, quod est quædã potẽtia; & hoc est primum requisitum ad priuationem: propter secundum addit quòd supple talis sublatio & remotio potentiæ, *aut omnino*, id est, vniuersaliter vt sic quæcunque remotio potentiæ impotentia dicatur: *aut in apto nato habere*, id est,

Impotentia quid? Duo requiruntur ad rationem priuationis.

est, solùm tunc quando subiectum est natum habere potentiam secundùm tempus determinatum, quod declarat: *quia non similiter dicunt*, scilicet homines *puerum impossibile generare, & virum & eunuchum.*

Priuatio triplex, impropria, minùs impropria, & propriissima.

Notandum, quòd hîc tanguntur tres modi priuationis. Primus est secundùm quod priuatio dicitur quæcũque sublatio habitus simpliciter, vt si dicatur lapis cæcus. Secundus est, vt est sublatio in subiecto apto nato, non respiciendo ad tempus determinatum, vt si catulus ante nonum diem dicatur cæcus, & puer priuatus potentia generandi. Tertius est, vt priuatio est sublatio habitus in subiecto apto nato, & secundùm tempus determinatum, scilicet quando iam est aptum natum habere, vt si homo vel simpliciter frigidus vel eunuchus dicatur priuatus potentia generandi. Primus modus est improprius. Secundus minùs improprius. Tertius propriissimus. Deinde cùm dicit:

Ampliùs aut secundùm vtranque potentiam est impotentia opposita ei, quæ solùm motiua, & ei quæ bene motiua.

Impotentia toties sumitur quoties potentia.

Innuit modos impotentiæ. Ad cuius euidentiá sciendum quòd sicut potentia est duplex, scilicet potentia actiua & passiua, vtraque etiam istarum dupliciter potest sumi, vel vt est principium agendi, vel patiendi simpliciter, vel vt benè: sic & impotentia per oppositum potest totidem modis sumi; ideò dicit quòd *amplius secundùm vtranque potentiam est impotentia opposita ei, quæ solùm motiua, & ei quæ benè motiua*: vel vt habet alia litera, *& solùm mobili, & benè mobili*, id est, potentia actiua, quæ est ad mouendum simpliciter, vel benè mouendum: & similiter potentiæ passiuæ, quæ est ad simpliciter moueri, vel ad moueri benè. Deinde cùm dicit:

97

Impossibilia verò hæc quidem secundùm potentiam hanc dicuntur.

Impossibile duplex & vtrunque multiplex.

Ponit modos impotentiæ in concreto. Circa quod duo facit, secundùm duos modos impossibilis, quorum primus est realis. Secundus Logicus. Secunda ibi: *Alia alio modo.* Dicit ergo quòd *impossibilia hæc quidem dicuntur secundùm hanc impotentiam*, quæ dicta est & diuisa in quatuor; & ideò correspondenter potest accipi impossibile quatuor modis, secundùm quod potentia dicitur actiua, vel passiua; & vtraque dupliciter, vt est principium simpliciter, vel principium vt benè, & hæc est impotentia realis, à qua denominatur impossibile. Deinde cùm dicit:

Alia alio modo, puta possibile & impossibile: impossibile quidem cuius contrarium ex necessitate verum, vt diametrum commensurabilem esse est impossibile: quia falsum tale cuius contrarium non solùm verum, sed & necesse non commensurabilem esse; ergo commensurabile non solùm falsum, sed ex necessitate falsum.

Ponit secundum modum *impossibilis* qui est Logicus.

Potentia Logica & realis, & duplex

Ad cuius euidentiam notandum, quòd potentia est duplex: quædam est Logica, & quædam realis. Potentia Logica dicit quendam modum compositionis factæ ab intellectu, quæ est non repugnantia extremorum; & potentia hoc modo non dicit aliquod principium, quo quis sit potens, sed sufficit sola non repugnantia terminorum; vt posito quòd nullus homo esset, nec aliquod agens potens hominem producere in esse, si esset aliquis intellectus componens istam propositionem, *Homo erit*, ista esset possibilis quatenus termini non repugnarent. Alio modo dicitur potentia realis, quæ est principium agendi, vel patiendi, & quia potentia est nomen relatiuum; ideò hoc nomen *potentia*, vel potest sumi pro eo quod per se significat quod est ipse respectus, vel pro eo quod connotat, & denominat quod est proximum fundamentum talis relationis, & illud est proximum agendi, vel patiendi.

impotẽtia his correspondẽs. Vide 7. d. 1. & 2. & 9. Met.

Impotentia duplex.

Similiter impotentia per oppositum est duplex, scilicet Logica & realis, ita quòd impotentia Logica est quidam modus compositionis factæ ab intellectu fundatus super repugnantiam terminorum vt dicendo, homo est asinus. Impotentia realis est, qua aliquid non est potens ad agendum, nec realiter patiendum: & sicut impotentia est duplex per oppositum, similiter & impossibile dicitur dupliciter: vel impossibile reale, vel impossibile Logicum, de quo agit hîc Philosophus. Secundùm hoc ergo hæc pars diuiditur in tres. Primò proponit, *quod possibile & impossibile* accipiuntur *alio modo* à prædictis; & declarat quid sit impossibile isto modo. Secundò ostendit quid sit possibile per oppositum. Tertiò incidentaliter addit quendam modum potentiæ metaphoricè sumptæ. Secunda ibi: *Contrarium verò*, Tertia ibi: *Secundùm metaphoram.* Dicit ergo quòd *alia alio modo dicuntur*, *puta possibile & impossibile*, dicta supple denominatiuè à potentia, vel impotentia Logica. *Impossibile est* hoc modo *cuius contrarium est ex necessitate verum*, *vt diametrum*, scilicet quadrati, *esse commensurabilem*: *& ergo commensurabile esse, non solùm est falsum*, *sed ex necessitate falsum:* & tale falsum est impossibile hoc modo. Deinde cùm dicit:

Impossibile Logicum.

98

Contrariorum alia: huic impossibile quando non necesse fuerit contrarium falsum esse, vt sedere hominem possibile est: non enim ex necessitate non sedere est falsum. Ergo quidem possibile vno modo, sicut dictum est, quod non ex necessitate falsum significat: alio verò verum esse, alio contingens verum iam.

Possibile Logicum, & est triplex.

Ostendit quid sit possibile per oppositum, dicens, quòd possibile, quod contrarium habet, scilicet impossibile, de quo dictum est, dicitur *quando eius contrarium non fuerit de necessitate falsum, vt sedere hominem est possibile*: quia ipsum *non sedere non est de necessitate falsum.* Ex quo subiungit, quòd possibile isto modo potest sumi tripliciter; vno modo quod est falsum, non tamen de necessitate: ideò dicit, *ergo possibile sic dictum, vno modo est, quod significat falsum non ex necessitate*, puta hominem sedere quando non sedet: nam eius oppositum non est verum necessariò. Alio modo dicitur sic possibile, quod est verum, sed supple, non de necessitate: quia eius oppositum non est falsum necessariò, vt Socratem sedere,

quando

quando sedet, est hoc modo possibile. Alio modo dicitur impossibile *iam contingens verum*, id est, quòd licèt nondum verum sit, tamen contingit in proximo ipsum esse verum. Deinde cùm dicit.

Secundùm Metaphorã autem, qua in Geometria dicitur potentia : Hæc quidem igitur possibilia non secundùm potentiam.

Addit incidentaliter quendam modum potentiæ metaphoricè sumptæ. Dicit ergo quòd *potentia qua dicitur in Geometria est secundùm metaphoram*; *vnde hæc quidem* dicunt *possibilia non secundùm potentiam:* scilicet realem.

Potentia in Mathematicis, quæ & qualis?

Notandum, quòd in Geometricis sumitur quandoque potentia, cùm dicitur, quòd linea est in potentia ad quadratum; & quòd ternarius est in potentia ad nouenarium. Ratio huius est quædam similitudo ad potentiam realem: nam sicut ex eo, quod est in potentia, fit illud, quod est actu; sic ex ductu alicuius lineæ in seipsam, resultat quadratum eius, & ex ductu ternarij in seipsum consurgit nouenarius: nam ter tria nouem sunt, & ideò dicimus, quòd linea potest in quadratum, & ternarius potest in nouenarium; & ista potentia potest aliquo modo reduci ad potentiam Logicam, vt sicut possibile, & impossibile Logicum dicuntur non secundùm aliquam potentiam realem, sic nec possibile metaphoricum: ideò dicit, quòd talia possibilia dicuntur non secundùm potentiam modo præ exposito. Deinde cùm dicit.

Linea potest in quadratũ, & ternarius in nouenarium.

99

Quæ verò secundùm potentiam omnia dicuntur ad primam vnam: hoc autem est principium mutationis in alio inquantum aliud: alia namque dicuntur possibilia: hoc quidem eorum in habendo ad aliquid aliud talem potentiam; illa verò in non habendo sic: alia in sic habendo: similiter autem & impossibilia. Quare propria diffinitio primæ potentiæ vtique erit principium permutatiuum in alio inquantum aliud.

Omnes modi potentiæ reducuntur ad potentiam actiuam, & impossibilia ad impotentiam oppositam illi.

Reducit omnes modos potentiæ, & possibilis ad primum modum potentiæ, quæ est potentia actiua: & similiter omnes modos impotentiæ, quæ opponitur primæ potentiæ: ex quibus vltimò concludit diffinitionem potentiæ actiuæ, quod est principium transmutandi aliud, inquantum aliud. Dicit ergo, quòd ea *quæ dicuntur secundùm potentiam*, scilicet realem, *omnia dicuntur ad vnam primam* potentiam, quæ, scilicet est potentia actiua: *hoc autem est principium transmutationis in alio inquantum aliud*: & hanc reductionem declarat: *alia namque dicuntur possibilia eorum: hoc quidem in habendo aliquid aliud talem potentiam.* scilicet actiuam in ipsum, & talé est possibile secundùm potentiam passiuam: *illa verò in non habendo*, scilicet aliquid aliud talem potentiam in ipsa, & hæc sunt possibilia tertio modo possibilis, quæ scilicet non possunt corrumpi ab exteriori corruptiuo: *alia* dicuntur possibilia, *in sic habendo*, vt sunt possibilia in quarto modo possibilis, quæ sic habent potentiam, vt benè agant, vel benè patiantur: *similiter autem & impossibilia*, id est, quòd sicut omnia possibilia reducuntur ad vnam primam potentiam, scilicet actiuam: sic omnia impossibilia ad aliquam primam impotentiam, quæ opponitur potentiæ primæ: & ideò concludit: *quare propriè diffinitio primæ potentiæ erit vtique principium permutatiuum in aliud inquantum aliud*, hæc est potentia actiua, vt patet ex dictis.

Potentia actiua quæ?

SVMMÆ VNICÆ CAP. XII.

De Quanto.

SVMMARIVM.

In hoc capite ponitur descriptio quanti, seu quantitatis, & variæ eius diuisiones, & subdiuisiones, de quibus Doctor 4.d.10.q.1 & de Prædic. q.17.18. & seqq. & hîc q.9. & 10. Explicat benè, quantum per se, & per accidens, secundùm varios accidentalitatis modos. Resoluit de tempore, & loco, quomodo ad quantitatem spectant.

100

Qvantum verò dicitur, quod est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum vtrumque, aut singulum vnum aliquid, & hoc aliquid natum est esse.

Postquam Philosophus distinxit nomina significantia partes entis, prout ens diuiditur per potentiam, & actum; nunc distinguit nomina significantia partes entis, prout ens diuiditur in decem genera.

Ad cuius euidentiam notandum, quòd prætermissâ substantiâ, de qua suprà actum est, capitulo de Substantia, omnia alia membra possunt reduci ad tria membra vniuersalia, scilicet Quantitatem, Qualitatem, & Relationem: nam Prædicamenta alia à tribus primis sunt formaliter respectus quidam. Secundùm hoc ergo Philosophus tria facit. Primò distinguit nomen *quantitatis*. Secundò nomen *qualitatis*. Tertiò nomen *relationis*. Secunda ibi: *Quale dicitur*. Tertia ibi: *Ad aliquid dicuntur*. Prima in duas: quia primò præmittit quantitatis quandam communem rationem. Secundò iuxta illam rationem subiungit quantitatis distinctionem. Secunda ibi: *Multitudo ergo*. Dicit ergo, quod *quantum dicitur, quod est diuisibile in ea quæ insunt*: id est, partes suas proprias, & inexistentes: *quorum vtrumque, aut singulum est aptum natum esse vnum aliquid*, id est eiusdem rationis: *& esse hoc aliquid*, id est, indiuiduum quantitatis.

Ratio communis quanti, vel quantitatis, & notabilis eius expositio.

Notandum, quod in ista ratione, siue descriptione quanti, ponuntur tres particulæ. Prima est quòd sit diuisibilis in partes, quæ insunt; per quod differt à diuisione corporis mixti: nam corpus mixtum, etsi resoluatur in elementa, elementa tamen non inexistunt mixto, quia non sint in eo actu, sed virtute & in potentia tantùm; eo modo quo formæ imperfectiores continentur virtualiter in forma perfectiori: & hoc modo formæ elementorum continentur virtualiter in forma mixti, eo modo quo loquitur Philosophus 2. de Anima, text. com. 31. quod negatiuum est in sensitiuo, sicut trigonum in tetragono. Secunda particula est, quòd vtraque pars, aut singula, in quas diuiditur quantum, sit vnũ aliquid: id est, eiusdem rationis

Vide 3. d. 2. & q. 13. 7. huius, & hic. Elementa continentur tantùm virtualiter in mixto.

Qualibet pars quanti est quanta.

rationis in toto,& in partibus. Et per hoc differt à diuisione corporis heterogenei:nam quantum, vt quantum,est totum homogeneum : nam quælibet pars quanti est quanta. Tertia particula est, quòd vtraque pars sit apta nata esse hoc aliquid de se,& per hoc differt diuisio quanti à diuisione compositi in partes essentiales, scilicet in materiam,& formam:nam nec materia, nec forma est apta nata esse de se hoc aliquid , & indiuiduum. Deinde cùm dicit:

101

Multitudo ergo quantum aliquid si fuerit numerabilis;magnitudo autem si mensurabilis fuerit.

Positâ descriptione quantitatis, subiungit eius diuisionem.Circa quod duo facit,secundùm quod ponit duas diuisiones quantitatis. Secunda ibi: *Amplius alia*. Prima in quatuor : nam primò distinguit quantitatem in continuam & discretam. Secundò describit membra huius diuisionis.Tertiò subdiuidit alterum membrum. Quartò addit quoddam necessarium.Secunda ibi:*dicitur autem*. Tertia ibi:*Magnitudinis verò*. Quarta ibi:*Eorum autem*. Dicit ergo , quòd *multitudo est aliquid quantum*. id est quantitas discreta , *si fuerit numerabilis:magnitudo autem*, supple dicitur quantitas continua, *si fuerit mensurabilis*,& hoc intelligendum est passiuè:nam passiuè numerari pertinet ad quantitatem discretam,& mensurari ad continuã: licèt mensurare actiuè deriuetur ex quantitate discreta ad continuam, vt habetur 10. huius , text. com. 3. & inde. nam ratio mensuræ priùs competit quantitati discretæ. Deinde cùm dicit:

Prima diuisio quantitatis in continuam, & discretam.

Quantitati competit ratio mensuræ.

Dicitur autem multitudo quidem diuisibile potestate in non continua ; magnitudo autem quod in continua.

Multitudo quid ? Magnitudo quid?

Describit membra diuisionis dictæ,dicẽs,quòd *multitudo dicitur* , quod est *diuisibile potestate*, id est,in potentia,*in non continua : magnitudo autem* est , quod est diuisibile *in continua*. Deinde cùm dicit:

Magnitudinis verò quæ quidem ad vnum continua,longitudo;quæ autem ad duo,latitudo;quæ autem ad tria, profunditas.

Continua diuiditur in lineam,superficiem , & corpus.

Subdiuidit alterum membrum,scilicet quantitatem continuam,in tres species,secundùm quod magnitudinem esse diuisibilem in continua potest esse tripliciter, secundùm tres species magnitudinis : ideò subdit quòd *magnitudinis,quæ quidem est continua*, & diuisibilis *ad vnum*, id est, secundùm vnam dimensionem, *est longitudo* , id est, linea: *quæ autem ad duo*, id est,ad duas dimensiones,est superficies:*quæ autem ad tria,est profunditas*,id est,corpus. Deinde cùm dicit:

102

Horum autem pluralitas quidem finita, numerus;sed longitudo,linea;& latitudo ,superficies; & profundum, corpus.

Omnis magnitudo & numerus sũt finita.

Addit quoddam necessarium dicens, quòd *horum*,quæ dicta sunt,*pluralitas* quidem,id est,multitudo *finita dicitur numerus:sed longitudo*,scilicet finita,dicitur *linea;& latitudo* finita *superficies;& profundum*,finitum *corpus*. Ratio huius dicti est: quia sicut dictum fuit,omnis multitudo,siue numerus est numerabilis : sed infinitum non potest numerari; ergo omnis multitudo est finita : quid si sit infinita? iam non est numerus.Similiter omnis magnitudo est mensurabilis,vt dictum est : sed infinitum non potest mensurari ; & ideò omnis magnitudo est finita:siue sit linea,siue superficies, siue corpus. Deinde cùm dicit:

Tange instantiam de linea infinita 6. Top.c.16.Vide 8 d.1.q.2.

Amplius alia dicuntur secundùm se quanta quædam:alia secundùm accidens : vt linea, quantum aliquid secundùm se: musicum verò secundùm accidens.

Ponit secundam diuisionem quantitatis. Circa quod duo facit:quia primò ponit eam. Secundò eam declarat & exponit. Secunda ibi:*Eorum verò quæ secundum se*. Dicit ergo,quòd *amplius alia dicuntur quanta:quædam secundùm se:alia secundùm accidens : vt linea quidem* est *quanta secundùm se : musicum verò per accidens*. Deinde cùm dicit :

Secunda diuisio quantitatis,in quanta per se , & quanta per accidens.

Eorum verò quæ secundùm se sunt, alia secundùm substantiam sunt , vt linea quantum quid : nam in ratione quid est dicente quantum quid existit.

Exponit propositam diuisionem. Circa quod duo facit:quia primò exponit mẽbrum de per se. Secundò de per accidens. Secunda ibi:*Secundùm accidens verò*. Prima in duas secundùm duos modos,quibus aliqua dicuntur quanta per se. Secunda ibi : *Alia passiones*. Dicit ergo , quòd *eorum quæ sunt* quanta *secundùm se,alia sunt secundum substantiam*, id est, significantur per modum substantiæ , & subiecti : vel alia sunt secundùm substantiam, id est, substantialiter quanta, & in primo modo dicendi per se , *vt linea est quantum quid:nam in ratione*, id est, diffinitione lineæ dicente, *quid est ,existit quantum quid*, id est, ponitur quantitas:nam linea est quantitas continua:similiter est de aliis,puta de superficie,& de corpore:nam si ista diffiniantur , in eorum diffinitione habet poni quantitas. Deinde cùm dicit:

Quanta per se duplicia.

103

Alia passiones & habitus talis sunt substantiæ,vt multum & paucum, & productum & breue,& latum & strictum,& profundum & humile,& graue & leue,& alia talia:sunt autem & magnum & paruum , & maius & minus , & secundùm se & ad inuicem dicta quanti passiones secundùm se ; transferuntur etiam & ad alia hæc nomina.

Ponit secundum modum dicens , quòd *alia*, supple per se pertinent ad genus quantitatis, quæ sunt *passiones & habitus talis substantiæ* , id est, talium quæ sunt substantialiter quantitas,puta lineæ,superficiei,&c. *vt multum,& paucum* , quæ sunt per se passiones numeri;*& productum & breue*, quæ sunt per se passiones lineæ : *& latum,& strictum*,quæ sunt passiones superficiei:*& profundum & humile* , quæ sunt passiones corporis : *& graue,& leue, & alia talia* , quæ sunt passiones corporis : non secundùm veritatem , quia magis pertinent ad genus qualitatis, vt dicetur infrà capite sequenti : sed secũdùm opinionem aliorum, qui dicebant multitudinem superficierum , vel atomorum,causare grauitatem in corporibus , & eorum paucitatem causare leuitatem:de qua opinione

Variæ passiones quantitatis propriè dictæ, secundum triplicẽ eius dimensionem.

nione habetur prolixè 3. de Cælo & mūdo. *Sūt autem similiter magnum & paruum, & magis & minus*, quæ scilicet sunt passiones communes omnium quantitatum *& secundùm se*, id est, absolutè *dicta ad inuicem*, id est, relatiuè dicta: hæc inquam sunt secundùm se passiones quanti: quare dicuntur hoc modo pertinere ad genus quantitatis. Hæc enim dicta aliquando sumuntur absolutè & in se, aliquando in respectu, puta cùm aliquid dicitur magnum & paruum in comparatione ad aliud: addit autem, quòd *hæc nomina* quantitatis *transferuntur* quandoque *etiam ad alia*, puta cùm albedo, vel dulcedo dicitur magna, vel parua, vel huiusmodi.

Notandum, quòd isti duo modi sic distinguuntur: quia secundùm primum aliqua dicuntur per se pertinere ad genus quantitatis directè, vt subiecta: secundùm autem modum secundum dicuntur pertinere quædam indirectè, vt passiones. Patet per exempla, quæ inducuntur, nam linea & superficies sunt subiectum, & similiter numerus: paucum & multum, productum & breue, &c. sunt passiones. Deinde cùm dicit:

104 *Secundùm accidens verò dictorum quantorum hoc quidem sic dicitur, sicut dictum est: quia musicum quantum & album per esse quantum aliquid cui insunt.*

Quantum per accidens duplex.

Exponit secundum modum de per accidens, & ponit duos modos, quibus aliqua dicuntur quanta per accidens. Secundus ponitur ibi: *Hæc autem motus.* Dicit ergo, quod *dictorum quantorum*, id est, eorum quæ dicuntur *quanta secundùm accidens*: *hoc quidem sic dicitur*, scilicet quantum per accidens, *sicut dictum est: quia musicum* dicitur *quantum & album* similiter *per esse quantum quidem cui insunt*, id est, per hoc quod insunt subiecto quanto; & ideò dicuntur quanta ratione subiecti: quia quanta est superficies, tantum album esse dices, vt dicitur in prædicamentis cap. de Quantitate. Deinde cùm dicit:

Alia vt motus & tempus; etenim huiusmodi quanta quædam dicuntur & continua, eo quòd illa diuisibilia sunt, quorum sunt hæ passiones: dico autem non quod mouetur, sed quod motum est: nam per esse quantum illud, & motus est quantus: tempus verò per ipsum, scilicet motum.

Ponit secundum modum, secundùm quem aliqua dicuntur quanta per accidens, *vt motus & tempus: etenim* pro quia, *huiusmodi quædam dicuntur quanta & continua, eo quòd illa* sunt *diuisibilia, quorum* sunt hæ *passiones*: nam motus est quædam passio mobilis, & tempus est passio motus, tempus enim est diuisibile, & continuum propter motum: motus autem propter magnitudinem mobilis, & spacij in quo est motus; ideò subdit: *dico autem* quòd supple motus & tempus sunt quanta & diuisibilia propter aliud, *non quod mouetur*, id est, non propter mobile, quod mouetur; *sed secundùm quod motum est*, id est, propter spacium in quo est motus: *nam per esse quantum illud*, id est, spacium, *& motus est quantus: tempus verò* supple est quantum *per ipsum*, scilicet *motum*.

Hoc facit pro opinione Scoto de motu Angeli.

Sed occurrit duplex dubium, Primò quia Philosophus in libro Prædicamentorum cap. de Quātitate enumerat tēpus inter quantitates per se, hîc autē ponit ipsum quantitatē per accidens. Secūdò quia ibidem in Prædicamentis locum ponit inter species quantitatis: hic autem tacet de loco; videtur enim sibi contradicere propter primum, insufficiens propter secundū. Dicitur & satis benè, quòd ratio primi est: quia in Prædicamentis Philosophus distinxit species quantitatis secundùm diuersam rationem mensuræ: tempus autem habet aliam rationem mensuræ à magnitudine, quatenus tempus est mensura extrinseca: magnitudo autem rei est eius mensura intrinseca; ideò ponitur ibi tempus alia per se species quantitatis: hîc autem considerat species quantitatis modo Metaphysico secundùm esse quantitatis; quæ igitur habent esse quantitatis effectiuè ab alia quantitate non ponuntur per se quantitates, sed per accidens: huiusmodi sunt tempus & motus, vt dictum est, & dicetur amplius in quæstione. Ratio secundi est: quia locus habet distinctam rationem mensuræ, & ideò in Prædicamentis ponitur species quantitatis, & non hîc ex eo, quia non habet distinctum esse quātitatis à superficie: quia locus est superficies, ex 4. Physic. text. com. 39. & inde. & propter rationem oppositam motus etiam ibi non ponitur species quantitatis, quatenus non habet aliam rationem mensuræ, quàm tempus, vel magnitudo.

De quantitate.

SVMMÆ VNICÆ CAP. XIII
De Quali.

SVMMARIVM.

Ponit in hoc capite quatuor modos Qualis, seu Qualitatis, sed eos reducit ad duos. De quibus vide Doctorem 4 d. 6. q. 10. & de Prædicam. q. 30. 36. omisit Philosophus hîc quartum modum, quem posuit cap. de Qualitate, ratione à Doctore assignata.

Qvale dicitur vno quidem modo differentia substantiæ, vt quale quid homo animal: quia bipes, sed & equus quadrupes, & circulus quidem æqualis: quia quædam figura: quia agonon, quasi differentia secundùm substantiam qualitate existente. Vno quidem itaque modo hæc dicitur qualitas differentia substantiæ.

Cap. 13. Text. c. 19.

105 Hîc, vt dicebatur, distinguit Philosophus nomen *qualitatis.* Circa quod duo facit, quia primò distinguit qualitatis modos. Secundò reducit eos ad duos principales. Secūda ibi: *Ferè vtiq;*. Prima in quatuor secūdū quatuor modos qualitatis. Secūda ibi: *Alio verò.* Tertia ibi: *Amplius quæcūq;* Quarta ibi: *Amplius secundū virtutē.* Dicit ergo quòd *vno modo dicitur quale differentia substantiæ*, id est, differentia substantialis, quâ substantialiter ab aliquo distinguitur, & ex hoc differentia dicitur prędicari in quale, vt si quęratur quale *animal est homo*: respōdetur quòd *quadrupes*, & qualis figura est *circulus*, respōdetur quòd *agonon*, id est, carens angulo: *quasi differentia secundùm substantiam existente qualitate*; id est, quod ex hoc patet, quòd differentia substantialis est quædā qualitas:

Modi qualitatis quatuor

Acceptio qualitatis pro differentia essentiali substantiæ.

qualitas: nam illud per quod respondetur ad interrogationem factam per quale, videtur esse quædam qualitas. Concludit ergo, quod *vno itaque modo dicitur qualitas differentia substantiæ*, id est, differentia substantialis.

C, de qualitate.

Sed est dubium quare istum modum qualitatis, ponit hic Philosophus, & in Prædicamentis prætermisit. Dicitur quòd Philosophus in Prædicamentis agit de ipsis Prædicamentis, & de his, quæ in Prædicamento continentur: quia igitur qualitas isto modo non continetur sub Prædicamento qualitatis; ideò ibi prætermisit istum modum: hic autem quia agit de significatione nominum pertinentium ad considerationem huius scientiæ; ideò loquitur de qualitate isto modo, cùm nomen qualitatis vno modo significet differentiam substantialem. Deinde cùm dicit:

106

Alio autem modo, vt immobilia & Mathematica sicut numeri quales quidã sunt: quemadmodum compositi, & non solùm ad vnum entes, sed quorum imitatio superficies & solidum: hi verò sunt quoties quanti, aut quoties quot quanti, & totaliter præter quantitatem existit in substantia: nã substantia cuiuslibet quod semel, vt ipsorum sex, nõ quæ bis, aut ter sunt: sed quæ semel: sex enim semel sunt sex.

Secunda acceptio qualitatis.

Ponit secundum modum dicens, quòd *alio modo* supple dicuntur qualia *Mathematica immobilia*, quæ abstrahunt à motu: magnitudines enim & numeri sunt quædam Mathematica, in quibus vtimur nomine qualis: *sic numeri quidem dicuntur quales, quemadmodum* id est, inquantum sunt *compositi, & non solùm ad vnum entes*: sicut enim dictum fuit in primo libro, numerus incompositus dicitur, quem non mensurat aliquis alius numerus: sed sola vnitas, vt ternarius: sed numerus compositus dicitur, quem mensurat aliquis alius numerus; sicut senarius & octonarius, qui non mensurantur sola vnitate: similiter dicuntur numeri quales, *quorum imitatio est superficies, & solidum*, id est, secundùm quandam imitationem superficiei, quæ habet duas dimensiones; longitudinem & latitudinem, inquantum numerus ducitur in numerum eundem, vel alium vno ductu, vt dicendo *bis duo, bis tria*: quia per hoc quod dicitur, *tria*, designatur prima dimensio: per hoc quod dicitur *ter tria*, designatur secunda dimensio; ideò dicit, quòd hi numeri dicuntur quales secundùm imitationẽ superficiei, *aliquoties quãti*, id est, quãtum ad istum vnum ductum: sed ad imitationem corporis, vel solidi quando est duplex ductus, vel eiusdem numeri in seipsum, vel diuersorum in vnum. Exemplum primi: *ter tria ter*, vel *bis tria bis*. Exemplum secundi, dicendo *bis tria quater*, & hoc est, quod dicit: *Aut quoties quot quanti*: sic enim & numerus consideratur quasi ad tres dimensiones corporis. Et addit quòd *totaliter præter quantitatem existit in substantia*, id est, quod in tali ordinatione numerorum consideratur aliquid per modum substantiæ; sic ipse numerus qui ducitur in alium puta *tria*, & aliquid per modum quantitatis, scilicet ipse ductus numeri in seipsum, vel in alium, vt dicendo *bis tria*, binarius significatur per modum quantitatis mensurantis; quæ etiam est qualitas numeri, & ly *ternarius* per modum substantiæ: illud enim quod existit in substantia numeri, præter quantitatem ipsam, quæ dicitur qualitas eius, est substantia numeri; sic intelligendo, quòd substantia numeri dicitur ipse numerus semel prolatus: in hoc, quod dico *tria*: quantitas autem secundùm quam attenditur eius qualitas, dicitur multiplicatio, siue ductus numeri in numerum. Vnde subdit, *nam substantia cuiuslibet*, scilicet numeri est, *quod semel* dicitur, *vt ipsorum sex*, supple substantia est semel sex: *sex enim est semel sex, & non quod dicitur bis aut ter*, id est, bis tria, aut ter duo, nam hoc pertinet ad eius qualitatem; nam dicere numerum esse superficialem, vel solidum, quadratum, vel cubicum, vel huiusmodi, est dicere ipsum esse qualem, & iste modus qualitatis est quarta species, quæ ponitur in Prædicamentis, scilicet forma, vel circa hoc aliquid constans figura. Deinde cùm dicit:

Numerus cõpositus, & incompositus.

Al. secũdùm quantitatẽ.

Al. sunt.

107

Ampliùs quæcunque passiones earum, quæ mouentur substantiarum, vt calor, & frigiditas; albedo & nigredo; grauitas & leuitas: & quæcunque talia secundùm quæ dicuntur mutari corpora permutantium.

Tertia acceptio pro passionibus substãtiarum quæ mouentur.

Ponit tertium modum, dicens, quòd *ampliùs*, id est, alio modo dicuntur qualitates quæcunque *passiones earum substantiarum, quæ mouentur*, & alterantur secundùm huiusmodi passiones, *vt calor & frigiditas, & albedo & nigredo, & grauitas & leuitas*, & quæcunque talia, *secundùm quæ corpora permutantium*, id est, de numero permutabilium, *dicuntur permutari* motu, scilicet alterationis, & ista est tertia species qualitatis, scilicet passio, vel passibilis qualitas. Deinde cùm dicit:

Ampliùs secundùm virtutem & vitium, & omninò bonum & malum.

Quarta acceptio pro illo quo disponitur quis per vitium & virtutẽ, &c.

Ponit quartum modum, dicens, quod *ampliùs*, id est, alio modo dicitur qualitas, vel quale *secundùm virtutem, & vitium, & omnino bonum & malum*. id est, ista dicuntur qualitates, per quæ aliquid disponitur, vel per vitium, vel virtutem, & intelligitur per bonũ & malũ, scilicet per sciẽtiam, & ignorantiam; sanitatem & ægritudinem; continentiã & incontinentiã; & hęc est prima species qualitatis, quæ est habitus, vel dispositio.

Quare secũdam speciem qualitatis hic prætermittit.

Notandum, quòd hic Philosophus prætermittit secũdam speciẽ qualitatis. Cuius ratio est: quia illa species est potentia, vel impotentia, qua aliquis disponitur ad feliciter agendum, vel patiendũ: talis autem potentia, vel impotentia, potest reduci ad tertium, vel ad quartum modũ potentiæ, vt dictum est suprà capitulo de potestate; & ideò in loco isto ipsam prætermittit. Deinde cùm dicit:

108

Ferè namque secundùm duos modos dicere quale est, & horũ vno principalissimo: prima quidem qualitas substantiæ differentia: huius autem quædam pars, & quæ in numeris qualitas: nam differentia quædam substantiarum est, sed aut non motorum, aut non inquantum sunt mota: hæ autem passiones motorũ inquãtum sunt mota, & motuum differentiæ: virtus autem & vitium passionum pars quædam est, differentias enim ostendunt motus & actus secundùm quos faciunt aut patiuntur, aut benè, aut praue, quæ sunt in motu; possibile

namque sic moueri aut agere bonum; quod autem sic & contrariè prauum. Maximè autem bonum & malum significant quale in animatis, & horum maximè in habentibus prohæresim.

Qualitas quæ est Mathematica reducitur ad primum modum, scilicet differentiam essentialem.

Reducit dictos modos ad duos principales dicens, quod *ferè itaque dicitur quale secundùm duos modos*, ita quòd alij duo ad istos reducuntur: *horum* autem dicitur qualitas *vno modo principalissimè*, scilicet *prima qualitas*, quæ secundùm primum modum dicitur *differentia speciei*, id est, differentia substantialis & specifica; & ad hunc modum reducitur qualitas, quæ est in numeris, & in aliis Mathematicis; ideò subdit, quod *huius*, scilicet modi *est quædam pars qualitas, quæ est in numeris: nam differentia quædam substantiarum*, id est, quòd huiusmodi qualitates sunt differentiæ substantiales Mathematicorum, & dicuntur mathematicæ substantiæ fortè secundùm opinionem Platonicorum, & Pythagoricorum, qui Mathematica rerum substantias posuerunt, vt dictum fuit in primo libro. Sunt autem huiusmodi qualitates supple differentiæ substantiarum, aut non motarum, aut non inquantum sunt mota: quod dicit propter hoc, quòd quantum ad propositum, non differt siue Mathematica sint quædam substantiæ per se existétes separatæ à motu, siue insint substantiis mobilibus secundùm esse: separatæ autem secundùm considerationem: nam primo modo essent qualitates non motarum; secundo verò motarum; licèt non inquantum mota. Subdit autem quantum ad secundum modum principalem dicens: *hæ autem* supple dicuntur qualitates *passiones motorum inquantum mota, & etiam differentiæ motuum*: quia scilicet secundùm eas differunt alterationes, quæ sunt secundùm huiusmodi qualitates, puta calefieri, & infrigidari secundùm calidum, & frigidum. Ad hunc autem modum reducitur ille quo virtus & vitium dicitur qualitas: hîc enim modus est quædam pars passionum, & reddit causam: quia scilicet virtus & vitium ostendunt quasdam *differentias motus, & actus* secundùm benè, & malè *secundùm quos motus* scilicet *& actus faciunt, aut patiuntur, aut benè, aut prauè quæ sunt in motu*: nam virtus est secundùm quam aliquis se benè habet ad agendum, vel patiendum: vitium autem secundùm quod malè: ideo dicit, quòd *possibile namque sic moueri, aut agere*, scilicet secundùm virtutem est *bonum, quod autem & contrariè prauum.* Et subdit quòd *maximè bonum & malum*, id est, habitus secundùm quos aliquis disponitur benè, vel malè, puta scientia & ignorantia; sanitas & ægritudo maximè *significant quale*, id est, qualitatem *in* rebus *animatis*: quia maximè in his reperiuntur, sicut patet; *& horum maximè in habentibus prohæresim*, id est, electionem: cuiusmodi sunt animalia participantia rationem; nam inter animata ista sunt magis capacia talium habituum, vt apparet quantum maximè in habitibus animæ, siue sint mortales, siue intellectuales.

Virtus, & vitium quid.

Qualitates animatorum nobiliores.

SVMMÆ VNICÆ CAP. XIV.

De Ad aliquid.

SVMMARIVM.

Tres modi relatiuorum, in hoc capite explicantur. Primus fundatur super vnitate. Secundus super actione, & passione. Tertius super ratione mensuræ. De quibus vide Doctorē.1.d.3.q.5.& d.30.& hîc q.12. & Prædicam.q.25.& sequentibus.

109 Tex. c.20.

AD aliquid dicuntur alia per se, vt duplum ad dimidium, & triplum ad tertiam partem, & totaliter multiplicatum ad multiplicati partem, & continens ad contentum. Alia vt calefactiuum ad calefactibile, & sectiuum ad secabile, & omninò actiuum ad passiuū; alia verò vt mensurabile ad mensurā, & scibile ad scientiam, & sensibile ad sensum.

Distinguit Philosophus nomen *relationis*. Circa quod duo facit. Primò distinguit modos relatiuorum, quæ sunt relatiua per se primò. Secundò eorum quæ non sunt per se primò, sed per aliud & per accidens. Secunda ibi: *Secundum se quidem igitur.* Prima in duas: quia primò proponit tres modos relatiuorum. Secundò exponit & prosequitur de eis. Secunda ibi: *Dicuntur autem.* Ponit tres modos relatiuorum quorum primus sumitur penes rerum quantitatem siue numerositatem. Ideò dicit, quòd *ad aliquid*, id est, relatiua *dicuntur, alia quidem vt duplum ad dimidium, & triplum ad tertiam partem, & totaliter multiplicatum*, id est, multiplex *ad multiplicati partem*, id est, ad submultiplex, *& continens ad contentum*, id est, excedens ad excessum: nam omne excedens secundùm quantitatem quodammodò continet illud quod exceditur, quia est tantundem & amplius. Secundus modus sumitur penes rerum actionem, & passionem, siue passibilitatem & actiuitatem. Ideò subdit quòd *alia* supple dicuntur ad aliquid; *vt calefactiuum ad calefactibile* quantum ad actionem & passionem naturalem, *& sectiuum ad secabile*, quantum ad actionem artificialem, & generaliter *omne actiuum ad passiuum.* Tertius modus sumitur penes rerum perfectionem & mensurabilem: vnde subiungit, quòd alia supple dicuntur ad aliquid, *vt mensurabile ad mensuram, & scibile ad scientiam, & sensibile ad sensum.*

Modi relatiuorum per se sunt tres.

Excedens vt continet excessum.

Notandum, quòd vt dicit quidam expositor; mensura & mensurabile non accipiuntur hîc secundùm quantitatem propriè dictam, quæ est de genere quantitatis (quia hoc pertinet ad primum modum, vbi est relatio mutua) sed accipitur secundùm commensurationem esse rei & varitatis, vt veritas scientiæ mensuratur à scibili, & veritas sensus ab obiecto sensibili, & propter hoc, vt patebit inferius, in isto modo non est mutua relatio: sed in quo deficit hoc dictum, dicetur infrà. Deinde cùm dicit.

D. Thomas.

100

Dicuntur autem prima quidem secundùm numerum, aut simpliciter aut determinatè ad ipsos, aut ad vnum, vt duplũ quidem ad vnum vt numerus determinatus. Multipliciter verò secũdùm numerum ad vnum non determinatum autem, vt hunc, aut hunc. Hemiolium autem ad subhemiolium secundùm numerum ad numerum determinatum; superparticulare autem ad superparticulare, sed indeterminatos, vt multiplex ad numerum.

Prosequitur de dictis tribus modis. Primò de primo. Secundò de secundo. Tertiò de tertio. Secunda ibi: *Actiua verò & passiua.* Tertia tibi: *Secundum numerum quidem.*

Relationes primi modi fundantur super aliquid de genere quantitatis.

Ad euidentiam primæ partis notandum, quod relationes primi modi fundantur super aliquid de genere Quantitatis, scilicet super numerum, vel super continuum: priùs tamen reperitur relatio istius modi in numeris, & inest dupliciter: vno modo comparando numerum ad numerum, ita quòd oportet vtrumque extremum esse numerum. Alio modo comparando numerum ad vnum, ita quòd solùm alterum extremum est numerus, & sic est multiplex proportio secundùm primum modum: ab istis autem discretis deriuatur ad continua, sed tamen aliqua reperitur relatio in discretis, quæ non reperitur in continuis sicut dicetur postea. Ratio huius est: quia in numeris est mensura sic, quòd vnitas aliquoties replicata reddit alterum extremum; sed in cõtinuis non est sic, sed aliquando est proportio incommensurabilis, sicut diametri ad costam. Secundùm hoc ergo hæc pars diuiditur in duas: quia primò prosequitur de relatiuis primi modi, secundùm quod consequuntur ipsum numerum. Secundò prout sequuntur ipsum vnum, quod est principium numeri. Secunda ibi: *Et amplius æquale.* Prima in duas. Primò facit quod dictum est. Secundò remouet quoddam dubium. Secunda ibi: *Continens autem & contentum.* Dicit ergo quòd relationes siue relatiua prima, id est, primi modi *dicuntur quidem secundum numerum*, scilicet prout numerus comparatur ad numerum, vel comparatur ad ipsum vnum: quorum quodlibet potest esse dupliciter: quia vel est vtrobique secundùm comparationem ad aliquod determinatum, vel ad aliquod indeterminatum. Ideò dicit quòd talia prima relatiua secundùm numerum dicuntur aut *simpliciter*, id est, indeterminatè, *aut determinatè ad ipsos*, scilicet numeros: vt quando numerus comparatur ad numerum, *aut ad vnum*; & subdit exempla pro vtraque parte dicens, quòd *duplum quidem ad vnum, vt numerus determinatus*, id est, quòd si duplum comparetur ad vnum, tunc est comparatio numeri determinati: *multiplex verò secundùm numerum ad vnum, non determinatum, aut ad hunc, vel ad hunc*, id est, quod si multiplex secundùm numerum comparetur ad vnum, tunc est comparatio numeri indeterminati: nam numerus multiplex non dicit hunc vel illum numerum determinatum. Subdit etiam exempla prout numerus ad numerum comparatur, dicens, quòd si *Hemiolium* comparetur *ad subhemiolium*, est supple comparatio *secundùm numerum ad numerum determinatum*: si verò comparetur *superparticulare ad superparticulare*, *erit* supple comparatio *secundùm numeros indeterminatos*, *vt cùm multiplex* comparabatur *ad vnum* in exemplis priùs.

111

Duplex proportio vniuersalis.

Ad euidentiam huius litteræ notandum, quòd cùm omnis mensuratio, vel proportio in continuis deriuetur à numeris, vt prædictum est; ideò omnes relationes primi modi, quæ attribuuntur quantitati, appropriantur numero. Proportio autem numeralis diuiditur in duas, quarum vna dicitur inæqualitas, & altera æqualitas. Inæqualitas habet duas species, scilicet excedens, vel maius: & excessum, vel minus. Sciendùm etiam quòd ipsum inæquale excedens, vt tradunt Arithmetici, habet quinque species, quarum duæ recitandæ sunt solùm pro exemplis Philosophi positis, vt aliqualiter intelligantur. Vbi sciendum quòd numerus maior respectu minoris quandoque est multiplex, quando scilicet aliquoties continet numerum minorem, sicut sex continent duo ter; & si quidem contineat ipsum bis, dicitur duplum, quemadmodum se habent duo ad vnum, & senarius ad ternarium: si continet ipsum ter dicitur triplum: si quater quadruplum, & deinceps, & ista est prima species. Vlteriùs sciendum, quòd numerus maior quandoque continet totum minorem semel, & vltra aliquam partem eius; & tunc dicitur superparticularis: minor verò contentus dicitur subsuperparticularis. Et si quidem continet totum & mediam partem eius, vocatur sesquialter, siue hemiolius, quod idem est sicut se habent sex ad quatuor: si autem tertiam, dicitur sesquitertius, sicut se habẽt quatuor ad tria: si verò quartam, dicitur sesquiquartus: sicut se habent quinque ad quatuor, & sic deinceps, & ista est secunda species.

Notabilis doctrina de proportionibus numerorum. Sed D. Tho. hic prolixius habet hæc. vide Boet. 1. Arith. c. 11. & inde.

Notandum etiam, quòd prima species proportionis, scilicet multiplicitas consistit in comperatione numeri, ad vnum; quælibet enim eius species reperitur primò in aliquo numero respectu vnitatis: duplum enim primò conuenit binario comparato ad vnum: similiter proportio tripla ternario respectu vnitatis, & sic de aliis: quia igitur proportio dupla primò reperitur inter duo & vnum; ideò accipit inde ista proportio denominationem: & dicitur proportio duorum ad vnum. Vnde quicunque numerus dicitur duplus ad aliũ, semper minor numerus habet rationem vnius, & maior duorum: quia talis est proportio qualis duorum ad vnum, sicut se habent sex ad tria; ideò dicit quòd relatio dupli per hoc est, quòd comparatur numerus determinatus ad vnum: non sic est de aliis proportionibus. De tribus speciebus aliis non est curandum: quia nihil faciunt ad propositum præsens, nec ad sensum literæ; sed apparet ex dictis, quòd si comparetur multiplex ad vnum, est comparatio numeri indeterminati: si verò comparetur duplum ad dimidium, est comparatio numeri determinati: nam duplum est quædam determinata species, vt dictum est. Apparet etiam quòd si comparetur numerus sesquialter, vel hemiolius ad subhemiolium, comparatur numerus determinatus ad determinatum: si verò comparetur superparticulare ad subsuperparticulare, comparatur numerus indeterminatus ad numerum indeterminatum, vt patet ex dictis: quia superparticulare est quoddam genus indifferens ad multos numeros, in ista secunda specie: & similiter subsuperparticulare. Deinde cũ dicit.

112

Continens autem ad contentum omninò indeterminatum secundùm numerum: numerus enim commensurabilis. Secundùm non cõmensurabilem

surabilem autem numerum dicuntur: continēs enim ad contentum tantum quid est & amplius: hac autem indeterminata: quodcunque enim euenit, est aut æquale, aut non æquale: hæc igitur ad aliquid omnia secundùm numerum dicuntur, & numeri & passiones.

Remouet quoddam dubium: quia enim dictū est & innuit in litera quòd proportio & mensuratio à discretis ad continua deriuatur: crederet forte aliquis, quod vniformiter esset hîc & ibi: sed hoc non est verum, quia, vt dictum fuit, aliqua proportio est hæc in discretis, quæ non est in continuis: continuas enim quantitates contingit habere proportionem ad inuicem: sed non secundùm numerum aliquem determinatum, nec indeterminatum. Nam licèt omnium quantitatum finitarum sit aliqua proportio, nō tamen omnium est proportio materialis, sed aliqua numeralis: quorumlibet enim duorum numerorū est vna mensura communis, quæ aliquoties sumpta reddit quemlibet numerum datum: non sic in continuis: sed sunt quædam quantitates incommensurabiles sicut diametrum quadrati se habet ad latus quadrati. Cuius ratio est, quia non est proportio diametri ad latus, sicut proportio numeri ad numerum. Ideò dicit quòd *continens ad contentum omnino indeterminatum secundùm numerum*, id est, quòd cum in quantitatibus vna dicitur maior alia, & se habet sicut continens ad contentum, non solùm aliquando ista proportio non attenditur secundùm aliquam speciem determinatam numeri: sed etiam nec secundùm aliquem numerum simpliciter. Cuius causam subdit: *numerus enim* supple omnis *commensurabilis*: quia, vt dictum est, omnes numeri habent vnam communem scilicet vnitatem: sed continens ad contentum non semper supple dicitur secundùm numerum commensurabilem: *nam continens dicitur ad contentum: quia est tantùm & amplius: hoc autem est indeterminatum*: vtrùm scilicet sit commensurabilis: *quodcumque enim euadit*, id est, quòd quantitas quæcunque accepta *est æqualis, aut non æqualis*: esto quòd non sit commensurabilis: concludit ergo quòd *hæc igitur omnia dicūtur ad aliquid secundùm numerum, & numeri passiones*, id est, commēsurationes, siue proportiones.

Hinc patet qualiter diameter est incommensurabilis costæ. ¶ Vide 4. 6. & 7. propositiones 10. Euclidis, & 9. q. l. 4. Doctorem.

Notandum ad maiorem euidentiam huius literæ, quòd quia proportio primò quidem reperitur in numeris, nam omnes numeri sunt mutuò commensurabiles, quatenus omnes communicāt in prima mensura scilicet vnitate: sunt autem variæ proportiones numerorum secundùm quod diuersi numeri diuersimodè comparantur ad inuicem: nam alia est proportio trium ad duo, quæ dicitur hemiolia, vel sesquialtera, & alia quatuor ad tria, quæ dicitur sesquitertia, vt prædictum est: tamen quia quantitates continuæ non resoluuntur in aliquod indiuisibile, quemadmodum numeri in vnitatem; ideò non est necessarium omnes continuas quantitates esse adinuicem commensurabiles; sed contingit esse aliquas, quarum vna excedit aliam, quæ tamen non habent vnam communem mensuram, vt dictum est de diametro: quæcumque autem continuæ quantitates habent mutuam proportionem, sicut est proportio numeri ad numerū; illæ habent vnam cōmunē mensurā. Exemplum, si vna sit triū palmorum, alia quatuor: vtraq; mēsuratur palmo. Deinde cū dicit:

113 Varia proportiones numerorum.

Quæ quantitates cōtinuæ habent mensuram communem?

Et amplius æquale, & simile, & idem, secūdùm alium modum: secūdùm enim vnum dicuntur omnia: eadem namque quorum vna est substantia; similia verò sunt quorum qualitas est vna: æqualia quorum quantitas est vna. Vnum autem numeri principium est & metrū; quare hæc omnia ad aliquid dicuntur secundū numerum quidem, non tamen eodem modo.

Prosequitur de relatiuis primi modi, vt fundātur super vnum dicens, quòd *amplius* secundùm alium modum à prædictis dicuntur supple relatiua: *æquale, & simile, & idem, omnia enim hæc dicuntur secundùm vnum: eadem namque dicuntur, quorum vna est substantia: similia verò quorū qualitas est vna: æqualia* verò *quorum quantitas est vna. Vnum autem est metrum*, id est, mensura, *& principium numeri, quare hæc omnia dicuntur ad aliquid secundùm numerum*, id est, secundùm aliquid pertinens ad genus numeri, *non autem eodem modo*: quia sicut dictum est, primæ relationes erant secundùm numerum cōparatum ad numerum, vel ad vnum: istæ autem sunt simpliciter secundùm vnum.

SVMMARIVM.

Explicat relatiua secundi modi, quæ dicuntur secundùm potentiam actiuam & passiuam; hæ relationes non fundantur super actione & passione, vt notat hîc Doctor, & tenet 4. d. 13. q. 1. ad quintum; sed super ipsis potentiis: actio autem & passio, sunt ratio, seu dispositio fundationis.

114

Actiua verò & passiua secundùm potentiam actiuam & passiuā sunt, & actiones potentiarum, vt calefactiuum ad calefactibile, quia potest, & iterum calefaciens ad id, quod calefit, & secans ad id, quod secatur tanquam agentia.

Postquam Philosophus prosecutus est de primo modo relatiuorum, nunc prosequitur de secundo. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est. Secundò ostendit quòd priuatio reducitur ad habitum; & ideo negatio ad affirmationem; ideo ad hunc modum reducit relationes dictas secundùm priuationem potentiæ. Secunda ibi; *Amplius quædam*. Prima in tres, quia primò exponit illum secundum modum. Secundò distinguit ipsum à primo. Tertiò subdiuidit illum per comparationem ad tempus. Secunda ibi: *Eorum quæ sunt*. Tertia ibi: *Eorum autem quæ secundùm potentiam*. Dicit ergo primò quòd *actiua & passiua*, quæ sunt relatiua, secundo modo dicuntur *secundùm potentiam actiuam & passiuā, & secundùm actiones potentiarum*, vel supple passiones, quæ sunt agere, & pati: *vt calefactiuum ad calefactibile*, supple refertur: *quia potest*, id est, secundùm potentiam actiuam, & passiuam; nam calefactibile dicitur, quod potest calefieri. Calefactiuū verò, quod potest calefacere: *& iterū calefaciens* dicitur *ad illud, quod calefit, & secari ad illud quod secatur, tanquam agentia*, id est, secundū actus potētiarū actiuæ, scilicet & passiuæ.

Super quod fundatur secundus modus relatiuorum?

Notandum, quòd Philosophus videtur hîc innuere quòd relationes secundi modi fundentur per super actionem & passionem. Sed contrà, quod non est, nihil fundare potest; sed transeunte actione & passione manet relatio, vt patet de patre & filio: nam transeunte actu generandi, ad huc manet paternitas, quandiu manet filius, & èconuerso. Respondeo quòd relationes secundi modi non fundantur super actionem & passionem propter rationem dictam: veruntamen actio & passio sunt quædam dispositiones præuiæ, & necessariò requisitæ ad huiusmodi relationes: si potentia, potentia; si actu, actu: pater enim dicitur ad filium, quia in ipso præfuit generatio actiua: filius etiam dicitur ad patrem, quia in ipso præfuit generatio passiua; & hoc modo intelligit hîc Philosophus in littera: si ergo quæras quid sit fundamentum proximum harum relationum: dicitur quòd ipsa potentia actiua, vel passiua. Deinde cùm dicit:

Vide in 4.d. 13.q.1. & q. 12. quodlib.

Fundamentum proximũ secundi modi relatiuorum nõ generatio, sed potentia

115

Eorum verò quæ sunt secundùm numerum non sunt actiones: sed quomodo in aliis dictum est; quod autem secundùm motum flexiones non existunt.

Distinguit istum secundum modum à primo dicens, quòd *eorum*, scilicet relationum *quæ sunt secundùm numerum*, qui fuit primus modus, *non sunt actiones*, *hoc autem quomodo sit dictum est in aliis*, scilicet in 2. Phys. tex. com. 18. & circiter. vbi ostensum est quomodo Mathematica abstrahunt à motu; ideò subdit, quòd actiones *quæ sunt secundùm motum non existunt*, scilicet in Mathematicis.

Al. relatiuorum.

Notandum, quòd in Mathematicis non sunt actiones reales; cùm sicut dictum est, abstrahant à motu; tamen dicitur communiter, quòd ibi sunt actiones metaphoricè dictæ, puta multiplicare, diuidere, &c. Deinde cùm dicit;

Actio duplex.

Eorum autem quæ secundùm potentiam, & secundùm tempus iam dicuntur ad aliquid, vt quod fecit ad factum, & facturum ad faciendum: sic enim pater filij dicitur pater: hoc quidem enim fecit, illud autem passum quid est.

Subdiuidit istum secundum modum in comparatione ad tempus, dicens, quòd *eorum*, scilicet quæ sunt relatiua *secundùm potentiam*, qui est secundus modus: *dicuntur iam ad aliquid secundùm tempus*: nam aliqua dicuntur ad aliquid secundùm tempus præteritum, *vt quod fecit ad factum*: puta pater ad filium: quia ille genuit, iste genitus est, & aliquid passum est: similiter aliqua dicuntur secundùm tempus futurum, *vt facturum ad faciendum*. Deinde cùm dicit:

Amplius quædam secundùm priuationem potentiæ, vt impossibile, & quæcumque sic dicuntur, vt inuisibile.

Reducit ad hunc modum relationes dictas secundùm priuationem potentiæ dicens: quòd *amplius* supple dicuntur relatiua illo modo *quæcunque secundùm priuationem potentiæ, vt impossibile, & quæcunque sic dicuntur, vt inuisibile*: nam inuisibile & impossibile dicuntur respectu alicuius, puta impossibile, vel inuisibile huic vel illi. Tunc sequitur illa pars.

Impossibile, inuisibile, & huiusmodi qualiter sunt relatiua?

SVMMARIVM.

Prosequitur idem, explicans tertium modum relatiuorum, eiúsque differentiam ab aliis duobus.

116

Secundùm numerum quidem igitur & potentiam dicta ad aliquid: omnia sunt ad aliquid, eò quòd ipsum, quod est alterius, dicitur ipsum quidem, sed non eo, quod ad illud aliud. Mensurabile verò, & scibile, & intellectuale, eò quòd aliud ad ipsum dicitur ad aliquid dicuntur: nam intellectuale aliquid significat quod ipsius intellectus est.

Vbi prosequitur de tertio modo relatiuorum, Circa quod duo facit. Primò distinguit ipsum à duobus primis. Secundò remouet dubium siue errorem. Secunda ibi: *Non autem intellectus*. Dicit ergo, quòd *dicta igitur ad aliquid secundùm numerum*, quantum ad primum modum, *& secundùm potentiam*, quantum ad secundum: *omnia sunt ad aliquid eò, quòd ipsum quod quidem est alterius ipsum quod est, dicitur, sed non eo, quòd aliud ad illud*: vult dicere, quòd relatiua secundùm duos primos modos referuntur mutuò non ex eo, quòd aliud tantùm referatur, & propter hoc aliud dicatur ad ipsum referri: multiplex enim refertur ad submultiplex, & èconuerso, & calefactiuum ad calefactibile, & èconuerso: non sic enim est in tertio modo; ideò subdit, quòd *mensurabile & scibile & intellectuale dicuntur ad aliquid*; supple non de se, sed quod *alterum* dicitur *ad ipsum: nam intellectuale*, id est, obiectum intellectuale *significat*: quia ipsius est intellectio: similiter est de sensibili respectu sensus; hæc enim quantum est de se, non referuntur, nisi quatenus alia referuntur ad ipsa, puta sensus ad sensibile, & intellectus ad intelligibile. Constat ergo in hoc ista differentia: quia in tertio modo relatiuorum non est mutua relatio, sicut est in primis duobus modis. Deinde cùm dicit:

In quo differt tertius modus relatiuorum à duobus primis, & est intentio Sco. vbique.

Non est autem intellectus ad hæc cuius est intellectus: bis enim idem dictum vtique erit; similiter autem & alicuius visus est visus, & non cuius est visus; quamuis hoc verum sit dicere, sed ad colorem, aut ad aliquid tale. Illo verò modo bis idem diceretur; quia est visus cuius est visus.

Remouet dubium & errorem, posset enim aliquis credere quod sicut scientia, vel intellectus refertur per se primo ad ipsum scibile: ita per se primo referatur ad ipsum scientem, vel intelligentẽ, quod excludit dicens, quod *intellectus*, id est, actus intelligendi *non*, supple dicitur *ad hoc cuius est intellectus*: nam supple cùm iam referatur ad ipsum intelligibile, sequitur quod *idem bis vtique erit dictum*, & per consequens quod idem haberet duplex esse: cùm esse relatiui sit ad aliud se habere: *similiter autem visus non est alicuius visus*, id est, videntis, *quamuis hoc sit verum dicere*, quod scilicet visus est videntis; licèt non vt correlatiuum, sed vt actus, vel accidens: *sed* supple, vt ad correlatiuum dicitur visus *ad colorem, vel ad aliquod tale*: quod dicit ex hoc, quod multa sunt visibilia quæ non sunt colorata, vt habetur 2. de Anima:

Vide 3.q. quodlib.

ma : tex.com.72. & inde. *illo verò modo*, scilicet si visus refertur ad videntē *bis idem diceretur : quia visus est* ex alia parte *ipsius*, supple visibilis, *cuius est visus*, vt correlatiui. Tunc sequitur illa pars.

117

Secundùm se quidem igitur dicta ad aliquid hæc quidem sic dicuntur: illa verò si ipsorum genera sunt talia, vt medicina eorum quæ ad aliquid: quia ipsius genus scientia videtur esse eorum quæ ad aliquid. Ampliùs secundùm quacunque habentia dicuntur ad aliquid, vt æqualitas, quia æquale, & similitudo quia simile: alia verò secundùm accidens, vt homo ad aliquid: quia accidit ei duplum esse: hoc autem est eorum quæ ad aliquid, vt album si acciderit eidem album & duplum.

Modi relatiuorum quasi per accidens sunt tres.

Vbi agit de relatiuis per aliud, & quasi per accidens. Et ponit tres modos, quorum primus est, cùm aliquid refertur ratione sui generis : iste vtique modus est per se, sed non primò, vt dictum est: secundus modus est cùm aliquid dicitur referri in abstracto : quia refertur in concreto, & iste quidem modus est per aliud, & quasi per accidens, & non per se. Relatio enim in abstracto puta similitudo, ita habet rationem *quo*, quòd non habet rationem *quod*. Tertius modus est propriè per accidens, puta cùm subiectum dicitur referri ratione accidentis sibi inhærentis; vt cùm dicitur homo duplus, vel similis, ratione quantitatis, vel albedinis, quæ sibi insunt. Dicit ergo, quòd *dicta ad aliquid secundùm se; hæc quidem sic dicuntur*, vt prædictum est : *illa verò*, id est, alia dicuntur ad aliquid *si ipsorum sunt genera talia*, quæ scilicet dicantur ad aliquid : *vt medicina eorum quæ ad aliquid: quia ipsius genus scientia videtur esse eorum, quæ ad aliquid* : & iste fuit primus modus: *ampliùs secundùm quecunque habentia dicuntur ad aliquid*, id est, aliqua abstracta dicuntur ad aliquid : quia concreta habentia abstracta dicuntur ad aliquid *vt æqualitas*, supple dicitur ad aliquid *quia equale, & similitudo quia simile*; & iste fuit secundus modus. Alia verò dicuntur ad aliquid secundùm accidens, *vt homo dicitur ad aliquid, quia ei accidit duplum esse: hoc autem* scilicet duplum *est eorum quæ dicuntur ad aliquid, vt etiam album* supple: *quia accidit ei*, scilicet homini *albū & duplūm esse*, vt sicut homo dicitur duplus, quia duplum ei accidit, ita supple dicatur similis, quia album sibi accidit.

Relatio est quo & non quod refertur. Sed considera instantias propter relationes communes, quæ in omni ente fundantur, lege 9. dist. Conflat.

Fundamentum, & subiectum relationis differunt.

Differt autem dicere fundamentum relationis & subiectum. Fundamentum dicitur illud, in quo relatio immediatè fundatur, puta similitudo in albedine : subiectum verò dicitur id, in quo fundatur mediante fundamento proximo, puta similitudo in homine mediante albedine: fundamentum autem per se refertur, albedo enim per se est similis: sed subiectum per accidens refertur; ideò dicitur hîc, quòd homo per accidens est similis, vel duplus.

SVMMÆ VNICÆ
CAPVT XV.
De perfecto, termino, & secundùm se.

SVMMARIVM.

Ostendit in hoc capite vsque ibi, *Terminus dicitur.* perfectum sumi tribus modis, quos reducit ad duos. Exponit etiam modos perfecti secundùm respectum. Quod ait hîc Doctor ex Philosopho dari terminum magnitudinis in naturalibus, tradit 2.d.2.q.9 & 4.d.10 q.1.

Text.co.21.

PErfectum verò dicitur vnum quidem, cuius non est extra aliquid accipere nullam particulam, vt tempus perfectum vniuscuiusque hoc extra quod non accipere tempus aliquod quod sit huius temporis pars.

118

Postquam Philosophus distinxit nomina significantia causas, & principia, & nomina significantia subiectum, & partes subiecti huius scientiæ, nunc distinguit nomina significantia quasdam conditiones entis, quæ extenso nomine possunt dici passiones, vel quasi passiones communes entis. Et diuiditur in duas partes. Primò enim distinguit nomina significantia perfectionem entis. Secundò nomina significantia defectum & imperfectionem entis. Secunda ibi : *Falsum dicitur.*

Ad euidentiam primæ partis sciendum, quòd totum & perfectum sunt quasi idem ex 3. Physic. text. com.64. Secundùm hoc ergo hæc pars diuiditur in duas. Primò distinguit nomina significantia entis perfectibilitatem. Secundò entis totalitatem & partialitatem. Secunda ibi : *Ex aliquo esse.* Prima in duas : quia primò facit quod dictum est. Secundò distinguit nomina significantia quasdam conditiones consequentes rationem perfecti. Secunda ibi: *Terminus dicitur.* Prima in duas. Primò distinguit modos perfecti secundùm quod aliqua dicuntur perfecta simpliciter & absolutè. Secundò secundùm quod dicuntur perfecta in respectu. Secunda ibi: *Alia verò.* Prima in duas: nam primò præmittit modorum perfecti distinctionem. Secundò eorum reductionem ad duos modos principales. Secunda ibi : *Secundùm se dicta.* Prima in tres secundùm tres modos, quorum primus sumitur penes entium quantitatem dimensiuam. Secundus penes entium quantitatem perfectiuam. Tertius penes entium perfectionem vel terminationem finitiuam. Secunda ibi : *Et quod secundùm.* Tertia ibi: *Ampliùs quibus.* Dicit ergo, quòd *perfectum dicitur vno quidem*, id est, vno modo, *cuius non est extra accipere quidem nullam particulam, vt tempus vniuscuiusque dicit perfectum, hoc est extra quod non est accipere tempus quod sit pars huius temporis*, vt si dicatur annus perfectus, quoniam nulla pars anni potest extra accipi quæ deficiat. Deinde cùm dicit :

Perfectum accipitur, 3. modis.

Et quod secundùm virtutem, & quod eius quod benè, non habens excedentiam ad genus, vt perfectus medicus, perfectus fistulator, quando secundùm speciem propria virtutis in nullo deficiunt.

Ponit secundum modum, qui sumitur penes rei quantitatē perfectiuam. Circa quod duo facit. Primò ponit illū modum. Secundò assignat causam eius. Secunda ibi: *Et virtus perfectio.* Prima in duas, secundùm quod ille modus potest accipi propriè; vel transumptiuè. Secunda ibi: *Sic autem transferentes.* Dicit ergo quòd supple alio modo dicitur perfectum *quod secundùm virtutem*

Vt aliquid dicitur perfectum secundùm virtutẽ in aliquo genere.

non habet hyperbolen, id est, excedentia *eius quod benè,* id est, ad hoc quòd aliquid fiat benè, *ad genus,* id est, secundùm illud genus: *vt perfectus medicus & perfectus fistulator, quando secundùm speciem propriæ virtutis in nullo deficiunt:* vult dicere, quòd tunc aliquid dicitur perfectum secundùm virtutem in aliquo genere, cui nec deficit aliquid secundùm illam virtutem, nec habet excedentiam ad hoc quòd aliquid benè fiat: nam vt dicitur secundo Ethic. cap. 5. dicimus illud benè se habere secundùm quod non habet plus nec minus quàm debet habere: virtus enim est quæ habentem perficit, & eius opus bonum reddit. Deinde cùm dicit:

119

Sic autem transferentes & ad mala dicimus, calumniatorem perfectum, & latronem perfectum: quoniam & bonos dicimus ipsos, vt latronem bonum, & calumniatorem bonum.

Metaphora bonum malũ & econtra asserit.

Ostendit quomodo iste modus sumitur quandoque transumptiuè, dicens, quòd *sic autem transferentes,* scilicet nomen perfecti, *ad mala dicimus* sycophantam, id est, *calumniatorem perfectum & latronem perfectum,* quando supple non deficiunt ab aliquo, quod eis conueniat inquantum huiusmodi sunt, nec supple hoc mirandum est, *quoniam etiam ipsos dicimus bonos, vt bonum latronem:* si igitur istos cùm sint mali, bonos vocamus, nimirùm si ea quæ sonant imperfectionem perfecta vocamus. Cuius ratio est: quia sicut boni se habent in operationibus suis bonis, sic etiam isti in suis operationibus. Deinde cùm dicit:

Text. c. 41.

Et virtus quædam perfectio: vnumquodque enim tunc perfectum, & substantia omnis tunc perfecta: quando secundùm speciem propriæ virtutis nulla defecerit pars eius quæ secundùm naturam magnitudinis.

Cuiuslibet naturæ est determinata quantitas secundum augmentum, & decrementũ. Vide 2. d. 2. q. 9. & 10. d. 4. q. 1.

Assignat causam huius, dicens, quòd *virtus est quædam perfectio:* nam virtus perficit rem, & ideò hæc est causa quare aliquid dicitur perfectum secundùm virtutem: *vnumquodque enim tunc est perfectum,* cùm substantia eius est perfecta, *& tunc eius substantia est perfecta quando ei nulla deficit pars secundùm speciem propriæ virtutis eius magnitudinis: quæ secundùm naturam est.*

Notandum, quòd vt habetur secundo de Anima, tex. com. 41. omnium natura constantium est certus terminus magnitudinis, secundùm augmẽtum & decrementum, ita quòd quælibet res naturalis habet determinatam quantitatem virtutis suæ naturalis: est enim aliqua quantitas dimensiua determinata in specie humana, vltra quam nullus homo protenditur in magnitudine; & similiter est aliqua quantitas determinata, citra quam nullus homo procedit in paruitate: similiter est de virtute naturali hominis: quia est aliqua virtus in natura humana, qua maior in nullo homine reperitur, & est aliqua ita parua, quòd nulla minor est in aliquo homine: sicut igitur primus modus accipitur ex hoc, quòd nihil deficit rei de quantitate dimensiua sibi naturaliter competẽte; ita secundus modus accipitur ex hoc, quòd nihil deficit rei de quantitate perfectiua, & virtutis sibi debitæ secundùm propriam naturam. Deinde cùm dicit:

Ampliùs quibus inest finis studiosus, hæc dicuntur perfecta, secundùm habere enim finem perfecta.

120

Ponit tertium modum, qui sumitur penes perfectionem, vel terminationem finitiuam. Circa quod duo facit: secundùm quod ille modus potest accipi dupliciter scilicet propriè, vel transumptiuè. Secunda ibi: *Quare quoniam finis.* Dicit ergo, quòd *ampliùs,* id est, alio modo, supple dicuntur perfecta, *quibus inest finis,* id est, quæ iam peruenerunt ad finem: si tamen sit finis *studiosus,* id est, bonus, puta homo, qui iam adeptus est felicitatem. *Secundùm enim habere finem dicuntur talia perfecta:* qui autem consequitur in malis finem suum, magis meretur dici imperfectus, quàm perfectus. Deinde cùm dicit:

Ideò in malis est melior actu potentia, 9. huius.

Quare quoniam finis vltimorum aliquid est, & ad praua transferentes dicimus perfectè perditum esse, & perfectè corruptum esse: quia nihil deest corruptionis & mali, sed in vltimo est. Quapropter & mors secundùm Metaphoram dicitur finis, quia ambo vltima: finis autem & cuius causa fit vltimum.

Ostendit quomodo iste modus accipitur transumptiuè, dicens, quòd *quoniam finis est aliquid vltimorum:* ideò supple *istum modum ad praua,* id est, ad mala *transferentes, dicimus aliquem perfectè perditum* esse, & perfectè corruptum esse, *quando nihil deest corruptionis & mali, sed est in vltimo quapropter & eadem ratione & mors dicitur finis secundùm Metaphoram.*

Sed quia ambo, scilicet tam perditio, quàm corruptio non sunt, cuius causa aliquid fiat, quia natura non intendit malum nec corruptionem. Notandum quòd, vt fuit dictum suprà capitulo de causa, finis & bonum idem sunt: quod ergo habet rationem mali & non boni, non propriè habet rationem finis; mors ergo & corruptio licèt sint quædam vltima, non tamen habent rationem finis, quatenus sunt quædam mala in natura: ad rationem autem finis non sufficit sola vltimitas, nisi etiam adsit ratio bonitatis. Deinde cùm dicit:

Finis & bonum, idem, sed qualiter, quare Scot. q. 3. prolo. sent.

Secundùm dicta quidem sic perfecta toties dicuntur, alia quidem quia secundùm benè in nullo deficiunt, nec hyperbolen habent, nec aliquid extra accipitur; alia omnino secundùm quod omnino non habent hyperbolen in vnoquoque genere, nec aliquid est extra.

121

Ostendit quomodo omnes modi perfecti reducuntur ad duos modos principales. Dicit ergo, quòd *perfecta quidem dicta secundùm se toties dicuntur,* scilicet dupliciter: *alia quidem* supple dicuntur perfecta *quæ secundùm benè in nullo deficiunt,* id est, quibus omnino nihil deficit de bonitate simpliciter: *nec habent hyperbolen,* id est, excedentiam: ita scilicet quod in bonitate à nullo exceduntur, nec extrà aliquid accipiunt: quia scilicet non egent aliqua exteriori bonitate: & hæc videtur esse conditio primi entis, cui nihil deficit perfectionis: nam in eo est summa & perfecta bonitas, quæ à nullo excedi potest: *alia verò,* id est, secundùm alium modum dicuntur perfecta *secundũ quod in vnoquoque genere* determinato

Omnes modi perfecti reducuntur ad duos modos.

Deus ergo est quo maius cogitari non potest & solus perfectus.

minato *non habent*, ſcilicet *hyperbolen*, id eſt, excedentiá: *nec eſt aliquid extrà*, quæ ſibi debentur ſecundùm illud genus, puta ſi dicatur perfectus homo, nihil deficit de perfectione, vel bonitate competente homini, nec exceditur ab aliquo in ſpecie humana. Deinde cùm dicit:

Alia verò iam ſecundùm ipſa, aut in faciendo aliquid tale, aut in habendo, aut congerendo tali, aut in aliqualiter dici ad primo dicta perfecta.

Ponit & diſtinguit modos perfecti ſecundùm quod aliqua dicuntur perfecta in reſpectu, quòd *alia verò* ſupple dicuntur perfecta, non *ſecundùm ſe ipſa*, id eſt, abſolutè, ſed ſupple in reſpectu, ſcilicet per comparationem ad ea quæ abſolutè ſunt perfecta: *aut in faciendo aliquid tale*, id eſt, ex eo quòd faciunt ad perfectionem: ſicut medicina dicitur perfecta quia inducit ſanitatem: *aut in habendo*, ſcilicet aliquid perfectum: vt ſi dicatur homo perfectus qui habet ſcientiam perfectam: *aut in congerendo tali*, ſcilicet perfecto: vt ſi imago dicitur perfecta, quæ habet ſimilitudinem & repræſentat hominem perfectum: aut in aliqualiter dici ad primo dicta perfecta, id eſt, quod etiam dicitur aliquid perfectum qualitercunque referatur ad ea, quæ ſecundùm ſe primis modis dicta ſunt perfecta. Tunc ſequitur illa pars:

Modi perfecti in reſpectu ſiue nõ per ſe

S V M M A R I V M.

Explicatio termini & quatuor modorum quibus ſumitur; explicatur etiam particula, *ſecundùm quod*, & quatuor etiam modi quibus ſumitur, de quo vide Doct. 4. d. 12. q. 1. ar. 1. & Quodl. q. 3.

Tex. co. 22. Al. conſequentes.

TErminus dicitur quod eſt cuiuſque vltimum, & cuius extra nihil eſt accipere primi, & cuius infra omnia primi.

Vbi diſtinguit nomina ſignificantia quaſdam conditiones ſignificantes rationem perfecti.

122

Ad cuius euidentiam notandum, quòd vt patet ex prædictis perfectum dicitur eſſe aliquid terminatum & abſolutum, non depẽdens ab alio, ſed habens ea quæ ſibi competunt ſecundùm proprium genus, & non priuatum aliquo ſibi cõpetente: ſecundùm hoc ergo iſta pars diuiditur in tres. Primò diſtinguit hoc nomen *terminus*. Secundo hoc nomen, *ſecundùm quod*, vel in eo quod. Tertio hoc nomen habitus. Secunda ibi: *Secundùm quod*. Tertia ibi: *Habitus verò*. Prima in tres. Primò aſſignat rationem communem termini. Secundò iuxta illam diſtinguit modos. Tertiò comparat ad principium. Secunda ibi: *Et quodcunque*. Tertia ibi: *Quia palam*. Dicit ergo quòd *terminus cuiuslibet rei eſt quod eſt vltimum eius, & extra quod nihil eſt accipere primi, & cuius primi omnia ſunt infrà*: vult dicere quòd illud eſt terminus rei, extra quod nihil eſt pertinens ad illam rem: & intra quod ſunt omnia pertinentia ad integritatem rei terminatæ. Dicit autem *primi*, id eſt, adæquati & præciſi, ad differentiam termini communis, puta ſi diceretur cœlum eſſe terminus viuentium: nam infrà talem terminum multa continentur, quæ ſunt extra ipſa viuentia: aliter exponitur *primi*, ex eo ſcilicet quòd contingit illud quod eſt vltimum primi eſſe principium ſecundi: ſicut nunc quod eſt vltimum præteriti eſt principium futuri. Deinde cùm dicit:

Terminus quid?

Expoſitio D. Thom.

Et quodcunque fuerit ſpecies magnitudinis, aut habentis magnitudinem.

Diſtinguit modos termini; & ponit quatuor. Secundus modus ponitur ibi: *Et finis*. Tertius ibi: *Cuius cauſa*. Quartus ibi: *Et ſubſtantia*. Dicit ergo quòd finis dicitur vno modo *quodcunq; fuerit ſpecies magnitudinis, aut habentis magnitudinem*, id eſt, quòd in quolibet ſpecies magnitudinis, vel habentis magnitudinem dicitur terminus, vt ſi linea dicatur terminus ſuperficiei, & ſuperficies corporis, vel etiam hominis, vel aſini habentis magnitudinem corporalem. Deinde cùm dicit:

123

Terminus accipitur quadrupliciter.

Et finis cuiuſque. Tale verò ad quod motus & actus & non à quo, & quandoque ambo & à quo & in quod.

Ponit ſecundum modum dicens, quòd ſupple terminus dicitur alio modo finis cuiuſque; *tale verò* eſt illud *ad quod eſt motus & actus, & non à quo*, id eſt, terminus ad quem, & non terminus a quo: ſicut ſi terminus generationis dicatur eſſe, & non: non eſſe: *quandoque* tamen *ambo à quo & ad quem* dicuntur termini: ſecundùm quod communiter dicimus omnem mutationem eſſe inter duos terminos à quo, & ad quem. Deinde cùm dicit:

Et cuius cauſa.

Ponit tertium modum dicens quòd alio modo, ſupple dicitur terminus *cuius cauſa* aliquid fit; tale enim eſt motus & actionis vltimum, & ſic terminus. Deinde cùm dicit:

Al. tale enim eſt vltimum intẽtionis ſicut terminus ſecũdo modo dictus eſt motus, &c.

Et ſubſtantia cuiuslibet, & quod quid erat eſſe cuique. Cognitionis enim hic terminus: ſi autem cognitionis & rei.

Ponit quartum modum dicens, quod alio modo, ſupple dicitur terminus *ſubſtantia cuiuslibet, & quod quid erat eſſe cuique*, id eſt, definitio ſubſtantialis cuiuslibet rei, indicans quid erat eſſe rei: *hic enim eſt terminus cognitionis: ſi autem cognitionis, ergo & rei*. Diffinitio enim explicat principia eſſentialia & intrinſeca rei: quibus res cognoſcitur: vnumquodque enim cognoſcitur per ſua principia; & ideò diffinitio dicitur terminare rem quatenus claudit omnia eſſentialia rei, per quæ res cognoſcitur perfectè.

Quod diffinitio rectè terminus dicitur Vide 1. & 6. Topic.

Notandum, quòd diſtinctio modorum termini magis eſt materialis quàm formalis: ſumitur enim ſicut patet, penes ipſas res quæ terminantur. Deinde cùm dicit:

Text co. 23.

Quare palàm quia quoties principium dicitur, toties & terminus, & adhuc ampliùs: principium enim terminus eſt quidam, ſed terminus non omnis principium.

124

Vide Sco. in 4 d. 12. ar. 1. q. 1.

Comparat terminum ad principium concludens ex prædictis palàm esse: quia quoties dicitur principium, toties dicitur terminus, & adhuc ampliùs: quia omne principium est terminus quidam, sed non omnis terminus principium. Patet enim ex prædictis quòd vno modo accipitur terminus pro eo, ad quod est motus & mutatio, qui dicitur terminus ad quem: & tamen non potest dici illud principium motus, vel mutationis: in aliis autem modis omne illud quòd dicitur terminus, potest dici principium, sicut patet inducendo: omne etiam principium potest dici terminus largo modo. Tunc sequitur illa pars:

Secundùm quod dicitur multipliciter: vno quidem modo species & substantia cuiusque rei, vt secundùm quod bonum per se bonum.

Vbi distinguit hoc nomen, *secundùm quod* vel *in eo quod*. Circa quod tria facit. Primò facit quod dictum est. Secundò distinguit modos per se, & secundum se; quia hæc ambo sunt propinqua. Tertiò quia ipsum *secundùm quod* vltimo modo significat dispositionem quandam, vt patebit, ideò distinguit nomen dispositionis. Secunda ibi: *Quare secundùm se*. Tertia ibi: *Dispositio dicitur*.

Ad euidentiam primi, notandum quòd *secundùm quod* vel *in eo quod*, quod idem est, dicit quandam reduplicationem; vnde distinctio ipsius *secũdũ quod* potest applicari ad omnes dictiones, vel modos reduplicationis, maximè quãtũ ad tres primos modos: nam quælibet reduplicatio potest reduplicare quodlibet genus causæ. Ponit ergo quatuor modos ipsius *secundùm quod*. Secunda ponitur ibi: *Alio verò*. Tertia ibi: *Omnino verò*. Quarta ibi: *Amplius secundùm quod*. Dicit ergo quòd *secundùm quod dicitur multipliciter, vno quidem modo substantia & species cuiuslibet rei*, id est, forma substantialis rei, vt secundùm opinionem Platonicam *ipsum per se bonum*, id est, idea boni est illud *secundùm quod* est aliquid *bonũ*. Secundum istum primum modum, ly *secundùm quod*, notat & reduplicat causam formalem, vt si dicatur quòd homo inquantum rationalis, vel in eo quod rationalis, est homo, & intelligens. Deinde cùm dicit;

Vide Sco. in Quodl. q. 3. Secundùm quod accipitur quadrupliciter.

Alio verò in quo primum & aptum natum est fieri, vt color in superficie. Primo quidem ergo dictum secundùm quod species est. Secundo autem vt materia cuiusque & subiectum vnicuique primum.

Ponit secundum modum, dicens quòd *alio modo* dicitur secundùm quod, *in quo primum natum est aliquid fieri, vt color in superficie*, & hoc modo ly *secundùm quod* notat, & reduplicat causam materialem, vt si dicatur quòd corpus est coloratum secundùm quod habet superficiem: nam superficies est materia & subiectum primum & proximum coloris. Vnde subdit differentiam huius secundi libri ad primum, dicens quòd *primo* modo *quidem igitur dictum secundùm quod species est*, id est, forma. *Secundo* autem modo *vt materia cuiuslibet, & subiectum primum vnicuique*. Deinde cùm dicit:

Omninò verò ipsum secundùm quod pariter & causa existit: nam secundùm quod venit, aut cuius causa venit dicitur, & secundùm quod paralogizatum est, aut syllogizatum est, aut cuius causa syllogismi sunt, aut paralogismi.

Ponit tertium modum, dicens quòd *omnino*, id est, vniuersaliter *ipsum secundùm quod toties, & causa existit*, id est, quod tot modis dicitur quot causa: *nam* si quæratur *secundùm quod venit*, *idem* est ac si quæratur *cuius causa venit*: & similiter dicitur: *secundùm quod paralogizatum est, aut syllogizatum*: aut cuius causa syllogismi, aut paralogismi sunt, aut facti sunt.

Notandum, quòd tertius modus includit duos priores & addit alios duos; ex eo quòd *secundùm quod*, vel *in eo quod*, notat, & reduplicat non solùm causam formalem, vel materialem, sed etiam efficientem & finalem, vt si diceretur quòd homo est secundùm quod ordinatus ad beatitudinem, quantum ad causam finalem; vel secundùm quod generatus ab alio homine generante, quantum ad causam efficientem. Deinde cùm dicit:

125

Ampliùs autem secundùm quod quidem secundùm positionem dicitur, vt secundùm quod stetit, aut secundùm quod vadit: hac namque omnia positionem significant & locum.

Ponit quartum modum dicens: quòd *ampliùs*, id est, alio modo *secundùm quod*: significat quòd *secundùm positionem dicitur, vt secundùm quod stetit, aut secundùm quod vadit: hac* omnia *namque positionem significant & locum*: si enim dicatur, iste stetit secundùm quod hunc: aut vadit secundùm quod hunc: est sensus quòd stat aut vadit iuxta hunc, quæ quandam positionem secundùm locum dicunt.

In idiomate Græco ille modus sonat.

SVMMARIVM.

Quinque modi per se, seu secundùm se, explicantur; quomodo correspondent quatuor modis positis 1. Post. explicat Doctor. vide eum 1. Post. q. 15. explicatur etiam quid sit dispositio, & tres acceptiones eius.

QVare & secundùm se multipliciter dici est necesse: vno quidem enim modo secundùm se, quod quid erat esse vnicuique: vt Callias, & quod quid erat esse Calliam.

Distinguit quinque modos ipsius per se, vel secundùm se, quod videtur propinquum ipsi *secundùm quod*. Secundus ponitur ibi: *Alia verò*. Tertius ibi: *Ampliùs autem*. Quartus ibi: *Ampliùs cuius*. Quintus ibi: *Ampliùs quecunque*. Dicit ergo, quasi concludens ex prædictis: *quare & secundùm se necesse est dici multipliciter; vno modo quidem dicitur secundùm se, quod quid erat esse*, id est, diffinitio vniuscuiusque: *vt Callias, & quod quid erat esse Calliam*: hoc enim modo tota diffinitio inest secundùm se rei cuius est diffinitio

Modi secundùm se sunt quinque.

finitio: Philosophus autem non curat de exemplis quandoque. Callias enim cùm sit singulare non habet propriè diffinitionem, vt dicitur 7. text. co.53. tamen eo modo quo diffiniri potest: vel si habet, illa inest sibi per se. Deinde cùm dicit:

126

Alia verò quæcunque in eo, quod quid est existunt: vt animal Callias secundùm se: nam in ratione inest animal: animal enim quoddam Callias.

Ponit secundum modum dicens, quòd alio modo dicitur secundùm se *quæcunque existunt in eo, quod quid est*, id est, quæcunque partes positæ in diffinitione rei, vt *Callias est animal secundùm se: nam in ratione*, id est, diffinitione *Calliæ* ponitur animal, *Callias enim est quoddam animal*. Deinde cùm dicit:

Ampliùs autem si in ipso ostensum est primò: aut in ipsius aliquo vt superficies secundùm se alba, & viuens secundùm se homo: anima namque pars quædam est hominis in qua primò est ipsum viuere.

Ponit tertium modum, dicens, quòd dicitur secundùm se: *si in ipso ostensum est primò, aut in aliquo ipsius*, id est, si aliquid sit in aliquo sicut in subiecto primo, vel toto, vel in aliqua parte subiecti *vt superficies est* alba *secundùm se* totam: primum enim subiectum coloris est superficies: *homo autem est viuens secundùm se* supple ratione partis: *anima namque quædam est pars hominis, in qua primum est ipsum viuere*, scilicet sicut in subiecto primo. Et accipitur hîc viuere, vt nominat actum secundum, qui est opus vitæ: talis enim actus conuenit homini per animam in qua est, vt in subiecto proximo sicut est ipsum intelligere: potest etiam accipi pro primo actu, quia ille etiam licèt insit toti coniuncto communicatiuè: inest tamen per animam communicantem esse, & viuere corpori: quia viuere viuentibus est esse, vt habetur 2. de Anima. Deinde cùm dicit:

Text. c. 37.

Ampliùs cuius non aliqua alia causa est: hominis enim multa sunt causæ animal bipes. Attamen secundùm se homo, homo est.

Ponit quartum modum dicens: quòd *ampliùs* dicitur secundùm se illud *cuius non est aliqua causa alia*: sicut est propositio immediata per se nota, quæ non habet medium quod sit causa inhærentiæ prædicati ad subiectum: licèt *enim hominis multæ sunt causæ*, scilicet *animal & bipes*, quæ sunt causæ intrinsecæ hominis, *attamen homo secundùm se est homo*: vnde nullum medium est ad probandum istam propositionem, homo est homo, quia quærere quare ipsum est ipsum, nihil est quærere, vt habetur 7. huius, capitulo vltimo text. com. 59. Deinde cùm dicit:

Ampliùs quæcunque insunt soli & in quantum solùm quia separatum secundùm se.

Ponit quintum modum dicens, quòd *ampliùs* supple dicuntur secundùm se *quæcunque soli insunt & in quantum solum*, id est, quod istud secundùm se dicitur ratione solitudinis: quia ipsum *secundùm se* dicit *aliquid separatum*: per hoc ergo iste modus distinguitur à præcedentibus, in quibus non dicitur aliquid inesse, vt solum ibi aliquid soli inesset, vt diffinitio, & propria passio subiecto.

Al inquantū soli.

Notandum, quòd istorum quinque modorum duo primi qui realiter sunt vnus, pertinent ad primum modum *per se* positum 1. Poster. & respondetur primo modo ipsius *secundùm quod*: sicut patet intuenti. Tertius autem modus reducitur ad secundum positum. 1. Posteriorum. text. com. 24. Quartus verò ad quartum licèt extenso modo. Sed quintus ad tertium licèt aliqualiter impropriè quatenus ibi accipiatur solitarium incomplexè: hîc autem complexè. Deinde cùm dicit:

Qualiter quatuor modi per se 1. Poster. assignati correspōdēt quinque modis secundū se hic enumeratis.

Dispositio dicitur habentis partes ordo.

127

Dispositio quid?

Distinguit nomen dispositionis propter causam dictam. Circa quod tria facit. Primò præmittit rationem communem dispositionis. Secūdò iuxta illā distinguit modos dispositionis. Tertiò ostendit quoddam suppositum. Secunda ibi: *Aut secundùm locum*. Tertia ibi: *Positionem enim*. Dicit ergo quòd *dispositio dicitur habitus, & ordo habentium partes*, id est, ordo partium in habentibus partes. Deinde cùm dicit:

Aut secundùm locum, aut secundùm speciem, aut secundùm potentiam.

Distinguit tres modos, quorum primus est secundùm ordinem partium in loco, & sic est Prædicamentum positionis, vel situs. Secundus est ordo partium secundùm potentiam, id est, virtutem naturalem; & sic est species qualitatis secundùm quam aliquis dicitur dispositus ad sanitatem, vel ægritudinem, ex eo quòd partes eius habent aliquem ordinem in virtute actiua, vel passiua. Tertius est ordo partium secundùm speciem, & sic est differentia quantitatis, quæ dicitur positio, vt dicitur in Prædicamentis: quia quantitas quædam est habens positionem, vt superficies: quędā non, vt tempus. Deinde cùm dicit:

Modi dispositionis tres. Vide Commentatorem qui aliter exponit, sed hic satis subtilis.

Cap. de Quantitate.

Positionem enim oportet quandam esse sicut & ipsum hoc nomen dispositio estendit.

Ostendit quoddam suppositum, quòd scilicet dispositio significet ordinem sicut ipsum nomen ostendit, & ideò suppositum istud probat dicens, quòd *dispositionem oportet positionem quandam esse*: positio autem ordinem dicit.

SVMMÆ VNICÆ
CAP. XVI.

De habitu, passione, priuatione, & habere.

SVMMARIVM.

In hoc cap. vsque ibi. *Passio vno.* exponit

ponit tres acceptiones habitus. Quod ait Doctor, actionem sumi pro re acta, vide eum 4. d. 13. q. 1. num. 11. 12. vbi probat actionē de genere Actionis, sumi pro respectu extrinsecùs adueniente. Vide eum qu. 7. de An. & ibi commentarium.

128 Tex. c. 25.

Habitus verò vno modo dicitur quidem tanquam actio quadam habentis & habiti, vt quidam actus aut motus: nam quādo hoc quidem facit, illud verò fit, est factio intermedia; sic & habentis vestem, & habita vestis est intermedius habitus. Nunc quidem igitur manifestum, quòd non contingit habere habitum: in infinitum enim vadet si habiti fuerit habere habitum.

In ista parte, vt dicebatur distinguit hoc nomen *habitus*. Circa quod duo facit. Primò quod dictum est. Secundò distinguit quædam alia nomina habentia propinquam considerationem, & habitudinem ad habitum. Secunda ibi: *Passio dicitur.*

Quare hic agitur de habitu?

Sed occurrit dubium, quare hîc tractat de his cùm dispositio & habitus, secundùm aliquam suam acceptionem, sint Prædicamenta & partes entis. Dicendum quòd, hoc facit propter quasdā alias acceptiones, secundùm quas non significāt Prædicamenta, sed quasdam alias conditiones, quæ sunt quasi quædam passiones entis. Prima pars diuiditur in tres secundùm tres modos habitus. Secunda ibi: *Alio verò modo.* Tertia ibi: *Amplius autem habitus.* Dicit ergo, quòd *habitus dicitur vno quidem modo tanquam actio quadam habentis & habiti,* & loquitur similitudinariè: nam sicut actio est quoddam medium inter agens & passum: sic habitus isto modo est quoddam medium inter habens & habitum: licèt habitus non sit actio; ideo subdit, quòd habitus supple est, *vt actus quidam, aut motus:* nam sicut *quando hoc quidem facit, illud verò fit, est actio intermedia: ita habentis vestem & habita vestis est habitus intermedius:* addit autem quòd *habitum* scilicet vestem*: manifestum quòd non contingit* habere habitum alium sic, scilicet quòd adhuc sit alius habitus intermedius inter vestem & habitum, vel inter habitum, & ipsum habitum, sic quòd habitus habeat alium habitum: *in infinitū enim vadet si habiti,* id est, rei habitæ *fuerit,* id est, contigerit *habere habitum*: homo enim sic habet ipsam vestem habitam, quòd non dicitur habere habitum rei habitæ, sicut agens producit factum mediante factione, non tamen producit ipsam factionem: actio enim sic ita habet rationem *quo*, quod non habet rationem *quod*; sic habitus ita habet rationem *quo*, quod non habet rationem *quod*, vt ipse habitus dicatur haberi.

Modi habitus tres.

129

Al. & nō habere, & hoc intelligo accipiendo habitum pro substra[t]o: sed formaliter ipsum intelli[gēdo nec est, quod habet, nec quod habetur, sed tātum quomodo.]

Notandum, quòd actio & passio sunt idem motus, vt dicitur 3. Physicorum, text. com. 18. & circiter, accipiendo actionem pro re acta: sed differunt in hoc: quia actio dicitur, vt est ab agente, & passio, vt recipitur in passo: vtroque autem modo est medium inter agens & passum, siue significetur, vt actus, id est, actiuè & ex parte agentis: siue vt motus, id est, passiuè, & ex parte patientis. Vnde alia translatio habet poësis, quod significat factionem, vt si transeatur ab agente in patiens, est medium factio actiua, quæ est actus facientis: si verò à patiente in faciens, sic est medium factio passiua. Similiter intelligendum est in proposito de habitu, qui si consideretur ex parte habētis intelligiturquasi vt actio, & significatur per hoc, quod dicitur habere: si verò ex parte rei habitæ, sic intelligitur, vt quædam passio motus; & sic dicitur haberi, id est, significari per hoc, quod est haberi: habitus autem hoc modo dictus est vnum de decem Prædicamentis. Deinde cùm dicit;

Alio verò modo habitus dispositio dicitur secundùm quam benè, vel malè disponitur dispositum, & aut secundùm se, aut ad aliud, vt sanitas habitus quidam: dispositio namque talis.

Secunda acceptio habitus.

Ponit modum secundum, dicens quòd *alio modo habitus dicitur dispositio secundùm quam ipsum dispositum disponitur vel bene,* putà sanitate & scientia, *vel malè,* puta ægritudine & ignorantia: subdit autem, quod vtrunque scilicet benè & malè disponi dicitur: *aut secundùm se,* & absolutè, *aut* per respectum *ad aliud, vt sanitas est quidam habitus:* nam supple est talis dispositio, secundùm quam aliquid supple est benè dispositum in se, & absolutè. Potest etiam accipi exemplum pro alio membro de respectu; nam cursor dicitur, qui est benè dispositus ad aliquid agendum, puta currendum. Deinde cùm dicit:

Amplius habitus quidem dicitur si est pars dispositionis talis: quapropter & partium virtus habitus quidam est.

Tertia acceptio.

Ponit tertium modum dicens, quòd *amplius dicitur habitus si est pars talis dispositionis, quapropter & virtus partium est quadam dispositio:* vult dicere quòd habitus etiam dicitur non solùm dispositio totius, sed etiam dispositio partis, quæ est pars dispositionis totalis, siue sit dispositio corporalis, siue animæ. Primo modo bonæ dispositiones partium animalis sunt partes bonæ dispositionis totius animalis, puta sanitas capitis, vel hepatis. Secundo modo virtutes partium animæ, vt temperantia, quæ est in virtute concupiscibili, prudentia in rationali parte animæ; vnde patet, quòd iste tertius modus est quædam pars secundi modi. Deinde cùm dicit:

Habitus, seu dispositio duplex, & vtraque adhuc duplex.

SVMMARIVM.

Passionem sumi quatuor modis, quod benè explicat Doctor. Item priuationem sumi quinque modis, de quo vide Scot. 1. d. 18. q. 1. quod tangitur, inter bonum, & malum dari medium. probat Doctor. 2 d. 41.

Text. c. 27.

Passio vno quidem modo dicitur qualitas secundùm quam alterari contingit, vt album & nigrum, dulce & amarum, & grauitas & leuitas, & quæcunque alia talia.

Distinguit

Distinguit quædam nomina habentia propinquam considerationem, & habitudinem ad habitum. Circa quod duo facit. Primò distinguit ea, quæ respiciunt habitum per modum oppositionis. Secundò ea, quæ per modum effectus denominationis. Secunda ibi: *Habere multipliciter dicitur.* Prima in duas. Primò agit de passione, quæ videtur opponi habitui per modum imperfecti. Secundò de priuatione, quæ directè,& per se opponitur habitui. Secunda ibi: *Priuatio.* Prima in quatuor secundùm quatuor modos passionis. Secunda ibi: *Alia verò.* Tertia ibi: *Et maximè tristes.* Quarta ibi: *Amplius.* Dicit ergo, quòd *pari modo dicitur vno modo qualitas secundùm quam contingit alterari, vt album nigrum, dulce amarum: grauitas & leuitas, & quæcunque alia talia.* & hæc est tertia species, Qualitas quæ dicitur passio & passibilis qualitas in Prędicamẽtis, cap. de Qualitate, in qua specie qualitatis est alteratio propriè dicta, vt probatur 7. Physic. text. com, 14. & inde. Deinde cùm dicit:

Modi passionis. 4.

Alio verò modo horum actiones & alterationes iam, Amplius horum magis nociua alterationes & motus.

Ponit secundum modum dicens, quòd alio modo dicuntur passiones *actiones & alterationes,* & motus *horum,* id ést dictatum qualitatum: & hoc modo passio est vnum Prædicamentum distinctum, vt calefieri, dealbari: inquantum tamen dicunt illum respectum, qui est passi, vt transmutati ad agens, vt transmutans: passio enim sicut & actio sunt formaliter respectus: nam & si dealbari, & alij motus non accipiantur pro dicto respectu, sed pro ipsa forma fluente, quæ est ipsa res acta & producta; sic motus est in eodem genere cum re, ad quam motus est, nec sic facit Prædicamentum de se, sed est in eodem genere cum termino, vt dicatur 3. Physic. text. com. 4. & inde. Deinde cùm dicit:

Actio & passio sunt formaliter respectus.

Et maximè tristes nociua.

Ponit tertium modum, dicens, quòd supple alio modo dicuntur passiones dictæ alterationes, non quæcunque, sed *maximè* quæ sunt *tristes & nociuæ*; & hoc modo non dicitur pati, qui sanat, sed qui infirmatur: quod non habet rationẽ mali, puta ad sanitatem, vel albedinem, magis dicitur perfici quàm pati: nam talis forma quæ per hanc alterationem acquiritur, est quædam perfectio mobilis, & passi. Deinde cùm dicit:

131 Alteratio perfecta est potius perfectio quàm passio.

Amplius magnitudines calamitatum & tristium passiones dicuntur.

Ponit quartum modum, dicens, quòd *Amplius magnitudines calamitatum & tristium*, siue lamentantium, & etiam magnitudines exultantium *passiones dicuntur*: vult dicere, quòd quia ea, quæ parua & modica sunt quasi reputantur, ideò hoc quarto modo dicuntur passiones non quæcunque alterationes nociuæ, sed si habent magnitudinem nocumenti: vt magnæ tristitiæ, & magnæ calamitatis: hoc etiam modo dicuntur passiones magnæ lætitiæ, quatenus excessus lætitiæ est nociuus: vnde quandoque aliqui infirmati, & inuenti sunt mortui propter excessiuam lętitiam. Deinde cùm dicit:

Vide 15. d. 3.

Priuatio dicitur vno quidem modo non habet aliquid natorum haberi, etsi non sit id natum sic habere, vt oculis priuari dicitur planta.

Text. co. 27

Distinguit hoc nomen *priuatio*, quod rectè opponitur habitui. Circa quod duo facit: nam priuatio non solùm includit in sua ratione negationem, sed etiam aptitudinem subiecti. Ideò primò distinguit modos priuationis ex parte aptitudinis. Secundò ex parte negationis. Secunda ibi: *Et quotiens.* Prima in quatuor secundùm quatuor modos sic acceptos. Secunda ibi: *Alia verò.* Tertia ibi: *Amplius si aptum.* Quarta ibi: *Amplius autem.* Dicit ergo quòd *priuatio dicitur vno modo si aliquid non habet aliquid natorum haberi,* id est, aliquid eorum, quæ sunt apta nata haberi, etsi pro quamuis, ipsum *non sit natum habere illud, vt planta dicitur priuari oculis*: oculi enim sunt apti nati haberi: licèt non à plãta, quæ dicitur oculis priuari, & ideò iste modus sumitur secundùm quod aptitudo consideratur non ex parte subiecti sed ex parte rei, qua dicitur priuari; & ideò iste modus est impropriè dictus. Deinde cùm dicit:

Modi priuationis ex parte aptitudinis sunt quatuor.

Alio verò si aptum habere aut ipsum, aut genus, & non habet, vt aliter homo cæcus visu priuari dicitur & talpa: hoc quidem secundùm genus, illud verò secundùm se.

132

Ponit secundum modum sumptum ex parte aptitudinis subiecti, dicens quòd *alio modo,* supple dicitur aliquid priuatũ, *si non habet illud quod aptum est habere, aut ipsum, aut suum genus, vt aliter homo cæcus dicitur priuari visu, & aliter talpa*: *homo* enim secundùm se est natus habere visum, talpa verò secundùm se, & secundùm rationem speciei non est nata habere visum: sed quia suum genus scilicet animal est natum habere visum; ideò dicit: *hoc quidem,* id est, talpa *dicitur secundùm genus* supple priuari visu: *Illud autem,* id est, homo supple, *secundùm se,* dicitur priuari visu pro quanto secundùm se est aptus habere visum, & non tantùm secundùm genus. Deinde cùm dicit:

Vide 28. d. 1. Priuatio secundùm genus & secundùm se.

Amplius si aptum natum, & quando aptũ natum habere, & non habet: Cæcitas enim priuatio quædam est: sed cæcus non est secundùm omnem ætatem, sed in quantum est habere, si non habet: similiter autem & in quo, & secundùm quod, & ad quod, vt si non habet aptum natum.

Ponit tertium modum qui sumitur non ex parte subiecti tantum, sed etiam temporis, & aliarũ circunstantiarum. Dicit ergo, quòd *amplius* supple dicitur aliquid priuatum, *si nõ habet quod natum est habere, & quando,* quantum ad tempus; & in quocunque scilicet loco fuerit, & secundùm quod scilicet quantum ad partem; & ad quod, quantum ad terminum determinatum; & vt quantum, quoad modum habendi: *cæcitas enim ést quædam priuatio, sed cæcus non est secundùm omnem ætatem*, puta catus ante nonum diem, sed si non habet in ætate in qua est aptus habere;

Priuatio sũpta in parte, diuersarum circunstantiarum.

similiter

similiter autem & si non habet aptum natum, *& in quocunque fuerit*, quantum ad circunstantiam loci: sicut nox dicitur priuatio in loco vbi nata est esse lux; vnde non dicitur esse in locis, ad quos lumen Solis non consueuit peruenire, puta in occultis cauernis montium & terrarum, *& secundùm quod*, quantum ad circunstantiam partis, vt homo non dicitur caluus, si non habet pilos in oculis, sed si non habet in parte illa, in qua est natus habere: *& ad quod*, quantum ad circunstantiam termini determinati, vt homo non dicitur paruus, nec priuatus statuta debita, si non sit magnus sicut vnus mons; & vt quantum, quoad circunstantiam modi, sicut homo non dicitur cæcus si non videt ita acutè sicut aquila.

133 Notandum, quòd istorum trium modorum priuationis primus est impropriissimus, secundus est minùs proprius, sed tertius est propriissimè acceptus. Deinde cùm dicit:

Ampliùs cuiusque per vim ablatio priuatio dicitur.

Priuatio quæ est ex violentia.

Ponit quartum modum, dicens quòd *amplius* dicitur *priuatio cuiusque per vim ablatio*, scilicet violenta. Violentia enim est contra impetum naturalem, & voluntarium, vt dictum fuit suprà, capitulo de Necessario; & ideò ablatio violenta dicitur priuatio eius quòd quis natus est habere, secundùm impetum, vel appetitum hunc vel illum. Deinde cùm dicit:

Et quoties ab eo quod a priuatiua particula negationes dicuntur, toties & priuationes dicuntur: nam inæquale non habere æqualitatem aptum natum dicitur.

Modi priuationis ex parte negationis 5.

Distinguit modos priuationis ex parte negationis quæ in priuatione formaliter includitur. Et diuiditur in quinque secundùm quinque modos. Secunda ibi: *Inuisibile verò.* Tertia ibi: *Amplius & eo.* Quarta ibi: *Amplius quod non.* Quinta ibi: *Ampliùs omnino.*

Ad euidentiam istorum, notandum quòd Græci vtuntur hæc præpositione, à, ad significandum negationes & priuationes in compositionibus, sicut nos vtimur ista præpositione, *in*, & hoc est quod dicit quòd *quoties dicũtur negationes ab eo quod* a *particula priuata* posita à principio dictionis per compositionem *toties dicuntur & priuationes: nam inæquale dicitur non habere ipsum aptum natum æqualitatem*, id est, quòd inæquale vno modo dicitur quod non habet æqualitatem si aptum natum est habere. Deinde cùm dicit:

Indiuisibile verò & eo quòd nõ habeat omnino colorem, & eo quòd turpiter, & sine pede, & eo quòd non habeat omnino pedes, & eo quòd turpes.

Eadem habentur 2. de Anima.

Ponit tertium modum, dicens, huiusmodi supple priuationes & negationes dicuntur puta inuisibilis, *vel eo quòd omnino non habeat colorem:* vt vox dicitur inuisibilis: *vel eo quòd turpiter habet*, sicut etiam sine pede dicitur, eo quòd non habeat omnino pedes, & eo quòd turpes, sicut claudus pedibus. Aduertendum autem quòd iste secundus modus incidit cum primo, & possunt ambo sub vno comprehendi, secundùm quod satis innuit litteræ processus. Deinde cùm dicit:

134 *Ampliùs & eo quòd parum habeat, vt non igneum: hoc autem est prauè aliquo modo habere.*

Ponit tertium modum dicens quòd *amplius* supple significatur aliquid priuatiuè, vel negatiuè *eo quòd parum habeat, vt non igneum* dicitur supple quia habet modicum de igne: & addit quòd *hoc autem est aliquo modo prauè habere*, per quod innuit quòd ille tertius modus cõtinetur sub secũdo, pro quãto parũ habere est quoddã prauè, vel turpiter habere; vbi autem nos habemus, non igneum, litera Græca habet ἄπυρον & est nomen Græcum, & idem est: nam ἄπυρον Græcè idem est quod non igneum Latinè. Deinde cùm dicit:

Apyron quid significat?

Ampliùs quod non facilè, aut non benè, vt insecabile non solùm quia non secatur, sed quia non facilè, aut quia non benè.

Ponit quartum modum, dicens quòd *ampliùs*, supple dicitur priuatiuè, vel negatiuè *quod non est facilè aut non benè, vt insecabile*, scilicet dicitur non solùm quia non secatur, sed quia non est facile, *aut quia non benè*, scilicet secatur. Deinde cùm dicit:

Ampliùs omnino non habere; cæcus enim non dicitur monoculus, sed qui in ambobus non habet visum.

Ponit quintum modum, dicens quòd *ampliùs* supple dicitur aliquid priuatiuè, vel negatiuè *omnino non habere: cæcus enim hoc modo non dicitur monoculus, sed qui in ambobus* oculis *non habet visum.*

Propter quod non omnis homo bonus, aut malus, aut iustus iniustus, sed & medium.

Vltimo infert quoddam corrolarium dicens quòd *quapropter*, quia supple non ex quocunque defectu bonitatis aliquis dicitur malus, vt patet ex prædictis; ideò *non omnis homo est bonus, vel malus, aut iustus, aut iniustus; sed est dare medium.* Cuius ratio est, quia bonitas & virtus non stant in puncto; sed in quadam latitudine, & & ideò si aliquis parum recedit à virtute, vel bonitate, non statim cadit in habitum contrarium. Vnde secundo. Ethic. dicitur quòd aliquis non vituperatur ex hoc quòd parum recedit à medio virtutis; & ideò talis non potest dici nec omnino bonus, nec omnino malus, sed est dare medium: sicut carens vno oculo, vel vno pede, vel prauos habens oculos, vel pedes; nec dicitur omnino cæcus, vel priuatus pedibus: nec omnino videns nec habere pedes, sed est dare medium. Tunc sequitur illa pars.

Medium per abnegationẽ boni & mali datur. Cap. vltimo

):(

SVMMARIVM.

Quatuor modi verbi *habere* explicantur. De octo modis essendi *in*, quos hic Doctor reducit ad quatuor ipsius *habere*. Vide eum 4. Phys. tex. 23. c. de *Loco*.

135 Tex. c. 28.

Habere multipliciter dicitur. Vno quidem modo ducere secundùm suam naturam, aut secundum suum impetum: propter quod febris dicitur habere hominem, & Tyranni ciuitates, & vestimentum induti.

Vbi distinguit ea quæ respiciunt habitum per modum effectus denominationis, scilicet ipsum habere. Circa quod duo facit. Primò distinguit modos ipsius habere. Secundò innuit similem distinctionem modorum essendi in, de quibus agitur 4. Physic. cap. de Loco t. c. 23. Secunda ibi: *Ex aliquo esse.* Prima in quatuor, secundum quatuor modos. Secunda ibi: *Alio in quo.* Tertia ibi: *Alio vt continens.* Quarta ibi: *Ampliùs prohibens.* Dicit ergo, quòd *habere dicitur multipliciter, vno quidem* modo supple est habere aliquid, *ducere illud secundùm suam naturam* in rebus naturalibus, *aut secundùm suum impetum*, quantum ad res voluntatias, *propter quod febris dicitur habere hominem*, ex eo scilicet quòd febris distrahit hominem à sua naturali dispositione, & ducit eum, & trahit ad naturam, & dispositionem febris: hoc etiam modo *Tyranni habent ciuitates, & induti habent vestimentum*, pro quanto secundùm impetum voluntatis Tyrannorum aguntur res in ciuitate: vestimentum etiam assignatur ipsi induto, & trahitur ad figuram eius: ad hunc etiam modum pertinet habere possessionem, quatenus homo secundùm voluntatem vtitur re possessa. Deinde cùm dicit:

Modi habere quatuor.

Al. Assimilatur.

Alio in quo vtique aliquid extiterit, vt in susceptibili, vt æs habet speciem statuæ, & infirmitatem corpus.

Secunda acceptio habere.

Ponit secundum modum, dicens, quòd *alio* modo dicitur habere illud *in quo vtique aliquid existit vt in susceptibili, vt æs habet speciem statuæ, & corpus habet infirmitatem*: nam æs est subiectum statuæ, & corpus infirmitatis, & similiter de aliis. Deinde cùm dicit:

136

Alio vt continens contentum: nam in quo est contentum haberi ab hoc dicitur, vt lagenam habere humidum dicimus, & ciuitatem homines, & nauem nautas: sic autem & totum habet partes.

Tertia acceptio.

Ponit tertium modum, dicens quòd alio, scilicet modo dicitur *habere* vt continens habet contentum: nam contentum dicitur haberi ab hoc in quo est, vt lagenam dicimus habere humidum, puta vinum, vel aquam, & ciuitatem dicimus habere homines, & nauem nautas; sic autem secundùm hunc modum totum habet partes.

Notandum, quòd vt habetur 4. Physic. cap. de Loco, t. c. 34. & circiter, totum cõtinet partes sicut locus locatũ; sed est differentia in hoc quòd locus est separatus à locato & diuisus, non sic totum à partibus, vnde locatum est quasi quædam pars diuisa; & ideò continentia totius habentis partes pertinet ad hunc modum. Deinde cùm dicit:

Ampliùs & prohibens secundùm suum impetum aliquid moueri, aut operari habere dicitur hoc ipsum: vt columnæ ponderosa supposita, vt Poëtæ faciunt Atlantem cœlum habere tanquam casurum super terram: quemadmodum Physiologorum quidam dicunt.

Ponit quartum modum. Circa quod duo facit. Primò ponit ipsum. Secundò comparat ipsum ad tertium modum. Secunda ibi: *Hoc autem modo.* Dicit ergo, quòd *ampliùs ipsum prohibens aliquid moueri, aut operari secundùm suum impetum dicitur habere hoc ipsum*, scilicet quòd prohibet, *vt columnæ dicuntur habere ponderosa supposita*, ex eo scilicet quòd prohibent illa moueri deorsum secundùm suum impetum, vel appetitum naturalem, *sicut etiam Poëtæ faciunt*, id est, ponunt *Atlantem habere cælum tanquam casurum super terram*, nisi supple Atlas cœlum sustineret: sicut etiam dicitur secundo de Cœlo & Mundo, t. c. 4. quidam Poëtæ finxerunt quòd Atlas sit quidam gigas sustinens ipsum cælum ne super terram cadat, *quemadmodum quidem Physiologorum*, id est, naturalium dicunt, ponentes cælum esse compositum ex elementis, vt Empedocles, & per consequens ponunt ipsum esse corruptibile aliquando, & sic corruptum caderet super terram.

Quarta acceptio.

Fictio poëtica de Atlante.

Notandum, quòd, vt dicitur, ista fictio habuit ortum ex aliqua veritate: nam Atlas dicitur fuisse quidam magnus Astrologus, qui subtiliter motus omnium cælestium corporum perscrutatus est, ex quo dictum est ipsum totum cœlum sustinere. Patet autem ex dictis qualiter iste modus distinguitur à primò: nam ibi habens cogit habitum, vt sequatur suum impetum, & est ei causa motus violenti: hic autem ipsum habens prohibet habitum à suo motu naturali, & est ei causa quietis violentæ. Deinde cùm dicit:

137

Atlas quis fuerit. Vide Plin l, 7. cap 16. planius Diodor, l. 4. ante fin.

Hoc autem modo continens dicitur qua continet habere quasi separata vtique secundùm suum impetum singula.

Comparat hunc modum ad tertium reducens illum ad istum, dicens quòd hoc modo continens prohibet, sicut patet in vase continente vinum: prohibet enim separari ab inuicem partes vini. Deinde cùm dicit:

Et in aliquo autem esse simili modo dicitur vt consequenter ipsi habere.

Innuit similem distinctionem modorum essendi in, dicens quòd *esse in aliquo dicitur consequenter & simili modo ipsi habere.*

Notandum, quòd 4. Physic. cap. de Loco, t. c. 23. distinguũtur octo modi essendi in aliquo, quorum duo sunt prout totum integrale est in partibus, & è conuerso: alij duo secundùm quod totum vniuersale est in partibus subiectiuis & è conuerso. Quintus est secundùm quod forma est in materia, siue sit forma substantialis, siue accidẽtalis. Sextus est secũdùm quod mouẽs est in mouẽte, & effectus in efficiente, vt regnum in rege. Septimus secũdùm quod aliquid dicitur esse in suo fine. Octauus, est secundùm quod aliquid est in vase continente, &

8. Modi essendi in reducuntur ad 4. modos habere

& omninò in loco. Isti autem octo modi essendi *in*, possunt reduci ad quatuor modos ipsius *habere*: nam quatuor primi, & etiam octauus reducuntur ad habere tertium. Quintus verò ad secundum. Sextus ad primum. Septimus autem ad primum, vel quartum, secundùm quod ex fine mouentur, vel quiescunt res, quæ sunt ad finem sicut de se est manifestum.

SVMMÆ VNICÆ CAP. XVII.

De ex aliquo, & parte.

SVMMARIVM.

In prima parte huius capitis explicantur sex modi, quibus vnum ex aliquo fieri dicitur: quatuor primis modis aliquid fit ex alio per se, & propriè ac primò: quinto modo, per se, sed non primò. Vltimo modo impropriè tantùm.

138 Text. c. 29.

Ex aliquo esse dicitur vno quidē modo ex quo est vt materia, & hoc dicitur aut secundùm primum genus, aut secundū vltimam speciem, puta sicut quædam, vt omnia liquabilia ex aqua: est autem veluti ex ære statua.

Postquam Philosophus distinxit nomina significantia entis perfectibilitatem, nunc distinguit nomina significantia entis totalitatem & partialitatem. Et primò significātia partialitatem. Secundò significantia totalitatem. Secunda ibi: *Totum dicitur.* Ad euidentiam primi notandum, quòd totum ipsum dicitur esse ex partibus, ideò primò distinguit modos *ex quo.* Secundò distinguit nomen partis. Secunda ibi: *Pars dicitur.* Prima in sex secundùm sex modos. Secunda ibi: *Alio verò.* Tertia ibi: *Alio ex opposito.* Quarta ibi: *Hoc autem, vt ex parte.* Quinta ibi: *Alia verò si secundum.* Sexta ibi: *Alio verò post.* Dicit ergo, quòd *ex aliquo dicitur esse aliquid, vno quidem modo ex quo est, vt materia. Et hoc dupliciter, aut secundùm primum genus*, id est, accipiendo materiam remotam & communem: *aut secundùm vltimam speciem*, id est, accipiendo materiam proximam. Exemplum primi, *puta quadam sunt vt omnia liquabilia ex aqua.* Aqua enim est materia remota, & communis omnium liquabilium: nam in aquam vltimò resoluuntur. Exemplum secundi, *veluti statua est ex ære*: æs enim est materia statuæ proxima. Deinde cùm dicit:

Modi essendi ex aliquo sunt sex.

Materia duplex.

Al. fluida

Alio verò ex primo mouente principio, vt ex quo pugna ex conuitio: hoc enim principium pugnæ.

Ponit secundum modum dicens, quòd *alio* scilicet modo dicitur esse aliquid ex aliquo, *vt ex primo principio mouente, vt pugna est ex conuitio,* vt ex quo: *hoc enim* scilicet conuitium est *principium pugnæ*: ex conuitio enim & iniuria mouentur homines ad pugnandum. Deinde cùm dicit:

Causa pugna conuitium.

139

Alio ex composito ex materia & forma, vt ex toto partes, & ex Iliade versus, & ex domo lapides: finis enim est forma; perfectum verò habens finem.

Ponit tertium modum, dicens, quòd *alio* scilicet modo fit aliquid ex aliquo, *vt ex composito ex materia, & forma*, & hoc modo fiunt simplicia per viam resolutionis, *vt ex toto fiunt partes, & versus ex Iliade*, id est, ex tota historia Troiana, quæ dicitur resolui in multos versus, ex quibus componitur, sicut totum resoluitur in partes, & similiter *ex domo* fiunt *lapides* isto modo, cuius causam subdit: *quia finis est forma: perfectum verò dicitur habens formam.*

Al. habens finem.

Notandum, quòd in natura est duplex processus: vnus compositiuus, alius resolutorius: sicut igitur in primo processu totum dicitur fieri ex partibus; ita in secundo è conuerso partes dicuntur fieri ex toto resoluto: nam vnumquodque resoluitur in ea ex quibus componitur: quia ergo forma est finis generationis ideò perfectum est, quod habet formam: nam perfectum dicitur cùm attingit finem, vt iam dictum est, suprà cap. de perfecto. In processu ergo resolutorio cùm ipsum totum perfectum resoluitur in partes est motus, quasi à forma ad materiam: sicut in processu compositiuo est è conuersò: nam cùm partes componunt totum, est quasi motus à materia in formam; & ideò ista præpositio *ex*, quæ significat principium, competit vtrobique: quia in processu compositiuo designat materiale principium: sed in processu resolutorio denotat formale principium. Deinde cùm dicit:

In natura est processus duplex. Vide 18.d.2.

Forma est finis: perfectum est habēs formam.

Hoc autem vt ex parte speciei species, vt homo ex bipede, & syllaba ex elemēto: aliter enim hoc, & statua ex ære: nam ex sensibili materia est composita substantia, sed & species ex speciei materia. Hæc quidem igitur sic dicuntur.

Ponit quartum modum, dicens, quòd *hoc*, id est, alio modo dicitur aliquid ex aliquo, vt species ex parte scilicet speciei & essentiali, *vt homo ex bipede*, quæ supponitur differentia hominis specifica, *& syllaba ex elemento*, quod etiam est eius pars essentialis: subdit autem differentiam huius modi ad primum dicens: *aliter enim est hoc, & aliter statua est ex ære*: quod pertinet ad primum modum: *nam ipsa* supple statua *est* quædam *substantia composita ex sensibili materia*, scilicet ex ære: *sed species* componitur *ex materia speciei*, quantum ad istum modum: concludit ergo, quòd *hæc quidem sic dicuntur.*

Notandum, quòd vt habetur 7. huius, cap. de partibus diffinitionis, t.c.34. & inde, partes rei sunt in duplici genere: quædam enim dicuntur partes speciei & formales: quædam indiuidui & materiales: dicuntur autem partes formales & speciei, quæ competunt rei secundùm suum esse quiditatiuum & specificum, & hæ partes sunt quæ intrant diffinitionem rei: sicut se habent elementa ad syllabam, & materia & forma vniuersaliter sumpta ad speciem: partes autem materiales dicuntur, quæ accidunt rei, & hoc modo æs est pars statuæ, & semicirculi sunt partes circuli, & digitus est pars hominis. Distinguitur ergo iste quartus modus à primo: quia primus accipit partes materiales ex quibus res materialiter constat: quartus autem partes formales, quæ dicuntur partes speciei. Deinde cùm dicit:

Partes duplices.

Alia

140

Alia verò si secundùm partem aliquam horum aliquis extiterit modorum, vt ex patre & matre puer, & ex terra plantæ: quia ex aliqua parte ipsorum.

Ponit quintum modum, quòd *alia* supple dicuntur fieri ex aliquo *si secundùm aliquam partem horum*, id est, dictorum modorum *aliquis extiterit, vt puer* dicitur fieri *ex patre & matre, & planta ex terra*: quia fiunt ex aliqua parte ipsorum: patet enim, quòd puer non fit ex tota substantia patris, vel matris, quæ sunt principium effectiuum generationis pueri: similiter nec plantæ fiunt ex tota terra, sed puer fit ex aliqua parte substantiæ parentum ab eis ministratæ, & planta fit similiter ex aliqua parte terræ. Deinde cùm dicit:

Alio verò post quod tẽpore, vt ex die nox, & ex serenitate hyems, quia hoc post hoc. Horum autem hæc quidem quia habent transmutationem ad inuicem ita dicuntur, vt & quæ nunc sunt dicta: hæc autem eo quòd secundùm tempus, & consequenter solùm, vt ex æquinoctio fiebat nauigatio, quia post æquinoctium fiebat, & ex Dionysiis Thargelia, quia post Dionysia.

Hoc modo creatura fit ex nihilo cõmuniter licet sufficeret ordo naturæ.

Ponit sextum modum dicens, quòd *alio* scilicet modo fit supple aliquid ex aliquo: quia *fit post tempore, vt ex die fit nox & ex serenitate hyems*: & iste modus fiendi hoc ex hoc dicit solum ordinem, scilicet *quia hoc fit post hoc*. Cùm enim dicitur quòd ex die fit nox, est sensus, quòd post diem fit nox: addit autem quòd *horum quæ*, scilicet sic se habent, quòd vnum fit ex aliquo isto modo contingit dupliciter: hæc quidem ita dicuntur *quia habent ad inuicem transmutationem*: ita quòd habent ordinem non solùm secundùm tempus: sed etiam secundùm motum, *vt quæ nunc sunt dicta*: quia scilicet consequũtur terminos motus, scilicet diuersa vbi Solis, vt patet de nocte & die, hyeme, æstate: *hæc autem*, id est, alia dicuntur *eo quòd solùm secundùm tempus se habent*, consequenter supple, & non habent ordinem terminorum eiusdem motus; vt si dicatur, quòd *nauigatio fiebat ex æquinoctio*, id est, fiebat post æquinoctium: patet enim quòd ista non sunt termini eiusdem motus sicut priora, sed pertinent ad diuersos motus: hoc *etiam modo ex Dionysiis fiunt Thargelia, quia* scilicet *post Dionysia*: nomina sunt Græca, & significant festa, quorum vnum post aliud celebratur; vt si diceretur, quòd ex festo Sancti Michaëlis fit festum Sancti Francisci, quia fit post illud.

Dionysia, id est, Bacchanalia. Thargelia ludi in honorem Apollinis.

141

Notandum, quòd isti sex modi prædicti sic se habent, quia secundùm quatuor primos dicitur aliquid fieri ex aliquo per se, & propriè, & primò: secundùm autem quintum modum per se quidem, sed non primò, quia solùm secundùm partem. Secundùm autem sextum modum fit aliquid ex aliquo impropriè, quia fieri aliquid ex aliquo non solùm dicit ordinem, vt quia facit hoc post hoc, sed etiam dicit causam aliquo modo. Tunc sequitur illa pars.

SVMMARIVM.

Pars sumitur quatuor modis; quos benè explicat Doctor, ostendens eos non coincidere.

Pars dicitur quidem vno modo in quam diuiditur vtique quantum quocunque modo: semper enim ablatum à quanto, vt quantum est, pars illius dicitur, vt trium duo pars quodammodò dicuntur.

Pars quadrupliciter dicitur.

Vbi distinguit nomen *partis*. Circa quod quatuor facit, secundùm quòd ponit quatuor modos, quibus pars dicitur. Secunda ibi; *Ampliùs in quæ*. Tertia ibi: *Ampliùs in quæ*. Quarta ibi: *Ampliùs quæ sunt*. Prima in duas, secundùm quod primus modus potest dupliciter accipi. Secunda ibi: *Alio verò modo*. Dicit ergo, quòd *pars dicitur vno modo in quam vtique quantum diuiditur quantumcunque*, id est, quantacunque fuerit minor quantitas, in quam maior diuiditur: *semper enim ablatum à quanto inquantum est quantum dicitur pars* quanta *illius*: *vt duo dicuntur* aliqualiter *pars trium*, & hæc est pars non aliquota: quia scilicet aliquoties sumpta non reddit ipsum totum. Deinde cùm dicit:

Alio verò modo quæ talia mensurant solùm: propter quod duo trium sunt quidem, vt dicitur pars, sunt autem vt non.

142

Ostendit quomodo potest accipi aliter iste primus modus, dicens, quòd *alio modo*, supple dicitur pars, *quæ solùm*, id est, præcisè *mensurat totum*: & hęc dicitur pars aliquota: *propter quod duo sũt, vt dicit pars trium*, scilicet primo modo, *sunt autem vt non* isto, scilicet secundo modo.

Pars duplex, scilicet aliquota, & non aliquota.

Notandum, quòd pars quanta rei quantæ dicitur dupliciter: quia quædam est pars aliquota, quædam non aliquota: dicitur pars aliquota, quæ aliquoties sumpta reddit, & mensurat præcisè totum, sicut *duo* sunt pars quaternarij & senarij: nam bis duo præcisè faciunt quatuor, & ter duo sex: dicitur autem pars non aliquota quæ aliquoties sumpta non reddit præcisè ipsum totum, sed vel plus, vel minus, & hoc modo *duo* sunt pars *trium*, & *quatuor* sunt pars ipsorum *sex*; ideò ait Philosophus, quòd *duo* sunt vno modo pars trium, scilicet pars non aliquota: sunt autem vt non, quia scilicet non sunt pars trium aliquota, vt patet ex prædictis. Deinde cùm dicit:

Ampliùs in quæ diuiditur vtique species sine quantitate, & hæ partes huius dicuntur: quare species generis dicuntur esse partes.

Ponit secundum modum, dicens, quòd *ampliùs* supple dicuntur partes, illa, *in quæ aliquid diuiditur sine quãtitate, & hæ partes dicuntur illius*, quod sic diuiditur, *qualiter species dicuntur esse partes generis*. Genus enim diuiditur in species, non diuisione quãtitatiua, sed formali, & essentiali, quod fit per differentias specificas. Deinde cùm dicit:

Genus diuiditur in species diuisione essentiali.

Ampliùs in quæ diuiditur aliquid; aut ex quibus componitur totum, aut species, aut habens speciem, vt sphæræ æreæ, aut cubi ærei, & æs pars; hæc autem est materia in qua species, & angulus pars.

Ponit tertium mòdum dicens, quòd *ampliùs* supple dicũtur partes, illa, *in quæ aliquid diuiditur, aut ex quibus totum cõponitur*: *sine* illud *sit species*, aut

aut habens speciem, puta indiuiduum: dictum est enim suprà, quòd quædam sunt partes formales & speciei: quædam materiales & indiuidui, *vt as est pars sphæræ area, aut cubi arei: hæc autem materia est*, id est, pars materialis *in qua*, scilicet *species* recipitur, vel hæc autem, id est, indiuidua, puta sphæra ærea, & cubus æreus, sunt vt materia, id est, materialia, in quibus species inclusa reseruatur: indiuidua enim quæ contrahunt speciem per aliquam differentiam indiuidualem, dicuntur largè materia, vt dictum est suprà capit. de Vno; ideò dicuntur materialia respectu speciei, *& angulus est pars* speciei, & formalis ipsius trianguli Deinde cùm dicit:

Expositio specialis.

Amplius quæ sunt in ratione vnumquodque ostendente, & ea partes sunt totius, propter quod & genus speciei pars dicitur: aliter autem species generis pars.

Ponit quartum modum, dicens, quòd *amplius* supple dicuntur partes, ea, *quæ sunt in ratione*, id est, diffinitione *ostendente vnumquodque*, & hoc quidem modo genus & differentia sunt *partes speciei & totius*. Et quia suprà in secundo modo species dicebãtur partes generis: hîc autẽ dicitur è cõuerso; ideò subdit, quòd hoc non est eodem modo, dicens *propter quod genus pars speciei: aliter autem species dicitur pars generis*: species autem est pars generis subiectiua, genus autem est pars speciei integralis, & essentialis.

Genus est pars speciei & è contra diuersimode tamen.

Notandum, quòd isti quatuor modi sic distinguuntur: quia in secundo modo accipitur pars subiectiua, vt dictum est; sed in aliis tribus accipitur pars integralis, differenter tamen: quia in primo modo accipitur pars integralis quantitatiua; in tertio verò modo pars integralis essentialis rei in se consideratæ: in quarto autem modo pars essentialis integralis rei consideratæ vt est quoddam diffinibile.

Qualiter membra non coincidunt ostendit.

SVMMÆ VNICÆ CAP. XVIII.

De toto, & multo, & genere.

SVMMARIVM.

In hoc capite vsque ibi: *Amplius quanto*; describitur totum, & diuiditur in vniuersale, & integrale; & explicatur vtrumque membrum: quod tangit Doctor secundùm quosdam antiquos, cælos esse animatos, de eo dubitarunt etiam quidam Sancti; nec ratione conuinci potest oppositum; de quo Doctor. 2 d. 14. quæst. 1. & ibi Schol. 3. secundum membrum subdiuiditur in continuum per naturam, & continuum per artem.

Tex c. 31.

Totum dicitur & cuius nulla pars abest, ex quibus dicitur totum natura, & continens contenta, vt vnum aliquid sint illa.

144

Postquam Philosophus distinxit nomina significantia entis partialitatem, nunc distinguit nomina significantia entis totalitatem. Circa quod duo facit: quia primò determinat de toto in communi. Secundò in speciali de quodam toto scilicet est genus. Secunda ibi: *Genus dicitur*. Prima in duas: nam primò determinat de toto. Secundò de eius opposito. Secunda ibi: *Colobon dicitur*. Prima in duas: nam primò assignat quandam totius communem rationem. Secundò iuxta illam rationem declarat modorum totius distinctionem. Secunda ibi: *Hoc autem dupliciter*. Ponit ergo rationem totius, quæ includit duo. Primum pertinet ad totius integritatem, Secundum ad eius vtilitatem, dicens, quod *totum dicitur cuius nulla pars abest ex quibus totum dicitur*, id est, constituitur *natura*, id est, secundùm naturam propriam, & hoc fuit primum: iterum totum est *continens contenta*, id est partes, quæ se habent, vt contenta; ad hoc scilicet vt illa contenta *sint aliquid vnum* in toto, & hoc fuit secundum. Deinde cùm dicit:

Totum quid?

Hoc autem dupliciter: aut enim vt vnumquodque vnum, aut vt ex his vnum.

Distinguit modos totius. Circa quod duo facit, Primò præmittit quandam bimembrem diuisionem. Secundò subdit membrorum eius declarationem. Secunda ibi: *Vniuersale quidem*. Dicit ergo, quòd *hoc*, scilicet totum est *dupliciter: aut enim vnumquodque*, scilicet contentum à toto est *ipsum vnum*, scilicet totum continens: *aut ex his*, scilicet contentis constituitur ipsum *vnum*, scilicet totum. Et per hoc dat intelligere duplex totum, scilicet totum vniuersale, cuius quælibet pars est ipsum totum, quatenus tale totum prædicatur de suis partibus prædicatione dicente, hoc est hoc: aliud totum integrale quod ex suis partibus constituitur, tamen nulla eius pars est ipsum totum: quia nullum tale totum de suis partibus prædicatur. Deinde cùm dicit:

Totum duplex scilicet vniuersale, & integrale.

Vniuersale enim quidem, & quod totaliter dicitur, vt totum aliquid ens: sic est vniuersale quasi continens multa in prædicari de vnoquoque, & vnum omnia esse, & vnumquodque, puta hominem, equum, deumque, omnia animalia.

145

Exponit membra prædictæ diuisionis, & primò membrum de toto vniuersali. Secundò de toto integrali. Secunda ibi: *Continuum verò*. Dicit ergo; quòd *vniuersale quidem, & quod dicitur totaliter*, id est, prædicatur communiter, dicitur quoddam totum, *& sic est vniuersale quasi multa continens*, scilicet vt partes subiectiuas ex eo, scilicet quod *est prædicabile de vnoquoque*, id est, de vnaquaque illarum partium contentarum: sic quòd vnumquodque *& omnia* illa contenta sunt *id vnum*, scilicet totum vniuersale, puta si animal dicatur isto modo cõtinere hominem & equum & Deum, quæ omnia sunt animalia: animal enim prædicatur de vnoquoque istorum prædicatione dicente, hoc est hoc.

Totum vniuersale quod?

Notandum, quòd sicut dictum fuit in 1. lib. & etiam in 3. aliqui antiqui posuerunt corpora cælestia, puta Solem & Lunam, & alias stellas esse corpora animata, & quosdam Deos: alij dixerunt, vt Platonici, esse quædam animalia, & dæmones appellabant, & vt Deos quidem colebant: alij autem ponebant quosdam homines deificatos & esse eiusdem speciei cum hominibus sensibilibus; incorruptibiles tamen & perpetuos, quos Deos appellabant: horum autem opinione vtitur

Varia interpretatio nominis deorum secundum antiquos.

Phi

Philosohus hic non curans de exemplo computans Deum inter animalia. Deinde cùm dicit:

Continuum verò & finitum quãdo vnum aliquid ex pluribus est, quæ insunt, maximè quidem potentia, si autem non & energia.

146 Exponit secundum membrum. Circa quod duo facit. Primò ipsum exponit. Secundò ipsum subdiuidit. Secunda ibi: *Horum verò.*

Ad euidentiam primi notandum, quòd licet totum integrale non tantùm sit in continuis, sed etiam in non continuis & discretis; exponit tamen illud totum in continuis, vbi forsan est magis manifestum, quod dicitur. Dicit ergo, quòd *continuum & finitũ*, id est, perfectum totum integrale dicitur, *quãdo fit vnum aliquid ex pluribus quæ insunt: maximè quidem si* insunt in *potentia: si autem non* scilicet sunt in potentia, quòd insint *energia*, id est, in actu: idem enim significat energia, quod in actu.

Al. interior actio.

Notandum, quòd vt probatur 3. Physic. cap. de infinito. t. c. 66. infinitum magis habet rationem partis, quàm totius, & ideò Philosophus loquens de hoc toto integrali dicit ipsum continuum, & infinitum.

Partes in toto possunt accipi dupliciter.

Notandum etiam quòd partes, ex quibus totum constat, possunt accipi dupliciter, & possunt esse in toto dupliciter scilicet vel in potentia, vel in actu: in potentia quidem sunt in toto, quod est verè vnum: vt habetur 7. huius, t. c. 60. & 7. Phys. circa finem, t. c. 37. sed partes sunt actu in toto, quod non est verè vnum, nisi sicut aceruus: magis autem est vnum & per consequens totum, quod habet partes in potentia, quàm quod habet in actu; licèt sit oppositum, aspiciendo ad partes: nam partes magis habent esse cùm sunt in actu, quàm cùm sunt in potentia: alia litera sic habet, quod *continuum est vnum de pluribus quæ insunt maximè quidẽ perfectione*, id est, in actu: *sin autem potestate*, & postea sequitur litera nostra: sed vt dicitur, & benè illa litera superfluit, & fuit fortè vitium transferentis, qui fortè inuenit duas literas & trãstulit vtrãque, & sic fecit errorem, vt ambæ literæ in vnum coniungerentur. Deinde cùm dicit:

S. Thom. sic notauit.

Horum verò eorundem magis, quæ sunt natura quàm arte talia, quẽadmodum & in vno dicimus tanquam existente totalitate vnione aliqua.

147 Hìc subdiuidit secundum membrum postquam ipsum exposuit. Circa quod duo facit, secundùm quod innuit duas diuisiones. Secunda ibi: *Amplius quanto.* Dicit ergo, quod *horum eorundem*, scilicet *continuorum magis sunt talia*, scilicet tota *quæ sunt* supple continua *natura quàm quæ arte: quemadmodum diximus, & in vno* suprà cap. de Vno, vbi dictum est, quòd illa, quæ sunt continua per naturam, sunt magis vnum quàm quæ sunt continua ab arte, *tanquam totalitate existente vnione aliqua*, id est, ac si totalitas sit quędam vnio, ita quòd magis totum est & magis vnum: ex his habemus vnam diuisionem membri illius, scilicet quòd quædam sunt continua per naturam: quædam per artem. Deinde cùm dicit:

Continua duplicia.

SVMMARIVM.

Totum integrale, seu cõtinuum, ratione positionis, diuiditur in tres species; de vna dicitur omne; de altera, totum; de tertia vtrumque nomen.

AMplius quanto habente principium & medium & vltimum. Quorum quidem non facit positio differentiam, omne dicitur: quorum verò facit, totum: & quæcumque ambo dicuntur & totum & omne. Sunt autem hæc quorum natura quidem eadem manet transpositione: forma verò nõ, vt cera & vestis: etenim totum & omne dicuntur: habent enim ambo. Aqua verò & quæcumque humida sunt, & numerus, omne quidem dicuntur; totus verò numerus & tota aqua non dicitur nisi metaphoricè. Omnia verò dicuntur in quibus omne, vt in vno, in his omnia, vt in diuersis; omnis hic numerus; omnes hæ vnitates.*

Ponit secundam diuisionem dicens, quòd *amplius*, ipso quanto *habente principium medium, & vltimum*, secundum scilicet quendam ordinem positionis in partibus continui: nam omne totum continuum est quantitas habens positionem: hoc inquam supposito horum, scilicet continuorum, *quorum positio non facit differentiam, omne dicitur*: talia autem sunt omnia humida, vt dicetur: partes enim aquæ quocunque modo transponantur non faciunt differentiam in subiecta aqua; & ideò in talibus ad significandum totalitatem vtimur hac dictione, *omnis*, dicendo, omnis aqua: *quorum autem* supple positio facit differentiam, dicimus totum *& non omne*: sicut patet de homine, & de domo & huiusmodi: non enim est homo qualitercunque partes hominis ordinentur, putà si pes esset in fronte, & cor in manu, &c. impossibile enim esset hominem sic posse viuere, vel stare; & ideò talis dispositio facit differentiam in substantia hominis: similiter est de domo, & huiusmodi: in talibus ergo dicimus totum, & non omne: vt totus homo, & tota domus, & non omnis, accipiendo aliquem hominem, vel aliquam domum: *quæcunque verò ambo dicuntur*, scilicet illa in quibus ambo accidunt: quòd scilicet positio facit in eis differentiam quodammodo: in talibus dicimus, *totum, & omne*: *sunt autem quorum hæc aliqua natura*, scilicet materia manet eadem: *vt cera & vestis*, quæ si transponantur in suis partibus mutata figura, materia tamen manet eadem; licèt in se quantum est de se retineant propriam figuram: quod non est de aqua, & de aliis humidis, cum terminentur, & per consequens figurentur termino alieno: talia ergo de quibus nunc loquimur, dicuntur totum, & omne: *habent enim ambo*, scilicet quòd positio in eis quodammodò facit differentiam, & quodammodò non: & per hoc differunt ab humidis, quæ cadunt sub primum membrum; ideò subdit quòd *aliqua verò & quæcunque sunt humida, & etiam numerus dicũtur quidem omne*: *totus verò numerus, & tota aqua* non dicitur *nisi metaphoricè*, quod dicit fortè secundum proprietatem Græci idiomatis: licèt apud nos dicatur tota aqua, & totus numerus: addit autem quod *omnia illa dicuntur in quibus dicimus omne vt in vno, nam in his dicuntur omnia vt in diuersis*: vult dicere quòd in quibus vtimur hac dictione, *omnis*: sicut ipsum totum vnum & acceptum in singulari dicitur omne; sic partes

De quibus omne, & totum rectè dicuntur seorsum.

tes eius diuersæ dicuntur omnia in plurali: vt dicendo *omnis hic numerus, & omnes hæ vnitates* in plurali: similiter sicut dicitur omnis aqua: ita potest dici de partibus eius, omnes aquæ.

148 *Continua triplicia.*

Ex his patet vna diuisio trimembris, scilicet quòd quædam sunt continua, quorum positio partium non facit differentiam in substantia, vt sunt numerus, & omnia humida, & in talibus vtimur hac dictione, *omnis.* Et nota quòd de ratione talium sunt duo: vnum est, quòd sint tota homogenea, eiusdem scilicet rationis in toto & in partibus: aliud est quòd de se non habeant propriam figuram, vt sint retentiua de se alicuius figuræ, sed terminentur & figurentur semper termino alieno: quædam sunt continua quorum positio in partibus facit differentiam in substantia, & in talibus vtimur hac dictione *totum.* Et nota quòd de ratione talium est quòd sint tota heterogenea, vt homo & asinus, & huiusmodi. Quædam sunt continua, quorum positio in partibus quodammodò facit differentiam, & quodammodo non, & in talibus vtimur vtraque dictione, scilicet, *omnis & totum.* Et nota quòd de ratione talium sunt duo: vnum est, quòd talia sint tota homogenea, vt dicebatur de primis: aliud est quòd sint retentiua figuratum propriarum, & non semper terminentur termino alieno, & per hoc distinguuntur à primis. Et ex hoc patet causa huius diuisionis: quia enim hæc dictio *omnis*, est distributiua; ideò in termino cui additur, requirit multitudinem, vel in actu, vel in potentia propinqua: quia ergo humida, & ea quæ sunt homogenea, sunt diuisibilia in partes eiusdem rationis: quia quælibet pars aquæ est aqua; ideò in vna aqua sunt multæ aquæ, licèt in potentia: sicut in vno numero sunt multæ vnitates, licèt etiam in potentia: alioquin numerus non esset per se vnus, & propter hoc in talibus dicimus, omnis numerus, omnis aqua &c. Propter causam verò oppositam in totis heterogeneis, non dicimus *omnes*, dicimus tamen *totum*, ex eo quòd *totum* perfectum requirit simultatem partium, & talia sunt huiusmodi tota, quorum ratio, & perfectio non est communicabilis alicui de partibus, & ideò dicimus totum nomen & non omne. Deinde cùm dicit.

Quare lyomnis, applicatur homogeneis, & lytotum heterogeneis.

Al. totum animal.

SVMMARIVM.

Explicat quid sit *colobon*, seu diminutum, quod est oppositum *totius*, ad quod septem requiri, benè ostendit Doctor; atque tria requiri ad partem diminutam, seu colobam.

149

D*Iminutum verò dicitur quantorum non quodcunque, sed partibile oportet illud esse, & totum: nam duo non sunt diminuta altero ablato vno: non enim vnquam id cuius ablatione diminutum quippiam sit, & id quod restat, æqualia sunt. Neque omnino quisque numerus est diminutus: etenim substantiam oportet manere; si calix diminutus est, adhuc oportet esse calicem. Numerus autem adhuc non idem parte sublata.*

Determinat de opposito *totius* quod est *colobon*, id est, truncatum; vnde alia littera habet quantum diminutum, vel defectiuum. Est ergo intentio Philosophi ostendere quid est colobon, vel truncatum. Circa quod duo facit: primò narrat ea quæ requiruntur ex parte totius quod truncatur. Secundò ea quæ requiruntur ex parte partis truncatæ, & quæ à toto deficit. Secunda ibi: *Adhuc autem.* Quantum ad primum enumerat septem, quæ requiruntur ad hoc quòd aliquod totum sit colobon. Primum est, vt illud totum sit aliquid quantum, habens partes quantitatiuas, in quas diuiditur; ideò dicit quod *colobon dicitur quantorum*, id est, quòd sit de numero quantorum: & per hoc distinguitur à toto vniuersali, quod non est diuisibile secundùm quantitatem; & ideò sublatâ vnâ parte subiectiuâ, non potest dici colobon. Secundum est, quòd colobon non dicitur quodcunque quantum, sed quod sit partibile in partes alterius rationis, & sit totum constitutum ex diuersis partibus; ideò dicit quòd non quodcunque supple quantum est colobon, *sed oportet illud esse partibile & totũ*: & per hoc distinguitur colobon à partibus homogeneis, in quas totum heterogeneum diuiditur, & ideò caro, vel os, non possunt dici colobon, licèt sint quanta. Tertium est, quòd colobon non potest dici aliquid habens duas partes, si altera tollatur: quia pars ablata à colobon non debet esse æqualis residuo; ideò dicit quòd *duo*, puta numerus binarius *non sunt coloba altero vno ablato:* quia colobonia, id est, pars ablata, & reliquum quod remanet, non est æqualis, & ideò oportet quòd semper residuum sit maius illo quod aufertur. Quartum est, quòd substantia colobi manet etiam amota parte, & propter hoc numerus non potest esse colobus: quia ablata quacunque vnitate statim variatur substantia numeri, ideò dicit quòd *nec totaliter*, id est, vniuersaliter *nullus numerus* supple *est colobus: etenim* pro quia: *oprtet manere substantiam*, scilicet colobi, sicut si calix truncetur pede, adhuc manet calix; ideò dicit quòd *adhuc oportet esse calicem si calix sit colobon*, id est, colobus: *numerus autem non adhuc idem*, scilicet manet *ablata* vna *parte.* Quintum est quòd colobon dicitur habere partes dissimiles: licèt non conuertatur: nam numerus habet aliquo modo partes dissimiles, puta quinarius dualitatem & trinitatem, & tamen numerus non est colobus; ideò dicit quòd adhuc supple oportet quòd coloba sint dissimilium partium, nec tamen hæc omnia, quæ scilicet habent partes dissimiles, sunt supple coloba, numerus enim habet partes dissimiles, vt dualitatem & trinitatem: & tamen numerus non est colobus. Ratio huius dicti assignatur, quia in toto homogeneo, quod est similium partium, ratio totius saluatur in qualibet parte, ideò si vna pars auferatur, reliqua non dicetur coloba: oportet ergo colobon esse totum heterogeneum, & dissimilium partium. Qualiter autem sit intelligendum quòd numerus habeat partes dissimiles, & per consequens diuisibiles, vt hic dicitur, dictum fuit suprà, capitulo de Quanto. Sextum est, quòd colobon oportet esse tale, quòd habeat determinatam positionem partium, & ideò illa in quibus positio non facit differentiam, non possunt dici coloba; ideò dicit, quòd totaliter, id est, vniuersaliter nullum est colobon eorum, quorum positio non facit differentiam: sed oportet esse talia quæ habent in substantia positionem, scilicet determinatam, vt homo, equus, & alia tota heterogenea. Septimum est, quòd colobon oportet

Vt totum sit colobon, requiruntur 7.

Al. reliqua. Al. non sunt æqualia.

Non omnia quæ habent partes dissimiles sunt coloba.

Al. partes similes & partes dissimiles.

oportet esse totum continuum, non discretum; & ideò harmonia, quæ componitur ex numeris musicis, non potest dici coloba, esto quòd sibi aliqua pars subtrahatur: ideò dicit quòd ampliùs continua supple oportet esse coloba: nam harmonia licèt sit ex eis, quæ sunt dissimilium partium, & habent positionem (quod dicit pro quanto voces acutæ, & graues non quomodocunque ordinatæ habent hanc, vel hanc harmoniam, licèt harmonia non habeat propriè positionem, quæ est differentia quantitatis, sicut nec numerus) licèt inquam sic sit, tamen harmonia non fit coloba, ex eo scilicet quòd non est continua, sed discreta. Deinde cùm dicit:

150

Adhuc autem etsi partium dissimilium sint, nec hæc omnia diminuta dici possunt: numerus enim est vt dissimiles habent partes, vt dualitatem & trinitatem. Sed totaliter quorum non facit differentiam positio, nullum est diminutum, vt aqua aut ignis: sed oportet talia esse quæ in substantia positionem habeant. Ampliùs continua sint oportet; nam harmonia est ex eis quæ sunt dissimilium partium, & positionem habent: diminuta autem non fit. Adhuc autem nec qualibet tota, nec hæc cuiuscunque particulæ priuatione diminuta sunt: etenim diminutum non faciũt, neque quæ principalia substantiæ, nec quæ vbicunque entia, vt si perforetur calix non diminutus: sed si ansa, vel extremitas aliqua: & homo dicitur diminutus, non si carnem, aut splenem, sed si extremitatem, & hanc non quamuis, sed quæ non habet generationem ablata tota, quapropter calui non sunt, nec dicuntur diminuti.

Vt pars dicatur coloba, vel totum in ordine ad partem requirũtur tria

Enumerat conditiones requisitas ad colobon ex parte partis quæ truncatur, & aufertur, & sunt tres. Prima est, quòd pars oblata non sit principalis, sine qua scilicet substantia rei esse non possit; ideò dicit quòd *adhuc autem sicut nec qualibet tota* supple dici *possunt coloba:* ita nec hoc scilicet totum dicitur colobon ex priuatione cuiuscunque particulæ: non enim oportet nec quæ propria, vel principalia substantiæ, id est, quòd oportet partem ablatam non esse principalem substantiæ rei. Ratio huius est, quia vt dictum est suprà, oportet colobon etiam manere ablata parte: sublata autem parte principali rei, iam non remanet res, vt homo truncato capite. Secunda est, quòd pars ablata debet esse in extremitate colobi, & non interior, ideò dicit, quòd *nec vbicunque entia*, id est, quòd ista quæ auferuntur, non sunt vbicunque, *vt si perforatur calix:* & supple de medio eius pars aliqua auferatur, scilicet calix, non erit colobus: *sed si auferatur auris,* id est, aliqua particula calicis, ad instar auris, aut aliqua eius extremitas, tunc supple dicetur colobus: similiter homo non est colobon si amittat carnem, id est, aliquid de carne pedum, vel brachij, aut si amittat splenem: aut aliquã partem interiorem: sed aliquam extremitatem amittat, puta manum, aut aurem. Tertia conditio est, quòd ista particula in extremitate, ex cuius subtractione dicitur colobon, dicitur esse talis

Al. debet.

quòd iterum non renascatur; quod si sic, non propterea dicetur colobon: ideò dicit quòd *& hæc pars*, scilicet à qua dicitur colobon: non *omnem* supple *partem oportet esse; sed cum non habet generationem ablata à toto*, puta sicut sunt manus, vel pedes, ideò infert *quapropter calui non sunt colobi:* si supple capilli debeant iterum renasci, vt cum aliquis ex infirmitate perdidit pilos. Tunc sequitur illa pars:

SVMMARIVM.

Explicantur quatuor modi quibus sumitur genus. Primo pro continua generatione. Secundo pro primo mouente. Tertio pro subiecto. Quarto pro eo quod primum inest in diffinitione, quomodo sumitur apud Logicos. Quod innuitur hîc matrem non concurrere actiuè, non ita est, vt benè probat Doctor 3. d. 4. tantùm dicitur hîc eam ministrare materiam, & fortè quia eius semen magis materiale est, minusque actiuum.

Text. c. 33

Genus dicitur, hoc quidem si sit generatio continua speciem eandem habentium, vt dicitur donec vtique hominum genus sit, quia donec est generatio continua ipsorum.

151

Vbi agit in speciali de quodam toto, quod est genus. Circa quod duo facit: quia primò distinguit modos generis. Secundò modos quibus aliqua dicuntur differre genere. Secunda ibi: *Diuersa genere.* Prima in duas. Primò facit quod dictum est. Secundò resumit illos modos & concludit intẽtum. Secũda ibi: *Genus igitur.* Prima in quatuor secundũ quatuor modos generis. Secũda ibi: *Illud verò.* Tertia ibi: *Amplius autem.* Quarta ibi: *Amplius vt in rationibus.* Dicit ergo, quòd *genus dicitur hoc quidem si sit generatio continua aliquorum habentium eandem speciem:* ita quòd talis generatio continua dicitur genus, *vt cùm dicit, donec vtique sit genus hominum*, id est, donec est generatio continua ipsorum, & iste est primus modus prior, scilicet multitudo hominum ad inuicem, & ad vnum primum principium habitudinem aliquam & relationem habens, vt omnes Romani ad Romulum. Deinde cùm dicit:

Genus dicitur quadupliciter.

Illud verò à quo sunt primo mouente ad esse; sic enim dicuntur Ellines genere, & Iones, quia hi ab Elline; illi verò à Ione primo generante, & magis qui à generante quàm qui à materia: dicuntur enim & à fœmina genere vt & Pyrrha.

Ponit secundum, dicens, quod *illud à quo vt à primo mouente ad esse*, id est, à primo generante sunt, id est, procedunt aliqua, dicitur supple genus: *sic enim dicuntur* aliqui *Ellines genere & Iones: quia* hi scilicet Ellines sunt *ab Elline, & illi à Ione vt à primo generante.* Addit autẽ quod magis denominantur à patre quàm à matre; ideò dicit quòd *magis quidem à generante quàm à materia.*

Denominatio plerũque fit à patre.

materia, id est, quàm à matre, id est, quæ ministrat materiam generationis; licèt quandoque accidat oppositum, scilicet quòd denominantur à matre; ideò dicit, quòd etiam *dicuntur à fœmina genere, vt à Pyrrha* supple dicuntur aliqui Pyrrhani vel Pirrhades. Deinde cùm dicit;

152

Ampliùs autem vt superficies figurarum genus superficialium, & solidum solidorum: figurarum enim magis vnaquaque hæc quidem superficies talis, hoc autem solidum tale; hoc autem est, quod subiicitur differentiis.

Ponit tertium modum, vt genus accipitur pro subiecto, dicens quòd *ampliùs*, supple dicitur genus, *vt superficies* dicitur *genus figurarum superficialium, & solidum*, id est, corpus *solidorum*, id est, figuratum solidarum. Causam autem huiusmodi subdit dicens, quòd *vnaquaque figurarum hæc quidem est superficies talis*; ita quòd superficies talis prædicatur de figura superficiali: *hoc autem*, id est, *solidum tale*: ita quòd ipsum solidum, hoc est corpus prædicatur de tali figura, scilicet solida; subdit autem quod *hoc autem*, id est, subiectum est, *quod subiicitur differentiis*, & in hoc tangit duplicem causam, quare proprium subiectum dicatur genus: vna est, quia sicut genus prædicatur de specie, & ponitur in eius diffinitione; ita & proprium subiectum de accidente: nam superficies prædicatur de figura superficiali, & ponitur in eius diffinitione, & similiter solidum de solida: alia causa est, quia sicut genus subiicitur contrariis differentiis; sic proprium subiectum se habet ad accidentia: dicitur enim quod hæc figura solida est talis solida; & hæc figura superficialis est talis superficies, quasi figura sit quædam differentia qualificans superficiem, vel solidum; & prædicatur de subiecto in quale, ad modum differentiæ; vt sicut dicimus, animal rationale, ita dicimus superficies quadrata, vel triangularis; ita quòd subiectum subiicitur accidentibus, supple differentibus ad modum generis. Deinde cùm dicit:

Subiectum dicitur genus propter duo.

Ampliùs vt in rationibus, quod primum inest, quod dicitur in eo, quod quid est hoc genus, cuius differentiæ dicuntur qualitates.

Ponit quartum modum dicens, quòd *amplius*, id est, alio modo dicitur genus, *quod primum inest*, id est, primò ponitur *in rationibus*, id est, diffinitionibus, *quod dicitur*, id est, prædicatur *in eo, quod quid est, & hoc est genus, cuius differentiæ dicuntur qualitates*: omnis enim diffinitio constituitur ex duobus conceptibus, quorum vnus & primus est quiditatiuus, qui est conceptus generis: alius est qualificatiuus, qui est conceptus differentiæ, & ideò differentiæ dicuntur quædam substantiales qualitates. Deinde cùm dicit:

Genus est prima pars diffinitionis.

Al. qualitatium.

153

Genus igitur toties dicitur; aliud quidem secundùm generationem continuam speciei eiusdem; aliud quidem secundùm primum mouens eiusdem speciei; aliud verò materia: Cuius differentia enim & qualitas est, hoc est subiectum quod dicimus materiam.

Resumit dictos modos, & concludit intentum dicés, quòd *genus ergo toties dicitur*, vt dictum est *aliud quidem secundùm generationem continuam eiusdem speciei*, quantum ad primum modum: *aliud quidem secundùm primum mouens*, id est, generans *eiusdem speciei*, quantum ad secundum modum: *aliud verò, vt materia* quantum ad tertium modum & quartum; genus enim subiectum est materia accidentium: genus etiam prædicabile dicitur materia: tum quia sumitur à re, siue à realitate materiali rei: tum quia sicut materia est in potentia, & determinabilis per formas, sic & genus per differentias specificas; ideò subdit, *cuius*, scilicet generis, *differentia est qualitas: hoc est subiectum, quod dicimus materiam*: sic enim se habet genus ad differentiam, sicut subiectum ad qualitatem.

Genus congruè subiectū & materiale dicitur.

SVMMARIVM.

Duo modi, quibus aliqua dicuntur diuersa genere; Doctor explicat generis Physici, & logici differentiam.

Diuersa verò genere dicuntur, quorum diuersum primum subiectum, & non resoluitur alterum in alterum, nec ambo in idem, vt species & materia diuersum genere.

Distinguit modos, quibus aliqua dicuntur differre genere. Circa quod duo facit, secundùm quod ponit duos modos. Secunda ibi: *Et quæcunque*. Dicit ergo, quòd *diuersa genere dicuntur, quorum primum subiectum est diuersum*, sicut dicimus, quòd primum subiectum colorum est superficies, & primum subiectum saporum est humidum; & ideo color & sapor distinguuntur genere subiecto, quod est genus Physicum; & ideò subdit, quòd talia sunt *quorum alterum non resoluitur in alterum*: & hæc est secunda conditio requisita, & propter hoc figuræ superficiales, & solidæ erunt diuersæ genere; nisi fortè dicatur, quòd solidum resoluatur in superficies; secundùm illam opinionem, quæ ponit corpora componi ex superficiebus, & resolui in ipsas: iterùm tertiò oportet quòd *nec ambo in idem* aliquod resoluantur, *vt species*, id est, forma, *& materia sunt diuersa genere*, ex eo quod secundùm suas proprias entitates non habent aliquod tertium commune in quod resoluuntur, & iste modus; sicut patet correspondet tertio modo generis: quod est genus Physicum. Deinde cùm dicit:

Diuersa genere dicuntur dupliciter.

Verum est resolutione Physica & prædicabili formali.

154

Et quæcunque secundùm diuersam figuram Categoriæ entis dicuntur: alia namque quid est significant entium; alia quale quid; alia aliud vt diuisum est prius: nec enim hæc resoluuntur, neque inuicem, neque in vnum aliquod.

Ponit secundum modum, dicens quòd supple diuersa genere dicuntur *quæcunque dicuntur secundùm diuersam figuram Categoriæ*, id est, prædicationis entis: *Alia namque entium significant quid est*, id est, substantiam, *alia quale quid: alia*, scilicet aliis modis, *vt est prius*, scilicet capit. de ente *diuisum, nec enim hæc resoluuntur in inuicem*: quia vnum Prædicamentum non continetur sub alio: *nec* resoluuntur *in aliquod vnum*, quod scilicet

licet sit genus: nam licèt ens sit commune prædicatum in quid de omnibus generibus; ens tamen non est genus: iste autem modus, sicut patet, correspódet quarto modo generis, quod est genus Logicum: primi autem duo modi generis non multùm pertinent ad Physicam, & realem considerationem, & ideò de diuersitate generis illis modis correspondente Philosophus non curauit.

Genus duplex.

Quæ sunt eiusdem generis Physici & quæ logici?

Notandum, quòd sicut hîc tangitur, & habet declarari. 10. huius, duplex est genus: quoddam Physicum, quoddam Logicum; genus Physicum attenditur penes subiecti identitatem, scilicet primi, vt illa dicantur idem genere Physico, quæ habent idem subiectum, vel eandem materiam secundùm rationem, & quæ non, non: genus autem Logicum attenditur penes identitatem alicuius realitatis vnius de pluribus vniuocè prædicabilis, vt illa dicantur idem genere Logico, quæcunque conueniunt in vna aliqua tali realitate prædicabili de eis, & quæ non, non.

Ex quo patet corollariè, quod aliqua possunt differre genere Physico, quæ tamen idem erunt genere Logico, vt omnes substantiæ corporeæ, & incorporeæ sunt idem genere Logico: quia omnes præter Deum sunt in genere substantiæ, & tamen differunt genere Physico, quia non habent vnam materiam communem: similiter omnes colores & sapores sunt idem genere Logico, quia omnes sunt de genere Qualitatis, & tamen differunt in genere Physico, quatenus non habent idem subiectum primum, vt prædictum est: nunquam tamen è conuerso, quod aliqua sint idem genere Physico, & differant genere Logico, &c.

Considera instantias.

SVMMÆ VNICÆ CAP. XIX.

De Falso,

SVMMARIVM.

In hoc capite vsque ibi: *homo autem*, Explicantur modi falsitatis, prout in re contingit dupliciter. Item vt contingit in diffinitione, & oratione. Reiicitur Antistenes, qui dixit nihil posse dici de alio præter propriam diffinitionem. In quo cõsistat falsitas, dixi supplem. de An. disp. 3. sec 9. vide Doctorem 6. huius q. 3. & ibi Scholium secundum.

155

Tex. c. 34.

Falsum dicitur vno modo, vt res falsa & huius hoc quidem per non componi, aut per impoßibile esse componi; sicut dicitur diametrum esse commensurabilem, aut te sedere: horum enim falsum; hoc quidem semper, illud verò quandoque: sic enim non entia hæc.

Postquam Philosophus distinxit nomina significantia entis perfectionem: nunc distinguit nomina significantia entis defectum & imperfectioné. Circa quod duo facit: primò distinguit nomen *falsi*. Secundò nomen *accidentis*. Accidens enim comparatum ad substantiam defectum quendam includit. Secunda ibi: *Accidens dicitur*. Prima in tres: quia primò distinguit nomen falsi, vt falsitas reperitur in re. Secundò vt reperitur in ratione, siue diffinitione. Tertiò vt reperitur in homine. Secunda ibi: *Ratio verò*. Tertia ibi: *Homo autem falsus*. Prima in duas secundùm duos modos. Secunda ibi: *Alia verò quæ sunt*. Dicit ergo, quòd *falsum dicitur vno modo, vt res falsa & huius*, scilicet rei falsæ, *hoc quidem per non componi*, id est, quòd res dicitur falsa, vno modo per hoc, quòd oratio significans rem incongruè componitur: vel quia non est composita, puta si sit falsum contingens; vel quia impossibile est omninò componi si sit falsum omninò impossibile, *sicut dicitur diametrum esse commensurabilem*, quod est exemplum secundi; *aut te sedere*, si tu supple non sedeas, quod est exemplum primi: nam te sedere, vel non sedere, est contingens: *horum enim hoc quidem est falsum semper*, scilicet diametrum esse commensurabilem: *illud verò quandoque*, scilicet te sedere; quia licèt non sedeas, contingit tamen te sedere: *sic enim hæc dicuntur non entia*, quia scilicet non est sic in re, sicut exprimitur per orationem. Deinde cùm dicit:

Falsum triplex.

Falsum in diffinitione contingit dupliciter.

156.

Alia verò quæ sunt quidem entia, & apta nata sunt videri, aut non, qualia sunt, aut quæ non sunt, vt pictura & somnia: hæc namque sunt aliquid quidem, sed non quorum faciunt phantasiam. Res ergo falsæ sic dicuntur: aut quia non sunt ipsæ, aut quia ab eis phantasia non entis est.

Ponit secundum modum, dicens, quòd supple *alia* dicuntur falsa in re *quæ sunt*, id est, quæ in se *sunt entia, & apta nata sunt*, scilicet aliquid apparere, vel *videri*: *aut* pro sed, *quæ non sunt*, id est, qualia non sunt, vt sciographia & somnia. & dicitur sciographia, id est, vmbrosa descriptio: vmbra enim videtur esse res quandoque cuius est vmbra, vt si vmbra hominis videtur esse homo: similiter est de somnio: *hæc namque sunt quidem aliquid, sed non* illa *quorum phantasiam*, id est, apparentiam *faciunt*. Vltimò comparat dictos modos dicens, quòd *res ergo sic dicuntur falsæ: aut quia ipsæ non sunt*, quantum ad primum modum; *aut quia ab eis est phantasia*, id est, apparentia *non entis*, id est, eius quod non est; licèt illa res sit aliquid in se, quantum ad secundum modum.

Secundum aliam literã.

Notandum, quòd vt potest haberi ex litera, secundus modus distinguitur à primo dupliciter: vno modo quia primus modus respicit res complexas: secundus autem modus res incomplexas. Alio modo quia primus modus attenditur circa res, quæ simpliciter non sunt: secundus autem modus circa res, quæ simpliciter vtique sunt, sed non sunt secundùm quid: quia scilicet non sunt quales, vel quomodo apparent, & hanc differentiam tangit Philosophus expresſè. Deinde cùm dicit:

Differunt dicti duo modi dupliciter.

157

Ratio verò falsa, quæ est non entium inquantum falsa. Vnde omnis ratio falsa alterius quam cuius est vera; vt quæ circuli falsa trigoni. Cuiuslibet autem ratio est quidem, vt vna quæ est eius, quod quid erat esse: est autem vt multæ: quoniam idem aliqualiter ipsum, & ipsum passum, vt Socrates & Socra-

tes musicus: falsa autem ratio nullius est simpliciter ratio.

Distinguit nomen *falsi* prout reperitur in ratione, vel diffinitione. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est. Secundò excludit quendam errorem. Secunda ibi: *Quapropter Antisthenes.*

Falsum in diffinitione contingit dupliciter.

Ad euidentiam primi notandum, quòd diffinitio & generaliter oratio dicitur falsa dupliciter, scilicet vel simpliciter, vel ad aliquid. Dicitur autem falsa simpliciter illa, quæ includit repugnantiam in partibus, & ideò oratio nulli competit, sed est penitus non entis. Exemplum, si dicatur animal insensibile incorporeum: hæc oratio est omninò falsa simpliciter, quia in se claudit repugnantiam terminorum. Dicitur autem falsa ad aliquid, quæ quidem in se vera est, nullam repugnantiam includens; & ideò est alicuius entis: quia tamen attribuitur alicui enti cuius non est, idcirco falsa dicitur. Exemplum, si diffinitio hominis attribueretur equo, & talis oratio est non entis inquantum falsa; ideò dicit, quòd *oratio*, siue diffinitio dicitur falsa, *quæ est non entium inquantum falsa*, & hæc est falsa ad aliquid non simpliciter; vnde omnis oratio est falsa alterius, vt diffinitio, quæ est circuli est falsa trigoni, id est, trianguli: *ratio autem*, id est, diffinitio propria *cuius est: licèt quidem, vt vna quæ est, quod quid erat esse: est autem, vt & multa*, id est, quòd quodammodò sunt etiam multæ diffinitiones vnius: quod exponit dicens: *quoniam*, pro quia, *idem est aliqualiter ipsum*, scilicet subiectum præcisè sumptum *& ipsum passum*, id est, cum passione sumptum, *vt Socrates & Socrates musicus*: sunt enim idem, non simpliciter & per se, sed per accidens: certum est autem, quòd alia est diffinitio Socratis & Socratis musici: ambæ autem dicuntur esse eiusdem aliqualiter: loquendo tamen propriè & per se, diffinitio non est nisi vnica vniuoci: addit autem, quòd *falsa autem ratio nullius est ratio simpliciter*, & hæc est falsa simpliciter modo præexposito. Deinde cùm dicit:

158

Quapropter Antisthenes opinatus est fatuè nihil dici dignatus, nisi propria ratione vnum in vno, ex quibus accidit non esse contradicere, ferè autem neque mentiri.

Al. prædicta diuisionis.

Error Antisthenis.

Excludit ex dictis errorem quendam. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est. Secundò ad maiorem euidentiam improbationis addit quoddam notabile. Secunda ibi: *Est autem vnumquodque.* Concludit ergo ex dictis, dicens *quapropter Antisthenes fatuè est opinatus nihil dignatus dici*, id est, prædicari de re *nisi propria ratione vnum in vno:* voluit enim iste Antisthenes, quòd quia voces sunt signa rerum, sicut res non habet nisi vnam, & propriam essentiam: sic nihil possit prædicari de re in propositione, nisi eius propria diffinitio: ita quòd de vno subiecto nunquam dicatur nisi vnum prædicatum: cuius improbationem subdit dicens: *ex quibus accidit non esse*, id est, non contingere *contradicere: ferè autem ne mentiri*, quod sic patet: quia si de homine prædicatur animal, quod est de ratione eius, non poterit prædicari de ipso non animal, nec formari propositio negatiua, & sic non erit contradicere. Similiter non contingere mentiri: propria enim diffinitio est vera de re cuius est: si ergo de nullo potest prædicari nisi propria diffinitio, nulla erit propositio nisi vera, & per consequens non erit mentiri. Deinde cùm dicit;

Est autem vnumquodque dicere non solùm sua ratione, sed & ea quæ alterius falsò quidem penitus, & aliqua etiam ex parte verè sicut, & octo dupla dualitatis ratione. Hæc quidem igitur ita dicuntur falsa.

Al improbationis.

Addit quoddam notabile, ad maiorem euidentiam prædictæ diuisionis, dicens, quòd *est*, id est, contingit *vnumquodque dicere*, id est, de vnoquoque prædicari *non solùm sua ratione*, id est, secundùm suam propriam diffinitionem, *sed etiam ea, quæ est alterius: falsò quidem & omnino*: est autem, vt & verè, id est, quòd si hoc fiat vniuersaliter, est omnino falsa talis prædicatio: aliquo tamen modo potest esse vera, *sicut octo* dicuntur *dupla ratione dualitatis*: ratio enim dupli stat in proportione duorum ad vnum, sicut dictum fuit in capitulo de Ad aliquid: octo autem, vt sunt duplum, aliquo modo sunt duo, quatenus in duo æqualia diuiduntur: concludit ergo, quòd *hæc quidem ita dicuntur falsa.* Deinde cùm dicit;

SVMMARIVM.

Hominem esse falsum, quia sibi eligit, vel quia alios docet falsas opiniones. Hinc reiicit asserentes eandem orationem esse veram, & falsam, & hominem voluntariè praua facientem, esse meliorem; quia hic moraliter peior est eo, qui nolens praua facit; potest tum quoad scientiam esse perfectior.

159

Homo autem falsus, qui promptus & electiuus talium rationum, non propter aliud aliquid, sed propter idipsum.

Homo falsus dicitur dupliciter.

Distinguit nomen *falsi* prout falsitas reperitur in homine. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est. Secundò ex dictis excludit quasdam opiniones, ibi: *Quare & in Hippia.* Prima in duas secundùm quod ponit duos modos. Secunda ibi: *Et qui aliis.* Dicit ergo, quòd *homo* dicitur *falsus, qui est promptus, & electiuus talium rationum*; scilicet falsarum. Alia litera, habet prohæreticus, & est idem, quod electiuus, nam prohæresis electio dicitur. Homo ergo falsus tales eligit orationes, *non propter aliud quidem, sed propter idipsum:* habitus enim delectat & facilitat operantem, vt sic habens habitum operetur, non propter aliquid extrinsecum, vt homicida propter delectationem actus occidendi: nam si occidat propter aliquod extrinsecum, puta, vt furetur, magis est fur, quàm homicida: similiter in proposito ille, qui eligit falsum dicere propter aliud, puta propter lucrum, vt sunt quidam mimi: magis est auarus quàm falsus: falsus propriè est, qui eligit falsas orationes, non propter aliud, sed propter idipsum; quia scilicet delectatur in arte mentiendi. Deinde cùm dicit:

Occidens vt furetur magis est fur quàm homicida.

Quis propriè falsus.

Et qui

Et qui aliis talium factor rationum: sicut res dicimus esse falsas quæcunque falsam faciunt phantasiam.

Ponit secundum modum, dicens, quòd supple homo etiam est falsus, qui *aliis est factor talium rationum*, scilicet falsarum; *sicut dicimus res esse falsas, quæcunque falsam faciunt phantasiam*, id est, apparentiam, vt dictum fuit supra. Deinde cùm dicit:

160

Quare & in Hippia oratio refutatur, vt eadem vera & falsa: potentem enim mentiri accipit falsum: hic autem sciens & prudens.

Excludit opiniones aliorum de homine falso.

Excludit ex dictis opiniones quasdam, & sunt duæ, quarum secunda ponitur ibi: *Amplius volentem.* Dicit ergo concludens ex dictis quòd supple, quia homo est falsus, qui eligit, vel qui facit falsas rationes, & ideò *testificatur ratio*, id est, opinio *in Hippia*, id est, in quodam libro Platonis sic dicto, quæ scilicet opiniones ponebat, quòd eadem *ratio esset vera & falsa:* dicit enim illa opinio, *& accipit* hominem *potentem mentiri esse falsum:* sed supple hoc est inconueniens: quia *hoc* potest homo *sciens*, & homo *prudens*, & sic homo prudens, & homo sciens esset falsus,

Al. oratio

A posse ad esse non sequitur semper.

Notandum, quòd cùm idem homo possit mentiri, & verum dicere, sequitur quòd idem homo sit verus & falsus: si ex hoc, quòd potest mentiri, sit falsus; & sic similiter eadem ratio erit vera & falsa. Cùm igitur homo sciens & homo prudens possit mentiri, esset vtique falsus, quod non est dicendum: quia non facit, nec eligit opiniones, siue rationes falsas: ex qua ratione, vt dictum fuit homo dicitur falsus. Deinde cùm dicit:

Amplius volentem praua meliorem: hoc autem accipit falsò per inductionem: nam voluntarius claudicans non voluntario melior claudicare dicens imitari claudicantem: quoniam si claudus voluntarius deterior forsan sicut in more & hoc,

Excludit aliam opinionem, quæ dicebat hominem, qui facit turpia, vel mala volens, esse meliorem quàm qui facit nolens. Dicit ergo, quòd *amplius* hoc falsum est *volentem praua*, id est, facientem praua voluntariè esse *meliorem: accipit autem* scilicet ista opinio *falsa*, quod ponit *per inductionem*, scilicet in aliis similibus: nam vt dicit *voluntarius claudicans est melior non voluntario*, id est, illo qui claudicat contra suam voluntatem, dicens, ista scilicet opinio praua supple agere, *imitari ipsum claudum:* vt scilicet sit similiter vtrobique: *quoniam si claudus voluntarius est deterior forsan sicut in more & hoc.* Vult dicere, quòd quodammodò est verum, quod dicitur: nam claudus voluntate est deterior quantum ad morem: quia facit opus fatui; tamen perfectior est quantum ad virtutem progressiuam. Similiter & hoc, id est, in proposito, qui praua agit voluntate, est deterior quantum ad morem: quamuis fortè sit perfectior quantum ad aliquam aliam potentiam, vel virtutem: quemadmodum etiam voluntate dicens falsum, licèt sit peior quantum ad morem, tamen est perfectior, & magis intelligens quàm ille, qui putat se verum dicere, & tamen falsum dicit, & mentitur: ista tamen opinio non est vera simpliciter, quia vitiosus nullus dicitur, nisi qui voluntate, & ex electione malum operatur: quia si hoc facit contra voluntatem, & ex necessitate non est sibi imputãdum: nam necessitas violentiæ non est increpabilis, vt dictum fuit suprà, cap. de Necessario, Tunc sequitur illa pars.

Vide 8. Physic. t. c. 8.

Necessariò peccat in eo, quod vitare non potest.

SVMMÆ VNICÆ
CAP. XX.
De Accidente.

SVMMARIVM.

In hoc capite per totum exponuntur duo modi accidentis. Primus accidentis per accidens, & dupliciter exponitur. Secundus accidentis per se, per quod intelligitur omne aliud quod non est de essentia rei. De aliis acceptionibus accidentis, vide Doct 4. d 12. q. 1. & 7 huius q. 1. De modis hîc positis vide eum de Vniuersal. quæst. 31. 32.

161 Tex. c. 35.

Accidẽs dicitur quod inest alicui, & verum est dicere: tamen neque ex necessitate, neque secundùm magis, puta iam aliquis fodiens plantæ fossam thesaurum inuenit. Hoc igitur accidens fodienti fossam inuenire thesaurum: nec enim ex necessitate hoc ex hoc, aut post hoc: nec vt secundùm magis si quis plantat thesaurum inueniet.

In qua distinguit nomen *accidentis*, & diuidit in duas secundùm quod ponit duos modos accidentis. Primus modus sumitur penes accidens per accidens. Secundus penes accidens per se. Secunda ibi: *Dicitur & aliter.* Prima in duas, quia primò exponit illum modum. Secundò assignat causam eius quare sic dicatur. Secunda ibi: *Nec est aliqua.* Prima in duas secundùm quod accidens potest attendi penes fieri, vel penes esse. Primò ergo exponit ipsum penes fieri. Secundò exponit ipsum penes esse. Secunda ibi: *Et si quis vtique.* Dicit ergo, quòd *accidens dicitur* vno modo, *quod inest alicui, & quod est verũ dicere*, id est, affirmare quod scilicet inest: *non tamen ex necessitate, neque secundùm magis*, id est, vt frequenter, sed vt rarò: *puta cùm aliquis fodiens fossam plantæ*, id est; ad plantandum aliquam plantam *inuenit thesaurum: hoc igitur est accidens fodienti fossam:* quod est inuenire thesaurum: *quia nec ex necessitate est hoc ex hoc*, scilicet quòd fouea sit causa necessaria inueniendi thesaurum: *aut post hoc*, vt sit quædam consequentia, vel ordo necessarius, vt hoc sit post hoc, sicut dicimus, quòd dies est post noctem, licèt nox non sit causa diei: *nec est vt secundùm magis*, id est, vt frequenter, vt *si quis plantat inueniat thesaurum*, sed supple hoc est & fit, vt rarò. Deinde cùm dicit,

Accidens accipitur dupliciter. Vide Scot. super Porphyrio cap. de Proprio & Accidẽte.

162

Et quis vtique musicus erit albus: sed quoniam nec ex necessitate, nec vt secundum magis hoc fit, accidens ipsum dicimus.

Exponit

Exponit iſtum modum accidentis, vt accidens attenditur penes eſſe, & diuiditur in duas: quia primò facit, quod dictum eſt ſecundùm quod accidens attenditur penes eſſe, in ſubiecto. Secundò vt attenditur penes eſſe, quantum ad alias circunſtantias, puta penes eſſe in loco, vel tempore. Secunda ibi: *Quare quoniam.* Dicit ergo, quòd ſimiliter ſupple dicitur per accidens *& ſi quis vtique muſicus erit albus: ſed quoniam nec ex neceſſitate, nec vt ſecundùm magis*, id eſt, vt frequenter *hoc fit*, vt ſcilicet muſicus ſit albus; *ideò ipſum dicimus eſſe per accidens* penes eſſe in ſubiecto. Deinde cùm dicit:

Quare quoniam eſt exiſtens aliquid, & alicubi & horum quædam, & alicubi, & quandoque quodcunque extiterit quidem: ſed non quia hoc, aut nunc, aut hîc accidens exiſtit.

Accidens ſecundum varias circunſtantias.

Exponit iſtum modum penes eſſe quantum ad alias circunſtantias, dicens quòd *quoniam aliquid eſt exiſtens* ſupple non tantùm in ſubiecto: ſed etiam *alicubi*, quantum ad locum: *horum* ſcilicet *quæ ſunt alicubi*, & etiam *quandoque* quantum ad tempus in omnibus iſtis contingit eſſe per accidens: ſi non ſunt ſecundùm quod huiuſmodi; ideò dicit, quòd *quodcunque extiterit quidem* dicimus: *ſed non quia hoc*, quantum ad ſubiectum, puta ſi album dicatur muſicum: quia muſicum non eſt in albo inquantum album: *aut nunc*, quantum ad tempus, puta ſi ſit magnum frigus in æſtate ſub Cane: hoc enim accidit: quia non accidit in æſtate inquantum æſtas eſt: *aut hic*, quantum ad locum: vt ſi leue ſit deorſum hoc erit per accidens: quia leue non eſt deorſum inquantum tale. Deinde cùm dicit:

Nec eſt aliqua cauſa determinata accidentis, ſed contingens: hoc autem indeterminatum. Accidit enim alicui Æginam venire ſi non propter hoc aduenit, vt illuc veniat; ſed ab hyeme expulſus, aut à latronibus captus; euenit quidem & eſt accidens, & non inquantum ipſum, ſed inquantum alterum; hyems enim eſt cauſa non quò nauigabat, veniendi. Hîc autem erat Ægina.

Aſſignat cauſam talis accidentis, quare ſic dicatur, & eſt quia tale accidens non habet cauſam determinatam; ideò dicit, quòd *nec eſt aliqua*

163

cauſa determinata talis *accidentis, ſed contingens*, id eſt, contingenter, & à fortuna: *hæc autem*, id eſt, cauſa contingens, & à fortuna eſt quoddam *indeterminatum*: ſicut patet per exempla, *accidit enim alicui venire Æginam*, id eſt, ad ciuitatem ſic dictam *ſi non propter hoc aduenit, vt illuc veniat*, id eſt, quod ſi non propter hoc incepit ſuum motum, vt ad talem locum veniret: *ſed expulſus ab hyeme*, id eſt, à tempeſtate maris, quàm hyems commouit: *aut captus à latronibus*, qui ſupple ipſum deduxerunt: *euenit quidem & eſt per accidens*: quia ſcilicet præter intentionem; ideò ſubdit, *aut*, pro ſed, *non inquantum ipſum, ſed inquantum alterum*, id eſt, propter aliam cauſam extrinſecam: *hyems enim eſt cauſa veniendi*, ſupple ad locum *non quò nauigabat: hîc autem erat Ægina:* quia ſupple non intendebat Æginam nauigare. Deinde cùm dicit:

Dicitur & aliter accidens, vt quæcunque inexiſtunt vnicuique ſecundùm ſe, non in ſubſtantia entia; veluti triangulo duos rectos habere, & hæc quidem contingit ſempiterna eſſe, illorum verò nullum. Huius autem ratio in aliis.

Accidens poteſt dici illud quod ineſt quidem rei, non tamen eſt de eius eſſentia.

Ponit ſecundum modum accidentis, qui ſumitur penes accidens per ſe: dicens quòd *aliter dicitur accidens, vt quæcunque inexiſtunt*, id eſt, inſunt vnicuique ſecundùm ſe *non in ſubſtantia entia*, id eſt, quòd non ſint de eſſentia illius cui inſunt, & per hoc oſtendit, quòd tale accidens pertinet ad ſecundum modum dicendi per ſe, non ad primum: nam in primo modo prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti: non ſic in ſecundo modo: *vt triangulo ineſt habere duos rectos*, ſicut accidens proprium. Addit autem ad differentiam primi modi, quòd *hæc quidem*, id eſt, accidentia ſecundo modo *contingit eſſe ſempiterna*: ſemper enim triangulus habet tria: *illorum verò*, ſcilicet accidentium primi modi *nullum* eſt ſempiternum: quia ſunt vt rarò, ſicut dictum eſt: *huius autem ratio* habetur *in aliis*, ſcilicet in ſexto huius, t. c. 5. & inde, & ſecundo Phyſicorum t. c. 48. & inde. Patet autem ex prædictis, quòd *accidens* primo modo opponitur ipſi *per ſe*, & multo magis ipſi *ſubſtantialiter*: ſed *accidens* ſecundo modo non opponitur ipſi *per ſe*, ſed tantùm ipſi *ſubſtantialiter*: nam proprium accidens ſic per ſe ineſt ſubiecto, quòd tamen eſt extra eſſentialem, & formalem conceptum ſui ſubiecti.

LIBER

LIBER SEXTVS.

POstquam tractatum est in libro quarto ad quæ se extendit hæc scientia; & lib.5. de nominibus, quæ subsunt eius considerationi; in hoc sexto, per duas Summas contentas, tradit modum considerationis eius circa prædicta, quod specialiter exequitur in Summa prima; in altera excludens aliqua entia, quæ non considerantur ab hac scientia. In principio cap.1. vsque ibi: Nec de ipso. *Docet principia entis inquantum ens ab ea considerari, reliquas verò scientias considerare aliquod particulare genus entis.*

SVMMA PRIMA.

Declaratur de quo ente prima Philosophia consideret, ex distinctione considerationis, & modi diffiniendi aliarum scientiarum.

CAPVT PRIMVM.

De differentia Physicæ à quibusdam aliis scientiis, quæ hîc exprimuntur.

Tex.com.1.

PRincipia & causæ quæruntur entium, palàm autem quòd inquantum sunt entia; est enim aliqua causa sanitatis & conualescentia. Sunt etiam Mathematicorum principia, elementa, & causæ. Et totaliter omnis scientia intellectualis participans aliquid intellectus circa causas & principia est, aut certiora, aut simpliciora.

1

Postquam Philosophus in 4. libro declarauit ambitum huius scientiæ, ostendens ad quæ se extendat consideratio Metaphysica; & in 5. libro distinxit nomina, quæ subsunt considerationi huius scientiæ; nunc in sexto describit modum considerationis huius scientiæ circa prædicta, ad quæ se extendit. Circa quod duo facit: primò facit quod dictum est. Secùndò remouet errorem, siue dubitationem possibilem oriri ex prædictis. Secunda ibi; *Sed quoniam ens simpliciter.* Circa primum sic procedit: primò enim proponit quandam conclusionem iam positam in quarto libro. Secundò comparat hanc scientiam ad alias, vt ex hoc venetur modum proprium considerationis huius scientiæ. Secunda ibi: *Sed omnes ista.* Proponit ergo hanc conclusionem quòd huius scientiæ est considerare principia entis inquantum ens: & intendit eam probare tali ratione: Eiusdem scientiæ est considerare subiectum & principia subiecti: sed Metaphysica considerat ens inquantum ens, vt proprium subiectum; ergo & considerat principia entis inquantum ens. In ista ratione primò præmittit conclusionem. Secundò ostendit maiorem per simile in aliis scientiis, ibi: *Est enim aliqua causa.* Minorem autem supponit ex quarto libro. Dicit ergo quòd *principia & causæ entium quæruntur* in ista scientia, *palàm autem quòd in quantum entia sunt*, quod patet per alias scientias: *est enim aliqua causa sanitatis & conualescentia*, quam scilicet considerat medicus: similiter *Mathematicorum*, puta figurarum & numerorum *sunt principia & elementa & causæ*, per quæ scilicet Mathematicus procedit, *& totaliter*, id est, generaliter *omnis scientia intellectualis participans aliquid intellectus*, puta siue sit scientia speculatiua, vel practica: *circa causas & principia est*, talis scilicet scientia: *aut*, scilicet illa principia sint *certiora aut simpliciora*, quod dupliciter exponitur: vno modo vt per certiora intelligantur principia naturalia, quæ sunt certiora quoad nos, quia sensui propinquiora; per simpliciora autem intelliguntur principia Mathematica, quæ simpliciter & secundùm naturam sunt priora & notiora. Alio modo vt principia certiora dicantur, quæ sunt magis nota & exquisita: simpliciora autem quæ magis superficie tenus inquiruntur, vt sunt principia moralia, quæ sumuntur ex his quæ eueniunt vt frequenter.

Conclusio principalis.4. & 6. Metaphysica.

Expositio S. Thomæ.

Notandum autem, quòd principia entis inquantum ens possunt intelligi vel incomplexa, vt sunt substantiæ separatæ; vel complexa, vt sunt prima principia demonstrationis, quæ dicuntur dignitates, de quibus dictum est in quarto libro: de vtrisque tamen verum est quòd hîc Philosophus proponit: nam scientia Metaphysicæ considerat hæc & illa. Deinde cùm dicit:

2 *Principia entis duplicia, complexa & incomplexa.*

Sed omnes istæ circa vnum quid, & genus aliquod circumscriptæ de hoc tractant: sed non de ente simpliciter, nec inquantum est ens.

Comparat hanc scientiam ad alias, vt ex hoc habeat proprium modum considerandi in ista scientia. Circa quod duo facit. Primò enim ostendit differentiam huius scientiæ ad alias penes subiectum primum, & hoc in generali. Secundò exponit illam differentiam magis in speciali. Secunda ibi: *Quoniam verò Physica.* Prima in duas, quia primò facit quod dictum est. Secundò ex differentia dicta infert tres conclusiones. Secunda ibi: *Nec de ipso quod quid est.* Dicit ergo quòd *omnes istæ* scientiæ particulares, de quibus mentio est facta, *sunt præscriptæ*, id est, præcisæ & determinatæ circa aliquod vnum genus entis particulariter: & *de hoc tractant*, puta de numero, vel magnitudine: *sed non de ente simpliciter*, id est,

Considerat ergo Metaphysicus tantum in vniuersali.

est, vniuersaliter: *nec inquantum ens est*: sed secundum particularem rationem: inquantum scilicet magnitudo est: solus autem Metaphysicus tractat de ente simpliciter inquantum ens est. Deinde cùm dicit:

SVMMARIVM.

Ex differentia data huius scientiæ ab aliis, ad eam tantùm spectat agere de eo, *quod quid est*. Explicat benè Doctor, quomodo hæc, & aliæ scientiæ agunt de eisdem obiectis. Hinc infert primò non esse demonstrationem de substantia: secundò alias scientias non dicere *si est*, nec *quid est* suorum subiectorum.

NEc de ipso quod quid est vllam rationem faciunt; sed ex hoc aliȷ quidem secundùm hoc facientes ipsum manifestum, aliȷ per suppositiones accipientes quod quid est, sic quæ secundùm se insunt generi circa quod sunt demonstrant, aut magis necesse, aut infirmius.

3 Ex data differentia infert tres cóclusiones, quarum secunda ponitur ibi: *Quapropter palàm*. Tertia ibi: *Similiter autem*. Dicit ergo, quòd quia supple sic est, quòd ista scientia tractat de ente, inquantum ens, & quia eiusdem scientiæ est tractare de ente inquantum ens, & de ipso *quod quid est*, pro quanto vnumquodque est ens formaliter per suum proprium *quod quid est*: ideò aliæ scientiæ sicut nec tractant de ente simpliciter, sic *nec de ipso quod quid est nullam faciunt ratione*, id est, determinationem; *sed ex hoc*, scilicet quod quid est, *aliȷ quidem facientes ipsum manifestum*, id est, supple ponentes vt principium ex sensu: *aliȷ verò accipientes ipsum quod quid est per suppositionem*, scilicet ab aliqua scientia priori: sic supple supponentes ipsum quod quid est, *demonstrant quæ secundùm se insunt generi*, id est, proprias passiones quæ per se insunt generali subiecto, circa quod negociantur: *aut magis necessariè aut infirmius:* nam scientiæ Mathematicæ certiùs demonstrant: naturales autem infirmiùs, quia procedunt ex his quæ non sunt semper, sed vt frequenter. Patet autem quòd loquitur hîc de *quod quid est* subiecti, quod est primum medium in demonstratione potissima, vt hîc dicitur expresè; vtrùm autem hoc habeat veritatem magis est proprium considerationis Logicæ.

Prima conclusio.

Al de hoc.

Mathematicus excedit Physicum in certitudine demonstrationis.

Notandum autem, ad euidentiam huius literæ, quòd eius *quod quid est* non est demonstratio, sicut nec in alia scientia, sic nec in Metaphysica; sed aliæ scientiæ *quod quid est* sui subiecti supponunt ex sensu: si tantùm confusam cognitionem illius requirunt, puta ad sciendum binarium esse parem, sufficit quælibet cognitio confusè accepta de binario à sensu; cum quo etiam stat ignorantia, an binarius sit accidens, vel substantia, quantitas, aut qualitas: aut *quod quid est* sui subiecti accipiunt aliunde, id est, à Metaphysico, si distinctam eius notitiam requirunt, puta non scietur quòd homo est animal perfectissimum, sine notitia subiecti: an sit substátia vel accidens, & sic procedendo: & hoc aliquo modo accipitur à Metaphysico: qui Metaphysicus de eo *quod quid est* distinctè cognoscendo, rationem facit, prout est possibile rationem fieri ad *quod quid est* inquirendum. Cùm enim talis ratio sit via diuisiua, ex secundo Posteriorum, t. 4. & inde, quæ debet incipere à communissimis, quæ certum est inesse illi cuius *quid* quæritur, quatenus illa communissima à Metaphysico considerantur: eatenus Metaphysicus iuuat ad faciendum rationem de *quod quid est* subiectorum specialium: & etiam quatenus diuidens in processu suo dirigitur per quædam principia Metaphysica communia, vt *de quolibet affirmatio, vel negatio*.

4

Nota totum de inuestigatione quod quid est Logicæ & Metaphysicæ, quod

etiam in q. 1. hæc habet Doc. soluendo principale,

Sed contra istud instatur: nam Metaphysica non videtur ita necessaria quin quicunque artifex vt ens Logica, cuius vsus est communis, etiam Metaphysicè possit *quod quid est* sui subiecti inquirere.

Respondeo, quòd in tali inquisitione nullus est artifex, quia ista inquisitio præcedit omnem processum scientiæ, quæ est per demonstrationem: supposito *quod quid est* subiecti, siue confuso, siue stincto: sed in diuidendo Metaphysicus est: & quoad processus rationis, Logicus est.

Contrà: si procedatur per conceptus essentiales ad Metaphysicum non spectantes, vt per conceptus corporis: antequam diuidendo habeatur *quid* subiecti, nunquid talis est in procedendo Metaphysicus, vel naturalis?

Respondeo; prædicatũ in *quid* naturaliter notius est de subiecto quàm quæcunque passio, sed non nobis, & ideò si ordine naturalis notitiæ procederet diuidens, nihil faceret, nisi abiiceret disconueniens, & acciperet conueniens: sed qui sibi notitiam acquirit ex aliqua passione notá viá sensus, vnum abiicit & aliud assumit. Vel ex aliquibus propositionibus sibi aliunde notis, & quatenus illis vtitur talis artifex, est talis qualis ille ad quem illæ propositiones spectant: licèt imperfectè sit talis: omnis autem inuestigans *quid* per diuisionem, etiam si non per omnia intermedia procedat, Metaphysicis vti oportet: nullus est ita particularis sciens præcisè, puta Arithmeticus, vel Geometer, vel Physicus, nisi qui præcisè confusam notitiam subiecti accipit ex sensu, & isto supposito, passiones ostendit illi inesse, quas ex tali notitia potest de eo ostendere. Et licèt talis sit perfectus Arithmeticus, est tamen imperfectè sciens, quia etiam ipsum numerum binarium imperfectè nouit: potest enim ignorare an sit substantia & an sit ens, si nunquam conceptum entis ab illo abstraxit: & hoc intellige, nisi in demonstrando vtatur aliquibus principiis communibus, pro quorum intellectu oporteret conceptus communes abstrahere. Ex his patet quòd cùm rei cognoscibilis essentialior sit cognitio illa, quæ est in particulari ad cognoscendum ipsum in particulari & distinctè, & de quocunque subiecto speciali, prima cognitio habeatur in scientia propria de ipso. Secundò autem in Metaphysica, essentialiùs cognoscit quælibet scientia specialis *quid* proprij subiecti, quàm Metaphysicus. Metaphysicus etiam sine ista perfectus est: sed particularis sine illa non sic, nam applicando Metaphysicam ad notitiam confusam, potest perfectior haberi notitia de subiecto, quàm habeat particularis inquantum talis: & sic exposita videtur litera Philosophi. Deinde cùm dicit:

Quapropter palàm quia non est demonstratio substantiæ; nec eius quod quid est ex tali inductione, sed quidam alius modus ostentionis.

Ponit

Secunda conclusio. Ponit secundam conclusionem, quæ sequitur ex prima: quia enim *quod quid est* est principium demonstrationis, palàm est ex tali inductione, quia non est demonstratio substantiæ: nec eius *quod quid est*, scilicet subiecti: sed est quidam alius modus ostentionis, puta via diuisiua: & alij modi qui secundo Posteriorum pertractantur t. 17. capitulo illo: *Opportet autem quomodo venari* Deinde cùm dicit:

Similiter autem nec si est, aut non est genus, circa quod versantur, quicquam dicunt propter eiusdem rationis esse ipsum quod quid est manifestum facere, & si est hoc.

Tertia conclusio. Ponit tertiam conclusionem quæ sequitur ex dictis; sicut enim nulla scientia particularis facit rationem de eo quod quid est: similiter nihil dicunt, nec si est, aut non est genus subiectum, circa quod versantur. Cuius causam subdit, *propter esse eiusdem rationis ipsum quod quid est facere manifestum & si est hoc*, scilicet ipsum genus subiectum eius est quod quid est.

Notandum, quòd vt habetur secundo Posteriorum t.2.& inde, & specialiter, t.8. quæstio *quid est* supponit quæstionem *si est*: si ergo scientiæ particulares supponunt *quid est* sui subiecti, multò magis supponunt ipsum *si est*: nam qui supponit posterius magis supponit prius: & hoc est quod dicitur primo Posteriorum, t. 2. & inde, quòd de subiecto oportet præsupponere si est, & *quid est*. Deinde cùm dicit:

SVMMARIVM.

Ponit differentiam inter scientiam practicam, & Physicam, quam benè Doctor declarat. Quod ait naturalitatem motus sumi penes principium passiuum. Tractat benè. 2. d. 18.

QVoniam verò Physica scientia est circa genus quoddam entis; nam circa talem est substantiam, in qua est principium motus, & status in ea, palàm quia nec actiua, nec factiua est: factiuarum enim in faciente principium, aut intellectus, aut ars, aut potentia quædam. Actiuarum verò quæ agente proheresis: idem enim agibile, & eligibile. Quare si omnis scientia aut actiua, aut factiua, aut Theorica. Physica Theorica quædam est; sed Theorica circa tale ens quod est possibile moueri, & circa substantiam quæ secundùm rationem: vt secundùm magis, non separabilem solùm.

6 Exponit magis in speciali dictam differentiam huius scientiæ ad alias.

Ad cuius euidentiam notandum, quod quidam antiquorum, vt dictum est in primo libro, opinantes nullum ens esse præter entia sensibilia, *Al. scientia.* necessariò habuerunt ponere Physicam esse de omni ente, & per consequens esse primam Philosophiam: sensibilia autem sunt notiora nobis, & per consequens entia Physica: vt ergo à manifestioribus incipiat, primò compatat & distinguit Physicam à scientiis practicis. Secundò ab aliis scientiis speculatiuis. Ex quibus colligitur differentia huius scientiæ Metaphysicæ ad alias quantum admodum considerandi. Secunda ibi: *Oportet autem.* In ista parte intendit talem rationem: Scientia practica versatur circa subiectum, in quo non est principium motus & quietis: sed Physica versatur circa subiectum, in quo est principium motus & quietis; ergo Physica non est scientia practica. Dicit ergo, quòd *quoniam scientia Physica est circa quoddam genus entis: nam circa talem est substantiam, in qua est principium motus & status*, id est, quietis *in ea, palàm quia nec est factiua, nec actiua*, quæ sunt scientiæ practicæ: *nam principium factiuarum est in faciente*, puta *intellectus: aut ars*, quæ est habitus practicus intellectus, *aut potentia* quædam, puta potentia executiua, qua mediante artifex operatur: hæc enim tria concurrunt ad factionem. *Actiuarum autem* supple principium *est probaresis*, id est, electio *quæ est in agente: nam idem est obiectum agibile & eligibile*: quia circa idem versatur actio & electio: *quare si omnis scientia est actiua, aut factiua*, quarum vtraque est practica, *aut est Theorica*, id est, speculatiua, *Physica erit quædam Theorica*, id est, speculatiua, & non practica: *sed* tamen talis *Theorica quæ versatur circa tale ens quod est possibile moueri, & circa substantiam, quæ secundùm rationem non est separabilis*, scilicet à materia sensibili, *vt secundùm magis*, id est, vt in pluribus: quod dicit propter animam rationalem, quæ aliqualiter cadit sub considerationem huius scientiæ naturalis, vt patet secundo Physicorum, t.c.26.& circiter, & tamen eius substantia est à materia sensibili separabilis.

Subiectum Philosophiæ naturalis quid?

Physicam esse speculatiuam ostendit.

Notandum, quòd omnia scientia practica vel est actiua, vel factiua: sicut omnis praxis est actio, vel factio: dicitur autem actio operatio immanens, puta intelligere, & eligere, siue velle. Et ideò scientiæ actiuæ dicuntur istæ, quæ dirigunt in praxim, quæ est actio, & sunt scientiæ morales, puta prudentia. Factio verò dicitur operatio transiens in exteriorem materiam, vt ædificare & secare; & ideò scientiæ factiuæ dicuntur, quæ dirigunt in praxim, quæ est factio, vt sunt scientiæ mechanicæ, puta ars.

Scientia practica duplex.

Actio & factio quid?

Notandum etiam, quòd principium motus & quietis potest accipi actiuè & passiuè: sed tamen principium à quo dicitur motus, vel mutatio naturalis, & de quo hîc loquitur Philosophus, est principium passiuum, vt probatum fuit in quinto libro, capitulo de Natura. In hoc enim distinguuntur naturalia ab artificialibus, quia omnia naturalia habent in se principium passiuum, quo naturaliter tendunt & inclinatur ad formam naturalem inducendam: artificialia autem non habent talem inclinationem; sed vel sunt in potentia neutra: vel habent inclinationem ad oppositum: sicut patet in ædificiis, vbi grauia ponuntur sursùm, quod est contra naturalem inclinationem grauis. Ex quo apparet falsus intellectus illorum, qui ex hoc dicto, & similibus, volunt arguere esse in materia aliquod inchoatiuum formæ coactiuum, & ad generationem & ad naturalitatem generationis saluandum, de quo ampliùs dicetur 7. huius.

Principium motus & quietis duplex.

Naturalitas motus penes quid attendi debet & in quibus naturalia ab artificialibus differunt.

Vide 18. d. 2.

SVMMÆ SECVNDÆ
Cap. II.

Differentia Physicæ ab aliis Theoricis, & modus considerandi, & definiendi Metaphysici.

SVMMARIVM.

Positâ in primo cap. differentiâ Physicæ à scientiis practicis, nunc ponitur in hoc capite modus, & differentia eiusdem ab aliis speculatiuis, ex quo habetur modus proprius considerandi Metaphysici, qui ponitur in initio huius cap. vsque ibi. *Si verò.*

Tex. c. 2.

OPortet autem quod quid erat esse, & rationem quomodo est, non latere: tanquam sine hoc quærere nihil facere sit. Diffinientium autem & ipsorum quod quid est: hæc quidem ita sunt vt simum: illa verò vt concauum. Differunt autem hæc, quia simum quidem conceptum est cum materia, est autem simum nasus concauus, concauitas verò sine materia sensibili. Si ergo omnia Physica similiter simo dicuntur, vt nasus, oculus, facies, caro, os, totaliter animal, folium, radix, cortex, totaliter planta: nullius enim ipsorum sine motu ratio, & semper habent materiam, palàm quomodo oportet in Physicis ipsum quod quid est quærere & diffinire. Ideóque & de anima quædam est speculari Physici quæcunque non sine materia est. Ergo quia Physica est Theorica manifestum est ex his.

8

Postquam Philosophus distinxit Physicam à scientiis practicis, nunc distinguit eam ab aliis scientiis Theoricis, seu speculatiuis, penès modum diffiniendi, & considerandi: ex quo habetur modus proprius considerandi huius scientiæ. Circa quod duo facit. Primò exponit huiusmodi differentiam. Secundò mouet, & remouet dubitationem quandam ex prædictis. Secunda ibi: *Dubitabit enim.* Prima in tres. Primò enim exponit proprium modum diffiniendi & considerandi scientiæ Physicæ. Secundò scientiæ Metaphysicæ. Tertiò Mathematicæ. Secunda ibi: *Sed & Mathematica.* Tertia ibi: *Si verò est immobile.* Dicit ergo, quòd *oportet non latere quod quid erat esse & rationem,* id est, diffinionem: *quomodo* scilicet sit assignanda in qualibet scientia ad videndum differentiam scientiarum *tanquam sine hoc quærere,* scilicet differentiam scientiarum *nihil sit facere.* Cuius ratio est, quia vt dictum fuit, omnes scientiæ diuersum modum obseruant in diffiniendo; & subdit quòd *diffinientium & ipsorum quod quid est,* id est, eorum quæ diffiniuntur: *hæc quidem ita sunt vt simum; illa verò vt concauum: differunt autem, quia simum quidem est conceptum cum materia sensibili: nam simum est nasus concauus, concauitas verò* supple est sumpta & concepta *sine materia sensibili*; & ideò diffinitio simi erit cum materia sensibili; non autem diffinitio concaui, nam in diffinitione concaui, vel curui

Variantur scientia ad varietatem modi diffiniendi & ècontra. Simum & concauum quid sint & qualiter diffiniuntur.

non ponitur aliquod corpus sensibile, puta nasus, vel pes, &c. nam abstrahit à quolibet tali. Est enim concauum, cuius medium exit ab extremis: quod potest cópetere non solùm sensibilibus materialibus, sed etiam Mathematicis: subdit autem *si,* pro quia: *igitur omnia Physica dicuntur,* id est, diffiniunttur *similiter simo,* scilicet cum materia sensibili, sicut patet in partibus animalis, *vt nasus, oculus, facies, caro, os, & totaliter,* id est, generaliter totum *animal:* similiter etiam in partibus plantæ: vt *folium, radix, cortex, & totaliter,* id est, generaliter omnis *planta: nullius enim ipsorum* quæ dicta sunt *ratio,* id est, diffinitio *est sine motu, & semper habent materiam,* scilicet sensibilem, & mobilem: quia inquam sic est, *palàm quomodo oportet in Physicis ipsum quod quid est quærere, & diffinire:* quia cum materia sensibili. Ex hoc infert quòd ipsius Physici est speculari *quædam de anima quæcũque,* scilicet anima *non est sine materia.* Concludit ergo quòd *manifestum est ex his quòd Physica est quædam Theorica,* habens supple proprium, & determinatum modum diffiniendi, qui prædictus est.

Modus diffiniendi Physici.

9

Notandum, quòd vt habetur 2. Physic. t. c. 26. & circiter, consideratio Physica extendit se ad omnes formas, quæ habent esse in materia, & vltrà non procedit; & ideò terminus eius est ad formam rationalem, non inquantum separabilis est à corpore, sed inquantum est actus corporis; & ideò secundo de Anima t. c. 6. & inde, diffinitur anima, quòd est actus, vel forma organici corporis, & ideò subdit hîc Philosophus, quòd *Physici est considerare de anima, quæcunque non est sine materia;* & ideò de formis separatis vt sunt Intelligentiæ, non amplius se intromittit Physicus, sed transcendunt considerationem eius. Deinde cùm dicit:

Qualiter & quare, & de qua anima considerat Physicus.

Sed est & Mathematica Theorica, sed si immobilium est, & separabilium, non est adhuc manifestum. Quia tamen Mathematica inquantum immobilia, & inquantum separabilia speculatur palàm.

Exponit proprium modum diffiniendi, & considerandi scientiæ Mathematicæ, dicens, quòd etiam *scientia Mathematica est Theorica:* non enim est actiua, vel factiua, cùm abstrahat à motu: *sed nec adhuc est manifestum si est immobilium & separabilium,* scilicet secundùm esse, id est, quòd adhuc non est ostensum, vtrùm illa circa quæ versatur scientia Mathematica sint immobilia, & separata secundùm esse: *quod tamen scientia Mathematica speculatur quædam inquantum immobilia, & inquantum separabilia, palàm est.*

Immobilia & separabilia duplicia. Modus diffiniendi Mathematici.

10

Notandùm, quòd vt dictum fuit in primò libro, opinio fuit quorundam, scilicet Platonis, quòd Mathematica, puta numeri & magnitudines, essent separata secundùm esse à motu & à materia sensibili. Ponebant enim ipsa media inter ideas & sensibilia; sed quia hæc opinio nondum est improbata, & pertracta vsque ad. 13. & 14. libros; ideò hæc sub dubio relinquit Philosophus, dicens non esse manifestum vtrùm Mathematica sint immobilia & separabilia, scilicet secundùm esse à materia sensibili, hoc tamen est manifestum quòd de ipsis considerant scientiæ Mathematicæ, inquantum sunt immobilia, & separabilia secundùm considerationem, dato quòd non secundùm esse. Et per hoc patet differentia inter

Mathematicam & Physicam scientiam: nam Physica considerat & diffinit concepta cum materia sensibili: Mathematica autem abstrahit à tali materia, vt sicut diffinitiones Physicæ sunt sicut simum, ita diffinitiones Matematicæ erunt sicut concauum. Vnde sicut Physica sunt in materia sensibili secundùm esse, & secundùm cósiderationem, sic Mathematica abstrahunt à materia sensibili secundùm considerationem, licèt non secúdùm esse.

In quo differt Physicus à Mathematico.

S V M M A R I V M.

Exponitur modus considerandi Metaphysici, & quomodo ab aliis distinguitur. De quo optimas notàs ponit Doctor. Vidi eum hìc q. 1. vbi fusiùs explicat sufficientiam diuisionis scientiæ speculatiuæ, in Physicã Mathematicam, & Diuinam, seu supernaturalem, id est, Metaphysicam. Vide ibi Scholium quartum. Redditur triplex ratio quare hæc vocatur Theologia.

SI verò est immobile aliquid, & separabile, & sempiternum, palàm quia est Theoricæ id noscere, non tamen est Physicæ: nam de mobilibus quibusdam est Physica. Nec Mathematicæ, sed prioris ambarum; Physica namque circa inseparabilia quidem, sed non immobilia, Mathematicæ autem quædam circa immobilia quidem, sed inseparabilia forsan, verùm quasi in materia. Prima verò circa separabilia, & immobilia. Necesse verò quidem omnes causas sempiternas, & maximè has, hæ namque causæ sunt manifestis sensibilium.

Exponit modum proprium considerandi, & diffiniendi scientiæ Metaphysicæ, de qua nunc intenditur dicens, quòd *si est aliquod immobile & separabile*, scilicet secundùm esse, & per consequés *sempiternum, palàm quia noscere idem*, id est, talę ens *est* sciëntiæ *Theoricæ*, & non alicuius practicæ: nam scientia practica cùm sit actiua, vel factiua, non abstrahit à motu: *non tamen est Physicæ* scientiæ supple considerare tale ens immobile, & sempiternum: *nam Physica est de quibusdam*, scilicet entibus *mobilibus, nec* etiam est *Mathematicæ*: Mathematica enim non considerat separata secundùm esse, sed solùm secundùm considerationem: sed supple consideratio de tali ente *erit* alicuius sciëntiæ *prioris ambarum*; cuius causam subdit: *Physica namque* versatur *circa entia inseparabilia*, scilicet à materia sensibili, *sed non immobilia*: non enim abstrahit à materia nec à motu. *Mathematica autem quædam* supple versantur *circa immobilia quidem, sed* tamen *inseparabilia*, scilicet à motu, & materiæ sensibili *forsan* verum est: & dicit fortè, *forsan* propter causam iam dictam: quia scilicet veritas huius nondum erat determinata: *prima verò* scientia Theorica versatur supple *circa separabilia*, scilicet secundùm esse *& immobilia*: addit autem quòd *necesse* est *omnes quidem causas sempiternas* esse: & *maximè has*, scilicet quæ sunt immobiles & immateriales: *hæ namque sunt causæ manifestis sensibilium*, id est, ipsis sensibilibus nobis maximè manifestis.

Theoricarum. Modus diffiniendi Metaphysicæ.

11

Numerus & obiecta sufficientia & distinctio trium primarum

Notandum, quod significanter dicit quasdam scientias Mathematicas esse circa immobilia, quia non est verum de omnibus, sicut enim dicitur 2. Physic. t.c. 16. & inde, aliquæ sunt scientiæ, purè Mathematicæ, vt Geometria & Arithmetica, quæ versantur circa Mathematica non applicando illa ad motum, & ideò versantur circa immobilia: quædam non purè Mathematicæ, quæ quidem applicant quædam Mathematica ad motum, sicut est Astrologia, & talis Mathematica non versatur circa immobilia.

Mathematica duplex.

Notandum, quòd sicut probatur 1. de Generat. text. com. 10. & 2. text. com. 56. ad saluandum perpetuitatem generationis, oportet dare primas causas generationis & corruptionis esse sempiternas, vt sunt prima materia & motus solis in Zodiaco, ideò dicit hìc quòd necesse est omnes causas, scilicet primas, sempiternas esse, & inter eas maximè has quæ scilicet sunt immobiles, & immateriales, vt sunt substantiæ separatæ, de quibus agit scientia Metaphysica: ex quibus etiam sortitur primitatem dignitatis, vt propriè dicatur prima Philosophia.

Perpetuitas generationis arguit perpetuitatē causæ primæ eius.

Notandum etiam, quòd ex distinctione harum trium scientiarum speculatiuarum, quæ assignata est penes earum subiecta prima, patet causa distinstinctionis huius, quam ponit Aristoteles in litera, penes modos diffiniendi; ideò enim Metaphysicus diffiniendo omnino abstrahit à materia: quia sicut ens, quod primò considerat, ita & quodlibet inquantum sub eius considerationem cadit, non includit materiam, secundùm quod dictum est primo huius in prologo: Mathematica verò quia considerat substantiam corpoream sub tali conceptu, secundùm quem includit principia propria quantitatis; & ideò necessariò requirit materiam; licèt non vt principium potentiale, siue mobile; ideò Mathematicus semper diffinit cum materia, non inquantum est principium motus: Physica verò quia considerat substantiam corpoream, inquatum in conceptu, quem de corpore habet, includuntur principia motus, & operationis; ideò per materiam sic diffinit, non quòd motum ponat in diffinitione, quia ille est passio apud eum; sed matariam secundùm considerationem contractam, secundùm quam est principium motus. Deinde cùm dicit:

12

Non distinctionis modi diffiniendi trium Theoricarum notabilis.

Quare tres erunt Philosophiæ Theoricæ, Mathematica, Physica; Theologia.,

Ad hūc textum est quæstio 1. lib. 6.

Concludit ex prædictis numerum scientiarum speculatiuarum. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est. Secundò probat quoddam suppositum in conclusione. Secunda ibi: *Non enim immanifestum.* Dicit ergo, *quare* supple patet ex prædictis, quòd *tres erunt Philosophiæ Theoricæ*, id est, speculatiuæ, scilicet *Mathematica, Physica & Theologia*, scilicet, Metaphysica & Philosophia prima. Deinde cùm dicit:

Numerus Theoricarum primarum.

Non enim immanifestum, quia si alicubi diuinum existit, in tali natura existit.

Probat per duas rationes quæ supposuerat, hanc scilicet scientiam dici Theologiam. Secunda ibi: *Et honorabilissimam.* In prima parte innuit talem rationem: Scientia de diuinis potest dici Theologia; sed Metaphysica est huiusmodi, ergo &c. Minorem tangit, dicens quòd *non est immanifestum: quia si alicubi*, id est, in aliquo genere entium *existit*

Al. quod. Quare Metaphysica rectè dicitur?

existit aliquid diuinum, existit in tali natura, scilicet natura entis,& sempiterni, & immobilis, & immaterialis, de quo tractat illa scientia. Deinde cùm dicit:

Et honorabilissimam scientiam oportet circa honorabilissimum genus esse;ergo Theorica aliis scientiis desiderabiliores sunt, hæc autem de Theoricis.

13 Ponit secundam rationem,quæ sic formari potest: Nobilissima scientia est circa nobilissimum subiectum:sed Metaphysica est nobilissima; ergo est circa nobilissimum subiectum: nobilissimum subiectum sunt tres diuinæ; ergo Metaphysica est de rebus diuinis,& per consequens potest dici Theologia, & diuina. Dicit ergo quòd *honorabilissimam scientiam oportet esse circa nobilissimum genus entis*, ad quod genus pertinent res diuinæ. Hæc fuit maior rationis:& addit pro minori quòd *scientiæ Theoricæ sunt honorabiliores aliis scientiis*,id est,practicis: *hæc autem*,scilicet Metaphysica,est honorabilior aliis scientiis Theoricis, & per consequens ipsa est simpliciter honorabilissima & nobilissima. Deinde cùm dicit:

Tex. com. 3. *Dubitat enim vtique aliquis, vtrùm prima Philosophia sit vniuersalis, aut circa aliquod genus,& naturam vnam, non enim idem modus nec in Mathematicis,quia Geometria,& Astrologia circa aliquam naturam sunt, illa verò vniuersaliter est omnibus communis.*

Remouet quandam dubitationem ex prædictis. Circa quod duo facit: quia primò mouet dubitationem. Secundò subiungit dubitationis solutionem. Secunda ibi: *Si quidem igitur.* Dicit ergo, quòd *dubitabit vtique aliquis vtrùm prima Philosophia*, id est, Metaphysica *sit vniuersalis*, vt scilicet consideret ens commune & vniuersale: *aut sit circa aliquod genus & naturam*, vnam determinatam: & tangit rationem pro parte negatiua, dicens,*non enim* est *idem modus*, supple huius scientiæ, *vt in Mathematicis: quia Geometria & Astrologia*,quæ sunt Mathematicæ, *circa aliquam* determinatam *naturam sunt: illa verò*, id est, prima Philosophia est *vniuersaliter omnibus communis*, & ideò considerabit de ente in communi. Rationem pro parte opposita non ponit, sed potest haberi ex prædictis: nam si Metaphysica est de ente immobili & separato, videtur quòd sit alicuius naturæ determinatæ, & non de omni ente. Deinde cùm dicit:

Dubium de consideratis à Metaphysico.

14 *Si quidem ergo non est aliqua altera substantia præter naturas consistẽtes:Physica vtique erit prima scientia, sed si est aliqua substantia immobilis, hæc prior, & Philosophia prima,& vniuersalis sic.*

Tex. com. 4. *Et quia prima de ente inquantum ens, huius vtique erit speculari, tunc etiam & quid est,& quæ sunt inquantum ens.*

Ponit dictæ dubitationis solutionem, dicens, quòd *siquidem non est aliqua altera substantia præter naturas consistentes*, id est, præter substantias naturales, de quibus est Physica: *Physica vtique erit prima*, quia tunc omne ens esset Physicum & naturale: *sed si*, pro quia, *est aliqua substantia immobilis:* & per consequens non Physica, *hæc*, scilicet scientia erit *prior*: vel hæc scilicet Metaphysica, quæ tractat de tali substantia, erit prior, *& prima Philosophia*; & per consequens *vniuersalis* ex eo, *quia est prima & huius vtique erit speculari de ente inquantum ens, & de ipso quod quid est*, vt dictum fuit circa principium huius sexti: & etiam considerabit ea *quæ insunt* enti *inquantum ens*, id est, passiones entis, vt dictum fuit in 4. libro, vt sic ista scientia sit prima primitate dignitatis, quatenus considerat de ente immobili & diuino; & primitate communitatis & vniuersalitatis, quatenus considerat de ente vniuersaliter inquantum ens est: nam eiusdem scientiæ est considerare de ente in communi, & de substantia immateriali, & immobili, vt de nobiliori parte entis, vt declaratum fuit in primo libro;& per hoc soluitur ratio tacta in oppositum.

Metaphysica est prima Philosophia duplici primitate.

SVMMA SECVNDA.

Declarantur quædam entis species, quæ ab hac scientia secluduntur.

In hac summa declarantur illa entia,ad quæ se non extendit consideratio huius scientiæ: & secundùm hoc in primo cap. vsque ibi, *& hoc.* ostendit hanc scientiam non considerare ens per accidens, cuius duplex ponitur acceptio. Latè probatur inductiuè, de quo disputat Doctor hîc q. 5. Primò agit de ente per accidens, vt opponitur enti per se diuiso in decem Genera.

CAP. I.

Excluditur à consideratione huius scientiæ ens per accidens secundùm varias eius acceptiones.

Sed quoniam ens dictum simpliciter dicitur multipliciter, quorum vnum est quidem quod secundùm accidens, & aliud quod vt verum, & non ens est falsum. Præter hæc autem sunt figuræ categoricæ, vt quid, quale quantum, vbi, quando, & si quid aliud significat hoc modo. Amplius præter hæc omnia quod potestate,& quod actu.

15 Postquam Philosophus descripsit modum considerationis huius scientiæ, nunc remouet errorem, siue dubitationem oriri possibilem ex prædictis: dictum est enim nunc proximo & in principio huius sexti, & in principio quarti, & alibi frequenter, quòd huius scientiæ est considerare ens inquantum ens: ex hoc aliquis posset credere quòd de omni ente est huius scientiæ speculari; hunc errorem excludit Philosophus ostendens quòd de non ente non est huius scientiæ speculari, & hoc est quod intendit in sequenti litera demonstrare. Circa quod tria facit: quia primò separat à consideratione huius scientiæ ens per accidens. Secundò ens verum. Tertiò epilogat circa determinata & continuat dicta dicendis.

Secunda

Secunda ibi: *Quia autem vt verum.* Tertia ibi: *Quia quidem vt accidens.*

Ens per accidens duplex.

Ad euidentiam primi notandum est, quòd ens per accidens dupliciter accipitur. Vno modo vt ly *per accidens*, negat vel priuat perseitatem rei secundùm se acceptæ: & hoc est ens per accidens, aggregatum ex rebus diuersorum generum, vt homo quantus, vel album quantum: vel ex rebus intermediorum, vt album dulce, & tale ens per accidens, vt patet ex 5. huius cap. de Ente text. com.13. opponitur enti secundùm se, quod diuiditur in decem Genera: quia tale ens per accidens non habet vnum conceptum quiditatiuum, per quę posset in aliquo vno genere collocari. De isto ente per accidens loquitur Arist. 5. huius, cap. de Ente t.c.13.& c.de Vno, tex.c.7. de eo etiã est sermo 7. huius, tex.c.11.& inde, quando negatur ens per accidens habere, *quod quid est*; & iterum, tex.com. 20. & inde. *quod quid est* non est idem illi. Alio modo dicitur ens per accidens, prout ly *per accidens*, non priuat perseitatem in entitate rei secundùm se, sed in comparatione ad aliquam causam, & sic dicitur ens per accidens respectu alicuius causæ, ad cuius fieri, vel esse talis causa non ordinatur essentialiter, sed euenit præter intentionem talis causæ aliud intendentis, & tale est ens fortuitum & casuale. Secundùm hoc ergo ista pars diuiditur in duas: quia primò separat à consideratione huius scientiæ ens per accidens, dictum primo modo. Secundò, secundo modo, ostendens quòd neutrum, vt sic pertinet ad considerationem alicuius scientiæ, & per consequens nec huius. Secunda ibi: *Attendendum est.* Prima in duas: quoniam primò resumit quasdam entis diuisiones positas in quinto. Secundò accedit ad probandum intentum, Secunda ibi: *Quoniam itaque.* Dicit ergo, quòd *quoniam ens simpliciter* id est, vniuersaliter *dictum*, *dicitur multipliciter: quorum vnum quidem erat*, *quod quid est secundùm accidens*, *& aliud quod vt verum*, id est, verum propositionis *& non ens vt falsum*; *præter autem hæc sunt* tertiò *figuræ categoricæ*, puta tales in quæ ens diuiditur *vt quid*, id est, substantia *& quale*, *& quantum & vbi & quando*: *& si quid aliud significat hoc modo*, scilicet ipsum ens. *Amplius* quartò *præter hæc omnia* supple dicitur ens, *quod potestate*, & quod *actu*: hæc enim quatuor diuisiones entis positæ sunt in 5. cap. de Ente. tex.com.13.& inde. Deinde cùm dicit:

Al. attamen dicendum est.

Resumit diuisionem quadruplicem entis.

Quoniam itaque multipliciter dicitur ens primùm de eo, quod secundùm accidens est dicendum, quod nulla est circa illud speculatio.

De ente per accidens primo modo nulla est sciẽtia.

Accedit ad probandum intentum. Circa quod duo facit. Primò proponit intentam conclusionem. Secundò subiungit conclusionis probationem. Secunda ibi: *Signum autem.* Dicit ergo, quòd *quoniam ens dicitur multipliciter*, vt dictum est. *Primò dicendum est de eo, quod secundùm accidens*, id est, de ente per accidens, *quòd circa illud nulla est speculatio* alicuius, scilicet scientiæ. Deinde cùm dicit:

Signum autem: nulla scientia enim neque actiua, neque factiua studiosa est de eo, neque Theorica. Non enim faciens domum facit quæcunque accidunt domui factæ: infinita enim sunt; his quidem enim voluptuosam, illis nociuam: aliis autem vtilem nihil prohibet esse factiuam, & alteram, vt est dicere ab omnibus entibus, quorum nullius est factiua.

16

Probat propositam conclusionem. Primò per signum. Secundò per rationem. Secunda ibi: *Et hoc rationabiliter.* Prima in duas, quia primò probat intentum per signum, inducendo in scientiis practicis. Secundò inducendo in Theoricis. Secunda ibi: *Eodem verò modo.* Dicit ergo, quòd *signum* est supple, quòd circa ens per accidens *nulla est speculatio*, quia *nulla scientia, nec actiua, nec factiua*, quantum ad practicas: *nec Theorica*, quantum ad speculatiuas *est studiosa*, id est, inquisitiua de eo, id est, de ente per accidens, quod primò declarat in practicis, *non enim faciens domum facit, quæcunque accidũt domui factæ: infinita enim sunt*, id est, ea, quæ possunt domui accidere: nihil enim prohibet domum esse factam, *his quidem voluptuosam*, id est, delectabilem ad manẽdum, *illis autem nociuam: aliis autem vtilem*, puta qui in domo aliquid vtile acquirunt: iterùm ipsam domum, vt est esse *alteram*, id est, dissimilem ab *omnibus entibus*, scilicet domibus; *quorum nullius*, scilicet quæ accidunt domui *est factiua ars*, id est, ædificatiua: cùm enim talia sint quasi infinita, non possunt cadere sub considerationem artis: ars ergo ædificatiua solùm est ædificatiua domus, & eorum quæ sibi per se in sunt, & non alicuius eorum, quæ domui per accidens inexistunt. Deinde cùm dicit:

Quare ars de aliquo non est de accidentibus eiusdem.

Idẽ 2. Physic.1.c.56.

Eodem autem modo nec Geometria speculatur sic accidentia figuris: nec si alterum est trigonum, & trigonum duos rectos habens.

17

Ostendit idem inducendo in scientiis Theoricis, dicens, quòd *eodem modo nec Geometer speculatur sic accidentia figuris*, id est, ea quæ sunt in figuris per accidens: sed supple illa, quæ sibi per se insunt: *nec etiã speculatur si alterum est trigonũ, & trigonũ duos rectos habẽs:* Geometer enim vtiq; speculatur, quòd triangulus habet tres: sed non si aliquid alterũ, puta lapis vel ęs est triangulus: quia hæc accidunt triangulo, vt triangulus est, quòd sit lapideus, vel æreus, & sic de aliis, quæ per accidens sibi insunt, puta quòd sit magnus, vel albus.

SVMMARIVM.

Scientiam non agere de ente per accidens; quia est non ens. Probatur dupliciter. Doctor bènè explicat quod ait Philosophus, Sophistas maximè versari circa fallaciam accidentis. Vide eum super lib. 6.Elench.q.45.& sequentibus.

ET hoc rationabiliter accidit: quemadmodum enim solùm nomine accidens est.

Probat propositum per rationem, quæ talis est: Omnis scientia speculatur ens, quod est ens secundùm rem: sed ens per accidens non est ens secundùm rem, sed solo nomine; ergo nulla scientia speculatur ens per accidens. In ista ratione sic procedit: quia primò ponit virtutem rationis. Secundò probat minorem ibi: *Vnde Plato.* Maiorem autem supponit tanquam veram, & manifestam in omnibus scientiis realibus. Dicit ergo, quòd *& hoc*, quod dictum est, scilicet quòd de ente per accidens nulla scientia speculetur *rationabiliter*

biliter accidit, quemadmodum enim accidens, id est ens per accidens *solum est nomine* & per consequens non est reale; de quo habet esse omnis scientia realis,& hæc est virtus rationis. Deinde cùm dicit:

Vnde Plato modo quodam non malè, Sophisticam circa non ens ordinauit: sunt enim Sophisticarum rationes circa accidens, vt est dicere maximè omnium: vtrùm idem aut diuersum, musicum & Grammaticum; & musicus Coriscus & Coriscus. Et si omne quod est, & non semper, factum est. Quare si musicus ens Grammaticus est factus & Grammaticus ens musicus, & quæcunque alia tales rationum sunt: videtur enim accidens propinquum quidem non enti.

18 Probat minorem suæ rationis. Primò auctoritate. Secundò ratione. Secunda ibi: *Palàm autem.* Dicit ergo, quòd *propter hoc*, supple quod ens per accidens est quodammodò ens solo nomine; ideò *Plato modo quodam non malè*, sed benè *ordinat Sophisticam esse circa non ens*: nam vt diuersas scientias ordinaret circa diuersa subiecta: ipsam Sophisticam scientiam ordinat circa non ens. Cuius causam subdit, *quia rationes sophisticarum maximè*, vt est dicere omnium, *sunt circa accidens*, id est, circa fallaciam accidentis, quæ paralogismos maximè latentes facit. Vnde primo Elench. cap. 4. dicitur, quòd secundùm accidens sapientes etiam maximè falluntur; & exemplificat de quibusdam paralogismis accidentis. Primus est, *Vtrùm sint idem aut diuersum, musicum & Grammaticum*; & formetur sic paralogismus: Musicus est aliud à Grammatico: sed musicus est Grammaticus, ergo musicus est aliud à se. Hic enim committitur per accidens, quia maior est vera per se: minor autem per accidens; & ideò ipsi musico, vt est aliud à Grammatico accidit, quòd sit Grammaticus. Secundus est: *Vtrùm musicus, & Coriscus, sint idem, vel diuersum*, & formetur sic: Coriscus est alter à musico: sed Coriscus est musicus; ergo Coriscus est alter à se. Hìc enim committitur accidens sicut priùs. Tertium paralogismum tangit cùm dicit, *& si omne quod est & non semper factum est: quare si musicus ens Grammaticus est factus, & Grammaticus ens musicus*: & formetur sic: Omne quod est, & non semper fuit, est factum: sed musicus est Grammaticus, & non semper fuit; ergo musicus Grammaticus est factus, quod est falsum ex eo, quòd nulla vna generatio terminatur ad esse musicum, & Grammaticum: sed altera ad esse Grammaticum, & altera ad esse musicum. Hìc enim committitur accidens, quia maior est vera de ente per se: minor autem accipit ens per accidens. Et addit quòd *similiter sunt quæcunque aliarum rationum*: tale enim accidens *videtur propinquum quidem non enti.* Ratio huius assignatur, quia sic vnumquodque est ens inquantum vnum est. Ex duobus autem, quorum alterum alteri accidit, non fit vnum nisi secundùm nomen, prout scilicet alterum de altero prædicatur, vt si dicatur homo Grammaticus, vel èconuerso: ita quòd ex eis non fit propriè vnum aliquid, & ideò ens per accidens dicitur non ens, *vel propinquum non enti*: quia igitur scientia Sophistica est apparens, & non existens: maximè versatur circa ens per accidens, vt sic congruè circa non ens ponatur à Platone. Deinde cùm dicit:

Ars Sophistica præcipuè versatur circa accidens.

Vide Scot. super 6. Elen.

Palàm autem & ex huiusmodi rationibus: nam alio modo entium generatio & corruptio. Eorũ verò, quæ sunt secundùm accidens non est.

19 Probat eandem minorem ratione, quæ talis est: Entium realium est generatio & corruptio: sed entis per accidens non est generatio & corruptio; ergo ens per accidens non est ens reale. Dicit ergo, quòd *palàm* supple est intentum *ex huiusmodi rationibus*, quibus supple vtuntur Sophistæ: *nam entium alio modo*, scilicet *quàm per accidens, est generatio, & corruptio: eorum verò quæ sunt secundùm accidens non est*: nam sicut dictum est suprà, non est aliqua vna generatio musici, & Grammatici, sed altera & altera seorsum: entis autem per se est vna generatio, vel corruptio, & ideò ens per accidens quoddammodò dicitur non ens, vel propinquum non enti.

Ex prædictis apparet quòd Philosophus hucusque vbique locutus est de ente per accidens primo modo: tum quia in principio capituli resumit diuisiones entis positas in quinto, ad ostendendum, quòd hìc accipitur ens per accidens quod opponitur enti per se diuiso in decem Prædicamenta; tum quia exemplificat de tali per accidens; nam domus delectabilis est hoc modo ens per accidens, & similiter figura alba, vel nigra, & triangulus lapideus, vel æreus: tum quia tale ens per accidens dicit esse non ens, quod non est ita verũ de ente per accidẽs secũdo modo, vt patebit infrà.

Hactenus de per accidens primo modo.

SVMMARIVM.

Ens per accidens casuale, seu fortuitum explicatur, & ostenditur de eo non dari scientiam. Probat variis exemplis; quæ benè explicat Doctor. Vide eum de effectu casuali in Quodlib. & hìc q. 2. vbi docet, quo sensu scientia sic de ente per accidens, seu casuali. Vide ibi Schol. secundum.

A*ttamen dicendum est ampliùs de accidente, inquantum conuenit, quæ eius natura, & propter quam causam est. Simul enim forsan palã erit, & quare eius non erit scientia.*

Text. com. 5.

20 Postquam Philosophus separauit à consideratione huius scientiæ ens per accidens dictum primo modo, nunc separat ens per accidens dictum secundo modo. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est. Secundò excludit quandam opinionem, per quam remouetur ab entibus per accidens isto modo. Secunda ibi: *Quot autem sint principia.* Prima in duas: Primò proponit intentum. Secundò exequitur de intento. Secunda ibi: *Quoniam igitur sunt.* Proponit ergo tria dicenda de tali ente per accidens, dicens, quòd ampliùs *attendendum est de accidente inquantum contingit*, scilicet tractare de ipso. Primò *quæ sit eius natura.* Secundò *propter quàm causam est*; *simul enim* ex his supple erit tertium manifestum, scil. *& quare eius nõ est scientia.* Deinde cùm dicit:

Prosequitur de per accidens secundo modo.

Quoniam igitur sunt in entibus: hæc quidem semper similiter se habentia, & ex necessitate

ſitate non ſecundùm vim dicta, ſed ſecundùm quod dicimus in non contingere aliter: illa verò ex neceſsitate quidem non ſunt, nec ſemper, ſed quaſi ſecundùm magis. Hoc principium, & hac cauſa eſt eius, quod eſt accidens eſſe.

Exequitur de propoſito. Circa quod facit tria. Primò enim quærit de ente per accidens iſto modo eius cauſam. Secundò eius naturam. Tertiò ex his concludit quòd eius non eſt ſcientia. Secunda ibi: *Quare quoniam.* Tertia ibi: *Quia autem ſcientia.* Prima in duas. Primò oſtendit, quæ ſit cauſa talis entis per accidens. Secundò exponit quod dixerat per exempla ibi: *Quia enim non ſemper.* Dicit ergo primò, quòd *quoniam in entibus ſunt hac* quidem vera ſemper *ſimiliter ſe habentia & ex neceſſitate non ſecundùm vim dicta,* id eſt, non accipiendo neceſſitatē pro violentia: *ſed ſecundùm quam dicimus in non contingere aliter,* id eſt, ſecundùm quam non contingit ſe habere aliter, puta hominē eſſe riſibilē: *illa verò,* id eſt, alia *ex neceſſitate quidē non ſunt, nec ſemper: ſed quaſi ſecundùm magis,* id eſt, vt in pluribus *hoc eſt principium, & hac eſt cauſa eius, quod eſt eſſe accidens:* iſto modo eſt aliquis effectus accidens, vel eueniens vt rarò: ex eo, quia euenit præter intentionem alicuius cauſæ, ad quam comparatur; idcirco contingens, vt in pluribus dicitur cauſa & principium talis entis per accidens, quod euenit vt rarò. Exemplum, quòd ſit calor ſub Cane eſt vt in pluribus: eſt tamen quandoque quod eſt frigus, & hoc frigus ſub Cane eſt quandoque vt rarò, & eſt ens per accidens iſto modo: vt ſic contingens, vt in pluribus dicatur per ſui defectum eſſe cauſa, & principium eius, quod eſt rarò, & ens per accidens iſto modo. Deinde cùm dicit:

Cauſa accidentis ſecundo modo quæ?

21

Quod enim nec ſemper, nec quaſi ſecundùm magis eſt: hoc dicimus accidens eſſe, vt ſi ſub Cane fuerit hyems, & frigus hoc accidere dicimus, ſed non ſi æſtuatio & calor: quia hoc quidem ſemper aut ſecundùm magis, illud verò non: & hominem album eſſe accidit, nec enim ſemper, nec ſecundùm magis: animal verò non ſecundùm accidens. Et ædificatorē ſanitatē facere ſecundū accidēs eſt, quia non eſt hoc natus facere ædificator, ſed medicus: ſed accidit medicum ædificatorem eſſe. Et coquus voluptatem coniectans, facit vtique aliqui ſalubre, ſed non ſecundùm pulmentariam. Quapropter accidēs dicimus, & eſt vt facit, ſimpliciter autem non. Aliorum autem aliæ quandoque potentiæ factiuæ ſunt: horum nec vlla ars, nec potentia determinata: nam ſecundùm accidens entium, aut factorum; cauſa eſt ſecundùm accidens.

Exponit quod dixerat per exempla, dicens, quòd illud *quod nec ſemper, nec quaſi ſecundùm magis,* id eſt, quod frequenter eſt: *hoc dicimus eſſe accidens,* & ponit quatuor exempla. Primum eſt ſecundùm quòd plura ſimul concurrunt per accidens in comparatione ad tempus: ideò dicit, *vt ſub cane,* id eſt, in diebus canicularibus, *ſi fuerit hyems & frigus hoc accidere dicimus: ſed non ſi fuerit æſtuatio,* id eſt, ſiccitas *& calor: quia hoc quidem ſemper aut ſecundùm magis,* id eſt, vt frequenter fit: *illud verò non.* Secundum exemplum eſt ſecundùm quòd plura concurrunt per accidens in comparatione ad ſubiectum: ideò dicit quòd *& hominem eſſe album accidit:* quia hominem eſſe album, *nec eſt ſemper, nec eſt ſecundùm magis, ſed* ſupple homo eſt, *animal non ſecundùm accidens,* quia hoc eſt verum ſemper, & ex neceſſitate. Tertium exemplum eſt in comparatione ad aliquod efficiens; ideò dicit quòd *ædificatorem facere ſanitatem eſt accidens: quia ædificator non eſt natus hoc facere, ſed medicus; accidit autem medicum eſſe ædificatorem:* & per hoc ædificator per accidens inducit ſanitatem, quia non inquantum ædificator, ſed medicus. Quartum exemplum eſt in comparatione ad effectus, dicens, *coquus coniectans,* id eſt, intelligens *voluptatem,* id eſt, delectationem, ſiue ſaporoſitatem in cibo, *faciet vtique alicui ſalubre:* nam cibus ſaporoſus eſt quandoque ſanus: *ſed* tamen hoc *non* facit *ſecundùm* artem *pulmentariam:* talis enim ars per ſe intendit facere cibum ſaporoſum: quod autem ſit ſalubris hoc eſt præter eius intentionem, *quapropter dicimus eſſe per accidens.* Et ſubdit, quòd ſupple coquus faciens cibum ſanum: *eſt vt facit,* ſcilicet ſecundùm quid, *ſimpliciter autem non:* quod enim euenit præter intentionem agentis, euenit per accidens. Ideò ſubdit, quòd *aliorum,* ſcilicet entium quæ ſunt ſemper, vel frequenter, ſunt *quandoque* aliquæ *factiuæ potentiæ,* id eſt, artes, quas potentias reales vocat 9. huius, *horum* verò, id eſt, entium per accidens *nulla eſt ars nec potentia determinata,* ſed ſupple indeterminata, ex eo ſcilicet quòd cauſa & effectus proportionantur; ideò ſubdit, quòd *entium aut factorum ſecundùm accidens eſt cauſa ſecundùm accidens,* vbi nos habemus, coquus. Alia littera habet opſopœos, & eſt idem, quia ὀψοποιὸς coquum ſignificat apud Græcos.

Quod nec ſemper, nec frequenter eſt dicit accidens.

Al. rationales.

Sed his ſic dictis, occurrit dubium: quia ſecundum & tertium exemplum poſitum eſt de ente per accidens primo modo, cùm tamen priùs dictū ſit, quòd hîc agit Philoſophus de ente per accidens ſecundo modo. Reſpondeo, vt dicitur primo Priorum cap. 40. exempla ponimus, non vt ita ſit, &c. & frequenter Philoſophus non multùm curat de exemplis: ſufficit ergo ſibi quòd primum & quartum exemplum eſſet ad propoſitum de ente per accidens ſecundo modo: ita quòd licèt appropriatè, & diſtinctè agat de ente per accidens ſic, vel ſic ſumpto, hîc & ſuprà, ponit tamen exempla mixtim non curando de exemplis. Deinde cùm dicit:

22

Quare quoniam quidem non omnia ſunt ex neceſsitate, & ſemper, aut entia, aut quæ fiunt, ſed plurima ſecundùm magis. Neceſſe eſſe quòd ſecundùm accidens eſt ens, vt nec ſemper nec ſecundùm magis, albus muſicus eſt, quoniam verò ſit aliquando ſecundùm accidens erit.

Agit de natura talis entis per accidens. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum eſt, concludens ex prædictis quæ ſit natura eius. Secundò remouet quaſdam dubitationes. Secunda ibi: *Principium autem.* Prima in duas: quia primò proponit intentum. Secundò probat quoddam ſuppoſitum ibi: *Si autem.* Dicit ergo primò, concludens ex dictis, *quare quoniam quidem non omnia ſunt ex neceſſitate, & ſemper; aut entia, aut quæ fiunt,* id eſt, quantum ad eſſe & quantum ad fieri: *ſed*

ri: *sed sunt plurima secundùm magis*, id est, frequenter: quia inquam sic est, *necesse est quòd ens secundùm accidens nec semper, nec secundùm magis* sit, vel fiat, vt hoc quod dico *albus est musicus: quoniam verò fit aliquando* vt rarò, & non semper, *erit secundùm accidens*. Deinde cùm dicit:

Accidens secundo modo quid?

Si autem non, omnia ex necessitate erunt. Quare materia erit causa contingens prater quam, vt in pluribus aliter accidentis.

23 Probat quoddam suppositum, scilicet quòd ens per accidens sit aliquando: *quia si non, omnia erunt ex necessitate*: quia tunc nullum ens esset in paucioribus; nec vt rarò. Subdit autem, *quòd materia*, scilicet indisposita, *erit causa contingens* ipsius *prater quod vt in pluribus aliter accidentis*; id est, ipsius accidentis vt rarò, quod est aliud ab accidente vt in pluribus.

Notandum, quòd, vt patet ex prædictis, Philosophus loquitur hîc de ente per accidens, prout per accidés non priuat perseitatem in entitate rei secundùm se, sed in comparatione ad aliquam causam, modo præexposito: quia scilicet euenit præter intentionem talis causæ aliud intendentis, nec obstat, quòd dicit hîc materiam, scilicet indispositam, esse causam contingentis in paucioribus: nunquam enim propter materiam indispositam agens deficeret ab intento, si esset virtutis sufficientis. Deinde cùm dicit:

Principium autem hoc oportet sumere, vtrùm nihil est nec semper nec secundùm magis, aut hoc impißibile. Est igitur aliud prater hoc quod vtrunque contingit, & secundùm accidens.

Remouet duas dubitationes, quarum solutiones oportet supponere in proposito, quarum secunda ponitur ibi: *Sed vtrùm*. Est ergo prima dubitatio, vtrùm omnia entia sint per accidens, & nihil sit semper, nec vt frequenter; & soluit quòd non, quia cùm illud quod est vt in pluribus sit causa entis per accidens: oportet esse & illud quod est semper, & illud quod est vt in pluribus. Præmittit ergo quæstionem, dicens, quòd *principium oportet hîc supponere*, id est, solutionem harum quæstionum oportet supponere in proposito, tanquam principium: & subiungit primam quæstionem *vtrùm nihil est nec semper, nec secundùm magis*: sed supple omnia per accidens: & soluit dicens, *aut hoc est impossibile*, propter causam iam dictam: *est igitur quod contingit prater vtrunque*, scilicet præter semper, & præter vt frequenter: & hoc est *secundùm accidens*. Deinde cùm dicit:

Non omnia eueniunt per accidens.

Quare 2. Physic. copiosè hac.

Sed vtrùm hoc quidem vt in pluribus, & quod semper nulli insunt, aut sunt quadam sempiterna. De his quidem igitur posterius perscrutandum.

24 Ponit secundam quæstionem, quam dicit inferiùs, scilicet in duodecimo huius, esse perscrutandam, & est, vtrùm omnia sint possibilia, & nihil sit necessarium, nec sempiternum; ideò dicit, quòd *vtrùm hoc quod est vt in pluribus, & quod semper nulli inest*: ita quòd nihil sit semper: sed omnia sint vt in pluribus, & possibilia, *aut sint quadam sempiterna, de his quidem igitur posterius est perscrutandum*: oportet enim hîc supponere aliqua esse semper: inferiùs enim, scilicet in duodecimo, probabitur aliquas substantias esse sempiternas. Deinde cùm dicit:

Aliter Physicus, & aliter Theologus hic sentit.

Quia aut scientia non est accidentis palàm, scientia namque omnis, aut est eius quod semper, aut eius quod secũdùm magis; etenim quomodo quispiam docebitur, aut docebit alium? Oportebit enim diffiniri, aut per semper, aut per magis, vt quia vtile melicratum febricitanti vt secundùm magis. Quod autem prater hoc non habebit docere, quando puta noua Luna, aut enim semper, aut in pluribus, & quod noua Luna, accidens autem prater hoc.

Tex. com. 6. *Adhuc textum est q. 2. lib. 6.*

Quod quidem igitur est accidens, & propter quam causam, & quia scientia non est eius dictum est.

Ostendit tertium considerandum de tali ente per accidens, concludens quasi ex prædictis quòd entis per accidens non est scientia, & facit talem rationem: Ea quorum est scientia vel sunt semper, vel frequenter: sed ens per accidens nec est semper, nec frequenter; ergo de ente per accidens non est scientia. Dicit ergo, quòd *autem scientia non est accidentis*, id est, entis per accidens, *palàm* enim per istam rationem: *omnis namque scientia aut est eius quod est semper; aut eius quod secundùm magis*: quod probat dicens, *quomodo enim docebitur, aut docebit alium?* quasi diceret quòd non. Vult dicere, quòd aliquis, non potest doceri ab alio, nec docere alium de eo quod non est semper, vel frequenter: *oportet enim diffiniri illud*, supple de quo est doctrina, *aut per semper, aut per magis, vt quia melicratum*, id est, aliquid confectum ex commixtione mellis & aquæ, confert supple *febricitanti, est vt secundùm magis*; & ens determinatum & diffinitum, & in pluribus: *quod autem est prater hoc*, id est, præter illud quod euenit semper, vel frequenter, quale est ens per accidens, *non habebit* aliquis *docere, quando* scilicet fit, vel fiat *puta noua Luna*, id est, quòd sic, vel sic fiat in nouilunio: quia quidem supple determinatur esse in noua Luna, *aut est semper, aut in pluribus: accidens autem est prater hoc*, id est, præter ens semper, & præter ens frequenter. Hæc fuit minor rationis. Vel fortè hoc quod dicitur de noua Luna potest esse aliud exemplum eius, quod determinatur ad esse semper, vel frequenter; puta quòd in nouilunio fit pluuia, vel aliquid huiusmodi. Vltimò epilogat *quid sit accidens*, quantum ad suam naturam: *& per quam causam, & quia eius non est scientia, dictum est*: hæc enim tria de ente per accidens fuerunt proposita, & ostensa suprà.

De ente per accidens secundo modo non est scientia.

SVMMARIVM.

Refutat opinionem tenentem cuiuslibet effectus dari causam necessariam, & omnium quæ fiunt, & corrumpuntur, dari causam per se; quia hinc sequitur tolli contingentiam; quod probat fusè, & per exempla, quod benè explicat Doctor. Ostendit effectum per accidens reduci ad causam per se vltimatè, tamen sæpè eius reductio fit in causam per accidens.

Infert

Infert Doctor ex ipso hinc falli, eos, qui ponebant Fatum.

Tex. com. 7.

Qvòd autem sint principia, & causæ, generabilia & corruptibilia, siue generari & corrumpi palàm.

25

Postquam Philosophus separauit à consideratione huius scientiæ ens per accidens, secundo modo dictum, nunc vt dicebatur excludit opinionem quandam, per quam remouetur ab entibus ens per accidens isto modo. Fuit enim opinio quorundam, quòd ad causam positam necessariò sequitur effectus, cui addendo aliam propositionem scilicet quòd omnium quæ fiunt, & corrumpuntur, est aliqua causa per se; sequitur necessariò quòd nihil sit contingens, vel per accidens: sed quòd omnia eueniant de necessitate; excludendo ergo hanc opinionem, sic procedit, quia primò facit quod dictum est. Secundò ex dictis infert quandam conclusionem. Tertiò mouet quandam quæstionem. Secunda ibi: *Palàm ergo.* Tertia ibi: *Sed ad principium quale.* Prima in duas: quia primò proponit conclusionem, quam intendit. Secundò subiungit conclusionis intentam probationem. Secunda ibi: *Si enim non hoc.* Dicit enim *palàm* esse ex dicendis, scilicet *quòd sint principia & causæ generabilia & corruptibilia,* id est, ponibilia in esse, vel non in esse: *siue generari & corrumpi*, id est, absque hoc quòd effectus ponatur necessariò esse, vel non esse, ita quòd positâ causâ non necessariò ponatur effectus. Deinde cũ dicit:

Non necessariò ponitur quilibet effectus ad positionem causæ etiam per se.

Si enim non hac, omnia ex necessitate erũt; si eius quod fit & corrumpitur non secundum accidens causam aliquam necesse est esse.

Non omnia eueniunt de necessitate.

Probat propositam conclusionem, & intendit talem rationem: Si positâ causâ per se, vel non positâ necessariò ponitur effectus, vel non ponitur: addendo aliam propositionem quòd omnis eius quod fit, vel corrumpitur, sit causa per se, & non per accidens; ergo omnia essent de necessitate: consequens est falsum; ergo & antecedens. In ista consequentia sic procedit quòd primò præmittit eam. Secundò probat eam, Secunda ibi: *Vtrùm enim erit.* Dicit ergo, quòd *si enim non* est verum hoc, scilicet quòd positâ causâ, vel non positâ, non necessariò sit effectus, vel non sit, sequitur quòd *ex necessitate omnia erunt*, *si* supple addatur quòd *eius quod fit, vel corrumpitur, necesse est esse aliquam causam non secundùm accidens, sed per se.* Deinde cùm dicit:

Vtrùm enim erit hoc, aut non: si hoc fiat, erit: si autem non, non. Hoc autem, si aliud erit & ita manifestum, quia semper tempore ablato à finito tempore veniet vsque ad nunc.

26

Probat dictam consequentiam. Circa quod duo facit. Primò ponit probationem consequentem. Secundò declarat eam, inducendo per exempla. Secunda ibi: *Quare hic moritur.* Dicit ergo, quòd supple si quæratur de aliquo *vtrùm hoc erit* futurum *aut non*: sequitur supple ex prædictis, quòd dato antecedente, quòd omne quod fit habet causam per se, quâ positâ necesse est ipsum fieri, quòd alterum sit verum de necessitate: quia *si hoc fiat*, quod scilicet ponitur eius causa, sequitur supple quòd illud fiat, de quo quæritur vtrùm sit futurum: *si autem non, non. Hoc autem si aliud erit*, id est, quòd similiter sequitur quòd necessariò illa causa sit futura: si aliud sit futurum quod ponitur eius causa: *& ita manifestum est quia semper ablato tempore à tẽpore finito, venit vsque ad nunc.* Constat enim quòd quantumcunque tempus futurum accipiatur, siue post vnum annum, siue post quatuor, quòd illud tempus est finitum, inter præsens nunc, & terminum illum. Quia igitur causa præcedit tempore effectum in talibus, oportet quòd procedendo ab effectu ad causam, auferatur aliquid de tempore futuro appropinquando magis ad præsens *nunc*: quia igitur omne finitum resecatur à quodam finito aliquoties sumpto, vt dicitur primo Physicorum, t.c. 47. contra Anaxagoram, sequitur quòd sic procedendo ab effectu ad causam, & iterum ab illa causa ad eius causam, & sic deinceps, auferetur totum tempus futurum, quod ponit finitum: vt sic perueniatur ad præsens *nunc*, & sic ille vltimus effectus eueniet de necessitate. Deinde cùm dicit:

Quare hic moritur infirmitate, aut vi: si exit hoc: aut si facit; sed hoc si aliud; & ita veniet ad quod nunc est. Aut in factorum aliquid, vt si sitit: hoc quidem si comedit mordicantia. Sed hoc aut est, aut non. Quare ex necessitate morietur, aut non morietur. Similiter autem & si supersiliat aliquis ad facta, eadem ratio: iam enim est hoc in aliquo: dico autem factum. Ex necessitate ergo omnia erunt quæ sunt futura, vt moriturum fore viuentem. Iam enim factum est aliquid, vt contraria in eodem corpore. Sed si infirmitate, aut vi, nondum nisi hoc factum fuerit.

Declarat dictam probationem consequentiæ, inducendo per exempla, dicens quia si supple omnis effectus habet aliquam per se causam, ad quam necessariò sequitur, oportet quòd *hic moritur, aut infirmitate, aut vi*, id est, per violentiam *si exit*, scilicet domum suam: ita quòd exitus domus est causa mortis eius, quæ poterit accidere, vel ex infirmitate, puta si exiens domum propter æstum, vel frigus, incurrat in febrem, propter quam moritur; vel ex violentia, puta si exiens domum inuenitur ab inimicis, & occiditur ab eis, ita quòd exitus domus, vt dicitur erit causa mortis huius: *aut si facit*, id est, quòd ex necessitate exibit domum propter aliquam causam, puta quia vult repetere pecuniam à creditore: ita quòd repetitio pecuniæ erit causa exitus domus: *sed hoc si aliud* id est, quòd similiter erit de necessitate, quòd velit repetere pecuniam propter aliam causam, puta propter necessitatem, scilicet propter indigentiam; & ita supple procedendo ab effectu ad causam *veniet ad quod nunc* est, id est, ad aliquod præsens. Aliud exemplum ponitur, quod videtur concordare litteræ sequenti, vt dicatur iste exire domum propter aliam causam, puta, quia vult haurire aquam: sed hoc etiam propter aliam causam, scilicet quia sitit: & sic veniet ad quod nunc est: & est idem quod prius: aut in *aliquid factorum*, id est, præteritorum: *vt si* dicatur quòd iste *sitit*, *quia comedit* in præterito *mordicatiua*, id est, aliqua acuta, vel salsa, quæ inducunt sitim: *sed hoc aut est, aut non*, id est, quòd talis causa

Declaratio exemplaris 1. Exemplum.

2. Exemplum.

Acuta, & mordicantia excitant sitim.

causa antecedens supponitur esse, vel non esse; *quare* sequitur quòd *ex necessitate* iste *morietur, aut non morietur*: ita quòd de necessitate effectus erit futurus, vel non futurus. Addit autem quòd *similiter est eadem ratio*, *si* aliquis supple procedens ab effectu ad causam *supersiliat*, id est, transeat *ad facta*, id est, præterita reducendo, scilicet effectum futurum non solùm ad causam præsentē sed etiam præteritam. Cuius causam subdit, quia *hoc quod dico factum*, id est, præteritum *iam est in aliquo*, id est, quòd iam est secundùm aliquem modum, scilicet inquantum factum, vel præteritum: licèt enim diluuium non sit modò vt in præsenti; est tamen vt præteritum, quia verum est dicere nunc diluuium fuisse. Et sicut iam ponitur aliquo modo causa antecedens, ad quam ex conditionali necessariò sequitur effectus, *ergo ex necessitate erunt omnia quæ sunt futura*: eo modo quo dicimus *viuentem* aliquem *moriturum fore*, scilicet absolutè, quia scilicet *iam factum est aliquid, vt contraria simul esse in mixto*: ad quod necessariò sequitur tale corpus esse corrumpendum: *sed si infirmitate aut vi*, id est, quod iste moriatur propter infirmitatem, vel violentiam, *nondum*, scilicet est necessarium, nec habet causam determinatam necessariam: *nisi hoc factum fuerit*, id est, de qua possit dici quòd iste morietur, nisi talis causa fuerit. Deinde cùm dicit:

Palàm ergo quia vsque ad aliquod vadit principium, hoc autem non ab hoc ad aliud, erit ergo eius quod vtcunque euenit ipsum, & causa generationis ipsius nulla.

28

Infert quandam conclusionem ex prædictis: quia enim ens per accidens dicitur sic per aliquam comparationem ad causam per accidens, esto quod effectus per accidens possit immediatè reduci ad aliquas causas per se, vltima tamen reductio stat ad causam per accidens, quæ vlteriùs in aliam non reducitur. Exemplum, vt iste moritur quia iugulatur; iugulatur autem, quia incidit in latrones: hæc omnia per se eueniunt: vltrà incidit in latrones, quia exiuit domum: hæc est causa per accidens: non enim exiuit propter hoc vt incideret in latrones; & ideò mors huius euenit per accidens. Dicit ergo, quòd *palàm* ex dictis, quia supple reductio effectuum futurorum, & contingentium in suas per se causas *vadit vsque ad aliquod principium*, quod scilicet est causa per accidens: *hæc autem non adhuc ad aliud* supple reducitur, quod scilicet sit eius causa per se: *erit ergo eius quod vtrunque euenit*, id est, effectus fortuiti, & per accidens, *ipsum*, scilicet principium, *& causa generationis ipsius*, scilicet causæ per accidens: *nulla* erit, scilicet causa prior, quæ scilicet sit eius per se causa. Deinde cùm dicit:

Effectus casualis, vel per accidens causam per se & per accidens & statum habet.

Sed ad principium quale, & causam qualem reductio talis?

Tex. com. 8.

Vtrùm vt ad materiam, aut ad quod cuius gratiâ, aut vt ad mouens maximè perscrutandum. Ergo de ente secundùm agens prætermittatur; determinatum est enim sufficienter.

Mouet quandam quæstionem: quia enim statim dictum est quòd causæ entis per accidens reducuntur ad aliquod principium, cuius non est aliqua per se causa: nunc quærit *ad quale principium & qualem causam fiet reductio talis, vtrum ad materiam, aut ad quod cuius gratiâ*, id est, ad causam finalem, *aut vt ad mouens*, id est, ad causam efficientem, *& hoc maximè perscrutandum est*.

29

Notandum, quòd in ista enumeratione prætermittit causam formalem; ex eo quòd incidit in idem numero cum fine, vt dicitur 2. Physic. t. c. 70. & ideò per finem dat etiam intelligere formam. Hanc autem quæstionem hìc soluere prætermittit, supponens solutionem eius, ex 2. Physic. text. com. 50. & circiter, vbi ostensum est casum & fortunam, quæ sunt causæ talium entium per accidens, debere reduci ad causam efficientem. Vltimò epilogat dicens: *ergo de ente per accidens prætermittatur: sufficienter enim determinatum est*, de eo, illo scilicet modo, quo de ipso est possibile determinare.

Notandum, quòd ex sententia Philosophi in loco isto, patet falsam esse opinionem quorundam Philosophorum, ponentium Fatum & Prouidentiam: dixerunt enim quod contingentia, quæ hìc fiunt, & videntur per accidens euenire, reducuntur in aliquam virtutem corporis cælestis, quàm Fatum vocant, per cuius actionem ea quæ videntur fieri per accidens cum quodam ordine producuntur. Similiter qui ponunt prouidentiam dicunt ea quæ hìc aguntur ordinata esse secundùm ordinem prouidentiæ: vult enim hìc Philosophus non omnia quæ fiunt reduci in causam per se, ex qua necessariò sequantur: aliter omnia essent de necessitate, vt isti etiam habent dicere; sed istas opiniones pertractare altioris est negocij; ideo Theologis dimittatur.

Contra ponentes Fatū & prouidentiam.

SVMMÆ SECVNDÆ. CAP. II.

Quomodo excluditur à consideratione huius scientiæ, ens verum.

SVMMARIVM.

Id hoc capite vsque ibi, *Quoniam autem*. Declarat ens verum esse circa compositionem, & diuisionem, & sæpè contradicere falso, & non esse in rebus. Circa quod ponit Doctor bonas notas, & fusè tractat hìc q. 3. Vide ibi Schol. 2. in quo varia eius loca adduco, quibus de hoc agitur. De quo latè egi supplem. De Anima, dis. 3. sec. 7. 8. 9.

30

Qvod autem vt verum ens, & non ens vt falsum: quoniam secundùm compositionem & diuisionem; totaliter verò circa partitionem contradictionis. Verùm quidem enim affirmationem in composito habet: negationem verò in disiuncto. Sed falsum habet partitionis contradictionem.

Postquam Philosophus separauit à consideratione huius scientiæ ens per accidens, nunc separat ens verum. Circa quod duo facit: quia primò inquirit quid sit tale ens. Secundò excludit ipsum à consideratione huius scientiæ. Secunda ibi: *Quoniam autem compilatio*. Prima in tres. Primò enim facit quod dictum est. Secundò mouet quandam

quandam dubitationem. Tertio probat quod dixerat. Secunda ibi: *Quomodo autem.* Tertia ibi: *Non enim verum & falsum.* Supponendo ergo quòd ens dicatur vno modo de vero, & non ens de falso: dicit quasi duo de tali ente; ex quibus potest aliqualiter intelligi quid sit tale ens: primũ dictum est quod tale ens est circa cõpositionem & diuisionem, & hoc siue vocum, siue cõceptuum; licèt differenter. Secundum dictum est, quòd verum & falsum patiuntur sibi contradictionem, quia altera pars est vera & altera falsa. Dicit ergo, *quòd ens dictum vt verum; & non ens, vt falsum: quoniam secundùm compositionem & diuisionem*, id est, habent esse circa compositionem & diuisionem: ita quòd per compositionem intelligitur affirmatio, vbi prædicatum notatur inesse subiecto: per diuisionem verò intelligitur negatio, vbi prædicatum notatur separari & diuidi à subiecto: siue talis compositio, siue diuisio sit in voce, & in oratione, vbi est veritas & falsitas vt in signo: siue sit in conceptibus mentis, vbi est in subiecto, & hoc fuit primum dictum. Et addit propter secundum quòd *totaliter*, id est, vniuersaliter tale ens, vel non ens, quod est verum vel falsum, sunt *circa participationem contradictionis*: nam verum & falsum omnem contradictionem sibi partiuntur, ita quòd altera pars est vera, & altera falsa; vnde subdit quod *ipsum verum habet affirmationem in composito; negationem verò in disiuncto:* sed est oppositum de falso; ideò dicit; quod *falsum habet partitionis contradictionem.*

Verum & falsum & cõditiones eorũ hic pertractat.

Notandum, quòd cùm contradictio constet ex affirmatione & negatione, vt dicitur primo Perihermenias: affimatio & negatio dupliciter possunt sumi, scilicet vno modo, circa terminos coniunctos in re: sicut homo & animal: si igitur ex his terminis formetur vna contradictio, dicendo, *homo est animal, homo non est animal*: tunc affirmatio erit vera, & negatio erit falsa. Alio modo affirmatio & negatio, possunt sumi circa terminos disiunctos in re, vt homo & equus: si ergo ex his terminis formetur vna contradictio, dicendo, homo est equus: homo non est equus, tunc erit èconuerso: quia affirmatio erit falsa, & negatio erit vera: & secundùm hunc modum verum & falsum partiuntur sibi contradictionem: vt dicitur hìc in litera: nam verum & falsum propositionis de quibus nunc est sermo, non possunt esse circa voces & conceptus simplices, sed habent esse circa compositionem & diuisionem, siue affirmationem & negationem, quæ sunt partes contradictionis. Deinde cùm dicit:

Al partionis. C.5. & inde. Affirmatio & negatio duplex.

Quomodo verum & falsũ partiuntur sibi contradictionem.

31 *Quomodo autem quod simul, aut quod separatim intelligere accidit alius sermo. Dico autẽ quod simul, & quod separatim, vt non in eo quod consequenter, sed in vnũ aliquod fieri.*

Mouet quãdam dubitationem: dictum est enim quòd verum & falsum sunt circa compositionem & diuisionem: omnis autem compositio & diuisio debet esse plurium: est ergo dubitatio *quomodò intellectus intelligit* ista plura, quæ componuntur & diuiduntur: *vtrùm simul aut separatim, alius est sermo:* quia hoc magis spectat ad librum de Anima: & exponit dubitationem, in quo etiam innuit solutionem, dicens *dico autem quod simul & separatim, vt non eo quod consequenter, sed in vnum aliquid fieri.*

Notandum, quod *esse simul* quandoque significat vnitatem, vt cùm dicimus aliqua esse simul secundùm tempus, quæ sunt in vno & eodem nũc temporis: quandoque significat quandam propinquitatem eorum quæ consequenter se habent, vt si duo homines dicantur simul esse in loco, quorum loca sunt propinqua & consequenter se habentia. Primo modo intellectus componens, vel diuidens intelligit plura: & non secundo modo, nam si intellectus intelligat hominem & risibile quodlibet seorsum, & secundum se, vt sunt quędam duo: sequitur quòd intelligat ea duobus conceptibus simplicibus, non formando compositionem, vel diuisionem, si autem formet ex eis cõpositionẽ, vel diuisionẽ oportet quòd intelligat ea vt vnum: inquantum ex eis vnum aliquid constituitur: sicut intellectus intelligens partes alicuius totius, intelligit eas, vt vnum inquantum intelligendo eas, intelligit ipsum totum: intelligendo enim hominem, non priùs intelligit pedem, postea manum, postea caput &c. sed intelligit omnes partes simul, vt ex eis vnum aliquid fit: similiter in proposito intelligit simul prædicatum & subiectum, vt ex eis vna affirmatio, vel negatio constituitur. Deinde cùm dicit:

Simul accipitur dupliciter Quod intellectus simul intelligit extrema cõplexionis & generaliter quæcunque componentia intelligendo totum.

32 *Non enim est verum & falsum in rebus, vt quod quid verum bonum: quod autem malum falsum, sed in mente. Circa verò simplicia, & quod est, nec in mente est: ergo quæcunque oportet speculari circa sic ens, & non ens posterius perscrutandum.*

Probat quod dixerat, scilicet quòd verum & falsum sunt circa compositionem & diuisionem, quod probat per quandam diuisionem, dicens: quòd *verum & falsum non sunt in rebus, vt quod quidem bonum verum: quod autem falsum malum*, id est, quòd non sunt in rebus, sic intelligendo quòd verum sit quoddã bonum, quatenus verum perfectionem quandam dicit, & falsum sit quoddam malum quatenus falsum dicit defectum quendam: non ergo sunt in rebus, *sed in mente*, id est, in intellectu, *circa verò simplicia & quid est nec in mente est*, id est, quòd cùm intellectus habeat duas operationes, vnam qua intelligit simplicia, & quid est: aliam qua componit, & diuidit, & intelligit complexa: non tamen verum & falsum est circa primam operationem: quia intellectus intelligit simplicia & quid est, sed circa secundam: relinquitur ergo per locum à diuisione quòd ex quo verum & falsum non sunt in rebus, nec in mente circa primam operationem, quòd sint circa secundam, quæ est compositio, vel diuisio mentis, & hoc principaliter; consequenter sunt circa compositionem & diuisionem vocis, quæ est signum mentis: addit autem, quòd *quæcunque oportet speculari circa ens & non ens sic* acceptum *posterius perscrutandum est*, scilicet in aliis libris: aliqua enim dicuntur de tali ente, 9. huius text. c. 21. & inde, cap. vlt. & aliqua tertio de Anima, text. c. 21. & inde, & multa alia in libris Logicalib.

Non in rebus sed in intellectu sunt verum & falsum.

SVMMARIVM.

Ens verum, sensu explicato, non considerari ab hac scientia, alio tamen sensu consideratur ab ea; de quo optimè Doct. agit hìc q. 3. Vide ibi Schol. 2. Epilogat dicto hoc libro de ente per accidens, & ente vero.

Ad hunc textum est q. 3. lib. 6.

QVoniam autem complexio & diuisio est in mente & non in rebus. Quod autem ita ens alterum ens à propriis: aut quia quid est, aut quia quale, aut quia quantum, aut si quod aliud copulet aut diuidat mens.

De ente vero Physica non considerat. 33

Excludit tale ens à consideratione huius scientiæ: & intendit talem rationem: Ens de quo considerat ista scientia, est ens reale extra animam: sed ens verum non est huiusmodi, ergo &c. Dicit ergo quòd *quoniam complexio & diuisio* de qua nunc est sermo, *est in mente & non in rebus*; ideò sequitur quòd *ita ens*, id est, tale ens *est alterũ ens à propriis*, id est, ab his quæ sunt propriè entia & extra animam, de quibus Metaphysicus considerat: hoc autem ens reale est quod *quid est*, id est, substantia, *aut quia quale*, *aut quia quantum, aut si quid alind copulat mens aut diuidit*: intellectus enim componit, vel diuidit entia realia vt sunt concepta, & intellecta apud ipsum. Tunc sequitur illa pars.

Ad hunc textum est, q. 4. lib. 6.

Quia quidem vt accidens; & quod vt verum ens prætermittendi, causa enim huius quidem indefinita, illius verò mentis aliqua passio, & vtraque circa reliquum genus entis & non extra: ostendunt autem aliquam naturam entis Quapropter ea quidem prætermittantur. Perscrutandæ verò sunt ipsius entis causæ, & principia inquantum ens. Palam autem in quibus determinauimus de quoties vnumquodque dicitur, quia multipliciter dicitur ens; significat enim hoc quod quid est.

Epilogus.

Vbi epilogat circa prædicta in isto cap. & in præcedenti, ostendens quòd ens per accidens, & ens verum, sunt extra considerationem huius scientiæ, & postea continuat se ad dicenda. Dicit ergo, quòd *ens quidem vt accidens, & ens vt verum est prætermittendum*, & subdit causam dicens: *quod huius*, scilicet entis per accidentis, est causa *indefinita*, id est, indeterminata, & ideò non cadit sub arte, vt dictum fuit suprà, *illius verò*, id est, entis veri *est*, scilicet *aliqua* causa *mentis passio*, id est, operatio intellectus componentis, & diuidentis, & ideò non est ens reale. Tangit etiam vnam rationem communem vtriusque, dicens quòd *vtraque*, scilicet tam ens per accidens, quàm ens verum ostendunt, *vel sunt circa reliquum genus entis* ab ente per se, *& non extra, ostendunt aliquam naturam entis*, ens etiam per accidens, vt sic non dicit aliquam naturam entis, quòd sit ens per se vnum extra intellectum; licèt quælibet eius pars sit ens per se, loquendo de ente per accidens in comparatione ad causam à qua sic dicitur, non est ens per se extra, quatenus euenit præter intentionem talis causæ, subdit autem, *quapropter* quia sic est, *ea quidem*, scilicet talia entia, *prætermittantur*: & continuat se ad dicenda, dicens quòd *perscrutanda sunt principia & causæ entis per se*, inquantum ens, scilicet quod est ens per se, de quo *palam* est *in quibus determinauimus de quoties*, id est in 5. libro, quem nominat librum de quoties: ex eo, quia ibi distinxit intentiones & significationes nominum, quoties dicantur; ibi enim vbi determinatum est quoties vnumquoque dicitur: dictum fuit quia *ens multipliciter dicitur*, sicut patet in cap. de Ente, & hoc modo prosequitur in principio septimi, vt patebit.

Nec ens verũ nec ens per accidens inquantum tale est reale.

Continuat dicta. dicẽdis. Quare lib. 5. dicitur quoties? Text. co. 13. & inde,

LIBER SEPTIMVS.

IN hoc libro incipit agere de præcipuo huius scientiæ subiecto, nempe de substantia; quia hæc est præcipuum ens, & ideò præcipuè in hac scientia consideratur; quòd verò sit primum ens in prima parte capitis primi dupliciter probat: à primitate productionis, scilicet, & causationis. Prima ergo Summa huius libri proponit de substantia tractandum esse. Secunda tractat.

SVMMA PRIMA.

De substantia agendum esse cùm sit primum entium.

CAPVT I.

Substantiam multis modis esse primum omnium entium.

1 Text. com. 1.

ENS multipliciter dicitur, sicut diuisimus in his quæ de quoties. Significat enim hoc quod quid est, & hoc aliquid: illud verò quod quale, aut quantum, aut aliorum vnumquodque sic prædicamentorum.

Text. com. 2.

Toties autem ente dicto palàm: quia horum primum ens est, quod quid est, quod significat substantiam.

Continuatio, & ratio ordinis.

Postquam Philosophus determinauit, & exposuit ea, quæ se tenent ex parte considerationis huius scientiæ, quæ est sapientia (nam in quarto declarauit ambitum eius, ostendens ad quæ se extendit consideratio Metaphysicâ; & in quinto distinxit intentiones nominum, quæ subsunt considerationi huius scientiæ; & in sexto descripsit proprium modum considerandi in hac scientia. Ex quibus omnibus potest colligi solutio quæstionũ disputatarũ in tertio, tenentium se ex parte considerationis huius scientiæ) nunc in septimo incipit

incipit determinate de rebus, quæ subsunt considerationi huius scientiæ. Ex quibus potest colligi solutio quæstionum ibidem disputatarum, tenentium se ex parte rerum consideratarum.

Scientia quilibet considerat principaliter tria.

Ad cuius euidentiam notandum, quòd, sicut iam dictum est in quarto, & quinto, quælibet scientia versatur circa tria in genere, scilicet circa subiectũ, & circa passiones subiecti, & circa principia. Secundum hoc ergo totum hoc, quod sequitur in toto libro Metaphysicę diuiditur in tres partes: quia primò de ente, quod est subiectum primũ huius scientiæ. Secundò de vno & de aliis passionibus entis inquantum ens. Tertiò de primis principiis entis inquantum ens. Secunda in principio 10. *Vnum quia multis modis*, Tertia in principio 12. *De substantia quidem Theoria.* Vel in principio 11. *Quia quidem igitur sapientia circa principia.* Prima in duas: quia primò determinat de ente, vt diuiditur in decem Prædicamenta. Secundò vt diuiditur per potentiam & actum: hoc enim duplici modo diuiditur ens: vt patet in quinto huius cap. de ente. Secunda in principio 9. text. com. 13. & inde. *De primo igitur ente.* Circa primum duo facit: Primò præmittit quandam conclusionem quàm principaliter intendit. Secundò exequitur de intento. Secunda ibi: *Dicitur autem substantia si non multiplicius.*

Conclusio principalis huius 2. quòd Metaphysica principaliter agit de substantia.

Conclusio quam intendit est ista: quòd cùm Metaphysica intendat de ente inquantum ens, & per consequens de omni ente; principaliter tamen intendit de substantia: & secundùm hoc hæc pars diuiditur in duas: quia primò præmittit & probat dictam conclusionem. Secundò dat ordinem procedendi circa ipsam. Secunda ibi: *Videtur autem substantia existere.* Prima in duas secundùm quod dupliciter probat dictam conclusionem. Primò quidem per rationem, & à rei veritate. Secundò à rei iudicio, siue ab auctoritate, & consuetudine antiquorum. Secunda ibi: *Et quod olim & nunc.* In prima parte intendit talem rationem: Substantia est primum ens in genere entium; ergo Metaphysicus de substantia principaliter intendit: consequentia est euidens: quia quod est prius in aliquo genere principaliter intenditur in illa scientia, quæ est de illo genere: quia ergo Metaphysicus considerat de ente inquantum ens, sequitur quòd principaliter intendit de substantia; si substantia sit primum ens. Circa hanc ergo rationem sic procedit: nam primò præmittit antecedens. Secundò ipsum probat. Tertiò ipsum exponit. Secunda ibi: *nam quando dicimus.* Tertia ibi: *Multipliciter quidem agitur.*

Primitatem substantia respectu aliorũ ostendit.

Dicit ergo, quòd *ens dicitur multipliciter sicut diximus in his, quæ de quoties*, id est, in quinto libro, vbi ostensum est quoties huiusmodi nomina dicuntur, *enim* pro quia, hoc scilicet ens *significat quod quid est, & hoc aliquid*, id est, substantiam: *illud verò quod quale, aut quantum, aut aliorum vnumquodque sic Prædicamentorum: totiens autem ente dicto*, id est, cum ens totiens dicatur *palàm*, scilicet ex dicendis: *quia horum primum ens est, quod quid est, quod significat substantiam.* Deinde cùm dicit:

2

Nam quando dicimus quale quid hoc: aut bonum dicimus, aut malum: sed non tricubitum, aut hominem: quando verò quid est: nec album, nec calidum, nec tricubitum, sed hominem aut Deum.

Primitas duplex, prædicationis, & causationis.

Probat dictum antecedens dupliciter. Primò ex primitate prædicationis. Secundò ex primitate causationis siue causalitatis. Secunda ibi: *Alia verò dicuntur.* In prima parte intendit talem rationem: Prædicatum simpliciter in quid est prius quàm prædicatum in quale quid, vel quàm qualitas, vel quantitas: sed substantia est prædicatum simplex in quid: alia autem in quale quid, vel inquantum quid; & sic de aliis, ergo &c. Maior patet, quia simplex prius est, quàm compositum: prædicatum autem in quid est simplex respectu prædicati in quale quid, vel quantum quid: de ista ratione solùm tangit virtutem dicens quòd supple manifestum est: substantiam esse primum ens: *nam quando dicimus* de aliquo *quale quid sit, hoc dicimus aut bonum, aut malum*, quod scilicet significat qualitatem, *sed non tricubitum*, id est, quantitatem *aut hominem*, id est, substantiam: & ideò supple quando dicimus quale est, aut quid non dicimus tricubitum aut hominem: *quando verò* dicimus de aliquo *quid est: nec* supple ipsum esse *album, aut calidum dicimus*, quæ significant qualitatem: *nec tricubitum*, quod significat quantitatem, *sed hominem aut Deum*, quæ substantiam significant.

Al. minorem.

Vnde patet ex his, quod substantia est prædicatum simplex in quid: alia autem entia sunt prædicata complexa, scilicet in quale quid, aut inquantum quid, &c.

Al. composita.

Quare substãtia est prædicatum simplex, accidens verò compositum.

Ratio huius est, quia accidens prædicatur de substantia denominatiuè & in concreto: concretum autem accidentis includit duo, scilicet ipsum subiectum, ratione cuius dicit quid. Includit etiam ipsam formam accidentis, ratione cuius dicit quale, aut quantum, & huiusmodi: & propter hoc dicuntur prædicari in quale quid, vel inquantum quid. Deinde cùm dicit:

3

Alia verò dicuntur entia, eo quòd taliter entis: hæc quidem qualitates esse illa verò quantitates, alia passiones, alia aliud quid tale.

Substantia est causa omniũ accidentium in genere entis.

Ponit secundam rationem sumptam ex primitate causalitatis, quam intendit talem: Illud quod est causa alterius in aliquo genere est prius eo in illo genere: quia causa prior est causato: sed substantia est causa omnium accidentium in genere entis, ergo substantia erit primum ens respectu aliorum de illa ratione solum ponit minorem vbi est virtus rationis. Circa quam sic procedit, quia primò proponit eam. Secundò probat eam à quodam signo ibi; *Vnde & vtique.* Dicit ergo, quòd *alia*, scilicet entia à substantia, *dicuntur entia inquantum taliter vel* totaliter *entis*, id est, inquantum habent habitudinem ad tale ens, quod est substantia, vt ad causam: *hæc quidem quantitates esse: ista verò qualitates: alia passiones aut aliquid aliud tale:* omnia enim huiusmodi sunt talis entis, id est, substantiæ, vel quantitates, vel qualitates, &c. vt sui subiecti & causæ propriæ.

SVMMARIVM.

Probat substantiam esse priorem accidente, quia hoc nequit separari à substantia: nam de se est aptum alteri inesse; ideò negat separari posse à substantia, nõ quod hæc secũdùm ipsum, sit de essentia accidentis; sed quia posuit ordinẽ causarũ necessariũ, de quo fusè Doct. 4. d. 12. q. 1.

Ad hunc textum est quæst. 1. lib. 7.

VNde & dubitabit aliquis, vtrum vadere & sanare, & sedere vnumquodque ipsorum sit ens aut non ens: similiter autem & in aliis talibus nihil enim ipsorum est, nec secundum se aptum natum, nec separari possibile à substantia: sed magis siquidem vadens entium aliquid est, & sedens & sanans. Hæc autem magis apparent entia, quia est aliquid subiectum ipsis determinatum, hæc autem est substantia, & vnumquodque quod quidem in categoria tali apparet, bonum enim aut sedens non sine hoc dicitur. Palàm ergo quia propter eam & illorum singula sunt.

Text. com. 5.

Quare primum ens, & non aliquid ens, sed ens simpliciter substantia vtique erit.

Probat quod dixerat à quodam signo dicens, *vnde* quia supple sic est, quòd talia sunt entia substantiæ modo prædicto. Ex hoc vtique *dubitabit aliquis vtrum vadere, & sanare & sedere vnumquodque ipsorum sit ens: similiter autem & in talibus*, sumptis in abstracto pro quanto, vt sic non significant cum habitudine, vel dependentia ad substantiam. Et ideò est fortè dubium apud aliquem vtrùm sint entia vel non: sic accepta in abstracto: cuius causam subdit, *quia nihil ipsorum est*, de facto: *nec est secundùm se aptum natum: nec possibile separari a substantia:* quia vnumquodque eorum est natum alteri inesse, & propter hoc quando sumuntur in abstracto: ac si essent à substantia separata, videntur non esse entia; & propter hoc entia accepta in concreto magis videntur esse entia; ideò subdit, quòd *magis siquidem est aliquid ens entium sedens & sanans*, quæ sunt accidentia accepta in concreto: *hec autem magis apparent entia, quia est aliquod subiectum eis determinatum: hoc autem est substantia*; & ideò vnumquodque talium accidentium in concreto, *quod quidem in tali categoria apparet*, id est, videtur importare & includere prædicamentum Substantiæ: Etenim pro quia, *bonum aut sedens*, quæ sunt accidentia concreta: *non hoc dicitur*, id est, substantia: licèt enim accidens concretum, quantum ad principale significatum, significet solam formam accidentis; nam album solam qualitatem significat, vt dicitur in Prædicamentis, cap. de Substantia, nihilominus tamen connotat subiectum cui inest; & ideò non dicitur sine hoc, id est, sine subiecto, quod est substantia: quia ergo sic *est palam: quia propter eam*, id est, propter substantiam, *sunt singula aliorum: quare* sequitur vlterius, quid *substantia erit vtique primò ens, & non aliquid ens*, id est, non ens secundùm quid, & propterea 5. Physic. text. com. 7. generatio in substantia dicitur simpliciter generatio: alteratio autem generatio secundùm quid.

Concreta accidentiũ videntur magis entia quam eorum abstracta. Vide q. 1. huius 7. in Scoto.

Al. illorum.

Al. primum.

Expositio notabilis. Vide 12. d. 4. q. 1

Notandum, quòd Philosophus hîc in litera, & alibi frequenter asserit, quòd accidens non potest esse sine subiecto: dicit enim quòd nihil ipsorum est, nec aptum natum, nec possibile separari à substantia: non quidem quia ponit subiectum de essentia accidentis: immò ex eis constituitur ens per accidens; nec quia de essentia accidentis absoluti ponit habitudinem, vel respectum quemcumque ad subiectum, quia esset contradictio, quòd per se in ratione absoluti includatur aliquis respectus, tunc enim esset absolutum & non absolutum: sed tantummodò hoc asserit Philosophus, quia ponit ordinem causarum simpliciter necessarium ita quòd prima causa non potest causare causatum secundæ causæ sine causa secundæ subiectum autem habet aliquam causalitatem respectu accidentis, loquendo de naturali ordine causarum, & ideò sine ista causa posita in ordine suæ causalitatis, negaretur à Philosopho accidens esse, & pro tanto 1. Physic. text. com. 39. dicitur contra Anaxagoram quòd intellectus quærens segregationem passionum à substantiis, erit quærens impossibilia; sed non est impossibile quòd includat aliquid repugnans primæ rationi, siue quiditati accidentis absoluti, etiam secundùm mentem Aristotelis nam 4. Physic. cap. de vacuo, text. com. 58. quærit istam quæstionem: si esset spatium in quo tantum esset color, aut sonus, vtrum illud esset vacuum: si autem ex prima intelligentia eius, quod est colorem esse intelligeret ipsum esse in subiecto: cùm subiectum eius non possit esse nisi corpus, tunc ex intellectu positi haberetur corpus ibi esse, & corpus ibi non esse, & ita ista hypothesi posita respondendum esset statim quod spacium illud esset vacuum, & non vacuum, & sic quæstio esset nulla.

Quare Philosophus dixit accidens non posse separari à substantia.

SVMMÆ PRIMÆ.

CAPVT II.

Probat variam primitatem substantiæ, & variæ de substantiis opiniones referuntur.

SVMMARIVM.

Probat substantiam esse primum ens tempore, cognitione, & diffinitione. De prima parte huius conclusionis habet Doctor hîc quæst. 2. & de aliis duabus, alias duas sequentes quæstiones, in quibus rem optimè explicat. Vide ibi q. 2. Scholium tertium, hîc & ibi ad mentem Philosophi *prius tempore* explicat Doctor, per esse separabile ab accidente, quod est esse prius ipso natura.

MVltipliciter quidē igitur dicitur ipsum primum, sed substantia omnium primum ratione, & notitia, & tempore, & natura.

5 Ad hũc text. est q. 2. & 4. lib. 7.

Postquam Philosophus probauit substantiam esse primum ens, quod fuit antecedens principalis rationis; nunc exponit illud antecedens, qualiter, scilicet substantia sit primum ens, & qua primitate. Circa quod duo facit: quia primò proponit intentum. Secundò probat ipsum. Secunda ibi: *Aliorum enim.* Ponit ergo tres conclusiones postea probandas, scilicet quòd substantia est primũ ens triplici primitate, dicens, quòd *multipliciter quidem dicitur, quod primum*, id est, quod primum dicitur multis modis, vt patet ex 5. huius cap. de principio, text. com. 1. *sed substantia* est *primum omnium*, supple entium *ratione*, id est, diffinitione, & *notitia*, id est, cognitione, & *tempore*, Deinde cùm dicit:

Primitas substantiæ respectu aliorum est triplex.

Aliorum

Aliorum enim categorematum nullum est separabile: hæc autem sola separabilis est.

Substantiã est primum primitate temporis.

Probat propositas conclusiones: circa quod tria facit: quia primò probat substantiam esse primum ens primitate temporis. Secundò probat substantiam esse primum ens primitate diffinitionis. Tertiò probat substantiam esse primum ens primitate cognitionis. Secunda, ibi: *Et ratione.* Tertia ibi: *Et scire.* In prima parte probat hanc conclusionem, quòd substantia est primum omnium entium tempore, tali ratione: Illud quod est separabile ab aliquo, & non èconuerso, est prius eo secundùm tempus: sed substantia est huiusmodi respectu omnium aliorum entium ergo substantia est primum omnium entium secundùm tempus. Dicit ergo, quod *aliorum categorematum,* id est, Prædicamentorum, *nullum est separabile,* scilicet à substantia: *hæc autem sola,* scilicet substantia *est* supple *separabilis* ab aliis. Deinde cùm dicit:

6 Ad hunc text. est q. 3. lib 7.

Et ratione hoc primum, necesse enim in vniuscuiusque ratione substantiæ, rationem esse.

Prioritas diffinitionis.

Probat secundam conclusionem, scilicet quòd substantia est primum omnium entium diffinitione, & intendit talem rationem: Illud quod ponitur in diffinitione alterius; & non èconuerso, est prius illò diffinitione: sed substantia est huiusmodi respectu omnium aliorum entium; ergo substantia est primum omnium entium diffinitione. Ideò dicit, quòd *& hoc,* scilicet substantia *est primum* omnium aliorum *ratione,* id est, diffinitione: etenim pro quia: *necesse est in ratione vniuscuiusque esse rationem substantiæ.*

Diffinitio & diffinitum sicut & nomẽ & ratio sunt idem.

Notandum, quòd diffinitio & diffinitum sunt perfectè idem; ideò vbi ponitur vnum, potest etiam poni reliquum; quia igitur substantia ponitur in diffinitione accidentis, similiter potest poni diffinitio substantiæ, accipiendo rationem pro nomine: ideo ait Aristoteles quòd necesse est in ratione vniuscuiusque poni substantiæ rationem. Deinde cùm dicit:

Scire autem tunc singula maximè putamus, quando quid est homo cognoscimus, aut ignis, magis quàm cùm quale, aut quantum, aut vbi: quoniam tunc horum eorumdem singula scimus, quando quid est ipsum quale, aut quantum scimus.

Prioritas cognitionis.

Probat tertiam conclusionem, scilicet quòd substantia est primum omnium entium cognitione, & intendit talem rationem: Illud est prius cognitione, quod est magis notum & magis rem notificat: sed substantia est huiusmodi respectu omnium aliorum entium; ergo &c. Minorem ostendit in littera, dicens quòd *scire etiam singula, tunc maximè putamus, quando cognoscimus cuiuslibet substantiam, puta quid est homo, aut quid est ignis, quàm* supple quando cognoscimus *quale, aut quantum, aut vbi* est, *quoniam* pro quia, *tũc etiam horum eorundem,* scilicet accidentium *singula* maximè *scimus quando, scimus quid est ipsum quale, aut ipsum quantum.*

Cognitio sequitur rei entitatem.

Notandum, quòd res eo modo quo est ens, est intelligibilis & cognoscibilis, cùm ens sit obiectum primum intellectus: quia igitur alia Prædicamenta non sunt entia nisi per substantiam, & quia taliter entis, ideò dicuntur cognosci propriè, inquantum aliqualiter participant modum cognitionis substantiæ: quod est cognoscere quid est vnumquodque, puta quid est quale, aut quid est quantum. Ex quo patet, quòd substantia est primum cognitum primitate perfectionis, vt dicetur. Deinde cùm dicit:

Text. com. 5. 7

Et quod olim, & quod nunc, & quod semper quæsitum, & semper dubitatum est quid ens: hoc est quæ substantia: hoc enim hi quidem vnum esse dicunt: illi verò plura quàm vnum, & hi quidem finita, illi verò infinita. Quapropter nobis maximè, & primum, & solùm, vt est dicere de sic ente speculandum quid est.

Probat, vt dicebatur, cõclusionem principalem intentam à rei iudicio, siue ab auctoritate, & consuetudine antiquorum, dicens, quòd illud *quòd olim* quantum ad præteritum, *& nunc* quantum ad præsens, *& semper quæsitum & semper dubitatum est,* supple apud antiquos Philosophos *quid sit ens, hoc est quid substantia,* id est, nihil quærebant, nec dubitabant nisi de substantia: *hoc enim,* scilicet ens quod est substantia, *hi quidem dicunt esse vnum, illi verò plura quàm vnum,* & inter illos, qui ponebant plura, *hi quidem finita: illi verò infinita:* secundùm diuersas opiniones de principiis rerum pertractatas in primo libro: quæ principia ponebat rerum substantias, & ideò tractantes de ente ad solas substantias intendebant, & quidam illud principium, & substantiam rerum ponentes vnum tantùm, vt Thales & Anaximenes; quidam plura, quorum aliqui ponebant illa plura finita: vt Empedocles, aliqui infinita, vt Anaxagoras & Democritus. Vltimò cùm dicit. *Quapropter nobis & maximè,* ex antecedente probato concludit conclusionem principaliter intentam, dicens, *quapropter quia* supple sic est, quòd substantia est primum ens, *ideò nobis pescrutandum est maximè & primum,* id est, principaliter, *& solùm, vt est dicere de sic ente,* id est, de substantia, quid est.

Al. quæ substantia.

Varia opiniones de substantia

Licèt principaliter substantiam, non tamen solam cõsiderat Metaphysica.

Notandum, quòd licèt Metaphysica maximè & principaliter consideret de substantia, vt hîc dicitur, & dictum fuit in 4. huius circa principium; non tamen solùm nec præcisè considerat de substantia, cùm sit de toto ente, & ideò signanter ait Aristoteles: *solùm, vt est dicere de sic ente:* hoc enim, quod dicitur, *vt est dicere,* est additio diminuens, qua additione solemus vti in his, quæ non habent omninò veritatem. Tunc sequitur illa pars.

SVMMARIVM.

Manifestum est dari substantias sensibiles; & ponit varias sententias de substantiis separatis, de quibus dictum est libro primo, & plus dicetur lib. 12.

8

V*Idetur autem substantia inexistere manifestißimè quidẽ corporibus; vnde animalia, & plantas, & eorum partes substantias esse dicimus: & naturalia corpora, vt ignẽ, & aquam, & terram, & talium singula, & quæcunque,*

cunque, aut partes eorum, aut ex his sunt, aut partibus, aut omnibus, vt cælum & partes eius vt astra, & Luna, & Sol.

Vbi postquam Philosophus probauit intentam conclusionem, dat modum procedendi circa ipsam. Circa quod tria facit. Primò ostendit de substantia quid manifestum sit. Secundò quid dubium sit. Tertiò quid dicendum sit, declarans ordinem procedendi. Secunda ibi: *Vtrùm verò hæ.* Tertia ibi: *De his igitur.* Dicit ergo quòd *substantia quidem manifestissimè existere videtur in corporibus*; & ideò substantiam esse manifestum est, *Vnde animalia, & plantas, & eorum partes substantias esse dicimus, & similiter alia naturalia corpora, vt ignem, aut aquam, aut terram, & singula talium*; quod dicit propter opinionem quorundam, qui, vt dictum fuit in primo libro, ponebant elementa media. Et etiam dicimus substantias, *quæcunque* sunt *aut partes eorum* scilicet elementorum, vt lapis, &c. particularia mixta: *aut ex omnibus*, vt tota sphæra actiuorum & passiuorum. *Iterum cœlum*, quod est alterius naturæ ab elementis, *& partes eius, puta astra, & Sol*, supple dicimus esse substantias naturales. Deinde cùm dicit:

Hic Al. potest poni, sed hic intelligitur de substãtia quid manifestum sit ostendit.

9

Vtrùm verò hæ solæ substantiæ sunt, aut & aliæ aut horum quidem nulla: alteræ autem quædam perscrutandum.

Ostendit quid dubium sit circa substantiam & facit duo: quia primò proponit dubium. Secundò exponit ipsum ex diuersitate opinionum. Secunda ibi: *Videntur autem quibusdam.* Dicit ergo, quòd licèt manifestum sit sic esse substantias naturales. *Vtrùm verò solæ sint substantiæ*, vt posuerunt antiqui Naturales, *aut & aliæ*, vt dixerunt Platonici: *vel etiam horum quidem nullum*, supple sit substantia: *altera autem quadam* ab istis scilicet sint substantiæ *perscrutandum* est, scilicet tanquam dubium quoad præsens. Deinde cùm dicit:

De substantia quid dubium sit inuestigat.

Videntur autem quibusdam corporis termini, vt superficies, & linea, & punctus, & vnitas esse substantiæ magis quàm corpus & solidum. Amplius præter sensibilia: hi quidem non opinantur esse aliquid talium: illi verò plura, & magis entia sempiterna, vt Plato species ipsas, & Mathematica, duas substantias. Tertiam verò sensibilium corporum substantiam: sed Speusippus plures substantias ab vno inchoans, & principia cuiuslibet substantiæ esse dixit; aliud quidem numerorum; aliud magnitudinum, deinde animæ, & hoc modo protendit substantias. Quidam verò species & numeros eandem dicunt habere naturam: alia verò lineas & superficies vsque ad primam cœli substantiam, & sensibilia, secundas asserunt substantias esse.

Exponit propositum dubium ex diuersitate opinionum dicens, quòd *quibusdam videntur corporis termini, vt superficies, & linea, & punctus, & vnitas esse magis substantiæ quàm corpus & solidum*, vt dictum fuit in 3. huius. *Amplius* supple ista opinio bifurcatur: quia *hi quidem*, scilicet Pythagorici *non opinantur aliquid talium esse præter sensibilia, vt Plato ponens ipsas species*, vel ideas, *& Mathematica duas species*, id est, duos ordines substantiarum separatarum. *Tertiam verò substantiam ponit corporum sensibilium*: Ex hoc ergo quòd illa entia sunt separata per consequens ponebat ea magis entia quàm sensibilia, quæ sunt corporalia: quia verò ponebat duos ordines illorum entium, scilicet ideas & Mathematica intermedia: vnum autem tantùm ordinem sensibilium: ideò ponebat illa esse plura sensibilibus. *Speusippus verò* qui vt dicitur fuit successor Platonis, & nepos eius filius sororis, posuit *plures substantias*, id est, ordines substantiarum, *inchoans ab vno*, id est, in vnoquoque ordine ponens vnum principium omnium substantiarum illius ordinis; & sic ponens principia cuiuslibet substantiæ supple primò ipsas ideas. *Aliud quidem* principium posuit *numerorum*, quos post ideas ponebat substantias primas; *aliud magnitudinum*, quas ponebat substantias secundas; *deinde*, supple ponebat substantiam *animæ, & hoc modo protendit substantias*, id est, ordinem substantiarum supple vsque ad corpora corruptibilia. *Quidam verò*, supple differentes à Platone, & Speusippo, *dicunt species*, id est, ideas, *& numeros habere eandem naturam*: & sic non distinguebant inter ideas & primum ordinem Mathematicorum, scilicet numerorum: *Alia verò omnia dicunt esse habita*, id est, consequenter se habentia ad numeros, puta *linea & superficies vsque ad primam substantiam cœli, & alia sensibilia*, quæ in vltimo ordine ponebant: sic ergo ex diuersitate istarum trium opinionum patet, quid dubium sit circa substantias ipsas. Deinde cùm dicit:

Antiquorum varia opiniones de substãtiarum varietate.

Speusippus successor Platonis.

10

Text.com.6.

De his igitur quid dicitur benè, aut non benè, & quæ sunt substantiæ, & vtrùm aliquæ sunt præter sensibiles, aut non sunt, & istæ quomodo sunt? Et vtrùm est aliqua substantia separabilis, & quare & quomodo, aut nulla præter sensibiles, Perscrutandum cùm descripserimus priùs substantiam quid est.

Text.com.7.

Ostendit quid sit circa ipsam substantiam dicendum, declarans ordinem procedendi dicens, quòd *de his igitur*, scilicet de prædictis, *quid dicitur benè, aut non benè, dicendum est*: iterùm *quæ sunt substantiæ, & vtrùm* supple Mathematica, & ideæ *sunt aliqua substantia præter sensibiles, aut non sunt, & istæ* dato, quòd sint substantiæ, *quomodo sunt*, id est, quem modum essendi habent, etsi supple ista Mathematica, & ideæ non sunt præter substantias sensibiles, *vtrùm est aliqua substantia separabilis*, scilicet secundùm esse, *& quare aut quomodo, aut nulla* est substantia *præter sensibiles: hoc quidem perscrutandum est*, scilicet 12. lib. & vltrà, *cùm primò descripserimus substantiam*, scilicet sensibilem *quid est*: quod facit in hoc septimo, & octauo huius.

Ordo dicendorũ de substantia assignatur hic.

SVMMA SECVNDA

De ipsa Substantia pertractatur.

Ponit diuisionem substantiæ in quatuor

tuor membra, & coincidit cum eius diuisione; in primam, & secundam, de qua cap. de Substantia. Describit primam substantiam, seu subiectum, & diuidit in materiam, formam & compositum; de quo secundo de Anima, text. 1. formam ait priorem esse materia, & composito, & perfectiorem materia, de quo Doctor hîc q 6.

Capvt I.

Quot modis dicatur substantia, & quæ propriè substantia sit, déque substantia sensibili, & intelligibili.

Dicitur autem substantia si non multiplicius de quatuor, maximè etenim, quod quid erat esse, & vniuersale, & genus substantia videtur esse cuiusque; & quartum horum subiectum.

11

Postquã Philosophus præmisit & probauit istã conclusionem, quòd scilicet cùm Metaphysica intendat de ente inquantum ens, & per consequens de omni ente principaliter tamen de substantia: nunc exequitur de intento, determinans principaliter de substantia. Circa quod duo facit: quia primò præmittit quædam vtilia & necessaria ad intentum. Secundò procedit ad intentum. Secunda ibi: *Et primò dicemus.* Prima in duas secundùm quod præmittit duas principales diuisiones de substantia; & dat ordinem & modum procedendi circa membra & partes diuisionis. Secunda ibi: *Confitentur autem.* Prima in duas: primò præmittit vnam de substantia diuisionem. Secundò subiungit alterius membri sub diuisionem. Secunda ibi: *Tale verò modo.* Prima in duas: nam primò ponit vnam quadrimembrem diuisionem. Secundò exponit vltimum membrum diuisionis, ibi: *Subiectum verò est.* Dicit ergo quòd *substantia si non dicatur multiplicius: dicitur tamen maximè de quatuor: etenim quid erat esse,* id est, quiditas, siue forma totius, dicitur vno modo substantia: alio modo dicitur *vniuersale* substantia, scilicet secundùm opinionem illorum, qui ponunt ideas esse quædam vniuersalia, & substantias singularium de singularibus prædicata. Alio modo *genus videtur esse substantia cuiuscunque,* id est, primum genus, vt sunt vnum & ens, quæ quidam ponebant maximè substantias vniuscuiusque rei: *quartum horum est subiectum,* id est, quòd quarto modo substantia dicitur subiectum, id est, substantia particularis, quæ subiicitur omnibus superioribus.

1. Diuisio substantiæ. Substantia dicitur quadrupliciter.

Notandum, quòd ista diuisio substantiæ est quasi eadem cum illa, quæ ponitur in Prædicamentis, scilicet quòd substantiarum alia est prima, & alia est secunda: nam per subiectum intelligitur hæc substantia prima; per genus verò & vniuersale, quod videtur ad species pertinere intelliguntur secundæ substantiæ. In Prædicamentis autem præmittitur primus modus hîc positus, ex eo, quòd ibi loquitur de substantia ordinabili in Prædicamento; hoc autem vel est genus, vel est species, vel indiuiduum, vel aliquod principium, quod est in genere per reductionem: quiditas autem non est ordinabilis in Prædicamento: quia vt sic nec est aliquod principium partiale, nec est vniuersale, nec particulare, nec genus, nec species, nec vnum, nec multa; sed equinitas est tantùm equinitas, secundum Auicennam 5. Metaph. Deinde cùm dicit:

Diuisio substantiæ hic & in Prædicamentis posita est ferè eadẽ.

12

Subiectum verò est de quo alia dicuntur; & illud ipsum non adhuc de alio: propter quod primùm de hoc determinandum est: maximè namque videtur esse substantia subiectum primum.

Exponit vltimum membrum huius diuisionis, dicens quòd *subiectum est illud de quo alia dicuntur,* id est, principaliter, *& id ipsum non adhuc de alio* dicitur, *propter quod de ipso primò determinandum est.* Cuius causam subdit; *namque* pro quia, *subiectum,* id est, particularis substantia, *maximè videtur substantia*; vnde in Prædicamentis dicitur, quòd prima substantia propriè & principaliter & maximè substare dicitur.

Subiectum in proposito quid?

Notandum, quòd prædicatio est duplex quædam per se, & quædam per accidens, & illa quæ est per se: quædam est superioris de inferiori: quædam eiusdem de se. Cùm ergo ait Philosophus, quòd subiectum, id est, prima substantia non adhuc dicitur de alio, non intendit negare quin prima substantia possit prædicari de alio per accidens, vt dicendo: hoc album est Socrates; vel quin etiam possit prædicari de se ipsa dicendo: Socrates est Socrates, sed vult dicere, quòd non prædicatur de aliquo inferiori: quia non habet inferius se, cùm sit simpliciter, & omni modo incommunicabilis. Deinde cùm dicit:

Prædicatio duplex per se & per accidens.

Quomodo prima substãtia possit de alio prædicari?

Tale verò modo quodam materia dicitur, & alio modo forma; tertiò verò quod ex his.

Ponit istius vltimi membri subdiuisionem. Secundò comparat membra eius ad inuicem. Tertiò declarat qualiter agendum sit de membris, siue partibus huius diuisionis. Secunda ibi: *Quare si species.* Tertia ibi: *Attamen quæ nunc.* Prima in duas: nam primò proponit subdiuisionem. Secundò exponit eam per exempla. Secunda ibi: *Dico autem materiam.* Dicit ergo quòd *tale verò*, scilicet subiectum quod dicitur prima substantia, vno *modo quodam dicitur materia, & alio modo forma. Tertio verò quod ex his,* id est, compositum, & est illa vulgata distinctio substantiæ, quæ ponitur etiam 2. de Anima, text. com. 2 quòd substantia quædam est materia, quædam forma, quædam compositum. Deinde cùm dicit:

Subdiuisio substantiæ quarto modo acceptæ.

13

Dico autem materiam quidem æs: formam autem figuram speciei; quod autem ex his statuam totam.

Exponit dictam subdiuisionem per exempla, dicens, *Dico autem materiam quidem æs: formam autem,* id est, *figuram speciei,* id est, dans speciem ipsi statuæ: *quod autem ex his* compositum, scilicet *totam statuam.*

Notandum, quòd sicut dictum fuit aliàs, Philosophus quandoque non curat de exemplis, nisi

Exempla Aristotelis plo-

rumque proportionem & non identitatem important.

quod sentiat qui addiscit: quia igitur artificialia quantum ad suas formas sunt nobis notiora naturalibus; ideò datam diuisionem de substantia explanat, dando exempla artificialia: sed secundùm rei veritatem figurâ statuæ, & aliæ formæ artificiales non sunt substantiæ, sed magis accidentia, vt habetur 8. huius; text.com. 5. & 12. vnde per hæc, quæ hîc dicuntur de artificialibus intelligenda est materia, & forma substantialis, & compositum in naturalibus, quæ verè sunt substantiæ, & substantiæ primæ si singulariter sumantur. Deinde cùm dicit:

Quare si species materia est prior, & magis ens, & ipso quod ex vtrisque prior erit propter eandem rationem.

Comparat membra dictæ diuisionis ad inuicem: & primò secundùm opinionem propriam. Secundò secundùm opinionem antiquorum ibi: *Et materia substantia.* Prima in duas. Primò facit, quod dictum est. Secundò remouet dubium. Secunda ibi: *Nunc quidem igitur.* Dicit ergo, quòd *si species*, id est, forma: *si*, pro quia, forma *est prior materia*, id est, quàm materia, *& magis ens*, sequitur propter eandem rationem, quòd *erit prior ipso quod est ex vtrisque*, id est, composito. Ratio huius est: quia materia est prior composito, sicut principium principiato: si igitur forma est prior materia, sequitur quòd si prior composito: quia quicquid est prius priore est prius posteriore; & est alia ratio, quatenus compositum includit materiam: & ratione huius potest dici forma prior; ideò dicit Aristoteles, quòd propter eandem rationem forma est prior composito, propter quàm scilicet est prior materia. Dicitur autem forma magis ens & prior quàm materia, non prioritate generationis, sed perfectionis: quia etiam ipsa existit per formam communicantem sibi esse. Deinde cùm dicit:

Prior est forma materia & composito.

Forma est prior perfectione nō generatione, quàm materia.

Nec quidem igitur typo dictum est quid est substantia: quia est id quod non de subiecto; sed de quo alia.

Text.com.8.

Oportet autem non solùm ita: non enim sufficiens, Ipsum enim hoc immanifestum.

14

Remouet dubium: fortè enim crederet aliquis, quòd diuisiones datæ de substantia sufficiant ad cognoscendum de substantia quid sit, quod excludit dicens: quia *nunc quidem igitur typo*, id est, in quodam generali, & vniuersaliter *dictum est quid substantia sit*: quia scilicet substantia *est* illud *quod non de subiecto* prædicatur: *sed de quo alia: oportet autem non solum, ita*, scilicet diffinire substantiam, *non enim est sufficiens: hoc enim ipsum est immanifestum.*

Notandum, quòd prædicta notificatio de prima substantia, quòd scilicet de nullo dicitur, sed alia de ipsa, videtur quædam definitio, siue descriptio Logica, sumpta penes modum prædicandi; sed hoc non sufficit ad sciendum *quod quid est* substantiæ; nam per talem descriptionem Logicam, & communem non exprimuntur essentialia principia rei, sine quibus, *quod quid est* non potest perfectè sciri.

SVMMARIVM.

Sententia antiquorum, quòd sola materia sit substantia rerum, & iuxta eam materia describitur. Contra quos ostendit, materiam non esse maximè ens. Vide Doctorem hîc quæst. 5. & 2. d. 12. q. 1. vbi optimè discutit naturam materiæ, & difficultates concernentes eam, probans contra D. Thomam eam esse ens actuale, & propriam habere existentiam.

ET adhuc materia substantia fit: si enim non ipsa substantia quæ est alia diffugit; aliis enim sublatis nihil præter ipsam apparet remanens; nam alia quidem corporum sunt passiones, & factiones, & potentiæ. Longitudo verò, & latitudo, & profunditas quantitates quædam sunt, sed non substantiæ. Quantitas enim non substantia, sed magis cui insunt hæc ipsa primum, illud est substantia; at verò ablata longitudine, latitudine & profundo, nihil videmus remanens, nisi si quid est determinatum ab his. Quare materiam necesse videri solam substantiam sic intendentibus.

Comparat ad inuicem membra dictæ subdiuisionis secundum opinionem antiquorum. Circa quod duo facit: Primò enim facit quod dictum est, & adducit eorum rationem. Secundò arguit contra eos. Secunda ibi: *sed impossibile.*

Error antiquorū de materia & substantia rerū.

Ad euidentiam huius notandum, quòd antiqui Philosophi ex debilitate fortè intellectus non pertingentes ad notitiam formæ substantialis, posuerunt totam substantiam rerum esse solam materiam: hanc substantiam alij dicentes ignem, alij aquam, alij aërem, &c. vt patet ex primo huius: ita quòd secundùm eos materia erat maximè substantia & ens; ideò sola materia erat tota substantia rei. Circa hoc ergo sic procedit: quia primò præmittit huius opinionis rationem. Secundò iuxta hoc subiungit materiæ descriptionem, ibi: *Dico autem materia.* Dicit ergo quòd *& materia substantia sit*, supple maximè secundùm opinionem antiquorum: quorum rationem subdit: *enim*, pro quia: *si non ipsa*, scilicet materia, *sit substantia diffugit*, scilicet à nobis, *quæ est alia*, scilicet substantia præter materiam: *aliis enim*, scilicet à materia sublatis, supple à rebus sensibilibus, in quibus substantia est maximè manifesta, vt superiùs dictum est: *nihil apparet remanens* præter supple quàm materia: *nam* aliorum à materia, aliæ *quidem sunt passiones corporum*, puta calidum, frigidum, album, & dulce, &c. *aliæ sunt factiones*, puta generationes & corruptiones, & motus: *alia sunt potentiæ*, puta qualitates de secunda specie, vel potentiæ, id est, artes, siue habitus practici, qui potentiæ rationales nominantur, de quibus omnibus clarum est, quòd non sunt substantiæ: quia qualitas non est substantia, sed magis illo modo est substantia illud, cui primum insunt hæc ipsa, id est, dictæ dimensiones, scilicet dictæ dimensiones, scilicet quantitates: nam primum subiectum omnium est substantia: *at verò ablata longitudine, latitudine, & profunditate nihil videmus*, scilicet remanere, *nisi* supple subiectum *si quid est determinatum*, id est, distinctum & terminatum *ab his*, scilicet dimensionibus, quod est ipsa

15

Al. alia.

ipſa materia: quia ex ratione dicta, *ſic intendentibus*, ſcilicet antiquis *neceſſe eſt videri ſolam materiam eſſe*, ſcilicet *ſubſtantiam*: ſed iſta ratio fefellit antiquos, ex eo, ſcilicet quòd, vt dictum eſt, non deuenerunt in notitiam formæ ſubſtantialis; & ideò ſola accidentia poſuerunt formas rerum, ipſam materiam totam rerum ſubſtantiam fore arbitrantes. Deinde cùm dicit:

Ad hunc textum eſt q.5. lib.7.

16

Dico autem materia quæ eſt ſecundùm ſe nullatenus, neque quid, neque quantitas, neque aliquid aliud eorum dicitur, quibus ens eſt determinatum, eſt enim quoddam de quo prædicatur horum quodlibet cui eſt eſſe alterum, & categoriarum vnicuique, alia namque de ſubſtantia prædicantur; hæc verò de materia. Quare, quòd eſt vltimum ſecundùm ſe, neque quid, neque quantitas, neque aliud aliquid eſt, neque negationes, & enim hæc erunt ſecundùm accidens. Ex his ergo ſpeculantibus accidit ſubſtantiam, eſſe materiam.

Deſcribit materiam per excluſionem aliorum.

Subiungit iuxta prædictam opinionem materiæ deſcriptionem, dicens. *dico autem materiam quæ ſecundùm ſe*, id eſt, ſecundùm ſuam quiditatem, *neque eſt quid*, id eſt, ſubſtantia, *neque qualitas, neque aliquid aliud dicitur aliorum* generum *quibus ens eſt determinatum*, id eſt, per ſe diuiſum. Vnde ſubdit quòd ſupple ipſa materia, *eſt quoddam de quo quodlibet horum prædictorum prædicatur*, ſcilicet denominatiuè: *cui*, ſcilicet materiæ *eſt eſſe alterum, & vnicuique categoriarum* prædictatum ita quod materia, quæ ſubiicitur aliis habet diuerſum eſſe ab his, quæ de ipſa denominatiuè prædicantur: ad cuius declarationem ſubdit, *alia namque*, ſcilicet genera *de ſubſtantia prædicantur*, prædicatione denominatiua: *hæc verò*, id eſt, ſubſtantia *de materia* prædicatur, ſcilicet denominatiuè: ſicut enim accidentia prædicantur denominatiuè de ſubſtantia, vt dicendo, lapis eſt albus, ſic ſubſtantia prædicatur de materia, vt dicendo: iſta materia eſt lapidea. Ex quo ſequitur quòd *Illud quod eſt vltimum ſubiectum*, ſcilicet materia, de qua omnia alia prædicantur ſecundùm ſe, id eſt, ſecundum ſuam quiditatem: *nec eſt quid*, id eſt, ſubſtantia, *nec quantitas: nec aliquid aliud:* quod per ſe ſit in genere, & non ſolùm materia non eſt aliquid tale, *ſed nec* itaque *negationes:* ita quòd materia ſit formaliter negatio, vt negationes de materia formaliter prædicentur. Cuius cauſam ſubdit, *enim*, pro quia: *hæ*, ſcilicet negationes *erunt per accidens*, ſupple in materia; quod fortè dicit ad excludendum opinionem Platonis, qui non diſtinxit inter materiam & priuationem, vt dicitur, 1. Phyſic. text. com. 79. Vltimò concludit: quia *ſpeculantibus ex his*, ſcilicet prædictis rationibus *accidit* dicere *materiam eſſe ſubſtantiam*; ſcilicet ſolam & maxi-vt ſuperiùs dicebatur.

Subſtantia prædicantur de materia denominatiuè.

17

Prædicatio duplex. Vide Scot. 3. q. Quòd artic. 3.

Notandum, quòd prædicatio eſt duplex; quædam eſſentialis, & quædã denominatiua. Exemplum primi; *homo eſt animal*. Exemplum ſecundi: *mel eſt dulce:* prædicatio etiam denominatiua eſt duplex: quædam eſt extrinſeca & alterius generis, puta cùm ens vnius generis prædicatur de ente alterius generis. Exemplum: *homo eſt albus*, & quædam intrinſeca & eiuſdem generis, puta cùm pars prædicatur de toto, vel totum de parte: quando vtrumque eſt eiuſdem generis, exemplum: *homo eſt animatus*, vel *anima eſt humana*. Et eſt differentia inter has prædicationes denominatiuas: quia illa quæ extrinſeca eſt, non eſt conuertibilis: nam licèt benè dicatur *homo eſt albus*; non tamen èconuerſo propriè dicitur: *albedo eſt humana*: ſed illa quæ eſt intrinſeca vtique poteſt conuerti: nam ſicut benè dicitur: *homo eſt animatus*: ita èconuerſo: *anima eſt humana*. Hoc etiam modo compoſitum prædicatur de materia, vt hîc dicitur; & èconuerſo materia de compoſito, vt patet quinto huius capitulo ſexto, text. com. 12. Quando ergo ait Philoſophus quòd de materia horum prædicatur Prædicamentorum vnumquodque non intendit de Prædicatione eſſentiali, ſed denominatiua: alioquin magis concluderetur quòd materia eſſet ſubſtantia, vel quantitas &c. quàm quod nullum eorum eſſet: loquitur ergo de prædicatione denominatiua. Attendendum tamẽ quòd aliter alia prædicamenta prædicantur denominatiuè de ſubſtãtia, vel de materia, & aliter ſubſtantia de materia: quia accidentia prædicantur de ſubſtantia, & de materia denominatiuè prædicatione extrinſeca: ſubſtantia verò prædicatur de materia denominatiuè prædicatione intrinſeca; & ideò ex hac prædicatione non poteſt inferri quòd materia non ſit de eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ. Deinde cùm dicit:

Ad hunc textum eſt, q.6. lib.7.

Sed impoſſibile: etenim ſeparabile & hoc aliquid ineſſe videtur maximè ſubſtantiæ. Quapropter ſpecies & quod ex ambobus ſubſtantia videtur eſſe magis quàm materia.

18

Arguit contra dictas opiniones, oſtendens quòd materia non eſt maximè ſubſtantia per talem rationem: De ratione ſubſtantiæ videntur eſſe duo, ſcilicet quòd ſit ſeparabilis ab aliis, & quòd ſit hoc, aliquid; ſed materia non eſt huiuſmodi; ergo materia non eſt maximè ſubſtantia. Dicit ergo, *ſed impoſſibile*, ſcilicet eſt, materiam eſſe maximè ſubſtantiam, aut ſolam materiam eſſe ſubſtantiam: *etenim* pro quia: eſſe *ſeparabile*; *& eſſe hoc aliud: videtur ineſſe maximè ſubſtantiæ*, quod ſupple non competit materiæ: ſed magis compoſito per formam: *quapropter ſpecies*, id eſt, forma, *& quod ex ambobus*, id eſt, compoſitum, *videbitur eſſe ſubſtantia magis quàm materia.*

Oſtendit contra antiquos materia non eſſe maximè ens.

De ratione ſubſtantiæ.

Notandum, quòd maximè proprium videtur eſſe ſubſtantiæ, quòd ſit ſeparabilis: nam accidens non eſt ſeparabile per naturam à ſubſtantia, ſed ſubſtantia ab accidente: iterum alia entia magis ſignificant quale quid, quàm hoc aliquid, ſubſtantia autem propriè ſignificat hoc aliquid, neutrum autem horum competit materiæ ſecundùm ſe. Nam materia nec eſt ſeparabilis, nec eſt hoc aliquid: forma autem licèt non ſit ſeparabilis & hoc aliquid: tamen quia per formam fit compoſitum ens actu, vt ſic poteſt eſſe ſeparabilis, & hoc aliquid; ideò ſequitur quòd forma & compoſitum ſint magis ſubſtantia quàm materia. Deinde cùm dicit:

Forma, & compoſitum magis ſubſtãtia quam materia.

Text. com. 9.

Attamen eam quæ nunc ex ambobus ſubſtantiam. Dico autem eam quæ ex materia & forma dimittendum. Poſterior enim eſt & aperta

aperta: manifesta autem est aliqualiter & materia. Itaque de tertia autem perscrutandum est hac nam maximè dubitabilis.

Principaliter prosequitur de forma omissis composito & materia pronunc.

Declarat qualiter agendum sit de membris, siue partibus præcedentis diuisionis dicens, quòd licèt supple forma & compositum sint magis substantia quam materia: *attamen substantiam quæ est ex ambobus, dico autem eam quæ* est composita *ex materia & forma*, *nunc* id est, ad præsens, *dimittendum*. Cuius duplicem causam tangit: *tum quia est posterior*, naturaliter quàm materia & forma, sicut principiatum principiis, & ideò cognitio materiæ & formæ præcedit cognitionem substantiæ compositæ: *tum* quia substantia composita *est apta*, id est, manifesta cùm scilicet subiacet sensui: & est confessa ab omnibus antiquis; & ideò non oportet tantum circa ipsam immorari. Et addit quòd *materia etiam aliqualiter est manifesta*, scilicet in opinione antiquorum, qui solam materiam substantiam ponebant; & ideò relinquitur quòd *de tertia substantia*, scilicet de forma *perscrutandum* sit supple potiùs & principalius.

Notandum, quòd hoc dicit specialiter ad improbandum opinionem antiquorum, qui formam substantialem tanquam minùs notam omninò dimittebant, & ideò ad videndũ veritatem de forma substantiali, de qua verissimè est scientia; dicit quòd de ea pescrutandum est quàm maximè: vtpote *quia maximè est dubitabilis*, Tunc sequitur illa pars.

SVMMARIVM.

Substantias, alias dari sensibiles, alias intelligibiles, & priùs tractat de sensibilibus, quia notiores nobis, & sic via disciplinæ priores: aliæ verò quia remotiores à sensu, minùs nobis notæ sunt; etsi in se notiores.

19

Confitentur autem substantias esse sensibilium quidam: quare in his quærendum priùs.

Text.c.10.

Quoniam autem in principio diuisimus quot modis determinauimus substantiam: & horum vnum videtur esse quod quid erat esse speculandum est de ipso.

3. Diuisio principale substantia.

Vbi ponit secundam diuisionem principalem de substantia. Circa quam sic procedit: quia primò proponit intentum, secundò assignat causam dicti. Secunda ibi: *Opera prætium*.

Substantia duplex. Ratio ordinis in sensibilib.

Ad euidentiam primi notandum, quòd Philosophus hìc supponit vnam diuisionem de substantiæ, scilicet quòd substantiarum quædam sunt sensibiles: quædam intelligibiles: quâ supposità proponit duo. Primum est quòd de substantiis sensibilibus, quæ sunt manifestæ magis, & concessæ ab omnibus, est priùs agendum, quàm de intelligibilibus & separatis; ideò dicit quòd *confitentur*, supple omnes *esse quædam substantia sensibilium*, id est, quædam sensibilium esse substantias; *quare priùs quærendum est in his*, tanquam de notioribus, quia substantias intelligibiles non omnes confitentur: & hoc ordine prosequitur vt patebit: nam in hoc septimo, & in octauo sequenti agit de substantia sensibili, sed in duodecimo, & deinceps agit de substantiis intelligibilibus separatis. Secundum quod proponit est quòd cùm substantia vno modo dicatur quod quid est rei vt prædictum est, de ipso quod quid est substantiæ *speculandum* est; ideò dicit quòd *quoniam in principio* huius capituli *diuisimus quot modis determinauimus substantiam*, & *horum quidem vnum videtur esse quod quid erat esse, de ipso speculandum est*. Deinde cùm dicit:

20

Operæ pretium enim transeundum ad quod notius: disciplina enim ita fit omnibus per minùs nota naturæ ad nota magis, & hoc opus est, quemadmodum in actibus facere ex vniuscuiusque bonis totaliter bona singulis bona: sic ex ipsis notioribus quæ natura quidem nota ipsi nota: quæ autem singulis nota, & prima multoties debiliter nota, & parum aut nihil entis habent. Attamen ex malè quidem noscibilibus; ipsi autem noscibilibus, quæ omnino noscibilia noscere tentandum: procedentes sicut dictum est per hæc eadem.

Assignat causam dicti, quare scilicet priùs de substantia sensibili agendum sit, dicens, quòd hoc est operæpretium, id est, quoddam præ necessarium & præparatorium ad insequendum, id est, ad *transeundum ad* illud *quod est notius*, scilicet secundum naturam: cuiusmodi sunt substantiæ intelligibiles: nam ex substantiis sensibilibus disponimur ad cognoscendum, substantias intelligibiles, de quibus principaliter hìc intenditur. Cuius causam subdit: *quia ita fit disciplina omnibus* hominibus, scilicet procedendo *per minùs nota naturæ ad nota magis*: omnis enim addiscens præcognoscit aliqua sibi nota, quæ frequenter sunt minùs nota secundùm naturam, ex quibus procedit ad notitiam eorum, quæ sunt notiora secundùm naturam, & sibi minùs nota: cuiusmodi sunt magis remota à sensu, *& hoc opus* facere est necessarium: *quemadmodum ex actibus* humanis vbi *ex bonis vniuscuiusque* hominis particularis *fiunt totaliter*, id est, vniuersaliter bona, & per consequens *vnicuique bona*: sicut per militare huius & illius militis peruenitur ad victoriam totius exercitus, quod est quoddam bonum commune: *sic* in proposito *ex notioribus* ipsi, scilicet addiscẽti peruenitur ad *ea quæ* sunt *nota naturæ & ipsi*, scilicet addiscenti fiunt postea nota in fine: quæ *autem sunt nota simpliciter & primò*, scilicet quo ad nos: *sunt multoties debiliter nota*, scilicet simpliciter secundùm naturam; & ratio huius est, quia ea quæ sunt notiora nobis; *parum aut nihil habent entis*: vnumquodque autem sicut est ens sic est cognoscibile, attamen hoc non obstante, *ex malè quidem cognoscibilibus*, scilicet secundum naturam *tentandum est nosce noscibilia omnia*, id est, simpliciter & secundùm naturam *procedentes sicut dictum est, per hæc*, scilicet ipsa sensibilia notiora nobis ad intelligibilia nobis minùs nota: dicit autem ea quæ sunt nobis minùs nota esse debiliter, nota secundùm naturam multoties, quia non semper est: nam quandoque vt communiter dicitur, eadem sunt notiora nobis & secundum naturam, vt Mathematicis quæ quia

Ordo cognoscendi.

abstrahunt

In Mathematicis & ex terminis euidenter notis eadem sunt primò nota nobis & natura.

abstrahunt à motu, & à materia sensibili sunt notiora secundùm naturam : & eadem sunt etiam nobis notiora. Patet etiam de primis principiis complexis, quę sunt notissima secundùm naturam & in se : & etiam quoad nos, cùm sint sicut fores in domo, vbi nullus delinquit, vt habetur secundo huius. Idcirco signanter dicit, quòd multoties.

SVMMÆ SECVNDÆ CAP. II.

De substantia sensibili, & quod quid est.

SVMMARIVM.

Explicat quod quid est substantiæ sensibilis, excludens ab eo prædicatum per accidens, & propriam passionem, & fusè probans ens per accidens non habere quod quid est, seu diffinitionem. Vide Doctorem hîc q. 7. Vbi tractat de *quod quid est*.

Text. c. 11. 21

ET primò dicemus quædam de ipso Logicè, quid est quod quid erat esse vnumquodque quod dicitur secundùm se, non enim est tibi esse musicum esse, non enim secundùm teipsum es musicus; quod ergo dicitur secundum teipsum.

Postquam Philosophus præmisit quædam vtilia & necessaria ad intentum, nunc procedit de intento determinando de quod quid est substantiæ sensibilis. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est, modo quodam Logico & per quædam principia communia, puta via prædicationis, & diuisionis, & huiusmodi. Secundò magis Metaphysico, & per principia substantialia substantiæ sensibilis. Secunda in principio octaui. ibi *Ex dictis igitur sillogizare oportet.*

Metaphysica & Logica sunt affines.

Notandum autem quòd Metaphysica & Logica quodammodo circa idem versantur ex quarto huius, text. com. 5. ideò magnam affinitatem & conuenientiam habent; & ideò Metaphysica aliquando in inquisitione veritatis induit modum Logici, & aliquando èconuerso. Prima ergo pars diuiditur in septem, secundùm quòd iste totus septimus liber habet deinceps septem capitula principalia. Primò enim inquirit quid sit ipsum quod quid erat esse : quia scilicet Logicè loquendo, est quoddam collectum ex prædicatis in quid, & per se primo modo. Secundò inquirit quorum sit. Tertiò quomodo se habeat ad illud cuius est, vtrùm sit idem, vel diuersum ab eo. Quartò inquirit de causis generationis substantiarum sensibilium, siue de ipsius, *quod quid est* generatione, vtrùm scilicet *quod quid est* sit aliquid separatum, & causa generationis, vt dixerunt Platonici, vel non: & vtrùm sit generabile, vel non. Quintò inquirit ex quibus partibus constituatur. Sextò inquirit vtrùm *quod quid est*, sit aliquod vniuersale separatum, prædicabile de supposito, vt ait Plato. Septimò ostendit quòd *quod quid est*, habet rationem principij: & causæ respectu eorū quæ sunt substantiæ, sensibiles. Secunda ibi: *Quoniam vero sunt.* Tertia ibi : *Vtrùm autem idem.*

Diuisio totius huius, 7. lib. notabilis.

Quarta ibi : *Horum autem quæ fiunt.* Quinta ibi: *Quoniam verò diffinitio ratio est.* Sexta ibi: *Quoniam de substantia.* Septima ibi: *Quid autem oportet dicere.* Prima in duas : quia primò remouet à diffinitione, & à *quod quid est* rei prædicatum per accidens. Secundò prædicatum per se secundi modi; ex quo relinquitur quòd sola prædicata in quid, & per se primi modi, pertinent ad *quod quid est* & diffinitionem rei. Secunda ibi : *Nec etiam hæc esse.* Dicit ergo quòd quia supple agendum est de *quod quid est* substantiæ sensibilis: ideò *primò dicemus quadam de eo Logicè*, ostendendo supple quid est *quod quid erat* esse rei, & subdit quòd *vnumquodque*, scilicet *quod quid erat esse: est quod dicitur secundùm se*; id est, quòd accipit prædicata per se, nam prædicata per accidēs non pertinent ad quiditatem rei : ideò subdit, *non enim musicum esse est tibi esse*, id est, non pertinet ad tuum esse quiditatiuum: *nec enim tu es musicus secundùm te ipsum*, id est, per se: sed per accidens: *quod ergo dicitur secundùm teipsum*, id est, illud pertinet ad tuum *quod quid est*, quod tu es secundùm teipsum, id est, per se, & non per accidens.

Prosequitur Logicè de quod quid est substantiarū sensibilium. prædicatum triplex. Tantum prædicata primi modi pertinēt ad quod quid est.

Aduertendum quòd Aristoteles communiter in toto sequenti ad designandum *quod quid est* rei vtitur hoc modo loquendi, scilicet *hoc esse*, dans per ly *esse*, intelligere solum esse essentiale & quiditatiuum rei; prædicata ergo per accidens, puta musicum esse, vel album esse: quia sunt extra rationem & essentiam rei; ideò non videntur pertinere ad essentiam rei. Deinde cùm dicit:

Quid intelligit Philosophus communiter per hoc esse.

22

Nec etiam hoc omne: non enim quod ita secundùm se vt superficiei album: quia non est superficiei esse album esse : at verò neque quod est ex vtrisque vt superficiei albæ esse, quare? quia adest ei hoc. In qua igitur non inerit ratione ipsum dicentem ipsum : hæc ratio eius quod quid erat esse singulis. Quare si superficiei albæ esse, est superficiei esse semper, albo & leni esse, idem erit & vnum.

Remouet à *quod quid est*, prædicata secundùm se, sicut prædicata per se secundo modo. Dicit ergo quòd *nec etiam hoc omne quod*, scilicet prædicatur per se, pertinet ad *quod quid est* esse rei: quia propria passio prędicatur per se de subiecto, & tamen nō pertinet ad diffinitionē subiecti; ideò subdit : *non enim* supple inest alicui *secundum se: vt superficiei inest album : quia non est superficiei esse, album esse*, id est, quòd *quod quid est* superficiei non est *quod quid est* albi, vel album esse: quia alia est quiditas superficiei, & albedinis : & addit quòd non solùm album esse non est, *quod quid est* superficiei : *sed nec est ipsum compositum ex vtrisque, quod est esse superficiem albam* est *quod quid est*, vel esse superficiei simpliciter sumptæ : si quæras *quare*, respondetur, *quia adest ei hoc*, id est, quia album adhæret superficiei, tanquam extrinsecum formaliter essentiæ superficiei & propter hoc totum istud, quod est *superficies alba*, non pertinet ad essentiam, siue *quod quid est* superficiei. Subdit ergo, quòd illa ratio, id est, diffinitio *in qua ratione non inerit ipsum*, scilicet subiectum *dicente*, id est, diffiniente ipsum, id est, prædicatum, *hæc ratio erat ipsius, quod quid erat esse singulis.* Vult dicere quòd quia in secundò modo prædicandi per se subiectum ponitur in diffinitione prædicati: nam passio, quæ prædicatur secundo

Non omne quod prædicatur per se, est de quiditate rei.

Rectè ergo dicit Scot. 2. d. 1. q. 2.

secundo modo, habet diffinitionem ad additum; nam subiectum ponitur in diffinitione passionis: in primo autẽ modo prædicandi per se, est èconuerso: nam prædicatum, vel est diffinitio, vel ponitur in diffinitione subiecti: quia inquam sic est; ideò illa diffinitio, quæ accipit prædicata, in quorum diffinitione non ponitur ipsum subiectum; sed magis èconuerso, illa erit ratio, *quod quid erat* esse præ singulis, quæ diffiniuntur. Concludit autem ex prædictis: nam ex quo ad *quod quid est* esse rei non pertinent prædicata per accidens, neq; prædicata per se secundo modo, relinquitur quod illa pertinet ad *quod quid est* rei: quæ prædicantur primo modo per se, in quorum ratione, id est, diffinitione, non ponitur subiectum. Subdit autem probationem, ducendo ad inconueniens, quòd prædicata per se secundo modo non pertinent ad *quod quid est* rei, dicens, *quia si superficiei alba est superficiei esse: semper*, id est, vniuersaliter *albo & leni esse, erit vnum & idem* esse, quod est falsum.

Esse contingit plures passiones eiusdem subiecti.

Notandum, quòd eidem subiecto contingit inesse plures passiones, quæ prædicantur per se secundo modo, sicut album & lene, & huiusmodi passiones sunt superficiei: eadem autem ratio est de omnibus huiusmodi passionibus, & de vna, vt si albedo pertinet ad *quod quid est* superficiei, eadem ratione & lenitas, & huiusmodi alia: quia igitur, quæ vni & eidem sunt eadem, inter se sunt eadem; sequitur quòd si superficiei esse est album esse: *quod quid est* passionis, sit idem cũ *quod quid est* subiecti; sequitur quòd quiditas albedinis & quiditas lenitatis sit vna, quod est euidenter falsum; ex quo sequitur quòd propria passio: siue quiditas propriæ passionis nõ pertineat ad subiecti quiditatem.

Quod quid erat esse *accipitur apud Aristot. dupliciter.*

Notandum etiam propter sequentia, quòd Aristoteles æquiuocè videtur loqui de hoc, quod est, *quod quid erat esse*, nam quandoque per *quod quid erat esse*, intelligit ipsam rationem: siue diffinitionem exprimentem rei essentiam; & tunc loquitur magis Logicè: secundùm quem modum locutus est nunc in proposito: quandoque per *quod quid erat esse* intelligit ipsam rei essentiam, quæ per diffinitionem exprimitur, & tunc loquitur magis realiter & Metaphysicè, secundùm quem modum loquitur in sequentibus frequenter. Deinde cùm dicit:

Text. co. 22. 23

Quoniam verò sunt & secundùm alias Categorias composita: est enim aliquod subiectum cuique qualitati, & quantitati, & quando, & vbi, & motui. Perscrutandum ergo, si est ratio ipsius, quod quid erat esse cuiusque ipsorum esse, & inest his ipsum quod quid erat esse, vt albo homini quod quid erat albo homini: sit namque nomen ipsi vesti, quid est vesti esse.

Inquirit quorũ quod quid erat esse.

Inquirit quorum sit diffinitio, & quod quid est. Circa quod duo facit: quia primò circa hoc proponit quæstionem. Secundò subiungit quæstionis solutionem. Secunda ibi: *At verò nec secundum se.* Dicit ergo quòd *quoniam sunt aliqua composita secundùm alias Categorias*, id est, secundùm Prædicamenta alia à Substantia: quia non solùm in genere Substantiæ est aliquod compositum, quod dicit ex eo, quia nunc inquirit quiditatem substantiarum sensibilium, quæ sunt compositæ: *enim* pro quia, supple in substantiis compositis est materia subiecta formæ: sic *est aliquid subiectum cuique*, id est, vnicuique aliorum generum, vt *qualitati, & quantitati, & quando, & vbi, & moueri &c.* quia inquam sic est, quòd est aliquid compositum ex subiecto & accidente, *perscrutandum est ergo si est ratio*, id est, diffinitio expositiua *ipsius quod quid erat esse vniuscuiusque earum, & etiã si inest his ipsum, quod quid erat esse*, quod per diffinitionem exprimitur, vt si *albo homini*, quod est subiectum compositum ex subiecto & accidente: *sit quod quid erat esse albo homini*, id est, habeat *quod quid est* inquantum huiusmodi; & quia albus homo exprimitur per duas dictiones, propter quod videtur alicui quod essent duæ res, & ideò non possent diffiniri vna diffinitione, ideò subdit: *sit itaque nomen ipsi vestis*: ita quòd gratia exempli: albus homo vocetur vestis, & tunc redibit quæstio *quid est vestis esse*, scilicet vtrùm vestis habeat, *quod quid est*: sicut igitur substantia composita est ex materia & forma substantiali, ita vestis erit quoddam compositum ex substantia, vel ex subiecto & accidente: sicut igitur substantia composita diffinitur, est quæstio vtrùm vestis potest habere diffinitionem. Deinde cùm dicit:

Vtrùm ens per accidens possit diffiniri & etiam ipsum accidẽs. 1 Solutio quæstionis.

24

At verò neque hoc est ex eorũ numero, quæ per se esse dicuntur, aut ipsum non secundum se dupliciter dicitur, & huius est aliud quidẽ ex additione: aliud verò non. Hoc quidẽ enim ex eo dicitur id quod diffinitur, quia ipsum alij adiicitur, vt si albo esse diffiniens dicat albi hominis rationem. Hoc autem eo, quod aliud ipsi, vt si significat vestis album hominem, diffiniat vestẽ, vt album. Albus itaque homo est quid album: non tamen quod quid erat esse albo esse sed vesti esse. Ergo est quod quid erat esse aliquid, aut totaliter, aut non.

Subiungit propositæ quæstionis solutionem. Circa quod duo facit, secundùm duas solutiones, quas adducit. Secunda ibi: *Diffinitio etiam aut.* Prima in tres: nam primò præmittit quæstionis solutionem. Secundò excludit quandam cauillationem. Tertiò ex prædictis infert & concludit quandam conclusionem. Secunda ibi: *Quare quod quid erat esse.* Tertia ibi: *Non erit igitur nulli.* Prima in duas: nam primò proponit solutionem. Secundò probat eam. Secunda ibi: *Quod quidẽ enim.* Sententia primæ partis consistit in hoc quòd nec vestis, puta homo albus, quod est ens per accidens, nec ipsum per accidens, quæ est altera pars, puta album: habent *quod quid est*, & diffinitionem. Dicit ergo, *quod nec hoc*, scilicet vestis est secundùm sũ dictorum, id est, *eorum quæ dicuntur ens per se*: sed per accidens: nam homo albus, quod significatur per *vestis* est ens per accidens, vt prædictum est, & hîc & in quinto huius, c. de Ente. Et subdit, *aut* pro sed *ipsum* supple *non secundùm se*: scilicet, sed quod est vnum per accidens *dicitur dupliciter*: nam alio modo dicitur per accidens homo albus, & alio modo èconuerso albus homo; ideò subdit, quod *huius quidem est aliquid, hoc quidem ex additione: illud verò non*: nam in diffinitione hominis non necessariò additur album, nec eius diffinitio: sed magis èconuerso supposito, quòd homo sit subiectum albi; ideò subdit quòd supple horum duorum quæ dicuntur non secundùm se: *hoc quidem*, scilicet

Ens per accidens non diffinitur, & similiter de accidente intelligit per accidens duplex.

licet homo *additur quod diffinitur*, id est, in diffinitione albi: quandocunque diffinitur: nam in diffinitione accidentis ponitur subiectum, *vt si albo esse diffiniens dicat albi hominis rationem*, id est quòd diffinitio albi complectetur hominem album, vt sit quasi diffinitio hominis albi, & non tantùm albi: supple ponendo semper, vt dictum est, quòd homo sit proprium subiectum albi: quia Philosophus frequenter non curat de exemplis: *hoc autem*, scilicet in secundo modo per accidens hoc, scilicet album: additur homini per accidens *eo quod aliud ipsi*, id est, quia homo additur ipsi albo in diffinitione, & non èconuerso, *vt si vestis significet album hominem*, vt prædictum est: ille qui *diffinit vestem* diffinit *vt album*: nam sicut in diffinitione vestis oportet ponere hominem, & album, sic in diffinitione albi oportet ponere vtrumque. Ex quo patet, quòd *albus vtique homo est albus*; ita quòd album prædicatur de homine albo, dicendo, quòd albus homo est albus, & etiam èconuerso: tamen hoc ipsum, quod est album esse hominem, *non est quod quid erat esse albo esse sed vestis esse*: quæ scilicet, vt suppositum est, significat hoc compositum, quod est *albus homo*: licèt ergo album prædicetur de albo homine, non tamen est idem, *quod quid erat esse* ipsius albi, & ipsius, quod est albus homo, & ita non est, *quod quid est* albi hominis. Iterum concludit, quòd si album habet, quod quid erat esse: non tamen habet aliam diffinitionem quàm illam, quæ est albi hominis: quia cùm in diffinitione accidentis ponatur subiectum, oportet, quod hoc modo diffiniatur album sicut albus homo, vt dictum est, *ergo est quod quid erat esse aliquid, aut totaliter, aut non*, id est, quòd ex prædictis sequitur, quòd diffinitio aut est ipsius totalitatis, id est, totius compositi ex homine albo, puta vestis, & non ipsius albi; aut non totius, sed alterius partis tantùm, scilicet hominis, quod est hoc aliquid: sed homo albus, vel album non est hoc aliquid, sed homo tantùm quod est substantia. Deinde cùm dicit;

Quod quidem enim quid erat esse, est illud quod aliquid erat esse. Quando verò aliud de alio dicitur, non est, quod quidem aliquid hoc aliquid, vt albus homo, non est quod verè hoc aliquid: siquidem hoc substantiis inest solùm.

25

Ens per accidens non habet quid.

Probat datam solutionem, & intendit talem rationem: Quod non habet quid, eius non est, *quod quid est*, & diffinitio: sed homo albus, vel album non habet quid; ergo, &c. Minorem ostendit sic: Quod non est aliquid erat esse: non habet *quid est*: sed homo albus, vel album non est aliquid erat esse: quia aliquid erat esse & esse aliquid, vel hoc aliquid proprium est substantiarum; ergo nec habet quid est. Dicit ergo, quòd hoc *quod quod quid erat esse est idem, quod id quod est aliquid erat esse: quando verò aliud de alio dicitur*, scilicet, per accidens sicut accidens de subiecto; *non est quod quidem aliquid, vel hoc aliquid, vt* cùm dicitur *albus homo non est quod quidem aliquid, vel hoc aliquid: siquidem*, hoc aliquid *solùm inest substantiis*: nam homo albus, vel album magis significat quale quid, quàm hoc aliquid. Ex quo sequitur quod non habet, quod quid erat esse. Deinde cùm dicit:

Text. cõ. 13.

Quare quod quid erat esse, est quorumcunque ratio est diffinitio: diffinitio verò est, non si nomen rationi idem significet: omnes enim rationes essent vtique diffinitiones: erit enim nomen quod cuilibet rationi idem. Quare & Ilias diffinitio erit: sed si primi alicuius fuerit. Talia verò sunt quæcunque dicuntur, non eo, quod aliud de alio dicatur.

Nomina significatiua rerum, non esse definitiones rerum.

Excludit quandam cauillationem. Diceret enim aliquis, quòd sicut inuenitur aliqua ratio nominis significantis substantiam; ita etiam inuenitur aliqua ratio nominis significantis accidens, quam rationem crederet esse diffinitionem accidentis, quod excludit, dicens, quòd *quod quid erat esse*, non est supple omnium habentium qualemcunque rationem notificatiuam nominis: sed omnium *quorumcunque ratio est diffinitio: diffinitio verò est, non si nomen rationi idem significet*, id est, non solùm si talis ratio significet idem cum homine: quia sic *omnes rationes* expositiuæ nominum *essent* termini, id est, *diffinitiones*: *enim* pro quia, erit vnumquodque *nomen quod cuilibet rationi* significabit *idem*: nam cuilibet rationi potest poni tantùm vnum nomen, vt huic quod est *homo albus*, imponebatur hoc nomen, quod est vestis: *aliàs sequitur, quod Ilias*, id est, tractatus compositus de bello Troiano *erit diffinitio*: nam totus iste tractatus est vna ratio exponens bellum illud: sed tunc solum est diffinitio, *si fuerit alicuius primi*, id est, alicuius per se prædicati primo modo, cuiusmodi sunt genus & differentia: *talia verò*, scilicet prædicata *sunt quæcunque dicuntur*, id est, prædicantur per se: non eo, quòd aliud de alio dicatur, scilicet per accidens, sicut album prædicatur de homine, vel èconuerso. Deinde cùm dicit:

Videtur oppositum huius dicere, 4. huius; Tex. co. 28. Sed & consequens, vt patet & non oppositum rectè.

26

Non erit igitur quicquam non generis specierum existens quod quid erat esse, sed his solùm. Hæ namque videntur non secundùm participationem dici, & passionem, nec vt accidens. Sed ratio quidem erit cuiuslibet & aliorum quid significat si est nomen, quia hoc huic inest, aut pro sermone simplici certior. Diffinitio verò non erit, nec quod quid erat esse.

Solius habentis speciei genus, & differentiam est diffinitio, & hoc propriè loquendo.

Concludit ex prædictis quandam conclusionem: quia enim diffinitio est, quæ accipit prædicata prima, & per se primo modo, puta genus, & differentiam. Ex hoc sequitur, quòd sola species generis, & nihil aliud, habeat propriè diffinitionem: nam sola species est, quæ habet propriè genus & differentiam. Dicit ergo, quòd supple *quod quid erat esse*, siue diffinitio non erit *nulli*: quod scilicet *non est existens specierum generis*, id est, de numero specierum existentium sub aliquo genere propter causam dictam: *sed his solùm*, scilicet speciebus supple inerit diffinitio, & quod quid est: *hæ namque*, scilicet species de genere, scilicet substantiæ, *videntur non secundùm participationem dici*, nec *secundùm passionem*, nec *secundùm accidens*, quæ tria videtur impossibile habere diffinitionem posse, & *quod quid est*, vt dicetur: sed supple in aliis à specie: *ratio quidem erat esse cuiuslibet aliorum quid significat si est nomen*; *quia hoc huic inest*,

Non diffinibilia sunt tria.

inest, id est, quòd in aliis à specie posset esse ratio declarans quid significat nomen, quod fit vno modo, quando nomen minùs notum exprimitur per aliud nomen notius: quia hoc inest, id est, quòd de eo prædicatur, puta si hoc nomen *Philosophus* exponatur per hoc nomen *sapiens* sic intelligendo, quòd ratio exponens nomen, puta *Philosophum* sumitur à nomine notiori, quod de eo prædicatur, puta ab hoc, quod est *sapiens*, vt sic exponatur nomen minùs notum per nomen magis notum. Aut supple fit alio modo, quando *pro sermone simplici*, id est, ad exponendum vnum nomen simplex sumitur *certior* ratio, id est, aliqua ratio magis nota: puta si ad exponendum hoc nomen *Philosophus* sumatur hæc ratio: *amator sapientiæ: diffinitio verò non erit*, scilicet talis ratio: *nec erit quod quid erat esse* illud, scilicet, quod per talem rationem exprimitur, siue exponitur.

Declarare significatum nominis contingit dupliciter.

Notandum, quòd tria sunt, quæ videntur posse impedire aliquid diffiniri. Vnum est si illud de quo aliquod genus prædicatur participat illud genus, sicut lignum dicitur aqueum: aqua enim prædicatur de ligno secundùm quandam extrinsecam participationem; & ideò lignum non potest diffiniri per tale genus, id est, per aquam, cùm aqua non sit de essentia ligni: species autem non participat hoc modo genus, sed per essentiam: nam species essentialiter est genus; & non solùm participat aliquid eius. Aliud est si illud, quod de alio prædicatur, sit vt subiectum respectu propriæ passionis, sicut homo prædicatur de risibili, & tamen essentia hominis non est formaliter quiditas risibilis: species autem non se habet, vt passio respectu generis, sed sicut illud cui ipsum genus est idem per essentiam. Aliud est, si illud, quod de alio prædicatur, sit accidens eius, vt cùm musicum prædicatur de homine: homo enim non est essentialiter ipsum musicum: sicut species est essentialiter ipsum genus: nullum ergo trium prædictorum est genus illius de quo prædicatur, & per consequens non potest, vt sic, propriè, diffiniri: propter autem rationem oppositam species habet propriè diffiniri; ideò ait Philosophus, quòd hæc namque scilicet species de genere substantiæ, quæ solæ secundum eum hîc propriè diffiniuntur: videntur non secundùm participationem dici & passionem: nec vt accidens, modo præexposito.

Tria quæ impediunt aliquid posse diffiniri.

SVMMÆ SECVNDÆ CAP. III.

Quomodo aliis à substantia competit diffinitio?

SVMMARIVM.

Aliis à substantia, diffinitionem, seu *quod quid est*, competere tantùm secundùm quid, non simpliciter, seu primò, quod benè explicat Doctor. Vide eum hîc quæstione septima.

Tex. cõ. 14

27

AVt & diffinitio sicut, & quod quid est multipliciter dicitur: etenim quod quid est vno quidem modo significat substantiam, & hoc aliquid: alio verò modo quodcunque prædicamentorum quantitatem & qualitatem, & alia quæcunque talia. Sicut enim & ens existit in omnibus, sed non simpliciter, sed huic quidem primum, illis verò consequenter: ita & quod quid est simpliciter quidem substantiæ; alio verò modo aliis; etenim qualitatem dicemus vtique quid est. Quare & qualitas est eorum quæ quid est, sed non simpliciter: sed sicut de non ente Logicè dicunt quidam esse non ens, non simpliciter, sed non ens; sic & qualitatem.

Postquam Philosophus posuit vnam solutionem quæstionis prædictæ, per quam negauit ens per accidens posse diffiniri, nunc ponit secundam solutionem, quæ concedit aliquo modo esse diffinitionem vestis, & accidentium. Circa quod duo facit. Primò præmittit solutionem. Secundò mouet quasdam dubitationes ad affirmationem datæ solutionis. Secunda ibi: *Habet autem dubitationem.* Prima in tres: quia primò solutionem ponit. Secundò eam exponit. Tertiò eam probat. Secunda ibi: *Oportet quidem igitur.* Tertia ibi: *Illud autem palam.* Dicit ergo, quòd *aut etiam*, supple dicendum est alio modo quàm priùs scilicet quòd *diffinitio dicitur multipliciter sicut & ipsum quod quid est: nam* supple *ipsum quod quid est, vno quidem modo significat substantiam, & hoc aliquid: alio verò modo quæcunque aliorum Prædicamentorum*, scilicet *quantitatem, qualitatem & quæcunque talia: sicut enim & ipsum ens existit in omnibus*, id est, prædicatur de omnibus generibus; *sed non similiter*, id est, non æquè primò: *sed huic quidem*, id est, substantiæ *primum: illis verò*, id est, aliis Prædicamentis *consequenter* & posterius: *ita & quod quid est simpliciter quidem* conuenit *substantiæ: alio verò modo aliis*, id est, secundùm quid, & non simpliciter respectu substantiæ: quod probat, quia *etenim qualitatem dicemus quid*, puta, quid est dulcedo? dicemus quòd est qualitas: similiter est in aliis Prædicamentis; *quare & qualitas est eorum, quæ* habent quod *quid est: non quidem simpliciter; sed sicut de non ente dicunt* quidam *Logicè non ens esse*, vt si dicatur, quod non ens est, *non quidem simpliciter:* quod scilicet non ens sit ens; *sed* quod est *non ens*, & hoc est esse ens secundùm quid & negatiuè: *sic & qualitatem*, supple dicemus esse ens, & habere quid est secundùm quid, & non simpliciter.

2. Solutio ad quæstionem.

Sicut ens & quod quid est contingit analogicè vniuoce substantiæ & accidenti sic & diffinitio.

Quomodo accidentia habent quid?

28

Notandum, quòd cùm dicitur qualitas esse ens, eo modo quo Logicè dicitur non ens esse, non est omninò simile: exempla enim ponimus non vt ita sint, &c. Vnde secundùm Damascenum, cap. 73. vt superiùs dicebatur: *quod in omnibus est simile, idem vtique erit, & non exemplum:* necesse est enim in exemplis considerare & simile & dissimile: sed hoc dicitur ad denotandum ordinem prioris & posterioris, substantiæ, & accidentis, in participatione entitatis: nam substantia est ens simpliciter prius & perfectius quàm accidens: non sic autem quòd accidens non sit formaliter ens, sicut non ens non est formaliter ens: nisi loquendo Logicè modo prædicto: stat ergo solutio in hoc, quòd quia diffinitio dicitur multipliciter, sicut & ens; ideò sicut ens dicitur primò & principaliter de substantia, secundariò verò & quasi secundùm quid de accidente: sic & diffinitio conuenit simpliciter, & per se primò ipsi substantiæ: secundùm quid verò, & per se non primò conuenit accidenti. Deinde cùm dicit:

Diffinitio per se primo conuenit substantiæ secundariò verò accidenti.

Oportet quidem igitur intendere, & quomodo

T.com. 15.

T.com.15.

do oportet dicere circa vnumquodque:non tamen magis quàm quomodo habet. Quapropter & nunc quoniam,quod dicitur est manifestum & quod quid erat esse similiter inerit.Primum quidem & simpliciter substantia;deinde aliis, quemadmodum quid est.Non simpliciter quid erat esse,sed qualitati, aut quãtitati quid erat esse : oportet enim aut æquiuocè hoc esse dicere entia,aut addentes, aut auferentes. Quemadmodum & quod non scibile scibile:quoniã hoc quidem rectum est : neque æquiuocè dicere:nec eodem modo:sed quemadmodum aliquid medicinale,eò quod ad idem quidem & vnũ;non idem autem & vnum:attamen non æquiuocè: nihil enim medicatiuum corpus,& opus,& vas dicitur,nec æquiuocè,nec secundùm vnum sed ad vnum. Hoc quidem igitur quocumque modo quis velut dicere differt nihil.

Declaratio dicta solutionis.

29

Exponit datam solutionem dicens, quòd quia diffinitio & *quod quid est* conuenit substantiæ, & accidẽtibus modo prædicto:*oportet quidem igitur intẽdere quomodo oportet dicere*,id est,assignare & accipere diffinitionem, *circa vnumquodque* diffinibile, *non tamen magis quàm quomodo se habet*,id est,non aliter quàm habet se rei veritas:quàm etiã se habet secundùm rem:*quapropter & manifestum est, quod nunc dicitur*, scilicet quod *quid erat esse similiter*,scilicet conuenit substantiæ & accidenti. *Primum quidem simpliciter inerit substãtia, deinde* id est, consequenter & posterius inerit *aliis :* non quidem simpliciter:*sed quemadmodum quid est nõ simpliciter quid erat esse;sed* supple cum determinatione,*vt qualitati,aut quantitati quid erat esse: oportet enim aut æquiuocè dicere hoc*,scilicet essentiam esse substantiã & accidens, & per consequẽs æquiuocè habere diffinitionem, & quod quid est: *aut addentes aut auferentes*,id est,secundùm magis & minùs,vel secũdùm prius & posterius:vt supple accidens dicatur ens,*quemadmodum non scibile*,dicitur *scibile* : non scibile enim dicitur scibile,non simpliciter,quia hoc esset contradictio;sed secundùm quid,quatenus de non scibili scitur hoc,quòd ipsum non scitur,vel non potest sciri.Subdit,*quoniam hoc quidẽ rectum est*, scilicet quòd ens,& per consequens diffinitio, & quod quid est dicatur de substantia & accidente:*nec æquiuocè, nec eodẽ modo*,id est,æquè primo omni modo:*sed quemadmodum medicinale*,supple dicitur de diuersis,quodam ordine attributionis,*eo quod ad idem quidem & vnum*,id est,per aliquem respectũ ad aliquod vnum *non idem autem & vnum*, id est,nõ omninò æquè primò de omnibus,de quibus dicitur : *non tamen nec æquiuocè*:sed supple quodam ordine:*nihil enim medicatiuum dicitur corpus*, quòd est susceptiuum medicinæ,*& opus* quod est medicinam exercere,*& vas* per quod medicina ministratur , hæc inquam dicuntur medicatiua:*neque* quidem *æquiuocè*:quia in æquiuocis non est ordo attributionis:similiter intelligendum est in proposito,quòd ens, & per consequens diffinitio, & *quod quid est* conuenit substantiæ & accidẽti;non quidem æquiuocè, nec æquè primò, sed quodam ordine secundùm prius & posterius.Vlterius cùm addit : *Hoc quidem igitur*,potest dici,quòd approbat istam secundam solutionem datam,dicens,quòd habet quidem igitur *quocumque modo velit quis dicere*,scilicet vel secũdùm primam, vel secundùm hanc secundam solutionem *nihil differt:*nam vt dicebatur in prima solutione, quòd accidentia non habent diffinitionem, intelligendum est per se primò & simpliciter respectu substantiæ:cùm autem hîc in secunda solutione conceditur accidentia habere diffinitionem, intelligendum est posterius & secundum quid,vt prædictum est. Deinde cùm dicit:

Hic argumẽtum pro analogia entis sed non cogit nisi cum vniuocatione licet in minimo gradu. De non scibili est scientia.

Definitio cõpetit tam accidẽti,quàm substantia, sed non æquè.

Al.istas duas solutiones datas.

Dictas solutiones non multum differre ostendit, & vtramque acceptat.

T.com.16.

Illud autem palàm quia quæ primò, & simpliciter diffinitio, & quod quid erat esse substantiarum est,& non solùm; sed etiam aliorum similiter est:veruntamen non primò.

Probat solutionem datam,& primò eam resumit. Secundò eius probationẽ subiungit, ibi:*Non enim est.* Dicit ergo,quòd *illud autem est palàm* ex prædictis,& etiam dicendis,*quia diffinitio & quod quid erat esse:*quæ quidem *est* primò & simpliciter *substantiarum, similiter est aliorum*, scilicet accidentiũ:*veruntamen non primò*. Deinde cùm dicit :

30

Non enim est necesse , si hoc ponimus huius diffinitionem esse quod vtique rationi idem significat, sed cuidam rationi;hoc autẽ si vnius fuerit, non eo quod continuum , sicut Ilias,aut quacumque colligatione ; sed si quoties dicitur vnum;vnum verò dicitur sicut ens;ens autem hoc quidem hoc aliquid, aliud verò quantitatem , aliud qualitatem significat. Quapropter erit albi hominis ratio & diffinitio ; alio verò modo,& albi,& substantiæ.

Subiungit probationem dictæ solutionis, quæ in hoc consistit : sicut vnumquodque est ens & vnum sic habet *quod quid est* & diffinitionem:sed ens per accidens sicut homo albus , non est ens simpliciter , sed secundùm quid & per accidens; igitur similiter & correspondenter competit ei *quod quid est* & diffinitio , & hoc est, quod dicit, quòd *non est necesse si hoc ponimus huius diffinitionem esse, quod vtique idem significat*, id est , quòd non omnis ratio idem significans nomini , quod exponitur est diffinitio eius,nec nomen expositum erit diffinitum : quia scilicet significat idem tali rationi:sed supple esse diffinitionem conuenit determinatè *cuidã rationi*,quę scilicet significat vnũ. Ideò subdit,*Hoc autem si fuerit vnius*,id est,vnius entis per se,non quòd sit vnum,*eo quòd continuum*, id est,vnitate continuitatis ; quia hoc non sufficit ad vnitatem diffiniti , vt sic eius ratio possit dici diffinitio:*sicut Ilias*,id est,poëmã,siue tractatus de bello Troiano, quod fuit factum in quadam continuitate temporis , non est supple diffinitio : nec etiam sufficit, quòd sit *vnumquodque colligatione:* sicut domus, vel onus lignorum : *sed* supple tunc ratio erit diffinitio , *si significet quoties dicitur vnum* per se , & subdit quòd *vnum dicitur toties,* supple *sicut ens* per se : *ens autem per se* significat *hoc quidem hoc aliquid*,id est, substantiam : *aliud verò qualitatem*, & sic de aliis : quia igitur de ratione diffinitionis est,quòd significet vnum:sequitur quòd eo modo quo aliquid est vnum, eo modo habebit diffinitionem : *quapropter erit albi hominis ratio*, id est,diffinitio secundum quid & per accidens : *alio verò modo & albi & substantiæ:*albi quidem simpliciter & per se, licèt non primò: substantiæ verò per se primò.

Notandum, quòd secundùm mentem Philosophi sententia literæ stat in hoc , quòd primò & sim

31 *Recolligit resolutè dicta.*

simpliciter diffinitio & quid erat esse substantiarum est, & non solùm : sed aliorum similiter est: non tamen primò, vt dicitur in litera ; & probat, quia ratio significans idem nomini non est diffinitio ; sed si illud cuius per se est ratio, est per se vnum : vnum verò dicitur sicut ens, intellige per se ens : ens autem hoc quidem significat hoc aliquid, aliud quantitatem, aliud qualitatem, &c. quod verum est de ente per se, quod diuiditur in decem Genera, ex 5. huius, cap. de Ente, tex. c. 14. ergo quodlibet istorum est vnum per se ens, & ita ratio est vnum per se ens, & ita ratio istorum est diffinitio ; & hoc est quod concludit : *quapropter erit albi hominis diffinitio & ratio, & aliter albi & substantiæ*, quia substantiæ erit per se primò, albi simpliciter & per se, sed non primò : albi hominis secundùm quid, & per accidens.

Habere diffinitionem contingit tripliciter.

SVMMÆ SECVNDÆ CAP. IV.

De diffinitione accidentium copulatorum.

SVMMARIVM.

Exponit accidens copulatum, id est, determinatum, requirens subiectum; non posse diffiniri sine additione subiecti, quod optimè explicat Doctor, quod adducit in exemplum, in diffinitione albi, non poni hominem, sed animal poni, in diffinitione S Francisci & S Patricij, non leue argumentum est Doctorem fuisse Hibernum, quia simul eum patre & patrono suæ religionis, adiungit patrem, & patronum nationis, hoc inter alia multa ad hunc effectum adduxi c. 1. vitæ Scoti, vt moralem persuasionem, quia si Anglus fuisset S. Francisco S. Georgium : si Scotus S. Andream, vel S. Colūbam adiunxisset. Respondit quidam, hoc dictum esse, non à Scoto, sed Antonio Andrea Aragoneo. Saluâ pace tanti viri dixerim, fallitur toto cælo. Siquidem Antonius Andreas Metaphysicam edidit distinctā, quæstionariam tamen, & ex Scoti quæstionibus instar cōpendij, collectam ; expositionem verò in textum nunquam edidit. Hanc fateor quæ Scoti est ordinauit, expurgauit, & adornauit vt fatetur Mauritius, in eius titulo. Ipse Scotus eam citat in quæstionibus, & in Theologia vt in præfatione notaui; eius nomine edita est; & ab omnibus citatur. Scriptores bibliothecarum omnes, eam ipsi tribuunt ; sola imaginatio respondentis eam ipsi aufert, qui in æquiuoco multùm asserens, sed inde nihil aut parum metens; ne Scotum Hibernum agnosceret hoc præclaro opere eum iniquè spoliat.

T. c. 17.

Habet autem dubitationem si quis non dicat diffinitionem esse ex additione rationem cuiusnam erit diffinitio ipsorum non simplicium, sed copulatorum. Ex additione enim necesse palàm facere, dico autem vt est nasus, & concauitas, & simitas, ex duobus dictum, eo quòd hoc in hoc est, & non secundùm accidens, neque concauitas, neque simitas passio nasi, sed secundùm se. Neque vt album Calliæ, aut homini, quia Callias albus cui accidit hominem esse. Sed vt masculinum animali, & quantitati æquale, & omnia quæcunque secundùm se dicuntur existere. Hæc autem sunt in quibuscunque existit, aut ratio, aut nomen, cuius hæc passio, & non contingit ostendere separatim sicut album sine homine contingit, sed non fæmininum sine animali.

Mouet duas dubitationes ad affirmationem datæ solutionis, quarum secunda ponitur ibi : *Est autem & alia dubitatio.* Prima in duas, quia primò præmittit dubitationem. Secundò soluit eam, & applicat ad propositū. Secunda ibi: *Quare horum.*

Ad euidentiam huius prænotanda sunt duo. Primum est quòd quidam dixerunt nullam diffinitionem esse ex additione: ita quòd nihil ponitur in diffinitione alicuius, quod sit extra essentiam diffiniti; quorum fortè fuit ratio motiua, quia cùm diffinitio indicet quiditatem rei, ideò nihil ponitur in diffinitione, vt videtur, quod sit extra quiditatem diffiniti.

Opinio negātium diffiniri per additionē.

Secundum notandum est, quòd quædam sunt accidentia simplicia, quædam copulata; quod dupliciter intelligi potest: vno modo vt dicatur accidens simplex, quod non habet subiectum determinatum, quod ponatur in eius diffinitione ; sicut curuum & concauum, & alia materialia; sed dicitur accidens copulatum quod habet subiectum determinatum, sine quo non potest diffiniri sicut simū, vel aquilinum. Alio modo vt dicatur accidens simplex seorsum sumptum sine subiecto, puta vt cùm dicitur simum, vel aquilinum. Accidens autē copulatum cùm sumitur cum subiecto, puta cùm dicitur nasus simus, quātum æquale, numerus par, & huiusmodi : primo tamen modo videtur loqui Aristoteles de accidente copulato, vt patebit. Dicit ergo, quòd *habet dubitationem si quis dicit rationē ex additione non esse diffinitionem cuius erit diffinitio ipsorum*, scilicet accidentium, *non simplicium, sed copulatorum : ex additione enim necesse est palàm facere*, scilicet diffinitionem accidentium copulatorum, cùm sine propriis subiectis nō possint diffiniri. Exemplum, *dico autem vt est nasus, & cōcauitas, & simitas.* Si enim accipiantur ista tria, patet quod concauitas non est accidens copulatū, quia non determinat sibi aliquod subiectum; cùm possit conuenire ligno, & lapidi, & circulo, & naso : simitas autem est accidens copulatum, cùm respiciat subiectum determinatum, scilicet nasum; ideò subdit, quòd supple *simitas erit aliquid dictum ex duobus, eo quòd hoc in hoc*, id est, eo quòd significat accidens in subiecto determinato : *& tamen nec concauitas, nec aquilitas*, vt habet alia litera, & meliùs, quatenus aquilitas est accidens copulatum, de quo nunc est sermo, non autem cōcauitas: nec ergo aquilitas, nec simitas erit *passio nasi*, per accidens: *sed secundùm se, nec* supple simitas, vel aquilitas inerit naso, *vt album*, inest *Calliæ, aut homini* per accidens, inquantum Callias est albus, scilicet *cui Calliæ*, inquantum est albus, *accidit esse hominem; sed* insunt naso per se, *vt masculinum animali, & æquale quantitati, & omnia* quæcunque

32 *Accidens aliud simplex aliud copulatum.*

Accidens copulatum potest intelligi dupliciter & similiter simplex.

1. *Dubium.*

quæcunque dicuntur alicui *existere secundùm se*, scilicet secundo modo, sicut passio inest subiecto: *hæc autem sunt in quibuscunque*, id est, in quorum diffinitione *existit*: & ponitur *aut ratio*, id est, diffinitio; *aut nomen*, id est, subiectum, cuius est *hæc passio*: vbicunque enim ponitur diffinitum, potest poni diffinitio: quia igitur in diffinitione passionis ponitur subiectum, potest etiam poni diffinitio subiecti, vt si dicatur quòd risibile est homo habens aptitudinem ad actum ridendi. Et subdit, quòd *non contingit ostendere separatim*, id est, diffinire aliquod accidens copulatum, sicut contingit album sine homine: *sed non fæmininũ, sine animali*: in diffinitione enim albi non ponitur necessariò homo: sed in diffinitione Francisci, vel Sancti Patricij necessariò ponitur animal, sicut subiectum in diffinitione propriæ passionis. Deinde cùm dicit:

Hos duos hic nominat Scotus, quia vnus erat patronus Religionis, alter patriæ ipsius.

23

Quare horum quod quid erat esse, & est diffinitio, aut non est alicuius, aut si est, aliter est, quemadmodum diximus.

Soluit illam dubitationem, & applicat eam ad propositum, concludens ex prædictis: *quare* patet quòd non est diffinitio, scilicet alicuius *horum*, scilicet accidentium copulatorum: si supple teneatur primum dictum quòd nulla diffinitio sit ex additione, qualis est diffinitio substantiarum: *aut si est* ipsorum diffinitio: *aliter est*, quàm substantiarum: *quemadmodum diximus*, scilicet in hac secunda solutione. Solutio ergo dubitationis est ista, quòd nulla talis diffinitio est ex additione: non tamen hoc verum est vniuersaliter, nam accidentia copulata habent vtique diffinitionem, sed alio modo quàm substantiæ: quia habent ex additione, & ideò per posterius, & non æquè primò, vt superius dicebatur.

SVMMARIVM.

Exponit quomodo ponitur subiectum in diffinitione accidentis copulati, sine nugatione, & quare nullum accidens diffiniri potest, sine additione subiecti. De quo vide Doctorem 4.d.12. q.1.num.11. & ad tertium & hic q 7.

Tex. cõ. 18.

Est autem & alia dubitatio de eis: si enim idem est simus nasus, & concauus nasus, idem erit simum & concauum. Si verò non: quia impossibile est dicere simum sine re cuius est passio secundùm se, & est simum concauitas in naso: nasum simum dicere, aut non est, aut bis idem erit dictum: nasus nasus concauus: nasus enim simus nasus concauus erit. Propter quod inconueniens est inesse talibus quod quid erat esse: si autem non in infinitum sunt: naso namque nasi simum adhuc aliud inerit. Palàm itaque quia solius substantiæ est diffinitio.

Tex. cõ. 19. 34

Nam si aliarum Categoriarum; necesse est ex additione esse vt æqualis & imparis; non enim est sine numero, nec quæ fæminini est sine animali, ex additione verò dico in quibus accidit idem bis dicere; sicut in his; si verò hoc verum, non copulatorum erit vt numeri imparis.

2. Dubium.

Ponit secundam dubitationem. Circa quod duo facit: quia primò ponit eam. Secundò soluit & applicat eam ad propositum. Secunda ibi: *Sed latet*. Dicit ergo, quòd *est & alia dubitatio de eis*, scilicet de accidentibus copulatis: quia supple aut est idem dicere nasus simus, & nasus concauus, aut non: *si enim idem supple est dicere simus nasus, & concauus nasus*, sequitur quòd *idem est simum & concauum*, cùm idem, scilicet nasus vtrique auferatur, quod tamen est falsum vt videtur: *si autem non*, supple sunt idem nasus simus, & nasus concauus, ita quòd simum non sit idem quod concauum, ex eo scilicet, *quia impossibile est dicere*, id est, intelligere *simum sine re*, id est, subiecto *cuius est passio* secundùm se, puta sine naso: *quia simum est concauitas in naso*: sed supple concauum potest dici sine naso: ita quòd simum habet plus quàm concauum, scilicet ipsum nasum: si inquam sic dicatur, sequitur quòd *non est*, id est, non contingit *dicere nasum simum*, *aut idem erit bis dictum* nugatoriè, scilicet *nasus nasus concauus*: semper enim loco nominis potest poni diffinitio nominis: si ergo dicendo nasus simus, est idem dicere quòd nasus concauus, idem bis dicetur, quod est inconueniens, *propter quod inconueniens est*, vt videtur *talibus*, scilicet accidentibus copulatis *inesse quod quid erat esse*: *si autem non* supple hoc habeatur pro inconuenienti, quòd talia accidentia habeant quod quid est, sequitur quòd *sunt in infinitum*, id est, quòd fiet in infinitum eiusdem nominis repetitio: *namque* pro quia, *naso simo adhuc aliud inerit*, id est, addetur iterum nasus: & sic in infinitum sumpta ratione pro nomine: nam dicendo nasus concauus, patet quòd loco concaui potest accipi simum: nam concauitas in naso est simitas: & loco simi iterum potest accipi nasus concauus, & sic in infinitum, *palàm itaque*, quia vt videtur *solius substantiæ est diffinitio*: *nam* si esset *aliarum Categoriarum*, id est, aliorum Prædicamentorum, *necesse est ex additione*, scilicet subiecti esse: vt est diffinitio *æqualitatis & imparis*, quæ habent sumi ex additione suorum subiectorum: *non enim* supple diffinitio imparis, *sine numero*: *nec* diffinitio *quæ est feminini sine animali*: fæmininum enim est quædam passio animalis: si verò supple est diffinitio aliquorum ex additione, sequitur quòd idem bis dicetur: *ex additione enim dico in quibus accidit bis dicere, sicut in his* quæ dicta sunt: *si verò hoc est verum*, quòd scilicet sequatur hoc inconueniens: sequitur quòd *non* erit diffinitio accidentium *copulatorum*, *vt numeri imparis*. Deinde cùm dicit:

35

Sed latet; quia non certè dicuntur rationes; si verò sunt & horum termini: aut alio modo sunt; aut quemadmodum dictum est multipliciter oportet dicere esse diffinitionem, & quod quid erat esse. Quare sic quidem nullius erit diffinitio, nec quod quid erat esse alicui inerit nisi substantiis; sic autem erit.

Soluit dubitationem, & eam applicat ad propositum, dicens, quòd *latet*, scilicet sic dubitantem, *quia rationes non dicuntur certè*, id est, certitudinaliter quasi vniformiter, & æquè primò dictæ, sed supple secundũ prius & posterius: vt prædictũ est:

est: *si verò horum*, scilicet accidentium copulatorum *sunt termini*, id est, aliquæ rationes, *aut* supple tales termini, *alio modo sunt*, quàm diffinitiones: *aut quemadmodum dictum est oportet dicere diffinitionem, & quid erat esse multipliciter*, dici: *quia sic quidem*, id est, per se primò *nullius erit diffinitio, neque quid erat esse inerit alicui, nisi substantiis, sic autem*, id est, non primò, & consequenter & posterius *erit*, supple aliorum à substantia.

Notandum, quòd sicut dictum fuit in principio, ideò subiectum ponitur, vt additum in diffinitione accidentis: quia accidens cùm sit forma inhærens, & dependens, de natura sua non potest perfectè concipi, nisi cointelligatur illud cuius est forma, & ad quod dependet, illud autem est subiectum: quia igitur diffinitio propria exprimit perfectum conceptum rei, & quietatiuum intellectus; ideò necessariò in diffinitione accidentis additur subiectum. Non sic est de substantia, nam substantia in sua natura est ens absolutissimum, non inhærens, nec dependens ad aliud, & ideò in eius diffinitione non oportet addi aliquod impertinens, ad sui quiditatem. Ad propositum patet ex prædictis quòd cùm dico, nasum simum, non oportet sumere nasum concauum loco simi: quia nasus non ponitur in diffinitione simi, nisi sicut extrinsecum & additum: vnde simum & concauum idem sunt realiter & ad se, licèt ipsum simum addat vltra concauum quandam habitudinem ad subiectum determinatum, & in subiecto determinato, quod est nasus, nihil differt simum à concauo, nec oportet circa nasum ponere aliquid vltra concauum loco simi: & sic non oportet accipere nasum concauum loco simi. Vltimò cùm dicit:

Quare diffinitur accidens per subiectum.

Vide 12. d. 4. q. 1.

Simum qualiter distinguitur à concauo?

Quod quidem igitur est diffinitio quæ quidem ipsius quid erat esse ratio, & quid erat esse, aut solùm substantiarum est, & maximè, & primum, & simpliciter palàm.

Epilogus.

Epilogat circa datas solutiones de principali quæstione huius capituli, dicens, quòd *palàm igitur est*, quòd *diffinitio quæ est ratio ipsius quod quid erat esse, aut solùm substantiarum est*, sicut prima solutio habet, aut primò & simpliciter est substantiarum, & aliorum per posterius & secundùm quid, vt dicebat solutio secunda.

SVMMÆ SECVNDÆ. CAP. V.

In quibus quod quid est, idem est cum eo cuius est, in quibus non?

SVMMARIVM.

Quod quid est, seu diffinitionem, non distingui ab eo cuius est, seu à diffinito: de quo tractat Doctor hîc q. 7. Vide eum 2. d. 3. q. 5. ad tertium. Vbi explicat Philosophum dicentem, *in habentibus materiam, non esse idem quod quid est, cum eo cuius est.* Vt sensus sit, habentia differentias indiuiduales, quas intelligit per materiam; non esse per se primò idem cum suo *quod quid est*, quia addunt ei rationes indiuiduales. Hinc reiiciuntur ideæ Platonis, quia *quod quid est*, indistinctum ab eo cuius est, sufficit ad scientias, ad quas tantùm positæ sunt ideæ.

36

Tex. co. 20.

VTrùm autem idem est aut alterum quod quid erat esse, & vnumquodque perscrutandum est, est enim aliquod operæpretium de substantia ad perscrutationem.

Postquam Philosophus inquisiuit de *quod quid est*, & quorum sit; nunc inquirit quomodo se habet ad illud cuius est, vtrùm sibi sit idem, vel diuersum.

Circa quod tria facit: quia primò proponit quæstionem. Secundò subiungit eius solutionem. Tertiò addit eius defensionem, docens soluere sophismata possibilia fieri contra solutionem. Secunda ibi: *Singulum*. Tertia ibi: *Sophistici autem Elenchi*. Dicit ergo, quòd *perscrutandum est vtrùm idem est: aut alterum quòd quid erat esse, & vnumquodque*, scilicet cuius est, *quod quid erat esse*: & subdit vtilitatem quæstionis huius, dicens *enim* pro quia, supple hoc inquirere *est aliquod operæpretium*, id est, quodam præparatorium necessarium ad perscrutandum de substantia, de qua scilicet inferius intendit: inquirit enim infrà vtrùm vniuersalia sint rerum substantiæ, & vtrùm partes diffiniti intrent diffinitionem eius, ad quæ est vtile videre de identitate *quod quid est* cum eo cuius est. Deinde cùm dicit:

De identitate quod quid est cum eo cuius est, inquirit & determinat hîc.

Ad hunc textum est q. 7. lib. 7.

Singulum enim non aliud videtur esse à suimet substantia, & quod quid erat esse dicitur singuli substantia.

Soluit quæstionem propositam. Circa quod duo facit: quia primò præmittit solutionem. Secundò subiungit eius probationem & declarationem. Secunda ibi: *In dictis verò secundùm se.* Prima in duas: quia primò facit quod dictum est. Secundò obiicit contra solutionem. Secunda ibi: *In dictis quidem vtique.* Dicit ergo, quòd *singulum non videtur esse aliud à suimet substantia: sed quod quid erat esse*; *dicitur* esse *substantia singuli*, id est, vniuscuiusque cuius est *quod quid est*; ergo *quod quid est* non est aliud ab eo cuius est *quod quid est*; & hæc est veritas quæstionis propositæ, quòd vnumquodque eo modo quo habet *quod quid est*, habet ipsum idem sibi, vt patebit infrà. Deinde cùm dicit:

Quod quid est, est idem cum eo cuius est.

In dictis itaque secundùm accidens videbitur vtique diuersum esse, vt albus homo, alterum & albo homini esse, si enim idem homini esse & albo homini idem, idem enim homo & albus homo vt dicunt, quare & albo homini & homini.

37

Obiicit contra solutionem. Circa quod duo facit: quia primò ponit rationem sophisticam contra solutionem datam. Secundò soluit eam ibi: *Aut non necesse.* In prima parte intendit probare quòd in dictis secundùm accidens non est idem *quod quid est* cum eo cuius est. Et intendit talem rationem: Si in dictis secundùm accidens est idem *quod quid est* cum eo cuius est; ergo *quod quid est* hominis albi est idem cum homine: consequens est falsum euidenter; ergo & antecedens.

Obiectio.

dens. Consequentia probatur, quia cùm dicitur homo albus: ly *album* non habet rationem substandi, nisi ratione hominis: quia accidens non subiicitur alteri, nisi ratione subiecti; & ideò homo albus non substat quiditati hominis albi, vt idem sibi, nisi ratione alterius partis, puta hominis, quæ est substantia: & ex hoc volunt aduersarij quòd idem sit homo & homo albus: si ergo *quod quid est* hominis albi, est idem cum homine albo cuius est, sequitur quòd sit idem cum ipso homine, quod est absurdum. Dicit ergo *in dictis itaque secundùm accidens videbitur itaque diversum esse*, scilicet *quod quid est* ab eo cuius est: *vt albus homo* videtur *alterum, & homini albo esse*, id est, *quod quid est* albi hominis. Cuius probationem subdit: *si enim idem & homini esse & albo homini esse*, vt prædictum est, *idem enim est homo & albus homo vt dicunt*, scilicet aduersarij, propter causam iam dictam: *quare & albo homini & homini* erit supple idem esse, quod est falsum. Similiter intelligendum est de aliis quæ dicuntur secundùm accidens. Deinde cùm dicit:

Aut non necesse est quæcunque secundùm accidens esse eadem, cum per se existentibus: non enim similiter extremitates fiunt eædem, sed forsitan illud videtur accidere extremitates fieri easdem secundùm accidens, vt albo esse & musico: videtur autem non.

38

Soluit dictam obiectionem: quia quicquid sit de conclusione, de qua patebit inferiùs, non tamen est sophistica, & peccat secundùm accidens.

Ad cuius euidentiam notandum quòd *quod quid est* hominis albi comparatur primò ipsi albo cui est idem per se, & vt quid, vt dicetur infrà: mediante autem albo inest homini: ita quòd ly *album* est quodam medium inter hominem, & *quod quid est* hominis albi: tamen illud *quod quid est* aliter inest medio, scilicet ipsi albo, & aliter extremo, scilicet homini, quia ipsi medio inest vt quid & per se: extremo verò inest, vt per accidens; si ergo arguatur sic: album inest homini, & *quod quid est* hominis albi inest albo vt idem sibi, ergo inest ipsi homini vt idem homini; si inquam sic arguatur, est accidens variando medium: non enim similiter sunt idem extremitates, scilicet *quod quid est* hominis albi, & homo, & medium cum altero extremo, scilicet ipsum album, & *quod quid est* hominis albi: hunc autem modum arguendi implicat virtualiter ratio prædicta aduersariorum: quia peccat secundùm accidens. Si autem medium vniformiter accipitur, ita quòd sic extremitates sunt idem sicut, medium est idem extremo: tunc sequitur quòd sicut album est idem homini per accidens: sic *quod quid est* hominis albi & homo sunt idem per acidens, & tunc nihil mali sequitur. Sit homo A, album B, *quod quid est* hominis albi sit C, nunc enim si B est idem A, ergo C est idem A: non tamen cùm quid, nec cum per se, sed cùm per accidens, & hoc est quod dicit: quòd *aut non necesse est quæcunque secundùm accidens*, supple dicuntur de aliquo subiecto, *esse eadem illi* de quo dicuntur: *non enim similiter extremitates fiunt eadem*, supple sicut medium cum extremo, *sed forsitan illud videtur accidere* tanquam verum, scilicet in proposito, *extremitates easdem fieri secundùm accidens*, vt patet in alio exemplo: quia *albo esse & musico esse*, id est, *quod quid est* albi & musici, sunt idem per accidens, scilicet in subiecto cui accidunt tanquam medio: subiectum enim est quoddam medium inter duo accidentia quæ sibi insunt: quia duo accidentia non vniuntur nisi vnitate subiecti; ergo sicut album & musicum, quæ sunt duæ extremitates respectu hominis subiecti sunt idem per accidens. Sic intelligendum est in proposito, modo præexposito: videtur autem non similiter se habere secundùm rationem aduersarij prædictam. Deinde cùm dicit:

Quod quid est hominis albi aliter inest albo, aliter homini.

Hinc patet quare verè enunciatur vnum accidens alicuius subiecti de alio eiusdem.

In dictis verò secundùm se semper necesse idem esse: vt si quæ sunt substantiæ quibus alteræ non sunt substantiæ, nec alteræ naturæ priores, quales dicunt ideas esse quidam. Si enim erit alterum ipsum bonum, & quod bono esse & animali, & quod animali esse, & ens, & quod enti erunt aliæ substantiæ, & naturæ, & ideæ præter dictas, & priores substantiæ illis si quod quid erat esse substantiæ est.

39

Probat datam solutionem quæstionis datæ. Vbi notandum est, quòd eorum quæ sunt, quædam sunt per se, & quædam per accidens, ex 5. huius, capit. de Ente. Primò ergo probat quomodo *quod quid est* sit idem cum eo cuius est in entibus dictis secundùm se. Secundò quomodo se habet in dictis secundùm accidens. Secunda ibi: *Secundùm accidens verò*. Prima in duas: quoniam primò facit quod dictum est. Secundò ex probatione data infert conclusionem intentam. Secunda ibi: *Necesse igitur vnum esse*. Prima in duas: quia primò probat quòd in dictis per se non est aliud *quod quid est* ab eo cuius est. Secundò quòd *quod quid est* non est separatum ab eo cuius est. Secunda ibi: *Et si quidem est absolutè*. In prima parte intendit talem rationem: Si in dictis secundùm se, aliud est *quod quid est* ab eo cuius est, ergò substantiis prioribus erunt aliæ substantiæ priores: consequens est manifestè falsum, ergo & antecedens. Consequentia probatur ex hoc: quia *quod quid est* substantiarum est, & prius est eo cuius est, si aliud sit, ergo aliquid erit prius ipsa substantia quæ supponitur esse prima. Dicit ergo, quòd *in dictis secundùm se* semper est *necesse idem esse*, scilicet *quod quid est* cum eo cuius est, quod patet vt supple secundùm opinionem Platonis, *si quæ sunt substantiæ* supple separatæ à sensibilibus, *quibus non sunt alteræ substantiæ priores eis, quales dicunt esse ideas quidam*, scilicet Platonici ponentes ideas separatas: *Si enim alterum est ipsum bonum & quod bonum esse*, id est, idea boni & *quod quid est* illius ideæ, & *similiter animal, & quod animali esse. & ens & quod enti esse*, si inquam sic est quòd *quod quid est* sit aliud ab eo cuius est, & hoc generaliter in omnibus, & per consequens in ideis, sequitur quòd *erunt aliæ substantiæ & naturæ præter dictas*, scilicet ideas à sensibilibus separatas: *illæ substantiæ*, quæ scilicet erunt *quod quid est* ipsarum idearum *erunt priores*, scilicet ideis; quæ tamen ponuntur substantiæ primæ, *si* pro quia, *quod quid erat esse substantiæ est*, scilicet vt prius ipsa substantia cuius est: nam *quod quid est* est illud à quo substantia rei dependet, & habet rationem principij, vt dicetur infrà in hoc 7. capitul. vltimo. Deinde cùm dicit:

Probat solutionem quæstionis, scilicet quod quid est in entibus per se esse idē cū eo cuius est.

Et si quidem absolutè ab inuicem, harum quidem non erit scientia; hæc autem non eruut entia, Dico autem absolui, si nec bono ipsi existit esse boni, nec huic esse bonum; scientia enim cuiuslibet per hoc quod quid erat illi esse, & in bono & in aliis similiter se habet. Quare si nec bono esse bonum, nec quod enti ens, nec quod vni vnum: similiter autem omnia sunt, aut nullum quod quid erat esse. Quare si neque quod enti ens; nec aliorum vllum, amplius cui non inest bono esse non bonum.

40

Probat quòd ipsum *quod quid est* non est separabile ab eo cuius est; & intendit talem rationem: Si *quod quid est* est separabile ab eo cuius est, ergo res quarum est *quod quid est* non sunt scibiles, nec formaliter entitates: consequens est falsum, ergo antecedens. Circa istam rationem sic procedit: quia primò ponit consequentiam. Secundò exponit antecedens ibi: *Dico autem*. Tertiò probat consequentiam, quantum ad vtramque partem ibi: *Scientia enim*. Dicit ergo, quòd *siquidem erunt absolutè ab inuicem*, id est, quòd *quod quid est* non solùm sit diuersum ab eo cuius est: sed etiam absolutum & separatum: sequitur quòd *harum*, scilicet rerum, quarum est quod quid est *non erit scientia:* iterum sequitur quòd *hæc* quorum est quod quid est *non erunt entia*, scilicet formaliter, hæc fuit consequentia. Exponit antecedens: *dico autem absolui si nec bono ipsi*, id est, ideæ *existit esse boni*, id est, *quod quid est* boni: *nec iterum huic*, scilicet particulari bono insit *esse bonum*, id est, *quod quid est* boni: vt sic *quod quid est boni* non solùm intelligatur separatum ab idea boni, sed etiam à particulari bono: vel aliter: *nec huic*, scilicet *quod quid est* boni insit *esse bonum:* vt sicut *quod quid est* boni intelligitur separatum ab ipso bono, ita è conuerso. Posteà probat consequentiam, dicens, *scientia enim vniuscuiusque* in hoc supple consistit quod sciatur *quod quid erat* esse illi essentiæ, vt se habet in bono & in aliis similiter: si igitur *quod quid est* sit separatum à re, sequitur quòd non scietur inesse illi rei, & per consequens illa res non erit scibilis, ideò subdit: *quare si nec bono esse*, id est, quiditati boni inest bonum; *nec quod enti*, id est, quiditati entis inest *ens: nec quod vni vnum: similiter autem omnia sunt aut nullum quod quid erat esse*, id est, quòd eadem est ratio in omnibus quòd omnia, vel nullum sit idem cum suo quod quid est: *quare si neque quod enti ens nec aliorum nullum*, id est, quòd si ipsum ens non inest ipsi *quod quid est* entis, ergo nec è conuerso *quod quid est* entis inerit enti, sed erit separatum: & similiter de aliis, scilicet de bono, & de vno, de quibus prædixerat. Si igitur vnaquæque res scitur per suum *quod quid est*, sequitur quòd nulla res erit scibilis, si suum est separabile ab eo, quod fuit primum inconueniens. Deinde quòd secundum inconueniens sequatur, ostendit dicens: *ampliùs cui non inest bono esse non est bonum*, id est, quòd si *quod quid est* boni est separatum à bono, sequitur quòd *quod quid est* boni non est bonum, scilicet formaliter. Similiter intelligendum est de aliis, quòd cui nō inest *quod quid* entis non est formaliter ens: si igitur *quod quid est* rei sit separatū à re, sequitur quòd nulla res erit formaliter ens, quod fuit secundū incōueniēs: vnūquodque enim est formaliter per suū *quod quid est* sibi inexistēs.

Quod quid est *non posse separari ab eo cuius est; alias res habens quod non esset scibilis nec formaliter ens.*

Quoniam vnumquodque perfectè scit?

Notandum, propter litteram præcedentem, quòd consuetudo est Philosophi, quando loquitur de ideis Platonis vocare ipsas, ipsum tale, puta ipsum hominem, vel ipsum equum, &c. per ly *ipsum* volens intelligere earum separationem, & per se existentiam, & ideò hîc in littera ideam boni vocat ipsum bonum, vt dictum est exponendo litteram. Deinde cùm dicit:

Necesse igitur vnum esse benignum & benigno esse, & bonum & bono esse, & quæcunque non secundùm aliud dicuntur, sed primò & secundum se: etenim hoc sufficiens si extiterit, quamquam non sint species, magis autem forsan etsi sint species.

T.c.21.

Simulque palàm; quia si sint ideæ, quales quidam dicunt, non erit substantia subiectum: has enim substantias esse est necesse, non de subiecto autem, alioquin erunt secundùm participationem. Ex his itaque rationibus patet vnum & idem non secundùm accidens esse ipsum vnumquodque, & quod quid erat esse, & quòd scire vnumquodque horum est quod quid erat esse scire. Quare secundùm expositionem necesse est vnum aliquid esse ambo.

41

Ex probatione data infert conclusionem intentam, dicens, quòd supple quia sic est: *necesse est igitur vnum esse benignum, & benigno esse*, id est, *quod quid est* benigni: *& bonum & bono esse*, id est, *quod quid est* boni: & similiter est de aliis, *quæcunque non dicuntur secundū aliud*, id est per accidens, sed primò per se: quia in dictis secundùm accidens alia ratio est, vt dicetur: & subdit, *etenim hoc est sufficiens* ad hoc, scilicet quòd res sint scibiles, & formaliter entes *si hoc extiterit*, scilicet tanquam verum, quòd supple *quod quid est* sit idem cum eo cuius est, *quamquam non sint species*, id est, ideæ quas Platonici ponebant, propter hoc vt res essent scibiles propter ideas, & formaliter entes participatione idearum: *magis autem forsan*, hoc supple est sufficiens ad propositum, scilicet quòd *quod quid est* sit idem cum eo cuius est: *etsi* pro quamuis, *sint species*, id est, dato quòd ideæ essent, magis enim est res scibilis, & formaliter ens per id quod sibi est inexistens, & coniunctum, quàm per id quod est ab ea separatum: *simulque palàm quia si sunt ideæ, quales quidam*, scilicet Platonici *dicunt esse*, sequitur quòd subiectum, id est, particularis substantia, *non erit substantia: Has enim*, scilicet ideas *necesse est esse substantias* secundùm Platonicos, *non de subiecto autem:* proprium enim est substantiæ non de subiecto dici: *erunt enim secundùm participationem*, id est, quòd si ideæ sint, vt ait Plato, ista sensibilia partialia erunt substantiæ secundùm participationem idearum, & per consequens illæ ideæ erunt de subiecto; quia si non, vt oportet dicere, ergo particularis substantia non erit substantia: quia non participabit substantiam idealem. *Ex his itaque rationibus patet* quòd *sunt vnum & idem, non secundùm accidens ipsum vnumquodque, & quod quid erat esse* vniuscuiusque, *& quòd scire vnumquodque eorum est scire quod quid erat esse* eius: *quia secundùm expositionem* istam, scilicet quòd eadem sunt principia essendi & cognoscendi, vt patet ex dictis, *necesse est vnum aliquid, scilicet esse ambo*, scilicet *quod quid est* & cuius est.

Arist. vocat ideam Platonis quandoque ipsum tale.

Infert conclusionem intentam.

Epilogus.

Notan

Quod ideæ Platonis frustrà ponuntur.

Notandum, quòd ex epilogo illo innuitur improbatio Platonis ponentis ideas: nam sicut dictũ est, ipse posuit ideas ad hoc vt res scirentur per ideas, & essent formaliter entes earum participatione: si igitur ad hoc sufficit opinio Philosophi, scilicet *quod quid est*, est idem,& coniunctum illi cuius est: siue ponantur ideæ,siue non ponantur, & magis etiam sufficit hoc quàm ideæ,esto quòd ponantur, manifestum est quòd vanum est ponere ideas, & ideò, vt derisoriè dicitur primo Posteriorum t. 35. ideæ gaudeant & quiescant: monstra enim sunt. Vnde & duæ rationes hîc adductæ ad probandum ipsum *quod quid est* esse idem, & non separatum ab eo cuius est, specialiter inuadunt opinionem Platonis: primò quidem, quia tunc ideæ non essent primæ substantiæ, quod est contra Platonem: secundò autem, quia tunc res non essent scibiles, nec formaliter entes, quod tamen Plato volebat saluare per ideas.

SVMMARIVM.

In ente per accidens *quod quid est*, non esse idem cum eo cuius est. Quod benè explicat Doctor, iterum dupliciter probatur,in ente per se,idem esse quod quid est, cum eo cuius est, & rationem regressus assignat Doctor.

42

Secundùm accidens verò dictum vt musicum, aut album, & quod quid erat esse idem esse dicere verè non licèt; propterea quod duplex significat id inquam cui accidit, & ipsum quod accidit. Quare est quidem vt idem: est autem vt non idem quod quid erat esse & ipsum: nam homini & albo homini non idem, sed passioni autem idem.

In dictis secundum accidens qualiter idẽ & non idẽ est quod quid est & illud cuius est?

Ostendit quomodo se habet in dictis per accidens de proposita quæstione. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est. Secundò regreditur ad probandum quod suprà dixerat de *quod quid est* in dictis secundùm se, quòd scilicet sit idem cum eo cuius est. Secunda ibi: *Absurdum verò*.In prima parte intendit istam conclusionem, quòd in ente per accidens non est idem *quod quid est* cum eo cuius est,& intendit talem rationem: Quod non habet *quod quid est*, non habet *quod quid est* idem sibi: sed ens per accidens non habet *quod quid est*; ergo non habet *quod quid est* idem sibi, ergo, &c. Minor probatur,ex hoc,quia ens per accidens, puta homo albus, includit duo, scilicet substantiam & accidens, quæ sunt duo diuersa non habentia aliquod vnum quid. Dicit ergo, quòd ens *dictum secundùm accidens, vt musicum & album* accepta scilicet cum subiecto, *non est verum dicere quòd idem sit quod quid erat esse:* & ipsum scilicet cuius est *propter duplex significare:* nam homo albus duo significat scilicet subiectum cui accidit esse album: & ipsum accidens, ideò concludit, *quare est quidem vt idem: est autem vt non idem quod quid erat esse & ipsum*, scilicet in dictis per acidens: *nam ipsi homini* seorsum, *& albo homini* simul, ratione scilicet subiecti *non est idem*, scilicet *quod quid est* hominis albi: *passioni autem*, id est, ipsi accidenti,puta albo, est *idem*.

Quomodo concreta accidentium duo significant & quomodo nõ.

Notandum, quòd quia homo albus significat duo, vt patet si dicatur quòd ipsum *quod quid est* hominis albi sit idem homini albo: dupliciter potest intelligi, scilicet vel quòd sit idem homini albo simul, vel homini albo seorsum: non potest dici quòd sit idem toti coniuncto, quia illud non habet *quod quid est* vt dictũ est:nec quòd sit idem homini seorsum, quia substantia non habet diffinitionem ex additione: sed potest dici quòd est idem ipsi albo seorsum: nam cùm album habeat diffinitionem ex additione subiecti eodem modo diffinietur, sicut homo albus. Vnde superiùs dictum est quòd album eodem modo diffinitur sicut vestis, per quam significatur homo albus, *quod quid est* ergo non est idem enti per accidens cuius est, nisi fortè secundùm quid & per accidens, sicut nec habet *quod quid est* nisi secundùm quid, & per accidens: vt dictum fuit. Deinde cùm dicit:

Quod quid est entis per accidens esse idem sibi potest intelligi dupliciter.

43

Absurdum verò apparebit & si quis vnicuique nomen imposuerit ipsorum quod quid erat esse: erit enim & propter illud aliud ei quod quid erat esse, vt equo ipsi quod quid erat equũ esse equo alterum.Et quid prohibet & nunc esse quædam statim quod quid erat esse: siquidem substantia est quod quid erat esse. At verò non solùm vnum,sed & ratio eadem ipsorum; sicut palàm est ex dictis: non enim secundùm accidens vnum quod vni esse & vnum.

Regreditur ad probandum quod suprà dixerat; scilicet quòd in dictis secundùm se idem est *quod quid est* cum eo cuius est:& adducit duas rationes: quarum secunda ponitur ibi: *Ampliùs si aliud.* Dicit ergo, quòd supple dicere *quod quid est*, esse aliud ab eo cuius est *absurdum apparebit*, *si quis imposuerit nomen vnicuique ipsorum quod quid erat esse:enim* pro quia,supple eadem ratione,*præter illud quod quid erat esse aliud erit:* addidit vni ei quod quid erat esse: Ex quo sequitur quòd ipsi *quod quid erat* esse A, cùm sit quædam res,sit *quod quid est*,& alterum ab A,sequitur eadem ratione quòd huic quod est *equo esse erit aliud quod quid erat esse*;quòd si dicatur quòd *quod quid est* ipsius A, non est aliud ab A, *quid prohibet nunc esse quædam statim quod quid erat esse*,id est,quòd à principio quædam sint suum *quod quid erat esse*, quasi diceret quòd nihil:quia eadem ratione standum est in primo,qua staretur in secundo,& subdit: *at verò*, supple *non solùm* quod quid est,& illud cuius est sunt *vnum* quomodocunque, *sed ipsorum ratio est eadem*,scilicet realis & essentialis, *sicut palàm est ex dictis*, *non enim* facit *vnum secundùm accidens:* sed per se & realiter *vnum*, & *quod vni esse*, id est, *quod quid est* vnius. Deinde cùm dicit:

Iterum probat primam conclusionem.

Suppleatur clarius ex S. Thoma.

44

Ampliùs si aliud erit in infinitum sunt, hoc quidem quod quid erat esse vni esse; illud verò vnum: quare & in illis erit eadem ratio. Quod quidem igitur in primis, & secundum se dictis vnicuique esse, & vnumquodque est idem & vnum,palàm.

Ponit secundam rationem, dicens, quòd *si erit aliud*,scilicet *quod quid est* ab eo cuius est *in infinitum sunt*,id est,proceditur:nam tunc erunt duo,

&

& hoc quidem quod quid erat esse, vni esse, id est, quod alterum erit, *quod quid est* vnius: *illud verò*, id est, aliud erit ipsum *vnum: quare & illis erit eadem ratio:* nam erit tertium, quod erit *quod quid est* illius secundi, quod est *quod quid est* vnius, & sic in infinitum, quod est impossibile; ideò concludit: *quod quidem igitur in primis, & secundùm se dictis vnum & idem sunt vnumquodque & vnicuique esse; palàm est.*

Notandum, quòd hæ duæ rationes quasi integrant vnam totam rationem & perfectam, quæ sic formari potest. Si *quod quid est*, est aliud ab eo cuius est; imponatur sibi vnum nomen & sit B, ipsum verò cuius est sit A: tunc B habet *quod quid est*, sit C, aut igitur C est idem ipsi B, aut aliud: si idem, standum fuit in primo quod scilicet B esset idem A, cuius est, & hoc dicit prima ratio: si verò C est aliud ab ipso B; ergo habebit aliud *quod quid est*: sit D, tūc quærā vtrùm D sit idem ipsi C, & sic erit processus infinitus, & hoc dicit secūda ratio.

Notandum etiam, quòd necessarium fuit Philosopho redire super illo, quod priùs probauerat, scilicet quòd *quod quid est* in dictis secundùm se, est idem cum eo cuius est: nam rationes superiùs adductæ sumptæ sunt supponendo ideas Platonis, quas postea improbauit: nunc autem inductæ sunt rationes propriè acceptæ ex parte ipsius *quod quid est*; sicut patet ex dictis. Deinde cùm dicit:

45

Sophistici autem Elenchi ad positionem hanc palàm quod eadem soluuntur solutione, vt si idem Socrates, & Socratis esse, nihil enim differt, nec ex quibus interrogabit vtique aliquis, nec ex quibus solutiones fuerint. Quomodo quidem igitur quod quid erat esse idem, & quomodo non idem vnicuique dictum est.

Docet defendere solutionem quæstionis principalis ostendens quomodo possunt solui sophistica possibilia fieri contra solutionem, & dicit quòd *eadem solutione* qua scilicet soluta est quæstio prædicta, *soluuntur sophistici Elenchi ad hanc*, id est, contra hanc *positionem* ostendentes, scilicet *quod quid est* non esse idem cum eo cuius est. Vnde si arguatur sophisticè: Socrates est albus; ergo album & Socratem esse sunt idem: fit enim accidens variando medium: nam ipsi Socrati, vt est idem cum suo, *quod quid est*, accidit quòd sit albus; ideò subdit, quòd *nihil differt nec ex quibus interrogabit aliquis, nec ex quibus fuerit vtique soluens*, id est, quòd nihil differt quin ex data solutione habeatur, & quomodo oportet interrogare, id est, opponere contra sophisticè obuiantes, & quomodo eis oporteat soluere & respondere, ad vtrumque enim habetur via ex data solutione quæstionis principalis. Vltimò epilogat quod dictum est: *quando quod quid erat esse est idem, & quando non idem vnicuique dictum est.*

Excludit sophisticas cauillationes.

Epilogus.

SVMMÆ SECVNDÆ CAPVT VI.

Entium alia natura, alia arte, alia casu, omnia verò ab aliquo, ex aliquo, & aliquid fuerit.

SVMMARIVM.

Ponitur triplex modus generandi; à natura, ab arte, & à casu, quorum sufficientiam benè explicat Doctor, reiecta expositione D. Thomæ. Ponitur etiam alia diuisio requisitorum ad generationem, scilicet ab aliquo, ex aliquo, & aliquid; quæ tria in omni generatione concurrunt, vt hîc benè ostenditur discurrendo per tres illos generandi modos.

T.c.22.

Eorum autem quæ fiunt, hæc quidem natura fiunt, hæc autem arte, illa autem casu.

Ad hūc text. est.q.8.lib.7.

In isto capite vt dicebatur, inquirit Philosophus de generatione ipsius *quod quid est* siue de causis generationis substantiarum sensibilium.

46

Ad cuius euidentiam notandum, quòd Plato propter tria dicitur ideas, siue species posuisse: tum scilicet propter scientiam, tum propter existentiam, tum propter generationem horum sensibilium: dicebat enim ideas necessarias, vt per eas scientia de istis sensibilibus habeatur, & vt earum participatione res sensibiles existerent, & vt essent principia generationis rerum sensibilium. Postquam ergo in præcedenti capite ostensum est, quòd non sunt necessariæ nec propter scientiam, nec propter existentiam, nunc in præsenti capite ostendit Philosophus quòd non sunt necessariæ propter generationem, ostendens quòd non sunt ideæ causæ generationis sensibilium, sed ad hoc sufficiunt agentia particularia. Circa quod duo facit: quia primò præmittit quædam vtilia, & necessaria ad intentum. Secundò declarat intentum: Secunda ibi: *Quoniam ab aliquo fit.* Prima in duas; quia primò præmittit quasdam diuisiones de rerum generatione. Secundò exponit eas ibi: *Et generationes autem.* Prima in duas secundùm duas diuisiones, quarum prima sumitur penes res generatas, & penes modum generationis. Secunda penes requisita ad generationem. Secunda ibi ponitur: *Omnia verò.* Dicit ergo, quòd *eorum quæ fiunt hæc quidem fiunt ab arte: hæc quidem à natura; alia autem à casu*, siue αὐτομάτως, quod idem est, id est, à per se vano.

Plato posuit ideas propter tria.

Res fiunt tripliciter.

Notandum quod sufficientia huius diuisionis sic assignatur à quodam expositore. Quia causa generationis, vel est causa per se, vel est causa per accidens: si est causa per se, principium motus, vel est in eo in quo est, & sic est natura, vel extra ipsum, & sic est ars: quia ars non est in ædificato, quod fit, sed in ædificante: si verò est causa per accidens, sic est casus & fortuna, quæ ambo hîc sub casu comprehendit. Sed contrà: quia vel iste expositor intendit assignare hanc sufficientiam penes causam effectiuam generationis, vel penes passiuam: si penes effectiuam; ergo malè dicit, quòd si illa causa, vel principium motus & generationis sit in re, sic est natura: nam illud principium motus & quietis naturalis, quod est in re & à quo dicitur generatio naturalis non competit principio actiuo, sed passiuo, vt ostensum est in 5. huius: si autem penes causam passiuam; ergo malè dicit, quòd si illa causa & principium sit extra rem quæ generatur, sic est ars: nam ars ad causam efficientem pertinet, ex 5. huius cap. de causa, & ideò non videtur loqui vniformiter de causa. Aliter ergo dici potest, quòd sufficientia ista sumitur penes causam effectiuam: nam causa generationis, vel est per se, vel per accidens: si per accidens, sic est casus & fortuna: si per se, vel agit de necessitate, vel à proposito: Si primo modo, sic est

Impugnat expositionem D. Thom.

Opinio propria.

Causa generationis est triplex,

est natura: si secundo modo, sic ars: ad hos enim duos modos agendi reducitur omne agens per se: ex 2.Physic.t.c.49. & inde. Deinde cùm dicit:

47

Omnia verò quæ fiunt, ab aliquo fiunt, & ex quo aliquo, & aliquid: hoc autem aliquid dico secundùm qamlibet Categoriam, aut enim hoc, aut quale, aut quantum, aut quando.

Requisita ad generationem sunt tria.

Ponit secundam diuisionem sumptam penès requisita ad generationem, dicens, quòd *omnia quæ fiunt ab aliquo fiunt*, scilicet à generante aliquo; *& ex aliquo*; scilicet ex materia, & etiam *aliquid* est quod fit, quod est terminus generationis. Et subdit, quòd *hoc aliquid dico secundùm quamlibet Categoriam: aut enim* supple *hoc* aliquid significat, id est, substantiam, *aut quantum, aut quale, aut quando*, &c.

Hoc aliquid *sumitur dupliciter.*

Notandum, quòd generaliùs accipit hîc *hoc aliquid*, quàm superiùs: nam suprà ait, quòd hoc aliquid propriè est in substantiis: hîc autem dicit per hoc aliquid posse intelligi quodlibet Prædicamentum, in quo potest esse generatio, vel simpliciter, vel secundùm quid; vel per se, vel per accidens. Sufficientia autem huius diuisionis sic sumi potest: quia in omni generatione transit aliquid de potentia ad actum: nihil autem transit de potentia ad actum, nisi per aliquod ens actu, vt dicitur 8.huius, t.c.15. & hoc est agens à quo res fit; potentia verò conuenit materiæ ex qua res fit: actus verò rei, quæ fit. Deinde cùm dicit:

Et generationes autem naturales hæ sunt, quarum generatio ex natura est.

Exponit dictas diuisiones hoc modo, ostendens quomodo tria quæ ponit secunda diuisio, reperiantur in quolibet trium, quæ ponit prima diuisio, scilicet quòd sicut in generatione naturali est reperire ab aliquo, & ex aliquo, & aliquid quod fit; sic in generatione artis, & à casu: secundùm hoc ergo hæc pars diuiditur in tres: quia primò facit quod dictum est. Secundò ex hoc infert quandam conclusionem. Tertiò remouet quandam dubitationem. Secunda ibi: *Quare sicut dicitur*. Tertia ibi: *Ex quo verò vt materia*. Prima in tres: quia primò ostendit propositum in generatione naturali. Secundò in artificiali. Tertiò in fortuita, siue in casuali. Secunda ibi: *Generationes verò aliæ*. Tertia ibi: *Si verò à casu*. Prima in duas: quia primò exponit quid importetur nomine generationis naturalis. Secundò ostendit propositum, quod intendit. Secunda ibi: *Hoc autem ex quo*. Dicit ergo, quòd *generationes quidem naturales hæ sunt, quarum generatio ex natura est*, id est, quarum principium est natura & non ars, vel intellectus; vt cùm generatur aër, vel aqua, vel aliquid huiusmodi. Deinde cùm dicit:

Generatio naturalis quæ?

48

Hoc autem ex quo fit, quam dicimus materiam: hoc autem à quo eorum, quæ natura aliquid sunt; hoc autem aliquid, vt homo, vel planta, vel aliquid aliud talium, quæ maximè substantias dicimus esse.

Exponit præmissas diuisiones.

Ostendit propositum quod intendit: & diuiditur in tres, quia primò facit quod dictum est. Secundò probat quod dixerat quantum ad vnum trium, de quo magis dubium est. Tertiò comparat omnia alia ad naturam. Secunda ibi: *Omnia* Tertia ibi: *Vniuersaliter verò*. Dicit ergo primò, quòd in generatione naturali *hoc ex quo* res *fit*, est *quam dicimus materiam: hoc autem à quo*, scilicet fit aliquid *eorum quæ natura sunt*, quod scilicet dicitur agens, *hoc autem aliquid*, quod scilicet fit, est *homo, aut planta, aut aliquid talium, quæ maximè dicimus esse substantias:* nam sicut dictum fuit circa principium huius septimi, cap.de Substantia, substantiæ naturales maximè confessæ sunt esse substantiæ ab omnibus, particulares etiam substantiæ, circa quas est generatio maximè sunt substantiæ, vt dicitur in Prædicamentis. Deinde cùm dicit:

Omnia verò quæ fiunt aut natura, aut arte habent materiam: poßibile enim & esse & non esse eorum quodlibet: hæc autem est quæ in vnoquoque materia.

Probat quod dixerat, scilicet quòd vnum trium, scilicet principium ex quo res sunt, requiritur in omni generatione non solùm in naturali, vel in casuali, sed in artificiali: quia de aliis duobus patês est. Dicit ergo, quòd *omnia quæ fiunt, aut naturâ, aut arte habēt materiā*. Cuius causam subdit: quia *quodlibet eorum*, quæ sic fiunt, est *possibile esse & non esse: hoc autem*, quo scilicet aliquid potest esse & non esse, est illud *quod in vnoquoque est materia:* nam materia est in potentiā ad formam, qua res habet esse, & ad priuationem, qua non habet esse, & omninò in omni generatione requiritur materia, ex qua res fit & generatur. Deinde cùm dicit:

Materia est qua res potest esse, & non.

49

Vniuersaliter verò & ex quo natura, & secundùm quod natura. Factum enim habet naturam, vt planta aut animal, Et à quo quæ secundùm speciem dicta natura, quæ eiusdem speciei: hæc autem in alio: homo namque hominem generat. Sic igitur fiunt, quæ fiunt propter naturam.

Comparat omnia alia tria ad naturam, ostendens quomodo quodlibet eorum posset dici natura: & dicit quòd *vniuersaliter*, illud supple ex quo est generatio naturalis, dicitur natura: vt etiam probatur 2. Physic.t.c.7. & inde. Iterum illud secundùm quod generatio dicitur naturalis, dicitur natura, puta ipsa forma generati, quæ terminat generationem: factum enim, id est, res generata, habet naturam, scilicet formam, vt planta, aut animal: generatio enim dicitur naturalis, quæ est via in naturam, quæ est forma, vt dicitur 2.Physic. t.c.14. Iterum principium *à quo* scilicet fit generatio, vt ab agente est dicta natura, que *secundùm speciem*: quæ scilicet est eiusdem speciei supple cum natura generati: *hæc autem* est *in alio*, scilicet secundùm numerum: *homo namque generat hominem*, & tamen certum est, quòd homo generans, & homo genitus non sunt idem numero: quia nulla res est, quæ se ipsam gignat vt sit, secundum Augustinum 1.de Trin.cap.1.sunt ergo tantùm idem specie. Vnde 2.Physic.t.c.70.dicitur quòd forma & finis generationis incidunt in idem numero: generans incidit cum eis non in idem numero, sed in idem specie. Concludit ergo, quòd *sic igitur fiunt, quæ fiunt propter naturam*.

Tria membra secundæ diuisionis reducuntur ad secundum prima.

Aduertendum autem, quòd hoc quod hîc dicitur,

Quando generans & genitum sunt idem specie?

tur, quòd principium generans est eiusdem speciei cum generato, non est verum vniuersaliter; sed tantùm in generatione vniuoca, nisi identitas speciei sumatur largè, pro quacunque conformitate etiam in genere, vt dicetur inferiùs. Vnde alia litera habet, quod *principium à quo secundùm speciem dicta natura aut conformis*. Deinde cùm dicit:

50

Generationes verò aliæ dicuntur factiones: Omnes autem factiones sunt ab arte, aut à potestate, aut à mente.

In quo differt generatio artificialis à naturali?

Ostendit propositum in generatione artificiali. Circa quod duo facit: quia primò distinguit generationem artificialem à naturali. Secundò exequitur de generatione artificiali. Secunda ibi: *Ab arte verò fiunt*. Prima in duas: Primò facit quod dictum est. Secundò ponit quoddam notandum circa generata ab arte. Secunda ibi: *Harum autem quædam*. Dicit ergo, quòd *generationes aliæ*, scilicet à naturalibus, puta artificiales; *dicuntur factiones: omnes autem factiones*, vel *sunt ab arte, aut à potestate, aut à mente*, scilicet intelligendo, quòd *omnes*, id est, generationes artificiales sunt ab arte dirigente, & inclinante ad opus, & à mente operante, & à potestate, id est, potentia exequente: hæc enim tria agentia concurrunt ad opus artis quodlibet in suo ordine & modo agendi, & omnia tria simul constituunt perfectum principium in artificialibus.

Notandum, quòd licèt fortè secundùm proprietatem Græci Idiomatis, generationes aliæ à naturalibus, vt sunt artificiales, dicuntur, appropriatè factiones, quæ factio dicitur in Græco praxis; tamen apud nos benè vtimur nomine factionis in generatione naturali: cùm generatio naturalis sit operatio transiens, & non semper immanens: dicimus enim, quòd ignis facit ignem & asinus asinum.

SVMMARIVM.

Generationem artis, aliquando fieri à casu præter intentionem artificis, vt contingit etiam in generatione naturali. Item ab arte fieri species, id est, ideas quarumcumque rerum, & explicatur quomodo hæ sint principia generationis, & quòd in generatione artis, principium ad intrà, & ad extrà, sumitur opposito modo: quæ omnia, optimè explicat, & quomodo vltimum in intentione, est primum in executione, & ècontra.

T.c.23.

Harum autem quædam fiunt à casu & à fortuna: similiter vt in factis à natura. Quædam enim & illic eadem & ex spermate fiunt & sine spermate. De his quidem igitur posterius perscrutandum.

Generata ab arte sunt duplicia.

Ponit quoddam notandum circa generata ab arte, dicens, quòd *harum*, scilicet generationum quæ fiunt ab arte, *quædam fiunt à casu & à fortuna*, quando scilicet artifex intendit aliquem finem, & euenit alius finis, præter intentionem suam. Vnde cùm aliquis intendit se confricare, & ex hoc præter eius intentionem euenit sanitas: hoc fit à casu, vt dicetur infrà, & hoc similiter contingit in arte: *sicut in factis à natura*. Virtus enim seminis assimilatur arti, vt dicetur infrà. Illic enim, scilicet, in factis à natura quædam eadem fiunt à natura & sine spermate, & tunc dicitur fieri à casu: *de his quidem igitur perscrutandum est posterius*, scilicet in hoc capite eodem.

Dubium.

51

Sed occurrit dubium, quomodo dictum Philosophi verum sit, scilicet quòd generata sine spermate, puta per putrefactionem, sint generata à casu: videtur quòd non: nam aliqua generata sine spermate sunt naturalia & per se, vt etiam vult Commentator 11. huius. cap. 18. Respondeo, quòd nihil prohibet aliquam generationem esse per se, & esse casualem, & per accidens, relatā ad diuersas causas. Exemplum, sanitas generata ex confricatione præter intentionem confricantis, si referatur ad naturam regitiuam corporis, non euenit per accidens, nec à casu; sed est per se intenta: sed relata ad intentionem confricantis euenit per accidens, & à casu, sicut etiam dictum fuit. 6. huius cap. de Ente per accidens: similiter in proposito, generatio alicuius animalis generati sine spermate, puta ex putrefactione, si referatur ad causam particularem, euenit per accidens & à casu: nam calor qui est in putrefacto, non intendit naturaliter generationem talis animalis, quemadmodum intendit virtus, quæ est in spermate; sed relata ad causam vniuersalem, quæ est virtus cæli, & regitiua omnium quæ fiunt naturaliter hìc inferiùs, non euenit à casu; sed est per se intenta: nam de intentione vniuersalis causæ est, vt omnes formæ quæ sunt in potentia materiæ, ad actum deducantur: rectè igitur Philosophus comparat ea quæ ab arte fiunt his, quæ à natura generantur. Deinde cùm dicit:

Solutio.

Eadem generatio potest dici per se & per accidens siue à casu.

Ab arte verò fiunt quorumcunque species est in anima: speciem autem dico quod quid erat esse cuiusque & primam substantiam. Etenim cōtrariorum modo quodam eadem species: priuationis enim substantia, quæ substantiæ est opposita, vt sanitas infirmitatis: illius enim absentia ostenditur infirmitas, sanitas autem, quæ est in anima, ratio est in scientia.

52

Exequitur de generatione artificiali, ostendens modum talis generationis, maximè quantùm ad principium effectiuum: quia de materiali iam dixit. Circa quod duo facit: quia primò describit quid sit principium actiuum in tali generatione, Secundò ostendit quando à tali principio fiat generatio artis. Secunda ibi: *Fit itaque sanitas*. Dicit ergo, quòd *ab arte fiunt quorumcunque species*, id est, exemplar, *est in anima*, scilicet artificis. Et subdit; *speciem autem dico, quod quid erat esse & primam substantiam* cuiusque, scilicet artificiati. Et addit quòd *modo quodam* est *eadem species contrariorum*, scilicet in anima. *Etenim* pro quia, substantia, id est, species *priuationis est eadem substantia*, id est, speciei, *quæ est opposita, vt sanitas infirmitatis*: nā per eādem speciem cognoscitur sanitas & infirmitas: *quia absentia illius*, id est, sanitatis, *erit infirmitas: sanitas autem quæ est in anima: est* quædam *ratio & scientia*, scilicet obiectiuè per quam cognoscitur vtrumque.

Principium vnum artificialiū quid?

Al. in scientia.

Notandum, quòd speciem artificiati vocat Aristoteles ipsum exemplar, siue ideam artificiati, quæ est ipsa res artificialis posita in intellectu obiectiuè,

Quod artificiatum in esse obiectiuo est species, & quod quid erat esse & substantia prima, & idē cōtrariorum.

obiectiuè, & in esse cognito, puta ipsa sanitas, vel domus intellecta, vel imaginata; & hæc vocatur prima substantia, quia ab ea, vt à causa factiua sumitur principium ad producendum in re extra ipsum artificiatum, tanquam aliam secundam substantiam: vocatur etiam *quod quid erat esse*: quia ipsa est quiditas & substantia rei fiendæ posita in esse ideali & in esse cognito obiectiuè: hæc autem species est eadem contrariorum: per quod differt à specie, siue à forma naturali, quæ non est vna contrariorum: cuius ratio est, quia forma naturalis est propter dare esse: forma cognita est propter cognitionem: quia igitur vnum contrarium perdit esse propter aliud, non tamen perdit cognosci: quoniam vnum contrarium per aliud cognoscitur: hinc est, quòd formæ reales naturales sunt contrariç contrariorum: sed forma in esse cognito potest esse vna contrariorum. Deinde cùm dicit:

Fit itaque sanitas intelligentia ita: quoniā hæc sanitas necesse est: si sanitas erit hoc existere, puta regularitatem: sed si hoc calorem; & ita semper intelligit donec vtique adducat in hoc, quod ipse valet vltimum facere: deinde iam ab hoc motus factio vocatur ad sanandum. Quare modo quodam accidit ex sanitate sanitatem fieri, & domum ex domo sine materia materiam habētem: medicinalis enim est & ædificatiua species sanitatis & domus: dico autem substantiam sine materia, quod quid erat esse.

53

Ostendit quomodo à tali principio fit generatio artis. Circa quod duo facit: quia primò ostendit quomodo sanitas, quæ est in anima sit principium sanitatis extrà. Secundò quomodo in generatione artis diuersimodè sumitur principium. Secunda ibi: *Generationum verò.* Dicit ergo, quòd *sanitas*, scilicet exterior *fit ex intelligente ita*, id est, quod aliquo artifice intelligente: *quoniam sanitas est hæc*, puta adæquatio, siue regularitas humorum, vel qualitatum naturalium. *Vnde si sanitas erit*, id est, debet esse, necesse *est hoc existere, puta regularitate, sed si hoc* scilicet regularitas debeat esse, *calorem* supple necesse est esse, per quem scilicet humores adæquantur & regulantur, *& ita semper* procedendo, scilicet à posteriori ad prius *intelligit*: supple id quod est inductiuum caloris, & sic deinceps, *donec vtique adducat*, siue reducat *in hoc vltimum, quod ipse statim valet facere*, puta dare talem potionem, quod quidem est vltimum in intentione: sed primum in executione. Ideò subdit, quòd dictus iā *motus qui est ab hoc*, scilicet vltimo, *vocatur factio* ordinata *ad sanandum*: quia ab isto incipit executio sanationis: ex quo concludit, *quare accidit modo quodam sanitatem habentem materiam*, id est, existentem in materia extrà *fieri ex sanitate sine materia* quæ scilicet est in anima obiectiuè; & *similiter domum* habentem materiam fieri *ex domo* siue materia: *nam ipsa species sanitatis & domus* est supple obiectiuè ipsa ars *medicinalis & ædificatiua*, reddendo singula singulis, *dico autem*, supple talem speciem & *substantiam siue materiam quod quid erat esse* vt expositum est, Deinde cùm dicit:

Processus sanandi via intentionis & executionis & sic de aliis artificialibus.

Primum in intentione est vltimū in executione.

Generationum verò & motuum hæc quidē intelligentia vocatur, illa verò factio; Qua quidem à principio & à specie intelligentia; qua verò ab vltimo intelligentiæ factio: similiter autem & in aliis intermediis vnumquodque fit. Dico autem vt si conualescit oportet adæquari, quid igitur est adæquari hoc, hoc autem erit si calefactum fuerit, hoc verò quid est hoc, existit autem hoc potestate, hoc autem iam in ipso. Faciens itaque & vnde inchoat motus sanandi, si quidem ab arte, est species quæ in anima.

54

Ostendit quomodo in generatione artis diuersimodè sumitur principium: & dicit quòd generatio & motiuū quæ scilicet sunt in arte, *hæc quidem vocatur intelligentia: illa verò*, id est, alia vocatur *factio quæ quidem* supple incipit *à principio & à specie rei fiendæ*, puta ipsa excogitatio artificis vocatur intelligentia: & ista vt dictum est extenditur ab illo quod est primum in intentione, & vltimum in executione vsque ad illud, quod est primum in executione, & vltimum in intentione. Illa verò quæ èconuerso incipit *ab vltimo intelligentiæ*, id est, ab illo ad quod prima actio quæ dicitur intelligentia, vltimò terminatur, *vocatur factio*, & hoc est ipse motus executionis ad quoddam opus exterius. Vna ergo actio est in artifice immanens & quasi intentionalis, quæ incipit ab eo quod est primum in intentione, & vltimum in executione, & terminatur ad id quod est primum in executione, & vltimum in intentione, & hæc est ipsa dispositio, siue excogitatio artificis de re facienda, quæ vocatur intelligentia. Alia operatio est transiens & realis, quæ èconteario incipit ab eo quod est primum in executione, & vltimum in intentione, & terminatur ad id quod est primum in intentione, & vltimum in executione: & hæc est ipsa executio artis: quæ vocatur factio. Et addit, quòd *similiter vnumquodque fit & in aliis intermediis* sicut supple dictum est de factione artis respectu formæ vltimò inducendæ per operationem artis: *dico autem vt si conualescit*, id est, ad hoc vt conualescat *oportet adæquari*, scilicet humores, vt sicut medicus ad hoc vt inducat sanitatem, incipit à considerando quid est sanitas: sic vt inducat adæquationem, quod est maximè propinquum sanitati, oportet quòd sciat *quid est adæquatio*: quia est supple quædam debita proportio humorum, *hoc autem si fuerit calefactum*, scilicet corpus, si quis infirmetur ex defectu caloris, & iterum supple oportet scire hoc, scilicet quid est calefieri, puta si dicatur quòd calefieri est accipere calidam medicinam. Hoc autem, scilicet dare talem medicinam existit in potestate scilicet medici: *hoc autem iam in ipso*, id est, in potestate eius; vt talem medicinam ministret. Concludit ergo quòd *faciens itaque* id est, principium factiuum *& vnde inchoatur motus sanandi: siquidem ab arte* supple sanitas inducatur *est ipsa species quæ est in anima*, siue sit species sanitatis, siue intermediorum per quæ sanitas inducitur per artem. Deinde cùm dicit:

Principium generationis artificialis duplex.

Actio artificis duplex.

Al. adęquari.

55

Si verò à casu ab hoc quod quidem faciendi est principium faciens ab arte, vt quod in mederi forsan à calefactione principium: hoc autem fricatione facit.

Agit de generatione fortuita, siue casuali. Circa quod duo facit: Primò ostendit propositum quo

Quomodo fit generatio casualis. Vide 1. di. 2. part. 2. q 4.

quomodo fiunt generationes casuales. Secundò concludit conclusionem intentam, ibi: *Calor itaque.* Dicit ergo *si vero à casu* supple fit sanitas, *tunc ab hoc quod facienti est principium faciendi ab arte,* id est, tunc principium generationis sanitatis fit ab hoc quòd est principium faciendi sanitatem illi, qui secundùm artem facit sanitatem: eadem enim fiunt ab arte & à casu: quando scilicet principium est in materia, sine arte, quod esset principium motus factionis, si idem fieret ab arte: & hoc intelligendum est principium factionis, quod est vltimum in intentione, & primum in executione, *vt* principium *quod* est *in mederi,* id est, in medicando ad sanandum animal à casu *forsan à calefactione, hoc autem facit fricatione,* ita quòd fricatio est principium, vnde incipit sanatio cùm aliquis sanatur à casu, quia ex confricatione excitatur calor præter intentionem confricantis, qui calor inducit sanitatem.

SVMMARIVM.

Infert ex dictis duo. Primum, calorem inductum à casu, vel ab arte esse sanitatem; vel partem sanitatis: secundum, omnia quæ generantur, fieri ex materia; quæ clarè explicat Doctor; atque etiam quomodo materia ex qua aliqua fiunt, prædicatur de ipsis, non in abstracto, sed denominatiuè.

Calor itaque in corpore aut pars est sanitatis, aut sequitur eum aliquid tale quod est pars sanitatis, aut per plura: hoc autem vltimum faciens, & quod est ita pars est sanitatis, vt lapides domus, & alia aliorum.

Infert ex dictis quandam conclusionem, dicens quòd *calor itaque in corpore* inductus, scilicet vel per cõfricationem, vel à casu, vel per medicinam, vel ab arte, *aut est pars sanitatis, aut sequitur,* scilicet calorem *aliquod tale quod est pars sanitatis,* puta si calor non immediatè inducat sanitatem; sed mediante aliquo quod consequitur calorem, puta dissolutio malorum humorum, quæ fit per calorem, *aut per plura,* id est, quòd hoc potest fieri non tantùm per vnum: sed etiam per plura media quæ sequuntur calorem, puta si calor consumit malos humores, prohibentes meatus corporis, quibus consumptis fit ordinatus fluxus spirituum per corpus: *hoc autem vltimum faciens: & quod est ita,* scilicet immediatè inducens sanitatem, *est pars sanitatis*: similiter est in aliis artificialibus, *vt domus* sunt partes *lapides & aliorum* artificialium similiter.

Vltimum inductiuum sanitatis est pars eius non formalis sed virtualis.

56 *Esse partem alicuius potest intelligi dupliciter.*

Notandum, quòd cùm dicitur hîc in littera quòd calor est pars sanitatis: vel illud quicquid sit quod vltimò est inductiuum sanitatis, intelligendum est quod est pars sanitatis virtualiter non formaliter: nam calor continet sanitatem, non tamen secundùm vltimum eius gradum formaliter, sed excellentiori modo, sicut causa æquiuoca: ideò illam causat: sic est etiam in omnibus genitis à casu: patet enim quòd sanitas, de qua exemplificat, potest virtualiter contineri in aliqua qualitate absoluta reductiua aliarum ad æqualitatem, æqualitas autem, vel est sanitas, vel concomitans sanitatem. Deinde cùm dicit:

Quare sicut dicitur impossibile factum esse si nihil præextiterit. Text. cõ. 24

Quod quidem igitur pars ex necessitate existit palàm: materia namque pars est: inest enim & fit hoc; sic igitur & eorum quæ in ratione. Vtroque autem modo dicimus æreos circulos quid sunt, & materiam dicentes, quia æs; & speciem quia figura talis, & hoc est genus in quo primo ponitur. Æreus itaque circulus habet in ratione materiam.

Concludit ex prædictis quandam conclusionem, scilicet quòd in diffinitione omnium generabilium oportet accipere materiam. Dicit ergo, *quare* supple quia *sic est* quòd omne quod generatur, generatur ex materia: ideò sicut dicitur cõmuniter *impossibile est aliquid esse factũ si nihil praexistit*: quia ex nihilo nihil fit secundum communem scholam omnium Philosophorum, *Palàm autem: quia illud quod præexistit pars* est; quod patet, *quia inest,* scilicet rei *quæ fit, & fit hoc:* quia materia de potentia reducitur ad actum: *si igitur* supple sic est quòd materia est pars rei, & inexistens, igitur *est eorum quæ in ratione,* id est, de numero eorum quæ ponuntur in diffinitione rei. Exemplum si diffinitur æreus circulus non solùm ponitur in diffinitione eius figura, vel forma, sed etiam æs quod est materia; ideò subdit; quòd *vtroque modo dicimus,* id est, diffinimus *æreos circulos quid sunt, & materiam dicentes: quia æs & speciem,* id est, formam: *quia figura talis & hoc,* scilicet figura, *est genus in quo primo ponitur,* & primò collocatur circulus æreus. *Æreus itaque circulus habet in ratione,* id est, in diffinitione *materiam.* Similiter intelligendum est de omnibus naturalibus quod diffiniuntur per materiam: sicut dictum est 6. huius, & primo Physic. circa finem. Deinde cùm dicit;

Materia est necessaria quoad esse & definitionem rerum materialium, & naturalium, & artificialium.

57

Ex quo verò vt materia fit quædam: dicuntur quando fiunt non illud sed illius modi, vt statua non lapis, sed lapidea: homo autem conualescens non dicitur illud ex quo.

Excludit quandam dubitationem circa quam sic procedit; quia primò dubitationem proponit. Secundò eam soluit. Secunda ibi: *Causa verò.* Dicit ergo, quòd illud *ex quo* aliquid *fit, vt materia, quædam dicuntur quando fiunt non illud, sed illius modi,* id est, quòd materia ex qua aliqua fiunt quandoque prædicatur de ipsis non in abstracto vt dicantur esse illud, id est, materia, sed illius modi, id est, denominatiuè: *vt statua non* dicitur *lapis, sed lapidea*: sed quandoque non est sic: quia *homo conualescens non dicitur illud,* scilicet laborans *ex quo fit*: licèt enim conualescens fiat ex laborante: non tamen recipit prædicationem eius, etiam in concreto, vt conualescens dicatur laborans, vel infirmus: est ergo dubitatio quæ sit causa huius. Deinde cùm dicit:

Causa verò quia fit ex priuatione & subiecto, quod dicimus materiam: vt homo & ægrotans fit sanus. Magis tamẽ ex priuatione dicimus, vt ex ægrotãte sanus, quam ex homine. Text. cõ. 25.

ne. Propter quod ægrotans quidam qui sanus non dicitur, sed homo & homo sanus. Quorum verò priuatio non manifesta & innominabilis, vt in ære figura cuiuslibet, aut in lateribus & lignis domus; ex his videtur fieri, vt illic ex ægrotante. Propter quod sicut nec ibi ex quo hoc illud non dicitur; nec hîc statua lignum, sed producitur lignea non lignum, & ænea non æs; lapidea sed non lapis, & domus lateritia, sed non lapides.

Text. cō. 26.

Quoniam neque quod ex ligno fit statua, aut quod ex lateribus domus, si quis valde inspexerit: non vtique simpliciter dicet: quia oportet permutationem fieri ex quo, sed non permanente propter hoc quidem ita dicitur.

Aliquid fit ex aliquo dupliciter.

58

Soluit dictam dubitationem, dicēs quòd *causa* huius est: quia supple dupliciter fit aliquid ex aliquo, scilicet *ex priuatione & ex subiecto, quod dicimus materiam, vt homo fit sanus*, quod est subiectum, & laborans fit sanus, quod est oppositum: *magis tamen dicimus aliquid fieri ex priuatione*, quàm supple ex subiecto, *vt ex laborante sanus, quàm ex homine:* sed supple hoc fieri hoc magis dicimus in subiecto, quàm in priuatione: vt quòd homo fit sanus, quàm laborans fiat sanus: *propter quod* quia sic est *laborans quidem non dicitur ille, scilicet qui sanus:* sed dicitur magis *homo*, & èconuerso *homo dicitur sanus*, & non de priuatione, dicendo laborans est sanus: & quia in quibusdam priuatio est ignota & immanifesta; ideò subdit; *quorum verò priuatio non manifesta & innominabilis*, vt est priuatio cuiuslibet *figura in are, & priuatio domus in lateribus, & lignis*; ideò supple in talibus vtimur materia loco priuationis, dicentes *ex his aliquid fieri vt illic ex laborante:* vbi priuatio est manifesta: vt si dicamus quòd statua fit ex ære, & domus ex lapidibus & lignis, sicut dicimus, quòd sanus fit ex laborante: *propter quod sicut nec ibi ex quo hoc*, scilicet fit aliquid, vt ex priuatione: illud non dicitur, id est, nō prædicatur de illo quod fit, quia non dicimus quòd sanus fit laborans: *ita nec hic* dicimus quòd *statua fit lignū, sed producitur*, scilicet abstractum in concretum, dicendo quòd supple statua est *lignea, non lignum, & area non as, lapidea & non lapis: domus etiam dicitur lateritia & non lateres: quia si quis valdè*, id est, subtiliter *inspexerit*: patet *quod nec statua fit ex ligno* simpliciter loquendo: *aut domus ex lateribus, nō vtiq; simpliciter dicet in talibus*; scilicet fieri hoc ex hoc: *quia oportet permutationem fieri ex quo; sed non permanente*, id est, quòd per aliquam permutationem fiunt ista ex illis: sicut ex aliquo permutato & non permanente, æs enim transmutatur cùm ex eo fit statua & similiter lateres & ligna. Concludit ergo *propter quod quidem igitur, ita dicitur*, id est, fit talis prædicatio in prædictis.

Materia prædicatur denominatiue de materiato.
idē 9. huius Text. cō. 12.

Ex quo aliquid fit vt ex priuatione nō prædicatur de eo; sed ex quo fit vt subiecto, vel materia, prædicatur in concreto, non tātùm in abstracto ab ipso & quare.

Notandum, solutionem istam in hoc stare; quia dupliciter fit aliquid ex aliquo. Vno modo ex priuatione, vel contrario, & tunc vtimur hoc modo loquendi: quòd *hoc fit ex hoc*: & non *hoc est hoc*: quia vnum oppositum non inexistit alteri; & ideò vnū nō prædicatur de alio, etiā denominatiuè, prędicatione dicēte *hoc est illius modi, vel illius*. Alio modo fit aliquid ex aliquo, vt ex subiecto, quòd dicitur materia: & tunc vtimur hoc modo loquendi, quòd *hoc fit ex hoc*, & *hoc est illius modi* quia non prædicatione in abstracto, sed in concreto, vt dicitur in littera, vt cùm dicimus: Homo est sanus, non sanitas: & statua lapidea, non lapis. Ratio huius est, quia materia est pars inexistens rei, & ideò potest de re prædicari saltem in concreto, & denominatiuè: quando autem priuatio est immanifesta, tūc vtimur subiecto loco priuationis, & eodem modo loquendi propter eandem causam: vt non dicimus quòd statua sit æs, sed ex ære: nec quòd domus fit lapides, sed ex lapidibus, vel producendo abstractum in concretum, modo præexposito.

SVMMÆ SECVNDÆ CAP. VII.

Non fieri per se formam, vel materiam, sed compositūm ex vtrisque.

SVMMARIVM.

Vt probet ideas Platonis non esse necessarias ad generationem; ostendit non generari per se materiam, nec formam; sed compositum. De quo fusè agit Doctor hîc q. 8. & 9. Vide sum. 2. d 3. q 6. num. 22. vbi dicit ideas non requiri ad generationem, & 4. d. 12. q. 4. num. 25. vbi docet quod generatur esse compositum, & idem habet d. 13. q. 1. n. 27. & 1. d 38. q. 2. & fusè hîc q. 10.

50

QVoniam verò ab aliquo fit quod fit: hoc autem dico vnde principium generationis est, & ex aliquo, fit autem non priuatio hoc, sed materia. Iam enim diffinitum est quomodo hoc dicimus, & quomodo fit hoc; Hoc autem est sphæra, aut circulus, aut quodcunque euenit aliorum. Quemadmodum nec subiectum, æs inquam ipsum fic, nec sphæram, nisi secundùm accidens facit, quia ænea sphæra est, & illam facit; nam hoc aliquid facere, ex totaliter subiecto hoc facere est. Dico autem quia æs rotundum facere est non rotundum, aut sphæram facere, sed alterum aliquid: aut speciem hanc in alio.

Postquam Philosophus præmisit quædam necessaria ad intentum, nunc accedit ad propositum, volens ostendere quòd ideæ Platonis, si ponantur, non possunt esse causa generationis: vel quòd non est necesse eas ponere propter generationem. Circa quod tria facit: quia primò ostendit quid sit illud quod per se terminat generationem. Secundò ostendit propositum: quòd scilicet ideæ non sunt necessariò ponendæ propter generationem. Tertiò quædam dubia determinat possibilia oriri ex prædictis. Secunda ibi: *Vtrùm igitur*. Tertia ibi: *Dubitabit autem aliquis*. Prima in duas: quia primò probat quòd forma non generatur per se, sed tantùm per accidens. Secundò quod compositum ex materia & forma per se generatur. Secunda ibi: *Æneam verò sphæram.*

Prima in tres: quia primò conclusionem intentam proponit. Secundò eam probat. Tertiò eam probatam concludit. Secunda ibi: *Nam si facit.* Tertia ibi: *Palàm ergo.* Dicit ergo quòd sicut ostensum est priùs, *quod fit, ab aliquo fit: hoc autem dico vnde est principium generationis*, id est, agens, iterum fit *ex aliquo: fit autem non priuatio hoc, sed materia*, id est, quòd illud ex quo aliquid fit non est ipsa priuatio, sed materia: *iam enim diffinitum est*, scilicet parum antè, *quando hoc dicimus*, scilicet quòd aliter fit ex materia aliquid, & aliter ex priuatione: iterum est ipsum quod fit, quod est terminus generationis: *hoc autem est aut sphæra, aut circulus, aut quodcunque euenit aliorum*; hæc enim tria concurrunt in omni generatione, vt dictum est priùs. His ergo præmissis & suppositis, subdit quòd *quemadmodum* supple *nec ipsum agens* facit *subiectum*, id est, materiam quæ est æs, sic *nec facit sphæram*, id est, formam sphæricam, *nisi secundùm accidens*: quia ænea sphæra est & illam facit, id est, quòd facit æneam sphæram, quod est compositum: & quia ænea sphæra est sphæra, & habet formam sphæræ: ideò agens facit per accidens ipsam formam sphæræ. Vnde subdit: *nam facere hoc aliquid, est facere hoc ex aliquo subiecto totaliter*, id est, quod vniuersaliter est verum: *dico autem quia facere æs rotundum*, id est, formam rotunditatis *non est facere sphæram*, id est, formam sphæræ, *sed alterum aliquid*, id est, compositum: *aut speciem hanc in alio*, id est, formam in materia, & hoc est facere compositum: non ergo fit forma nisi per accidens. Deinde cùm dicit:

Terminus generationis per se & per accidens quis?

Nam si facit ex aliquo facit alio: hoc enim subiiciebatur, vt facere æneam sphæram. Hoc autem ita, quia ex hoc quod est æs, hoc facit, quod est sphæra. Si igitur & hoc facit ipsum, palàm quia similiter faciet, & ibunt generationes in infinitum.

60

Quod forma per se non generatur ostēdit.

Probat conclusionem propositam & intendit talem rationem: Si forma per se fit; ergo erit processus infinitus in materiis & formis: consequens est falsum; ergo antecedens. Consequentia probatur ex hoc, quia omne quod fit, fit ex aliquo, vt ex materia, vt suppositum est priùs: si igitur forma fiet; fiet ex materia, & per consequens erit composita ex materia & forma; & tunc quæreretur iterum de forma formæ, & sic in infinitum, cùm omne generatum habeat materiam & formam. Dicit ergo *nam si* supple agens aliquid *facit, & ex aliquo facit*, scilicet ex materia: *hoc enim subiiciebatur*, id est, supponebatur prius, *vt* supple agens dicitur *facere æneam sphæram: hoc autem ita: quia ex hoc, quod est æs & materia: facit hoc, quod est sphæra ænea: si igitur facit, & hoc ipsum*, scilicet ipsam formam, *palàm quia faciet*, scilicet ex aliqua materia, *& ibunt generationes in infinitum*. Deinde cùm dicit:

Text, cō.27. Ad hūc text. est, quæst.9. lib.7.

Palàm ergo quòd nec species fit, aut quodcunque oportet vocare in sensibili formam: nec est enim generatio, nec quod quid erat esse huic: hoc enim est quod in alio fit, aut ab arte, aut à natura, aut potestate.

Concludit probatam conclusionem, dicens palàm esse, *quòd nec species, aut quæcunque oportet vocare formam in sensibili*, scilicet materia, non fit, nec est eius generatio, nisi per accidens: *hæc enim*, scilicet forma *& quod quid est: id quod fit in alio*, scilicet in materia & in aliquo composito singulari: cuius est per se generatio, & hoc *aut ab arte, aut à natura, aut à potestate*, id est, à quocunque agente generaliter.

Notãdum, quòd forma quę est pars rei, non generatur nisi per accidens, propter rationem dictã: ipsa autem species vniuersalis & suum *quod quid est* (nam species habet, *quod quid est* per se primò) non generatur nisi per accidens, scilicet ad generationem singularium, quorum est per se generatio, ex primo huius: generato enim Socrate, non per se generatur homo, & *quod quid est* hominis, sed per accidens; ideò dicit Philosophus, quòd *nec fit species*, nec forma sensibilis, *nec etiam quod quid erat esse*. Deinde cùm dicit:

Vniuersalia sicut & forma generantur per accidens.

61

Æneam verò sphæram esse facit: facit enim ex ære & sphæra: nam in hoc hanc speciem facit, & hæc est sphæra ænea: hoc autem sphæræ esse, eius verò quod est sphæræ esse, omninò si est generatio, ex aliquo aliquid erit. Oportebit enim diuisibile esse semper quod fit, & esse hoc quidem hoc, & hoc hoc: dico autem hoc quidem materiam, illud verò speciem. Si igitur est sphæra ex medio figura æqualis, huius hoc quidem est, in quo erit quod facit, hoc autem in illo, hoc autem omne, quod factum est, vt ænea sphæra. Palàm igitur ex dictis, quia quod quidem vt species, aut vt substantia dicitur, non fit, synodus autem secundùm hanc dicta fit, & in omni generato materia inest, & est hoc quidem hoc, & hoc hoc.

Ostendit quòd ex quo materia non generatur nec forma, quòd compositum est illud quod primò generatur, dicens quòd *æneam verò sphæram facit esse; facit enim ex ære*, id est, ex materia *& sphæra*, id est, ex forma, quæ est terminus formalis generationis: *nam facit hanc speciem*, id est, formam, siue figuram sphæræ *in hoc*, id est: in ære, quod est materia, & *hoc est sphæra ænea*, quod est compositum, *hoc autem*, scilicet figura *sphæra est sphæræ esse*, id est, forma sphæræ; *eius autē quod est sphæra esse omninò, si generatio erit aliquid ex aliquo*, sicut ex materia, *oportebit enim semper quod fit, esse diuisibile, & esse hoc quidem hoc, & hoc hoc*, id est, esse partem, & partem, quod exponit, *dico autem, quod hoc quidem materiā, illud verò speciē*, id est, formam, *si igitur est sphæra ex medio figura æqualis*, id est, quòd si forma sphæræ est, quòd sit figura, scilicet solida à cuius medio omnes lineæ ductæ ad circunferentiam sunt ęquales, oportet quòd huiusmodi supple sphæræ æneæ *hoc quidem*, scilicet materia, *est illud in quo erit illud, quod facit* agens, scilicet forma: *hoc autem in illo*, scilicet forma, quæ est figura ex medio æqualis, *hoc autem omne*, id est, totum *quod factum est, vt ænea sphæra*, quod est ipsum compositum: vltimò, cùm dicit *Palàm igitur*, cōcludit quantùm ad istud capitulum, dicens quòd *quia* supple omne, quod fit oportet esse, supple diuisibile, igitur palam *est ex dictis, quia quod quidem, vt species, aut vt substantia*, id est, quod quid est, vel forma substantialis rei non fit, *synodus* autē secundùm *hanc dicta*, id est, compositum;

Al. id est, quod quid est sphæræ.

Totum siue per se siue per accidens est primus terminus generationis.

In omni generato est materia & forma.

compositum, quid dicitur & determinatur à tali forma. & substantia sit, & etiam palàm est, quòd *in omni generatione est materia, & est hoc quidem hoc, & hoc hoc*, id est, habet duas partes, quarum vna est materia & altera est forma.

SVMMÆ SECVNDÆ CAPVT VIII.

Non dari aliquam formam à singularibus separatam.

SVMMARIVM.

Ideas non esse necessarias: primò quia alioquin genitum non esset hoc aliquid: secundò quia non sunt vtiles; tertiò non possunt esse causæ exemplares generationis. Nota quomodo dicit generationem mali esse præter naturam, de quo Doctor. 2. d. 37. q. 1. Nota etiam omnem generationem esse aliquo modo vniuocam, vel saltem omne generans generare sibi simile aliquo modo, de quo vide Doctorem 2 d. 27. q. 2. ad primum & 4 dist. 44. q. 2. in fine.

VTrùm igitur est quædam sphæra præter has, aut domus præter lateres, aut nunquam facta est.

T. c6. 28. c. 8. Ad hūc text. est qu. 11. lib. 7.

Postquam Philosophus ostendit quid sit illud, quod per se terminat generationem, nunc ostendit propositum, quòd scilicet ideæ non necessariò sunt ponendæ propter generationem.

Ad cuius euidentiam notandum, quòd vt imponitur Platoni, dupliciter posuit ideas causas generationis, scilicet in ratione generantis, & in ratione exemplaris. Primò ergo agit contra primum. Secundò contra secundum, ibi: *In quibusdam verò*, Prima in tres, quia primò ponit intentum sub quæstione. Secundò arguit ad partem negatiuā, scilicet quòd ideæ, vel formæ separatæ non possunt poni propter generationem. Tertiò concludit propositum probatum. Secunda ibi: *Si sic erit hoc aliquid*. Tertia ibi: *Manifestum igitur*. Est ergo quæstio, *vtrùm igitur est quædam sphæra præter has*, id est, vtrùm sit aliqua forma vniuersalis præter singularia, vt quòd sit quædam sphæra separata à materia præter has sphæras singulares, quæ sunt in materia; *aut* sit aliqua *domus* separata à materia *præter lateres*, ex quibus scilicet particulares construuntur: *aut nunquam facta est*, scilicet aliqua talis domus, vel sphæra separata.

62 Dupliciter posuit Plato ideas causas generationis. An sit aliqua forma vniuersalis præter singularia?

Ibi tamen loquitur de mathematicis.

Notandū, quod licèt Plato non poneret formas artificialium separatas, vt dicitur 2. Physic. text. com. 19. Philosophus tamen mouet quæstionem in artificialibus, vt per artificialia, quæ sunt notiora, intelligatur esse quæsitum in naturalibus, quorum ponebat Plato formas separatas, vt vtrùm sit homo vniuersalis præter carnes & ossa, ex quibus constant homines particulares. Deinde cùm dicit:

Si sic erat hoc aliquid, sed quia tale significat, hoc autem & determinatum non est; sed facit & generat ex hoc tale, quod quando generatum est; est hoc tale, hoc autem est omne. hoc. Callias autem & Socrates est quemadmodum sphæra ænea hoc; homo verò & animal quemadmodum sphæra ænea totaliter.

63 Quòd ideæ nō sunt ponendæ propter generationem probat.

Arguit ad partem negatiuam quæstionis, & intendit talem rationem: Si ideæ, siue puræ formæ separatæ, sunt causæ generationis, ergo genitum non erit hoc aliquid compositum: consequens est falsum; ergo antecedens. Consequentia probatur: quia generans & genitum assimilātur: sed ideæ si sint, non erunt hoc aliquid; sed quale quid: quia non essent aliquid determinatum, sed commune & vniuersale; ergo ipsum genitum erit quale quid, & non hoc aliquid. Aliter formatur ratio, & est idem: quia si sic, ergo ideæ separatæ, erunt hoc aliquid: consequens est falsum: quia non sunt aliquod determinatum, sed quale quid, vt prædictum est. Consequentia probatur, per id quod priùs, quia generans & genitum assimilantur: genitum autem est hoc aliquid & determinatum, vt Socates, ergo generans erit hoc aliquid determinatum. Dicit ergo quòd *si sic*, id est, si ponantur formæ immateriales causæ generationis, *erit hoc aliquid*, scilicet illa forma separata, siue idea: sed non est: *quia quid tale*, id est, quale quid *significat hoc autem determinatum non est tale*, scilicet forma vniuersalis separata, quod supple falsum est, quia si generatum est tale hoc, id est, *hoc aliquid determinatum, quod facit & generat aliquid ex hoc*, id est, ex materia, *& quando generatum* est, *est hoc tale*, id est, hoc aliquid determinatum, ita quòd generans & genitum sunt hoc aliquid: quia assimilantur, vt dictum fuit iuxta principium huius capituli. Quòd autem genitum sit hoc aliquid probat cùm subdit: *hoc autem omne*, scilicet genitum *hoc*, *Callias autem & Socrates est: quemadmodum hæc sphæra ænea*, quorum quodlibet est hoc aliquid determinatum: *homo verò vel animal, quemadmodum sphæra ænea totaliter*, id est, vniuersaliter dicta, non sunt supple hoc aliquid determinatum, & per consequens non sunt hoc aliquid generatum. Deinde cùm dicit:

Manifestum ergo quia specierum causâ, sicut consueti sunt quidam dicere species, si sunt quædam præter singularia ad generationes & substantias nihil vtiles, neque vtique erunt propter hoc substantiæ secundum se.

Ideæ non deseruiunt ad generationē.

Ostendit propositum, dicens quòd *si sunt species quædam præter singularia, nihil vtiles sunt ad generationes & substantias* rerum: *sicut quidam*, scilicet Platonici *consueti sunt dicere specierum causâ*, id est, ad hoc vt ponantur species, id est, ideæ: *nec vtique erunt propter hoc substantiæ secundùm se*, scilicet existentes separatæ: vna enim causa; quare Plato posuit ideas, est, vt essent causæ generationis in rebus: si igitur non sunt causæ generationis, vanum est ponere ideas. Deinde cùm dicit:

In quibusdam verò palàm, quia generans tale quidem est quale generatum, nec tamen idem nec vnum numero, sed vnum specie, vt in

64

in Physicis; homo namque hominem generat, nisi quid præter naturam fiat, vt equus mulum, & hoc quoque simile, quod enim commune est super equum & asinum, non est nominatum proximum genus, sunt autem ambo forsan velut mulus. Quare palàm, quia non oportet quasi exemplum, speciem probare, maximè enim in his exquirerentur formæ, nam substantiæ maximè hæ, sed sufficiens est generans facere & speciei causam esse in materia. Omnis verò iam talis species in his carnibus ossibus Callias & Socrates, & diuersa quidem propter materiam, diuersa namque idem verò specie, nam indiuiduæ species.

In generatione generans & genitum sunt idem specie, non numero.

Ostendit quòd ideæ non sunt necessariæ propter generationem in ratione exemplaris, siue assimilantis, dicens *quòd in quibusdam palàm est:* licèt fortè in aliis sit dubium *quod generans est quidem tale, quale est genitum, non tamen idem, nec vnum numero, sed vnum specie*, vt dictum est *in Physicis*, 2. Physic. text.com.70. quod generans & genitum non incidunt in idem numero, sed in idem specie; *homo namque hominem generat.* Similiter intelligendum est de aliis rebus naturalibus, quod quælibet res generat sibi simile in specie, nisi fiat aliquid præter naturam, vt cùm generat equus mulum. Dicitur autem ista generatio præter naturam; quia est præter intentionem naturæ particularis: nam virtus in semine equi intendit producere naturaliter simile in specie equo generanti, quià tamen non potest propter inobedientiam materiæ, generat simile quod potest; vnde in generatione muli est aliquo modo similitudo geniti ad generans; ideò subdit: & *hoc quoque simile, est enim aliquod genus proximum, non nominatum, quod est commune super equum & asinum: sunt autem ambo forsan velut mulus*: ita quòd continentur sub aliquo genere proximo cõmuni & equo & asino: cõtinetur etiã mulus sub illo genere, in quo genere sit asinus, & sic assimilatur aliqualiter generanti; ergo omnia generata aliquo modo assimilantur particularibus generantibus: *quare* si sic est *palam quòd non oportet probare speciem*, scilicet aliquam separatam: *quasi exemplum* ad cuius similitudinem sint res generatæ, vt dicebat Plato, *maximè enim in his*, scilicet naturalibus *exquirerentur* talia exempla: *nam hæ*, scilicet substãtiæ naturales *maximè sunt substantiæ*, respectu, scilicet artificialiũ: *sed in his sufficiens est generans*, scilicet particulare, *facere*, scilicet talem similitudinem *& esse causam speciei*, id est, formæ in materia, quod est esse causam compositi: *omninò verò* iam *talis species*, id est, forma quæ est *in his carnibus & ossibus*, est supple aliquod determinatũ singulare, vt *Callias & Socrates* & supple generans & genitum sunt *diuersa quidem propter materiam; diuersa namque* supple materialiter; *idem verò specie* est, scilicet vtraque forma generantis & geniti: *nam indiuidua species*, id est, forma est alia, scilicet & alia in generante & genito, ex quo patet, quòd superfluum est ponere aliquam formam separatam, quæ sit causa generationis rerum in ratione exemplaris, siue assimilantis, cùm ad hoc sufficiat forma agentis particularis, quæ est in materia.

Quod generatio muli est præter naturam & qualiter?

Adde ex S. Thom. & aliis expositoribus hic plura.

Nominetur illud genus iumentum.

Idea non est exemplar in generatione naturali.

65

Notandum, quòd Philosophus hîc in littera videtur concedere omnem generationem esse aliquo modo vniuocam. Ad cuius euidẽtiam sciendum, quòd omnis generatio est aliquo modo vniuoca: nam omnia fiunt aliqualiter ab vniuoco: quia agens vel habet formam, quam producit formaliter in se, & tunc generatio est simpliciter vniuoca; aut habet formam illam in virtute non formaliter, & tunc generatio non est simpliciter vniuoca, sed tantùm secundùm quid. Ex quo colligitur, quòd etiam in putrefactiis est aliquo modo generatio vniuoca, quia agens superius vniuersale virtualiter habet formam generati per putrefactionem, etsi non formaliter.

Omnis generatio est vniuoca.

Vide in prolo. sen. q. finali ad finem.

Notãdum, quòd ex hoc quod hîc dicitur quòd generans & genitum sunt diuersa propter materiam, volunt aliqui materiam esse causam distinctionis numeralis & indiuiduationis: quæ opinio improbata est 5. huius, cap. de Vno: sed quod hîc dicitur, nihil facit pro eis, si benè intelligatur.

Ad cuius euidentiam notandum, quòd intentio Philosophi est quòd ideæ non sunt necessariæ propter generationem: quia tam distinctio gignentis a genito, quàm etiam assimilatio geniti cum generante: quæ duo requiruntur ad generationem vniuocam, possunt haberi sine ideis. Agẽs enim particulare ex forma sua habet vnde assimilet sibi passum & generans genitum, & ex materia habet quòd sit distinctum à genito non principaliter: licèt tamen sequatur necessariò quòd distinguatur per materiam à genito, quia materiam non suam, sed aliam perficit per formam terminantem generationem: sua enim materia iam perfecta est formaliter; & ex hoc quòd assimilat per formam, assimilat aliam materiam quàm suam: & ita sua materia alia est ab illa quæ priuatur forma tali. Cuiuscunque est autem alia materia, ex quo materia est pars essentialis rei, ipsum est aliud ab eo: dico tunc quòd assimilationis, vel similitudinis principalis ratio est ipsa forma inter generans & genitum: & hoc non secundum vnitatem, vel identitatem indiuidualem, inquantum forma est hoc: sed secundùm vnitatem, vel identitatem illam minorem, inquantum forma est, quæ est vnitas aliqua minor vnitate numerali: & secundùm hoc est ratio generandi. Forma etiam est principium distinctionis prius quàm materia, quia sicut forma est illud principalius, quo compositum est quàm materia; ita etiam est principalius, quo compositum est vnum, & per consequens in se indistinctum, & ab alio distinctum. Appropriatè tamen distinguendo inter assimilatiuum & distinctiuum, forma est assimilatiua: ita quòd non materia propriè: quia non est qualitas substantialis, vel accidentalis: materia autem est distinctiua appropriatè loquendo: quia necessariò ex hoc quod caret forma, distinguit ab illa materia quæ præhabet formam, & ita compositum à composito. Aliter posset dici breuiùs, distinguendo de materia, vt in 5. huius, prout est altera pars essentialis constituens cum forma partis vnum per se: & de tali non est sermo hic, nec ipsa est causa indiuidualis distinctionis: vel prout materia dicit proprietatem indiuidualem: quæ etiam materia potest dici, & sic vtique generans generat aliud, quod est aliud & distinctum per talem materiam quæ est indiuiduationis causa. Prima responsio melior & melius saluat litteram Philosophi vt videtur.

Vide in 2. d. 3. q. 6. ad finem, Ad generationem vniuocam requiruntur 2.

Quomodo materia est principium distinctionis numeralis.

Al. forma.

Assimilatiuũ & distinctiuum propriè & principaliter est forma; propriè verò & concomitãter est materia.

Appropriatè verò assimilare est forma, & distinguere materia.

Materia. 2.

SVM

SVMMÆ SECVNDÆ
CAP. IX.

Aliqua ab arte,& casu fieri,alia non : Item omnia ex vniuoco generari , & compositum , non formam terminare generationem.

SVMMARIVM.

Vt soluat dubitationem. Quare aliqua fiunt, nunc ab arte , nunc à casu,vt sanitas;alia ab arte tantùm , vt domus. Notandum ex Doctore quædam generari immediatè, id est, sine semine ; quædam mediatè, seu propagatione. De quo vide sum.2.d.18. Nota etiam ex eodem 1.d 2. q. 2. num 27. generata per propagationem , & putrefactionem contingere esse eiusdem speciei, vt experientia constat in multis plantis.

Text. cō.29. cap.9.

DVbitabit autem aliquis quare alia fiunt arte , & à casu , vt sanitas , alia non vt domus.

Ad hūc text. est qu. 12. lib.7.
66
1.Dubium.

Postquam Philosophus probauit quòd ideæ non sunt necessariò ponendæ propter generationem : nunc determinat quædam dubia possibilia oriri ex prædictis. Et diuiditur in duas secundùm duo dubia quæ remouet. Secunda ibi : *Non solùm autem.* Prima in duas : quia primò mouet vnum dubium & soluit. Secundò ex data solutione concludit quandam veritatem superiùs præostensam. Secunda ibi : *Palam verò ex dictis.* Prima in duas : quia primò proponit dubitationem. Secundò subiungit eius solutionem. Secunda ibi : *Causa verò est.* Dicit ergo , quòd *dubitabit aliquis , quare aliqua fiunt ab arte , & à casu , vt sanitas : alia verò non, vt domus* , quòd scilicet sic fit ab arte quòd non fit à casu.

Notandum , quòd ista dubitatio oritur ex prædictis : dictum enim fuit suprà quòd ab arte sunt ea quorum est species in anima artificis , vt sanitas inducta per artem medicinæ. Dictum fuit etiam quòd eadem quæ fiunt ab arte , fiunt etiam à casu , quando est principium in materia sine arte , quod esset principium motus factionis , si idem fieret ab arte : vt sanitas causatur à calore extrinseco per confricationem : hoc autem non est verum in omnibus,vt patet de domo , quæ non potest fieri à casu , sed ab arte solùm ; ergo est dubitatio quæ est causa huius. Deinde cùm dicit:

Causa verò est quia hoc quidem est materia incipiens generationis in facere & fieri aliquid eorum , quæ ab arte in qua existit aliqua rei pars. Hæc quidem talis est qualis moueri ab ea , illa verò non , & huius hæc quidem potens , hæc autem est impotens , multa namque possunt quidem ab ipsis moueri sed non sic puta saltare. Quorum igitur talis est materia , vt lapides impossibile sic moueri nisi ab alio , sic tamen vtique & ignis. Propter hoc, hæc quidem non habent sine habente artem, hæc autem erunt:ab his enim mouebuntur non habentibus artem quasi artem , moueri verò potentibus eis , aut ab aliis non habentibus artem, aut ex parte.

Soluit dubitationem.

Generatio alia æquiuoca alia vniuoca. & hæc duplex.
67
Nota de ratione seminali.
Vide.18.d.2.

Ad cuius euidentiam sciendum , quòd aliqua generantur vniuocè , & aliqua æquiuocè. Exemplum primi homo generans hominem. Exemplum secundi : generatio vermis ex putrefactione : & eorum etiam quæ generantur vniuocè , quædam generantur immediatè , quædam mediatè. Exemplum primi : ignis generat ignem sine aliquo medio. Exemplum secundi:asinus generans asinum mediante semine. In generatis igitur vniuocè non immediatè requiritur necessariò ratio seminalis : sed non requiritur necessariò in generatis immediatè. Ratio huius est : quia ratio seminalis ponit quoddam medium inter generans & genitum , vt etiam absente generante possit generatio continuari : sed absente generante mediatè, puta asino masculo, continuatur generatio in ventre femellæ asinæ:absente autem generante immediatè, puta igne non continuatur generatio ignis:sed statim aqua redit ad suam frigiditatem, si ex aqua debeat ignis generari;ergo in generatis immediatè non requiritur necessariò ratio seminalis. Confirmatur,quia ibi non concurrit semen, nec concurrit ratio seminalis:nam ratio seminalis est aliqua forma seminis , inquantum est semen, siue sit forma substantialis seminis,siue,quod magis videtur, sit aliqua qualitas consequens necessariò formam seminis : ratio ergo seminalis non est sine semine ; sed in generatis mediatè concurrit semen , & non in generatis immediatè. Patet ergo quòd in his, & non in illis requiritur necessariò ratio seminalis,eadem ratione,nec requiritur ratio seminalis propriè in generatis æquiuocè; tum quia ibi non concurrit semen:tum quia absente generante non continuatur illa generatio, sicut patet. In generatis igitur naturaliter & mediatè,vt sunt animata communiter , & in quibusdam generatis artificialiter , exigitur in materia quædam virtus,& ratio seminalis, vel aliquod simile,quod dicitur propter generata per artem, in quorum materia est quandoque aliqua virtus actiua,quasi tenens locum rationis seminalis,quam virtutem vocat hîc Aristoteles partem rei : non quòd sit pars formæ generandæ , vel inchoatio, sed est quædam virtus, siue ratio seminalis in generatis naturaliter,vel aliquod simile in generatis ab arte : quæ virtus continet virtualiter formam generandam,eo modo,quo hîc infrà,& suprà etiā dixit calorem esse partem sanitatis. Vbi ergo est huiusmodi pars, possunt talia non solùm ab arte, sed etiam à casu generari , vt patet de sanitate , & vbi non,non;vt patet de domo.

Ratio seminalis quid?
In quibus requiritur ratio seminalis?

Pars rei.2.

Quare aliqua eadem fiunt ab arte, & à casu.& aliqua alia ab arte tantùm.
Solutio dubij
68

Dicit ergo quòd *causa dictæ dubitationis est, quia horum quidem quæ fiunt ab arte , materia est incipiens*,scilicet *vt principium generationis in facere & fieri aliquid eorum quæ* sunt *ab arte,in qua* scilicet materia , *existit* supple non semper , sed quandoque *aliqua pars rei* , scilicet aliqua virtus, vt ratio seminalis : quandoque supple non existit in materia talis pars, & ideò *hæc quidem*,scilicet materia , *talis est, qualis potens moueri ab ea,* id est,

id est, à seipsa: vt quando scilicet habet dictam partem rei: *illa verò non*, quando scilicet non habet illam partem. Exemplum in corpore humano, quod est materia, sanitatis existit quandoque aliqua virtus actiua, puta calor, vel huiusmodi per quam corpus potest seipsum mouere ad sanitatem: sed in lapidibus & lignis non existit aliqua talis virtus, per quam talis materia possit seipsum mouere ad formam domus: & hinc est quòd homo potest sanari non solùm ab arte, sed etiam à casu propter illam virtutem inexistentem sibi, non autem domus sic, propter carentiam talis virtutis. Subdit autem quòd *huius quidem hæc sic potens, hæc autem impotens*, id est, quòd quando materia potest seipsam mouere modo prædicto, contingit dupliciter: quia per illam virtutem intrinsecam, quæ dicitur pars rei, quandoque potest sic moueri, sicut per artem moueretur; sicut patet in sanatione; nam virtus corporis humani, similiter aliquid agit ad sanitatem sicut ars: *quandoque non potest sic à se moueri sicut moueretur per artem, puta tripudiare*: multi enim sunt qui ignorantes saltandi artem, siue tripudiandi, possunt mouere quidem seipsos, sed non sic sicut si haberent dictam artem. Concludit ergo propositum, quòd illa *quorum talis est materia*, *quales lapides* sunt materia domus, *impossibile sit moueri nisi ab alio*: ex eo, quia carent illa virtute actiua, quæ est principium mouendi seipsum: *si tamen vtique & ignis*, id est, quòd hoc etiam habet veritatem in naturalibus, sicut in artificialibus: nam ignis non potest generari nisi ab alio: ex eo, quia in materia ignis non est illa virtus actiua seminalis, quia potest materia seipsam ad formam transmutare in absentia generantis; & *propter hoc hæc quidem*, scilicet artificialia, quæ scilicet non habent illam partem rei, quæ dicitur ratio seminalis, vel aliquod simile in artificialibus, *non erunt sine habente artem*, vt est domus: *hæc autem*, quæ scilicet habent talem partem, *erunt* supple sine arte, & à casu: *mouebuntur enim* supple eorũ materię *ab his*, scilicet agentibus *nõ habentibus quasi artẽ*, & etiam supple habentibus, cùm possint fieri vtroque modo; ideò subdit quòd, *moueri verò potentibus eis*, scilicet ab agentibus sine arte, contingit dupliciter; *aut ab aliis non habentibus artem*, id est, quòd vno modo possunt etiam moueri materiæ ab aliis extrinsecis sine arte, & non à seipsis: vt illa scilicet quæ non habent illam partem rei, puta si ex ære fiat statua ab aliquo agente non habente artem; *aut ex parte*, id est, alio modo possunt à seipsis moueri, vt quæ habent dictam partem rei, vt corpus humanum mouens seipsum sine arte ad sanitatem.

SVMMARIVM.

Tangit tres gradus vniuocæ generationis. Primus est quando generans & genitum conueniunt in forma specifica, & modo essẽdi, vt cùm ignis generat ignem. Secundus, cùm conueniunt in forma, sed non essendi modo, vt domus intrà & extrà; quia intrà est tantùm intentionaliter, sed extrà realiter. Tertius quando generans habet formam geniti tantùm virtualiter, & hîc est tantùm secundùm quid vniuocus. Declarat quomodo calor in motu, hoc vniuocationis gradu generatur, & eodem modo sperma concurrere ad generationem, quadam virtute formatiua fœtus, de quo benè agit Doctor 2. d. 18.

Tex. cõ. 30.

Palàm verò ex dictis, quia modo quodam omnia fiunt ex vniuoco, quemadmodum naturalia; aut ex parte vniuoco, vt domus ex domo; aut ab intellectu: ars enim species est aut ex parte, aut habente aliquam partem, nisi secundùm accidens fiat.

Ex data solutione concludit quandam veritatem iam superius præostensam. Circa quod duo facit: quia primò ex prædictis concludit conclusionem. Secundò subiungit eius declarationem. Secunda ibi: *Causa namque*. Dicit ergo quòd *palàm est ex prædictis, quia modo quodam omnia fiũt ex vniuoco*: scilicet totaliter simpliciter, *quemadmodum naturalia*; vt ignis genitus ab igne, & homo ab homine: *aut ex parte vniuoco*, id est, non totaliter, sed in parte vniuoco, *vt domus*, scilicet exterior, & in materia, *ex domo*, scilicet in mente, & sine materia: *aut ab intellectu*, scilicet formato per speciem domus, siue habitu artis faciendi domum; *ars enim quædam species est rei fiendæ per artem*: aut tertio modo fit, scilicet aliquid ex vniuoco, *aut ex parte formæ* præexistente in generante, vel in materia: *aut ex habente*, scilicet materia, vel generante *aliquam partem*, exponendo partem non formalem, sed virtualem, modo quo calor dicitur pars sanitatis: & subdit, hæc intelligenda esse *nisi aliquid fiat secundùm accidens*. tunc enim non oportet esse similitudinem vniuocationis inter generans & genitum, sicut voluptas, siue delectatio domus: nam faciens domum per accidens facit eam delectabilem, siue voluptuosam ad habitandum, vt dicitur 6. huius text. com. 4.

69 *Omnis generatio est vniuoca, sed diuersimode.*

Notandum, quòd hîc tangit Philosophus tres gradus generationis vniuocæ. Primus est, quando generãs & genitũ assimilantur in forma, & in modo essendi formę: quemadmodũ se habẽt naturalia: nam ignis generans & ignis genitus habent eandem formam in specie, & eundem modum essendi formæ: nam vterque ignis habet formaliter & realiter formam ignis. Secundus modus est, quando generans & genitum habent similem formam, non tamen secundùm eundem modum essendi formæ, quemadmodum artifex se habet ad artificialia: nam licèt domificator habeat formam domus quam facit: tamen forma domus existit in domificatore modo quasi intentionali non reali: domus autem extrà habet realiter formam domus. Tertius gradus est, quando generans non habet similem formam in specie cum genito: sed habet formam geniti non formaliter, sed virtualiter solùm: quæ virtus vocatur hîc pars rei, siue illa virtus, vel pars sit in generante, puta in Sole: siue in intelligentia generante tanam; siue sit in materia cui à tali agente est immissa aliqua vis actiua, qua potest seipsam transmutare ad formam: puta si dicatur rana generari à materia putrefacta habente in se aliquam vim actiuam acceptã à Sole. Primus modus

Gradus generationis vniuocæ tres.

est

est propriissimè, & simpliciter vniuocus. Secundus minùs propriè, tertius solùm secundùm quid, vt dictum fuit suprà. Deinde cùm dicit:

70

Causa namque faciendi prima secundùm se pars: calor enim in motu calorem in corpore facit; hic verò est, aut sanitas, aut pars, aut sequitur eum pars aliqua sanitatis, aut sanitas ipsa: propter quod & dicitur facere: quia illud facit sanitatem cui consequitur & accidit calor.

Tex. cõ. 31.

Quare quemadmodum in syllogismis omnium principium est substantia: nam ex quo quid est syllogismi sunt & hic generationes.

Declarat præmissam veritatem. Circa quod tria facit: quia primò declarat eam in artificialibus. Secundò in naturalibus. Tertiò comparat generata per naturam ad generata per artem. Secunda ibi: *Similiter itaque.* Tertia ibi: *Quacunque autem à casu.* Dicit ergo, quòd *prima causa faciendi aliquid secundùm se, est pars* formæ generandæ', accipiendo partem modo præexposito: *calor enim in motu calorem in corpore facit*: cùm enim per motum generatur calor in corpore, ipse calor est quodammodò in motu non formaliter, patet, sed in virtute actiua, quæ dicitur pars caloris, vt sic calor existens in motu virtualiter generet calorem existentem in corpore formaliter, quæ est generatio vniuoca secundùm quid: *is verò*, id est, calor in corpore generatus à motu *est*, *aut sanitas* ipsa, *aut pars* sanitatis, *aut sequitur eum*, scilicet calorem *pars aliqua sanitatis, aut sanitas ipsa.* Vult dicere, quòd iste calor inducens sanitatem, aut est ipsa sanitas formaliter; aut pars sanitatis non formalis, sed virtualis. Et hæc secunda pars disiunctiuæ est vera: si calor immediatè inducat sanitatem, vt causa partialis: si aliqua alia requiratur, aut sequitur ipsum calorem pars aliqua sanitatis, non formalis, sed virtualis: quando scilicet calor non immediatè, sed mediante alio, puta mediante dissolutione malorum humorum: vel aliquo alio inducit sanitatem: aut est sanitas ipsa non formaliter, sed virtualiter, si calor inducat sanitatem vt totalis causa. Hoc enim quadruplici modo potest intelligi se habere calor ad sanitatem, *propter quod* supple motus *dicitur facere* scilicet sanitatem: *quia illud facit sanitatem cui consequitur*, id est, quod consequitur *& accidit ex motu*, scilicet *calor*, ita quòd motus mediante calore dicitur facere sanitatem: vel aliter propter calorem dicitur facere sanitatem, quia illud facit sanitatem cui consequitur, vt accidit scilicet sanitas; vt quando calor mediante alio, scilicet dissolutione humorum, inducit sanitatem, ad quam dissolutionem consequitur sanitas. *Quare quemadmodum in syllogismis principium omnium est substantia*, id est, quod quid est rei, quod est principium & medium in demonstratione, nam syllogismi, scilicet demonstratiui *sunt quod quid est*; ita *& hic generationes* sunt ex *quod quid est*: sicut enim intellectus speculatiuus procedit ad demonstrandum passionem de subiecto ex ipso *quod quid est*; sic intellectus practicus procedit ad opus siue ad generationes operatiuas ex ipsa specie artificiati, quæ est supple prima substantia, & *quod quid est*, & in hoc est similitudo intellectus speculatiui & practici: quia vterque procedit in sua operatione ex *quod quid est* obiecti, siue subiecti. Deinde cùm dicit:

Quomodo calor est in motu & quomodo est pars caloris in corpore & causa eius vniuoca?

Forma generantis ad formã potest cõparari quadrupliciter.

Conuenientia notabilis intellectus speculatiui & practici.

Hinc posset inferri quòd quod quid est subiectis sit medium demõstrationis.

71

Similiter itaque his & quæ sunt natura constituta se habent: nam sperma facit sicut quæ ab arte: habet enim potestate speciem, & à quo, sperma est aliqualiter vniuocum: non enim omnia sic oportet quærere, vt ex homine homo: etenim fœmina ex viro: vnde mulus non ex mulo, sed si non orbatio fuerit.

Declarat præmissam veritatem in naturalibus, dicens quòd sicut supple in artibus *similiter se habent quæ sunt natura constituta his*, quæ scilicet fiunt ab arte: *nam sperma facit*, id est, operatur ad generationem, *sicut in his quæ sunt ab arte*: nam sicut supple artifex non habet formam domus in actu sed in virtute, sic & in proposito: *habet enim* supple sperma *speciem*, id est, formam animalis *potestate* & non actu: & subdit quòd illud supple animal, *à quo sperma, est aliqualiter vniuocum* ei quod fit ex spermate. Et subdit: quia dixit aliqualiter vniuocum: *non enim omnia sic oportet quærere* quòd fiant, scilicet totaliter vniuocè, *vt homo ex homine, etenim fœmina fit ex viro, vnde* etiam *mulus non* fit *ex mulo*, sed supple ex asino, vel equo: inter virum autem & fœminam, & equum vel asinum & mulum, non est totaliter similitudo; licèt sit aliqualiter, vt prædictum est: & subdit quòd supple id quod dictum est, scilicet quòd à quo est sperma oportet esse aliqualiter vniuocum, intelligendum est *si non fuerit orbatio*, id est, defectus naturalis in virtute seminis: vt quando ex inobedientia materiæ fiunt monstra in natura.

Notandum, quòd in semine est aliqua virtus formatiua, quæ sic comparatur ad ipsam naturam concepti, sicut forma domus in mente artificis comparatur ad lapides & ligna, 'excepto quòd forma artis est extrinseca materiæ: virtus autem seminis est intrinseca: quia verò generatio animalis ex semine non est ab ipso semine sicut ab vniuoco, quia ipsum semen non est animal formaliter; tamen illud à quo est decisum ipsum semen, puta animal, est vniuocum vel simpliciter, vel aliqualiter ei quod ex semine generatur. Deinde cùm dicit:

De virtute seminis hinc possunt plura inferri.

Fœmina non est vniuocè homo simpliciter, sicut vir.

Differũt virtutes formatiua in naturalibus & artificialibus. Generatio ex semine qualiter vniuoca.

72

Quacunque autem à casu, ibi fit quorumcunque materia potest à seipsa moueri hoc motu quo sperma mouet. Quorumcunque verò non, ea impossibilia sunt fieri aliter quàm ex ipsis.

Comparat generata per naturam ad generata per artem, dicens quòd sicut *fit ibi*, scilicet in arte, quòd *quacunque fiunt à casu quorumcunque materia potest à seipsa moueri*; *eo motu quo* scilicet mouetur ab arte: quando verò non potest sic moueri, tunc id quod fit ab arte, non potest aliter fieri quàm ab arte, similiter in naturalibus, scilicet aliqua possunt fieri à casu, & sine spermate, scilicet quæcunque quorum materia potest à seipsa moueri *hoc motu quo sperma mouet* ad generationem, scilicet animalis, vt patet in generatis ex putrefactione: *quorumcunque verò* supple materia non

In naturalibus aliqua generantur à casu &

ex semine: aliqua vero tantum ex semine sicut suo modo in artificialibus. Quare genita per putrefactionem dicantur à casu?

non potest à seipsa moueri, *illa impossibilia sunt fieri aliter quàm ex ipsis*, scilicet seminibus, puta homo vel equus, vt superiùs dicebatur.

Notandum vt præexpositum fuit suprà: illa quorum materia potest à seipsa moueri eo modo quo sperma mouet, puta putrefacta, dicuntur fieri à casu, non simpliciter, sed vt referuntur ad causam particularem, respectu cuius accidunt; quia præter intentionem talis causæ; & ideò per accidens & à casu; licèt respectu causæ vniuersalis eueniant per se, & in ratione causæ. Ex hoc etiam quod hîc dicitur, patet quòd nec omnia animalia possunt generari ex semine, & sine semine, vt dicitur Auicenna posuisse: nec nulla possunt vtroque modo generari vt ait Commentator, text. com. 32. vt prolixiùs dictum fuit suprà. Deinde cùm dicit:

Ad hũc text. est qu. 10. lib. 7.

Non solùm autem de substantia ostendit ratio non fieri speciem; sed de omnibus similiter primis communis ratio, vt quantitate & qualitate, & aliis Categoriis: fit enim velut anea sphæra, sed non sphæra, nec as: sed in are si fit. Semper enim oportet præexistere materiam, & speciem, & in quid & in qualitate, & in quantitate, & in aliis similiter Categoriis. Non enim fit quale, sed quale lignum; neque quantum, sed quantum lignum, aut animal.

2. Dubium. 73

Remouet secundum dubium circa prædicta: dictum fuit suprà quòd forma non generatur sed compositum: posset ergo hîc esse dubium, vtrùm hoc sit verum tantùm de formis substantialibus; aut etiam de accidentalibus, & hoc dubium hîc remouere intendit. Circa quod duo facit: quia primò ostendit esse verũ in vtrisque. Secundò assignat differentiam inter ipsa. Secunda ibi: *Sed proprium substantia.* Dicit ergo, quòd *non solùm ratio* superiùs facta *ostendit de substantia*, id est, de genere Substantiæ *non fieri speciem*, id est, formam, *sed est ratio communis, similiter de omnibus primis*, id est, Prædicamentis quæ sunt prima genera, *vt de Quantitate, & Qualitate, & aliis Categoriis*, id est, Prædicamentis: *fit enim velut anea sphæra*, id est, compositum, *sed non fit sphæra*, id est, forma *nec as*, id est, ipsa materia: *& in are si fit*, id est, quòd si ipsa sphæra fiat aliquo modo; non fit simpliciter, & per se, sed *fit in are*, id est, in materia, quod est fieri per accidens: *semper enim oportet præexistere materiam & speciem*, id est, formam eo modo quo partes essentiales præcedunt naturaliter generationem compositi; & hoc quod dictum est, verum est *& in quid*, id est, in Substantia, *& in Quantitate, & in Qualitate, & in aliis similiter Categoriis: non enim fit quale*, id est, qualitas; *sed quale lignum*, id est, compositum: *nec fit quantum*, id est, Quantitas, *sed quantum lignum, aut quantum animal*, quæ sunt composita ex subiecto & accidente.

Exempla Aristot. communiter sunt in artificialibus tanquam in magis notis.

Aduertendum tamen, quòd sicut dictum fuit sæpè, Philosophus non curans de exemplis, per artificialia dat intelligere naturalia: per hoc ergo quod dicit, quòd non fit per seipsum æs, nec ipsa sphæra, sed sphæra ænea quæ est quoddam artificiatum, intelligendum est similiter de composito naturali, vt quòd in generatione lapidis, nec fit per se forma lapidis, nec materia eius, sed ipse totus lapis. Deinde cùm dicit:

Sed proprium substantiæ ex his accipere est: quia necesse præexistere semper aliquam substantiam actu existentem qua facit, vt animal, si animal nascitur. Quale verò & quantum non necessariũ, nisi potestate solùm.

Vide Scot. 12. dist. 4 art. 2. Differunt generationes substantia & accidentis. Hinc sequitur quod accidens nõ attingit formã substantialẽ productiuè.

Assignat differentiam inter substantiam & accidentia, dicens quòd *proprium substantiæ*, scilicet respectu accidentium *ex his* accipiendum est: quia supple quando substãtia generatur *necesse est semper præexistere alteram substantiam actu existentem, qua facit*, id est, generat substantiam: *vt si sit animal, oportet* præexistere animal, à quo scilicet generatur: quando scilicet est generatio animalis per propagationem, & ex semine: *quale verò & quantum non necessarium nisi potestate solùm*, id est, quod in quali & in quanto, & in aliis accidentibus, quando generantur, non erit necessariũ quòd præexistat quale, aut quantum actu, sed solùm in potentia; siue ista potentia referatur ad potentiam materiæ, & subiecti, siue ad potentiam agentis: nam principium actiuum substantiæ non potest esse nisi substãtia: principium autem actiuũ accidentis potest esse substantia & non accidens.

SVMMÆ SECVNDÆ
CAPVT X.

An partes sint priores toto, & an earum rationes in totius ratione ponantur:

SVMMARIVM.

Diffinitionem habere partes seu conceptus, quiditatiuum, & qualificatiuum. Quærit an partes sint priores toto. Doctor optimè declarat terminos, speciem, totum, materiam, partem. Litteras esse de ratione syllabæ, incisiones tamen, seu semicirculos non esse de ratione circuli, explicatur. Item partes materiales, vt carnem & ossa esse de ratione indiuiduorum, non tamen de ratione speciei, cuius ratio redditur. Vide Doct. 2. d. 2 q. 2. n. 3.

Text. cõ. 33. cap. 10. 74 Ad hũc text. est, qu. 16. lib. 7.

Qvoniam autem diffinitio ratio est, & omnis ratio partes habet: vt autem ratio ad rem, & pars rationis ad partem rei similiter se habet. Dubitantur iam ac oportet partium rationem esse in totius ratione, an non: in quibusdam enim videtur esse; in quibusdam non: nam circuli ratio non habet eam qua incisionum. Qua autem syllaba habet eam qua elementorum, & tamen diuiditur in incisiones, vt syllaba in elementa.

In isto capitulo: vt dicebatur, Philosophus inquirit ex quibus partibus constituatur *quod quid est*. Et diuiditur in duas. In prima facit quod dictũ est.

est. In secunda ostēdit quomodo ex eis fiat vnum. Secunda ibi: *Nunc autem dicamus.* Prima in duas: quia primò proponit quasdam dubitationes. Secundò subiungit earum solutiones. Secunda ibi: *Aut multipliciter dicitur.* Prima pars in duas secundum duas dubitationes, quas proponit arguendo pro & contrà. Secunda ibi: *Amplius autem.* Dicit ergo, quòd *quoniam diffinitio est ratio*, id est, quædam oratio & compositio nominum: quia vna dictio non potest propriè esse diffinitio, *& omnis oratio habet partes*; ita quod sicut oratio se habet ad rem: ita se habet similiter pars orationis ad partem rei: quia inquam sic est: ideò *dubitatur iam an oportet rationem partium esse* siue poni *in ratione totius*: & arguit ad quæstionem ostendens vnde dubitatio sumat ortum: *quia in quibusdam videtur esse & in quibusdam non*: quod scilicet in ratione siue diffinitione totius ponuntur partes siue diffinitiones partium: *nam circuli ratio*, id est, diffinitio *non habet eam qua incisionum*, id est, partium circuli incisarum, siue diuisarum à circulo, vt sunt duo semicirculi, vel aliæ partes minores eius: semicirculus enim vel diffinitio eius non ponitur in diffinitione circuli: diffinitio autem quæ est *syllaba habet eam quæ est elementorum*, id est, literarum nam syllaba diffinitur per literas: vt si dicatur quòd syllaba est vox composita ex litteris: *& tamen circulus diuiditur in incisiones, sicut syllaba in elementa*,

Al. ratio.

1. Dubium. An pars vel eius diffinitio diffiniat totū.

Notandum, quòd quia diffinitio & diffinitum sunt perfectè idem, ideò vbicunque vtimur vno, possumus vti & reliquo: idem ergo est quærere de diffinitione & diffinito, vtrùm partes ponantur in diffinitione totius: diffinitum enim oportet esse compositum ex materiali & formali, vt patebit magis in 8. huius: cùm igitur diffinitio exprimat principia diffiniti, oportet diffinitionem esse compositam & habere partes; constat enim ex duobus conceptibus: vno quiditatiuo, & alio qualitatiuo, qui exprimunt principium materiale & formale ex parte diffiniti, ideo sicut ait Philosophus quòd sicut se habet tota diffinitio ad totum diffinitum, siue rem diffinitam, sic partes diffinitionis ad partes rei. Deinde cùm dicit:

Diffinitio & diffinitum vniformiter diffiniunt tertium secus si reciprocè, & passiuè dicas.

75

Amplius autem si priores sunt partes toto, & recti acutus est pars, & digitus, hominis; prior erit acutus recto & digitus homine, videntur autem illa esse priora; secundùm rationem namque dicuntur ex illis, & inesse sine inuicem priora.

Ponit secundam dubitationem, dicens quòd *amplius* supple est dubitatio, *si partes sunt priores toto*: & supple videtur quòd sic: quia *si acutus*, scilicet angulus *est pars recti* anguli, *& digitus* est pars *hominis*, sequitur quòd *acutus erit prior recto, & digitus homine*: quia supple simplex est prius composito: dicitur autem angulus acutus pars recti, ex eo quòd angulus rectus potest diuidi in duos acutos vel in plures. Et subdit arguendo ad oppositum: *videntur autem illa esse priora*: scilicet rectus acuto, & homo digito, propter duplicem rationem: tum *quia secundùm rationem dicuntur esse ex illis*: acutus enim & digitus dicuntur secundùm rationem, id est, diffinitionem esse ex illis, id est, ex homine & recto; nam in diffinitione acuti ponitur rectus: & in diffinitione digiti ponitur homo: illud autem videtur prius alio; quod ponitur in eius diffinitione, & non èconuerso: tum quia *in esse sine adinuicem* sunt *priora*, id est, quòd illa quæ possunt esse sine aliis, & non èconuerso dicuntur priora illis, ex 5. huius cap. de Priori: text. com. 16. homo autem potest esse sine digito, & non èconuerso: quia digitus abscissus non est digitus, vt dicetur infrà: quare homo videtur digito esse prior: similiter & de recto & acuto angulo. Deinde cùm dicit:

2. Dubium. An pars sit prior toto vel èconuerso.

Aut multipliciter dicitur pars, quorum vnus quidem modus est qui mensurat secundùm quantitatem.

Tex. cō. 34.

Sed hic quidem prætermittatur, ex quibus verò substantia est vt partibus perscrutandum est. Si igitur est hoc quidem materia, illud verò species, aliud ex his, & substantia est materia & species.

Soluit propositas dubitationes. Circa quod tria facit: quia primò præmittit solutionem. Secundò subiungit eius expositionem & declarationem. Tertiò soluit quandam dubitationem quæ potest oriri ex prædictis. Secunda ibi: *Dictum est igitur.* Tertia ibi: *Dubitatur autē merito.*

Ad euidentiam litteræ sequentis, vt pleniùs, & citiùs eius intellectus habeatur, præmitto tres necessarias distinctiones. Prima est quòd species tripliciter accipitur à Philosopho: accipitur vno modo species pro forma, quæ est altera pars intrinseca compositi de qua habetur 5. huius, cap. de Causa, & hìc statim pòst. Alio modo dicitur species ipsa rei quiditas & forma totius, puta humanitas: de ista specificè dicitur infrà, *speciem autem dico quod quid erat esse*: vbi etiam vult Philosophus quòd materia est pars speciei. Alio modo accipitur species pro vniuersali abstracto, quod distinguitur contra particulare: cuius secundùm Aristotelem est primò *quod quid est.* Vnde parum pòst dicetur: *ex quibus est speciei ratio non concauitatis*, & vocat concauitatem formam partis, & infrà: vniuersalis & speciei est diffinitio. Secunda distinctio est de materia quæ est altera pars compositi: nam hoc modo tripliciter accipitur materia à Philosopho: Vno modo vt non est contracta per aliquod sibi adueniens, sed solùm absolutè accepta, vt est principium potentiale illius cuius est, & sic est pertinens ad quiditatem rerum materialium, vt dicetur. Alio modo accipitur materia non in vniuersali vt priùs, sed vt contracta per indiuiduitatem: prout scilicet accipitur materialiter, Aliàs numeraliter & in particulari. Alio modo accipitur materia magis contractè, vt contrahitur per accidens, secundùm quod materia contrahitur per existentiam: & hoc dupliciter: quia vel per accidens, necessariò requisitum, sicut est pars integralis non remota: eo modo quo semicirculus dicitur pars materialis circuli; vnde semicirculus nō cadit in diffinitionē circuli, sed vt sic accidit circulo: est tamē materia circuli culi magis propinqua quàm æs, vel ferrum: tale enim accidens est necessariò requisitum: vel alio modo, qui est tertius, accipitur magis per accidens ad quod contrahitur materia, scilicet accidens præter necessarium, eo modo quo cera, vel litteræ cereæ dicuntur materia syllabæ: quia syllaba potest esse sine illis, & èconuerso. Tertia distinctio

Quare 22. &. 3. q. 16. huius

Species tripliciter accipitur.

76

Materia accipitur 3. modis

Per accidens duplex.

Varia acceptiones materia indiuidui, & simul totius.

distinctio est de simul toto: nam simul totum, aliquando accipitur ab Aristotele pro composito vniuersali, vt infrà text. com. 35. dicetur sic, *homo verò & equus, & quacunque ita considerantur in singularibus vniuersaliter antè non sunt substantia*, id est, formaliter, sed simul totum ipsum vniuersale compositum ex materia & forma vniuersaliter acceptis. Aliquando accipitur *simul totum* pro indiuiduo substantiæ, & hoc dupliciter secundùm quod indiuiduũ substãtiæ dupliciter potest accipi: vno modo largè, provt scilicet indiuiduum substantiæ abstrahit ab existentia & tempore; & per consequens indiuiduum sic acceptum per se est in Prædicamento, & tale indiuiduum nihil includit in sua ratione; quare sibi repugnat suscipere prædicationem naturæ, & ipsius *quod quid est*; vnde talia indiuidua non generantur, nec corrumpuntur per se, sicut nec vniuersalia. Alio modo accipitur indiuiduum substantiæ & *simul totum* strictè, provt includit existentiam & tempus; vt hic homo existens, & hic lapis existens, & talia sunt, quæ per se generantur & corrumpuntur, & de talibus non est scientia, nec diffinitio propriè: quia cùm abstrahuntur à sensu, ignotum est vtrùm sint, vel non: eorum tamen in absentia potest esse opinio.

Indiuiduum substantia potest considerari dupliciter.

77

Visis istis ista pars diuiditur in duas: quia primò præmittit quædam necessaria pro solutione. Secundò exponit ipsam solutionem. Secunda ibi: *Quapropter & circuli ratio.* Prima in tres secundùm quòd tria præmittit: nam primò ostendit quòd materia est pars essentialis rei. Secundò ostendit cuius sit pars, & cuius non. Tertiò quid propriè pertinet ad essentiam specificam rei. Secunda ibi: *Est quidem vt materia pars.* Tertia ibi: *Dicendum enim speciem.* Dicit ergo, quòd *pars dicitur multipliciter, quarum quidem vnus modus est, quod mensurat secundùm quantitatem*, id est, pars quantitatiua, sicut binarius dicitur pars quaternarij, & cubitus bicubiti: *Sed hic quidem* modus partis *prætermittatur*, scilicet pro nunc: *quia perscrutandum est* modò *ex quibus*, scilicet *est substantia rei, vt partibus*, id est, quòd nunc perscrutandum est non de partibus quantitatiuis, sed de partibus quiditatiuis, ex quibus constituitur diffinitio exprimens substantiam rei. Et subdit, *si* pro quia, *ergo hoc quidem materia: illud verò forma*, & species sunt supple partes substantiæ rei: *aliud autem est ex his*, scilicet compositum: quia inquam sic est, *& substantia est materia & species*, id est, forma similiter quod ex his, id est, compositum quodlibet horum trium erit substantia, vt dictum fuit suprà. Deinde cùm dicit:

Pars sumitur dupliciter. T. com. 34.

Et quod ex his est quidem, vt materia pars alicuius dicitur: est autem vt non. Sed ex quibus speciei ratio vt concauitatis non est pars caro: hæc namque materia est in qua fit: simitatis verò pars aliqua est, & totius quidem statua pars est æs; eius autem quod & species dicitur statuæ, non.

Ostendit cuius sit pars materia, & cuius non, dicens, quòd *materia quidem est pars alicuius*, scilicet compositi: *est autem non*, scilicet formæ quæ est altera pars: *sed ex quibus* scilicet materia & forma: *ratio speciei*, scilicet vniuersalis, puta hominis, *vt concauitatis non est pars caro*, vt per concauitatem intelligitur forma, & per carnem materia, & per compositum ex concauitate & carne, puta nasus cauus, caro ergo non est pars concauitatis, sed simitatis: ideò subdit, *ea namque*, scilicet caro *est materia in qua fit*, scilicet ipsa species, siue forma: *simitatis aliqua verò pars est*, scilicet caro, & similiter *totius est quidem statua* quæ est composita *pars æs*, quod est materia: *eius autem quod dicitur species*, siue forma *statuæ non* est pars, scilicet ipsum æs. Deinde cùm dicit:

Cuius sit pars materia?

78

Dicendum enim speciem: & inquantum habet speciem vnumquodque, sed materiale nunquam secundùm se est dicendum.

Ostendit quid propriè pertinet ad essentiam specificam rei. Dicit ergo, quòd *dicendum est speciem & inquantum speciem habere vnumquodque*, id est, quod illud est specificum & pertinens ad rei speciem, quod competit rei secundùm esse quiditatiuum rei & specificum; & ideò forma & materia vniuersaliter sumpta, quæ sunt partes essentiales speciei, dicuntur partes specificæ & formales, quomodo loquitur Philosophus in 5. huius capitulo de Causa text. com. 2. quòd omnes partes diffinitionis sunt formæ: illud autem quod est extra essentiam specificam rei, puta quæ competunt rei secundùm esse indiuiduale, omnia talia dicuntur materialia, & quasi per accidens; ideò materia contracta ad indiuiduationem est pars materialis rei: nec pertinet ad rei diffinitionem, vt dicetur; ideò subdit, *sed materiale nunquam secundùm se est dicendum*, supple ad speciem pertinere. Deinde cùm dicit:

Quid pertinet ad rei essentiam?

Quapropter circuli ratio non habet ipsam, quæ est incisionum, sed quæ syllabæ eam quæ est elementorum; nam elementa rationis partes sunt sicut speciei & non materia, incisiones verò huiusmodi sic partes, vt materia in quibus fiunt, propinquius tamen speciei quàm æs quando in ære fit rotunditas. Est autem vt neque elemẽta omnia syllabæ in ratione insunt, vt hæc cerea, aut quæ sunt in ære. Iam enim vt æs, & hæc pars syllabæ quasi materia sensibilium.

79

Ex præmissis elicit solutionem specialiter primæ dubitationis. Circa quod duo facit: quia primò præmittit solutionem. Secundò ex ipsa concludit corollariè quandam conclusionem. Secunda ibi: *Aliis quidem inerat*, vel secundùm aliam translationem: *horum quidem igitur inerit.* Prima in duas quia primò ponit ipsam solutionem. Secundò respõdet ad oppositam rationem. Secunda ibi: *Etenim linea.* Dicit ergo, *quapropter:* quia supple sic est, *ratio circuli non habet eã, quæ est incisionum:* partes enim circuli non intrant diffinitionẽ circuli, *sed* ratio, seu diffinitio, *quæ est syllabæ, habet eam quæ est elemẽtorum*, id est, litterarum: cuius rationem subdit: *nam elementa sunt partes rationis speciei*, id est, partes conuenientes syllabæ secũdùm suam speciem, *& non materia*, id est, non sunt partes materiales: incisiones verò *sunt partes sic, vt materia huius*, scilicet circuli particularis *in quibus* partibus *fiũt*, vel sunt supple circuli particulares: semicirculi enim sunt extra rationẽ specificam circuli: quia circulus non respicit incisiones, nisi secundùm esse indiuiduale, & ideò dicuntur

Solutio dubiorũ & specialiter primi.

Quare literæ ponuntur in diffinitione syllabæ & nõ semicirculi in diffinitione circuli?

dicuntur circuli partes materiales: *tamen propinquius se habent speciei quàm as quando in ære fit rotunditas*, id est, circulus: nam vt superiùs dicebatur, semicirculus est materia superior & propinquior, & magis necessaria circuli, quàm æs, vel ferrum, quæ sunt materia circuli remota & præter necessaria, subdit etiam quòd est, id est, contingit, *vt nec omnia elementa*, id est, literæ *sint in ratione syllabæ, vt hæc litera cerea*, vel terrea: *aut literæ quæ sunt in ære* prolatæ: *iam enim & ea*, id est, talis litera *est pars syllabæ quasi materia sensibilis*: sicut enim æs est materia præter necessaria circuli: quia circulus potest esse sine ære, & ideò æs est materia magis remota & per accidens, quàm semicirculus, sine quo non potest esse; ita in proposito literæ terreæ, vel cereæ sunt materia per accidens & præter necessariæ syllabæ, quatenus syllaba sine talibus literis potest esse: quia non pertinet ad eius rationem. Deinde cùm dicit:

Materia circuli duplex.

Quæ literæ pertinent ad diffinitionem syllabæ, & quæ non?

Etenim linea non si in dimidia corrumpitur, aut homo in ossa, aut neruos & carnes. Propter quod & sunt ex his sic vt entibus substantiæ partibus, sed vt ex materia: etenim quidē quod simul totum partes, speciei verò & cuius ratio non adhuc. Quapropter nec in rationibus.

80

Partes integrales, & materiales inquantum tales non ponuntur in diffinitione Metaphysica.

Soluit oppositam rationem: dicebatur enim suprà, quòd sicut syllaba diuiditur in elementa, sic circulus in incisiones. Ex quo videtur quòd incisiones sunt partes formales circuli & intrant eius diffinitionem sicut elementa syllabæ: ad quod respondet dicens, quòd supple hoc non sufficit: *non enim si linea diuisa in dimidia*, id est, in duas partes, *corrumpitur, sicut homo* supple resolutus, vel diuisus *in ossa, & in neruos, & in carnes* corrumpitur, non propter hæc sunt, scilicet linea & homo *ex his talibus partibus, vt ex partibus entibus* substantiæ, ita quòd carnes & ossa sint partes substantiales, id est, formales hominis, & similiter dimidietates lineæ, *sed sunt ex his quasi ex materia*, id est, vt ex partibus materialibus: *enim* pro quia, eius quod *quidem est simul totum* & particulare sunt istæ *partes, speciei verò* scilicet vniuersalis, quæ diuiditur contra singulare, *cuius* speciei est propria *ratio*, id est, diffinitio: *non amplius* supple sunt tales partes: *quapropter nec in rationibus*, id est, diffinitionibus supple ponuntur tales partes, Deinde cùm dicit:

Horum quidem igitur inerit talium partium ratio: horum verò non oportet inesse, si non fuerint simul sumpti: nam propter hoc quædam quidem ex his, vt principiis sunt in quæ corrumpuntur: quædam verò non sunt. Quæcunque igitur simul sumpta species & materia sunt, vt simum, aut æneus circulus, hoc quidem corrumpitur in hoc, & pars ipsorum materia. Quæcunque verò non concipiuntur cum materia sed sine, vt rationes speciei solùm: hæc non corrumpuntur, aut omninò, aut taliter non. Quare illorum principia quidem & partes quæ sunt sub ipsis: speciei verò nec partes, nec principia hæc, & ideò corrumpitur lutea statua in lutum, & sphæra in æs, & Callias in carnem & ossa. Amplius autem circulus in incisiones, est enim aliquis qui concipitur cum materia: æquiuocè namque dicitur circulus, qui simpliciter dicitur & singuli: quia non est proprium nomen singulorum.

Solutione data concludit quandam conclusionem, dicens, quòd *horum quidem*, vel aliis quidem, scilicet compositis ex partibus *inerit ratio partium* scilicet materialium: *aliis verò*, id est, ipsis speciebus vniuersalibus, *non oportet inesse nisi sint concepta, vel simul sumpta* scilicet cum materia indiuiduata, vel sint contracta ad indiuiduationem. Licèt enim tales partes materiales non sint de ratione speciei, nisi natura specifica contrahatur ad esse hoc; sunt tamen de ratione ipsius compositi particularis. Ideò subdit: *nam propter hoc quædam*, scilicet particularia composita *sunt ex his partibus* materialibus, aliàs *principiis, in quæ corrūpuntur: quædam verò non sunt*, scilicet ex talibus partibus materialibus: ergo *quæcunque sunt concepta*, puta composita particularia *species & materia* scilicet particulares *sunt*, id est, quòd sunt composita ex materia particulari & forma, *vt simum, aut æneus circulus, hæc quidem corrumpuntur in hæc*, id est, in partes materiales, ex quibus componuntur, *& pars ipsorum est materia* scilicet indiuidua: *quæ verò non concipiuntur cum materia: sed sine materia*, scilicet indiuidua, *vt rationes*, id est, quiditates *speciei*, vt sunt ipsæ species vniuersales, *solùm hæc non corrumpuntur aut omninò aut non totaliter*, scilicet per se, sed per accidens: species enim vniuersales, puta homo, aut equus, nec sunt omninò corruptibiles, nec sunt omninò incorruptibiles: sed solùm per accidens corrumpuntur; scilicet ad corruptionem *simul totius*, id est, particularis, quod per se corrumpitur. Vnde subdit, *quare illorum* scilicet particularium compositorum, *quæ sunt sub eis*, scilicet sub speciebus vniuersalibus, sunt partes & principia, scilicet huius partes materiales: *speciei verò vniuersalis, nec sunt partes nec principia, & ideò* composita supple particularia corrumpuntur, *vt lutea statua*, scilicet particularis *corrumpitur in lutum; & sphæra*, scilicet particularis *in æs; & Callias in carnem, & ossa: ampliùs autem circulus* scilicet particularis *in incisiones, est enim aliquis* scilicet circulus particularis, *qui simul concipitur cum materia* scilicet indiuidua. Et subdit, *æquiuocè namque dicitur circulus ille, qui simpliciter*, id est, vniuersaliter *dicitur, & singulariter*, id est, singularis, cuius ratio est, *quia non est nomen proprium singulorum*, id est, particularium circulorum.

81

Conclusio corollaria.

Partes materiales etsi non sint de ratione speciei nec rationes earum, sunt tamen de ratione simul totius.

Quæ species & quomodo sunt corruptibiles, & quæ non?

Simul totum per se corrūpitur, species verò per accidens, quod verum est de simul toto Physico & specie proportionaliter.

Notandum, conclusionem Philosophi in hoc stare: quia licèt partes materiales non sint de ratione speciei, sunt tamen de ratione indiuidui, siue compositi singularis, & quia vnumquodque per se corrumpitur & resoluitur in ea ex quibus per se componitur, ideò particularia composita per se corrumpuntur in tales partes materiales, puta Callias in carnem & ossa: species autem, puta homo, vel est omninò incorruptibilis, vel non corruptibilis in tales partes materiales, nisi per accidens, scilicet ad corruptionem particularis hominis.

82

Compositum singulare habet partes materiales, in quas resoluitur, quod non competit quiditati, nisi per accidens.

Notandum etiam, quòd aliquando particularia sub specie habent propria nomina alia à nomine speciei: aliquando non habent, sed nominantur nomine speciei. Exemplum primi: particulares homines, puta Socrates & Plato &c. Exēplum secundi: particulares circuli, qui non nominātur nisi

nomine circuli: quando igitur est secundo modo, nomen speciei dicitur conuenire æquiuocè ipsis partibus: non quòd nomen speciei quantùm ad rem significatam, quæ est ipsa materia specifica, prædicetur æquiuocè de indiuiduo; sed prout significat hoc indiuiduum, inquantum huiusmodi; licèt enim dicendo Socrates est homo, ly *homo*, non sit æquiuocum ad Socratem; tamen si hoc nomen *homo* imponatur alicui indiuiduo, vt nomen proprium, tunc æquiuocè conueniret speciei, & indiuiduo: similiter in proposito, nomen circuli æquiuocè conueniret speciei & circulo indiuiduo, vt ait Philosophus in litera.

Nomen speciei conuenit æquiuocè speciei, & indiuiduo.

SVMMÆ SECVNDÆ. CAP. XI.

Quæ partes sunt simul cùm toto, & quæ non, & quæ in definitione, & quæ non?

SVMMARIVM.

Partes essentiales, seu in quas species resoluitur, esse priores diffinito; secus est de partibus integralibu, seu remotis, vel partium partibus, quæ magis spectant ad particularia; non ad speciem. Notat tamen partes principales, simul esse cum toto, quia sine ipsis totum perit. Notat etiam compositum sumi in vniuersali, & singulari, concludens materiam esse partem eius vtroque modo.

T.c.35

Ad hunc text est q.15.lib.7.

Sum.2.c.11

D*ictum est quidem igitur & nunc ipsum verum & tamen ampliùs & manifestiùs dicemus repetentes: nam quacunque sunt rationis partes, & in quas diuiditur ratio, hæ sunt priores, aut omnes aut quædam: recti verò ratio non diuiditur in acuti rationem; sed quæ est acuti in quæ est recti: vtitur enim diffiniēs acutum recto; minor enim recto acutus: Similiter autem & circulus, & semicirculus se habent: semicirculus enim diffinitur circulo, & digitus toto: talis enim hominis pars digitus. Quare quæcunque sunt partes vt materia, & in quæ diuiditur, vt in materiam totum sunt posteriora: Quæcunque verò vt rationis & substantiæ secundùm rationem priora, aut omnia aut quædam.*

83

Postquam Philosophus posuit solutionem, nunc exponit & declarat ipsam: nondum enim dixerat de prioritate, quando partes sunt priores & posteriores composito: de quo quærebat secunda dubitatio, & ideò nunc supplet quod dimiserat. Circa quod duo facit: primò ponit dictæ solutionis declarationem. Secundò solutionem declaratam adaptat ad propositam quæstionem. Secunda ibi: *Interrogationi verò:* prima in duas: quia primò ponit ea quæ spectant ad solutionem secundæ quæstionis de prioritate & posterioritate partium ad totum. Secundò ea, quæ ad primam quæst. quæ scilicet partes diffiniti debent poni in diffinitione totius, & quæ non. Secunda ibi: *Sed rationis partes.* Prima in duas: quia primò solutionem proponit. Secundò per exempla eam exponit. Secunda ibi: *Quoniā verò animalium.* Dicit ergo, quòd id quod superius in solutione prædicta est dictum, scilicet *dictum est igitur & nunc ipsum verum*, id est, quod illud dictum est in se verum, *& tamen ampliùs repetentes dicemus manifestiùs*, Et subdit: *namque quæcunque sunt partes rationis, & in qua ratio diuiditur* hæ namque *priores sunt*, scilicet diffinitio, *aut omnes, aut quædam*, ita quòd partes, quæ ponuntur in diffinitione alicuius sunt priores ipso; *ratio verò recti*, scilicet anguli *non diuiditur in rationem acuti*, sed è conuerso, ratio *quæ est acuti* diuiditur, scilicet *in eam quæ est recti, diffiniens enim acutum vtitur recto*, vt si dicatur, quòd *acutus* angulus *est minor recto*, quamuis ergo acutus angulus sit pars recti, non tamen ponitur in eius diffinitione nec est prior ipso: *similiter autem se habent circulus & hemicyclus*, id est, semicirculus: *semicirculus enim diffinitur circulo*, vt si dicatur quòd semicirculus est media pars circuli, *& similiter digitus* diffinitur *toto* supple homine, vt si dicatur quòd *digitus est talis pars hominis, quare*, quia & supple priùs dictum est, quòd partes formales sunt partes rationis, & non partes materiales, quæ scilicet competunt rei secundùm esse indiuiduale, & contractum ad existentiam: dictum est etiam nunc quòd partes rationis solæ sunt priores scilicet ipso diffinito: *Quæcunque verò sunt partes rationis & substantia*, quæ *est secundùm rationem*, id est, quiditatis, quę per diffinitionem exprimitur, sunt priora scilicet diffinito *aut omnia aut quædā*.

Solutio. 2. dubij licet tangat etiam primum dubium.

Quæ partes sunt priores toto, & quæ non?

Notandum, quòd diuisio totius in partes fit dupliciter, vel in partes propinquas, vel in partes remotas. Voco autem partes propinquas, quæ immediatè constituunt totum: remotas verò quæ mediatè, puta partes partium principalium. Exemplum primi: anima & corpus respectu hominis. Exemplum secundi: pes & manus, & huiusmodi respectu corporis; & iterum visus & auditus & huiusmodi potentiæ respectu animæ. Primæ partes dicuntur formales, & sunt simpliciter priores toto, & illæ immediatè intrant diffinitionem rei: secundæ partes dicuntur materiales, & sunt posteriores, nec intrant immediatè diffinitionem rei: quia sine eis potest totum esse, & ideò non sunt simpliciter necessariæ, nisi conditionaliter; vt si homo est perfectus: vnde non intrant diffinitionem rei propinquè, sed remotè & mediatè, pro quanto partes principales intrant, quarum istæ sunt partes; ideò ait Philosophus, quòd partes diffinitionis sunt priores, aut omnes, aut quædam. Deinde cùm dicit:

Totum diuidi dupliciter.

Quoniam verò animalium anima est forma ipsorum, hæc enim substantia est animati, quæ secundùm rationem substantia est, & species, & quod quid erat esse tali corpori, vniuscuiusque enim pars si diffiniatur benè, nō sine opere diffinietur, quod non existit sine sensu. Quare huiusmodi partes priores aut omnes, aut quædam simul toto animali, & secundùm vnumquodque ita similiter. Corpus verò & huiusmodi partes posteriores substantia hac & quod diuiditur in hæc, vt in materiam non substantiā, sed simul totum.

84

Exponit dictā solutionē. Circa quod tria facit. Primò

Primò enim facit quod dictum est. Secundò soluit rationem in oppositum quæstionis factam. Tertiò ad declarationem dicti addit quædam notanda. Secunda ibi: *Eo quidem igitur, quod simul totum.* Tertia ibi: *Quædam verò simul.* Dicit ergo, quòd *quoniam anima animalium est* supple prior toto animali, manifestum est: *hæc enim* scilicet anima est *substantia quæ secundùm rationem & species, & quod quid erat esse, tali corpori*, id est, quòd anima est forma substantialis, per quam principaliter habet diffiniri & exprimi *quod quid est* animalis, & etiam corpus animalis, quod est tale corpus, scilicet organicum, quod probat, quia *qualibet pars animalis*, vt oculus, per quam videt, & pes, per quam ambulat, *si benè diffiniatur, non sine opere*, id est, propria operatione *diffinietur*, quòd scilicet opus, vel corpus, seu pars corporis, *non existit sine sensu*, vel supple motu, vel aliis operationibus partium animæ. Ex quo patet quòd cùm in diffinitione partium corporis oporteat vti anima, *quòd partes huius*, scilicet animæ, *sunt priores* integro, siue simul toto animali, quod est compositum: *aut omnes*, vt in animalibus perfectis habentibus omnes partes potentiales animæ; *aut quædam*, vt in animalibus imperfectis: *& similiter est secundùm vnumquodque* aliud, quòd scilicet partes formales & diffinitiuæ sunt priores toto diffinito: *corpus verò & huiusmodi*, scilicet corporis *partes posteriores sunt ea substantia* aliàs *hac substantia*, id est, forma, quæ est anima, cùm anima diffiniat corpus & partes eius, vt dictum est, *& ideò quod diuiditur in hac*, scilicet, in partes corporis *vt in materiam, non est substantia*, id est, ipsa forma *sed* integrant *simul totum* quod est ipsum particulare compositum. Deinde cùm dicit:

Declaratio exemplaris dictorum.

Hic videtur sequi circulus in diffinitionibus, cùm anima per corpus & è contra diffiniatur.

Eo quidem igitur quod simul totum priora, hæc est vt sic, est autem vt non, neque enim possunt esse separata, neque enim quocunque modo se habens digitus animalis, sed æquinocus qui mortuus.

Soluit rationem factam ad oppositum huius quæstionis: arguebatur enim, quòd partes sunt priores toto, sicut simplex est priùs composito, quod soluit dicens, quòd *eo quidem quod est simul totum*, id est, compositum, *hæc*, scilicet partes, puta partes corporis sunt *priora est vt sic, est autem vt non*: quia supple licèt sint priores prout comparantur ad totum, sicut simplex ad compositum, vel aliquo alio modo, vt dicetur in notabili; non tamen omni modo, *nec enim separata possunt esse*, supple sine toto animali, & omninò non sunt priores eo modo quo dicitur esse priùs illud quod potest esse sine alio. Vnde subdit *nec enim quocunque modo se habens est digitus animalis, nisi æquiuocè qui est mortuus*: digitus enim mortuus & separatus ab animali non manet digitus nisi æquiuocè.

Soluit motiuũ 2. dubij,

Totum & pars, & prioritas & posterioritas multiplex.

Verum est quoad operationem, secus quoad formã organicam.

Notandum quod Philosophus, sicut patet ex litera, loquitur de partibus materialibus, quæ competunt toti secundum esse indiuiduale, & contractum ad existentiam: tales autem partes sunt simpliciter posteriores, nec pertinent ad diffinitionem rei; vnde Commentator super locum istum ait sic: *Totum præcedit partem magis quàm pars totum: quoniam prius est totum parte prioritate formæ ad materiam, & pars est prior toto prioritate materiæ ad formam, scilicet tempore indiuiduali, & ideò partes circuli præcedunt circulum indiuidualem non vniuersalem, & ideò diffinitio est partium præcedentium speciem, & hoc est vnum eorum per quæ dissoluitur quæstio prædicta.* Hæc Commentator. Deinde cùm dicit:

Quædam verò simul, quæcunque principalia, & in quo prima ratio, & substantia, puta si hoc cor, aut cerebrum: nihil enim dicitur vtrum tale.

Addit quædam notanda ad declarationem dicti, & sunt duo, quorum secundum ponitur ibi: *Homo verò & equus.* Dicit ergo, quod *quædam* sunt partes *simul* cum toto supple quantum ad hoc, quia sicut partes non possunt esse sine toto puta animali, sic nec è conuerso; huiusmodi autem sunt *quæcunque prima*, id est, principales partes corporis, *& in quo primo consistit ratio & substantia*, id est, forma, quæ est anima, *puta si hoc cor, aut cerebrum: nihil enim differt ad propositum vtrùm tale*, id est, vtrùm tales partes principales sint cor, aut cerebrum, secundum diuersas opiniones tactas, scilicet in 5. huius cap. de Principio; t.c.1. vnde quantum ad hoc, quod est non posse esse sine inuicem tales partes simul sunt cum toto. Deinde cùm dicit:

Primum notabile dictorum declarantium.

Homo autem, aut equus, & quæ ita in singulis: Vniuersaliter autem non sunt substãtia, sed simul totũ quoddam ex hac materia, & hac ratione vt vniuersaliter: singulare verò ex vltima materia, vt Socrates iam est, & in aliis similiter. Pars quidem igitur est & speciei: speciem autem dico quod quid erat esse, & simul totius eius quod ex specie & materia ipsa est.

86

Ponit secundum notandum, scilicet quòd compositum potest accipi vniuersaliter & particulariter, dicens, quòd *homo & equus, & quæ ita* considerantur esse *in singularibus vniuersaliter* supple dicta, *non sunt substantia*, id est, forma tantùm, puta anima, *sed compositum quoddam ex materia & forma* determinata, non quidem vt singulariter, *sed vniuersaliter*: homo enim dicit compositum ex anima & corpore: non autem ex hac anima, & hoc corpore; *singulare verò vt Socrates est iam* scilicet compositum *ex vltima materia*, scilicet indiuidua, puta Socrates est compositum ex hac anima & ex hoc corpore; *& in aliis* scilicet singularibus *est similiter.* Vltimò concludit quòd materia est pars tã speciei, quàm indiuidui, dicens: igitur supple, *patet quidem quod materia est pars speciei: speciem autem dico quod quid erat esse*, id est, ipsam quiditatem specificam, & non solùm formam partis: iterum est pars integralis *simul totius*, id est, indiuidui compositi ex substantia & materia indiuiduali: non solùm ergo materia est de essentia indiuidui, sed etiam speciei. Deinde cùm dicit:

Secundum notabile Cõpositum duplex.

Nedum singularis materialis, sed quiditatis etiam materia pars.

SVMMARIVM.

Partes speciei, seu formales, esse partes diffinitionis, non autem partes materiales, seu indiuidui; quia hoc non habet diffinitionem, de quo vide Doctorem 2. d.3.q 6. ad tertiũ. Docet etiam materiam secundùm se esse ignotam, quod benè exponit Doctor hic, & 2.d.12.q.1.

Sed rationis partes quæ speciei solùm sunt; ratio verò est ipsius vniuersalis: circulo enim esse & circulus, & animæ esse, & anima idem, & totius autem, puta circuli huius & singularium alicuius, aut sensibilis, aut intellectualis: intellectuales autem dico vt Mathematicos, & sensibiles vt æreos & ligneos: horũ autem non est diffinitio, sed cum intelligentia, aut sensu cognoscuntur, hoc est cum actu videtur. Abeuntes vero ex actu non palàm: vtrùm quidem sunt, aut non sunt, sed semper dicuntur & cognoscuntur vniuersalis ratione.

Ponit ea quæ spectant ad solutionem primæ quæstionis. Circa quod duo facit. Primò enim facit, quod dictum est. Secundò reddit causam cuiusdam dicti. Secunda ibi: *Materia quidem.* Dicit ergo, quòd quia supple ostensum est, quæ sint partes speciei, & formales, & quæ partes indiuidui, & materiales; ideò dicendum quòd *partes rationis*, id est, diffinitionis sunt illæ *quæ sunt speciei*, & non supple partes indiuidui: cuius rationem subdit, quia *ratio*, id est, diffinitio *est vniuersalis*, & etiam quia diffinitio & *quod quid est* debet esse idem cum eo cuius est, quod est verum solùm de vniuersalibus, non de singularibus; ideò subdit, quòd *circulus & circulo esse*, id est, diffinitio, vel *quod quid est* circuli, *& anima & animæ esse, idem* sunt cum sumuntur vniuersaliter: *integri*, verò, vel simul *totius*, id est, indiuidui, non supple est diffinitio, id est, *quod quid est* non est idem sibi per se primò, sicut nec habent diffinitionem per se primò, *vt circuli huius* particularis, *& singularium alicuius*: nullius enim talis singularis est diffinitio propriè, *aut sensibilis, aut intelligibilis*, id est, siue singularia sint intelligibilia & materialia, siue sensibilia, quod exponens subdit: *intellectiua verò dico vt Mathematicos* circulos, sicut *& sensibilia vt æneos & ligneos, & horum non est diffinitio, sed cum intelligentia*, id est, phantasia, *vel imaginatione*, quantum ad indiuidua Mathematica; *aut sensu* quantum ad sensibilia *cognoscuntur: hoc est cum actu videntur, abeuntes*, aliàs abeuntia, *verò ex actu* scilicet sentiendi, quantum ad sensibilia; vel imaginandi, quantum ad Mathematica; *non est palam, vtrùm sunt, aut non sunt, sed semper dicuntur, & cognoscuntur in ratione vniuersalis.*

Notandum, quòd Philosophus loquitur hîc de singulari contracto ad existentiam, siue naturalem, & realem, siue imaginariam; & de tali verum est, quòd non cognoscuntur vt sic, cognitione scientifica, cùm eorum non sit diffinitio; sed solum cognitio aliqua sensitiua: & ideò cùm sunt absentia ab actu sensus, incertum est vtrum existant, vel non existant: sciuntur tamen in ratione & scientia sui vniuersalis, non in ratione propria singularis. Deinde cùm dicit:

Iterum pertractat solutionem 1. dubij.

Quæ partes pertinent ad quod quid est & quæ non.

Singularium non est diffinitio nec scientia.

Existentia est duplex.

Quomodo singularia sciuntur?

87

Materia quidem ignota secundùm se; materia verò alia sensibilis, alia intellectualis: sensibilis quidem vt æs, & lignum, & qualibet mobilis materia; intellectualis verò quæ in sensibilibus existit, non inquantum sensibilia, vt Mathematica.

T.c.34.

Quomodo igitur habet de toto, & parte & priore & posteriore dictum est.

Reddit causam cuiusdam dicti: quare scilicet singularia sunt ignota absentia à sensu, dicens, quòd *materia quidem* quam scilicet singularia includunt, *ignota est secundum se*, & hæc est ratio quare singularia absentia sunt ignota: & subdit, quòd *materia alia est sensibilis, & alia intelligibilis: sensibilis quidem, vt æs & lignum & quæcunque alia materia mobilis; intelligibilis verò quæ existit in sensibilibus* scilicet secundùm esse, sed *non inquantum sensibilia*, scilicet secundùm considerationem, *vt sunt Mathematica*, & in omnibus talibus materia vtroque modo secundùm se est ignota.

Singularia materialia à sensu abeuntia sunt immanifesta.

Notandum, quòd sicut dictum fuit suprà, materia dicitur secundùm se ignota, quia non est prima ratio, nec potissima congoscendi; sed magis forma, quæ est etiam causa cognoscendi materiam; nam materia est cognoscibilis per analogiam ad formam, ex 1. Physic. t.c. 69. Vel Philosophus dicit materiam esse ignotam secundum se: quia loquitur de cognitione scientifica, & de materia contracta ad esse existentiæ: talis quidem materia est ignota scientificè, & est causa contingentiæ in rebus; ideò non facit cognitionem scientificam singularium quorum est, sed abstracta à sensu non habetur de eis nisi opinio. Vltimò epilogat quòd *quomodo se habet de toto & parte, & de priore & posteriore dictum est:* patet enim ex præcedentibus quid hîc tenendum sit. Deinde cùm dicit:

Quare materia dicitur ignota.

Vide 22. d. 3.

Interrogationi verò obuiare est necesse, quando quis interrogat vtrùm rectus, & circulus, & animal priora, aut in quas diuiduntur, aut ex quibus sunt partes, quia non simpliciter. Siquidem enim est & anima, animal aut animatũ, aut vnumquodque vnicuique, & circulus quod circulo esse, & rectus quod recto esse, & substantia recti quod quidem est, & quomodo dicẽdum est posterius, puta his, quæ in ratione, & quæ recto vniuersali: etenim hic quidem est materia qui æneus rectus, & qui in lineis figuralibus: hic autem sine materia his, quæ in ratione posterior; Eis verò quæ in singulis partibus prior; simpliciter autem non dicendum. Si verò altera, & non est anima animalis, & sic hoc quidem dicendum; hoc autem non dicendum sicut dictum est.

88

Adaptat solutionem declaratam ad propositam quæstionem priùs, dicens, quòd supple per prædictam solutionem *necesse est obuiare interrogationi, quando quis interrogat vtrùm rectus* angulus *& circulus, & animal sint priora* scilicet suis partibus: aut è conuerso *partes in quas diuiduntur, & ex quibus sunt*, sint supple priores ipsis totis, quia supple *non* est respondendum simpliciter; sed supple sub distinctione secundùm duas opiniones *siquidem anima est animal, aut animatum*, secundùm vnam opinionem, quæ dicit quòd ideæ sunt forma, & tota species, ita quòd forma est tota essentia rei, vt anima sit totum animal: *aut vnumquodque* scilicet sit idem cum forma, quæ *vnicuique* inest: *& circulus* sit idem *quod circulo esse*, id est, cum forma circuli: *& rectus quod recto esse, & substantia recti*, id est, forma recti: si inquam sic est, *dicendum*, id est, determinandum *quid quidem sit posterius, & quo sit* posterius, *puta*, quia supple secundùm hoc partes materiæ erunt posteriores, *his*

Applicatio ad quæsita.

1. Opinio de quod quid est rerũ materialium.

Vtrum partes sint priores toti iuxta diuersas opiniones?

his quæ sunt in ratione , & quæ recto, quia scilicet sunt posteriores ipso recto communi & vniuersali, & priores recto particulari; ideò subdit, *etenim hic, qui est æneus rectus*: est quidem cum materia, scilicet sensibili, *& ille qui est in lineis singularibus*, est supple in materia intelligibili : *hac autem* scilicet rectus vniuersalis , qui est *sine materia* secundùm hanc opinionem *erit posterior his* quidem, scilicet partibus formæ , *quæ sunt in ratione* : nam partes diffinitionis priores sunt diffinito, *sed est prior eis partibus*, scilicet materiæ *quæ sunt in singulis*, id est, in singularibus : *simpliciter autem non dicendum*: nam secundùm hanc opinionem oportet distinguere inter partes materiæ , & partes formæ , & ideò inter materiam communem & indiuidualem, cùm materia excludat à ratione speciei. Est ergo iste ordo secundùm hanc primam opinionem, quòd partes materiales erunt posteriores partibus rationis , quæ sunt partes formæ, & ipso etiam communi, quod diffinitur: ipsum autem commune diffinitum erit quidem prius partibus materialibus, quæ sunt partes singularis , sed erit posterius ipsis partibus rationis : ita quòd ipsæ partes rationis omnium erunt priores. *Si verò* secundùm aliam opinionem , *anima est altera , & non* idem *quod animal* totum, tunc *sic hoc quidem dicendum est: hoc autem non sicut dictum est prius.* Secundùm autem hanc opinionem non solùm oportet distinguere inter partes formæ , sed etiam inter materiam communem & particularem, sic enim materia & forma in communi sunt partes speciei , & priores ipsa specie , intrant etiam diffinitionem speciei ; materia autem & forma in particulari sunt partes indiuidui , & posteriores ipsa specie, nec intrant diffinitionem speciei, vt prædictum est ; & ideò sic distinguendo de partibus , hoc quidem dicendum est, hoc autem non dicendum de partibus si interrogemur vtrum partes sunt priores toto.

Partes duplices.

Ordo notabilis secundum primam opinionem.

Ordo secundum secundam opinionem quæ est verior.

SVMMÆ SECVNDÆ CAP. XII.

Quæ partes sunt speciei, quæ non : & recapitulatio dictorum de *quod quid est*, & diffinitione, & aliis.

SVMMARIVM.

Vt constet quæ partes sunt speciei, tractat de duplici materia ; vna est sine qua species esse nequit , vt caro & ossa in homine ; alia quæ per accidens requiritur , vt æs, vel lignum in circulo. Refutat eos qui in vniuersum negabant materiam esse partem speciei, tribus rationibus.

T.c.37.

Cap. 12.

89

DVbitabitur autē meritò, quæ speciei sunt partes & quæ non, sed simul sumpti: hoc enim non manifesto existente non est diffinire vnumquodque: vniuersalis enim & speciei est diffinitio. Quæ igitur sunt partium vt materia, & quæ non, si non fuerint manifestè , nec ratio erit manifesta quæ rei.

Postquam Philosophus posuit & declarauit solutionem dubitationum prædictarum ; nunc determinat quandam dubitationem oriri possibilem ex prædictis: distinxerat enim priùs inter partes speciei formales , & partes indiuidui materiales : nunc ad maiorem euidentiam inquirit quæ sint partes speciei & quæ non. Circa quod tria facit: quia primò pertractat dictam dubitationem. Secundò ostendit quid vltrà determinandum ab his restat, quæ determinata sunt. Tertiò capitulatim colligens , quæ dicta sunt de *quod quid est* & de diffinitione epilogat circa determinata. Secunda ibi : *Vtrùm autem est.* Tertia ibi : *Quid igitur est quod quid est.* Prima in duas : quia primò proponit dubitationem cum sua causa. Secundò accedit ad solutionem. Secunda ibi : *Quæcunque quidem.* Dicit ergo, quòd supple propter ea, quæ dicta sūt *meritò dubitatur, quæ sunt partes speciei, & quæ non* ; *sed simul sumpti*, id est, quæ sunt partes non speciei , sed indiuidui : quod dicitur simul sumptum, & subdit causam dubitationis : *quia hoc non existente manifesto, nō conuenit diffinire vnumquodque : enim* pro quia , *diffinitio est speciei & vniuersalis :* non supple singularis : species enim propriè diffinitur , quia ipsa constat ex genere & differentia , quæ sunt constitutiua diffinitionis : *si igitur non fuerint manifestè quæ partium sunt vt materia*, id est, materiales *& quæ non* ; sed supple sunt partes specificæ & formales : *nec ratio*, id est , diffinitio *speciei erit manifesta* : nam prædictum fuit , quòd in diffinitione ponuntur partes formales, & non materiales. Deinde cùm dicit :

Indiuiduum dicitur simul sumptum.

Quæcunque quidem igitur facta in diuersis specie, vt circulus in ære & lapide & ligno; hæc manifesta esse videntur. Quia nihil circuli substantiæ æs , neque lapides propter separari ab ipsis: quæ verò non videntur separata, nihil prohibet similiter his se habere, vt si circuli omnes videantur ænei: nihil enim vtique minus erit æs speciei : hoc autem ferre mente non est difficile, vt hominis species semper in carnibus apparet, & ossibus, & talibus partibus. Vtrùm igitur & sunt partes huius speciei & rationis, aut non sed materia : sed quia non & in aliis fiunt non possumus separare.

90

Accedit ad solutionem dubitationis, & diuiditur in duas: quia primò proponit solutionem alienam. Secundò solutionem propriam. Secunda ibi : *Quare omnia reducere.* Prima in duas: quia primò præmittit aliorum solutionem. Secundò subiungit eius dubitationem. Secunda ibi : *Accidit itaque.* Prima in duas: quia primò ponit aliorum solutionem quantum ad sensibilia. Secundò quantum ad Mathematica. Secunda ibi : *Quoniam autem hæc videtur.* Dicit ergo , quòd *quæcunque* videntur *esse facta in diuersis*, scilicet materiis *specie, vt circulus* qui scilicet inuenitur fieri *in ære & lapide & ligno: hæc quidem*, scilicet æs, lapis, & lignum *sunt manifesta* : quia *nihil substantiæ circuli*, scilicet secundùm naturam specificam , nec *æs* , *nec lapis.* Cuius causam subdit : *propter separari ab ipsis* : nihil enim potest separari ab eo, quod est de ratione suæ naturæ specificæ : quia igitur circulus potest separari à quolibet istorum: cùm possit fieri in diuersis materiis; ideò nullum eorum est pars substantialis, vel specifica circuli: in talibus ergo, quæ in diuersis materiis possunt fieri, manifestum est, quòd

Solutio aliorum quoad sensibilia.

Diffinitum & diffinientia sunt inseparabilia.

quòd materia non est pars speciei ipsorum. Et subdit: *qua verò videntur non separata*, id est, quæ non possunt fieri in diuersis materiis specie, sed in materia propria, à qua non videntur separata: sicut species hominis non apparet nisi in carnibus & ossibus; quæ inquam sic sunt *nihil prohibet sic se habere* his, quæ dicta sunt, vt scilicet nec sic materia sit pars speciei: *vt si omnes circuli videantur anei: nihil enim vtique erit as speciei*, id est, quod æs non semper erit pars speciei, dato, quòd circulus nunquam fieret nisi in ære: *hoc autem auferre mente*, id est, intellectu, est *difficile*, quia si ex hypothesi nunquam circulus separetur actu ab ære: posset tamen separari mente: quia circulus potest intelligi absque ære: cùm æs non sit pars speciei, vel pars substantialis circuli: sed hoc est difficile, vt videtur, scilicet intelligere seorsum ea, quæ nunquam existunt seorsum, licèt hoc sit possibile: quia intellectus benè distinguit inter ea, quæ non separantur in actu existendi. Similiter *si species hominis intelligatur in carnibus, & ossibus, & huiusmodi partibus*, potest quæri, *vtrùm igitur hæc sunt partes speciei, & rationis*, id est, diffinitionis hominis, *aut non; sed materia*, id est, licèt sint partes materiales: *sed quia* supple species hominis, & species circuli, *non fiunt in aliis* partibus materiæ, sed in materia determinata, vt prædictum est, ideò *non possumus* de facili *separare* supple per intellectũ, tales species à sua materia determinata. Est ergo sententia huius opinionis, quòd materia nullo modo est pars speciei. Deinde cùm dicit:

Aliquid est difficile quod non impossibile.

Quoniam autem hoc videtur contingere, immanifestum quando.

T.c. 38.

Dubitant quidam iam & in circulo & in trigono, quasi non sit competens lineis diffiniri & continuo, sed omnia hæc similiter dici, ac si sint carnes & ossa hominis, & as & lapis circuli: & referunt omnes ad numeros; & linea rationem eam qua duorum esse dicunt.

91

Solutio aliorum quoad Mathematica.

Ponit solutionem aliorum quantùm ad Mathematica, & diuiditur in duas: quia primò ponit eorum solutionem. Secundò assignat differentiam inter eos. Secunda ibi: *Et ideas dicentium.* Dicit ergo, quòd *quoniam hoc videtur contingere* in aliquibus, quòd scilicet materia non est pars speciei, licet species non fiat nisi in materia illa: *immanifestum* est autem *quando* scilicet hoc contingit; ideò *quidam iam dubitant*, supple non solum de sensibilibus, sed etiam in Mathematicis: *vt in circulo & trigono*, id est, triãgulo: *quasi*, supple secundùm istos, *non sit competens diffiniri*, scilicet circulum & trigonum *lineis, & continuo*, quæ sunt materia Mathematica: cùm scilicet non sint pars speciei: *sed hæc omnia similiter dici*, supple in comparatione ad circulum, vel trigonum, *sicut carnes & ossa* sunt partes *hominis, & as & lapis circuli.* Et subdit, quòd isti, scilicet *referunt omnes istas species ad numeros, & rationem linea dicunt esse eam qua duorum*, id est, dualitatis.

Notandum, quòd isti quorum opinio recitatur, dicebant quòd sicut materia sensibilis non est pars speciei in sensibilibus, vel naturalibus, ita nec materia intelligibilis est pars speciei in Mathematicis, cuius materia est ipsum continuum, puta linea, vel superficies: & ideò dicunt quòd triangulus, vel circulus, non diffinitur lineâ, vel continuo, cùm non sint partes speciei, sicut nec carnes & ossa sunt partes speciei hominis, nec æs & lapis circuli: & quia sublato continuo, vel lineâ, à circulo, vel triangulo, nihil restat, nisi vnitas, vel numerus, quatenus triangulus habet tres lineas, & circulus vnam; ita referunt omnes species ad numeros: ita quòd numeri sunt species omnium Mathematicorum, ex quo negant lineas esse partes speciei. Vnde rationem dualitatis dicunt esse rationem lineæ, scilicet rectæ, quatenus linea recta habet pro terminis duo puncta: & isti sic opinati fuerunt Platonici. Deinde cùm dicit:

Opinio Platonicorum resoluentium omnia in numeros.

Et ideas dicentium hi quidem ipsammet lineam dualitatem: hi autem speciem linea: quidam enim speciem eandem, & cuius species vt dualitatem & speciem dualitatis, in linea verò non adhuc.

92

Assignat quandam differentiam inter istos, dicens quòd *dicentium ideas hi quidem ipsam lineam*, dicunt supple esse *dualitatem* idealem: quia non ponunt lineam mediam aliam ab idea lineæ: *hi autem*, id est, alij dicunt supple dualitatem esse *speciem linea*, & non lineam: nam lineam ponunt quoddam medium; ita quòd dualitas est ipsa idea alia à linea Mathematica intermedia, & subdit quòd *quidam* eorum *eandem* dicunt esse *speciem*, id est, ideam, & illud *cuius* est *species, vt dualitatem, & speciem*, id est, ideam *dualitatis.* Cùm enim ponerent ideas esse quosdam numeros, ideò generaliter in numeris dicebant non differre ideam, & illud cuius est idea; *in linea verò non adhuc*: sed supple ponebant differre lineam, & ideam lineæ, vt dictum fuit etiam iuxta principium huius septimi: nam post ideas quas dicebant esse numeros, ponebant alia habita, scilicet superficies & lineas vsque ad primam substantiam cæli, & sensibilia Deinde cùm dicit:

Varietas Platonicorum de Mathematicis.

Accidit itaque vnam multorum esse speciem, quorum species videtur esse altera, quod & Pythagoricis accidit.

Ponit improbationem dictæ solutionis, & arguit per tres rationes, quarum prima ponitur hîc. Secunda verò ratio ponitur ibi: *Et contingit.* Tertia ibi: *Quamuis sic.* In prima parte intendit talem rationem; Si soli numeri sunt species; ergo diuersa specie habebunt vnam speciem: cõsequens est manifestè falsum; ergo & antecedens. Consequentia probatur, quia tunc quæcunque participarent vno numero, participarent vna specie: sed diuersa specie participant vno numero, verbi gratiâ, vnus numerus est in triangulo propter tres lineas; & in syllogismo propter tres terminos; & in corpore propter trinam dimensionem; ergo omnium istorum quæ, sicut patet, differunt specie, esset vna species, siue idea. Dicit ergo, quòd *accidit multorum esse vnam speciem, quorum species videtur esse altera, quod*, scilicet inconueniens, non solùm Platonicis *accidit, sed etiam Pythagoricis*, qui scilicet numerum ponebant rerum substantiam & naturam. Deinde cùm dicit:

Improbatio dictorum.

Et contingit vnam omnium facere per se speciem: alia verò non species.

93

Ponit secundam rationem, quæ talis est: si nulla materia est pars speciei, vt dicebant isti, ergo omnium erit vna tantùm species: consequens est falsum;

falsum; ergo & antecedens. Consequentia probatur ex hoc, quòd secundum Platonicos hoc nomen *dualitas* attribuitur materiæ, & *vnitas* speciei: sola ergo vnitas est species: dualitas verò, & alij numeri non erunt species: quatenus materiam includunt, & sic vna est tantùm species omnium rerum, cùm omnes res ponantur quidem numeri, ideò dicit, quòd supple secundum istam responsionem *contingit facere omnium per se vnam speciem; alia vero* ab illa vna specie *non erunt species*, Deinde cùm dicit:

Tex. cõ. 39.

Quamuis sic vnum omnia erunt.

Quod quidem igitur habent dubitationem quandam, quæ sunt circa diffinitiones, & propter quam causam dictum est.

Ponit tertiam rationem, quæ arguit ex inconuenienti concluso in secunda ratione: nam si omnium est vna species, ergo omnia sunt vnum, saltem secundùm speciem, quod est euidenter falsum: ideò dicit, *quamuis*, supple hoc posito, *omnia sic erunt vnum*, scilicet secundùm speciem. Vltimò concludit, *quod quidem quandam habent dubitationem, quæ sunt circa diffinitiones & propter quam causam dictum est*: nam omnia prædicta ostendunt difficultatem circa ipsam diffinitionem.

SVMMARIVM.

Materiam pertinere ad quiditatem materialium; de quo Doctor hîc q 16 & 3. d. 22. de parabola Socratis iunioris, id est, Platonis, quam hîc tangit. Vide Doctorem 2 d 2 q 2. num. 3 vbi eam explicat rationem; assignat quare semicirculi & similes partes non sunt partes diffinitionis. Vide Doctorem iam citatum.

QVare omnia reducere ita, & auferre materiam, superfluum est: quædam enim forsan hoc in hoc sunt, aut sicut hæc habentia. Et parabola de animali quam consueuit Socrates iunior dicere, non benè se habet: abducit enim à veritate, & facit suspicari, quasi contingens sit hominem esse sine partibus; sicut sine ære circulum. Sed hoc non simile: sensibile namque aliquid forsan animal; & sine motu non est diffinire: quare nec sine partibus se habentibus qualitercunque: non enim semper hominis est pars manus: sed potens opus perficere. Quare animata existens pars: non animata verò non pars.

94

Ponit solutionem propriam, intendens quòd materia est pars speciei, quod prædicta solutio negabat. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est. Secundò solutionem ipsam datam concludit, notificans eam per exempla. Secunda ibi: *Palàm autem & quòd anima.* Prima in duas: quia primò ponit suam solutionem quantùm ad naturalia. Secundò quantùm ad Mathematica. Secunda ibi: *Circa Mathematica.* Dicit ergo, quòd quia supple dicta inconuenientia sequuntur ad dictam opinionem: *ideò superfluum est omnia*, id est, omnes species rerum *reducere*, scilicet ad numeros, *& auferre materiam*, scilicet totaliter à specie: *quædam enim forsan sunt hoc in hoc*, id est, forma in materia: *aut saltem sic habentia sicut illa*, supple quæ habent formam in materia, quod dicit quatenus naturalia propriè habent formam in materia, & Mathematica per quandam similitudinem: quia scilicet figura trianguli se habet ad lineas sicut forma naturalis ad materiam, & ideò vtrobique non est forma sine materia sibi correspondente, *& ideò parabola quam consueuit dicere Socrates iunior*, vel minor, id est, Plato, *de animali non benè se habet: quia abducit à veritate*, id est, extra veritatem, *& facit suspicari*, id est, opinari *quasi sit contingens hominem esse sine partibus*, scilicet materialibus, puta sine carnibus & ossibus: *sicut* contingit *circulum esse sine ære*: nam æs non pertinet ad speciem circuli, vt prædictum est: *sed hoc non est simile*: quia supple licèt circulus non sit de sua ratione ens sensibile: quia æs quod est materia sensibilis non est pars speciei eius: non tamen sic est in proposito: *sensibile namque aliquid forsan est animal, & sine motu*, id est, sine materia mobili & sensibili *non est diffinire*: animal enim distinguit à non animali motu & sensu: *quid nec partibus se habentibus qualitercunque*, id est, aliquo modo ad motum potest supple animal esse, vel diffiniri: *non enim manus omnino*, id est, quocunque modo, *est pars hominis, sed quando est perficere potens opus* competenter, scilicet manus: & quia hoc non potest sine anima, quæ est principium talis operationis, ideò subdit, *quare manus*, supple existens, *animata erit pars* hominis, *non animata verò*, puta manus abscissa & mortua, *non est pars.*

Solutio propria quoad materiam.

Ostendit materiam pertinere ad quiditatem materialium.

Differunt naturalia à Mathematicis quo ad diffinitiones. Manus abscissa non est pars hominis.

Notandum, quòd opinionem Platonis auferentis materiam à specie, vocat parabolam derisoriè, quatenus assimilatur fabulæ: quæ ex parabolis & metaphoris componitur, vt in 3. huius dictum fuit. Vocat etiam Platonem Socratem minorem, vel iuniorem, ex eo, quia fuit discipulus Socratis, & secutus est doctrinam eius. Patet ergo ex prædictis quòd partes necessariæ ad operationes speciei exercendas, sunt partes speciei mediatæ & remotæ, quatenus sunt partes principalium partium, puta animæ vel corporis. Deinde cùm dicit:

Quare dicit parabolam & quare Socratem iuniorem.

Partes speciei duæ.

95

Circa Mathematica autem quare non sunt partes rationes rationum, vt circuli hemicycli: non enim sunt sensibiles. Hoc autem nihil differt: erit enim materia quorundam, & non sensibilium, & omnis quod non est quod quid erat esse, & species eadem secundùm, sed hoc aliquid. Circuli quidem igitur non erit eius qui vniuersalis, singularium verò erunt partes hæ, sicut dictum est prius. Est enim materia, hæc autem sensibilis, hæc autem intellectualis.

Ponit solutionem suam quantùm ad Mathematica, dicens, quòd *circa Mathematica quare non sunt partes rationes rationum* totorum, id est, quare diffinitiones partium non sunt partes ipsorum totorum: vt quare *hemicycli*, id est, semicirculi non supple ponuntur in diffinitione circuli: *non enim*, scilicet hemicycli sunt sensibiles sicut supple æs est materia sensibilis; dixerat enim suprà quòd animal sensibile non poterat diffiniri sine

Solutio propria quo ad Mathematica.

ſine materia ſenſibili, ſicut circulus poteſt diffin iri ſine ære, quod eſt materia ſenſibilis; & ideò ne poſſit dici ſimiliter in propoſito, ideò hoc excludit, dicens ſemicirculos, ſiue hemicyclos, non eſſe materiam ſenſibilem: quare ergo ſemicirculi non intrant diffinitionem circuli: & ſoluit dicens: aut *nihil differt* in propoſito vtrùm partes ſint ſenſibiles, ſiue non: *erit enim materia quorundam non ſenſilium:* materia ſcilicet intelligibilis, & talis ſupple materia, quæ non eſt pars ſpeciei: *erit omnis eius, quod non eſt quod quid erat eſſe, & ſpecies eadem ſecundùm ſe, ſed hoc aliquid,* id eſt, indiuiduum determinatum. Vult dicere, quòd indiuiduum quod non eſt ipſa ſua ſpecies, quatenus addit aliquid ſuprà ſpeciem, & eius *quod quid eſt,* non eſt idem ſibi per ſe primò, vt dictum fuit in præcedentibus: tale inquam indiuiduum habet partes materiales, puta contractas ad indiuiduationem, vel ad exiſtentiam, quæ non ſunt partes ſpeciei, ideò ſubdit, quòd ſupple ſemicirculi *non erunt* partes *circuli eius qui eſt vniuerſalis: ſingularium verò,* id eſt, particularium circulorum *erunt hæ partes,* ſcilicet ſemicirculi, *ſicut dictum eſt priùs:* & propter hoc non intrant diffinitionem circuli, quia diffinitio eſt vniuerſalis ſpeciei, vt prædictum eſt. Et ſubdit, *eſt enim materia hæc quidem ſenſibilis: hæc autem intellectualis,* & vtrobique verum eſt quod dicitur, ſcilicet quòd partes materiales modo prædicto non ſunt partes ſpeciei. Deinde cùm dicit:

Quare ſemicirculi non ſunt partes diffinitionis circuli.

96

Palàm autem & quòd anima eſt quædam ſubſtantia prima, corpus autem materia, homo verò aut animal quod eſt ex vtriſque vt vniuerſale, ſed Socrates aut Coriſcus vt ſingulariter. Siquidem igitur anima dupliciter dicitur, alÿ namque vt animam, alÿ verò vt totum, ſi verò ſimpliciter anima hoc & corpus hoc, vt quidem vniuerſale, & ſingulare.

Anima duplex & ſimiliter corpus & compoſitũ.

Concludit datam ſolutionem ipſam notificans per exempla dicens: palàm eſſe *quòd anima quidem eſt ſubſtantia prima,* id eſt, forma ſubſtantialis: *corpus autem materia: homo autem aut animal quod eſt ex vtriſque vt vniuerſale,* id eſt, compoſitum vniuerſale: *Socrates autem vt Coriſcus, vt ſingulariter,* & compoſita ſingularia. Cuius cauſam ſubdit: *ſiquidem anima dicitur dupliciter,* ſcilicet in vniuerſali & in particulari; ergo eadem ratione & ipſum compoſitum: & hoc etiam eſt verum ſecundùm vtranque opinionem priùs dictam: *alÿ namque,* ſupple dicunt hominem & animal, *vt animam,* ita quòd anima ſit tota eſſentia animalis: *alÿ verò vt totum,* id eſt, compoſitum & non animatum: *ſi verò ſimpliciter anima hæc & corpus hoc, vt quod quid vniuerſale & ſingulare,* id eſt, dato quòd animal ſit compoſitum ex anima & corpore, ſi ipſa ſimplicia, ſcilicet anima & corpus, dicuntur vniuerſaliter & particulariter, ſequitur etiam quòd compoſitum ſic dicatur: ſimiliter ſecundùm aliam opinionem, quæ non eſt ſecundùm mentem philoſophi, ſed Platonis, vt patet ex prædictis. Tunc ſequitur illa pars.

Vtrùm autem præter materiam talium aliqua ſubſtantiarum alia, & oportet quærere ſubſtantiam ipſorum alteram quandam vt numeros: aut aliquid tale perſcrutandum eſt poſterius: huius enim gratia & de ſenſibilibus ſubſtantiis tentamus diffinire, quoniam modo quodam Phyſicæ & ſecundæ Philoſophiæ opus circa ſenſibiles ſubſtantias ſpeculatio, non ſolùm enim de materia oportet ſcire Phyſicum, ſed & de ea quæ ſecundùm rationem & magis.

T.com.41.

In diffinitionibus verò quomodò partes quæ in ratione, & quare vna ratio diffinitio, palàm enim quia res vna, res verò quomodò vna partes habens ſpeculandum eſt poſterius.

Vbi oſtendit quid vltrà determinandum reſtat, ab his quæ determinata ſunt de ſubſtantia, & duo ſunt: quorum primum præmittit, dicens, quòd *vtrùm præter materiam talium,* id eſt, præter ſubſtantias materiales & ſenſibiles, de quibus actum eſt, *ſit alia aliqua ſubſtantiarum* præter materiam, id eſt, immaterialis: ita quòd *oportet quærere quandam ſubſtantiam eorum,* ſcilicet ſenſibilium; *diuerſam* ſupple à materia ſenſibili, vt numeros *aut aliquid tale,* puta ideas, vt quidam dicunt *perſcrutandum eſt poſterius,* ſcilicet in vltimis libris huius ſcientiæ; *huius enim gratia,* id eſt, propter ſubſtantias immateriales *de ſubſtantiis ſenſibilibus tentamus diffinire:* nam ſupple de illis immaterialibus eſt propria ſpeculatio huius ſcientiæ, & non ſic propria de ſenſibilibus. Vnde ſubdit; *quoniam modo quoddam Phyſica, & ſecunda Philoſophiæ opus eſt circa ſenſibiles ſubſtantias ſpeculatio:* Phyſica enim eſt ſecunda Philoſophia & non prima: propriè autem negociatur circa ſubſtantias ſenſibiles & materiales; prima autem Philoſophia circa immateriales; vnde de ſenſibilibus & immaterialibus inquantum huiuſmodi, non conſiderat, niſi quatenus dicunt, & iuuant ad cognitionem ſubſtantiarum immaterialium. Et ſubdit, quòd *non ſolùm oportet ſcire Phyſicum de materia, ſed etiam de ipſa quæ eſt ſecundùm rationem,* id eſt, de forma & magis ſupple, quàm de materia: quia vt probat 2. Phyſic. tex.com.12. & inde, natura magis dicitur de forma quàm de materia. Iterum ſecundò reſtat determinandum, *in diffinitionibus quomodò ſe habent partes,* quæ ſunt *in ratione,* id eſt, diffinitione, & *quare diffinitio eſt vna ratio,* cùm ſupple ex multis partibus componatur: *palàm enim: quia* ſcilicet *res* quæ diffinitur eſt *vna,* & ideò diffinitionem indicantem ipſam rem oportet eſſe vnam; *quomodo verò res habens partes eſt vna, poſteriùs ſpeculandum eſt,* ſcilicet in 8. huius: primò enim quæritur de vnitate diffinitionis, ſcilicet cap. ſequenti.

SVMMARIVM.

Repetit dicta: quare ſcilicet ſemicirculi non ſunt partes diffinitionis circuli, literæ tamen ſunt partes ſyllabæ: Docet primam ſubſtantiam eſſe idem cum ſuo *quod quid eſt,* ſed per primam, non intelligit particularem, ſed ſubſtantiam more Platonico, iuxta cuius doctrinam totum ferè hoc caput traditur. Reſolutio eſt, naturam communem eſſe idem per ſe primò cum ſuo *quod quid eſt,* ſeu diffinitione

tione, indiuidua, quæ intelligit Philosophus per concepta cum materia, id est, differentia indiuiduali sunt idem eidem, per se secundò, vt hîc explicat Doctor, & 2. d. 3. quæst. 5. ad tertium, & hic fusiùs q. 7.

97

QVod quidem igitur est quod quid erat esse, & quomodo ipsum secundùm se de omni dictum est. Et quare horum quidem ratio quæ eius quod quid erat esse habet partes diffiniti: horum autem non. Et quòd in substantia quidem ratione quæ sic partes vt materia non inerunt: neque enim sunt illius partes substantiæ, sed totius: huius autem est aliqualiter ratio & non est: nam cum materia non est, indeterminatum enim est: secundùm autem primam substantiam est, vt hominis quæ animæ ratio: substantia namque est species quæ inest ex qua & materia tota dicitur substantia, vt concauitas; nam ex hac & naso, simus nasus, & simitas est, bis enim & bis inerit nasus.

Tex. cõ. 41.

In tota verò substantia, aut naso simo, aut Callia inest & materia, & quod quid erat esse, & vnumquodque in quibusdam idem vt in primis substantiis, vt curuitas & curuitati esse, si prima est. Dico autem primam quæ non dicitur per aliud in alio esse, vt subiecto, vel materia. Quæcunque vero vt materia, aut concepta cum materia non idem neque secundùm accidens vnùm, vt Socrates & musicum, hæc enim eadem secundùm accidens.

Epilogus.

Capitulatim colligit quæ dicta sunt de *quod quid est*, & de diffinitione, & epilogat circa determinata, dicens, quòd supple *dictum est quid est quod quid erat esse, & quomodo*, supple quod quid est prædicatur, *secundùm se & de omni*, dictum est: *quare etiam ratio & quod quid erat esse aliorum habet partes diffiniti, horum autem*, id est, aliorum *non*, puta literæ ponuntur in diffinitione syllabæ, & non semicirculi in diffinitione circuli, quia dictum est, *quòd in ratione substantiæ*, id est, in diffinitione substantiali, *quæ sic sunt partes, vt materia non sunt, non enim* partes materiales, *sunt partes substantiæ illius*, id est, speciei, *sed totius*, scilicet indiuidui: *huius autem*, scilicet indiuidui *est aliqualiter ratio*, id est, diffinitio, & aliqualiter *non: nam* acceptum *cum materia*, scilicet indiuiduali *non est* supple diffinitio: erit enim cum materia quoddam indiffinitum, *& indeterminatum*: sed supple ipsius indiuidui accepti, *secundùm primam substantiam*, id est, speciem, est supple diffinitio: non enim indiuiduum habet aliam diffinitionem quàm species. Et subdit, quòd *hominis quæ animæ ratio*, id est, quòd diffinitio hominis est illa, quæ est animæ: hoc est, quòd in diffinitione hominis necessariò ponitur anima, non excludendo tamen corpus, & partes principales, vt Philosophus dixit; *substantia namque est species*, id est, forma *quæ inest*, scilicet materiæ, *ex qua forma & materia dicitur*, id est, diffinitur, *tota substantia* composita, *vt concauitas*, quæ est quædam forma:

Al. quàm speciei.

nam ex ea vt ex forma, *& naso* vt ex materia; est *simitas*, vt est quoddam compositum ex vtroque, vt ex partibus, & supple, quòd nasus non sit pars concauitatis inclusa in eius ratione: patet, *quia bis erit in eis* nasus, si supple dicatur nasus concauus: semel enim dicitur proprio nomine, & semel vt includeretur in concauitate; & ideò propter nugationem vitandam, ipse nasus sic est pars simitatis, vel nasi simi, quòd non est pars ipsius concauitatis, nec èconuerso; ideò subdit, quòd *in tota verò substantia*, scilicet composita, vt *in naso simo*, concluditur supple ipse nasus, vt materia *aut Callia inest, & materia* indiuidualis: sicut enim materia est vniuersaliter de ratione speciei: sic & materia indiuidualis de ratione indiuidui: Subdit etiam quod dictum est, *& quia quod quid erat esse*, & singulum, scilicet cuius est *in quibusdam est idem, vt in primis substantiis*, id est, in speciebus vniuersalibus, vt *curuitas & curuitati esse*, id est, quod quid est curuitatis sunt idem *si prima est*, id est, si curuitas sit prima substantia & species. Et exponit quid vocat primam substantiam: quia non substantiam particularem, vt in prædicamentis; ideò dicit: *dico autem primam quod non dicitur esse per aliud in alio, vt materia*, id est, quæ non habet formam in subiecto, & materia signata & indiuiduali: *quæcunque verò sunt vt materia, aut concepta cum materia*, scilicet indiuiduali, vt sunt singularia, *non sunt idem*, scilicet quod quid est cum eo cuius est: *nec etiam sunt vnum secundùm accidens, vt Socratem & musicum: hæc enim sunt eadem secundùm accidens*, scilicet Socrates & musicus: omnia enim hæc determinata sunt in præcedentibus.

Prima substantia multiplex apud Philosophũ.

Notandum, quòd hîc per primam, scilicet substantiam, vel intelligit Aristoteles speciem vniuersalem, vt distinguitur à particulari, quæ non habet hoc in hoc, id est, formam in materia signata, eo modo quo dictum est in exponendo literam. Vel aliter potest exponi, quòd per primas substantias intelligit ideas separatas, more Platonico, qui eas primas substantias appellabat; & tales substantiæ non habent hoc in hoc, id est, formam in materia, cum à Platone ponantur puræ formæ, quarum etiam est diffinitio secundùm eum, & sic curuitas idealis erit prima substantia, & non curuitas sensibilis, vel Mathematica.

98 *Prima substantia in proposito potest exponi dupliciter.*

Notandum etiam, quòd cùm ait Philosophus, *quod quid est*, esse idem cum eo cuius est in primis substantiis, & non in conceptis cum materia, vel per primas substantias intelligit species vniuersales, vt dictum est, & per concepta cum materia intelligit ipsa indiuidua, quæ non habent, *quod quid est*, idem sibi per se primò sicut species, vt aliàs dictum fuit: vel loquitur more Platonico, per primas substantias ideas significans, & per concepta cum materia omnia sensibilia & naturalia: si enim *quod quid est*, sit primo per se illarum substantiarum in illis solùm esset idem, *quod quid est*, cum eo cuius est per se primò. Nec mireris, si textus vel sic, vel sic exponatur: quia totum hoc capitulum videtur Platonicum, paucis improbationibus interpositis; sicut patet ex præcedentibus si attendis.

Quomodo in primis substantiis duntaxat sunt idem quod quid est *& cuius est? Plerumque more Platonico & recitatiuè loquitur Aristoteles.*

):(

SVMMÆ

SVMMÆ SECVNDÆ
CAP. XIII.

Quo pacto ex partibus diffinitionis fiat vnum? vbi de diffinitionibus secundùm diuisionem, multa.

SVMMARIVM.

Arguit dupliciter contra vnitatem per se diffinitionis, resoluens eam esse per se vnam, cuius perfectibile seu materia, est genus; perfectiuum, seu forma, differentia.

Tex. c6.42.

Cap. 13.

99

NVnc autem dicamus primum inquantum in Analyticis de diffinitione non dictum est, in illis enim dubitatio dicta operæpretium rationibus de substantia est. Dico autem hanc dubitationem quare quidem vnum est cuius rationem diffinitionem esse dicimus, vt hominis animal bipes, sit enim hoc ipsius ratio. Quare igitur vtique hoc vnum est, secundùm non multa animal, & bipes.

Postquam Philosophus inquisiuit ex quibus partibus, *quod quid est*, & diffinitio integratur; nunc inquirit quomodo ex partibus diffinitionis fiat vnum, ita quòd capitulum præcedens dicatur capitulum de partibus diffinitionis; & præsens capitulum licèt sub illo contineatur, dicatur capitulum de vnitate diffinitionis. Circa quod tria facit: quia primò proponit quæstionem. Secundò arguit ad quæstionem. Tertiò subiungit quæstionis solutionem. Secunda ibi: *In hoc namque*. Tertia ibi: *Oportet autem intendere.* Dicit ergo, quòd *nunc primò dicamus inquantum in Analyticis non dictum est*, id est, illud quod in 2. Poster. *de diffinitione non dictum est, in illis enim*, scilicet Analyticis, *dubitatio quædam* supple de diffinitione *dicta*, id est, mota est, sed non soluta, *operæpretium enim*, id est, prænecessaria, *rationibus de substantia*, id est, speculationi de substantia, de qua in ista scientia principaliter intenditur: *dico autem dubitationem hanc, quare diffinitionem vnius rei dicimus esse rationem vnam*, cùm supple componatur ex multis partibus, vt diffinitio *hominis est animal bipes: sit enim*, id est, supponatur, *hoc esse ipsius ratio*, id est, diffinitio: *quare igitur hoc*, scilicet *animal bipes vnum est, sed non multa*, hîc supple quæritur. Deinde cùm dicit:

Quæstio de vnitate diffinitionis & diffiniti.

Alias propter quod quid illud cuius rationem diffinitionem esse dicimus est vnum, scilicet quod quid est, quod scilicet per diffinitionem significatur vt diffinitio hominis, &c.

100

In hoc namque homo, & album multa quidem sunt: cùm alterum non insit alteri: vnum verò quando inest & patitur aliquid subiectum homo: tunc enim vnum fit & est albus homo. Hic autem non participat alterum altero: genus enim non videtur participare differentias: simul enim contrariis idem participaret: nam differentiæ contrariæ sunt, quibus differt genus.

Arguit ad quæstionem, & primò ad partem negatiuam, scilicet quòd ex eis non fiat vnum. Secundò ad partem oppositam, scilicet affirmatiuam. Secunda ibi: *Oportet autem vnum esse.* Prima in duas secundùm duas rationes. Prima sumitur ex hoc, quòd ex genere & differentia non fiat vnum. Secunda ex hoc, quòd non ex pluribus differentiis. Secunda ibi: *Si verò & participat.* In diffinitione enim ponuntur genus & differentia quandoque vna, quandoque plures, vt dicetur. Dicit ergo, quòd *in hoc namque homo & album sunt multa quidem*, & non vnum *cùm alterum non insit alteri*, sed accipiuntur seorsum. *Vnum verò sunt quando* supple album *inest, & subiectum* quod est homo *aliquid patitur*, id est, suscipit hanc passionem, quæ est albedo: quando, scilicet albedo sibi actu inhæret: *tunc enim fit vnum*, scilicet per accidens & non per se, *& est albus homo.* Ex hoc potest accipi maior rationis sic: ex illis quorum vnum non inest alteri non fit vnum; sed sic est in proposito de genere & differentia; ideò subdit: *hoc autem* cùm dicitur animal bipes, *alterum*, scilicet animal *non participat altero*, scilicet bipede sicut homo participat albo: *genus enim non videtur participare differentias.* Cuius causam subdit, *nam differentiæ sunt contraria quibus differt*, id est, diuiditur *genus*, & non idem genus participat contrariis differentiis: quia qua ratione participet vna, eadem ratione reliqua. Deinde cùm dicit:

Arguit ad partem negatiuam quæsiti.

Si verò & participat eadem ratio si sunt differentiæ plures, vt gressiuum bipes non alatum. Quare namque hoc vnum, sed non multa: non enim quia insunt, nam sic ex omnibus erit vnum.

Ponit secundam rationem, dicens: *si verò* dicatur, quòd genus *participat* differentia: tamen supple adhuc est *eadem ratio* ad probandum diffinitionem esse vnam *si plures differentiæ* sunt, id est, ponuntur in diffinitione vt istæ tres *gressiuum, bipes, non alatum*, & ponantur in diffinitione hominis: *quare namque hæc sunt vnum, & non multa*, quasi dicat non videtur ratio: *non enim* potest assignari ratio ex hoc, *quia insunt*, supple vni scilicet homini, *nam sic ex omnibus erit vnum*: quia omnia essent vnum inter se & cum subiecto, & etiam per se vnum, quia sic loquimur de vno: & vlterius quia accidentia eadem accidunt diuersis subiectis sequitur quod diuersa substantia essent vnum, puta Æthiops & coruus, quibus nigredo inest, & sic procedendo omnia essent vnum: dato ergo per impossibile quòd genus participaret differentia, & sic ex genere & differentia fieret vnum, non tamen videtur quòd ex pluribus differentiis fiat vnum propter istam rationem. Deinde cùm dicit:

101

Oportet autem vnum esse quæcunque in diffinitione: diffinitio enim ratio quædam est vna, & substantia vna, quare vnius alicuius oportet ipsam esse rationem, etenim substantia vnum quidem & hoc aliquid significat, vt diximus.

Arguit ad partem affirmatiuam oppositam, dicens, quòd *oportet vnum esse quæcunque in diffinitione*, ponuntur: enim pro quia: *diffinitio est quædã vna ratio, & substantia*, scilicet rei quam indicat est *vna, quare rationem ipsam oportet esse vnius alicuius*, & per consequẽs ipsam esse vnam: *etenim substan*

Arguit ad partem affirmatiuam.

ſubſtantia quam indicat eſt vnum quidem, & hoc aliquid ſignificat, vt diximus, ſcilicet quia oſtenſum eſt, quòd diffinitio eſt ſubſtantiarum propriè. Deinde cùm dicit:

Tex. cõ.43. Ad hunc textum q. 19. lib.7.

Oportet autem primum intendere de his, quæ ſecundùm diuiſiones diffinitionibus: nihil enim aliud eſt in diffinitione quàm primum dictum genus & differentiæ: alia verò genera ſunt primum, & cum hoc comprehenſæ differentiæ, vt primum animal, habitum verò animal bipes; & iterum animal bipes non alatum, ſimiliter autem & ſi per plura dicantur. Omninò verò nihil differt per plura, aut per pauciora dici, quare nec per pauca, aut per duo. Duorum verò hoc quidem differentia: illud verò genus, vt eius quod animal bipes, animal equidem genus, differentia autem alterum.

102

Ponit quæſtionis ſolutionem. Circa quòd duo facit: quia primò præmittit quandam diuiſionem. Secundò accedit ad quæſtionis ſolutionem. Secunda ibi: *Si ergo genus.* In prima parte intendit quod diffinitio dupliciter aſſignatur. Vno modo ex genere primo generaliſſimo & omnibus differentiis vſque ad vltimam, & hoc eſt quando genus proximum eſt innominatum: tunc enim circumloquimur ipſum per genus remotum & differentias omnes communes vſque ad vltimam: & tunc genus remotum tenet locum generis proximi cum omnibus differentiis præcedentibus & communibus. Secundo modo aſſignatur diffinitio ex genere proximo & vltima differentia, & hoc quando proximum genus eſt nominatum & vltima differentia eſt nobis nota. Exemplum primi, vt ſi dicatur quòd homo eſt ſubſtantia corporea, animata, ſenſibilis, rationalis; dato quòd genus proximum ignoretur. Exemplum ſecundi, vt ſi dicatur quòd homo eſt animal rationale: dato quòd animal ſit genus proximum & rationale ſit vltima differentia. Et hoc eſt quod dicit, quòd *oportet primum intendere* ad videndam ſcilicet vnitatem diffinitionis *de diffinitionibus quæ,* ſcilicet aſſignantur *ſecundùm diuiſiones:* ſupple generis in differentias: *nihil enim aliud eſt in diffinitione quàm primum genus: & differentiæ: alia verò,* ſcilicet genera intermedia *ſunt primum* genus *& cum hoc comprehenſæ differentiæ;* genus enim intermedium nihil aliud eſt quàm primum genus, id eſt, remotum: & cum hoc includit differentiam aliquam vnam vel plures, *vt ſi primum* genus eſt *animal, habitum* verò, id eſt, conſequenter ſe habens *animal bipes, & iterum* tertiò *animal bipes non alatum: ſimiliter autem etſi per plura dicantur,* id eſt, ſi aliquod genus per plures differentias dicatur: quia *nihil differt* ad propoſitum: *ſi per plura aut pauciora dicatur:* vt ſcilicet per duas differentias, vel per tres, ſemper circumloquimur genus proximum per intermedium primi generis & ſpeciei: nam genus proximum nihil aliud eſt quàm primum genus & cum hoc comprehenſæ differentiæ, vt animal nihil aliud eſt quàm ſubſtantia, quod eſt primum cum aliquibus differentiis: nam animal eſt ſubſtantia animata ſenſibilis: & ſic omnis diffinitio reſoluitur in primum genus & aliquas differentias. Et ſubdit quantùm ad ſecundùm modum: *duorum verò,* id eſt, ſi diffinitio aſſignetur per aliqua duo: *hoc quidem eſt differentia, illud vero genus: vt eius quod eſt animal bipes, animal quidem eſt genus; alterum* autem ſcilicet *bipes eſt differentia* ſuppoſito quòd animal ſit genus proximum, & bipes differentia vltima. Deinde cùm dicit:

Duplex modus aſſignandi diffinitionem vbique notandus.

Genus ſubalternum quid.

Si ergo genus ſimpliciter non eſt præter eas quæ vt generis ſpecies: aut ſi eſt quidem, vt materia eſt: vox enim genus & materia, differentiæ autem ſpecies & elementa ex hac faciunt palàm quod diffinitio eſt ex differentiis ratio.

103

Accedit ad ſolutionem. Circa quod duo facit: quia primò oſtendit quomodo ex genere & differentia fiat vnum; ita quòd pluralitas generis & differentiæ non impedit diffinitionis vnitatem: & hoc eſt quantùm ad ſecundum modum diffiniendi. Secundò oſtendit quomodo ex pluribus differentiis fiat vnum: ita quòd pluralitas differentiarum non impedit diffinitionis vnitatem, & hoc eſt quantùm ad primum modum. Secunda ibi: *At verò & oportet.* In prima parte intendit talem rationem: Ex proprio perfectibili & proprio perfectiuo eiuſdem generis fit vnum per ſe, ſicut ex potentia & actu: ſed genus & differentia ſunt huiuſmodi, ergo, &c. Minor patet: quia genus eſt vt materia, & proprium perfectibile: differentia verò ſpecifica eſt vt forma, & propriũ perfectiuum materiæ: ſicut ergo ex forma & materia fit vnum per ſe: ita ex genere & differentia, ex quibus diffinitio integratur, fit vnum per ſe; & hoc eſt quod dicit: *ſi* pro quia: *ergo genus non eſt ſimpliciter,* ſupple aliquid *præter eas ſpecies quæ ſunt generis: aut ſi eſt quidem, vt materia eſt:* genus enim habet rationem materiæ: cui differentia addita conſtituit ſpeciem: *vox enim* eſt *genus & materia,* ſcilicet litterarum, quod patet: quia *differentiæ,* ſupple vocis additæ voci, *faciunt ſpecies,* ſcilicet vocum & litterarum. Quòd etiam ſit materia patet, quia ſupple *differentiæ faciunt elementa,* id eſt, lineas, *ex hac,* ſcilicet ex voce quaſi ex materia: quia inquam ſic eſt *palàm quia diffinitio eſt ratio,* ſcilicet vna *ex differentiis,* ſcilicet conſtituta. Ex hoc patet quòd ratio ad oppoſitum non concludit; licèt enim differentia non inſit generi eo modo quo album ineſt homini: quia differentia non prædicatur de genere ſicut album de homine, quatenus genus non participat differentiam formaliter nec èconuerſo: nihilominus tamen differentia aduenit generi vt proprius actus & perfectio propriæ potentiæ, & perfectibili; & ideò conſtituit vnum per ſe.

Genus ſe habet vt materia, differentia verò vt forma.

Notandum, quòd negantes pluralitatem formarum: hinc volunt ſumere argumentum, quòd vnitas diffinitionis eſt per hoc, quòd genus nihil eſt præter generis ſpecies, ſaltem ſecundùm eſſe quiditatiuum. Sed hoc non eſt verum: quia accipitur auctoritas truncata: nam ſequitur: *genus non eſt præter eas quæ ſunt generis ſpecies; aut ſi eſt quidem, eſt vt materia.* Secunda pars diſiunctionis eſt vera, vnde ad illud ſecundum membrum ſubdit exemplum: *vox enim genus eſt & materia,* &c. Eſt igitur intentio Philoſophi quòd illud quod importatur per genus, nihil eſt niſi potentiale reſpectu ſpecierum.

Vide 11. di. 4.q.3.& hic 1.q.

Al. diſtinctionis.

SVM

SVMMARIVM.

Quod pluralitas differentiarum non impedit vnitatem diffinitionis. Quod ait scissio pedis, pedalitas quædam est, non intelligit sic, quòd differentia inferior includat superiorem; sed quòd diuidat, sum. de quo fusè Doctor 4. d. 11. q. 3. ad primum pro prima opinione, nu. 48 & hîc q. 17. & q 9. & 13. de Vniuersalibus. Vbi vide Mauritium & Antonium Andream hîc q. 15. ex pluribus tamen differentiis per accidens, non fit per se vnum, & explicat exemplo De ratione per se vnius vide Doctorem 2. d. 12. q 1. & libro octauo huius, q. 4.

AT verò & oportet diuidi differentiæ differentiam vt animalis differentia est pedalitas. Item animalis habentis pedes differentiam scire oportet inquantum habens pedes. Quare non est dicendum habentis pedes aliud alatum, aliud non alatum, si quidem benè dicit; sed propter non posse facit hoc: sed si aliud habens scissos pedes: aliud non scissos pedes; hæ namque sunt differentiæ pedis: nam scißio pedis pedalitas quædam est, & sic semper vult procedere donec vtique veniat ad non differentiam. Tunc autem erunt tot species pedis, quot differentiæ, & pedes habentia animalia æqualia differentiis.

104 Ad hunc textum est q. 17. lib. 7.

Postquam Philosophus ostendit quomodo ex genere & differentia fiat vnum; ita quòd pluralitas generis & differentiæ non impediat diffinitionis vnitatem; nunc ostendit quomodo ex pluribus differentiis fiat vnum, ita quòd nec pluralitas differentiarum impedit vnitatem diffinitionis. Circa quod duo facit: quia primò ostendit qualiter in diffinitione multæ differentiæ sunt sumendæ. Secundò ostendit quòd differentiæ si debitè sumantur, earum pluralitas non impedit vnitatem diffinitionis. Secunda ibi: *Si itaque hæc sic.* Dicit ergo, quòd *at verò oportet*, supple in diffinitionibus vbi habent poni multæ differentiæ, *diuidi differentiæ differentiam* id est, differentiā primam in differentiam secundam: *vt differentia animalis est pedalitas:* & quia est differentia communis, ideò oportet ipsam diuidi per aliam differentiam, quæ *sit differentia animalis habentis pedes: inquantum habens pedes*, id est, quòd sit differentia per se & non per accidens: ideò subdit, *quare non est dicendum quòd habentis pedes aliud est alatum, alterum non alatum: si quidem benè dicit*, id est, si homo vult benè dicere diuisionem differentiarum, quia habere alas accidit habenti pedes: nec est eius per se differentia: & subdit: *sed propter non posse facit hoc*, id est, quòd quandoque propter necessitatem: quia differētiæ per se sunt nobis ignotæ; ideò loco earum vtimur differentiis per accidens, quatenus aliud non possumus: & subdit modum quo per se diuiditur hîc differentia pedalitas dicens: quòd si supple animal habens pedes diuidatur: sic quòd *aliud est habens pedes scissos, aliud non habens pedes scissos*: tunc supple fit benè: *hæ namque sunt differentiæ pedis*, scilicet scissum, & non scissum: *nam scissio pedis est quædam pedalitas, & sic semper vult procedere*, scilicet diuidens differentias: *donec vtique veniat ad non differentiam*, id est, ad differentias vltimas non habentes vlteriores differentias: *tunc autem tot erunt species pedis, quot differentiæ, & animalia habentia pedes æqualia differentiis:* nam quælibet differentia vltima constituet speciem animalis habentis pedes.

Quomodo plures differentiæ sunt sumendæ in diffinitione.

Al. fisios.

Notandum, quòd cùm dicitur quòd scissio pedis est quædam pedalitas, non est intelligendum quòd sit prædicatio per se primo modo: & quòd differentia inferior includat superiorem: sed quòd inferior per se dat diuidere superiorem, inquantum huiusmodi, & hanc diuisionem per se innuit per ista abstracta, *scissio & pedalitas.* Deinde cùm dicit:

Nec per se includitur seu prædicatur differentia superior in vniuersali de inferiori.

Si itaque hæc sic se habent, palàm quia finalis differentia substantia rei erit, & diffinitio, si non oportet multoties eadem dicere in terminis, superfluum enim accidit hoc dicentibus, nam quando dicit animal habens pedes bipes; nihil aliud dixit quàm animal pedes habens, & duos pedes habens & si hoc diuidat propria diuisione multoties dicet, & æqualiter differentiis, siquidem differentiæ differentia fiat, vna erit quæ finalis species & substantia.

105

Ostendit quòd si differentiæ debitè sumantur, earum pluralitas non impedit diffinitionis vnitatem. Circa quod duo facit: quia primò ostendit propositum. Secundò concludit intentum. Secunda ibi: *Quare palàm.* Prima in duas: quia primò ostendit quomodo ex multis differentiis fiat vnum, si differentiæ per se sumantur. Secundò quòd hoc non erit si per accidens sumantur. Secunda ibi: *Si verò secundum accidens.* In prima parte intendit talem rationem eandem quæ priùs: Ex actu & potentia eiusdem generis fit per se vnum: sed multæ per se differentiæ in diffinitione ordinatè sumptæ sunt huiusmodi, ergo, &c. Minor probatur: quia vltima & finalis differentia se habet ad præcedentes vt actus & perfectio ad potentiam, cùm sit substantia rei & diffinitio vltimatè & perfectiuè: & omnes aliæ sunt potentiales respectu eius: omnes enim præcedentes cum genere primo circumloquuntur genus proximum, quod se habet vt materia respectu finalis differentiæ.

Differentiæ sunt duplices.

Ex pluribus differentiis per se fit per se vnum.

Ideò dicit: quòd *si itaque hæc sic se habent*, scilicet vt dictum est, quòd differentiæ in diffinitione accipiantur per se, & non per accidens, *palàm quia finalis differentia est substantia rei & diffinitio* prædicto modo. Quòd autem differentia finalis sit vltimatè & perfectiuè tota diffinitio & substantia rei, patet, quia aliàs esset nugatio in diffinitione; ideò dicit, quòd *si non oportet in terminis*, id est, in diffinitionibus, *eadem dicere multoties: superfluum enim erit*, supple hoc & nugatoriū: quod sic patet, quia cùm diffinitio habeat vnitatem ex aliqua differentia, ergo vel à finali, vel ab aliqua alia: si à finali, habetur propositum: si ab alia, vel ista est vna cū finali, vel sunt duæ: si vna, ergo nugatio: si duæ, ergo diffinitio non est vna: quia ex duobus in actu vltimato & perfecto non fit vnum per se: & hoc est quod dicit: *accidit autem hoc*, scilicet

Qualiter differentiæ plures in diffinitione positæ debent accipi absque nugatione.

scilicet inconueniens de nugatione: *nam quando* supple aliquis *dicit*, id est, diffinit *animal habens pedes, bipes: nihil aliud dixit quàm animal pedes habens, duos pedes habens*: quia bipes nihil aliud est quàm duos pedes habens, & ita erit nugatio qualiter, ly *bipes* videtur includere ly *habere pedes*, & sunt quasi eadem differentia: & ita si vtraque ponitur, erit nugatio: similiter & *si hoc* quod est bipes *diuidatur propria diuisione*, id est, per differentias per se, non per accidens *multoties dicet, & æqualiter differentiis*, id est, quòd idem toties dicetur quot sunt differentiæ: nisi supple ab vltima differentia non includente priorem haberet diffinitio vnitatem, putà si bipes vlteriùs diuidatur: dicendo quòd bipes aut habet pedes scissos, id est, in tres digitos, aut in quatuor: semper enim multiplicando differentias multiplicatur repetitio eiusdem: nisi, vt dictum est, vltima à qua diffinitio habet vnitatem non includeret præcedentes, ideò subdit, quòd *siquidem igitur fiat differentia differentiæ*, accipiendo scilicet plures differentias, *vna erit quæ est finalis species & substantia rei*.

Al. quatenus.

106 Notandum, quòd negantes plures formas hinc sumunt argumentum: quia si finalis differentia quæ dicit rationem formæ dicit, totam substantiam rei, ergo non est ibi alia & alia forma, à quarum prima sumatur genus, & differentia à secunda, quia tunc differentia vltima non esset tota substantia diffiniti. Sed hoc nihil valet: non enim potest intelligi quòd tota ratio quiditatiua sit in vltima differentia: tunc enim genus superflueret in diffinitione: quia sola vltima differentia totam essentiam rei exprimeret: sed debet sic intelligi, quòd completiuè est tota substantia rei, sicut à forma vltima completiuè est tota essentia habentis formam. Deinde cùm dicit:

Qualiter vltima differentia est tota rei substantia suo modo exponit.

Si verò secundùm accidens, vt si diuidat, habentis pedes, aliud album, aliud nigrum: tot quot vtique sectiones fuerint.

Ostendit quomodo ex multis differentiis non fit vnum, si sumantur per accidens, dicens quòd *si verò secundùm accidens*, supple aliquis sumat differentias: *vt si diuidat, habentis pedes, aliud album, aliud nigrum: tunc* supple *tot erunt differentiæ finales, quot vtique fuerint sectiones*, id est, diuisiones, quia tunc vna non subordinabitur alteri; nec per consequens facient vnum per se: ex hoc patet quod ratio superiùs facta ad oppositum non concludit: procedit enim de differentiis sumptis per accidens, quæ non faciunt vnum, nisi subiecto tantùm, quæ vnitas non sufficit ad diffinitionem. Deinde cùm dicit;

Ex pluribus differentiis per accidens non fit per se vnum.

Quare palàm quòd diffinitio ratio est quæ est ex differentiis: & harum ex finali secundùm rectum.

Concludit intentum. Circa quod duo facit; quia primò ponit conclusionem. Secundò manifestat eam per quoddam signum. Secunda ibi: *Palàm autem*. Dicit ergò, quòd supple ex prædictis est, *palàm quod diffinitio est ratio*, scilicet vna, *quæ est ex differentiis, & harum*, scilicet differentiarum supple est vnitas *ex finali*, differentia *secundùm rectum*, id est, quando sumuntur differentiæ ordinatè: vt differentia minùs communis sub communiori, & non sumuntur à latere, & per accidens.

Concludit intentum.

SVMMARIVM.

Vnitatem diffinitionis multis differentiis, desumi ex vltima; alioquin sequeretur nugatio addendo superiorem differentiam inferiori; vel è contra; neque ex hoc quòd non sit ordo inter differentias, vt vna includat aliam, sequitur; non esse plures formas in composito. Vt benè explicat Doctor hîc, de quo latè agit 4. di. 11. q. 3. num. 28. & a. num. 33. & hîc q. vltima.

107 *Palàm autem erit, siquis transponat tales diffinitiones, vt eam quæ est hominis dicens: animal bipes, pedes habens, superfluum enim est habens pedes, dicto bipede; sed ordo non est in substantia, quomodo namque oportet intelligere, hoc quidem posterius, illud verò prius. De diffinitionibus quidem igitur secundùm diuisiones tot dicantur primum, quales quædam sunt.*

Probat dictam conclusionem, quòd scilicet finalis differentia sit substantia, & diffinitio perfectiuè & vltimatè: alioquin vt dictum est, in diffinitione esset nugatio, sicut patet transponendo differentias: nam sicut prius, addendo posteriorem differentiam priori, erit nugatio similiter, & è conuerso addendo priorem posteriori: quia non est ordo quantum ad hoc in substantia, id est, in his quæ spectant ad substantialem rationem & diffinitiuam rei: semper enim erit nugatio præponendo, vel postponendo negata: & nihil refert dicere hoc prius: hoc posterius, ideò dicit, quòd *palàm erit*, scilicet quòd conclusum est, *si quis transponat tales diffinitiones*, id est, differentias positas in diffinitione *vt* aliquis *dicat eam*, scilicet diffinitionem *quæ est hominis esse animal bipes, pedes habens*: vbi transponitur ly *bipes* quæ cùm sit differentia posterior, ponitur prior, ideò subdit: *superfluum enim est dicere habens pedes, dicto bipede: sed non est ordo in substantia*, id est, in substantiali diffinitione, modo iam dicto: *quomodo namque oportet intelligere, hoc quidem prius; illud verò posterius*: quasi dicat, quòd non, si negetur finalis differentia esse substantia rei completiuè. Vltimò epilogat dicens, *de diffinitionibus igitur secundùm diuisiones*, id est, quæ accipiuntur secundùm diuisionem generis in differentias & differentiarum in differentias dictum est: *quales quædam sunt dicta* primum scilicet quæ accipiunt partes formales speciei & per se prædicata & alia quæ dicta sunt & ostensa primum in præcedentibus.

Qualiter complementum vnitatis & entitatis diffinientis & diffiniti est ab vltima differentia?

Modus cognoscendi nugationem.

Epilogus.

108 Notandum, quòd negantes plures formas, hinc sumunt argumentum: quia si non est ordo in substantia, ergo non est ibi alia & alia forma: quia si sic, iam esset ordo in substantia rei secundùm ordinem formarum: sed hoc nihil valet ad propositum: Philosophus enim antè immediatè voluit quòd si est nugatio addendo differentiam priorem posteriori, pari ratione erit nugatio èconuerso: non enim est talis ordo in substantiis: hoc est, in his quæ pertinent ad rationem substantialem alicuius, siue diffinitiuam, quòd alius & alius

Vide in 4. vbi supra.

alius ordo fiat & tollat nugationem : Vnde non est intentio Philosophi quòd diffinitio non possit dati per genus, & per multas differentias non se mutuò includentes secundùm nugationem: nam si ponantur in diffinitione multæ differentiæ ordinatæ,non sequitur nugatio;sed supponendo oppositum illius, quod vult Philosophus probare,sequitur nugatio : hoc est quòd ab vltima differentia non sit vnitas rei : quia quandoque si genus sit remotius, datur per multas differentias: si ergo tunc vnitas non est ab vltima differentia, cùm vnitas compositi sit ab vltima differentia, cùm hæc non sit vltima , erit aliqua alia vltima & actus: & cùm multæ sint ibi,tunc de illis esset aliqua differentia vltima, & vltimus actus , & ab ea excompositum vnum : & tunc, aut erunt duæ, aut erunt vna ; si vna,erit nugatio , cùm vtraque ponatur : si aliud, & aliud, & vtrunque in actu,& cùm ex duobus in actu vltimo non sit vnum , sequitur quòd ex illis duobus non fiat vnum. Exemplum huius patet in littera , vt si diffinitio hominis est animal habens pedes bipes , ly *bipes* finalis differentia , à qua completiuè est substantia , & vnitas diffinitionis, non est includens formaliter differentiam priorem,quæ est habens pedes:alioquin sequuntur inconuenientia prædicta.

Cap. 14.

SVMMÆ SECVNDÆ

CAPVT XIV.

Vniuersalia Platonicè accepta substantias non esse.

SVMMARIVM.

Resumit diuisionem substantiæ,quam posuit in initio huius libri:licèt enim hæc diuisio verbis differat ab illa , re eadem videtur;vt notat Doctor Probat dupliciter vniuersale non esse substantiam, (& sumit vniuersale Platonicè ,) excludens rationis primæ responsionem.

Tex. cō. 44. Ad hūc text. est, quæ. 18. lib.7.

QVoniam verò de substantia perscrutatio est;iterum redeamus : dicitur autem sicut subiectum substantia esse , & quod quid erat esse , & quod ex his & vniuersale. De duobus quidem igitur dictum est : etenim dictum quod quid erat esse,& de subiecto : quia dupliciter subiicitur , aut hoc aliquid ens , vt animal passionibus,aut vt materia actui.

109

Text.cō.45.

Videtur autem & vniuersale causa quibusdam esse maximè , & esse principium vniuersale,vnde & de hoc tractemus.

In isto capitulo , vt dicebatur superiùs , agit Philosophus de substantia & *quod quid est* secundùm quod vniuersale dicitur substantia à quibusdam , inquirens vtrùm vniuersalia sint. Circa quod facit duo. Primò proponit intentum & continuat dictis dicenda. Secundò exequitur de intento. Secunda ibi : *Videtur enim impossibile.* Dicit ergo , quòd *quoniam de substantia est perscrutatio,* scilicet in ista scientia:*iterùm redeamus,* resumendo scilicet diuisionem substantiæ, vt appareat quid dictum sit,& quid dicendum restat,& subdit : *dicitur autem substantia esse sicut subiectum,*id est,materia,quæ formæ subiicitur, & alio modo,*quod quid erat esse,* id est, forma, *&* tertiò *quod ex his* , id est , compositum ex vtroque , *&* quartò secundum quosdam dicitur substantia *vniuersale;de duobus quidem igitur* horum quatuor *dictum est : etenim* pro quia , *dictum est de quod quid erat esse &* iterum *de subiecto,quia dupliciter subiicitur.* Vno modo vt subiectum passionibus; alio modo vt materia formæ,ideò dicit : *aut* supple subiicitur,*vt hoc aliquid ens,*scilicet in actu:*vt animal passionibus :* & similiter quodlibet subiectum passionibus suis & accidentibus:*aut vt materia* subiicitur *actui* & formæ substantiali ; de his quidem dictum est suprà , quando ostensum est qualiter materia & partes materiales pertinent ad speciem,vel ad indiuiduum. Et subdit , quòd *vniuersale videtur quibusdam esse maximè causa & principium :* & supple non solùm materia & quod quid est *vnde & de hoc* , scilicet vniuersali *tractemus :* agit enim deinceps in hoc septimo de vniuersali:de substantiis autem compositis & sensibilibus agit in 8. huius , ad quem iste septimus ordinatur.

Substantia quadrupliciter dicitur.

Subiectum duplex scilicet quod subiicitur passionibus & quod subiicitur formæ.

Notandum, quòd diuisio substantiæ , quæ hîc resumitur , redit in idem cum illa , quæ ponitur circa principium huius septimi : ibi enim posuit quatuor, scilicet *quod quid erat esse,*& vniuersale, & genus,& subiectum:subiectum autem subdiuiditur in materiam, formam, & compositum : sed hîc loco formæ ponitur *quod quid erat esse* , quatenus , vt patet ex præcedentibus , *quod quid est* maximè se tenet ex parte formæ. Iterum genus & vniuersale hîc sub vno comprehenduntur, quatenus genus eadem ratione ponitur substantia qua, & vniuersale, vt dicetur : remanent ergo quatuor modi substātiæ qui prædicti sunt. Deinde cū dicit:

110

Ad hunc textum ponitur q.13. & 14. lib.7.

Videtur enim impossibile esse substantiam esse quodcunque vniuersaliter dictorum ; primum enim substantia quæ vniuscuiuque,propria vniuscuiusque,quæ non inest alij,vniuersale verò commune est , dicitur enim hîc vniuersale quod pluribus inesse natum est. Cuius ergo substantia hoc erit?aut enim omnium aut nullius:omnium autem non est possibile,vnius autem si erit , & alia huius erunt , quorum enim vna substantia est , & quod quid erat vnum,& ipsa vnum.

Exequitur de intento. Circa quod duo facit: quia primò ostendit quòd vniuersalia non sunt substantiæ , eo modo quo dixerunt quidam. Secundò exponit quid directè & quid non directè dixerunt sic ponentes. Secunda ibi:*Sed species dicentes.* Prima in duas:quia primò ostendit generaliter vniuersalia non esse rerum substantias. Secūdò ostendit hoc specialiter de vno & ente , quæ maximè rerum substantiæ ponebantur. Secunda ibi: *Quoniam verò vnū dicitur.* Prima in duas:quia primò probat quòd vniuersalia non sint substantiæ.Secundò quòd non sint separata. Secunda ibi: *Manifestum autem.*Prima in duas secundùm duas vias , per quas ostendit propositum ; nam primò probat intentum per rationes sumptas ex parte prædicationis , prout vniuersalia vt vniuersalia dicuntur prædicari de inferioribus. Secundò ex parte

parte compositionis, prout inferiora dicuntur componi ex vniuersalibus. Secunda ibi: *Amplius autem & impossibile.* Prima in duas quia primò præmittit rationes. Secundò excludit cauillosam responsionem. Secunda ibi: *Sed an sic.* Prima in duas secundùm duas rationes. Secunda ibi: *Amplius substantia dicitur.* In prima parte intendit talem rationem: Substantia vniuscuiusque est propria sibi & nulli alij inest: sed vniuersale nulli est proprium, ergo vniuersale nulli est substantia. Minorem declarat: quia vniuersale pluribus natum est inesse: aut ergo erit substantia omnium, aut nullius: non omnium, quia substantia est propria illi cuius est, ergo nullius. Dicit ergo, quòd *impossibile videtur*, scilicet ex dicendis: *quodcunque vniuersaliter dictorum esse substantiam: primum enim substantia quæ vniuscuiusque propria*, scilicet est illi cuius est, *quæ non inest alij: vniuersale verò commune est* & non proprium alicuius: *hoc enim dicitur vniuersale, quod natum est inesse pluribus. Cuius ergo*, scilicet illorum plurium *hoc*, id est, vniuersale *erit substantia: aut enim omnium, aut nullius*, omnium autem non est possibile: quia, vt dictum est, substantia vniuscuiusque est propria sibi: & per consequens plurium plures sunt substantiæ & diuersæ: *vnius autem eorum si erit*, scilicet vniuersale substantia: sequitur quòd *omnia erunt hoc*, id est, quòd omnia quibus vniuersale inest, erunt ipsum vnum, cuius ponitur esse substantia: quod probat: *quorum enim substantia vnum est, & quod quid erat esse vnum, & ipsa vnum sunt*: relinquitur ergo ex prædictis, quòd vniuersale nullius sit substantia.

Probat in generali vniuersalia non esse substantias contra Platonem.

Vniuersale quid?

111

112

Notandum, quòd Philosophus non intendit simpliciter negare substantias vniuersales; nam contradiceret sibimet: nam genera & species in prædicamento Substantiæ ponit esse substantias secundas, vt patet in prædicamentis: sed negat substantias vniuersales eo modo quo Platonici ponebant, scilicet esse aliqua vniuersalia, quæ erunt substantia, & *quod quid est* singularium; & ab eis realiter separata: hoc enim est impossibile: nam quiditas & substantia cuiuslibet est propria sibi, & sibi realiter inexistens, sicut probat ista prima ratio: dicitur autem vniuersale quod natum est esse in pluribus: nec semper actu de pluribus prædicatur: sed hoc accidit sibi: sufficit autem quod sit aptum, & non repugnat sibi vt vniuersale esse pluribus communicabile: quandoque enim solùm habet vnicum suppositum actu sub se, vt patet de phœnice, de Sole, & de Luna, vt dicetur infrà. Deinde cùm dicit:

Quomodo Philosophus accipit hic vniuersale ostendit.

Tex. cõ. 46.

Amplius substantia dicitur quæ non de subiecto, & vniuersale de subiecto aliquo dicitur semper.

Ponit secundam rationem, quæ talis est: substantia non dicitur de subiecto: vniuersale dicitur de subiecto: ergo vniuersale non est substantia. Dicit ergo, quòd *amplius substantia dicitur quæ non de subiecto, & vniuersale semper dicitur de aliquo subiecto.*

Sed occurrit dubium, quomodo verum sit quòd substantia non dicitur de subiecto: nam secundæ substantiæ prædicantur de subiecto, vt dicitur in Prædicamentis, cap. de Substantia.

Quomodo substantia prædicatur de subiecto & quomodo nõ?

Respondeo; potest dici quòd realiter loquendo & secundùm esse nulla est substantia communis, quæ de alio prædicetur, licèt hoc sit verum Logicè loquendo, eo modo quo loquitur Philosophus in Prædicamentis, vt allegatum est. Plato autem posuit vt sibi imponitur, substantias vniuersales secundùm esse, & realiter separatas, prædicabiles de inferioribus: & sic benè procedit ista ratio contra eum; licèt simpliciter, & aliàs assumat maiorem falsam. Deinde cùm dicit:

Positio Platonis, sed non assertiuè.

Sed an sic quidem non contingit, vt quod quid erat esse: in ipso autem existit, vt animal in homine, & equo. Ergo palàm quia quædam est ipsius ratio: differt autem nihil: nec si non omnium ratio est eorum quæ sunt in substantia. Nihil enim minùs substantia erit hoc alicuius, vt homo hominis in quo existit; quare idem accidit iterum, erit enim substantia in illius substantia, vt animal in quo est species, vt proprium existit.

Excludit quandam responsionem cauillosam, qua posset obuiari primæ rationi, vbi dictum est omnia esse vnum, quorum est substantia, & *quod quid est* vnum: diceretur enim forsan quòd vniuersale non est substantia quæ sit propria vni, vt quod quid erat esse: quod excludens dicit: *sed an sic quidem non contingit*, scilicet vniuersale esse substantiam, *vt quod quid erat: esse in ipso autem inexistit*, supple est substantia inexistens, *vt animal quidem in homine & equo.* Vult dicere quòd fortè posset obuiari dictæ rationi, dicendo quòd vniuersale non est substantia, & sicut *quod quid erat esse*, licèt sit substantia existens in partibus, vt animal in homine, & equo: natura quidem animalis non est sic in homine, quòd sit ei propria, cùm etiam sit in equo: ad quod excludendum subdit: *ergo palàm quia est quædam*, id est, aliqua *ratio ipsius*, scilicet animalis quod ponitur substantia communis: *differt autem nihil*, id est, nihil ad propositum, *si non est ratio*, id est, diffinitio, *omnium eorum quæ sunt*, id est, ponuntur *in substantia*, id est, in diffinitione substantiali rei: quia tunc esset processus infinitus in diffinitionibus: *nihil enim minus substantia erit alicuius hoc*, scilicet quæ ponitur non habere diffinitionem, quàm si haberet *vt homo hominis in quo existit: quare idem accidet iterum* quod prius: *erit enim substantia in illius substantia*, id est, quòd ista substantia communis; licèt non ponatur propria alicui inferiorum: oportet tamen quòd sit propria illius communis *vt animal in quo est species proprium existit*, id est, sicut animal si sit quædam substantia communis; prius prædicabitur de illo communi, & eius erit propria substantia, siue sit diffinibilis siue non: si ergo talis substantia est propria alicui vni, non poterit prædicari de pluribus, nec alteri inesse, & sic idem quod prius.

113

Excludit euasionem ad primam rationem.

Al. particularibus.

SVMMARIVM.

Quatuor rationibus probat vniuersale non esse substantiam; ex parte compositionis, quasi hæc, vt inferior, illud includat, vt superius componens. Doctor singulas optimè exponit, & quomodo inde non sequitur diffinitum non esse compositum ex realitatibus, quia rationes procedunt contra vniuersale Platonicum tantùm.

Text. cõ. 47.

AMplius autem impoßibile & inconueniens hoc esse substantiam; si est ex aliquibus, non ex substantiis esse, nec ex eo quod hoc aliquid, sed ex quali, prius enim erit non substantia, & qualis substantia, & ipso hoc quod est impoßibile, nec enim ratione, nec tẽpore, nec generatione paßiones poßibile est priores esse substantia, erunt enim separabiles.

114

Per viam compositionis probat vniuersalia non esse substantias.

Probat quòd vniuersalia non sunt substantiæ ex parte compositionis, prout inferiora dicuntur componi ex vniuersalibus. Circa quod duo facit: primò adducit rationes ad propositum. Secundò dubitationem quandam excludit. Secunda ibi: *Accidit autem quod habet dubitationem,* Prima in quatuor, secundùm quod quatuor rationes ponit. Secunda ibi: *Amplius Socrati.* Tertia ibi: *Sui autem.* Quarta ibi: *Amplius autem.* In prima parte intendit talem rationem: Si vniuersalia sunt substantiæ; ergo substantia erit ex non substantiis; consequens est falsum: quia ea ex quibus res est, sunt priora; & sic non substantiæ erunt priores substantia, cuius oppositum ostensum fuit suprà: quia substantia est prima omnium diffinitione & tempore. Consequentia patet: quia vniuersalia magis significant quale quid: si igitur substantiæ constent ex vniuersalibus: substantia erit ex non substantiis. Dicit ergo, quòd *amplius impoßibile est* inquam talem *substantiam esse ex non substantiis nec ex eo quod est hoc aliquid: sed ex quali,* id est, ex his quæ significant quale quid, quod probat, quia tunc, *non substantia & quale erit prius ipsa substantia quod est impoßibile: nec enim ratione,* id est, diffinitione, *nec tempore, nec generatione, poßibile est paßiones esse priores substantia;* quia si sic, *erunt separabiles,* scilicet à substantia, quod est impossibile: hoc enim prius est tempore alio, quod scilicet potest esse separatim sine illo, vt dictum est circa principium huius septimi; & tunc supplendum est quòd ea ex quibus aliquid componitur, sunt priora generatione & tempore, & quandoque etiam diffinitione: si igitur vniuersalia significant quale quid, non potest dici quòd sint substantiæ, ex quibus constituitur hoc aliquid.

Primitas substantia iterũ explicatur triplex.

Esse prius tempore alio in proposito quid?

115

Sed ratio Philosophi non videtur concludere, quia secundæ substantiæ, puta genera & species in prædicamento Substantiæ, cap. de substantia, licèt non significent hoc aliquid, sed quale quid, vt dicitur in Prædicamẽtis, non tamẽ significant quale accidentale, sicut passiones, sed quale substantiale: ratio autem Philosophi procedit ac si vniuersalia significarent quale accidẽtale, sicut passiones. Respondeo, quòd ratio Philosophi concludit contra Platonem: nam si vniuersalia sint quædam res eo modo, quo ponit Plato, scilicet quòd sint res aliæ à singularibus, & per consequens si significant qualitatem singulariũ, oportet quòd insint eis, vt substantiis, & sic significabunt quale accidentale: nam omnis qualitas quæ est res alia ab eo cuius est qualitas, & est in eo cuius est, sicut in subiecto est qualitas accidentalis, patet de albedine respectu corporis. Vniuersalia igitur quæ à Platone ponũtur separata, & per consequens aliæ res à singularibus, oportet quòd significent quale accidentale singulariũ; posita Hypothesi quidem sequitur inconueniẽs, sed non sequitur ad opinionẽ Philosophi: quia ipse non ponit vniuersalia separata, nec alterius naturæ à singularibus. Deinde cùm dicit:

Quomodo procedit argumentum Philosophi ad hominem, licet non ex forma & simpliciter est ergo similes ex hypothesi. Al. subiectis.

Text. cõ. 48.

Amplius Socrati inerit substantiæ substantia: quare duorum erit substantia: totaliter verò accidit si est substantia homo, & quæcunque ita dicuntur: nihil eorum quæ in ratione esse nullius substantiam, neque sine ipsis existere; nec in alio. Dico autem non esse quoddam animal præter aliqua, nec aliud eorum quæ in rationibus nullius. Ex his itaque speculantibus palàm quia nihil vniuersaliter existẽtium est substantia, & quia nullum communiter prædicatorum significat hoc aliquid, sed tale.

116

Ponit secundam rationem, quæ talis est: Si vniuersalia sunt substantiæ; ergo vna substantia erit in duobus; consequens est falsum: quia ostensum est suprà quòd vna substantia est propria vnius tantùm. Consequentia patet ex hoc: quia tunc homo erit substantia Socratis, & similiter animal erit substantia hominis, & per consequens Socratis: & sic in Socrate erunt duæ substantiæ, scilicet homo & animal, & ita vna substantia, puta animal erit in duobus, puta in homine & in Socrate. Ideò dicit quòd *amplius Socrati inerit substantia substantia:* id est, ipsum animal quod est substantia hominis: qui etiam homo est substantia Socratis: *quare* scilicet ipsum animal, *erit substantia duorum.* Et subdit quòd *totaliter,* id est, vniuersaliter, *accidit hoc* in omnibus tanquam verum: & non solùm in Socrate, quia si homo est substantia *& quæcunque ita dicuntur,* id est, alia quæ sic dicuntur species sunt similiter substantiæ: sequitur quòd *nihil eorum quæ in ratione,* id est, in diffinitione specierum ponuntur, *nullius esse substantiam, nec* poterunt *existere sine ipsis:* in quorum scilicet diffinitione ponuntur, *nec in alio,* scilicet existent: *dico autem vt non esse quoddam animal præter aliqua,* scilicet animalia, id est, præter species animalis: *nec* aliquod *aliud nullĩ eorum quæ in rationibus,* id est, in diffinitionibus ponuntur: hoc enim generaliter verum est de omnibus vniuersalibus, quæ ponuntur in diffinitionibus specierum, siue sint genera, siue differentiæ: quia nullum eorum substantia est eo modo quo ponebat Plato. Ratio huius patet ex dictis: quia cùm species sint substantiæ singularium, sequitur quòd ea quæ ponuntur in diffinitionibus specierum sunt substantiæ; & sic erunt in singularibus plures substantiæ, & vna substantia erit plurium, vt de Socrate ostensum fuit. Concludit ergo quòd *ex his itaque speculantibus palàm est, quia nihil vniuersaliter existentium,* id est, nullum ens vniuersale, *est substantia, & quia nullum communiter prædicatorum,* id est eorum, quæ communiter prædicantur *significat hoc aliquid, sed tale,* vel quale quid. Deinde cùm dicit:

Sin autem alia quoque multa accident, & tertius homo.

Ponit tertiam rationem, quæ talis est: Si vniuersalia sunt substantiæ, ergo oportet dare tertium hominẽ: consequens est falsum: ergo & antecedẽs. Dicit ergo, *sin autem,* id est, quòd si non detur prædicta conclusio, scilicet quòd nullum vniuersale significat hoc aliquid *multa quoque alia accidunt* inconuenientia, & supple quod est *tertius homo.*

Notandum, quòd sicut dictum fuit alias, hoc inconueniens quod sequitur de tertio homine, quod

Duplex expositio huius quod est esse tertium hominem contra Platonē.

quod sequitur ad Platonem, dupliciter exponitur: vno modo vt præter duos singulares homines sit tertius homo qui est communis. Sed hæc prima expositio non est ad mentem litteræ: quia licèt secundùm veritatem sit inconueniens dare tertium hominem communem separatum, Plato tamen hoc non reputaret inconueniens; immò necessarium secundùm Platonem de ideis, & ideò nihil concluditur contra eum. Aliter ergo exponitur, vt scilicet præter hominem communem & singularem, oportebit ponere tertium hominem; cùm homo communis & singularis conueniant in nomine & ratione, sicut duo homines singulares; præter quos ponitur à Platone tertius homò communis; ex hoc quia conueniunt in nomine & ratione, & tunc sequitur eadem ratione quòd sit dare quartum & quintum hominem, & sic in infinitum. Deinde cùm dicit:

Tex. co. 49.

Amplius autem est ita manifestum, impossibile enim substantiam ex substantiis esse inexistentibus sic vt actu: duo namque sic actu, nunquam sunt vnum actu, sed si potestate duo fuerint, erunt vnum, vt quæ duplum ex duobus dimidiis potestate, nam actus separat. Quare si substantia vnum, non erit ex substantiis inexistentibus, & secundùm hunc modum quidem dicit Democritus rectè, impossibile enim esse ait ex duobus vnum, aut ex vno duo fieri, magnitudines enim indiuisibiles substantias faciunt, similiter igitur manifestum, quia & in numero habebit: si est numerus compositio vnitatum sicut dicitur à quibusdam, aut enim non vnum dualitas, aut non est vnitas in ipsa actu.

117

Ponit quartam rationem, dicens, quòd *amplius, & ita est manifestum,* scilicet vniuersalia non esse substantias hac ratione, quæ sic formari potest. Impossibile est ex pluribus existentibus in actu fieri vnum, quia actus distinguit, & separat: sed vniuersalia sunt substantiæ in actu, secundùm te; ergo ex talibus substantiis actu existentibus non erit vna aliqua substantia, vt tu dicis: & hoc est quod subdit, *impossibile est enim substantiam esse ex substantiis sicut in actu existentibus: duo namque sic actu nunquam sunt vnum actu: sed si fuerint duo potestate erunt vnum*: nam vnum in actu benè potest esse plura in potentia: *vt dupla,* scilicet linea, quæ est in actu *ex duobus dimidiis potestate:* ita quòd vna linea in actu, putà dupla, benè constat ex duobus dimidiis, quæ sunt in ea in potentia non in actu: & subdit causam dicti: *actus enim separat*, vnumquodque enim distinguitur ab alio per proprium actum & formam: *quare si substantia*, putà particularis, est aliquod *vnum, non erit ex substantiis*, scilicet sibi *inexistentibus actu*; & ideò supple si est ex vniuersalibus, sequitur quòd vniuersalia non erunt substantiæ in actu vt dicebat Plato. Et subdit, quòd *secundùm hunc modum* quem dicit *Democritus, & rectè* in hoc dicit; *ait enim impossibile esse ex duobus fieri, vnum, aut ex vno duo.* Cuius dicti rationem subdit: *magnitudines enim indiuisibiles faciunt* rerum *substantias*, scilicet Democritus & sequaces eius, sicut dictum est supple de magnitudine: *similiter igitur manifestum; quia & in*

Ex duobus in actu non fit vnum supple si sint formales actus & vltimati & realiter distincti.

Actus distinguit & separat, licet appropprientur materia vt supra patet.

Per dictum Democriti confirmat suā rationem.

numero se habebit, si numerus est compositio vnitatum, sicut dicitur à quibusdam: quia tunc *aut dualitas non est vnum*, & similiter nec quicunque alius numerus: *aut vnitas non est actu in ipsa*, scilicet dualitate, & hoc verum est: alioquin dualitas & quicunque alius numerus non esset per se vnum, sed solùm aggregatione, vt aceruus.

Notandum est dictum Democriti tale fortè habuisse motiuum: quia scilicet ipse non distinguens inter potentiam & actum, ponens etiam magnitudines indiuisibiles esse rerum substantias, & hoc supposito rectè dixit; volens quòd sicut in vno in actu non sunt multa in actu; quia iam non esset vnum vt dictum est; ita nec sunt multa in potentia: ex quibus substantię rerum ponuntur indiuisibiles. Vel aliter, quòd supposita sua positione, scilicet quòd magnitudines indiuisibiles sint rerum substantiæ, & sic semper esse in actu, rectè dixit quòd ex eis nunquam fiat vnum per se positâ hypothesi. Deinde cùm dicit:

Habet autem quod accidit dubitationem: si enim neque ex vniuersalibus possibile est esse nec vnam substantiam, propter tale aliquid: sed non hoc aliquid significare: nec ex substantiis contingit actu esse; neque vnam substantiam: incomposita vtique erit substantia omnis; quare nec ratio vtique erit neque vnius substantiæ. At verò videtur omnibus, & dictum est dudam aut solùm substantiæ esse terminum, aut maximè: nunc autem neque si huiusmodi: nullius igitur erit diffinitio: aut modo quodam erit, modo autem quodam non. Manifestum autem erit quod dicitur magis in posterioribus.

T. com. 50.

118

Excludit quandam dubitationem, dicens, quòd illud *quod accidit*, scilicet ex prædictis *habet dubitationem: si enim* vt dictum est *nec vnam*, id est, nullam *substantiam possibile est esse ex vniuersalibus propter tale aliquid; sed non hoc aliquid significare*, id est, propter hoc quòd vniuersale significat qualē quid, & non hoc aliquid: *nec etiam* supple sicut dictum est, *ex substantiis actu contingit esse: nec vnam*, id est, *nullam substantiam*, si inquam sic est, *omnis substantia erit vtique incomposita: quare nec ratio*, id est, diffinitio *vtique erit, nec vnius*, id est, nullius erit *substantiæ*: nam diffinitio cùm sit ratio habens partes, non potest dari nisi de substantia composita: *at verò*, oppositum supple *videtur omnibus, & dudum dictum est, aut solùm substantiæ esse terminum*, id est, diffinitionem; *aut maximè: nunc autem* conclusum est supple quòd *nec huius*, scilicet substantiæ est diffinitio; *igitur* sequitur quod nec *nullius erit diffinitio.* Et tangit solutionem dubitationis cùm subdit: *aut modo quodam erit*, scilicet substantia ex substantiis: *modo autem quodam non; manifestum autem erit magis quod dicitur ex posterioribus*, scilicet infrà in hoc eodem septimo: & etiam ex octauo libro: quia licèt substantia non sit ex substantiis in actu; est tamen ex substantiis in potentia existentibus in toto.

):(

Dubium.

Diffinitio arguit compositionem diffiniti ex realitatibus saltem vel proportionalibus eis.

Solutio.

Cap. 15.

SVMMÆ SECVNDÆ CAPVT XV.

Inconuenientia quæ sequuntur contra asserentes ideas substantias esse,& separatas,atque ex genere & differentiis constare. Item substantias separatas Platonis & singulare etiam incorruptibile diffinibilia non esse.

SVMMARIVM.

Ex dictis infert inconuenientia contra ideas, si earum assertor teneat species componi ex genere & differentia; quia genus tunc non esset idem numero in variis speciebus, quod fusè probat;neque etiam diuersum in eis,& hoc quatuor rationibus: quod inconueniens ex comparatione generis ad indiuidua sensibilia, clarius sequitur.

Tex. cō. 51. 119

MAnifestum autem ex his ipsis, quod euenit ideas ponentibus substantias & separabiles esse, & simul speciem ex genere facientibus & differentiis.

Postquam Philosophus probauit vniuersalia non esse substantias, nunc probat quòd vniuersalia non sunt substantiæ separatæ. Circa quod duo facit:quia primò facit quod dictum est. Secundò regreditur ad determinandum dubitationẽ quandam quam suprà dimiserat insolutam. Secunda ibi : *Manifestum est autem quòd substantiarum.* Prima in duas:quia primò ostendit quòd vniuersalia non sunt substantiæ separatæ. Secundò quòd dato quòd sint, non sunt diffinibiles, vt dicebat Plato. Secunda ibi : *Quoniam verò substantia.* Prima in duas: quia primò ostendit propositum comparando genera ad species. Secundò comparando genus ad indiuidua. Secunda ibi : *Amplius autem in sensibilibus.* Prima in duas : quia primò proponit intentam conclusionem. Secundò subiungit eius probationem. Secunda ibi : *Si enim sunt species.* Dicit ergo,quòd *manifestum est ex his ipsis*, quæ dicta sunt, & quæ dicentur,accidens,id est,inconueniens *quod accidit ponentibus*, id est, dicentibus *ideas esse substantias separabiles, & simul* cum hoc *facientibus*, id est, ponentibus *speciem* componi *ex genere & differentiis*, hæc enim duo coniuncta ducunt ad inconueniens, vt patebit.

Conclusio quam intendit in hac parte.

Notandum propter ea quæ sequuntur, quòd ponebat Plato ideas specierum; non autem generum,vt dicebatur tertio huius,propter causam ibi dictam; & ideò quædam probationes sequentes ducunt ad hoc, quòd scilicet si species sunt separatæ, ergo & genera, contra Platonem. Deinde cùm dicit :

Ideas specierum duntaxat posuit Plato.

Si enim sunt species,& animal in homine, & equo,aut vnum & idem numero sunt, aut alterum.

Probat propositam conclusionem, & intendit talem rationem:Si species sunt separatæ & compositæ ex genere & differentia, puta homo & equus & huiusmodi: tunc animal quod est genus, aut est vnum & idem numero in homine & equo, aut alterum: sed neutrum potest dari, si species sunt substantiæ separatæ & compositæ ex genere & differentia, ergo, &c. Circa istam rationem sic procedit. Primò præmittit maiorem. Secundò probat minorem ibi:*Ratione namque.* Dicit ergo, *si enim sunt species*, supple separatæ, *& animal*, quod est genus,est *in homine & in equo:aut vnum & idem numero*, supple animal est in vtroque,*aut alterum:*constat enim quod genus est in pluribus speciebus. Deinde cùm dicit :

Quod vniuersalia non sint substantia separata ostendit.

120

Ratione namque palàm quia vnum:eandem enim dicit rationem dicens in vtroque: ergo si est aliquis homo ipsum secundùm se hoc aliquid, & separatum, necesse est ex quibus, vt animal,& bipes,hoc aliquid significare,& esse separabilia,& substantias:quare & animal.

Probat minorem rationis. Circa quod duo facit;quia primò probat vnam partem minoris, scilicet quòd non sit idem animal in homine, & in equo. Secundò probat aliam partem,scilicet quòd non alterum.Secunda ibi: *Sed si alterum.* Prima in duas:quia primò innuit probationem minoris,scilicet quod debeat poni idem. Secundò addit eius improbationem. Secunda ibi : *Siquidem igitur.* Dicit ergo,quòd *ratione*,id est, per rationem probabilem,est *palàm quia vnum*, scilicet animal est in homine & in equo : *eandem enim* exhibet *rationem dicens in vtroque*, id est, quòd si assignetur ratio animalis,vt animal dicitur de vtroque, scilicet de homine & de equo, eadem ratio assignabitur, puta quòd est substantia animata sensibilis: nam genus secundùm vnam rationem dicitur de speciebus, sicut species de indiuiduis; *ergo si est aliquis homo ipsum secundùm se hoc aliquid separatum*, id est, quoddam demonstrabile subsistens separatum:ex quo supple species secundùm vnam rationem de indiuiduis prædicatur:*necesse est* pari ratione ea *ex quibus*, supple species constituitur *vt animal, & bipes*, quæ sunt genus, & differentia esse *hoc aliquid & separabilia*,supple à suis inferioribus : *& esse substantias*, scilicet per se stantes:*quia & animal* erit, supple vnum numero per se existens quod de homine & de equo prædicabitur. Deinde cùm dicit :

Ostẽdit quod si species sint separata quod esse & genus contra Platonem.

Siquidem igitur idem & in equo; sicut tu in te ipso: quomodo in separatim existentibus vnum erit? Et quare non, & sine ipso erit & animal hoc?

Tex. cō. 52.

Deinde siquidem participatione bipedis & multipedis, impoßibile aliquid accidit:contraria namque simul inerunt ipsi, & huic enti:sin autem quis modus quando dicit aliquis vtique animal esse bipes, aut greßibile,sed forsan componitur,& copulatur, aut miscetur:verùm omnia inconuenientia.

121

Ostendit istam partem minoris esse impossibilem tripliciter. Tum primò, quia idem numero esset in existentibus separatim, quod est impossibile;ideò dicit:*siquidem igitur:*supple *idem* numero animal est in homine, & in *equo*, *sicut tu in temetipso*, *quomodo in separatim existentibus*

vnum

vnum erit? Quasi diceret hoc esse impossibile: nam ideæ secundum Platonem ponuntur ab inuicem separatæ: sicut ergo tu non es nisi in teipso, & non in pluribus, sic nec idem animal numero potest esse in diuersis separatis. Tum secundò, quia eadem ratione haberet poni idea generis, sicut & idea speciei contra Platonem: homo enim ponitur separatus, quia est vnum de multis prædicatum: *quare ergo non* eadem ratione *anima*, ex quo ponitur vnum in homine & in equo, *erit non animal*, quod supple ponitur vnum numero in diuersis. Quasi diceret quòd non potest dici ratio. Tum tertiò, quia species composita ex genere & differentia quomodo esset vna? Quia aut hoc esset, quia genus participat differentia; aut quia essent composita vt domus; aut copulata vt scamnum; aut mixta vt lapis: primum non, cùm genus non participet differentia: quia tunc idem numero genus participaret contrariis differentiis, & eidem inessent contraria: non secundo modo, quia illa quæ sic faciunt vnum, siue per compositionem, siue per copulationem, siue per mixturam, semper se habent sicut partes, & non prædicantur de toto: genus autem & differentia prædicantur de specie. Iterum in illis vna & eadem pars numero non potest esse in diuersis: genus autem ponitur idem numero in homine, & in equo, & hoc est quod dicit: *Deinde si quidem*, supple species constat ex genere & differentia, *participatione bipedis & multipedis*, ita quod animal participatione bipedis, quod est differentia, constituat hominem; & participatione multipedis constituat equum; *impossibile aliquid quidem accidit: contraria namque simul inerunt* ipsi *vni & huic enti*, id est, animali, quod ponitur vnum ens numero demonstratum: *si autem non* supple fiat per modum participationis: *quis modus erit, cùm aliquis vtique dixerit animal esse bipes, aut gressibile:* constituens supple speciem aliquam vná ex his duobus: quasi diceret quòd non potest dari modus. Et subdit, *sed forsan*, supple dicet aliquis, *quòd componitur & copulatur & miscetur*, scilicet vnum alteri de his duobus, & ex eis fiat vnum altero istorum modorum trium: *verùm* pro sed, *omnia sunt inconuenientia* propter causam dictam. Deinde cùm dicit:

Quod idem animal sit in numero in pluribus speciebus tãquã impossibile habet.

Al. dari.

Modi vnitatis vnionis sunt. 4.

Sed si alterum in vnoquoque, infinita ergo erunt, vt est consequens dicere quorum substantia animal; non enim secundùm accidens ex animali homo. Ampliùs multa erunt ipsum animal, substantia enim in vnoquoque animal: non enim de alio dicitur; si autem non ex illo erit homo & genus ipsius illud, & ampliùs ideæ omnia ex quibus erit homo; igitur non quidem alterius erit idea, alterius verò substantia: impossibile namque. Ipsum igitur animal erit vnumquodque eorum quæ in animalibus. Ampliùs ex quo hoc, & quomodo ex ipso animali, aut quomodo possibile est esse animal, quod est substantia hoc ipsum præter ipsum animal.

122

Probat secundam partem minoris, scilicet quod non sit alterum animal in homine & equo; & hoc quadrupliciter. Tum primò, quia vnum genus, puta animal est substantia infinitorum: quia species sunt quasi infinitæ, & genus est substantia cuiuslibet speciei, & sic animal pertinet ad substantiam hominis, & eadem ratione ad substantiam equi. Quòd autem aliquod vnum pertineat ad substantiam infinitorum videtur impossibile, & hoc est quod dicit: *sed si* supple dicas quòd *alterum* animal *est in vnoquoque*, id est, in vnaquaque specie: *ergo vt consequens est dicere* isti positioni, *infinita sunt quorum est substantia animal: homo enim* constat *ex animali non secundum accidens, sed* supple per se, quatenus est de substantia speciei, vt dictum est. Tum secundò, quia ipsum animal, quod est genus, *erit multa*, sicut species sunt multæ; *nam animal substantia est* vniuscuiusque speciei de quibus prædicatur in quid, non sicut de aliquo diuerso à sua substantia, & hoc est quod dicit: *Ampliùs ipsum animal erit multa*, quod est inconueniens: *animal enim est substantia in vnoquoque*, id est, in vnaquaque specie: *non enim dicitur*, id est, prædicatur de specie, vt de alio, id est, sicut de alieno: *si autem non*, scilicet prædicetur de specie vt de alio: sequitur quòd homo *erit ex illo*, scilicet animali: & *illud erit genus ipsius*, scilicet hominis: quare supple si species sunt multæ, & ipsum genus erit multa: quod videtur inconueniens. Tum tertiò, quia omnia superiora, ex quibus componitur homo, erunt ideæ, puta animal & bipes, quod est contra Platonem, qui solùm specierum posuit ideas vt dictum est: tunc ergo non erit verum dicere, quòd vniuersalium aliqua sunt ideæ: aliqua substantia idearum, vt ipsi dicunt. Consequentia patet ex hoc: quia ex quibus sunt diuersa animalia, secundùm diuersas species cuilibet speciei respondebit aliquid proprium de substantia animalis, quod est genus, & per consequens animal genus erit idea.

Quod sit idẽ & non aliud animal in omnibus suis speciebus probat.

Et hoc est quod dicit, quòd *ampliùs omnia ex quibus homo*, scilicet componitur, erunt ideæ: ideò non potest dici quòd *alterius quidem erit idea & alterius erit substantia: impossibile namque* est hoc. Plato enim ponebat quòd vniuersalium quædam sunt ideæ, vt species; quædam substantia idearum non ideæ, vt genera & differentiæ: concludit ergo quòd *ipsum igitur animal*, quod est genus, *erit vnumquodque eorum quæ* sunt *in animalibus*, id est, quæ continentur in speciebus animalis. Tum quartò, quia si homo ponatur separatus ab animali, quomodo animal erit de substantia & de compositione hominis: non videtur possibile, & hoc est quod dicit: *ampliùs* supple est dubium, *ex quo* componatur *hoc*, scilicet quod est homo, *& quomodo ex ipso animali*, per se supple constituitur; *aut quomodo possibile est animal esse quidem substantiam*, scilicet hominis *hoc ipsum*, id est, homo *præter ipsum animal*, cùm homo sit quid separatum præter animal: quasi diceret quòd non est possibile. Deinde cùm dicit:

Ampliùs autem in sensibilibus hac accidunt, & his absurdiora: si itaque impossibile sic se habere, palàm quia non est idea ipsorum, sicut quidam dicunt.

123

Probat propositum, comparando genus ad singularia sensibilia, dicens quòd *ampliùs hac*, scilicet inconuenientia quæ dicta sunt, *accidunt in sensibilibus*, id est, in singularibus, *& in his absurdiora*: si scilicet genera & alia vniuersalia ponantur substantiæ singularium, sicut ponuntur specie-

Probat vniuersalia non esse substantias separatas.

rum quatenus natura generis magis distat à singularibus quàm à specie: *si igitur impossibile est sic se habere, palàm quia non est idea ipsorum*, scilicet sensibilium singularium, *sicut quidam dicunt*, scilicet Platonici.

SVMMARIVM.

Admisso vniuersalia esse substantias separatas, tamen erunt indiffinibiles contra Platonem, qui propter diffinitionem & scientiam, posuit ideas; quod probat; quia istæ ideæ sunt singulares, si admittantur, quia per se existentes, & de singularibus non est scientia, nec diffinitio, quod fusè probat. Intelligit de singulari existenti, de quo nequit esse scientia, quia potest esse, & non esse; sed de singulari, abstrahendo ab existentia, potest esse scientia & diffinitio, non per se primò, vt benè explicat Doctor.

T.c.35.

QVoniam verò substantia altera, & quod simul totum, & ratio. Dico autem quia hoc quidem sic est substantia cum materia concepta ratio, illa verò ratio totaliter. Quæcunque quidem igitur ita dicuntur, horum quidem est corruptio, etenim generatio huius, rationis autem non est ita vt corrumpatur, neque enim est generatio; non enim fit domui esse, sed quod huic domui, verùm sine generatione & corruptione sunt, & non sunt; ostensum est enim quia nullus hic generat nec facit, vnde & substantiarum sensibilium singularium, nec diffinitio, nec demonstratio est, quia habent materiam, cuius natura talis est, vt contingat & esse, & non esse. Quapropter corruptibilia omnia singularia ipsorum; ergo si demonstratio necessariorum, & diffinitio scientifica, & non contingit, sicut nec scientiam, quandoque scientiam, quandoque ignorantiam esse. Sed opinio tale quidem est, ita nec demonstrationem, nec diffinitionem, sed opinio est contingentis aliter se habere, palàm quia non vtique erit ipsorum, nec diffinitio, nec demonstratio, non enim sunt manifesta corrupta scientiam habentibus, & cùm à sensu abscesserint, & saluatis rationibus in anima eisdem, non erit nec diffinitio ampliùs, nec demonstratio. Propter quod oportet eorum ad terminum studentem, cùm aliquis diffiniat aliquid singularium, non ignorare, quia semper auferre est, non enim contingit diffinire, nec itaque ideam nullam est diffinire, singularium enim idea, vt dicunt, & separabilis est.

Ostendit, quòd dato quòd vniuersalia ponantur substantiæ separatæ, quòd tamen non erunt diffinibiles, quod est contra Platonem. Ex hoc enim Platonici ideas posuerunt, vt de eis essent diffinitiones & demonstrationes vt de necessariis: nam de sensibilibus ponebant non posse esse scientiam propter eorum motum & variationem. Circa quod duo facit: quia primò probat intentum à priori, & per rationem. Secundò à posteriori, & à signo. Secunda ibi: *Quoniam propter quid nullus.* Prima in tres, secundùm quod adducit tres rationes se mutuò supplentes. Secunda ibi: *Necessarium verò.* Tertia ibi: *Quemadmodum igitur.* In prima parte intendit talem rationem: Nullum singulare est diffinibile: sed ideæ si sint, sunt singulares, cùm ponantur per se existentes: ergo ideæ non erunt diffinibiles. Maior probatur, quia diffinitio non est de corruptibilibus, sicut nec scientia, nec demonstratio: sed singularia sunt corruptibilia & generabilia: quia habent materiam qua res potest esse & non esse, ergo singularia non sunt diffinibilia.

Quod vniuersalia non sunt diffinibilia dato quod ponantur more Platonico.

Dicit ergo, quòd *quoniam substantia* dicitur *altera, & quod simul totum*, id est, singulare compositum ex materia & forma, & ideo & alio modo dicitur substantia ratio, id est, forma: quod exponit, *dico autem quòd hæc quidem*, id est, substantia composita *sic est substantia*: quia *ratio*, id est, forma *concepta cum materia*: *illa verò ratio*, id est, illa substantia quæ est forma, est ratio *totaliter*, id est, purè formaliter, non includens materiam, nam materia sic est pars compositi, quòd non est pars formæ, vt iam dictum est suprà: *quæcunque igitur ita dicuntur* quòd scilicet substantiæ compositæ: *horum quidem est corruptio: etenim pro* quia *generatio huius*: nam corruptio & generatio sunt circa idem; *rationis autem*, id est, formæ ipsius, *non est ita vt corrumpatur*: quia *nec generatio est* supple ipsius formæ; *non enim fit domui esse*, id est, forma domus: *sed quod quid est huic domui*, id est, tota domus composita: *verùm* pro sed, *sine generatione & corruptione sunt & non sunt*, scilicet ipsæ formæ simplices: *ostensum enim est* suprà in hoc eodem septimo: t.c.27. & circiter, *quia nullus hæc* scilicet formas *generat nec facit*: nam ars practica est factiua: ostensum est enim suprà, quòd formæ non fiunt per se, sed per accidens, scilicet ad generationem compositi quod per se fit. Et subdit, *propter hoc autem*, scilicet quia substantiæ sensibiles singulares sunt generabiles & corruptibiles: *ideò substantiarum sensibilium & singularium nec est diffinitio, nec demonstratio: quia habent materiam, cuius natura talis est vt*, scilicet id quod habet talem materiam *contingat esse & non esse*: materia enim ratione priuationis annexæ machinatur ad malum, vt dicitur primo Physicorum, t. c.80. *quapropter omnia singularia corruptibilia sunt ipsorum*, id est, omnia de numero ipsorum sensibilium, ex eo scilicet, quia habent materiam, sunt corruptibilia; *ergo si demonstratio & diffinitio scientifica*, id est, quæ facit scire, & est medium demonstrationis, *necessariorum est*, vt dicitur primo libro Posteriorum: t.5. & 14. & iterum *si non contingit sicut neque scientiam quandoque ignorantiam esse, sed opinio tale quid est*: ita nec demonstrationem, nec diffinitionem: quodlibet enim istorum est de necessariis, quæ semper vera sunt: *sed opinio* supple *est contingentis aliter se habere*, quod scilicet nunc potest esse verum, nunc potest esse falsum: si inquam ita est *palàm quia non vtique erit diffinitio, nec demonstratio ipsorum*, scilicet singularium sensibilium corruptibilium: *non enim sunt manifesta corrumpi*, id est, corruptibilia *habentibus scientiam* de eis: *cùm abscesserint à sensu*, quo cognoscuntur; & ideò *saluatis eisdem rationibus* quiditatiuis eorum *in anima*,

124

Singulare per se generatur & corrumpitur.

Forma non est generatio nec corruptio scilicet per se.

De singularibus sensibilibus non est scientia nec diffinitio.

Materia est causa corruptionis.

Scientia est necessariorum duntaxat.

Vide 3. q. prol. sen.

Opinio est contingentium.

Vide 7. q. Quod q. conclusione 2.

anima, quibus singularia cognoscuntur: *non erit* de eis *nec diffinitio, nec demonstratio: quapropter oportet studentem ad terminum*, id est, ad diffinitionem *eorum*, scilicet singularium *quando quis diffinit aliquod singularium non ignorare*: sed supple debet scire: *quia semper est auferre*, id est, contingit singulare corrumpi manente illa diffinitione, quam fingit. Et subdit conclusionem cum minori dicens, sed *nec ideam nullam est*, id est, contingit *diffinire*: hæc est conclusio: *idea enim vt dicunt singularium*, id est, de numero singularium est: quia vt dicunt *separabilis est*, & per se existens.

Idea non est diffinitio.

125

De quo singulari loquatur Philosophus, hic ostēdit.

Notandum quod Aristoteles in tota ista litera loquitur de singulari contracto ad existentiam, & de tali verum est quòd non est de eo nec scientia, nec demonstratio, nec diffinitio: quia ibi immanifestum est, cùm abscesserit à sensu, vtrùm existat, vel non existat: & ad hoc facit ratio, quam tangit Philosophus; *demonstratio* inquit *est necessariorum*, & diffinitio & scientia: & non cótingit sicut nec scientiam quandoque scientiam, quandoque ignorantiam esse, ita nec demonstrationem, nec diffinitionem, scilicet quandoque contingit esse talem, quandoque non esse talem. Et ex hoc concludit: palàm autem ipsorum, scilicet singularium corruptibilium neque scientiam, neque diffinitionem esse: *non enim sunt manifesta corrupta scientiam habentibus cùm è sensu abscesserint & saluatis rationibus eiusdem in anima*. Vult dicere quòd si de contingenti, vel de corruptibili, vt tale, esset diffinitio, vel demonstratio: cùm illud tale possit quandoque esse, quandoque non esse; saluata tamen ratione in anima, sequitur quod esset quandoque scientia de isto obiecto, & quandoque ignorantia: quandoque demonstratio, & quandoque non demonstratio, quod est impossibile, ex quo habetur ista propositio, quòd cùm ratio in anima possit manere eadem non manente existentia actuali obiecti, sequitur, quod existentia, vt existentia, non est per se ratio obiecti, vt scibile est: quia ratio scientifica non potest manere eadem in anima, non manente eodem, quod est per se scibile, vt scibile est. Siue autem scibile possit existere in re, siue non; saltem ratio eius, vt scibile est, potest manere eadem in anima, non manente existentia: ita quòd non includit eam in ratione scibilis: loquendo autem de singulari abstrahente ab existentia, vtique potest esse diffinitio, demonstratio & scientia, de tali singulari non per se primò. Ratio huius est, quia, vt dictum est in præcedentibus, singulare nihil addit vltra speciem, quod pertineat ad eius quiditatem, & ideò non habet aliud quid quam speciei: nec aliam diffinitionem à diffinitione speciei: & quia diffinitio subiecti est medium in demonstratione potissima, per quam generatur scientia, sequitur, quòd de singulari non sit alia demonstratio, & scientia, quam illa, quæ est speciei,

SVMMARIVM.

Probat fusè singulare, etiam incorruptibile, non esse diffinibile, & consequenter nec illas ideas, etiamsi dicautur incorruptibiles esse. Assumptum probat, quia diffinitio conuertitur cùm diffinito; conueniret enim cuilibet singulari alij eiusdem speciei: vel fieret per aliqua accidentalia superaddita essentiæ. Reiicit solutiones ad hoc, quinque rationibus, confirmans suam sententiam.

T.c.54.

Necessarium verò ex nominibus esse rationem: nomen autem non faciet diffiniens; ignotum enim erit: posita autem communia omnibus. Ergo necesse inesse & alij hæc, vt si quis te diffiniat animal, dicet gracile, aut album, aut aliquid aliud, quod in alio sit.

126

Ponit secundam rationem, quæ supplet primam: diceret enim Plato ad primam, quòd arguit de singulari materiali corruptibili, quales non ponuntur ideæ, & ideò nihil concludit: addit ergo aliquid secundum hanc rationem. Circa quam sic procedit: quia primò præmittit rationem. Secundò excludit falsam responsionem. Secunda ibi: *Siquis autem dicat*. In prima parte intendit talem rationem: Diffinitio debet conuerti cum diffinito: sed de singulari & per consequens de idea, quæ ponitur singularis, non potest dari diffinitio conuertibilis cum diffinito; ergo idea non potest diffiniri. Dicit ergo, quòd *necessarium est rationem*, id est, diffinitionem, *esse ex nominibus* pluribus: *nomen autem*, scilicet vnum *non facit diffinitionem: si* pro quia, nomen non facit diffinitum, id est, non exprimit totam essentiam diffiniti: *ignotum enim erit*: cùm enim omne diffinitum sit compositum, oportet quòd diffinitio explicet principia eius, vt perfectè cognoscatur; quod non potest fieri per vnum nomen tantùm: Et subdit quòd *posita autem*, scilicet nomina, quæ ponuntur in diffinitione, oportet esse *communia omnibus*, scilicet singularibus: quia supple aliàs si essent propria singulari essent synonima, & idem omninò significantia, & sic non explicarent principia rei intrinseca; *ergo necesse est hæc*, scilicet nomina, quæ ponerentur in diffinitione singularis *inesse alij*, cùm sint communia, & per consequens diffinitio esset aliis communis, quod est contra rationem diffinitionis, *vt si quis te diffiniat, qui es* singularis: dicet, scilicet quòd tu es, *animal gracile, aut album, aut aliquod aliud quod sit in alio*, id est, quod erit commune aliis.

Al. ergo hāc secundam rationem.

Diffinitio debet esse conuertibilis cū definito.

Notandum, quòd omninò singulare contractum ad existentiam non potest propriè diffiniri, vel quia eius diffinitio non esset conuertibilis, putà si diffinitio speciei attribueretur ei, vel quia habet dari per accidentalia, addendo scilicet communia accidentia, per quæ simul sumpta apparet esse aliud ab alio: quorum vtrumque repugnat veræ diffinitioni. Deinde cùm dicit:

Singulare nō potest per se primò diffiniri.

Si quis autem dicat nihil prohibere, separatim quidem omnia multis, simul verò huic soli inesse.

127

Remouet falsam responsionem. Circa quod duo facit: quia primò proponit responsionem. Secundò excludit ipsam ibi: *Primùm quidem*. Dicit ergo, quod *si quis autem dicat*, id est, quòd posset aliquis dicere *nihil prohibere omnia quidem*, id est quodlibet eorum, quæ ponuntur in diffinitione ideæ singularis, conuenire *separatim multis: simul autem* accepta *inesse vni soli*, cuius scilicet assignatur diffinitio. Deinde cùm dicit:

Euasio.

Primùm

Primum quidem quia & ambobus vt animal bipes, animali & bipedi, & hoc in æternis quidem.

Excludit illã euasionem.

Excludit hanc responsionem per quinque rationes, quarum secunda ponitur ibi: *Et necesse esse.* Tertia ibi: *Deinde quia priora.* Quarta ibi: *Deinde autem si ex ideis.* Quinta ibi: *Amplius de multis.* Dicit ergo, quòd *primùm quidem* supple contra dictam responsionem est *quod & ambobus,* id est, quòd diffinitio assignata alicui ideæ est communis pluribus, puta duobus, vt si supple diffinitio ideæ hominis sit *animal bipes:* hæc supple duo conuenient *animali, & bipedi,* id est, ideæ animalis, & ideæ bipedis: quia istæ duæ simul sumptæ erunt animal bipes; quare ista diffinitio non erit propriè ideæ hominis; & hoc est supple inconueniens, *quod quidem* sequitur *in sempiternis,* scilicet in ideis, quæ ponuntur singularia sempiterna. Deinde cùm dicit:

Et necesse esse priora existentia, & partes compositi: quinimò & separabilia, si homo separabile, aut enim nihil, aut ambo. Si quidem igitur nihil, non erit genus præter species, si verò erit & differentia.

Ponit secundam rationem dicens, quòd supple non solùm diffinitio ideæ hominis conueniet animali & bipedi, vt dictum est; *sed etiam necesse* est, animal bipes *esse existentia priora* homine, & *esse partes compositi* hominis, qui componitur ex vtroque, & ex hoc sequitur, quòd diffinitio hominis priùs conueniat animali & bipedi, quàm homini, quod est contra rationem diffinitionis, quod scilicet priùs conueniat alteri, quàm diffinito. Et subdit: at verò sequitur quod scilicet animal & bipes erunt *separabilia* supple ab homine & aliis animalibus: *si homo est separabile* supple ab indiuiduis: quia sicut homo est superius ad indiuidua, sic animal & bipes ad hominem: *aut enim nihil,* id est, nullum commune erit separabile, *aut ambo* prædicta, scilicet animal & bipes erunt etiam separabilia supple ab homine, & aliis animalibus: *si quidem ergo* dicatur quod *nihil,* id est, nullum vniuersale sit separabile: sequitur quòd *genus non erit præter species,* id est, à speciebus separatum, & per consequens genus non significaret substantiam secundùm Platonem: *si verò* genus erit, scilicet separatum à specie ergo *& differentia:* cum sit similiter communior specie, & tunc habetur propositum, quòd diffinitio hominis priùs conueniat bipedi & animali. Deinde cùm dicit:

Partes diffinitionis sunt priores & communiores diffinito.

128

Deinde quia priora ipso esse, hæc verò non consequenter auferuntur.

Ponit tertiam rationem, quæ est confirmatio secundæ probationis, scilicet quod animal & bipes sunt priora homine, quæ talis est: illa sunt priora aliis inesse, quibus ablatis alia auferuntur & non è conuerso: sed ablatis animali & bipede, aufertur homo, & non è conuerso: quia possunt saluari in alio, puta in gallo; igitur priora homine sunt animal & bipes: hanc rationem breuiter tangit, dicens, *Deinde* quòd supple animal & bipes sint *priora in esse ipso,* scilicet homine, patet ex hoc quia supple eis ablatis aufertur homo: *hæc verò,* scilicet animal & bipes *non* è contra *auferuntur* ad ablationem, scilicet hominis. Deinde cùm dicit:

Signũ prioritatis naturæ.

T.c.55.

Deinde autem si ex ideis ideæ, magis enim incomposita sunt ex quibus aliquid constat.

Ponit quartam rationem, quæ etiam explicat secundam, scilicet quòd animal & bipes sunt priora homine: dato etiam quod non sint separata ab homine: sed ex eis homo componatur: ita quòd idea hominis cõponatur ex ideis animalis & bipedis, & est ratio talis: incomposita, vel simplicia priora sunt cõposito: sed data hypothesi, animal & bipes erunt magis incomposita & simplicia quàm homo, ergo priora. Dicit ergo, quòd *deinde si ex ideis,* componantur *ideæ;* ita quòd animal & bipes componant hominem, & non sicut separabilia ab homine, vt præcedens ratio prætendebat, adhuc supple habetur propositum: nam *magis sunt incomposita* & per consequens priora: animal supple & bipes *ex quibus homo componitur* quàm ipse homo. Deinde cùm dicit:

Simplicia priora compositis, & partes toto, scilicet natura vel origine.

Al. minùs composita.

Amplius de multis oportebit & illa prædicari ex quibus idea, vt animal & bipes, sin autem quomodo cognoscetur? erit enim idea quædam quam impossibile de pluribus prædicari quàm de vno. Non videtur autem, sed omnis idea esse participabilis.

Ponit quintam rationem, dicens quòd *amplius* non solùm sequuntur dicta inconuenientia: *sed* etiam egebit, vel *oportebit illa, ex quibus* scilicet *idea* hominis componitur, *vt animal, & bipes, prædicari de multis* non solum supple seorsum, vt dicebat prima ratio præcedens; sed etiam coniunctim sumpta: *sin autem quomodo cognoscetur?* quòd scilicet animal & bipes sint ideæ, quasi diceret, quòd non, quia tunc *erit quædam idea, quam impossibile est prædicari de pluribus quam de vno: non videtur autem* hoc esse verum: *sed omnis idea esse participabilis* supple scilicet à multis, & ideo tam idea animalis quàm bipedis potest de pluribus prædicari. Ex hoc vlterius sequitur ad propositum, quòd si quælibet idea est pluribus communicabilis; ergo & idea hominis, & per consequens vt singularis est, non erit diffinibilis: quia quicquid additur formæ, siue naturæ specificæ contrahens ipsam ad esse singulare, illud est extra eius formalem, & quiditatiuam rationem, & sic vt singularis est, non est diffinibilis, nisi diffinitione speciei, vt dictum est.

129

Ideæ sunt pluribus communicabiles.

Notandum, quod si animal & bipes sumpta coniunctim non possunt de pluribus prædicari, non cognosceretur, quòd sint ideæ ipsius hominis: patet enim quòd idea animalis potest de pluribus prædicari: si ergo hæc duo coniuncta, scilicet animal & bipes non possunt, nisi de vno prædicari, sequitur quòd bipes restringeret & contraheret animal ad vnum, ita quòd illa alia idea, quæ est bipes, prædicatur de vno tantùm, quod est contra rationem ideæ: nam idea cùm ponatur exemplar, participabile est à multis: nam multa possunt procedere ab vno exemplari: idea ergo singularis nullo modo est diffinibilis propter rationem prædictam.

Differentia addita generi non reddit ipsum incommunicabile.

SVM

SVMMARIVM.

Singulare etiam incorruptibile,& vnicum in vna ſpecie, adhuc non poſſe diffiniri,quia talis diffinitio non conuerteretur cum eo, quia non repugnat dari aliud ſingulare eiuſdem ſpeciei. Exemplum ponit de Sole,ſed idem eſt de quocunque ſingulari, etiam ſpiritu̇ali, vt notat hîc Doctor,& probat q.13 huius & 2 d.3 q.7. vbi agit, an dari poſſint plures Angeli eiuſdem ſpeciei.

QVemadmodum ergo dictum eſt, latet quod impoſſibile diffinire in ſempiternis: maximè verò quæcunque vnica,vt Sol,& Luna: non ſolùm enim peccant additione taliū, quibus ablatis adhuc erit Sol,puta terram gyrans,aut nocte abſconditum:ſi enim ſteterit, aut apparuerit, non adhuc erit Sol; ſed abſurdum, ſi non; Sol enim ſubſtantiam quandam ſignificat: Ampliùs quæcunque in alio contingunt,vt ſi aliter fiat talis,palàm quia Sol erit. Communis ergo ratio, ſed erat ſingularium Sol, vt Cleon aut Socrates.

130

Oſtendit impoſſibilitatem diffinitionis ſingularis ſiue per accidentalia ſiue per eſſentialia aſſignetur.

Ponit tertiam rationem principalem,quæ ſupplet etiam præcedentes. Prima enim ratio procedit ex corruptione ſingularis, quæ, vt dictum eſt, contra Platonem non concludit. Secunda procedit ex communitate partium diffinitionis, quæ etiam non concluderet, vt videtur, quando eſſet tantùm vnum ſingulare ſub ſpecie: nam tunc nomina ſumpta in diffinitione non conuenirent niſi vni. Ideo Ariſtoteles addit hanc rationem tertiam, quæ conſiſtit in hoc: quòd qualitercunque ſingulare diffiniatur, eſto quòd ſit vnicum in vna ſpecie, nihilominus diffinitio illa peccaret dupliciter:quia vel daretur per talia, quibus ablatis ipſum diffinitum maneret, puta ſi detur per accidentalia: vel ſi ſub illa ſpecie fieret aliud indiuiduum; quatenus formæ ſpecificæ non repugnat pluribus communicari, tunc illa diffinitio eſſet vtrique ſingulari communis, dato quòd per ſola etiam eſſentialia daretur,ergo cum nullo eſſet conuertibilis.

Dicit ergo, quòd *quemadmodum prædictum eſt latet*, ſcilicet ſic opinantes propter rationes iam dictas, quòd *impoſſibile eſt diffinire in ſempiternis*, id eſt ſingularia ſempiterna: *maximè verò* in illis ſupple *quæcunque ſunt vnica*, ſcilicet in vna ſpecie, *vt Sol,& Luna: non ſolùm enim peccant*,qui hoc putant *additione talium,quibus ablatis adhuc erit Sol*: ſi ſcilicet diffinitio Solis detur per accidentalia, vt ſi diffiniendo Solem dicatur,quòd eſt περὶ γῆν ἰὸν, id eſt, *terram gyrans, aut νυκτικρυφὲς*, id eſt,nocte abſconditum,ſi enim ſteterit Sol non gyrando terram; aut apparuerit, ita quod non abſcondatur in nocte; non adhuc erit Sol: quaſi diceret, quòd imò erit. Vnde ſubdit quòd *abſurdum ſi non*: nam iſtis ablatis, quæ accidunt Soli adhuc manebit Sol: *quia Sol ſubſtantiam quandam ſignificat*:illa autem ſunt accidentia,per quæ diffinitur. *Ampliùs* autem ſupple peccant iſti diffinientes Solem: quia accipiunt *quæcunque contingunt in alio eſſe, vt ſi fiat alter talis*,id eſt,alius Sol ſimiliter in ſpecie: *palàm quia Sol erit: communis ergo ratio*, id eſt, quòd diffinitio data in ſpecie de Sole erat communis,id eſt,ipſius ſpeciei communis vtrique Soli: *ſed Sol erat*, id eſt ſupponebatur *ſingularium*,id eſt,de numero ſingularium, *vt Cleon aut Socrates.* Ex his ergo patet quòd ideæ non poſſunt diffiniri, dato quòd ponantur ſempiternæ, & vnica ſub vna ſpecie.

Secundum aliā literam.

131

Vide q. 13. huius Scot. de diffinitione ſingularis.

Notandum, quòd communicari pluribus ſuppoſitis nulli naturæ ſpecificè repugnat: imò nec naturæ diuinæ, de qua minùs videtur, cum ſit de ſe hæc. Vnde mirū eſt quòd ab aliquibus negatur poſſe eſſe ſub vna ſpecie plura indiuidua in ſempiternis, cùm neceſſariò tamen habeant concedere naturam diuinam communicari, & eſſe communem tribus. Ad propoſitum, dato, quòd ſub vna ſpecie non ſit niſi vnum ſingulare,non tamen repugnat naturæ ſpecificæ,vt ſub ea fiat aliud ſingulare,& tunc diffinitio data de primo ſingulari eſſet ipſius ſpeciei communis, & per conſequens vtrique communis ſingulari, & non conuertibilis cum altero eorum. Deinde cùm dicit:

Communicabilitas eſt paſſio naturæ inquantum talis.

Vide 3.d.2.q. 7. & 2. q. Quodlib.

Quoniam propter quid nullus ipſorum terminum profert ideæ:fiet enim vtique manifeſtum tentantibus. Quare verum quod modò dictum eſt,

Probat concluſionem principalem à ſigno ex hoc, ſcilicet quòd *nullus* ponentium ideas tentauit aliquando ideam diffinire. Dicit ergo: *quoniam* pro quare, *propter quid nullus eorum*, qui ſcilicet ponunt ideas, *profert terminum*, id eſt, diffinitionem *ideæ*: *enim* pro quia, *tentantibus* ſupple eis diffinire aliquam ideam *fieret manifeſtum quia verum ſit quod nunc dictum eſt*, ſcilicet quòd nulla idea poteſt propriè diffiniri, vt ponebat Plato, Patet ergo ex prædictis, quòd ideæ non ſunt ſubſtantiæ ſeparabiles, nec diffinibiles.

Probat à ſigno & à poſteriori quod prius à priori oſtendit.

SVMMÆ SECVNDÆ. CAP. XVI.

Subſtantiam componi ex partibus, quæ ſunt in potentia. Item, ens & vnum ſubſtantiam non eſſe.

SVMMARIVM.

Subſtantiam componi ex partibus exiſtentibus in potentia, non in actu, quod benè explicat Doctor,quod ait de animalibus anuloſis,quòd eorum animæ ſint diuiſibiles,& plures in potentia in quolibet, traditur primo de Anima, tex. 93. &.c.2. tex.20.de quo vide in noſtro ſupplemento de Anima diſp. 1.ſect.8.

T.c.56.

MAnifeſtum eſt autem; quòd ſubſtantiarum eſſe exiſtimatarum plurimæ poteſtate ſunt,vt ipſæ partes animalium,nihil etenim ſeparatum eſt: quando autem ſeparata fuerint, tunc entia ſunt, vt materia omnia terra,ignis,& aër: nihil enim ipſorum vnum eſt: niſi vt cumulus antequā digeratur, & fiat aliquid ex ipſis vnum. Maximè autem vtique aliquis

Ad hunc text. eſt q. 10.& l. 7.

132

Cap.16.

aliquis animatorum suspicabitur partes & eas, quæ animæ propinqua ambas fieri entes, & actu & potentia, eo quòd principia habent motus ab aliquo in suis iuncturis. Propter quod quædam animalia diuisa viuunt; sed tamen potentia omnia erunt quando fuerit vnum & continuum natura, sed non vi, aut copulatione; tale namque est orbatio,

Postquam Philosophus disputauit contra Platonem ostendens, quòd vniuersalia, siue ideæ, non sunt substátiæ separatæ, & dato quòd essent, quòd non sunt diffinibiles; nunc determinat quandam dubitationem, quam suprà dimiserat insolutam, scilicet qualiter substátia componatur ex partibus: ostensum enim fuit quòd nec potest componi ex passionibus, nec ex substantiis actu existentibus; vult enim quòd partes ex quibus substantiæ componuntur, sint substantiæ existentes in potentia, non in actu. Dicit ergo, quod *manifestum est, quòd substantiarum esse existimatarum,* quales sunt substantiæ sensibiles, & earum partes, quæ ab omnibus confessæ sunt esse substantias, vt dictum est circa principium huius septimi. t.c.49. Alium inquam substantiarum *plurimæ sunt potestate,* id est, in potentia non in actu, vel *ipsæ partes animalium,* & similiter est de aliis partibus: & quòd sint in potentia patet: quia *nihil ipsorum est separatum,* scilicet ab inuicem: sed sunt vnita in toto, & per consequens non sunt in actu, cùm actus distinguat & separet, vt prædictum est: *quando autem separata fuerint* mutuò per resolutionem totius, *tunc quidem erunt entia,* scilicet in actu non quocunque modo, sed omninò, vt materia: partes enim separatæ, licèt sint actu, non tamen actu partes, sed vt materia existens sub priuatione formæ totius & in potentia, vt patet de terra & igne & aëre, quæ vt sunt partes mixti, existunt in potentia, non in actu: separata verò existunt in actu, non quidem vt partes, sed vt materia: *nihil enim ipsorum,* scilicet elementorum antequam digeratur, id est, alteretur & transmutetur, & fiat ex ipsis aliquod *vnum,* scilicet mixtum: nullum inquam ipsorum est vnum, scilicet cum alio: *sed vt coaceruatio,* id est, sicut aceruus, vel cumulus, qui non est aliquod vnum simpliciter, sed secundum quid, puta aceruus milij. Vel aliter *nihil ipsorum,* id est, nihil ex ipsis est vnum. Subdit autem quòd licèt omnes partes sint in potẽtia, vt materia; *maximè tamen aliquis suspicabitur partes animatorum, & eas partes, quæ sunt animæ propinqua ambas fieri entes ἐντελεχείᾳ,* id est, actu & potestate, id est, potentia propinqua actui, ex eo quia viuunt, id est, ex hoc quòd quædam animalia diuisa viuunt, vt sunt animalia anulosa: partes ergo animæ in talibus animalibus, quæ sic diuisa viuunt, & etiam partes organicæ animatorum, videntur esse in actu & in potentia propinqua actui: quatenus habẽt principia distinctarum operationum. Vnde quandoque vna parte quiescente alia mouetur & aliquid operatur: sed hoc remouet, dicens quòd supple licèt tales partes animæ & animatorum sunt propinquæ actui: *attamen omnia erunt in potestate,* id est, in potentia, *quando fuerit,* scilicet ipsum totum *vnum & continuum natura,* id est, per naturam: *sed non vi,* id est, violentia, puta si partes diuisorum animalium ligarentur simul, *aut copulatione,* vel complantatione, vt quando surculus inseritur plantæ, antequam vniatur plantæ, existit in actu, postea vnitur & existit in potentia: *tale namque,* scilicet quòd est vnum violenter, aut complantatione *orbatio est,* id est, contra naturam: nam talia non sunt vnum secundùm regulam naturæ.

Regreditur ad solutionẽ dubij de compositione substantiarum

Al. Omnia.

Hic infert plura de esse elementorum in mixto.

Notabile de animalibus anulosis & partibus eorum.

Aliqua fieri vnum contingit tripliciter.

Notandum, quòd sicut habetur 1. & 2. de Anima in animalibus, quæ diuisa viuunt, est vna anima in actu, sed plures in potentia; quando autem anima diuisa est, fiunt plures animæ numero, quæ tamen sunt vna specie: cuius ratio assignatur, quia hoc accidit propter imperfectionem talium animalium. quia enim habent animam imperfectæ virtutis, non potentem habere diuersas operationes, ad quas requiratur diuersitas organorum; ideò requirunt modicam diuersitatem partium, cuius oppositum est in animalibus perfectis propter oppositam rationem. Tunc sequitur illa pars,

133 T.c.93. T.c.20.

Quod in animalibus anulosis sint plures animæ potentia.

SVMMARIVM.

Ens & vnum non esse substantias duplici ratione probat: explicans quid rectè, & quid non rectè, dixerunt Platonici. De his omnibus, Vide Doctorem q. 18. huius, vbi disputat an detur vniuersale in rebus, & 2. d. 3. q. 1. & 6.

QVoniam verò vnum dicitur sicut & ens, & substantia vnius vna, & quorum vna numero, vnum numero, palàm quia nec vnum, nec ens contingit substantiam esse rerum, sicut neque elemento esse aut princioippio: sed quærimus quidem principium, vt ad notius reducamus. Magis igitur horum substantia est ens & vnum quàm principium, & elementum, & causa.

T.c.57.

Vbi ostendit specialiter, vt dicebatur, quòd vnum & ens non sunt rerũ substantiæ. Circa quod duo facit: quia primò proponit intentam conclusionem. Secundò subiungit conclusionis probationem. Secunda ibi: *Sed nec ita.* Dicit ergo, quòd *vnum dicitur sicut & ens,* ex eo, quòd sunt conuertibilia & de omnibus prædicantur, *& substantia vnius est vna,* id est, quòd vnum sicut & ens prædicat substantiam rei, ita quòd *vnius* rei *vna est substantia: &* vlterius *quorum substantia est vna numero,* illa sunt *vnum numero:* quia inquam sic est, *palàm quia nec vnum, nec ens, contingit esse rerum substantiam,* sed supple prædicantur de substantia sicut de subiecto: *sicut nec elemento esse aut principio,* id est, ipsa ratio elementi, & principij, dicit supple substantiam rei, quæ est elementum, vel principium: *sed quærimus quid sit principium,* id est, illud cui contingit esse elementum vel principium, *vt ad notius reducamus,* scilicet ad subiectam substantiam: subdit autem quòd *ens & vnum magis horum sunt substãtia quàm principium, & elementum, & causa:* & ratio huius est, quia propinquiora sunt substantiæ rerum, quatenus elementum, principium, & causa formaliter dicunt solam habitudinem rei ad rem: nam sunt nomina relatiua: sed vnum & ens significant id quod conuenit rei ratione suæ substantiæ: licèt ens & vnum eo modo quo de eis Plato loquebatur, scilicet quod essent separata à rebus, non sint rerum substantiæ, sed oportet quærere vlterius aliquam naturam subiectam, cui conueniat esse ens & vnum: nam substantia rei non est separata à re. Deinde cùm dicit:

Quod in generali probauit de vniuersalibus, hoc in speciali de vno & ente pertractat.

Ens & vnũ sunt interna rebus etsi non rerum substantia sint.

134

Sed nec ista sunt, si nec aliud commune quicquam substantia sit: nulli namque inest substantia: sed huic & habenti ipsam cuius est substantia.

Probat præmissam conclusionem duplici ratione, quarum secunda ponitur ibi: *Amplius quod vnum.* In prima parte intendit talem rationem: Nullum commune est rerum substantia: sed ens & vnum sunt quædam communia: imò communissima, ergo &c. Maior patet: quia dictum fuit suprà quod substantia rei nulli inest, nisi illi cuius est propria: cómune autem pluribus inest; ergo nullum commune rei substantia est. Dicit ergo, quòd *sed nec ista*, scilicet vnum & ens *sunt* supple rerum substantiæ: *si* pro quia, *neque aliud commune nihil est substantia:* Cuius probatio est, *quia nulli*, scilicet alteri *inest substantia*, sed solùm *huic & habenti ipsam cuius est substantia.* Deinde cùm dicit:

Amplius quod vnum apud multa non erit simul: quod autem commune simul apud multa existit. Quare palàm, quia nulla vniuersalium existit præter singularia separatim.

Ponit secundam rationem quæ talis est: Contra rationem vnius est esse simul in multis, sic intelligendo vt dicebat Plato, scilicet quòd ipsum vnū sit quædam substantia per se existens: quia sic esset vnum numero: sed commune est in multis; ergo vnum, quod ponitur sic commune, non potest esse tale vnum, scilicet substantia per se existens, vt ponebat Plato. Dicit ergo quòd *amplius* ipsum quod est vnum non vtique *erit vnum simul apud multa, sed commune simul existit apud multa.* Vltimò epilogat quantùm ad totum capitulum præcedens, dicens: quare supple ex prædictis *palàm est, quia nullum vniuersale existit separatim præter singularia.* Tunc sequitur illa pars:

Epilogus.

Text. cō. 58.

Sed species dicentes hìc quidem rectè dicunt separantes eas, si substantia sunt: illic autem non rectè, quia vnam in multis dicunt speciem.

135

Vbi postquam Philosophus probauit vniuersalia non esse substantias separatas, ostendit in quo Platonici dixerunt rectè, & in quo minùs rectè. Circa quod tria facit: quia primò præmittit eorum dictum. Secundò subiungit causam dicti. Tertiò ostendit errorem causæ & motiui. Secunda ibi: *Causa verò.* Tertia ibi: *Quamuis vtique.* Dicit ergo primò, quòd supple Platonici *dicentes species* & ideas, *hac quidem rectè dicunt, separantes eas si substantia sunt*, id est, ponentes eas separatas quatenus ponūt eas substantias singulariū sensibilium: de ratione enim substantiæ est præexistere separatim: idea autem non posset esse per se existens, nisi esset à singularibus separata, maximè cùm ponatur communis pluribus singularibus: dato ergo antecedente, scilicet quòd ideæ sunt substantiæ; rectè dicitur quòd sint separatæ: *illic verò*, id est, ex alia parte *non rectè* dicunt: *quia in multis vnam speciem* ideam esse *dicunt*: hæc enim videntur repugnate quod aliquod vnum sit in multis, & quod sit per se existens separatum. Deinde cùm dicit:

Quid rectè & quid non dixerūt Platonici ostendit.

Causa verò quia non habent reddere quæ tales substantiæ sunt incorruptibiles præter singulares & sensibiles: ergo faciunt easdem specie corruptibilibus: has enim scimus αὐτὸ hominem & αὐτὸ equum addentes sensibilibus verbum ipsum.

Assignat causam dicti: quare, scilicet Platonici ponebant substantias separatas & cum hoc esse in multis. Dicit ergo, quòd *causa verò* huius dicti est: quia supple Platonici probātes per rationē, quòd oportet esse aliquas substātias incorruptibiles & incorporeas: *quia non habent*, id est, non possunt *reddere*, vel assignare *quæ sunt tales substantiæ incorruptibiles, præter istas singulares & sensibiles, ergo faciunt*, id est, fingunt supple ipsas esse *easdem specie* istis *corruptibilibus*: ita quòd esset aliquis homo separatus eiusdem speciei cum homine corruptibili, & similiter in aliis: sed supple differenter de illis, & his loquebantur: *has enim*, scilicet substantias separatas sentimus supple ex doctrina Platonis: dicendo *αὐτὸ hominem, & αὐτὸ equum*, scilicet per se hominem, & per se equum: *addentes sensibilibus*, scilicet substātiis *hoc nomen*, vel dictionem *αὐτὸ* ad designandum, scilicet substantias separatas: nam *αὐτὸ* significat idem quod per se. Ex quo patet quòd Plato voluit substantias separatas esse eiusdem speciei cum istis sensibilibus, & differre in hoc tantùm: quia illis separatis addebant hanc dictionem *αὐτὸ* quod idem est quod *per se* ad designandum perseitatem existentiæ, & separationē in illis substantiis, vt sic homo separatus dicatur per se homo, & non homo singularis corruptibilis. Deinde cùm dicit:

Motiuū Platonis ad ponēdum ideas separatas.

136

Quamuis vtique si non videremus astra, non minùs existimo forent substantiæ sempiternæ post eas quas nos videmus. Quare & nunc, si non habemus quæ sunt, tamen esse quasdam forsan est necessarium. Quod quidem igitur neque vniuersaliter dictorum quicquam substantia, neque vna ex substantiis, manifestum est.

Ostendit errorem huius causæ, vel motiui dicens, quòd hoc non est verum, *quamuis vtique sit* similis, supple error: sicut si posito quòd *non videremus astra, nihilominus existimo*, id est, opinor *forent* vtique *substantiæ sempiternæ*, præter illas quas nos videremus: quia supple constaret nobis per rationem esse alias substantias incorruptibiles: quia etiam etsi nunc non habemus dicere quæ sunt tales scilicet substantiæ separatæ: *tamen forsan necessarium* est *esse quasdam*, scilicet substantias à sensibilibus separatas: & supple alterius speciei ab eis. Dicit autem *forsan*: quia nondum probatum est aliquas esse substantias separatas vsque ad 12. librum.

Ostendit motiuum dictū esse erroneū.

Notandum, sensum huius litteræ esse, quòd promotiuum Platonis ad ponendum substantias separatas, & eiusdem speciei cum sensibilibus habuit similem errorem, sicut si nos non videremus astra, nec aliqua corpora incorruptibilia, & tamen innotesceret nobis per rationem esse aliqua corpora incorruptibilia, & diceremus illa esse eiusdem speciei cum corruptibilibus, puta dicendo quòd est quidam homo incorruptibilis, & quidam

quidam asinus, & huiusmodi, & tamen hoc non est verum: quia dato quòd non videremus astra, & alia incorruptibilia; nihilominus tales substantiæ sempiternæ erunt præter has, id est, alterius speciei ab his quas nos videmus. Vltimò concludit intentum quantùm ad duo, quæ patent ex prædictis in isto capitulo; quorum vnum est, quòd nullum vniuersale sit substantia: secundum est quòd substantia non sit ex substantiis in actu. Dicit ergo, quòd *quidem igitur nihil nec dictorum vniuersaliter*, id est, nullum vniuersale sit *substantia*, quantum ad primum: *nec vna*, id est, quòd nulla substantia est *ex substantiis*, scilicet in actu *manifestum est* ex prædictis.

Infert duas conclusiones principales ex dictis.

SVMMÆ SECVNDÆ

CAP. XVII.

Quid propriè substantiam dicere oporteat, eámque non elementum, non compositum, sed principium esse, vbi de quæstione *propter quid* latiùs.

SVMMARIVM.

Tractat quomodo *quod quid est*, habet rationem principij, & causæ, quia de eius inexistentia non posset formari quæstio, quærens *propter quid*: sed quæstiones tales in i sum reducuntur. Nota de quatuor quæstionibus scibilium quæ hîc dicit Doctor, & vide 2. Poster. text 1. & ipsum ibi, q. 4. vbi agit de præcognitionibus, ad primum ibi: *Reducit quæstionem propter quid, ad quæstionem quid est, & quæstionem quia est, ad quæstionem si est.*

137 Tex. cô. 59. Cap. 17.

QVid autem oportet dicere, & quale quid substantiam; iterum aliud principium facientes dicamus. Forsan enim ex his erit palàm, & de illa substantia quæ est separata à sensibilibus substantiis.

Hoc est vltimum capitulum huius septimi, vbi, vt dicebatur, Philosophus inquirit de ipso, *quod quid est*, quomodo habeat rationem principij & causæ: & necessitas huius capituli sic ostenditur: quia in principio huius septimi promisit Philosophus se tractaturum de substantia, & *quod quid est* rerum sensibilium, quam substantiam posuit Plato vniuersalia, & ideas separatas, quam opinionem statim improbauit; & quia de ipso *quod quid est*, nondum locutus fuit nisi modo Logico, ex quo nondum plenè patet, quid sit *quod quid est*; ideò nunc de ipso ad habendum pleniorem notitiam, ostendit quomodo *quod quid est* habet rationem principij & causæ. Circa quod duo facit: quia primò proponit intentum continuando dicta dicendis. Secundò exequitur de intento. Secunda ibi: *Quoniam ergo substantia.* Dicit ergo quòd supple improbata opinione Platonis, dicendum est quid secundùm veritatem & *quale quid oportet dicere substantiam*, id est, ipsum quod quid est rei, & hoc *dicamus vltrà faciente aliud principium*: quia supple priùs Logicè; nunc autem magis realiter loquimur, *forsan enim*, supple ex dicendis de substantia & quod quid est sensibilium, *palàm erit & de illa qu[æ] est à sensibilibus substantiis separata*: nam, vt dictum fuit suprà, substantiæ sensibiles multum iuuant ad notitiam habendum de substantiis separatis; licèt non sint eiusdem speciei, vt dicebat Plato. Deinde cùm dicit:

138

Quoniam ergo substantia & principium & causa quædam est; hinc est procedendum.

Conclusio.

Exequitur de intento. Circa quod duo facit: quia primò præmittit intentam conclusionem. Secundò subiungit eius probationem. Secunda ibi: *Quæritur autem ipsum propter quid.* Dicit ergo quòd *quoniam substantia*, id est, quod quid est rei *principium & causa quædam est*, scilicet respectu eorum, quæ per se insunt rei: *hinc*, id est, ex dicendis *est transeundum*, id est, ostendendum. Deinde cùm dicit:

Quæritur autem ipsum propter quid semper sic, propter quid aliud aliquid alij alicui inest. Nam quærere propter quid musicus homo, musicus homo est, aut est quod dictum est quærere propter quid homo musicus est, aut aliud: nam quod quid est propter quid ipsum est ipsum, nihil est quærere.

Probat præmissam conclusionem. Circa quod duo facit: quia primò ostendit quòd ipsum *quod quid est* est principium & causa. Secundò cuius modi sit principium & causa. Secunda ibi: *Quoniam verò ex aliquo.* Prima in duas: quia primò probat dictam conclusionem. Secundò remouet circa dicta quandam dubitationem. Secunda ibi: *Latet autem maximè.* In prima parte dicit talem rationem: Illud de cuius inexistentia non potest formari quæstio, quærens causam & *propter quid*, sed potiùs in ipsum quæstiones quærentes de causa, & *propter quid* reducuntur, habet rationem principij & causæ: quia ex quo eius non est causa quare inexistit, ipsum est causa aliorum quare ei inexistunt: cùm causa & causatum sufficienter diuidant ipsum ens: sed substantia & *quod quid est* rei est huiusmodi: quia de eius inexistentia illi cuius est, non potest formari quæstio quærens de causa & *propter quid*, sed potius omnes tales quæstiones causæ in ipsum reducuntur: nam *quod quid est* est principium propter quid demonstrationis quare passiones insunt subiecto; ergo ipsum *quod quid est* habet rationem principij & causæ. Maior est euidens; sed minorem ipse probat ex hoc, quia nullus quærit propter quid homo est homo, vel ipsum est ipsum, sed semper quæstio de causa &. propter quid conuenit: quare ipsum est aliquod aliud: Probatio autem minoris stat in duabus propositionibus: prima est, quòd quæstio *propter quid* quærens de causa nunquam quærit de substantia, & *quod quid est*, vt quare ipsum est ipsum: secunda est quòd quæstio *propter quid* quærit quare ipsum est aliud.

Ipsum quod quid est principiũ, & causa quare alia insunt.

Contra negãtes diffinitionem subiecti esse medium demõstrationis potissimæ.

Circa ergo probationem minoris, in qua stat tota virtus rationis, sic procedit Philosophus: quia primò manifestat primam propositionem, scilicet quòd quæstio *propter quid* quærens de causa, nunquam

nunquam quærit de substantia, & *quod quid est*, vt quare ipsum est ipsum. Secundò manifestat secundam propositionem, scilicet quòd quæstio *propter quid* quærit, quare ipsum est aliud. Secunda ibi; *Quæret autem aliquis.* Prima in duas: quia primò proponit propositionem. Secundò probat eam ibi: *Oportet enim ipsum quia.* Dicit ergo, quòd *ipsum propter quid semper sic quæritur,* id est, quòd ipsa quæstione propter quid semper vtimur, quando quærimus *quare aliquod aliud inest alicui*, & non supple propter quid ipsum sit ipsummet; *nam quærere propter quid musicus homo est musicus homo: aut est quod dictum est quærere quare musicus homo est, aut aliud,* id est quæstio potest intelligi dupliciter: Vno modo, vt illud quod dictum est quæratur, puta si de hoc toto, quod est *homo musicus* quæratur hoc totum, quod est *homo musicus.* Alio modo, vt quæratur aliud de alio, vt scilicet de homine, qui est musicus quæratur non propter quid sit homo, sed propter quid musicus. Vnde statim excludit primum modum intelligendi dicens: nam hoc quidem supple *quærere propter quid ipsum est ipsum, nihil est quærere*, puta si quæratur totum de toto, vt propter quid musicus homo est homo musicus, & similiter si quæratur quare homo est homo, & huiusmodi. Deinde cùm dicit:

In quæstionibus propter quid status est in ipso quod quid.

140 *Oportet enim ipsum, quia quod ipsum esse existere manifesta entia. Dico autem vt quia Luna patitur eclipsim. Ipsius autē quia ipsum vna est ratio & vna causa in omnibus, propter quid homo homo, aut musicus homo musicus, nisi quis dicat, quia indiuisibile ad ipsum vnumquodque; hoc autem erat vnum esse, sed hoc commune, quia de omnibus & quod breue.*

Probat dictam propositionem. Ad cuius euidentiam notandum est, quòd cùm sint quatuor quæstiones, vt habetur 2. Poster. text. 1. scilicet *si est*, & *quid est*, & *quia est*, & *propter quid est*, quarū duæ sunt simplices, scilicet *si est*, & *quid est*, & aliæ duæ sunt compositæ, scilicet *quia est*, & *propter quid est*; & istæ quatuor quæstiones mutuò se præsupponunt: nam quæstio *quid est*, præsupponit quæstionem *si est*, & quæstio *propter quid est*, quæstionem, *quia est*, & etiam quæstionem *quid est* & per consequens quæstionem *si est*: ita quòd quæstio *propter quid est*, omnes alias præsupponit: ex quibus patet, quòd quærere propter quid ipsum est ipsum est nihil quærere, cùm iam præsupponebatur; ideò dicit: quòd supple cùm quæritur propter quid *oportet ipsum quia esse & ipsum esse*, id est, ipsum si est, *existere entia manifesta:* quod exponit dicens: *dico autem, vt quare Luna patitur eclipsim*: oportet esse manifestum: quia Luna patitur eclipsim: aliter quæstio esset nulla. Vnde subdit: *ipsius autem quia ipsum:* id est, quia ipsum est ipsum *vna est ratio & vna est causa in omnibus*, quæ supple nulli latet: quia scilicet vnumquodque est idem, vnum sibi, *vt propter quid homo est homo*, & propter quid *musicus est musicus, nisi quis* fortè *dicat*, quòd causa huius est, *quia vnumquodque est indiuisibile ad seipsum*, vt scilicet propter hoc non posse diuidi aut negari idem à seipso, puta dicendo, homo non est homo, sed vnumquodque affirmatur de seipso: subdit autem, quòd *hoc autem erat vnum esse*, id est, quod ista causa coincidit cum prima, scilicet quod vnumquodque est vnum & idem sibi: nam vnum esse est indiuisibile esse, vt dictum est in 5. huius: addit etiam, *sed hoc commune: quia dicitur de omnibus, & est quod breue*, id est, quòd concesso quòd hæc secunda ratio esset alia à prima; nihilominus hoc erit commune omnibus: quia vnumquodque est indiuisibile ad seipsum, & hoc est breue, id est, principium quod est paruum in quantitate, & maximum in virtute, vt habetur 2. Elench. & ideò est per se notum, sicut alia principia communia, quæ nullus debet ignorare: non igitur potest quæri propter quid ipsum est ipsum.

Nota ordinationem quatuor quæstionū scibilium.

Vnumquodque esse ipsum est per se notum.

C. finali.

SVMMARIVM.

Ostendit quæstionem *propter quid*, quęrere quare ipsum de quo est, est aliud, non autem quare ipsum est ipsum; quod explicat Doctor. Ostendit etiam dubium esse quid respondendum ad quæstionem in simplicibus quærentem quid est homo, vel simile, sine prædicatione vnius de alio; ad quod Doctor dat duas explicationes. Concludit corollaria in simplicibus non esse quæstionem, nec doctrinam: quod explicat Doctor reiecta explicatione D. Thomæ.

Quæret autem aliquis propter quid homo est animal tale: hoc quidem igitur palàm, quia non quærit quare, qui est homo, homo est. Aliquid ergo de aliquo quærit propter quid existit. Quia verò existit, oportet manifestum esse: nam si non ita, nihil quærit, vt propter quid tonat, quia sonitus fit in nubibus: aliud enim ita de alio est quod quæritur, & propter quid, puta lateres & lapides domus sunt. Palàm igitur quòd quærit causam: hoc autem est quod quid erat esse, vt est dicere Logicè, quod in quibusdam quidem cuius causa, vt forsan est in domo, & in lecto: in quibusdam verò quid mouit primum: nam causa & & hoc, sed talis quidem causa in fieri quæritur & corrumpi, altera verò, & in esse.

141 Ostendit secundam propositionem, scilicet quòd quæstio *propter quid* quærit quare ipsum est aliud, dicens, quòd quæret aliquis propter quid homo est animal tale: hoc quidem igitur palàm, quòd non quærit propter quid qui est homo est homo, id est, propter quid homo est homo: aliquid igitur de aliquo quærit propter quid existit: quia non quærit idem de seipso, sed aliquid de aliquo propter quid aliud inexistit alteri: quia verò existit oportet esse manifestum: nam quæstio *propter quid* præsupponit ipsum: *nam si non* est *ita nihil quærit*; vnde si aliquis quærat propter quid homo est animal, oportet esse manifestum quia est animal; similiter vt si quæratur *propter quid est tonitruum*: nam supple *quia fit sonus*

Quomodo propter quid quærit de aliis quod inest per quod quid.

sonus in nubibus : ita enim aliud de alio est quesitum, scilicet sonitus de nube : similiter si quæratur *propter quid* huiusmodi, vt *lateres & ligna sunt domus :* hoc enim est quærere aliquid de aliquo, scilicet domus de lateribus & lignis : ita quòd semper quæstio *propter quid* quærit aliquid de aliquo: *palàm igitur*: quia supple ista quæstio *quarit causam : hoc autem est quod quid erat esse , vt est Logicè dicere* , id est , loquendo Logicè : nam Logicus est artifex rationalis, qui omnem causam dicit pertinere ad *quod quid est*: quod, scilicet quod quid est , quod communiter est causa : *in quibusdam quidem* est *cuius causa* , id est , causa finalis, *vt forsan in domo aut in lecto*: cum ergo quæritur propter quid lateres & ligna sunt domus , potest responderi per causam finalem, vt, scilicet defendamur à frigore & vento , & ab aliis nociuis ; *in quibusdam verò quod mouet primum*, id est , causa efficiens & mouens: *nam causa & hæc*, id est, quòd causa efficiens vtique est causa, vt si quęratur propter quid lateres & ligna sunt domus , potest responderi propter ædificatorem : finis enim & efficiens sunt causæ essendi formæ in materia. Subdit autem differentiam inter causam efficientem & finalem, dicens quòd *talis quidem causa*, scilicet efficiens *quaritur* tantùm *in fieri & corrumpi: altera* verò , scilicet finalis , *quaritur in esse* & non solùm supple in fieri & corrumpi. Ratio huius differentiæ assignatur: quia efficiens est causa trãsmutandi formam ad materiam , quòd fit in ipso generari & corrumpi ; sed finis inquantum mouet agentem potest etiam dici causa in generari & corrumpi ; sed inquantum res habet esse per suam formam, quæ est finis generationis , potest dici quòd ipse finis est causa etiam in esse , cùm inexistat rei : loquendo etiam de fine extrinseco potest dici, quòd inquantum res per suam formam ordinatur ad finem , ipse finis etiam est causa in essendo.

Aliter Logicus & aliter Metaphysicus considerat quod quid est.

Differentia in efficientem & finalem causam.

Finis duplex.

Notandum, quòd Logicus qui considerat modum prædicandi: ideò quicquid potest responderi ad *quid est*, dicit pertinere ad *quod quid est* rei: siue illud sit intrinsecum , vt materia & forma, siue extrinsecum , vt efficiens & finis. Vnde secundo Poster. dicit, quòd *quod quid est* & diffinitio est medium in demonstratione , & ostendit quomodo per omnes causas potest demonstrari; ita quòd quæcunque causa , siue intrinseca , siue extrinseca potest accipi pro medio demonstrationis , & pertinere hoc modo ad *quod quid est* rei: sed Philosophus realis , qui considerat rei essentiam solas causas intrinsecas, dicit ad *quod quid est* pertinere : benè ergo hîc ait Philosophus: hæc causa , de qua quærit quæstio *propter quid* , quæcunque sit, erit quod quid erat esse : si Logicè dicatur. Deinde cùm dicit :

T. 2. & inde.

Logicus & Philosophus realis non eodẽ modo considerãt quod quid est.

142

Latet autem maximè quòd quæritur in his quæ non de aliis dicuntur , vt homo quid est quæritur ; propter simpliciter dici, sed non diffinitè quia hoc aut hoc.

Remouet quandam dubitationem, circa quam sic procedit ; quia primò proponit eam: secundò corrigit & excludit : tertiò quoddam ex dictis corollariè concludit. Secunda ibi : *Sed oportet corrigentes.* Tertia ibi : *Palàm igitur.* Dicit ergo, quòd illud quod quæritur , scilicet in qualibet quæstione vbi dicitur quæri aliud de alio , *latet maximè*, id est, habet dubitationem *in his qua non de aliis dicuntur*, scilicet in quæstionibus simplicibus , in quibus non quæritur , vel prædicatur aliquid de aliquo : *vt cum dicitur quid est homo*, & hoc supple latet *propter simpliciter dici; sed non diffinitè, quia hoc aut hoc*, id est, quòd causa huius latentiæ est, quia in tali quæstione profertur vnũ simplex vt homo, & non quæritur aliquid de aliquo, puta homo de Socrate , & de aliis suppositis hominis.

Mouet dubium circa dicta.

Sed occurrit dubium , quia videtur ista dubitatio Philosophi non esse ad propositum: nam suprà factus est sermo de quæstione *propter quid* , & non de quæstione *quid est*. Dicendum quòd quæstio *quid est* & *propter quid* quodammodo incidunt in idem, vt probatur secundo Poster. & ideò quæstio *quid est* potest transmutari in quæstionem *propter quid* : nam quæstio *quid est :* quærit de quiditate propter quam id de quo quæritur *quid est* prædicatur de quolibet suo supposito; propter hoc enim Socrates est homo : quia conuenit sibi id quod respondetur ad quæstionem quid est homo ; idem ergo est quærere quodammodò quid est homo , & quærere propter quid Socrates est homo, vnde signãter ait Philosophus quòd hoc facit dubitationem : quia in quæstione non diffinitur, vel additur: quia hoc aut hoc: quia supple si adderetur , non lateret quòd eadem est ratio in quæstione , qua quæritur quid est homo, & in aliis quæstionibus , de quibus suprà Philosophus est locutus. Deinde cùm dicit ;

Quæstiones quid est & propter quid est sunt affines.

Text. 2. & inde. Al. transformari.

Text. cõ. 60.

Sed oportet corrigentes quærere , si autem non, commune eius quod nihil quærere, & eius quod quærere aliquid sit.

Quoniam verò oportet habere : quia & existere ipsum esse: palàm itaque quia quærit materiam quare est, vt domus hæc quare: quia huius existunt quod erat domui esse, & homo hic , aut corpus hoc, tale habens : quare quæritur causa materiæ , hoc autem est species qua aliquid est, hæc autem substantia.

143 *Excludit & corrigit dictã dubitationẽ.*

Excludit & corrigit dictam dubitationem , dicens quòd *oportet* ad excludendam supple dictam dubitationem *corrigentes quærere*, id est, prędictam quæstionem corrigere , vt scilicet loco eius qua quæritur quid est homo , quæratur propter quid Socrates est homo ; *si autem non*, supple sic corrigatur , sequitur quòd *aliquid sit commune , cuius quod est nihil quærere, & quod est aliquid quærere*; quod dupliciter exponitur. Vno modo sic : quia dictum est suprà quòd quærere ipsum de ipso est nihil quærere , sed quærere aliquid de aliquo est aliquid quærere: quia igitur quæstio *propter quid*, in qua quæritur aliquid de alio , & quæstio *quid est* , in qua non videtur quæri aliquid de alio , nisi prædicto modo corrigatur , sibi inuicem communicant , vt dictum est , sequitur quod aliquid erit commune quæstioni in qua nihil quæritur , & quæstioni in qua aliquid quæritur. Alio modo exponitur sic , quòd scilicet si ista quæstio non corrigatur sic , vt dictum est , sequitur inconueniens dictum : nam tunc aliquid quæritur quando fit quæstio de aliquo quod est : tunc verò nihil quæritur quando fit quæstio de eo quod non est : si igitur in *quæstione quid est* , non oportet aliquid supponere , & aliud

aliud quærere de illo, ita posset fieri ista quæstio de non ente sicut de ente: quare quæstio, *quid est* erit facta communiter & de aliquo & de nihilo: prima tamen expositio videtur probabilior. Subdit autem: *Quoniam verò*, supple in hac quæstione qua quæritur quid est homo, *oportet habere tanquam notum & existere* tanquam verum ipsum esse, id est, hoc ipsum esse, id est, hoc ipsum quod est esse hominem: Aliàs quæstio esset nulla, quia, vt dictum est, quæstio *quid est* præsupponit quæstionem *si est*: quia inquam sic est, *palam itaque quia materiam quærit propter quid est*, id est, quòd communiter *propter quid*, siue ipsum *quod quid est* inest alicui supposito, quod est quasi materiale respectu eius de quo quæritur *quid est*: nam vt dictum est suprà, corrigendo quæstionem, idem est quærere quid est homo, & quærere propter quid Socrates est homo: Similiter si quærimus si est domus, idem est ac si quæramus propter quid hæc, scilicet lateres & ligna, sint domus: quia scilicet propter hoc, quia sunt partes domus: *existunt quod erat domui esse*, id est, propter hoc quod quiditas domus est in talibus partibus, & similiter supple cùm quærimus, quid est homo, ac si quæramus propter quid hic, puta Socrates, est homo, quia scilicet inest ei quiditas hominis: aut etiam, id est, aut si quæratur propter quid *hoc corpus hoc habens*, id est, sic se habens, puta corpus organicum, est homo: corpus enim organicum est materia hominis, sicut lateres & ligna sunt materia domus: *quare* supple in omnibus talibus *quæritur causa materiæ*: propter quid scilicet materia pertineat ad naturã eius quod diffinitur, & de quo quæritur quid est: *hoc autem*, scilicet causa de qua quæritur quæ est causa materiæ, *est species*, id est, forma *qua aliquid est: hæc autem*, scilicet formá, *est substantia*, id est, *quod quid est* rei: nam de forma totius, quæ est ipsa quiditas, est nunc sermo. Ex his ergo patet conclusio principaliter intenta, scilicet quòd substantia, & *quod quid est* rei habet rationem principij & causæ, & quòd omnes quæstiones quærentes de causa, in ipsum *quod quid est* vltimò reducuntur. Deinde cùm dicit:

Concludit principale intentum.

144 *Palàm igitur quoniam in simplicibus non est quæstio nec doctrina, sed alter modus quæstionis talium.*

Corollarium.

Concludit quoddam corollarium ex prædictis: quia enim ostensum est quòd in omni quæstione quæritur de aliquo; vel de causa materiæ, quæ est forma; vel de causa formæ in materia, vt est finis & efficiens; sicut patet ex prædictis; ideò *palàm igitur quod in speciebus*, id est, in terminis incomplexis vt sic, *non est quæstio*, scilicet propter quid, *nec doctrina*, scilicet demonstratiua, *sed alter modus quæstionis*, id est, inquisitionis *talium*, puta quia innotescunt nobis vel per diffinitionem, vel per sensum, vel alio modo.

Expositio S. Thomæ.

Notandum, quòd istam litteram quidam expositor aliter exponit, volens per simplicia intelligere substantias simplices, non compositas ex materia & forma, quia enim in omni quæstione aliquid est notum, & aliquid ignotum quod quæritur, ideò tales substãtiæ, nõ subsunt quæstioni: quia vel totæ cognoscuntur, vel totæ ignorantur, & eadem ratione de eis non est doctrina scientifica, quæ fit ex hoc quod scimus per syllogismum *propter quid*; sed talium est alius modus quæstionis, quatenus cognoscuntur per effectum, puta per substantias sensibiles, quæ nos aliqualiter ducunt in earum cognitionem. Sed contrà; nam substantiæ simplices si sint simplices quantum ad sua intrinseca essentialia: nihilominus habent aliquas proprietates de eis scibiles per demonstrationem; saltem intellectui potenti eas cognoscere, vt ostensum est in sexto huius, & per consequens potest formari de eis quæstio *propter quid*, terminabilis per veram demonstrationem, & per doctrinam demonstratiuam.

Contra eam instat. Demonstratio semper est de quæstione complexa.

Aliter ergo dicendum est, quòd per simplicia intelliguntur termini incomplexi quicunque, de quibus vt sic non est quæstio determinabilis per demonstrationem: & doctrinam syllogisticam: nam demonstratio & doctrina syllogistica semper est de quæstione quæ est complexa: concludit enim passionem de subiecto per medium *propter quid*, dicens causam; sed est de eis alius modus quæstionis & ostensionis, scilicet diffinitiuus: nam sicut demonstratio est complexi; ita & diffinitio est incomplexi.

S V M M A R I V M.

Explicat quale principium & causa sit substantia, seu *quod quid est* rei. Videtur ponere quòd sit natura ex partibus composita, & ab eis re distincta quod exemplificat in syllaba ex litteris composita. Doctor benè rem explicat. An verò totum sit tertia entitas à partibus vnitis re distincta, difficilis quæstio est, quam tractat Doctor 3. di. 2. quæst. 2. vbi affirmatiuè videtur eam resoluere, nisi aliter glossetur. Vide ibi Scholium nostrum. Sed 8. huius q 4 in fine, & 1. Physic q 9. negatiuam partem habet quod confirmat illam glossam.

145 *Quoniam verò compositum ex aliquo fit, vt vnum sit omne, sed non vt cumulus, sed vt syllaba, & syllaba,* ba, *non est elementa, nec idem* b, *& a, nec caro, ignis, & terra: dissolutis quidem enim, hæc non adhuc sunt, vt caro, & syllaba, elementa verò sunt & ignis & terra. Est igitur aliquid syllaba, non solùm elementa vocalis & consonans, sed & alterum aliud aliquid. Et caro non solùm, ignis & terra, aut calidum, aut frigidum, sed & alterum aliquid.*

Inquirit cuiusmodi principium & causa sit ipsa substantia, & *quod quid est* rei. Circa quod duo facit: quia primò præmittit quoddam necessarium. Secundò declarat propositum. Secunda ibi: *Si igitur necesse.* In prima parte tangit quandam distinctionem compositionis alicuius ex pluribus, dicens quòd *quoniam verò*, aliquando supple *compositum ex aliquo fit*: hoc modo: *vt omne*, id est, totum *sit vnum* per se: *sed non vt aceruus, sed vt syllaba*: cùm supple in omnibus talibus ipsum compositum sit aliquid præter partes; ideò subdit: *syllaba autem non est elementa*, id est, ipsæ litteræ ex quibus componitur: nec ista

Compositio & compositũ est duplex. Hic coactus

est Auerrois contradicere sibi. 1. Phys. c. 17. nisi substantialiter exponatur hinc inde.

syllaba, *ab*, est idem quod *ipsum a*, & ipsum *b*, ex quibus constat: *nec caro* est idem quod *ignis & terra*, quod probat: *nam dissolutis*, id est, diuisis *istis* partibus, ex quibus fit compositio adinuicem; hæc quidem, id est, composita *non sunt: vt caro & syllaba: elementa verò sunt*, scilicet corrupta syllaba; *& ignis, & terra*, supple manent, corrupta carne; *est ergo syllaba aliquid* præter elementa: & *non solùm* est ipsa *elementa*: scilicet littera *vocalis* quæ est a, & *consonans* quæ est b, *sed* etiam *est aliquid alterum* præter elementa. *Et similiter caro non solùm* est *ignis, aut calidum, & terra aut frigidum*; per quæ scilicet elementa commiscentur & alterantur; cùm calidum & frigidum sint qualitates actiuæ, *sed* etiam supple ipsa caro *est aliquid alterum*. Per hoc ergo subintelligitur alterum membrum diuisionis, scilicet quòd aliquando compositum non est aliquid vnum, nec aliud à partibus, sed est sicut cumulus, vel aceruus, quod non est vnum nisi aggregatione. Primo ergo modo compositum est simpliciter & per se vnum, & aliud à suis partibus; sed secundo modo ipsum compositum non est vnum simpliciter & per se, sed secundùm quid, nec est aliud à suis partibus. Deinde cùm dicit:

In compositione per se datur 3. entitas.

Compositum per se vnum & vnum per aggregationem.

146

Si igitur necesse & illud aut elementum aut ex elementis esse: siquidem elementum iterum eadem ratio erit, ex hoc enim & igne, & terra erit caro, & adhuc alio: quare in infinitum ibit. Si verò ex elemento; palàm quia non vno, sed pluribus, aut illud ipsum erit: quare rursum in hoc eandem dicemus rationem, & ita in carne, vel syllaba.

Quæstio contradicta de 3. entitate.

Declarat propositum. Circa quod duo facit: primò præmittit vnam quæstionem & arguit ad eam. Secundò subiungit quæstionis solutionem. Secunda ibi: *Videbitur autem.* Est ergo quæstio, quia cùm ostensum sit quòd in carne & syllaba est aliquid præter elementa: quia igitur ita est, *igitur necesse*, est *illud* aliud *esse elementum aut ex elementis*: quia omne, quod est, videtur esse aut elementum, aut ex elementis: sed quicquid detur, videtur sequi inconueniens, scilicet quòd erit processus infinitus: vnde subdit, *siquidem elementum*, id est, si illud aliud quod est in carne & syllaba præter elementa & elementum; *iterum eadem ratio erit* & de isto & de aliis elementis ex quibus componitur: connumerandum enim aliis erit: *caro enim erit* composita *ex igne & terra, & ex illo alio* quod ponitur elementum præter elementa; & cùm probatum sit quòd in omni composito per se vno, est aliquid aliud præter elementa, erit eadem quæstio adhuc de illo alio; quod si est elementum aliud, illud tale elementum erit compositum ex suis partibus, & etiam aliquo alio: illud aliud est elementum præter elementa, & istud elementum etiam erit ex suis partibus, & adhuc ex aliquo alio: & illud aliud esset elementum pari modo, *& sic in infinitum. Si verò* detur altera pars scilicet quòd illud aliud præter elementa non sit elementum, sed *ex elemento*, vel ex elementis, adhuc sequitur illud inconueniens: *palàm enim quia non* erit ex *vno* tantùm elemento, *sed ex pluribus* elementis: quia si ex vno tantùm elemento, sequetur quòd esset tantùm illud elementum vnum: quod enim est ex igne tantùm, tantùm ignis est: ex vno non fit aliquod compositum: *quare* si supple fit ex pluribus elementis, vt oportet dicere, *rursum in hoc eandem dicemus rationem, sicut in carne & in syllaba*: quia scilicet in illo erit aliquid præter elementa ex quibus est, & de illo alio, iterum redibit quæstio quæ priùs, vtrùm scilicet sit elementum, aut ex elementis, & sic erit processus infinitus. Deinde cùm dicit:

147

Videbitur autem vtique esse aliquid hoc & elementum, & causa essendi: hoc quidem caro, hoc verò syllaba: similiter autem & in aliis, substantia autem vniuscuiusque hoc: hoc enim causa prima essendi.

Solutio quæstionis.

Ponit dictæ dubitationis solutionem. Circa quod duo facit: quia primò ponit solutionem, quæ videtur danda prima facie. Secundò corrigit ipsam ibi: *Quoniam vero quædam.* Dicit ergo, quòd illud quod supple in compositis ponitur aliud esse ab elementis, *videbitur vtique* prima facie *esse aliquid*, scilicet quòd non sit ex elementis, sed *hoc esse elementum & causa essendi: hoc quidem carnem, hoc verò syllabam: similiter autē & in aliis:* & iterum supple videbitur quòd *hæc sit substantia vniuscuiusque*, id est, quiditas & quod quid est vniuscuiusque *hoc enim*, scilicet substantia, & quod quid est rei *est prima causa essēdi*. Deinde cū dicit:

Quoniam verò quædam non sunt substantiæ rerum; sed quæcunque substantiæ secundùm naturam, & natura constitutæ sunt: manifestabitur vtique quibusdam hæc natura substantia, quæ est non elementum; sed principium, elementum verò est in quod diuiditur inexistens, vt materiam, puta syllabæ quod a, & b.

Corrigit solutionem.

Corrigit dictam solutionem in duobus: vnum est quantum ad hoc quòd dixit illud tale quod est præter elementa esse substantiam vniuscuiusque: quia hoc verum est non in rebus quæ non sunt substantiæ, sicut in syllaba quæ non videtur substantia; sed pertinere magis ad genus quantitatis, sicut & oratio: sed est verum in rebus quæ sunt substantiæ, & hoc loquendo strictè de substantia. Aliud in quo corrigenda est solutio, est quantum ad hoc, quòd illud tale præter elementa dixit esse elemētum: non enim propriè dicitur elementum, quia elementum pertinet ad genus causæ materialis, vt patet ex 5. huius cap. de Elemento, tex. co. 4. sed potest dici magis propriè principium essendi, & hoc est quod dicit, quòd *quoniam quædam rerū non sunt substantiæ, sed quæcunque sunt substantiæ secundùm naturam*, quantum ad esse, *& naturâ*, id est, per naturam *constitutæ sunt* quantum ad fieri: naturalia enim maximè confessa sunt causæ substātiæ, vt dictum fuit circa principiū huius septimi: quia inquantum sic est: *manifestabitur vtique* quòd hæc natura, de qua scilicet nunc est sermo, *est substantia in quibusdam*, scilicet in naturalibus & non supple in omnibus, & hoc fuit primū corrigendū, & subdit quod ad secūdū, *quæ*, scilicet natura, *nō est elementū, sed principiū*, supple formale & quiditatiuū: *elemētū verò est illud in quod diuiditur aliquid inexistens vt materiā, puta* elementa supple huius *syllabæ quæ* est ab: sunt *a, & b*, & ex hoc habetur solutio dubitationis: quia cū dictū principiū sit formale, & quiditatiuū, non est elementum, neque ex elemēto, loquēdo propriè de elemento.

Cuiusmodi principiū & causa sit ipsum quod quid est essēdi.

LIBER

LIBER OCTAVVS.

IN hoc libro agit de principiis entis naturalis, & sic videtur ad Physicum pertinere, verùm magis ad Metaphysicum, quia sub consideratione Metaphysicæ ista tractat, de quo lib. I. huius, quæst. I. & lib. 9. quæst. 4. Incipit ex dictis lib. I. quasi Logicè de substantia, tractare de eadem magis realiter, tanquam de nobiliori parte subiecti huius scientiæ, cuius ponit ex iam dictis varias acceptiones. Sumitur enim pro quiditate, & pro supposito, & secundùm alios dicitur substantia genus magis quàm species. Additur his opinio de ideis.

SVMMA VNICA.

De principiis substantiarum sensibilium, materia scilicet, & forma.

CAPVT PRIMVM.

Substantiæ diuisio, & materiam substantiam esse.

Text. cõ. I.

EX prædictis itaque syllogizare oportet & colligentes capitulum finem imponere.

Postquam Philosophus in septimo libro inquisiuit de substantia, & *quod quid est* substantiæ sensibilis, modo Logico & communi; nunc inquirit de eodem magis realiter, & per principia, applicando ad substantias sensibiles ea quæ in septimo Logicè sunt dicta: Circa quod duo facit; quia primò præmittit suam intentionem. Secundò exequitur de intento. Secunda ibi: *Sensibiles enim substantiæ.* Prima in tres: quia primò proponit suam intentionem in generali. Secundò replicat quædam supradicta in speciali. Tertiò continuat dicta dicendis. Secunda ibi: *Dictum est itaque.* Tertia ibi: *Quoniam autem quod quid erat esse.* Dicit ergo quòd *ex prædictis* vtique supple in septimo, vbi inquisitum est Logicè de substantia rerum, *oportet syllogizare*, applicando scilicet dicta ibi ad res naturaliter existentes, *& recolligentes capitulum*, id est, summatim & in capitulo resumentes quæ dicta sunt, oportet *finem imponere* dictis, id est, tractatui de substantia, quod fiet addendo hoc octauo ea quæ fuerunt dicta priùs. Deinde cùm dicit:

Præmittit suam, intentionem in generali.

Dictum est itaque quòd substantiarum quæruntur causæ, & principia & elementa: substantiæ verò hæ quidem confessæ sunt ab omnibus, sed de quibusdam singulariter quidam enunciauerunt confessæ quidem physicæ, vt ignis, terra, & aqua, & alia simplicia corpora. Deinde plantæ & partes earum, & animalia, & partes animalium, & tandem cælum & partes cæli. Singulariter verò quidam substantias dicunt esse species, & Mathematica.

Tex. com. 2.

Alias verò accidit ex rationibus substantias esse quod quid erat esse, & quod subijcitur: adhuc aliter genus magis speciebus & vniuersale magis singularibus: vniuersali verò & generi & ideæ copulantur: nam secundùm eandem rationem substantiæ videntur esse.

Resumit quædam dicta in speciali, dicens quòd *dictum est itaque*, scilicet in septimo, quia supple in ista scientia *quæruntur*, scilicet principaliter, *causæ & principia, & elementa substantiarum*: licet enim Metaphysica consideret de omni ente inquantum ens; principaliter tamen considerat de substantia, vt de nobiliori parte sui subiecti primi: vt sæpè dictum est; & per consequens de principiis substantiæ: subdit etiam quòd *substantiæ verò hæ quidem confessæ sunt ab omnibus*: vt sunt substantiæ naturales; *sed de quibusdam*, scilicet substantiis, *quidam singulariter*; & non omnes *enunciauerunt*, vt dictum fuit circa principium septimi: quod exponit cùm subdit: *confessæ quidem Physicæ*, id est, quòd substantiæ naturales sunt confessæ communiter ab omnibus, *vt ignis, terra, & aqua, & alia simplicia corpora; deinde* secundùm ordinem nobilitatis *plantæ, & partes earum*; *animalia, & partes animalium*: *& tandem cælum & partes cæli*, puta Orbes & Stellæ: *singulariter verò quidam dicunt esse substantias species*, id est, ideas *& Mathematica*; de qua opinio dictum est in primo libro, & alibi frequenter: subdit etiam quandam diuisionem, siue modos accipiendi substantiam dictos in præcedentibus, dicens quòd *alias substantias accidit esse ex ratione quod quid erat esse*, id est, quòd vno modo dicitur ipsa substantia quiditas rei, quæ per rationem, id est, per diffinitionem exprimitur. Alio modo, & *quod subiicitur*, id est, ipsũ subiectũ, siue ipsum suppositum substantiæ: hæc enim est vna diuisio substantiæ, scilicet quòd substantia dicitur & de quiditate, & de supposito quiditatis. Et subdit, quòd *adhuc* supple secundùm opinionem aliorum *dicitur* substantia *genus magis speciebus*, id est, magis quàm species; *& vniuersale singularibus*, id est, quòd generaliter vniuersale dicitur magis substantia quàm singulare secundùm illam opinionem. Subdit etiam quòd *vniuersali verò & generi*, id est, opinioni secundùm quam genus & vniuersale dicuntur substantia, *copulantur ideæ*, id est, opinio de ideis, *nam secundùm eandem rationem videntur*

Metaphysicus considerat priùs ens principaliter substantiam & principalissimè immaterialem.

De quibus dicitur substantia generaliter ab omnibus & specialiter à Platonicis.

esse

esse substantia, vniuersalia scilicet ideæ. Deinde cùm dicit:

2

Quoniam autē quod quid erat esse substātia est; huius autem ratio, diffinitio: propter hoc de diffinitione, & de secundùm se diffinitum est. Quoniam autem diffinitio ratio est, ratio autem partes habet, necesse & de parte erat considerare quæ substantiæ partes, & quæ non; & hæc diffinitioni opus sunt, ampliùs autem nec vniuersale substantia, nec genus. De ideis verò & Mathematicis posterius perscrutandum est; nam præter sensibiles substantias, quidam dicunt eas esse, nunc autem de confessis substantiis tractabimus; hæ verò sensibiles.

Continuatio.

Continuat dicta dicendis, quòd *quoniam* supple ostensum est in septimo *quod quid erat esse est substantia: huius autem ratio diffinitio est:* per diffinitionem enim exprimitur quod quid est rei, & *propter hoc de diffinitione & de secundùm se*, quatenus diffinitio constat ex prædicatis per se primo modo *diffinitum est*, scilicet ibidem in septimo, *quoniam autem diffinitio ratio est: ratio autem habet partes*; ideò *necesse erat considerare, & de parte*, id est, de partibus diffinitionis: *quæ*, scilicet sunt *partes substantiæ* diffinitæ; *& quæ non*: & si hæc, scilicet partes diffinitionis *diffinitioni opus sint*, id est, oporteat diffinire: vel secundùm aliam litteram, vtrùm eædem sunt partes diffinitionis & diffiniti: *ampliùs* supple ostensum est quòd *nec vniuersale, nec genus* sit *substantia*: hæc enim omnia prædicta pertractata sunt in septimo. Et subdit quantum ad dicenda, quòd *de ideis & Mathematicis*; quas supple quidam singulariter enunciauerunt esse substantias, *posterius perscrutandum est*, scilicet in decimotertio, & in decimoquarto, libris *nam præter sensibiles substantias quidam dicunt eas esse*, scilicet Platonici: *nunc autem*, scilicet statim *tractabimus de substantiis*, scilicet ab omnibus *confessis: hæ verò sunt sensibiles*, id est, naturales, vt sic ex notioribus ad minùs nota procedamus. Deinde cùm dicit:

Text. c. 3.
3

Sensibiles autem substantiæ omnes materiam habent, est autem substantia quæ subiicitur, aliter quidem materia, materiam verò dico quæ non hoc aliquid ens actu; potestate autem est hoc aliquid, aliquid verò ratio & forma, quia hoc aliquid ens ratio separabile est. Tertium verò est quod est ex his, cuius solius generatio & corruptio & separabile simpliciter, nam secundùm rationem substantiarum hæ quidem separabiles, illæ verò non.

Exequitur de intento. Circa quod duo facit: quia primò ostendit quòd materia & forma sunt principia substantiarum sensibilium. Secundò inquirit de ipsarum vnione adinuicem: Secunda ibi: *De dubitatione verò dicta*. Prima in duas: quia primò facit quod dictum est. Secundò determinat de eis sigillatim. Secunda ibi: *Oportet autem non ignorare*. Prima in duas: quia primò facit quod dictum est. Secundò concludit ex præmissis quòd diffinitiones perfectæ debent continere simul materiam & formam. Secunda ibi: *Et vt in substantiis quidem*. Prima in duas: quia primò probat quòd omnis substantia sensibilis habet materiam. Secundò probat hoc idem de forma. Secunda ibi: *Quoniam autem quæ quidem*. Prima in duas: quia primò declarat quid sit materia, diuidens eam contra alias acceptiones substantiæ, & cum hoc præmittit intentum. Secundò probat quod materia est principium omnium substantiarum generabilium & corruptibilium. Secunda ibi: *Quia verò substantia*. Primum autem ostendit ex hoc, quia substantia sensibilis non est materia, cùm sit actu; nec forma, cùm sit per se existens & separabilis realiter, & non solùm ratione sicut forma; ergo est tertium complectens materiam & formam. Dicit ergo, quòd *sensibiles substantiæ omnes habent materiam*; quatenus scilicet omnes sunt mobiles & per consequens habent materiam: *est autem substantia aliter quidem*, id est, vno modo *materia quæ subiicitur: materiam autem dico: quod non est hoc aliquid ens actu*, scilicet quantum est de se: *potestate verò est hoc aliquid*: materia enim est in potentia ad omnes actus formales: *aliter verò*, id est, alio modo dicitur substantia *ratio & forma, quia est hoc aliquid ens*, id est, ens actu, siue actus separabilis quidem à materia; licèt supple non realiter. *Tertium verò est quod est ex his*, scilicet compositum *cuius solius est generatio & corruptio*, scilicet per se: quia materia & forma non generantur nisi per accidens, ex 7. huius, & est *separabilis simpliciter*, id est, potens per se realiter existere separatim, & subdit: quòd *substantiarum secundum rationem*, id est, formarum: *hæ quidem sunt separabiles*, vt sunt formæ Mathematicæ, non quidem secundùm rem, sed secundùm rationem: *quædam verò sunt inseparabiles*, vt supple sunt formæ naturales: quæ vt sic nec secundùm rem, nec secundùm rationem separantur à materia, vt patet ex sexto huius, text. com. 4. Deinde cùm dicit:

Omnis substantia sensibilis particípat materiā.

Substantia triplex materia, forma & compositū.

Solius compositi est generatio & corruptio per se. 7. huius, Text. cō. 27 *Adde plura ne videatur implicatio hîc & parū ante.*

4

Quod verò substantia est materia palàm: nam in omnibus oppositis mutationibus est aliquid quod subiicitur mutationibus; vtputa secundùm locum; quod nunc hîc iterum & alibi: & secundùm augmentum quod nunc quidem est tantum, iterum minus aut maius: & secundùm alterationem, quod nunc quidē est sanum iterum ægrotat: similiter autem secundùm substantiam, quod nunc quidem est in generatione, iterum in corruptione: & nunc quidem subiectum & hoc aliquid, iterum autem quod subiicitur sic secundùm priuationem.

Materia est principium omnium substantiarum generabilium & corruptibiliū, & harum mutationum subiectum primum.

Probat quòd materia est principium omnium substantiarum generabilium & corruptibilium. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est. Secundò quia locutus fuit de mutationibus naturalibus comparat eas adinuicem. Secunda ibi, *Et hanc sequuntur*. Dicit ergo, quòd *quia substantia est materia*, id est, quòd materia sit principium substantiæ sensibilis & mobilis, *palàm* est: *nam n omnibus oppositis mutationibus*, id est, in omni mutatione, quæ est inter terminos oppositos *est aliquid quod est subiectum*, scilicet commune *mutationibus*, id est, terminis mutationum, *vt* in mutatione *secundùm locum*, est supple aliquod subiectum commune *quod nunc est hîc, & iterum alibi*,

Termini mutationũ substantialium. q.8. huius c. 12. 1. Physic. Tex. cõ. 69. *Modus cognoscendi materiam.*

alibi, & in mutatione *secundùm augmentum* est aliquod subiectum quod *nunc est tantum, & iterum minus* si supple diminuatur, *aut maius*, si augmentetur, & iterum *secundum alterationem* supple est aliquod subiectum *quod nunc est sanum & iterum laborans: similiter autem* & in mutatione *secundùm substantiam*, est supple aliquod cõmune subiectum, *quod nunc est in generatione, & iterum in corruptione*; materia enim est subiectum generationis & corruptionis: *& nunc quidem* supple materia *est subiectum hoc aliquid*, id est, est sub forma secundùm quam est actu, & hoc aliquid; *& iterum est subiectum secundùm priuationem*, materia enim nunc est sub forma, nunc est sub priuatione quæ sunt termini primi mutationis in substantia: mutatio enim fecit cognoscere materiam: quatenus nunc est sub vno termino, nunc sub alio: quod esset impossibile; nisi esset aliquod tertium à terminis realiter distinctum. Deinde cùm dicit:

Et hanc sequuntur aliæ mutationes: aliarum verò vt vnam aut duas, hoc non sequitur: non enim necesse, siquidem materia habet localem, hoc & generabilem & corruptibilem habere. Quæ enim differentia simpliciter fieri, & non simpliciter, in Physicis dictum est.

Ordo mutationum triũ generum.

Comparat adinuicem mutationes naturales de quibus fecerat mentionem dicens: quòd *hanc*, scilicet mutationem substantiæ, *sequuntur aliæ mutationes*: quicquid enim est generabile & corruptibile, oportet quòd sit alterabile & mutabile secundùm locum & secundùm quantitatem; sed non conuertitur, scilicet quòd mutatio in substantia sequitur ad omnes alias: aliquid enim est mobile secundùm locum, vt cœlum, & aliqualiter alterabile secundùm illuminationem & obscuritatem, licèt non sit vera alteratio, & tamen cœlum nec est generabile, nec corruptibile: ideò subdit, quòd *aliarum verò*, scilicet mutationum, *aut vnam*, scilicet secundùm locum; *aut duas*; puta si illuminatio est alteratio modo prædicto, *hæc*, scilicet mutatio in substantia non sequitur: *non enim est necesse si quid habet materiam localem*, id est, mobilem secundum locum, *hoc & generabilem & corruptibilem habere*, id est, subiectam generationi & corruptioni: materia enim est vtique generabilis & corruptibilis subiectiuè, vt declaratum fuit 7. huius, in quadam quæstione. Subdit autem, quòd *quæ sit differentia inter simpliciter fieri, & non simpliciter*, sed secundùm quid, *in Physicis* enim, id est, in 5. Physic. text. com. 7. idem 1. Physic. t.c. 62. *dictum est*: ibi enim dicitur quòd secundùm substantiam fieri est generatio simpliciter, sed secundùm accidens fieri est generatio secundùm quid: hoc autem addit, quatenus locutus fuerat tam de mutatione in substantia, quæ est generatio, & corruptio; quemadmodum de mutatione in accidentibus, vt sunt alteratio & mutatio secundùm locum, & secundùm quantitatem.

Al. quam.

SVMMÆ VNICÆ CAP. II.

Formam esse de substantia sensibilium, & diffinitiones complecti materiam, & formam.

SVMMARIVM.

Formam esse de substantia sensibilium. Reiicit Democritum ponentem corpora indiuisibilia, esse rerum principia, de quo lib. 2. Per differentias intelligit formas à quibus desumuntur, & quidem substantiales, licèt exempla ponat in accidentalibus.

T. com. 5. 6

QVoniam quidem vt subiecta, & vt materia substantia confessa est: hæc autem quæ potestate, reliquum eam quæ vt actus substantia sensibilium est dicere quid est.

Postquam Philosophus probauit materiam esse principium substantiarum sensibilium: nunc probat idem de forma. Circa quod duo facit; quia primò præmittit intentum. Secundò exequitur de intento. Secunda ibi: *Democritus quidem*. Dicit ergo, quòd *quoniam substantia*, quæ quidem est *vt subiecta, & vt materia confessa est*, supple ab omnibus antiquis, vt patet in primo libro, qui solam materiam dicebant esse substantiam omnium; *hæc autem*, id est, substantia, materia *est potestate*, id est, est ens in potentia: quia inquam sic est, *reliquum est, substantia sensibilium, quæ est vt actum*, id est, forma, *dicere quid est*. Deinde cùm dicit:

Democritus quidem igitur tres differentias simul esse existimauit, nam subiectum, corpus secundùm materiam, vnum & idem differt, aut ῥυσμῷ quod est figura, aut τροπῇ quod est compositio, aut διαθιγῇ quod est ordo.

Exequitur de intento. Circa quod duo facit: quia primò probat hanc conclusionem, quòd forma est principium essendi substantiarum sensibilium. Secundò remouet dubium, quod posset oriri ex prædictis, ibi: *Substantia quidem igitur*. In tota prima parte intendit talem rationem: Illud est principium essendi rebus, cuius distinctio, & variatio facit distinctionem in esse rerum: quia eadem sunt principia essendi, & distinguendi: sed forma est huiusmodi; ergo &c. Maior est per se euidens, & ideò circa probationem minoris insistit. Circa quod duo facit. Primò præmittit illius minoris prolixam probationem. Secundò concludit intentam conclusionem. Secunda ibi: *Palàm itaque ex his*. Circa probationem minoris sic procedit: quia primò recitat quandam opinionem de distinctione rerum, & improbat. Secundò ex illa improbatione infert minorem quam intendit. Secunda ibi: *Quare palàm*. Prima in duas; quia primò opinionem recitat: secundò eam improbat. Secunda ibi: *Videntur autem*. Dicit ergo, quòd *Democritus quidem igitur simul existimauit*, id est, opinatus est, tres, scilicet *esse differentias*, id est, quòd omnes differentiæ rerum ad tres in genere reducuntur: *nam corpus subiectum, & materiam dicit* supple esse *vnum, & idem secundùm naturam: differunt autem aut* ῥυσμῷ id est, *figurâ, aut* τροπῇ, *quod est potentiâ: aut* διαθιγῇ *quod est ordo*.

Quod forma sit principiũ essendi & distinguendi in substantiis sensibilibus.

Notandum, quòd, vt dictum fuit in primo huius,

Tripliciter

secundū Democriti differunt.

huius, opinio erat huius Democriti quòd corpora indiuisibilia & atoma essent rerum principia, quæ corpora ponebat in genere causæ materialis, & esse vnius naturæ quantum est de se: sed dicebat ea differre tripliciter, scilicet figurâ, quatenus quædam illorum atomorum ponebat triangularia, quædam sphærica, & huiusmodi. Alio modo differebant positione, quatenus quædam erant sursum, quædam deorsum, quædam ad dexteram, quædam ad sinistram. Alio modo differebant ordine, quatenus quædam eorum ponebat priora: quædam posteriora, & secundùm has differentias in atomis, volebat assignare differentias in rebus. Deinde cùm dicit:

7

Videntur autem multa differentia esse, vt alia quidem compositione dicuntur materia, sicut quæcunque mixtura, quemadmodum melicratum: alia autem ligatione, vt capitis ligatura: alia visco, vt liber: alia clauo, vt arca. Alia in pluribus horum: alia positione, vt liminare inferius, & superius: hæc enim in positione aliqualiter differunt: alia tempore vt cœna, & prandium; alia loco, vt spiritus: alia sensibilium passionibus, vt duritie, & mollitie; & spißitudine, & raritate; & siccitate, & humiditate. Et hæc quidem horum, in quibusdam: alia omnibus his, & omninò alia superabundantia, alia defectu.

Improbat Democritum. Varia rerum differentia, sed accidentales.

Improbat dictam opinionem, ostendens Democritum esse insufficientem, dicens quòd *videntur esse multa differentia in rebus*. quæ supple non reducuntur in prædictas, *vt alia quidem dicuntur compositione materia*, id est, differunt secundùm diuersos modos compositionis in partibus materialibus *sicut quæcunque mixtura*, id est, quòd quorundam partes materiales componuntur per modum mixtionis, *quemadmodum Melicratum: Alia ligatura, quæ*, scilicet aliquo vinculo colligantur, *vt ligatura capitis: alia visco, vt liber: alia* gompho, id est, *clauo, vt arca: alia pluribus horum* modorum prædictorum: *alia etiam* differunt *positione, vt liminare superius, & inferius: hæc namque positione aliqualiter differunt: alia tempore, vt prandium, & cœna:* prandium verò dicitur comestio matutina; cœna verò vespertina. *Alia differunt loco, vt spiritus*, id est, ventus: nam ventorum alius flat ab Oriente: alius ab Occidente, & sic de aliis. *Alia* differunt *sensibilium passionibus, vt duritie, & mollitie, & spissitudine, & raritate, & siccitate, & humiditate; & hæc quidem* supple differunt quidem *horum quibusdam: alia verò omnibus his*: secundùm quod habent plures, vel pauciores de differentiis prædictis, *& omninò*, id est, generaliter: alia differunt supple *superabundantia, alia* defectu, quatenus omnes prædictæ sensibiles passiones reducuntur secundùm antiquos ad superabundantiam & defectum, vt dicitur 1. Physic, text. com. 32. Deinde cùm dicit:

8

Quare palàm, quia, & esse toties dicitur: limes enim inferior est, quia ita ponitur, & esse sic ipsum poni significat, & crystallum esse sic ipsum inspissari. Quorundam verò esse, & omnibus his diffinietur; quia alia sunt mixta, alia complexa, alia ligata, alia inspissata, alia aliis differentiis iuncta, vt manus, aut pes.

Infert probationem minoris quam intendit. Circa quod duo facit: primò facit quod dictum est: secundò ponit quoddam notandum circa dictam. Secunda ibi: *Sumenda igitur*. Dicit ergo, concludens ex prædictis *quare* supple, quia dictæ differentiæ sunt rerum constitutiuæ, *palàm*, scilicet *quia esse*, scilicet rerum *toties dicitur* quoties supple dicuntur differentiæ: nam differentia constituit, & distinguit: *limes enim est inferior: quia ponitur ita, & ipsum sic poni significat esse*, id est, propriam ipsius rationem, *& similiter crystallum esse est ipsum sic inspissari: quorundam verò esse in omnibus his diffinietur*, id est, quod esse quarundam rerum differt dictis modis omnibus: *quia alia sunt mixta, alia complexa, alia ligata, alia inspissata, alia aliis differentiis sicut manus, & pedes, & similiter alia* partes, quæ habent suas proprias differentias, quibus differunt, puta secundùm quod ordinantur ad operationes animæ.

Differentia constituit, & distinguit.

Al. contemperata.

Notandum, quòd differentia sumitur à forma, & ideò quod hîc dicitur de differentiis, scilicet quod sunt principia distinguendi, & essendi, intelligendum est de formis: quia verò differentiæ specificæ substantiales sunt nobis vt plurimum ignotæ; ideò Philosophus non curans de exemplis exemplificat de differentiis accidentalibus, quæ sunt notiores, vt per eas intelligamus similiter se habere de differentiis, & formis substantialibus, quæ sunt nobis minùs notæ. Deinde cùm dicit:

Al. formalibus.

9

Sumenda sunt igitur genera differentiarum, hæc namque erunt principia essendi, vt quæ in magis, & minùs, aut spisso, & raro, & talibus: omnia namque hæc superabundantia, & defectus sunt, siquidem, autem figura, aut lenitate, aut asperitate, aut recto, aut curuo: his autem erit esse misceri, opposite verò non esse.

Notabile circa dicta.

Al. differentiarum.

Ponit quoddã notabile circa dicta, dicens, quòd quia supple differentiæ, & formæ rerum constituunt, & distinguunt esse rerum. Ad maiorem euidentiam dictorum *sumenda sunt genera differentiarum:* reducendo, scilicet posteriores differentias ad priores & communes: *hæc namque*, scilicet genera *erunt principia essendi* in toto illo genere, *vt* supple in differentiis *quæ sunt in magis, aut minùs, aut spisso, & raro, & aliis talibus, omnia namque hæc sunt superabundantia, & defectus* ad quæ reducuntur: *similiter* siquidem, *aut figura, aut lenitate, aut asperitate*, id est, si quæ pertinent ad huiusmodi: *aut recto, & curuo*, id est, reducuntur ad rectum, & curuum quæ sunt primæ differentiæ figuræ, & adhuc *his autem erit esse misceri: opposita verò non esse*, id est, quòd etiam aliæ reducuntur ad mixtum ex eo, quòd quædam sunt, quorum esse consistit in quodam misceri, & non esse eorum opposito, scilicet non misceri. Deinde cùm dicit:

Dantur genera & species in differentiis.

Palàm itaque ex his, quia si substantia causa essendi vnumquodque, quod ex his est quærendum quæ est causa essendi horum vnumquodque.

Concludit

Conclusio.

Concludit conclusionem principaliter intentam, dicens, *palàm itaque esse ex his:* quia *si substantia*, id est, forma; & differentia substantialis *est causa*, id est, est principium *essendi vnumquodque quod ex his est, quærendum quæ est causa essendi horum vnumquodque:* quia, scilicet illud est forma essentialis rei. Deinde cùm dicit:

Substantia quidem igitur nihil horum nec combinatum; attamen proportionale in quolibet.

10 *Excludit dubium.*

Remouet dubium, quod posset oriri ex prædictis: quia enim loquendo de formis, scilicet de differentiis solùm exemplificauerat de accidentalibus, crederet fortè aliquis, quòd ea, quæ dicta sunt non essent vera de differentiis, siue formis substantialibus, & hoc remouet dicens quòd *nihil quidem* igitur *horum quæ* dicta sunt, est *substantia nec combinatum*, i. affine: quod scilicet sit aliquod pertinens ad genus substantiæ: *attamen proportionabile in quolibet*, id est, quòd ea quæ dicta sunt de accidentalibus, intelligendum est proportionabiliter sic se habere in substantialibus. Et est expositio Commentatoris, qui in isto loco dicit sic: *manifestum est ergo*, &c, id est, cùm nomina & diffinitiones sunt per has differentias, & istæ differentiæ sequuntur formas substantiales entium: manifestum est, quòd formæ substantiales sunt secundùm numerum istarum differentiarum: & dicit hoc, quia istæ differentiæ dictæ sunt accidentia; sed accipiuntur loco differentiarum substantialium propter latentiam differentiarum substantialium. Hæc Commentator. Hoc etiam dictum fuit in quodam notabili. Tunc sequitur illa pars:

In exemplis quærenda est proportio & non idẽtitas. c. 5. circa medium.

SVMMARIVM.

Diffinitiones complecti materiam & formam: materias diuersas, formas habere diuersas: solos eos diffinire, qui materias & formas, aut his æquiualentia coniungunt.

11

ET vt in substantiis id quod de materia prædicatur, est actus ipse, sic & in aliis diffinitionibus maximè, vt si limen inferius oporteat diffiniri, lignum, aut lapidem, ita positum dicemus, & domum lateres, & ligna sic posita: aut adhuc, & quod cuius causa in quibusdam est, si verò crystallum aquam congelatam, aut spissatam, ita in symphonia, aut acuti, & grauis commixtio talis. Eodem quoque modo, & in aliis.

Hinc argumentum de inclusione quiditatiua materiæ in quiditate materialium.

Vbi postquam Philosophus probauit materiã, & formam esse principia substantiarum sensibilium: ostendit ex dictis, quòd diffinitiones perfectæ debent complecti simul materiam, & formam; vnde Commentator dicit hic, cap. 6. in principio, quòd Philosophus intendit declarare quòd partes compositi sunt partes diffinitionis, & quòd diffinitiones perfectæ sunt illæ quæ continent omnes partes ex quibus est compositum, & hæc est forma, & quod est in ente quasi materia. Circa quod duo facit: quia primò concludit ex prædictis quod dictum est, & explanat per exempla: secundò infert quædam corollaria. Secunda ibi: *Palàm ergo.* Dicit ergo, quòd *vt in substantiis*, quemadmodum *de materia prædicatur, ipse actus*, id est, quòd *sicut* in genere Substantiæ differentia quæ se habet, vt actus, & forma, aduenit generi, quod se habet vt materia ad constituendum perfectam diffinitionẽ rei: *sic se habet maximè in diffinitionibus* aliorum generum: *vt si est opus diffinire limen inferius, dicemus ipsum esse lignum aut lapidem sic positum:* ita quòd lignum, aut lapis, se habet vt materia, & talis positio se habebit, vt forma: & similiter si sit opus diffinire *domum, dicemus* quòd *est lateres, & ligna sic posita:* ita quòd lateres, & ligna se habent vt materia, & positio talis se habet vt forma. Et addit, *aut adhuc, & cuius causa*, finis est *in quibusdam* diffinitionibus: aliquando enim finis à quo dependet necessitas formæ, ponitur in diffinitione rei. Subdit etiam alia exempla ad propositum: *si verò*, supple oportet diffinire, *crystallum, dicemus* ipsum esse *aquam ita congelatam, aut inspissatam*, ita quòd aqua est vt materia, & modus congelationis vt forma: similiter diffiniendo *symphoniam dicemus*, quòd symphonia est talis *commixtio acuti, & grauis*, ita quòd acutum & graue sunt vt materia; & talis commixtio acuti, & grauis vt forma: *eodem quoque modo est in aliis.*

Per formam & materiam materialia diffinienda sunt proportionaliter.

Crystallus quid?

Symphonia quid?

Notandum, quòd cùm Philosophus dicit quòd ipse actus, id est, forma, prædicatur de materia, vel differentia de genere, non est intelligendum de prædicatione in abstracto, dicente, hoc est hoc, cùm sit omninò alterius rationis; sed est intelligendum de prædicatione denominatiua, eo modo quo animal dicitur rationale, & sic addendo differentiam generi, quasi formam materiæ, constituitur perfecta rei diffinitio. Deinde cùm dicit:

Forma de materia, vel differentia de genere qualiter prædicatur.

12

Palàm itaque ex his, quia actus alius alterius materiæ, & ratio: aliorum enim compositio aliorum mixtio, & aliorum aliud quid dictorum.

Infert ex prædictis duo corollaria, quorum secundũ ponitur ibi: *Propter quod diffinientium.* Dicit ergo, quòd *palàm* est *ex his*, quæ dicta sunt, *quia alius actus, & ratio*, id est, forma est alterius *materiæ:* nam diuersarum materiarum diuersæ sunt formæ: *aliorum enim* supple actus & formæ est *compositio, aliorum est mixtio, aliorum aliud quid dictorum* suprà. Deinde cùm dicit:

Primum corollarium.

Variatur actus ad variationẽ materiæ licet nõ sẽper ècontra.

Propter quod diffinientium hi quidem dicentes, quid est domus: quia lapides, lateres, & ligna potestate domum dicunt: materia namque hæc. Illi verò vas protectiuum pecuniarum, & corporum, aut aliud aliquid tale addentes, actum dicunt. Alÿ namque ea ambo componentes tertiam, & eam quæ ex his substantiam: videtur enim quæ quidem per differentias ratio speciei, & actus esse: quæ verò est inexistentibus materiæ magis. Similiter autem, & quos Archytas approbauit terminos, simul enim vtriusque sũt, vt quid est serenitas? quies in aëris pluralitate: aër quidem materia: actus, & substantia quies, quid est tranquillitas? maris æquitas. Subiectum quidem vt materia, mare: actus autem, & forma æquitas.

Ponit

Secundum corollarium.

Ponit secundum corollarium, dicens *propter quod* supple quia ita est, quòd in diffinitione vnũ se habet, vt actus, aliud vt materia; *ideò hi quidem diffinientium dicentes quid est domus, quia,* scilicet *lateres lapides, & ligna potestate domum dicunt: hæc namque sunt vt materia,* id est, quòd diffinientes rem per solam materiam insufficienter diffiniunt: quia talis diffinitio non notificat rem, nisi quantùm ad esse possibile, & non vt habet esse actu: *illi verò,* id est, alij diffinientes domum quòd est *vas protectiuum pecuniarum, & corporum, aut aliquod alíud tale addentes,* scilicet in diffinitione domus *actum,* id est, formam *dicunt tantùm*; & ideò insufficienter diffiniunt: *alij verò complectentes ea ambo,* scilicet materiam & formam, tertiam substantiam, *& eam quæ ex his,* id est, *substantiam* compositam diffiniunt, & ideò perfectè diffiniũt. Et subdit, quòd ratio, id est, diffinitio *quæ quidem est ex differentiis tãtùm: videtur esse speciei,* id est, formæ, *& actus:* quia solùm exprimit formam rei: *quæ verò est inexistentibus,* id est, ex partibus intrinsecis & materialibus rei: etiã *magis materiæ:* ex eo, quia solùm exprimit rei materiã: licèt autẽ tã materia, quàm forma sint partes inexistentes: tamen appropriatè dicitur materia inexistens, quatenus ipsa sic diffinitur: quod est ex qua res fit cùm insit, ex 5. huius cap. de Causa, text. com. 2. & 4. Subdit autem, quòd *similiter* se habent termini, id est, diffinitiones *quos Archytas* recepit *vel approbauit: vtriusque etenim sunt,* scilicet tam materiæ quàm formæ: quia vtrumque complectuntur, *vt, quid est serenitas: quia est quies in äëris pluralitate,* id est, in multo aëre: quia si paucus aër, puta inclusus in ore quiescat: non propter hoc dicitur esse serenitas, & in hac diffinitione *aër quidem est, vt materia: substantia autem, & actus,* id est, forma, est ipsa *quies:* similiter si diffiniatur *tranquillitas,* dicendo quòd *est maris æquitas; subiectũ quidẽ vt materia est mare, actus autẽ, & forma ipsa æquitas.* Ex his ergo patet quòd prædicta diffinitio complectitur materiam, & formam: propter hoc enim laudatur hic Archytas. Vltimò cùm dicit:

Rectè illi diffiniunt qui materiam & formam, vel his proportionabilia coniungunt.

Äëris serenitas quid?

Maris tranquilitas quid?

Palàm itaque ex dictis quæ sit sensibilis substantia, & quomodo hæc quidem vt materia: illa verò vt forma, & actus; tertia autem quæ ex his.

Nota hoc loco tertiam entitatem. Epilogus.

Concludit totum præcedens, dicens *palàm esse ex prædictis, quæ sit sensibilis substantia, & quomodo est hac vt materia: illa verò vt forma quia actus.* Tertiò *verò quæ ex his,* id est, substantia composita ex vtrisque.

SVMMÆ VNICÆ

CAP. III.

Non formam, sed compositum per se generari, item solam formam non esse totam rei quiditatem.

SVMMARIVM.

Tractat quomodo secundùm Platonem nomen species significat ideam, seu formam separatam per se primò, & secundariò compositum. Sed secundùm ipsum species per se primò significat compositum.

14 Text.com.7.

Oportet autem non ignorare, quia aliquando latet vtrùm significet nomen substantiam compositam, aut actum, & formam; vt domus vtrùm signum communis, quia tegmentum ex lateribus, & lapidibus sic compositis, aut actus & speciei, quia tegmentum: & linea; vtrùm dualitas in longitudine? aut quia dualitas: & animal, vtrùm quia materia anima in corpore; aut anima hæc namque substantia, & actus corporis alicuius,

Postquam Philosophus probauit quòd materia, & forma sunt principia substantiarum sensibilium: nunc determinat de materia, & forma sigillatim, & vniuersaliùs quàm priùs. Circa quod duo facit: quia primò determinat de forma. Secundò de materia. Secunda ibi: *De materiali autẽ substantia.*

Plato attribuit ideis siue formis 4. proprietates.

Ad euidentiam primi notandum, quòd hîc Philosophus inquirit de forma iuxta ea quæ Plato posuit de forma. Plato quidem præcipuè visus est tangere principium formale rerum: posuit autem formas rerum esse ideas & numeros: secundùm hoc ergo hæc pars diuiditur in duas: quia primò inquirit Philosophus de forma in comparatione ad ideas, vel species. Secundò in comparatione ad numeros. Secunda ibi: *Palàm autem.*

Ad euidentiam etiam primi notandum, quòd Plato posuit quatuor de formis, siue ideis. Primum est, quòd nomina specierum, siue idearum, significant tantùm formam, & non formam cum materia. Secundum est, quòd forma est aliquid præter partes materiæ: ponebat enim formas separatas. Tertium est, quòd forma est ingenerabilis, & incorruptibilis. Quartum est (quod idem est cum secundo) quòd scilicet formæ sunt à sensibilibus separatæ. Secundùm ergo hoc, hæc pars diuiditur in quatuor. Primò enim inquirit vtrùm nomen speciei significet solam formam, vel compositum ex materia & forma. Secundò vtrùm forma sit aliquid præter partes materiales. Tertiò vtrùm formæ rerum sint ingenerabiles, & incorruptibiles. Quartò vtrùm sint separatæ à sensibilibus. Secunda ibi: *Non videtur itaque.* Tertia ibi *Necessarium itaque.* Quarta ibi: *Si autem sunt corruptibilium.* Prima in tres: quia primò proponit quæstionem. Secundò subiungit Platonicam solutionem. Tertiò exponit quæstionis intentionem, puta mentem Platonis. Secunda ibi: *Erit autem vtique.* Tertia ibi: *Sed hoc ad aliquid.* Dicit ergo, quòd *oportet non ignorare:* quia *aliquando* supple latet aliquos, *vtrùm nomen* scilicet speciei *significet substantiam compositam aut actum & formam tantùm;* vt hoc nomen *domus vtrùm sit signum communis,* id est, significet ipsum commune compositum: *quia tegmentum ex lateribus, & lapidibus sic compositis:* quia lateres, & ligna se habent vt materia: sed tegmẽtum, & ipse modus compositionis tegmenti est vt forma: aut supple dictum nomen sit signum *actus & speciei,* id est, formæ, puta quòd significet tantùm ipsum

An nomine speciei significetur tãtùm forma?

ipsum *tegmentum: iterum vtrùm linea sit dualitas in longitudine*, id est, quòd significet dualitatem in longitudine: aut *quia dualitas tantùm*, id est, vtrùm significet dualitatem tantùm: & vtitur hoc exemplo modo Platonico, qui posuit numeros formas in magnitudine: ita quòd linea nihil aliud sit quàm dualitas in longitudine: sic quòd dualitas sit forma, & longitudo materia lineæ. Est ergo quæstio vtrùm hoc nomen *linea* significet tantùm dualitatem quasi formam: aut dualitatem in longitudine, quasi formam in materia: iterum hoc nomen *anima* quid significet: *quia aut animam in corpore*, id est, formam in materia: *aut animam*, id est, formam tantùm: *hæc namque*, scilicet anima *est substantia & actus* substantialis, id est, forma *corporis alicuius*, puta corporis Physici organici. Deinde cùm dicit:

15

Erit autem vtique, & in vtrisque animal, non vt vna ratione dictum; sed quasi ad vnum.

Solutio Platonica nomen primò significare formā & compositū secundariò.

Ponit Platonicam solutionem quæ stat in hoc, quòd cùm forma separata sit tota substantia rei secundùm eum; ideò nomen per prius significat formam, & secundariò compositum: dicunt enim Platonici quòd homo qui est compositus ex materia, & forma, dicitur participatione hominis idealis, qui est forma tantùm; & ideò nomen dicitur de vtrisque non æqualiter; sed secundùm prius, & posterius, & secundùm quandam analogiam, & attributionem: & hoc est quòd dicit, quòd *animal*, id est, hoc nomen animal *erit vtique & in vtrisque*, scilicet de animali ideali quod est tantùm forma; & de animali composito *non vna ratione dictum; sed quasi ad vnum*, scilicet secundùm attributionem modo præexposito. Deinde cùm dicit:

T. c. 8.

Sed hæc ad aliquid aliud quidem conferunt: ad quæstionem verò substantiæ sensibilis nihil: nam quod quid erat esse speciei, & actui competit, nam anima, & animæ esse idem, hominis verò esse, & homo non idem, nisi & anima homo dicatur. Sic autem alicui quidem, alicui verò non.

Intentionem quæstionis declarat.

Exponit quæstionis intentionem, ad quid scilicet tendit quæstio, & est sententia ista, quòd ad propositum de substantia sensibili, de qua nunc agitur, nihil valet ista quæstio secundùm mentem Platonis: quia in quibusdam, scilicet in formis simplicibus idē est *quod quid est* cum eo cuius est: sed non in compositis, pro quanto compositio includit materiam, quæ est extra rationem *quod quid est*, & quiditas secundum opinionem eius: nam quiditates ponebat puras formas: si ergo nomen solam formam significat erit *quod quid est* idem cum eo cuius est: nam per nomen significatur id cuius est: si autem nomen significet compositum, non erit idem *quod quid est* cum eo cuius est: & hoc est quod dicit; *sed hæc* supple quæ nunc dicta sunt *ad aliquid aliud quidem differunt, ad quæstionem verò substantia sensibilis nihil*, modo præexposito. Et subdit ad quid tendit quæstio secundùm mentem Platonis: *nam quod quid erat esse*, existit, scilicet idem *speciei & actui*, id est, formæ, *nam anima, & animæ esse*, id est, animæ quiditas *idem: homini verò esse*, id est, quiditas hominis cōpositi, *& homo non sunt idem nisi, & anima homo dicatur*, scilicet secundùm opinionem Platonis: *sic autē alicui* est supple idem, *quod quid est*, puta ipsi principaliter formæ: *alicui verò non*, puta composito ex materia, & forma secundùm opinionem Platonis.

De identitate quod quid est cum eo cuius est secundum Platonem.

16

Notandum, quod istam quæstionem de significato nominis, Philosophus non prosequitur nisi Platonicè, nec ipse hîc exprimit suam intentionem. Vnde sciendum quòd ad quæstionem aliter dicendum esset secundùm viam Platonis, & aliter secundùm viam Aristotelis, nam secundùm Platonem respondendum est, vt suprà ibi: *Erit autem vtique.* Sed secundùm Aristotelem, dicendum est quòd nomen speciei significat compositum ex materia, & forma: cuius ratio est, quia ratio quam significat nomen est diffinitio ex 4. huius, t. c. 28. essentia autem speciei, & diffinitio includit materiam, & formam, vt patet ex prædictis; ergo nomen significat compositum ex materia, & forma. Confirmatur, quia illud est per nomen significatum quod per intellectum intelligitur: quia rebus intellectis nomina imponuntur; sed *quod quid est* rei est obiectum intellectus, ex tertio de Anima, & *quod quid est* rei est compositum ex materia, & forma, ex 7. huius, & ex hoc eodem octauo, ergo nomen speciei significabit compositum.

Al. Itaque

Solutio q. secundum Philosophum.

Nomen significat rei essentiam.

Vide 1. di. 4.

SVMMARIVM.

Sententia Platonis solam formam esse totam rei quiditatem, reiicitur, quia forma est pars, ergo non tota substantia.

N*On videtur itaque quærentibus, syllaba ex elementis, & compositione, nec domus lateres, & cōpositio, & hoc rectè, non enim compositio, & mixtio ex his est quorum est compositio, & mixtio. Similiter autem nec aliorum quicquam, vt limen positione, non ex limine positio, sed magis hoc ex illa. Nec itaque homo est animal, & bipes; sed aliquid oportet esse quod præter hoc est, si hoc materia, neque autem elementum, neque ex elementis, sed substantia, quod auferentes materiam dicunt.*

Inquirit de secundo, vtrùm scilicet forma sit aliquid præter partes materiales. Circa quod duo facit: quia primò ponit circa hoc Platonicam opinionem. Secundò tangit eius improbationem. Secunda ibi: *Si ergo hæc causa.*

17

Ad euidentiam primi notandum est, quòd cum Plato poneret formas rerum separatas; ideò dicit formam esse aliquid, præter partes materiales, ita quòd syllaba non erit composita ex literis, quæ sunt partes materiales, & ex compositione, quæ est forma, tanquam compositio esset elementum, vel pars materialis sicut literæ; & similiter de aliis compositis; ideò dicit, quòd si homo componitur ex animali, & bipede, vt ex partibus materialibus, quòd homo erit aliquid præter animal, & bipedem, nec erit elementum, nec ex elementis: quia forma non est ex elementis, puta compositio, vel mixtio non est ex his partibus materialibus, quarum est compositio, vel mixtio; sed est aliquid præter eas, & hoc ideò dixit, quia à quiditate rei omninò materiam auferebat: dicit ergo,

Forma est aliquid præter partes materiales secundum Platonem.

non videtur itaque quærentibus, id est, Platonicis mouentibus istam quæstionem, quòd *syllaba* sit ens *ex elementis, & compositione*: ita quòd compositio, quæ est forma syllabæ sit elementum eius sicut literæ: *nec* supple videtur eis quòd *domus* sit *lateres, & compositio*, vt supple domus constituatur ex his quasi ex partibus materiæ, *& hoc rectè* supple dicunt positâ eorum opinione, *non enim compositio, & mixtio ex his quorum est compositio, & mixtio* supple constituitur, *similiter* autem *nec aliorum* nihil: quia omnem formam ponunt præter partes materiæ, *vt liminare* supple inferius constituitur *ex positione*, quæ est eius forma: non autem è conuerso *positio ex liminari*; *sed magis hæc*, scilicet materialia sunt *ex illa*, id est, ex forma: *nec itaque homo est anima, & bipes* si ponatur quòd animal, & bipes sunt materia hominis *sed aliquid oportet esse quod præter hoc est*, id est, quòd homo erit aliquid aliud præter *hoc quod est materia* hominis, *nec autem* supple homo erit *elementum, nec ex elementis*, sed substantia, id est, compositio vt forma: *quod dicunt*, scilicet Platonici *auferentes materiam* à rebus. Deinde cùm dicit:

18

Si ergo hæc causa ipsius esse, & substantia hoc, ipsam vtique substantiam non dicent.

Impugnatio dicti Platonicorum immediatè præcedentis.

Tangit dictæ opinionis improbationem, quæ stat in hoc, quòd si sola forma est substantia tota, & quiditas rei; ergo compositum ex materia & forma non erit illa substantia: quia tunc quiditas & forma erit quædam pars, pars autem vt sic non dicit totam substantiam compositi; vnde dicit, quòd *si ergo hæc*, scilicet forma est *causa ipsius esse substantiam*, id est, principium essendi, sequitur quòd *hoc*, id est, particulare compositum ex materia & forma, *ipsam vtique substantiam non dicent*, scilicet Platonici.

SVMMARIVM.

Contra Platonem formas esse generabiles & corruptibiles, sed non per se, quia compositum tantùm per se generatur, de quo c. 7. huius, tex. 27. & ibi fusè q. 10. reiicit Platonem ponentem formas separas adducens contra eum dictum Antisthenis negantis diffinitionem, quia ponebant quiditates rerum simplices, sed reiicit vtrumque.

NEcessarium itaque hanc, aut sempiternam esse, aut corruptibilem, sine corrumpi; aut factam esse, sine fieri. Monstratum autem est, & declaratum in alius, quia speciem nullus facit, nec generatur; sed efficitur hoc, fit autem quod ex his.

Non sempiternas vt voluit Plato sed generabiles, & corruptibiles cũ Arist. materiales formas esse.

Inquirit de tertio vtrùm, scilicet, formæ rerum sint ingenerabiles, & incorruptibiles, & ponit vnam distinctionem: cuius prima pars est secundùm opinionem Platonicam: secunda verò secundùm opinionem Aristotelis, & hæc secunda est tenenda tanquam vera. Dicit ergo, quòd *necessarium est itaque hanc*, scilicet formam *aut esse sempiternam*, vt dicebat Plato ponens formas rerum esse sempiternas, & à materia separatas; *aut esse corruptibilem sine corrumpi, & factam esse*, id est, generatam *sine fieri*, id est, generari, & hæc est sententia Philosophi, qui ponit formas in materia generabiles, & corruptibiles, non per se, sed per accidens; ideò subdit: *demonstratum autem est, & declaratum*, scilicet in septimo, quia speciem, id est, formam, nullus facit, nec generatur, scilicet per se, sed hoc, id est, compositum ex materia, & forma: causa huius ostensa est in 7. Deinde cùm dicit:

19

Si autem sunt corruptibilium substantiæ separabiles nondum est palàm.

Formæ sunt separatæ secundum Platonem.

Inquirit de quarto vtrùm, scilicet formæ sint à sensibilibus separatæ. Circa quod duo facit: quia primò præmittit opinionem Platonis: secundò ponit eius impugnationem. Secunda ibi: *Attamen quia quorundam.* Dicit ergo, quòd *si substantiæ*, id est, formæ *separabiles sunt corruptibilium*, id est, rerum corruptibilium, vt dicebat Plato, *non est palàm.* Deinde cùm dicit:

Attamen quia quorundam non contingit, palam quæcumque non possibile est præter ipsa alia esse, vt domum, aut vas.

Impugnatio apparens tãtùm.

Ponit dictæ opinionis impugnationem. Circa quod duo facit: quia primò ponit quandam impugnationem apparentem, & excludit eam: secundò impugnationem veram ibi: *Quare dubitatio.* Prima in duas: quia primò eam ponit: secundò eam excludit. Secunda ibi: *Forsan quidem igitur.* Dicit ergo, quod licèt supple Plato ponat formas rerum corruptibilium separatas: *attamen quia quorundam*, scilicet corruptibilium *non contingit* supple formas esse separatas, *palàm est, quæcunque*, scilicet *non est possibile præter ipsa*, scilicet materialia, *esse alia vt domum, aut vas*: quia scilicet impossibile est formam domus, aut vasis, esse à sua propria materia separatam. Deinde cùm dicit:

T.c.2.

20

Forsan quidem igitur, nec substantiæ sunt; nec aliud ipsa hoc, nec aliquid aliorum quæcunque non natura constituta sunt, naturam enim solam vtique quis ponet eorum, quæ in corruptibilibus substantiam.

Impugnatio impugnationis.

Excludit istam impugnationem, dicens quod *forsan quidem igitur, nec ipsa*, scilicet formæ quæ dictæ sunt, *nec aliorum quæcunque non sunt natura*, id est, per naturam *constituta*, id est, nullum aliorum artificialium, *nec sunt substantiæ, nec aliquid*, scilicet per se existens; & ideò separari non possunt: *solam enim naturam*, id est, formam naturalem *ponit vtique quis substantiam eorum*, id est earum formarum *quæ* sunt *in corruptibilibus.*

Tota substantia artificialium est eorũ materia.

Plato formas non posuit artificialium.

Notandum, quòd formæ artificiales sunt accidentia; ita quòd tota substantia artificialium est eorum materia: nihil enim habet rationem substantiæ in ipsa arca, nisi lignum ex quo fit: formæ autem naturales sunt de genere substantiæ; & ideò Plato solas formas substantiales posuit esse separatas à materia, propter quod quia impugnatio prædicta procedebat de artificialibus, scilicet quòd forma domus, aut vasis non sit à materia separata; ideò non vadit contra Platonem: quia hoc ipsum ipse concedit; igitur illa impugnatio fuit solùm apparẽs, non existẽs. Deinde cùm dicit:

Quare dubitatio quam Antisthenici, & sic indocti dubitauerunt, habet tempus quoddam

quod

quod non est ipsum, quid est diffinire; terminũ enim rationem esse longam, sed quale quid est contingit dicere, sicut argentum quidem quid est non, quia aut quale, stannum.

Impugnat positionem Platonis de separatione formarum.

Arguit existenter contra Platonem, Circa quod duo facit: quia primò inducit contra Platonem rationem Antisthenis: secundò soluit quoddam falsum suppositum in ratione: secunda ibi: *Quare substantia.*

21

Vide Doct. in 8.d.1.q.2. in solutione princ.

Ad euidentiam autem huius, notandum est, quòd Antisthenes posuit omnes quiditates rerum esse simplices, & ex hoc negauit diffinitionem totaliter à rebus; quia diffinitio est oratio longa: si ergo quiditas sit simplex, non poterit exprimi per diffinitionem; vnde dixit, quòd si alicuius rei diffinitio assignetur, illa non indicabit quid rei, sed quale, id est, simile: vt si dicatur, quod argentum diffinitur; illa diffinitio non indicat quid sit argentum, sed alipuid simile, puta stannum, & sic de aliis. Iam rationem inducit Philosophus contra Platonem: nam Plato non negauit diffinitionem à rebus, & tamen posuit res illas simplices, quarum ponebat esse diffinitiones, scilicet quiditates separatas. Dicit ergo: *quia si* supple ponantur formæ separatæ, vt dicebat Plato, *dubitatio quam dubitauerunt Antisthenici, & sic indocti,* id est, licèt in hoc videantur indocti *habet tempus quoddam* supple contra Platonem: *quia non est ipsum quid est diffinire:* hæc enim fuit dubitatio illorum, quòd nihil contingat diffinire diffinitione dicente *quid est* rei: cuius causam subdit: quia *terminum*, id est, *diffinitionem oportet esse rationem longam:* nam omnis diffinitio habet partes ex 7. huius, t. c. 33. & ideò supple si assignetur aliqua diffinitio, non indicabit quid est, *sed quale quid est contingit dicere*, id est, cui aliquid est simile *sicut argentum quidem quid est non* supple indicabit eius diffinitio si detur; sed *quia aut quale* quid sit, puta *stannum* aut aliquid huiusmodi. Deinde cùm dicit:

Positio Antisthenis diffinitionem negantis.

Diffinitio est oratio longa.

Quare substantiæ est quidem cuius contingit esse terminum, & rationem, vt compositæ, siue sensibilis fuerit, siue intellectualis: primorum autem ex quibus hoc, non est siquidem aliquid de aliquo, significat ratio diffinitiua: & oportet hoc quidem vt materiam esse, illud verò vt formam.

Antisthenem impugnat.

Excludit suppositum Antisthenis, ostendẽs quòd quiditates rerum non sunt simplices, sed compositæ, & ita potest de eis diffinitio assignari, dicens *quare* supple ad soluendum dubitationem Antisthenis, oportet dicere quòd *substantia* est quidem cuius contingit *esse terminum, & rationem*, id est, diffinitionem, puta *compositæ: siue* ista substantia fuerit *sensibilis, siue intellectualis:* omnis enim substantia diffinibilis necessariò est composita. Et subdit quòd ea *primorum ex quibus: hec*, scilicet substantia composita, vel diffinitio constituitur, *non est*, id est, non cõtingit diffiniri: quia aliter esset processus infinitus in diffinitionibus, & ideò quia talia, ex quibus primò componuntur diffinitiones, sunt simplicia, ideò non contingit ea diffiniri: cuius causam subdit: *siquidem* pro quia, *ratio diffinitiua significat aliquid de aliquo, & oportet hoc quidem vt materiam: illud verò, vt formam esse:* omnis enim diffinitio complectitur genus, quod se habet, vt materia; & differentiam, quæ se habet vt forma, quæ respondent duabus rebus, vel saltem duabus realitatibus ex parte diffiniti: quarum vna est materialis, & alia formalis. Ex quibus patet, quòd si species rerum essent formæ simplices, vt ponebat Plato, earum non contingeret diffinitionem esse, vt patet ex prædictis.

Diffinitio arguit compositionem diffiniti.

In diffinitionibus est status ad non diffinibilia.

Diffinitio significat aliquid de aliquo.

Diffinitio includit materiam, & formam.

SVMMÆ VNICÆ
CAP. IV.

Quo pacto substantiæ numeri dici possint.

SVMMARIVM.

Forma comparatur numero, secundùm quatuor cõuenientias, quas benè Doctor, & consequenter illud axioma quod hic habetur, *formæ sunt sicut numeri*, de quo 2.d.3.q.7. ad tertium. Impugnat Doctor opinionem D. Thomæ de vnitate numeri & suam clarè ponit, de qua vide eum. 1.d. 24.& 3 d.22.num.18.

Cap. 4. T.c.10.

22

Forma simplex non est diffinibilis.

Ad hunc tex. est q. 2. lib. 8.

PAlàm autem, & quia si sint aliqualiter numeri substantiæ, sic sunt, & non sunt, vt quidam dicunt vnitatum mulitudo: nam diffinitio numerus quidam est, diuisibilis est enim, & in indiuisibilia, non enim infinitæ rationes, numerus autem tale.

Postquam Philosophus determinauit de forma per comparationem ad species, siue ideas, nunc determinat de ea per comparationem ad numeros.

Numerus & forma conueniunt quadrupliciter.

Et nota, quòd hîc Philosophus loquitur de forma prout dicitur de substantia, & de quiditate rei expressa per diffinitionem, quæ est forma totius: quam Plato posuit simplicem, & à sensibilibus separatam. Circa quod quatuor facit, secundùm quod comparat quiditates rerum ad numeros secundùm quatuor conuenientias, quarum prima sumitur penes formam, & numeri diuisibilitatem: secunda penes eorum immutabilitatem: tertia penes eorum per se vnitatem: quarta penes eorum inuariabilitatem. Secunda ibi: *Et quemadmodum nec à numero.* Tertia ibi: *Et numerorum oportet.* Quarta ibi: *Quemadmodum nec numerus.* Dicit ergo, quòd *palàm est, quasi substantiæ*, id est, quiditates rerum *sint aliqualiter numeri, sic sunt*, scilicet sicut potest haberi ex prædictis, *& non vt quidã dicunt*, scilicet Platonici, quòd sunt supple *numeri vnitatum: nam diffinitio* indicans quiditatem rei *est quidam numerus*, qui *est diuisibilis in indiuisibilia: non enim rationes*, id est, diffinitiones sunt *infinitæ: numerus autem* aliquid *tale*, scilicet quòd est diuisibilis in indiuisibilia.

Vide in 2. d. 3.q.7.

Prima conuenientia formarum, & numerorum.

Notandum, quòd duplex est numerus, vt potest haberi 4. Physic. c. de tempore, scilicet numerus quo numeramus, id est, numerus simpliciter, & absolutè sumptus: qui hîc nominatur numerus vnitatum. Alius numerus est applicatus ad res, qui potest dici numerus rerum, puta numerus decem lapidum, vel hominum. Quiditates ergo rerum si aliqualiter sunt numeri non erunt numeri vnitatum, sed rerum; quatenus diffinitio indicans quiditatem rei est diuisibilis in duo:

Numerus alius vnitatum, alius rerum.

duo: quorum vnum est vt materia, & aliud est, vt forma; & ista diuisio diffinitionis assimilatur diuisioni numeri: nam sicut diuisio numeri non procedit in infinitum; sed stat ad aliqua indiuisibilia, puta ad vnitates: sic & diuisio diffinitionis: nam diffinitiones non procedunt in infinitum. Exemplum vt si diffinitio hominis diuidatur in aliqua duo, puta in animal, & rationale sicut *a* & *b* & iterum *a* diuidatur in *c* & *d* stabitur aliquando ad aliqua indiuisibilia: nam in causis materialibus, vel formalibus non contingit procedere in infinitum ex 2. huius, t.c. 5. & inde, propter quod diuisio hominis assimilatur diuisioni numeri, & non diuisioni continui; quod potest procedere in infinitum. Deinde cùm dicit:

Ad hũc tex. est. q. 3. lib. 8.

23

Et quemadmodum nec à numero ablato aliquo, aut addito, ex quibus numerus est, non adhuc idem numerus est, sed alter, quamuis minimum auferatur, aut addatur, sic nec diffinitio, nec quod quid erat esse, nec adhuc erit ablato aliquo, aut addito.

2. *Conuenientia.*

Ponit secundam conuenientiam, dicens, quòd *quemadmodum, nec à numero ablato aliquo, aut addito, ex quibus est numerus, non adhuc est idem numerus, sed alter: quamuis quantumcunque minimum addatur, & auferatur: sic nec diffinitio, nec quod quid erat esse non adhuc erit*, supple idem *ablato aliquo aut addito.*

Notandum hanc conuenientiam in hoc stare, quòd sicut est in numero quòd quantumcunque magna, vel parua pars numeri addatur, vel subtrahatur à numero, statim variatur species numeri: patet enim quòd addita vnitate quæ est minimum in numero ipsi ternario, statim fit quaternarius, & sublata fit binarius: quæ sunt aliæ species à numero ternario, sicut inquam est in numero, sic est in quiditate, & diffinitione rerum. Exemplum, substantia animata sensibilis est quiditas, siue diffinitio hominis: si verò subtrahatur ly *sensibile* statim constituitur quiditas, siue diffinitio plantæ. Ex quo patet quòd quiditas specifica rei in indiuisibili consistit. Deinde cùm dicit:

Quiditates sicut & numeri consistunt in indiuisibili.

Et numerum oportet esse aliquid quo vnus: quod nunc non habent dicere, quo vnus siquidem est vnus; aut enim non est; sed vt aceruus, aut siquidem est dicendum quid, quod est faciens vnum: ex multis & diffinitio vna est, similiter autem neque hanc habent dicere, & hoc meritò accidet: eiusdem enim rationis, & substantia, vnum ita, sed non, vt dicunt quidam, vt vnitas quædam existẽs, aut punctum, sed ἐντελέχεια, & natura vna quædam.

3. *Conuenientia.*

Ponit tertiam conuenientiam, dicens quòd numerum *oportet esse aliquid quo vnum*, id est, per se vnum quod *nunc non habent dicere* si numerus *est vnus, quo sit vnus* illi, qui scilicet sic loquuntur de numero, scilicet sic ac si numerus non sit per se vnus: *aut enim* supple *non est* simpliciter vnus, sed quædam aggregatio, cùm scilicet componatur ex multis vnitatibus: aut *si est* vnus, scilicet simpliciter, *dicendum quid est faciens ipsum* numerum *vnum ex multis* vnitatibus, quod ipsi dicere non possent: numerus ergo est aliquid per se vnum; alioquin non esset per se in genere, & similiter *diffinitio est vna*, supple per se: *similiter autem nec hoc habent dicere*, quia scilicet diffinitio sit vna, illi scilicet qui negant ipsam per se vnam, *& hoc meritò accidit*: quia *eiusdem est rationis quod substantia*, id est, quiditas quam significat diffinitio, est ita *vnum* per se, sicut numerus; *sed non* supple quiditas rei est vna, *vt vnitas quædam existens, aut punctus, vt quidam dicunt*, scilicet quòd sit vna & indiuisibilis, sicut vnitas, vel punctus; *sed vna* quæque, scilicet quiditas rei est *natura quædam & entelechia*, id est, actus quiditatiuus, compositus ex materia; & forma.

Al. hanc per se vnitas cõuenit quiditatibus & diffinitionibus & numeris proportionabiliter.

Notandum, hanc conuenientiam stare in hoc, quòd sicut est numerus per se vnus, & non est vnus sicut aceruus, sic & quiditas rei, siue diffinitio, est per se vna, sicut ostensum est 7. huius cap. de Vnitate diffinitionis, t.c. 42. & inde ex eo, scilicet quia differentia cõparatur ad genus, vt actus proprius ad proprium perfectibile, & potentiam. Sed occurrit vnum dubium à qua vnitate numerus sit vnus formaliter. Dicitur à quodam expositore, quòd numerus est vnus ab vltima vnitate: ita quòd omnes aliæ sunt partes materiales: sola autem vltima est formalis, & completiua omnium aliarum; vt sicut diffinitio est vna ab vltima differentia specifica, sic numerus fit vnus ab vltima vnitate. Sed contra hoc: quia 5. huius, capit. de Toto, t.c. 31. dicitur quòd in quibuscunque positio non facit differentiam in substantia, vel in figura, ibi dicitur omnis, & non totum, & exemplificat in liquidis, & numeris; ergo si prima vnitas fiat vltima, & è conuerso, nulla fiet differentia in substantia numeri, quod esset impossibile secundùm te: quoniam vltima vnitate mutata, cum sit per te specifica, & formalis, fieret alia forma, & per consequens alius numerus. Vel formatur sic, quia si sic; ergo vltima vnitate mutata mutabitur substantia numeri; consequens est falsum, tum quia est contra Aristotelem vbi suprà: tum quia per solam mutationem relationis ordinis fieret aliud, & aliud absolutum, quod est falsum: consequentia patet ex prædictis. Præterea omnes vnitates constituentes numerum possunt esse æquè primæ natura & tempore, puta si multa indiuidua eiusdem speciei simul crearentur: quæro ergo quare vna earum est vltima natura, quod non habes dicere. Si dicas quòd vltimò accipitur à numerante. Contra: quia possum facere è conuerso, & erit prima quæ fuerat vltima. Præterea forma est formaliter in materia, alioquin non fieret vnum per se ex eis: si tantùm esset iuxtapositio earum: sed vltima vnitas non est formaliter in aliis vnitatibus; igitur non est forma aliarum. Dicendum ergo aliter quod in numeris est considerare vnitatem in duplici genere: quia quædam sunt vnitates materiales, ex quibus materialiter integratur, & est vnitas à qua numerus, puta quinarius est vnus numerus specie: hæc autem vnitas est sua forma specifica, vel passio consequens formam; sicut homo est vnus sua forma, vel vnitate consequente, vt passio suam formam: hæc autem vnitas non ponit in numerum cum quinarij vnitatibus quinque materialibus: quia non est materialis; & hæc vnitas est totalis à qua dicitur totum denominatiuè vnum, & in secundo modo dicendi per se: hæc autem vnitas propria quinarij est innominata: similiter est in aliis speciebus numerorum. Deinde cùm dicit:

24 *Diffinitio est oratio longa, tamen est vna.*

Dubium de vnitate numeri.

Opinio D. Thomæ refutatur.

Vide 24. d. 1. Parisiensis.

Opinio propria: vnitas numeri duplex.

Vide in q. 5. huius q 9.

Et

25 *Et quemadmodum nec numerus habet magis, aut minus: nec quæ secundùm speciem substantia, sed siquidem quæ cum materia. De generatione quidem igitur, & corruptione dictarum substantiarum, quomodo contingit, & quomodo impoßibile, & de reductione ad numerum, sit vsque ad hoc determinatum.*

4. *Conuenientia.* Ponit quartam conuenientiam dicens, quòd *quẽadmodum numerus nec habet magis nec minus; sic nec substantia secundùm speciem*, id est, natura, siue quiditas specifica; sed siquidem talis supple substantia habet magis, aut minùs *quæ cum materia*. Vult dicere, quòd licèt natura specifica, vt sic, nec suscipiat magis aut minùs: tamen cum materia, id est, contracta ad esse indiuiduale, & materiale potest suscipere magis, & minùs. Vltimò epilogat circa determinata, dicens quòd *vsque ad hoc sit determinatum de generatione, & corruptione dictarum substantiarum*, scilicet formalium *quomodo contingit*: quia scilicet per accidens generantur, & corrumpuntur, *& quomodo est impoßibile*, scilicet eas generari, & corrumpi: quia per se iterum dictum est *de reductione earum ad numerum* secundùm conuenientias prædictas.

Qualiter quiditates suscipiunt magis, & minus.

Epilogus.

Notandum, quòd ex dictis patet, quòd istæ similitudines non intelliguntur de forma, quæ est pars, sed de forma totali, quæ est essentia rei: quia hoc probant omnes similitudines: non enim forma partis resoluitur in diuisibilia, nec diffinitur quoad primam: nec ei aliquid additur inquantum forma: quia respectu additi fieret materia, quoad secundam: nec vnitas formæ est ab aliquo alio ab ipsa, sicut vnitas numeri est ab aliquo alio præter vnitates, quoad tertiam. Nec valet dicere, quòd forma non recipit magis secundùm speciem, id est, secundùm formam, quoad quartam similitudinem.

Quod de forma totius, & non partis intelligi debent dictæ comparationes.

SVMMÆ VNICÆ
Cap. V.

SVMMARIVM.

Quomodo variæ sint materiæ (nempe secundæ) variarum rerum, & quomodo sint plures materiæ eiusdem.

T.c.11. **D***E materiali autem substãtia oportet non latere: quia etsi ex eodem omnia primo, aut eisdem, aut primis, & eadem materia, vt principium his quæ fiunt, est tamen aliqua propria cuiuslibet,, vt phlegmatis est prima materia dulcis, aut crassa; choleræ verò amara, aut alia quædam: forsan autem ex eodem.*

26

Sermo de materia. Postquam Philosophus determinauit de forma per comparationem ad ideas, & ad numeros: hìc determinat de materia. Circa quod duo facit: quia primò determinat de materia modo determinatiuo: secundò modo dubitatiuo. Secunda ibi: *Habet autem dubitationem.* Prima in tres: quia primò inquirit de materia per comparationem ad ea quæ fiunt ex materia: secundò per comparationem ad alias causas: tertiò vtrùm materia vniformiter sit in omnibus sensibilibus. Secunda ibi: *Contingit autem.* Tertia ibi: *In naturalibus quidem.* Prima in duas: quia primò inquirit, vtrùm omnium sit vna materia, vel plures: secundò quomodo è conuerso sunt plures materiæ vnicæ. Secunda ibi: *Fiunt autem.* Dicit ergo, quod *de materiali autem substantia oportet non latere: quia si* pro quamuis, *omnia sint ex eodem primo* principio materiali, puta ex prima materia, *aut ex eisdem vt primis*, scilicet principiis materialibus; vt si sint plures primæ materiæ, puta quatuor elementa, quæ communiter ponuntur principia materialia rerum generabilium, & licèt *sit eadem materia, vt principium his quæ fiunt*: quod dicit quatenus materia non solùm est principium quantum ad esse, sed etiam quantum ad fieri: licèt inquam ita sit, *tamen est aliqua propria cuiuslibet, rei, vt phlegmatis est propria materia*, id est, proxima, & disposita ipsa *dulcis aut crassa*: ex eo, scilicet quod talia habent quandam similitudinem cum phlegmate ratione humiditatis: *cholera verò* supple propria materia *sunt amara, aut quædam alia ex eo*, scilicet quia amara ratione superabundantis caloris consumentis humiditatem sunt calida, & sicca, & ratione huius habent cum cholera similitudinẽ, & propinquitatẽ; & subdit quòd *forsan* hæc, scilicet duo amara, & dulcia *ex eodem*, id est, sunt ex aliquo vno primo principio materiali; omnes enim materiæ proximæ resoluuntur in vnam primam, quæ est valde primum, & proprium subiectum generationis, & corruptionis, vt dicitur primo de Generatione & corruptione, t.c.1. & inde. Deinde cùm dicit;

Comparat materiam ad materiata.

An omnium sit vna materia.

Materia proxima phlegmatis quæ?

Materia proxima cholera quæ?

Etsi vniuersale omnium materialium sit vna prima materia propinquã tamen sunt varia variorũ.

Fiunt autem plures materiæ eiusdem; quando alterius altera fuerit, vt phlegma ex crasso, & dulci, si crassum ex dulci: ex cholera verò per resolui choleram in primam materiam: dupliciter enim hoc ex hoc; aut quia principiũ erit; aut quia ex resoluto in principium.

Ostendit quomodo è conuerso sunt plures materiæ vnius, dicens quòd *eiusdem fiunt plures materiæ* quando se habent ordinatè *quod altera est* materia *alterius, vt phlegma ex crasso, & dulci, & crassum est ex dulci*: crassum enim, siue pingue, cùm sit sapor medius, vt patet lib. de Sensu, & Sensato, habet fieri ex extremis, quæ sunt dulce, & amarum: est ergo iste ordo quod phlegma est ex crasso siue pingui: crassum autem est ex dulci, & sic eiusdem, scilicet phlegmatis erunt duæ materiæ ordinatæ, scilicet crassum, & dulce, quorum alterum est materia alterius; addit autem quòd *ex cholera* supple dicitur aliquid fieri, *per resolui choleram in primam materiam. Dupliciter autem fit hoc ex hoc: aut quia primum erit, aut quia ex resoluto in principium.*

Eiusdem possunt esse plures materiæ.

Nota propriã opinio. Doct. de elementis respectu mixti.

Notandum, sicut ostensum fuit in 7. huius: quòd duplex est processus naturæ: vnus compositiuus, & alius resolutorius: secundũ primũ processum fit aliquid ex illo quod est primũ naturaliter in via generationis; & hoc modo fiunt principiata ex principiis, & composita ex simplicibus: & sic cholera fit ex prima materia: secundùm autem processum alium fit aliquid ex illo quod est vltimum in via generationis: & hoc modo sunt principia ex principiatis, & simplicia ex compositis: vnumquodque enim resoluitur in ea ex quibus

Processus naturalis est duplex.

quibus componitur, & hoc modo ex cholera dicitur fieri primum principium materiale per resolutionem in illud principium materiale.

SVMMARIVM.

Contingit fieri diuersa ex eadem materia, non prima, sed secunda, qua ex agente diuersitas rerum oritur: de quo vide 4 d.43.q 3 §.3 opinio nu.9. & 1.d.4. q 4. explicat quomodo respondendum quærenti causam, per singula causarum genera.

Contingit autem vna materia existente fieri diuersa propter mouentem causam, vtputa ex ligno, & arca, & lectus: quorundam verò altera materia ex necessitate alteris existentibus, vt serra non vtique fiet ex ligno, nec in mouente causa hæc: non enim faciet serram ex lana, aut ligno: si ergo idem contingit ex alia materia facere.

T.c.12.

Palàm, quia ars, & principium quod est vt mouens idem: nam si, & materia altera, & mouens, & quod factum est.

28 *Comparat materiam ad alias causas.*

Determinat de materia per comparationem ad alias causas, & primò per comparationem ad agẽs tantùm: quæ quidem comparatio est secundùm quod materia est principium generationis. Secundò per comparationem ad omnes causas generaliter, prout materia est principium cognitionis. Secunda ibi: *Quando itaque aliquis.* Dicit ergo, quòd *vna materia existente contingit fieri diuersa propter mouentem causam:* vel quia supple est alia, & alia causa mouens: vel quia eadem causa mouens potest ex eadem materia facere diuersa. Primo modo est in actione naturali. Secundo modo est in actione artificiali, & de hoc secundo membro exemplificat tantùm dicens *vt puta ex ligno* supple fit ab artifice arca, & *lectus:* subdit etiam quòd *quorundam verò ex necessitate est altera materia ipsis existentibus alteris*; ita quòd diuersitas rerum non solùm est ex parte agentis; sed & ex parte materiæ: non dico primæ materiæ: quia ista est vna omnium; sed materiæ proximæ: non enim quodlibet est natum fieri ex qualibet materia, *vt serra non ex ligno vtique fiet: nec in mouente causa hæc*; id est, quia non est in potestate artificis vt hoc fiat: nunquam enim eandem materiam attribuit cuilibet operi: *non enim faciet serram ex lana, & ligno:* quia etiam materia talis propter sui mollitiem non est apta ad opus serræ, quod est diuidere, & secare dura. Ex hoc colligitur ista conclusio, quòd diuersitas rerum est ex mouente & ex materia: licèt non semper ambo concurrant. Sùbdit autem, quòd *si igitur contingit facere idem ex alia, & alia materia sicut* scyphum ex ligno, & argento, *palàm quia ars, & principium quod est mouens,* oportet esse *idem: nam si materia est altera, &* similiter *mouens,* id est, agens est alterum: *& quod factum est,* id est, effectus, supple erit necessariò diuersus. Ex hoc habetur alia conclusio, quòd identitas effectus est ex identitate efficientis, & materiæ; licèt identitas vtriusque non semper necessariò concurrat; si autem vtrunque sit diuersum & effectus erit diuersus.

Vide. 1. d. 4. q 4.

Identitatis effectus est ex identitate efficientis & materiæ vel alterius tantum.

Vide. 43. d. 4. q 3.

Notandum, quòd hanc partem ideò Philosophus introducit: quia priùs dixerat quòd vna est materia prima omnium. Ex quo forsan aliquis dubitaret qualiter ex vna materia contingit fieri res diuersas: nam antiqui naturales tollentes causam agentem, attribuebant hæc fieri à casu, ponentes ex vna materia fieri diuersa per raritatem, & densitatem, vt patet in primo huius: t.c.43. & inde, ad quod remouendum ostendit hîc Philosophus quòd diuersitas in rebus euenit ex causa efficiente, & etiam ex materia non prima: sed proxima, vt patet ex prædictis. Deinde cùm dicit:

Diuersitas in rebus euenit ex causa efficiente.

A.1.2.Phy.

29

Quando itaque aliquis quæsierit quid causa? quoniam pluribus modus dicuntur causæ, omnes oportet dicere causas contingentes, vt hominis, quæ causa vt materia? equidem menstrua. Quid autem vt mouens? equidem sperma. Quid vt species? quod quid erat esse. Quid vt cuius causa? finis; forsitan autem hæc ambo idem.

Agit de materia per comparationem ad alias causas, prout materia est principium cognitionis. Circa quod tria facit: quia primò ostendit quòd ad quæstionem de causa oportet respondere omnes causas. Secundò quales causas oportet respondere. Tertiò epilogat circa dicta. Secunda ibi: *Oportet autem proxima:* Tertia ibi: *Circa naturales.* Dicit ergo, quòd *quãdo itaque quis quæsierit quid causa,* id est, quid sit causa alicuius; *quoniam pluribus modis dicuntur causæ, oportet dicere,* id est, respondere *omnes causas contingentes,* id est, quæcunque contingunt esse causæ illius rei, cuius causa quæritur: quod dicit quatenus non omnia habent omnes causas: verumtamen naturalia, & maximè generabilia, & corruptibilia habent omnes causas, vt si quæratur, *quid sit causa hominis vt materia,* dicendum *equidem quod menstrua: quid autem mouens,* id est, causa efficiens, *equidem sperma: quid verò vt species,* id est, forma, equidem *quod quid erat esse,* id est, propria quiditas, siue forma hominis: *quid* autem *vt cuius causa, est finis.* Subdit autem quòd *forsan hæc ambo,* scilicet finis, & forma coincidunt in *idem* numero ex 2. Physicorum, t.c. 70. dicit autem *forsan:* quia non omnis finis coincidit in idem numero cum forma rei, puta finis extrà: vel etiam finis intrà, qui est operatio immanens, puta felicitas: sed est verum de fine generationis quæ est forma geniti. Deinde cùm dicit:

Hinc argumentum contra negantes materiam pertinere ad quod quid est rei materialis.

Finis duplex & prius adhuc duplex.

Oportet autem proximas causas dicere quæ materia, non ignem, aut terram, sed propriam.

Ostendit quales causas oportet respondere: quia scilicet proximas. Dicit ergo, quòd *oportet dicere,* id est, respondere supple ad quæstionem quærentem quid sit causa rei, *proximas causas:* vt si quæratur quid *sit materia* supple hominis, non debemus respondere *ignem, aut terram,* quæ sunt materia communis omnium generabilium & corruptibilium, *sed propriam* materiam, puta quòd materia hominis est corpus organicum sic vel sic complexionatum.

Materia duplex.

Notandum, quòd cognitio rerum dependet ex cognitione causarum: sicut igitur per causas primas,

Causa & cognitio rei duplex.

primas, & remotas habetur cognitio rei, sic per causas proximas habetur cognitio rei,& perfecta, & imperfecta: & ideò ad habendum perfectam notitiam de re, non solùm cognoscere oportet causas primas & remotas, sed etiam causas proprias,& propinquas. Deinde cùm dicit:

Epilogus.

Circa naturales quidem substantias,& generabiles necesse sic versari, si quis rectè versatur. Si profectò hæ causæ, & tot, & oportet causas cognoscere.

Scire est rerum causas cognoscere.

Epilogat circa dicta, dicens quod *circa substantias naturales,& generabiles necesse est sic versari*,vt dictum est,*si quis rectè versatur*, vt si omnes eius causæ proximæ assignentur: *si* pro quia: *profectò hæ sunt causæ,& tot*,vt prædictum est: *& oportet causas cognoscere*, supple ad habendum notitiam rei:tunc enim vnumquodque scire arbitramur,cùm cognoscimus eius causas.

SVMMARIVM.

Tangit an materia cœlestium, si datur, sit eiusdem rationis cum materia sublunarium:Doctor 2.d.14.q.1.ostendit iuxta ipsum talem materiam non dari,eamque secundùm veritatem datam,esse eiusdem rationis cum materia sublunarium de quo benè tradit etiam q. 15. de Anima. Accidens non habere materiam ex qua, tripliciter probatur: de quo Doctor hîc, quæst. 1.

30

IN naturalibus quidem sempiternis, aut substantiis alia ratio: forsan enim quædam non habent materiam, aut non talem; sed solùm secundùm mobilem.

An omnium sensibilium sit materia eiusdem rationis.
Qualiter sit materia in cælestibus.

Postquam Philosophus quæsiuit de materia per comparationem ad ea quæ fiunt ex materia,& per comparationem ad alias causas: nunc inquirit vtrùm materia vniformiter sit in omnibus sensibilibus. Circa quod duo facit:quia primò inquirit quomodo materia sit in substantiis sempiternis. Secundò quomodo in accidentibus. Secunda ibi: *Nec quæcunque itaque.* Dicit ergo, quòd *in substantiis naturalibus, & sempiternis*, vt sunt corpora cælestia, *alia ratio est*, id est, quòd aliter est materia in illis quàm in substantiis generalibus,& corruptibilibus: *forsan enim quædam*,scilicet substantiæ sempiternæ, *non habent materiam; aut* si habent, *non talem*, quæ sit subiecta generationi & corruptioni,*sed solùm mobilem secundùm locum:*corpora enim cælestia licèt non sint mobilia secundùm substantiam; sunt tamen secundùm locum: quia igitur transmutatio fecit cognoscere materiam;ideo eo modo habent materiam quo sunt transmutabilia: quod quomodo sit intelligendum dicetur infrà in quæstionibus. Deinde cùm dicit;

Auerr. hic.

Ad hũc text. est, quæ. 1. lib.8.

Nec quæcunque itaque natura quidem,non substantia verò,non est his materia, sed quod subiicitur substantia, puta quæ causa eclipsis, quæ materia,non enim est,sed Luna quod patitur, quæ causa, vt mouens; & corrumpens lumen? terra.

Tex. cõ. 13.

Quod autem cuius gratia, forsan non est. Quod verò vt species? ratio, sed non manifesta,si non concausa fuerit ratio,vt quid eclipsis priuatio luminis. Si verò addatur à terra in medio obiecta,etiam concausa ratio hæc. Somni verò non manifestum quid primum patiens, sed quod animal etiam primum, verum hoc secundùm quid, & quid est primum, cor an aliud aliquid, deinde à quo, deinde quid passio,quæ illius,& non totius, quia immobilitas talis vtique,sed hoc per aliquid pati quod primum.

Materiata alia ex qua alia in qua.

31

Inquirit quomodo materia sit in accidentibus. Circa quod tria facit. Primò ostendit quòd accidentia non habent materiam *ex qua*,sed *in qua*, & hoc modo inductiuo: secundò ostendit idem modo probatiuo: tertiò concludit quandam conclusionem ex prædictis. Secunda ibi: *Quoniam verò sine generatione.* Tertia ibi: *Nec omnis rei.* Dicit ergo, quòd supple non solùm substantiæ sempiternæ non habent materiam;sed *nec quæcunque,natura quidem,* id est,secundùm naturam sunt *non substantia verò*, id est, non tamen sunt substantia,sed supple accidentia,*non est in his*, scilicet materia ex *qua*, *sed quod subiicitur substantia*, id est,quòd habent materiam in qua scilicet substantiam,quæ subiicitur accidentibus, & pro tanto dicitur materia accidentium; puta si quæratur, *quæ est causa eclipsis vt materia* non enim est assignare *nisi subiectum*, scilicet *Lunam quæ est subiectum quod patitur*,scilicet talem passionem. Causa autem *quæ est vt mouens*,id est efficiens, & corrumpens lumen est *terra*,scilicet interposita inter Solem,& Lunam existentem in capite, & in cauda Draconis: *quod autem cuius causa*, id est, causa finalis:*forsan non est:* cuius causa assignatur:quia illa,quæ dicunt defectum in natura non sunt propter finem,nec videntur intenta à natura;sed eueniunt,vel ex defectu naturæ, vel causæ agentis,vt habetur 2. Physic. tex. com.81. & circiter. Dicit autem *forsan*, quia difficilis est consideratio causarum circa ea, quæ contingunt in motibus cælorum. Et subdit:*quod verò vt species*, id est,causa formalis eclipsis,*est ratio*, id est, diffinitio eius; *sed illa ratio non est manifesta*, *si ratio illa fuerit cõcausa*,idest,nisi causa eclipsis exprimatur in eius diffinitione,vt *quid est eclipsis*:si dicatur quòd *priuatio luminis:* hæc erit diffinitio, siue causa:*si verò addatur*,quòd est priuatio luminis,*à terra in medio obiecta*, id est, interposita: *hæc ratio erit quasi concausa*, & tunc eius diffinitio erit magis manifesta. Ponit etiam aliud exemplum in accidente, quod est *somnus*, dicens, *non est manifestum quid sit primum patiens*,id est,primum subiectum *somni*,*sed quod animal*,supple sit subiectum somni *verum est*. verùm pro sed,*secundùm quid primum*, id est, *primo* hoc, id est, somnus insit animali, *& an quidem tale primum sit cor:vel aliquid aliud tale*, scilicet non est manifestum. *Deinde*, supple videndum est, *à quo*, scilicet sit somnus vt à causa agente: vtrùm scilicet ab euaporatione alimenti, vel ab alio huiusmodi. *Deinde*, supple oportet considerare,*quid sit hæc* supple *passio*,scilicet somnus: quæ scilicet est passio,*illius*, cui primò inest, *& non totius*, scilicet animalis cui primò non inest;

In accidentibus non est materia ex qua,sed in qua.

Eclipsis quid.

Al.manifestum est.

inest quia vtique somnus est quædam *talis immobilitas : sed hæc* supple competit animali, *per pati aliquid quod est primum*, scilicet subiectum talis mutationis. Ex prædictis patet quòd eclipsis, & somnus, & similiter alia accidentia non habent materiam ex qua, sed solùm in qua, quod est ipsum primum subiectum eorum, quod debet poni in eorum diffinitione.

Somnus quid sit & subiectum quo & quod eius atque efficiens.

Notandum, quòd sicut habetur lib. de Somno & vigilia, somnus est passio animalis; non tamen animal est primum subiectum eius; sed aliqua pars animalis, cui primò inest somnus, & per illam conuenit toti animali eo modo quo dicimus, quòd hoc est intelligens per intellectum, cui primò conuenit intelligere, & per intellectum conuenit toti homini; illa autem pars, cui primò conuenit somnus non est manifestum quæ sit, vtrùm cor, vel cerebrum, vel aliquod aliud: quia de hoc sunt opiniones; somnus autem, vt ostenditur alibi suprà, est quædam immobilitas, vel quies partis sensitiuæ animæ; nam in somno perfecto omnes sensus quiescunt, & cessant ab operatione sentiendi. Deinde cùm dicit;

Tex. cō. 14

Quoniam verò quædam sine generatione, & corruptione sunt, & non sunt, vt puncta siquidem sunt, & totaliter species, & formæ: non enim album fit; sed lignum album, aut ex aliquo, & aliquid, omne quod fit, fit. Non omnia vtique contraria fient ex inuicem, sed aliter albus homo ex nigro homine, & album ex nigro.

32

Ostendit quòd accidentia non habent materiam *ex qua* modo probatiuo, & intendit talem rationem: Illud quod non est per se generabile, & corruptibile, non habet materiam *ex qua*: quia omne tale generatur ex materia, & corrumpitur in materiam; sed accidentia sunt huiusmodi, ergo accidentia non habent materiam *ex qua*. Minorem huius rationis ostendit, dicens quòd *quoniam quædam sunt, & non sunt sine generatione, & corruptione*, id est, sine hoc, quod ipsa per se generentur, siuè corrumpantur: manifestum supple est ex præcedentibus; & exemplificat vt *siquidem sunt puncta & totaliter*, id est, generaliter *species, & forma* quæcunque sint: *non enim album*, supple *fit per se sed lignum album:* cuius causam subdit: quia omne quod fit, fit *ex aliquo*, quod est materia, *& fit aliquid*, scilicet ad quod generatio terminatur, & illud est forma, ex quo habetur *quod omne quod* per se fit est compositum ex materia, & forma, & ideò puræ formæ per se non fiunt. Vnde subdit, non vtique *omnia contraria fiunt ex se inuicem; sed aliter fit homo albus ex nigro homine:* quia scilicet per se, *& aliter album ex nigro*, quia scilicet per accidens. Vult dicere, quòd cùm dicitur contraria fieri ex se inuicem: aliter se habet in compositis, & in simplicibus: quia ex homine nigro fit homo albus, quod est quoddam compositum, & ita per se fit; sed ex nigro fit per accidens album, quod significat solam formam: quia forma non fit per se, sed per accidens.

Nota vbique de generatione accidentium.

Solius compositi est per se generatio, & corruptio.

Nomine concreti accidētalis dū propriè & significatiuè per se sumitur intelligit Philosophus formam accidentalem.

Sed videtur quòd ista ratio Philosophi sit circularis: nam suprà in septimo tex. com. 27. & circiter, probatum est accidentia, & formas quascunque non per se generari, eo quòd non habent materiam ex qua generentur; hîc verò probatur è conuerso quòd accidentia, & formæ quæcunque non habent materiam *ex qua*, eo quòd per se non generantur.

Respondeo quòd non est inconueniens demonstrare circulariter secundùm aliud genus demonstrationis, immò nec tunc est propriè circulus, vt ostensum fuit 5. huius capit. de Causa in quadam quæstione. Potest ergo dici quòd prima ratio posita in septimo est *propter quid*, & à priori: hæc autem secunda est *quia*, & à posteriori: sic enim demonstratur effectus per causam, & *propter quid*, & causa per effectum *demonstratione quia*, sine aliquo inconuenienti. Deinde cùm dicit:

Nec omnis materia est; sed quorum generatio est & transmutatio adinuicem. Quæcunque autem sine transmutatione sunt, aut non, non est horum materia.

Concludit quandam conclusionem ex prædictis, dicens, quòd *nec est materia omnis rei, sed* istorum, *quorum est generatio, & transmutatio adinuicem*, scilicet per se: *quæcunque autem sunt, & non sunt sine transmutari*, scilicet per se vt sunt accidentia, & aliæ quæcunque formæ, *horum non est materia*, vt prædictum est. Tunc sequitur illa pars:

Concludit ex prædictis quorum est materia ex qua.

SVMMARIVM.

Duo dubia; primum, quomodo materia se habet ad contraria: secundum, quare vinum non est materia aceti, & viuens mortui: agitur de regressu à priuatione ad habitum, quod benè explicat Doctor.

Habet autem dubitationem quomodo ad contraria materia vniuscuiusque se habet, vt si corpus potentia sanum; contrarium verò infirmitas sanitatis, tunc ambo potentia. Et aqua potentia, & vinum, & acetum.

33

Vbi determinat de materia modo dubitatiuo. Circa quod mouet duas dubitationes, quarum secunda ponitur ibi: *Dubitatio autem quædam.* Prima in duas: quia primò præmittit dubitationem: secundò addit solutionem. Secunda ibi: *Aut huius quidem.* Dicit ergo, quòd *habet dubitationem quomodo materia vniuscuiusque se habet ad contraria:* vtrùm scilicet æqualiter, & æquè primò *corpus sit in potentia sanum*, & infirmum: *nam contrarium infirmitati est sanitas*, tunc supple, vt videtur, ipsum corpus est *in potentia ambo*, supple æqualiter: sanitas est quædam æqualitas humorum, & infirmitas quædam inæqualitas: videtur autem quòd æqualitas, & inæqualitas æquè primò, & æqualiter respiciant subiectum: similiter *aqua* est *in potentia vinum & acetum:* nam vinum, & acetum sunt contraria, & aqua est materia eorum; sicut etiam omnium humidorum: quare videtur eadem ratione qua priùs quòd sit æqualiter in potentia ad vtrumque. Deinde cùm dicit:

1. Dubium.

Sanitas & infirmitas quid?

Aqua humidorū materia.

Aut huius quidem secundùm habitum, & secundùm speciem materia, illius verò secundùm priuationem, & corruptionem præter naturam.

Ponit dictæ dubitationis solutionem, dicens, quòd

Solutio.

quòd supple non est ita:sed *aut huius quidem*,scilicet vini magis est *secundùm habitum*, & *secundùm speciem: illius* verò scilicet aceti *secundùm priuationem*, & *corruptionem præter naturam*, vult dicere quòd forma vini se habet, vt habitus quidem & species, sed forma aceti vt priuatio, & corruptio vini; & sic materia priùs respicit ipsum vinum quàm acetum, & sic comparatur ad acetum vino mediante; sicut etiam materia prius semper respicit habitum quàm priuationem. Deinde cùm dicit:

Quamuis aqua sit materia communis vini, & aceti non tamen est æquè primò in potentia propinqua ad vtrumque.

Dubitatio autem quædam emergit, & quare vinum non materia aceti, nec potentia acetum, quamuis ex ipso fiat acetum, & viuens potentia mortuus:

2. Dubium. 34

Ponit secundam dubitationem. Circa quod tria facit: quia primò præmittit dubitationem: secundò addit solutionem: tertiò infert quandam conclusionem. Secunda ibi: *Aut non*. Tertia ibi: *Et quæcunque itaque*. Est ergo *dubitatio* ista: *quare vinum non est materia aceti, nec in potentia acetum*, & *quare viuens non est* supple *materia mortui, & in potentia mortuus*: vt scilicet vinum ordinetur ad acetum, & viuum ad mortuum, sicut potentia ad actum. Ratio huius dubitationis quam tangit Philosophus, est, quia scilicet illud ex quo aliquid, videtur esse materia illius, eo modo quo lignum ex quo fit statua, dicitur materia statuæ: cùm igitur ex vino fiat acetum, & ex viuo mortuum, dubitatur quare vinum non est materia aceti, nec viuum est materia mortui. Deinde cùm dicit:

Cur vinum non est materia aceti, & viuens mortui?

Aut non, sed secundùm accidens corruptiones: animalis verò materia hoc secundùm corruptionem mortui potentia, & materia, & aqua aceti: fit enim ex his, vt ex die nox.

Solutio.

Ponit dictæ dubitationis solutionem, dicens, *aut non*, supple sic est quòd vinum sit materia aceti, vel viuum mortui, *sed secundùm accidens corruptiones*: hæc verò *materia*, quæ est animal est potentia, & *materia mortui secundùm corruptionem*; & aqua supple est materia aceti: *fit enim ex his*, scilicet acetum ex vino, & ex viuo mortuum, *vt ex die nox*.

Notandum, hanc solutionem in hoc stare, quòd quia acetum est corruptio vini, ideò non fit acetum ex vino, & mortuum ex viuo sicut ex materia, nisi fortè per accidens, quatenus fit ex materia eius; sicut sphæra fit ex statua per accidens, inquantum fit ex materia eius. Vnde statua non est materia sphæræ, sed æs, vel ferrum: similiter in proposito vinum non est materia aceti, sed materia vini quæ est aqua. Similiter viuum non est materia mortui, sed elementa quæ sunt materia viui. Cùm ergo dicitur acetum fieri ex vino, & mortuum ex viuo: si referantur ad vinum ipsum, vel ad ipsum viuum, putà animal, secundùm suas formas: tunc hæc præpositio *ex* designat ordinem tantùm, & est sensus, quòd in eadem materia post formam vini est acetum: & post formam animalis est mortuum, eo modo quo dicimus quod ex die fit nox: quia scilicet fit post diem. Deinde cùm dicit:

Quod ex vino fit acetum vt ex die fit nox: & similiter de mortuo & viuo: sicut enim materia corrumpenda & non inexistentes.

Et quæcunque itaque sic transmutantur ad inuicem, ad materiam oportet redire: vt si ex mortuo animal, in materiam primam, deinde fit animal; & acetum in aquam, deinde fit vinum.

35

Concludit ex dictis, dicens, quòd *quæcunque sic transmutantur ad inuicem sicut*, supple acetum fit ex vino, & mortuum ex viuo, putà ex animali, *oportet redire ad materiam*, id est, quòd si debet fieri conuersio transmutationis, fiet per *resolutionem ad primam materiam*: deinde dicit, *vt si ex mortuo fit animal*: quia scilicet corpus, *mortuum resoluitur* in elementa, & ex elementis peruenitur ad generationem *animalis*, secundùm debitum processum naturæ: similiter si supple *ex aceto*, dicitur fieri vinum, oportet vinum resolui, *in aquam & deinde fit vinum*.

Hinc habes qualiter fit resolutio ad materiam primam in omni generatione & corruptione.

Notandum, quòd vt communiter dicitur aliquando à priuatione ad habitum est regressus, & aliquando non: priuatio enim aliquando respicit subiectum mediante motu, aliquando mediante forma. Tunc enim priuatio respicit subiectum mediante forma, quando aliquid est informatum aliqua forma, respectu cuius potest sibi priuatio euenire. Exemplum, oculus informatus visu potest priuari visu per cæcitatem, sed tunc priuatio respicit subiectum mediante motu: quando aliquid est priuatum aliquo, & potest illud acquirere mediante motu. Primo modo est in proposito: sic enim acetum est priuatio vini: & mortuum viui; & in talibus nunquam est regressus à priuatione in habitum, nisi fiat resolutio in primam materiam: cuius ratio communiter assignatur: quia quando materia secundùm ordinem respicit diuersa, non potest esse reditus à posteriori in prius nisi modo prædicto. Exemplum, in generatione animalis ex cibo fit sanguis, & ex sanguine semen, & ex semine animal: iste ordo non potest mutari: vt scilicet ex semine fiat sanguis, & ex sanguine cibus, nisi per resolutionem in primam materiam: quia cuiuslibet rei est determinatus modus generationis per naturam. Et propter hanc rationem non fit regressus ab aceto in vinum, nec à mortuo in animal, nec à cæcitate in visum: nisi modo prædicto, quatenus materia respicit tales priuationes mediantibus habitibus, & formis. Quando autem materia respicit priuationem sine tali ordine: vel priuatio respicit materiam non mediante forma, sed mediante motu: à tali priuatione potest esse regressus in habitum, vel formam, sicut à tenebris ad lucem: quia tenebræ nihil aliud est nisi absentia luminis in medio: & similiter à priuatione formæ aquæ potest fieri regressus ad formam aquæ per generationem naturalem.

Qualiter à priuatione ad formam est possibilis regressio. Priuatio duplex.

36

SVMMÆ VNICÆ
CAPVT VI.

Dubitationis solutio. Quæ causa est vt diffinitiones, & numeri vnum sint in rebus omnibus, & vnionis materiæ ac formæ?

SVMMARIVM.

Positâ duplici ratione dubitandi, docet diffinitionem esse vnam per se; quia ibi est per se potentia, & per se actus. De quo

quo Doctor 2.d.12.q.1.& hîc q.4. explicat id ipsum in Metaphysicis.

Tex. cõ. 15. Ad hũc text. est, q. 4. lib.8. Cap. 6.

De dubitatione verò dicta circa diffinitiones, & numeros, quæ causa essendi vnum deinceps dicendum esse videtur: omnium enim quæcunque plures partes habent, & non est vt aceruus quod totum; sed inest aliquid totum præter partes, est aliqua causa. Quoniam in corporibus his quidem tactus causa est essendi vnum: aliis verò viscositas, aut altera aliqua passio talis. Diffinitio verò ratio est vna non coniunctione: quemadmodum Ilias; sed per vnius esse. Quid igitur est quod facit vnum hominem: & propter quid vnum, sed non multa: puta quia animal, & bipes?

Postquam Philosophus ostendit quòd materia, & forma sunt principia essentialia substantiarum sensibilium, nunc inquirit de ipsarum vnione, inquirens quomodo constituant per se vnum. Circa quod tria facit: quia primò præmittit quandam dubitationem. Secundò addit solutionem. Tertiò excludit multiplicem opinionem. Secunda ibi: *Palàm itaque*. Tertia ibi: *Propter hanc verò*. Prima in duas secundùm duas rationes, quas adducit ad ostendendum istam quæstionem esse dubitabilem. Secunda ibi: *Aliterque & si est*. Dicit ergo, quòd *de dubitatione dicta*, superius cap. de forma, *circa diffinitiones, & numeros quæ causa est essendi vnum*, id est, quid faciat tam numeros quàm diffinitiones esse vnum: hoc supple est consideratum, quòd *omnium quæcunque habent plures partes, & ipsum quod est totum non est aceruus, sed totum est aliquid præter partes: est aliqua causa*, quæ scilicet ipsa facit esse vnum; *quoniam & in corporibus his*, id est, sic habentibus vnitatem, *tactus est causa essendi vnum*, id est, in quibusdam corporibus contactus est causa vnitatis eorum: *aliis verò viscositas, aut aliqua talis altera passio*, aut aliquid aliud huiusmodi: *diffinitio verò*, supple certum est quòd *est vna ratio*, constituta scilicet ex pluribus, *non quod sit vna coniunctione*, id est, aggregatione partium, *quemadmodum Ilias*, id est, poëma, siue tractatus factus de historia Troiana, qui est tantùm vnus sola aggregatione partium, vt dictum est in septimo, sed scilicet diffinitio est vna simpliciter *per vnius esse*, id est, per hoc est indicatiua vnius rei. Est ergo dubitatio, *quid igitur est quod faciat hominem esse vnum*, & similiter eius supple diffinitionem, *& propter quid sunt vnum sed non multa, puta animal, & bipes*, quasi diceret: quòd cum animal, & bipes sint quædam duo, ex quibus constituitur homo, & diffinitio hominis, meritò dubitabitur, quare homo non est plura, sed aliquid vnum. Deinde cùm dicit:

Sermo de vnione materiæ & formæ.

Dubium & probabilitas eius duplex t. c. 9 & 10. idem in 7. t. c. 42.

Diffinitio est vna, vnitate quæ sufficienter indicat vnum esse rem.

37

Aliterque & si est, vt aiunt quidam, ipsum aliquid animal, & ipsum bipes: quare namque non illa ipsa homo est, & erunt secundùm participationem homines non hominis: & neque vnius sed duorum, scilicet animalis, & bipedis, & totaliter vtique non erit homo vnum, sed plura, animal, & bipes.

Ponit secundam rationem ostendentem istam quæstionem dubitabilem, quæ quidem procedit secundum opinionem Platonis, dicens quòd *aliter*, supple ostenditur ista quæstio dubitabilis: si *vt quidam aiunt*, scilicet Platonici, est *ipsum animal aliquid*, scilicet separatum, & per se existens: & similiter *ipsum bipes*: si inquam sic est, *quare namque non illa ipsa homo est*, id est, quòd meritò quæritur, quare homo non est illa duo simul sumpta, & tunc homines, scilicet particulares essent *secundùm participationem non hominis, nec alicuius vnius*; sed supple participatione *duorum*, scilicet animalis, & bipedis, *& totaliter* itaque, id est, vniuersaliter, hoc erit verum quòd *homo non erit* aliquid *vnum, sed plura*, scilicet *animal & bipes*: supposita ergo opinione Platonis, meritò dubitatur quomodo homo sit aliquod vnum ex animali & bipede constitutus, quæ videntur aliqua duo. Deinde cùm dicit;

Al. erunt.

Al. vtique.

Palàm itaque quia sic quidem acceptantibus vt consueuerunt diffinire, & dicere non contingit reddere, & soluere dubitationem. Si autem vt dicimus, hoc quidem materia, illud verò forma: & hoc quidem potentia, illud verò actu: non adhuc dubitatio vtique videbitur esse quod quæritur.

Ponit solutionem. Circa quod duo facit: quia primò tangit virtutem solutionis. Secundò exponit solutionem. Secunda ibi: *Est autem hæc dubitatio*. Dicit ergo, *palàm* esse: quia *sic quidem acceptantibus, vt consueuerunt diffinire, & asserere*, scilicet Platonici ponentes vniuersalia, & quiditates separatas *non contingit reddere, & soluere dubitationem*, quare scilicet homo sit aliquid per se vnum: quia tunc supple non possit reddi causa huius vnitatis: *si autem est vt dicimus*, scilicet vt superiùs dictum fuit, scilicet quòd in quiditate rei, siue diffinitione: *hoc quidem est vt materia, illud verò vt forma: & hoc quidem*, scilicet materia est, *potentia illud verò*, id est, forma *est actu: non adhuc videbitur esse dubitatio quod quæritur*, sed statim erit manifestum.

Solutio bimembris.

Notandum, virtutem huius solutionis in hoc stare, vt magis patebit infrà, quòd homo, & quælibet diffinitio est per se vnum, quatenus componitur ex materia, & forma, sicut ex potentia, & actu, nec est quærenda alia causa intrinseca quare ista faciant vnum, nisi quia hoc est vt potentia, illud verò vt actus. Deinde cùm dicit:

Quare diffinitio & diffinitum per se vnum.

38

Est enim hæc dubitatio eadem, & si terminus vestimenti sit rotundum æs: sic enim vtique signum nomen huius rationis. Quare cùm quæritur quid est causa essendi vnum rotundum, & æs? Non adhuc vtique dubitatio videtur: quia hoc quidem materia, illud verò forma. Quid igitur huius causa est: scilicet quòd potentia ens actus sit præter faciens in quibus generatio? nulla namque est causa altera eius quod est potestate sphæra actu esse sphæra, sed hoc erat quod quid erat esse vtique.

Exponit dictam solutionem. Circa quod tria facit. Primò exponit eam in naturalibus. Secundò in Mathematicis. Tertiò in Metaphysicis, puta in

ta in substantiis separatis. Secunda ibi: *Est autem materia*. Tertia ibi: *Quæcunque verò*. Dicit ergo, quòd *hæc dubitatio* prædicta *est eadem*, supple cum ista, si quæratur, quare *vestimentum est vnum rotundum*: si ponatur quod *terminus*, id est, diffinitio *vestimenti sit æs rotundum*, vtitur exemplo artificiali, & manifestiori, vt per artificialia naturalia intelligamus: *non enim* curat de exemplis, *sit* enim, id est, supponatur quod hoc *nomen* scilicet æs rotundum sit *signum rationis*, id est, significet diffinitionem vestimenti: *quia cùm quæritur quid est causa essendi vnum rotundum*, *& æs non adhuc videbitur vtique dubitatio: quia hoc quidem*, scilicet æs est *vt materia: illud verò*, scilicet rotundum est *vt forma*, nulla enim est alia causa huius, nisi agens coniungens formam materiæ quasi actum potentiæ; ideò subdit, *quid igitur est causa huius*, scilicet *quod ens in potentia sit actu præter faciens*, id est, agens *in quibuscunque est generatio*, id est, in omnibus generabilibus, & naturalibus, quasi diceret, quòd nihil aliud; ideò subdit: *nulla enim est altera causa*, scilicet ab agente huius, *quod est spheram potestate actu esse spheram*: agens enim educendo formam de materia constituit ens in actu, quod fuerat in potentia: nec oportet quærere aliam causam intrinsecam, quare ex forma & materia fiat vnum. Ideò concludit: *sed hoc erat, quod quid erat esse vtrique*, scilicet materiæ, & formæ quòd ex eis scilicet fiat vnum, quatenus vnum est potentia, & aliud actus. Deinde cùm dicit;

Expositio dictæ solutionis Physica.

Quare ex materia & forma fit per se vnum? Agens est coniungens formam cum materia.

39

Est autem materia alia intellectualis, alia sensibilis, & semper rationis, hoc quidem materia; illud verò actus est, vt circulus figura superficialis.

Exponit dictam solutionem in Mathematicis, dicens, quòd *materia alia quidem est intellectualis, alia sensibilis, & semper rationis*, id est, diffinitionis: *hæc quidem est materia; illud verò actus, vt circulus* si supple diffiniatur, quòd *est figura superficialis*: quia scilicet ly *figura* erit vt forma, & ly *superficies*, est vt materia.

Expositio Mathematica eiusdem solutionis.

Notandum, quòd materia sensibilis est materia naturalis, quæ scilicet est subiecta qualitatibus sensibilibus, puta calido, & frigido, & huiusmodi à quibus Mathematica abstrahunt: sed materia intellectualis est Mathematica, puta lineæ, superficies, & generaliter ipsum continuum, & à tali materia non abstrahunt Mathematica; sed sicut in diffinitione naturalium oportet ponere materiam sensibilem; sic in diffinitione Mathematicorum oportet ponere materiam intelligibilem, sicut patet in diffinitione circuli prædicta: eadem igitur est causa vnitatis diffinitionis hæc, & ibi: quia scilicet vnum est, vt materia, & potentia; aliud vt forma, & actus, excepto quòd in Mathematicis non est propriè agens coniungens formam materiæ, sicut in naturalibus. Deinde cùm dicit:

Materia duplex.

In quibus conueniunt & differunt Physica & Mathematica?

Tex, cõ. 16.

Quæcunque verò non habent materiam, nec intellectualem, nec sensibilem, statim quidem vnum aliquid est eorum vnumquodque. Quemadmodum, & quod ens aliquid hoc quod quale, vel quod quantum: quapropter, & non inest in diffinitionibus, nec ens, nec vnum, & quod quid erat esse statim vnum aliquid est, sicut, & ens aliquid. Quapropter non est aliqua alia causa vnum essendi nulli horum, neque essendi ens aliquid: statim enim vnumquodque ens est aliquid, & vnum aliquid, non vt in genere, & ente, & vno, nec vt separabilibus existentibus præter singularia.

Exponit eandem solutionem in Metaphysicis, puta in substantiis separatis dicens, quòd *quæcunque non habent materiam intellectualem*, sicut Mathematica: *nec sensibilem*, sicut naturalia, puta vt sunt substantiæ immateriales, *statim vnumquodque est quod vnum aliquid esse*, id est, quòd statim sunt vnum: nec oportet expectare vnionem formæ cum materia fienda per agens, sicut est in his, quæ habent materiam: quod exponit per quoddam simile: *quemadmodum* (inquit) *& quod est ens aliquid hoc quod quale*, & hoc, *quod quantum*, id est, quòd sicut ens descendit in decem Genera statim: nec oportet expectare aliquod medium; sed statim est Substantia, vel Qualitas, vel Quantitas, & ita in proposito talia entia immaterialia statim sunt vnum; nec oportet aliud expectare: ex quo infert: *quapropter non est in diffinitionibus, nec ens, nec vnum*: quia scilicet ens, & vnum non sunt genera, quæ per aliquas differentias mediatas ad decem Prædicamenta contrahantur: subdit etiam quòd *quod quid erat esse*, supple in talibus substantiis separatis in immaterialibus, *statim est vnum aliquid, sicut, & ens aliquid*: quia scilicet non oportet expectare aliquid ex quo talis substantia habeat esse, vel vnitatem. Ideò subdit; *quapropter non est nulli horum aliqua alia causa*, supple extrinseca, *essendi vnum, nec essendi ens*, quasi illa, scilicet causa agens, sit necessaria ad coniungendum formam materiæ ex quo talis substantia habeat vnitatem, & entitatem: quia ibi non est materia, vt supponitur, ideò addit, quòd *statim vnumquodque est ens aliquid, & vnum aliquod non vt in genere & ente, & vno*, id est, non sic intelligendo quòd vnum, & ens sint genera: *nec separabilibus existentibus*, scilicet nec etiam intelligendo, quòd nec vnum, nec ens sint existentia separata *præter singularia*, vt Platonici putauerunt.

Expositio Metaphysica præfatæ solutionis.

Substantiæ separatæ statim sunt ens & vnum.

Notandum, quòd sicut dictum fuit quarto, & quinto huius: licèt ens contrahatur ad decem Genera, non per veras differentias, & propter hoc non habeat veram rationem generis: multoties tamen descendit per modos essendi ab ente saltem formaliter distinctos: non enim sunt eiusdem rationis contrahibile, & contractiuum: ad propositum autem pro quanto est simile, quod sicut ens, vel vnum non expectant aliquid quasi distinctum realiter ab eis, quod constituat substantiam, qualitatem, &c. sed quasi seipsis: quia scilicet per modos intrinsecos essendi statim fiunt quid, vel quale, vel quantum, &c. ita in substantiis separatis & simplicibus: quia non est materia quasi expectans aduentum formæ, vt faciant per se vnum; ideò statim sunt ens, & vnum.

Quomodo ens seipso est quodlibet Prædicamentorũ, & quomodo non.

SVMMARIVM.

Reiicit opiniones Platonicorum, de causa vnitatis diffinitionis & compositi: resoluens nullam esse huius causam intrinsecam, nec esse quærendam rationem quare materia, & forma faciunt vnum:

datur

datur tamen causa extrinseca, scilicet agens, vel vniens formam.

40

Propter hanc verò dubitationem hi quidem participationem dicunt, & causam aliquam participationis, & quid est participare dubitant. Hi autem coëxistentiam animæ; sicut Lycophron ait esse scientiam eius, quod est scire, & animæ. Alij verò compositionem, aut coniunctionem animæ cum corpore viuere,

Recitat & excludit 3. opiniones erroneas circa dicta.

Excludit quasdam opiniones contrarias his quæ dicta sunt. Circa quod tria facit: primò eas proponit: secundò eas improbat: tertiò causam erroris manifestat. Secunda ibi: *Et quidem eadem.* Tertia ibi: *Causa verò.* In prima parte ponit tres opiniones, quæ intendunt, quòd ex materia, & forma fiat vnum per aliquod medium intrinsecum vnitiuum eorum: quod medium prima opinio dicebat participationem; secunda coëxistentiam; tertia compositionem, vel coniunctionem; nominantes concretum nomine abstracti, volentes dicere, quòd illud medium est quoddam participatiuum, siue coëxistens, siue compositum, vel coniunctum. Dicit ergo, quòd *propter hanc dubitationem,* de qua nunc scilicet est sermo: *hi quidem,* scilicet Platonici *dicunt participationem,* qua scilicet inferiora participant superiora, puta hic homo hominem, & homo animal & bipes, & *dubitant*, id est, inquirunt, *causam aliquam,* scilicet mediam *participationis, & quid sit participare,* vt ex hoc scilicet patesceret, quare ex animali & bipede fieret vnum aliquid: *hi autem,* id est, alij *coëxistentiam animæ,* scilicet cum corpore, puta dicatur animatio, dicunt supple causam vnitatis hominis: *sicut Lycophron,* ait, *esse scientiam,* supple causam, & medium, *eius quod est scire, & animæ,* quare scilicet anima copulatur ipsi scire, ita quòd scientia vniat animam cum scire: *alij verò compositionem aut coniunctionem animæ cum corpore, puta viuere,* supple dicunt esse causam vnitatis hominis. Deinde cùm dicit:

Et quidem eadem ratio in omnibus, etenim sanum esse erit, aut coëxistentia, aut colligatio, aut coniunctio animæ, & sanitatis. Et æs esse trigonum compositio æris, & trigoni, & album vnum esse compositio superficiei, & albedinis.

Viuere est esse rei pullulans ex forma, & materia coniunctione.

Improbat dictas opiniones, dicens, quòd *& quidem* si supple hoc verum est de anima, & corpore quod sit aliquod medium vnitiuum, *eadem ratio erit in omnibus* aliis, quæ scilicet sic se habent, vt materia, & forma, *& sic sanum esse erit, aut coëxistentia, aut colligatio, aut coniunctio,* supple media *animæ, & sanitatis,* & similiter *æs esse trigonum,* id est, *compositio,* scilicet Metaphysica, *æris & trigoni,* copulans scilicet figuram trianguli cum ære, quod est materia, & similiter *album esse,* erit *compositio,* scilicet media, *superficiei & albedinis,* quæ omnia scilicet apparent esse falsa: quare, & illud erit falsum, quod viuere, vel quodcunque aliud sit medium coniungens animam cum corpore: viuere enim non est aliud quàm esse rei pullulans ex coniunctione animæ, & corporis non medians. Deinde cùm dicit:

41

Causa verò quia potentiæ, & actus quærunt vnum faciens, & differentiam: est autem, vt dictum est, & vltima materia, & forma idem, & hæc potentia, hæc actu. Quare simile est quærere vnius, quæ causa, & vnum essendi: vnum enim aliquid vnumquodque, & quod potentia, & quod actu, vnum aliqualiter est. Quare causa nulla alia nisi; vt quasi mouens ex potentia ad actum: quacunque verò non habent materiam omnia simpliciter sunt, quod verè entia aliquid.

Causam erroris dictarũ opinionum ostendit.

Manifestat causam erroris in dictis opinionibus, dicens, quòd *causa verò quare* supple talia dixerunt est: quia *quærunt quid sit faciens vnum potentiæ, & actus,* & etiam *differentiam* eorum quasi scilicet oporteat eos copulari per aliquod vnum medium sicut ea, quæ sunt actualiter distincta; sed *tamen vt dictum est, vltima materia,* id est, proxima, & disposita, *& forma etiam,* propria sunt, *idem, & potentia: hæc actu,* id est, quòd vnum est sicut potentia, & aliud sicut actus, *quare simile est quærere qua causa est vnius*, scilicet rei & quærere supple, quæ est causa, *essendi vnum,* id est, quare illa res sit vna: *vnumquodque enim est vnum aliquid* inquantum scilicet est, *& quod potentia, & quod actu est aliqualiter vnum,* id est, quia ex actu, & potentia fit vnum: *quare nulla alia causa,* supple intrinseca scilicet est faciens vnum: *nisi id quod, vt mouens ex potentia ad actum,* id est, nisi agens quod est causa extrinseca reducens rem de potentia ad actum. Addit autem quòd *quacunque verò non habent materiam: omnia sunt entia: quod verè aliquid vnum simpliciter,* id est, per seipsa & non per aliquam causam, siue intrinsecam, siue extrinsecam coniungentem formam materiæ; sed statim *sunt aliquid ens*, & vnum per se existens, vt dictum fuit priùs.

Eadem est causa essendi & vnitatis.

Immaterialia non habẽt causam intrinsecam nec extrinsecam mouentem entitatis, & vnitatis, sed bene extrinsecam producentem.

Notandum, quòd sicut colligitur ex prædictis nulla est causa media, & intrinseca, quare ex materia, & forma fiat vnum quasi vinculum coniungens materiam cum forma; sed huius vnitatis vtique est aliqua causa extrinseca, puta agens producens formam, & coniungens eam materiæ reducendo ens in potentia ad actum.

LIBER

LIBER NONVS.

Proponit dicenda; in hoc libro agit de diuisione entis in actum & potentiam, & priùs agit de his, vt considerantur in rebus mobilibus, quia à notioribus nobis, ordine doctrinæ venitur ad magis ignota. Doctor de hac materia disputat exactissimè 15. quæstiones hoc libro, & longè resolutiùs, quàm in cæteris libris huius operis. In prima autem Summa huius libri agitur de potentia; in secunda de actu, de quibus suis locis distinctiùs infrà.

SVMMA PRIMA.

De Potentia.

CAPVT PRIMVM.

De diuisione entis in actum, & potentiam.

Tex. com. 1.
1

De primo quidem igitur ente & ad quod omnes aliæ Categoriæ entis referuntur, dictum est, videlicet de substantia: nam secundùm substantiæ rationem dicuntur alia entia quantitas qualitas, & alia sic dicta: omnia namque habebunt rationem substantiæ, vt diximus in primis sermonibus.

Hîc incipit nonus liber, vbi postquam Philosophus determinauit de ente, vt diuiditur per decem Genera; nunc determinat de ente, prout diuiditur per potentiam, & actum. Circa quod duo facit, quia primò proponit intentum: secundò exequitur de intento. Secunda ibi: *Quia ergo multipliciter dicitur.* Prima in duas: quia primò resumit quid iam dictum sit: secundò ostendit quid dicendum. Secunda ibi: *Quoniam verò dicitur ens.* Dicit ergo, quòd *de primo quidem ente*, scilicet de Substantia, *& ad quod omnes aliæ Categoriæ entis referuntur*, id est, reducuntur *dictum est*, scilicet in præcedentibus. Et quòd ad substantiam omnia alia entia reducantur, manifestat, cùm subdit: *nam alia* scilicet *entia Quantitas, Qualitas, & alia sic dicta dicuntur secundùm substantiæ rationem: omnia namque habebunt rationem substantiæ, vt diximus in primis sermonibus*, scilicet in septimo huius, tex. c. 2. & inde, vbi ostensum est, quòd in rationem, id est, in diffinitionem accidentis cadit necessariò substantia propter dependentiam, quam accidentia habent ad substantiam, vt ad primum ens: omnia enim alia reducuntur ad substantiam, vt ad primum, vt ostensum fuit quarto, & septimo huius, t. c. 2. & inde in vtroque. Deinde cùm dicit:

Al. quod quidem ergo.

Resumit dicta.

Omnia referuntur ad substantiam, vt ad primũ.

Ad hunc textum est q. 1. lib. 9. & etiam q. 2.

Quoniam verò dicitur ens hoc quidem eo quod quid, aut quantitas, aut qualitas: aliud secundùm potentiam, & actum, & secundùm opus. Determinabimus de potentia, & actu & primùm de potentia, quæ dicitur quidem maximè propriè; non tamen vtilis est ad quod volumus nũc: in plus enim est potentia, & actus eorum quæ dicuntur secundùm motum solùm. Sed cùm dixerimus de hac in determinationibus, de actu ostendemus, & de aliis.

2
Ostendit dicenda.

Ostendit quid dicendum, *quoniam ens dicitur vno modo; hoc quidem in eo, quod quid*, id est, Substantia, *aut Qualitas, aut Quantitas, aut verò secundùm potentiam & actum, & secundùm opus:* nam vt dicetur infrà, hoc nomen *actus* denominatum est ab hoc nomine *opus*, siue *operatio:* quia inquam sic est, *determinabimus de potẽtia, & actu, & primùm de potestate*, id est, de potentia, *quæ maximè propriè dicitur*, potentia scilicet rerum naturalium, & possibilium moueri; *non tamen est vtilis ad quod nunc volumus*, id est, ad præsens negotium: *ad plus enim*, id est, vt in pluribus: potestas, id est, *potentia, & actus eorum quæ dicuntur solùm secundùm motum*, id est, vt in pluribus est in rebus mobilibus: *sed dicentes de ea*, scilicet de potentia, *& actu* supple, vt sunt in mobilibus, *dicemus* inquam *in determinationibus*, scilicet istis *ostendemus, & de aliis*, scilicet de potentia & actu, vt reperiuntur in aliis rebus à sensibilibus, & mobilibus.

Ordine doctrinæ, potentia & actus considerari possunt dupliciter.

Notandum, quòd potentia, & actus dupliciter considerari possunt. Vno modo generaliter, vt cõsequuntur ens inquantum ens, & sic non solùm reperiuntur in rebus mobilibus, sed etiam in immobilibus, & intellectualibus, vt patebit infrà. Alio modo potentia, & actus considerantur magis particulariter, scilicet vt reperiuntur in rebus sensibilibus, & mobilibus, prout motus diffinitur esse actus entis in potentia, 3. Phys. t. c. 6. Philosophus ergo priùs agit de potentia, & actu, prout sunt eorum, quæ sunt in motu: quamuis potentia & actus in pluribus reperiantur: quia tamen principalis intentio huius scientiæ est considerare de ente inquantum ens, & de aliis quæ consequuntur ens necessariò; ideò potentia, & actus, vt considerantur specialiter in rebus mobilibus, dicuntur non esse vtilia, nec pertinere ad id quod nunc volumus, id est, ad præsentem considerationem: quia magis pertinent ad istam scientiam, vt cõsequuntur ens in communi, & reperiuntur etiam in rebus immobilibus: quia tamen à notioribus ordine doctrinæ peruenitur ad minùs nota; ideò priùs agẽdum est de potentia, & actu, vt sunt eorum quæ dicuntur secundùm motum, quæ sunt nobis notiora, & postea agetur de eis, vt sunt in rebus immobilibus (puta in substantiis separatis) quæ sunt minùs nota, de quibus in ista scientia principaliter intenditur: per sensibilia enim iuuamur in notitiã insensibiliũ, vt dictum est in 7. huius, t. c. 4. & inde.

Metaphysica primò intendit de ente in quantũ ens, secundò de consequentibus illud.

SVMMARIVM.

Diuidit potentiam in sua significata; vide Doctorem de variis acceptionibus eius, 1. d 7. nu. 7 & d. 20. & hîc q. 2. vbi in Scholio primo alia loca ipsius citantur.

3 Tex. cõ. 2. Ad hunc textum est q. 3. lib. 7.

QVod quidem igitur multipliciter potentia, & posse determinatum est à nobis in aliis: harum autem quæcunque quidem æquiuocè dicuntur potentiæ prætermittantur. Quædam enim similitudine quadam dicuntur, quemadmodum in Geometria, & possibilia & impossibilia dicimus, eo quòd aliquo modo sunt, aut non sunt. Quæcunque autem ad eandem speciem, omnes principia quædam sunt, & ad primum vnum dicuntur, quod est principium transmutationis in alio, inquantum aliud est.

Ad hũc text. est q. 4 lib. 7. & vsque ad 13.

Exequitur de intento. Circa quod duo facit: quia primò determinat de potentia, & actu absolutè, & in se: secundò comparatè. Secunda ibi: *Quoniam autem ipsum prius.* Prima pars in duas: primò determinat de potentia: secundò de actu. Secunda ibi: *Quoniam verò de potentia.* Prima in duas: quia primò determinat de potentia in se: secundò in relatione ad ea quorum est. Secunda ibi: *Quoniam verò in inanimatis.* Prima in duas: quia primò agit de potentia: secundò de impotentia quæ potentiæ opponitur. Secunda ibi: *Et in potentia.* Prima in duas: quia primò resumit de potentia quasdam distinctiones positas in quinto, ostendens cum hoc de quibus hîc sit agendum: secundò infert ex prædictis quasdam conclusiones. Secunda ibi: *Palàm igitur.* Prima in duas: quia primò intentum proponit: secundò de intento exequitur. Secunda ibi: *Nam hoc patiendi.*

Sermo de potentia absolute.

Ad euidentiam primi, notandum, quòd potentia tripliciter potest sumi, vt patet ex quinto huius, t.c. 17. scilicet potentia realis, & potentia Logica, & potentia metaphorica. Primò modo est verè potentia: aliis duobus modis dicitur potentia æquiuocè. De potentia igitur primo modo agendum est, sed alij duo modi potentiæ prætermittendi sunt; & hoc est, quod dicit, *quod quia potentia, & posse* dicitur *multipliciter, determinatum est nobis in aliis,* scilicet in quinto huius; *harum autem,* scilicet potentiarum, *quæcunque,* scilicet *dicuntur æquiuocè* potentiæ *prætermittantur*, vt scilicet est Logica potentia, & metaphorica; ideò subdit: *quædam enim dicuntur*, supple potentiæ *quadam similitudine, quemadmodum in Geometria eo modo quo dicimus potentia* lineæ esse quadratum eius, & quòd linea potest in quadratũ suum: & similiter in numeris dicimus, quòd ternarius potest in nouenarium, quod est quadratum eius, eo quòd ternarius ductus in seipsum facit nouenarium: nam ter tria nouem faciunt: sic etiam ex linea, quæ est radix quadrati ducta in seipsam fit quadratum: similiter est in numeris; vnde radix quadrati assimilatur materiæ ex qua res fit, & ideò quadam similitudine, & metaphorica dicitur posse in quadratum; sicut materia dicitur posse in rẽ, & hæc est potentia metaphoricè dicta. Et subdit quantùm ad potentiam Logicam, quòd *quædam dicimus possibilia, & impossibilia, eo quòd aliquo modo sunt, & non sunt*: dicitur enim possibile Logicum, cuius contrarium non necesse est falsum esse, impossibile cuius oppositum necessariò est verum, vt dicitur quinto huius, t.c. 17. talis enim potentia, vel impotentia dicitur esse modus compositionis terminorum simplicium fundatus super repugnantiam, vel non repugnantiam terminorum, vt ostensum fuit: his ergo prætermissis subdit de qua potentia agendum sit, dicens: sed *quæcunque*, supple potentiæ, *reducuntur ad vnam speciem*, puta quia, *omnia sunt quædam principia, & dicuntur*, id est, reducuntur *ad vnum primum quod est principium transmutationis in alio inquantum aliud*: de omnibus supple talibus est agẽdum.

Potentia triplex. Vide 7. d. 1. & 2.

Tamẽ de potentia reali est hîc determinatum.

Notandum, quòd potentia realis distinguitur à potentia Logica, siue metaphorica, per hoc quòd potentia realis nominat principium actus realis transmutationis, siue actiuum sit, siue passiuum: potentia autem Logica & metaphorica non dicũt aliquod tale principium, vt patet ex prædictis: potentia autem realis licèt dicatur multipliciter; omnes tamen modi reducuntur ad potentiam actiuam, quæ est principium transmutationis in alio, inquantum aliud, vt dictum est in quinto, text. com. 17. & dicetur statim, & de tali potentia nunc agendum est duabus aliis prætermissis. Deinde cùm dicit:

4 Differentia dictarum potentiarum.

Nam hæc quidem patiendi est potentia, quæ in ipso patiente principium mutationis passiuæ ab alio inquantum aliud est: hæc autem habitus impassibilitatis eius quæ in deterius, & corruptionis ab alio inquantum aliud à principio transmutationis. In his inest omnibus terminis primæ potentiæ ratio; iterùm autem hæ potentiæ dicuntur, aut solùm faciendi, aut patiendi, aut ipsius benè. Quare in harum rationibus insunt aliqualiter priores rationes potentiarum.

Exponit quod dixerat, quomodo, scilicet omnes modi potentiæ realis reducuntur ad vnum, scilicet ad potentiam actiuam; dicens: *nam hæc*, id est, vno modo *dicitur potentia patiendi*, id est, potentia passiua, *quæ est in ipso patiente est principium mutationis passiuæ ab alio inquantum aliud est,* id est, ab agente à quo passum transmutatur, & sic aliqualiter potentia passiua reducitur, & refertur ad actiuam. Alio modo dicitur potentia dispositio quædam, ex qua aliquid habet quod nõ possit pati transmutationem *in deterius*, sicut patet in benè dispositis mente, vel corpore, & similibus; ideò subdit, quòd *hæc autem habitus impassibilitatis eius corruptionis, quæ est in deterius*, & supple eo quòd aliquid non potest pati *ab alio principio transmutationis inquantum aliud*, quod est principium actiuum, & ideò iste modus potentiæ reducitur etiam ad potentiam actiuam, sicut & primus modus; vnde subdit: *nam in omnibus his terminis*, id est, diffinitionibus vtriusque modi potentiæ inest *ratio prima potentiæ*, scilicet actiuæ: nam per eam habent diffiniri, vt patet ex prædictis: *iterum potentia* dicitur alio modo non solùm propter hoc, quod est posse agere, vel pati simpliciter: sed etiam per hoc, quod est posse bene agere, vel pati: dicimus enim aliquem posse currere non ex hoc, quòd possit currere simpliciter, sed quòd possit benè currere; sed dicimus eum non posse, si non potest benè,

Reducuntur omnes modi potentiæ realis ad vnum, & qualiter?

puta

puta si claudus: similiter dicimus signum esse diuisibile;eo quòd potest benè,& faciliter diuidi;sed ferrum dicimus non posse diuidi, quia non benè, nec faciliter diuiditur;& ille etiam modus potentiæ reducitur ad potentiam primo modo:quia in posse benè actiuè,vel passiuè includitur posse simpliciter;& per potentiam simpliciter habent diffiniri; ideò subdit,quòd *iterùm hæ potentia prædictæ dicuntur* dupliciter,*aut solùm faciendi aut patiendi*, scilicet absolutè,& simpliciter, *aut ipsius benè,quare in ipsarum rationibus*, id est,diffinitionibus, *insunt rationes*,id est, diffinitiones *priorum potentiarum*, id est, potentiarum simpliciter sumptarum;patet ergo ex prædictis quòd omnes modi potentiæ reducuntur, & referuntur ad potentiam actiuam,& per eam habent diffiniri : quare autem in diffinitione tam potentiæ actiuæ quàm passiuæ ponitur, quod est principium transmutationis ab alio,vel in alio non simpliciter; sed inquantum aliud, dicetur infrà in quæstione quæ sequitur.

SVMMARIVM.

Comparat potentiam actiuam, & passiuam inter se, & videtur velle eas in re distingui. Sed sufficit distinctio formalis; quod benè probat Doctor 2.d.25. ad tertium principale:vide eum ibi ad primum Goffredi,& d.2.q.10.& latè hîc quæst.14.

5

PAlàm igitur quia est quidem vt vna potentia faciendi,& patiendi:nam possibile est,& habere ipsum potentiam patiendi,& eo quod aliquid pati potest ab ipso: est autem vt alia:hæc quidem enim in patiente,propter habere enim quoddam principium, & esse materiam quoddam principium,patitur patiens,& aliud ab alio. Crassum enim combustibile est, cedens autem sic impressibile est: similiter autem,& in aliis. Hoc autem in faciente, vt calor,& ædificatiua, hoc quidem in calefactiuo, hoc autem in ædificatiuo.

Concludit ex dictis duas conclusiones, quarum secunda sequitur ex prima. Secunda ibi: *Quapropter inquantum*. Dicit ergo,*palàm* esse ex dictis, *quia potentia faciendi & patiendi*, id est, actiua, & passiua *est quidem quasi vna*: si scilicet consideretur ordo secundùm quem vna dicitur per respectum ad aliam: *nam possibile* dicitur aliquid vno modo per se, *& per habere potentiam patiendi*,& alio modo, *eo quod aliud ab eo*, id est, eo quòd habet potentiam,vt ab eo aliud patiatur, & hoc modo potentia actiua coincidit quodammodò cum passiua:nam ex hoc aliquid habet potentiam actiuam, quatenus habet potentiam, vt ab eo aliud patiatur: alio autem modo potentia actiua,& passiua non sunt vna:si scilicet considerentur penes fundamentá,vel supposita in quibus sunt;ideò subdit: est *autem quasi alia*,scilicet potentia actiua, & passiua: *hæc* namque scilicet potentia passiua est *in patiente:etenim* pro quia, patiens patitur,& aliud ab alio,scilicet ab eo *propter habere*, scilicet in se *quoddam principium & esse materiam principium quoddam*: materia enim est principium quo *patiens patitur*: *crassum enim*, id est,pingue *est combustibile*, scilicet quia habet talem materiam quæ est principium patiendi tali passione,quæ est comburi: similiter *cedens sic*, id est, quòd similiter illud quod sic cedit, puta tangenti, vt recipiat aliquam *impressionem* sicut est cera, *habet* supple talem potentiam quæ est principium sic patiendi: *similiter* suppositum fit impossibile,id est, quòd *similiter* aliquod suppositũ, puta masculum eunuchiatum est impossibile ad generandum, & est subiectum proprium huius passionis,quæ est eunuchiari:similiter autem,& in aliis:semper enim potentia passiua est in patiente: alia verò,id est,potentia actiua est in faciente aliquid *vt calor,& ars ædificatiua*: alia namque potentia,scilicet ars *est in ædificatiuo*, id est, in ædificante,*alia*,scilicet calor est *in calefactiuo*. Deinde cùm dicit:

Primum sequens.

Quando potentia actiua & passiua coincidũt, & quando & qualiter non?

Expositio singularis.

Quapropter inquantum simul natum est, nihil patitur ipsum à seipso: vnum enim, & non aliud est.

Ad hunc textum est q. 14.lib. 9. 6

Ponit secundam conclusionem, quæ sequitur ex prima: quia enim dictum est quod potentia actiua, & passiua sunt in diuersis; ideò infert *quapropter inquantum simul aptum natum est, nihil* idem *patitur à seipso*, id est, quòd nihil est aptum natum agere in seipsum, vel pati à seipso, sed est *vnum,& idem sibi*; sed potentia actiua, & passiua sunt in diuersis, ergo nihil potest pati à seipso. De inde cùm dicit:

Secundum sequens.

Et impotentia, & impossibile, & quæ tali potentiæ contraria est,priuatio est: quare eiusdem, & secundùm idem omnis potentia est in potentia.

Priuatio autem dicitur multipliciter, etenim non habens,& aptum natum si non habet, aut omnino, aut quando aptum natum est, & aut sic, puta perfectè, aut saltem quocumque modo: in quibusdam verò si apta nata habere non habeant vi,priuata esse hæc dicimus.

Text.com.3

Agit de impotentia quæ potentiæ opponitur, dicens quòd *impotentia & impossibile*, scilicet dictum secundùm impotentiam *quæ est contraria tali potentiæ*,quæ dicta *est*,*priuatio est*:impossibile enim priuat potentiam:ex quo infert quòd *omnis potentia, & impotentia sunt eiusdem & secundùm idem*. Ratio huius est: quia habitus, & priuatio habent fieri secundùm idem,& circa idem;ideò & quot modis dicitur potentia, tot modis dicitur impotentia. Vltimò, quia mentionem fecerat de priuatione: tangit modos priuationis, quos iam posuerat in 5. huius, t.c.27. dicens,quòd *priuatio dicitur multipliciter*:vno *etenim*,modo *non habẽs*, scilicet simpliciter, puta si lapis dicatur priuatus auditu:quia nõ habet auditum:alio modo dicitur priuatum aliquo *si est aptum natum*,habere,id est, *si nõ habet*:quod potest esse dupliciter:vno modo, si non habet *omnino*, id est,generaliter,puta si catulus dicitur priuatus visu,quoniam non habet visum generaliter:aut alio modo si non *habet*,*quando aptum natũ est habere*, puta post nonum diem. Et hoc etiam contingit dupliciter,*aut sic* vno modo tanquam omnino, id est, dicitur priuatum eo quod nullo modo habet illud, *aut non habet*, aliquo modo determinato, scilicet *benè & perfectè*, puta cùm dicitur cæcus ille, qui non videt benè: subdit etiam quòd *in quibusdam*, dicimus

Impotentia quid?

Priuatio quotuplex.

priuati aliqua *si apta nata*, sunt *habere* aliquid, & *non habent vt priuata*, quando scilicet per violentiam perdiderunt ea quæ erant habere apta nata, & hoc modo priuatio accipitur pro violenta.

SVMMÆ PRIMÆ CAP. II.

De diuisione potentiæ in rationalem, & irrationalem.

SVMMARIVM.

Diuiditur potentia in rationalem, & irrationalem; explicantur membra; & quomodo prima sit oppositorum, secunda non. De quo Doctor hîc quæst. 15. hîc habet pulchras notas.

7 Ad hunc textum est q. 15. lib. 9. Cap. 2.

QVoniam autem hæ quidem in inanimatis insunt principia talia; alia verò in animatis, & in anima, & animæ in rationem habente; palàm quia & potentiarum aliæ erunt irrationales; aliæ cum ratione; quapropter omnes artes, & scientiæ factiuæ potentiæ sunt; principia namque permutabilia sunt in alio inquantum aliud.

Sermo de potentia comparatiuè.

Postquam Philosophus determinauit de potentia in se: nunc agit de potentia in resolutione ad ea quorum est. Circa quod duo facit: primò distinguit potentiam penes ea quorum est. Secundò inquirit de simultate potentiæ, & actus in essendo. Secunda ibi: *Sunt autem quidam.* Prima in duas: quia primò præponit quandam distinctionem. Secundò subiungit partium eius comparationem. Secunda ibi: *Sed quæ cum ratione.* Dicit ergo, quòd *quoniam* supple potentiæ sunt principia agendi, & patiendi, vt ostensum est: *hæ quidem talia principia sunt in inanimatis, illæ verò in inanimatis, & in anima, & animæ in habente rationem:* quia inquam sic est, *palàm quia potentiarum aliæ sunt irrationales: aliæ cum ratione.* Et exponit quæ sunt potentiæ cum ratione, dicens: *quapropter omnes artes, & factiuæ*, id est, practicæ *scientiæ*, puta mechanicæ, & etiam morales, *potentiæ sunt*, scilicet rationales, quod patet: *namque* pro quia *sunt principia permutatiua in alio inquantum aliud*, quæ fuit diffinitio potentiæ actiuæ.

Potentiarum alia rationalis, alia irrationalis.

Declaratio notabilis dictæ distinctionis de potentiis.

Notandum, hanc esse distinctionem quòd potentiarum quædam sunt rationales: quædam irrationales: nam cùm potentiæ sint principia agendi, & patiendi, vt dictum est: quædam talia principia sunt in rebus inanimatis, quædam in animatis, & in anima, quod dicit, quia animata componuntur ex corpore, & anima: principia autem agendi, & patiendi, quæ sunt in corpore animatorum non distinguuntur ab illis quæ sunt in rebus inanimatis; & ideò coincidunt cum potentiis irrationalibus: iterum quia plures sunt animæ, omnes aliæ, scilicet ab anima rationali, non differunt in agendo, & patiendo ab inanimatis: quatenus agunt impetu naturæ, ita quòd magis aguntur quàm agant, vt sunt anima vegetatiua, & sensitiua, & partes earum; ideò etiam tales potentiæ pertinent ad irrationales; ideò dicit quòd talia principia sunt in anima, & animæ in habente rationem: potentiæ ergo irrationales sunt in rebus inanimatis, & etiam animatis quantùm ad potentias quæ consequuntur corpus, & etiam quæ consequuntur animam aliam à rationali: potentiæ autem rationales sunt tantùm in rebus animatis secundùm animam rationalem tantùm, nam ipsa sola habet dominium sui actus; & secundùm hoc omnes scientiæ practicæ, siue earum operationes transeunt in materiam exteriorem, vt sunt artes, puta fabrilis, & coriaria: siue non transeunt, vt sunt scientiæ morales, puta prudentia: omnes inquam tales dicuntur potentiæ rationales: sunt enim habitus animæ rationalis, secundùm quos animal rationale multa operatur; ideò sunt principia transmutationis in alio inquantum aliud. Deinde cùm dicit:

8

Et quæ quidem cum ratione omnes contrariorum sunt eædem, & quæ irrationabiles vna vnius, vt calidum calefaciendi solùm: medicatiua autem infirmitatis, & sanitatis.

Comparat membra dictæ distinctionis ad inuicem. Circa quod tria facit: primò ostendit differentiam inter dictas potentias. Secundò assignat causam differẽtiæ. Tertiò reuertitur ad comparandum quosdam modos potentiæ superiùs iam præmissos. Secunda ibi: *Causa verò.* Tertia ibi: *Palàm autem.* Dicit ergo, quòd potentiæ *quæ*, scilicet *sunt cum ratione*, id est, rationales *omnes sunt eadem contrariorum*: *quæ autem sunt irrationales*, non est nisi *vna vnius*, id est, non se habent ad opposita; sed per se loquendo vna est tantùm ad vnum effectum, quod manifestat per exempla, dicens, *vt calidum*, quod habet potentiam irrationalem, *est solùm* potentia *calefaciendi*: calidum enim per se loquendo tantùm calefacit, & non frigefacit, nisi fortè per accidens, scilicet vel quia aperiendo poros exhalat calidum interius: vel quia consumendo humidum quod est materia calidi, consumit, & destruit ipsum calidum, & sic infrigidat consequenter: *medicina* autem quæ est potentia rationalis, vt prædictum est: est *infirmitatis, & sanitatis.* Est ergo ista differentia quòd potentiæ rationales se habent ad opposita: irrationales autem non, sed ad alterum oppositorum tantùm. Deinde cùm dicit:

Potentiæ rationales se habent ad opposita; irrationales non.

Quomodo calidum frigefacit?

Causa autem quia ratio est scientia: ratio autem eadem ostendit rem, & priuationem; non tamen similiter, & est vt amborum: est autem vt existentis magis; quare necesse, & tales scientias esse quidem contrariorum, esse verò huius quidem secundùm se; illius verò non secundùm se; etenim ratio huius quidem secundùm se; illius verò quodammodò, & secundùm accidens. Nam negatione, & ablatione ostendit contrarium, etenim priuatio potentia contraria; hæc autem ablatio alterius.

Tex. cõ. 4.

Quoniam autem contraria non sunt in eodẽ, scientia autẽ est potentia in habendo rationem, & anima motus habet principiũ. Salubre quidẽ sanitatem solum facit, & calefactiuũ caliditatem, & frigefactiuũ frigiditatem, sciẽs verò ambo, est enim amborum quidem ratio, non similiter autem, & in anima quæ habet motus principium; quare ambo ab eodem principio mouebit ad ipsum copulans, propter quod secundùm rationem potentia sine ratione

potentibus

potentibus faciunt contraria. Vnum enim principium continetur ratione.

9 Assignat causam huius differentiæ, dicens, quòd *causa*, supple dictæ differentiæ est, quia *scientia*, quæ ponitur in anima rationali *est quædam ratio*, scilicet rei scitæ in anima: *eadem autem ratio ostendit rem, & priuationem eius: non tamen similiter & est vt amborum*, scilicet rei, & priuationis: *est autem quasi existentis magis*. Vult dicere, quòd licèt eadem sit ratio, & rei, & priuationis, tamen non similiter, & magis, & per prius manifestat ipsam rem existentem, quæ se habet per modum habitus, quàm ipsam priuationem: *quia necesse est tales scientias esse quidem contrariorum: esse verò huius quidem secundum se: illius verò*, id est, alterius *non secundùm se, etenim* pro quia, *ratio*, scilicet rei, scitæ in anima, *est huius quidem per se: illius* verò modo quodam, *& secundum accidens*; vnde medicina per se, & priùs est cognitiua, & effectiua sanitatis, posteriùs autem, & quodammodò per accidens, infirmitatis. Subdit autem, *nam contrarium ostendit negatione, & ablatione, etenim priuatio prima est contrarium, & ipsa est ablatio alterius*: quia enim priùs locutus fuerat de priuatione, & nunc transtulerat ad contrarium; ideò ad remouendum dubium, vult dicere quòd eadem est ratio de contrario, & priuatione: nam sicut priuatio dicitur, & est quædam negatio, vel ablatio; ita etiam, & contrarium; nam priuatio videtur primum contrarium: quia, vt dicetur in decimo, t. com. 15. prima contrarietas est priuatio, & habitus: omnium enim contrariorum vnum est sicut perfectum, & alterum sicut imperfectum respectu alterius; puta nigrum respectu albi, & sic vnum contrarium est quasi quædam priuatio, quæ est ablatio alterius. Ostenso ergo, quòd eadem scientia est contrariorum, subdit causam dictæ differentiæ, dicens: *quoniam verò contraria non sunt in eodem, & scientia est potentia*, scilicet rationalis *in habendo rationem*; scilicet in anima, *& anima* habendo supple, *scientiam, habet principium motus*, hinc est quòd *salubre quod* supple habet potentiam naturalem irrationalem, *solùm facit sanitatem, & calefactiuum caliditatem, & frigefactiuum frigiditatem*, eadem scilicet ratione: *sciens verò ambo*, scilicet opposita facit, *enim* pro quia, *ratio* quæ *est* in anima *est amborum*, scilicet oppositorum; *licèt non similiter*, vt dictum est: *& in anima quæ habet principium motus*, est supple talis ratio. Vult ergo dicere Philosophus quòd quia res naturales agunt per formas sibi inexistentes: impossibile est autem eidem inesse formas contrarias; hinc est quòd res naturales quorum sunt potentiæ irrationales non possunt facere contraria, sed faciunt vnum tantùm: potentia autem rationalis, puta scientia quatenus est contrariorũ; ideò sciens habens talem potentiam potest in opposita; licèt non similiter, vt ostensum. Ex quo infert: *quapropter* ipsa supple anima *ab eodem principio*, quæ est potentia rationalis, puta scientia, *mouebit*, id est, faciet ambo, scilicet opposita *ad idem*, scilicet principium terminans vel *copulans*, vtramque scilicet operationem, vel motum: quatenus scilicet similitudo illius principij saluatur in vtroque oppositorum per illud principium in esse productorum. Concludit ergo; vnde possibilia, siue potentia *secundùm rationem*, id est, secundùm potentiam rationalem *faciunt contraria sine ratione possibilibus*: nam possibilia secundùm potentiam irrationalem non possunt nisi vnum tantùm: huius causam tangit, *vnum enim principium*, quod scilicet est oppositorum *continetur ratione*: nam potentia rationalis est vna oppositorum, vt ostensum est.

Quare potentia rationalis se habet ad opposita declarat.

Scietia priùs est habitus quàm priuationis.

Quare potentia irrationalis est tantùm vnius oppositorum.

10 Notandum, quòd Aristoteles videtur causam huius differentiæ ponere talem: quia forma naturalis est solummodo principium assimilandi vni opposito similitudine naturali; sicut ipsa est ipsa, & non opposita: forma autem intellectus, puta scientia est principium assimilandi oppositis similitudine intentionali, sicut ipsa est virtualis similitudo oppositorum cognitorum, cum alterum oppositorum includat priuationem alterius: agens autem illius est actiuum: quod potest sibi assimilare secundùm formam qua agit, ideò videtur Aristoteles ponere dictam differentiam.

Resolutio dictorum.

Al. intentionalis.

Sed contrà: tum primò, quia forma naturalis potest esse principium efficiendi virtualiter opposita, sicut patet de Sole, qui dissoluit glaciem, & constringit lutum. Tum secundo; quia solummodò intellectum, vel scientiam videtur ponere potentiam rationalem, quod falsum est: quia voluntas est magis potentia rationalis, vocando potentiam rationalem, quæ potest in opposita: nam voluntas ratione suæ libertatis magis potest in opposita.

Obiicit & soluit notanter.

Respondeo, de hoc dicetur ampliùs inferiùs in quadam quæstione; tamen ad præsens potest dici breuiter, quòd potentia rationalis debet sic intelligi esse ad opposita, quòd est oppositarum actionum siue actionis, & negationis eius, puta quòd potest agere, & non agere; sic ergo loquendo de potentia rationali propria, & completa, voluntas est tantùm potentia rationalis, vel saltem nihil completè habet rationem potentiæ rationalis non concurrente voluntate.

Potentia rationalis nomine quid debet intelligi?

Potentia rationalis est duplex.

Ad primum ergo, cùm arguitur de Sole, dicendum quòd forma naturalis si est illuminata, & principium oppositorum in diuersis materiis oppositis, cuiusmodi est forma Solis, sic est illorum determinatè: sicut illa forma quæ est vnius oppositorum est illius determinatè: nam præsente passo receptiuo huius formæ, & illius, non est in potestate sua alterutrum istorum: sicut nec esset si esset vnius tantùm: præsente enim passo, necessariò Sol constringit, & necessariò dissoluit, nec potest suspendere suam actionem: voluntas autem agens siue circa hoc oppositum, in quod potest, siue circa illud, non est ex se principium determinatum, sed potest se determinare ad alterutrum: dictum est autem quòd potentia rationalis vel est voluntas vel non, vel non est sine voluntate.

Potentia naturalis est duplex.

Sola volũtas est potentia rationalis cõpletiuè saltẽ.

Ad secundum, dicendum, quòd Aristoteles non excipit voluntatem à potentia rationali: nisi vt potentia rationalis sumitur incompletè, puta intellectus vel scientia, quæ nullius extrinseci est causa, nisi facta determinatione aliundè, scilicet à voluntate eligente. Deinde cùm dicit:

Palàm autem quia ipsius benè potentiam sequitur solùm faciendi aut patiendi potentia: hanc verò illa non semper: necesse enim benè facientem facere, sed solùm facientem non necesse benè facere.

Comparat ad inuicem quosdam modos potentiæ iam præmissos: dictum enim fuit suprà quòd dupliciter aliquid habet potentiam, scilicet vel quia potest agere, aut pati absolutè; vel quia potest

In plus est facere

quàm benè facere.
Quare conuertibiliter arguere in eis non licet.

potest benè agere, vel pati. Dicit ergo, *palàm esse, quia potentiam ipsius benè sequitur potentia faciendi, aut patiendi solùm*; quicquid enim potest agere, vel pati benè, sequitur quòd potest agere, vel pati absolutè:nam ad partem in materia sequitur totum in modo, non tamen conuertitur; ideò subdit: *eam verò*, scilicet potentiam, quæ supple est posse absolutè, *non semper* sequitur illa, quæ scilicet est posse benè; benè facientem enim *necesse est facere, sed solùm facientem absolutè non semper est necesse benè facere*, vt per se est satis manifestum.

SVMMÆ PRIMÆ

CAPVT III.

Contra negantes potentiam nisi cùm res est in actu.

SVMMARIVM.

Refutat in hoc capite negantes potentiam nisi quando actu operatur, quatuor rationibus concludens oppositum; & explicans possibile, & actum.

Tex. cō. 5.

11

SVnt autem quidam, qui dicunt vt Megarici, quando operatur solum posse & quando non operatur non posse; vt non ædificantem non posse ædificare, sed ædificantem quando ædificat: similiter autem & in aliis.

Sermo de simultate potentiæ & actus.

Postquam Philosophus distinxit potentias penes ea quorum sunt: nunc inquirit de simultate potentiæ, & actus in essendo. Circa quod duo facit: quia primò excludit opiniones falsas. Secundò determinat veritatem. Secunda ibi: *Omnibus autem potentiis.* Prima in duas secundùm duas opiniones, quia primò excludit opinionem, quæ dicit, quòd nihil est impossibile nisi quando est in actu. Secundò excludit opinionem quæ dicit è conuerso, quòd omnia sunt possibilia; licèt non sint in actu. Secunda ibi: *Si autem est quod dictum est.* Prima in duas: quia primò facit quod dictum est. Secundò determinat quasdam veritates circa potentiam, & actum. Secunda ibi: *Est autem possibile.* Prima in tres. Primò præmittit opinionem. Secundò addit eius improbationem. Tertiò ex improbatione prædicta concludit conclusionem oppositam. Secunda ibi; *Quibus accidentia.* Tertia ibi: *Si ergo non contingit.* Dicit ergo, quòd *sunt quidam vt Megarici* sic vocati, *qui dicunt*, supple quòd tunc tantùm est aliquid in potentia, quando est in actu, puta aliquid tunc *solum posse quando operatur*, scilicet in actu: *& quando non operatur non posse vt non ædificantem*, scilicet in actu dicunt *non posse ædificare: sed ædificantem quando ædificat*, dicunt supple posse ædificare: *similiter autem & in aliis.* Deinde cùm dicit:

1. Opinio de simultate potentiæ & actus.

Quibus accidentia inconuenientia non est difficile videre: palàm enim quia non est ædificator si non ædificet: nam ædificatorem esse, est esse potentem ædificare: similiter autem & in aliis artibus. Si igitur impossibile tales habere artes non discentem aliquando & accipientem & non habere non abycientem aliquando: aut enim obliuione, aut passione aliqua, aut tempore; non enim vtique re corrupta: semper enim est, quando cessauerit non habebit artem. Iterum qui statim ædificabit aliqualiter accipiēs.

12

Improbat dictam opin.

Improbat dictam opinionem, & ponit quatuor rationes, quarum secunda ponitur ibi: *Et inanimata.* Tertia ibi; *Sed nec sensum.* Quarta ibi: *Amplius si impossibile.* In prima parte intendit talem rationem: Si nihil habet potentiam, nisi quando actu operatur; ergo nullus est ædificator, nisi quando actu ædificat: consequens est falsum; ergo & antecedens. Consequentia est euidens, nam ædificator dicitur, qui potest ædificare: si ergo nullus habet posse, nisi quando actu agit, sequitur quòd nullus est ædificator: nisi quando actu ædificat. Falsitas consequentis probatur ex duabus propositionibus. Prima est, quia ille qui priùs non habet artem, non potest eam postea habere, nisi accipiat eam de nouo, vel addiscendo, vel inueniendo. Secunda est, quia si aliquis habet artem, non potest eam amittere, nisi aliquo modo ipsam abiiciat, aut per obliuionem, aut per infirmitatem, aut quouis alio modo: si igitur aliquis non habet artem, quæ est potentia rationalis, nisi quando eâ vtitur, secundùm te; ergo ædificator quando inciperet ædificare, tunc de nouo acciperet artem, vel addiscendo, vel inueniendo: & quando desineret ædificare, perderet eam aliquo dictorum modorum, quorum vtrunque est manifestè falsum. Dicit ergo, *quibus*, scilicet Megaricis, *accidant accidentia, scilicet inconuenientia, non est difficile videre, palàm enim quia* supple, si sic est, *non est ædificator si non ædificat*, scilicet in actu; cuius probationem subdit; *nam esse ædificatorem, est posse ædificare: similiter autem & in aliis artibus*; ideò secundùm eos nullus esset ædificator nisi actu ædificaret: & subdit propositiones probantes falsitatem consequentis, dicens, *si igitur impossibile est tales habere artes*, supple illum qui priùs non habet, *non discentem aliquando, & accipientem*: hæc fuit prima propositio; & similiter est impossibile, *non habere*, supple illum qui priùs habet *non abycientem aliquando*: *aut enim obliuione aut passione*, id est, infirmitate aliqua; *aut tempore*, vt quando ex longitudine temporis aliquis perdit scientiam: & subdit: *non enim re corrupta*, id est, quòd habens artem non oportet quòd perdat eam per corruptionem rei; quia ars non est cognitio rei quæ est, sed quæ futura, & quæ fienda est: *semper enim est* ars, scilicet artificis, quæ est qua potest fieri aliquid per partem; vnde *ars non oportet quòd* corrumpatur *ad corruptionem rei*, sicut accidit in aliis: nam Socrate non scribente, destruitur opinio quæ opinatur Socratem scribere. Hæc fuit secunda propositio. Ex quibus infert, *quando quiescet*, supple aliquid ædificare, *non habebit artem*: quod est inconueniens: Iterum ille *qui statim ædificabit*, id est, incipiet ædificare, quando incipiet, *statim* artem non nouerit; quasi diceret, quòd erit impossibile; & tamen erit secundùm te *aliqualiter accipiens.* Deinde cùm dicit:

Quòd posse non necessariò est simul & præcisè cum agere, probat.

Scientia quomodo perditur.

Al. habuit.

Scientia manet corruptis rebus.

13

Et inanimata vtique similiter. Neque enim frigidum, neque calidum, neque dulce, neque omnino sensibile quicquam erit non sentientibus, quare Protagoræ rationem eis dicere contingit.

Ponit

Ponit secundam rationem, quæ talis est: quia si sic, ergo frigidum non est frigidum, nec calidum est calidum, nisi quando actu sentiuntur: consequens est falsum: quia tunc rediret opinio Protagoræ de veritate apparentium. Consequentia patet ex hoc, quia prædicta sunt principia actiua, & motiua sensus, & per consequens habent potentiam actiuam: si ergo potentia non inest alicui, nisi quando agit, sequitur quòd nihil erit calidum, nisi dum sentitur, & actu immutat sensum: & similiter est de aliis sensibilibus. Dicit ergo, quòd *inanimata similiter*, scilicet ostendunt ipsum esse falsum: *nec enim frigidum, nec calidum, nec dulce, nec amarum, nec omnino nihil erit sensibile non sentientibus* supple nobis: *quare continget eos dicere Protagora rationem*, qui posuit veritatem rei stare in solo apparere, vt dictum est in 4. huius, t.c.19. Deinde cùm dicit:

Hæc ratio procedit comparando sensibile ad sensum.

Al. ipsam esse falsam.

At verò nec sensum quicquam habebit si non sentiat, nec operetur, si ergo cæcum non habens visum, aptum verò natum, & quando aptum natum est, & amplius ens, iidem erunt cæci sæpe die vno, & surdi.

Ponit tertiam rationem quæ talis est: Si nullus habet potentiam, nisi quando actu operatur, ergo non actu sentiens non habet potentiam sensitiuam: consequens est falsum, quia tunc animal dormiens non erit animal, cùm non habeat sensum. Dicit ergo, quòd *neque sensum quicquam habebit si non sentit, nec operatur* actu, *si ergo cæcum est non habens visum, aptum verò natum, & quando aptum est habere: & amplius ens*, id est, cùm hoc sit ens, & existit aptum habere: sequitur quòd *idem vna die erit sæpe surdus & cæcus*, scilicet quando videret actu, & quando audiret visu, & auditu, & quando non: non: q[illegible] tamen esset aptus natus habere, tunc esset c[illegible]s, & surdus: accidit enim quòd in vna die sæp[illegible] nec audimus actu, nec videmus. Deinde cùm dicit:

Hæc ratio procedit comparando sensũ ad sentire.

T. c. 6.

14

Ampliùs si impossibile quòd priuatum potentia: quod non sit impossibile erit factum esse, sed quod impossibile est factum esse, dicens, aut esse, aut futurum esse mentitur, nam possibile hoc significauit. Quare hæ rationes auferunt motum, & generationem, semper enim stans stabit, & sedens sedebit, non enim surgit si sedet, impossibile namque erit surgere quod non potest surgere.

Ponit quartam rationem, quæ talis est: quia si sic, ergo impossibile est non factum fieri: consequens est falsum, quia tunc aufertur omnis motus, & generatio. Consequentia probatur, quia impossibile est operari priuatum potentia operandi: sed non actu operans non habet potentiam operandi secundùm te, ergo impossibile est illud operari, & per consequens nunquam poterit fieri id quod non est factum. Dicit ergo: *amplius si impossibile*, id est, impotens est *quod priuatum est potestate*, sequitur quod *non factum impossibile est fieri: sed dicens esse aut futurum esse quod impossibile est fieri, mentietur: nam impossibile hoc significat*, scilicet quod eius oppositum necessariò est verum: & per consequens ipsum non contingit esse: quare *hæ rationes*, id est, opiniones *auferunt motum, & generationem: semper enim stans stabit, & sedens sedebit: non enim stabit*, id est, poterit stare, *si sedens*, id est, quod non habet potentiam ad surgendum quando est sedens, secundùm eos: & ita non est possibile eum surgere, & per *consequens impossibile est eum surgere*. Similiter intelligendum est de omni alia mutatione. Deinde cùm dicit:

Priuatum potentia impossibile est operari.

Hæc ratio procedit, comparando nondum factum ad fieri futurum vel præsens.

Si ergo hoc non contingit dicere, palàm quia potentia, & actus alterum sunt. Illæ verò rationes potentiam, & actum idem faciunt, propter quod, & non paruum aliquid quærunt destruere.

Quare contingit possibile quidem aliquid esse, non esse autem, & possibile non esse, esse autem. Similiter autem, & in aliis Categoriis possibile est vadens esse, & non vadere, & non vadens possibile esse vadere.

T. c. 7.

Concludit ex prædictis oppositam conclusionem, dicens: si ergo *non contingit hæc* eadem scilicet inconuenientia *dicere* quæ dicta sunt, id est, si volumus vitare dicta inconuenientia, *palàm quia potentia, & actus diuersa sunt: illæ verò rationes*, id est, prædictæ opiniones *faciunt idem, potentiam, & actum*, ex hoc scilicet quòd ponunt tunc tantùm aliquid esse in potentia quando est in actu: *propter quod non paruum* hi, imò supple magnum *aliquid quærunt destruere*: quia scilicet tollunt motum, & generationem à rebus, *quare* supple hoc est falsum: quia oportet dicere quòd *contingit aliquid quidem esse possibile, & tamen non esse*; & similiter *aliquid esse, & tamen possibile non esse: similiter autem, & in aliis Categoriis*, id est, prædicamentis: *vadens enim possibile est non vadere, & non vadens possibile est vadere*: in contingentibus enim illud quod non est actu, est possibile esse; & quod actu est, possibile est non esse. Deinde cùm dicit:

Ponit conclusionem oppositam conclusioni dictæ opinionis.

Est autem possibile hoc cui si extiterit actus cuius dicetur habere potentiam, nihil erit impossibile. Dico autem, puta si possibile sedere, & contingere sedere, huic si inest sedere, nihil erit impossibile, & aut moueri, aut mouere, aut statui aut statuere, aut esse, aut fieri, aut non esse, aut non fieri similiter.

15

Ad euidentiam dictorum determinat quasdam veritates circa potentiam, & actum; & diuiditur in duas: quia primò ponit descriptionem possibilis. Secundò ostendit originem nominis huius quod est *actus*. Secunda ibi: *Venit autem actus*. Dicit ergo, quòd hoc *autem est possibile cui si extiterit actus cuius dicitur habere potentiam*, id est, quòd si ponatur in actu ad quem est in potentia, *non erit impossibile: dico autem vt si* aliquid *possibile est sedere, & contingere sedere, & huic si inest sedere*, scilicet actus sedendi *non erit impossibile*, & similiter est in aliis, *aut moueri, aut mouere, aut statui, aut statuere, aut esse aut fieri, aut non esse, aut non fieri similiter*. Deinde cùm dicit:

1. Veritas.

Possibile quid?

Venit autem actus nomen qui ad entelechiã compositus, & ad alia ex motibus maximè. Videtur actus maximè motus esse, quapropter & non

non exiſtentibus non aſſignant moueri, alias autem quaſdam Categorias puta intellectualia, & concupiſcibia non eſſe entia, mota verò non, hoc autem quia non entia actu, erũt actu, non entium enim quædam potentia ſunt, non ſunt autem quia non entelechia ſunt.

2. *Veritas.*

Vnde hoc nomen actus, *& quid ſignificat.*

Manifeſtat originem huius nominis quod eſt *actus* quod eſt impoſitum ad ſignificandum *entelechiam & ad alia*, puta formam & perfectionem, & huiuſmodi: actus inquam ſecundùm nomen venit maximè *ex motibus:* nam ex motu habuit originem hoc nomen actus: *videtur enim actus maximè eſſe motus: quapropter & non exiſtentibus*, id eſt, rebus quæ non exiſtunt, non reddunt *vel non aſſignant*, ſcilicet omnes homines ipſum *moueri: alias autem quaſdam Categorias*, id eſt, quædam alia Prædicamenta, attribuimus ſupple non exiſtentibus, *puta non entia dicimus eſſe intelligibilia, & concupiſcibilia: mota verò non* dicimus: *hoc verò* ideò eſt, *quia non entia actu erunt actu*, ſi ſcilicet eis tribueretur motus, cùm motus ſit actus, quod tamen eſt falſum: *quædam enim non entia ſunt in potentia*, non autem *ſunt*, id eſt, non propter hoc dicuntur eſſe: *quia non ſunt entelechia*, id eſt, actu.

Quæ Prædicamenta conueniunt non entibus?

Non attribuitur actus non entibus.

Notandum, quòd modi ſignificandi ſequuntur modos intelligendi; & ideò quia nomina ſunt ſigna conceptuum, intellectus primò illis nomina imponit quæ primò intelliguntur; licèt quandoque poſteriora ſint ſecundùm naturam: motus autem quatenus ſenſu percipitur, maximè eſt nobis notus inter cæteros actus; & ideò motui primò impoſitum eſt nomen *actus:* & ab eo ad alia eſt translatum, propter quod motus non attribuitur rebus quæ non ſunt: quia cùm motus ſit actus, ſequitur quòd ea quæ non ſunt actu, eſſent actu, quod eſſet contradictio manifeſta. Tunc ſequitur illa pars:

16

Reſolutio dictorum de nomine actus *& ſignificato eius.*

SVMMÆ PRIMÆ CAP. IV.


Contra ponentes omnia eſſe poſſibilia.

SVMMARIVM.

Contra aſſerentes omnia eſſe poſſibilia; quia diameter nequit commenſurari coſtæ. Explicat benè Doctor, quid ſit poſſibile.

T.c.8.

SI autem eſt quod dictum eſt poſſibile inquantum ſequitur; palàm quia non contingit verum eſſe aliquid dicere; quia poſſibile hoc: non erit autem, vt & impoſſibilia eſſe ſic diffugiat. Dico autem, puta ſiquis dicat poſſibile diametrum commenſurari; non tamen commenſurabitur, non cogitans impoſſibile eſſe: quia nihil prohibet poſſibile aliquod ens eſſe, aut fieri: non eſſe verò, aut non futurum eſſe. Sed illud neceſſe ex poſitus ſit, & ſupponamus eſſe, aut fieri: quod non eſt quidem; poſſibile autem, quia nihil erit poſſibile. Non enim eſt idem falſum, & impoſſibile; nam te nunc ſtare falſum quidem eſt, & non impoſſibile.



Latus.

2. *Opinio excluditur.*

Vbi excludit ſecundam opinionem, quæ ponit omnia eſſe eſſe poſſibilia; licèt non ſint actu. Circa quod duo facit: quia primò hanc opinionem impugnat. Secundò quandam veritatem circa conſequentia poſſibilium manifeſtat. Secunda ibi: *Similiter autem palàm.* Dicit ergo, quòd *ſi poſſibile eſt illud quod dictum eſt inquantum ſequitur*, ſcilicet quòd ſi ponatur eſſe in actu, non ſequitur impoſſibile, *palàm quia non conuenit aliquid verum eſſe dicere*, ſupple quod quidam dicunt, ſcilicet quod vnumquodque eſt poſſibile, & *non erit*, id eſt, quamuis nunquam ſit futurum: quia *impoſſibile ideò eſſe fugiendum:* vel vt habet alia trãſlatio, *vt impoſſibilia eſſe ſic diffugiens*. Vult dicere, quòd per hanc poſitionem impoſſibilia tolluntur ſecundùm eos qui hoc dicunt: *dico autem vt ſi quis dicat poſſibile eſſe diametrum*, ſcilicet quadratum *commenſurari*, ſupple lateri quadrati; quia tamen hæc poſitio quantum ad aliquid dicit verum, & quantum ad aliquid falſum, ideò ſubdit, quòd *nihil prohibet poſſibile eſſe aut fieri, non autem eſſe, aut non futurum eſſe:* multa enim ſunt poſſibilia eſſe, quæ nunquam erunt: licèt hoc non ſit verum de omnibus, ideò ſubdit: *ſed illud neceſſe eſt ex poſitis*, id eſt, ex dictis ſuperiùs, & *ſupponamus*, id eſt, oportet ſupponere *eſſe, aut futurum eſſe quod non eſt quidem poſſibile, aut non erit impoſſibile*, id eſt, quòd oportet ſupponere illa tantùm poſſibilia eſſe, aut fieri, quæ licèt non ſint, ipſis tamen poſitis in eſſe non ſequitur impoſſibile. Ex quo ſequitur impugnatio opinionis, quòd ſcilicet diametrum eſſe commenſurabile non eſt poſſibile: quia eo poſito ſequitur impoſſibile, & ideò non ſolùm eſt falſum, ſed etiam impoſſibile, quæ multum diſtant; ideò ſubdit, *non enim eſt idem falſum eſſe & non poſſibile*, id eſt, impoſſibile eſſe: *nam te ſtare: nunc quidem falſum eſt*, ſi ſupple ſedes: *non eſt tamen impoſſibile:* multa enim ſunt falſa, ſed non ſunt impoſſibilia.

Falſum duplex.

Falſum & impoſſibile non conuertuntur.

Reſolutio dictorum.

Notandum hanc opinionem partim falſam eſſe, & partim veram: nam eorum quæ non ſunt, quædam ſunt poſſibilia eſſe, puta Antichriſtum eſſe, qui nondum eſt: quædam verò non ſunt poſſibilia, puta diametrum commenſurari, vel aſinum eſſe riſibilem. Iſta ergo opinio, quantum ad id quod dicit falſum, impugnatur ex diffinitione poſſibilis priùs poſita, quam hîc oportet ſupponere: nam ſi poſſibile eſt, quo poſito in eſſe, non ſequitur impoſſibile, ſequitur quòd aſinum eſſe riſibilem, & ſimilia ſit impoſſibile, cùm ad ea poſita in eſſe ſequitur impoſſibile. Deinde cùm dicit:

Similiter

Al. simul autem.

T.c.19.

Similiter autem palàm: quia si a *ente, necesse* b *esse. Et possibili ente* a *&* b *necesse est esse possibile: si enim non necesse esse possibile, nihil prohibet non esse possibile esse: si autem possibile, ergo quando* a *possibile erit esse, si ponatur* a *nihil impossibile esse accidit:* b *autem necesse esse, sed erat impossibile. Sit itaque impossibile, etsi impossibile necesse esse* a, *necesse &* b *esse sed erat primum impossibile, ergo & secundum. Si igitur sit* a *possibile, &* b *erit possibile, si quidem sic se habebant, ergo* a *ente, necesse &* b *esse. Si itaque sic se habentibus* a, b, *non est possibile* b, *ita nec* a, b *habebit vt positum est, etsi* a *possibili ente, necesse est* b *possibile esse. si est* a *necesse est* b *esse, nam possibile esse ex necessitate* b *esse si* a *sit possibile, hoc significat si sit* a *& quando, & vt erat possibile esse, & illud tunc esse, & ita esse necesse.*

Manifestat quandam veritatem circa consequentiam possibilium: dixerat enim quòd possibile est ex hoc quòd ad ipsum non sequitur impossibile: sed possibile: intendit ergo istam veritatem, quòd in conditionali vera si antecedens est possibile, consequens erit possibile: sit *a* antecedens & *b* consequens. Tunc arguitur sic: si *a* est possibile; ergo & *b* est possibile, quia si non, da oppositum; ergo *b* non est possibile, & per consequens impossibile; sed si *b* est impossibile; ergo *a* quia ad oppositum consequentis, sequitur oppositum antecedentis: sed positum erat *a* esse possibile; ergo oportet quod si *a* est possibile, quòd *b* sit possibile, & hoc vniformiter, vt sicut *a* & quando *a* est possibile, similiter & *b*. Dicit ergo, quòd similiter *aut palàm quod si* a *ente*, id est, existente, *necesse est* b *esse*, ergo scilicet sequitur, & *possibile ente* a id est si *a* est possibile esse, *necesse est* b *possibile esse: quia detur oppositum consequentis, nihil prohibet non esse possibile esse*, scilicet ipsum *b*, & per consequens ipsum *a*, quia ad oppositum consequentis sequitur oppositum antecedentis: *si autem* a *possibile erit*, vt supponitur; *ergo quando* a *possibile est esse: si ponitur* a scilicet *in esse, nihil accidit impossibile esse*: sic enim superiùs diffinitum *est possibile* b *autem necesse*, id est necessariò sequitur ad *a* vt supponitur; *sed erat impossibile*, id est, ipsum *b* supponitur impossibile: nam idem est esse impossibile, quod est non possibile: *sit itaque impossibile*, scilicet ipsum *b & si impossibile, necesse est esse*, id est, quatenus ad oppositum consequentis sequitur oppositum antecedentis, *necesse est* a *&* b *esse*, scilicet impossibile: *sed erat*, id est, supponitur quod posito a necesse est esse b, ergo *primum est impossibile & secundum quod* scilicet *b* est impossibile, quod habet rationem prioris in secunda illatione; *ergo & secundum*, scilicet ipsum *a* erit impossibile, quod est contra suppositum: opportet ergo sic se habere, quod si *a* est possibile & *b* erit possibile: si quidem sic se habebant quod *a* ente, necesse est *b* esse: *sic itaque se habentibus* a, b *quod* scilicet ad *a* sequitur *b non est possibile* b *ita*, scilicet se habebere, quod sit impossibile existente *a* possibili: quia *si sic; nec* a, b *se habebit vt positum est*, scilicet quod ad *a* sequitur *b*, ergo, *si* a *possibile ente, necesse* b *esse possibile esse*, vt ostensum est: oportet quòd

Declarat notabilem veritatem de consequentiis possibilium.

Ad oppositum consequentis sequitur oppositum antecedentis.

si est a, *necesse* b *esse: nam ex necessitate possibile est* b *esse, si* a *est possibile: hoc enim significat* supple cùm dicitur quòd si *est* a *est* b, *quod si* a est possibile *quod* b necessariò est possibile, sic intelligendo *quod si est* a *& quãdo, & vt erat possibile esse & illud*, scilicet b *tunc*, & ita *necessario esse est*, scilicet possibile; ita quòd secundùm circumstantias quibus *b* est possibile, & ipsum *q* sit possibile; ergo, &c.

18

Notandum, quòd possibile dupliciter sumitur: vno modo, vt opponitur necessario, & hoc modo possibile dicitur quod contingit esse, & non esse. Alio modo sumitur possibile vt opponitur impossibili, & sic est commune contingenti, & necessario, vt patet ex primo libro Priorum, cap. 18. Primo modo non loquitur hîc Philosophus de possibili: quia potest esse quòd antecedens sit possibile hoc modo, scilicet contingens esse, & non esse: & tamen consequens erit necessarium. Exemplum, si Plato videt; ergo Plato est animal: loquitur ergo de possibili secundo modo: sic enim verum est quòd si antecedens est possibile quòd consequens etiam sit possibile: sumendo possibile vt opponitur impossibili, & sic procedit probatio Philosophi, sicut patet.

Possibile aliud quidem opponitur necesse alind impossibli.

Notandum, quod dictum Philosophi non conuertitur, scilicet quod si *b* est impossibile; ergo *a* est impossibile quod similiter è conuerso sit: nam ex impossibili potest sequi necessarium. Exemplum: si homo est equus, ergo homo est sensibilis: si enim ad consequens impossibile sequitur antecedens impossibile, non oportet sic esse è conuerso, vt patet in exemplo dato.

Ex impossibili potest sequi necessarium.

SVMMA PRIMÆ.
CAP. V.

Quomodo potentiæ ad actum reducuntur?

SVMMARIVM.

Explicat potentias naturales, & acquisitas, docens illas dari à natura, has verò exercitio acquiri. Item potentias irrationales reduci ad actum statim, applicatis actiuo, & passiuo: rationales verò non ita, nisi velit potens, quod benè explicat Doctor, & quod tantùm voluntas est potentia rationalis completa, de quo vide eum hîc q. 17.

T.c.10.

Omnibus autem potentiis existẽtibus his quidem cognatis, vt sensibus: his autem consuetudine, vt quæ est fistulandi: aliis autem disciplinatu, vt quæ est artium: has quidem necesse eos, qui præexercitati fuerint, habere quæcunque consuetudine, & ratione: non tales autem, & eas quæ sunt in pati, non necesse.

19

Postquam Philosophus exclusit quarundam opinionum falsitatem: nunc determinat veritatem. Circa quod duo facit: quia primò præmittit quòd aliquando potentia præcedit actum, aliquandò sequitur. Secundò inquirit quomodo potentia præcedens actum ad actum reducatur. Secunda

Quid tenendũ de simultate vel prioritate potentia & actus.

cunda ibi: *Quoniam verò possibile est*. Dicit ergo, quòd *omnibus potentiis existentibus his quidem generatis*, id est, naturalibus *vt sensibus*: sensus enim sunt potentiæ naturales in animalibus: *his autem consuetudine*, id est, acquisitis per consuetudinem, vt ars *quæ est fistulandi*, aut tibizandi: *aliis* autem scilicet potentiis more, siue *disciplinatu*, id est, per disciplinam, siue per doctrinam acquisitis, *vt quæ est artium*, id est, sicut artes, puta medicina, & aliæ: istarum supple potentiarum *has quidem quæcunque sunt consuetudine, & ratione*, id est, quas acquirimus per *consuetudinem, vel rationem, necesse est præagentes habere*, id est, acquiri per actus; vnde in his actus præcedit potentiam: nam habitus generantur per actus: alias verò potentias *non tales* quæ scilicet sunt generatæ, *& quæ sunt in pati*, puta potentias sensitiuas, *non necesse est* quòd scilicet actus præcedat potentiam: nam fistulando fit aliquis fistulator, & considerando fit aliquis sciens: non tamen sic est in potentiis naturalibus: non enim audiendo acquirit aliquis sensum auditus; sed ex hoc quòd habet potentiam auditiuam, fit postea audiens: sicut ergo in primis potentiis actus præcedit potentiam, sic in istis sequitur.

Al. cognitis vel cõnatis, id est, indifferenter, vel congeneratis, id est, naturalibus, vel connaturalibus.

Quæ potentiæ præcedunt actum.

Notandum tamen, quòd loquendo de potentiis, vel habitibus acquisitis ex consuetudine, vel more, est considerare actus in duplici genere: quia quidam sunt generatiui potentiæ, quidam sunt eliciti à potentia; & fortè hi, & illi sunt idem, excepto primo actu generante primum gradum illius habitus, qui dicitur potentia: nam ille solus non elicitur ab habitu. Inquantum ergo isti actus sunt generatiui, præcedunt potentiam; inquanquantum verò eliciti, sequuntur potentiam. Ratio vtriusque patet, quia causa præcedit effectum. Contrà: quia nihil idem est causa, & effectus respectu eiusdem; quia sic esset prius & posterius eodem. Respondeo, verum est secundùm idem, sed non est sic hîc: nam actus generatiuus potentiæ, excepto primo actu, elicitur, & est effectus gradus præcedentis in habitu, generat tamen & est causa gradus sequentis: nam actus elicitus augmentat habitum, Deinde cùm dicit;

Actus & habitus considerari possunt dupliciter.

Qualiter idẽ actus & generat, & generatur ab habitu?

20

Quoniam autem possibile aliquid, possibile, & quandoque & quodammodò, & quæcunque alia necesse adesse in diffinitione, & hæc quidem secundùm rationem possunt mouere, & potentiæ ipsorum cum ratione: hæc autem irrationabilia & potentiæ etiam irrationales: & illas quidem necesse inanimato esse: has verò in ambobus.

Inquirit quomodo potentia præcedens actum ad actum reducatur. Circa quod duo facit: quia primò ostendit quomodo circa hoc differunt adinuicem potentiæ rationales, & irrationales. Secundò exponit quomodo reducantur ad actum potentiæ rationales. Secunda ibi: *Necesse ergo diuersum*. Prima in tres: Primò ad hanc differentiam assignandam quædam necessaria præmittit. Secundò dictarum potentiarum differentiam subiungit. Tertiò causam dictæ differentiæ exponit, Secunda ibi: *Tales quidem potentias*. Tertia ibi; *Hæ autem omnes*. Præmittit ergo duo: vnum est quòd in ratione, id est, diffinitione possibilis multa sunt consideranda; ideò dicit, quòd *quoniam verò possibile est aliquid possibile*, puta scribere, currere, vel cantare, *& quando*, id est, quando oportet considerare etiam circunstantiam temporis: quod enim aliquid potest, non potest illud quocunque tempore indifferenter, sicut masculus non potest semper generare, sed tempore determinato, scilicet quando est vir, *& quomodo*, id est, oportet considerare modum possibilis: non enim quocunque modo potest aliquid agere, vel pati, puta si aliquis potest scribere velociter, non tardè, vel è conuerso: & similiter *quæcunque alia necesse est adesse in diffinitione*, id est, quòd oportet considerare has, & alias circunstantias, quæ in diffinitionibus rerum determinare oportet: & similiter in diffinitione possibilis, puta quo loco, aut quo instrumento, & huiusmodi. Aliud quod præmittit est, quòd *alia quidem possunt mouere secundùm rationem, & potentiæ ipsorum* sunt *cum ratione* scilicet rationales: *hæc autem*, scilicet possibilia sunt *irrationabilia, & potentiæ ipsorum sunt irrationales: & illas quidem* potentias, scilicet rationales *necesse est esse inanimato*: quia non possunt esse in rebus animatis: *eas verò*, scilicet potentias irrationales *in ambobus*, scilicet in rebus animatis, & in inanimatis, vt expositum fuit superiùs: nam omnes potentiæ non solùm corruptibiles, sed etiam animæ, præterquam animæ rationalis, & quæ subsunt imperio rationis, cadunt, & computantur inter potentias irrationales. Deinde cùm dicit:

1. Præambulum.

Vide 7. d. 1.

Posse *aliud absolutum, aliud circunstantionatũ: vel sic, aliud remotũ, aliud propinquum.*

2. *Præambulum.*

Possibile & potentia duplex.

21

Tales quidem potentias necesse quando vt possunt actiuum, & passiuum appropinquant; hoc quidem facere, illud verò pati, illas verò non necesse.

Subiungit dictarum potentiarum differentiam, dicens, quòd *tales quidem potentias*, scilicet irrationales, *quando vt possunt*, id est secundùm quod expedit, *actiuum & passiuum appropinquant*: necesse est *hoc quidem facere: illud verò pati*. Ratio huius est, quia potentiæ irrationales sunt potentiæ, quæ non habent dominium sui actus, & actiuo, & passiuo approximatis, puta igni, & combustibili, necessariò sequitur actio: *illas verò*, scilicet potentias, scilicet rationales *non necesse* est sic se habere: non enim necesse est fistulatorem fistulare, etiam præsente passo. Ratio huius est, quia potentiæ rationales habent dominium sui actus, ratione voluntatis concurrentis, vt dicetur infrà. Deinde cùm dicit:

Differentia dictarum potentiarum.

Actiuo & passiuo approximatis, quando necessariò sequitur actio.

Vide 1. q. prolog. sent. & hîc q. finali.

Hæ quidem enim omnes vna vnius factiua: illæ autem contrariorum: quare simul facient contraria, scilicet si agerent approximata passiuo sine aliquo determinante. Hoc autem impossibile.

Assignat causam dictæ differentiæ, dicens quòd *hæ*, scilicet potentiæ irrationales *omnes* sic se habent, quòd *vna est factiua vnius*, & ideò supple præsente passo, scilicet conuenienti potest facere illud vnum; *illæ verò*, scilicet potentiæ rationales sunt *contrariorum*, vt superiùs dictum fuit: *quare* supple si præsente passo potentiæ rationales necessariò facerent, ea quorum sunt factiuæ, sequitur quòd *simul facient contraria*; *sed hoc est impossibile*, sicut patet de se, nam tunc medicina simul induceret ægritudinem, & sanitatem. Deinde cùm dicit:

Necesse

Necesse ergo alterum aliquid esse quod proprium est. Dico autem hoc appetitum, aut proheresim: quod enim desiderabit principaliter hoc faciet quando vt potest extiterit, & appropinquauerit passiuo. Quare potens secundùm rationem omne necesse est quando desiderat cuius habet potentiam, & vt habet hoc facere. Habet autem præsente passiuo, & ita se habente facere, si autem non facere, non poterit.

Causa dicta differentia.

Ostendit propositum de potentia rationali, quomodo scilicet reducatur ad actum. Circa quod duo facit: quia primò præmittit veritatem intenti, ostendens per quid ad actum reducatur, ex quo non sufficit approximatio passi. Secundò ex veritate ostensa excludit duo dubia possibilia oriri ex prædictis. Secunda ibi: *Nullo namque exteriorum.* Dicit ergo, quòd quia supple potentia rationalis se habet communiter ad contraria, & à communi non procedit effectus determinatus, nisi sit aliquod determinans illam causam ad hunc effectum, magis quàm ad illum: quia inquam sic est: *ergo necesse est esse quid diuersum,* scilicet præter potentiam rationalem, *quod est proprium,* id est, aliquid quod appropriet & determinet illam potentiam ad alterum contrariorum: *dico autem hoc appetitum,* id est, voluntatem, *aut proheresim,* id est, electionem quo est actus voluntatis, *quod enim aliquis desiderabit, hoc maximè faciet, quando sicut potest existit,* id est, quando est in dispositione, qua est potens facere, & *appropinquauerit passiuo:* hæc enim etiam requiritur: *quare omne possibile, vel potens secundum rationem necesse est:* quòd si faciat *quando desiderat illud cuius habet potentiam vt habet hoc facere.* Vúlt dicere, quòd sicut potens potentia irrationali necessariò agit præsente passo: ita potens potentia rationali quando desiderat, id est, est determinatum per appetitum necessariò facit illud cuius habet potentiam, & eo modo quo habet: *hoc autem præsente passiuo, & ita se habente* potest *facere: si autem non, facere non poterit.*

Quomodo potentia rationales reducuntur ad actum.

Notandum quòd, vt dicebatur priùs, & dicetur magis in quæstione, potentia rationalis est voluntas, vt hîc loquimur de rationali: vel saltem non est sine voluntate: vnde intellectus vel scientia non est potentia rationalis, nisi incompleta, quando Philosophus communiter loquitur de potentia rationali. Quia igitur intellectus vt distinguitur à voluntate, est potentia merè naturalis, nec habet per consequens dominium sui actus præsente passo; ideò oportet quòd determinetur per voluntatem ad actum, cùm de se indeterminato possit in opposita, qua determinatione facta necessariò exit in actum quantùm est de se: nisi forsan per voluntatem refrænetur: voluntas enim per suum imperium potest suspendere non solùm actum proprium, sed etiam actum intellectus: & per consequens actum practicum artis, siue dirigentis, siue exequẽtis, & ideò ædificator potest non ædificare etiam præsente passo. Deinde cùm dicit:

Conuenientia potentiarum dictarũ in necessariò agere.

Quomodo intellectus est potentia rationalis incompleta & determinatur & completur per voluntatem.

Et de libertate voluntatis hîc.

Nullo namque exteriorum prohibente adhuc adiungere nihil adhuc oportet. Potentiam enim habet vt est potentia faciendi. Est autem non omnino: sed habentium aliquo modo; in quibus excludentur quæ exterius prohibent. Remouent enim hoc eorum quæ in determinatione apponuntur quædam.

Ex veritate ostensa excludit duo dubia possibilia oriri ex prædictis: quorum secundum ponitur ibi: *Propter quod nec si simul.* Posset enim dubitare aliquis, quare cùm ait quòd potens potentia rationali quando desiderat necessariò agit præsente passo, non addidit si nihil exteriùs prohiberet: & hoc remouet, dicens quòd *nullatenus oportet determinare,* id est, addere, *nullo exteriorum prohibente:* quia dictum est quòd necesse est agere si habeat potentiam sufficientem ad agendum: ideò dicit, quòd *potentiam enim habet vt est potentia faciendi: est autem* hoc *non omnino,* id est, quolibet modo: *sed habentium aliquo modo,* id est, quando habet potentiam debito modo, & sufficienti *in quibus* dictis determinantur vel *excluduntur quæ exterius prohibent: auferunt enim hoc,* id est, exteriùs prohibentia quædam *eorum* quæ sunt existentia *in determinatione,* id est, in diffinitione, scilicet possibilis, vt videlicet quòd tale possibile prohibitum per exterius prohibens, non sit possibile tunc, vel non possibile tali modo, & alia huiusmodi, ita quòd per ea quæ superiùs sunt dicta debere attendi in diffinitione possibilis, *remouentur* implicitè *exteriùs prohibentia,* & ideò non fuit necessarium modò addere illud. Deinde cùm dicit:

1. Dubium circa dicta. Solutio.

Propter quod nec si simul volunt, aut cupiuntur facere duo, aut contraria facient. Non enim ita simul habent ipsorum potentiam: nec est simul faciendi potentia, quoniam quorum est sic facient.

Remouet secundum dubium: dictum est enim quòd potens potentia rationali, quando desiderat necessariò agit, ex quo videtur quòd possit simul contraria facere, cùm aliquando desideret contraria: saltem secundùm appetitum sensitiuum, quod remouet dicens: *propter quod nec si simul volunt, aut cupiuntur facere duo, aut contraria,* non propter hoc *faciet: non enim ita habent potentiam simul ipsorum,* scilicet contrariorum quòd *simul contraria faciant: quoniam quorum est sic faciet,* id est, sed sic facient contraria, sicut habent potentiam, vt scilicet alterum contrariorum possint facere quod magis desiderant.

2. Dubium. Solutio. Hic habes simultatem potentiæ & potentiam simultatis.

SVMMA SECVNDA

De actu.

CAP. I.

De diuisione actus, & vt aliquid est in potentia proximè & remotè.

SVMMARIVM.

Agitur de actu, qui Metaphysicè est existere rei; diuiditur in primum & secundum; aliquando est coniunctus potentiæ, aliquando non, vt in vidente; in cõtinuo autem & vacuo, semper est actus coniunctus potentiæ, quia potentia ad

actum

actum diuisionis, & euacuationis, in his nunquam cessat. De quo vide Doctorem 2.d.2.q.9.nu 22.

T.c.11.

24

Quoniam autem de potentia quæ secundùm motum dicitur, dictum est, de actu determinemus quid est actus, & quale quid: etenim possibile simul manifestum erit diuidentibus: quia non solùm hoc diximus possibile quod aptum natum est mouere aliud, aut moueri ab alio, aut simpliciter, aut modo quodam; sed, & aliter: quaproper quærentes dt his superueniemus.

Sermo de actu absolutè.

Postquam Philosophus determinauit de potentia: nunc determinat de actu. Circa quod duo facit: Primò proponit intentum. Secundò exequitur de intento. Secunda ibi: *Est autem actus*. Dicit ergo, quòd *quoniam dictum est de potentia dicta secundùm motum quæ* scilicet est in rebus mobilibus principium actiuum, & passiuum: nunc *determinabimus de actu, quid est, & quale quid est; etenim simul* cum hoc *erit manifestum ipsum possibile*, id est, habens potentiam *diuidentibus*, scilicet nobis ipsum actum: nam supple actus non solùm inuenitur in rebus mobilibus, sed etiam in immobilibus; ex quo patet quòd quia potentia dicitur ad actum, *non solùm hoc dicitur possibile quod aptum natum est mouere aliud* actiuè, *aut moueri ab alio* passiuè, *aut simpliciter*, puta cùm potentia sumitur absolutè: *aut modo quodam*, puta cum potentia sumitur cum determinatione huius quod est benè agere, vel benè pati, *sed etiam aliter*, supple sumitur potens, scilicet secundùm ordinem ad actum; & hoc sine motu: *quapropter quærentes, & de his tractabimus.*

Actus & potentia duplex.

Notandum, quòd licèt nomen *actus* sumptum sit à motu, vt prædictum est; tamen non solùm actus dici motu: actus enim, & potentia dupliciter dici possunt: vno modo vt abstrahunt à motu: alio modo vt includunt motum. Primo modo dicuntur Metaphysicè, ita quòd actus dicit actum essendi siue existendi cui opponitur potentia obiectiua. Secundo autem modo dicuntur Physicè, determinato ergo de potentia, & actu vt dicuntur Physicè, dicendum est de eis vt dicuntur Metaphysicè. Deinde cùm dicit;

25

Est autem actus existere rem non ita sicut potentia dicimus, vt in ligno Mercurium, & in toto medietatem; quia auferetur vtique, & scientem, & non speculantem si potest speculari hoc actu.

Al. quando aliquid.

Exequitur de intento. Circa quod duo facit. Primò ostendit quid sit actus. Secundò quomodo aliquid est in potentia ad actum. Secunda ibi: *Quando verò potestate.* Prima in duas: primò ostendit de actu quid sit. Secundò distinguit actum. Secunda ibi: *Dicuntur autem actu.* Prima in duas. Primò facit quod dictum est. Secundò remouet dubium ibi: *In singularibus autem.* Dicit autem quòd *actus*, supple Metaphysicus, *est rem existere*; ita quòd existentia est actus rei: *non autem ita est sicut dicimus aliquid* supple esse potestate, id est, *potentia*: dicimus autem potentia: *vt in ligno Mercurium, & non in actu: & similiter in toto* dicimus *dimidietatem* esse in potentia: *quia auferetur vtique*, id est, quod est possibile vt illa pars dimidia auferatur à toto & tunc supple erit in actu: *& similiter scientem, & non speculantem* dicimus supple esse in potentia, *si potest speculari: hæc verò actu*, quando scilicet actu speculatur; ex quibus patet quod aliter res est in potentia, & aliter res est in actu. Deinde cùm dicit:

Actus Metaphysicus quid?

Vide in 4.d. 11.art.2.q.1. iuxta principium.

Palàm autem inductione in singularibus quod dicere volumus: & non oportet omnis rei terminum quærere: sed proportionale conspicere: quia vt ædificans ad ædificabile, & vigilans ad dormiens, & videns ad claudens quidem oculum: visum autem habens, & segregatum ex materia ad materiam & elaboratum ad illaboratum est aliud, & huius differentiæ alteri parti sit actus determinatus: alteri autem possibile.

Remouet dubium.

26

Remouet dubium: posset enim aliquis dubitare, quia per diffinitionem non exprimit quid sit actus: quod remouet dicens, quòd *inductione*, id est, per inductionem *in singularibus* est manifestum *quid dicere volumus*, scilicet quid sit actus, *& non oportet omnis rei terminum*, id est, diffinitionem *quærere, sed proportionale*, id est, per proportionem mutuam aliquorum duorum est *conspicere*, quid scilicet sit actus: *quia sicut*, supple se habet *ædificans ad ædificabile, & vigilans ad dormiens, & videns ad claudens oculum, habens tamen visum, & segregatum ex materia* sicut forma educta de materia, vel per naturam, vel per artem se habet *ad* ipsam *materiam* & similiter paratum, *& elaboratum*, *ad* hoc quod *non* est paratum, vel non *elaboratum: & huius differentiæ alteri partium sit actus determinatus, & alteri possibile*, id est, quòd in omnibus istis altera pars erit actus, & altera pars erit potentia: sic quod ex huiusmodi singularibus exemplis possumus cognoscere inductiuè de potentia, & actu quid sint.

Non omnium est quærenda propria diffinitio; sed plura notificantur per eis proportionabilia.

Resolutio dictorum.

Actus & potentia sunt simpliciter simplicia, igitur diffinibilia.

Notandum, quòd sicut dictum fuit 8. huius, non cuiuslibet rei potest dari diffinitio: aliter esset processus in infinitum in diffinitionibus: est enim deuenire ad aliqua prima simplicia simpliciter indiffinibilia. Potentia ergo & actus cùm sint de primis differentiis, siue passionibus entis, diffiniri propriè non possunt cùm non habeant aliquod prius se, per quod possunt diffiniri, sed manifestari possunt per exempla, in singularibus inducendo, eo modo quo prædictum est. Deinde cùm dicit:

Dicuntur autem actu non omnia similiter; sed aut proportionaliter, vt hoc in hoc: aut ad hoc sic hoc in isto aut ad istud. Hæc quidē enim vt motus ad potentiam: illa verò vt substantia ad aliquam materiam.

Al. distinctiones.

27

Distinguit actum, & potentiam, & ponit duas diuisiones, quarum prima est quòd actus quidam est primus, qui est forma rei; quidam secundus, qui est operatio. Secunda distinctio est quòd actus quidam est coniunctus potentiæ, quidam est separatus. Secunda ponitur ibi: *Aliter*

Aliter autem. Dicit ergo quòd *non omnia dicuntur esse actu, sed* supple diuersimodè; quæ diuersitas apparet per diuersas proportiones: ideò subit: *sed aut proportione,* dicendo quod supple hoc est *in hoc,* puta sicut visus est in oculo, ita auditus est in aure. Aut alio modo, vt si dicamus *ad hoc*, id est, sicut *se habet hoc ad hoc,* puta visus ad videndum: ita hoc *ad hoc*, puta auditus ad audiendum: *hac* enim secunda proportio *est vt motus*, scilicet comparatur *ad potentiam*, scilicet motiuam: & similiter quæcunque alia operatio comparatur ad potentiam operatiuam: *illa verò*, scilicet prima proportio est *vt substantia*, id est, vt forma comparatur supple *ad aliquam materiam*: nam forma sic est in materia, ex quibus omnibus colligitur ista prima distinctio actus, quòd scilicet quidam est primus, vt forma; quidam secundus vt operatio. Deinde cùm dicit:

Actus duplex, primus & secundus.

Aliter autem, & infinitum, & vacuum, & quæcunque talia dicuntur potentia, & actu multis entium vt videnti, & vadenti, & visibili: hoc quidem enim contingit & simpliciter verificari aliquando: hoc enim visibile, quia videtur: illud verò, quia videri possibile, sed infinitum non ita potentia est tanquam actu futurum separabile, sed notitia, eo enim quod non deficiat diuisio, ostendunt esse potentia hunc actum, inseparari verò non.

Tex. cō. 12.

Quod quidem igitur actu, & quid est, & quale ex his, & similibus manifestū est nobis.

28

Actuum alius coniunctus potentia, alius separatus.

Ponit secundam distinctionem, dicens quòd *infinitum, & vacuum & quacunque talia dicuntur potestate, & actu*, aliter supple dicuntur esse in potestate, & actu multis, id est, quam *multa alia entium, vt videnti & vadenti, & visibili hac namque contingit simpliciter vera esse: aliquando quod,* scilicet aliquando sunt in potentia tantùm, aliquando tantùm in actu: *hoc enim est possibile videri: quia videtur*, & tunc est tantùm in actu: *illud verò quia est possibile videri*; & tunc est tantùm in potentia: similiter intelligendum est de vidente & vadente, *sed infinitum non ita est potestate*, id est, in potentia *tanquam actu futurum separabile* scilicet à potentia, ita scilicet quòd infinitum sit tantùm in actu: *sed notitia*, id est, quod benè actus, & potentia in infinito distinguūtur cognitione; vnde subdit *eo enim quòd non deficiat diuisio*, puta in infinito secundùm diuisionem *ostendunt actum ipsum esse cum potestate simul, separatione verò non*: nunquam enim actus separatur à potentia, vt scilicet quandoque diuisio, & sit totum diuisum in actu: sed semper actus est coniunctus potentiæ: quia semper est vlterius diuisibile. Similiter est intelligendum de vacuo, licèt enim possibile sit locum euacuari ab hoc, vel ab illo corpore, nunquam tamen totaliter euacuatur quin remaneat plenum alio corpore, ita quòd in vacuo semper est actus coniunctus potentiæ. Ex his colligitur secunda distinctio actus, scilicet quòd quidam actus est semper coniunctus potentiæ, quidam verò est separatus, quatenus aliquid, puta visibile, quandoque actu videtur: quandoque non, sed est possibile videri. Vltimò epilogat: dicens quòd *quid igitur est actu, & quid est actus & quale, ex his, & similibus est nobis manifestum.* Deinde cùm dicit:

In diuisione continui in infinitum est actus coniunctus potentia. Vide 1. di. 2. q. 9. & in q. 2. huius.

SVMMARIVM.

Quomodo aliquid est in potentia, proximè, & remote; & quomodo materia prædicatur denominatiuè de materiato.

Quando autem potentia est vnumquodque, & quando non, determinandum: non enim quandocunque vt terra generatione est potentia homo, aut non, sed magis cùm iam fiat sperma: sed neque hoc simpliciter forsan. Quemadmodum igitur nec à medicatiua omne vtique sanabitur, nec à fortuna, sed est aliquid quod possibile est, & hoc est sanum potentia. Terminus autem eius quod ab intellectu actu fit ex potentia ente, quando volitum fit nullo exteriorum prohibente, ibi autem in eo quod sanatur, quandò nihil prohibet eorum quæ in ipso. Similiter autem potentia, & domus si nihil prohibeat eorum quæ in his, & materia fieri domum, nec est quod oporteat adiici, aut remoueri, aut permutari hac domus potentia, & in aliis similiter quoruncunque extrinsecus principium est generationis, & quoruncunque etiam in ipso habente. Quæcunque nullo exteriorum impediente erunt per ipsum; quale sperma nondum: oportet enim in alio, & permutari, quando verò iam per suum principium est tale, iam hac est potentia, illa verò altero egent principio, vt terra nondum est statua potentia, permutata enim erit as.

29

Ostendit quando aliquid est in potentia ad actum. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est, ostendens quòd materia sub qua dispositione existens est in potentia ad actum, Secundò ostendit quòd materia sic disposita, & in potentia prædicatur de materiato denominatiuè. Secunda ibi. *Videtur autem quod dicimus.*

Varietas effectuum quoad naturam & artem & per se & per accidens.

Ad euidentiam primæ partis notandum, quòd sicut dictum fuit 7. huius, effectus quidam natus est fieri à natura, & ab arte vt sanitas: quidam non est nisi ab arte solùm, vt domus; & licèt sanitas educta per naturam sit effectus per se comparatus ad causam naturalem, nihilominus tamen dicitur esse per accidens, si comparetur ad causam, puta ad artem, quæ illum effectum non intendit, & ideò talis sanitas dicitur accidere à fortuna: non enim est inconueniens eundem effectum euenire per se, & per accidens relatum ad diuersas causas, vt ostensum fuit 7. & 6. huius. Dicit ergo, *quando vnumquodque est potestate*, id est, in potentia *& quando non, determinandum est: nec enim quandocunque*, id est, quòd non qualitercunque dispositum aliquid potest dici in potentia, *vt terra generatione est potestate homo*, id est, nunquid potest dici quòd terra sit in potestate homo? quasi diceret, quòd nō: ideò subdit *aut non* hoc oportet: *sed magis*, supple tunc est in potentia homo, *cùm iam sit sperma* ex materia præcedenti: *nec hoc forsan est simpliciter* in potentia, vt dicetur: vnde subdit quòd *quemadmodum nec omne*, supple qualitercunque dispositum, *sanabitur à medicina, nec à fortuna*, id est, à natura modo præ-

Quando aliquid est propriè in potentia ad aliud hic ostendit.

exposito:*sed est aliquid* supple sic dispositū, *quod est possibile* sanari,scilicet ab arte,vel à natura, *& hoc est salubre potestate*,id est,sanabile in potentia. Vult dicere quòd cuilibet actioni respondet determinatum passum:ita quòd illud est in potentia propriè, quod vnica actione potest ad actum reduci:vt illud dicatur sanum in potētia, quod vnica actione artis, vel naturæ potest reduci ad actū sanitatis:vnde ad huius euidentiam subiungit diffinitionem huius possibilis respectu artis,vel naturæ, dicens quòd *terminus*, id est, diffinitio *eius quod à mente*,id est,quòd ab *intellectu*, scilicet ab arte *fit* entelechia,id est,in *actu ex ente in potentia* est,*quando volibile vel volitum*,scilicet artifice *fit* supple in actu *nullo exteriorum prohibente:*& tunc dicetur sanum in potentia:quia per vnam operationem artis fiet sanum: *illic autem in sanato*, id est,in illis qui sanantur per naturam, *tunc* supple dicitur aliquid sanum in potentia *quando nihil prohibet eorum quæ sunt in ipso*,id est,quando non est interius aliquod impedimentum sanitatis quod scilicet debeat priùs transmutari quàm virtus naturalis intrinseca, & sanans possit efficere sanitatem;sed potest per vnicam actionem:subdit enim alia exempla in his quæ fiunt per artem dicens: quia *similiter* tunc *materia* est *potestate domus*; *si nihil prohibet fieri domū eorū quæ sunt in materia* & *in his*, puta lapidibus & lignis: *nec est aliquod quod oportet adesse* aut *abesse, aut permutari hæc in domum potestate*, id est,antequam materia quæ est in potentia, in domum transformetur;& propter hoc lutum propriè non est in potentia domus, quatenus oportet ipsum priùs transmutari vt ex eo fiant lateres;;qui iam præparati possunt dici in potentia domus: subdit quòd *similiter est in aliis extra quæ est principium generationis: & in ipso habente quodlibet*, id est, siue habeant principium suæ generationis extrà,vt sunt artificialia,siue intrè,vt sunt naturalia:& tunc supple sunt in potentia ad actum, *quando nullo exteriorum impediente erunt per ipsum*, id est, possunt per ipsum propriū principium ad actum reduci, *quale nondum est sperma: oportet enim in aliud permutari*, scilicet ipsum sperma, vt sic mediantibus multis permutationibus ex eo animal generetur: *quando verò per suum principium*,scilicet actiuum *iam est tale*, scilicet proximè dispositum *iam est hoc in potentia:illa verò quæ* scilicet habent priùs transmutari,quatenus nō possunt reduci ad actum per vnam solam actionem,*egent altero principio*,scilicet actiuo præparante materiam:quod interdum est aliud à perficiēte quòd inducit vltimam formam:quod declarat cùm subdit,*vt terra nondum est in potentia statua*:non enim vna actione,nec vno agente, reducitur in actum;vnde addit:*permutata autem*, scilicet per naturam *erit æs*, & tunc fiet statua per artem.

Diffinitio entis in potentia in ordine ad artē vel naturam.

Potentiarum alia propinqua alia remota.

Notandum, quòd aliquid esse in potentia ad aliquid est dupliciter:scilicet vel in potentia propinqua,vel in potentia remota. Primo modo aliquid est in potentia propriè, & sic loquitur hîc Philosophus:non tamen intendit negare,quin prima materia sit in potentia saltem remota ad formas,ad quas inducēdas requiruntur multæ transmutationes præcedentes:sic enim lutum est in potentia domus,& sperma est in potentia animal, & sic de aliis quibuscunque,licèt non sit in potentia primo modo. Deinde cùm dicit:

Videtur autem quod dicimus esse non hoc; sed illinum,vt arca non lignum,sed lignea:& lignum non terra sed terreum. Iterum terra si sit,non aliud sed illinū,& semper illud potentia simpliciter quod posterius est, vt arca non terra,nec terrea;sed lignea:hæc enim potentia arca,materia arcæ hoc: simpliciter quidem ipsius ipsum simpliciter; huius verò hoc lignum: Si verò aliquid est primum quod non adhuc de alio dicitur illinum:hæc prima materia est; vt si terra aërea est, & aër non ignis, sed igneus, ignis est prima materia hoc aliquid existens; in hoc enim differt vniuersale, & subiectum per esse hoc aliquid,aut non. 30

Ostendit quòd materia sic disposita prædicatur de materiato denominatiuè. Circa quod duo facit: primò facit quod dictum est. Secundò comparat prædicationem hanc ad prædicationem passionis de subiecto.Secunda ibi:*Vtputa passionibus,* Dicit ergo,quòd *videtur autē* supple materiatum quod fit ex materia *quod dicimus esse non hoc, sed illinum*,quod materiatum non prædicatur de materia in abstracto prædicatione dicēte hoc est hoc; sed prædicatione denominatiua, quæ describitur per hoc quod est illinum dictum denominatiuè ab hoc quod est illud *vt arca non* dicitur *lignum, sed lignea: nec lignum* dicitur *terra, sed terreum: iterum terra si sit*,id est, si habet aliam materiam priorem,*non* dicitur quod est *illud,sed illinum, & semper illud potentia simpliciter*, id est, illud quod fit in potentia simpliciter, & propriè modo prædicto: *quod posterius est*, id est, prædicatur denominatiuè de eo quod est immediatè posterius, *vt arca non* dicitur *terrea, vel terra, sed lignea*. Ratio huius est, quia terra non est propriè in potentia ad arcam, vt superiùs dicebatur, quia non potest vna sola actione transmutari in arcam: lignum autem est in potentia arca; & ideò terra non potest prædicari de arca,nec prædicatione denominatiua, nec in abstracto: lignum autem potest prædicari denominatiuè, vt arca non dicatur terrea,vel terra,sed lignea; ideò subdit, quòd *hoc enim*, id est, lignum *est in potentia arca, & materia arcæ* & proportionabiliter: quia arcæ in vniuersali est materia lignum vniuersaliter; & similiter arcæ in particulari lignum similiter in particulari; ideò subdit quòd *hoc quidem simpliciter*, id est, lignum dictum vniuersaliter,*ipsius*, scilicet arcæ,*simpliciter*,id est, vniuersaliter: *huius verò* in particulari *hoc lignum* in particulari. Subdit etiam *si verò est aliquod primum quod non adhuc de isto dicitur illinum*,id est, quòd non habet aliquid quod de ipso prædicetur denominatiuè, *illud* scilicet *est materia prima,vt si terra est aërea:* ita quòd aër sit materia terræ,vt dixerunt quidam, & prædicetur de terra denominatiuè: & similiter *aër non est ignis,sed igneus*; ita quòd ignis sit materia aëris,& prædicetur de eo:similiter si supple ignis non denominatur ab aliqua materia priori,*ignis erit prima materia hoc aliquid existēs*, id est, si sit hoc aliquid existens,& particulare ad differentiā vniuersalis: *in hoc enim differt vniuersale,& subiectum per esse hoc aliquid,aut non.* Vult dicere Philosophus quòd licèt primum vniuersale prædicetur de aliis,& alia non de ipso, sicut dictum est de prima materia, quæ supponitur esse ignis, gratia exempli; ideò ad differentiam vniuersalis oportet addere quòd materia prima

Al. illinus modi vt suprà l. 7. t. c. 24. habet vel illipuum.

Qualiter & quæ materia prædicatur de materiato?

Idem infrà 12. huius, t. c. 27.

Propertio est principiorum & principiatorū in vniuersalitate & singularitate.

Opin. Heracliti.

sit

aliquid exiſtens, quod non competit vniuerſali. Deinde cùm dicit:

51

Vt puta paßionibus quod ſubiicitur homo, & corpus & anima: paßio autem muſicum, & album. Dicitur autem muſica adueniente ſecundum illud non muſica, ſed muſicum, & non albedo homo, ſed album; nec ambulatio, aut motus; ſed ambulans, aut motum, vt illinum. Quæcunque quidem igitur ſic, vltimum ſubſtantia.

Conuenientia prædicationis paßionis de de ſubiecto & materia de materiato.

Comparat dictam prædicationem materiæ ad prædicationem paſſionis de ſubiecto, & facit tria. Primò comparat ſecundùm conuenientiam. Secundò ſecundùm differentiam. Tertiò aſſignat cauſam dicti. Secunda ibi: *Quecunque quidem.* Tertia ibi: *Et rectè itaque.* Dicit ergo, quòd ſic ſupple prædicatur materia de materiato, *vt puta*, id eſt, quòd ſicut id *quod ſubiicitur paſſionibus, vt homo, & corpus, & anima: paſſio autem muſicum, & album,* ita ſupple quòd paſſio dicitur de ſubiecto denominatiuè: *dicitur autem illud*, ſcilicet ſubiectum, *adueniente muſica non muſica, ſed muſicum; & homo dicitur non albedo, ſed album: nec dicitur ambulatio, aut motus, ſed ambulans, aut motum, vt illinum,* id eſt, non in abſtracto, ſed ſecundum prædicationem denominatiuam: ſicut etiam dicebatur de prædicatione denominatiua materiæ de materiato; & ideò quantum ad hoc eſt ſimilitudo hîc & ibi. Deinde cùm dicit;

Quæcunque verò non ſic, ſed ſpecies quædam, & hoc aliquid quod prædicatur vltimum materia, & ſubſtantia materialis,

Comparat hanc ad illam prædicationem ſecundum differentiam, dicens, quòd *quæcunque quidem igitur ſic*, ſupple dicuntur ſicut accidentia, & paſſiones de ſubiecto, *vltimum*, ſcilicet quod ſubſternitur ipſis, eſt ſubſtantia, ſcilicet compoſita, & in actu: quæcunque *verò non ſic prædicantur, ſed* illud quod prædicatur eſt *quædam ſpecies, & hoc aliquid*, id eſt, aliqua *ſubſtantia materialis*, puta terra, aut lignum: *vltimum*, ſcilicet in talibus quod ſubſternitur omnibus aliis *eſt materia*, ſcilicet prima, & ſubſtantia materialis, quæ ſupple non eſt compoſita, nec de ſe in actu, per quod differt à primis. Deinde cùm dicit:

Differentia dictarum prædicationum.

Et rectè itaque accidit illinum dici ſecundum materiam, & paßiones: ambo namque indeterminata.

Tex. co. 13

Quando quidem igitur aliquid eſt potentia, & quando non, dictum eſt.

Rationem dicti aſſignat notanter.

Aſſignat cauſam dicti, dicens quòd *rectè itaque accidit ſecundùm materiam & paſſiones dici illinum*, id eſt, fieri prædicationem denominatiuam: *nam* pro quia, *ambo*, ſcilicet tam materia: quàm paſſio, quæ prædicantur ſunt: *indeterminata*: nam accidens determinatur, & diffinitur per ſubiectum: materia autem per id ad quod eſt in potentia, & ratione huius, nec hoc, nec illa prædicatur prædicatione dicente hoc eſt hoc, ſed ſolùm denominatiuè. Vltimò epilogat: quòd *quandoquidem igitur dicendum aliquid eſſe in potentia, & quando non, dictum eſt.*

36

SVMMÆ SECVNDÆ

CAP. II.

Actum priorem eſſe potentia duplici prioritate.

SVMMARIVM.

Actum priorem eſſe potentia, diffinitione, & tempore, ſeu generatione: id tamen non ſemper verum eſſe reſpectu omnis potentiæ. Soluit obiectionem in contrarium.

32

Qvoniam autem ipſum prius determinatum quot modis dicitur; palàm quia prior eſt actus potentia. Dico autem potentia non ſolùm determinata, quæ dicitur principiũ permutatiuum in alio inquantum aliud; ſed totaliter omni principio motiuo, aut immobilitatiuo: etenim natura in eodem fit; in eodem enim genere potentiæ, principium enim motiuum ſed non in alio; ſed in eodem inquantum idem. Omni itaque tali prior eſt actus ratione & ſubſtantia, tempore verò eſt quidem vt ſic, eſt autem vt non.

Sermo de potentia & actu comparatè, & primò penes prius & poſterius.

Poſtquam Philoſophus determinauit de potentia, & actu abſolutè: nunc determinat de eis comparatè. Circa quod tria facit: primò comparat potentiam, & actum penes ordinem prioris, & poſterioris. Secundò penes bonum & malum. Tertiò penes ipſum intellectum. Secunda ibi: *Quia autem melior*, Tertia ibi: *Inuenitur itaque.* Prima in duas. Primò ponit intentum. Secundò ipſum probat. Secunda ibi: *Ratione quidem.* Dicit ergo, quòd *quoniam determinatum eſt*, ſcilicet in quinto huius, text. coment. 16. *quot modis dicitur ipſum prius, palàm*, ſcilicet ex dicendis: *quia actus eſt prior potentia; non ſolùm illa determinata* ſuperiùs, *quæ dicitur principium permutationis in alio, inquantùm aliud*, quæ dicta eſt priùs potentia actiua, *ſed totaliter*, id eſt, vniuerſaliter de *omni principio motiuo, aut immobilitatiuo*, id eſt, ſiue ſit principium motiuum, ſiue principium immobilitatis, puta quietis, aut actionis, quæ eſt ſine motu, puta intelligere, & velle: & ſubdit, *etenim natura fit in eodem*, ſcilicet genere cum potentia: *in eodem enim genere eſt*, ſupple natura, ipſi *potentiæ*: quia ſupple vtrunque eſt principium motus: vnde ſubdit quòd natura eſt, *principium motiuum*, ſed *non in alio; ſed in eodem inquantum idem*, id eſt, inquantùm huiuſmodi, vt habetur 2. Phyſic. text. 3. Ex quo patet quòd cùm natura non ſolùm ſit principium motus, ſed etiam quietis, quòd ſimiliter potentia non ſolùm eſt principium motus; ſed etiam ſit principium immobilitatis. Hoc præmiſſo, ſubdit quod intendit quòd *omni itaque tali potentia prior eſt actus ratione*, id eſt, diffinitione, *& ſubſtantia*, id eſt perfectione: *tempore verò quidem eſt, vt ſic, eſt autem vt non*, ſicut patebit infrà. Deinde cùm dicit:

Prioritas actus reſpectu potentiæ triplex.

Ratione quidem igitur quia prior, palàm, nam per contingere actu eſſe poßibile eſt, quod

primò possibile, puta dico ædificatorem potentem ædificare, & speculatorem speculari, & visibile potens videri, eadem autem ratio, & in aliis, quare necesse rationem præexistere; & notitiam notitia.

Probat intentum. Circa quod tria facit: quia primò probat prioritatem diffinitionis. Secundò prioritatem temporis & generationis. Tertiò prioritatem substantiæ & perfectionis. Secunda ibi: *Tempore verò.* Tertia ibi: *At verò & substantia.* In prima parte intendit talem rationem: Illud est prius alio, ratione, & diffinitione, per quod aliud habet diffiniri & non èconuerso: sed potentia habet diffiniri per actum & non èconuerso, ergo &c. Dicit ergo, *palàm quidem* igitur: quia supple actus est *prior quàm* potentia *ratione, nam possibile est quod primò possibile per contingere esse actu,* id est, quod prima ratio possibilis in hoc est, quòd contingit ipsum agere, vel esse in actu, puta *dico qui ædificat esse potentem ædificare, & speculatorem* potentem *speculari, & visibile potens videri; eadem ratio est & in aliis: quare necesse est rationem,* id est, diffinitionem actus *preexistere,* id est, priorem esse ratione potentiæ *& notitiam notitia;* id est quòd actus sit prior potentia, & quantùm ad diffinitionem, & quantùm ad notitiam. Deinde cùm dicit:

Actum præcedere potentiam diffinitione ostēdit.

In quo consistit ratio possibilis.

33

Tempore verò prius specie idē agens prius, sed numero non. Dico autem hoc, quia hoc quidem homine iam ente secundùm actum, & frumento, & vidente prius est tempore materia, & semen, & visum, quæ potentia sunt homo, & frumentum, & videns, nondum autem actu, sed his tempore priora altera entia actu ex quibus hæc facta sunt. Semper enim ex potestate ente fit actu ens ab actu ente, vt homo ex homine, musicus à musico, semper mouente aliquo primo, mouens autem actu iam est.

Text.c.14.

Dictum est autem in sermonibus de substantia, quia omne quod fit ex aliquo, & ab aliquo, & hoc specie idem.

Probat quomodo actus sit prior potentia, & tempore, & generatione, & quomodo non. Circa quod duo facit: primò ostendit intentam conclusionem. Secundò remouet quandam obiectionem. Secunda ibi: *Vnde Sophisticus.* Prima in duas; primò declarat intentum in potentiis passiuis: secundò in quibusdam actiuis. Secunda ibi: *Quapropter, & videtur impossibile.* Dicit ergo, quòd supple actus *est prior* potentia *tempore, specie idem agens, sed non numero,* id est, *agens* vel ens actu quod est idem specie, sed non idem numero est prius quàm ens in potentia, quod exponit cùm subdit: *Dico autem hoc: quia hoc quidem homine iam ente secundum actum,* & similiter *frumento, & vidente prius est tempore, & materia* respectu hominis, *& semen* respectu frumenti, *& videns;* nondum autem actu, reddendo singula singulis. Vult dicere quòd respectu eiusdem in numero potentia præcedit actum tempore: priùs enim materia fuit *in potentia ad hominem,* quàm esset actu homo, & similiter est de aliis exemplis: non tamen hoc est verum simpliciter; vnde subdit: *sed his,* scilicet quæ existunt in potentia, *sunt priora tempore altera entia in actu* scilicet agentia *ex quibus facta sunt hæc,* id est, per quæ ista reducta sunt ad actum, & ideò simpliciter loquendo ens in actu est prius ente in potentia. Vnde subdit vnam bonam propositionem: *semper enim ex ente potestate fit ens actu ab actu ente,* quod est ipsum agēs, *vt homo,* scilicet in potentia *fit* supple *homo actu: musicus* supple in potentia *fit musicus in actu, & sēper mouente aliquo primo,* id est, ab aliquo mouēte primo reducitur supple ens in potētia ad actū: *mouens autem,* id est, agens est *iam ens in actu: dictum autem est in sermonibus de substantia,* id est, in 7. huius, text.c.22. & inde, *quod omne quod fit, fit ex aliquo,* scilicet vt materia *& ab aliquo,* scilicet vt ab agente, *& hoc est idem specie,* scilicet cum eo, quod fit, vt ibidem expositum fuit. Ex his ergo patet, quòd licèt idem numero prius tempore sit in potentia; tamen simpliciter aliquod ens actu, puta agens, quod ponitur idem specie cum genito, est prius tempore quàm ens in potentia. Qualiter autem tam in generatione vniuoca quàm in æquiuoca est aliqua similitudo inter generans, & genitum, vt sic generans, posset dici aliqualiter idem specie cum genito, dictum est in septimo, & habet in 12. adhuc amplius declarari: Deinde cùm dicit:

Ostendit quando actus præcedit tempore potentiā passiuam.

Notabilis propositio.

34

Quapropter & videtur impossibile esse, ædificatorem esse, qui non ædificauerit quicquam aut citharædum, qui non citharizauit: nam addiscens citharizare citharizans addiscit citharizare: similiter autem & in aliis.

Declarat intentum in quibusdam potentiis actiuis, dicens, *quapropter,* quia supple sic est quòd quædam potentiæ, puta artes acquiruntur per actus, vt ostensum fuit suprà; ideò *videtur impossibile esse aliquem ædificatorem esse, qui non ædificauerit aliquid, aut citharœdum, qui non citharizauit;* ita quòd in istis actus præcedit potentiam, etiam in eisdem numero; vnde subdit: *nam addiscens citharizare citharizans,* id est, exercitans se in actibus citharizandi *addiscit citharizare: similiter autem est in aliis,* scilicet artibus: hoc autem infert ex prædictis: dictum enim fuit, quòd potentia musicum fit actu musicum, à musico in actu, puta addiscendo à doctore non potest autem addiscere artem, nisi exercendo actus artis, & sic etiam in eodem numero actus præcedit potentiam. Deinde cùm dicit:

T. com. 10. huius 9.

Actus est prior tempore potentia etiā actiua licèt non omni.

Vnde sophisticus elenchus factus est: quia non habens quis scientiam faciet cuius est scientia: addiscens enim non habet.

Remouet quandam obiectionem. Circa quod duo facit: primò obiectionem præmittit: secundò ipsam soluit & excludit. Secunda ibi: *Sed quia eius quod fit.* Dicit ergo, *vnde* supple ex prædictis *factus est sophisticus elenchus,* id est, syllogismus veritati contradicens apparenter, quem ponit dicens: *quia non habens quis scientiam faciet id cuius est scientia: addiscens enim non habet:* formetur sic obiectio; Addiscens artem operatur actum artis secundum te: sed addiscens artem non habet artem: ergo non habens artem operatur actum artis: quod videtur falsum. Deinde cùm dicit:

Obiicit contra dicta sophisticè.

Sed

35

Sed quia eius quod fit, factum est aliquid & totaliter eius, quod mouetur motum est aliquid; palàm autem in his, quæ de motu hoc, & discentẽ necesse habere aliquid scientiæ forsan.

T.com.15.

Sic igitur, & hoc palàm, quia & actus sit prior potentia secundùm generationem, & tempus:

Solutio obiectionis.

Soluit, & excludit dictam obiectionem: stat autẽ solutio in hoc: nam sicut probatur 6. Physic. text.c.7. & 87. omne quod mouetur partim habet de termino à quo, & partim habet de termino ad quem; ita quod ante omne quod est factum esse, habet aliquid de termino, & de facto esse, scilicet inperfectè, quia igitur illud quod fit, & mouetur addiscendo aliquam artem, aliquid habet de facto esse, & de termino ad quem, id est, de arte illa quã addiscit: non est inconueniens si aliqualiter potest facere opus artis; licèt non sic perfectè, sicut si haberet perfectam artem: sicut illud quod calefit potest aliqualiter calefacere, quatenus iam aliquid habet acquisitum de calore; licèt non sic perfectè calefaciat, sicut si perfectè haberet calorem, & esset iam in termino motus. Cùm ergo dicit quòd addiscens artem non habet artem, est vt sic, est vt non: non habet quidem secundùm gradum perfectum; habet tamen aliquid de arte secundum gradum imperfectum; & ratione huius potest facere opus artis: licèt non ita perfectè, sicut si haberet totam artem. Non ergo sequitur conclusio, quæ infertur, quòd aliquis non habens artem faciat actum artis. Dicit ergo, quòd quia *eius quod fit, aliquid factum est, & totaliter*, id est, vniuersaliter, *eius quod mouetur, aliquid est motum, palàm autem hoc in ipsis de motu*, id est, quòd hoc est manifestum 6. Physic. text.com.7. & text. com.52. quia inquam sic est, *necesse est discentem habere forsan aliquid sciẽtiæ* ad quam, scilicet mouetur & quam addiscit, & ideò supple ratione huius potest exercere actum artis. Concludit ergo quantùm ad totum præcedens: *quare si igitur & hoc*, supple verum est, *palàm etiam: quia actus sit prior potentia secundum generationem, & tempus.*

Qualiter addiscens habet artem & actum eius.

Epilogus.

Notandum, quòd non est inconueniens eundem actum specie esse à potentia habituata, & non habituata, licèt non æquè perfectum, vnde primus actus generatiuus habitus est elicitus à potentia non habituata: nihilominus tamen est eiusdem speciei cum actibus sequentibus, qui eliciuntur à potentia habituata: nam actus habet specificari principaliter ex obiecto, & ideò manente eodem obiecto erit idem actus specie: licèt potentia varietur penes habere habitum, vel non habere: sed si quæratur vtrùm primus actus generatiuus artis sit opus artis, dico quòd non, sed similis.

Actus præcedentes habitus & sequẽtes sunt eiusdem speciei, quod tamen bene examinabis.

SVMMÆ SECVNDÆ CAP. III.

Actum priorem esse potentia, perfectione, & de actione immanente, & transeunte.

SVMMARIVM.

Actum esse priorem potentia, perfectione, probat duplici ratione, & inductione tam in actiuis, quàm in passiuis potentiis.

Scoti Oper. tom.

36

At verò & substantia primum quidem, quia quæ generatione posteriora, specie, & substantia sunt priora, vt vir puero, & homo spermate, hoc quidem enim iam habet speciem, illud verò non.

Postquam probauit Philosophus de actu prioritatẽ rationis, & prioritatem temporis, siue generationis, nunc probat prioritatem substantiæ, siue perfectionis. Circa quod duo facit: quia primò probat intentum per rationem sumptam ex parte corruptibilium, quæ aliquando sunt in potentia, aliquando in actu: secundò per rationem sumptam ex parte incorruptibilium, quæ semper sunt in actu, vt ad corruptibilia comparantur. Secunda ibi: *At verò, & magis propriè.* Prima in duas secundùm duas rationes, quarum secunda ponitur ibi: *Et quia omne.* In prima parte intendit talem rationem: Illud quod est posterius generatione, est prius substantia, & perfectione: sed actus est huiusmodi respectu potentiæ; priùs enim est generatione aliquid in potentia quàm sit in actu: Ergo &c. Dicit ergo quòd non solùm actus est prior potentia ratione, & tempore sed *at verò, & substantia*, id est, perfectione *primum quidem:* nam *posteriora generatione sunt priora specie, & substantia*, id est perfectione, *vt vir puerò, & homo spermate: hoc enim*, scilicet vir, & homo *iam habet speciem*, id est, perfectionem: *illud verò*, scilicet puer, vel sperma *non.* Ratio huius assignatur: quia processus generationis naturalis est imperfecti ad perfectum: & ideo vir est perfectior puero, & homo spermatẽ, ex quo generatur: tunc autem supplenda est minor quod actus in eodem est posterior generatione secundùm naturam quàm potentia: ergo erit prior potentia perfectione.

Ostẽdit prioritatem actus secundũ perfectionem respectu potẽtiæ.

Quomodo posteriora generatione sunt priora perfectione.

Videtur autem propositio Philosophi esse falsa: quia si sic; ergo accidens est perfectius substantia, cùm sit posterius generatione quàm substantia. Dicendum quòd prius, & posterius dupliciter sumi possunt, vel in eodem genere, vel in diuerso: propositio ergo Philosophi intelligenda est de priori, & posteriori quæ sunt in eodem genere: sic enim, quod est posterius generatione est prius perfectione: nam natura procedit ab imperfecto ad perfectum vt prædictum est: substantia autem, & accidens sunt alterius generis, & ideò non est instantia de substantia, & accidente in proposito. Deinde cùm dicit:

Processus perfectionis naturalis quis?

Prius & posterius habet considerari dupliciter. Vide 11. d. 4. q. 3.

37

Et quia omne ad principium vadit quod fit, & finem; principium enim cuius causa, finis verò cuius generatio; finis autem actus, & huius gratia potentia sumitur.

Ponit secundam rationem quam intendit talem: Illud quod habet rationẽ finis est perfectius his, quæ sunt ad finem: sed actus habet rationem finis, & potentia habet rationem eius, quod est ad finem: ergo, &c. Circa hoc sic procedit: primò ponit rationem: secundò probat minorem, scilicet quòd actus habet rationem finis. Secunda ibi: *Non enim vt visum.* Dicit ergo, quòd etiam supple actus est prior potentia, perfectione: *quia omne quod fit vadit ad principium & finem: etenim* pro quia, *finis cuius causa* supple aliquid fit *est principium:* nam vt ostensum est in 5. huius, t.c.1. & 2. finis habet rationẽ principij, & causæ; ideò subdit, quòd

Finis perfectior his quæ sunt ad ipsum, etiam actus perfectior potentia.

Al. quòd cũ actus sit finis potentiæ ergo prior & posterior.

quòd *generatio est causa finis*; & ideo finis habet rationem perfectioris : *actus autem est finis potentiæ* : ex quo sequitur quòd actus sit prior potentia, ergo perfectior. Deinde cùm dicit:

Non enim vt visum habeant, vident animalia; sed vt videant, visum habent.

Probat minorem rationis. Circa quod tria facit: quia primò probat actum habere rationem finis modo inductiuo : secundò probat hoc idem modo signato, id est, à signo : tertiò probat hoc idem modo syllogistico ducendo ad inconueniēs. Secunda ibi : *Quapropter & docentes.* Tertia ibi: *Nam si non.* Prima in duas : primò ostendit propositum, inducendo in potentiis irrationabilibus naturalibus: secundò in rationabilibus acquisitis, & vtræque sunt actiuæ : tertiò inducendo in potentiis passiuis. Secunda ibi : *Similiter autem.* Tertia ibi: *Amplius materia.* Dicit ergo, quòd supple benè dictum est quòd actus est finis potentiæ: non enim animalia vident, vt visum habeāt, id est potentiam visiuam; sed visum habent, vt videant id est, quòd potentia ordinatur ad actum vt ad finem, & non èconuerso. Deinde cùm dicit :

Potentiæ rationabiles duplices.

Quòd actus sit finis potētiæ ostendit idē 2. Ethic. cap 1.

38

Similiter autem, & ædificandi scientiam vt ædificent, & Theoricam vt speculentur, sed non speculantur, vt Theoricam habeant nisi meditantes; hi autem non speculantur, sed inquantum sic, aut quia non egent speculari.

Inductiuè in potētiis actiuis & passiuis probat quod dictum est.

Ostendit idem inducendo in potentiis actiuis rationabilibus acquisitis, dicens quòd *similiter autem* homines supple habent *scientiam ædificandi, vt ædificent, & Theoricam*, id est, scientiam speculatiuam, *vt speculentur: sed non èconuerso speculantur: vt habeant Theoricam, nisi meditantes*, id est, quando addiscunt, & meditantur ea quæ pertinent ad scientiam, vt sic acquirant eam: *hi autem non* inquantum *speculantur*, supple simpliciter, & perfectè; *sed inquantum sic*, id est, imperfectè, & secundùm quid vt prædictum fuit : *aut* pro sed, *quia non egent speculari*, id est, speculari simpliciter non est propter aliquam indigentiam; sed est vti iam scientia habita & acquisita : non sic autem speculantur addiscentes; sed propter indigentiam scientiæ acquirendæ. Deinde cùm dicit:

Text.c.16.

Amplius materia potentia est, donec veniat ad speciem, quando verò actu est tunc in specie : similiter autem & in aliis, & quorum motus est finis.

Ostendit idem inducendo in potentiis passiuis, dicens quòd supple *Amplius materia est in potentia donec veniat ad speciem*, id est, formam: *quando verò actu est*; *tunc est in specie*, id est, sub forma: *similiter autem est in aliis, & quorum motus est finis*, id est, quæ mouentur propter finem: nam omnia ordinantur ad actum, vt ad finem motus. Patet ergo ex his, quòd actus est finis potentiæ. Deinde cùm dicit ;

Propter quod sicut docentes operantem cùm ostenderint, putant finem reddidisse, & natura similiter.

Arguit ad idem à significato.

Ostendit propositum modo significato, id est, à signo, dicens: *quapropter*, quia supple sic est: quòd actus est finis potentiæ; ideò *docentes putant finem reddidisse*, id est, se ad finem peruenisse cùm instruxerunt agentem, id est, discipulum *operantem* actum artis, *& natura similiter* peruenit ad finem quando consequitur, & attingit actum, & hoc est signum quod actus habet rationem finis. Deinde cùm dicit :

39

Nam si non sit ita, Passonos Mercurius erit. non manifestum enim, & scientia si interius aut exterius quemadmodum ille, opus enim finis : actus autem opus. Propter quod, & nomen dicitur actus secundùm opus, & tendit versùs entelechiam.

Ostendit quòd actus habet rationem finis modo Syllogistico ducendo ad inconueniens. Circa quod duo facit : primò facit quod dictum est : secundò quia mentionem fecerat de operatione & actu, distinguit operationem in transeuntem & in manentem. Secunda ibi: *Quoniam verò est horum.* Dicit ergo : *nam si non est ita*, scilicet quòd finis & perfectio sint in actu, sequitur supple quòd non apparebit differentia inter aliquem sapientem & aliquem insipientem; ideò dicit quòd *Passonos*; qui fuit quidam insipiens , erit *Mercurius*; qui fuit quidam sapiens : *non* enim *manifestus* supple erit Mercurius *in sua scientia, etsi exterius scientia aut interius, quemadmodum ille*, id est, quòd non erit manifestum, siue habeat scientiam interius quantùm ad actum speculandi interiorem : siue quantùm ad exteriorem, sicut nec ille Passonos. Ratio huius est; quia non per potentiam, sed per actum scientiæ manifestatur aliquis esse sciēs: *opus enim* id est, operatio *est finis*, scilicet scientiæ factiuæ: *opus autem*, id est, operatio est quidam *actus. Propter quod*, vt dictum fuit suprà , *nomen actus dicitur secundùm opus*, id est, sumitur ab operatione & motu, *& tendit*, id est, deriuatur *inde versùs entelechiam*, id est, ad formam quæ dicitur entelechia, id est, actus.

In textu Græco habetur ὁ Παύσωνος Ἑρμῆς Passonos Mercurius.

Differentia sapientis & insipiētis attenditur penes operari.

SVMMARIVM.

Explicatur actio immanens & transiens, de quibus vide Doctorem 1. d. 3. q. 6. n 32 & q 9 ad 3. & 4. d. 10. q 5. & d. 11. q. 2. & quodlib. 13. art. 3.

QVoniam verò est horum quidē vltimum visus, & visus visio, & præter hanc nullum sit alterum à visu opus. A quibusdam verò fit aliquid ab opere, vt operatum, vt ab ædificatoria, domus præter ædificationem : tamen non minùs hic quidem finis : hic autem magis finis potentiæ est : nam ædificatio in ædificato, & simul fit, & est cum domo. Quorumcunque igitur aliquid alterū est, quod fit præter vsum horum actus in facto est, vt ædificatio in ædificato, & contextio in contexto , similiter autem, & in aliis, & totaliter motus in eo quod mouetur. Quorum verò non est aliquod aliud opus præter actionem in ipsis existit actio, vt visio in vidente , & speculatio in speculante,

&

& vita in anima: quare, & felicitas, vita namque qualis quadam est.

T.c.17. *Quare manifestum est quòd substantia, & species, actus quidem est. Secundùm hanc rationem palàm vtique quia prior substantia est actus potentia, & , vt diximus, tempore semper praeaccipitur actio alia ante aliam vsque ad eam quæ est semper mouentis principium.*

40 Quia locutus fuerat de operatione, distinguit ipsam in transeuntem & permanentẽ. Dicit quòd *quoniam verò horum*, id est, potentiarum actiuarum, vel actionum, vel operationum *quidem vltimum vsus*, id est, quòd vltimus finis est solus vsus potentiæ, & non aliquid exterius operatũ, *vt visus visio, & præter hanc*, scilicet visionẽ *nullum alterum opus fit à visu*; & ideò ista operatio est immanens habens rationem finis: *à quibusdam verò*, scilicet potentiis actiuis *fit aliud*, supple præter ipsam actionem, vt ab arte *ædificatoria fit domus præter ædificationem*: & subdit, *tamen non minùs hic quidem finis*: hîc autem magis finis potentiæ *est*, id est, quòd præter hanc differentiam potentiarum actiuarum, ipse actus non minùs est finis hîc quàm ibi: cuius causam subdit: *nam ædificatio simul fit*, & simul *est cum domo*, ex quo patet quòd si domus, siue quodlibet aliud ædificatum est finis: non excluditur quin actus sit etiam finis potentiæ: subdit etiam quòd *quorumcunque igitur* potentiarum *est aliquid alterum*, quod fit præter vsum, id est, præter ipsam actionem, horum actus, id est, actio, *est in facto, vt ædificatio in ædificato*, & contextio in contexto: similiter autem & in aliis, & totaliter, id est, vniuersaliter motus est in eo, quod mouetur: *quorum* verò, id est, in illis potentiis, quarum *non est aliquod aliud opus præter actionem: in ipsis*, scilicet agentibus, *actio existit, vt visio in vidente, & speculatio in speculante, & vita in anima*, ita quòd per vitam intelligatur secundus actus, puta opera vitæ, *quare* & supple fælicitas est operatio immanens in agente: *namque* pro quia, supple *fælicitas qualis est quadam vita*, scilicet vita perfecta, accipiendo vitam, similiter pro secundo actu: consistit enim in speculatione ex 1. & 10. Eth. c. 9. & c. 10. & ideò sup. cùm operatio sit in operante, fælicitas erit in fælice: habetur ergo ex prædictis quòd operatio quædam est immanens, quædam transiens, & quòd operatio immanens est in ipso operante, vt in subiecto; transiens autem in ipso operato. Vltimò epilogat quantùm ad præcedentia, dicens, quòd *manifestum est quòd substantia, & species*, scilicet forma *est quidam actus: palàm etiam quia actus est prior potentia substantia*, id est, perfectione, *& secundùm rationem*, id est, diffinitionem, *& etiam tempore, vt diximus: semper enim præaccipitur*, vel præexigitur *actus alius ante alium*, secundùm quem scilicet agens est in actu, & hoc *vsque ad eum actum, qui est semper mouentis primum*: primum enim mouens est in actu tantùm: quia nihil transit de potentia ad actum, nisi per ens actu; & ideò simpliciter loquendo actus est prior potentia, etiam tempore, vt patet ex prædictis.

Actionũ alia est immanẽs & alia transiens, & qualiter differũt.

Felicitas est operatio & vita perfecta.

Epilogus.

421 Al. principiũ. *In actum purum duratione & perfectione omnibus priorem terminatur omnium potentiarum & actuum multitudo.*

Notandum, quòd duplex est actus: quidam est productiuus; quidam productus. Primus actus propriè dicitur actus productiuus: secundus actus propriè dicitur operatio intrinseca, & immanens, quia scilicet ipsum operans perficitur vltimatè. Verumtamen operatio quandoque actio nominatur: habet enim duas conditiones, in quibus conuenit cum actione. Prima est quòd semper est in fieri; non dico fieri successiuè, quia operatio est indiuisibilis; sed sic est in fieri quia in continua dependentia est ad eandem causam, & secundùm idem, sicut est dependentia rei conseruatæ ad causam conseruantem. Secunda conditio est, quòd operatio transit in obiectum, sicut in terminum, licèt non accipientem esse per ipsam; sed præsuppositum in suo esse; & propter istas duas conditiones operatio potest dici actio, sicut propter easdẽ dicitur actus secundus; & tũc ista distinctio actionis in transeuntem, & immanentem, si sic intelligatur, non est generis in species; sed vocis in significationes: nam actio transiens est verè actio de genere actionis; sed actio immanens est verè qualitas. Alio modo actio de genere actionis potest diuidi in actionem immanentem & transeuntem, sicut superius in inferiora: quia non solùm actio de genere actionis est ad formam inductam per motum in passo alio ab agente; sed etiam est ad formam inductam in ipsomet agente. Illa enim forma absoluta, quæ est operatio immanens cùm sit noua, oportet quòd sit terminus alicuius actionis propriè dictæ, per quam accipit esse. Quando ergo forma terminans actionem est extra ipsum agens; tunc actio ista transit: quando verò forma terminans actionem est in ipso agente; tunc actio ista manet: & sic dupliciter potest intelligi distinctio Philosophi de actione transeunte, & immanente. Iste tamen secundus intellectus de hac distinctione actionis transeuntis, & immanentis, licèt verus sit; non tamen est de intentione Philosophi hîc in littera, sicut primus, ait enim. *Non est aliquid aliud opus præter actionem*, id est, aliquis terminus operatus præter ipsam operationem; & sequitur quòd, *in istis existit actio, vt visio in vidente:* vbi satis exprimit quòd visionem vocat actionem immanentem, non autem aliquam aliam, cuius visio sit terminus productus.

Operatio dicitur actio propter duo. Vide 3. d. 1. q. final. & in quodl. q. 13. art. 3.

Diuisio actionis in immanentem & transeuntem vno modo est vocis in significationes alio modo generis in species.

SVMMÆ SECVNDÆ
CAP. IV.

Actum priorem esse potentia probatur ex comparatione ad corruptibilia.

SVMMARIVM.

Actum esse priorem potentiæ perfectione, probat comparatione incorruptibilium, ad corruptibilia, respectu quorum sunt sicut actus. Explicat potentiam contradictionis, quæ secundùm quid tantùm competit sempiternis. Infert ex dictis quatuor conclusiones.

42 *At verò, & magis propriè, nam sempiterna priora substantia sunt corruptibilibus: est autem nihil potentia sempiternum.*

Postquam Philosophus probauit actum esse priorem potentia substantia, & perfectione per rationem sumptam ex parte corruptibilium, quæ aliquando sunt in potentia, aliquando in actu:

Ostendit intentum ex parte incorruptibilium operatiuè.

nunc ostendit idem per rationem sumptam ex parte incorruptibilium, quæ semper sunt in actu, vt ad corruptibilia comparantur. Circa quod duo facit: primò ostendit veritatem propositi intenti: secundò excludit falsitatem cuiusdam Platonici dicti. Secunda ibi: *Si ergo aliqua sunt.* Prima in tres: primò facit quod dictum est: secundò concludit ex dictis quasdam conclusiones: tertiò exponit quasdam comparationes inter corruptibilia & incorruptibilia, de quibus fecerat mentionem. Secunda ibi: *Nec eorum quæ.* Tertia ibi: *Imitantur autem.* In prima parte intendit talem rationem: Sempiterna sunt priora corruptibilibus secundùm substantiam, & perfectionem: sed sempiterna comparantur ad corruptibilia, vt actus ad ad potentiam: quia sempiterna sunt semper actu, & non in potentia; corruptibilia verò sunt in potentia ad esse, & non esse; ergo actus est prior potentia secundùm substantiam & perfectionem. Circa hoc sic procedit: primò ponit rationem: secundò subiungit minoris probationem. Secunda ibi: *Ratio verò.* Dicit ergo, quòd *at verò, & magis propriè* supple ostenditur supple sic quam prius; quod dicit pro tanto, quia in ista ratione quæ sequitur, non sumuntur actus & potentia in eodem sicut prius, sed in diuersis, & arguitur per rationem magis euidentem. Ponit ergo rationem, dicens: *nam sempiterna sunt priora corruptibilibus substantia,* id est, secundùm substantiam: *est autem nihil sempiternum in potentia,* sicut supple sunt corruptibilia, & in hoc tangit totam rationem virtualiter. Deinde cùm dicit;

Sempiterna priora corruptibilibus.

Corruptibilia sunt in potentia ad esse, & non esse,

Ratio verò hæc omnis potentia simul contradictionis est, quod quidem enim non possibile existere, non vtique existet in aliquo: possibile autem omne contingit non actu esse; quod ergo possibile esse, contingit & non esse. Idem igitur possibile esse, & non esse: possibile verò non esse, contingit non esse: contingens autem non esse corruptibile, aut simpliciter aut hoc ipso quod dicitur contingere non esse, aut secundùm locum, aut secundùm quantum, aut secundùm quale: simpliciter autem quod secundùm substantiam. Nihil ergo incorruptibilium simpliciter potentia est ens simpliciter: aliquid autem nihil prohibet, aut quale, aut vbi: actu ergo omnia.

43

Omnis potentia est contradictionis.

Probat minorem rationis, & arguitur sic: omnis potentia est potentia contradictionis: sed sempiterna non sunt in potentia contradictionis; ergo non sunt in potentia, & per consequens sunt in actu. Dicit ergo, quòd *ratio verò hæc,* scilicet ad probandum, scilicet nihil sempiternum esse in potentia: quia *omnis potentia est simul contradictionis,* & loquitur de potentia passiua, qua aliquid potest esse, & non esse, vel simpliciter, vel secundùm quid: quod probat per oppositum: *quod quidem non est possibile existere non vtique existit in aliquo;* vult dicere quòd vbi non est talis potentia, non contingit vtraque pars contradictionis: quia quod nõ est possibile esse nnnquam erit: quia non possibile æquipollet impossibili, & impossibile non ipsi necesse esse. Et subdit: *omne autem possibile contingit non esse actu, quod ergo est possibile esse, contiugit esse & non esse: idem igitur est possibile esse, & non esse:* ex quo patet, quòd potentia est simul contradictionis: quia *possibile esse contingit non esse:* hæc enim duo æquipollent: *contingens autem non esse est corruptibile, aut simpliciter, aut hoc ipsum quod dicitur,* & secundùm quid *contingere non esse,* puta *aut secundùm locum;* vt si contingit aliquod corpus non esse in loco, tunc est corruptibile secundùm locum: similiter *autem secundùm quantum, aut secundùm quale,* quodlibet enim horum modorum est aliquid corruptibile secundùm quid: *simpliciter autem, quod secundùm substantiam,* supple potest esse, & non esse. Concludit ergo intentum quòd *nihil incorruptibilium simpliciter est ens in potentia simpliciter:* nam patet ex dictis quòd omne, quod est in potentia inquantum huiusmodi, est corruptibile, & hoc si simpliciter sumitur, id est, secundùm substantiam: subdit autem quòd *aliquid contingit,* id est, *secundùm quid nihil prohibet,* supple ipsa incorruptibilia esse in potentia, *vt secundum quale, aut secundùm vbi.* Patet enim quòd Luna est in potentia, vt à Sole illuminetur, & etiam Sol est in potentia quando est in vbi Orientis, quòd sit in vbi Occidentis: *omnia igitur* supple sempiterna, & incorruptibilia *sunt actu,* vt huiusmodi: hæc fuit minor rationis principalis.

Hic introducuntur cõbinationes & æquipollentia modalium.

Corruptibile duplex.

Omnia sempiterna præter primum sunt corruptibilia secundũ quid, licet Philosophus non ita vniuersaliter loquatur propter Intelligentias,

Notandum, quòd duplex est esse, scilicet esse substantiale, & simpliciter, & esse accidẽtale, & secundùm quid: similiter aliquid potest dici in potentia contradictionis duplicitet correspondẽter, scilicet vel quia potest esse, & non esse simpliciter: vel quia potest esse, & non esse secundùm quid Sempiterna ergo, etsi non sint in potentia contradictionis simpliciter, tamen nihil prohibet ea esse in potentia contradictionis secundùm quid, vt patet ex prædictis de Luna. Et similiter est de aliis corporibus cœlestibus, nam omnia sunt illuminabilia à Sole, vt tradunt Astronomi, & omnia sunt mobilia ad vbi, Deinde cùm dicit;

Esse, & potẽtia contradictionis duplex.

Sempiterna sunt in potentia contradictionis secundum quid.

Nec eorum quæ ex necessitate sunt, & ipsa prima: nam si hæc nõ essent, nihil vtique esset.

44

Concludit ex dictis quatuor conclusiones, quarum secunda ponitur ibi: *Nec vtique motus.* Tertia quæ sequitur ex secunda ibi: *Propter quod semper agit Sol.* Quarta ibi: *Non est autem timendum.* Dicit ergo, quòd non solùm supple nihil incorruptibilium simpliciter est ens in potentia simpliciter; sed *nec eorum quæ sunt ex necessitate,* supple aliquid est in potentia: quia necessaria semper sunt in actu, & non possunt esse, & non esse: cuius causam subdit, & quidem *ipsa prima,* id est, quòd necessaria sunt prima inter omnia: *nam si hæc non essent, nihil esset vtique aliorum.*

Primum sequens.

Omne sempiternũ est necessarium & econtra.

Notandum, quòd necessaria non solùm dicuntur de sempiternis incomplexis; sed etiam in rebus corporalibus sunt quædam necessaria complexa, puta hominem esse risibilem, & animal esse animal, & huiusmodi; & de his verum est, quòd non sunt in potentia contradictionis: sunt enim prima, quibus ablatis alia auferuntur; sublatis enim prædicatis necessariis, tolluntur prædicata per accidens. Vel posset hoc referri, ad incomplexa necessaria, talia autem sunt Intelligentiæ, quæ sunt prima entia, quibus ablatis alia auferuntur: quæ etiam non sunt in potentia contradictionis ad esse, & non esse, patet, Deinde cùm dicit:

Necessarium & sempiternum duplex.

Neque vtique motus, si quis est sempiternus; nec si quid motum sempiternum non est

secundùm potentiam motum, nisi vnde quo: huius autem materiam nihil prohibet existere.

Secundum sequens. Applicat quod dixerat de sẽpiternis ad motum & mobile æternum vbi pondera ly si.

Ponit secundam conclusionem, concludens de motu sempiterno quod dixerat de substãtiis sempiternis, dicens, quòd *nec vtique motus si quis est sempiternus: nec si quid est motum sempiternum*; ita quòd semper moueatur *non est secundum potentiam motum*, scilicet quòd nec talis motus, nec quod mouetur tali motu, est in potentia; *nisi vnde quo*, id est, nisi vt ab hoc vbi transeat in illud vbi: motus enim est actus entis in potentia, & ideò oportet omne, quod mouetur esse in potentia ad terminum motus: licèt non sit in potentia ad ipsum moueri, & subdit quòd *huius autem*, quod scilicet mouetur motu sempiterno, *nihil prohibet materiam existere*, eo modo quo expositum est 8. huius, in quadam quæstione, esse materiam in cœlo, secundùm viam Philosophorum. Deinde cùm dicit:

Propter quod semper agit Sol, & astra, & totum cœlum.

Tertium sequens. Vide 48. d. 4. q. 2.

Ponit tertiam conclusionem, quæ sequitur ex secunda; quia enim illud quod mouetur motu sempiterno, puta cœlum, & astra, agit mediante motu, & ideò sequitur *propter hoc quod Sol, & astra, & totum cœlum semper agit*, & propter hoc ex perpetuitate motus cœli, probat Philosophus perpetuitatem generationis, & corruptionis, vt patet secundo de generatione, text. com. 56. & inde. Deinde cùm dicit:

45

Non est autem timendum nequando stent quod timent qui de natura, neque laborant hæc agentia, non enim inest potentia contradictionis ipsis, vt corruptibilibus motus, vt laboriosa sit continuatio motus: nam substantia materia, & potentia non actu causa huius.

Quartum sequens.

Ponit quartam conclusionem, quæ etiam sequitur ex prædictis: quia enim cœlum semper mouetur, *non est timendum, nequando stet, quod timent qui de natura*, scilicet quidam naturales Philosophi, puta Empedocles, & sui sequaces, qui posuerunt mundum quandoque corrumpi, quandoque generari secundùm quod nunc lis: nũc amicitia regnat, vt dictum est 1. & 3. huius: & subdit, quòd *etiam hæc agentia*, id est, corpora cœlestia, quæ semper agunt, id est mouentur, *nec laborant* in eo scilicet quòd mouentur, *non enim inest ipsis motus secundùm potentiam contradictionis*, vt quandoque moueantur, & quandoque non: *vt est in corruptibilibus*, quæ habent esse per *motum vt continuatio motus sit in eis laboriosa*: cuius causam subdit: *nam substantia materia, & potentia, non actu causa huius est.* Vult dicere, quòd causa, quare corruptibilia mouentur cum labore, est: quia non sunt in actu; sed in potentia ad moueri, & non moueri, nec habent ex natura, vel ex substantia sua, quod semper moueantur: patet enim quod animalia in mouendo fatigantur: similiter & de aliis.

Vnde sit in animalibus fatigatio in laborando?

Excusat philosophum & determinat veritatẽ

Notandum autem, quòd Philosophus loquitur de perpetuitate motus secundùm ea, quæ nouit per viam naturalem: licèt nulla eius ratio concludat necessariò: quia secundùm rei veritatem motus cœli aliquando incepit, & aliquando finietur: licèt naturæ corporis cœlestis quantùm est de se non repugnet continuò, & perpetuò moueri.

SVMMARIVM.

Corruptibilia conueniunt cum sempiternis, quòd semper agant ex parte sua: differunt ab eis, quòd sint in potentia seductionis. In bonis actus est melior, & in malis prior potentia.

Tex. cõ. 18.

Imitantur autem incorruptibilia, & quæ in transmutatione sunt entia, vt terra, & ignis: etenim hæc semper agunt, nam secundùm se, & in seipsis habent motum.

Conueniẽtia corruptibiliũ & incorruptibilium corporum.

Comparat corruptibilia sempiternis, de quibus fuerat locutus. Circa quod duo facit: quia primò comparat ea penes conuenientiam: secundò penes differentiam. Secunda ibi: *Potentiæ verò.* Dicit ergo, quòd *ea entia*, scilicet corruptibilia *quæ sunt in transmutatione, vt terra, & ignis imitantur*, scilicet ipsa corpora *incorruptibilia*: *hæc etenim*, scilicet corruptibilia, puta ignis, *semper agunt*, ignis enim quantùm est de se, semper ignit præsente passo, & similiter terra, & alia huiusmodi semper agunt suas operationes naturales: cuius causam subdit: *nam secundùm se, & in ipsis*, id est, in seipsis *habent motum*, quatenus scilicet habent formas proprias, quæ sunt principia naturalium operationum & motuum: assimilantur ergo corporibus incorruptibilibus, quæ etiam semper agunt vt prædictum est. Deinde cùm dicit:

46

Potentiæ verò aliæ de quibus diffinitum est omnis contradictionis sunt, nam possibile sic mouere potest & non sic, quæcunque secundùm rationem, irrationabiles verò per aliud esse, & non contradictionis erunt eadem.

Differentia eorundem.

Comparat ea penes differentiam dicens, quòd *potentiæ aliæ ex quibus diffinitum est*, id est, quòd potentiæ aliæ rerum corruptibilium, de quibus suprà declaratum fuit, *omnes sunt contradictionis*; cuius oppositum ostensum est de incorruptibilibus, & aliis substantiis sempiternis, quæ non sunt in potentia contradictionis: tamen aliter est & aliter in diuersis potentiis; *nam possibile secundùm rationem*, id est, secundùm potentiam rationalem, *potest sic, & non sic mouere*, vt dictum fuit suprà, & hoc modo sunt contradictionis: *irrationales verò*, potentiæ *erunt eadem contradictionis per adesse, & non*; licèt supple de se semper operentur vno modo.

Potentia cõtradictionis aliter conuenit rationalibus & aliter irrationalibus poteĩis.

Notandum, quòd absque exceptione omnes potentiæ passiuæ ex se sunt contradictionis, & sic loquitur suprà Aristoteles: potentiæ verò actiuæ, de quibus est hîc sermo, sunt contradictionis, sicut exponit Philosophus per adesse & non: quod si intelligatur passiuo approximato, & non approximato; sic omnis actiua cuius actio dependet à passo, potest esse contradictionis, non ex se; *sed aliunde*, si intelligatur de impedimẽto quod potest adesse & non; sic omnis potentia actiua naturalis corruptibilis est impedibilis, etiam per causam naturalem aliam actiuam: sed nulla naturalis siue irrationalis ex se habet posse oppositas actiones elicere

Resolutio dictorum notabilis, vide q. vlt. huius 9. ad finem.

elicere circa idem:siue ex se agere,vel non : quomodo potentia rationalis est ex se contrarietatis, vel contradictionis,vt superiùs expositum fuit,in quadam quæstione , & sic patet qualiter potentia rationalis, & irrationalis actiua est contradictionis differenter. Deinde cùm dicit:

47

Si ergo sunt aliqua naturæ tales , aut substantiæ quales dicunt,qui in rationibus ideas, multò magis sciens vtique erit aliquid quàm per se scientia, & motum quàm motus , hic enim actus magis, illa autem potentia horum Quod quidem igitur est priùs actus potentia, & omni principio mutabili,palàm.

Contra Platonicos.

Ex prædictis concludit falsitatem cuiusdam Platonici dicti;vnde dicit quòd *si ergo sunt aliquæ tales naturæ aut substantiæ quales dicunt , qui in rationibus ideas.* Plato enim,vt sibi imponitur,dixit esse formas separatas , quas dicebat maximè esse:ponebat enim scientiam separatam,quam dicebat per se scientiam , & esse primum in genere scibilium,& similiter motum separatum,esse primum in genere mobiliũ:si,sic inquã, dicatur,*multò magis* , vt patet ex prædictis ; *erit vtique sciens* supple primum in genere scibilium , *quàm per se scientia.* id est,quàm scientia separata , & *motum*, id est,mobile quod mouetur *quàm motus*, scilicet separatus : *hæc enim* supple sciens,& mobile quod mouetur,sunt *magis actus:illa autem*, scilicet motus & scientia *potentiæ eorum:*ostensum est autem priùs quòd actus est prior potentia:quare dictum Platonicum erit nullum. Vltimò epilogat quòd *quidam igitur actus est prior quàm potentia & omni principio mutabili*, id est,possibili passiuæ, *palàm*,scilicet ex dictis. Tunc sequitur illa pars:

Epilogus.

T.com.29.

Quod autem , & melior , & honorabilior studiosa potentia actus ex his est palàm , quæcunque enim secundùm posse dicuntur , idem est potens contraria, vt quod dicitur posse , & conualescere idem est, & languens , & simul, eadem enim potentia conualescendi , & laborandi, & quiescendi , & mouendi, ædificandi, & destruendi, & ædificari , & corrui. Posse quidem igitur contraria simul existit, contraria verò est impossibile simul existere , vt sanum esse , & laborare,quare necesse est horum alterum esse bonũ,posse verò similiter vtrumque,aut neutrum,actus verò melior est.

48

Sermo comparatiuus potentiæ , & actus penes bonum , & malum.

Vbi postquam Philosophus comparauit actum ad potentiam,penes ordinem prioris & posterioris:nũc comparat ea penes bonum & malum.Circa quod duo facit:primò veritatem præmit it : secundò quædam corollaria concludit.Secunda ibi: *Palàm ergo.* Prima pars in duas:quia primò probat quòd actus est simpliciter melior potentia in bonis , secundò èconuerso in malis. Secunda ibi: *Necesse autem.* In prima parte intendit talem rationem:Id quod est simpliciter bonum est melius eo, quod est secundùm quid bonum, & mixtum cum malo : sed actus est huiusmodi respectu potentiæ in bonis , scilicet quòd actus est simpliciter bonus:potentia verò secundùm quid bona, & mixta cum malo;ergo actus est simpliciter melior quàm potentia in bonis. Dicit ergo quòd *manifestum est ex his,quòd actus est melior, & honorabilior studiosa potentia*, hoc est, potentia quæ est ad bonum :cuius ratio est,quia potentia est ad contraria, & ideò subdit : *quæcunque enim dicuntur secundùm posse* , id est , habent potentiam in bonis *idem est potens ad contraria;vt quod dicitur posse conualescere idem est,& lãguens simul*, scilicet in potentia : *eadem enim est potentia conualescendi,& laborandi*,id est,infirmandi , & *quiescendi, mouendi,& ædificandi,& destruendi, & ædificandi & corruendi* passiuè. Patet igitur , quòd *posse quidem contraria simul existit:*simul enim est potentia ad contraria:*sed cõtraria simul existere* in actu *est impossibile,vt sanum esse,& laborare : quare horum* , scilicet contrariorum *necesse est alterum esse bonum :* similiter & supple alterum esse malum: *posse verò*, id est, potentia est,*similiter ad vtrumque : aut* pro sed , *neutrum* habet supple in actu: *actus ergo est melior.* Vult dicere quòd contrariorum alterum habet rationem boni , puta esse sanum ; aliud verò habet rationem mali, puta esse ægrotum:similiter,& in aliis:actus ergo in bonis, puta esse sanum,est simpliciter bonum ; potentia verò,quia est simul ad contraria, & neutrum habet actu , non est bonum , nisi secundùm quid, quatenus respicit alterum contrariorum,quod habet rationem boni:tamen sic vt est bonum secundùm quid est bonum admixtum malo : quatenus etiam respicit simul alterum contrariorum, quod habet rationem mali. Deinde cùm dicit:

Actum esse meliorem potentia in bonis probat.

Al. & ædificari & corrui.

Potentia est secundũ quid bonũ & malũ , actus verò simpliciter.

49

Necesse autem,& in malis finem,& actum esse deteriorem potentia , quod enim potens idem ambo contraria.

Probat quòd in malis actus sit peior potentia, & intendit talem rationem:Illud quod est simpliciter malum,peius est eo,quod est secundùm quid malum,& mixtum cum bono:sed actus est huiusmodi respectu potentiæ ; ergo &c. Minor probatur:quia potentia est ad vtrumque contrariorum simul , quorum neutrum habet actu ; & ideò potentia ad malum est secundùm quid malum : est etiam admixta bono , quatenus respicit alterum contrarium simul , quod habet rationem boni: actus autem est simpliciter malus. Dicit ergo quòd *necesse est finem,& actum in malis esse deteriorem potentia:quod enim potens* est, id est,in potentia, *idem est* supple in potentia,*ambo contraria*, & tunc vt priùs. Deinde cùm dicit:

In malis potẽtia esse meliorem actus probat.

Palàm ergo,quia non est aliquid quod malum præter res,posterius enim ipsi naturæ malum quàm potentia.

Concludit quædam corollaria & sunt duo secundum ponitur ibi:*Non ergo nec in his.*Dicit ergo, quòd *palàm , quoniam id quod est malum non est aliquid præter res* , scilicet quæ sunt bonæ secundùm naturam suam;ita quòd intelligatur aliquid separatum malum à rebus:cuius causam subdit:*enim* pro quia,malũ *ipsi naturæ posterius* quàm potentia,id est,quòd *malum* est magis elongatum à perfectione naturæ, *quàm potentia* , ex quo sequitur,quòd cùm potentia non sit aliquid præter res. Deinde cùm dicit :

Primum sequens.

Peccatũ ergo nihil , etiam secundum Aristotelem.

Non ergo nec in eis , quæ à principio , & sempi

piternis quicquam est, neque malum, neque peccatum, neque corruptum, etenim corruptio malorum.

Secundum sequens. Negaret fortè Philosophus peccatum in Angelis sed suis principiis conformiter loquitur.

Ponit secundum corollarium, quod sequitur ex primo: quia enim malum est posterius à perfectione naturæ quàm potentia, & potentia *non est* in rebus *sempiternis, nihil erit malum nec peccatum natura nec corruptum*, id est, corruptio; corruptio enim est de genere *malorum*, est autem hoc intelligendum de corruptione simpliciter, & in substantia: nam *corruptio* secundùm quid, puta secundùm vbi, aut secundùm quale, nihil prohibet esse in rebus sempiternis, vt prædictum fuit.

SVMMÆ SECVNDÆ
CAP. V.

Actum priorem esse potentia, perfectione.

SVMMARIVM.

Actum esse priorem potentia, cognitione, duobus exemplis geometricis optimè ostenditur per totum sequẽs caput.

T.com.10. 50

INueniuntur autem, & diagrammata actu, nam diuidentes inueniunt, si verò essent diuisa, manifesta vtique essent, Nunc autem insunt potentia, propter quid duo recti trigonum, quia qui circa vnum punctum anguli æquales duobus rectis, si ergo educeretur, qui iuxta costam, videnti vtique statim esset palàm propter quid in semicirculo rectus vniuersaliter, quia si æquales tres, quæ bases duæ, & quæ ex medio superstans recta videnti, palàm enim illud sciuit, quare palàm, quia potentia entia ad actum reducta inueniuntur.


Sermo comparatiuus potentia & actus penes intellectum.

Postquam Philosophus comparauit actum ad potentiam penes prius, & posterius, & penes bonum, & malum: nunc comparat eas penes intellectum. Circa quod duo facit: quia primò comparat actum ad potentiam penes actum intellectus, qui est intelligere, vel cognoscere: secundò penes verum, & falsum; quæ sunt circa actum intellectus. Secunda ibi: *Quoniam autem ens.* Prima in duas secundùm quod dupliciter ostendit quòd actus habet magis rationem cognoscibilis quàm potentia: primò ostendit hoc inducendo in exemplis: secundò probando à causa priori. Secunda ibi: *Causa verò.* Dicit ergo, quòd *diagrammata*, id est: descriptiones figurarum Geometricarum *inueniuntur*, id est, cognoscuntur per inuentionem *actu*, id est, quando fiunt actu: *nam diuidentes*, supple Geometræ, puta lineas, & superficies, *inueniũt*, scilicet vera esse ea, quæ quærunt: patet autẽ quòd diuisio est reductiua ad actum eius, quod fuit in potẽtia; partes enim sunt potentialiter in toto: vnde subdit: *si verò essent diuisa* supple secundùm quod exigit inuentio veritatis: *manifesta vtique essent illa*, scilicet quę quæruntur: *nunc autẽ*, scilicet ante diuisionem, & reductionem ad actum *sunt in potentia*; *& ideò* supple non statim fit notum quod quæritur, quod declarat per duo exempla;

Diagrãmata quæ?

quorum primum est de passione trianguli dicens, vt supple si quæratur *propter quid duo recti trigonum*, i. propter quid triãgulus habet tres angulos æquales duobus rectis: & subdit causam: *quia circa vnum punctum* sunt anguli *æquales duobus rectis: si ergo educeretur* id est, protenderetur angulus, scilicet exterior *qui est iuxta costam*, id est, latus trianguli, *videnti vtique statim esset palàm*, scilicet quòd triangulus habet duos rectos. Secundum exemplum est de qualitate, & rectitudine anguli descripti in semicirculo, dicens: *vt si* supple quætatur *propter quid angulus* supple descriptus in *semicirculo est vniuersaliter rectus*: & subdit causam: *quia si æquales tres, & quæ bases duæ, & quæ ex medio superstans recta: palàm enim videnti qui illud sciuit*: quòd scilicet talis angulus semicirculi sit semper rectus: concludit ergo intentum: *quare palàm, quia entia in potentia* remota *reducta ad actum inueniuntur*, id est, veraciter cognoscuntur.


32. Euclidis.



Ad euidentiam primi exẽpli describatur Triãgulus *A, B, C*, & protendatur basis eius quę est *A, C*, in directum, & continuum: tunc igitur hæc basis protracta, & protensa cum latere trianguli quod est *B, C*, constituet angulum extrinsecum in puncto *C*, qui æqualis est duobus intrinsecis sibi oppositis, scilicet angulo *A*, & angulo *B*, certum est autem quòd duo anguli circa punctum, *C*, quorum vnus est extrinsecus triangulo, & alius intrinsecus æquipollent duobus rectis: nam secundùm regulam Geometricam, linea recta super aliam rectam qualitercunque cadens constituit duos angulos rectos, aut æquipollentes duobus rectis: ex quo sequitur quòd angulus intrinsecus constitutus in puncto *C*, cum aliis duobus, qui sunt angulus, *A*, & angulus *B*, qui erant æquales angulo exteriori circa punctum *C*, omnes scilicet tres sunt necessariò æquales duobus rectis; ideò ait Philosophus, quòd causa per quam probatur quòd triangulus habet duos rectos, est, quia anguli circa vnum punctum *C*, quorum vnus est extrinsecus producendo basim trianguli: statim vtique videnti scilicet talem dispositionem figuræ, esset palàm quòd scilicet triangulus habet duos rectos.

51 Theoria Geometrica de triangulo & passionibus eius quare in primo elemẽtorum Euclidis.

13. Euclidis.



Ad euidentiam secundi exempli describatur semicirculus *A, G, F*, & in puncto *G*, qualitercunque cadat in semicirculo, constituatur angulus, cui substernatur basis *A, F*, quæ est diameter circuli: dico ergo quòd angulus, *G*, est rectus cuius probatio est, quia cùm linea *A, F*, sit diametrum circuli, oportet quòd transeat per centrum quod est, *H*; producatur ergo linea *H, G*, sic; igitur linea *H, G*, est æqualis lineæ *H, A*, quia sũt ductæ à cẽtro

Ingeniosa declaratio Geometrica.

tro ad circunferentiam. Ducatur etiam linea recta, *A*, *G*, quæ constituet triangulum cum linea, *A*, *H*, & linea, *H*, *G*, ergo in triangulo isto isto, *A*, *G*, *H*, æqualis est angulus partialis, *G*, angulo, *A*, quia omnis trianguli, cuius omnia latera sunt æqualia, anguli qui sunt supra basim sunt æquales: duo ergo anguli scilicet angulus, *A*, & angulus, *G*, simul sumpti sunt duplũ solius anguli, *G*: sed angulus, *G*, *H*, *F*, ex hoc quòd est exterior, est æqualis duobus angulis partialibus oppositis, scilicet angulo, *A*, & angulo, *G*: ergo angulos *G*, *H*, *F*, totalis est duplus anguli *G*, partialis. Similiter subtrahatur linea recta, *G*, *H*; tunc probabitur sicut priùs quòd angulus *F*, est æqualis angulo *G*, huius secundi trianguli, qui est *G*, *F*, *H*, eo quòd duo latera, scilicet *H*, *G*, & *H*, *F*, sunt æqualia cùm sint ducta à centro ad circunferentiam, & angulus exterior *A*, *H*, *G*, erit ęqualis vtrique intrinseco opposito, scilicet angulo, *G*, & angulo *F*, & per consequens duplus anguli, *G*, intrinseci. Patet ergo ex omnibus his quòd duo anguli intrinseci, scilicet *A*, *H*, *G*, & angulus, *G*, *H*, *F*, sunt duplum totius anguli, *A*, *G*, *H*, sed duo anguli, scilicet angulus *A*, *H*, *G*, & angulus *G*, *H*, *F*, sunt aut recti, aut æquales duobus rectis: quia linea, *G*, *H*, cadit super lineam, *A*, *F*, ergo angulus, *G*, totalis, qui est in semicirculo, est rectus, & hoc est quod ait Philosophus, quòd causa per quam demonstratur esse rectus angulus, qui est in semicirculo, est; quia tres scilicet lineæ æquales sunt, scilicet duæ in quas diuiditur basis: puta linea, *A*, *H*, & linea, *H*, *F*, & tertia, quæ est media istarum duarum superstans recta, scilicet linea, *H*, *G*, proiecta super basim à centro ad circunferentiam: qua dispositione facta videnti erit palàm scienti illud, id est, scienti principia Geometriæ: erit inquam palàm, quòd angulus, qui est in semicirculo est rectus facta diuisione & reductione ad actum modo prædicto. Deinde cùm dicit:

52

Causa verò quia intelligentia est actus; quia & ex actu potentia, & propter hoc facientes cognoscunt: posterius enim generatione quæ secundùm numerum actus.

Probat prioritatem actus in ratione cognoscibilis à priori.

Probat intentum à priori, & à causa, & intendit talem rationem: Obiectum & potentia proportionantur: sed intellectus est quidam actus; ergo obiectum in actu est magis proportionatum ipsi intellectui; & per consequens magis cognoscibile ab intellectu. Ideò dicit, quòd *causa verò*, scilicet dicti præcedẽtis est; *quia intelligentia*, id est, intellectus *est actus*; vnde concludit: *quare ex actu cognoscitur potentia*, id est, ens in potentia magis cognoscitur cùm reducitur ad actum: *& propter hoc facientes*, id est, reducentes aliquid ad *actum cognoscunt*, vt patet in descriptionibus supradictis: *enim* pro quia, *actus est posterius generatione* quàm potentia: *quæ secundùm numerum*; id est, in eodem numero, vt superiùs dictum fuit.

SVMMÆ SECVNDÆ

Cap. VI.

Quo pacto ex veritate, & falsitate actus sit præstantior potentia?

SVMMARIVM.

Verum & falsum esse magis propriè circa ea, quæ sunt actu, quàm circa ea quę sunt potentia. Explicatur diuersitas de veritate in rebus, & in oratione: & in simplicibus, & complexis. Doctor benè explicat singula, & quid verum & falsum mentale.

Tex. cõ. 21.

Qvoniam autem ens dicitur, & non ens, hoc quidem secundùm figuras categoricas: illud verò secundùm potentiam, aut actum horum aut contraria, hoc autem maximè propriè, aut verum, aut falsum.

Comparat actum ad potentiam penes verum, & falsum, quæ sunt circa actum intellectus, intendens quòd verum, & fasum sunt propriè circa ea quæ sunt actu, magis quàm circa ea quæ sunt in potentia. Circa quod tria facit. Primò proponit intentam conclusionem. Secundò addit eius probationem. Tertiò ex dictis infert quandam conclusionem. Secunda ibi: *Hoc autem in rebus.* Tertia ibi: *Palàm etiam & quod.* Dicit ergo quòd *quoniam ens & non ens oppositum dicitur*, siue diuiditur dupliciter, hoc quidem id est vno modo *secundùm figuras categoriarum*, id est, secundùm decem Prædicamenta: *illud verò*, scilicet alio modo *secundùm potentiam aut actum*: aut *horum contraria*, sic exponendo quòd *horum*, id est, tam entis, quàm non entis *contraria*, id est, siue accipiantur actu, vel potentia, quæ sunt contraria: hoc autem, scilicet quod est in actu, siue ens, siue non ens *maximè propriè* dicitur *verum aut falsum*; ita quòd verum, & falsum propriè competunt rei quando est, eo modo quo est, & est in actu, siue ens, siue non ens, siue vnum contrarium, siue aliquid, quatenus vtrunque contrariorum contingit esse & in potentia, & in actu. Deinde cùm dicit:

Cõparat quoad. intellectũ actum ad potentiam & hoc quoad veritatem & falsitatem.

Diuisio entis duplex.

Verũ & falsũ competunt propriè his quæ sunt in actu.

53

Hoc autem in rebus est componi aut diuidi. Vnde verus est diuisum diuidi, & compositum componi. Mentitur autem ècontrario se habens atque res ipsæ se habent quandocunque est, aut non est quod verum dicitur aut falsum: hoc perscrutandum quid dicimus. Non enim propter nos existimare te verè album esse, tu albus es: sed propter te esse album nos hoc dicentes verum dicimus.

Probat dictam conclusionem. Circa quod tria facit. Primò probat conclusionem quantum ad verum, & falsum in substantiis compositis. Secundò in incompositis, & simplicibus. Tertiò recapitulat quod dixerat de vtrisque. Secunda ibi: *Circa incomposita verò.* Tertia ibi: *Esse verò vt verum.* Prima in duas. Primò proponit rationem ad probandum intentum. Secundò ex dictis infert quandam diuersitatem circa veritatem & falsitatem in opinione & oratione. Secunda ibi: *Si igitur hoc quidem.* In prima parte intendit talem rationem: Verum, & falsum sunt circa compositionem & diuisionem intellectus, cui correspondet

Verum & falsum & compositio atque diuisio duplex.

pondet cõpositio autem & diuisio in re: cõpositio autem, & diuisio in re important actum, & non potentiam; ergo similiter verum & falsum sunt circa compositionem, vel diuisionem intellectus. Dicit ergo, quòd *hoc autem*, scilicet verum, & falsum *in rebus est componi aut diuidi*, scilicet ipsas res: vnde aliquis putans diuidi diuisum *verum est*, id est, veram habet opinionem, vt qui putat asinum non esse equum: & similiter qui compositum componi putat, *mentitur autem è contrario se habens*, &c. id est, falsam habet opinionem, vt qui putat asinum non esse animal. Vult dicere, quòd ex hoc quòd verum & falsum in rebus non est aliud quàm ipsas res *diuidi aut componi*: ideò qui putat *diuidi* quod est *diuisum* in re, *aut componi* quod est *compositum* in re, verum putat: *mentitur autem è conuerso habens res*, id est, qui in sua opinione habet è contrario res quàm se habeant in natura sua, vt qui opinatur asinum esse equum, aut asinum non esse animal *quandocunque est aut non est: quare quod verum dicitur aut falsum, hoc perscrutandum quod dicimus*, id est, quòd quando aliquid est, aut non est, tunc dicitur verum & falsum, & hoc quod dicimus perscrutandum est, scilicet qualiter est in rebus: *non enim propter nos existimare te esse album tu es albus: sed* è conuerso *propter te esse album nos dicentes hoc, verum dicimus*: res enim est causa veritatis, & falsitatis in opinione, & oratione, & non è conuerso.

Causam veritatis & falsitatis in opinione intellectus est correspondentia actualis ex parte rei.

Resolutio dictorum.

54

Notandum, quòd ex his patet verum esse, quòd Philosophus dixerat, scilicet quòd verum, & falsum in rebus est ipsas res componi, & diuidi scilicet in actu; veritas enim, & falsitas quæ est in opinione, siue oratione composita, vel diuisa, reducitur ad compositionem vel diuisionem rei in actu vt ad causam: quia igitur intellectus format compositionem, sumendo duo quorum vnum respectu alterius se habet vt formale, & vt alteri inexistens, puta prædicatum respectu subiecti; ideò oportet quòd ex parte rei, puta in substantiis compositis, sit aliqua compositio aliquorum duorum, quorum vnum se habet vt forma, siue accidentalis, siue substantialis, & essentialis; & alterum se habet vt materia, & subiectum, puta cùm dicitur homo est animal, vel homo est albus: oportet enim hæc esse composita in re, si vera debeat esse compositio, vel propositio quam intellectus format, siue intra se, siue extra se: cùm per vocem format orationem: ab eo enim quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa esse. Deinde cùm dicit:

Subiectum & prædicatum in enunciatione correspondent materiali & formali in rebus extra.

Si igitur hæc quidem semper componuntur, & non impoßibilia diuidi: hæc verò semper diuisa, & impoßibilia componi: hæc autem contingunt contraria. Esse quidem est componi, & vnum esse, & non esse non componi sed plura esse. Circa contingentia quidem; igitur eadem sit falsa, & vera opinio, & oratio eadem: & contingit quandoque veram esse, & contingit quandoque esse falsam: circa impoßibilia verò aliter se habere non fit aliquando verum aliquando falsum; sed semper hæc vera, & hæc falsa.

T.c.22.

55

Infert ex dictis quandam diuersitatem circa veritatem, & falsitatem in opinione, siue oratione; quia enim compositio, & diuisio in re est causa veritatis, & falsitatis in opinione, & oratione, sequitur quòd secundùm differentiam compositionis, & diuisionis quæ est in rebus, sit differentia veritatis, & falsitatis quæ est in opinione, & oratione: in rebus autem reperitur differentia, quam exprimit Philosophus dicens: *si* pro quia, igitur *hæc quidem semper componuntur*, scilicet in re, & sunt *impossibilia diuidi*, puta homo, & animal, *hæc verò*, id est, *alia semper sunt diuisa*, & *impossibilia componi*, puta homo, & asinus: hæc autem, id est, quædam alia contingunt contraria, puta ambulans, quatenus homo quandoque ambulat, quandoque non ambulat: *esse* quidem in quo supple consistit compositio intellectus aut orationis est componi & *vnum esse*, id est, significat quandam compositionem & vnionem: *non esse* verò in quo supple consistit diuisio, & negatio, significat *non componi*, *sed plura esse*, id est, tollit compositionem, & ponit diuersitatem: quia inquam sic est, patet quòd *circa contingentia quidem igitur* quæ, scilicet possunt componi, & diuidi *eadem*, scilicet numero, *opinio*, siue *oratio*, *sit vera*, *& fala*: *& contingit quandoque veram esse, & qnandoque falsam*; puta hæc opinio, siue oratio: homo ambulat, est vera, homine ambulante; & falsa, homine quiescente: *circa verò impossibilia aliter se habere*, puta quæ semper componuntur, vel semper diuiduntur, *non fit aliquando vera aliquando falsa*, scilicet opinio, vel oratio: *sed* quæ vera est, *semper vera est*, puta homo est animal: & *quæ est falsa*, *est semper falsa*, puta asinus est equus. Patet ergo ex his quòd secundùm trinam diuersitatem circa compositionem, & diuisionem in re oritur trina diuersitas circa veritatem & falsitatem in opinione, & oratione. Deinde c m dicit:

Rerum quadam semper sunt composita: quadam semper diuisa: quadam verò alternatim se habentes & pro potentia aliter in intellectu cõponente & diuidente est veritas vel falsitas.

Esse & non esse quid?

Compositio & diuisio & veritas & falsitas diuersificantur tripliciter.

Circa incomposita verò quidem esse aut non esse, & verum, & falsum: non enim est compositum, vt sit quidem quando diuisum fuerit, vt album lignum aut incommensurabilem diametrum, nec verum, & falsum similiter existet adhuc & in aliis.

Ostendit oppositum quantùm ad verum, & falsum, in substantiis incompositis, & simplicibus; quales secundum Aristotelem sunt substantiæ immateriales. Circa quod tria facit. Primò præmittit quòd non eodem modo est verum & falsum in simplicibus, sicut in compositis. Secundò ostendit quomodo verum, & falsum sint in simplicibus. Tertiò quod dixerat adaptat ad propositum ostendendum. Secunda ibi: *Sed est verum quidem.* Tertia ibi: *Et omnes sunt actu.* Prima in duas secundùm duas rationes, quas assignat. Prima est, quia scilicet simplicia non sunt composita sicut illa. Secunda est, quia non eodem modo habent esse: sicut autem res se habet ad esse sic ad veritatem. Secunda ponitur ibi: *Ac sic nec verum.* Dicit ergo, quòd *circa incomposita verò* vt sunt substantiæ immateriales, & simplices *quid esse, & non esse, & verum, & falsum*, id est, quòd in talibus non est verum, & falsum propter compositionem, aut diuisionem quæ fit in rebus, sed per hoc quòd cognoscitur de eis *quid est*, aut non cognoscitur, Cum enim intellectus attingit

Quòd non sit verum & falsum in simplicibus vniformiter & in compositis ostendit.

Modus cognoscendi simplicia.

ad cognoscendum *quod quid est* alicuius simplicis, tunc est verus: cùm verò non attingit; sed fortè attribuit sibi aliquid aliud, tunc intellectus est falsus: subdit autem causam dicti: *non enim est compositum* supple in rebus simplicibus, vt *quandoque sit* quidem compositum, & non sit, *quandoque diuisum fuerit: sicut lignum album, aut diametrum incommensurabilem*, quod dupliciter exponitur. Vno modo sic, quòd in simplicibus non est compositio: vt posset dici quòd quando res componitur, quòd tunc intellectus componés esset verus, vel quando res diuiditur, tunc intellectus componens esset falsus. Alio modo sic, quòd in simplicibus non est compositio; ita quòd cùm dicitur de eo quòd sit, significetur affirmatiuè eius compositio; & cùm dicitur de eo quòd non sit, significetur negatiuè eius diuisio sicut in rebus compositis: verbi gratia, cùm dicitur lignum est album, significatur eius compositio: & cùm dicitur quòd diameter non est commensurabilis, significatur eius diuisio: vtraque expositio ad idem tendit; prima tamen planior. Concludit ergo Philosophus, quòd *verum, & falsum non adhuc similiter existet in his*, scilicet simplicibus, *& in aliis*, scilicet compositis, vt patet ex prædictis. Deinde cùm dicit:

Al. Ac.

Aut sicut nec verum in his idem, sic nec esse.

Sicut se habet res ad esse sic ad veritatē.

Assignat secundam rationem dicens, quòd *nec sic est idem verum in his*, scilicet simplicibus *sicut nec esse*: quia igitur aliter habent esse simplicia quàm composita, sequitur quòd aliter in eis est verum: nam sicut res se habet ad esse, sic se habet ad veritatem, ex 2. huius. Patet igitur ex duplici hac ratione quòd verum, & falsum non est eodem modo in compositis sicut in simplicibus. Deinde cùm dicit:

56

Sed est verum quidem aut falsum attingere quidem, & repræsentare verum: non enim idem affirmatio, & repræsentatio; ignorare autem non attingere: decipi enim circa quod quid est non est, sed aut secundùm accidens. Similiter autem, & circa compositas substantias, non enim est decipi.

Quomodo verum est in simplicibus?

Ostendit quomodo sit verum, & falsum in simplicibus. Dicit ergo, quòd *verum quidem aut falsum est* supple in simplicibus hoc modo *attingere quidem*, scilicet mente ad ipsum simplex hoc verum est: quod est in simplicibus, & subdit: *non enim est idem affirmatio, & dictio siue repræsentatio*, quod dicit ad remouendum dubium, quatenus repræsentatio siue dictio, quandoque sumitur pro affirmatione, vt patet 4. huius, t. c. 16. vbi dicitur quòd dictio est notior quàm negatio: non sic autem sumitur in proposito; sed hoc dicere, idem est quod repræsentare, siue significare per vocem: quædam tamen littera non habet *dicere*, sed *repræsentare*: sic ergo vult Philosophus quòd attingere mente, & repræsentare voce ipsum *quid est* rei simplicis, est esse verum in simplicibus: non attingere autem, scilicet mente ipsum simplex, est omnino *ignorare*; simplex enim, quia non est compositum, non potest sciri secundùm quid sui, & secundùm quid sui ignorari; & ideò qui non attingit ad *quod quid est* eius, ipsum omnino ignorat; & subdit: *decipi enim*, id est, dicere falsum *circa quod quid est*, scilicet simplicium *non est*, id est, non contingit: *sed aut* pro nisi *secundùm accidens*. Hoc autem ideò dicit, quia dixerat quòd attingere simplicia est dicere verum in eis, propter quod videretur quòd non attingere esset dicere falsum, aut decipi: & tamen hoc non dixit, sed quòd non attingere est ignorare: cuius causam tangit; quia non contingit decipi, supple circa *quod quid est*, nisi secundùm accidens. Vnde tertio de Anima tex. com. 26. dicitur, quòd sicut sensus semper est verus circa proprium obiectum, sic intellectus circa *quod quid est* eius proprium obiectum non decipitur. Ratio huius est, quia aut intellectus attingit *quod quid est* rei; & tunc verè cognoscit quid est res: aut non attingit; & tunc non apprehendit illam rem; quare circa eam non verificatur, nec decipitur.

Dictio vel dicere accipitur dupliciter.

Aliud repræsentare vel dicere & aliud affirmare.

Nec falli nec decipi, sed ignorare opponitur verò in simplicibus,

Quare plura ad hac 3. & 8 d. 1.

Notandum, quòd, sicut dictum fuit 6. huius cap. de vero, text. com. 8. verum in intellectu est duplex, scilicet verum incomplexum, & verum complexum, secundùm duplicem operationem intellectus, secundùm quarum vtramque natus est conformari obiecto, vt mensuratum mensuræ, ex 5. huius, cap. de Aliquid text. 20. Est autem inter istas veritates vna differentia: quia veritati incomplexæ non opponitur falsitas; sed ignorantia, iuxta illud quod allegatum est tertio de Anima, tex. com. 27. quòd intellectus circa *quod quid est* semper est verus: sicut sensus circa proprium sensibile; & hoc intelligendum est præcipuè circa conceptum simpliciter simplicem. Et voco *conceptum simpliciter simplicem*, qui non est resolubilis in alios conceptus, sicut est conceptus entis, & conceptus vltimarum differentiarum. De tali ergo conceptu verum est illud tertij de Anima: nam intellectus simplex circa conceptum non simpliciter simplicem, licèt non possit esse formaliter falsum; potest tamen esse virtualiter falsus; apprehendendo scilicet aliquid sub determinatione non conueniente, sed repugnante sibi: & hoc modo dicitur 5. huius cap. de Falso, tex. c. 34. quòd est aliqua ratio in se falsa, puta ista: *animal rationale insensibile*; & tamen illa ratio in se falsa est intelligibilis simplici apprehensione; licèt ipsa non includat aliquod *quid*, nisi fortè, *quid nominis*. Secundùm hunc modum potest exponi intentio Philosophi in capit. præsenti, vbi ipse videtur distinguere de intelligentia simplicium, inquantum est circa *quid* simplicium, & circa *quid* compositorum: nam circa *quid* compositorum cadit deceptio per accidens: quia scilicet compositum est natum facere conceptum, non simpliciter simplicem, in quo potest cadere falsitas virtualiter: non sic autem in *quid* simplicium: si enim, vt dicit quidam expositor, intelligeret per accidens, scilicet in attribuendo alteri illud *quid*, non esset differentia; quia ita in *quid* simplicium potest intellectus simplex esse falsus per accidens isto modo, sicut in *quid* compositorum. Secundæ autem veritati, quæ est veritas complexa, opponitur ignorantia priuatiuè, & falsitas contrariè, quando vniuntur scilicet ea quæ in re non sunt vnita. Aliter exponitur ly *decipi per accidens*: nam circa *quod quid est* nullus decipitur, nisi componendo aut diuidendo: quod quidem contingit dupliciter in substantiis compositis: vno modo componendo diffinitionem cum re diffinita: aut etiam diuidendo, puta dicendo: asinus est animal rationale mortale: aut homo non est animal rationale

morta

57

Verum mentale duplex & differentia eorum.

Falsitas duplex.

1. Expositio. Resolutio dictorum de deceptione esse quod quid est per accidens.

Quare Alex. de Alexand. hic.

2. Expositio. S. Thom.

mortale:patet ergo,quòd vtrobique est falsũ.Alio modo si diffinitio constituatur ex partibus repugnãtibus,puta dicẽdo:homo est animal insẽsibile. Primo modo,diffinitio est falsa,quia nõ est huius. Secundo modo, est falsa in se: hoc enim duplici modo diffinitio est falsa,vt patet ex 5.huius,ca.de falso, t. c. 34. In simplicibus verò substantiis non potest esse deceptio circa *quod quid est* per accidens,nisi primo modo:nam *quod quid est* ipsorum non est compositum ex pluribus circa quorum compositionem posset falsum accidere: prima tamen expositio subtilior & verior videtur,& contradicit isti secundæ, vt ibi dictum fuit.

SVMMARIVM.

Substantias simplices esse semper actu, & totaliter sciri,vel totaliter ignorari.Infert inde quòd in immobilibus non est deceptio secundùm quando, quod explicat Doctor.

58

ET omnes sunt actu non potentia; generarentur enim vtique & corrumperentur: nunc autem ens ipsum non generatur,nec corrumpitur; ex aliquo enim vtique generaretur. Quæcunque igitur sunt quod verè, esse enim quid, & actu, circa hoc non est decipi; sed aut intelligere aut non. Sed quod quid est quæritur de ipsis, si talia sunt aut non.

Ea quæ dixerat adaptat ad propositum ostendẽdũ,scilicet quòd verum magis est in actu quàm in potentia:ostenderat enim hoc circa composita. quatenus verũ est circa cõpositionẽ, & diuisionẽ, quæ actu designantur ibi esse; sed in simplicibus quatenus non est in eis falsum; sed verum tãtùm: propter quod non sunt in potentia, sed in actu. Dicit ergo, quòd *omnes*,scilicet substantiæ simplices,& immateriales *sunt actu non potentia*. Cuius causam subdit,*enim* pro quia *generarentur & corrumperentur*,cùm potentia sit contradictionis:*nũc autẽ ipsum ens*,scilicet simpliciter,*nõ generatur nec corrũpitur:ex aliquo enim vtique generaretur*,& sic ens simplex esset cõpositum, quod est cõtradictio manifesta: sẽper ergo actu sunt: & quia verũ maximè cõsistit circa actũ;ideò subdit,quòd *quæcunque igitur sunt quod verè aliquid esse,& actu*,puta quiditates,& formæ, siue substantiæ simplices & immateriales:*circa hoc nõ cõtingit decipi*,id est,esse falsitatem,*sed aut intelligere*,puta si mẽte attingãtur:*aut non:* sed supple penitus ignorantur,si non attingãtur mẽte, & subdit:*sed quod quid est quæritur de ipsis si talia sunt,aut non.* Vult dicere,quòd licèt in eis non cõtingat decipi secũdùm se;cõtingit tamen cùm de ipsis quæritur *quid e^t*,vtrũ sint talia vel non;& hoc est decipi per accidẽs:puta si quæratur de aliqua substantia simplici, vtrùm sit terra, vel aliqua substantia corporea, aut non: quòd si dicatur quòd sic, propter talem compositionem erit falsitas per accidens, quasi simili modo,vt inducebatur. Deinde cùm dicit:

Applicatio dictorum.

Simplicia aut totaliter ignorantur, aut totaliter intelliguntur.

59

Esse verò vt verum, & non esse vt falsum, vnum quidem est si componitur verum & hoc autem si non componitur falsum,vnum autem si verè ens sic est,si uerò non ita,non est. Verum autem intelligere ipsa:falsum verò non est,nec deceptio,sed ignorantia,non qualis cæcitas,cæcitas enim est vt vtique si intellectiuum omnino non habeat aliquis.

Recapitulat de vero,& falso,tã circa cõposita, quã circa simplicia,dicẽs quod *esse verò* quòd supple significat vt verũ,*& non esse* quod significat *vt falsum:vnũ quidẽ*,id est, vno modo dicitur in cõpositis quod quidẽ est *verũ,si cõponitur*,scilicet in re *illud quod* supple cõponit intellectus:*hoc autem falsũ si non cõponitur*,scilicet in re.*Vnũ autẽ*,id est, alio modo est supple in simplicibus,& immaterialibus,*si verè ens sic est*,id est, quòd tũc est verum quando id quod est verè ens,id est,substantia simplex,sic est sicut intelligitur:*si verò nõ est ita, non est* supple *verũ:*nec intellectus est verus;vnde *verũ est ipsa intelligere:falsũ verò nõ est* ibi,*nec deceptio,sed ignorãtia*,vt suprà expositũ est,& exponit qualis ignorãtia sit,dicẽs *nõ qualis cæcitas*, nã cæcitas est priuatio potẽtiæ visiuæ: vnde ignorantia similis cæcitati esset, si homo nõ haberet intellectũ,per quẽ posset illas substãtias intelligere;ideò subdit:*cæcitas enim est vt vtique si aliquis nõ habeat omnino intellectũ.* Ex hoc apparet manifestè quòd secũdùm mẽtẽ Aristotelis intellectus humanus nõ potest attingere ad cognoscẽdũ substãtias simplices, & immateriales,de quo ostensum est 2.huius; quomodo habeat veritatem. Deinde cùm dicit:

Recapitulatio dictorum de veritate & falsitate in compositis & proportionaliter in simplicibus.

Ignorantia duplex.

Corrollarium notabile.

Palàm etiam & quia de immobilibus non est deceptio secũdum quando:si quis immobilia,vt trigonum si non permutari putat,non opinabitur quandoque duos rectos habere,quandoque non; permutaretur enim vtique sed aliquid quidem:aliquid verò non,vt parem numerum primum esse nullum: aut aliquos quidem esse, aliquos autẽ non esse,circa verò vnum numero nec hæc, non enim aliquem quidem, aliquem verò non putabit, sed verum dicet, aut mentietur, vt semper sic se habente.

Ex prædictis,infert quandã cõclusionem,dicẽs *palàm esse quòd immobilibus non est deceptio secũdũ quãdo:vt si quis immobilia putaret esse mobilia*, & cõtingẽtia aliter se habere: tunc posset decipi secundũ quãdo:quatenus non sẽper sunt:in cõtingẽtibus enim cõtingit decipi secũdùm quãdo,quatenus nõ sẽper sunt,puta si Socrates scribit,& hoc aliquis opinetur: potest alius decipi de eo quod opinetur ipsũ nõ scribere quãdo scribit. Similiter est de aliis contingentibus,quod non contingit in rebus immobilibus, si quis putaret ea *immobilia esse, vt trigonum si quis non putat permutari:* sed supple esse immobile non opinabitur ipsũ, scilicet triangulum, *quandoque habere duos rectos*, scilicet æquipollẽter, *& quãdoque nõ habere duos rectos, enim* pro quia, iam vt patet *permutaretur vtique*, supple triangulus:subdit autem,*sed aliud quidem, aliud quidem non.* Vult dicere, quòd in rebus immobilibus contingit quandoque sub aliquo communi accipere aliquid quod sic se habet, & aliquid quod non:sicut puta sub triangulo aliquem æquilaterum, & aliquem non: & similiter sub numero pari aliquem numerum primum,aliquem non: & contingit dubitare de numero pari: vtrùm nullus sit primus, vel aliqui primi, & aliqui non; ideò dicit, *vt parem numerum nullum esse primum: aut aliquos quidem, aliquos autem non* dicitur autem numerus primus, quem sola vnitas mensurat: & hoc modo inter nume-

Infert ex dictis conclusionẽ notabilem.

60

Decipi secundum quando quid? & in quibus contingit?

Numerus primus quis?

ros pares ſolus binarius eſt primus,& nullus aliorum. Hoc ergo modo contingit vtique errare & decipi circa immobilia: accipiendo aliqua plura ſub aliquo primo. Subdit *autem*, quòd *circa vnum numero* ſupple in rebus immobilibus, *nec hoc* contingit, ſcilicet errare aut decipi, quantùm ad hoc: vnius cauſam ſubdit: *non enim* ſupple in eodem numero *aliquis putabit aliquem quidem* ſupple ſic ſe habere, *aliquem verò non*, *ſed verum dicet aut mentietur*, *vt ſemper ſic ſe habente illo*, ſupple vno ſecundùm numerum: quia vnum numero non diuiditur in multa: eſt ergo concluſio Philoſophi quòd in rebus immobilibus ſi quis ea putet immobilia circa idem numero, non contingit decipi nec ſecundùm quando, nec ſecundùm ſuppoſita, cùm illud idem numero ſemper ſimiliter ſe habeat; licèt circa diuerſa numero contingat decipi modo prædicto. Patet ergo ex omnibus præcedentibus concluſio principalis huius capituli, quòd cùm immobilia ſint ſemper actu, quòd verum magis eſt circa actum, quàm circa potentiam.

In immobilibus circa idē in ſpecie accidere poteſt deceptio, non circa idem in numero.

LIBER DECIMVS.

Quamuis l.5.c.6.tractauerit de vno, *reſumit tamen illum tractatum hic vbi fuſius de* vno, *& paſſionibus illud conſequentibus, diſputat; ponit quatuor modos* vnius, *ſecundùm continuitatem, formam, ſpeciem, ſeu vniuerſale, numerum ſeu indiuidualitatem, quos reducit ad vnam rationem indiuiſibilitatis. Ponitur duplex modos prædicationis* vnius, *ſcilicet de ſuo* quod quid eſt, *& de aliis. Prima ergo ſumma huius libri agit de* vno *in ſe conſiderato; ſecunda de ipſo reſpectu multitudinis.*

SVMMA PRIMA.

De vno *in ſe conſiderato.*

CAPVT PRIMVM.

Quatuor modi *Vnius* explicantur.

Tex. cō. 1.

1

Vnum quia multis modis dicitur in diuiſis de quoties, dictum eſt prius. Multipliciter verò dicto capitales modi ſunt quatuor primorum, & ſecundùm ſe dictorum vnum, ſed non ſecundùm accidens.

Scientia omnis conſiderat tria.

Sicut dicebatur in principio ſeptimi huius, quælibet vna ſciētia verſatur circa tria, ſicut circa ſubiectū; & partes eius, & circa paſſiones ſubiecti, & etiā circa principio ſubiecti. Poſtquā ergo Philoſophus in præcedentibus determinauit de *ente*, quod eſt ſubiectū. Primū huius ſcientiæ, nunc determinat de vno, & de aliis cōſequentibus, *vnum*, quæ ſunt paſſiones entis inquantū ens. Circa quod duo facit. Primò determinat de *vno* in ſe, & abſolutè. Secundò in cōparatione ad ſuum oppoſitum, quod eſt *multa*. Secūda ibi: *Opponuntur autē*. Prima in duas: quia primò agit de ipſius *vnius* multiplicitate. Secundò de eius quadam proprietate. Secūda ibi: *Maximè verò*. Prima in tres quia primò præmittit modorū *vnius* diſtinctionē. Secūdò ponit omnium modorū *vnius* reductionē. Tertiò exponit ipſius *vnius* prædicationem. Secunda ibi: *Dicitur quidem vnum*. Tertia ibi: *Oportet autem intelligere*. Prima in duas. Primò proponit intentū. Secūdò exequitur de intēto. Secunda ibi: *Cōtinuū enim*. Dicit ergo, quòd priùs in diuiſis de quoties, id eſt, in quinto huius, vbi diuiſa ſunt ſignificata, & intentiones nominum, quæ pertinent ad hanc ſcientiam; ibi inquam dictum eſt, *quia vnum multis modis dicitur*: dicto verò multipliciter, ſcilicet ipſo vno; *quatuor tamen ſunt modi capitales*, id eſt, *principales primorū & ſecundùm ſe dictorū vnū, ſed non ſecūdū accidēs*. Vult dicere, quòd quatuor ſunt modi principales *vnius*, accipiendo *vnū* ſecūdùm quòd primò & per ſe dicitur, & nō per accidēs: quia vnū per accidēs habet ſuos modos, vt patet 5. huius capitulo de *Vno*. Deinde cùm dicit

Sermo de vno *abſolute.*

Modi principales vnius *per ſe de quibus intendit ſunt* 4.

Continuum enim aut ſimpliciter, aut maximè quod natura, & non tactu, nec ligatione: & horum magis vnum, & prius, cuius indiuiſibilior motus eſt, & magis ſimplex.

Exequitur de intento. Circa quod duo facit: quia primò ponit modos *vnius* qui ſumuntur penes indiuiſibilitatē motus, vel mutationis. Secundò modos qui ſumuntur penes indiuiſibilitatē rationis. Secunda ibi: *Hæc autē ſi ratio ſit vna*. Prima in duas: quia primò facit quod dictū eſt. Secundò infert quādam concluſionē ex prædictis. Secunda ibi: *Quare palàm eſt*. Prima in duas ſecundū duos modos. Secūda ibi: *Amplius tale*. Dicit ergo, quòd ſupple vnum dicitur *continuum, aut ſimpliciter*, id eſt, vniuerſaliter, quocunque modo ſit aliquid cōtinuum, *aut maximè quod natura*, id eſt, quòd ſecundùm naturam eſt continuum, *& non tactu aut ligatione*, ſicut eſt faſciculus lignorū. Similiter intelligendum eſt de aliis modis, quibus aliqua non à natura, ſed ab arte continuantur, ſiue ligantur, puta clauo, aut viſco, aut aliquo huiuſmodi. Et ſubdit quòd *horum*, quæ ſcilicet ſunt continua per naturam, ſcilicet *illud prius*, *& magis eſt vnum, cuius motus eſt indiuiſibilior, & magis ſimplex*.

1. *Modus.*

2 *Continuum duplex.*

Notandum, quòd vt dicebatur in 5. huius, t.c. 8. aliquod eſt cōtinuū ſecundùm lineā rectā, vel etiā circularem: aliqua ſunt cōtinua ſecundùm lineam reflexam. Continuū primo modo, eſt inflectibile; & ideò habet motum indiuiſibilem, quantum ad omnes ſuas partes: non ſic continuum ſecundum lineam reflexam; ſed contingit vnam partem moueri alia quieſcente; ideò in ratione vnius quod

quod est vnum continuitate, est date gradus: propter quod dicit Philosophus quòd illud est magis vnum, cuius motus est indiuisibilior, & magis simplxx, quantùm scilicet ad suas partes. Continuum enim dicitur, cuius motus est vnus secundùm se, & indiuisibilis secundùm tempus: cuius ergo motus est magis indiuisibilis, illud est magis continuum, & per consequens magis vnum secundùm continuitatem. Deinde cùm dicit;

Continuum natura duplex.

Continuum quid?

3

Ampliùs tale, & magis totum, & habens aliquam formam, & speciem: maximè autem siquid natura est tale, & non vi, vt quæcunque visco, aut clauo, aut coniunctione; sed habet in se quod est causa sibi vt sit continuum: tale verò eo quòd in motum vnum esse, & indiuisibilem loco, & tempore.

Ponit secundum modum, qui scilicet addit aliquid supra primum: hoc enim modo dicitur vnum quod est continuum, & vltra hoc *est quoddam totum habens aliquam vnam formam, & speciem*, ita quòd iste modus supra vnitatem continuitatis addit vnitatem formæ, secundùm quam res est aliquid totum habens speciem, puta cùm dicitur animal vnum, vel homo vnus, ab vnitate formæ. Subdit etiam, quòd *maximè dicitur vnum*, supple isto modo, *si quid est tale natura*, id est, per naturam, *& non vi, vt quæcunque visco aut clauo, aut coniunctione* aliqua vniuntur: sed illud quod est vnum per naturam *habet in se causam vt sit continuum:* quia scilicet per naturam suam & non aliunde, & per consequens est magis vnum. Addit etiam quòd *tale verò*, supple vnum & continuum est *eo quòd in motu vnum esse* & indiuisibile, id est, eo quòd eius est vnus motus *& indiuisibilis loco, & tempore:* sic intelligendo, loco quidem; quia versùs quamcunque differentiam loci mouetur vna pars, mouetur & alia: tempore autem, quia quandocunque mouetur vna pars, & alia. Hoc autem additum potest referri non solùm ad istum secundum modum *vnius*, sed etiam ad primum: vtrobique enim verum est quòd ipsius continui est vnus motus indiuisibilis, si perfectè sit continuum. Deinde cùm dicit:

2. Modus.

Totum continuũ duplex.

Ratio vnitatis in duobus dictis modis.

Quare palàm si quid per naturam motus habet principium primi primum, vt puta dico lationis circulationem, quare hæc prima magnitudo vna; hoc quidem itaque sic vnum continuum, aut totum.

Infert quandam conclusionem ex prædictis: quia enim dictum est quòd aliquid continuum, & totum per naturam dicitur vnum, quia motus eius est vnus; ideò infert quòd *palàm est* quòd *si quid habet per naturam principium primi motus*, illud supple est primum vnum in magnitudine; & subdit, *vt puta dico lationis circulationem: quare hæc erit prima magnitudo vna:* probatur enim 8. Physic. t.c. 55. & inde, quòd latio, id est, motus localis est primus motus; & inter motus locales circulatio: cælum ergo primum quod habet in se principium talis motus, siue principium passiuum; quatenus est summè aptum moueri motu circulari: siuè principium actiuum, quatenus habet Intelligentiam sibi inexistentem, & appropriatam motricem sui, *erit prima vna magnitudo.*

Illatum ex dictis, primũ mobile est primum his duobus modis dictis.

Primus motuum quis?

Principium motus cæli duplex.

Vltimò epilogat quòd *hæc quidem itaque sic dicuntur vnum, aut sicut continuum*, quantùm ad primum modum: *aut sicut totum*, quantùm ad secundum. Deinde cùm dicit:

Epilogus.

Hæc autem si ratio vna fuerit, talia verò sunt quorum intellectiua, talia autem quorum indiuisibilis, indiuisibilis verò eius quod indiuisibile specie, aut numero, numero verò singulare indiuisibile, specie verò quod in scibili & scientia.

4

Ponit modos *vnius* qui sumuntur penes indiuisibilitatem rationis. Circa quod duo facit: Primò ponit illos modos qui sunt duo. Secundò infert quandam conclusionem ex prædictis. Secunda ibi: *Quare vnum itaque.* Dicit ergo, quòd *hæc autem*, di est, quædam alia dicuntur vnum *si ratio fuerit vna: talia verò sunt quorum intelligentia* est vna, quæ scilicet vna & simplici apprehẽsione ab anima concipiuntur: *talia autem sunt quorum*, scilicet *intelligentia* vna, *quorum est indiuisibilis: indiuisibilis verò eius quod est indiuisibile specie, aut numero*, per quod tangit duos modos; vnde subdit, quòd *numero* indiuisibile *est singulare: specie verò cognoscibili, & scientia*, id est, quòd est vnum secundùm notitiam & secundùm scientiam, nam scientia est propriè de specie: nec singularia sunt scibilia aliter quàm per scientiam speciei: loquendo propriè de scientia. Deinde cùm dicit:

3. & 4. modi vnius.

Vnum numero & specie quid?

Solius speciei est scientia

Quare vnum vtique erit primum quod substantiis causa vnius.

Infert ex prædictis quandam conclusionem: quia enim secundùm hos modos dicitur aliquod vnum, propter vnitatem rationis; substantia autem est prior ratione omnibus aliis entibus; ex hoc sequitur quòd primum vnum secundùm istos modos erit vnum substantia, & per consequens illa substantia quæ est causa vnitatis aliis, scilicet primum ens; ideò dicit; *quare primum vtique vnum erit, quod substantiis est causa vnius*; tale est ens primum. Deinde cùm dicit:

Ens primum est primum vnum dictis vltimis duobus modis.

Dicitur quidem igitur vnum tot modis continuũ natura, & totum, & singulare, & vniuersale: omnia enim hæc vnum per indiuisibile esse, horum quidem motum: illorum autem intelligentiam aut rationem.

5

Ponit reductionem omnium prædictorum modorum *vnius*: resumendo ergo quæ dicta sunt, dicit, quòd *vnum quidem dicitur tot modis*, scilicet quatuor. Primò *continuum natura.* Secundò *totum*, & Tertiò *singulare*, & Quartò *vniuersale*: quod scilicet est species: *omnia dicuntur esse vnum* per esse *indiuisibile*; & ideò omnes modi *vnius* reducuntur ad vnam rationem, quæ est ratio indiuisibilitatis: *horum quidem* supple quantùm ad primos duos modos per esse *motum*, scilicet indiuisibilem: *illorum autem intelligentiam, aut rationem*, esse scilicet indiuisibilem, & hoc quantùm ad alios duos modos. Deinde cùm dicit:

Reductio modorum vnius ad vnam rationem scilicet indiuisibilitatem.

Oportet enim intelligere quia non similiter dicendum qualia vna dicuntur, & quid est

T.c.2.

vni esse, & ipsius ratio: dicitur enim vnum tot modis, & vnumquodque erit vnum horum cuicunque extiterit horum aliquis modorum: vni autem horum esse: & quandoque quidem horum alicui inerit, quandoque autem alij, quod, & magis propinquum nomini est, potentia verò illa.

6

Exponit ipsius vnius prædicationem, & intentio sua est, quòd vnum aliter prædicatur de suo *quod quid est* quod est indiuisibile esse, vt dictum est, & aliter de aliis speciebus, quæ dicuntur habere vnitatem: nam de suo *quod quid est* prædicatur sicut idem de eodem, & diffinitum de diffinitione; quasi in primo modo dicendi per se: de aliis autem rebus prædicatur non per se primo modo, sed per se secundo modo & quasi per accidens; eo modo quo dicitur habere rationem accidentis: *vnum* enim est passio entis. Circa hoc duo facit: Primò proponit intentum. Secundò manifestat per simile in elemento & in causa. Secunda ibi: *Sicut de elemento & causa.* Dicit ergo, quòd *oportet intelligere quod non similiter est sumendum* dici, id est, prædicari, *qualia vnum dicuntur*, scilicet res aliæ, quæ participant rationem vnitatis, & *quid est vni esse & ipsius ratio* quod est indiuisibile esse. Vult dicere, quòd vnum non similiter prædicatur de suo *quod quid est*, & de aliis rebus; *dicitur enim vnum tot modis*, supple vt prædictum est; & *vnumquodque eorum*, id est, rerum quæ participant vnitatem, *vnum horum cuicunque extiterit aliquis istorum modorum*, id est dicuntur vnum aliquo dictorum modorum, puta vel vnum continnuitate, vel vnum ratione, &c. *vni autem horum esse*, id est, indiuisibile esse, *quandoque quidem horum alicui inerit, quandoque autem alij.* Vult dicere, quod licèt vnum, vel indiuisibile esse, prædicetur de aliis rebus; de diuersis tamen aliter & aliter, scilicet *quod* in omni indiuisibile *esse magis propinquum nomini*, id est, nomini *vnius* tanquam idem sibi in primo modo per se: *illa verò*, id est, illæ res *in potentia*, quatenus alias res denominat: & quæ participant rationem *vnius* sunt subiectum & potentiale *vnius*, vt passionis. Deinde cùm dicit:

Vnum prædicatur dupliciter.

Aliter de suo quod quid est *& aliter de entibus prædicatur vnum.*

Expositio singularis.

Sicut de elemento, & causa si oportet dicere in rebus determinātem, & nominis terminum reddentem. Est quidem enim forsan, vt elemētū ignis: est autem secundum se, & infinitum, aut aliquid aliud tale, est autem vt non: non enim idem igni, & elemēto esse, sed vt quidem re, & natura ignis elementum: nomen verò significat eo quòd hoc acciderit ipsi, quia est aliquid ex hoc, vt primo inexistente; sic, & in causa, & in vno, & talibus omnibus: propter quod, & vni esse indiuisibili est esse. Quod quidem hoc enti, & inseparabili, aut loco, aut specie, aut mente, aut & toto, & determinato.

Manifestat quod dixerat de *vno* per simile in elemento, & causa, dicens, quòd *sic* supple est dicendū de vno *sicut de elemento, & causa: si oportet determinantem dicere in rebus*, id est, accipere elementum, & causam secundùm determinationem ad res, prout scilicet aliquam rem, puta ignem, vel aliquam dicimus esse causam, vel elementum, & *nominis*, scilicet elementi, vel causæ *reddentem terminum*, id est, diffinitionem, puta assignando rationem elementi, vel causæ, aliter dicetur de suo *quod quid est*, & diffinitione; & aliter de igne, vel de quacunque alia re, quæ ponitur causa, vel elementum: nā de suo *quod quid est* diceretur quasi idem de eodem, & quasi per se primo modo; ideò subdit: *est quidem enim ignis, vt elementum*, secundùm opinionem eorum, qui posuerunt ignem esse principium rerum; *est autem forsan* supple *elementum infinitum secundùm se*, id est, separatum, & per se existens, & hoc secundùm opinionem Pythagoricorum, qui posuerunt infinitum separatum esse elementum omnium, *aut aliquod tale secundùm* diuersas opiniones de elementis, & principiis rerum, est autem *vt non.* Vult dicere, quòd ignis, aut infinitum, est vno modo idem quod elementum: alio modo non idem; quod exponit dicens: *non enim idē igni, & elemento esse*, id est, non sunt idem essentialiter, & in primo modo dicendi per se; *sed vt quidem re, & natura ignis elementum est*, id est, quòd ipse ignis qui est quædam res, & natura cui competit esse elementum: est enim denominatiuè, & secundo modo dicendi per se; vnde subdit, quòd *nomen* supple elementi, vel causæ dictom de igne *significat eo quod accidit ipsi*, scilicet igni; ignis igitur elementum, vel causa: *quia est aliquid* scilicet ipse ignis ex quo fit, scilicet aliquid vt *ex hoc primo inexistente*, quod est diffinitio elementi, vt patet ex 5. huius, t.c.4. & subdit, *quod sic*, id est, *similiter est in causa, & in vno, & in omnibus talibus*, sicut supple dictum est de elemento: *propter quod, & vnum esse*, siue *vni esse*, est *esse indiuisibile, quod quidem hoc* supple competit per se secundo modo, enti, *& inseparabili*, id est rei *indiuisibili, aut loco, aut specie, aut mente, aut & toto, & determinato*, scilicet ad singularitatem secundùm diuersos modos *vnius.*

Elementum & causa accipiuntur & denominantur dupliciter.

Opiniones variæ de elemētis primis rerum.

Elementum quid?

Ratio vnius quæ?

Notandum, sententiam Philosophi, & simile, quod adducit, in hoc stare, quòd sicut nomen *elementi*, vel *causæ* aliter prædicatur de suo *quod quid est*, puta de hoc, quod est esse illud ex quo aliquid fit primo cùm insit; quod est *quod quid est*, ipsius elementi, & aliter prædicatur de re cui conuenit esse elementum, vel causam, puta de igne, vel infinito: nam de suo *quod quid est* prædicatur, vt idem de eodem per se primo modo. De igne autem prędicatur quasi per accidens, & per se secundo modo; sic & ipsum *vnum* de suo *quod quid est*, quod est indiuisibile esse, prædicatur essentialiter, & quasi per se primo modo: de rebus autem quibus conuenit esse vnum, quatenus habeant rationem indiuisibilis, aut loco, aut specie, aut aliquo modorum *vnius*, prædicatur quasi per accidens, & per se secundo modo: ex quo colligitur quòd ipsum de diuersis diuersimodè prædicatur.

Resolutio dictorum.

SVMMÆ PRIMÆ
CAP. II.

Vnum habere rationem mensuræ, & mensuræ proprietates explicantur.

SVMMARIVM.

Vnum maximè habere rationem mensuræ, & quod est primum in vnoquoque genere, esse metrum cæterorum: de quo Doctor

Doctor 1. d.8. q. 3. num. 24. Item ab *vno* rationem mensuræ ad alia deriuari: explicat quomodo ratio mensuræ conueniat grauitati, aut velocitati.

8

Cap. 2.

***M**Aximè verò in eo, quod est metrum esse primum vniuscuiusque generis, & maximè propriè quantitatis, hinc enim venit ad alia metrum, etenim est quo quantitas cognoscitur, cognoscitur verò, aut vno, aut numero quantitas inquantum quantitas, numerus autem omnis vno; quare omnis quantitas cognoscitur inquantum quantitas vno.*

Sermo de proprietate, vnius quæ est esse mensuram.

Postquam Philosophus determinauit de ipsius *vnius* ratione scilicet indiuisibilitate, & eiusdem multiplicitate: nunc agit de ipsius *vnius* proprietate, ostendens quomodo *vnum* habet propriè rationem mensuræ. Circa quod duo facit; primò ostendit quòd vnum quod est de genere Quantitatis habet propriè rationem mensuræ, & exinde deriuatur ad alia genera: secundò requirit specialiter qualiter vnum quod est mensura, se habeat in genere Substantiæ. Secunda ibi: *Secundùm substantiam verò.* Prima in duas: primò ostendit propositi veritatem: secundò excludit à proposito quandam improprietatem. Secunda ibi: *Et scientiam autem.* Prima in duas: primò facit quod dictum est: secundò exponit quasdam proprietates mensuræ, quæ sunt notandæ. Secunda ibi: *In omnibus autem his.* Prima in duas: primò ostendit quòd vnum, quod est propriè mensura, est de genere Quantitatis discretæ: quia est principium numeri, & quod exinde deriuatur ad alia genera. Secundò exponit, quod dixerat scilicet quomodo ratio *vnius* & mensuræ extenditur, & deriuatur ad alia genera secundùm quod participant rationem quantitatis. Secunda ibi: *Hinc autem, & in aliis.* Prima in duas: primò facit quod dictum est: secundò infert ex dictis conclusionem quandam. Secunda ibi; *Et ex quo.* Dicit ergo, quòd illud quod est primum vniuscuiusque generis est *maximè in eo, quod est metrum esse:* quia illud quod, *est primum in vnoquoque genere est maximè mensura* aliorum in illo genere: & subdit quòd hoc est, *maximè proprium quantitatis: hinc enim ad alia venit*, id est, quòd *ratio mensuræ* primò conuenit quantitati, & exinde *ad alia* genera deriuatur: cuius causam subdit: *etenim*, pro quia *metrum*, id est, mensura *est quo cognoscitur quantitas*, supple quæcunque sit, siue quantitas dimensionis, siue perfectionis: *cognoscitur verò quãtitas inquantum quantitas, aut vno aut numero*, puta vno, vt cùm dicimus: vnum palmum: Numero verò, vt cùm dicimus duos palmos, vel tres, & subdit: *omnis autem numerus* cognoscitur *vno*: quilibet enim numerus mensuratur vnitate aliquoties sumpta, ex quo infert: *quare omnis quantitas inquantum quantitas cognoscitur vno*: dixit autem: *inquantum quantitas*, vt hoc intelligatur de mensura quantitatis, nam res alio modo sunt cognoscibiles quàm numero, puta si considerentur secundùm alias suas proprietates à quantitate, vt quòd homo est risibilis, & quòd triangulus habet tres, & huiusmodi. Deinde cùm dicit;

Mensura in omni genere quid?

Mensurare est proprium quantitatis. Quantitas duplex. Quantitas cognoscitur dupliciter. Prima mensura quantitatum est vnitas.

9

Ex quo primo cognoscitur hoc ipsum vnum, quapropter vnum numeri principium secundum quod numerus.

Infert ex dictis conclusionem quandam: quia enim dictum est quòd numerus cognoscitur, & mensuratur vno; ideò concludit, quòd *ex quo primo cognoscitur*, scilicet ipse numerus, hoc est, *ipsum vnum: quapropter vnum est principium numeri secundùm quòd numerus.* Deinde cùm dicit;

Vnum est principium, & mensura numeri.

Hinc autem, & in aliis dicitur metrum quo primò vnumquodque cognoscitur, & metrum vniuscuiusque vnum in longitudine, in latitudine, in profunditate, in grauitate, & velocitate.

Tex. cõ. 3.

Ostendit quomodo ratio mensuræ, & vnius deriuatur ad alia genera secundùm quòd participant rationem quantitatis. Circa quod duo facit; primò facit quod dictum est.: secundò remouet dubium quod posset oriri ex prædictis. Secunda ibi: *Grauitas enim.* Dicit ergo, quòd *hinc*, id est, ex vno quod est principium numeri, *dicitur & in aliis*, scilicet generibus *metrum*, id est, mensura vniuscuiusque illud *quo vnumquodque primò cognoscitur, & metrum vniuscuiusque*, id est, mensura in vnoquoque genere est *vnum*, id est, habet rationem vnius in isto genere, puta *in longitudine, in profunditate*, quæ pertinent ad genus dimensionis, *& similiter in grauitate*, quantùm ad genus ponderum, *& velocitate* quantùm ad genus motuum: in quolibet enim horum generum illud quod est mensura, habet rationem vnius in illo genere, & similiter est in aliis. Deinde cùm dicit;

Ratio mensuræ transfertur ad alia ex vnitate in numeris.

Grauitas enim, & velocitas commune est in contrariis; duplex enim eorum vtrumque vt graue, & quod est quantamcunque habens inclinationem, & quod est habens excessum inclinationis, & velocitas, & quantumcunque motum habens, & excessum motus, est enim velocitas quædam & tardi, & grauitas leuioris.

Remouet dubium, quod posset oriri ex prædictis: licèt enim certum sit de dimensionibus quòd sint quantitates, & per consequens quòd eis propriè conueniat mensurari; tamen posset aliquis dubitare de velocitate, & grauitate, quæ magis videntur qualitates: ad quod remouendum ostendit quomodo pertinent ad genus Quantitatis, & quomodo eis conuenit ratio mensuræ. Dicit ergo quòd *grauitas, & velocitas* habent supple *commune in contrariis*, id est, quod vnum contrariorum habet aliqualiter rationem alterius, puta quòd graue est aliquo modo leue, & èconuerso; & velox est aliquo modo tardum, & èconuerso; non quidem absolutè, sed in respectu, quod declarat cùm subdit: *vtrumque enim eorum est duplex, vt graue dicitur* supple vno modo absolutè, & *quod est quantamcunque habens inclinationem*, scilicet vt feratur ad centrum, non considerando vtrùm multum, vel parum habeat de tali inclinatione. Alio modo supple dicitur cõparatiuè, puta *quod est habẽs excessũ inclinationis* respectu alterius; vt si dicatur quòd terra est magis grauis quàm aqua; & ferrum quàm stipula. Et est intelligendum quòd

10

Qualiter velocitati, & grauitati cõuenit ratio mensuræ?

Graue & velox accipi possunt dupliciter.

primo modo grauitas non pertinet ad genus Quantitatis, nec sibi conuenit ratio mensuræ; sed secundo modo ratione talis excessus habet aliqualiter rationem quantitatis, & mensuræ. Et subdit, quomodo similiter est de velocitate, nã *velocitas* dicitur vno modo absolutè *quantũcunque motum habens*: alio modo cõparatiuè, puta vt *habens excessum motus*, intelligendo sicut priùs de grauitate, quòd velocitas primo modo non pertinet ad genus Quantitatis, vt sibi conueniat ratio mensuræ; sed secundo modo conuenit, & subdit; *enim* pro quia, *quadam velocitas*, supple reperitur in *tardo* respectu tardioris, & similiter *grauitas in leui* respectu *leuioris*. Exemplum primi; si lignum dicatur velociter moueri sursum respectu plumbi, quod cæteris paribus tardiùs mouetur sursum. Exemplum secundi: si dicatur aër est grauis respectu ignis, licèt sit leuis respectu aquæ; ideò dicebatur superiùs quòd grauitas, & leuitas habent commune in contrariis.

Quantitas alia dimensiua alia perfectiua.

Notandum, quòd quantitas est duplex; quædam dimensiua, quædam perfectiua. Prima quantitas solùm est in genere Quantitatis: secunda verò in omni genere, & in omni forma habente gradus; & hoc modo reperitur quantitas in grauitate, & leuitate, & velocitate, & huiusmodi; vnde comparata ad inuicem habent rationem quantitatis, secundùm quòd mutuò se excedunt in gradu talis formæ, vt hîc vult Philosophus. Ex quo patet quòd ratio mensuræ per se primò conuenit quantitati discretæ; & principaliter *vni*, quod est principium numeri, & discretæ quantitatis: per se autem non primò competit omni alij quantitati, siue sit quantitas dimensionis, siue sit quantitas perfectionis in quocunque genere assignetur.

SVMMARIVM.

Tres proprietates mensuræ, scilicet secundùm indiuisibilitatem, diuersitatem, & vniformitatem, seu vnigenitatem, explicantur, vide Doctorem 2.d.2.quæst.2. art.num.10.& 4 d.48.q.2.

11

IN omnibus autem his metrum, & principium vnum aliquid, & indiuisibile, quoniam & in lineis vtimur quasi indiuisibili pedali vbique namque metrum vnum aliquid quærunt, & indiuisibile, hoc autem quod simpliciter, aut quali, aut quanto. Vbicunque quidem igitur videtur non esse auferre aut addere, hoc est certum metrum; quapropter numerus certissimum, vnitatum enim ponunt omninò indiuisibilem. In aliis verò imitantur tale; à stadio enim, & talento, & semper maiore latebit vtique & additum aliquid & ablatum magis quàm à minore, quare à quo primò secundùm sensum non contingit, hoc omnes metrum faciunt, & humidorum, & siccorum, & grauitatis, & magnitudinis, & tunc putant cognoscere quantum, quando cognoscunt per hoc metrum.

Proprietates mensuræ.

Exponit quasdam proprietates mensuræ, & sunt tres: quarum prima attenditur penes eius indiuisibilitatem: secunda penes eius vnitatem, vel diuersitatem: tertia penes eius vniformitatem vel homogeneitatem. Secunda ibi: *Non semper autem.* Tertia ibi: *Semper autem cognatum.* Prima in tres: primò præmittit illam proprietatem, & exponit in dimensionibus: secundò in motibus: tertiò in vocalibus & sonoris. Secunda ibi: *Et motum autem.* Tertia ibi: *Et in musica.* Dicit ergo, quòd *in omnibus his*, ad quæ supple deriuatur ratio mensuræ, illud quod est *metrum, & principium est aliquid vnum, & indiuisibile: quoniam in lineis*, id est, in commensuratione linearum *vtuntur*, scilicet homines, *linea pedali quasi indiuisibili*: ita quòd linea pedalis mensurat alias: *vbique namque quærunt*, scilicet homines *metrum*, id est, mensuram, *aliquod vnum & indiuisibile: hoc autem est aliquod simplex aut quali, aut quanto*, id est, vel secundùm qualitatem, vel secundùm quantitatem; puta si diceretur secundùm qualitatem: albedo est illud simplex quod est mensura colorum; vt inferiùs dicetur. Secundùm quantitatem verò vnitas in numero, & linea pedalis in lineis. Subdit autem causam, quare mensura debet esse aliquid indiuisibile, quia scilicet mensura debet esse certissima. Dicit ergo, quòd *vbicunque quidem, videtur*, scilicet *esse aliquid à quo non contingit* aliquid *auferre, aut addere, hoc est certum*, id est, certa mensura: *quapropter numerus est certissimum*, supple inter mensurata; *vnitatem enim*, per quam scilicet numerus mensuratur *ponunt*, scilicet homines *omninò indiuisibilem*: ita quòd vnitas non recipit aliquam additionem, vel subtractionem: *in aliis verò*, generibus mensuræ supple eorum, *imitantur tale*, scilicet vnum, quod est indiuisibile; ex eo scilicet quòd sumunt pro mensura aliquod minimum, prout possunt à quo scilicet nihil possit latenter amoueri, vel addi; ideò subdit, quòd à *stadio enim, & talento*: quorum primum pertinet ad longitudines, & secundùm ad pondera, & *semper* similiter à *maiore latebit vtique, & additum, & ablatum magis quàm à minore: quare* illud *à quo primum secundum sensum*, supple perceptibiliter *non contingit*, scilicet aliquid addere, vel auferre, *hoc omnes metrum faciunt, & humidorum*, id est, in humidis, vt sunt oleum, & vinum, *& siccorum*, id est, in siccis, vt sunt grana tritici, vel milij, & similiter *grauitatis*, quantùm ad pondera; *& magnitudinis*, quantùm ad dimensiones; *& tunc putant cognoscere quantum*, id est, quantitatem rei, *quando cognoscunt per hoc metrum*, quod est scilicet minimum, & à quo non contingit secundùm sensum aliquid auferre, vel addere.

Vide 2.d.2. par.1. & 48. d.4.q.2.

1. Proprietas mensuræ est indiuisibilitas,

Mensura debet esse certissima.

Inductiuè & à signo declarat primã proprietatem mensuræ.

12

Notandum, quòd licèt omnis mensura habeat rationem indiuisibilis, tamen differenter est hoc verum in numeris, & in aliis, ad quæ transfertur ex numeris ratio mensuræ: nam in numeris vnitas, quæ est mensura, est simpliciter, & omninò indiuisibilis: in aliis verò generibus illud quod est mensura non est simpliciter indiuisibile; sed solùm ad placitum, vt patet de linea pedali, & de vncia in ponderibus, & sic de aliis: quorum quodlibet cùm sit quoddam continuum, aliqualiter erit diuisibile in infinitum: homines tamen accipiunt pro mensura aliquod indiuisibile, & minimum prout possunt ad saltandum certitudinem mensuræ, & propter hoc, vt dicit Philosophus, numerus est certissimum mensuratum, quatenus habet certissimam mensuram. Deinde cùm dicit:

Veriùs in numeris quàm in aliis reperitur ratio mensuræ. Indiuisibile vel minimũ etiã duplex.

Et

Tex. cō. 4.

Et motum aut simplici motu, & velocissimo. Paruissimum enim hic habet tempus: quapropter in Astrologia tale vnum principium, & metrum: motum enim regularem supponunt velocissimum eum qui cæli ad quem alios indicant.

Secundò in motibus eandem proprietatem manifestat.

Exponit dictam proprietatem in motibus dicens, quòd *& motum* aut supple mensurant homines aliquo *motu simplici*, id est, vniformi, *& velocissimo: hoc enim paruissimum habet tempus*: cuius est motus cæli; ideò subdit, *quapropter in Astronomia*, accipiunt supple homines *tale vnum principium, & metrum: supponunt enim motum regularem, & velocissimum eum qui celi*, id est, motum cæli *ad quem*, id est, per quem *alios* motus *indicant*, & mensurant: ille enim motus habet rationem minimi ratione suæ velocitatis. Deinde cùm dicit:

Et in musica diesis, quia minimum est, & in voce elementum, & hæc omnia vnum aliquid ita, non vt commune aliquid quod vnum, sed sicut dictum est.

13

Tertiò in sonoris eandem proprietatem declarat,

Exponit dictam proprietatem in vocalibus, & sonoris, dicens, quòd etiam *in musica diesis*, est supple prima mensura: *quia minimum* diesis quod est differentia duorum semitonorum: tradūt enim musici, quod tonus diuiditur in duo semitonia æqualia: illud autem in quo vnum semitonium excedit alterum dicitur diesis, quod est quid minimum: similiter, *& in voce elementum*, supple est mensura, & subdit, quòd *hæc omnia*, id est, omnes mensuræ istæ sunt ita, *aliquid vnum, non vt commune aliquid quod vnum*, id est, non sic intelligendo quòd aliquid vnum sit communis mensura omnium; *sed sicut dictum est*, scilicet quod quodlibet genus habet aliquod vnum, quod est eius propria mensura. Deinde cùm dicit:

Excludit tacita obiectionem.

Non semper autem numero vnum metrum; verùm aliquando plura vt dieses duæ, quæ non secundùm auditum, sed in rationibus, & voces plures quibus mensuramus, & diameter duobus mensuratur, & latus, & magnitudines omnes.

2. Proprietas mensuræ quæ est vnitas, vel diuersitas declaratur hic.

Ponit secundam proprietatem mensuræ, quæ attenditur penes eius vnitatem, vel diuersitatem. Circa quod duo facit: primò præmittit illam proprietatem: secundò epilogat circa dicta. Secunda ibi: *Sic itaque metrum*. Dicit ergo, quòd licèt supple mensura habeat rationem vnius: *non tamen semper est vnum numero metrum*: quia quandoque vnius rei sunt plures mensuræ; vnde subdit: *verùm* pro sed, *aliquando sunt plura*, scilicet mensurantia, *vt duæ dieses*, id est, sicut in musicis sunt duo semitonia, quæ mensurant tonum, vel aliquod huiusmodi; *quæ non secundùm auditum* supple discernuntur, quatenus sensus non percipiat differentiam in numerus paruorum; *sed in rationibus*, id est, secundùm diuersas rationes proportionum discernitur supple eorum differentia, quæ causantur ex diuersis proportionibus numerorum: similiter, *& voces sunt plures quibus mensuramus*, puta cum quantitas metri examinatur, mensuratur per diuersos pedes, & diuersas syllabas longas, & breues: similiter autem, *& diametrum mensuratur duobus*, & similiter *latus* quadrati, & generaliter *omnes magnitudines*: ratio huius assignatur: quia vt tradunt Geometræ, nunquam quantitas ignota inuenitur, nisi per duas quantitates notas. Deinde cùm dicit:

Quantitas ignota inuenitur per duas quantitates notas.

14

Sit itaque metrum omnium, quod vnum quod cognoscimus ex quibus est substantia: diuidentes aut secundùm quantitatem, aut secundùm speciem; & ideò quod vnum indiuisibile: quia quod primum singulorum indiuisibile: non similiter autem omne indiuisibile, vt pes, & vnitas; sed hoc quidem omninò: illud verò indiuisibile ad sensum volunt, sicut dictum est iam, nam forsan omne continuum est diuisibile.

Epilogus.

Epilogat circa dicta, *sic itaque* est manifestum quòd vnum est, *metrum*, id est, mensura *omnium*: cuius causam subdit: quia supple *vnum est* illud ad quod terminatur rei diuisio, qua *cognoscimus ea*, scilicet *ex quibus est substantia*, cuiuslibet *diuidentis*, scilicet *totum* in partes: siue sint partes *secundùm quantitatem, aut secundùm speciem*, vt materia & forma, & aliæ partes essentiales, *& ideò* illud *quod* supple per se est *vnum*: est *indiuisibile*, cùm sit mensura per quam res cognoscitur: *quia* illud supple *quod est primum singulorum*: primum, scilicet in compositione, & vltimum, scilicet in diuisione est *indiuisibile*, & per hoc, vt dictum est, habet res cognosci. Addit autem, quòd *non similiter est indiuisibile omne*, scilicet quod habet rationem mensuræ, *vt pes, & vnitas*; *hoc quidem*, scilicet vnitas *omninò est* supple indiuisibilis: *illud verò*, scilicet pes, puta linea pedalis *volunt*, scilicet homines esse, *indiuisibile ad sensum, sicut iam dictum est* suprà; puta quia ad placitum institutum est tale aliquid pro mensura; licèt non sit simpliciter indiuisibile; vnde subdit: *nam forsan omne continuum est diuisibile.* Dicit autem forsan, vel propter opinionem quorundam ponentium magnitudines indiuisibiles, vt fuit Democritus; vel quia est aliquod continuum minimum, quod non est vlterius diuisibile, puta continuum naturale, quod est minimum naturale: nam est dare minimam carnem, & minimum os, vt habetur 1. Physic. t. c. 36. & inde, tamen omne continuum Mathematicum est diuisibile in infinitum. Deinde cùm dicit:

Hic argumētum propositione Doc. de minimis.

15

Semper autem cognatum est metrum: magnitudinum quidem enim magnitudo, & secundùm vnumquodque longitudinis longitudo, latitudinis latitudo, vocis vox, grauitatis grauitas, vnitatis vnitas: sic enim oportet accipere, sed non quod numerorum numerus, & quidem oportebat si similiter, sed non similiter dignificant, sed aut si vnitatum vnitates dignificarent metrum, sed non vnitatem: numerus autem pluralitas vnitatum est.

Ponit tertiam proprietatem mensuræ, quæ attenditur penes eius vniformitatem, & vnigeneitatem, dicens quòd *semper metrum est cognatum*, id est, vnius generis cum mensurato; sicut supple mensura, *magnitudinis est quædam magnitudo, &*

3. Proprietas mensuræ, quæ est vniformitas & vnigeneitas.

secundùm

secundùm vnumquodque mensuratum vt quod *latitudinis*, sit supple mensura *latitudo, & longitudinis longitudo, & vox vocis, & grauitas grauitatis, & vnitas vnitatis: sic enim oportet accipere* si supple propriè loquamur, *sed non quod numerorum*, sit mensura *numerus*: nam numerus non habet rationem mensuræ propriè, sed vnitas; & ideò ad designandum vnigeneitatem debet dici vnitas esse mensura vnitatum, & non numerorum, & subdit, quod *& quidem oportebit si similiter*, id est, quòd secundùm rei veritatem oportet concedere quòd numerus sit mensura numerorum, vel etiam vnitas numerorum si similiter acciperetur, vel concederetur; *sed non similiter dignificant*, id est, dignum iudicant aliqui supple vnitatem esse mensuram vnitatum, & numerum numerorum, vel etiam vnitatem numeri, propter differentiam quæ videtur esse inter numerum, & vnitatem: quod reprehendit, dicens quòd supple attendere hanc differentiam, idē est ac *si dignificarent* idest, dignum iudicarent *vnitates esse metrum*, id est, mensuram *vnitatum sed non vnitatem*, quatenus scilicet vnitas videtur differre ab vnitatibus, sicut singulare à plurali: similis autem ratio est de mensura vnitatum, & numeri; igitur pari ratione potest concedi, quòd vnitas sit mensura numeri: *cùm numerus non sit aliud quam plures vnitates*. Vult ergo Philosophus, quòd non obstante vnigeneitate mensuræ ad mensuratum potest concedi, quòd vnitas est mensura numeri, sicut conceditur quòd vnitas est mensura vnitatum. Tunc sequitur illa pars:

Al. vnitatum.

Non numerus sed vnitas est mensura numeri.

Numerus quid?

Tex. cō. 5.

16

Et scientiam autem metrum rerum dicimus & sensum propter idem: quia cognoscimus aliquid ipsis, quoniam mensurantur magis quàm mensurant. Sed accidit nobis veluti si in alio nos mensurante cognoscamus quanti sumus per cubitum ad tantum nostri addiscere.

Excludit quandam falsitatem.

Vbi Philosophus excludit à proposito quandam improprietatem, & falsitatem. Circa quod tria facit: primò facit, quod dictum est: secundò redarguit Pythagoram, qui assentiebat prædictæ improprietati: tertiò epilogat circa dicta. Secunda ibi: *Pythagoras verò*. Tertia ibi: *Quod quidem igitur*. Dicit ergo, quòd quia suprà dictum est, quòd mensura est per quam cognoscitur rei quantitas; *ideò propter idem dicimus scientiam*, & sensum esse *metrum*, id est, mensura *rerum quia ipsis*, scilicet scientia, *& sensu aliquid cognoscimus*: quia scilicet sensibilia per sensum, & scibilia per scientiam: hoc autem remouet dicens, quòd supple hoc dicitur impropriè: *quoniam* pro quia, *magis* supple *mensurantur* sensus, & scientia *quàm mensurent*, sicut patet ex 5. huius cap. de Ad aliquid: t. c. 20. non enim sic est in re quia nos scimus aut sentimus; sed magis èconuerso: obiectum enim mensurat habitum & actum, & non èconuerso; vnde subdit: *sed accidit nobis*, scilicet quòd in sentiendo, & sciendo mensuremur per res extra, *veluti si alio nos mensurante cognoscamus quanti sumus per cubitum ad tantum nostri addiscere*. Vult dicere, quòd si aliquis nos mensuret per mensuram cubitalem applicatam nobis cognosceremus quanti sumus secundùm quantitatem corporis: sic res scitæ, vel per sensum cognitæ sunt mensuræ, per quas possumus percipere vtrùm per sensum, vel intellectum aliquid verè cognoscimus: nam actus sentiendi, & scientia speculatiua in nobis causatur à rebus: aliter tamen esset de scientia quæ est causa rerum, vt scientia diuina & etiam scientia artificis: nam talis scientia est mensura rerum, vt tunc res dicatur perfecta, quando attingit ad similitudinem talis scientiæ. Deinde cùm dicit:

Mensurantur & non mensurant scientia & sensus in nobis.

Quomodo res extra sunt mensura sciēdi & sentiēdi in nobis?

Al. specialiter.

Pythagoras verò hominem ait omnium esse metrum ac vtique si scientem diceret aut sentientem, hos autem quia habent, hic quidem sensum, ille verò scientiam: quæ dicimus esse metra eorum quæ subijciuntur. Nihil itaque dicentes superabundans videntur aliquid dicere.

17

Redarguit Pythagoram, qui assentiebat prædictæ improprietati, dicens quòd *Pythagoras verò ait hominem esse metrum*, id est, mensuram *omnium, aut scientem aut sentientem*, id est, inquantum est sciens aut sentiens: *hos autem*, scilicet homines dicunt Pythagorici esse mensuram omnium: *quia hic quidem habet sensum: ille verò scientiam, quæ* scilicet scientiam, & sensum *dicimus esse metra eorum*, id est, rerum scibilium, & sensibilium, *quæ subijciuntur*, scilicet vt obiecta cognita: & subdit eorum redargutionem, quòd *nihil itaque dicentes*, scilicet Pythagorici, *superabundans*, id est, magnum: *videntur tamen aliquid dicere*, puta quia latenter innuunt quòd volunt dicere.

Homo est mēsura rerum secūdùm Pythagorā quod improbatur hic.

Notandum, quòd, vt dictum est 4. huius, Pythagoras & eius sequaces opinati sunt de veritate apparentium quòd res essent tales quales nobis apparent, vel quia sic sentimus, vel quia opinamur eas: propter quod sensum & scientiam ponebant mensuram rerum, & per hoc dicebant mensuras rerum; & per hoc dicebant hominem esse mensuram omnium, puta per sensum omnium sensibilium, & per scientiam, siue intellectum omnium scibilium, siue intelligibilium: Philosophus autem connumerat se cum eis, vt dicimus, sicut, & in 1. libro connumerabat se cum Platonicis: ex eo, quia quandoque fuit secutus philosophiam Platonis, & Pythagoræ. Deinde cùm dicit:

Cur posuit Pythagoras hominē mensurā rerum.

Quod quidem igitur vni esse maximè est secundùm nomen, quod determinat metrum quoddam, & maximè quantitatis; deinde qualitatis, palàm: erit autem tale hoc quidem si est indiuisibile secundùm quantitatem, illud autem si secundùm qualitatem, propter quod indiuisibile est aut simpliciter, aut inquantum vnum.

18

Epilogat circa dicta dicens: *quod quidem igitur vni esse maximè est secundùm nomen, quod determinat metrum quoddam*, id est, quòd de ratione *vnius* maximè est quòd sit mensura, *& hoc est* maximè proprium *quantitatis, deinde qualitatis*, & similiter de aliis generibus, *palàm* supple est ex prædictis; & subdit, quòd *hoc autem*, scilicet metrum, *erit quidem si erit indiuisibile secundùm quantitatem: illud autem si secundùm qualitatem, propter quod* id quod est vnum, *est indiuisibile aut*

Epilogus.

simpli

Duo hactenus declarata enumerat.

simpliciter, puta vnitas, *aut inquantum vnum*, id est, aut secundùm quid, & inquantum vnum, licèt non simpliciter, vt dictum est de mensuris aliorum generum à numero. Hîc ergo duo sunt manifestata ex prædictis, scilicet quòd ratio mensuræ maximè conuenit vni, & quòd illud vnum quod est mensura, est indiuisibile vel simpliciter, vel secundum quid, & ad placitum.

Ratio mēsuræ primò discreta quantitati deinde aliis cõuenit. Conditiones vnius respectu numeri sunt duæ.

Notandum, quòd, sicut dictum fuit 5. huius, t c.18.& 20. & tangitur hîc in litera: ratio mensuræ per prius in numeris reperitur, & exinde ad alia genera transfertur: nam vnitas, quæ est principium numeri, maximè mensura est, & certissima: quia minima & indiuisibilis simpliciter: vnitas autem comparata ad numerum, quæ mensurat, habet rationem principij quo numerum cognoscimus, & quo numerum per replicationem mensuramus: nam vnitas, & facit cognoscere numerum, & per replicationem sui aliquoties sumpta reddit omnem numerum datum. Ex his autem duabus conditionibus vnitatis translata est per quandam similitudinem ratio mensuræ ad alia genera: quandoque enim dicitur mensura in aliquo genere illud, quod per sui replicationem aliquoties sumptum reddit quodlibet in illo genere, puta in ponderibus vncia, & in magnitudinibus cubitus, vel aliquid huiusmodi: quandoque autem dicitur mensura in aliquo genere, non quòd mensuret alia per replicationem; sed quia tanquam notius in illo genere facit cognoscere alia in illo genere. Exemplum: albedo ponitur mensura isto modo in genere colorum, quatenus plus participans de lumine, est quid notius, & perfectius colorum, & mensurat isto modo omnes alios colores: quia color tanto perfectior, quanto magis ad albedinem appropinquat. Mensura primo modo nominatur mensura quantitatiua; sed mensura secundo modo dicitur mensura cognitionis, & perfectionis. Vnde ergo ait Philosophus, quòd ratio mensuræ primò reperitur in numeris, & exinde ad alia genera deriuatur, secundùm aliquam similitudinem modo nunc dicto.

Mensura duplex: Quantitatiua, & perfectiua.

Albedo quare est mensura colorũ?

SVMMÆ PRIMÆ

CAP. III.

An vnum sit rei substantia, ipsiúsque ad ipsum ens comparatio.

SVMMARIVM.

Inter varias opiniones suprà lib. 3 de ratione *vnius* relatas, quas hîc Doctor connumerat; approbat eam, quæ tenet ens, vt vnum, non esse substantias rerum existentes per se, vel separatas: primò quia nullum datur vniuersale existens: secundò quia ens, & vnum, in omni genere habentur, non tantùm in genere Substantiæ: de hoc vide Doctorem, 4. huius q.2. & ibi Schol. 4. & 5.

T.c.6.
Cap. 3.

Secundùm substantiam verò, & naturam quærẽdum est vtro modo se habeat: quemadmodũ in dubitationibus tractauimus quid quod vnum est, & quomodo oportet de eo suscipere: vtrùm velut substantia aliqua existente ipso vno, sicut ipsi Pythagorici dicunt prius, & Plato posterius: aut magis supponitur aliqua natura, & quomodo oporteat notius dici, & magis sicut qui de natura: illorum enim alius amicitiam dixit esse, quod vnum, alius aërem, alius infinitum. 19

Sermo de vno quoad rerum substantiam, & suiipsius.

Postquam ostendit quòd vnum de genere Quantitatis habet propriè rationem mensuræ, & exinde deriuatur ad alia genera: nunc specialiter inquirit quomodo vnum, quod est mensura se habeat in genere substantiæ. Circa quod duo facit: primò facit quod dictum est: secundò comparat ad inuicem ens, & vnum, de quibus fuerat locutus. Secunda ibi: *Quia verò idem significat.* Prima in tres: primò proponit vnam quæstionem: secundò subiungit eius solutionem: tertiò epilogat circa determinata. Secunda ibi: *Si itaque nullum.* Tertia ibi: *Quod quidem igitur.* Dicit ergo, quòd quia supple iam patet quomodò *vnum*: quod est mensura se habet in Quantitate, & in aliis generibus: nunc quærendum est, *vtro modo*, id est, quomodo se habet ipsum *vnum secundùm substantiam, & naturam rerum* scilicet *quemadmodum tractauimus in dubitationibus*, scilicet in 3. huius, t.c.2. & inde. & subdit quęstionem istã *quid est hoc ipsum quod vnũ, & quomodo oportet de eo suscipere*, id est, opinari, idest, *vtrũ ipso vno existẽte aliqua substantia* per se existente separata, *sicut Pythagorici dicunt prius, & Plato posterius* sequens eos: *aut magis* ipsi supple vni *supponitur aliqua natura*, scilicet subsistens ipsi vni, *& quomodo oportet notius dici, & magis*, id est, secundùm quã naturam subiectã magis debet dici illud vnũ vt per notius, *sicut dicũt, qui de natura*, id est, Philosophi naturales, *illorũ enim* ipsum *quidẽ vnum alius dicit esse amicitiam*, puta Empedocles, qui posuit quatuor elementa principia materialia, & duo principia agentia priora illis, scilicet amorem & odium, inter quæ amor præcedit, vt perfectum, & principium bonorum, & ideò quia primum principium dicitur vnũ, posuit quòd ipsum, quod est vnum esset amor, & quia etiam amor habet vnire, vt dicebatur 3. huius, text. com. 2. & inde. *Alius autem*, puta Diogenes, dicit *aërem*: supple esse illud quod vnum, quatenus posuit aërem principium omnium. *Alius*, scilicet Melissus dicit *infinitum esse*, supple illud quod vnum: posuit enim vnum ens immobile infinitum, vt patet 1. Physic. text. com. 15. & inde. Est ergo ista quæstio quomodo *vnum* se habeat ad substantias, & naturas rerum; vtrum ipsum *vnum* sit aliqua substantia per se existens, vel recipiatur sicut accidens in subiecto in aliqua natura quæ ei substernatur. Deinde cùm dicit:

Proponit quid de entitate vel substãtia vnius.

Opinio antiquorum de substantia vnius.

Si itaque nullum vniuersalium esse substantiam est possibile, sicut in sermonibus de substantia, & ente dictum est, nec ipsum hoc substantia nisi vnum aliquid præter multa possibile est esse; commune namque, sed sicut prædicatum solum, palàm quòd neque ipsum vnum; nam ens & vnum vniuersaliter prædicantur maximè de omnibus, quare nec genera naturæ quædam, & substantia separabiles 20

les ab aliis sunt: nec vnum genus contingit esse propter eas causas, propter quas quidem nec substantiam.

Solutio quæst.

Ponit quæstionis solutionem, & diuiditur in duas secundùm quòd dupliciter probat quòd ens, & vnum non sunt aliquæ substantiæ rerum per se existentes separatæ: primò per rationem sumptam à causa, & à priori: secundò per rationem sumptam à simili. Secunda ibi: *Adhuc autem similiter.* In prima parte intendit talem rationem: Nullum vniuersale dictum de multis est substantia per se existens: sed ens, & vnum sunt maximè vniuersalia dicta de omnibus; ergo ens, vel vnum, non est substantia per se existens. Maior patet, tum ex 7. huius, vbi probatum est quòd nullum vniuersale est substantia: tum quia vnum per se existens est commune multis communitate prædicationis; ergo, &c. Dicit ergo, quòd *si* pro quia, itaque *nullum vniuersalium possibile est esse substantiam, sicut dictum est in sermonibus de substantia, & ente,* scilicet in 7. huius, tex.com.45.& inde, vbi agitur de ente, & specialiter de substantia; quia inquam sic est, *nec hoc ipsum, vt vnum aliquod possibile est esse substantiam præter multa: namque,* pro quia, *commune* est supple ipsum vnum: *sed aut prædicatum solum*, id est, quod ipsum vniuersale est aliquod commune prædicatum de multis. *Palàm ergo, quia nec ipsum vnum,* est supple aliquid separatum existens: *nam ens, & vnum maximè vniuersaliter de omnibus prædicantur*; ex quo sequitur, quòd non sunt aliqua substantia subsistens: *quare nec genera sunt quædam naturæ, & substantiæ separabiles,* vt ponebat Plato: *nec vnum*, scilicet quòd nec hoc dicitur pro tanto, quòd vnum *contingit esse genus*: quia supple vnum non est genus, *propter easdem causas propter quas,* nec ens supple est genus, *nec substantia*, scilicet subsistens. Vel aliter, quòd *nec vnum,* id est, nullum genus contingit esse substantiam per se existentem, propter easdem causas, &c. nam eadem ratione omne genus, & vniuersale negatur esse substantia sicut & ens; & sic ista ratio generaliter concludit contra Platonem, quòd scilicet nullum commune, & vniuersale sit substantia per se existens.

Nec ens nec vnum esse substantiam per se existentem.

Hæc expositio est singularis, sed tex. aliter sonare videtur. Quare alias expositores hic.

Notandum, quòd ait, nullum commune, quod est prædicatum esse substantiam subsistentem, ad excludendum commune secundùm causalitatem: prima enim causa, quæ maximè est communis communitate causalitatis est per se subsistens. Deinde cùm dicit:

Adhuc autem similiter in omnibus necesse est se habere.

T. com. 7. 21

Dicuntur autem æqualiter ens, & vnum. Ergo quoniam in qualitatibus est aliquid quod vnum, & aliqua natura & similiter in quantis, palàm quia, & totaliter quærendum quid, & quod vnum: quemadmodum, & quid ens, tanquam non sufficiens quod hoc ipsum ipsius natura.

Ponit secundam rationem sumptam à simili, quam intendit talem: Sicut se habet ens ad vnum in aliis generibus, sic in genere Substantiæ; quia ens, & vnum æqualiter de omnibus prædicantur: sed sic est in aliis generibus quòd ens, & vnum non sunt ipsa natura, vel substantia rei per se existens: quinimmò est aliqua natura substrata, & denominata ab ipso vno, quæ quidem natura est vna mensura omnium, quæ sunt in illo genere; ergo sic se habebit, & in genere Substantiæ. Circa hanc rationem sic procedit: primò ponit rationem: secundò declarat minorem rationis per exempla plura: tertiò infert conclusionem principalem. Secunda ibi: *At verò in coloribus,* Tertia ibi: *Quare siquidem.* Dicit ergo, quòd *adhuc necesse est*, scilicet ipsum vnum *similiter se habere in omnibus,* scilicet generibus: cuius causam assignat dicens, *quia ens, & vnum dicuntur,* id est, prædicantur *æqualiter,* scilicet de omnibus generibus: *ergo quoniam in qualitatibus est aliquid quod vnum, & aliqua natura* supple dicitur esse vna denominatiuè: *similiter & in quantis:* quia inquam sic est, *palàm quia, & totaliter:* id est, generaliter *quærẽdum est quid est quod vnum: quemadmodum, & quid ens, vt tanquam non sit sufficiens dicere, quod hoc ipsum,* scilicet quod est vnum *est natura ipsius* quod scilicet vnum dicitur: oportet igitur quærere aliquam naturam substratam, cui competat esse vnum, & ens. Deinde cùm dicit:

At verò in coloribus est aliquid quod color vnus, puta albus; deinde alij ex hoc etiam nigro videntur geniti: nigrum enim priuatio albi, & vt lucis tenebra; hæc enim est priuatio lucis; quare si entia essent colores, essent vtique numerus quidam entia; sed quorum, palàm vtique quia colorum, & ipsum vnum esset vtique aliquid vnum, puta album. Similiter autem si melodiæ essent, numerus vtique essent: diesim equidem; sed non numerus substantia ipsorum, & ipsum vnum esset vtique aliquid cuius substantia nõ ipsum vnum; sed diesis: similiter autem, & in sonis elementorum, vtique essent entia numerus, & ipsum vnum elementum vocale. & si figuræ rectilineæ, figurarum vtique esset numerus, & ipsum vnum trigonum; eadem autem ratio, & in aliis generibus.

22 1. Exemp.

Declarat minorem rationis per plura exempla, scilicet quòd in aliis generibus quæritur aliqua natura talis cui conuenit esse vnum: primò in coloribus dicens, quòd *at verò in coloribus est aliquid quod est color vnus, puta album,* scilicet quod est mensura, & primum inter colores: quia tanto color est perfectior, quanto appropinquat ad album: & subdit, quod *deinde sunt alij geniti: ex hoc* scilicet *albo & nigro*, vt sunt medij colores, ex quo patet quòd sunt posteriores, & subdit, *quod nigrum verò est priuatio albi vt tenebra lucis: hæc enim tenebra est priuatio lucis:* quia igitur album est id quod est primum & vnum in coloribus; ideò subdit, quòd *quare si omnia entia essent colores: entia vtique essent quidam numerus*, id est, haberent quendam numerum; *sed si* quæratur *quorum*, scilicet tunc esset numerus: *palàm vtique quia colorum*, & non supple aliquarum rerum existentium separatim, *& ipsum vnum esset vtique aliquod vnum*, scilicet quod subiiceretur ipsi vni *vt album, similiter autem & si* omnia supple entia, *essent melodia, esset vtique numerus,* scilicet melodiarum: *essent equidem dieses*, aut aliquid huiusmodi,

Hinc argumentum pro opin. ponente compositionẽ mediorum. sed dic consequenter.

Albedo est mensura colorum eius

priuatio est nigredo. 2. Exemp. 3. Exemp.

huiusmodi, puta toni; *sed numerus non esset substantia ipsorum*, scilicet entium: *& ipsum* vnum esset vtique aliquid, puta diesis, cuius substantia non *vnum*, non sic quod ipsum vnum *esset* substantia *sed diesis: similiter autem vtique & in sonis*, puta si omnia entia, *essent* soni, essent *vtique entia*, quidam *numerus elementorum*, id est, litterarum, *& ipsum vnum* esset *elementum vocale*, id est, littera vocalis, quæ est prima litterarum, quatenus sine ea non possunt sonare aliæ litteræ: similiter, *& si* supple omnia entia *essent figuræ rectilineæ:* tunc vtique esset numerus *figurarum*, quasi scilicet aliquorum subiectorum, *& ipsum vnum esset trigonum*, id est, triangulus: quia vt tradunt Geometræ, est prima figura rectilinea, quatenus in triangulum omnes figuræ rectilineæ resoluuntur: *eadem autem est ratio, & in aliis generibus*: quia scilicet numerus, vel ipsum *vnum* non esset substantia rerum; sed semper quæritur aliquid substratum ipsi *vni*, vel numero.

4. Exemp.

Quomodo nigredo est priuatio albedinis? Priuatio duplex.

Notandum, quòd nigrum dicitur priuatio albi, non quòd sit pura priuatio sicut tenebra: nam tenebra nihil dicit positiuum; nigrum autem dicit aliquid positiuum, cùm sit quædam species coloris, & contraria albo: vtrunque autem contrariorum semper dicit aliquam naturam positiuam: sed pro tanto nigrum dicitur priuatio albi, quia participat minimum de luce, quæ est substantia colorum; & ideò comparatur ad album sicut defectus quidam, eo modo quo communiter dicimus, quòd contrariorum alterum habet rationem priuationis & imperfectionis respectu alterius. Deinde cum dicit:

23

Quare si quidem in passionibus, & in qualitatibus, & in quantitatibus, & in motu numeris existentibus, & vno aliquo in omnibus, numerus est quorundam, & ipsum vnum aliquid vnum; sed non hæc ipsius substantia, & in substantiis necesse est similiter se habere: similiter enim se habet in omnibus.

Infert conclusionem intentam.

Infert conclusionem principalem dicens: quia *si quidem* ita est, supple in omnibus generibus, puta *in passionibus, & in qualitatibus, & quantitatibus, & in motu numeris existentibus, & vno aliquo in omnibus: numerus qui est quorundam & ipsum vnum est aliquod vnum, sed non ipsius substantia*, id est, quòd in omnibus talibus inuenitur numerus, & vnum; & ita quòd numerus, & ipsum vnum non sunt substantia illorum, de quibus dicuntur; *sed numerus dicitur de quibusdam* rebus, *& ipsum vnum* requirit aliquam naturam subiectam, quæ dicatur vnum: quia inquam sic est in aliis generibus, *necesse est, & in substantiis similiter se habere: similiter enim se habet in omnibus*, vt prædictum est.

Denominatiuè & non essentialiter penitus identicè numerus & vnum prædicantur.

S V M M A R I V M.

In omni genere esse naturam vnam, non quòd ipsum vnum sit quiditatiuè ipsa natura. Item ens & vnum non distingui realiter.

Epilogus in omni genere est proprium quid.

Quod quidem igitur vnum in omni genere est quædam natura, & nullius natura hoc ipsum quod vnum, palàm; sed sicut in coloribus colorem vnum quærendum ipsum quod vnum; sic in substantia substantiam vnam ipsum vnum.

Epilogat circa determinata, dicens, *palàm esse quod in omni genere est quædam natura, & nullius natura hoc ipsum*, quod separatum *vnum*, id est, quod in omni genere est natura aliqua, de qua dicitur vnum, non quòd ipsum vnum sit ipsa natura; sed quia dicitur de ea: *sicut ergo in coloribus quærendum est ipsum*, aliquem colorem *vnum, sic & in substantia* supple quærendum est, *substantiam vnam, & ipsum vnum*, id est, aliquam vnam substantiam, de qua dicatur vnum.

24

1. Dubium. Vide 8.d.1.q. 2. soluendo argumenta 2. opin.

Circa prædicta posset occurrere vnum dubium, scilicet quæ sit ista vna substantia, quæ est prima, & mensura omnium substantiarum. Dicitur à quodam expositore, & est sententia Commentatoris hìc in septimo Commento, aliàs in 4. vbi dicit Philosophus aliquam esse vnam primam substantiam, quæ sit mensura aliarum; & vult Commentator quòd illa sit Deus, vel primus motor. Sed hæc expositio nulla est: tum quia non videtur habere intentionem Aristotelis, qui, sicut patet ex littera, quærit an in substantiis sit aliquod vnum quod sit mensura aliorum: an hoc sit ipsum vnum: & probat ex intentione contra Platonem quòd non sit ipsum vnum, sed aliquid cui conuenit ipsum vnum, sicut est in omnibus aliis generibus; & concludit in fine: *quare siquidem in passionibus, & qualitatibus, & quantitatibus ipsum vnum aliquod vnum; sed non hoc ipsius substantia, & in substantiis necesse est similiter se habere.* Supra quam litteram ponit Commentator verba præallegata: sed si primus motor poneretur mensura ipsius generis Substantiæ, hoc ipsum vnum poneretur mēsura: quia primus motor propter suam summam simplicitatem multò verius esset hoc ipsum vnum, quàm idea Platonis. Tum quia si sic; ergo sicut in aliis generibus primum est aliquid illius generis, ita primus motor esset aliquid de genere Substantiæ, quod est erroneum: quia Deus non cadit in genere propter sui infinitatem. Quid igitur est mensura prima illius generis? Respondeo, aliqua substantia illius generis prima, cui conuenit vnitas sita: non autem primus motor est mensura intrinseca illius generis, sicut nec aliorum.

Quæ substātia est mensura aliarum?

Deus non est in genere.

Solutio.

Notandum, quòd quatenus primus motor est mensura extrinseca omnium, aliquo modo est immediatior mensura substantiarum, quæ sunt perfectiora entia, quàm accidentium quæ sunt remotiora ab ipso; nullius tamen generis primus motor est mensura intrinseca. Tunc sequitur illa pars:

Mensura duplex.

Tex. cō. 8.

Quia verò vnum significant aliqualiter vnum, & ens, palàm per assequi æqualiter Categorias, & quia non sunt in vllo vna, vt neque in quid est, neque in quale, sed similiter se habet sicut ens, & per hoc quod vnus homo non prædicat alterum ab homine aliquid, quemadmodum necesse præter quiddam quale, & quantum, & vni esse id quod vnicuique esse.

25

Identitatem entis & v-

Comparat ad inuicem ens, & vnum, de quibus fuerat locutus, dicens: *palàm est quia idem significant aliqualiter vnum, & ens*, & dicit *aliqualiter*, quia idem realiter, non tamen idem formaliter, quod

nius probat tripliciter.

quod probat tripliciter: tum primò, quia sicut ens non est in aliquo Prædicamento, sed consequitur omnia, sic & vnum: ideò dicit, quòd supple vnum & ens idem significant *per assequi æqualiter Categorias*, id est, Prædicamenta: & *quia non sunt in nulla vna* Categoria *vt nec in quid est*, id est, in Substantia, *nec in quale*, & sic de aliis; *sed similiter se habet sicut ens*, quod scilicet non est in aliquo genere. Tum secundò, quia sicut ens prædicat naturam omnium generum, sic & vnum eorum de quibus prædicatur; ideò dicit, quòd supple vnum, & ens *idem* significant *per hoc, quòd vnus homo non prædicat alterum aliquid ab homine*, & dicit *non alterum*, scilicet realiter; licèt alterum formaliter prædicet: *quemadmodum necesse*, id est, ens supple prædicat alterum *præter quid*, scilicet Substantiam, aut *quale aut quantum*.

Aliter ens & aliter vnum prædicantur de quolibet, & quomodo sunt idem & non idem?

Aduertendum tamen, quòd non est omnino simile de ente, & de vno: nam ens prædicat eandem naturam realiter, & formaliter omnium Generum, de quibus quiditatiuè prædicatur. Vnum verò, quia est passio entis, & cuiuslibet entis, licèt prædicet eandem naturam realiter, non tamen eandem formaliter: tamen hoc sufficit ad intentionem Philosophi, quòd vnum, & ens significent idem, scilicet realiter. Tum tertiò, quia vnum esse est esse vnicuique: nam res sicut recedit ab vnitate, ita & ab entitate; ideò dicit quòd, *& vni esse est id quod vnicuique esse*.

Instantia.

Sed videtur Philosophus sibi repugnare, nam primò probauit vnum, & ens non esse rerum substantiam: hîc autem dicit quòd non prædicant aliam naturam ab his de quibus prædicantur.

Solutio.

Dicendum quòd superiùs arguebat contra Platonem: & verum est quòd vnum, & ens non sunt substantia rerum, eo modo quo ponebat Plato, scilicet per se existens separata: sic enim vniuersalia essent primæ substantiæ per se subsistentes: nihilominus tamen ens & vnum significant substantiam rerum secundùm viam Philosophi; non quòd sint aliqua separata, sed existunt secundùm esse in ipsis singularibus, licèt per intellectum abstrahantur: abstrahentium autem non est mendacium, secundo Physicorum, tex.com.18.

SVMMA SECVNDA.

De vno respectu multitudinis, & de contrarietatibus plurima.

CAPVT PRIMVM.

De variis modis *vnius*, & multitudinis, & consequentibus ipsa.

SVMMARIVM.

Vnum & multa opponi variis modis, quos benè explicat Doctor. Item variis modis accipi vtrumque; sumit idem, simile, & æquale quasi partes *vnius*, explicans identitatis tres modos; & quatuor modos quibus aliquid dicitur simile. Vide 5. huius, tex.13.

T.com.9.

***O**pponuntur autem vnum & multa secundùm plures modos, quorum vno vnum & multitudo vt indiuisibile & diuisibile, quod quidem enim diuisum, aut diuisibile, multitudo quædam dicitur, indiuisibile verò, aut non diuisum, vnum.*

26

Sermo de vno comparatiuè.

Postquam Philosophus determinauit de *vno* in se & absolutè, determinat nunc de ipso *vno* in comparatione ad suum oppositum, quod est *multa*. Circa quod duo facit: quia Primò describit eorum mutuam oppositionem. Secundò exponit eorum multiplicem acceptionem. Secunda ibi: *Est autem vnius quidem*. Prima in tres. Primò ostendit secundùm quid est accipienda oppositio inter *vnum & multa*. Secundò ad quod genus oppositionis ista oppositio reducatur. Tertiò remouet quoddam dubium. Secunda ibi: *Quoniam ergo oppositiones*. Tertia ibi: *Dicitur autem ex contrario*. Dicit ergo, quòd *vnum & multa opponuntur secundùm plures modos, quorum vno*, scilicet modo opponuntur *vnum, & plura vt indiuisibile & diuisibile*, quod declarat, dicens, quòd illud *quidem* quod est, aut *diuisum*, scilicet actu, *aut diuisibile*, scilicet de propinquo, *multitudo quædam dicitur: indiuisibile verò, aut non diuisum vnum*, supple dicitur. Ex quo patet quòd licèt vnum & multa pluribus modis opponantur, vt dicetur infrà; vno tamen modo sicut indiuisibile & diuisibile opponuntur.

Oppositio vnius & multi declaratur.

Indiuisum, & indiuisibile & eorũ opposita duplicia sunt.

Multa dupliciter dicuntur.

Notandum, quòd ea quæ sunt diuisa actu, euidens est quòd multa sunt: diuisibilia autem faciliter, vt sunt multa humida, puta aër & aqua, & huiusmodi, quatenus appropinquant diuisioni, propter facilitatem & aptitudinem ad posse diuidi, quandam multitudinem important; vnde dicimus multam aquam, & multum aërem, & sic de aliis. Deinde cùm dicit:

Quoniam ergo quatuor modis oppositiones dicuntur, & horum secundùm priuationem dicitur alterum, contraria vtique erunt, & neque vt contradictio, neque vt ad aliquid dicta.

27

Ostendit quo genere oppositionis vnum & multa opponuntur, dicens quòd *quoniam oppositiones dicuntur quatuor modis*, vt patet ex 5. huius tex.com.carente, *& horum alterum dicitur secundùm priuationem*, manifestum est quòd *contraria vtique erunt*, scilicet vnum & multa, vel indiuisibile & diuisibile, & *nec vt contradictio, nec vt ad aliquid dicta*.

Quo genere oppositionis vnum & multa opponuntur.

Notandum, quòd *vnum & multa* non opponuntur contradictoriè, quia nec *vnum* nec *multa* possunt dici de non ente: patet, & tamen de ente, siue de non ente, semper est vera altera pars contradictionis: iterum altera pars contradictionis est pura negatio, sed vnum, & multa, vtrunque dicit aliquid positiuum. Similiter patet quod *vnum, & multa* non opponuntur relatiuè, sed vt sic dicuntur absolutè & ad se: non etiam opponuntur propriè, vt priuatio, & habitus: nam priuatio formaliter nihil ponit: sed *vnum, & multa*, vtrunque dicit formaliter aliquid positiuum, vt iam dictum est: quare relinquitur à diuisione: quia si opponantur, opponuntur vt contraria, non enim sunt plures quàm quatuor species oppositionis.

Notandum etiam, quod licèt *vnum & multa* diuisibile & indiuisibile, vt sic, non opponantur

modo

modo relatiuo; nihilominus tamen secundùm quòd habent rationem mensuræ, & mensurati, *vnum multa*, & *indiuisibile diuisibile* vtique opponuntur modo relatiuo. Deinde cùm dicit:

Dicitur autem ex contrario, & ostenditur ipsum vnum ex diuisibili indiuisibile propter magis sensibilem multitudinem esse, & diuisibile, quàm indiuisibile; quare ratione, prior multitudo indiuisibili propter sensum.

Remouet tacitam obiectionem.

Remouet quoddam dubium: dixerat enim quòd vnum se habet ad multa *vt indiuisibile ad diuisibile*: cùm igitur indiuisibile sit quædam priuatio diuisibilis, & priuatio sit natura posterior habitu, sequitur quòd vnum sit posterius multitudine; & tamen superiùs dictum est, quòd vnum est principium ex quo, & per quod cognoscitur multitudo. Ad quod respondet, dicens quòd *ipsum indiuisibile, & vnum dicitur*, id est, cognoscitur, & diffinitur, & *ostenditur ex suo contrario*; & ex ipso *diuisibili*, & hoc (supple) *propter magis esse sensibile* ipsam pluralitatem, quàm (supple) vnum & *diuisibile quàm indiuisibile*: quia scilicet *ipsa pluralitas est prior indiuisibili*, non secundùm naturam, sed *secundùm sensum.*

28

Notandum, quòd vt frequenter ea, quæ sunt priora, & magis nota secundùm naturam, sunt minùs nota, & posteriora quoad nos. Vnde primo Physicorum dicitur, quòd confusa, & composita, quatenus cadunt sub sensum, priùs sunt nobis nota: simplicia verò sunt nobis posterius nota, licèt sint simpliciter, & secundùm naturam notiora. Similiter in proposito, licèt secundùm naturam, & simpliciter, ipsum vnum sit priùs notum quàm pluralitas, non tamen quoad nos; & ideò ipsum vnum ex priuatione, scilicet ex diuisione multitudinis diffinitur & cognoscitur, vt hîc dicit Philosophus, quatenus ipsa pluralitas, & diuisibile est magis sensibile quàm ipsum vnum, & indiuisibile. Deinde cùm dicit:

Tex. cō. 10.

Est autem vnus quidem, sicut & in diuisione contrariorum descripsimus, idem, & simile, & æquale, pluralitatis verò, diuersum, & diuisibile, & inæquale.

Exponit ipsius *vnius*, & *multi* multiplicem acceptionem. Circa quod duo facit. Primò distinguit *vnum*, & *multa* in suas partes. Secundò exequitur determinando de partibus. Secunda ibi: *Dicto verò eodem.* Dicit ergo, quòd *sicut descripsimus in diuisione contrariorum*, scilicet in quinto huius, text. non habente commentum. *ipsius vnius est idem, & simile, & æquale*, supple sicut partes eius: nam idem est vnum in Substantia; & simile vnum in Qualitate, æquale autem vnum in Quantitate; pluralitatis verò sunt supple partes, *diuersum, dissimile, & inæquale*, quæ sunt contraria prædictis. Deinde cùm dicit:

Partes vnius & multi quæ?

Dicto verò eodem multipliciter, vno quidem modo secundùm numerum, quod dicimus aliquando ipsum.

Exequitur determinando de partibus. Circa quod duo facit. Primo determinat de partibus *vnius*. Secundò de partibus multitudinis. Secunda ibi: *Quare palàm quòd diuersum.* Prima in duas: quia primò ostendit quot modis dicitur *idem*. Secundò quot modis dicitur *simile*. Secunda ibi: *Similia verò.* De *æquali* verò non prosequitur, cuius ratio assignatur, vt dicebatur quinto huius; vel quia modi eius sunt ignoti, vel quia non habet aliquos modos, secundùm quos diuiditur in suas species. Prima in tres, secundùm tres modos. Primus est idem numero, & subiecto. Secundus est idem numero & specie. Tertius est idem specie tantùm. Secunda ibi: *Hoc autem si ratione.* Tertia ibi: *Ampliùs autem si ratio.* Dicit ergo, quòd *ipso eodem dicto multipliciter vno quidem modo dicitur idem secundùm numerum*, puta quæ sunt idem subiecto, esto quòd non sunt vnum secundùm rationem, vt album & musicum: puta si idem homo sit albus, & musicus: & subdit quòd tale idem *secundùm numerum dicimus aliquando ipsum*; puta si dicatur quòd homo est ipsum album, vel ipsum musicum: cuius ratio assignatur, quia hoc pronomen *ipsum*, est relatiuum supple identitatis: relatiuum autem semper refert idem suppositum; & ideò vbicunque ponitur hoc quod dico *ipsum*, designat idem esse numero suppositum. Deinde cùm dicit:

Prosequitur partes vnius & primò identitatem qua est triplex.

Al. ad.

20

Hoc autem si ratione, & numero vnum sunt, vt tu tibiipsi, & specie, & materia, vnum.

Ponit secundum modum, dicens, quòd *hoc autem*, id est, alio modo dicitur idem *si fuerit vnum ratione & numero*; ita quòd non tantùm subiecto, *vt tu tecum es*, supple idem numero & ratione; ideò dicit quòd supple *tu tecum es vnum & specie & materia & specie*, id est, natura specifica; & *materia*, id est, in supposito, & indiuiduo. Deinde cùm dicit:

Ampliùs autem si ratio primæ substantiæ vna fuerit, vt æquales lineæ rectæ eædem, & æqualia, & isogonia, & tetragonia, & etiam plura: sed in his æqualitas vnitas.

Ponit tertium modum dicens, quòd amplius autem supple dicitur idem *si ratio*, id est, specifica *primæ substantiæ*, id est, suppositi particularis *fuerit vna*; licèt supple suppositum non sit vnum, vt quæ sunt vnum specie, distincta tamen numero, *vt æquales lineæ eædem, & æqualia isogonia, & tetragonia*, id est, quadrata, & etiam plura; *sed in his æqualitas est vnitas.*

Alia acceptio identitatis.

Notandum, quòd Philosophus non curans de exemplis, vtitur exemplis secundùm opinionem illam, quæ ponit quantitates esse rerum substantias: sic enim plures lineæ rectæ essent quasi plura supposita substantiæ conuenientia in vna aliqua specie; puta in vna aliqua mensura communi, si sint æquales: quia secundùm hunc modum multæ lineæ rectæ, & æquales essent diuersa supposita numero; idem tamen in vna ratione specifica. Similiter *etiam plura tetragonia*, id est, figuræ habentes quatuor angulos; *similiter isogonia*, id est, æqualium angulorum, puta plura quadrata æqualia in quantitate, & æquales angulos habentia dicuntur idem isto modo; ita quòd æqualitas est in eis, quædam specifica vnitas; licèt sint numero distincta. Deinde cùm dicit:

Resolutio vltimo dictorũ de identitate specifica.

Isogonia, & tetragonia quid?

Tex. cõ. 11.

30

Similia verò si non sint eadem simpliciter entia; nec secundùm substantiam in differentia subiectiua; sed si secundùm speciem eadem sint, vt maius tetragonum minori simile, & inæquales rectæ: hæ namque similes quidem: eadem verò simpliciter non.

Ostendit quot modis dicitur *simile*, & ponit quatuor modos similis. Secundus est ibi: *Alia autem.* Tertius ibi: *Alia si sit.* Quartus ibi: *Alia si plura.* Dicit ergo, quòd *similia verò* dicuntur vno modo *si non sint eadem simpliciter entia*, id est, secundùm speciem substantiæ: *nec sunt in differentia secundùm substantiam subiectam*, id est, quòd nec sunt eadem in supposito: *sunt tamen eadem secundùm speciem*, scilicet Qualitatis, *vt maius tetragonum minori simile*, id est, minori tetragono, quæ, scilicet anguli, & latera eorum sunt proportionalia, & conueniunt in figura tetragoni, sunt supple tunc sicut similia in specie; licèt distinguantur supposito. Iterum *rectæ*, scilicet lineæ, *& inæquales*, sunt supple similes hoc modo, quatenus habent rectitudinem, vel naturam aliquam, quasi vnam qualitatem in specie; ideò subdit: *hæ namque*, scilicet lineæ, scilicet rectæ inæquales sunt quasi similes: *simpliciter tamen non eadem.*

Similium modi 4. assignantur.

Quid identitas & quid similitudo.

Notandum, quòd quandoque vnitas secundùm rationem perfectam speciei potest dici identitas: quando verò est vnitas non secundùm totam rationem speciei, potest dici similitudo; puta si diceretur quòd ea quæ sunt vnum in genere, sunt similia; quæ verò sunt vnum specie, dicuntur eadem; & ideò Philosophus superiùs lineas rectas æquales, & tetragona æqualia, dixit esse eadem secundum tertium modum: nunc autem tetragona inæqualia, & lineas rectas inæquales, dicit esse similia, non eadem simpliciter.

1. Modus similitudinis.

Notandum etiam, quòd iste primus modus similis correspondet tertio modo eiusdem. Quia enim qualitas, sicut & quantitas fundantur in substantia; ideò vbi est vnitas substantiæ, est aliquo modo vnitas qualitatis, & quantitatis: tamen illa vnitas denominatur à priori, scilicet à substantia, & non à quantitate, vel qualitate; propter quod vbi est vnitas substantiæ, ibi est identitas, & æqualitas, vel similitudo. Oportet ergo ad similitudinem, vel æqualitatem adesse substantiæ diuersitatem: & ideò benè ait Philosophus, quòd *similia dicuntur ea quæ non sunt eadem simpliciter entia*, scilicet, secundùm speciem substantiæ, nec in differentia secundùm substantiam, id est, secundùm suppositum: sed sunt eadem secundùm speciem, scilicet qualitatis, vt tetragona inæqualia, & lineæ rectæ inæquales, vt prædictum est. Deinde cùm dicit:

Quare identitas à substantia denominatur.

31

Alia si eandem speciem habentia, in quibus magis & minus sit: nec magis fiunt, nec minus.

2. Modus.

Ponit secundum modum, dicens: quòd alia autem dicuntur similia *si habentia*, id est, participantia *eandem speciem* qualitatis, puta albedinem *in quibus fit magis, & minus*, id est, quæ qualitas potest suscipere magis, & minùs; ipsa tamen *nec fiunt magis nec minus*; ita quòd participent illam formam in æquali gradu; puta duo alba æquè intensa: talia enim dicũtur similia. Deinde cũ dicit:

Alia si sit eadem passio, & vna specie, vt album valdè, & minùs, similia dicuntur esse: quia vna species ipsorum.

Ponit tertium modum, dicens, quòd alia dicuntur esse similia, *si sit vna & eadem passio in specie*, esto quòd participent illam secundùm magis, & minùs: dicuntur enim similia: *quia est vna species*, id est, vna qualitas *ipsorum* quam participant; licèt secundùm magis & minùs. Deinde cùm dicit:

3. Modus.

Alia si plura habent eadem quàm altera, aut simpliciter: aut quæ in promptu, vt stannum argento, vel auro ignis, aut rubicundum, aut rufum.

Ponit quartum modum, dicens, quòd *alia* supple dicuntur similia *si habent plura eadem quam altera*, id est, non propter conuenientiam in vna qualitate tantùm; sed etiam in pluribus; puta si conueniant in pluribus quàm differant, & hoc *aut simpliciter*, id est, secundùm rem: *aut quæ in promptu*, id est, quantùm ad ea quæ in promptu apparent nobis, *vt stannum* dicitur propriè simile *argento* quatenus in pluribus conueniunt; & similiter *ignis est similis auro, aut croceum, & rubeum* dicuntur supple similia isto modo.

SVMMARIVM.

Diuersum quod est oppositum *eiusdem*, secundùm tres modos explicatur, & quomodo differt à differenti.

32

Quare palàm quòd diuersum, & dissimile multipliciter dicitur: & hoc quidem aliud oppositè, & idem, propter quod omne, ad omne, aut idem, aut aliud.

Hìc determinat de partibus multitudinis. Circa quod duo facit. Primò determinat de *dissimili*, & de *diuerso*. Secundò de *differenti*. Secunda ibi: *Differentia verò, & diuersitas.* Prima in duas. Primò ponit modos diuersitatis. Secundò remouet dubium circa dicta. Secunda ibi: *Diuersum quidem.* Prima in tres secundùm tres modos. Secundus ponitur ibi: *Hoc autem.* Tertius ibi: *Tertium autem.* Dicit ergo, quòd *palàm*, scilicet ex prædictis, *quòd diuersum & dissimile dicuntur multipliciter.* Ratio huius est, quia *simile & dissimile, idem & diuersum* opponuntur: si ergo vt ostensum est *idem & simile* dicuntur multipliciter, sequitur quòd *diuersum, & dissimile* multipliciter dicantur. Nam vt habetur primò Topic. cap. 12. quando vnum oppositorum dicitur multipliciter, & reliquum. Subdit primum modum diuersi, dicens, quòd *hoc quidem* supple dicitur diuersum, quod *est aliud oppositè*, id est, per oppositum ad idem: *quapropter omne ad omne*, scilicet comparatum *aut est idem, aut aliud*: sicut enim idem dicebatur omne quod est ipsum: *ipsum* autem est relatiuum identitatis sicut *diuersum* est relatiuum diuersitatis, & ideò *omne ad omne* relatum, aut est idem, aut diuersum.

Pertractat de partibus multitudinis, & primò de diuerso.

1. Modus diuersi.

Quare omne ens omni enti est idem, vel diuersum.

Notandum, quòd modos ipsius *dissimilis* Philosophus prætermittit propter hoc fortè, quia faciliter apparet quomodo modi *dissimilis* sumendi sunt per oppositum ad modos *similis*. Deinde cùm dicit:

Hoc autem, si non, & materia, & ratio est

Cognito vno oppo-

est vna : quapropter & tu , & propinquus diuersus.

Ponit secundum modum, dicens, quòd *hoc autem*, id est, alio modo dicuntur supple diuersa, *si materia*, id est, suppositum, *& ratio*, supple talis indiuidualis, *non sit vna* : & hoc modo sunt diuersa numero duo indiuidua : ideò subdit : *quapropter & tu, & propinquus* tibi es *diuersus*, & non es diuersus, scilicet à te. Deinde cùm dicit :

sitorum cognoscitur & reliquum.

2. Modus.

Tertium autem vt quæ in Mathematicis.

33

3. Modus.

Ponit tertium modum , dicens , quòd *tertium autem*, id est, tertio modo dicitur diuersum, *vt quæ in Mathematicis*, puta si lineæ inæquales dicantur diuersæ : & similiter de aliis huiusmodi. Deinde cùm dicit :

Diuersum quidem igitur aut idem per hoc ad omne dicitur , quæcunque dicuntur , & vnum , & ens ; non enim contradictio est eiusdem ; quapropter non dicitur iis non entibus, non idem autem dicitur. In entibus verò omnibus dicitur: Aut enim vnum aut non vnum aptum natum, & ens , & vnum. Diuersum quidem igitur & idem ita opponuntur.

Remouet dubium circa dicta: dictum est enim quòd omne ad omne comparatum est idem aut diuersum: posset quis dubitare an hoc esset verum in non entibus sicut in entibus ; ideò hoc remouet dicens , *diuersum quidem igitur aut idem propter hoc omne dicitur quæcunque dicuntur & vnum, & ens* ; *& non* supple est verum in non entibus: cuius causam subdit : *non enim est contradictio eiusdem & ipsius* , id est , quòd idem & diuersum non opponuntur contradictoriè : quia in contradictoriis vtique verum est quod semper altera pars est vera tam de ente quàm de non ente : ideò subdit: *quapropter* supple idem, & diuersum *non dicitur in non entibus*: non enim opponuntur contradictoriè, vt dictum est, sed contrariè *non idem autem* quod scilicet opponitur contradictoriè ipsi eidem *dicitur* supple de non ente : & subdit , *in entibus verò omnibus dicitur* supple idem , & diuersum : *aut enim vnum aut non vnum aptum natum est, & ens, & vnum*, id est, quòd omne ens, & vnum in se si comparetur alteri ; aut est vnum sibi, & tunc erit idem : aut non est aptum natum esse vnum sibi, & tunc erit diuersum. Concludit ergo , quòd *diuersum quidem igitur* , *& idem ita opponuntur*, vt dictum est.

Non diuersũ sed non idẽ est contradictorium eiusdem *vel* ipsius idem, *vnde in plus est* non idem *quàm* differens *vel* diuersum *seu* distinctum.

Notandum, quòd licèt *idem*, & *diuersum* strictè loquendo solùm sint in genere Substantiæ: nam vnum in substantia est idem : tamen extendendo nomen *substantiæ* ad essentiam cuiuslibet entis , sic omne ens omni enti comparatum , aut est idem, aut diuersum. Deinde cùm dicit :

Idem & diuersum *accipi possunt dupliciter.* Vide 19.d.1.

T.com.12.

Differentia verò, & diuersitas aliunde, diuersum enim , & à quo est diuersum non necesse aliquo esse diuersum ; omne namque aut diuersum, aut idem quodcunque est ens: differens verò ab aliquo, aliquo sanè differt , quare necesse ipsum idem aliquid esse quo differunt: hoc autem idem ipsum genus, aut species, omne namque differens, differt, aut genere, aut specie; Genere quidem, quorum non est communis materia, nec generatio ad inuicem, vt quoruncunque alia figura Categoriæ: specie verò, quorum idem est genus : dicitur autem genus secundùm quod ambo idem dicuntur secundùm substantiam differentia ; contraria verò differentia sunt , & contrarietas est differentia quædam.

34

T.com.13.

Determinat de *differenti*. Circa quod duo facit: primò determinat de differenti in generali comparando differens ad diuersum. Secundò specialiter agit de quadam specie differentiæ, scilicet de contrarietate: nam contrarietas est quædam differentia , & habet specialem difficultatem. Secunda ibi : *Quoniam autem differre contingit*. Prima in duas. Primò comparat differens ad diuersum. Secundò probat quod dixerat inductiuè. Secunda ibi : *Quia autem hoc bene.* Dicit ergo , quòd *differentia verò & diuersitas sunt aliud* : *enim* pro quia , *diuersum non necesse est aliquo esse diuersum* : sed supple se totis sunt diuersa : nam diuersa se totis distingui possunt. Et dicit *non necesse* , quia etiam diuersa possunt aliquo differre, & aliquo conuenire , quando diuersum accipitur pro differenti; sed non est necesse, quia omne differens est diuersum, sed non conuertitur : quia aliqua diuersa sunt seipsis totis & non aliquo distinguuntur ; vnde subdit, *omne namque quodcunque est ens, aut est idem, aut diuersum.* Patet ergo quid sit diuersum propriè sumptum. *Differens verò ab aliquo, est differens aliquo, & aliquo* supple conueniens : *quia necesse est idem aliquid* , id est, vnum aliquid *esse quo differunt* , scilicet differentia : hoc autem quod *ipsum idem*, id est, illud quo non differunt , est aliquid idem in illis quæ sic non differunt : *& illud quod est idem in pluribus quæ non differunt* , & in quo differentia differunt est, *aut genus, aut species* : omne *namque differens differt aut genere aut specie, genere quidem, quorum non est materia communis* , *nec generatio ad inuicem.* Genus etiam in Logicis sumitur à materia, quæ est genus Physicum : quæ autem non communicant in materia, non habent ad inuicem generationem , *vt quorumcunque est alia figura Categoriæ*, id est, Prædicamenti : ista supple differunt genere, nec habent ad inuicem transmutationem, vt sunt superficies & dulcedo: non enim fit dulcedo ex superficie, nec èconuerso. *Specie verò sunt*, supple differentia *quorum idem est genus* : *dicitur autem genus secundùm quòd ambo* , scilicet differentia specie *dicuntur idem* , *differentia tamen secundùm speciem*, id est, secundùm formam, & differentiam specificam : & subdit, quòd *contraria verò sunt differentia, & contrarietas est differentia quædam* , vt inferiùs ampliùs apparebit. Deinde cùm dicit :

Prosequitur de differenti *quod est species vel pars multitudinis. Comparat diuersum ad differens & notificat vtrunque.*

Al. quod non est, & omittere aliud nõ sequens.

Differens duplex.

Al. secũdum substantiam contrarietas est differentia.

Quòd autem hoc benè supponimus , palàm ex inductione: omnia enim differentia, & eadem videntur, & non solùm diuersa entia, sed hæc quidem genere diuersa, hæc autẽ in eadem copulatione Categoriæ ; quare in eodem genere & in eadem specie; determinatum est autem in aliis quæ sunt genere eadem, aut diuersa.

35

Probat quod dixerat inductiuè , dicens , quòd *autem benè supponimus hoc* , supple quod dictum est de differenti , *palàm est ex inductione* : nam *omnia*

Inductiuè ostendit quòd de differen-

tibus præmisit.

omnia differentia, ſcilicet in aliquo *videntur*, & hæc *eſſe eadem*, ſcilicet in aliquo, *& non ſolùm diuerſa entia*, ſed etiam in aliquo conueniunt: & ſubdit; *ſed hæc quidem ſunt diuerſa genere, hæc autem in eadem copulatione Categoriæ*, id eſt, *in eodem genere*, puta ſpecies, quæ in vno genere conueniunt & differunt ſpecificis differentiis; *& in eadem ſpecie*, puta indiuidua, quæ in vna ſpecie conueniunt & differunt differentiis indiuidualibus; & ſubdit, *quæ ſunt eadem genere vel diuerſa, determinatum eſt in aliis*, ſcilicet in quinto huius capitul. de oppoſitione, text.com.carente. Patet ergo inducendo quòd differentia in aliquo conueniunt & in aliquo differunt: diuerſa verò, quæ propriè & primò ſunt diuerſa, ſe totis diſtinguuntur.

SVMMÆ SECVNDÆ CAP. II.

Contrarietatem eſſe perfectam differentiam, & quomodo vnum vni contrariatur?

SVMMARIVM.

Deſcribit contrarietatem, explicátque inductiuè, docens maximam eſſe tantùm inter extrema: & explicans eam eſſe perfectam differentiam, & quomodo vnum tantùm vni eſt contrarium; quia contrarietas eſt vna diſtantia cuius tantùm duo poſſunt eſſe vltima extrema.

36

Quoniam autem differre contingit ab inuicem differentia plus, & minus, eſt aliqua maxima differentia.

Sermo de contrarietate quæ eſt ſpecies differentiæ.

Poſtquam Philoſophus determinauit de differenti generaliter: nunc determinat de contrarietate, quæ eſt quædam differentia. Circa quod duo facit. Primò oſtendit quòd contrarietas eſt maxima differentia. Secundò inquirit qualiter contraria differant: vtrùm ſcilicet genere, vel ſpecie. Secunda ibi: *Diuerſa verò.* Prima in duas. Primò determinat de contrariis quantùm ad extrema. Secundò quantùm ad media. Secunda ibi: *Quoniam verò contrariorum.* Prima in duas, quia primò inueſtigat quæ ſit natura contrarietatis. Secundò excludit quædam dubia circa dicta. Secunda ibi; *Quoniam verò vnum.* Prima in duas, quia primò inquirit de contrarietate in ſe, ſcilicet quid ſit. Secundò determinat de contrarietate per comparationem ad alias ſpecies oppoſitionis. Secunda ibi: *Prima verò contrarietas.* Prima in duas. Primò ponit diffinitionem contrarietatis. Secundò reducit omnes alias diffinitiones contrariorum ad diffinitionem contrarietatis ſuppoſitam. Secunda ibi: *Neceſſe autem alios terminos.* Prima in duas. Primò præmittit contrarietatis diffinitionem. Secundò infert quædam corollaria ex prædictis. Secunda ibi: *At verò manifeſtum.* Prima in duas. Primò præmittit quoddam neceſſarium. Secundò ex illo concludit diffinitionem contrarietatis. Secunda ibi: *Et hanc dico.* Dicit ergo, quòd *quoniam* pro quia, *differentia*, id eſt, ea quæ differunt, *contingit ab inuicem differre plus, & minus*, ſequitur quòd

Suppoſitum neceſſarium.

eſt aliqua maxima differentia. Ratio huius aſſignatur, quia aliter eſſet procedere in infinitum, niſi eſſet dare aliquam maximam differentiam, qua maior nequit eſſe, vbicunque ergo eſt maius & minus, ibi eſt dare maximum. Deinde cùm dicit:

Datur maxima differentia.

Et hanc dico contrarietatem: quia verò maxima eſt differentia, palàm, ex inductione: genere namque differentia non habent viam inuicem; ſed diſtant magis & incomparabiliter; differentibus verò ſpecie, generationes ex contrariis, ſunt vt vltimis: vltimorum verò diſtantia maxima eſt; quare, & quæ contrariorum.

Vbi poſitiuus & comparatiuus ibi ſuperlatiuus.

Ponit diffinitionem contrarietatis, dicens, quòd *hanc*, ſcilicet maximam differentiam *dico contrarietatem*: hæc ergo eſt diffinitio eius, quia ſcilicet contrarietas eſt maxima differentia: quam diffinitionem exponit, dicens quòd *verò ipſa*, ſcilicet contrarietas *eſt maxima differentia, palàm ex inductione: differentia enim*, id eſt, illa quæ differunt genere, *non habent viam ad inuicem*, id eſt, tranſmutationem; *ſed diſtant magis inconferibiliter*, id eſt, ea quæ differunt genere non ſunt conferibilia, id eſt, comparabilia mutuò; ſed diſtant plus quàm oportet ad hoc quòd in eis poſſit accipi differre ſecundùm magis & minùs, & ad hoc quod poſſit eſſe via, ſiue tranſmutatio mutua ab vno in aliud; nec per conſequens in eis eſt maxima differentia: inter ea enim quæ maximè differunt intelligitur quædam via tranſmutationis mutuæ, per hoc quòd priùs magis differunt, & poſtea minùs; & ſubdit quòd in *differentibus verò ſpecie*, oportet ſupple eſſe maximam differentiam: cuius cauſam tangit, quia *generationes fiunt & ſunt ex contrariis mutuò, vt ex vltimis*; quod dicit pro tanto, quia quandoque generatur medium ex extremo, vel èconuerſo, puta rubeum ex albo, vel è conuerſo: quandoque generatur medium ex medio, puta croceum ex liuido, vel èconuerſo: iſtæ tamen generationes non ſunt ex vltimis: patet, quia poteſt vlterius procedi vſque ad alterum extremum; ideò dicit quòd *generationes ex contrariis ſunt vt ex vltimis*, vt cùm ex albedine generatur nigrum vel èconuerſo; & ſubdit quòd *vltimorum verò diſtantia maxima eſt: quare* ſupple & differentia & diſtantia, *quæ eſt contrariorum*, eſt ſimiliter maxima, & habetur propoſitum. Deinde cùm dicit:

37 *Diffinitio contrarietatis.*

Non genere ſed ſpecie differentibus comparatio & tranſmutatio & repugnantia ponuntur.

Extremorum tantùm eſt maxima diſtantia & repugnantia: minima verò mediorum mutuò. Maior autem horum & extremorum.

At verò maximum in vnoquoque genere perfectum, maximum enim cuius non eſt exceſſus, & perfectum cuius non eſt adhuc extra ſumere aliquid poſſibile, finem enim habet perfecta differentia, ſicut, & alia, eo quòd finem habeant perfecta dicuntur, nihil autem extra finem, vltimum autem in omni, & continet, propter quod nihil extra finem, nec eget aliquo quod eſt perfectum.

Quod quidem ergo contrarietas eſt differentia perfecta, ex his palam.

T.com.14.

Infert ex prædictis quædam corollaria, & ſunt duo. Secundùm ponitur ibi: *His autem entibus.* Prima in duas: quia primò concludit corollarium. Secundò excludit quoddam dubium ſiue ponit quoddam

38

quoddam notandum. Secunda ibi: *Multipliciter autem dictis.* Primum corollarium est quòd contrarietas est perfecta differentia, quod probatur sic: nam illud quod est maximum in vnoquoque genere, est idem, quod perfectum: sed contrarietas est maxima differentia, ergo est perfecta differentia. Maior patet ex hoc; quia maximum dicitur quia non exceditur, perfectum dicitur extra quod non potest aliud sumi: nam omnia dicuntur perfecta ex hoc, quòd perueniunt ad finem: extra autem finem rei nihil est. Ex quo patet quòd eadem videtur diffinitio maximi & perfecti. Dicit ergo, quòd *at verò maximum in vnoquoque genere est perfectum*; quod probat *quia maximum quidem dicitur cuius non est excessus, & perfectum cuius non est possibile adhuc aliquid extra sumere*; quod patet: *quia differentia perfecta habet finem sicut, & alia dicuntur perfecta eo quòd habeant finem*, id est, pertingant ad finem: *quia extra finem nihil est: vltimum enim in omni re*, & *illud* quod *continet rem*, *est* supple finis: *quare extra finem nihil est nec id quod perfectum est eget aliquo.* Concludit ergo *quòd quidem contrarietas perfecta est differentia, palàm est ex his*, ex hoc scilicet quòd est maxima. Deinde cùm dicit:

Primum sequens: cõtrarietas dumtaxat est perfecta differentia.

Maximum & perfectum idem, & quod vtrumque.

Finis quid & conditiones eius.

Multipliciter autem dictis contrariis sequetur quòd perfectè ita sicut vtique quod est contrariis esse exititerit ipsis.

Ponit quoddam notandum, quòd potest esse remotio dubij: crederet enim fortè aliquis quòd omnia contraria essent perfecta differentia, quod remouet dicens: *quia multipliciter dictis contrariis*, vt dicetur inferiùs, *sequitur quod perfectè est* supple differentia: *itaque vt vtique extiterit esse ipsis contrariis.* Vult dicere, quòd cùm contraria dicantur multipliciter, non æqualiter omnia erunt perfectè differentia, sed eo modo quo competit eis esse contraria, competit, & perfectè differre: quia quibusdam, scilicet per prius; quibusdam secundariò, & per posterius. Deinde cùm dicit:

Notabile tacitum dubiũ excludens.

In differentia contrariorum dantur gradus.

His autem entibus palàm quòd non contingit vni plura contraria esse; nec enim vltimo vlterius: & erit vtique aliquid, nec distantiæ vnius plura sunt quàm duo vltima.

Ponit secundum corollarium, scilicet quòd vnum tantùm vni est contrarium & non plura; quod probat per duas rationes. Secunda ponitur ibi: *Totaliter autem.* In prima parte intendit talem rationem: Vnius distantiæ sunt tantùm duo vltima: sed contrarietas est quædam distantia vltimorum, cùm sit maxima: ergo habet tantùm duo vltima: & per consequens tantùm vnum vni contrariatur. Dicit ergo, quòd *his autem entibus*, id est, sic se habentibus vt dictum est *palàm quòd non contingit plura* quàm duo vltima,

39 *Secundum sequens.*

Vnum tãtum vni contrariatur.

Notandum, quòd ex hoc loco potest sumi argumentum ad probandum illam vnitatem naturæ specificæ, quæ est minor quàm vnitas numeralis, de qua dictum est quæstione de vniuersali: nam vnius contrarietatis sunt duo extrema, vt hîc dicitur; sed certum est quòd ista extrema non sunt duo secundùm solam vnitatem numeralem: quia tunc hoc album huic nigro esset tantùm contrarium; quod est falsum: oportet ergo quòd quodlibet extremum contrarietatis sit vnum aliqua vnitate communiori, quæ est minor vnitate numerali: hæc est vnitas naturæ specificæ, sic enim albedo in specie contrariatur nigredini in specie, & est vnum vni contrarium. Deinde cùm dicit:

Infert notanter ex dictis motiuum pro vnitate reali minori numerali.

Totaliter autem si est contrarietas differentia: differentia verò duorum, quare, & perfecta.

Ponit secundam rationem quæ talis est *differentia est aliquorum duorum*: sed contrarietas est quædam vna, & maxima differentia; ergo erit duorum, & per consequens vnum vni tantùm contrariatur. Dicit ergo, quod *totaliter autem*, id est, generaliter *si contrarietas est differentia*, differentia verò est duorum; sequitur quòd contrarietas est *perfecta differentia*, & per consequens *duorum*: & tunc idem quod prius. Deinde cùm dicit:

Differẽtia est aliquorum duorum.

Necesse autem, & alios terminos esse veros contrariorum: etenim plurimum differt perfecta differentia. Genere autem differentibus non est magis extra accipere his quæ specie: ostensum est enim quia ad ea quæ sunt extra genus non est differentia: horum autem hæc maxima, & in eodem genere plurimum differentia contraria: maxima namque differentia horum quæ perfecta, & quæ in eodem susceptibili plurimum differentia; eadem enim est materia contrariis, & quæ sub eadem potentia plurimum differentia, etenim scientia circa vnum genus quæ vna, in quibus perfecta differentia maxima.

40

Reducit omnes diffinitiones datas de contrariis ad diffinitionem contrarietatis suppositam, dicens quòd per illam omnes aliæ verificantur, & sunt quatuor, quarum primam ponit, dicens quòd *necesse est autem alios terminos*, id est, diffinitiones contrariorum *esse veros* per primam, scilicet diffinitionem, *etenim* pro quia, *perfecta differentia plurimum differt.* Per hoc innuit primam diffinitionem contrariorum, quæ est, quòd contraria sunt quæ plurimum differunt: hoc enim apparet esse verum ex prædictis: ostensum est enim quòd contrarietas est differentia perfecta, perfecta autem differentia facit plurimum differre: *namque* pro quia, *in differentibus genere non est magis extra accipere*, id est, non contingit aliquid accipere magis differens, & his quæ specie: *ostensum enim, scilicet est quia ad ea quæ sunt extra genus non est differentia*, scilicet sed diuersitas, *horum autem*, id est, in his quæ differunt speciei, hæc scilicet differentia *est maxima*, quæ scilicet est contrariorum: ex quo patet quòd contraria sunt quæ plurimum differunt. Secunda diffinitio est, quòd *contraria sunt plurimum differentia in eodem genere:* hoc etiam verificatur ex dictis: namque *differentia horum*, quæ scilicet sunt sub eodem genere, est illa quæ est perfecta differentia: contrarietas autem, vt ostensum est, est perfecta differentia, ex quo patet quòd contraria sunt in eodem genere plurimum differentia. Tertia diffinitio *quòd* supple contraria *sunt quæ in eodem susceptiuo plurimum sunt differentia:* hoc enim verificatur ex dictis: *enim* pro quia, *eadem est materia contrariis*, cùm habeant ad inuicem transmutationem, vt præ

Reducit alias quatuor diffinitiones contrariorum ad iam datam.

1. *Diffinitio.*

2. *Diffinitio.*

3. *Diffinitio.*

prædictum est: & per consequens habent esse circa idem susceptiuum. Quarta diffinitio est, *quod* supple contraria *sunt quæ* supple *sub eadem potentia*, id est, sub eadem scientia *sunt plurimum differentia*: scientia enim dicitur potentia rationalis, vt patet 9. huius: hæc autem diffinitio verificatur ex prædictis, *etenim* pro quia, *scientia quæ est vna, est circa vnum genus*: contraria autem sunt in eodem genere, vt ostensum est, & sub vna scientia, vel potentia: & subdit *in quibus*, scilicet contrariis *est perfecta differentia, & maxima*, ex quo colligitur quòd contraria sunt quæ sub vna scientia, vel potentia sunt plurimum differentia.

4. Diffinitio.

SVMMÆ SECVNDÆ
CAP. III.

Contrarietatem dicere priuationem, & habitum, & omnem contrarietatem priuationem esse, non è contra.

SVMMARIVM.

Contrarietatem dicere priuationem & habitum: & distingui à contradictione ad quam comparatur, secundùm conuenientiam & differentiam. Vide 5. huius tex. 19. non omnem priuationem esse contrarietatem, sed benè è contra, quod quomodo verum sit, benè explicat Doctor; & quæ contraria habent, & quæ carent medio.

T.c.15. Cap. 3. 41

Prima verò contrarietas habitus; & priuatio est; sed non omnis priuatio: multipliciter enim dicitur priuatio: sed quæcunque perfecta fuerit.

Postquam Philosophus determinauit de contrarietate in se ostendēs quid sit, nunc determinat de ipsa in comparatione ad alias species oppositionis. Circa quod duo facit: Primò proponit intentum. Secundò probat ipsum quantùm ad aliquid quod dimiserat non probatum. Secunda ibi: *si itaque generationes.* Prima in tres. Primò comparat contrarietatem ad priuationem. Secundò ad contradictionem. Tertiò etiam comparat priuationem ad contradictionem. Secunda ibi: *si igitur opponuntur.* Tertia ibi: *Priuatio verò quidam.* Prima in duas: primò proponit quòd priuatio, & habitus sunt principium contrarietatis: secundò exponit quomodo ex prima contrarietate alia contraria deriuentur. Secunda ibi: *Alia autem contraria.* Dicit ergo, quòd *prima verò contrarietas*, id est, principium contrarietatis est *habitus & priuatio* quatenus scilicet in omni contrarietate includitur priuatio, & habitus ex eo, quòd vnum contrarium habet rationem imperfecti, & priuationis respectu alterius, vt nigrum respectu albi; & subdit: *sed non omnis priuatio* habet supple rationem contrarij: *multipliciter enim dicitur priuatio; sed quæcunque*, scilicet priuatio *perfecta fuerit*, illa supple habet rationem contrarij.

Principium contrarietatis sunt habitus & priuatio.

Notandum quòd strictè loquendo, non omnis priuatio habet rationem contrarij, puta illa, quæ est mediorum ad extrema, nam talis priuatio non est perfecta cùm aliqua sit maior illa, scilicet quæ est extremi ad extremum; & talis habet rationem contrarij modo prædicto; sicut ait Philosophus in litera sicut patet. Deinde cùm dicit:

Priuatio duplex. Imperfecta & perfecta.

Alia autem contraria secundùm hoc dicentur, hoc quidem per habere; illa verò per facere, aut factiua esse: alia autem per acceptiones esse, & abiectiones horum, aut aliorum contrariorum.

Ostendit quomodo ex prima contrarietate, quæ est priuatio & habitus modo prædicto alia *contraria deriuentur*, dicens quòd *alia autem contraria dicuntur secundùm hoc, & hoc differenter, hoc quidem per habere*, sicut album & nigrum quæ habent in se inclusam priuationem, & habitum; *illa verò per facere*, puta dealbans, & denigrans, quæ actu faciunt priuationem, & habitum: *aut per factiua esse*, id est, per hoc quod habent virtutem, qua possunt facere priuationem, & habitum, vt dealbatiuum, & denigratiuum: *alia autem per acceptiones esse*, puta dealbari, & denigrari, aut, quia sunt *abiectiones*, id est, corruptiones, *horum*, puta corruptio albedinis & corruptio nigredinis, & subdit; *aut aliorum contrariorum*, id est, posteriorum à primis. Vult dicere, quòd non solùm dicuntur contraria aliqua ex hoc, quòd habent dictas habitudines ad dicta contraria; sed etiam si habent eas ad contraria posteriora, quæ sequuntur, puta si cygnus, vel coruus dicantur contraria ex hoc, quòd habent album, & nigrum, quæ dicuntur contraria per hoc quòd habitum, & priuationem includunt. Ex his patet, quòd contraria multipliciter dicuntur, vt superiùs dicebatur in litera. Deinde cùm dicit:

Multiplex contrarietas deriuata ex priuatione prædicta.

42

Cõtraria per habitudinem ad contraria posteriora.

Si ergo opponuntur, contradictio, priuatio, & contrarietas, & ad aliquid: horum autem primum contradictio; contradictionis autem nihil est medium: contrariorum autem contingit; quod quidem non idem contradictio, & contraria palàm.

Comparat contrarietatem ad contradictionem, ostendens quòd contrarietas non est contradictio, per talem rationem; Contradictioni repugnat habere medium; sed contrarietati non repugnat habere medium; ergo contrarietas non est contradictio. Dicit *ergo si* pro quia, igitur aliqua supple *opponuntur*, vel sicut *contradictio*, vel sicut *priuatio*, vel vt *contrarietas*, vel vt *ad aliquid* hæc enim sunt quatuor species oppositionis; *horum autem primum est contradictio.* Et subdit *contradictionis autem nihil est medium: contrariorum autem conuenit*, scilicet esse medium: ex quo concludit, *quòd quidem* igitur *contradictio non est contrarietas, palàm est.*

Differentia contradictionis, & contrarietatis per non habere, & habere mediū.

Species oppositionis quatuor.

Al. cõtingit.

Notandum, quòd contradictio dicitur esse primum inter species oppositionis ex hoc, quòd concluditur in aliis oppositis: nam vnum oppositum includit negationem alterius, sicut non album includitur in nigro, & è conuerso, & non videns includitur in cæco, & è conuerso, & sic de aliis: & ex hoc fortè accidit, quòd quælibet opposita repugnant simul esse, sicut affirmatio,

Qualiter contradictio est prima oppositionum.

&

& negatio nunquam ſe ſimul patiuntur. Deinde cum dicit:

43

Priuatio verò contradictio quædam eſt: aut enim quod impoßibile eſt totaliter habere, aut ſi quod aptum natum habere, non habeat priuatum, aut totaliter, aut aliqualiter determinatum eſt: multipliciter enim iam hoc dicimus, ſicut diuiſum eſt à nobis in aliis: ergo priuatio quædam eſt contradictio, aut in potentia determinata, aut concepta cum ſuſceptiuo.

Comparat priuationem ad contradictionem penes conuenientiam, & differentiam. Circa quod duo facit: primò facit quod dictum eſt: ſecundò concludit quandam concluſionem ex prædictis. Secunda ibi: *Quapropter contradictionis.* Dicit ergo, quòd *priuatio eſt quedam contradictio, quia priuatum eſt, aut quia impoßibile eſt habere totaliter:* puta ſi dicatur lapis inſipiens, vel priuatus ſapientia: *aut alio modo quod non habet quodcunque aptum natum eſt habere,* puta ſi homo non habet viſum, & hoc poteſt eſſe dupliciter, *aut vt totaliter,* id eſt, quomodocunque non habeat: *aut aliqualiter determinatum,* id eſt, ſi non habeat cum aliqua determinatione; puta, ſi non habeat tempore determinato, vel quia imperfectè habet, vt imperfectè videns cæcus dicitur, & ſic de aliis determinationibus; ideò ſubdit quòd *multipliciter enim iam hoc dicimus,* ſcilicet priuationem *ſicut diuiſum eſt à nobis in aliis,* ſcilicet in 5. & in 9. huius; t.c.27. t.c.3. vnde concludit quòd *priuatio ergo eſt quedam contradictio, aut in potentia determinata,* ſcilicet ad habitum, *aut concepta cum ſuſceptiuo.* Vult dicere quòd ex prædictis patet quòd priuatio eſt quædam contradictio: nam aliquid dicitur priuatum ex hoc, quòd non habet; priuatio tamen non eſt contradictio ſimpliciter, & abſolutè, ſed contradictio quædam. Cuius ratio eſt, quia contradictio, quantum eſt de ſe, verificatur tam de ente, quàm de non ente: verè enim dicitur quòd non ens non videt, & quòd lapis non videt, & ideò contradictio, quantùm eſt de ſe, non requirit exiſtentiam ſubiecti apti: priuatio autem neceſſariò requirit ſubiectum, vel ſimpliciter, vel ſubiectum aptum, & ideò non ens non poteſt dici cæcum; ideò dicit Philoſophus quòd priuatio, aut erit in potentia determinata cum aptitudine, ſcilicet ad habitum, aut ſaltem concepta cum ſuſceptiuo, id eſt, cum ſubiecto, eſto quòd non habeat aptitudinem ad habitum, eo modo quo lapis dicitur eſſe cæcus; & ideò priuatio eſt contradictio non abſolutè, ſed contradictio quædam, vt dicit Philoſophus in litera. Deinde cùm dicit:

Comparat priuationem ad contradictionem ſecundum conuenietias & differentias.

Priuatio tripliciter ſumi poteſt.

Priuatio quid.

Priuatio eſt contradictio diminuta quia negatio in genere.

44

Quapropter contradictionis quidem non eſt medium, ſed priuationis alicuius: eſt æquale namque aut non æquale omne: æquale verò aut inæquale non omne, niſi ſolùm in ſuſceptiuo æqualitatis.

Concludit quandam concluſionem ex prædictis dicens: *quapropter,* quia ſupple ſic eſt quòd contradictio verificatur tam de ente quàm de non ente: priuatio autem ſupponit ſubiectum; ideò *contradictionis non eſt medium: namque* pro quia, *omne* ſupple tam ens quàm non ens aut eſt *æquale* aut non *æquale*; quæ ſcilicet ſunt contradictoria: *æquale* verò aut *inæquale,* quæ ſcilicet ſunt priuatiuè oppoſita, *non omne niſi ſolùm in ſuſceptiuo æqualitatis.*

Illatum ex dictis.

Contradictionis non eſt medium, priuationis ſic.

Medium oppoſitorum eſt duplex.

Notandum, quòd vt dictum fuit in 4. huius, medium inter oppoſita dupliciter poteſt intelligi; vno modo ſecundùm formam; alio modo ſecundùm ſubiectum. Primo modo eſt medium inter quædam contraria. Exemplum, inter albedinem, & nigredinem eſt aliqua forma media, puta rubedo, & palledo. Secundo modo eſt medium inter priuatiuè oppoſita, & etiam inter contraria immediata, non autem primò modo. Exemplum, lapis eſt quoddam ſubiectum, quod nec eſt videns nec cæcum: iterum nec eſt pater nec eſt filius, nec eſt ſanus, nec æger, & tamen non eſt dare aliquam formam mediam inter viſum, & cæcitatem, nec inter paternitatem, & filiationem, nec inter ſanitatem, & ægritudinem: contradictoria verò vtroque modo carent medio, non enim eſt aliqua forma media, nec aliquod ſubiectum, de quo non verificetur alterum contradictoriorum. Cùm ergo ait Philoſophus, quòd alicuius priuationis eſt medium, intelligendum eſt de medio, non ſecundùm formam, ſed ſecundùm ſubiectum; non enim omne ſubiectum eſt æquale, vel inæquale, niſi de ſubiecto apto nato ſuſceptiuo æqualitatis. Deinde cùm dicit:

Cuius priuationis non ſit dare mediũ.

T.c.16.

45

Si itaque generationes ipſi materia ex contrariis fiunt, aut ex ſpecie, & ex ſpeciei habitu, aut priuatione aliqua ſpeciei, & formæ, palàm quia contrarietas priuatio quædam, & vtique omnis.

Probat quod priùs dixerat, ſcilicet quod priuatio, & habitus eſt principium contrarietatis, quod ſuprà dimiſerat non probatum. Circa quod duo facit: primò probat intentum ſyllogiſticè: ſecundò inductiuè. Secunda ibi: *Palàm autem per inductionem.* Prima in duas: primò facit quod dictum eſt: ſecundò oſtendit quòd non omnis priuatio eſt contrarietas: hæc enim duo fuerunt ſuperiùs propoſita. Secunda ibi: *Priuatio verò non omnis.* In prima parte intendit talem rationem: illa ex quibus fiunt generationes ſunt contraria, nam omnis motus, & mutatio eſt inter contraria, vel media prout habent rationem contrariorum: ſed ex priuatione, & habitu fiunt generationes; ergo priuatio, & habitus ſunt quædam contrarietas. Dicit ergo: *ſi* pro quia, *itaque generationes fiunt ipſi materia,* vt ſubiecto *ex contrariis,* vt ex terminis: quia ſupple omnis generatio, aut erit ſupple *ex ſpecie,* id eſt, forma, *aut habitu ſpeciei,* quod eſt idem, *aut ex priuatione aliqua ſpeciei, & forma:* quia inquam ſic eſt, *palàm eſt quia omnis contrarietas erit quædam priuatio.* Deinde cùm dicit:

Probat oſtenſiue habitum & priuationem eſſe principium contrarietatis.

Priuatio verò non omnis forſan contrarietas, cauſa verò, quia multipliciter contingit priuari priuatum, ex quibus enim permutationes extremis, contraria.

Oſtendit quòd non omnis priuatio ſit contrarietas, per talem rationem: Contrarietas eſt maxima diſtantia, ſed non omnis priuatio eſt maxima diſtantia, nam media includunt priuationem extremorum, à quibus non maximè diſtant; ergo, &c. Dicit ergo quòd *non omnis forſan priuatio eſt contrarietas: cauſa verò eſt: quia multipliciter*

Non omnis priuatio contrarietas.

ter contingit priuatum priuari supple, vel sine distantia vltimorum, vel mediorum ad vltima; siue etiam mediorum inter se: contraria verò sunt hæc *ex quibus fiunt permutationes, vt extremis,* id est, vltimis. Deinde cùm dicit:

46

Palàm autem, & per inductionem, omnis enim contrarietas habet priuationem alterius contrariorum, sed non similiter omnia, nam inæqualitas æqualitatis, dissimilitudo similitudinis, & malitia virtutis.

Probat propositum inductiuè. Circa quod duo facit: quia primò ostendit propositum in singulis contrariis inducendo: secundò ad prima contraria reducendo. Secunda ibi: *Sufficit autem.* Prima in tres: primò manifestat propositum: secundò probat quoddam suppositum: tertiò ex dictis infert quandam veritatem. Secunda ibi: *Differt autem.* Tertia ibi: *Quapropter horum.* Dicit ergo, quòd *palàm autem per inductionem* supple quòd contrarietas sit priuatio, *omnis enim contrarietas habet priuationem alterius contrariorum:* dictum est enim supple quòd vnum contrariorum habet rationem imperfecti, & priuationis respectu alterius; *sed non similiter omnia,* id est, quòd non est similiter in omnibus cōtrariis: quòd scilicet vnum est priuatio alterius; & subdit ad probandum inductiuè, quòd vnum contrariorum sit priuatio alterius: *nam inæqualitas est* supple priuatio *æqualitatis, & dissimilitudo similicudinis, & malitia virtutis.* Deinde cùm dicit:

Probat inductiuè eandem conclusionem.

Differt autem, vt dictum est, hoc quidem enim si solùm priuatum, hoc autem si est, aut quando, aut in quo, vt si ætate aliqua, aut principali, aut omnino.

47

Probat quoddam suppositum, scilicet quòd non similiter est in omnibus contrariis, quòd vnum sit priuatio alterius, dicens: quòd *differt* autem, vt dictum est: cuius causam subdit: *enim* pro quia, *aliud* supple dicitur priuari aliquo *si est solùm priuatum,* id est, ex hoc quòd est priuatum quocunque modo: hoc autem, id est, aliud dicitur priuatum si *aliquando,* id est, si sit priuatum secundùm aliquod determinatum tempus: *aut in quo,* id est, secundùm aliquam determinatam partem. Exemplum primi: vt si in ætate aliqua supple sit priuatum: dicitur enim aliquis priuatus potentia generandi si in ætate, & tempore determinato sit impotens ad generandum, & non, si in ætate puerili. Exemplum secundi: aut priuari, scilicet dicitur priuatum secundùm partem determinatam si sit priuatum *in aliqua parte principali aut omnino,* id est, in toto. Dicitur enim aliquis priuatus albedine, non si aliqua eius pars sit non alba, puta pupilla oculi; sed si plures, vel omnes eius partes, aut aliqua principalis, puta tota facies non sit alba. Ex diuersitate ergo priuationis, quæ includitur in altero contrariorum, patet quòd non similiter in omnibus contrariis vnum contrarium est priuatio alterius. Deinde cùm dicit:

Diuersitas priuationum enarratur.

Quapropter horum quidem est medium; sed neque bonus homo nec malus, aliorum verò non est, sed necesse est esse; aut parem, aut imparem, amplius alia quidem habent suppositum determinatum, alia autem non. Quare palàm quia semper alterum contrariorum dicitur secundum priuationem.

84

Ex dictis infert quandam veritatem, dicens: *quapropter* supple quia sic est, quòd priuatio diuersimodè includitur in contrarietate; ideò sequitur quòd *horum quidem,* scilicet contrariorum, *est medium,* supple secundùm subiectum: quia *est aliquis homo nec bonus nec malus: aliorum verò contrariorum non est,* scilicet medium: *sed necesse est* supple numerum esse parem aut imparem: Subdit etiam, quòd sequitur ampliùs quòd *alia quidem contraria habent suppositum,* id est, subiectum *determinatum, alia verò non:* & concludit *quòd palàm,* quia semper *alterum contrariorum dicitur secundùm priuationem* respectu alterius.

Quorundam contrariorum datur subiectum mediū per abnegationem: aliorū verò non.

Notandum, quòd inter bonum, & malum dicitur esse medium secundùm subiectum: quia homo bonus dicitur secundùm virtutem: virtus enim est, quæ perficit habentem, & opus eius bonum reddit; 2. Ethi. c. 5. non omnis autem, qui virtute caret, est dicendus malus; quia puer non dicitur malus quamuis careat virtute: diceretur tamen malus si in ætate perfecta virtutem non haberet, quam tamen deberet habere. Patet ergo quòd ex diuersitate priuationis secundùm quòd aliquid potest dici priuatum, vel simpliciter, vel in aliqua parte, aut tempore determinato, accidit quòd contrariorum quædam habent medium secundùm subiectum, etiam secundùm subiectum, secundùm quòd sunt apta nata fieri, vt patet in exemplo dicto: quædam non habent tale medium, vt patet de pari, & impari circa numerum; cuius causa est, quia numerus impar dicitur, qui non habet paritatem simpliciter, & quocunque modo determinatum.

In numeris cur non datur medium.

49

Notandum etiam, quòd ex hoc quod priùs dictum est, quòd scilicet quædam priuatio determinat sibi subiectum: quædam non determinat; nam dictum est quòd quandoque aliquid dicitur priuatum, si non habet aliquid quod etiam non est aptum natum habere: ex hoc, inquam, sequitur, quòd contrariorum, siue habent medium, siue non, quædam determinant sibi subiectum quædam non: puta si dicatur quòd bonitas virtutis determinat sibi subiectum, puta hominem in ætate perfecta, & similiter eius priuatio: tunc puer non erit neque bonus, neque malus. Causa huius est, quia cùm priuatio includatur in contrarietate, simile iudicium est de contrarietate sicut de priuatione. Deinde cùm dicit:

Puer cur non dicitur malus.

Sicut priuatiuè oppositorum, ita & contrariorum quædam determinant sibi subiectum quædam non.

T. c. 17.

Sufficit autem, & si principia, & genera contrariorum, puta vnum, & multa, alia namque ad hæc reducuntur

Probat propositum reducendo ad prima contraria, dicens quòd sufficit autem supple ad probandum, quòd alterum contrariorum sit priuatio; *si prima, & genera contrariorum,* supple sic se habeant, quòd vnum sit priuatio alterius, vt sunt *vnum, & multa: alia namque,* scilicet contraria *ad hæc reducuntur* quasi ad genera. Patet enim quòd ad vnum & multa omnia alia reducuntur, puta simile & dissimile, idem & diuersum, & sic de aliis: si igitur vnum, & multa se sic habent, quòd alterum includat priuationem alterius quatenus se habent vt indiuisibile, & diuisibile vt prædictum fuit; sequitur quòd eodem modo se habeat

Vnum & multa *sunt prima cōtraria, ad quæ omnia alia reducuntur.*

habeat in aliis contrariis, quæ ad vnum, & multa reducuntur. Patet enim quòd idem, & simile, & æquale, & huiusmodi habent rationem *vnius*; fundantur enim super *vnum*: diuersum autem, & dissimile, & inæquale, & huiusmodi habent rationem multitudinis, quatenus diuersitatem dicunt, sicut est per se manifestum.

SVMMÆ SECVNDÆ Cap. IV.

Quò pacto æquale magno, & paruo opponatur?

SVMMARIVM.

Arguit tripliciter æquale opponi magno, & paruo, & ad oppositum saltem quod non contrariè; resoluens quod priuatiuè opponuntur.

Quoniam autem vnum vni contrariũ est, dubitabit aliquis quomodo opponuntur vnum, & multa, & æquale, magno, & paruo.

50

Postquam Philosophus determinauit de natura contrarietatis: nunc determinat quædam dubia orientia ex prædictis: Circa quod duo facit: Primò proponit dubia. Secundò exequitur de ipsis. Secunda ibi: *Vtrùm enim*. Dicit ergo, quòd *quoniam vnum vni est contrarium*, vt præostensum fuit; *dubitabit aliquis quomodo opponuntur vnum, & multa*; cùm supple multis opponantur pauca: & similiter quomodo æquale opponatur magno & paruo. Videtur ergo ex his habere instantiam quod dictum est: quia tam *multa* quàm *æquale* videntur opponi duobus secundùm contrarietatem, & non vni tantùm: nam *multa* contrariantur *vni*, & *pauco*: *æquale verò magno*, *& paruo*. Deinde cùm dicit:

Videtur non tãtum vnum vni contrariari contra dictat. c. 14.

Vtrùm enim semper in oppositione dicimus, vt vtrùm album, aut nigrũ? & vtrùm album, aut non album? & vtrùm verò homo, aut albũ? non dicimus nisi ex suppositione, & quærentes vt vtrùm venit Cleon, aut Socrates? sed non necesse est in vno aliquo genere hoc.

Exequitur de prædictis. Circa quod duo facit: primò pertractat dubitationem de oppositione æqualis ad magnum, & paruum: secundò aliam dubitationem de oppositione *vnius* ad *multa*. Secunda ibi: *Similiter autem, & de vno*. Prima in duas: quia primò circa hanc dubitationem procedit arguendo: secundò determinando. Secunda ibi: *Restat igitur*. Prima in duas. Primò arguit quòd æquale opponitur aliquo modo magno, & paruo. Secundò arguit ad aliam partem, quòd scilicet non opponitur eis contrariè. Secunda ibi: *Sed accidit*. Prima in tres, secundùm tres rationes quas adducit. Secunda ponitur ibi: *Ampliùs inæquali*. Tertia ibi: *Et dubitatio iuuat*. In prima parte intendit talem rationem: Ista dictione *vtrùm*, solùm *vtimur in oppositis*: sed hac dictione *vtrùm* vtimur in his tribus, scilicet æquali, magno, & paruo; ergo ista tria opponuntur. Circa istam rationem sic procedit: quia primò probat maiorem. Secundò addit sibi minorem, & concludit conclusionem. Secunda ibi: *Si itaque*. Prima in duas. Primò declarat istam maiorem exemplariter. Secundò declarat eam à priori, & à causa. Secunda ibi: *Sed hoc inde venit*. Dicit ergo, quòd *vtrùm enim*, id est, hac dictione *vtrùm dicimus semper*, id est, vtimur *in oppositione*, *vt vtrùm* aliquid supple *sit album*, *& nigrum*, quæ sunt contraria, & vtrùm *sit album aut non album* quæ sunt contradictoria: *vtrùm verò sit aliquid homo aut album*: *non dicimus nisi ex suppositione* supponendo scilicet quòd aliquid non possit esse homo, & album; quasi homo, & album essent opposita: *& tunc quærentes*: vtrùm scilicet aliquid sit homo, vel album est supple simile: vt si quæratur, *vtrùm venit Cleon, aut Socrates* supponendo, scilicet quòd non veniant ambo simul: *sed hoc non est secundum necessitatem in aliquo genere*, quàm supple in oppositis, in quibus de necessitate quærendo vtimur hac dictione *vtrùm*. Deinde cùm dicit:

Quòd æquale opponatur cõtrariè magno, & paruo probat.

Maior.

Ly vtrùm habet locum in oppositis.

Sed hoc inde venit: nam opposita sola non contingit simul existere, quo, & hic vtitur in eo quod vter venit? Si enim simul contingeret, ridiculosa erit interrogatio: si verò & ita similiter incidũt in oppositionem in id quod vnum aut multa, vt vtrùm ambo venerũt, aut alter?

51

Declarat idem à priori, & à causa, & ponit talem rationem: quia hæc dictio *vtrùm* est virtualiter disiunctiua; ideò solùm vtimur ea in his quæ non contingit simul esse vera: opposita autem sunt huiusmodi, quòd non palàm contingit simul esse vera; ergo hac dictione *vtrùm* vtimur tantùm in oppositis. Dicit ergo, quod *hoc inde venit*, scilicet quòd ipsa dictione *vtrùm* vtimur in oppositis, & non in aliis: *nam opposita sola non contingit simul existere*; *& hoc est quo vtitur in eo quod vtrùm venit*, id est, iste qui quærit vtrùm veniat Cleon, aut Socrates: *si enim simul contingeret eos*, scilicet simul venire *derisoria foret ista interrogatio*: *si verò ita est*, quòd scilicet hac dictione *vtrùm* vtimur in his quæ non contingit *simul existere*: *similiter incidet* supple dicta quæstio *in oppositionem*, quæ est inter vnum & multa, vt supple quæramus de Cleone, & Socrate *vtrùm veniunt ambo aut alter*: ista autem quæstio patet quòd est secundùm oppositionem multorum ad vnum: supposito autem quòd alter tantùm veniat, tunc restat quæstio, vtrùm veniat Cleon, aut Socrates: nam facta hypothesi Cleon, & Socrates se habent quasi opposita respectu actus veniendi. Deinde cùm dicit:

Vox vtrùm quid, & in quibus vsurpatur?

Si itaque in oppositis semper est ipsius vtrùm interrogatio; dicitur autem vtrùm magis, aut minus? aut æquale? aliqua oppositio adhuc æqualis: non enim alteri soli contrarium, nec ambobus: quid enim magis aut maiori aut minori?

T. c. 18.

Addit minorem rationis, & concludit conclusionem, dicens, *si itaque interrogatio ipsius, vtrùm, est semper in oppositis*: hæc fuit maior: *dicitur autem vtrùm hoc* supple sit *magis* alio *aut minus, aut æquale*: hæc est minor; sequitur quòd erit *quædam oppositio æquale* ad hoc, scilicet ad magnum, & paruum: hæc est conclusio: & subdit quod supple

Minor.

Conclusio.

ipsum

ipsum *æquale non est contrarium alteri soli*, puta vel magno tantùm, vel paruo tantùm: *nec etiam ambobus* scilicet seorsum, & est idem quod priùs: & subdit rationem huius: quid *enim* supple *magis* æquale, erit contrarium *aut minori*, *aut maiori*, quasi diceret, quòd nulla est causa, & ideò vel nulli contrariatur, vel vtrique: aliter exponitur ly *nec ambobus*: referendo ad prædicta, vt sit sensus quòd secundùm prædicta videtur, quòd æquale non sit contrarium ambobus, cùm vnum vni sit contrarium: prima tamen expositio videtur magis texere textum. Deinde cùm dicit;

S. Thom.

Ampliùs inæquali contrarium est æquale, quare in pluribus erit aut in vno: si verò inæquale significat idem simul amborum, vtique erit quidem oppositum ambobus.

52

Ponit secundam rationem, quæ talis est: *æquale est contrarium inæquali*: sed inæquale verificatur de ambobus, scilicet de magno & paruo: quia tam magnum quàm paruum est inæquale; ergo æquale opponitur, & est contrarium ambobus. Dicit ergo, quòd *Ampliùs æquale est contrarium inæquali: quare* ipsum inæquale *erit in pluribus, aut* id est, non, *& non in vno*, vel quàm *in vno: si verò inæquale significat idem simul amborum*, scilicet magni, & parui, quia de vtroque dicitur, sequitur quòd supple *æquale erit vtique oppositum ambobus*, scilicet magno, & paruo. Deinde cùm dicit:

Inæquale cõuenit magno, & paruo.

Et dubitatio iuuat dicentes inæquale dualitatem esse.

T.c.10.

Ponit tertiam rationem, quæ procedit secundùm opinionem Pythagoræ, qui inæqualitatem, & alteritatem attribuebat dualitati, & numero pari; æqualitatem autem, & identitatem numero impari; formatur sic ratio: Æquale opponitur inæquali; sed inæquale competit dualitati: ergo æquale opponitur duobus. Hanc rationem tangit breuiter, dicens, quòd & *dubitatio illorum*, scilicet qui sunt dicentes *inæquale esse dualitatem, iuuat* scilicet in proposito, vt dictum est. Deinde cùm dicit:

Opinio Pythagoræ de inæqualitate, & alteritate.

Sed accidit vnum duobus esse contrarium, quod est impoßibile.

Arguit ad oppositum, per duas rationes, quòd scilicet æquale non opponitur contrariè magno, & paruo: secunda ponitur ibi: *Ampliùs æquale.* Prima ratio talis est: vnum non est contrarium duobus; sed magnum, & paruum sunt quædam duo; ergo æquale non contrariatur ambobus. Dicit ergo, quòd si supple æquale contrarietur magno, & paruo, *accidit vnum esse contrarium duobus, quod est impoßibile*, vt ostensum fuit priùs. Deinde cùm dicit:

Argumẽtum ad oppositum.

Vnum nõ contrariatur duobus.

Ampliùs æquale quidem medium videtur esse magni, & parui, contrariatio autem inter media neque videtur, neque ex diffinitione poßibile: non enim vtique erit perfecta mediatio alicuius existens, sed magis habet semper suimet aliquod medium.

53

Ponit secundam rationem, quæ talis est: Medium non contrariatur extremis; sed æquale est quoddam medium magni, & parui: ergo, &c.

Æquale est medium.

Maior videtur manifesta, tam ex se, quàm ex diffinitione contrarietatis: nam contrarietas est maxima, & perfecta distantia: distantia autem medij ad extremum non est maxima: quia extrema magis distant. Dicit ergo, quòd *ampliùs æquale quidem videtur esse medium magni, & parui; contrariatio autem inter media*, id est, medij ad extrema: *neque videtur*, scilicet sicut patet de se: *nec est poßibile*, sicut patet *ex diffinitione*, scilicet contrarietatis. Concludit ergo, quòd *non vtique erit perfecta*, scilicet contrarietas *existens mediatio alicuius*, id est, mediorum ad extrema; sed magis ipsa, scilicet contrarietas *semper habet suimet aliquod medium*, id est, eorum quæ habent inter se aliquod medium. Deinde cùm dicit:

Contrarietas perfecta est tãtùm extremorum.

Restat igitur aut vt negationem opponi, aut vt priuationem; alterius quidem vtique itaque non contingit; quid enim magis magni aut parui? amborum igitur negatio priuatiua, quapropter ad ambo vtrùm dicitur, ad alterum verò non; vtrùm maius, aut æquale, aut vtrùm æquale, aut minus? sed semper tria.

Soluit dubitationem. Circa quod tria facit. Primò ex prædictis infert quòd æquale opponitur magno, & paruo aliter quàm secundùm contrarietatem. Secundò ostendit determinatè secundùm quam speciem oppositionis. Tertiò ex dictis concludit quandam conclusionem. Secunda ibi: *Non priuatio autem.* Tertia ibi: *Quapropter medium.* Dicit ergo, quòd *restat igitur* ex prædictis, scilicet ipsum æquale opponi magno & paruo, aut vt negationem, aut *vt priuationem eorum:* & subdit, quòd altero istorum modorum opponitur vtrique, & non alteri tantùm, & hoc dupliciter. Tum primò, quia non est ratio quare æquale sit magis negatio, vel priuatio magni quàm parui, vel è conuerso; ideò dicit, quòd *alterius quidem igitur non contingit*; *quid enim magis magni aut parui* est supple ipsum æquale negatio, vel priuatio. Quasi diceret, quòd nulla est ratio: *amborum igitur erit negatio priuatiua.* Tum secundò per signum: quia hac dictione *vtrùm* vtimur quærendo de æquali in respectu ad vtrumque, per quod patet, quòd æquale opponitur vtrique, cùm tantùm in oppositis vtamur hac dictione *vtrùm*, vt prædictum est. Dicit ergo, *quapropter ad ambo*, scilicet magnum & paruum: *vtrùm dicitur, ad alterum verò non*; vt non quærimus supple *vtrùm hoc sit magis, aut æquale* illi, aut vtrùm sit *æquale aut minus, sed semper tria*, scilicet ponimus, scilicet vtrùm sit aut magis, aut minùs, aut æquale.

54

Determinatio dubij de oppositione æqualis ad magnum, & paruum.

Non relatiuè nec contrariè opponitur æquale magno & paruo, & quod vtrique, & non alteri duntaxat opponatur ostendit.

Notandum, quòd hoc Aristoteles infert ex prædictis: nam primæ rationes probant quòd æquale opponitur magno & paruo: secundæ autem quod non vt contrarium: quare restat quòd opponantur alio modo oppositionis, & circumscripta oppositione relatiua: sic enim æquale, & inæquale opponuntur, & non æquale ad magnum, & paruum; relinquitur ergo quòd æquale opponatur ad magnum, & paruum, sicut eorum negatio, vel priuatio. Deinde cùm dicit;

Quomodo æquale opponatur ad magnum, & paruum.

Non priuatio autem ex neceßitate: non enim omne æquale quod non maius aut minus; sed in quibus aptum natum est esse: est itaque æquale quod neque magnum, neque paruum, aptum

natum

natum magnum aut paruum esse, & opponitur ambobus vt negatio priuatiua.

55 *Secundum negationem priuatiuam, & non absolutam opponitur æquale magno & paruo. Æquale quid?*

Determinat secundùm quam speciem oppositionis opponatur æquale magno, & paruo, dicens, quòd *nō*, id est, hæc particula (*non*) quæ includitur in ratione æqualis, quatenus æquale dicitur quod nec est maius, nec minus: non est negatio supple simpliciter, sed *est priuatio.* Ratio huius est: quia negatio simpliciter dicitur generaliter de quolibet, cui non inest sua opposita affirmatio; sed non est sic in proposito; vnde subdit: *non enim omne, quod non est maius aut minus est æquale; sed in quibus est aptum natum esse,* scilicet quod sit maius aut minus: *est itaque æquale, quod nec est magnum nec est paruum, aptum natum esse magnum aut paruum:* hæc enim est diffinitio æqualis, sicut & aliæ priuationes diffiniuntur: omnis enim priuatio connotat subiectum aptum natum, & per hoc differt à negatione simpliciter. Ex hoc ergo concludit quòd ipsum supple *æquale opponitur ambobus* scilicet magno & paruo, *vt negatio priuatiua*, id est, vt negatio quæ est priuatio: nam priuatio est negatio in subiecto apto nato.

SVMMARIVM.

Æquale esse medium inter magnum, & paruum: & vnde quædam media sunt innominata, alia non.

Qvapropter, & medium est, & quod neque malum neque bonum opponitur ambobus, sed innominatum; multipliciter enim dicitur vtrumque, & non est vnum susceptiuum; sed magis quod neque album, neque nigrum: vnum verò non hoc dicitur, sed determinati coloris in quibus dicitur priuatiuè negatio hæc: nam necesse, aut pallidum, aut rubeum esse, aut tale aliquid aliud.

56 *Æquale est medium inter magnum & paruum. Mediorum aliud nominatum aliud innominatū sed tantum per abnegationem dictū.*

Ex dictis concludit conclusionem quandam. Circa quod duo facit: Primò concludit conclusionem: Secundò excludit quandam derisoriam obiectionem. Secunda ibi: *Quare non rectè.* Dicit ergo, *quapropter* supple: quia sic est, quòd æquale nec est magnum, nec paruum aptum natum ad vtrumque, sequitur quòd æquale est medium scilicet inter magnum & paruum, nam quod tali modo se habet ad contraria, est medium inter ipsa; vt quod *nec malum, nec bonum, opponitur ambobus*, & est supple medium inter malum, & bonum; ergo, & æquale erit medium inter magnū, & paruum; sed est differentia: quia non est nominabile.

Al. nominatum.

Vult dicere quòd hæc est differentia: quia quod nec est magnum, nec paruum, est nominatum: dicitur enim æquale: sed quod *nec bonum nec malum, est innominatum:* cuius causam subdit: *multipliciter enim dicitur vtrumque; & non est vnum susceptiuum vtriusque,* scilicet priuationis contrariorum: *sed magis quod nec album, nec nigrum: vnum verò non hoc dicitur*, sed sunt *quidam colores aliqualiter determinati in quibus dicitur priuatiuè hæc negatio.*, scilicet neque album neque nigrum nam necesse est, aut sub album, id est, *rubeum, aut pallidum esse, aut aliquod tale.*

Quare aliquorum contrariorū datur medium nominatum, aliorum verò innominatū.

Notandum, quòd ratio quam tangit Philosophus, quare quædam media contrariorum sunt nominata, quędam innominata, est ista: nam medium includit priuationes duorum contrariorum extremorum: quandoque ergo ambæ illæ priuationes cadunt super aliquod vnum determinatum susceptiuum, & tunc est vnum tantùm medium, & potest faciliter nominari, sicut est æquale: ex hoc enim est aliquid nec maius, nec minus: quia habet vnam; & eandem quantitatem. Quandoque verò illud susceptiuum, supra quod cadit vtraque priuatio contrariorum, dicitur multipliciter, & non est vnum tantùm susceptiuum ambarum priuationum coniunctarum, & tunc nōn habet vnum nomen tantùm; sed vt sic remanet omninò innominatum, sicut quod neque est bonum, nec malum: vel habet diuersa nomina, sicut hoc quod est, nec album, nec nigrum: hoc enim nō est vnum tantùm; sed multi colores medij, in quibus cadit hæc negatio priuatiua: illud enim quod nec est album, nec nigrum, est rubeum, aut pallidum. Deinde cùm dicit:

57

Quare non rectè increpant opinantes similiter dici omnia, vt sit calcei, & manus medium, quod neque calceus, neque manus: quoniam quidem, & quod neque bonum, neque malum, boni, & mali tanquam omnium futuro aliquo medio.

Excludit quandam derisoriam obiectionem. Circa quod duo facit: primò eam præmittit: secundò eam excludit. Secunda ibi: *Non est autem.*

Cauillatio derisoria contra prædicta.

Ad euidentiam primi sciendum: quòd quidam ex hoc quod neque bonum, nec malum ponitur medium inter bonum, & malum, dicebant quòd eadem ratione posset poni medium inter quęcunque, puta medium inter manum, & calceum, quod nec est manus, nec calceus. Dicit ergo, *quare* supple: quia sic est quòd est aliquod susceptiuum natum esse vtrumque extremorum in his, in quibus medium assignatur per abnegationem vtriusque extremi: ideò patet quòd *nec rectè increpat*, id est, derident *opinantes similiter dici omnia, vt sit medium calcei, & manus* quòd nec *calceus* nec *manus: quoniam* pro quia, *quod neque bonum neque malum* ponitur supple medium *boni, & mali, tanquam omnium futuro aliquo medio*, scilicet secundùm eos. Deinde cùm dicit:

Non necesse autem accidere hoc: hæc quidem enim oppositorum connegatio est, quorum est medium aliquod, & distantia aliqua nata est esse: horum autem non est differentia: nam in alio genere quorum connegationes, quare non vnum quod subiicitur.

Excludit dictum cauillationem.

Excludit dictam obiectionem, dicens, quòd *non est autem necesse hoc accidere*, scilicet quod ipsi dicunt, *enim* pro quia *connegatio*, id est, illa coniunctio negationum simul quæ constituit medium per abnegationem vtriusque, est *oppositorum, quorum est aliquod medium* per abnegationem, & *aliqua distantia nata est esse* inter ipsa, scilicet quasi inter extrema vnius generis, vt dictum fuit suprà, *horum autem* quæ, scilicet illa accipiunt, puta calcei & manus & similium *non est differentia*, id est, distantia talis: *nam sunt in alio genere quorum* conne

Non omnium indifferenter aequè rectè ponitur

medium per abnegationẽ.

connegationes, id est, simul ambę negationes accipiuntur supple ab eis pro medio: *quare non est vnũ subiectum susceptiuum*, scilicet priuationis vtriusque extremi, & per consequens medium non possunt habere, vt patet ex prædictis.

SVMMÆ SECVNDÆ CAP. V.

Quo pacto vnum, & multa opponuntur.

SVMMARIVM.

Quomodo *vnum* & *multa*, item *multum* & *paucum* opponuntur; benè explicatur: de varia acceptione *multi*, & differentia inter *multum* & *multa*. Doctor benè tradit.

T. c. 20.

Similiter etiam, & de vno, & multis dubitabit vt aliquis; nam si multa simpliciter vni opponuntur, accidunt quædam impossibilia: nam vnum paucum, aut pauca erit: nam multa, & paucis opponuntur.

58 *Prosequitur secundũ dubium de oppositione videlicet vnius ad multa, & paucorũ ad multa.*

Postquam Philosophus pertractauit primam dubitationem de oppositione æqualis ad magnũ, & paruum, nunc pertractat dubitationem secundam de oppositione *vnius ad multa.* Circa quod duo facit: quia primò procedit ad quæstionem arguendo: secundò veritatem determinando. Secunda ibi: *Vno quidem modo.* In prima parte intendit talem rationem. Si vnum & multa opponuntur; ergo vnum, & paucum sunt idem: consequens est falsum, ergo antecedens. Circa hanc sequentiam sic procedit, quòd primò probat consequentiam duplici ratione: secundò falsitatem consequentis. Secunda ibi: *Amplius si vt in longitudine.* Prima in duas secundùm duas rationes. Secunda ibi: *Amplius duo.* Prima ratio stat in hoc: quia vnum vni est contrarium; si igitur multa opponantur vni simpliciter absque aliqua distinctione, sequitur quòd vnum, & pauca sunt idem, cùm ipsi *multo* etiam opponatur *paucum.* Dicit ergo, assignans primò rationem dubitationis quòd *similiter autem dubitabit vtique aliquis de vno, & de multis* qualiter scilicet opponãtur: *nam si multa opponuntur vni simpliciter*, non distinguendo supple de multo, vt patebit inferiùs *accidunt quædam impossibilia.* Et subiungit primam rationem: *nam vnum erit pauca, namque* pro quia, *multa etiã opponuntur paucis*: & per consequens vnum & pauca erunt idem, cùm vnũ vni opponatur cõtrariè, vt superiùs deducebatur. Deinde cùm dicit:

Amplius ipsa duo sunt multa, si duplex multiplex: dicitur autem secundùm duo: quare vnum paucum: ad quid enim sunt multa ipsa duo, nisi ad vnum & paucum? nihil enim est minus.

59

Ponit secundam rationem, quæ talis est: Multa opponũtur paucis; sed duo sunt multa, quod patet; quia duplex est multiplex: per locum à coniugatis; ergo duo opponuntur paucis: sed duo non possunt esse multa ad aliquod paucum nisi ad vnum: quia nihil est minus duobus nisi vnum: ergo si multa opponuntur vni, sequitur quòd vnum erit paucum. Dicit ergo, quòd *amplius duo sunt multa, si* pro quia, *duplex est multiplex*: dicitur autem secundùm duo, scilicet, aliquid esse multiplex; *quare vnum erit etiam paucum: ad quid enim sunt duo multa, nisi ad vnum, & paucum?* quasi diceret, quòd non: *non enim est minus* aliquid supple duobus, nisi vnum. Deinde cùm dicit:

Amplius sicut in longitudine, & productũ, & breue, sic in multitudine multum, & paucum, & quodcunque fuerit multum, & multa, & multa multum si non ad aliquid fortè differant in continuo benè terminabili, paucum multitudo erit quædam, quare vnum multitudo quædam est, siquidem est. & paucum, hoc autem necesse, si duo sunt multa,

Vnum esse pauca ostendit ad impossibile.

Probat falsitatem consequentis sic: si vnum & paucũ sunt idem: ergo vnũ, & multa erunt idem, quod est euidenter falsum. Consequentiam probat ex hoc: quia sicut productum, & breue sunt passiones longitudinis: sic multum, & paucum sunt passiones pluralitatis: sed omne breue est quædam longitudo; ergo omne paucum est quædam pluralitas, & quoddã multum, & si multum, ergo multa: nam omne multum est etiam multa; nisi forsan in quibusdam humidis habeat instantiam, vt dicetur: si ergo vnum est paucum, & per consequens multum, sequitur quòd vnum erit multa: circa hoc autem sic procedit: quia primò ponit istam rationem. Secundò exponit quoddam suppositum. Secunda ibi: *Sed forsan.* Dicit ergo, quòd *amplius* si sic se habent multum, & paucum in pluralitate quòd *productum, & breue in longitudine, & quodcunque fuerit multum, & multa:* & èconuerso, quod est *multa* est etiam *multum*: *si nõ* pro nisi, i. nisi fortè *aliquid differat in continuo benè terminabili*, scilicet termino alieno, vt sunt humida: si inquam sic est, sequitur quòd omne *paucum erit quædam pluralitas: quare vnum est quædam pluralitas: siquidem* pro quia supple ipsum vnum supponitur in consequente quòd *sit paucum: hoc autem* quòd scilicet vnum sit paucum *est necesse si duo sunt multa*, vt superiùs dicebatur. Deinde cùm dicit:

Omnia pauca multa, & omne multũ multa præter quam in humidis.

60

Sed forsan multa dicuntur quidem, vt multum sed vt differens, velut aqua est multum; multa autem non; sed quæcunque diuisa in his dicuntur.

In continuò benè terminabili, non dicitur indifferenter multum, & multa: in aliis dicitur.

Exponit quoddam suppositum, scilicet, quòd omne quod est multum est multa, & èconuerso, nisi in cõtinuo benè terminabili, vt sunt humida. Dicit ergo; *sed forsan* in quibusdam, scilicet *dicuntur multa quidem vt & multum indifferenter*; sed supple in quibusdam *est differens*, scilicet multum, & multa veluti *aqua*, quæ scilicet dicitur *multa* si sit vna continua, & non dicitur multæ; *sed quæcunque in his sunt diuisa*, scilicet in actu dicuntur supple indifferenter multum & multa.

Quare in cõtinuis humidis dicitur multum, non multa, in aliis verò non.

Notandum, quòd huiusmodi humida quæ dicuntur à Philosopho benè terminabilia termino alieno, vt vinum, aqua, aër, & huiusmodi humida, quæ sic se habent quòd in ipsis est aliquod continuum, & dicitur multum, puta multa aqua, multum vinum; & hoc, quia propter facilitatem diuisionis sunt propinqua multitudini, vt superius dictum fuit. Veruntamen quando aliquid eorum est

continuum

continuum, sic dicitur esse multum singulariter, quòd non dicitur multa pluraliter, puta vna aqua continua dicitur multa aqua,& non multæ aque: sed in aliis non est sic : quia non dicuntur multa, nisi actu sint diuisa:lapis enim continuus non dicitur multus sed magnus: facta autem eorum diuisione non solùm dicitur quòd sit multum, sed etiam quod sit multa; & ideò in aliis continuis exceptis humidis,quæ sunt benè terminabilia termino alieno,non refert dicere multum, aut multa:ex quo sequitur conclusio principalis, quòd si vnum est multum;ergo vnum erit multa quod est euidenter falsum.Deinde cùm dicit:

Vno quidem modo si fuerit multitudo habēs excedentiam,aut simpliciter,aut ad aliquid;& paucum similiter multitudo defectum habens: hoc autem vt numerus,quod & opponitur vni solùm:ita enim dicimus vnum,aut multa,vt si quis dicat vnum, & pluraliter vna:aut albū, & alba,& mensura ad metrum, & mensurabile:sic & multiplicationes dicuntur : multa enim vnusquisque numerus : quia vnum, & quia mensurabilis vno vnusquisque, & vt quod opponitur vni non pauco; sic igitur sunt multa,& ipsa duo:vt autem multitudo habēs excedentiam, aut ad aliquid,aut simpliciter non sunt; sed multitudo sunt primum pauca simpliciter ipsa duo, multitudo enim est quod defectum habens prima.

61

Determinat veritatem dubitationis.Circa quod tria facit. Primò ostendit quòd *multum* aliter, & aliter opponitur *vni*, & *pauco*. Secundò exponit qualiter opponitur ipsi *vni*. Tertiò epilogat circa dicta. Secunda ponitur ibi:*Opponitur itaque vnū.* Tertia ibi : *Multitudo autem*. Prima in duas.Primò præmittit veritatem. Secundò ex dictis excludit quandam falsitatem. Secunda ibi: *Quapropter non rectè.*

Determinatio dubitationis de oppositione vnius *&* multi, *&* pauci. Multum *dupliciter accipi contingit.*

Ad euidentiam primæ partis,sciendum,sententiam huius partis in hoc stare, quòd *multum* potest considerari dupliciter. Vno modo vt significat multitudinem absolutè, & simpliter, puta vt est in se quidam numerus : & hoc modo opponitur *vni*, & non *pauco :* hoc etiam modo dualitas est quædam multitudo,& duo sunt multa. Alio modo potest considerari *multum*, vt significat multitudinem in respectu,scilicet secundùm quãdam excedentiam ad aliud,vel simpliciter, vel per respectum ad aliquid, vt dicetur; & hoc modo *multum* opponitur *pauco*,non *vni*:hoc etiam modo duo non sunt multa, sed pauca. Per hanc igitur distinctionem de *multo* cessat contrarietas controuersiæ supradictæ,factæ in arguendo : nam æquiuocat de *multo* sic vel sic accepto,sicut patet.

Al.conuenientiæ.

Dicit ergo, quòd supple ipsa multa dicuntur *vno quidem modo si fuerit pluralitas habens excedentiam,aut simpliciter,aut ad aliquid;& paucum similiter,dicetur pluralitas habens defectum*, id est, excessum à pluralitate excedente;*hoc autem* id est, alio modo *dicitur multum* supple absolutè *vt numerus*, qui dicitur quædam multitudo absolutè: & tunc supple multum *opponitur vni soli*, & non supple pauco:quia scilicet multum,siue multa,hoc modo dicta sūt quasi plurale huius quod est *vnū:* ideò subdit, quòd itaque *namque dicimus vnùm aut multa : vt si quis dicat vnum,& vna pluraliter:aut album,& alba,& mensura ad metrum, & mensurabile :* quatenus, scilicet mensuratur vno: vt dicetur infrà. Et subdit, quòd sic,id est, secundùm hanc acceptionem *dicuntur multiplicia*, scilicet à multis : *namque* pro quia, *vnusquisque numerus est multa* isto modo;ideò secundùm quemlibet numerum dicitur aliquid multiplex,vt à binario duplum, à ternario triplum, à quaternario quadruplum. Et subdit causam:quia quilibet numerus dicitur multa : *quia vnusquisque vnum*, id est, refertur ad vnum:*& quia* est *commensurabilis vno* ; *& hoc* supple multum *opponitur vni*, *non pauco:sic enim, & duo sunt multa:vt multa*,scilicet opponuntur vni:& duo sunt numerus quidam: *vt autem*,scilicet ipsum *multum est pluralitas habens excedentiam, aut ad aliquid : aut simpliciter non est*, id est, duo *non sunt* multa : sed ipsa duo sunt *primum simpliciter, & pauca:enim* pro quia, scilicet ipsa duo est quidem *pluralitas habens primum*, id est, *primò defectum* ; & per consequens dualitas est prima paucitas:quia nihil est paucius duobus:quia vnum non est paucum,cùm paucum sit pluralitas defectum habens, vt prædictum est.

Aliter multitudo *accipitur, vt opponitur* vni, *& aliter vt opponitur* pauco.

Dualitas est prima paucitas,& primus numerus, & multitudo.

Notandum, quòd *multum* vt est pluralitas habens excedentiam potest intelligi dupliciter, scilicet vt dicit pluralitatem excedentem simpliciter, vel per respectum ad aliquid : simpliciter quidem quando aliquid dicitur esse multum, quatenus excedit pluralitatem, quæ solet inueniri in rebus aliis sui generis,puta si dicatur : multum frigus, quando est frigus vltra communem cursum:sed dicitur per respectum ad aliquid : puta si decem equi dicantur multi per respectum ad quinque equos. Deinde cùm dicit :

62 *Paucū quid? Multum excedēs duplex. Multum dicitur per respectum ad paucum.*

Quapropter nec rectè destitit Anaxagoras cùm dixisset, quòd simul omnes res erant infinitæ,& multitudine,& paruitate : oportebat autē dicere pro & paruitate,& paucitate : non enim infinitæ : quoniam paucum non propter vnum,vt quidam dicunt;sed propter duo.

Ex dictis concludit quandam falsitatem,dicens *quapropter Anaxagoras non rectè affirmauit*, siue *destitit* à priùs dicto,dicens, *vel cùm dixisset:quia simul res omnes erant infinitæ & pluralitate*,id est, per additionē,*& paruitate*,id est,per diuisionem: & supple postea corrigens se dixit,quòd *oportebat autem dicere pro & paruitate, & paucitate*, & tunc supple dixit malè:*non enim sunt infinita*, scilicet res in paucitate : *quoniam* pro quia, *paucum non est propter vnum*, vt quidam dicunt, *sed propter duo:*vbi autem est dare primum, non est procedere in infinitum:& ideò res non essent infinitæ,vt dicebat.

Cōtra Anaxagoram.

Notandū,quòd,vt dictum fuit primo huius, Anaxagoras dixit generationē rerū fieri per intellectum segregantem res ab ipso vno chaos cōfuso, in quo posuit generationem infinitam : deinceps dixit res existentes in illo mixto habere infinitatem, sic quòd ante distinctionem rerum omnes res simul existentes erant infinitæ secundùm pluralitatem, & paucitatem : & quantùm ad hoc rectè dixit:nam in quantitate continua reperitur infinitum secundùm diuisionem : quam quidem infinitatem intelligebat per paruitatem : sed in quantitate discreta reperitur infinitum secundùm additionem, quam intelligebat per pluralitatem : cùm ergo hoc dixisset rectè,destitit ab hoc dicto,& affirmauit oppositū nō rectè: nam

63 *Imaginatio Anaxagoræ de rerum generatione. Infinitas aliter in continuis,& aliter indiscretis attenditur.*

nam postea visum fuit sibi quòd loco eius, quòd dixerat paruitatem, deberet dicere paucitatem: sed illa correctio est non recta: nam res non possunt esse infinitæ paucitate, cùm sit dare primum paucum, scilicet ipsa duo. Vbi autem est dare primum, in infinitum procedere nõ contingit. Quòd autem ipsum vnum non sit paucum, sicut nec multum, vel multa vt prædictum est, patet, quia aliter sequeretur quòd vnum esset multa: quod si sic; ergo aliquid esset minus vno, quod esset paucum; & iterum illud esset multum eadem ratione, & sic vlterius per infinitum, quod est absurdum ponere.

Vbi est primũ illud non est infinitum.

SVMMARIVM.

Vnum & *multa* opponi relatiuè tertio modo relatiuorum, ad eum modum quo scientia, & scibile. Item *multum* opponi *pauco*, vno modo; *vni* verò duplici modo.

T.com.21. 64

OPponitur itaque vnum multis, vt metrum mensurabili: hoc autem vt quæ ad aliquid quæcunque non secundùm se eorum quæ ad aliquid. Diuisum autẽ à nobis in aliis: quia dupliciter dicuntur quæ ad aliquid: alia namque vt contraria: alia vt scientia ad scibile; quia dicitur aliquid aliud ad ipsum.

Exponit in quo genere oppositionis opponitur *multum vni*. Circa quod duo facit: quia primò ostendit quòd *multum* opponitur *vni* relatiuè. Secundò comparat istam oppositionem ad illam qua opponuntur scibile, & scientia. Secunda ibi: *Similiter autem dicta*. Prima in tres. Primò proponit intentam conclusionem. Secundò tangit probationem. Tertiò concludit quoddam corollarium ex prædictis. Secunda ibi: *Vnum verò esse*. Tertia ibi: *Quapropter non omne*. Dicit ergo, quòd *opponitur itaque vnum multis vt metrum*, id est, mensura *mensurabili: hæc autem opponuntur vt ad aliquid: non tamen quæcunque sunt per se eorum quæ sunt ad ad aliquid*, id est, non sic intelligendo, quòd sint ad aliquid secundùm seipsa: *diuisum autem est à nobis in aliis*, scilicet in 5. huius cap. de Ad aliquid: *quia dupliciter dicuntur, quæ sunt ad aliquid: alia namque vt contraria*, id est, vt mutua relatiua, vt sunt, pater, & filius, quæ mutuò referuntur, & per se; & hæc dicit esse ad aliquid, vt contraria propter mutuitatem relationis: *alia verò* sunt ad aliquid, *vt scientia ad scibile: quia dicitur aliquid aliud ad ipsum*, id est, quòd referuntur non mutuò; sed alterum eorum dicitur ad aliquid; non quia ipsum referatur, sed quia èconuerso ad ipsum aliquid refertur; patet de scientia, & scibili, nam scibile non refertur ad scientiam, nisi quatenus ad ipsum scientia refertur.

Vnum, & multa opponuntur relatiuè.

T.com.20.

Relatiua duplicia.

Scibile vt refertur ad scientiam.

Notandum, quòd vt declaratum fuit 5. huius cùm sint tres modi relatiuorum; in solis duobus primis est relatio mutua, non sic in tertio modo; & ideò relatiua secundùm duos primos modos sunt relatiua secundum seipsa, quatenus vtrumque hoc ipsum quod est ad aliud dicitur, quare relatiua secundùm tertium modum non sunt relatiua secundùm seipsa propter causam positam: quia igitur *vnum* & *multa*, vt se habent sicut mensura, & mensurabile, referuntur tertio modo relatiuorum, non sunt de numero eorum, quæ secundùm seipsa sunt ad aliquid. Deinde cùm dicit:

In solis duobus primus modis relatiuorum est mutuitas.
Vnũ & multum pertinẽt ad tertiũ modum.

Vnum autem esse minus aliquo, puta duobus, nihil prohibet: non enim si minus, & paucum: multitudo autem quasi genus est numeri: est enim multitudo vno mensurabilis; & opponuntur aliqualiter vnum, & numerus, non vt contrarium; sed vt dictum est eorum quæ ad aliquid quædam: inquãtum enim metrum hoc, hoc autem mensurabile: sic opponuntur.

65

Tangit probationem dictæ conclusionis, & intendit talem rationem. Illa quorum vnum mensurat aliud, opponuntur relatiuè: sed *vnum* mensurat ipsum *multum*, quod est quidam numerus: nam numerus est pluralitas mensurabilis vno; ergo vnum, & multa opponũtur relatiuè. Dicit ergo quòd *nihil prohibet vnum esse minus aliquo vt duobus*, hoc autem dicit, quia de ratione mensuræ est, quòd sit aliquomodo vnum minimum; & quia dixerat suprà, quòd vnum non est paucum; quare in plus se habet minus quàm paucum, & *paucum est quoddã minus*, & addit quòd *pluralitas verò*, scilicet absolutè sũpta, quæ opponitur vni, vt prædictum est, quæ est genus numeri: est enim numerus pluralitas *mensurabilis vno, & opponuntur aliqualiter vnum, & numerus, non vt contrarium*, id est, non vt relatiua mutua; *sed sicut dictum est* opponuntur, vt scilicet *quædam eorum quæ sunt ad aliquid*, quæ scilicet non mutuò referuntur; sic autem supple opponuntur vnum, & numerus, siue vnum, & multa *inquantum vnum est metrum: hoc autem est, mensurabile*, scilicet numerus, siue multum.

Numerus quid?

Probat vnum & multa opponi relatiuè.

Vnum est metrum numeri.

Notandum, quòd quidam expositor exponẽs istam litterã, dicit quòd pluralitas, vel multitudo absoluta, quæ opponitur vni, quod conuertitur cum ente, est quasi genus numeri: quia numerus nihil aliud est quàm pluralitas mensurata vno; ita quòd vnum secundùm quòd simpliciter dicitur ens indiuisibile, conuertitur cum ente: secundùm autem quòd accipit rationem mensuræ determinatur ad genus Quantitatis, in qua propriè inuenitur ratio mensuræ. Similiter pluralitas, secundùm quòd significat entia diuisa, non determinatur ad aliquod genus: secundùm autem quòd significat aliquod mensuratum, determinatur ad genus Quantitatis, cuius species est numerus; ideò dicit: *numerus est pluralitas mensurata vno*, & quòd pluralitas est quasi genus numeri, non quòd simpliciter sit genus. Sicut enim ens non est genus propriè loquendo; sic nec vnum, quod conuertitur cum ente, nec pluralitas ei opposita; sed est quasi genus: quia habet aliquid de ratione generis, inquantum est communius. Hæc ille.

S.Thom. 66

Sed hæc expositio deficit: quia numerus non solùm reperitur in genere Quantitatis, qui scilicet causatur ex diuisione continui; sed est etiam numerus transcendens, cuius principium est vnum, quod conuertitur cum ente, vt dictum fuit 4. huius cap. de Vno. Falsum ergo est dicere, quòd vnum, vt est mensura, & pluralitas, vt est aliquid mensuratum, sint determinati generis: quia in quolibet etiam genere est aliquod vnum, quod est mẽsura. Omnis ergo multitudo, quocunque modo sumpta, est quidam numerus, & vnum principium

Impugnat expositionem. S Thomæ.
Numerus & vnum accipiuntur dupliciter.

Quomodo pluralitas genus est numeri.

pium numeri,& per consequens mensura. Dicitur autem pluralitas esse genus numeri non propriè; & ideò dicitur quasi genus:sed forsan pro tanto, quia ratio pluralitatis videtur absolutior ratione numeri : quia numerus videtur addere rationem mensurabilis super pluralitatem : licèt omnis numerus sit pluralitas,& omnis pluralitas sit numerus aliquis, saltem transcendens : teneatur ergo prima expositio. Deinde cùm dicit:

67

Quapropter non omne quodcunque fuerit vnũ, numerus est,puta si quid indiuisibile est.

Concludit quoddam corollarium ex prædictis, dicens *quapropter* quia supple ita est,quòd *vnum, & multa*,siue numerus, non habent mutuam dependentiam,quia vnum potest esse sine altero, & nó èconuerso,ideò sequitur quòd *non omne quodcumque fuerit vnum,numerus est*, id est,quòd licèt si est numerus,sequitur,quòd sit vnum;non tamen èconuerso, quòd vbicunque est vnum,est numerus,*vt* si quid est indiuisum, *vel indiuisibile*,puta punctus, vel aliquod aliud, quod est vnum : ibi enim est vnum non tamen numerus : per oppositum intelligendum est de relatiuis, quæ mutuò referuntur:nam ibi neutrum potest esse sine reliquo : non enim est filius sine patre, nec èconuerso. Deinde cùm dicit:

Ad esse numeri,vel multitudinis sequitur esse vnius,non è contra.

Similiter autem dicta scientia ad scibile non similiter assignatur; videbitur enim vtique scientia metrum esse scibile, verò quod mensuratur,

Comparat oppositionem, quæ est inter vnum, & multa ad illam, quæ inter scibile ad scientiam. Circa quod duo facit. Primò proponit veritatem. Secundò assignat causam dicti.Secunda ibi: *Accidit autem.* Dicit ergo, quòd *ipsa scientia dicta ad scibile similiter*,sicut supple dicitur multa,vel numerus ad vnum secundùm rei veritatem, non tamen *similiter assignatur*, scilicet à quibusdam,quia,vt dicebatur superiùs,*videbitur vtique*, supple Pythagoricis *scientia esse metrum*, id est, mensura:*scibile verò, quod mensuratur:* hoc autem est falsum, vt suprà ostensum fuit. Deinde cùm dicit;

Sicut scientia ad scibile sic numerus ad vnum comparatur, sed Pythagoras oppositũ sensit.

68

Accidit autem quidem scientiam omnem scibile esse, scibile verò non esse scientiam, quia modo quodam scientia mensuratur scibili,

Assignat causam dicti, dicens, quòd *accidit omnem scientiam esse alicuius scibilis*; ita quòd si est scientia, oportet quòd sit scibile:*scibile verò non omne esse scientiam:* quia,scilicet non sequitur quòd si est aliquodscibile,quòd sit scientia de eó: cuius causam subdit, quia *scientia modo quodam mensuratur scibili :* nunc autem sic est, quòd si est mensura, non necesse est esse mensuratum ; sed èconuerso ; sicut si est vnum, non necesse est esse numerum,sed benè èconuerso,vt priùs dictum est. Ex quo sequitur quòd scibile sit mensura scientię, & non èconuerso, quod est contra Pythagoram. Deinde cùm dicit:

Scientia ad scibile quo modo? Mensuratum dependet à mensura, & non èconstra.

Multitudo autem nec pauco est contraria, sed huic quidem multum,sicut excedens multitudo excessæ multitudinis,neque ipsi vni omninò,sed hoc quidem,vt dictum est,quia diuisibile,illud autem,quia indiuisibile, hoc vt ad aliquid, vt scientia scibili si fuerit numerus. vnum verò metrum.

Epilogat circa dicta,dicens,quòd *multitudo*,siue *pluralitas*,vt habet alia litera:si supple sumatur absolutè, & simpliciter,*nec est contraria pauco:sed* supple opponitur vni,vt præostensum est : *verùm* pro sed, *huic*, id est, pauco,quod significat pluralitatem *excessam*, *opponitur* supple multum : *sicut pluralitas excedens opponitur pluralitati excessæ:* nec opponitur supple *ipsi vni omninò :* secundùm istum modum:& subdit,*sed hoc quidem,vt dictum est*, scilicet multum, opponitur vni dupliciter. Vno modo quòd *hoc quidem*, scilicet multum, est *diuisibile:illud verò*,scilicet vnum,*quia indiuisibile , & hoc* id est, alio modo : quia *vt ad aliquid*, id est, opponuntur relatiuè,*vt scientia* opponitur *scibili*,, & hoc *si* supple multum *fuerit* pluralitas: quæ est *numerus, vnum verò* fuerit *metrum*,id est, mensura:tunc enim vnum & multa se habebunt, vt mensura, & mensuratum, & per consequens erunt opposita relatiuè:hæc autem omnia ostensa sunt superiùs.

Epilogus.

Qualiter multum pauco simpliciter, vni verò dupliciter opponitur?

Notandum, quòd ex prædictis patet ista conclusio, quòd idem potest opponi eidem alia, & alia specie oppositionis secundùm aliam,& aliam rationem accepta:nam *vnum*, & *multa* opponuntur contrariè,sicut diuisibile,& indiuisibile,& absolutè concepta habent huiusmodi rationes, scilicet esse diuisibile, vel indiuisibile, quæ sunt rationes absolutę,opponuntur etiam relatiuè,secundùm quòd vnum habet rationem mensuræ, & alterum habet rationem mensurati,

Vnum vni diuersimodè opponi contingit.

SVMMÆ SECVNDÆ

CAP. VI.

Media contrariorum in eodem genere cum ipsis contrariis esse, ac ex ipsis componi.

SVMMARIVM.

Media esse ex contrariis, atque eiusdem generis cum extremis. Item mutationem per se tantùm esse inter opposita:& inter oppositionis species, sola contraria habere media.

QVoniam autem contrariorum contingit medium esse aliquid,& quorundam est necesse ex contrariis esse.

T.com.22. 69

Postquam Philosophus determinauit de contrariis quantùm ad extrema, nunc agit de contrariorum mediis. Circa quod duo facit. Primò proponit intentam conclusionem. Secundò exequitur eius probationem. Secunda ibi : *Omnia namque media.* Dicit ergo, quòd *quoniam contingit aliquid esse medium contrariarum, & quorundam*, scilicet contrariorum est medium vt superiùs dictum fuit:quia inquam sic est, *necesse est* media *esse ex contrariis.* Deinde cùm dicit :

Sermo de mediis contrariorum.

Media ex contrariis esse est necesse.

Omnia namque media in eodem sunt genere, & quorum sunt media; media enim hæc dicimus in quacumque permutari priùs est necesse quod permutatur, vt ab hypate in neten, nisi transit per minimam rationem, priùs veniet ad medios sonos. Et in coloribus si veniet ex albo in nigrum priùs veniet ad puniceum, & plumbeum, quàm ad nigrum; similiter autem, & in aliis.

Exequitur de intento. Circa quod duo facit: quia primò probat quædam præambula necessaria ad dictam conclusionem principalem, quam præmisit. Secundò præostensis quibusdam necessariis, accedit ad ostendendum conclusionem principalem, quam intendit. Secunda ibi: *Si verò sunt in eodem genere.* Prima in duas: quia primò probat quòd media sunt vnius generis cum extremis. Secundò quòd media sunt tantùm inter opposita. Secunda ibi: *At verò omnia media.* In prima parte intendit talem rationem: Omnis mutatio est inter ea quæ sunt eiusdem generis; sed medium est illud per quod, vel in quod fit mutatio in extremum; ergo media sunt eiusdem generis cum extremis: de ista ratione primò ponit minorem. Secundò maiorem. Tertiò conclusionem. Secunda ibi: *Permutari verò.* Tertia ibi: *Necesse est ergo* Dicit ergo primò, quòd *omnia namque media*, & etiam extrema supple *quorum sunt media, sunt in eodem genere:* cuius probationem subdit: *media enim hæc dicimus in quacunque permutari priùs est necesse quod permutatur*, scilicet ab extremo in extremum: hæc autem fuit minor rationis, quam declarat in duplici exemplo. Primum est in sonis dicens, vt si aliquis transit *ab hypate in neten* per mediam rationem *veniet prius ad medios sonos.*

Media sunt eiusdem generis cum extremis. Medium quid?

Ad cuius euidentiam nota, quòd in sonis quidam sunt graues, & quidam acuti, & quidam medij, & secundùm hanc distinctionem sonorum distinguuntur chordæ in musicis instrumentis: illæ enim chordæ quæ reddunt graues sonos dicuntur hypate: illæ verò quæ reddunt sonos acutos dicuntur nete, vt etiam dictum fuit quinto huius, cap. de Priori: text.com.16. si ergo aliquis musicus vult descendere paulatim, & ordinatè à sonis grauibus ad acutos, quod est transire per mediam rationem, oportet, quòd priùs veniat ad medios sonos. Secundum exemplum est in coloribus dicens, quòd *in coloribus si veniet*, id est, si aliquid mutatur *ex albo in nigrum, priùs veniet ad puniceum, & plumbeum quàm ad nigrum: similiter autem est*, *& in aliis* supple mediis. Deinde cùm dicit:

70 Hypate & nete quid?

Transitus ad extrema est per media.

Permutari verò ex alio genere in aliud genus non est nisi secundùm accidens, vt ex colore in figuram; necesse est ergo media, & quorum sunt media in eodem genere esse.

Ponit maiorem rationis dicens, quòd *non est*, id est, non contingit *permutari ex alio genere in aliud genus, vt ex colore in figuram, nisi fortè per accidens*, puta si mutationem in colore concomitatur mutatio in figura: per se autem fit mutatio è colore in colorem, & à figura in figuram: ex hoc ergo habetur maior rationis, scilicet quòd omnis mutatio est inter ea quæ sunt eiusdem generis. Vltimò infert conclusionem, dicens, quòd *necesse est ergo media, & extrema quorum sunt media, in eodem genere esse.* Deinde cùm dicit:

Inter altera genere per accidens mutari contingit.

71

At verò omnia media sunt oppositorum quorundam, ex his enim solis secundùm se est permutari; quapropter impossibile esse media non oppositorum, esset enim permutatio, & non ex oppositis.

Probat secundum præambulũ necessariũ. Circa quod duo facit: quia primò ostendit quòd media sunt oppositorum. Secundò ostendit quorum oppositorum sint. Secunda ibi: *Oppositorum verò.* In prima parte intendit talem rationem: Omnis mutatio est inter ea, quæ sunt opposita: sed medium est eorum inter quæ est mutatio; ergo medium est oppositorum. Dicit ergo, quòd *at verò omnia media sunt quorundam oppositorum: enim* pro quia, *ex his solis*, id est, ex oppositis *est*, id est, contingit *secundùm se permutari: quapropter impossibile est media esse non oppositorum:* quia supple si non esset oppositorum permutatio, *esset ex non oppositis*, quod est falsum.

Oppositorum est duntaxat medium.

Notandum, quòd vt habetur primo, & 5. Physic. text.com.43. & inde. & alibi sæpè, omnis mutatio est inter opposita, per se loquendo: ex nigro enim per se fit album, & ex amaro dulce: album autem non fit ex dulci, per se loquendo, nisi fortè per accidens, quatenus dulce contingit esse nigrum ex quo nigro fit per se album, & ideò ait Philosophus, *quod ex his solùm*, id est, ex oppositis secundùm se est, id est, contingit permutari. Deinde cùm dicit:

T.com.16. & inde. Mutatio per se est ex oppositis.

Oppositorum verò contradictionis quidem medium non est, hæc enim est contradictio oppositio, cuius cuiuscunque altera pars adest non habentis vllum medium, cæterorum verò alia ad aliquid, alia vt priuatiua, alia contraria, eorum autem quæ ad aliquid quæcunque non contraria non habent media, causa verò, quia non in eodem genere sunt, quid enim scientia, & scibilis medium? sed magni, & parui.

72

Ostendit quorum oppositorum sunt media: quia scilicet contrariorum, & hoc declarat inductiuè, dicens quòd *oppositorum verò ipsius contradictionis quidem non est medium: hæc enim contradictio est oppositio, cuius cuicunque altera pars adest non habentis medium vllum*, siue enti, siue non enti, vt dictum fuit suprà. Contradictoria ergo non habent medium: *cæterorum verò oppositorum alia sunt ad aliquid, alia priuatio*, id est, priuatio & habitus: alia sunt *contraria: eorum autem quæ sunt ad aliquid quæcunque non contraria*, id est, quæcunque non mutuò referuntur *non habent medium: causa verò huius est:* quia talia relatiua *non sunt in eodem genere:* alia autem non mutua dicuntur non esse in eodem genere: quatenus alterum tantùm secũdùm se refertur, & alterũ nõ; ideò subdit, *quid enim est medium scientiæ, & scibilis?* quasi diceret, quòd nullum: *sed magni, & parui*, quæ sunt contraria, est supple medium æquale, vt superiùs dicebatur.

Contradictiorum quid?

Quorum oppositorum datur medium secundũ formam, & quorum non?

Notandum, quòd Philosophus loquitur hîc de medio secundùm formam: tali autem medio carent contradictoria: carent etiam relatiua quæcunque

Resolutio dictorum.

cunque siue sint contraria, siue non contraria: licèt de non contrariis probet hîc Philosophus in litera. Priuatiuè etiam opposita carent etiam tali medio, vt superiùs dictum fuit: relinquitur ergo per diuisionem, quòd sola contraria propriè habent medium secundùm formam, & tamen non dico quòd omnia contraria habent tale medium: cùm quædam eorum sint immediata, sed èconuerso est verũ, quòd omnia talia media sunt contrariorum: qualiter autem tam relatiua, quàm priuatiuè opposita habent medium secundùm subiectum, & qualiter contradictoria carent omni medio, dictum fuit suprà.

SVMMARIVM.

Species contrarias habere alia contraria priora se, & species medias habere alia priora media; Item media componi ex extremis, quod tripliciter probatur.

T. com. 23. 73

SI verò sunt in eodem genere media, vt ostensum est, & media contrariorum, necesse ipsa componi ex his contrariis: nam aut erit aliquod genus ipsorum aut nullum: & si quidem genus erit, ita vt sit prius aliquid contrarius, differentiæ priores contrariæ, erunt facientes species contrarias vt generis: ex genere enim, & differentiis species, vt si album, & nigrum contraria: est autem hic quidem disgregatiuus; ille verò congregatiuus color: hæ differentiæ, congregatiuum, & disgregatiuum priores. Quare hæc contraria inuicem priora: at verò contrariæ differentiæ magis sunt contraria.

Præmissis quibusdam necessariis accedit ad ostendendum conclusionem principalem. Circa quod duo facit. Primò ostendit, quòd omnes species contrariæ habent aliqua contraria priora se. Secundò ostendit, quòd species mediæ habent aliqua media priora se. Tertiò ostendit, quòd huiusmodi media sunt composita ex extremis, quod est principaliter intentum. Secunda ibi: *Et reliqua media.* Tertia ibi: *Prima autem differentiæ.* Dicit ergo, concludens ex prædictis quòd *si verò media sunt in eodem genere* cum extremis; *vt ostensum est*; & iterum *media sunt contrariorum* solùm: vt etiam probatum est, *necesse est ipsa*, scilicet media, *componi ex his contrariis*, scilicet extremis: hæc est conclusio principaliter intenta: & subdit, ostendens quòd species contrariæ habent aliqua contraria priora se, ex quibus constant: *nam aut erit aliquod genus ipsorum*, scilicet contrariorum *aut nullum*; & supple non est dicendum, quòd nullum, quia tunc non haberent medium, cùm medium non sit nisi eorum, quæ sunt eiusdem generis, vt dictum est; & *si quidem erit genus*, scilicet contrariorum sicut oportet dicere, *ita vt sit aliquid prius ipsis contrariis*, scilicet genus: oportet quòd *differentiæ* contrariæ *priores*, scilicet speciebus contrariis *erunt facientes*, id est, constituentes *species contrarias vt generis*, id est, ex ipso vno genere: *ex genere enim & differentiis species* supple constituuntur, quod patet per exemplum, *vt si album, & nigrum sunt contraria*, id est, species contrariæ habentes supple aliquod idem genus, puta colorem: *est autem hic quidem*, id est, album *disgregatiuus color: ille autem*, id est, nigrum *congregatiuus* color oportet quòd *differentiæ*, scilicet *congregatiuum, & disgregatiuum sint priores*, scilicet quàm album, vel nigrum: quare, quia supple hîc & ibi est contrarietas, sequitur quòd hæc omnia contraria sunt se inuicem priora: quia, scilicet differentiæ contrariæ sunt priores, quàm species contrariæ, cùm sint principia ipsarum: *at verò etiam differentiæ contrariæ erunt magis contraria*; quatenus scilicet sunt causa contrarietatis ipsis speciebus, & propter quod vnumquodque & ipsum magis. Deinde cùm dicit:

Resumit iam dicta.

Species contraria habẽt priora contraria.

Species vnde constituitur.

Propter quid vnũquodque tale & illud magis.

74

Et reliqua, & media ex genere erunt, & differentiis: vt quicunque colores albi, & nigri sunt medij, oportet hos ex genere dici: est autem genus color, & ex differentiis quibusdam, hæ verò non erunt prima contraria: si autem, non erit vnusquisque aut albus, aut niger: altera igitur media, ergo primorum contrariorum hæ erunt.

Ostendit quòd species mediæ habent etiam aliqua priora se ex quibus constant, dicens, quòd *reliqua media erunt ex genere, & differentiis*: ex eo, scilicet quòd media sunt species eiusdem generis, & omnis species constat ex genere, & differentia, *vt quicunque colores sunt medij albi, & nigri, oportet hos dici*, id est, constitui, & diffiniri *ex genere: est autem genus color, & etiam ex quibusdam differentiis*, scilicet constituuntur medij colores: *hæ verò*, scilicet differentiæ ex quibus constituuntur medij colores, *non erunt principia contraria*, id est, illæ differentiæ, quæ constituunt species contrarias, puta album, & nigrum: *si autem* quilibet, scilicet color medius *non erit aut albus, aut niger*, quia illæ primæ differentiæ, puta congregatiuum, & disgregatiuum cum genere, quod est color, non constituunt nisi album, vel nigrum: *altera igitur*, id est, quòd oportet igitur quòd differentiæ constituentes medios colores *erunt media primorum contrariorum*: cuius ratio est: quia sic se habent differentiæ ad differentias, sicut species ad species: quia igitur colores medij sunt species mediæ inter contrarias species; sequitur quòd eorum differentiæ constitutiuæ sint mediæ inter contrarias differentias: quæ prima cõtraria dicuntur; & ideò inter congregatiuum visus, & disgregatiuum, dato quòd sint differentiæ contrariæ constitutiuæ albi, & nigri, erunt aliquæ differentiæ mediæ constitutiuæ colorum mediorum, sicut *A, B, C*, Deinde cùm dicit:

Species mediæ habẽt media priora.

Al. prima vel propria.

Sicut dantur species mediæ sic & differentiæ, quare non omnes differentiæ sunt propriè contraria.

75

Primæ autem differentiæ congregatiuum, & disgregatiuum, quia hæc prima sunt. Quærendum autem quæcunque contraria non in genere, ex quo media ipsorum, necesse enim quæ sunt in eodem genere ex incompositis genere componi, aut incomposita esse, contraria namque incomposita sunt ex inuicem; quare principia.

Ostendit quòd huiusmodi media contrariorum sunt composita ex extremis, & diuiditur in tres,

tres, secundùm quòd innuit tres rationes ad probandum intentum. Secunda ponitur ibi: *Sed quæ sũt media.* Tertia ibi: *Quoniã autẽ non sunt altera.* In prima parte intendit talem rationem. Illa quæ sunt simplicia in vnoquoque genere sũt principia componentia aliorum in illo genere: sed extrema contrariorum sunt simplicia in illo genere; ergo &c. & per consequens media contrariorum erunt composita ex extremis. Probatio minoris: quia extrema contrariorum non sunt composita ex inuicem, nec ex mediis: quia iam non maximè distarent; ergo sunt simplicia, & hoc est quod dicit, quòd *prima autem differentiæ* supple in genere colorum sunt *disgregatiuum, & cõgregatiuum,* & per consequens, *hæc sunt prima* ex quibus, scilicet componuntur omnes species generis. Et subdit, quòd *quærendum autem quæcunque contraria non in genere ex quo media ipsorum:* alia altera habet sic, *quæcunque verò contraria non sunt in genere ex aliquo sũt mediorum, vel ipsorum,* in his autem quæ sunt in eodem genere facilè est hoc videre; vnde subdit, quòd *necesse namque est ea quæ sunt in eodem genere aut componi ex incompositis,* id est, ex simplicibus, *aut incomposita esse*, id est, simplicia: hæc fuit maior rationis, & subdit, *contraria namque sunt incomposita adinuicem*, quia vnum non componitur ex reliquo: *quare erunt principia* ex quo sunt simplicia, & per consequens ex ipsis componuntur media. Deinde cùm dicit:

Media contrariorum cõponi extremis probat.

Contraria sunt simplicia & principia, media verò composita, & principiata.

76 *Quæ autẽ intermedia, aut omnia, aut nullum: ex contrariis verò fit aliquid: quare erit trãsmutatio in hoc prius quàm in ipsa; vtriusque enim & minus erit, & magis: medium igitur erit hoc contrariorum? & alia igitur omnia composita quæ sunt media: nam huius quidem magis: illius verò minus compositum est aliqualiter, ex illis quorum dicitur esse: huius quidem magis: illorum verò minus.*

Ponit secundam rationem, quæ talis est: Aut omnia media sunt composita ex extremis, aut nullum: quia qua ratione vnum, & aliud: sed aliquod medium est compositum ex extremis: quia cùm est transitus ab extremo in extremum per medium, ipsum medium videtur habere plus de vno extremo quàm de alio, vel saltem æqualiter aliquid de vtroque, puta in puncto medij; ergo &c. & hoc est, quod dicit, quòd *quæ sunt media, aut omnia* supple sunt composita ex extremis; *aut nullum*, quia eadem est ratio de omnibus. Et subdit, quomodo aliquod est medium ex extremis, dicens: quòd *aliquod* supple medium *fit ex contrariis* extremis: *quia erit transmutatio prius in hoc*, id est, in medium *quàm in ipsa*, scilicet contraria extrema: *vtriusque enim & minus erit, & magis*, id est, quod participat aliquid de vtroque extremo secundùm magis, & minùs: cùm enim aliquid mutatur de albo in nigrum, vel èconuerso prius fit minùs album, vel minùs nigrum, quàm perfectè album, vel nigrum. Ex quo infert; ergo *hoc tale* in quod, scilicet prius venit minùs, & quod participat extrema secundùm magis, & minùs *erit etiam medium contrariorum*; ergo sequitur, quòd *talia omnia quæ sunt media sunt composita*, scilicet ex extremis, nã illud, scilicet medium quod *huius quidem*, scilicet extremi est *magis: illius verò minus, est compositum aliqualiter ex illis quorum dicitur esse, huius quidem magis, illius verò minùs*, ex quo patet quòd media contrariorum sunt aliqualiter composita ex contrariis simplicibus, & extremis. Deinde cùm dicit:

Transitus inter contraria fit per mediũ nunc æqualiter participãs, nunc inæqualiter extrema.

77 *Quoniam autem non sunt altera priora eiusdem generis contrariis; omnia vtique ex contrariis media erunt: quare & inferiora omnia, & contraria, & media ex primis contrariis erunt.*

T. com. 24. *Quod quidem igitur media; & in eodem genere omnia, & intermedia contrariorum, & componuntur ex contrariis omnia, palàm.*

Ponit tertiam rationem quæ talis est: Illa quæ sunt priora in vnoquoque genere sunt principia componentia posteriorum: sed extrema contrariorum sunt priora in suo genere; ergo &c. Dicit ergo, quòd *quoniam non sunt altera priora contrariorum eiusdem generis*, id est, quàm contraria in eodem genere, sequitur quòd *omnia vtique media erunt ex contrariis*: ex quo concludit vlterius, *quare & inferiora*, supple ipso genere, *& contraria, & media*: id est, omnes species illius generis, tam contrariæ quàm mediæ *erunt* ex his *contrariis*, id est, *ex primis* differentiis contrariis; sequitur enim quòd si species mediæ sunt ex speciebus contrariis: species autem contrariæ sunt ex primis differentiis contrariis; ergo generaliter omnes species tam mediæ, quàm contrariæ, & extremæ erunt ex primis contrariis differentiis. Vltimò epilogat, dicens, quòd *quidem igitur media* supple sint contrariorum, & quòd *in omni eodem genere sunt omnia media contrariorum*, & quòd *omnia componuntur ex contrariis, palàm est*, scilicet ex dictis.

Componentia sunt priora compositis. Omnes species eiusdem generis sunt ex contrariis.

Epilogus.

SVMMÆ SECVNDÆ

Cap. VII.

Differentiam, seu diuersitatem secundùm speciem contrarietatem esse.

SVMMARIVM.

Explicat quid est esse diuersum specie; & inter opposita, sola contraria esse eiusdem generis, sed diuersa specie. Species autem ad suum genus comparatas nec esse eiusdem, nec diuersæ speciei.

78 *Diuersum autem specie ab aliquo diuersum est, & oportet hoc ambobus inesse, vt si animal diuersũ est specie: ambo animalia. Necesse ergo in eodem genere esse diuersa specie: tale enim genus voco, quo ambo vnum, & idem dicuntur, non secundùm accidens habens differentiam, siue vt materia ens, siue aliter: non solùm enim oportet commune existere, puta ambo animalia; sed & alterum vtrilibet hoc ipsum animal, & hoc quidem equum: illud verò hominem, propter quod hoc commune diuersum ab inuicem est specie. Erit itaque secundùm se; hoc quidem tale animal, illud*

verò

verò tale, vt hoc quidem equus, illud verò homo. Necesse ergo differentiam hanc diuersitatem esse generis; dico enim generis differentiam diuersitatem quæ diuisum facit hoc ipsum.

Postquam Philosophus determinauit de natura contrarietatis, ostendens quid sit, quia scilicet est differentia maxima; nunc inquirit, quæ differentia, vtrùm contraria differant, scilicet genere, vel specie. Circa quod duo facit. Primò determinat veritatem. Secundò mouet quædam dubia circa dicta. Secunda ibi: *Dubitabit autem aliquis.* Prima in duas. Primò ostendit quòd contraria differunt spècie, non genere. Secundò ex dictis concludit quasdam conclusiones. Secunda ibi: *Quare palàm.* Prima in duas. Primò ostẽdit quòd differentia secundùm speciem est propriè ipsius generis distincti per species. Secundò ostendit quòd contraria sunt huiusmodi, quæ differunt secundùm speciem. Secunda ibi: *Contrarietas igitur.* Dicit ergo, quòd *diuersum verò specie,* id est, quod in diuersitate secundùm speciem, illud quod est diuersum *ab aliquo est diuersum, & oportet hoc,* scilicet genus diuersificatum *inesse ambobus,* scilicet speciebus diuersis: hîc enim duo requiruntur, quòd scilicet diuersa specie conueniant in vno genere, & tamen quòd inter se inuicem distinguantur, *vt si animal est diuersum specie,* id est, diuersificatum in suas species, puta in hominem & equum, *oportet quòd ambo,* scilicet homo, & equus *sint animalia; ergo ea quæ sunt diuersa specie, necesse est esse in eodem genere: talè namque voco genus quo ambo* species, scilicet, quæ sunt diuersæ, vt homo, & equus *dicunt vnum idem: non secundùm accidens,* id est, quòd prædicatur de ambobus, & diuersificatur in ambo: *non secundùm accidens,* quod supple genus est habens differentiam, scilicet *non secundùm accidens,* siue supple ipsum genus *sit ens vt materia siue aliter.* Et subdit exponens quod dixerat, scilicet quòd genus est illud quo ambo differentia specie dicuntur vnũ & idem: *non solùm enim oportet ipsum* supple genus *existere commune,* scilicet ambobus differentibus specie, *vt ambo sint animalia:* sicut aliquod indiuisum commune pluribus; *sed oportet alterum vtrique ipsum animal,* id est, quòd ipsum animal, quod est genus oportet esse alterum, & diuersificatum in ambobus, *vt hoc quidem esse equũ: illud verò hominem: quapropter hoc commune,* scilicet genus *est diuersum ab inuicem specie:* nam commune diuersificatur in speciebus: *erit itaque secundum se hoc quidem tale animal: illud verò tale, vt hoc quidem equus: illud verò homo,* ita quòd ipsum commune, quod est animal, secundùm se est vnum secundùm vnam differentiam, & aliud secundùm aliam; ex quo infert, *ergo necesse est hanc differentiam,* scilicet secundùm speciem *esse diuersitatem generis,* & exponit quid intelligit per diuersitatem generis, dicens: *dico enim differẽtiam generis diuersitatem* inquantum facit, vel *quæ facit diuersum hoc ipsum,* scilicet genus.

In diuersitate specifica duo concurrunt.

Al. Vtrilibet.

Genus diuersificatur in speciebus.

Diuersitas generis quid:

79 *Resolutio dictorum.*

Notandum, quòd ex hac littera colligitur duplex conclusio. Vna est, quòd genus non est aliquid separatum ex quo natura generis realiter distinguitur, & diuersificatur per species, quod est contra Platonem, qui posuit vniuersalia separata; quasi ipsa natura communis non diuersificetur in inferioribus, quod tamen falsum est: ostensum enim est in 7. huius, quæstione de conceptu generis, quòd licèt conceptus generis sit vnus in se, & alius à conceptibus specierum: tamen vt distinguitur in species est alius, & alius in diuersis. Secunda conclusio est, quòd ipsum genus est realiter distinctum in species, vt tactum est: cuius oppositum aliqui posuerunt, dicentes, quòd anima sensibilis à quo sumitur genus animalis, non differt specificè in homine, & equo, quod patet esse falsum ex prædictis.

Notandum etiam, quòd licèt genus sumatur à materia, vel ab eo, quod est materiale in re; non tamen se habet omnino, vt materia: nam materia non significat totum compositum, nec prædicatur de materiato prædicatione quiditatiua, & dicente, hoc est hoc; sed prædicatione denominatiua, & dicente, hoc est illud: vt patet ex 7. & 9. huius: text. com. 24. genus enim licèt sumatur à re quæ est materia, vel à realitate materiali, quæ est ex parte rei: tamen dicitur significare totam speciem, & prædicatur de specie, prædicatione quiditatiua, & dicente, hoc est hoc. Et dicit Philosophus, quòd genus est habẽs differentiam, & diuersificatur per species, siue sit ens, vt materia; siue aliter quomodocunque: quia non est omnino simile de materia & de genere, vt est dictum. Deinde cùm dicit:

Quomodo cõueniunt & differunt materia & genus?

T. com. 13.

Hoc idẽ sup. lib. 5. n. 50.

80

Contrarietas igitur erit hæc, palàm autem, & ex inductione, omnia enim diuiduntur oppositis.

Ostendit contraria differre specie, & hoc dupliciter. Primò inductiuè & à diuisione. Secundò syllogisticè. Secunda ibi: *Et quod cõtraria.* Dicit ergo, quòd *hæc igitur* supple differentia diuersificans ipsum genus modo dicto, est *contrarietas, palàm autem, & ex inductione: omnia namque* supple genera *diuidũtur per opposita,* & nonnisi per contraria: quod sic ostenditur: quia contradictoria non sunt necessariò in eodem genere, cùm negatio, scilicet nihil ponat: similiter, & priuatiuè opposita, nam priuatio formaliter non est aliud quàm negatio in subiecto. Relatiua etiam non sunt in eodem genere, nisi quæ mutuò referuntur, & talia sunt aliqualiter cõtraria, vt prædictũ est, sed illa per quæ genus diuiditur, sunt eiusdem generis; ergo genus non diuiditur per opposita aliquo trium modorum prædictorum; ergo relinquitur per diuisionem, quod genus per sola contraria diuidatur, quę faciunt differre specie ea, quæ sub vno genere continentur: hanc autem rationem tangit Philosophus, nec tangit eam, nisi in virtute, patet.

Contrarietatem esse differentiã specificam ostendit.

Sola opposita contraria sũt necessariò eiusdem generis.

Notandum, quòd causa quare genus diuiditur tantùm per opposita assignatur ista: quia eis, quæ non opponuntur, non repugnat simul esse in eodem: sed ea, quæ simul possunt esse, non possunt esse diuisiua generis, cùm ea per quæ genus diuiditur sint necessariò in diuersis, & ideò omnis diuisio, etiam cuiuscunque communis, oportet quòd fiat per ea, quæ aliqualiter opponuntur, & repugnant. Deinde cùm dicit:

S. Thom.

Quare omnis diuisio datur per opposita aliqualiter.

Et quod contraria in eodem genere sunt ostensum est, nam contrarietas erat differentia perfecta, differẽtia verò quæ specie omnis alicuius aliquid est. Quare hoc idem, & genus in ambobus, quare, & in eadem coëlementatione

omnia contraria Categoria, quæcunque specie differentia,& non genere, diuersáq; ab inuicē maximè, perfecta enim ipsorum differentia,& simul inuicem non fiunt. Ergo differentia contrarietas est, hoc enim est diuersa esse specie in eodem genere, entia contrarietatem habere entia indiuidua, eadem verò specie quæcunque contrarietatem non habent indiuidua entia, in diuisione enim,& in mediis fiunt contrarietates priùs quàm ad indiuidua perueniatur.

81

Conditiones differentiæ specie quæ?

Ostendit propositum syllogisticè, & intendit talem rationem: Illa quæ habent conditiones ad Differentiam secundùm Speciem requisitas, verè differunt secundùm speciem: sed contraria sunt huiusmodi; ergo contraria differunt secundùm speciē. Probatio minoris, *nam cōtraria sunt in vno genere*, & sub isto sunt realiter differentia; quia *contrarietas est perfecta differentia:* sed istæ sunt conditiones requisitæ ad differentiam secundùm speciem, vt patet ex prædictis, ergo &c.& hoc est, quod dicit quòd *ostensum est quòd contraria sunt in eodem genere, nam contrarietas erat differentia perfecta: differentia verò quæ specie*, id est, quæ est secundùm speciem *omnis est alicuius aliquid*, id est, alicuius differentis ab aliquo, vt prędictum est: *quare, & hoc genus* supple *idē est in ambobus*, quæ scilicet differunt secundùm speciem: *quare* sequitur *quòd omnia* contraria sunt *in eadem coëlementatione Categoria*, id est, in eodem genere, vel Prædicamento: *quæcunque*, id est, contraria *sunt differentia specie,& nō maximè diuersa ab inuicem in genere*: hoc autem addit ad excludendum corruptibile, & incorruptibile, de quibus inferiùs ostenditur, quòd sint diuersa ab inuicem; licèt non conueniant in genere: *enim* pro quia, supple contrarietas *est perfecta differentia,& simul inuicem non fit*; *ergo* quia supple sic est, quòd contraria habent dictas conditiones; sequitur quòd *contrarietas est differentia*, scilicet secundùm speciem: *hoc enim est differre*, siue esse *diuersa specie entia in eodem genere habere contrarietatem entia indiuidua*, id est, quòd differant secundùm species indiuiduas, id est, specialissimas, quæ vlteriùs specificè non diuiduntur, & tamen existunt sub vno genere; & subdit, quòd supple per oppositum dicuntur *eadem specie quæcunque entia indiuidua:* id est, *singularia non habent contrarietatem*, & addit: *nam in diuisione, & in mediis fiunt contrarietates, priusquam ad indiuidua perueniatur*, Vult dicere, quòd contrarietates non solùm fiunt in diuisione supremorum generum; sed etiam mediorum,& subalternorum priusquam veniatur ad species indiuiduas, scilicet specialissimas & atomas, quæ vlteriùs per differentias specificas non diuiduntur.

Differentia specie quæ? Eadem specie quæ?

Notandum, quòd, sicut patet ex litera, nomen *indiuidui* æquiuocè sumitur, nā & species specialissimæ,& etiam particularia dicuntur indiuidua, sed aliter,& aliter: quia species specialissimæ dicuntur indiuidua, non obstante quòd diuidantur per differentias indiuiduales*, & quasi materiales, per quas natura specifica diuiditur:& contrahitur ad hæcceitatem, siue indiuiduationem: sed particularia dicuntur indiuidua, quatenus nullo modo sunt vlteriùs diuisibilia in aliqua inferiora, sicut patet. Deinde cùm dicit:

Species & particularia dicuntur indiuiduum aliter tamen & aliter.

82

Quare palàm, quia ad id quod vocatur genus, nec idem nec diuersum specie quicquam est eorum quæ conueniunt vt generis specierū, nam materia negatione ostenditur, genus autem materia, quod dicitur genus, non vt Heraclidarum; sed vt in natura.

Concludit ex dictis duas conclusiones. Secunda ponitur ibi: *Nec ad ea quæ non*, Prima conclusio est ista, quòd species comparatæ ad suum genus nec sunt idem specie, nec diuersæ; & hoc est quod dicit: *quare palàm, quia* supple ipsæ species contentæ sub genere comparatæ *ad vocatum genus, nec sunt idem nec diuersum specie: enim* pro quia, scilicet ipsum genus *nihil est conuenientium specierum vt generis*, id est, non est de numero specierum conuenientium in genere: cuius causam subdit: *nam materia cognoscitur negatione*, id est, cognoscitur per negationem omnium formarum, cùm de seipsa sit informis: *genus autem dicitur quidem vt materia*, vt superiùs dicebatur; & exponit se de quo genere loquitur, dicens *genus non quidem Heraclidarum; sed vt in natura*, id est, quòd accipit genus, non quod dicitur de generatione hominum, puta genus Heraclidarum, vel Alexandrinorum, & huiusmodi: sed accipit genus provt in natura rerum reperitur.

Species nec idem nec diuersum specie est à suo genere quod applica plerumque.

Materia negatione cognoscitur.

Genus duplex.

Notandū, quòd illa dicuntur eadē specie quæcunq; habent vnam differentiam; sed dicuntur diuersa specie, quæ diuersas & oppositas differentias habent: quia igitur genus de se nullam habet differentiam, sed sicut materia est informis,& expoliata omni forma, quantùm est de se: sic est genus ab omni differentia, cùm se habeat ad differentias, vt materia ad formas; ideò genus comparatum ad suas species, nec est cum eis idem specie, nec diuersum. Deinde cùm dicit:

Quæ dicūtur eadē & quæ differentia specie,& quare genus nec sic nec sic.

83

Neque ad ea quæ non in eodem genere, sed differunt genere ab illis, specie verò ab eis quæ in eodem genere, contrarietatem enim necesse est esse differentiam, non differre specie, hoc autem inest in eodem genere existentibus solùm.

Ponit secundam conclusionem quæ est ista: quòd differentia secundum speciem est propriè in eisdem genere,& non in diuersis genere. Dicit ergo, quòd supple *nec aliqua* differunt specie *ab eis quæ non sunt in eodem genere: sed differunt genere ab illis: specie verò* supple differunt *ab eis quæ sūt in eodē genere:* cuius causam subdit: *enim* pro quia, *contrarietatem necesse est, esse differentiam non differre specie:* id est, non sic quòd contrarietas differat specie,& habeat rationem *quod*; sed est illud quo formaliter aliqua differunt specie; vnde subdit: *hac autem*, scilicet differentia, quæ est contrarietas, *inest solùm existentibus in eodem genere*; & ideò propriè loquendo contraria, & differentia secundùm speciem sunt in eodem genere.

Sicut contrarietas ita, & speciei differētia est eorūdem dumtaxat genere propriè.

Hic habes quòd relatio est quo,& nō quod in simili.

SVMMÆ SECVNDÆ

Cap. VIII.

Quæ contrarietas, facit diuersitatem specificam, & quæ genericam?

SV.M

SVMMARIVM.

Mouet dubia, ad secundum contraria formalia facere diuersa specie materialia non quod benè explicat Doctor: materiale autem hîc sumitur, pro differentia numerica, seu indiuiduali, de quo Doctor 2. d. 3. qu. 6. ex hoc ad primum dubium ostenditur masculum & fœminam non differre specie, licèt sint contraria.

T.com.25.

84

DVbitabit autem vtique aliquis quare fœmina à viro non specie differt, contrario masculino, & fœminino existente, differentia autem contrarietate. Neque animal masculinum, & fœmininum diuersum est specie, quamuis secundùm se animalis hæc sit differentia, & non vt albedo aut nigredo, sed inquantum animal masculinum, & fœmininum est.

Postquam Philosophus ostendit quòd contrarietas est differentia secundùm speciem: nunc mouet quædam dubia circa dicta. Dictum est enim quòd contrarietas est differentia secundùm speciem: ita quòd contraria differant specie, & sunt idem genere: ne igitur credat aliquis hoc esse verum in omnibus generaliter; ideò ostendit quòd non; sed sunt aliqua contraria quæ non differunt specie, & aliqua etiam quæ differunt genere. Circa quod duo facit. Primò dubitando inquirit, & ostendit quòd aliqua contraria non differunt specie. Secundò quòd aliqua differunt genere. Secunda ibi *Quoniam verò contraria diuersa.* Prima in duas. Primò præmittit dubitationes. Secundò subiungit solutiones. Secunda ibi: *Aut quia hæc quidem.* Prima in duas. Primò proponit dubitationem, quam principaliter intendit. Secundò ostendit quandam aliam quæstionem annexam, ex cuius solutione dependet solutio principalis. Secunda ibi: *Est autem dubitatio.* Dicit ergo quòd *dubitabit autem aliquis quare fœmina non differt specie à viro contrario existente masculino, & fœminino,* id est, cùm fœmininum, & masculinum sint contraria; *differentia autem fit contrarietate,* id est, cùm ex contrarietate causetur differentia secundùm speciem vt prædictũ est. Iterum quare *neque animal masculinum, & fœmininum est diuersum specie, quamuis hæc sit secundùm se differentia animalis, & non* supple se habent per accidens ad animal, *vt albedo, aut nigredo; sed* animal *inquantum animal,* id est, per se *est masculinum, & fœmininum.*

1 Dubium principale. *Quare masculus & fœmina no differunt specie.*

Notandum, quòd duplex tangitur ratio quare hæc quæstio meritò est dubitabilis. Prima quia contrarietas est differentia secundùm speciem. Secunda est quia natura generis diuersificatur in species per differentias per se generis, cùm ergo masculinum, & fœmininum sint per se differentiæ, vel passiones animalis, & non per accidens; vnde per se insunt ipsi animali sicut risibile homini, meritò dubitatur quare non differunt secundùm speciem. Deinde cùm dicit:

Animal inquantum animal: est fœmininum & masculinum.

85

Est autem hæc dubitatio ferè eadem, & quare hæc contraritas facit specie diuersa, hæc verò non, vt ambulatiuum, & volatiuum: sed albedo, & nigredo non.

Addit quandam quæstionem annexam ex qua dependet solutio quæstionis principalis, dicens, quòd *hæc dubitatio est ferè eadem;* vt si quæratur supple *quare hæc quidem contrarietas facit,* id est, constituit *diuersa specie: hæc autẽ non, vt ambulatiuum, & volatiuum* faciunt supple differre specie ipsum animal; *sed albedo, & nigredo non:* animal enim album ex hoc quòd album non differt specie ab animali nigro: nunquam enim duo homines, quorum vnus est albus, & alter niger differunt specie; volatile autem, & gressibile constituunt diuersas species animalis, & tamen tam hęc quàm illa sunt contraria. Deinde cùm dicit:

Dubium annexum in generaliori forma.

Quare quadam contrarietas facit differre specie alia verò non?

Aut quia hæc quidẽ sunt propriæ passiones generis, illa verò minus, quoniam est hæc quidem ratio, hæc autem materia. Quæcunque quidem in ratione sunt contrarietates specie faciunt differentiam; quæ in concepto cum materia non faciunt. Quapropter hominis albedo non facit nec nigredo: nec albi hominis est differentia secundùm speciem ad nigrum hominem: nec si vnum nomen imponatur: vt materia enim homo; non facit autem differentiam materia: non enim hominis species sunt homines. Propter hoc quamuis diuersa carnes, & ossa ex quibus hic, & hic; sed simul totum diuersum quidem: specie verò nõ diuersum: quia in ratione non est contrarietas, hoc autem est vltimum indiuiduum. Callias verò est ratio cum materia, & albus itaque homo: quia Callias albus, secundùm verò accidens homo albus. Nec areus itaque circulus, nec ligneus, nec triangulus areus, & circulus ligneus propter materiam specie differunt, sed quia in ratione inest contrarietas.

Soluit dictas dubitationes, & primò dubitationem annexam soluit. Secundò dictam solutionem applicat quæstioni principali. Secunda ibi: *Masculus verò, & fœmina.* Prima in duas. Primò ponit solutionem. Secundò remouet quandam obiectionem. Secunda ibi: *Vtrùm autem materia.* Dicit ergo, quòd *aut* supple ideò quædam contrarietas facit differre specie, & quædam non: *quia hæc quidem,* scilicet contraria *sunt propriè passiones generis:* illa verò minus propriæ: cuius causam subdit: *quoniam* pro quia, *est hæc quidem ratio, & forma; hæc autem materia,* differentia verò à forma, & propter hoc, quia materia ordinatur per se ad formam; ideò illæ sunt differentiæ propriæ generis, quæ sumuntur à diuersis formis; quæ verò respiciunt rem secundùm esse materiale, & indiuiduale sunt differentiæ minùs propriè; quapropter primæ faciunt differre specie: secundę autem non; ideò subdit *quæcunque quidem contrarietates sunt in ratione,* id est, secundùm formam, *faciunt differentiam specie: quæ verò in concepto cum materia,* id est, secundùm esse materiale, & indiuiduale *non faciunt* supple differentiam secundùm speciem: Vocat enim hîc ipsam materiam, vel ipsam proprietatem indiuidualem, vel ipsam veram

86
Solutio dubij annexi.
Passio generis duplex.
Differentiarũ alia formalis & specifica à forma: alia materialis & numeralis à materia.

Materia multipliciter

accipi potest. Vide in 2. d. 3. p. 1. & in q. 7. huius.

veram materiam, quæ est pars essentialis: tamen vt contracta ad indiuiduationem, vel etiam ipsum totum indiuiduum, quod est quoddam materiale respectu speciei: differentiæ ergo quæ consequuntur rem secundum esse indiuiduale, non faciunt differre specie; vnde subdit, *quapropter albedo hominis non facit*, scilicet differre specie; *nec etiam nigredo: nec est differentia secundùm speciem albi hominis ad hominem nigrum: nec si vnum nomen imponatur*; puta si homo albus dicatur homo, & homo niger similiter; hoc autem addit quatenus homo albus non videtur aliquod vnum: *si autem nomen imponatur ei*, apparebit magis aliquod vnum: homo ergo albus, & homo niger non differunt specie: cuius causam subdit: *nam homo*, scilicet particularis cui euenit quòd sit albus, vel niger *est quasi materia*, modo prædicto: materia autem non facit differentiam, scilicet secundùm speciem: *non enim homines*, scilicet particulares *sunt species hominis: propter hoc quamuis sint diuersæ carnes, & ossa, ex quibus*, scilicet constituuntur *hic & hic homo; sed simul totum*, scilicet ipsum indiuiduum constitutum ex materia, & forma particulari est quidem *diuersum: secundùm verò speciem non est diuersum*, scilicet ab alio indiuiduo: *quia contrarietas quæ*, scilicet consequitur indiuidua, puta album, & nigrum *non est in ratione*, id est, forma: *hoc autem*, scilicet indiuiduale, siue particularis homo est *vltimũ, & indiuiduum*, quatenus scilicet vlteriùs non est diuisibile, nec secundùm differentias formales, nec indiuiduales; & subdit quomodo in indiuiduis sit diuersitas, licèt non formalis, dicens, quòd *Callias verò est ratio cum materia*, scilicet contracta per differentiam indiuidualem, & materialem; & ideò supple sicut differentiæ formales faciunt differre species, sic differentia formales faciunt differre indiuidua: & subdit quòd *homo* supple vniuersalis *est itaque albus: quia Callias est albus*; ergo homo est albus secundùm accidens: ex quo patet quòd album, vel nigrum non sunt differentiæ formales hominis, sed indiuiduales, & materiales: quia homo non est nisi per accidens; quia scilicet hic homo particularis est homo albus, & ideò homo albus, & niger non differunt specie: subdit etiam quòd *nec circulus æneus, & ligneus* supple differunt specie: & subdit quòd *nec etiam illa*, supple quæ distinguuntur secundùm speciem *differunt propter materiam*, id est, propter differentias materiales vt triangulus æneus, & circulus ligneus; *sed quia est contrarietas in ratione*, id est, in differentiis formalibus.

Differentiæ formales faciunt differre species; indiuiduales, numero.

Accidentia communia primò in indiuiduis deinde speciebus per accidens conueniunt, & tantùm numeraliter distinguũtur.

87

Quæ differẽtia faciunt differre specie: quæ non.

S. Thom.

Notandum, solutionem in hoc stare, quòd differentiæ quædam sequũtur rem secundùm suum esse formale, & specificum, & tales sunt per se differentiæ generis: & per consequẽs faciunt differre secundùm speciem vt sunt rationale, & irrationale: volatile etiam, & gressibile, & huiusmodi: quædam autem differentiæ consequuntur rem secundùm suum esse materiale, & indiuiduale, vt albedo, & nigredo, & huiusmodi quæ primò competunt indiuiduo, & ex consequenti, & per accidens speciei, vt dictum est, & tales non sunt differentiæ per se generis; sed per accidens; nec per consequens faciunt differre specie.

Philosophus sumit materiã pro principio indiuiduorum.

Aduertendum autem quòd non oportet hic sumere argumentum, quòd materia, quæ est pars essentialis, sit causa indiuiduationis, vt ait quidam expositor: quia æquiuocatur de materia: accipit enim Philosophus materiam pro differentia indiuiduali, vel pro ipso indiuiduo, quod respectu speciei est quoddam materiale, & per hoc habet intentum quòd differentiæ contrariæ consequentis rem secundùm esse materiale, id est, indiuiduale non faciunt differre specie: de qua materia dictum est in quinto huius, text. com. 12. capitulo de vno, & in septimo frequenter. Deinde cùm dicit:

Vtrùm autem materia non facit diuersa specie ens aliqualiter, aut est, vt facit. Propter quid enim hic equus ab hoc homine diuersus est specie? equidem rationes ipsorum cum materia.

Remouet quandam obiectionem. Circa quod duo facit. Primò eam ponit. Secundò eam soluit. Secunda ibi: *Aut quia est in ratione.* Dicit ergo, quòd aliquis supple posset obuiando quærere, *vtrum* verum sit quòd *materia*, id est, differẽtia materialis, *ens aliqualiter non facit diuersa specie, aut est vt facit*, id est, videtur quòd differentia materialis faciat differre specie, *nam quare hic equus* particularis *est diuisum specie ab hoc homine* particulari? Quasi diceret quòd non videtur, nisi per differentiam materialem. Vnde subdit: *equidem rationes ipsorum sunt cum materia*, scilicet indiuiduali, cùm ipsa sint quædam indiuidua; vnde videtur quòd differentia materialis, & indiuidualis causent diuersitatem specificam, cuius oppositum dicebatur. Deinde cùm dicit;

Obiicit contra dicta.

Aut quia est in ratione contrarietas: etenim albi hominis, & nigri equi diuersitas est specie; sed non inquantum hic albus, & hic niger: quoniam, etsi ambo albi essent, tamen essent specie diuersa.

88

Solutio obiectionis.

Soluit hanc obiectionem, dicens, *aut* pro sed, supple hic homo, & hic equus non differunt specie propter differentiam materialem; sed *quia contrarietas ipsorum est in ratione*, id est, secundùm formam specificam, vt patet in simili: *enim* pro quia, *hominis albi, & equi nigri est diuersitas specie, sed non inquantum hic*, scilicet homo est *albus*, & ille, scilicet equus est *niger: quoniam* pro quia, *etsi ambo essent albi*: nihilominus tamen essent *diuersa specie*. Vult ergo Philosophus, quòd sicut diuersitas specifica inter hominem album, & nigrum equum est propter differentias formales, & specificas: & non propter albedinem, & nigredinem, quæ sunt differentiæ accidentales, & materiales, vt dictum est: quòd patet ex hoc, quia si ambo essent albi, adhuc differrẽt specie: ita similiter hic homo, & hic equus, licèt sint indiuidua concepta cum materia, non differunt specie propter differentias materiales, & indiuiduales, sed propter differentias specificas, & formales. Deinde cùm dicit:

Masculus verò, & fœmina animalis sunt propriè passiones, sed non secundùm substantiam, verùm in materia, & corpore, propter quod idem sperma fœmina, aut masculus fit patiens passionem aliquam; quid quidem igitur est esse diuersum specie, & quare alia differunt specie, alia non, dictum est.

Applicat

99 *Applicatio dictorum ad dubium principale.*

Applicat datam solutionem ad quæstionem principalem, dicens quòd *masculus, & fœmina*, id est, masculinum, & fœmininum *sunt propriè passiones animalis*; vnde, & animal habet poni in eorum diffinitione; *sed tamen non* supple conueniunt animal *secundùm substantiam*, & formam, *verùm* pro sed, *in materia, & corpore*, ita quòd sunt differentiæ materiales: quod probat dicens: vnde *idem sperma fit fœmina, aut masculus patiens aliquam passionem*: quia si sit calor sufficiens alterans ipsum, fiet masculus: si verò insufficiens ad alterandum, fit fœmina: licèt natura semper intendat generare masculum tanquam perfectius, licèt quandoque impediatur per insufficientiam virtutis. Vnde fœmina est animal occasionatum, vt dicitur libro 18. de Animalibus, cap. 3. & quasi præter intentionem naturæ generatum. Epilogat ergo dicens, *quid quidem igitur est esse diuersum specie: & quare alia*, scilicet contraria *differunt specie, & quare non, dictum est*.

Masculinum & fœmininum sunt passiones animalis materiales tamen.

Quare speciei differentiam non faciunt.

Notandum, quòd ex dictis habetur conclusio primæ quæstionis, nam si masculinum, & fœmininum sint passiones, siue differentiæ materiales, quatenus tenent se ex parte corporis: differentiæ autem materiales non faciunt differre specie, vt præostensum est, sequitur quòd masculus, & fœmina non differant specie, licèt sint contraria.

Ex eodem spermate contingit generari masculū vel fœminā & quare?

Notandum etiam ex hoc quòd idem sperma diuersimodè alteratum & diuersimodè alterans fit masculus, & fœmina, apparet quòd masculus, & fœmina non differunt specie: quia ex eodem spermate non possunt diuersa secundum speciem generari: in spermate enim est vis actiua, & omne agens naturale agit ad speciem determinatam; quia producit sibi simile, inquantum potest. Tunc sequitur illa pars:

SVMMARIVM.

Corruptibile & incorruptibile differre genere Physico; reijcitur quædam contraria opinio, & concluditur inde ideas non dari, quia non differunt specie, & multo minùs genere, à sensibilibus; tamen secundùm Platonem sunt incorruptibiles, & sensibilia corruptibilia.

100

Qvoniam verò contraria diuersa specie, corruptibile autem, & incorruptibile contraria: priuatio enim est in potentia determinata, necesse diuersum esse genere corruptibile, & incorruptibile.

2. Dubium principale.

Vbi inquirit de secundo, ostendens quòd aliqua contraria differunt etiam genere. Circa quod tria facit. Primò proponit suam veram intentionem. Secundò excludit quandam falsam opinionem. Tertio corollariè concludit Platonis redargutionem. Secunda ibi: *Nunc igitur diximus*. Tertia ibi: *Palàm igitur quod non.* Dicit ergo, quòd *quoniam verò contraria sunt diuersa specie*, vt præostensum est: *corruptibile autem, & incorruptibile sunt contraria*, quod probat, *nam* pro quia, *in potentia est priuatio determinata*, ostensum est enim 9. huius, t. c. 2. & inde, quòd in potentia opposita potentiæ determinatæ est quædam priuatio; sed priuatio est principium contrarietatis, ergo sequitur quòd in potentia sit contrarium potentiæ: sed corruptibile, & incorruptibile opponuntur secundùm potentiam & impotentiam, & per consequens sunt contraria: quia inquam sic est, *necesse est corruptibile, & incorruptibile esse diuersum genere*, Physico scilicet, non Logico. Concludit autem quòd differant genere, quia sicut forma, & actus respiciunt speciem; sic materia, & potentia respiciunt ipsum genus: propter quod contrarietas, quæ est secundùm potentiam, facit differentiam secundùm genus; sicut contrarietas secundùm formam facit differentiam secundùm speciem, & ideò corruptibile & incorruptibile contrariantur secundùm potentiam, & impotentiam, vt dictum est.

Dantur contraria genere differentia vt corruptibile & incorruptibile.

Notandum, quòd corruptibile, & incorruptibile contrariantur secundùm potentiam, & impotentiam, licèt differenter: nam si potentia sumatur prout se habet ad posse, aut agere, vel pati simpliciter: tunc corruptibile dicetur secundùm potentiam, & incorruptibile secundùm impotentiam: sed si potentia sumitur, vt dicit non posse pati aliquod deterius, sic est è conuerso: quia corruptibile dicetur secundùm impotentiam, & incorruptibile secundùm potentiam, vt est euidens de se. Deinde cùm dicit:

Qualiter corruptibile & incorruptibile secundùm potentiam & impotentiam contrariātur.

101

Nunc autem diximus de his vniuersalibus nominibus, vt autem videtur non necesse est corruptibile quodcunque & incorruptibile diuersa specie, quemadmodum neque album, neque nigrum, idem enim contingit esse, & simul si fuerit vniuersalium, quemadmodum homo erit vtique & albus, & niger, & singularium: erit enim non simul albus idem, & niger, equidem album contrarium nigro.

Excludit quandam opinionem. Circa quod duo facit: quia primò opinionem recitat. Secundò eam improbat. Secunda ibi: *Sed contrariorum.* Dicit ergo, quòd, *nunc ergo diximus de his vniuersalibus sermonibus*, de corruptibili enim, & incorruptibili dictum est secundùm rationem nominum vniuersalium, secundùm quòd alterum significat potentiam, & alterum impotentiam: vt autem ostendetur non *necesse est*, scilicet secundùm quosdam, *quodcunque corruptibile, & incorruptibile esse diuersa specie; quemadmodum, nec album, nec nigrum* supple est necesse differre specie: *contingit enim idem esse*, scilicet album & nigrum, tamen differenter, quia *si fuerit vniuersalium*, id est, de numero vniuersalium, *simul erit* supple album, & nigrum propter diuersa, scilicet particularia; quemadmodum *homo erit vtique albus* si supple Socrates sit albus, *& erit* supple *niger* si supple Socrates sit niger: talia enim accidentia competunt vniuersali propter singularia. Et subdit quòd, *& singularium*, id est, si illud quod dicitur album, & nigrum fuerit de numero singularium, *non erit idem simul album, & nigrum*, licèt supple posset esse vtrunque successiuè, *& quidem album* est *contrarium nigro*; & ideò non possunt eidem particulari simul inesse, licèt successiuè: eodem modo dicebant illi quòd in eadem specie possunt simul esse quædam corruptibilia, & quædam incorruptibilia; & idem etiam particulare, quandoque est corruptibile, quandoque incorruptibile non simul.

Opinio quorundam de compossibilitate corruptibilis & incorruptibilis in eadem specie & sic de aliis contrariis.

Resolutio dictorum.

Notandum, quòd, quia accidens per accidens competit vniuersali propter particularia: ex hoc enim homo est albus, quia Socrates est albus; & ex hoc est niger, quia Socrates est niger, ideò homo in vniuersali simul potest esse albus, & niger ex eo, quòd aliquis homo particularis est niger, & aliquis albus: tamen est impossibile quòd idem homo particularis sit simul albus, & niger, licèt posset esse vtrumque nunc vnum, nunc alterum: similiter ergo dicebant esse de corruptibili, & incorruptibili, modo prædicto. Deinde cùm dicit:

De eodem vniuersali duo contraria posse enunciari.

102

Sed contrariorum hæc quidem secundùm accidens insunt quibusdam, vt quæ nunc dicta sunt, & alia multa: hæc autem impossibile quorum est corruptibile, & incorruptibile: nihil enim est corruptibile secundùm accidens: nam accidens contingit non existere, & corruptibile ex necessitate existentium est quibus inest: aut erit idem, & vnum corruptibile, & incorruptibile, si contingit non existere ipsi corruptibile: aut substantia igitur, aut in substantia necesse est inesse corruptibile vnicuique corruptibilium. Eadem verò ratio, & de incorruptibili: ex necessitate enim existentium ambo sunt: inquantum igitur, & secundùm quod primum hoc quidem corruptibile, hoc autem incorruptibile habet oppositionem: vnde necesse genere esse diuersa.

Impugnatio dictæ opinionis.

Contraria sunt in duplici differentia.

Improbat dictam opinionem, dicens *quòd contrariorum hæc quidem*, id est, aliqua *insunt quibusdam secundùm accidens vt quæ nunc dicta sunt*, puta album, & nigrum insunt homini, & equo, de quo suprà dictum fuit, & *multa*, scilicet alia *contraria*, supple sunt talia, in quo verum est quod dicitur, scilicet quòd possunt simul esse in eadem specie, & in eodem singulari successiuè: *hæc autem*, id est, alia contraria sunt in quibus *hoc est impossibile*; ita quòd est impossibile ipsa non inesse illis, quibus insunt de numero *quorum sunt corruptibile, & incorruptibile: nihil est enim corruptibile secundùm accidens*, id est, contingenter, *nam accidens contingit non existere*, id est, non inesse quibus inest, *& corruptibile est existentium*, id est, de numero inexistentium *de necessitate illis quibus in est: aut* si supple hoc non esset: sequitur *quod idem, & vnum sit corruptibile, & incorruptibile*, scilicet successiuè: *si corruptibile contingit non existere ipsi*, scilicet cui inest, hoc autem consequens est impossibile per naturam. Ex quo infert quòd quia corruptibile non inest secundùm accidens; aut igitur *corruptibile necesse est inesse vnicuique corruptibilium, vt substantiam, aut aliquid*, scilicet quòd est in substantia: vnumquodque enim est corruptibile per naturam, quæ est substantia, vel est de substantia rei ex septimo huius, t.c.22. & addit quòd *eadem verò ratio est, & de incorruptibili, nam ambo*, scilicet corruptibile, & incorruptibile *sunt existentium*, id est, de numero eorum quæ insunt ex necessitate: *inquantum igitur, & secundum quod primum*, id est, primò, & per se *hoc quidem corruptibile: hoc autem incorruptibile habent oppositum*, id est, opponuntur, sicut illa quæ insunt alicui inquantum tali & primo, *vnde necesse est ipsa*, scilicet *esse diuersa genere*, scilicet Physico, quatenus non communicant in materia, vt dicetur in quæstione. Deinde cùm dicit:

Corruptibile, & incorruptibile necessariò & naturaliter insunt quibus insunt.

Al. oppositionem.

Corruptibile, & incorruptibile differunt.

103

Palàm igitur quòd non contingit esse species tales, quales dicunt quidam, erit enim homo hic quidem corruptibilis, hic autem incorruptibilis, equidem specie eadem dicuntur esse species, & non æquiuocæ, diuersa verò genere plus distant quàm quæ specie.

Coroll. contra ideas Platonis.

Concludit ex prædictis quandam conclusionẽ, siue impugnationem, siue redargutionem Platonis, dicens, *palàm igitur quòd non contingit esse species*, id est, ideas *quales dicunt quidam*, scilicet Platonici; *etenim vt ipsi dicunt hic homo*, scilicet sensibilis *est corruptibilis: hic autem*, scilicet homo idealis erit *incorruptibilis*, & tamen vt ipsi dicunt *species dicuntur equidem esse eadem specie* supple cum sensibilibus *& non æquiuocè*, supple prædicatur nomen speciei de idea, & de singulari: hoc autem patet esse falsum ex prædictis nam corruptibile, & incorruptibile differunt genere, & per consequens specie *& plusquam specie*; ideò subdit quòd *diuersa verò genere plus distant quàm quæ* sunt *diuersa specie*.

Notandum, quòd omnia cotraria faciunt aliqualiter differre secundùm speciem: licèt ostensum sit quòd quædam non faciunt differre specie, & quædam faciunt differre genere, & hoc respectu alicuius determinati generis: licèt enim album & nigrum non faciant differre species animalis: faciunt tamen sub eodem genere coloris: similiter masculinum, & fœmininum faciunt differre specie in genere sexus: similiter differentiæ subalternæ, puta sensibile, & insensibile; licèt faciant differre genere subalternato, tamen ista genera subalternata sunt species generis superioris, cùm omnis differentia diuisiua generis sit constitutiua speciei: licèt illa species posset etiam esse genus respectu inferiorum: corruptibile etiam, & incorruptibile aliquo modo faciunt differre specie, saltem sub genere Logico, licèt non sub genere Physico vt dicetur.

Omnia contraria sunt quoquo modo speciei diuersificatiua.

Principium diuisiuum est constitutiuũ.

LIBER

LIBER VNDECIMVS.

IN hoc libro nihil ferè agitur præter repetitionem eorum quæ in superioribus tractata sunt, adiunctis multis in Physica disputatis. Quærit primò an vna scientia tradatur de principiis rerum, an plures? Solutio est quòd vna, ex dictis tertio huius, locis à Doctore hîc citatis. Secundò quærit, an vnius scientiæ sit tradere de principiis demonstrationis? & respondendum cum Doctore quod sic ex 4. huius. Tertiò quærit, an vnius scientiæ sit tradere de omnibus substantiis? & respondendum affirmatiuè, quod Doctor explicat ex 4. huius. Diuiditur autem iste Liber in quatuor summas quæ infrà suis locis explicantur.

10

SVMMA PRIMA.

Dubitationes de quibus in tertio libro habitus est sermo.

CAPVT PRIMVM.

Mouentur dubitationes circa considerationem huius scientiæ, quæ sapientia dicitur.

1

T. cap. 1.

QVòd quidem igitur sapientia circa principia scientia est, palàm ex primis in quibus dubitatum est ad dicta ab aliis de principiis.

Dicebatur in principio septimi huius quod ista scientia versatur circa tria in genere, scilicet circa subiectum, & partes subiecti, quod est ens inquantum ens. Secundò & circa passiones, & tertiò circa principia sui subiecti. Postquam ergo Philosophus expediuit se de duobus primis: nunc accedit ad determinandum de tertio. Circa quod duo facit. Primò resumit, & recolligit sub compendio quædam determinata superiùs in hoc libro, & in libro Physicorum, quæ sunt vtilia ad principale intentum, vt sic disponat se ad tractandum de substantiis separatis quæ sunt principia entium inquantum ens. Secundò prosequitur determinando de principali intento. Secunda ibi: in principio duodecimi. *De substantia quidem theoria*. Prima in tres. Primò resumit, & recolligit dubitationes disputatas in tertio libro huius. Secundò resumit quod dixerat de ambitu, & modo considerandi huius scientiæ in quarto, & in principio sexti huius. Tertiò resumit quod dixerat de ente imperfecto in 6. huius: & in libro Physicorum, scilicet de ente per accidens, & de motu, & infinito. Secunda ibi: *Quoniam autem Philosophi scientia*. Tertia ibi: *Quoniam autem simpliciter ens*. Prima in duas. Primò resumit dubitationes tenentes se ex parte considerationis huius scientiæ. Secundò tenentes se ex parte rerum consideratarum. Secunda ibi: *Aut adhuc vtrùm oportet poni*. Prima in duas. Primò ponit quæstiones quomodo consideratio huius scientiæ se habet circa principia, & circa substantias. Secundò circa quæ principia, & quas substantias. Secunda ibi: *Sed nec circa dictas*. Prima in duas. Primò ponit dubitationes de consideratione huius scientiæ circa principia. Secundò circa substantias. Secunda ibi: *Adhuc vtrùm omnium*. Prima in tres. Primò supponit quandam veritatem. Secundò iuxta hoc mouet quæstionem de consideratione huius scientiæ circa principia rerum. Tertiò mouet aliam quæstionem de consideratione huius scientiæ circa principia demonstrationis. Secunda ibi: *Dubitabit autem*. Tertia ibi: *Adhuc speculari demonstratiua*. Dicit ergo quòd *quidem igitur sapientia est circa principia palàm est ex primis*, id est, ex dictis in primo libro, *in quibus dubitatum est ad dicta ab aliis*, scilicet Philosophis, *de principiis*, scilicet rerum.

Sermo huius 11. lib. est resumptiuus dispositiuus & præambularis respectu 12. & fortè propterea caret Commentis Auerrois.

Notandum, quòd in primo libro disputatum est contra opiniones antiquorum de principiis rerum, & ibidem ostensum est, vt patet in prologo, quòd sapientia, quæ est Metaphysica & nobilissima scientiarum versatur circa prima principia; quia circa causas altissimas, quæ sunt principia entis inquantum ens. Deinde cùm dicit:

Metaphysica considerat principia entis in quantum talis & talia.

Dubitabit autem vtique quis vtrùm vnam existimare oportet esse sapientiam, scientiam aut multas? Siquidem enim vnam, vna autem est semper contrariorum. principia autem non contraria: si autem non vnam, quales oportet ponere has?

2

Mouet quæstionem de consideratione huius scientiæ circa principia rerum, dicens, quòd *dubitabit vtique aliquis, vtrùm* scilicet *sapientiam*, quæ scilicet considerat principia, oportet *existimare vnam scientiam, aut multas*; id est, vtrùm scientia quæ est Metaphysica, quæ considerat de omnibus causis rerum, sit vna, aut non; & tangit rationem, quòd non, dicens: *si quidem enim vna non*, supple potest esse: *quia vna scientia est semper contrariorum: principia autem rerum non sunt contraria*, quia supple si essent contraria, non possent simul conuenire ad constitutionem principiati; ergo sequitur quòd sapientia, quæ con

Quæstiones generales.

Prima q. de cosideratione Metaphysica circa principia rerum quæ etiam & sua motiua habita sunt supra in principio, 3. lib.

considerat rerum principia, non erit vna scientia: formatur ratio sic: Considerare contraria est vnius scientiæ, nam vnum contrarium facit cognoscere aliud; ergo quæ non sunt contraria, non spectant ad vnam scientiam: sed principia non sunt contraria, vt dictum est; ergo, &c. Postea innuit rationem ad oppositum, dicens *si autem non vnam*, sed supple plures scientias, supple oportet existimare circa rerum principia, *quales oportet ponere has*: quasi diceret, quòd non contigit eas assignare.

Veritas quæsiti.

Veritas huius quæstionis est quòd vnius scientiæ est considerare omnia genera causarum, vt declaratum est 3. huius, t.c.2. & inde, & patet de Philosophia 2. Physic.t.c.28. & inde, & de Metaphysica, quæ est sapientia 5. huius, capitulo de Causa: nec ratio in contrarium concludit, nam soluta est: & arguit à destructione antecedentis, sicut patet, vt vult commentator, vt iam dictum est 3.huius,t.c.3.

SVMMARIVM.

Quæritur primò, an detur sapientia etiam de accidentibus? affirmandum ex lib.4. Quæritur secundò, an hæc scientia consideret omnia genera causarum? sic ex 4.huius. Tertiò an hîc tantùm agatur de substantiis sensibilibus? Respondetur de omnibus substantiis.

3

ADhuc autem speculari demonstratiua principia vnius, aut plurium, si quidem enim vnius, quare magis huius quàm cuiuscunque? Si autem plurium quales oportet eas ponere?

2. q. de consideratione Metaphysicæ circa principia demonstrationis.

Mouet quæstionem de consideratione huius scientiæ circa principia demonstrationis, dicens, quòd *adhuc* supple dubitabit aliquis vtrùm *speculari*, id est, considerare *principia demonstratiua sit vnius scientiæ, aut plurium*. Per principia autem demonstrationis accipit hîc prima principia, quæ dicuntur dignitates, vt *Impossibile est idem simul esse, & non esse*, & alia huiusmodi: & primò innuit rationem quòd non sit vnius scientiæ talia principia speculari, dicens: *si quidem vnius, quare magis huius, quàm cuiuscunque?* Quasi diceret, quòd cùm omnes scientiæ vtantur talibus principiis, non videtur ratio quare magis huius scientiæ sit ista principia speculari, quã cuiuscunque alterius. Secundò tangit rationẽ ad oppositum, dicens, *si plurium*, supple scientiarum est dicta principia speculari, *quales oportet has ponere?* Quasi diceret, non contingit assignare.

Veritas quæsiti.

Veritas huius quæstionis est, vt patet 4.huius,t.c. 7.& inde,& dicetur inferiùs, quòd eiusdem scientiæ, scilicet Metaphysicæ est considerare huiusmodi dignitates; nam cùm subiectum huius scientiæ sit ens inquantũ ens; ideò eius est considerare talia principia communia quæ in ente, vel in partibus entis fundantur, vt patet de primo principio simpliciter, quòd est *impossibile idem simul esse, & non esse*: nec ratio in contrarium concludit, nam licèt omnes scientiæ vtantur dictis principiis, non tamen sequitur quòd omnes considerent æquæ primò ipsa; sed accipiunt ea ab vna aliqua communi cuius est illa communia speculari: hæc est Metaphysica. Deinde cùm dicit:

4

Adhuc vtrùm omnium substantiarum aut non? Si quidem enim, non omniumu qualium difficile est assignare, si autem omnium vna non manifestum quomodo contingit plurium eandem scientiam esse.

3.q. de consideratione Metaphysicæ circa substantias.

Mouet dubitationes de consideratione huius scientiæ circa substantias, & sunt duæ, quarum secunda ponitur ibi: *Adhuc vtrùm circa substantias*: Dicit ergo, quòd *adhuc* supple dubitabit aliquis, *vtrùm* scilicet ista scientia sit *omnium substantiarum, aut non?* Et primò innuit rationem, quòd considerat omnes substantias, dicens, quòd *si quidem enim non est omnium, difficile est assignare qualium*, scilicet substantiarum sit, & qualium non. Secundò innuit rationem ad oppositum, dicens, *si autem vna scientia sit omnium*, scilicet substantiarum, non *est manifestum quomodo, eandem scientiam contingit esse plurium*, cùm supple vna scientia sit vnius subiecti generis.

Vna est scientia vnius subiecti generis.

Veritas quæsiti.

Veritas autem huius quæstionis patet, vt patet ex quarto huius,t.c.1.& 2.quòd vnius scientiæ est considerare de omnibus substantiis, non secundùm quod substantiæ, sed secundùm rationem communem, quæ est ratio entis: hæc est scientia Metaphysica, cuius est considerare de ente, inquantum ens,& omnes partes entis: principaliter autem de substantia, vt de nobiliori parte sui subiecti primi: nec ratio ad oppositum concludit, quia & Metaphysica, etsi considerat plures substantias, non tamen secundùm plures rationes, sed secundùm vnam, quæ est ratio entis, vt dictum est: Deinde cùm dicit:

5

Adhuc vtrùm circa substantias solùm, aut & circa accidentia demonstratio est, si enim circa accidentia demonstratio est, circa substantias non est; si autem altera, quæ vtraque & vtra sapientia? demonstratiua quidem sapientia, quæ circa accidentia, hæc autem circa prima quæ substantiarum.

4.q ad idem.

Mouet secundam quæstionem, dicens, quòd *adhuc* supple dubitabit aliquis *vtrùm demonstratio*, id est, sapientia demonstratiua *sit circa substantias solùm, aut etiam circa accidentia*. Et primò innuit rationem, quòd non est circa accidentia, dicens, *si enim demonstratio est circa accidentia, sequitur quòd non est circa substantias*: quod supple videtur falsum, cùm demonstratio concludat accidentia de subiectis. Secundò innuit rationem ad oppositum, dicens, *si autem altera* supple sit scientia demonstratiua circa substantias, & altera circa accidentia: dubium est *quæ sit vtraque*, & *vtrum sapientia*, id est, quæ earum debeat nominari sapientia: & dicit quòd *demonstratiua quidem sapientia* est quæ *circa accidentia*; & ideò videtur, quòd scientia, quæ est de accidentibus, esset sapientia, cùm scientia demonstratiua necessariò consideret accidentia, quæ demonstrat; sed ex alia parte videtur, quòd cùm substantia sit primum entium, scientia, quæ esset circa substantias, esset prima; & per consequẽs sapientia; & ideò subdit: quòd *hæc autem*, scilicet sapientia, quæ *est substantiarum* est *circa prima principia*, cùm substantia sit primum ens. Patet ergo quòd remanet dubium, quæ illarum scientiarum esset sapientia.

Al. vera.

Scientia de substantia est prima scilicet perfectione.

Veritas

Veritas quæsiti.

Veritas huius quæstionis est, vt patet ex quarto huius, t. c. 1. & 2. & inde, quòd sapientia demonstratiua est de ente, inquantum ens, & de substantia, & de accidentibus, inquantum sunt entia: nec ratio ad oppositum concludit; quia scientia demonstratiua sic est de accidentibus: quòd etiam est de substantiis, licèt differenter: nam de accidentibus est, vt quæ demonstrantur, & de substantiis, vt de quo demonstrantur. Tunc sequitur illa pars:

Metaphysica cõsiderat substantias, & accidentia, sed aliter.

6

Sed non circa dictas in Physicis causas quæsitam scientiam ponendum, neque enim circa quod cuius gratia: tale enim bonum, hoc autem in operabilibus existit, & existentibus in motu, & hoc primum mouet, tale enim finis, primum autem mouens non est in mobilibus.

Quæstiones speciales.

4. q. de consideratione Metaphysica circa causas substãtiarum sensibilium.

Vbi mouet quæstiones magis speciales de consideratione huius scientiæ, scilicet circa quales substantias, & circa qualia principia speculatur. Circa quod duo facit. Primò inquirit circa quas substantias. Secundò circa quæ principia, ibi: *Dubitabit autem.* Prima in quatuor, secundùm quatuor quæstiones. Secunda ibi: *Totaliter autem dubitationem.* Tertia ibi: *Attamen dubitationem.* Quarta ibi: *Totaliter autem dubitabit.* Prima ergo quæstio spectat ad causas substantiarum sensibilium, quam ponit, dicens: *sed* neque supple videtur *ponendam quæsitam scientiam.* id est, istam scientiam, quam quærimus *circa dictas causas in Physicis*, id est, circa quatuor genera causarum, de quibus habetur secundo Physicorum: t.c.28.& inde, cuius causam subdit: *nec enim circa quod cuius gratia*, id est, quæ maximè videtur esse circa causam finalem, quæ est potissima; & tamen non est circa illud, quod est cuius gratia, id est, circa causam finalem: quapropter *tale enim*, id est, causa finalis, quæ est cuius gratia est *quoddam bonum:* hoc scilicet *bonum existit in operabilibus, & existentibus in motu*; & *hoc* scilicet bonum, & finis *mouet primum* hoc scilicet efficiens: *tale enim est finis*, quod scilicet mouet ipsum agens: *primum autem mouens non est in mobilibus*; & tamen de immobilibus considerat ista scientia.

Veritas quæsiti.

Veritas huius quæstionis est, quòd ista scientia considera omnia genera causarum, vt dictum est quarto huius: nec ratio ad oppositum cogit: quia Metaphysica considerat causas, vt quælibet in suo genere dat esse circumscribendo motum. Licèt enim causa agens non agat quandoque nisi mouendo, tamen ratio dantis esse prior est ex natura rei, vt dictum est primo huius. Qualiter autem ratio finis, & boni sit in rebus immobilibus declaratum est tertio huius, in quadam quæstione. Deinde cùm dicit:

Al. 3. vel 5: 1.

Qualiter Metaphysicus considerat causas.

7

Totaliter autem dubitationem habet, vtrùm quidem circa sensibiles substantias est quæsita nunc scientia, aut non? & circa quas, aut alias? si enim circa alias, aut circa species, aut circa Mathematica: species quidem enim quod non sunt, palàm.

5. q. de consideratione Metaphysica circa substantias sẽsibiles.

Mouet secundam quæstionem de consideratione substantiarum sensibilium, dicens, quòd *totaliter autem* vel adhuc autem habet *dubitationem, vtrùm quæsita nunc scientia*, id est, ista scientia, quam quærimus, id est, Metaphysica quidem est circa *substantias sensibiles, aut non*; sed supple *circa alteras* substantias: & tangit rationem quòd non circa alteras; quia si *est circa alteras*, est supple dubium circa quas alteras: aut enim erit *circa species*, id est, ideas, *aut sicut Mathematica*, quæ scilicet aliqui posuerunt intermedia, & subdit quòd *species quidem*, id est, ideæ *non sunt palàm est*, scilicet ex libris præcedentibus: de Mathematicis autem statim dicetur.

Veritas quæsiti.

Veritas huius quæstionis est, quòd Metaphysica considerat substantias sensibiles, non vt sunt sensibiles, vel mobiles; quia hoc modo earum speculatio pertinet ad Philosophum naturalem, sed considerat de eis, vt sunt substantiæ, & habent rationem entis; licèt principaliùs considerat de substantiis separatis: non quæ sunt ideæ, vel Mathematica media, sed quæ sunt motrices orbium cælestium; & ideò ratio ad oppositum nihil cogit.

Qualiter substantias sensibiles considerat Metaphysicus?

SVMMARIVM.

Tertia principalis quæstio, an de Mathematicis separatis sit hæc scientia? Ad quam dicendum ex 3. huius, non dari talia separata. Quartò principaliter quæritur, cuius scientiæ est inquirere, de quibus agit Matheses; & respondetur ex 3. quòd Metaphysicæ. Item quærit de quibus principiis agit hæc scientia, & respondetur de intrinsecis simul, & extrinsecis.

8

Attamen dubitationem habet, & si esse quis ipsas ponat propter quid quidem; non quemadmodum in Mathematicis sic habet, & in aliis quorum sunt species. Dico autem, quia Mathematica quidem intermedia specierum ponunt & sensibilium, velut tertia quadã præter species, & quæ hac. Tertius autem homo non est: neque equus, præter ipsum, & singulares. Si autem iterum non est, vt dicunt, circa qualia ponendum negotiari Mathematicum: non est enim vtique circa eã quæ hic; horum enim nullum est, quale Mathematicæ quærunt scientiarum. Neque enim circa Mathematica quæsita nunc est scientia: separabile enim ipsorum nullum: sed neque sensibilium substantiarum, corruptibiles enim.

6. q. de Mathematicis separatim ponẽdis vel non?

Mouet aliam quæstionem quasi incidenter: quia enim dixit manifestum esse, quòd non sunt ideæ separatæ; ideò mouet quæstionem de Mathematicis, dicens, quòd *attamen habet dubitationem* vtrùm Mathematica sint separata. Et primò arguit quòd non, dicens: *si enim quis ponat ipsas*, scilicet ideas separatas, & vltra hoc Mathematica separata media inter ideas, & substantias sensibiles *propter quid quidem:* non sic se habet, & in aliis quorum sunt species, id est, ideæ; *quemadmodum in Mathematicis*, id est, quare magis in Mathematicis ponũtur media separata, *quã in aliis?* quæ etiam habent

habent ideas. Vnde subdit, *dico autem, quia quidam ponunt Mathematica quædam intermedia sensibilium, & specierum*, & idearum, *& velut quadam tertia* entia *præter species*, & ideas, & supple sensibilia particularia, *quæ hæc* sunt puta, quia ponunt lineam mediam præter hanc lineam sensibilem, & lineam idealem; & addit: *tertius autem homo non est, nec tertius equus præter* ipsum, id est, per se hominem, *& per se equum*, hoc enim modo Platonici ideas appellabant, vt dictum est septimo huius: *& præter* supple hominem, & equum singulares. Non enim videtur ratio quare non in istis; sed solùm in Mathematicis intermedia ponantur, vt Platonici dicebant. Secundò arguit in oppositum, dicens: *si autem non est ita* vt dicunt, puta quòd non sint Mathematica separata *circa qualia possibile est Mathematicum negotiari*. Quasi diceret, quòd est difficile assignare: *non enim vtique* supple negotiatur *circa ea quæ hîc*, id est, circa Mathematica sensibilia, *quæ sunt hîc*, in sensibilibus: *nullum enim horum est quale quærunt Mathematica scientiarum*, puta quòd non sunt tales lineæ, vel tales circuli, quales scientiæ Mathematicæ dicunt esse; & ideò vt videtur, oportet ponere quosdam circulos, & quasdam lineas separatas. Vltimò redit ad quæstionem principalem, dicens, quòd non solùm supple non est circa substantias, quæ ponuntur ideæ ista scientia nunc *quæsita*; sed nec *est circa Mathematica: enim* pro quia, *nullum ipsorum est separabile*, scilicet secundùm esse, *sed neque sensibilium substantiarum*, id est, quòd nec videtur esse circa sensibilium substantias: *quia sunt corruptibiles.*

Veritas huius quæstionis est, quæ dicta est, scilicet quòd Mathematica non sunt realiter separata, nec de ipsis est ista scientia, vt de substantiis separatis. Nec ratio tacta ad oppositum cogit, quòd scilicet non sit dare tales magnitudines, quales à scientia Mathematica quæruntur: quia est dare aliquas sic in re se habentes, puta quòd aliquis circulus tangit planum in puncto, & sic de aliis, vt dicebatur tertio huius: vel saltem eis non repugnat sic se habere, vt in 2. Phys. t. c. 18. dicitur, & sufficit hoc ad veram scientiam habendam, quia vera scientia abstrahit ab existentia. Quod autem additur quòd ista scientia non est de substantiis sensibilibus, eo quòd sunt corruptibiles: iam responsum est quòd verum est, vt sunt corruptibiles, siue mobiles; tamen sub ratione qua sunt substantiæ, vel ens, de eis pertinet ad istam scientiam speculari. Deinde cùm dicit:

Veritas quæsiti. 9

Non est scientia de Mathematicis separatis.

Vera scientia abstrahit ab existentia.

Totaliter autem dubitabit vtique quis cuius est scientiæ dubitare de Mathematicorum materia. Neque enim Physicæ, propter circa habentia in ipsis principium motus, & quietis naturalis omne esse negotiũ. Neque etiam intendentis de demonstratione, & scientia: circa hoc ipsum, genus enim inquisitionem faciet. Relinquitur igitur propositam Philosophiam de ipsis considerationem facere.

Ponit quæstionem quartam, quæ quærit cuius scientiæ sit inquirere, de quo scientiæ Mathematicæ considerant, dicens: quòd *totaliter autem dubitabit aliquis cuius scientiæ est dubitare*, id est, inquirere *de materia Mathematicorum*, id est, de quo considerant scientiæ Mathematicæ: *nec enim hæc est Physica*, id est, naturalis scientiæ *propter hoc*, quòd omne *naturale negocium*, id est, quòd tota consideratio naturalis est circa *habentia in seipsis principium motus, & quietis*, cuiusmodi sunt omnia naturalia; & ideò de ista dubitatione non curat. Iterum *nec etiam* ampliùs consideratio huius dubitationis *est scientia intendentis de demonstratione, & scientia*, scilicet Mathematicorum, quæ est ipsa scientia Mathematica: quia ipsa supponit de subiecto *quid est*; ideò addit: quòd *circa hoc genus*, scilicet materiam, & subiectum, quòd supponit *inquisitionem faciet* demonstrando passiones de ipso. *Relinquitur ergo propositam Philosophiam*, scilicet Metaphysicam *facere considerationem de ipsis*, scilicet scientiis Mathematicis, de quo debeant cognoscere. Et hæc est veritas quartæ quæstionis. Tunc sequitur illa pars:

7. q. cuius scientiæ sit determinare materiã Mathematicorũ.

Quòd aliæ scientiæ præsupponunt Metaphysicã ostendit.

Veritas quæsiti.

Al. considerare.

10

Dubitabit autem vtique quis si oportet quærere quæsitam scientiam circa principia vocata ab aliquibus elementa. Hæc autẽ omnes inexistentia compositis ponunt. Magis autem vtique videbitur vniuersalium oportere esse quæsitam scientiam: omnis enim ratio, & omnis scientia vniuersalium, & non extremorum. Quare erunt vtique sic primorum generum.

Vbi mouet quæstiones circa quæ principia negotietur consideratio huius scientiæ, & sunt tres. Secunda ponitur ibi: *Hæc autem fient.* Tertia ibi: *Adhuc autem si magis*, Dicit ergo, quòd *dubitabit vtique quis, si quæsitam scientiam*, id est, Metaphysicam *oportet quærere circa principia vocata elementa ab aliquibus.* Et primò tangit rationem ad partem affirmatiuam ex hoc, scilicet quòd omnes ponunt huiusmodi principia inexistẽtia composito; ideò dicit, quòd *hæc autem*, scilicet principia *omnes ponunt inexistentia*, id est, intrinseca *compositis*; & ideò oportet ipsa cognoscere ad cognoscendum ipsa composita. Postea tangit rationem ad oppositum, dicens, quòd magis *vtique videbitur hanc quæsitam scientiam oportere esse vniuersalium: enim* pro quia, *omnis ratio, & omnis scientia est vniuersalium, & non extremorum*, siue exteriorum, id est, particularium, *quare* ista supple scientia *erit vtique sic primorum generum:* vocat autem particularia extrema, quatenus diuisio vniuersalium ad particularia terminatur.

8. q. vel 1. huius partis.

Hîc inquirit circa quæ & qualia principia est consideratio Metaphysica.

Vniuersalium duntaxat sciẽtia omnis.

Veritas huius quæstionis est, quòd ista scientia considerat tam de principiis communibus extrinsecis, vt sunt substantiæ separatæ, quàm etiam de principiis intrinsecis, quæ dicuntur elementa, puta materia, & forma; licèt priùs de illis communibus extrinsecis, quæ sunt principia entis inquantum ens.

Veritas quæsiti.

Principia intrinseca vocantur elementa.

SVMMARIVM.

Duæ aliæ quæstiones proponuntur de rerum principiis. An ens & vnum sint principia: & dictum est quod non, 3. huius. Item, An genera sint magis principia quam species? de quo etiam lib 3.

HÆc autem vtique fient ens, & vnum, hæc enim maximè vtique existimabuntur cõtinere entia omnia, & maximè principia videri. Quia prima natura sunt. Corruptis, enim

enim ipsis cointerimuntur reliqua: omnia enim ens, & vnum. Secundùm quod autem differentias ipsis necesse participare, si ponat quis ipsa genera: differentia autem nulla genere participat. Sic nec vtique videbitur oportere ipsa poni genera, neque principia.

11 9. q. vel 2. *huius partis. An ens & vnum sint genera & rerum principia?*

Ponit secundam quæstionem, quæ est; vtrùm ens, & vnum sint genera, & principia rerum. Et primò tangit rationem ad partem affirmatiuam, dicens, quòd *hac autem*, scilicet *ens, & vnum fient vtique* supple genera, & principia rerum: *enim* pro quia, *hæc vtique maximè existimabuntur continere omnia entia*, ratione scilicet suæ communitatis, *& maximè possunt videri principia: quia naturâ*, id est, naturaliter *sunt prima*; *enim* pro quia, *ipsis corruptis consequenter reliqua cointerimũtur*, id est, corrumpuntur, & interimuntur: *omnia enim sunt ens, & vnum*: auferuntur enim reliqua omnia ipsis corruptis, & non èconuerso, ergo sunt prima naturaliter, cùm ab eis non conuertatur consequentia essendi. Secundò ponit rationem ad oppositum, dicens: *secundùm autem quod differentias necesse est participare ipsis*, scilicet vno, & ente, *si quis ponat ipsa esse genera: nulla autem differentia participat genere*: quia inquam sic est, sic *vtique videbitur non oportere poni ipsa*: scilicet vnum, & ens, *genera atque principia*. Ratio stat in hoc, quòd nulla differentia participat genus; sed est omnino extra eius rationem: sed omnis differentia participat de ente, & vno, & per consequens non essent principia, si genera sunt principia.

Destructis communibus sequitur particularium destructio, & non èconuerso sed contrà quia destructis primis substantiis, &c.

12 *Veritas quæsiti.*

Veritas huius quæstionis est, quòd *vnum*, & *ens* non sunt genera, vt ostensum est 3. huius, tex. com. 10. nec per consequens sunt principia, eo modo quo Platonici posuerunt, vt probatum est 3. huius: Idem 10. huius, tex. com 6. nec ratio ad oppositum cogit: non enim omne commune habet rationem generis, & prioris; sed vltra communitatem plura alia requiruntur, quæ non sunt in vno, & in ente, vt potest patere ex prædictis. Deinde cùm dicit:

Adhuc autem si magis principium quod simplicius eo quod minus tale: vltima autem eorum quæ ex genere simpliciora generibus, indiuisibilia enim: genera autem in plura, & differentia diuiduntur: magis vtique principium videbuntur esse species generibus. Quia autem cointerimuntur generibus species, genera principiis assimilantur magis: principium enim quod cointerimit. Quæ quidem igitur dubitationem habent hæc, & talia sunt altera.

10. q. vel 3. *huius partis, An genera magis quàm species ponenda sunt principia.*

Ponit tertiam quæstionem, quæ est, vtrùm principia sint magis genera quàm species. Et primò arguit quòd species sint magis principia, dicens, quòd *adhuc autem* illud quod est, *simplicius est magis principium, eo quod est minùs tale*, id est, minùs simplex: *vltima autem eorum quæ ex genere*: id est, quòd illa vltima ad quæ terminatur diuisio generis, vt sunt species *sunt simpliciora generibus*, *quatenus* scilicet non diuidũtur vlteriùs in alias species: *genus autem diuiditur in plures species*, *vtique species magis videbuntur principium generibus*, id est, quàm ipsa genera. Secundò arguit in contrarium: *quia autem species cointerimuntur generibus*, id est, corruptis generibus, quatenus interempto genere interimitur species; ideò *genera magis assimilantur principiis*: principium enim est quod cointerimit, id est, quod eo remoto alia auferuntur; & ideò genera videntur magis principia.

Ad destructionem principij sequitur aliorum destructio.

Veritas quæsiti. Principium duplex.

Veritas quæstionis videtur esse, quòd genera sint magis principia quàm species, pro quanto sunt etiam principia specierum: propter quod autem vnumquodque tale, & illud magis. Vnde genus, & differentia sunt principia speciei, & quantum ad esse, quia ex eis componitur; & quantum ad cognosci, quia per ea diffinitur. Nec ratio ad oppositum cogit, quia species non est simplicior: immò compositior ipso genere; vnde licèt sit magis indiuisibilis diuisione specifica, est tamen magis diuisibilis diuisione resolutoria, nam resoluitur in genus, & differentiam ex quibus constat. Vltimò epilogat, dicens, *quæ quidem ergo dubitationem habent: hæc, & talia altera sunt*, id est, hæc, & alia huiusmodi, quæ modò non dicuntur.

Quomodo genus simplicius specie & èconträ. Indiuisibile & diuisibile duplex.

SVMMÆ PRIMÆ CAP. II.

Proponuntur dubitationes de iis, quæ in hac scientia considerari dicuntur.

SVMMARIVM.

Mouet quæstiones circa considerata in hac scientia, de quibus l. 3 art. tex. 2. Prima, an præter singularia, agat de aliquibus per se existentibus & dictum est non dari talia, l 3. tex. 7. & seq. & l 7. tex. 45. Secunda, an præter formas sensibiles singulares, sit ponenda aliqua separata; & dicendum nullam sensibilem separatam poni posse, benè tamen substantiam separatam, & immaterialem.

Tex. cõ. 2. 13

Adhuc vtrùm oportet poni aliquid præter singularia, aut non; sed horum quæsita scientia: sed hæc infinita. Quæ verò præter singularia genera aut species sunt: sed neutrius horum quæsita nunc scientia, propter quid enim impoßibile hoc dictum est.

Postquam Philosophus resumpsit dubitationes tenentes se ex parte considerationis huius scientiæ: nunc resumit illas quæ se tenent ex parte rerum consideratarum ab ista scientia. Circa quod duo facit. Primò mouet dubitationes quæ respiciunt substantiam. Secundò mouet dubitationes quæ respiciunt principia. Secunda ibi: *Adhuc autem siquidem*. Prima in duas secundùm duas dubitationes. Secunda ibi: *Etenim totaliter*. Dicit ergo, quòd adhuc autem supple dubitabit aliquis *vtrùm præter singularia oportet poni aliquid*, scilicet per se existens aut non. Et primò arguitur quòd sic; quia si non, *quæsita scientia*, id est, Metaphysica *erit horum*, id est, de singularibus, & similiter quælibet alia: sed hoc est supple impossibile, *quia hæc*, scilicet singularia sunt *infinita*: de

Quæstiones ex parte rerũ consideratarum resumit hic.

Quæstio 1, An detur substantia separata à singularibus?

de infinitis autem non est scientia. Secundò arguit ad oppositum: *quia ea quæ sunt præter singularia, aut sunt genera, aut species*; & per consequens ista scientia esset de generibus, aut speciebus, quod falsum est; ideò subdit: *sed neutrius horum est quæsita nunc scientia: propter quod enim hoc est impossibile dictum est: quia* scilicet nec genera, nec species videntur esse principia, & tamen ista scientia circa principia versatur.

Singularia infinita, ideò ab arte relinquenda.

Veritas huius quæstionis est, vt patet ex 7. huius, text. com. 45. & circiter, quia nihil realiter est à singularibus separatum, vt ait Plato, ponens vniuersalia separata, de quibus possit esse scientia; nec ratio ad oppositum cogit: quia sicut iam sæpè dictum est, modus sciendi, vel intelligendi, non omnino sequitur modum essendi, & existendi: multa enim seorsum intelligimus, & scimus quæ seorsum non existunt. Deinde cùm dicit:

Veritas quæsiti.

Aliter res existis & aliter intellitur plerunque.

14 *Etenim totaliter dubitationem habet, vtrùm oportet aliquam, existimare substantiam separabilem præter sensibiles substantias; & eas quæ hæc, aut non, sed hæc esse entia, & circa hæc sapientiam existere. Quærere quidem enim videmur aliam quandam, & propositum est hoc nobis: dico autem scire si quidem separabile secundùm se, & nulli sensibilium existens.*

Mouet secundam quæstionem. Circa quod duo facit. Primò proponit quæstionem, & quæstionis necessitatem. Secundò arguit pro, & contrà. Secunda ibi: *Adhuc autem si præter.* Dicit ergo, quòd *etenim totaliter habet dubitationem vtrùm oportet existimare aliquam substantiam esse separabilem præter substantias sensibiles, & eas quæ hæc sunt:* puta præter substantias particulares, *aut non:* quia supple ista quæstio est necessaria: quia si nulla est præter substantias sensibiles, sequeretur quòd sola sensibilia sint entia; & per consequens cùm sapientia sit scientia de ente, erit circa sola sensibilia, ideò dicit: *sed hæc,* scilicet sensibilia *esse entia,* & *circa hæc sapientiam existere:* quod supple non videtur, quia in ista scientia quærimus aliquam substantiam separatam: ideò subdit, quòd *quærere quidem videmur*, supple in ista scientia, *aliam quandam* substantiam, & *hoc est nobis propositum*, scilicet intentum: *dico autem scire,* id est, scientiam *siquidem*, est aliquod *separabile per se* existens, *& nulli sensibilium,* id est, in nullo sensibili *existens*. Deinde cùm dicit:

Quæst. 2. An sit ponenda substantia separata à sensibilibus præter eas?

Necessitatem huius, q. ostendit.

Adhuc autem si præter sensibiles substantias est aliqua alia substantia, præter quas sensibiles substantias oportet ponere hanc esse. Quid enim magis præter homines, aut equos, quàm aliorum animalium ponet quis ipsam, aut totaliter inanimatorum? æqualésque sensibilibus, & corruptibilibus substantiis perpetuas alteras constituere, extra rationabilia videbitur vtique cadere.

Arguit ad quæstionem, & primò ad partem negatiuam. Secundò ad partem affirmatiuam. Secunda ibi: *Si autem non est separabile.* Dicit ergo, quòd *adhuc autem si præter substantias sensibiles est aliqua alia substantia,* remanet supple dubium *præter quales sensibilium oportet ponere hanc,* scilicet potest dici quòd præter quasdam tantùm, & præter quasdam non: *quid enim magis præter homines, aut equos, ponit aliquis ipsam,* id est, substantiam separatam, quàm aliorum animalium, *aut totaliter,* id est, generaliter *inanimatorum?* Quasi diceret quòd non videtur ratio quare præter homines, & equos sensibiles, sit homo, & equus separatus, magis quàm in aliis, siue sint animata, siue sint inanimata: nec supple potest dari altera pars, quòd scilicet præter omnia sensibilia sit aliqua substantia separata: quia tunc sequitur quòd substantiæ separatæ perpetuæ sint æquales numero substantiis sensibilibus, scilicet corruptibilibus: quia tunc sicut homo est corruptibilis, sic erit homo incorruptibilis, & similiter asinus, & leo, & sic de aliis, quod videtur esse extra rationem: ideò dicit quòd *constituere substantias perpetuas æquales substantiis sensibilibus, & corruptibilibus videtur vtique cadere extra rationabilia.* Deinde cùm dicit:

Argumẽtum quòd non.

Non esse aliquam substantiam separatam præter sensibilia.

15 *Si autem non separabile à corporibus quæsitum nunc principium est: quid vtique aliud quis ponet magis materia? hæc tamen actu quidem non est; potentia autem est, magisque vtique principium principalius hac videbitur esse species, & forma. Hæc autem corruptibilis. Quare totaliter non est perpetua substantia separabilis, & secundùm se.*

Arguit ad partem affirmatiuam, & intendit talem rationem: Si non est præter sensibilia aliqua substantia separata: ergo non erit aliquod primum principium sempiternum: consequens est falsum, ergo, & antecedens. Circa istam rationem sic procedit: quia primò proponit consequentiam. Secundò probat falsitatem consequentis, ibi; *Sed inconueniens.* Dicit ergo: *si non est separabile à corporibus*, id est, à sensibilibus *quæsitum nunc principium*, id est, primum principium, de quo quæritur *quid sit:* vtrùm scilicet sit materia, vel forma, ex quibus duobus substantiæ sensibiles componuntur: si, inquam, sic est, quid vtique *aliud quis ponet magis materia,* id est, quòd videtur prima facie quòd materia posset poni principium magis quàm aliquod aliud, cùm sit primum subiectum semper manens, sicut primi naturales Philosophi posuerunt: sed supple hoc non potest dici: ideò subdit quòd *hæc tamen*, scilicet *materia non est quidem actu,* magis autem est *potentia:* & tunc supplendum est quòd cùm actus sit prior naturaliter potentia ex 9. huius, tex. com. 13. & inde materia non poterit esse primum principium, *sed magis forma*, quæ est actus: ideò subdit: *magisque vtique erit principium principalius hac,* id est, quàm materia, videbitur *esse species, & forma*; sed nec forma supple potest esse principium, cùm sit corruptibilis: ideò dicit quòd *hæc autem*, id est, forma sensibilis *est corruptibilis: quare* si supple forma sensibilis ponatur primum principium, sequitur quòd *totaliter non est aliqua substantia separabilis, & secundùm se existens,* quod est consequens. Deinde cùm dicit:

Argumẽtum quod sic.

Al. quidque.

Sed inconueniens: videtur enim, & quæritur ferè à gratiosissimis tanquam existens quoddam principium, & substantia talis. Quomodo enim erit ordo non existente aliquo principio perpetuo, & separabili, & manente?

Probat

16

Probat falsitatem consequentis, dicens: sed hoc est inconueniens, quòd scilicet non sit aliqua substantia perpetua separata: videtur enim & ferè *quare à pluribus*, scilicet Philosophis *gratiosissimis*, id est, famosis & authenticis; *tanquam existens quoddam principium, & substantia talis*, scilicet perpetua, & *separata*: cuius rationem subdit: *quomodo enim erit ordo*, scilicet entium in vniuerso, *non existente aliquo principio perpetuo, & separabili, & permanente?* quasi dicat quòd non, quia ordo perpetuitatis non posset seruari, nisi causaretur ab aliquo primo principio permanente.

Al quasi.

Necessitas ponendi primum ens separatum.

Veritas quæsiti.

Veritas huius quæstionis sumitur ex septimo, tex. com. 45. & inde, & ex duodecimo huius, tex. com. 29. & inde. Nam præter sensibilia non est ponere aliquas formas sensibiles separatas: & hoc probat prima ratio, quæ facta est: est tamen ponere aliquas substantias immateriales, separatas, & perpetuas, scilicet Intelligentias motrices orbium cælestium, inter quas est principaliter primum mouens, quod est primum rerum principium: & sic procedit secunda ratio facta ad quæstionem. Tunc sequitur illa pars;

SVMMARIVM.

An vnum sit principium corruptibilium & incorruptibilium de quo 12. huius & l. 3. text. 15 inquirit iuxta opinionem quòd ens & vnum sint principia rerum, an significant hoc aliquid. De quo lib. 3. tex. 16. & lib 7. tex. 28.

ADhuc autem si quidem est aliqua substantia, & principium tale secundùm naturam, quale nunc quærimus, & hoc vnum, omnium, & idem perpetuorum, & corruptibilium: dubitationem habet propter quid quidem eodem principio existente: hæc quidem sunt perpetua eorum quæ sub principio: hæc autem non perpetua, hoc autem inconueniens. Si autem aliud quidem principium est corruptibilium: aliud autem perpetuorum; si quidem perpetuum & quod corruptibilium similiter dubitamus: propter quid enim non perpetuo principio existente, & quæ sub principio perpetua: corruptibili autem existente aliud aliquid principium sit huius, & illius alterum, & hoc in infinitum procedit.

Quæstiones circa principia & primò circa eorum qualitatem.

Vbi mouet quæstiones, quæ respiciunt principia. Circa quod tria facit. Primò ponit quæstiones circa principiorum qualitatem, scilicet qualia sunt. Secundò circa principiorum quiditatem, scilicet quæ sunt. Tertiò comparat ea quomodo ad inuicem se habeant. Secunda ibi: *Si autem aliquis rursus.* Tertia ibi: *Adhuc autem vtrùm principia.* Dicit ergo, quòd *adhuc autem si quidem est*, id est, dato quòd *sit aliqua substantia, & principium tale secundùm naturam, quale nunc quærimus*, habet dubitationem *hoc*, scilicet principium vtrùm sit *vnum, & idem perpetuorum, & corruptibilium*: quia si supple est *idem omnium*, est supple dubium *propter quid quidem principio existente eodem: hæc quidem sunt perpetua eorum quæ sunt sub principio, hæc autem non perpetua*; *hoc enim videtur inconueniens*, quòd scilicet ab eodem principio quædam non: *si autem aliud quidem principium est corruptibilium, aliud autem perpetuorum*, hoc supple potest esse dupliciter. Vno modo quòd principium corruptibilium sit perpetuum, sicut & perpetuorum. Alio modo quòd principium corruptibilium sit corruptibile, & vtrunque improbat: primò primum, dicens *siquidem principium*, scilicet quod *est corruptibilium, sit perpetuum similiter dubitabimus: propter quid enim principio existente perpetuo, non sunt perpetua*, supple ea quæ sunt sub principio? Quasi diceret quòd non videtur. Secundò improbat secundùm membrum, dicens *corruptibili autem existente*, scilicet principio corruptibilium, sequitur quòd *huius principij sit aliquod principium, & illius alterum, & hoc in infinitum procedit*, quod patet esse falsum, ex 2. huius: tex. com. 5. & inde. Ratio huius consequentiæ assignatur: quia illud principium corruptibile erit generabile: omne autem generabile habet principium, & sic illius principij erit principium in infinitum.

17

Veritas quæsiti.

Veritas huius quæstionis est, quæ patet ex 12. huius, tex. com. 29. & inde, quòd principium primum, & primum mouens est vnum omnium: sed ab eo procedunt quædam incorruptibilia, quæ sibi sunt propinquiora, & quædam corruptibilia, quæ sibi sunt remotiora; in quibus generationis, & corruptionis est causa media, puta cælum, quod est incorruptibile secundùm substantiam: sed variatur secundùm *vbi*: nec ratio ad oppositum cogit: nam ab eodem primo principio potest esse effectus corruptibilis & incorruptibilis, propter diuersitatem principiorum intrinsecorum: principia etiam non procedunt in infinitum, esto esset quòd corrumpantur, vt concludit vna ratio: quia principia intrinseca corruptibilium, quæ ponuntur corruptibilia, non corrumpuntur per se; sed per accidens ex 7. huius: tex. com. 26. & inde, nec per consequens resoluuntur in aliqua priora, cùm sint simplicia. Deinde cùm dicit;

Vnum tãtùm est primum principium omnium, sed vario modo. Principia nõ procedunt in infinitum.

Si autem rursus aliquis putat maximè principia immobilia esse ens, & vnum ponat, primò quidem si non hic, aliquid, & substantiam, vtrunque ipsorum significat, quomodo erunt separabilia, & per se: talia autem quærimus perpetua, quæ & prima principia. Si verò hæc aliquid, & substantia vtrunque ipsorum significat, omnia erunt substantiæ entia, de quibus enim ens prædicatur, de quibusdam autem, & vnum, substantiam autem esse omnia entia falsum.

Circa quiditatem principiorum quærit. 3. q. & hoc secũdum 3. opiniones,

Mouet quæstiones circa quiditatem principiorum. Circa quod tria facit. Primò quærit de quiditate principiorum secũdùm opinionem eorum, qui ponunt vnum, & ens esse principia. Secundò secundùm eos, qui ponunt Mathematica media. Tertiò secundùm eos, qui ponunt substantiam. Secunda ibi: *Si verò lineas.* Tertia ibi: *Exhibet autem.* Prima in duas, secundùm duas rationes, quas adducit ad quæstionem contra eos. Secunda ibi: *Adhuc autem.* Dicit ergo, quòd *si rursum aliquis ponat principia rerum ens & vnum*, quæ sunt *principia maximè immobilia*, quæreret aliquis vtrùm *vtrunque illorum significet hoc aliquid, & substantiam*, aut non: si non *vtrunque ipsorum*

Prima opinio. De ente & vno.

rum significat, hoc aliquid & substantiam, *quomodo erunt separabilia, & per se*, scilicet existentia? Quasi diceret quòd non erunt, quia nihil præter substantiam potest seorsum existere per se, & tamen *talia prima principia quærimus*, quæ sunt *perpetua*, & per se existentia: *si verò vtrunque ipsorum significat hoc aliquid*, & substantiam, sequitur quòd *omnia entia erunt substantia*, & nihil supple erit accidens: *enim* pro *quia*, *ens prædicatur de omnibus: vnum autem*, scilicet prædicatur & dicit *de quibusdam*, quatenus sunt multa de quibus fortè dubium est qualiter vnum prædicatur: sed de hoc dictum est 4. huius, quæstione de Vno; & subdit, omnia autem entia esse substantiam falsum est, cùm sint multa accidentia; ergo vnum, & ens non significant substantiam, & hoc aliquid. Deinde cùm dicit;

Vnum & ens non significant substantiam.

18

Adhuc autem primum principium quod vnum dicentibus: & hoc substantiam: ex vno autem, & materia numerum generant primò, & hanc substantiam dicunt esse: quomodo contingit quòd dicitur verum esse: dualitatem enim & reliquorum vnumquemque numerum compositorum quomodo vnum, oportet intelligere: de hoc enim neque quicquam omnino dicunt, neque facile est dicere.

Ponit secundam rationem, dicens, quòd *adhuc autem dicentibus*, id est, ponentibus *primum principium*, ipsum quod est vnum: *& hoc*, scilicet vnum esse *substantiam, ex vno autem, & materia generant numerum primò*, id est, vt primum effectum, *& hanc*, scilicet numeri *dicunt esse substantiam*: istis inquam sic dicentibus *quomodo competit quod dicitur verum esse*? Quasi diceret quòd non: quod probat ex hoc, quia si numerus componatur ex vno, sequitur quòd numerus sit quoddam vnum: sicut quod componitur ex materia, & forma est materiatum, & formatum, quod tamen est impossibile vt videtur; ideò subdit: *dualitatem enim, & vnumquodque reliquorum numerorum compositorum*, scilicet ex vno, *quomodo oportet intelligere vnum*? Quasi diceret quòd non; *de hoc enim neque dicunt*, nihil scilicet ipsi Platonici nec *est eis facile dicere*, vt videtur.

Al. hunc scilicet numerum.

SVMMARIVM.

De quiditate principiorum secundùm asserentes esse Mathematica. Item secundùm eos qui dicunt substantias esse principia, de quibus l. 3. art. tex. 9. Item an dari possit substantia separata. De quibus omnibus actum est l. 3.

Si verò lineas aut his habita: dico autem superficies prima ponat quis principia: hæc autem non sunt substantiæ separabiles. Decisiones autem & diuisiones hæ quidem superficierum: hæ autem corporum: puncta autem linearum. Adhuc autem termini eorundem horum, Omnia autem hoc in aliis existunt, & separabile nullum est.

2. opin. de Mathematicis.

Inquirit de quiditate principiorum secundùm opinionem eorum qui ponunt Mathematica intermedia esse principia, & diuiditur in duas secundùm duas rationes quas adducit contra eos. Secunda ibi: *Adhuc autem quomodo.* Dicitur ergo, quòd *si verò* quis ponit prima principia esse *lineas, aut his habita*, id est, consequenter se habentia: *dico autem superficies, & alia huiusmodi.* Ponebant enim corpora componi ex superficiebus, & superficies ex lineis, & lineas ex punctis; *hæc autem non sunt substantiæ separabiles*, quasi per se possent existere; quod probat, quia *sunt decisiones, & diuisiones linearum.* Adhuc autem *horum eorundem sunt termini*, puta punctus est terminus lineæ, & linea superficiei, & superficies corporis: ex quo infert quòd *omnia hæc existunt in aliis*; sicut scilicet accidens in subiecto, *& nullum est separabile*, & per consequens non erunt principia, vt illi Platonici posuerunt.

Notandum, quòd punctus est diuisio lineæ, & est terminus. Est diuisio quidem, quia in puncto signato infra lineam habet diuidi linea si diuiditur. Dicitur etiam terminus, quia extremitates lineæ ad puncta terminantur, & est differentia inter punctum diuisiuum, & terminatiuum; quia punctus qui terminat est actu in linea; sed punctus qui diuidit est solùm in potentia; nisi post factam diuisionem; & tunc iam acquirit rationem terminantis. Similiter intelligendum est de linea respectu superficiei, & de superficie respectu corporis. Ex quo sequitur, quòd huiusmodi Mathematica non sunt separata: quia diuisiones, & termini rerum non separantur à rebus quarum sunt termini; nec per consequens erunt principia à rebus separata, vt illi Platonici dixerunt. Deinde cùm dicit:

19 *Punctus est diuisiuus, & terminatiuus lineæ quomodo.*

Mathematica non sunt rerum principia.

Adhuc quomodo substantiam existimare oportet vnius & puncti? substantiæ quidem enim omnis generatio est: puncti autem non est, diuisio enim punctum.

Ponit secundam rationem, dicens, quòd *adhuc quomodo oportet existimare*, id est, opinari aliquam *substantiam esse vnius, & puncti*: quasi diceret, quòd non; sic intelligendo quòd vnum, & punctum sint quædam substantiæ; quod probat, quia *omnis quidem substantiæ*, quæ supple incipit nouiter esse, *est generatio*, id est, quòd accipit esse per generationem; *puncti autem non est*, supple generatio: *punctum enim est quædam diuisio*; ita quòd ad diuisionem lineæ incipit punctum nouiter esse sine generatione sui: ex quo sequitur quòd punctum non est de substantia lineæ, idem intelligendum est de vno. Deinde cùm dicit:

Puncta incipiunt esse sine generatione, quod tamen bene examinabitur consequenter.

20

Exhibet autem dubitationem, & oportet quidem scientiam esse vniuersalium, & talis: substantia autem non vniuersalium esse; magis autem hæc aliquid, & separabile: quare si circa principia est scientia, quomodo oportet principium existimare substantiam esse?

Inquirit de quiditate principiorum secundùm opinionem eorum, qui ponunt substantias esse principia. Circa quod duo facit. Primò inquirit vtrùm principia sint substantia. Secundò vtrùm præter primam substantiam sit aliqua. Secunda ibi: *Adhuc autem vtrum est aliquod.* Dicit ergo, quòd *exhibet autem dubitationem*, vtrùm supple substantiæ sint principia. Et arguit quòd non: quia *omnem quidem scientiam oportet esse vniuersalium*,

2. opin. de substantiis.

ſalium,& talis, ſcilicet vniuerſalis: itaque quælibet ſcientia eſt de aliquo vniuerſali determinato vt de ſubiecto: ſubſtantiam autem patet non eſſe de numero vniuerſalium;*ſed magis eſt hoc aliquid* quale non eſt vniuerſale: *& ſeparabile*, id eſt, per ſe exiſtens, ex quo ſequitur quòd de ſubſtantiis non ſit ſcientia: *quare ſi* pro quia, *ſcientia eſt circa principia: quomodo oportet exiſtimare ſubſtantiam eſſe principium?* Quaſi diceret, non.

Veritas quæſitorum 3.

Veritas huius quæſtionis, & aliarum duarum quæſtionum eſt, quòd vnum, & ens, quantùm ad primam: & Mathematica, quantùm ad ſecundam non ſunt rerum principia, nec ſubſtantiæ, vt poteſt colligi, ex 7. huius, tex. com. 28. & inde, & ex 13. & 14. libro huius; vbi iſtam materiam Philoſophus prolixiùs pertractat: Quoad tertiam quæſtionem ſi ſit ſermo de principiis extrinſecis ſic aliquæ ſubſtantiæ ſeparatæ, puta Intelligentiæ ſunt principia omnium entium vniuerſalia vniuerſalitate cauſalitatis: principia autem intrinſeca in genere Subſtantiæ ſunt ſubſtantiæ: in aliis Generibus ſunt ſimiliter in eodem genere cum re principiata, eo modo quo ſunt principiata, & compoſita intrinſecè, vt declaratum eſt 8. huius. Deinde cùm dicit:

Principium, & vniuerſale dupl. Principium, & principiatum intrinſeca ſunt vnigenea.

21

Adhuc vtrùm eſt aliquid præter ſynolon, aut non (dico autem) materiam, & quod cum hac: ſiquidem enim non, quæ quidem in materia, corruptibilia omnia. Si autem eſt aliquid, ſpecies vtique erit, & forma. Hoc igitur in quibus eſt, & in quibus non, difficile determinare, in quibuſdam enim palàm non exiſtens ſeparabilis ſpecies, puta domus.

4. q. de principiorum quiditate. Synolon quid?

Inquirit vtrùm præter primam ſubſtantiam, quæ eſt ſubſtantia particularis, ſit aliqua, dicens, quòd *adhuc autem eſt ſupple* dubitatio, *vtrùm eſt aliquod præter ſynolon*, id eſt, præter ſingulare, *aut non*, & exponit quid eſt dictum ſynolon: *dico autem materiam, & quod cum hac*; ſingulare enim eſt quoddam materiale reſpectu ſpeciei, & compoſitum cum hac ſcilicet materia indiuiduali, quæ eſt quædam hæcceitas: & arguit ad quæſtionem: *ſi quidem enim non eſt*, ſupple aliquid præter ſynolon compoſitum cum materia: omnia autem, *quæ quidem ſunt in materia* ſunt *corruptibilia*; & tunc nihil eſſet perpetuum, quod eſt falſum: *ſi autem eſt aliquid*, præter ſynolon, illud *vtique erit ſpecies, & forma*; & tunc remanet dubium, quia *hoc*, ſcilicet forma *in quibus eſt* ſupple ſeparabilis, *& in quibus non, difficile eſt terminare: in quibuſdam enim palàm eſt quòd ſpecies*, id eſt, forma *non eſt exiſtens ſeparabilis*, puta forma domus, & ſimiliter omnes aliæ formæ artificiales ſecundùm etiam Platonicos, vt dictum eſt 8. huius, & dicetur etiam in 12.

Non dantur ideæ artificialium.

Veritas quæſiti.

Veritas huius quæſtionis eſt, quod præter ſubſtantias ſenſibiles, & ſingulares eſt aliquid ſeparatum, puta ſubſtantiæ immateriales, quæ ſunt mouentes cælos; non tamen ſunt ſeparatæ formæ rerum ſenſibiles, nec ideæ, vel numerus, vt Platonici putauerunt, vt iam dictum eſt ſuprà. Deinde cùm dicit:

Adhuc vtrùm principia ſpecie, aut numero eadem: ſi enim numero, omnia erunt eadem.

Mouet vnam dubitationem de comparatione principiorum ad inuicem, dicens, quòd *adhuc* ſupple eſt dubitatio, *vtrùm principia ſint eadem in ſpecie, aut numero*, aut non: & arguit ad quæſtionem: *ſi enim ſunt eadem numero, omnia erunt eadem* numero, quod eſt falſum. Et eſt ſupplenda ratio ad oppoſitum: quia ſi non eadem numero, reſtat quærere cauſam diuerſitatis numeralis.

Quæſtio de principiorum ad inuicem cõparatione.

Veritas huius quæſtionis habetur ex 12. huius, quia prima principia extrinſeca ſunt eadem numero omnium: quia primum mouens eſt principium agens, & vltimus finis omnium, vnus numero exiſtens: principia verò intrinſeca ſunt diuerſa ſimpliciter; licèt ſint eadem ſecundùm proportionem, & ſecundùm vnitatem tranſcendentem vniuocam, vt ibidem prolixius deducitur, & declaratur.

Veritas quæſiti.

Principia, & eorum identitas ſunt duo.

SVMMA SECVNDA.

Proponuntur ea quæ ad huius ſcientiæ conſiderationem pertinent. De quibus in 4. libro tractatum eſt.

CAP. I.

Hanc ſcientiam conſiderare de omni ente, vt ens eſt, & de principiis demonſtrationis.

SVMMARIVM.

In hoc capite reſumit quæ fusè tradidit l. 4. de obiecto huius ſcientiæ, & analogia entis. Docet ens eſſe vniuocum, de quo Doctor l. 4. q. 1. oſtendit omnia contraria reduci ad vnum ens, & quodnam eſt illud.

QVoniam autem Philoſophi ſcientia eſt entis inquantum ens vniuerſaliter, & non ſecundùm partem: ens autem multipliciter, & non ſecundùm vnum dicitur modum. Si quidem igitur æquiuocè, ſecundùm commune autem nihil, non eſt ſub vna ſcientia: non enim vnum genus talium: ſi autem ſecundùm aliquid commune, erit vtique ſub vna ſcientia.

Tex. c. 3.

22

Poſtquam Philoſophus recollegit, & reſumpſit quaſdam quæſtiones, de quibus fuit facta mẽtio in 3. libr. nunc reſumit ea quæ dixerat de ambitu huius ſcientiæ in quarto, & in principio ſexti libri. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum eſt. Secundò comparat hanc ſcientiam ad alias ex prædictis. Secunda ibi: *Omnis autem ſcientia quærit*. Prima in duas. Primò oſtendit quòd huius ſcientiæ eſt conſiderare de omni ente. Secundò oſtendit quòd eius eſt conſiderare prima principia demonſtrationis. Secunda ibi: *Quoniam autem, & Mathematicus*. Prima in duas. Primò oſtendit quòd omnia entia reducuntur ad vnum commune. Secundò quod iſta ſcientia determinat de omnibus entibus ſic reductis. Secunda ibi: *Quemadmodum Mathematicus*. Prima in duas. Primò facit quod dictum eſt. Secundò oſtendit quid eſt illud vnum ad quod omnia entia reducuntur. Secunda ibi: *Differt autem nihil*. Prima in duas. Primò proponit intentum. Secundò

Sermo de ambitu & modo conſiderandi Metaphyſicæ in ordine ad alias ſciẽtias.

De vnitate entis in communi & aliorum reductione in ipsum.

cundò declarat ipsum. Secunda ibi: *Videtur itaque.* Dicit ergo, quòd *quoniam scientia Philosophi,* id est, Metaphysici, *est entis inquantum ens, & hoc vniuersaliter & non secundùm partem,* id est, secundùm rationem alicuius entis particularis, sed secundùm rationem vniuersalem, quæ est entis inquantum ens. Iterum *ens dicitur multipliciter & non dicitur secundùm vnum modum: si quidem igitur æquiuocè; secundùm commune autem nihil,* id est, quod si ista multiplicitas esset æquiuocatio, & entia non dicerentur secundùm aliquod commune, tunc ens inquantum ens *non est,* id est, non caderet *sub vna scientia: non enim talium,* scilicet entium esset *vnum genus commune,* ad quod reducerentur, si supple æquiuocè dicerentur, & tamen vnam scientiam oportet esse vnius generis subiecti: *si autem* supple multiplicitas entis est supple *secundùm aliquod commune: erit vtique,* id est, cadet *sub scientia,* ipsum supple ens inquantum ens, hoc est verum, quia multiplicitas entis est multiplicitas non significatorum: sed suppositorum, quæ non tollit vniuocationem entis, vt ostensum est 4. huius. Deinde cùm dicit:

Hinc argumentum efficax contra negantes vniuocationem entis.

23

Videtur itaque dicto modo dici, quemadmodum medicatiuum, & salubre, etenim horum vnumquodque multipliciter: dicitur autem secundùm vnumquemque modorum, eo quòd hæc quidem ad medicatiuam scientiam reducitur aliqualiter, hæc autem ad sanitatem; hæc autem aliter ad idem, aut vnumquodque, medicatiuus enim sermo cultellúsque dicitur, eo quòd hic quidem à medicatiua scientia fit, hic autem huic vtilis fit, similiter autem, & salubre: hoc quidem enim, quia significatiuum sanitatis, hoc autē, quia factiuum: idem autem modus, & in reliquis. Eodem itaque modo, & ens omne dicitur, eo enim quòd entis inquantum ens passio, aut habitus, aut dispositio, aut motus, aut aliorum aliquid talium sit, dicitur vnumquodque ipsorum ens.

Declarat intētum quod proposuit. Circa quod duo facit. Primò ostendit quod omnia entia reducuntur ad vnum commune. Secundò ostendit idem de omnibus contrariis. Secunda ibi: *Quoniam autem omnis entis.* Dicit ergo, quòd *videtur vtique* supple ipsum ens dici *dicto modo* scilicet vt dicatur secundùm aliquod commune *quemadmodum* à simili *dicuntur medicatiuum, & salubre; etenim* pro quia, vnumquodque istorum multipliciter dicitur, eo quòd hoc quidem, id est, medicatiuum aliter reducitur ad scientiam medicatiuam: hoc autem, id est, salubre, *reducitur* supple secundùm *vnumquemque modorum,* aliter ad sanitatem, hoc autem aliter ad idem, aut *vnumquodque,* id est, secundùm quòd hoc sic refertur ad sanitatem, hoc autem, id est, illud aliter; tamen *aliquod idem est ad quod vnumquodque diuersimodè reducitur:* quod exponit primo de medicatiuo, dicens, quòd *medicatiuus etiam dicitur sermo, & etiam cultellus, eo quòd hic quidem,* scilicet sermo fit *à scientia medicatiua: hic autem,* scilicet cultellus eo quòd est vtilis huic, id est, eidem scientiæ medicatiuæ, sicut instrumentum. Secundò exponit illud de salubri, dicens, quòd *similiter autem, & salubre hoc quidem dicitur, quia est significatiuum sanitatis,* puta vrina *hoc autem quia est factiuum sanitatis,* puta potio: *idem autem modus* supple, *est & in reliquis,* quæ attributionem habent ad aliquod vnum: postea applicat ad propositum, dicens, *eodem vtique modo & esse ens dicitur,* quia supple omnia entia reducuntur ad ens commune aliquo modo: *etenim* pro quia, *vnumquodque ipsorum dicitur ens, vel in eo quod est passio entis inquantum ens, aut habitus, aut dispositio, aut motus: aut* sic dicitur *aliquid aliorum talium:* nam omnia entia *sic,* vel sic, habent attributionem ad ens commune quod est *ens* inquantum ens.

Declarat quod dixit de reductione & attributione entium ad ens.

Notandum quòd, vt ostensum est quarto, & 7. huius, simile non est simile omnino: quia iam non esset simile, sed omnino idem; licèt ergo sanitas dicatur æquiuocè de vrina, & de animali, quatenus sanitas non existit formaliter in vrina, sicut in animali; tamen ens verè dicitur vniuocè de substantia, & accidente, & in vtroque formaliter includitur; est tamen simile pro tanto, quia sicut sanitas dicitur secundùm quendam ordinem attributionis de sanitate in animali, & in vrina; sic & ens de substantia, & accidente, quatenus substantia est ens perfectius accidente. Deinde cùm dicit:

24 *Aliter ens & medicatiuum, vel salubre analogicè dicuntur.*

Quoniam autem omnis entis ad vnum aliquid, & commune reductio fit; & contrarietatum vnaquæque ad primas differentias & contrarietates reducentur entis: siue pluralitas, & vnum: siue similitudo, & dissimilitudo prima entis sint differentiæ: siue aliæ aliquæ: sunt enim hæ speculatæ,

Ostendit quòd omnia contraria reducuntur ad aliquam primam, dicens quòd *quoniam omnis entis fit reductio,* scilicet ad ens inquantum ens, *vnaquaque contrarietatum,* supple differentiarum entis, *reducetur ad primas differentias & contrarietates entis: siue* supple illa contrarietas sit *pluralitas, & vnum, siue similitudo, & dissimilitudo: quæ sunt* supple *differentiæ entis: siue aliqua aliæ sint: enim* pro quia *hæ speculatæ sunt* à scientia supple, quæ speculatur ens inquantum ens.

Sicut entium sic & contrariarum entis differentiarũ fit reductio ad vnam primam.

Notandum quòd, vt tactum est 4. huius, differentiæ, siue passiones entis quædam sunt disiunctæ, puta contingens vel necessarium, causa vel causatum, vnum vel plura: quædam autem non, & sicut ergo omnia entia habent quendam ordinem attributionis ad aliquod vnum primum, puta ad ens inquantum ens, vt sic possint cadere sub considerationem vnius scientiæ; sic & omnes differentiæ disiunctæ, & contrariæ reducuntur ad aliquam vnam primam contrarietatem, quæcunque sit illa propter eandem rationem. Deinde cùm dicit:

Passionum entis, alia vnita, alia disiuncta.

25

Differt autem nihil entis reductionem ad ens, aut ad vnum fieri: etenim si non idem sed est aliud, conuertitur quidem: vnum enim ens aliqualiter etiam ens vnum.

Ostendit quid est illud vnum ad quod omnia entia reducuntur. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est. Secundò remouet dubium circa dicta. Secunda ibi: *Quoniam autem sunt contraria.* Dicit ergo, quòd *nihil differt reductionem entis fieri ad ens, aut ad vnum: etenim* pro quia: *si* supple ens, & vnum non sunt *idem sed aliud*

Entium reductio æquè ad vnum sicut ad ens potest fieri.

aliud, ſupple formaliter, licèt ſint idem realiter, ex 4. huius: *tamen conuertitur quidem vnum cum alio*, ita quòd ſint idem conuertibiliter: *enim* pro quia, *vnum erit ens aliqualiter*, & èconuerſo: *ens eſt vnum*: & dicit *aliqualiter*, quia ens & vnum licèt ſint idem realiter; tamen formaliter non ſunt idem: ratione ergo huius identitatis & conuertibilitatis nihil refert reductionem entium fieri ad ens, vel ad vnum. Deinde cùm dicit:

De identitate entis, & vnius.

Quoniam autem ſunt contraria omnia eiuſdem, & vnius ſcientiæ ſpeculari: dicitur autem vnumquodque ipſorum ſecundùm priuationem. Et vtique quædam dubitabit aliquis quomodo dicuntur ſecundùm priuationem, quorum eſt intermedium aliquid, quemadmodum iuſti, & iniuſti. Circa omnia vtique talia priuationem oportet poni, non totius rationis ſed vltimæ ſpeciei, puta ſi eſt iuſtus ſecundùm habitum quendam obediens legibus: non ſemper iniuſtus erit, tota priuatus ratione, tunc perſuaderi autem legibus deficiens in aliquo. Et ſecundùm hæc priuatio ineſt ipſi, eodem autem modo, & in aliis.

Quare contrariorũ vna diſciplina.

Remouet quoddam dubium circa dicta: quia enim dixerat quòd *omnia contraria*, pertinent ad *conſiderationem vnius ſcientiæ*: cuius ratio eſt: quia *vnum* contrarium, *habet rationem priuationis*, quæ cognoſcitur per habitum; ideò eſt dubium quomodo *contraria*, quæ habent, *medium dicuntur ſecundùm priuationem*, cùm priuatio, & habitus ſint immediata circa ſubiectum aptum: hoc autem remouet intendens, quòd contraria prout reducuntur ad priuatiua, ſunt immediata ſcilicet circa proprium ſubiectum: cuius ratio eſt: quia contrarium includens priuationem iſto modo, non priuat totaliter totam rationem habitus, ſed perfectionem illius, *vt ſi iuſtus dicatur quia perfectè obedit legibus*: iniuſtus priuatiuè dicetur, non qui in nullo obedit, ſed qui in aliquo non obedit: ſi verò acciperetur contrarium proprium, prout contrarietas dicit maximam, & perfectam diſtantiam, *vt dicatur iniuſtus qui in nullo obedit legibus*, tunc erit medium inter ipſa, ſcilicet qui in aliquo obedit & in aliquo non obedit. Et hoc eſt, quod dicit quòd *quoniam autem contraria ſunt vnius, & eiuſdem ſcientiæ ſpeculari: dicitur autem vnumquodque ipſorum*, ſcilicet *contrariorum ſecundùm priuationem, & ideò vtique dubitabit aliquis quomodo quedam contraria dicuntur ſecundùm priuationem*; illa ſcilicet *quorum eſt aliquod intermedium quemadmodum iuſti, & iniuſti*. Et ſubdit ſolutionem, dicens, quòd *circa omnia itaque talia priuationem oportet òpponi non totius rationis*, ſcilicet ipſius habitus; ſed *vltimæ ſpeciei*, id eſt, perfectionis eius, *puta ſi eſt iuſtus ſecundum habitum quendam obediens legibus, non ſemper iniuſtus erit tota priuatus ratione*, ſcilicet ipſius habitus; ſed circa *perſuaderi*, id eſt, obedire *legibus deficiens in aliquo*, & *ſecundùm hoc ineſt ſibi priuatio*, id eſt, habet rationem priuationis reſpectu alterius contrarij, & habitus: *eodem autem modo eſt, & in aliis*, ſcilicet *contrariis*. Deinde cùm dicit:

26

Quomodo omnia contraria ſe habent, vt priuatio, & habitus cum aliqua ſint mediata declarat.

Priuatio duplex.

Iniuſtus accipitur dupliciter.

Al. tunc.

SVMMARIVM.

Hanc ſcientiam conſiderare omnia entia, vt reducuntur ad vnum, ſeu ad ens, vt ſic, quod oſtendit inductiuè inferens inde, omne ens quantumuis multiplex, dici ſecundùm vnum aliquod commune.

Quemadmodum autem Mathematicus circa ea quæ ex ablatione Theoriam facit, circumtollens enim, omnia ſenſibilia ſpeculatur, puta, leuitatem, & grauitatem, & duritatem, & contrarium; adhuc autem càliditatem, & frigiditatem, & alias ſenſibiles contrarietates. Solùm autem derelinquit quantũ, & continuum, horum quidem ad vnum, horum ad duo, horum verò ad tria, & paſſiones horum inquantum quanta ſunt, & continua, & non ſecundùm aliud aliquid, ſpeculatur, & horum quidem eas, quæ ad inuicem poſitiones conſiderat & in his exiſtentia, horum autem commenſurationes, & incommenſurationes, horum verò rationes. Sed tantùm vnam, & eandem ponimus ſcientiam Geometriam, eodem modo ſe habet, & circa ens.

Oſtendit quòd iſta ſcientia determinat de omnibus entibus ſic reductis ad aliquod vnum commune, quod eſt ens inquantum ens. Circa quod tria facit. Primò oſtendit per ſimile quòd vnius ſcientiæ eſt conſiderare omnia quæ ad ens reducuntur. Secundò inquirit cuius ſcientiæ, oſtendens quòd non alterius quàm Metaphyſicæ. Tertiò infert ex dictis concluſionem intentam. Secunda ibi: *Huic enim accidentia*. Tertia ibi: *Quoniam autem ens*. Dicit ergo, quòd *quemadmodum Mathematicus facit Theoriam*, id eſt, conſiderationem, *circa ea quæ ex ablatione*, id eſt, quæ ſunt abſtracta à motu, & à materia ſenſibili, *circumtollens enim*, id eſt, circumſcribens, *omnia ſenſibilia, ſpeculatur*, ipſa ſcilicet Mathematica, *puta*, circumſcribens, *grauitatem, & leuitatem, duritiem, & eius cõtrarium*, ſcilicet mollitiem, *adhuc autem caliditatem, & frigiditatem, & alias ſenſibiles contrarietates*: *ſolùm autem quantum, & continuum derelinquit*, ſupple in ſua conſideratione: *horum quidem, ſiue* ſit ſupple continuum, *ad vnum*, id eſt, ſecundùm vnam dimenſionem, vt linea: *horum autem ad duo*, puta ſuperficies: *horum autem ad tria*, puta corpus: iterum ſpeculatur, *& horum paſſiones inquantum ſunt quanta, & continua, & non ſecundùm aliquod aliud*, id eſt, non per accidens, ſcilicet quia non conſiderat paſſiones corporis ſecundùm quod corpus eſt ferreum, vel ligneum; ſed præciſè inquantum quantum, vel continuum: ſimiliter eſt de linea, ſuperficie, & aliis: iterum conſiderat *horum quidem eas, quæ ſunt ad inuicem poſitiones*, puta conſiderando figuras; iterum in his exiſtentia, id eſt, accidentia, *& etiam horum commenſurationes, & incommenſurationes, & iterum horum rationes*, id eſt, proportiones: *ſed tamen omnium prædictorum ponimus vnam, & eandem ſcientiam*, ſcilicet *Geometricam*, quæ conſiderat de omnibus ſupradictis. Et ſubdit, quòd *eodẽ modo ſe habet circa ens*, quòd ſcilicet aliqua vna ſcientia conſiderat de ente, &

27

Quòd vnius ſcientiæ ſit conſiderare attributa, & terminũ attributionis eorum.

Quæ & qualiter conſiderat Metaphyſicus.

Vide Euclidem in 5. & 10. elementorum.

Al. tantum.

de omnibus quæ ad ens reducuntur,& attribuuntur. Deinde cùm dicit:

28

Huic enim accidentia inquantum est ens, & contrarietates ipsius inquantum ens: non alterius scientiæ quàm Philosophiæ speculari. Naturali quidem enim non inquantum entia: magis autem inquantum motu participant Theoriam vtique quis distribuet. Dialectica enim entia, & Sophistica sunt accidentium quibus entibus; non autem inquantum entia, nec circa ens ipsum inquantum ens est; quare relinquitur Philosophum inquantum entia sunt, esse circa dicta speculatiuum.

Inquirit cuius scientiæ sit huiusmodi considerare, ostendens quòd nullius alterius quàm Metaphysicæ, dicens, quòd *huic enim*, scilicet enti, *accidentia inquantum est ens, & contrarietates eius inquantum est ens, non* est *alterius scientiæ speculari quàm Philosophia*, id est, Metaphysicæ: quod probat, *quia hæc non pertinent neque ad Philosophiam naturalem neque ad Dialecticam*, de quibus magis videtur; ideò dicit, quòd *naturali*, quidem enim *non* supple, *pertinet considerare entia*, inquantum entia, sed supple *si quis distribuet Theoriam*, id est, considerationem *magis inquantum*, scilicet entia, *motu participant: Dialectica autem, & Sophistica sunt accidentium*, id est, considerant accidentia entibus, non *inquantum entia*, vt sunt secundæ intentiones: nec supple speculantur circa ipsum ens, inquantum ens est: *quare relinquitur Philosophum*, id est, Metaphysicum *esse speculatiuum circa dicta, inquantũ*, supple sunt accidentia entis, *inquantũ ens*.

Al. de quo. *Solius Metaphysici est cõsiderare ens & eius accidentia inquantum tale & talia.*

Notandum, quòd Philosophia naturalis; & Dialectica cum Sophistica videntur esse scientiæ maximè communes, naturalis quidem Philosophia, quatenus secundùm antiquos naturales non erat aliquod ens nisi sensibile: sic enim Philosophia naturalis esset de omni ente; vnde 6. huius, t.c.3. dictum est, quòd si non essent aliqua entia nisi sensibilia, Physica esset prima philosophia, Dialectica, & Sophistica (quatenus considerant quasdam secundas intentiones, quæ omni enti possunt applicari) dicuntur etiam scientiæ communes; si ergo aliqua scientia debeat considerare de prædictis, quæ competunt enti inquantum ens, maximè videtur, quòd competeret istis: si igitur ad istas non spectat considerare de prædictis, vt ostensum est, multominus pertinet ad aliquam aliam scientiam particularem; relinquitur ergo quòd ad primam Philosophiam pertineat considerare de prædictis. Deinde cùm dicit:

Al. siue. *Naturalis, Dialectica, atque Sophistica ponuntur communes scientiæ infra Metaphysicam.*

29

Quoniam autem ens omne secundùm vnum aliquid, & commune dicitur multipliciter dictum, & contraria eodem modo: ad primas enim contrarietates, & differentias entis reducũtur. Talia autem possunt sub vna scientia esse, dissoluetur vtique, quæ secundùm principia dubitatio dicta. Dico autem in qua dubitatum est quomodo erit multorum, & differentium genere vna aliqua scientia.

Infert ex prædictis intentam conclusionem, dicens, quòd *quoniam omne ens dictum, multipliciter dicitur secundùm vnum aliquod commune, & eodem modo contraria*: quia supple *omnia reducuntur ad primas contrarietates, & differentias entis: talia autem possunt esse sub vna scientia*, vt ostensum est: quia inquam sic est, *dissoluitur vtique dubitatio, quæ dicta est secundùm principia*, id est, iuxta principium huius 11. *Dico autem in qua dubitatum est, quomodo erit aliqua vna scientia multorum, & differentiũ genere.* Tunc sequitur illa pars;

Cõclusionem intentam ex dictis infert.

SVMMARIVM.

Hanc scientiam extendere se ad principia demonstrationis; quod etiam inductiuè ostenditur.

Qvoniam autem Mathematicus vtitur communibus, propriè & horum principia erit vtique speculari primæ Philosophiæ: quod enim ab æqualibus, æqualibus ablatis quæ relinquuntur æqualia, commune quidem est in omnibus quantis. Mathematica autem id sumẽs circa aliquam partem conuenientis materiæ facit Theoriam, puta circa lineas, aut angulos; aut numeros, aut reliquorum aliquid quantorum, non inquantum autem entia; sed inquantum continuum ipsorum vnumquodque, aut vnum, aut duo, aut tria. Philosophia autem de his, quæ in parte quidem inquantum horum vnicuique aliquid accidit non intendi: circa ens autem inquantum ens talium vnum, quod speculatur.

30

Vbi postquam Philosophus ostendit, quòd ista scientia extendit se ad omne ens: nunc ostendit quòd extendit se ad prima principia demonstrationis. Circa quod duo facit. Primò ostendit generaliter quòd istius scientiæ est huiusmodi principia speculari. Secundò specialiter determinat de primo principio demonstrationis, quod est principium omnium simpliciter. Secunda ibi: *Est autem quoddam in entibus.* Prima in duas secundùm quòd duplici modo ostendit propositum. Primò per considerationem in scientia Mathematica. Secundò per considerationem in scientia naturali. Secunda ibi: *Eodem autem modo.* In prima parte intendit talem rationem: Quæcunque communia à scientiis particularibus solùm particulariter sumuntur, pertinent ad considerationem huius sciẽtiæ communiter, & generaliter accepta: sed prima principia demonstrationis sunt huiusmodi, ergo, &c. Minorem declarat in scientiis Mathematicis dicens, quòd *quoniam autem Mathematicus vtitur communibus*, scilicet principiis, *propriè*, id est, secundùm quandam appropriationem, *vt exigit sua materia, ideò horum principia*, id ést, huiusmodi principia in sua communitate accepta, *erit vtique primæ Philosophiæ speculari*: quod declarat per exempla: hoc enim principium, *quod est: si ab æqualibus æqualia demas, quæ relinquuntur sunt æqualia, est quidem commune in omnibus quantis in quibus*, scilicet æquale, & inæquale reperitur: *Mathematica autem scientia assumens*, supple ista principia cõmunia facit *Theoriã*, id est, propriam considerationem circa *aliquam partem conuenientis materiæ*, non enim est aliqua vna sciẽtia Mathematica quæ considerat ea, quæ competunt quantitati inquantũ quantitas est: hoc enim pertinet

Metaphysica est considerare prima principia demonstrationis.

Mathematica considerat principia demonstrationis particulariter: Metaphysica verò vniuersaliter.

pertinet ad Metaphysicam : sed scientiæ Mathematicæ, quæ sunt plures, speculantur seorsum ea, quæ competunt huic, vel illi quantitati, vt Arithmetica ea, quæ conueniunt numero ; & ideò dictum principium applicat tantùm ad numeros, Geometria verò speculatur ea, quæ conueniunt magnitudini ; ideò dictum principium applicat ad magnitudines : & hoc est quod subdit Philosophus quod Mathematica scientia facit Theoriam, puta *circa lineas, vel triangulos, aut numeros, aut aliquod reliquorum quantorum : non autem*, supple Mathematica considerat prædicta, *inquantum sunt entia : sed inquantum vnumquodque ipsorum est continuum aut vnum*, id est, secundùm vnam dimensionem, vt linea : *aut duo*, vt superficies : *aut tria*, vt corpus ; *Philosophia autem*, id est, Metaphysica *non intendit quæ in parte quidem*, id est, de entibus particularibus, *inquantum vnicuique eorum aliquid accidit ; sed speculatur vnumquodque talium*, scilicet continuum *circa ens inquantum ens*. Deinde cùm dicit :

31 ***Eodem autem habet modo, & circa naturalem scientiam Mathematicè : naturalis enim accidentia, & principia speculatur entium, inquantum mota, & non inquantum entia. Primam autem scientiam diximus horum esse secundùm quod entia subiecta sunt, sed non alterum aliquid ; propter quod, & hanc, & Mathematicam scientiam partes sapientiæ esse ponendum.***

Naturalis considerat particulariter principia demonstrationis. Naturalis & Mathematica qualiter sunt partes Metaphysicæ.

Ostendit idem ex consideratione Philosophiæ naturalis, dicens, quòd *eodem modo*, se habet *circa naturalem scientiam Mathematicè*, id est, sicut scientia Mathematica: quia scientia *naturalis speculatur accidentia, & principia entium inquantum sunt mota, & non inquantum sunt entia. Primam autem scientiam*, id est, Metaphysicam, *dicimus esse horum*, id est, de his, quæ sunt *entia subiecta; sed non secundùm quod aliquid alterum*, id est, secundùm quod subiiciuntur, vel supponuntur esse entia, & tantùm secundum illam rationem, ex quo infert, *propter quod & hanc*, scilicet scientiam naturalem, *& Mathematicam scientiam ponendum est esse partes sapientiæ*, id est, Metaphysicæ, eo scilicet modo quo scientia particularis potest dici largo modo esse pars vniuersalis scientiæ, & communis. Ratio autem huius, quòd scilicet principia communia pertinent ad considerationem huius scientiæ, est, quia fundantur in terminis communibus omnibus entibus, vt sunt ens, & non ens; totum, & pars; æquale, & inæquale; idem & diuersum : quia igitur ista communia sunt de consideratione huius scientiæ; ergo & huiusmodi principia, quæ ex talibus terminis communibus componuntur, vt patet inducendo per singula principia huius.

SVMMÆ SECVNDÆ CAP. II.

Quòd circa primum principium non contingit falsum dicere: redarguuntur illi, qui oppositum sustinebant.

SVMMARIVM.

Hanc scientiam considerare illud primum principium, idem de eodem, non posse negari, & affirmari: docet conditiones primi principij, fusè disputans contra illud negantes, de quo latè dictum, l. 4. tex. 8. & 13. vide Doct. ibi q. 3.

Cap. 2. Tex. cô. 4. 32

Est autem quoddam in entibus principium, circa quod non est mentiri: contrarium autem necessarium semper facere ; dico autem verum dicere, puta quòd non contingit idem secundùm vnum, & idem tempus esse, & non esse, & alia ipsis opposita hoc modo.

Sermo de primo principio simpliciter.

Postquam Philosophus ostendit, quòd consideratio huius scientiæ extendit se ad prima principia demonstrationis : nunc specialiter ostendit, quòd se extendit ad primum principium demonstrationis, quod inter alia est primum simpliciter: nam sicut omnia entia reducuntur ad vnum, ita omnia principia ad vnum primum principium. Circa quod duo facit. Primò circa hoc principium præmittit veritatem. Secundò excludit falsitatem. Secunda ibi : *Ad dicentem.* Prima in duas secundùm quòd duo dicit de principio primo. Primum est, quod est infallibile, & non contingit mentiri, & est semper verum dicere. Secundum est, quod est indemonstrabile. Secunda ibi: *Et de talibus.* Illud autem primum principium est, quod impossibile est idem simul esse, & non esse, vt patet ex 4. huius, t.c. 8. & inde, quod eatenus dicitur primum, quatenus termini eius sunt ens, & non ens, quæ prima impressione imprimuntur in intellectu ; & ideo de ipso Metaphysicus principaliter intendit ; de isto ergo principio dicit Philosophus, quòd *est autem in entibus quoddam principium circa quod non est*, id est, contingit *mentiri*, supple mente: *contrariorum autem facere semper est necessarium : dico autem verum dicere*, scilicet circa ipsum, puta illud principium est, *quòd non contingit idem esse, & non esse secundùm idem, & simul, & alia*, quæ apponuntur 1. Elench. vt dictum est 4. huius, cap. 3. impossibile est enim, quòd aliquis opinetur mente istud principium falsum esse, alioquin opinaretur contradictoria esse simul vera, & per consequens haberet simul contrarias opiniones, vt ostensum est 4. huius. Deinde cùm dicit :

Primum principium quod, & conditiones eius.

33 ***Et de talibus simpliciter quidem non est demonstratio, adhuc autem est; non enim est ex credibiliori principio hoc ipso facere syllogismum, oportet autem, siquidem erit simpliciter demonstrare.***

Ponit secundum dictum, vel notandum, quòd scilicet primum principium est indemonstrabile simpliciter, dicens, quòd *de talibus*, id est, de prædicto primo principio, & consimilibus *non est demonstratio simpliciter : est autem adhuc*, id est, quòd potest esse demonstratio ad hunc, scilicet ad hominem, vt patet ex quarto huius. Quia autem eius non posset esse demonstratio simpliciter ostendit per talem rationem, quia omnis demonstratio simpliciter est syllogismus procedens ex notioribus, sed nihil est notius isto principio : ergo, &c. Ideo dicit, quòd non est, id est, non *contingit facere syllogismum ex aliquo credibiliori*, id est, notiori hoc ipso principio, &

Al. adhunc.

tamen oportet supple accipere aliquod notius *siquidē erit*, id est, *continget simpliciter demonstrare.*

Notandum, quòd, vt patet ex 4. huius, licèt primum principium non possit simpliciter demonstrari, potest tamen eius demonstratio esse ad hominem: vel quia concedit aliquid aliud; licèt sit minus notum, & negat huiusmodi principium: quia isto concesso ostenderetur sibi illud principium esse verum: vel alio modo: quia negando notius in falsitate saltem secundùm sensum, quàm sit oppositum primi principij, & ex illo concluderetur ad impossibile primum principium esse verum. Deinde cùm dicit:

Licèt primū principium non possit demonstrari ad hominem, tamen potest persuaderi.

34

Ad dicentem autem oppositas dictiones veras simul esse, ei qui falsum id esse ostendit, sumendum aliquid tale, quod idem quidē erit ei, quod est non contingere idem esse, & nō esse, secundùm vnum, & idem tempus; non videbitur autem esse idem: sic enim solum vtique demonstrabitur ad dicentem contingere oppositas dictiones verificari de eodem.

Excludit falsitatem, disputando contra negantes illud primum principium. Circa quod duo facit. Primò disputat contra eorum dictum: Secundò contra eorum motiuum. Secunda ibi: *Soluetur autem vtique.* Prima in duas. Primò præmittit modum procedendi contra eos. Secundò iuxta modum datū prosequitur contra eos. Secunda ibi: *Futuros itaque.* Dicit ergo, quòd *ostendenti*, id est, volenti ostendere, quòd falsum sit *ad dicentem*, id est, contradicentem *oppositas dictiones*, id est, propositiones *esse veras*, & per consequens negantem primum principium, *sumendum est*, id est, debet sumere aliquod tale, quod *idem quidem erit ei*, scilicet *principio*, *quod est non contingere idem esse, & non esse, secundùm vnū, & idem tempus: non videbitur autem esse idem*, id est, licèt tale assumptum non videatur esse idem isti principio: *quia* supple si videretur idem, non concederet ipsum aduersarius, sicut non concedit principium. Si autem non est idem realiter, non concluderet propositum, quia primum principium non potest probari ex aliquo notiori; & ideò vtrumque expedit, & quòd sit idem & tamen non videatur idē; ideò subdit: quòd sic *enim solùm demonstrabitur vtique ad dicentem*, id est, *contra dicentem oppositas dictiones*, id est, contradictoria *contingere verificari de eodem*; quòd scilicet illud quod sumitur licèt non videatur, est idem tamen conclusioni, id est, primo principio, quod sibi demonstratur & concluditur esse verum.

Contra negantes primū principium.

S V M M A R I V M.

Tribus rationibus in generali refutat admittentes contradictoria simul vera, de quo latè actum est c 4. a. in 13. Quod tangit Doctor hîc de necessitate consequentiæ, & consequentis, fusiùs tractat 1. d. 39. num. 19.

Futuros itaque inuicem ratione communicare, oportet aliquid ipsorum intelligere. Non facto autem hoc, quomodo est communicatio his ad inuicem sermonis? Oportet igitur nominum vnumquodque esse notum, & significare aliquid, & non multa, solùm autem vnum. Si autem plura significet manifestum facere ad quod fert nomen eorum. Dicens itaque hoc, & non esse hoc, quod totaliter esse dicit, non dicit. Quare quod significat nomen, hoc non inquit significare, hoc autem impossibile. Quare si quidem significat aliquid esse hoc, contradictionem verificari impossibile de eodem.

35

Iuxta modum datum persequitur contra eos. Primo in generali. Secundò in speciali descendendo ad opiniones quasdam speciales. Secunda ibi: *Citò autem vtique.* Prima in tres, secundùm tres rationes, quas fabricat contra eos. Secunda ibi: *Adhuc autem siquid.* Tertia ibi: *Adhuc autem.* In prima parte intendit talem rationem: Si contradictoria sunt simul vera: ergo nomen nihil distinctè significat: consequens est falsum; ergo & antecedens. Hanc rationem exponit dicens, quòd *futuros itaque*, id est, si aliqui duo homines debeant inuicem significare, aut *communicare*, vt scilicet vnus rationem suam communicet alteri disputando, *oportet aliquid ipsorum intelligere*, id est, quòd vnus ipsorum intelliget quid ab alio dicitur: *non facto autem hoc, quomodo communicatio sermonis his ad inuicem?* Quasi diceret, quòd est impossibile: quia tunc nulla esset disputatio, nisi mutuò se intelligerent; *& ideò* supple ad hoc, quòd vnus eorum intelligat quid ab alio dicitur, *oportet vnumquodque nominum esse notum*, scilicet in sua significatione, *& significare aliquid, & non multa; sed vnum solùm: si autem plura significat*, oportet manifestum facere, *ad quod horum*, scilicet significatorum, *fert nomen*, id est, in quo significato vtitur illo nomine: alioquin vnus non intelligeret quid alius dicere vellet; hoc ergo dato quòd nomen significaret aliquod vnum, sequitur itaque quòd aliquis *dicens esse hoc, & non esse hoc*, puta quòd asinus est hoc animal, & quòd non est hoc animal, *quod totaliter esse dicit, & non dicit*, id est, quòd illud vnum quod inest asino, puta animal dicit inesse, & non dicit ei inesse: *quare quidem quod significat nomen non significat: hoc autem est impossibile:* concludit ergo, *quare siquidem nomen significat aliquid esse hoc*, scilicet aliquod determinatum, *impossibile contradictionem verificari de eodem*, vt ostensum est. Deinde cùm dicit:

Arguit contra negantes primum principium in generali.

Nomine aliquid vnum significante impossibile est primum principiū non verificari.

Al. non inquit significare.

36

Adhuc autem si quid significat nomen, & hoc verificatur, oportet & hoc ex necessitate esse. Quod autem ex necessitate est, non contingit tunc non esse. Oppositas ergo non contingit dictiones, & negationes verificari de eodem.

Ponit secundam rationem, quæ ex eodem medio procedit, dicens, quòd *adhuc autem si nomen significat aliquid*, vt supponitur, *& hoc verificatur*, supple de illo de quo prædicatur, *oportet ex necessitate; & hoc esse*, id est, aliquod significatum inesse illi; de quo nomen prædicatur si propositio sit vera: quod autem *ex necessitate est non contingit tunc non esse: quia necesse esse, & non contingens non esse* æquipollent: concludit ergo quòd *oppositas igitur dictiones*, id est, affirmationes, & negationes, *non contingit verificari de eodem.*

Notandum,

Necessitas duplex: consequentis, & consequentiæ. Vide 39.d.1.

Notandum, quòd, vt dictum est in quinto huius, quædam est necessitas consequentis, vt quando consequens alicuius consequentiæ est necessarium: & quædam est necessitas consequentiæ, vt quando nec antecedens in se, nec consequens in se est necessarium; tamen posito antecedente esse vero: necessariò sequitur consequens esse verum: vt si homo currit, homo mouetur: & hæc est necessitas propositionis hypotheticæ, de qua dicitur, quòd omnis conditionalis vera est necessaria. Posito ergo antecedente quòd nomen aliquod determinatum significat, & quòd significatum nominis insit illi, de quo nomen prædicatur; sequitur necessariò necessitate consequentiæ, quòd illud prædicatum nominis inest subiecto: & per consequens tunc non contingit non inesse, vt Philosophus deducit. Deinde cùm dicit:

Adhuc autem si nihil magis dictio, quàm negatio verificatur, dicens hominem, aut non hominem, nihil magis verum dicet. Videbitur autem vtique non equum esse dicens hominem, & magis, aut non minùs verum dicere, quàm non hominem. Quare, & equum dicens eundem esse, verũ dicet? Oppositas enim similiter erit verum dicere. Accidet igitur eundem hominem esse, & equum, aut aliorum aliquod animalium, Demonstratio quidem igitur nulla horum est simpliciter, ad ponentem tamen hoc demonstratio;

37

Ponit tertiam rationem, dicens, quòd *adhuc autem si nihil magis verificatur dictio*, id est, affirmatio, *quàm negatio*; ergo *dicens* supple Socratem esse *hominem, nihil magis verum dicit*, quàm dicens Socratem *non esse hominem*: quia per te vtraque pars est vera: *videbitur autem vtique dicens hominem non esse equum magis verum, aut* saltem *non minùs verum dicere, quàm* ille qui dicit hominem *non* esse *hominem*: quia conueniens est quod alicui insit sua propria affirmatio, & negatio alterius: si ergo contradictoria sunt simul vera, sequitur quòd *dicere eundem*, scilicet hominem *esse equum, verum dicit: similiter oppositas*, dictiones de eodem, *erit verum dicere; & ideò accidet hominem eundem esse equum, aut aliorum aliud animalium*, pari ratione. Et subdit, quòd nulla *horum quidem est demonstratio simpliciter: tamen ad ponentem hoc*, id est, ad hominem, qui hoc ponit erit *demonstratio*: hoc autem addidit ad ostendendum; quòd nulla dictarum rationum est demonstratio simpliciter: quia ea quæ assumunt sunt minùs nota conclusione intenta, vt iã prædictũ fuit.

Excludit calumniam tacitam.

Vis rationis immediatè præcedens.

Notandum est, istam rationem in hoc stare, quòd si affirmatio, & negatio sunt veræ de eodem, non minùs diceret verum ille, qui dicit hominem non esse equum, quàm ille qui dicit hominem non esse hominem, & propter causam dictam erit verum dicere, quòd homo est equus, & homo non est equus: cùm secundùm te affirmatio sit vera sicut negatio: & eodem modo potest concludi, quòd homo est asinus, & quodlibet aliorum animalium: quæ videntur absurda.

SVMMARIVM.

Refutat speciales modos Heracliti, & Pythagoræ docentium contradictoria simul esse vera, & dari inter ea medium.

Citò autem vtique quis, & ipsum Heraclitum hoc interrogans modo cogeret confiteri, nunquam oppositas dictiones possibile esse de eisdem verificari. Nunc autem non intelligens seipsum quid quidem dicit, hanc accipit opinionem Totaliter autem si quod dicitur ab ipso est verum, neque vtique ipsum hoc verum erit. Dico autem contingere idem secundùm vnum, & idem esse tempus, & non esse. Quemadmodum enim, & diuisis ipsis nihil magis affirmatio, quàm negatio verificatur: eodem modo, & simul vtriusque, & simul complexi, velut vna quadam affirmatione existente, nihil magis negatio quàm totum, vt in affirmatione positum verum erat.

38

Disputat in speciali contra negantes primũ principium. Error Heracliti duplex.

Disputat contra negantes primum principium in speciali, descendendo ad opiniones quasdam in speciali. Circa quod duo facit. Primò disputat contra Heraclitum. Secundò contra Pythagoram. Secunda ibi: *Simile autem dictis.* Prima in duas secundùm quod Heraclitus duo dicebat: vnum est, quòd affirmatio, & negatio sunt simul vera, & per consequens quòd omnis propositio est vera. Aliud est quòd inter affirmationem, & negationem sit medium, & per consequens, quòd contingeret tam affirmationem, quàm negationem esse falsam, & neutra esset vera: immò, quòd nulla propositio esset vera. Primò arguit contra primum. Secundò contra secundum. Secunda ibi: *Adhuc autem si nihil.* Dicit ergo, quòd *quis interrogans vtique ipsum Heraclitum hoc modo*, scilicet disputando ad hominem: *citò cogeret ipsum confiteri nunquam oppositas dictiones esse possibile de eisdem verificari: nunc autem non intelligens seipsum quicquid dicit, hanc accipit opinionem*, scilicet contradictoria verificari de eodem. Et subdit rationem contra eum qua cogitur ad negandum, quòd dicit *totaliter enim si quid dicitur ab ipso est verum*, scilicet contingere idem secundùm vnum, & idem tempus esse, & non esse; sequitur quòd *hoc ipsum vtique quod ipse dicit non erit verum: sicut enim affirmatio, & negatio accepta seorsum*, sunt vera secundùm te; & similiter si sumuntur simul tanquam ex eis fiat vna affirmatio, non minùs erit vera negatio huius totius compositi ex affirmatione, & negatione; vel non magis verificatur affirmatio quàm negatio, *eodem modo, & simul vtriusque, & simul complexi velut vna quadam affirmatione existente: nihil magis negatio erit*, supple vera quàm, *totum vt in affirmatione positum erat verum.*

Propositionẽ hypotheticam quomodo contingit esse totam veram?

Notandum, quòd propositio copulatiua, & hypothetica potest esse vera sicut, & categorica, & simplex, & ideò contingit simul accipere eius negatiuam; potest autem tunc hypothetica componi ex duplici affirmatiua, puta, homo sedet, & homo disputat. Potest etiam componi ex duplici negatiua, puta homo non est equus, & homo non est asinus. Potest etiam componi ex affirmatiua, & negatiua, puta homo est animal, & homo non est leo: semper tamen ista hypothetica, siue copulatiua vera, accipitur loco vnius affirmationis. Vnde qui dicit ipsam esse falsam, accipit negatiuam quasi totius illius copulatiuæ. Heraclitus ergo

ergo dicens simul esse verum hominem esse, & non esse, accipit hoc, vt vnam quandam affirmationem; vnde eius negatio etiam hoc modo est vera: si ergo affirmatio & negatio sint simul vera, vt ipse dicit, sequitur etiam, quòd negatio hæc sit vera, qua dicitur, quòd non est verum affirmationem, & negationem simul esse veram: eadem enim ratio est in omnibus, & ideò si aliqua negatio est simul vera cum affirmatione sibi opposita; ergo omnes. Ex quibus patet, quòd Heraclitus cogitur verè negare, quod priùs falsè affirmauit. Deinde cùm dicit:

39

Adhuc autem si nihil est verè affirmare, & hoc vtique falsum erit dicere, nullam veram affirmationem existere. Si autem est aliquid, soluetur vtique quod dicitur ab his qui talia instant, & penitus auferentibus disputare.

Contra secundum errorem Heracliti.

Vide 2. di. 1. q. 2. soluendo penultimum principale.

Arguit contra secundum, quod ponebat scilicet quòd nulla affirmatio sit vera. Dicit ergo, quòd *adhuc autem si nihil est verè affirmare*, vt Heraclitus dicit; ergo *& hoc ipsum vtique erit falsum dicere*, scilicet *nullam affirmationem veram existere*, nam qui dicit nullam affirmationem esse veram, aliquid affirmat, scilicet quòd verum est nullam affirmationem esse veram, & per consequens hoc ipsum, quod affirmatur, erit falsum. Et subdit: *si autem est aliquid*, id est, si aliquid dictum affirmatiuè sit verum, *soluetur vtique, quod dicitur ab his, qui talia instant, & penitus auferentibus disputare*: isti enim per suam positionem omnem disputationem auferunt omnino. Nam si nihil est verum, non potest aliquid concedi cui disputatio innitatur: similiter si affirmatio, & negatio sint simul vera, non contingit per sermonem aliquid significare vt prædictum est: & ideò Heraclitus vtroque dicto disputationem aufert. Deinde cùm dicit:

Heraclitus omnem disputationem aufert. Disputatio vero innititur.

Simile dictis est, & quod dictum est à Pythagora. Etenim ille dixit omnium esse rerum mensuram hominem, nihil aliud dicens, quàm quod videtur vnicuique, hoc, & esse firmiter. Hoc autem facto idem accidit, & esse, & non esse: & malum, & bonum esse & alias; secundùm oppositas dictiones dicta: propter multoties his quidem videri hoc esse bonum, his autem contrarium. Mensuram autem esse, quod videtur vnicuique.

Contra opinionem Pythagoræ de primo principio.

Disputat contra Pythagoram dicens, quòd *simile autem est quod dictum est à Pythagora dictis*, scilicet ab Heraclito ponente affirmationem & negationem simul esse veram: *etenim* pro quia, *ille*, scilicet Pythagoras *dixit hominem esse mensuram omnium rerum, nihil aliud dicens quàm quod videtur*, puta secundùm sensum, & secundùm intellectum, vt dictum est 10. huius, t. c. 5. *vnicuique, & hoc esse firmiter verum: hoc autem facto*, id est, concesso, *accidit idem esse, & non esse: idem esse malum, & bonum: & alia secundùm oppositas dictiones dicta: propter multoties videri*, id est, quia multoties videtur *his hoc esse bonum: his autem contrarium*, id est, malum *mensuram autem esse vnicuique quod videtur*, id est, ex hoc quòd Pythagoras ipsum videri ponit mensuram rerum, vt scilicet sic se habeat res sicut videtur: opinio autem ista de veritate apparentium, in quarto libro est prolixiùs pertractata, & impugnata.

SVMMÆ SECVNDÆ
CAP. III.

Soluuntur motiua ponentium contradictoria esse simul vera, & qui facilè à talibus positionibus retrahuntur, & qui non?

SVMMARIVM.

Soluit primum motiuum asserentium contradictoria simul vera: nempe quod nihil fit ex non ente, quod benè explicat Doctor. — Cap. 3.

Tex. cō. 5. 40

Soluetur autem, vtique huiusmodi dubitatio, considerantibus vnde venit principium existimationis huius.

Contra negantes primū principium quantùm ad eorum motiuum.

Ponit intentum.

Postquam Philosophus disputauit contra negantes primum principium, quantùm ad eorum dictum: nunc disputat quantùm ad eorum motiuum. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est. Secundò concludit quædam corollaria ex prædictis. Secunda ibi: *Quare manifestum ex his.* Prima in duas. Primò facit quod dictum est. Secundò ponit quoddam notandum circa dicta. Secunda ibi: *Ad habentes quidem.* Prima in duas. Primò proponit intentum. Secundò exequitur de intento. Secunda ibi: *Videtur enim quibusdam.* Dicit ergo, quòd *hæc vtique dubitatio*, quæ dicta est, ex qua scilicet aliqui mouentur ad ponendum contradictoria esse simul vera, *soluetur considerantibus vnde venit principium huius existimationis*, id est, opinionis. Deinde cùm dicit:

Videtur enim quibusdam quidem ex Physiologorum opinione. Aliis verò, ex non eadem, de eisdem omnes cognoscere: sed his quidem delectabile hoc videri: his autem contrarium.

Motiua dictorum recitat negātium primum principium.

Exequitur de intento. Circa quod duo facit. Primò recitat duo eorum motiua. Secundò disputat contra ipsa. Secunda ibi: *Nihil enim ex non ente.* Dicit ergo, quòd *videtur quibusdam* quòd supple principium dictæ existimationis sit *ex opinione Physiologorum*, id est, Philosophorum, qui ponunt nihil fieri ex non ente. *Aliis autem videtur* supple, quòd principium sit *ex non cognoscere omnes eadem de eisdem*, id est, ex hoc quòd non omnes iudicant eadem ex eisdem: *sed his quidem hoc videri delectabile: his autem contrarium*, id est, non esse delectabile: ex quo sequitur opposita esse simul vera, si omne quod videtur ponatur esse verum. Deinde cùm dicit:

41

Nihil enim ex non ente fieri; omne autem ex ente ferè omnium est commune dogma eorum, qui de natura. Quoniam igitur non album fit ex albo perfectè existente, & nequaquam ex non albo. Nunc autem factum non album, fiet vtique ex non ente non albo, quod fit non album. Quare ex non ente fiet vtique secundùm illos, si non existit, non album, idem, & album.

Disputat

Citra primũ motiuum.

Disputat contra prædicta motiua. Circa quod duo facit. Primò disputat contra primum motiuum. Secundò contra secundum. Secunda ibi: *Sed & similiter attendere.* Prima in duas. Primò illud motiuum exponit. Secundò ipsum soluit. Secunda ibi: *Non difficile autem.* Dicit ergo, quòd *commune dogma est omnium ferè eorum qui de natura*, scilicet tractauerunt *nibil fieri ex non ente; sed omne quod fit, ex ente*: & subdit: *quoniam igitur non album fit ex perfectè existente albo, & nequaquam* supple non album *ex non albo,* iterum *nunc autem factum non album fiet vtique ex non ente non albo, quod fit non album*; imò supple ex eo, quod non est non album. Ex quo infert: *quare ex non ente fit vtique* supple *non album: secundùm illos: si non existit non album, idem, & album*, id est, si non album, & album existunt idem; & ideò dicebant, quòd est album & non album.

Declarat eorum motiuũ.

Notandum, quòd quia non album fit ex albo, fit etiam ex eo quod non est non album, statim videtur prima facie, quòd non album fieret ex non ente: sicut si diceremus, quòd aqua fit ex non aqua; & ideò ad hoc euitandum dicebant, quòd in eo ex quo fit aqua sit latens aqua, vt Anaxagoras, qui ponens quodlibet fieri ex quolibet; dixit quodlibet esse in quolibet. Similiter in proposito dicebant, quòd si non album fit ex eo, quod non est non album; tamen non album præexistit in eo ex quo fit non album & quia illud ex quo fit non album est album, vt prædictum est; sequitur secundùm eos, quòd illud ex quo fit non album, est album simul, & non album: nisi ponatur quòd aliquid fiat ex non ente, quod ipsi abhorrebant, vt dictum est, & ideò ratione huius motiui concedebant contradictoria simul vera esse de eodem, vt quòd idem sit album & non album, & sic de aliis. Deinde cùm dicit;

42

Non difficile autem dissoluere dubitationem hanc. Dictum est enim in Physicis, quomodo ex non ente fiunt quæ fiunt, & quomodo ex ente.

Solutio motiui.

Soluit hoc motiuum dicens, quod *non est difficile soluere hanc dubitationem: dictum est enim in Physicis*, id est, 1. Physic. t.c.73. & circiter, *quomodo ea, quæ fiunt*, fiunt *ex non ente*, scilicet in actu *& quomodo ex ente*, scilicet in potentia.

Aliquid fit ex aliquo dupliciter.

Notandum, quod, vt habetur 1. Physic. t.c.62. & circiter, dupliciter fit aliquid ex aliquo scilicet per accidens, & per se: Per accidens quidem fit aliquid ex ente in actu: per se verò fit aliquid ex ipsa materia: quæ quidem non est in actu aliquid eorum, quæ fiunt ex ipsa: sed est omnia illa in potentia. Illud ergo ex quo aliquid fit per se, & est ens, & non ens: est quidem ens in potentia; sed non ens in actu. Non ergo oportet, vt isti imaginantur, quòd illud ex quo aliquid fit, sit simul ens & non ens in actu, & contradictoria sint simul vera de eodem: per quod patet, quòd motiuum illud nullum fuit. Deinde cùm dicit:

Quomodo materia est & non in actu,

SVMMARIVM.

Refutat secundum motiuum eorumdem, nempe id esse verum, vel falsum quod sic apparet, vel apprehenditur. Ratio quam hîc assignat Doctor, quare oculus supposito ei digito, obiectum vnicum, videt duplum, probabilis est, quam multi tenent: alij tamen probabiliter putant, id ex eo euenire, quia lineæ visuales, seu axes, diuerso situ, ad vtrumque oculum tendunt: de quo vide, quæ dixi, supplemento de Anima d. 2. sec 9 num. 20. Causam huius motiui quinque rationibus refutat, de quo l. 4. à tex. 24.

Sed, & similiter attendere vtrisque opinionibus & phantasiis ad ipsos dubitantium stultum. Palàm enim ipsorum alteros necesse mentiri. Palàm autem hoc ex his, quæ fiunt secundùm sensum. Nunquam enim idem videtur, his quidem dulce, his autem contrarium, non corruptis, & priuatis alteris secundum organum sensus, & iudicatoris dictorum saporum: hoc autem existente tali, alteros quidem existimandum mensuram esse, alteros autem non putandum. Similiter autem hoc dico, & in bono, & malo; & pulchro, & turpi, & aliis talibus. Nihil enim differt hoc significare quàm quæ apparent submittentibus sub visu digitum, & facientibus ex vno videri duo, oportere esse propter apparere tanta, & iterum vnum. Non mouentibus enim visum, vnum apparet quod vnum.

43 *Cõtra secundum motiuũ.*

Disputat contra secundum motiuum, & primò contra ipsum motiuum. Secundò contra causam ipsius motiui. Secunda ibi: *Totaliter autem inconueniens.* Dicit ergo, quòd *similiter* supple sicut stultum est propter primum motiuum opinari contradictoria esse simul vera de eodem; *ita stultum est attendere*, id est, assentire *vtrisque opinionibus & phantasiis* supple Philosophorum *dubitantium ad ipsos*, id est, contra ipsos: ex hoc supple principio, quòd opinantur omne quod videtur esse verum: *palàm enim, quòd alterum ipsorum*, scilicet sibi contradicentium *necesse est mentiri: palàm autem hoc est ex his, quæ fiunt*, id est, apparent *secundùm sensum: nunquã enim videtur, his quidẽ dulce, his autem contrariũ*, idest, amarum: *non* pro nisi, id est, nisi *corruptis alteris, & priuatis*, id est, nisi in alterum eorum fiat aliqua corruptio aut priuatio *secundùm organum sensus, & iudicatoris*, id est, secundùm sensum, qui iudicat *dictorum saporum*, id est, de dictis saporibus, qui sunt dulce, & amarum: *hoc autem existente tali*, scilicet quòd si in alteris eorum est aliqua corruptio, aut priuatio *existimandum est alteros quidem*, scilicet in quibus non est ista corruptio *esse mensura*, id est, quòd eorum iudicium est accipiendum pro mensura, & regula veritatis: *alteros autem non est putandum*, id est, quòd non est putandum ita esse de alteris in quibus est corruptio. Si ergo de aliquo eodem vnus iudicat, quòd sit dulce, puta sanus; & alter iudicat, quòd sit amarum, puta ægrotus, existimandum est esse, vt iudicat in quo non est corruptio secundùm organum sensus; & non vt iudicat ægrotus, qui organum sensus habet corruptum. Et subdit, quòd sicut supple dictum est de cognitione sensus; similiter *autem hoc dico, & in bono, & malo, & pulchro,*

Qualiter discernendus est error sensus, & intellectus & quare variè diversi intellectu, & sensu iudicant.

obro, & turpi, & aliis talibus, quę sępes per intellectū cognoscuntur: quia, videlicet, si alicui videtur secundùm intellectum hoc esse bonum, quibusdam verò esse malum: standum est iudicio illius, qui non habet corruptionem in intellectu, puta nec ex praua consuetudine, nec ex praua affectione, nec ex aliqua alia causa. Et subdit, *nam si* supple aliquis dicat oppositum, quòd scilicet non magis credendum est his quàm illis: *nihil differt hoc significare* quàm dicere supple, quòd quæ apparent *submittentibus digitum sub visu*, id est, oculo, *& facientibus ex vno videri duo*; vnde supple non est standum iudicio illius oculi sic indispositi, qui iudicat illa esse tanta, scilicet duo propter apparere duo; sed est standum iudicio illius oculi benè dispositi, cui *vnum apparet quod est vnum.*

44

Quare ex suppositione digiti oculo vnum videtur duo. Al. ab alio in concursu.

Notandum, quòd cùm aliquis ponit digitum sub oculo, & mouet oculum, vnum obiectum visus videtur esse duo. Cuius ratio assignatur: quia tunc species vnius visibilis duplatur in vtroque oculo, & quia non conueniunt ad locum iudicij communem, ex hoc, quòd neruus vnius oculi recedit ab illo concursu propter motum vnius digiti: de quo dictum est primo huius in quadam quæstione. Ideò quælibet species repræsentat obiectum seorsum, & vnum videtur duo: quando autem oculus non sic mouetur, tunc vnum videtur esse vnum: quia licèt quodlibet vnum obiectum diuersas species imprimat in duobus oculis; tamen concurrunt ad vnum locum communem, vbi est iudicium sensus interius iuxta cerebrum; & ideò vnum videtur vnum: quia non repræsentant nisi vnum. Tunc ergo iudicandum est de vnitate obiecti secundùm iudicium visus, in quo non est aliqua passio extrinseca, puta ex digito submisso: similiter est in aliis. Dicere ergo, quòd æqualiter credendum est habenti aliquam corruptionem in sensu, vel intellectu, sicut illi, qui non habet: simile est ac si dicatur vnum esse duo, & vnum esse vnum: quia sic apparet diuersis secundùm quòd digitus supponitur, vel non supponitur oculo, sicut dictum est. Deinde cùm dicit:

Quare vnum videtur & iudicatur vnum cùm duplicatur eius species visibilis in non monoculis.

Totaliter autem inconueniens ex videri præsentia permutantia, & nunquam permanentia in eisdem ex hoc de veritate iudicium facere. Oportet enim ex semper secundùm eadem habentibus, & neque vnam permutationem facientibus verum venari. Talia autem sunt quæ secundùm mundum: hæc enim non quandoque quidem talia: iterum autem alia videntur, eadem autem semper, & permutatione nulla participant.

Contra causā 2. motiui.

Disputat contra causam motiui per quinque rationes, quarum secunda ponitur ibi: *Adhuc autem si motus.* Tertia ibi: *Et si secundùm quantum.* Quarta ibi: *Adhuc propter quid.* Quinta ibi: *Adhuc si quidem.*

Ex sensibiliū continuo motu fatuū est iudicare omnia semper moueri.

Ad euidentiam huius sciendum est, quòd causa quare ponitur omne, quod videtur esse verum, est quia aliqui putabant res omnes esse in continuo fluxu, & quod nulla natura in rebus esset fixa, & determinata. Vnde sequebatur, quòd rem esse talem, non esset aliud quàm videri esse talem. Contra hoc ergo ponit primam rationem, dicens, quòd *totaliter autem est inconueniens ex videri ista præsentia permutantia, & nunquam permanentia in eisdem*, vt sunt ista sensibilia iuxta nos *facere ex hoc iudicium* de veritate supple omnium entium. Dato enim, licèt sit falsum, quòd omnia ista sensibilia præsentia, & iuxta nos, essent in continuo fluxu, non oportet sic iudicare de tota natura; sed magis etiam fateri è conuerso, quòd ex his, quæ semper vniformiter se habent, sumatur iudicium de veritate rerum. Ideò subdit, quòd *oportet enim ex semper habentibus secundùm eandem* supple dispositionem, *& neque vnam*, id est, nullam *permutationem facientibus venari verum: talia autem sunt quæ secundùm mundum*, id est, quæ continent mundum, vt corpora cælestia, respectu quorum ista corruptibilia nullius sunt quasi quantitatis, vt Astronomi probant: *hæc enim* scilicet corpora cælestia *non quandoque quidem talia videntur, & iterum alia*; sed semper *manent eadem, & nulla participant permutatione.*

Esse & veritas mobilium ex immobilibus dependet, & non è contra.

Notandum, quòd corpora cælestia licèt permutentur quantùm ad motum localem, manent tamen semper eadem quantùm ad substantiam incorruptam; & ideò magis venanda est veritas de rebus ex his, quæ semper manent, quàm ex sensibilibus corruptibilibus, dato, quòd sint in continuo fluxu, & mutatione. Cuius contrarium illi faciebant, vt patet ex prædictis. Deinde cùm dicit:

Corpora cælestia, etsi continuo mouentur semper tamen manēt immota.

46

Adhuc autem si motus est, & motum aliquid. Mouetur autem omne ex aliquo, ad aliquid. Oportet quidem igitur, quod mouetur esse adhuc in illo, ex quo mouebitur, & non in ipso. Et ad hoc moueri, & fieri in hoc, secundùm contradictionem autem non verificari secundum ipsos.

Ponit secundam rationem quæ talis est. Quòd adhuc *si motus est*, in istis sensibilibus, vt ipsi etiam dicunt, oportet quòd sit *aliquid motum*, id est, aliquod mobile, quòd mouetur; *omne autem* mobile *mouetur ex aliquo, & ad aliquid: oportet igitur id quod mouetur esse adhuc in illo ex quo mouebitur*, id est, in termino à quo, *& non esse in ipso*, id est, in termino ad quem supple totaliter; *sed moueri ad hoc, & fieri*, scilicet continuè *in hoc*: quia mobile dum mouetur continuè tendit in terminum ad quem in quo nondum est perfectè. Ex quo patet, quòd aliqua affirmatio, & aliqua negatio determinatè est vera: quia ea quæ nunc dicta sunt de motu, verum est dicere ita esse. Et subdit: *secundum contradictionem autem non verificari secundum ipsos.* Vult dicere, quòd si contradictoria simul verificantur de eodem, sequitur quòd nihil moueretur. Si enim idem est esse in termino ad quem, & non esse, non videtur ratio quare aliquid moueatur ad terminum ad quem, in quo nondum est: quia iam esset ibi. Nam secundùm aduersarium verum esset dicere quòd esset ibi, & non esset ibi: & quòd mouetur, & non mouetur, & sic de aliis contradictionibus quibuscunque. Deinde cùm dicit:

Auferūt motum tenentes contradictoria verificari de eodem.

Et si secundùm quantùm continuè præsentia fluunt, & mouentur, & quis hoc ponat, equidem non verum existens, propter quid secundùm quale non manet. Videtur enim non minimè quæ secundùm contradictiones eiusdem prædicari,

cari, & existimare quantum non manere in corporibus, propter & esse quadricubitum idem, & non esse. Substantia autem secundùm quale: hoc quidem determinatæ naturæ. Quantum autem indeterminatæ.

47

Ponit tertiam rationem. Vbi prænotandum est, vt iam dictum est 4. huius, t. c. 22. & inde, quòd Heraclitus videns aliquid augeri per longum tempus, puta per annum secundùm aliquam determinatam quantitatem, putauit etiam, quòd in qualibet parte illius temporis fieret aliquod augmentum licèt imperceptibile, & insensibile propter paruitatem quantitatis, quæ augetur. Et hoc opinatus est in omnibus rebus similiter se habere, vt scilicet omnes res quæ videntur quiescentes, realiter continuè mouerentur, licèt imperceptibiliter: cùm post longum tempus earum motus sentiatur. Licèt autem hoc suppositum de augmento sit falsum, vt habetur 8. Physic. t.c.33. & inde, quòd scilicet augmentum fiat continuè, ita quòd in qualibet parte temporis secundùm aliquid augmentetur; non enim sic est, sed per totum tempus fit dispositio ad augmentum: & in vltima parte illius temporis fit augmentum, vt ibidem declaratur. Tamen concesso, quòd ita esset de motu augmenti; non tamen sequitur sic esse secundùm omnes motus: & hoc est, quod dicit Philosophus quod, *& si secundùm quantum*, id est, secundùm quantitatem *præsentia*, id est, ista sensibilia, quæ sunt iuxta nos *continuè fluunt, & mouentur, & quis huiusmodi ponat*, id est, concedat, *equidẽ non verũ existens*, id est, licèt non sit verum *propter quid secundùm quale*, id est, secũdum qualitatẽ *non manet*; Quasi diceret, quòd nõ est ratio quin possit manere secundùm qualitatem. Et subdit, quòd *videtur enim quod non est minimè*, id est, non est paruum, quæ *secundùm contradictiones eiusdem prædicari existimare quantum non manere in corporibus, propter, & esse idem quatricubitum, & non esse*: vult dicere, quòd ista opinio quæ ponit contradictoria simul esse vera de eodem, & non videtur minimè, vel parum recedere ab illa opinione, quæ existimat quantum non manere in corporibus; sed supple idem opinatur: & per consequens, quòd idem simul sit, & non sit quatricubitum opinatur. Et addit: *substantia autem* supple rei *determinatur* supple *secundùm quale*, id est, secundùm aliquam differentiam, vel formam substantialem, quæ est quædam qualitas substantialis ex 5. huius cap. de Qualitate: t.c.19. *hoc quidem*, id est, quale substantiale *est natura determinata*, id est, est determinatè; *licèt quantũ* sit naturæ indeterminatæ, id est, licèt quantitas *sit indeterminata*. Concesso ergo; licèt sit falsum, quòd sit continuus fluxus, & motus in rebus secundùm quantitatem, nihilominus tamen res habent esse fixum secundùm quale, & secundùm esse substantiale. Deinde cùm dicit:

Vide 2. d. 2. q. 9.

Nõ omnia continuè moueri declarat.

Res secũdum substantiam manet, licèt secundum accidẽtia fluat.

48

Adhuc autem propter quid iubente medico hunc cibum offerre, offerunt? Quid enim magis panis est, aut non est? quare nihil, vtique aliquid habebit comedere, aut non comedere. Nunc autem vt verum dicentes circa ipsum existente iusso cibo hoc, offerunt hunc, quamuis non oportebat, non permanente firmiter nulla natura in sensibilibus, sed semper omnibus motis, & fluentibus.

Ponit quartam rationem, dicens: quòd *adhuc si* supple in rebus non est esse fixum, nec quantùm ad esse, nec quantùm ad non esse: *propter quid iubente medico offerre hunc cibum, offerunt*, supple illum, & non alium. Iterum *quid magis panis est, aut non est* supple panis? Quasi diceret, quòd non, si affirmatio non magis est vera quàm negatio secundùm dictam opinionem. *Quare nihil vtique habebit*, id est, *quod nihil* distabit *comedere, aut non comedere*; sed erunt idem. *Nunc autem verum dicentes circa ipsum, & existentem*, scilicet cibum, id est, quòd habentes verum iudicium de cibo quasi talis sit, & existat, qualem iubet medicus *iusso hoc cibo, offerunt hunc*, quem scilicet iubet medicus offerre, *quamuis non oportebat, non permanente firmiter nulla natura in sensibilibus, sed continuè mota, & fluens* & nulla esset fixa: quia tunc non magis panis quàm non panis; & non magis esset iste cibus, quàm non iste cibus. Deinde cùm dicit:

Destruunt artem, consilium, & viuentium consuetudinem, & naturam sic opinantes.

Al. & existentes scilicet cibo.

Adhuc si quidem alteramur semper, & nunquam permanemus idem: quid mirabile, si nunquam nobis eadem videntur, quemadmodum laborantibus? Etenim his propter non similiter disponi, secundùm habitum, & quando sani erant, non similia videntur, quæ secundùm sensus. Ipsa tamen nulla propter hoc participantia permutatione sensibilia. Impressiones autem alias facientia laborantibus, & non eadem. Eodem itaque modo habere, & dicta permutatione facta, fortè necessarium est. Si autem non permutamur; sed si idem permanemus entes, erit vtique aliquid manens.

49

Ponit quintam rationem, dicens, quòd *adhuc si* supple sic est, quòd omnia sint in fluxu: & nulla sit veritas fixa in rebus; sed hoc sit verum esse, quod est videri: *aut* nos supple homines, qui iudicamus de rebus sumus in cõtinuo motu, aut nõ: *& si quidẽ semper alteramur, & nunquã permanẽt idem*, id est, eodem modo nos habentes: *quid mirabile si nobis eadem nunquam videntur; quemadmodum laborantibus*: id est, infirmis *non videntur similia illa quæ*, scilicet percipiunt secundùm sensus, qualia supple videbantur ante ægritudinem *propter non similiter disponi secundùm habitum*, id est, secundùm dispositionem corporis, quando supple infirmabantur, *& quando sani erant*: quia supple infirmitate aliqua videntur eis amara, propter infectionem gustus, quæ eis in sanitate dulcia videbantur. *Ipsa tamen sensibilia in se nullam permutationem participantia: alias impressiones facientia laborantibus*, id est, infirmis, *& non eadem*, id est, quòd ipsa sensibilia non propter hoc in se permutantur, licèt faciant diuersas impressiones infirmis: quia hoc non est ex ratione obiecti; sed ex ratione organi sensitiui, quod in infirmo est corruptum, & infectum habens se aliter quàm priùs. Et subdit: *eodem itaque modo habere, & dicta permutatione facta fortè necessarium est*, id est, quòd si ergo nos homines, qui quotidie alteramur ex hypothesi, de rebus difformiter

Al. disponi, vel dispositionem.

Quare eadem sensibilia aliter sanis aliter infirmis apparent.

Diuersitas iudicij de eadem re est iudicantis.

miter iudicamus; nobis est putandum,& non rebus pari ratione sicut de infirmis dicebatur. Et subdit quantùm ad secundùm membrum disiunctiuæ, dicens: *si autem nos* supple homines, *non permutamur, sed idem entes permanemus*; ergo sequitur quòd erit aliquod permanens in rebus: & per consequens aliqua veritas fixa de qua possimus verè, & firmiter iudicare.

SVMMARIVM.

Alios in dictas opiniones incidere ex errore, alios ex proteruia,& horum errorem esse incurabilem, illorum non: de quo l.4.à tex.26.infert tria corollaria, Primum, contraria non verificari de eodem. Secundum, medium cum altero extremo non verificari de eodem. Tertium, contra Anaxagoram non quodlibet esse in quolibet, alioquin contraria dicerentur de eodem.

AD habentes quidem igitur dictas dubitationes ex ratione non facilè dissoluere non ponentibus aliquid: & horum non ad hoc rationem exquirentibus. Sic enim omnis ratio, & omnis demonstratio fit. Nihil enim ponentes interimunt disputare, & totaliter rationem. Quare ad tales quidē non est sermo. Ad dubitantes autem ex datis defectibus, facile obuiare, & dissoluere facientia dubitationem in ipsis. Palàm autem ex dictis.

50

A quibus dicta opinio facilè remouetur, & à quibus non.

Ponit quoddam notandum circa dicta, dicens, quòd *ad habentes quidem dictas dubitationes ex ratione*, id est, ex proteruia, qui scilicet ex pertinacia nihil concedunt; ideò subdit *non ponentibus aliquid*: & iterum *non exquirentibus rationem*: sed supple pertinaciter adhærentibus his quæ falsò opinantur: ad tales inquam *non* est *facile dissoluere*, supple huiusmodi opiniones. Cuius causam subdit: *sic enim omnis ratio, & omnis demonstratio fit*, scilicet concedendo aliquid, & exquirendo rationem de aliquo quæsito: nihil enim *ponentes*, id est, concedentes *interimunt disputare, & totaliter* supple *rationem* argumentatiuam, vel syllogisticam: *quare ad tales quidem non est sermo* per quem, scilicet à suo errore euellantur. Et subdit: quantùm *ad dubitantes autem*, id est, si aliqui sint qui ex dubitatione, puta ex debilitate ingenij cadant in dictas dubitationes, *facile est obuiare*, scilicet eorum erroribus *ex datis defectibus, & facile est dissoluere facientia dubitationem in ipsis*, id est, soluendo ea quæ in ipsis faciunt dubitationem. *Palàm autem est ex dictis*, vbi scilicet solutæ sunt dubitationes, quæ poterant inducere opinantes, id est, in opinionem supradictam.

Dicta opinio erronea euenit his ex proteruia, his verò ex debilitate intellectus.

Notandum, quòd Philosophus innuit in his verbis duplicem modum quo aliqui in prædictum errorem inciderunt: quidam scilicet ex proteruia, qui scilicet nihil cōcedentes suæ opinioni pertinaciter inhærebant; & ideò horum difficilis est curatio: quidam verò ex dubitatione, puta quia habentes aliquas sophisticas rationes, quas ex debilitate intellellectus soluere non valebant, conclusioni earum annuebant: & horum facilis est curatio, soluendo scilicet illas sophisticas rationes, quæ eis dubitationem ingerebant. Deinde cùm dicit:

Quare manifestum ex his, quòd non contingit oppositas dictiones de eodem, secundùm vnum tempus verificari: neque contraria, propter dici, secundùm priuationem omnem contrarietatem. Palàm autem hac ad principium resoluentibus rationes contrariorum.

51

1. Sequens.

Concludit quædam corollaria ex prædictis, & sunt quatuor: quorum Secundum ponitur ibi: *Similiter autem neque intermediorum.* Tertium ibi: *Nec itaque.* Quartum ibi: *Similiter autem nec omnes.* Dicit ergo, *quare manifestum est ex his*, quæ scilicet dicta sunt, quòd *non contingit oppositas dictiones*, id est, affirmationem, & negationem *verificari de eodem secundùm vnum tempus*, & per consequens *nec contraria*, supple verificantur de eodem. Cuius causam subdit *propter omnem contrarietatem dici secundùm priuationem*, quatenus scilicet alterum contrariorum semper habet rationem priuationis. *Palàm autem est hoc resoluentibus rationes contrariorum ad principium*, nam vt dictum est 10. huius, t. c. 15. habitus, & priuatio sunt principium contrarietatis.

Contraria de eodem non verificari simul.

Quid priuatio?

Notandum, quòd priuatio est quædam negatio in subiecto determinato: contraria autem habent rationem habitus, & priuationis quasi eiusdem affirmationis, & negationis. Si ergo affirmatio, & negatio non possunt verificari de eodem; ergo nec contraria. Deinde cùm dicit:

Similiter autem neque intermediorum vllum possibile est prædicari de vno, & eodem. Albo enim existente subiecto, dicentes ipsum esse, neque album, neque nigrum mentientur. Accidit enim album esse ipsum, & non esse: alterum enim complexorum verificabitur de ipso, hoc autem est contradictio albi.

52

2. Sequens.

Ponit secundum corollarium, dicens, quòd non solùm supple contraria non possint verificari de eodem; sed etiam *similiter, nec vllum intermediorum est possibile prædicari de vno, & de eodem*, de quo scilicet alterum extremorum prædicatur: *albo enim existente subiecto, dicentes ipsum esse, neque album, neque nigrum, mentietur*: ita quòd per ly *nec album, nec nigrum*, intelligit quodcumque medium datum: medium enim inter contraria includit negationem, siue priuationem vtriusque extremi: siue sit innominatum, siue sit nominatum, & hoc vno nomine, vel pluribus, vt patet 10. huius, t.c.16. & inde. Vnde rubeum est color, nec albus, nec niger: falsum ergo est dicere de aliquo subiecto albo quòd sit rubeum; cuius probationem subdit: *quia si sic, accidit enim album esse ipsum, & non esse*: enim pro quia, *alterum cōplexorum verificabitur de ipso: hac autem est cōtradictio albi.* Vult dicere, quòd si de subiecto albo verum est dicere, quòd sit rubeum: & per consequens nec album, nec nigrum: oportet quòd verificetur de illo altera pars illius copulatiuæ complexæ, puta: *neque album*, quæ est contradictio ipsius albi; & per consequens idem subiectum esset album, & non esset album: quæ est quædam contradictio manifesta. Deinde cùm dicit:

Medium, & extremum contrariorum de eodem simul non verificari.

Neque

Neque enim itaque secundùm Heraclitum contingit vera dicere, neque secundum Anaxagoram. Si autem non, accidet contraria de eodem prædicari. Cùm enim in omni dicat, omnis esse partem: nihil magis dicit dulce esse, quàm amarum, aut reliquarum quarumcunque contrarietatum. Siquidem in omni existit non potentia solùm, sed actu, & segregatum.

3. Sequens.

Contraria de eodem simul dici ex opinione Heracliti, & Anaxagoræ sequitur.

Ponit tertium corollarium, dicens: quòd si supple ita est, quòd affirmatio, & negatio non sunt simul vera de eodem; ergo *nec itaque contingit verum dicere*, dicentes *secundùm Heraclitum, nec secundùm Anaxagoram*, quia supple opinio vtriusque istorum est falsa; quod declarat de opinione Anaxagoræ quia de Heraclito iam patet ex prædictis; ideò subdit: *si autem non* supple opinio Anaxagoræ sit falsa, *accidit contraria prædicari de eodem: cum enim dicat*; scilicet Anaxagoras *in omni esse partem omnis*: quia scilicet dicebat quodlibet esse in quolibet, & ita partem carnis esse in sanguine, & è conuerso, & partem dulcis esse in amaro, & è conuerso; ideò sequitur quòd aliud *nihil magis dicit esse dulce, quàm amarum, aut reliquarum quarumcunque contrarietatum: siquidem* pro quia: secundùm eum supple omne *existit in omni non solùm potentia*; *sed etiam actu, & segregatum*: quod dicit pro tanto, quia contraria esse in eodem in potentia, non est inconueniens; sed quod sint in actu distincto, est omnino impossibile, vt patet ex dictis. Deinde cùm dicit:

Simultas contrariorum nõ in potentia, sed in actu duntaxat negatur.

Similiter autem neque omnes falsas, neque veras dictiones possibile esse. Et propter alia multa collectarum vtique difficultatum propter hanc positionem. Et quia falsis quidem existentibus omnibus neque hoc ipsum quis dicens verum dicet. Veris autem, falsas esse omnes dicens non mentitur.

4. Sequens. 53

Neque omnes veras, neque omnes falsas esse propositiones.

Ponit quartum corollarium, dicens quòd *similiter* autem patet ex prædictis, *neque omnes dictiones*, id est, propositiones *esse falsas, nec omnes esse veras est possibile, & propter multa aliarum difficultatum collectarum*: quæ propter hanc positionem collectæ sunt hîc, & in quarto huius, *& quia falsis existentibus omnibus*, scilicet propositionibus, sequitur quòd *nec hoc ipsum, quod dicimus*, quòd scilicet omnis propositio est falsa, *verum dicet*, imò falsum. Iterum *veris autem existentibus omnibus* propositionibus dicens *omnes esse falsas, non mentietur*; sed verum dicet; & ideò vtroque modo illa opinio est falsa, siue ponat omnes propositiones esse veras, siue omnes esse falsas.

Notandum, quòd omnia quæ dicta sunt ab illo loco: *Quoniam autem Philosophi scientia*, & cætera, iam sunt posita, & perfectiùs in quarto libro; & ideò si quid omissum est, siue quantùm ad literam Philosophi, siue quantùm ad expositionem litteræ, quæratur ibi: quia tunc dicta sunt, quæ dicenda occurrebant: nec oportet hîc ampliùs dicere, sed sufficit faciliter, & quasi superficialiter pertransire, &c.

SVMMA TERTIA.

Primæ Philosophiæ ab aliis scientiis differentia: Item ens per accidens à nulla scientia considerari: de quibus omnibus in libro sexto.

CAPVT I.

Philosophiam primam ab aliis scientiis differre ex modo considerandi, & diffiniendi & illarum diuisio.

SVMMARIVM.

Incipit docere modum considerandi huius scientiæ, de quo fusè egit l. 6. Primò distinguit scientiam naturalem à practica. Secundò Mathematicam à naturali. Tertiò Metaphysicam, seu Theologiam ab istis: de quo l. 6. tex. primo, & secundo.

T. c. 6.

Omnis autem scientia quærit aliqua principia, & causas circa vnumquodque eorum quæ sub ipsa scibilium: puta medicatiua, & exercitatiua & reliquarum vnaquaque factiuarum, & doctrinalium. Vnaquaque enim harum circumscribens aliquod genus ipsi, circa hoc negociatur tanquam existens, & ens: non inquantum autem ens. Sed altera quædam hæc præter has scientias est scientia. Dictarum autem scientiarum vnaquæque sumens aliqualiter, quod quid est in vnoquoque genere, tentat ostendere aliqua, debilius, aut certius. Sumunt autem, quod quidem est, hæ quidem per sensum, hæ autem supponentes: propter quod, & palàm ex tali inductione. quòd substantiæ & eius quod quid est, non est demonstratio.

54

Postquam Philosophus descripsit ambitum huius scientiæ, ostendens, ad quæ consideranda se extendit, nunc ostendit proprium eius modum considerandi, compatãdo hanc scientiam ad alias. Circa quod tria facit. Primò ostendit quid habent proprium scientiæ particulares. Secundò comparat adinuicem ipsas scientias particulares penes differẽtiam. Tertiò cõparat hanc sciẽtiam ad alias, quod est intentum. Secunda ibi: *Quoniam autem est quædam de natura.* Tertia ibi: *Quoniam autem est quædam scientia.* In prima parte ponit duo pertinentia ad alias scientias particulares. Primum est, quòd quælibet quærit principia, & causas circa proprium subiectum. Secundum est, quòd quælibet supponit, *quod quid est* sui subiecti, & hoc est quod dicitur, quòd *omnis autem scientia quærit aliqua principia & causas circa vnumquodque eorum scibilium quæ sub ipsa*, id est, quæ sibi subiiciuntur. Et dicit, *aliqua*, quatenus non omnis scientia considerat omne principium, nec

Qualibet scientia particularis habet duo præcipuè sibi propria.

primũ principia & causas subiecti quærere.

nec omne genus causæ: & exemplificat, *puta medicatiua*: quæ scilicet considerat de sanitate, *& exercitatiua*: quæ scilicet considerat de exercitiis ordinatis ad bonam dispositionẽ, vel valetudinem corporis, & similiter *vnaquæque reliquarum factiuarũ*, id est, practicarũ, *& doctrinalium*, id est, speculatiuarum scientiarũ *vnaquæque enim harũ*, scilicet particularium *circũscribẽs* supple ab aliis entibus, *aliquod genus* subiectum *ipsi, circa hoc negociatur tanquã existens* circa *aliquod ens, sed non inquantũ ens*: & hoc fuit primum. Et subdit quantùm ad secundum pertinens ad scientias, scilicet particulares, dicens, *sed altera quædam hæc præter has scientias est scientia*, scilicet de ente inquantum ens, pertinet ad quandam scientiam, quæ est alia præter scientias particulares. *Dictarũ autem scientiarum*, scilicet particularium, *vnaquæque sumens*, id est, supponens aliqualiter, *quod quid est*, scilicet subiecti, *in vnoquoque genere, tentat ostendere reliqua*, id est, proprias passiones de subiecto, *debilius aut certius*, secundùm quod sunt gradus certitudinis in demonstrando. Nam Mathematicæ scientiæ certissimè demonstrant: naturales autem minùs certè. Et subdit exponens quomodo scientiæ supponunt, *quod quid est* subiecti aliqualiter, dicens, *sumunt autem*, id est, supponunt, *quod quid est: hæ quidem per sensum*, puta si requirunt cognitionem confusam subiecti: *hæ autem supponentes*, scilicet à Metaphysico, puta si requirunt cognitionem distinctam subiecti, vt declaratum est 6. huius. Ex quo infert: *propter quod, & palàm*, scilicet est, *ex tali inductione, quòd substantiæ, & eius quod quid est* supple *non est demonstratio*. Nam *quod quid est* subiecti supponitur tanquam medium & principium demonstrationis; ideò non demonstratur. Deinde cùm dicit:

Secundum, quod quid est subiecti præsupponere.

Mathematicæ scientiæ sunt in primo gradu certitudinis.

Vario modo, variæ scientiæ supponũt, quod quid est sui subiecti.

Quod quid est non est demonstratio sed est mediũ.

55 *Quoniam autem est quædam de natura sciẽtia, palàm quia, & à practica altera, & factiua erit. Factiuæ quidem enim in faciente, & non in facto motus principium. Et hoc est siue ars aliqua, siue aliqua alia potentia. Similiter autem, & practicæ non in agibile, magis autẽ in agẽtibus motus. Quæ autem Physici circa habentia in ipsis motus principiũ est. Quod quidem igitur neque factiuam neque actiuam, sed speculatiuam necesse est esse naturalem scientiam, palàm ex his. In vnum enim aliquid horum generum necesse cadere ipsam.*

Comparat scientias particulares ad inuicem penes differentiam. Circa quod duo facit. Primò distinguit scientiam naturalem à scientiis practicis. Secundò distinguit scientiam Mathematicam à naturali. Secunda ibi: *Quoniam autem quod quid est.* In prima parte intendit talem rationem: Scientia naturalis est circa ea, quæ habent in seipsis principium motus, & quietis: sed nulla practica est huiusmodi; ergo, &c. Hanc rationem exponit, dicens, quòd *quoniam est quædam scientia*, scilicet particularis, *de natura palàm* quia erit altera, *& à practica, & à factiua*, vt per practicam intelligatur appropriatè practica actiua, & per factiuam practica factiua. Cuius causam subdit: *enim* pro quia, *factiua quidem est principium motus in faciente, & non in facto*: & hoc scilicet principium est sicut ars dirigens, siue aliqua alia potentia, puta executiua. Similiter autem, *& practicæ*, id est, actiuæ est supple principium motus: *non enim est in agibili, sed magis est in agentibus. Quæ autem* supple sunt scientiæ Physicæ, versantur *circa habentia in seipsis principium motus*. Concludit ergo, *quòd quidem igitur, nec actiuam, nec factiuam, sed speculatiuam necessarium est esse scientiam naturalem palàm est ex his. Enim* pro quia, *ipsam* scilicet scientiam naturalem *necesse est cadere in vnum* aliquod *horum generum*, quòd scilicet sit practica, vel speculatiua. Si igitur non est practica, quia nec actiua nec factiua: sequitur quòd sit speculatiua.

Differre ab inuicem sciẽtias particulares.

Differentia naturalis & practicarum.

Non datur medium inter practicam & speculatiuã.

Notandum, quòd, sicut dictum fuit in primo libro, & alibi sæpè, praxis quædam est actio, quædam factio: & dicitur actio operatio, quæ manet, & non transit extra operantem, puta velle, & appetere: sed factio dicitur operatio transiens, puta texere, vel ædificare. Secundùm hoc ergo distinguitur duplex scientia practica: vna quæ dirigit in praxi, quæ est actio, & vocatur prudentia, & scientia moralis; alia quæ dirigit in praxi, quæ est factio, & vocatur ars. Prima dicitur practica actiua. Secunda dicitur practica factiua. Deinde cùm dicit;

Praxis duplex.

Practica duplex,

56 *Quoniam autem, quod quid est, necessarium vnicuique aliqualiter scientiarum scire, & hoc vti principio; oportet non latere qualiter diffiniendum naturali, & qualiter substantiæ ratio sumenda, vtrùm vt simum, aut magis vt concauum. Horum enim simi quidem ratio cum materia dicitur ea, quæ rei; quæ autem concaui, sine materia. Simitas enim in naso, fit propter quod, & ratio ipsius cum hoc dicta est. Simus enim est nasus concauus. Manifestum est igitur, quòd carnis, & oculi, & reliquarum partium cum materia semper rationem reddendum.*

Distinguit scientiam Mathematicam à naturali, dicens, *quoniam autem vnicuique scientiarum necesse est scire aliqualiter ipsum, quod quid est & hoc vti, vt principio*, scilicet demonstrationis, vt prædictum est; ideò *oportet non latere qualiter diffiniendum est naturali, & qualiter sumenda est ratio substantiæ*, id est, diffinitio substantialis rei: quia supple secundùm diuersum modum diffiniendi distinguuntur scientiæ; & ideò vt appareat qualiter scientia naturalis distinguitur ab aliis, oportet videre quem modum seruat in diffiniendo, vtrùm scilicet diffiniat, *vt simũ diffinitur; aut magis, vt concauum: horum enim ratio*, id est, diffinitio *simi dicitur cum materia ea, quæ est rei*, scilicet sensibilis. Ratio autem *quæ est concaui* dicitur *sine materia* supple sensibili: cuius causam subdit: *enim* pro quia, *simitas fit in naso*, sicut in materia sensibili, & determinata, *propter quod ratio*, id est, diffinitio ipsius est *dicta cum hoc*, scilicet naso, qui est materia sensibilis: *simus est nasus concauus*, & hoc est eius diffinitio. Et subdit; *manifestum est igitur quòd carnis, & oculi, & reliquarũ partiũ reddẽdum est rationẽ*, id est, diffinitionem *cum materia* supple sensibili: & similiter intelligẽdum est de omnibus rebus naturalibus: & tunc supplendum est, quod in diffinitione concaui non ponitur materia sensibilis. Ex quibus omnibus colligitur differentia inter scientiam Mathematicam, & naturalem: quia

Differentia naturalis & Mathematicæ.

Diuersitas modi diffiniẽdi diuersificat scientias.

Simum quid.

Naturalis diffinit, vt simum, Mathematicus vt cõcauum; ideò hic cum materia sensibili, ille verò sine tali.

quia naturalis diffinit per materiam sensibilem sicut sinum, & tractat de his, quæ concernunt materiam sensibilem: Mathematica autem diffinit, sicut concauum sine materia sensibili, vt ostensum est iam 6. huius. Deinde cùm dicit:

57

Quoniam autem est quædam scientia entis inquantum ens, & separabile, considerandum vtrùm quidem naturali eandẽ ponendum esse hanc, aut magis alteram. Naturalis quidem igitur circa habentia motus principium in ipsis est. Mathematica autem speculatiua quidem, & circa manentia quædam hæc; sed non separabilia. Circa separabile igitur ens, & immobile altera ab his ambabus scientiis est aliqua: si quidem existit aliqua substantia talis. Dico autem separabilis, & immobilis, quod quidem tentabimus ostendere. Et si quidem est aliqua talis natura in entibus; hoc vtique erit alicubi, & quid diuinum. Et hoc vtique erit principalissimum principium.

Comparat Metaphysicã ad particulares scientias tripliciter.

Comparat istam scientiam ad alias scientias particulares, ex quo haberi poterit proprius modus considerandi huius scientiæ. Circa quod tria facit. Primò comparat hanc scientiam ad alias penes subiecti separabilitatem. Secundò penes nobilitatem. Tertiò penes vniuersalitatem. Secunda ibi: *Optimè quidem igitur.* Tertia ibi: *Dubitabit autem aliquis.* Prima in duas. Primò facit, quod dictum est. Secundò infert ex dictis quandam conclusionem. Secunda ibi: *Palàm igitur quod tria.* Dicit ergo, quòd *quoniam est quædam scientia entis inquantum ens*, & inquantum *separabile*, ad hanc scientiam pertinet speculari non solùm de ente communi inquãtum ens, sed etiam de ente separato à materia, etiam secundùm se, vt sunt Intelligentiæ: quia inquam sic est, *considerandum est vtrùm hanc scientiam:* quæ scilicet considerat de talibus, *ponendum sit esse eandem ipsi* scientiæ naturali, *aut magis esse alteram?* Et statim probat, quòd sit altera dicens, quòd *naturali quidem* igitur *scientia est circa habentia in ipsis*, id est, in seipsis *principium motus*, & per consequens materiam; quia in omni, quod mouetur oportet intelligere materiam: *Mathematica autem est quidem speculatiua, & circa quædam manentia; & immobilia; sed non* supple *separabilia* à materia secundùm esse: licèt sint separata secundùm considerationem. Ex hoc infert; igitur *circa ens separabile* supple secundùm esse à materia, *& immobile, est aliqua alia scientia ab his duabus scientiis*, scilicet Mathematica & naturali, *& hoc si quidem*, id est, si tamen *existit aliqua talis substantia; dico autem separabilis*, scilicet à sensibilibus, *& immobilibus, quod quidem tentabimus ostendere*; scilicet inferiùs in duodecimo. *Et si quidem est aliqua talis natura in entibus*: quæ scilicet, sit separabilis, & immobilis: *hoc vtique erit alicubi*, id est, attribuetur alicui substantiæ, *& hoc vtique*, quod scilicet habet talem naturam *erit* quid diuinum, & primum *& principalissimum principium.*. Hæc autem scientia, quæ tractat de huiusmodi immobilibus, & separatis est ista scientia, vt alibi sæpè dictum est; vnde, & nominatur scientia diuina. Deinde cùm dicit;

De quibus naturalis? Cælum ergo materiale, dic consequenter. De quibus Mathematica?

De quibus Metaphysica?

58

Palàm igitur quòd tria genera speculatiuarum scientiarum sunt, Naturalis, Mathematica, Theorica.

Theoricæ sciẽtiæ tres. Nota dignitatem sciẽtiæ à subiecto.

Concludit ex dictis quandam conclusionem dicens, quòd *palàm igitur*, *quòd tria sunt genera scientiarum* speculatiuarum, scilicet; *Naturalis*, quæ speculatur entia mobilia & materialia, & secundùm esse, & secundùm considerationem. *Et Mathematica*, quæ speculatur entia, quæ abstrahunt à motu, & à materia sensibili non secundùm esse; sed tantùm secundùm considerationem. Iterum est *Theorica*, quæ versatur circa diuina entia omnino immobilia, & separata à materia etiam secundùm esse. Deinde cùm dicit:

Al. Theologia.

SVMMARIVM.

Comparat hanc scientiam ad alias, penes nobilitatem, & vniuersalitatem: de quo lib. sexto, text. 2. vide Doctorem ibi. quæst. prima.

Optimum quidem igitur speculatiuarum genus. Harum autem ipsarum vltima dicta, circa honorabilissimum enim est entium. Melior autem, & deterior vnaquaque dicitur secundùm proprium scibile.

Metaphysica nobilissima sciẽtiarum, & quare?

Comparat istam scientiam ad alias penes nobilitatem, dicens, quòd *genus speculatiuarum sciẽtiarum est optimum*, id est, quòd scientiæ speculatiuæ sunt nobiliores aliis: *harum autem ipsarum*, scilicet speculatiuarũ *vltima dicta*, scilicet Theorica est supple nobilior: quod probat, quia est *circa honorabilissimum entium. Vnaquæque enim scientia dicitur melior, & deterior secundùm proprium subiectum scibile:* quia igitur ista scientia est de nobilissimo subiecto; ideò ipsa est nobilissima simpliciter. Deinde cùm dicit:

Dubitabit autem vtique quis, vtrùm entis inquantum ens scientiam vniuersalem oportet poni, aut non? Mathematicarum quidem vnaquæque circa vnum aliquod genus determinatum est. Quæ autẽ vniuersali conueniunt de omnibus. Si quidem igitur naturales substãtiæ primæ entium sunt: & naturalis vtique prima scientiarum erit. Si autem est altera natura & substantia separabilis, & immobilis; alteram & necesse scientiam ipsius esse, & priorem naturali, & vniuersalem eo quòd priorem.

59

Comparat hanc scientiam ad alias penes vniuersalitatem, dicens, quòd *dubitabit aliquis vtrùm* supple hanc scientiam, quæ est de entibus diuinis; *oportet ponere scientiam vniuersalem entis inquantum ens, aut non*: & probat quòd sic per diuisionem, dicens, quòd *vnaquaque scientiarum Mathematicarum est circa aliquod vnum genus determinatum*, quæ est supple scientia *vniuersalis communiter de omnibus*; & per consequens nulla scientia Mathematica est vniuersalis omnium entium: & subdit: *si quidem igitur substantiæ naturales*, scilicet quæ sunt mobiles, & sensibiles *sunt prima entium*, sequitur quòd *& scientia naturalis erit vtique prima scientiarum*: quia penes ordinem subiecto

Sola Metaphysica vniuersalis, & in vniuersali considerat, licet propriè communia, & communiter propria.

subiectorum est ordo scientiarum; *si autem est altera natura, & substantia separabilis*, supple à naturalibus, *& immobilis, necesse est ipsius alteram esse scientiam, & priorem naturali, & etiam vniuersalem eo quòd priorem:* quia eadem est scientia, quæ speculatur prima entia, puta substantias immateriales: & quæ est vniuersalis considerans de omni ente inquantum ens: quia istæ substantiæ separatæ sunt causæ, & principia entis inquantum ens, vt iam dictum fuit sæpè. Quare igitur nec naturalis, neque Mathematica est scientia vniuersalis. De practicis etiam scientiis patet quòd nulla earum est vniuersalis: relinquitur ergo à diuisione, quòd ista sit vniuersalis considerans de omni ente.

SVMMÆ TERTIÆ.

CAP. II.

Nullam scientiam agere de ente per accidens, nec de ente vero, neque de fortuna, & casu.

SVMMARIVM.

Scientiam non agere de ente per accidens, nec de ente vero, de quo lib. 6. text. 4. vide Doct. ibi q. 2. explicat duos modos entis per accidens; quomodo Sophista maximè versatur circa fallaciam accidentis, explicat benè Doctor hîc, & suprà, lib. 6. text. 4.

Text. com. 7.

Qvoniam autem simpliciter ens secundùm plures dicitur modos, quorum vnus est, qui secundùm accidens dicitur, considerandum primo de sic ente.

60

Sermo de ente imperfecto, & primò de ente per accidens.

Postquam collegit quædam de consideratione huius scientiæ, & quædam de differentia huius scientiæ ad alias: hîc, vt dicebatur, resumit, & recolligit Philosophus ea quæ dixerat de ente imperfecto in sexto huius, & in libro Physicorum. Circa quod duo facit. Primò determinat de ente per accidens. Secundò de motu. Secunda ibi: *Est autem hoc quidem.* Prima in duas. Primò resumit quæ dixerat de ente per accidens. Secundò ea quæ dixerat de causa per accidens in 2. Phys. Secunda ibi: *Quia autem gratia huius.* Prima in duas. Primò proponit intentum. Secundò exequitur de intento, ibi: *Quia quidem autem nulla.* Dicit ergo, quòd *quoniam autem ens simpliciter*, id est, communiter sumptum, *dicitur secundùm plures modos, quorum vnus est, qui dicitur secundùm accidens*, id est, ens per accidens *considerandum est de sic ente* per accidens: *primò*, id est, antequam de ente per se, id est, de quo agetur in consequentibus. Deinde cùm dicit:

Quod quidem igitur nulla traditarum scientiarum negociatur circa accidens, palàm. Neque enim ædificatiua considerat, quid accidet vtentibus domo: puta si triste, aut contrariè habitabunt: neque textiua, coriatiua, neque coquinaria. Quod autē secundùm ipsam, propriam vnaquæque harum considerat scientiarum solùm: hoc autem est proprius finis.

Exequitur de intento. Circa quod duo facit, Primò determinat de ente per accidens. Secundò remouet tam ipsum, quàm ens verum à consideratione huius scientiæ. Secunda ibi: *Quia autem vt verè ens.*

Ens per accidens duplex.

Ad euidentiam primi notandum est, quòd, vt dictum est in 6. huius, ens per accidens sumitur dupliciter. Vno modo vt ly *per accidens* priuat perseitatem entitatis rei in se acceptæ, vt est compositum ens ex rebus diuersorum generum, vt homo musicus. Alio modo vt ly *per accidens* priuat perseitatem entitatis rei non absolutè, sed in comparatione ad aliquam causam aliud intendentem, eo modo quo inuentio thesauri dicitur per accidens in comparatione ad fodientem fossam. Secundùm ergo hæc, ista pars diuiditur in duas: quia primò agit à proprietate loquendo de ente per accidens primo modo. Secundò de ente per accidens secundo modo. Secunda ibi: *Quia autem neque contingens.* Prima in duas secundùm quod dupliciter probat, quòd nulla scientia est de ente per accidens. Primò quidem hoc probat inductiuè. Secundò syllogisticè. Secunda ibi: *Nec inquantum musicum.* Dicit ergo, *quod quidem nulla traditarum scientiarum negociatur circa accidens*, id est, ens per accidens primo modo, *palàm est* ex dictis: *nec enim ars ædificatiua considerat quid accidet vtentibus domo*, quam supple facit, *puta si habitabunt in ea* homines *tristè, aut contrariè*, id est, delectabiliter: iterum *nec ars textiua, nec coriaria, nec coquinaria:* supple considerant ea quæ accidunt, puta vel vtentibus panno contexto, quantum ad textiuam, vel vtentibus sotularibus, quantum ad coriariam. *Quod autem est proprium*, scilicet subiectum *secundum ipsam* scientiam *illud quoque considerat vnaquæque scientiarum* demonstrando, scilicet proprias passiones de proprio subiecto: *& hoc est proprius finis*, quem supple quælibet scientia intendit. Deinde cùm dicit:

Quod nulla scientia est de ente per accidens primo modo probat dupliciter.

Finis scientiæ cuiusq; quis.

61

Neque inquantum musicum, & Grammaticum: neque existentem Musicum: quia factus Grammaticus: simul erant ambo, priùs non ens quod autem non semper ens factum, & hoc; quare simul Musicus factus est, & Grammaticus. Hoc autem nulla quærit confessa existentium scientiarum nisi Sophistica: circa accidens enim hæc sola negociatur. Propter quod Plato non malè dixit, dicens circa non ens Sophisticam versari.

Nulla scientia considerat ens per accidens.

Probat idem syllogisticè, & intendit talem rationem: Omnis scientia speculatur ens secundùm rem: sed ens per accidens non est ens secundùm rem; ergo &c. Probatio minoris: quia omne ens secundùm rem, quod nunc est, & non semper fuit est factum, vt patet de aliquo, qui priùs fuit Musicus, & priùs non fuit Grammaticus: nam nunc est Musicus Grammaticus, & priùs non fuit Musicus Grammaticus: & tamen non est factus Musicus Grammaticus: sed Grammaticus tantùm; ergo Musicum Grammaticum, quod est quoddam ens per accidens primo modo, non est secundùm rem. Dicit ergo, quòd *nec inquantum Musicum Grammaticum neque existentem Musicum*, id est, quòd Musicus est Grammaticus non tamen inquantum Musicus: *quia si* supple Musicus *est factus Grammaticus, simul erit* supple Musicus Grammaticus

Grammaticus *priùs* hæc *non ens ambo*, id est, non erant priùs hæc ambo simul, scilicet Musicus Grammaticus: *quod autem non semper ens est*, & supple *factum* est, oportet quòd sit factum: *hoc*, scilicet quod modo est: *quare musicus simul factus est, & Grammaticus*; si supple modo est Musicus, & Grammaticus, & non semper fuit: quod tamen falsum est, vt ostensum est: quia iam præfuit Musicus: & ideò non fuit factus nisi Grammaticus tantùm. Ex quo infert: *hoc autem*, scilicet ens per accidens, *nulla quærit confessè*, id est, manifestè *existentium scientiarum nisi Sophistica: hæc enim sola*, scilicet Sophistica *negotiatur*: supple quàm maximè *circa accidens* quia maximè vtitur fallacia accidentis: qua etiam sapientes maximè falluntur ex primo Elenchorum: propter quod *Plato non malè dixit*, dicens *Sophisticam circa non ens versari*, quatenus scilicet circa ens per accidens versatur.

Quid fieri rectè dicitur.

Sophistica quàm maximè considerat ens per accidens.

Accidens est locus aptissimus ad decipiendum etiã sapientes, 1. Elench. c. 4.

Notandum, quòd ista propositio Philosophi, quòd *omne quod nunc est, & priùs non fuit, factum est*, videtur habere instantiam in generatione simpliciter: quia licèt substantia composita sit facta, tamen aliquid eius præfuit, scilicet materia. Sed sciendum, quòd materia existit nõ quasi actu ens, sed quasi potentia ens: & quia generatio terminatur ad compositum per se ex 7. huius, tex. c. 27. & infrà, ideò tota substãtia composita ad generationem terminata dicitur esse nunc, & priùs non fuisse: quia eius materia, etsi præfuit, non tamen præfuit vt aliquid eius, nisi solùm in potentia. Sed in proposito verificatur propositio, vt Musicus factus Grammaticus, præfuit Musicus etiam in actu; & ideò non est generatus Musicus Grammaticus, sed Grammaticus tantùm. Deinde cùm dicit:

Aliquid substantia composita præfuit.

Tollit instantiam.

Al. generationem terminans.

Quod autem neque contingens est esse accidentis scientiam, manifestum erit tentantibus scire quid est accidens. Omne itaque dicimus esse hoc quidem semper & ex necessitate; necessitate autem non secundùm violentiam dicta, sed secundùm quod vtimur, in his quæ secundùm demonstrationes: hoc autem vt in plus: hoc verò neque vt in plus neque semper & ex necessitate: sed vt contingit, puta sub Cane fiet vtique frigus. Sed hoc neque vt semper, & ex necessitate: neque, vt in plus fit: accidet tamen aliquando vtique. Est itaque accidens quod fit quidem: non autem semper, neque ex necessitate, neque vt in plus. Quid quidem igitur est accidens dictum est.

62

De ente per accidens secundo modo non est scientia.

Agit de ente per accidens secundo modo. Circa quod duo facit. Primò ostendit quòd nulla scientia tractat de ente per accidens secundo modo. Secundò remouet errorem negantium à rebus tale ens esse per accidens. Secunda ibi: *Quoniam autem secundum accidens*. In prima parte intendit talem rationem: Omnis scientia speculatur ea quæ sunt semper, vel frequenter: sed ens per accidens non est semper, vel frequenter; ergo nulla scientia speculatur de tali ente. De ista ratione primò proponit minorem. Secundò maiorem ibi: *Quia autem non est*. Dicit ergo, quòd *tentantibus, scire quid est accidens*, id est, ens per accidens, *manifestum erit quòd nec erat contingens scientiam esse* circa accidens. Et subdit quandam trimembrem diuisionem, dicens quòd *omne itaque*, quod est, *dicimus esse hoc quidem semper, & ex necessitate: non autem necessitate dicta secundùm violentiam, sed secundùm quòd vtimur necessitate in his quæ secundùm demonstrationes*: & hoc est necessarium quod impossibile est aliter se habere, puta triangulũ habere tres: tale necessarium concluditur per demonstrationẽ ex primo Posteriorũ text. 5. & 7. & inde: *hoc autem vt in plus*, id est, quòd quædam sunt vt frequenter, puta quòd pluat in hyeme: hoc enim non est semper de necessitate, *sed est vt frequenter: hoc autem*, id est, quædam alia *nec sunt, vt in plus*, id est, frequenter, *nec semper, & ex necessitate; sed vt contingit*, id est, vt rarò, *puta sub Cane*, id est, in diebus Canicularibus *fiet vtique frigus; sed hoc nec fit vt semper, & ex necessitate, neque vt in plus*, id est, frequenter: aliquando *tamen vtique accidet* vt sit frigus. Et subdit: *est itaque accidens*, id est, ens per accidens *quod fit quidem, non semper autem, neque ex necessitate, neque vt in plus*. Concludit ergo, *quid igitur est* ens per *accidens dictum est*, scilicet quod fit non semper; nec frequenter, sed vt rarò: & hoc per comparationem ad aliquam causam, quæ alium effectum intendit, & non illum. Deinde cùm dicit:

Minor.

Quid sit ens per accidens secũdo modo.

Necessitas duplex.

Quia non est autem scientia talis, palàm. Scientia quidem enim omnis semper entis: aut in plus: accidens autem in neutro horum est.

Ponit maiorem rationis cum conclusione, dicens, *quia autem non est scientia talis*, scilicet entis per accidens, *palàm est: enim* pro quia, *omnis scientia est entis quod est semper; aut in plus*, id est, frequenter: hæc fuit maior: *accidens autem*, id est, ens per accidẽs *in neutro est horum*: quia euenit vt rarò, vt præostensum est. Ex quo sequitur quòd non erit scientia de eo.

Maior. 63

SVMMARIVM.

Refutat tollentes omnino ens per accidens, eorúmque responsionem; remouétque in speciali tam ens per accidens, quàm ens verum à consideratione huius scientiæ. De quo actum est 6. huius text. 11.

Q*Via autem secundùm accidens entis non sunt causæ, & principia talia qualia quidem secundùm se entis, palàm. Erunt enim omnia ex necessitate: si enim hoc quidem est huius entis: hoc autem huius: hoc autem non, vt contingit, sed ex necessitate erit: & cum hoc erit causa vsque ad vltimum dictum causatum; hoc autem erat secundùm accidens. Quare ex necessitate omnia erunt, & quod vtrunque contingit, & accidere, & fieri, & non omnino ex generatis aufertur.*

Remouet quendam errorem quorundam, qui tale ens per accidens ab entibus auferebant. Circa quod duo facit. Primò ostendit propositum

Secundò excludit cauillosam responsionem. Secunda ibi: *Et si non existens.*

Excludit errorem negātium ens per accidens secundo modo.

Ad euidentiam primi notandum est, quòd, vt dictum fuit 6. huius text. com.7. & circiter, opinio fuit quorundam, quòd cuiuslibet entis esset aliqua causa per se, qua posita in esse necessariò sequeretur effectus: quòd si verum esset, tunc nullus effectus eueniret per accidens, nec præter intentionem causæ; & ideò tollitur ens per accidens secundo modo. Hunc ergo errorem improbat Philosophus per talem rationem: quia si sic; ergo omnia euenirent de necessitate: consequens est falsum, ergo & antecedens. Hanc ergo rationem exponit Philosophus, dicens quòd *autem entis secundum accidens non sunt causæ, & principia talia*, scilicet per se, qualia sunt entis secūdum se, vt supple dicunt quidam, *palàm* est: *enim* pro quia, si supple ens per accidens habet causas, sicut illi dicunt, *erunt omnia ex necessitate:* quod sic declarat: *si enim hoc quidem est*, supple causa *huius entis*, puta alicuius entis, puta alicuius effectus futuri: *hoc autem huius*, id est, ille effectus est causa alterius: *hoc autem non vt contingit*, id est, non quocunque modo; *sed erit ex necessitate*, id est, quòd posita causa necessario sequitur effectus, cuius *hoc erit causa*, *& hoc vsque ad vltimum dictum causatum: hoc autem erat*, id est, ponebatur esse *secundùm accidens*; & per consequens, quod ponitur per accidens erit *ex necessitate.* Quare sequitur, quòd *omnia erunt* de necessitate, *& quod auferetur omnino ex generatis*, id est, ex rebus quæ fiunt: *contingit quod vtrunque*, id est, ad vtrunque contingit, *& accidit fieri.* Quæ omnia sunt absurda secundùm Philosophiā.

Habet pro inconuenienti omnia ex necessitate euenire, quod tamen ex dictis eius alibi sequitur.

64

Notandum, quòd vt iam declaratum fuit sexto huius, si cuiuslibet effectus ponatur causa per se, qua posita necessariò ponitur effectus, vt dixerunt quidam, omnia euenirent de necessitate. Nam propter istam necessariam cōnexionem si aliquod præteritum, vel præsens sit causa alicuius effectus futuri, puta si comedere, vel comedisse inordinatè sit causa sitis, posita causa secundùm te necessariò ponitur effectus. Iterùm sitis sit causa exeundi domo, puta pro haurienda aqua: tunc vt priùs, si iste sitit, necessariò domum exit. Iterum exitus domus est causa incidendi in latrones, qui occidunt eum; ergo à primo ad vltimum, si iste comedit inordinatè, necessariò occiditur: & sic per istum modum tollitur ens per accidens à rebus, si omnia de necessitate euenirent; quod est inconueniens. Deinde cùm dicit:

65

Et si non existens; sed quæ sit causa supponatur, eadem accident. Omne enim ex necessitate fiet. Si enim cras eclipsis fiet, si hoc fuerit: hoc autem si alterum aliquod, & hoc si aliud: & hoc itaque modo à finito tempore eo quod à nunc vsque cras ablato tempore veniet, & quandoque ad existens. Quare si quidem hoc est, omnia ex necessitate quæ post hoc fient, vt omnia ex necessitate fiant.

Excludit cauillationem.

Excludit quandam cauillosam responsionem, diceret enim fortè aliquis, quòd causa contingentium futurorum non est iam posita, vt presens, vel præterita, vt priùs de præterita siti supponitur; sed adhuc est futura, & contingens; & ideò adhuc sunt effectus contingentes, & non eueniunt de necessitate. Hoc autem excludit dicens, quòd *eadem*, scilicet inconuenientia accidunt, *& si non existens*, id est, dato quòd causa futurorum non existat præsens, vel præterita, *sed quæ sit causa supponatur*, scilicet futura, omne enim fiet ex necessitate, sicut priùs: quia supple ista causa futura erit futura in aliquo tempore distante determinatè à præsenti nunc, puta *si cras eclipsis fiet:* quæ scilicet est causa multorum futurorum contingentium *si hoc fuerit*, & propter aliquam causam existentem: *hoc autem si aliquid alterum, & hoc si aliud: hoc itaque modo*, supple per ablationem causarum, ablatio tempore ab *eo tempore finito*, quod est à præsenti *nunc* vsque ad eclipsim fiendam *veniet quandoque ad existens*, id est, ad aliquam causam nunc præsentem: quia omne tempus finitum finitur, & terminatur, siue tollitur quoddam finito aliquoties ablato. *Quare si quidem hoc est*, id est, si hæc causa presens ponitur: ergo *omnia quæ* sunt *post hoc*, id est, omnes effectus futuri post istam causam præsentem *fiunt ex necessitate: & sic omnia fiunt*, & veniunt *ex necessitate*; & ideò sequitur idem inconueniens, quòd priùs. Deinde cùm dicit:

Finitū finito toties ablatǫ finitur.

66

Quod autem vt verè ens, & secundùm accidens; hoc quidem est in complexione mentis, & passio in hac; propter quod circa sic quidem ens non quæruntur principia; circa autem quod extra ens, & separabile; hoc autem non necessarium, sed infinitum. Dico autem quod secundùm accidens; talis autem inordinatæ, & infinitæ causæ,

Tam per accidens, quàm verū ens remouet à consideratione Metaphysici, sed differēter.

Remouet tam ens per accidens, quàm ens verum à consideratione huius scientiæ, dicens *quod autem est vt verè ens*, id est, ens verum, quod consistit in compositione, & diuisione, & *etiam* ens *secundum accidens: hoc quidem*, scilicet ens verum est, id est, *consistit in complexione mentis*, id est, in compositione intellectus: *& est passio in hac*, id est, in compositione intellectus: *propter quod circa sic quidem ens*, id est, ens verum, *non quæruntur principia*, supple in ista scientia: *quia circa* ens, *quod est extra animam, & separabile:* vt prędictum est, speculatur supple tantùm ista scientia: *hoc autem*, scilicet quod est ens per accidens *non est necessarium, sed infinitum*, id est, indeterminatum: & ideò talis entis *sunt causæ inordinatæ*, scilicet ad inuicem, *& infinitæ*, id est, indeterminatæ, & ratione huius: ista scientia non speculatur de tali ente, cùm omnis scientia procedat per causas ordinatas, & determinatas.

Notandū, quòd omnia præcedentia ab isto loco. *Omnis autem scientia quærit*, vsque hîc, habētur perfectiùs sexto huius, & quantùm ad textum Philosophi, & quantùm ad eius expositionē. Ideò quærantur ibi: quia ibidem dicta sunt, quæ circa istam materiam dicenda videbantur.

SVMMARIVM.

Explicat benè casum, & fortunam, de quo egit l 6. text. 5. & 2. Phys. vide Doct. quodlib. vlt. & lib. 6. huius q. 2. qui hîc benè explicat casum correspondere naturę, & fortunam proposito: item eandem causam, diuerso respectu, esse per se, & per accidens.

Quod

Resumit dicta in Physicis de per accidens secundo modo: seu de fortuna.

Agẽs propter finem, duplex.

Quod autem gratiâ huius, in his quæ à natura fiunt, & à mente est.

Recolligit quæ dicta sunt 2. Physicor. de causa per accidens, quæ est fortuna. Circa quod duo facit. Primò ostendit de fortuna quid sit. Secundò qualis causa sit. Secunda ibi: *Causæ autem infinitæ.* Prima in tres. Primò præsupponit quoddã. Secũdò ex hoc venatur fortunæ diffinitionem. Tertiò infert quandam conclusionem. Secunda ibi: *Fortuna autem est.* Tertia ibi: *Propter quod circa eadem.* Dicit ergo, quòd *illud quod est gratia huius*, id est, aliquid esse propter finem est *in his quæ fiunt à natura*, & quæ fiunt *à mente*, id est ab intellectu: nam, & agens à natura, & agens à proposito agunt propter finem, vt probatur 2. Physic. text. com. 49. & inde. Deinde cùm dicit:

67

Fortuna autem est quando aliquid horum fuerit secundùm accidens. Sicut enim & ens est: hoc quidem secundùm se: hoc autem secundùm accidens: sic & causa. Fortuna autem causa secundùm accidens in factis secundùm electionem eorum, quæ gratiâ huius.

Ens, & causa duplex.

Fortuna quid?

Ex illo præmisso venatur diffinitionem fortunæ, dicens, quòd *fortuna est* in his *quando aliquid horum*, supple quæ fiunt propter finem, *fiunt per accidens: sicut enim, & ens, hoc quidem est secundùm se; hoc autem est secundùm accidens: sic & causa*, quia supple quædam est causa supple per se, quædam per accidens. Ex quo infert diffinitionem fortunæ, dicens, quòd *fortuna autem est causa secundum accidens in factis secundùm electionem*, id est, à proposito *eorum, quæ fiunt gratia huius*, id est, propter finem.

Fortuna proposito, & casus naturæ correspondit.

Notandum, quòd cùm natura, & propositum sint duæ causæ agentes propter finem, & sint causæ per se, eis correspondent aliæ duæ causæ per accidens, scilicet casus, & fortuna; vt patet ex 2. Physic. text. com. 50. & inde; ita quòd fortuna correspondet, & reducitur ad agens à proposito; puta si aliquis à proposito & per electionem fodiat foueam pro plantanda planta, & inueniat thesaurum, ista inuentio thesauri dicitur effectus fortuitus. Casus autem reducitur, & correspondet ad naturale agens: puta si tripes cadens stet; ideò dicitur 2. Physic. text. com. 60. quòd tripes cecidit, & à casu stetit; benè ergo ait Philosophus, quòd fortuna est causa per accidens, in his quæ fiunt propter finem, & secundùm electionem, id est, à proposito.

Eadem ad diuersa comparata causa est per se & per accidens propositum & fortuna vel natura & casus.

Et est aduertendum, quòd vna, & eadem causa comparata ad diuersos effectus dicitur causa per se, & causa per accidens, puta fortuna, vel casus. Dicitur causa per se respectu effectus quem intendit: sed dicitur causa fortuita, vel casualis respectu effectus quem non intendit. Exemplum: idem domificator est causa per se domus, quia illam facere intendit: & est fortuita & per accidens respectu delectationis, vel tristitiæ quæ accidit habitãtibus in domo, quia illam non intendit. Similiter eadem causa naturalis, quæ est per se respectu effectus quem intendit, dicitur etiam casus respectu effectus præter eius intentionem. Deinde cùm dicit:

Propter quod circa eadem fortuna, & mens. Electio enim non sine mente.

In quibus sit fortuna.

In quibus fortuna est & mens.

Infert ex prædictis quandam conclusionem, dicens: *propter quod* quia supple sic est, quòd fortuna est in factis secundùm electionem: electio autem est à mente, id est, ab intellectu, cointelligendo voluntatem, vt declaratum est 9. huius, in quadam quæstione; ideò *circa eadem sunt fortuna, & mens. Enim* pro quia, *electio non est sine mente.* Ideò dicitur 2. Physic. text. com. 59. quòd fortuna non est in his quæ carent ratione, vt sunt lapides, plantæ, bruta, & etiam pueri, quamdiu carent vsu rationis. Deinde cùm dicit:

68

Causæ autem infinitæ, à quibus vtique fiet quod à fortuna. Propter quod incerta humanæ cognitioni, & causa secundùm accidens: simpliciter autem nullius.

Fortuna est causa incerta.

Ostendit de fortuna qualis sit, ostendit tria de fortuna. Primò quòd est causa incerta. Secundò quando est bona, & quando est mala. Tertiò quòd non est causa prima, sed posterior. Secunda ibi: *Bona autem fortuna.* Tertia ibi: *Quoniam autem nullum.* Dicit ergo, quòd *causæ sunt infinitæ à quibus vtique fiet quod* fit *à fortuna*, vt patet in exemplo dicto: nam aliquis potest inuenire thesaurum fodiendo terram, vel ad plantandum, vel inueniendam aquam, vel ad faciendũ sepulchrum, & sic de infinitis. *Propter quod quia* supple omne infinitum *est ignotum*; ideò fortuna est *incerta humanæ cognitioni, & est aliqua causa secundùm accidens: nullius autem est causa simpliciter*, id est, per se. Deinde cùm dicit:

Bona autem fortuna, & mala cùm bonum, aut malum euenerit. Prosperitas autem, & infortunium circa magnitudinem horum.

Fortuna alia bona, alia mala, & excessum taliũ nomina.

Ostendit quando fortuna est bona, & quando mala, dicens, quòd *bona autem fortuna, & mala* dicitur *cùm bonum, aut malum euenerit*, scilicet fortuitu, reddendo singula singulis *ιυτυχία autem* id est, eufortunium, *& infortunium dicitur circa magnitudinem horum*: puta si sit magnum malum quod euenit à fortuna, infortunium dicitur: si autem sit magnum bonum, dicitur eufortunium, ab eo quod est bonum. Deinde cùm dicit:

Quoniam autem nullum secundùm accidẽs prius his quæ secundùm se. Neque igitur causa per accidens causis per se erunt priores. Si igitur fortuna, aut casus causa cæli: prius intellectus causa, & natura.

Per accidens tale est posterius per se tali & ad ipsũ habet reduci.

Ostendit quòd fortuna non est causa prima rerum; sed posterior, dicens quòd *quoniam nullum secundùm accidens est prius his quæ sunt secundùm se: nec igitur* supple *causa* per accidens est prior supple *quàm causa per se.* Si igitur fortuna, aut casus, quæ sunt causæ per accidens, sint *causa cæli*, vt quidam antiqui putauerunt, oportet quòd *prius sint causa intellectus* & natura, quæ sunt causæ per se, & ad quas *casus, & fortuna reducuntur*, vt præostensum fuit.

SVMMA QVARTA.

De motu, eiúsque diuisionibus, & infinito; déque diffinitionibus aliquorum terminorum, de quibus in 3. & 5. Physicorum.

CAP. I.

De motu, eiúsque diffinitione.

SVMMARIVM.

Recapitulat dicta de motu & mobili 3. & 5. Physicorum Ponit quatuor entis diuisiones: ex quibus concludit motus diffinitionem, quam inductiuè per singulas particulas benè explicat, & probat. Lege Doctor. hîc & 4. di, 12. quæst. 4. numero 26.

T. com. 8.

EST autem quidem hoc actu solùm: hoc autem potentia: hoc autem potentia, & actu: hoc quidem ens: hoc autem quantum: hoc autem reliquorum. Non est autem aliquid motus præter res; permutatur enim semper secundùm entis Categorias. Cõmune autem in his nullum est, quod neque in vna Categoria. Vnumquodque autem dupliciter existit omnibus: vtputa quod hîc illud quidem forma ipsius: hoc autem priuatio. Et secundùm quale, hoc quidem album, hoc autem nigrum. Et secundùm quantum, hoc quidem perfectum, hoc autem imperfectum. Et secundùm lationem, hoc quidem sursum, hoc autem deorsum, hoc autem leue, hoc autem graue. Quare motus, & permutationis tot species, quot entis.

69 *Recolligit dicta in Physicis de motu & mobili.*

Postquã Philosophus recollegit ea quæ dicta erant de ente per accidens 6. huius, nunc recolligit quæ dicta sunt de motu, & de mobili 3. Physic. Circa quod tria facit. Primò determinat de motu. Secundò de mobili. Tertiò exponit quædam concomitantia motum. Secunda ibi: *Immobile autem.* Tertia ibi: *Simul autem secundum locum.* Prima in tres. Primò determinat de motu secundùm se. Secũdò de infinito quod est quædam passio motus. Tertiò diuidit motum in suas species. Secunda ibi: *Infinitum autem.* Tertia ibi: *Permutatur autem.* Prima in duas. Primò inquirit de motu quid sit. Secundò in quo sit. Secunda ibi: *Et quod est motus in mobili.* Prima in tres. Primò venatur diffinitionem motus via diuisiua. Secundò via inductiua. Tertiò via remotiua, scilicet excludendo opinionem aliorum de motu. Secunda ibi: *Quia autem vera dicimus.* Tertia ibi: *Quod autem bene dictum est.* Prima in duas. Primò præmittit quasdam diuisiones. Secundò ex illis concludit diffinitionem motus. Secunda ibi: *Diuiso autem.* Primò ergo ponit quatuor diuisiones, quarum prima est, quòd ens quoddam est *in actu tantùm,* quoddam *potentia* tantùm, quoddam partim sic, & partim sic. Dicit ergo, quòd *est autem hoc quidem actu solùm,* puta primum mouens. Vel magis secundùm intentionem litteræ: aliquod habens formam in actu, quod vt sic, solùm est in actu: quia non potest esse in potentia ad id quod iam habet. *Hoc autem,* id est, aliud est ens in potentia solùm, puta prima materia quantùm est de se, quæ vt sic nullum habet actum formaliter, sed est in pura potentia ad formam: similiter quodlibet subiectum carens aliqua forma, quam est aptum habere: quia vt sic est in pura potentia ad illam formam. *Hoc autem,* id est, aliud est ens in potentia, & actu simul, puta aliquod subiectum habens vnam formam actu, & carens alia ad quam est in potentia. Vel etiam respectu eiusdem formæ, puta cùm aliquid iam mouetur ad formam, quia iam habet actu aliquid illius formæ, & tamen est in potentia ad vlteriorẽ gradũ ad quẽ tẽdit. Omne enim quod mouetur, partim est in termino à quo, & partim in termino ad quẽ.

Sermo de motu.

1. Diuisio. Entium aliud actu tantùm, aliud potẽtia solùm, aliud capit vtrunq;

Secunda diuisio est: quod ens diuiditur per decem. Genera, dicens, quòd *hoc quidem est ens* supple substantia, *hoc autem quantum,* id est, Quantitas, *hoc autem reliquorum,* scilicet Prædicamentorum. Tertia diuisio: immò non est diuisio, sed est quoddam necessarium, quod præmittit: est *quod motus non est aliquid præter res:* quia, scilicet non est aliquid realiter distinctum à forma secundùm quam est motus; sed motus realiter est ipsa forma fluens, vt dicit Commentator 3. Physicorum cap. 4. Ideò subdit quòd supple vnumquodque *permutatur semper secundùm Categorias,* id est, Prædicamenta *entis:* his autem, scilicet decem Prædicamentis *nullum est commune,* scilicet vt genus: quod *neque in vna Categoria,* id est, quod non sit in aliquo Prædicamento. Si igitur motus est in re alicuius Prædicamenti: sequitur quòd sicut Prædicamenta non habent aliquod genus commune, sic nec est aliquod genus commune omnibus motibus: nec motus est aliquod Prædicamentum ab aliis distinctum; sed est in aliquo Prædicamentorum, saltem per reductionem.

2. Diuisio. Decem genera rerum.

3. Diuisio. Vel præmissum necessarium.

Motus realiter est forma fluens.

Quartum quod præmittit est: quòd vnumquodque dupliciter existit in omnibus, id est, in *vnoquoque genere;* scilicet secundùm perfectionẽ, & inperfectionem, vt puta supple in genere substantiæ hoc quidem ipsum est *vt forma ipsius, hoc autem priuatio. Et secundùm quale,* id est, in genere Qualitatis: *hoc quidem album* est supple, vt perfectum in genere coloris; *hoc autem nigrum,* quod habet rationem imperfecti in eodem genere. Similiter *secundùm quantum;* hoc quidem *est perfectum;* puta magnum; hoc *autem imperfectum,* puta paruum. *Et secundùm lationem,* id est, in Vbi, in quo est motus localis, *hoc quidem est sursum; hoc autem deorsum; hoc autem leue; hoc autem graue,* vt per leue intelligatur illud quod actu supereminet, & per graue id quod actu subsidet: & patet quod vnum istorum habet rationem imperfecti. Ratio huius diuisionis assignatur: quia omne genus diuiditur per contrarias differentias, ex 10. huius: text. com. 13. & inde: Contrariorum alterum semper habet rationem perfecti, & habitus, alterum rationem imperfecti, & priuationis, vt ibidem ostensum est: text. com. 16. & circiter, & ideò benè dicitur quòd dupliciter aliquid est in genere, scilicet vel sicut perfectum, vel sicut imperfectum. Vltimò ex omnibus præcedentibus concludit: *quare tot sunt species motus, & permutationis quot entis,* supple acquisiti per motum; licèt

4. Diuisio. In omni genere datur perfectũ, & imperfectũ, saltẽ in quo est motus.

Auic. 4. Met. c. 1.

Tot species motus quot entis per mo-

tum acquisiti Scot q vltim. Post prædic.

licèt enim motus non sit in quolibet genere, vt inferiùs ostendet: tamen eo ipso quòd motus non est aliquid præter res, distinctum scilicet realiter; tot sunt motus, quot sunt species entis quod acquiritur per motum. Deinde cùm dicit:

70

Diuiso autem secundùm vnumquodq; genus, hoc quidem potentia, hoc autem actu: eius quod potentia inquantum tale est, actum dico motum.

Motus quid?

Ex præmissis concludit diffinitionem motus, dicens, quòd *diuiso autem*, supple ente *secundùm vnumquodque genus*: quia *hoc quidem* est ens in *potentia*: *hoc autem actu*: *eius quod*, scilicet est in *potentia inquantum tale est*, id est, inquantum est in potentia *actum dico motum*. Hæc est ergo diffinitio motus, scilicet: *Actus entis in potentia, inquantum huiusmodi.* Deinde cùm dicit:

Quia autem vera dicimus, hinc palàm. Cũ enim ædificabile inquantum tale ipsum dicimus esse actu inquantum ædificatur: & est hæc ædificatio: similiter doctrinatio, curatio, ambulatio, saltatio, orbatio. Accidit autem cũ fuerit actu eodem: & neq; priùs, neq. posteriùs: iam potentia entis cùm actu ens operatur: non inquantum ipsum; sed inquantum mobile motus est.

Ostendit quid sit motus via inductiua inducendo, scilicet ostendendo per singulas partes diffinitionis, quòd sint benè assignatæ: & diuiditur in tres, secundùm tres particulas positas in diffinitione. Primò exponit hanc particulam, quæ est, *entis in potentia*. Secundò istam, quæ est, *inquantum est tale, vel inquantum huiusmodi*. Tertiò istam quòd *motus est actus*. Secunda ibi: *Dico autem inquantum sic*. Tertia ibi: *Quia quidem enim*. Dicit ergo, quòd *palàm est hinc*, id est, ex dicendis quòd *vera dicimus*, scilicet diffiniendo motum, vt prædictum est. *Cùm ædificabile inquantum tale*, quod scilicet significat aliquid existens in potentia *dicimus ipsum esse actu inquantum ædificatur, & hæc est ædificatio*, id est, ille actus ad quem reducitur, vocatur ædificatio: *similiter* est in aliis motibus, vt est *doctrinatio*, *curatio*, *ambulatio, saltatio. & orbatio. Accedit autem*, supple moueri talia *cùm fiunt eadem actu*, id est, cùm hæc fiunt in actu, *& neque priùs, neque posteriùs.* Ex quo infert quòd cùm ita sit, sequitur quòd motus est alicuius entis in potentia, *cùm iam actu in potentia operatur*, id est, reducitur ad actum, *non inquantum ipsum*, id est, non secundùm quòd actus est secundùm seipsum; *sed est inquantum mobile*, id est, possibile moueri, quod est esse in potentia ad moueri.

Inductiuè declarat quid sit motus & eius diffinitionem exponit.

Scilicet & eadem fiunt in potentia.

Scot. qu. 1. quodlibet art. 2.

71

Qualiter motus est actus entis in potẽtia & quãdo dicitur mobile mouerit

Notandum, quòd nihil mouetur priùs quàm incipiat moueri: quia tunc adhuc est in termino *à quo*, nec mouetur posteriùs, vel postquam est in termino *ad quem*, quia tunc iam quiescit: mouetur ergo dum se habet medio modo, scilicet cùm reducitur ad actum, non perfectè: puta ædificabile est in potentia ad ædificari: ita quòd dum mouetur partim est in actu, licèt imperfectò; & partim in potentia quatenus tendit ad perfectionẽ actus, secundùm quem mouetur. Motus igitur est actus ipsius mobilis, non secundùm quod est in actu, id quod est secundùm seipsum: quia sic est in actu priusquam etiam incipiat moueri; & sicut est in actu antequam incipiat moueri, ita etiam est in potentia ad vlteriorem perfectionem: sed secundùm quòd est in moueri, tendit ad perfectionem, quam nondum habet. Mobile enim dicitur reduci ad actum per motum, non inquantum est in potentia ad terminum motus; quia dum mouetur, adhuc remanet in potentia ad terminum motus: sed reducitur per motum ad actum qui respondet huic potentiæ, quæ est posse moueri, quia per motum actu mouetur. Patet igitur qualiter motus est actus entis in potentia. Deinde cùm dicit:

Dico autem inquantum sic: est enim æs potentia statua; sed tamen non æris actus, inquantum est æs, motus est. Non enim idem esse, & potentiæ alicui. Quoniam si idem erat simpliciter, & secundùm rationem: erit vtique æris actus, motus quidam: non est autem idem. Palam autem in contrariis. Posse quidem enim sanari, & posse laborare non idem. Etenim si sanari, & laborare idem esset. Subiectum autem, & sanum, & languens, siue humiditas, siue sanguis idem, & vnum. Quoniam autem non idem quemadmodum neque color idem, & visibile possibilis, inquantum possibile actus motus est.

Exponit aliam particulam positam in diffinitione motus, quæ est *inquantum tale*, vel *inquantum huiusmodi*, dicens *dico autem inquantum sic*, id est, inquantum tale: *enim* pro quia, *æs est potentia statua*, ita quòd idem est æs, & est in potentia ad statuam: *tamen* secundùm diuersam rationem, ideò dicit quòd *motus non est actus æris inquantum est æs: non enim est idem esse æri, & potentia alicui*, id est, alia est ratio æris inquantum æs, & alia inquantum est in potentia statua, vel aliquod aliud. *Quoniam* pro quia, si supple æs *erat idem simpliciter, & secundùm rationem*, scilicet inquantum est æs, & inquantum est in potentia: sequitur *vtique*, quòd motus *erit quidem actus* æris, scilicet inquantum æs, sicut supple est actus æris inquantum est in potentia, quod est falsum. *Non autem est idem* secundùm rationem sic, vel sic acceptum; quod probat cùm subdit. *Palàm autem in contrariis*, id est, in potentia ad contraria. *Posse quidem sanari, & posse laborare*, id est, infirmari: *non idem sunt* secundùm rationem. *Etenim* pro quia, tunc idem esset *sanari, & laborare*: quia ratio potentiæ sumitur ex actu, & licèt supple non sit eadem potentia secundùm rationem ad vtrumque contrariorum; tamen est in eodem subiecto, sicut & ipsum *subiectum est idem* contrariorum. Ideò subdit, quòd *subiectum autem vnum, & idem est sanum, & languens: siue* supple illud subiectum sit aliqua *humiditas* siue *sanguis* in corpore animalis. Concludit ergo quòd *quoniam autem non est idem*, scilicet secundùm rationem posse sanari, & posse laborare: & pari ratione non est idem æs, & in potentia æs: *quemadmodum, nec color est idem, & visibile*, quod nominat potentiam ad posse videri: sequitur quòd *motus est actus possibilis inquantum est possibile*, id est, entis in potentia, inquantum est in potentia.

Exponit hæc inquantũ in potentia.

72

Idem absolutè sumptum, & in potẽtia vel cũ potẽtia non est formaliter idem. Potentia contrariorum, licet sint idem subiecto, non tamen formaliter.

73 *Declaratio radicalis dictorum.*

Notandum, quòd nihil mouetur ad illud, quod est, vel iam actu habet: quia tunc frustra moueretur. Quia igitur æs est actu æs; est tamen in potentia ad formam statuæ; ideò motus non est actus æris inquantum æs; sed inquantum est in potentia ad formam statuæ: quia licèt æs, & statua idem sint subiecto; sunt tamen distincta secundùm rationem, sicut posse sanari, & posse laborare distinguuntur ratione, vt patet ex distinctione actuũ quos respiciunt: licèt sint idem subiecto, quatenus idem subiectum est potens sanari, & potens laborare. Ex quo patet quòd motus est actus entis in potentia: non quocunque modo, sed inquantum est in potentia.

Potentia duplex.

Aduertendum autem, quòd cùm dicitur posse sanari, & posse laborare non sunt idem: Philosophus loquitur de potentia, vt dicit respectum, non fundamentum respectus, quia fundamentum est idem vtriusque; puta aliquis humor, vel sanguis. Respectus autem sunt diuersi, aliàs cùm relationes correlatiuorum commultiplicentur terminis, sequeretur quòd termini ad quos istæ potentiæ dicuntur, puta sanari, & laborare, essent idem, vt arguitur in littera: Quod tamen est manifestè falsum. Deinde cùm dicit:

74

Quod quidem enim est hic: & quod accidit tunc moueri quando fuerit actu sic; & nec priùs nec posteriùs, palàm. Contingit enim vnumquodque aliquando quidem actu esse; aliquando autem non: puta ædificabilis inquantum ædificabile: & ædificabilis actus inquantum ædificabile, ædificatio est: aut enim hæc domus est, aut ædificatio actus: sed cùm domus fuerit, non adhuc ædificabile erit, ædificatur autem ædificabile. Necesse igitur ædificationem actum esse: ædificatio autem motus quidã. Eadẽ autem ratio, & in aliis motibus.

Exponit qualiter motus est actus.

Exponit tertiam particulam diffinitionis, scilicet quòd motus sit actus, dicens, *quod quidem enim hic*, scilicet motus *est*, supple actus; *& quod tunc accidit moueri, quando sic fuerit actu* in mobili: *& nec priùs, nec posterius, palàm* est: *enim* pro quia, *vnumquodque* supple mobilium *cõtingit aliquando esse actu; aliquando autem non; puta ædificabile inquantum ædificabile*, supple potest esse in potentia, vel actu: & ædificatio est *actus ædificabilis inquantum ædificabile*. Dicit autem inquantum ædificabile; quia materia domus est in potẽtia ad duo s. ad formã domus, & ad hoc quòd ædificetur: & respectu vtriusq; cõpetit ipsam quandoq; esse in actu quandoque in potentia; tamẽ potentia ad hoc quòd ædificetur, designatur per hoc quod dicitur; *ædificabile*. Quando igitur ædificabile ædificatur. tunc fit actu; *& ædificatio est* actus ædificabilis inquantum ædificabile. Vnde subdit: *aut hac domus*, id est, forma domus est supple *actus* ipsius *ædificabilis*, aut ipsa *ædificatio*, cùm cuilibet potentiæ respondet aliquis actus; sed supple forma domus non est actus ædificabilis inquantum ædificabile: *quia cùm domus*, id est, *cùm forma* domus *fuerit* introducta, non *adhuc erit ædificabile*; sed iam supple erit ædificatum: ædificabile autem ædificatur, id est, fit in actu cum ædificatur actu. Infert ergo quòd *necesse est igitur ædificationem esse actum. Ædificatio autem est quidam motus*, & per consequens motus est actus ædificabilis. Et subdit: *eadem est ratio, & in aliis motibus*. Patet igitur ex omnibus prædictis, quòd motus est actus in potentia, inquantum est in potentia.

Materia domus est in potẽtia ad duo. Al. contingit.

Ædificatio & non forma ædificabilis est actus eius.

Quid essentiale, & quid additum in diffinitione motus continetur?

Notandum, quòd quia motus est quædam forma mobilis vt subiecti; ideò habet diffiniri per subiectum, vt per additum: sicut & omnis forma, siue substantialis, siue accidentalis: & ideò quædam eorum quæ ponuntur in diffinitione motus se tenent ex parte subiecti, quædam ex parte quiditatis ipsius motus. Nam prima particula quæ est *actus*, ponitur in eius diffinitione quasi genus, & pertinet ad essentiam motus, nam motus intrinsecè, & essentialiter est actus. Aliæ duæ particulæ, quæ sequuntur, sunt quasi differentiæ extrinsecæ, & tenent se ex parte subiecti mobilis, quod est ens in potentia, sicut patet.

SVMMARIVM.

Probat diffinitionem datam, reiiciendo aliorum opiniones de motu eorúmque motiua.

QVòd autem benè dictum est, palàm ex quibus alij dicunt de ipso: & ex eo quòd non facile est aliter diffinire ipsum. Neque enim in alio aliquis genere poterit ponere vtique ipsum.

75 *Excludendo opinionum aliorũ de motu declarat; & approbat diffinitionẽ datam.*

Ostendit quid sit motus, & diffinitionem motus, esse benè assignatam, remouendo scilicet & improbando opinionem aliorum de motu. Circa quod duo facit. Primò proponit intentum. Secundò declarat ipsum. Secunda ibi: *Palàm autem ex quibus* Dicit ergo, *quòd autem benè dictum est*, quid supple sit motus, *palàm* est *ex quibus alij dicunt*, id est, ex his quæ alij dicunt *de ipso*, scilicet motu, diffinientes ipsum: *& etiam ex eo quòd non est facile ipsum*, scilicet aliter *diffinire: neque enim vtique poterit aliquis ponere ipsum* motum *in alio genere*, quàm supple in genere actus vt dictum est. Deinde cùm dicit:

Palàm autem ex quibus dicunt hi quidem alteritatem, & inæqualitatem, & non ens.

Opinio aliorũ de motu, quo ad suam diffinitionem.

Declarat intentum. Circa quod duo facit. Quia primò pertractat aliorum opinionem. Secundò causam opinionis. Secunda ibi: *Causa autem in hoc ponendi*. Prima in duas. Primò proponit opiniones. Secundò improbat ibi: *Quorum nullum*. Dicit ergo, quòd *palàm* videtur *ex quibus dicunt* supple alij, quòd scilicet motus non potest aliter diffiniri: nam alij supple dixerunt motum esse *alteritatem*: alij *inæqualitatem*: & alij *non ens*. Deinde cùm dicit:

Quorum nullum necesse moueri. Sed nec permutatio: neque in hoc, neque ex his magis, quàm ex oppositis.

Improbatio dictarum opinionum.

Improbat dictas opiniones dicens: quòd prædictæ diffinitiones motus non sunt conuenienter assignatæ, quia non conueniunt motui, neque ex parte subiecti mobilis: quia si motus esset alteritas, vel inæqualitas, vel non ens; sequeretur quòd omne alterum, vel inæquale, vel non ens moueretur: quod falsum est: *quia nullum horum necesse est*

est moueri. Potest enim aliquid esse alterum quod non mouetur, & sic de aliis. Iterùm patet hoc idem ex parte terminorum motus à quo, & ad quem vnde subdit, quòd *neque permutatio est nec in hoc, nec in his magis quam ex oppositis:* quia, scilicet non est magis motus ad non ens, vel inæqualitatem, vel alteritatem, quam ad opposita horum, nec èconuerso magis est motus ex his, quàm ex eorum oppositis: quia potest esse motus ex non ente, ad ens, & èconuerso, & ex alteritate ad similitudinem, & èconuerso; & ab inæqualitate ad æqualitatem, & èconuerso similiter: & sic patet tam ex parte subiecti quàm ex parte terminorum motus, diffinitiones istas non esse propriè assignatas, cùm non sint conuertibiles cum diffinito. Deinde cùm dicit:

Causa autem in hoc ponendi: quia indefinitum videtur aliquid esse motus. Alterius coëlementationis principia: quia priuatiua sunt indeterminata. Neque enim hoc, neque tale vllum ipsorum, neque reliquorum Prædicamentorum.

76 *Causam dictarum opinionum assignat.*

Pertractat causam opinionum. Circa quod duo facit. Primò eam ponit. Secundò eam excludit. Secunda ibi: *Motusque actus.* Prima in duas. Primò ponit causam opinionum. Secundò motiuum causæ. Secunda ibi: *Cur autem videtur.* Dicit ergo, quòd *causa autem ponendi,* scilicet motum in hoc, id est, in tali genere quòd, scilicet quædam alteritas, aut inæqualitas, &c. est *quia motus videtur esse aliquid infinitum,* id est, indeterminata sunt *alterius coëlementationis principia: quia sunt indeterminata, nec enim vllum ipsorum* significat hoc id est, Substantiam, *nec tale,* id est, Qualitatem, *nec reliquorum Prædicamentorum.*

Ordo principiorum secũdum Pythagoricos est duplex.

Notandum, quòd sicut dictum fuit primo huius, Pythagorici posuerũt duos ordines principiorum, & in quolibet decem principia ordinata: quorum vnum dicebant ordinem bonorum, in quo collocabant illa quæ videntur habere perfectionem, puta bonum, dextrum, masculum, quietem. Alium autem ordinem dicebant malorum, in quo collocabant illa quæ videntur dicere imperfectionem, puta, tenebram, sinistrum, fœminam, & motum. Quæ omnia dicebant esse priuatiua, & indeterminata, nec aliquod eorum significare Substantiam, nec Qualitatem, nec Quantitatem, nec aliquod aliorum Generum: quia igitur motum ponebant in ordine siue coëlementatione priuatorum: ideò dixerunt motum esse quandam priuationem, & per consequens quandam non entitatem, vel alteritatem, vel inæqualitatem. Deinde cùm dicit:

Cur autem videatur indeterminatus, causa: quia nec in potentia entium: neque in actu est ponere ipsum. Neque enim possibile quantum esse, mouetur ex necessitate, neque quod actu quantum,

Motiuum dicta causa opin.

Ponit motiuum huius causæ: quare scilicet motus computabatur inter indeterminata, dicens quòd *cur autem motus* supple *videtur interminatus. Causa* est *quia non* videtur possibile ipsum motum ponere *nec in potentia, nec in actu,* id est, nec in genere potẽtiæ, nec in genere actus. Quod probat *enim* pro quia, *nec illud* quod est *possibile,* id est, in potentia *esse quantum mouetur ex necessitate, nec etiam quod est actu quantum.*

Declaratio dictorum.

Notandum, quòd si motus esset in genere potentiæ, tunc quicquid est in potentia ad aliquid, puta ad esse quantum, moueretur ad quantitatem; quod tamen non oportet, quia etiam antequam incipiat moueri ad quantitatem est in potentia ad esse quantum, & tamen nondum mouetur. Similiter si motus esset in genere actus, sequitur quòd tunc quicquid esset in actu, puta actu quantum moueretur ad quantitatem, quod tamen est falsum: quia cùm est actu quantum, non mouetur; sed iã est motus terminatus. Quia igitur non poterant ponere motum, nec in genere actus, nec in genere potentiæ: ideò posuerunt ipsum in ordine indeterminatorum, & priuatiuorum modo præexposito. Deinde cùm dicit:

Motúsque actus quidem videtur aliquis: imperfectus autem. Causa autem, quia imperfectum quid possibile cuius est actus, & propter hoc difficile ipsum sumere quid est. Aut enim in priuationem necesse poni, aut in potentiam, aut in actum simplicem, horum autẽ nullum videtur contingens. Quare relinquitur quod dictum est esse, & actum, & non actum dictum; videre quidem difficilem, contingentem autem esse.

77 *Excludit dictam causam opinionum & motiuũ eius.*

Excludit causam prædictæ opinionis dicens: quòd *motus quidem videtur esse actus aliquis, tamen imperfectus: causam autem huius est, quia* ipsum *possibile,* id est, mobile quod est ens in potẽtia, *cuius* motus *est actus,* est quid imperfectum: *& propter hoc* scilicet quia motus est actus imperfectus, & subiecti imperfecti *difficile est ipsum sumere quid est. Aut enim* vt videtur *necesse est* ipsum *poni in priuationem,* id est, in genere priuationis, *aut in actum simplicem,* id est, in genere simplicis actus, & perfecti: *horum autem nullum videtur contingens* quòd scilicet sit motus. *Quare relinquitur* supple motum esse *quod dictum est, & actum, & non actum dictum,* id est, quòd motus est actus, scilicet imperfectus, & non est actus scilicet perfectus,; quod quidem *difficile est videre; & contingentem autem esse,* id est, licèt sit hoc difficile videre est tamen possibile: quia eo posito nullum sequitur impossibile.

Difficile est videre entitatem motus non tamen impossibile.

Motus est actus & non actus.

Notandum, quòd motus est verè actus imperfectus; quia si esset actus perfectus auferret totam potẽtiam à mobili respectu illius formæ ad quam est motus: quia actus perfectus non est actus entis in potentia ad albedinem: & ideò tunc motus non esset actus entis in potentia, sed entis in actu: motus autem sic est actus mobilis, quòd non aufert potentiam ab eo: quia quamdiu mobile est in motu, tandiu est in potentia ad terminum motus. Per motum tamen aufertur à mobili sola potentia, quæ erat ad moueri: non tamẽ omnino; quia mobile semper est in potentia ad ampliùs moueri: quia omne quod mouetur adhuc mouebitur: vt probatur 6. Physic. t. c. 7. & 52. & circiter, ex quibus patet quòd motus sic est actus mobilis, quòd est actus imperfectus, & actus imperfecti: quia scilicet entis in potentia: vt patet ex prædictis, Tunc sequitur illa pars:

Motus est actus sed imperfectus.

SVMMARIVM.

De motu comparato ad subiectum, & ad mouens: est enim in mobili, & operatio seu actus mouentis.

78

ET quod est motus in mobili palàm, actus est enim huius à motiuo.

In quo subiectiuè est motus?

Vbi inquirit de motu in quo sit vt in subiecto. Circa quod duo facit. Primò ostendit quòd motus est in mobili. Secundò inquirit quomodo se habet ad mouens. Secunda ibi: *Et motiui actus.* Dicit ergo, *palàm est quòd motus est in mobili*, quod probat, *enim* pro quia, supple *motus est actus huius*, id est, mobilis *à motiuo*, supple causatus. Formetur sic ratio: omnis actus est in eo cuius est forma, & actus: sed motus est actus mobilis, & forma, vt patet ex dictis; ergo motus est in mobili. Deinde cùm dicit:

Et motiui actus non alius est: oportet quidem enim esse actum amborum.

Qualiter motus se habet ad mouens.

Inquirit quomodo motus se habet ad mouens. Circa quod duo facit. Primò proponit intentum. Secundò probat ipsum, ibi: *Motiuum quidem*, proponit ergo duo: vnum est quòd motus est *actus motiui*, id est, mouentis. Aliud est quòd *non est alius*, scilicet motus qui est motiui, & qui est actus mobilis: *oportet quideme ni m* motum supple *esse actum amborum*, scilicet mobilis, & mouentis. Deinde cùm dicit:

Idē est actus motiui & mobilis.

Motiuum quidem enim est in posse, mouens autem in operari.

Quòd mouēs sit actus motiui ostendit.

Probat quæ dixerat. Primò primum. Secundò secundum. Secunda ibi: *Sed est actiuum.* Dicit ergo, quòd *motiuum quidē enim*, omne *est in posse*, scilicet mouere: & *mouens autem in operari*, scilicet in actu, cùm ergo mouens dicatur propter motum, quia scilicet actu mouet, sequitur quòd motus est actus motiui: formatur sic ratio: Illud est actus alicuius quo fit in actu: sed motiuum fit in actu per motum, nam motiuum dicitur ex hoc quòd potest mouere: mouens autem quod actu mouet, & operatur; ergo motus est actus alicuius motiui, cùm scilicet actu mouet. Deinde cùm dicit:

Sed est actiuum mobilis. Quare similiter vnus amborum actus.

Ostenditquòd idē sit actus motiui, & mobilis dupliciter.

Probat secundum quod proposuerat, scilicet quòd motus est vnus actus motiui, & mobilis. Primò hoc probat per rationem. Secundò per exempla. Secunda ibi: *Quemadmodum eadem.* In prima parte intendit talem rationem: Motus est actus motiui, vt priùs dictum est: sed motiuum facit illum motum qui est in mobili, & non alium. Ergo erit vnus amborum: & hoc est quod dicit quòd supple mouens, vel motiuum *est actiuum mobilis: quare* sequitur quòd *erit vnus actus similiter amborum.* Deinde cùm dicit:

Quemadmodum eadem distantia, vnum ad duo; & duo ad vnum, & ascendentis, & descendentis, sed esse non vnum: similiter autem in mouente, & in moto.

Probat idem per exempla dicens quòd *quemadmodum est eadem distantia vnum ad duo; & duorum ad vnum*, id est, vnius ad duo, & èconuerso. Et similiter eadem est via, siue distantia *ascendentis, & descendentis: sed esse non est vnum:* quia differunt secundùm rationem; *similiter* se habet, & in *mouente, & in moto*, quod, scilicet idem motus realiter est actus vtriusque, licèt differat secundùm rationem.

Resolutio dictorum.

Notandum, quòd licèt sit eadem distantia vnius ad duo; & èconuerso; tamen differunt secundùm rationem: quia alia est ratio huius distantiæ, vt se tenet ex parte vnius, & alia vt se tenet ex parte duorum, & propter hoc vt se tenet ex parte duorum vocatur duplicitas: nam duo sunt duplum ad vnum: vt autē se tenet ex parte vnius dicitur dimidietas. Nam vnum est dimidium ad duo. Similiter intelligendum est de via, siue distantia ascendentis, & descendentis: quia licèt sit eadem realiter, differt tamen ratione. Et propter hoc ille dicitur ascendens, & ille dicitur descendens. Similiter etiam intelligendum est in proposito, quòd licèt idem motus realiter sit mouentis, & mobilis: differt tamen ratione: quia vt est mouentis habet rationem, vt ab hoc; vt autem est mobilis habet rationem vt in hoc; & potest dici actio, vel passio. Quod non debet intelligi loquēdo de actione, & passione, quæ sunt respectus formaliter: & constituunt Prædicamenta formaliter, & realiter distincta: sed loquendo de actione pro re acta, & producta; vt ostensum est 9. huius, in quadam quæstione: sic enim eadem forma, quæ vt fluens, est ipse motus, realiter est actus, & producta à mouente, & est recepta in ipso mobili, & passo.

Hinc habens quòd cum identitate reali stat distinctio formalis.

Quomodo actio, & passio sunt idem & quomodo nō? 4. d. 13, q. 1, c. 2.

SVMMÆ QVARTÆ CAP. II.

De infinito, & an sit possibile actu in magnitudine, vel multitudine?

SVMMARIVM.

Positis variis acceptionibus infiniti, & & distinctis eius modis, docet esse impossibile quòd detur actu; sensu Platonis, vel Pythagoræ; triplici ratione, de quo 3. Physic. egit.

79

INfinitum autem, aut quod impossibile pertransire, eo quòd non sit natum pertransiri. Quemadmodum vox inuisibilis, aut pertransitionem habens imperfectam, aut quod vix, aut quod natum est habere, & non habet pertransitionem, aut terminum.

Sermo de infinito.

Postquam Philosophus determinauit de motu ostendens quid sit: nunc ostendit de infinito, quod est quædam passio motus, sicut & cuiuslibet continui. Circa quod tria facit. Primò præmittit infiniti multiplicitatē. Secundò probat eius actualem impossibilitatem. Tertiò declarat eius potentialem diuersitatem ostendens, scilicet quomodo est in potentia diuersimodè in diuersis. Secunda ibi: *Separabile quidem.* Tertia ibi: *Infinitum autem non idem.* Prima in duas. Primò ostendit quot

Infinitum in actu sumitur quadrupliciter.

quot modis ſumitur infinitum in actu. Secundò quot modis ſumitur infinitum in potentia. Secunda ibi: *Adhuc autem oppoſitione.* Ponit autem quatuor modos, quibus poteſt ſumi infinitum in actu, dicens quòd *infinitum autem* ſupple dicitur vno modo, aut *quod impoſſibile eſt pertranſire, eo quòd nō ſit natum pertranſiri, quemadmodum vox dicitur inuiſibilis*, quia ſcilicet nec poteſt videri, nec eſt apta videri, cùm non ſit de genere viſibilium: tale autem eſt infinitum negatiuè, vt punctus, vel vnitas, quia, ſcilicet ſibi repugnat pertranſiri, & menſurari: ſimiliter & vox inuiſibilis negatiuè, ſibi repugnat videri. *Aut* dicitur infinitum ſecundo modo *habens pertranſitionem imperfectam:* quod ſcilicet nondum eſt pertranſitum, licèt ſit inceptum pertranſiri. Puta ſi aliqua via, quæ incepta eſt perambulari, dicatur infinita, id eſt, non finita, vel non terminata. Pro eo, quia nondum eſt pertranſita perfectè. *Aut* dicitur infinitum tertio modo, *quod vix*, ſupple pertranſitur. Puta ſi altitudo cœli, aut profunditas maris, vel aliqua via longa dicatur impertranſibilis, & infinita pro eo quod tranſcendit facultatem tranſeuntis, vel menſurantis: licèt ſit tranſibilis quantùm eſt de ſe. *Aut* dicitur infinitum quarto modo *quod natum eſt habere pertranſitionem* tantùm ſupple quantùm eſt ex ſuo genere, & talem *non habet:* & tale eſt infinitum priuatiuè: quia licèt aptum ſit determinari, & finiri, tamen ſtante hypotheſi non habet *talem finem.* Deinde cùm dicit:

Adhuc appoſitione, aut ablatione, aut vtroque.

Infinitum in potentia accipitur tripliciter.

Diſtinguit modos infiniti: vt ſumitur in potentia, & ponit tres modos, dicens, quòd *Adhuc ſupple dicitur infinitum appoſitione.* Vno modo vt numerus. Nam quolibet numero dato contingit apponere vnitatem: & hoc modo numerus poteſt creſcere in infinitum: & hoc eſt tantùm ſecundum potentiam. *Aut* dicitur infinitum ſecundo modo *Ablatione,* id eſt, diuiſione, id eſt, quod ſit aliquod continuum, quod de ſe eſt in potentia, vt poſſit diuidi in infinitum. *Aut* dicitur infinitum tertio modo *Vtroque*, id eſt, vtroque modo, Sicut tempus quod eſt infinitū appoſitione, quatenus habet rationem numeri: quia tempus eſt numerus motus: & eſt infinitum diuiſione; quatenus habet rationem continui, cùm ſit idem realiter quod motus. Deinde cùm dicit:

80

Separabile quidem igitur itaque ipſum aliquod ens: ſenſibile autem non poſsibile eſſe. Si enim nec magnitudo eſt, nec multitudo: ſubſtantia autem ipſum infinitum & non accidēs, indiuiſibile erit. Quod enim diuiſibile, aut magnitudo, aut multitudo. Si autem indiuiſibile, non infinitum, niſi ſicut vox inuiſibilis. Sed non ſic dicunt, neque nos ſic quærimus, ſed tanquam impertranſibile.

Probat infiniti actualem impoſſibilitatem, oſtendens quòd eſt impoſſibile dare infinitum actu.

2. Opinio de infinito in actu.

Ad cuius euidentiam notandum, quòd de infinito fuerunt duæ opiniones. Vna Platonicorū, & Pythagoricorum: qui poſuerunt infinitum ſeparatum à ſenſibilibus, & habere rationem principij. Alia fuit Philoſophorum naturalium, qui poſuerunt infinitum in ſenſibilibus: non quòd eſſet aliqua ſubſtantia: ſed quoddam accidens alicui corpori inexiſtens. Primò ergo procedit contra primam opinionem, quòd ſcilicet non ſit dare infinitum ſeparatum à ſenſibilibus. Secundò contra ſecundam, oſtendens quòd non ſit dare actu infinitum in ſenſibilibus. Secunda ibi: *Quia autem in ſenſibilibus.* Prima in tres ſecundùm quòd tres rationes adducit contra primam opinionem. Secunda ibi: *Adhuc quomodo.* Tertia ibi: *Adhuc ſi ſecundum accidens.* Dicit ergo, quòd *ipſum* ſupple infinitum *eſſe quidem aliquod ens ſeparabile, ſenſibile autem,* id eſt, ſeparatum à ſenſibilibus. Vbi ly *ſenſibile* videtur ſuperfluere. Et patet ex 3. Phyſic. vnde accepta eſt iſta littera. Quia ibi non ponitur *ſenſibile.* Tale ergo infinitum *non eſt poſſibile eſſe*, ita quòd ſit quædam ſubſtantia per ſe exiſtens: & non accidens alicui ſubiecto. Quod probat, *enim* pro quia, *ſi infinitum eſt ſubſtantia*, & non accidens: *nec erit magnitudo: nec multitudo:* quia iſta non ſunt ſubſtantia, ſed accidens: & per conſequens *erit indiuiſibile. Enim* pro quia: *id quod eſt diuiſibile aut eſt magnitudo, aut multitudo:* quia eſſe diuiſibile eſt paſſio quantitatis, quæ diuiditur in continuum, & diſcretam. *Si autem* ſupple infinitum ſit *indiuiſibile, non erit infinitum, niſi ſicut vox dicitur inuiſibilis*, & tale eſt infinitum negatiuè vt prædictum eſt. *Sed* ipſi *non ſic dicunt nec nos* etiam ſupple *quærimus* de infinito *ſic* accepto, *ſed* quærimus infinitum *tanquam impertranſibile*, ſcilicet ſecundùm quartum modum, quod eſt infinitum priuatiuè dictum. Formetur ſic ratio: Si infinitum eſt ſubſtantia ſeparata per ſe exiſtens, ergo non erit verè infinitum: conſequens repugnat antecedenti, patet; ergo & antecedens eſt falſum. Conſequentia probatur: quia tunc infinitum nec eſſet magnitudo, nec multitudo: & per conſequens indiuiſibile, ergo non verè infinitum: vt nūc intendimus de infinito. Deinde cùm dicit:

Probat non eſſe actu infinitum. Infinitas conſiſtit in magnitudine vel in multitudine: igitur ei conuenit diuiſibilitas quæ eſt quātitatis paſsio: non ergo ſubſtantia erit ſeparata per ſe exiſtens.

Adhuc quomodo contingit per ſe eſſe infinitum; ſi non & numerus, & magnitudo, quorum paſsio infinitum?

81

Ponere paſsionem ſeparatam ſubiecto non ente ſeparatè implicat.

Ponit ſecundam rationem, dicens quòd *adhuc quomodo contingit infinitum per ſe eſſe*, ſcilicet ſeparatum: *ſi non, & numerus, & magnitudo quorum infinitum eſt paſſio?* Quaſi diceret quòd non: formatur ratio ſic: Subiecto non exiſtente ſeparato nec paſſio erit ſeparata: ſed infinitum eſt paſſio numeri, & magnitudinis: numerus autem, & magnitudo non per ſe exiſtunt ſeparata: vt oſtenſum eſt primo huius, ergo nec infinitum erit ſeparatum. Deinde cùm dicit:

Adhuc ſi ſecundùm accidens, nō vtique erit elementum entium, inquantū infinitū: quemadmodum neque indiuiſibile loquela, quamuis vox inuiſibilis. Et quod non eſt actu eſſe infinitum, Palàm. Erit enim quæcunque ipſius pars accepta infinita. Infinito enim eſſe, & infinitum idem: ſiquidem ſubſtantia infinitum, & non de ſubiecto. Quare aut indiuiſibile, aut in infinita diuiſibile, ſi partibile. Multa autem eſſe idē impoſſibile infinita. Quemadmodum enim pars aëris aër, ſic infinitum infiniti: ſi eſt ſubſtantia; & principium. Impartibile igitur & indiuiſibile. Sed impoſſibile eſt actu infinitum. Quantum enim eſt neceſſe eſſe. Secundum accidens igitur exiſtit. Sed ſi ſic dictum eſt

quod

quòd non contingit illud esse principium, sed illud cui accidit aërem, aut parem: hæc quidem igitur inquisitio vniuersalis.

82

Ponit secundam rationem quæ stat in hoc: Quia, & si infinitum est aliquod separatum: aut ponitur vt substantia per se existens: aut ponitur vt accidens inhærens alicui subiecto separato, puta magnitudini, aut numero, quæ sunt separata secundùm Platonicos. Sed infinitum non est substantia per se existens separata, nec accidens taliter inhærens. Ergo &c. Minorem rationis in qua stat tota ratio in virtute probat, dicens quòd *si secundùm accidens*, id est, si infinitum separatum ponat accidens: sequitur quòd *non erit vtique elementum:* id est, principium *entium inquantum infinitum:* sed magis supple illud subiectum cui inest infinitum. *Quemadmodum* supple *nec inuisibile* est principium loquelæ sed vox: quamuis vox *sit inuisibilis:* ex eo quod vox est subiectum inuisibilitatis. Vlteriùs probat quòd non sit substantia per se existens separata, dicens *quod non est*, id est, non contingit *infinitum esse actu*: quasi supple sit substantia per se existēs *palàm est: enim* pro quia, *si quidem infinitum* sit *substantia, & non* supple prędicatur *de subiecto. Quare* sequitur quòd *aut* erit *indiuisibile: aut diuisibile in infinitum. Si* autem est *partibile*, id est, diuisibile, & substantia: vt supponitur *ergo quacunque pars accepta ipsius erit infinita: idem enim est infinito esse, & infinitum:* quia infinitum est sustantia eiusdem rationis in toto & in partibus: quia tunc infinitum prædicat totam rationem eius, & propriam quod est infinitum. Sicut igitur quælibet pars aquę est aqua, & quælibet pars ignis est ignis: sic quælibet pars ignis infiniti erit infinita: & per consequens erunt multa infinita simul; quod est impossibile, s. quòd multa infinita constituant vnum infinitum. Cuius ratio est: quia infinitum non est maius infinito: omne autem totum est maius sua parte. Et hoc est quod subdit: *Multa autem infinita esse idem*, id est, constituere vnum infinitum est *impossibile: quemadmodum enim pars aëris* est *aër, sic* pars *infiniti* est *infinitum: si* ipsum infinitum *est principium & substantia* supple diuisibilis vt supponitur. Ex quo sequitur quòd infinitum non erit diuisibile; ergo erit indiuisibile: sed non potest esse indiuisibile. Ideò subdit: *Sed impossibile est indiuisibile* supple esse actu infinitum. *Enim* pro quia, supple infinitum *esse est quantum esse* & per consequens diuisibile. Ex quo infert quòd si supple infinitum non est substantia, vt ostensum est: ergo *accidens existit*; id est, sequitur quòd erit accidens: *sed si sic.* Dictum est quòd *non contingit* supple ipsum infinitum esse *principium*; *sed illud cui accidit vt subiecto, puta aërem* vt dixerunt quidam naturales; *aut parem:* vt dixerunt Pythagorici. Patet ergo minor rationis, quòd scilicet infinitum si ponitur separatum, non potest esse substantia, nec accidens. Concludit ergo dicens quòd *Hæc quidem igitur inquisitio est vniuersalis*, id est, transcendens considerationem naturalem: qualiter scilicet inuehitur contra opinionem Pythagoricorum, & Platonicorum, qui fuerunt locuti de infinito non naturaliter, ponentes ipsum à naturalibus, & à sensibilibus separatum. Hîc autem Arist. innuit modum Philosophi naturalis tractans de motu, & de cōsequentibus motū.

Non datur infinito maius: ideò infinitum non est ex infinitis.

83

Notandum, quòd Philosophus videtur sibi dissonare. Nam hîc, & in 3. Physic. t.c. 37. & inde. dicit: Quod quælibet pars infiniti est infinita: & tamen primo de Cœlo, & Mundo in demonstrationibus ad demonstrandum cœlum non esse infinitum supponit quòd si aliqua pars infiniti accipiatur, illa erit finita. Dicendum quòd pars sumitur dupliciter, propriè, & impropriè. Pars quidem propriè accepta semper habet aliquam determinatam habitudinem ad totum: quia scilicet aliquoties sumpta mensurat, & reddit totum. Et hoc vel præcisè si sit pars aliquota: vel non præcisè, sed plus, vel minus, si non sit aliquota: vt dictum est 5. huius, cap. de parte. t.c. 25. & inde. Primo modo *duo* sunt pars ipsius *quatuor.* Secundo modo *duo* sunt pars *trium*: quia nunquam reddūt duo præcisè ipsa tria. Sed dicit pars impropriè dicta quæ non habet aliquam determinatam habitudinem ad totum. Primo modo sumendo partē, patet quòd pars infiniti nō potest esse finita: quia finitum aliquoties sumptum non potest mensurare, nec reddere infinitum: nisi fortè diceretur quòd finitum infinities sumptum mensurat infinitum: sed hoc est contra rationem partis propriè: hoc ergo modo quælibet pars infiniti habebit esse infinitum: & sic loquitur Philosophus hîc, & in 3. Phys. t.c. 30. licèt sit impossibile partē esse æqualem toto. Vnde secundùm rei veritatem habere partem repugnat infinito. Secundo autem modo sumendo partem, potest dici quòd pars infiniti est finita: & hoc modo loquitur Philosophus primo de Cœlo, & Mundo. de parte infiniti. Posito ergo infinitum esse, licèt sit simpliciter impossibile, pars eius sic vel sic accepta erit finita, vel infinita: licèt infinito repugnet habere partem: vt dictum est: dato tamen antecedente impossibili non est mirum si datur consequens impossibile: quia dato vno inconuenienti, non est mirum si multa sequuntur. Ex primo Physic.

Saluat cōtrouersiam quæ videtur hîc & primo Cœli in dictis Philosophi.

Pars dupliciter accipitur & primo modo adhuc dupliciter.

Habere partē repugnat infinito.

Ex impossibili quodlibet. Admisso inconuenienti sequuntur multa.

SVMMARIVM.

Non esse dabile infinitum in magnitudine, vel multitudine: probatur rationibus Logicis & Physicis, & primò id probat de corpore tam composito quàm simplici; secundò idem suadet ex parte loci & locabilis.

QVia autem in sensibilibus non est, hinc palàm. Si enim corporis ratio superficiebus determinatur, nō erit vtique infinitum corpus, neque sensibile, neque intellectuale.

84

Arguit contra secundam opinionem, quæ ponebat infinitum in sensibilibus: vt accidens inhærēs alicui corpori sensibili vt subiecto. Circa quod duo facit. Quia primò improbat istam opinionem Logicè, & probabiliter. Secundò Physicè magis, & realiter. Secunda ibi: *Naturaliter autem & ex his.* Prima in duas. Primò ostēdit quòd infinitum non potest esse corpus. Secundò quòd non potest esse numerus. Secunda ibi: *Neque numerus:* Dicit ergo. *Palàm esse hinc*, id est, ex dicēdis quòd infinitū, s. nō existit *in sensibilibus. Enim* pro quia, *si ratio corporis est quod sit determinatū superficiebus*: sequitur quòd *non erit vtique infinitum, neque sensibile*, id est, naturale, *neque intellectuale.* i. Mathematicū. Formetur sic ratio. Nullum infinitum est determinatum; quia infinito repugnat habere terminū: sed omne corpus est determinatum:

Contra antiquos naturales ostendit infinitum in actu non dari sensibilibus subiectiuè.

Infinitas corpori repugnat

Al. contentũ superficie.

minatum : quia contentiuum superficiei ; ergo nullum corpus est infinitum. Deinde cùm dicit :

Neque numerus, vt separatus, & infinitus. Numerale enim numerus, aut numerum habens.

Nullus numerus vel habẽs numerum est infinitum.

Probat quòd infinitum non potest esse numerus in sensibilibus. Et intendit talem rationem: Quia omnis numerus, vel habens numerum est numerale : sed infinitum non est numerale : quia iam esset numerando pertransibile. Ergo nullus numerus vel habens numerum est infinitum. Dicit ergo, quòd *nec numerus, vt separatus, & infinitus:* vt dixerunt Pythagoras, & Plato; vel supple siue sit existens in rebus sensibilibus numeratis: vt dixerunt aliqui Philosophi naturales, est supple possibile poni. *Enim* pro quia, omnis *numerus aut habens numerum est numerale:* & tunc supplenda est minor propositio vt prius.

Dictæ rationes sunt Topica.

Notandum istas duas rationes non esse Physicas, sed Logicas: quatenus non procedunt ex principiis corporis naturalis : sed ex quibusdam communibus; quæ quidem sunt probabilia, non autem necessaria. Quod patet, quantùm ad primam rationem : quia qui poneret corpus infinitum, non diceret ipsum terminari superficie : quia hoc pertineret ad corpus finitum. Similiter quantùm ad secundam rationem : quia qui poneret multitudinem infinitam, non concederet eam esse numerum : quia numerus est multitudo mensurata per vnum, ex 10. huius, t.c.20. mensurari autem repugnat infinito: vt patet. Deinde cùm dicit :

Naturaliter autem ex his palàm. Nec enim compositum possibile esse, neque simplex.

85 Arguit Physicè ad idem.

Arguit ad propositum per rationes Physicas, & reales. Circa quod duo facit. Quia primò arguit per rationem sumptam ex parte actiui & passiui. Secundò per rationes sumptas ex parte locati, & loci. Secunda ibi: *Adhuc sensibile.* Prima in duas. Primò proponit intentam conclusionem. Secundò subdit conclusionis probationem. Secunda ibi: *Compositum quidem.* Proponit ergo duo in sua conclusione, & dicit, quòd *palàm est naturaliter,* id est, per rationes naturales ex his quæ *dicentur. Enim* pro quia, *nec corpus* supple *compositum possibile est esse infinitum*; nec etiam corpus *simplex.* Deinde cùm dicit :

Conclusio intenta bimembris.

Compositum quidem enim non erit corpus, si infinita sunt multitudine elementa. Oportet enim æquari contraria, & non esse vnum ipsorum infinitum. Si enim cuicunque deficit alterius corporis virtus, corrumpitur ab infinito finitũ. Vnumquodque autem impossibile infinitũ esse. Corpus enim est quod omnino habet distensionem: infinitum autem infinitè distat. Quare infinitum corpus omnino erit infinitum.

86

Probat quòd dixerat. Et primò quòd corpus compositum, siue mixtum, non potest esse infinitum. Secundò quòd nec corpus simplex potest esse infinitum. Secunda ibi : *Nec vnum aut.* Dicit ergo, quòd *compositum quidem enim corpus non erit,* supple infinitum : *si elementa,* id est, supposito quòd *elementa* corporum compositorum *sint infinita multitudine.* Et subiungit talem rationem : Quia vel omnia elementa erunt infinita in quantitate, aut vnum erit infinitum, & alia finita : alioquin ex elementis multitudine finitis non posset componi corpus infinitum ; sed neutrum horum potest dari, vt probabitur, ergo impossibile est corpus compositum esse infinitum. Maiorem probat. Primò quantùm ad secundam partem, dicens quòd oportet *enim contraria æquari, & non esse vnum ipsorum infinitum.* Vult dicere quòd non potest vnum eorum esse infinitum ; & quòd alia sint finita ; quia oportet in corpore mixto elementa, quæ contraria sunt, aliquo modo adæquari, si corpus mixtum debeat conseruari. Alioquin si vnum excederet, corrumperet alia. Si igitur vnum sit infinitum, & alia finita non esset proportio ; & ideò infinitum corrumperet omnia alia ; & per consequens corpus mixtum non posset stare. Et subdit : *Si enim cuicunque deficit virtus alterius corporis corrumpetur finitum ab infinito.* Hoc autem addit ; quia posset aliquis dicere quòd corpus finitum in quantitate est virtuosius quàm elementum infinitum; & ita erit æqualitas; dato quòd alterum sit infinitum. Puta si diceretur quòd in corpore mixto est ignis finitus, & aër infinitus. Et ideò hoc remouet, dicens, quòd licèt virtus vnius elemẽti quod ponitur infinitũ, deficiat à virtute cuiuscunque alterius quod ponitur finitum ; tamen nihilominus corrumpetur ab infinito. Quod sic patet, quia virtus finiti necessariò est finita; & ideò ignis finitus habebit virtutem finitam. Si igitur auferatur ab aëre infinito aër æqualis igni, habebit vtique minorem virtutem quàm ignis, in aliqua tamen proportione determinata. Sit igitur virtus ignis quadrupla virtutis aëris. Accipiatur quadruplum de aëre, ab aëre infinito; sequitur quod habebit æqualem virtutem igni, & vlteriùs totus aër infinitus habebit maiorem virtutem in infinitum quàm sit virtus ignis ; & per consequens corrumperet ignem, & habetur id quod priùs; impossibile est ergo quòd in corpore mixto vnum elementum sit infinitum aliis existentibus finitis. Secundò probat primam partem minoris, dicens, quòd *vnumquodque autem,* supple elementum, *impossibile est esse infinitum. Enim* pro quia, *corpus est habens omnino distensionem :* quia extenditur secundùm omnem dimensionem, *infinitum autem distat infinitè,* id est, distenditur secundùm omnem dimensionem infinitam, *quare corpus infinitum erit omnino infinitum,* id est, ex omni parte. Et per consequens multa infinita non possunt simul esse in eodem, quia alterum occupat totum, nisi daretur plura corpora esse simul ; quod est impossibile. Patet ergo tota ratio. Deinde cùm dicit :

Quod corpus compositum mixtum non possit esse infinitum.

Hinc patet quod loquitur de virtute infinita intensiua 8. Physic.

Excludit cauillationem tacitam.

Plura infinita esse simul implicat quod confirmat dictum doct. 5. q. quodlibeti, & 2. d. primi.

Neque vnum, neque aut simplex contingit infinitum esse corpus, neque vt dicunt quidam præter elementa ex quo generant hoc. Non enim est tale corpus præter elementa. Omne enim ex quo est, dissoluitur in hoc. Non videtur autem hoc circa simplicia corpora, nec ignis, nec aliquod aliud elementorum nullum, sine eo quod est infinitum, esse aliquod ipsorum; quemadmodum Heraclitus ait omnia, aliquando fieri ignem. Eadem autem ratio, & in vno quod faciunt præter elementa Physici. Omne enim permutatur ex contrario, puta ex calido in frigidum.

Probat

87

Nullũ corpus simplex posse esse infinitũ.

Probat quòd corpus simplex non potest esse infinitum:& stat ratio in hoc:quia illud corpus simplex;siue ponatur aliquod quatuor elementorum; siue corpus medium præter elemēta,sicut dixerūt quidam antiqui,qui ex aliquo tali corpore medio dicebant omnia alia generari vt ex principio: vt dictum est primo huius: siue inquam dicatur sic vel sic: ex quo idem corpus ponitur infinitum,& habere contrarietatem ad alia elementa: sequitur quòd corrumpet omnia alia, & occupabit totum vndique ex omni parte: & per consequēs nihil esset nisi illud *vnum corpus simplex.* Dicit ergo, quòd *neque vt dicunt quidam,contingit esse infinitum*: quod scilicet sit *aliud à quatuor elementis* aliquod corpus *simplex ex quo generantur* hæc omnia sēsibilia.*Nō enim est* dare *tale corpus præter elementa.*Quod probat: *Quia omne ex quo est; & dissoluitur in hoc*, id est,vnumquodque resoluitur in ea ex quibus componitur: *& tamen* supple *non videmus* corpora resolui in aliud quàm in quatuor elementa.Ex quo patet quòd non est aliquod corpus simplex præter elementa. Et dato quòd esset, non posset esse infinitum: vt probatur. Et subdit probationem quòd nullum quatuor elementorum potest esse infinitum, dicens, *non videtur autem hoc circa corpora simplicia: quia nec ignis,nec aliquod alind elementorum nullum* supple potest esse infinitum:*enim* pro quia, *sine eo quod est infinitum* impossibile est *esse aliquod* omne,id est,quodcunque *ipsorum*: quia supple id vnum quod est infinitum replet totum ex omni parte. Et si sit finitum,id est,dato quòd esset aliquod corpus finitum, oporteret quòd aut esset aut fieret aliquod vnum ipsorum. Quia scilicet conuerteretur propter excedentiam virtutis *quemadmodum ait Heraclitus omnia aliquando fieri ignem*, id est, conuerti in igem propter excedentiam virtutis ignis. Et subdit quòd *eadem autem est ratio de vno* illo corpore *quod faciunt Physici*, id est, quidam naturales præter elemēta: & iam dictum est,*enim* pro quia: *omne* quod *permutatur:* permutatur *ex contrario,* scilicet in contrarium,*puta ex calido in frigidum:* ex quo sequitur quòd illud vnum corpus medium habet contrarietatem ad alia elementa: quia fit permutatio ex illo vno ad alia etiam secundùm ipsos. Quia igitur vnum contrarium corrumpit alterum: sequitur quòd illud corpus corrumpet alia: si ponatur infinitum.

Non datur corpus,scilicet simplex vt antiqui posuerunt.

Vnumquodque resoluitur in ea ex quibus componitur.

Omnia fieri ignem inquit Heraclitus.

Notandum, quòd licèt corpus cæleste sit corpus simplex, & alterius naturæ præter elementa: vt probatur primo de Cælo, & Mundo: t.c.8.& inde: Tamen de isto non facit Philosophus mentionem: ex eo,quia Philosophi naturales ponentes aliquod corpus infinitum actu, non peruenerunt ad notitiam huius veritatis quòd cælum esset quasi quintum, & natura alia à quatuor elementis: sed putauerunt cœlum esse naturæ elementataris. Et ideò ista ratio hoc supposito sufficienter procedit contra eos: tamen in primo de cœlo & Mundo t.c.34.& inde probat Philosophus per rationes sensibiles quòd cælum non est actu infinitum. Deinde cùm dicit:

Al. singulares.

Adhuc autem sensibile corpus alicubi: & idem locus totius, & partis, puta terræ,

Probat nullum corpus esse infinitum per rationes sumptas ex parte loci, & locati. Circa quod duo facit. Primò præmittit quædam necessaria. Secundò arguit ex illis ad propositum. Secunda

88

ibi: *Quare si quidem.* Præmittit autem duo; quorum vnum est quòd omne *corpus sensibile* est *alicubi*,id est, in loco: & dicit *sensibile:*quatenus corpus Mathematicū non est propriè in loco:quia nec habet locum,nec tactum nisi Metaphoricè & ideò ad differentiam corporis Mathematici, dicit quòd omne corpus sensibile est in loco. Aliud quod præmittit est, quòd *idem est locus totius, & partis. Puta terra* & supple partis eius, quod est intelligendum de loco naturali,ad quem scilicet corpus naturaliter mouetur, & in quo naturaliter requiescit. Deinde cùm dicit:

Omne corpus sensibile est in loco. Secus de Metaphysico.

Idem est locus totius & partis & de quo loco intelligitur.

SVMMARIVM.

Corpus infinitum non posse esse homogeneum, nec heterogeneum, & vniuersaliter nullum corpus posse esse infinitum, pluribus rationibus suadet.

Quare si quidē eiusdem speciei immobile erit, aut semper feretur: hoc autem impossibile. Quid enim magis deorsum quàm sursum,aut vbicunque,puta si gleba fuerit vbi hoc mouebitur,aut manebit. Locus enim ipsius connaturalis corporis infinitus.Obtinebit igitur totum locum:quomodo? Et quæ igitur mansio, & motus si vbique manet non mouebitur. Si autem vbique non igitur stabit.

Arguit ad propositum ex præmissis per quatuor rationes. Secunda ponitur ibi: *Totaliter autem impossibile.* Tertia ibi: *Adhuc omne.* Quarta ibi: *Totaliter autem.* In prima parte intendit talem rationem: Si aliquod corpus esset infinitum; vel esset homogeneum vel heterogeneum: sed neutrum potest dari; ergo impossibile est aliquod corpus esse infinitum. De ista ratione primò probat minorem in qua est tota virtus. Primò primam partem. Secundò secundā ibi: *Si autem dissimile.* Primam autem partem, scilicet quòd corpus infinitum non possit esse homogeneum, probat ex hoc: quia si sic, ergo vel semper moueretur, vel semper quiesceret: consequens est falsum; ergo antecedens. Consequentiam autem deducit sic, dicens *quare si quidem* hoc,scilicet corpus infinitum sit *eiusdem speciei,* id est,homogeneum, & vnius rationis in toto, & in partibus vt aër, & aqua,& huiusmodi: sequitur quòd *erit immobilis, aut semper feretur,* id est, mouebitur: *hoc autem est impossibile:* vt patet ad sensum. Et subdit probationem huius consequentiæ,dicens *quid enim magis deorsum quàm sursum, aut vbicunque* supple mouebitur, aut quiescet, *puta si,* id est, *gleba* vel pars terræ *fuerit vbi hoc mouebitur, aut manebit*, id est, quiescet? Quasi dicat quòd videtur posse assignari. *Enim* pro quia, *locus connaturalis ipsius corporis,* supple infiniti erit *infinitus. Obtinebit igitur totum locum, & quomodo* supple hoc poterit esse,*& quæ igitur mansio & motus,* id est, quomodo poterit simul esse quies, & motus? Quasi dicat quòd *non:*Quia *si vbique manet,* id est, quiescit, non *mouebitur: aut si vbique* scilicet mouetur; *non ergo stabit,*id est, quiescet.

Arguit ex parte loci & locati nullum corpus esse infinitum.

Corpus infinitum non posse esse homogeneum ostendit.

Notandum, vim huius rationis in hoc stare: nam, vt suppositum est, idem est locus naturalis totius, & partis. Iterum apparet quòd vnumquodque

89

Resolutio dictæ rationis qualiter corpus infinitum non posset esse in loco nec quiescens neque motum.

quodque corpus quiescit in suo loco naturali cùm est ibi: & ipsum mouetur naturaliter cùm est extra: vt patet 1. de Cœlo, & Mũdo. t.c. 100. Si igitur totus locus vbi est corpus homogeneum, infinitum est sibi naturale, ergo erit naturale cuilibet parti eius: & per consequens totum, & quælibet pars eius quiescit. Si autem non est eis naturalis; sequitur quod totum infinitum, & quælibet eius pars est extra suum locum naturalem; & per cõsequens totũ, & quælibet pars eius semper mouetur. Et sic patet probatio cõsequentiæ. Si dicatur quod aliqua pars loci sit naturalis toti, & parti eius, & aliqua pars sit innaturalis. Hoc nõ potest esse, quia corpori infinito respõdet locus infinitus; cũ omne corpus sit in loco, ex primo supposito: sed in loco infinito non potest reperiri ratio talis diuersitatis, quia inter locũ naturalem, & innaturalem videtur esse aliqua determinata distãtia, & proportio quæ non potest esse in aliquo loco infinito. Ideò dicit, quòd non est ratio quare corpus infinitũ, aut eius pars moueatur magis deorsum quàm sursum, aut vbicunque; sicut de bolo, siue de gleba terræ patet, posito quòd terra esset illud corpus infinitum. Quia cùm locus infinitus sit ei naturalis, non est ratio, quare totũ, vel eius pars mouetur, vel quiescit magis hîc quàm ibi, quia vel quælibet pars illius loci est naturalis, vel nulla; & per consequens totum corpus infinitum obtinebit totum locum infinitum, & ideò vel semper mouebitur, & per consequens non quiescet: vel semper quiescet, & per consequens non mouebitur, vt ostensum est. Deinde cùm dicit:

Si autem totum dissimile, & dissimilia loca. Primùm quidem non vnum corpus vniuersi nisi tactu. Deinde autem infinita hæc erunt, aut infinita specie. Finita quidem igitur non possibile: erunt enim hæc infinita: hæc autem non: si omne infinitum, puta ignis, aut aqua. Corruptio autem quod tale contrariis. Si autem infinita, & simplicia; & loca infinita; & erunt infinita elementa. Si autem hoc impossibile, & loca finita, & omne necesse est finitum esse.

Corpus infinitum non posse esse heterogeneum probat.

Probat secundam partem rationis principalis. scilicet quòd corpus infinitum non possit esse heterogeneum, dicens, quòd *si totũ* supple infinitum est *dissimile*, id est, heterogeneum habens partes alterius rationis. Ergo habebit *loca dissimilia*. *Et primũ quidẽ*, scilicet incõueniẽs, quod sequitur est quòd *corpus omnis*, id est, *totius infiniti* nõ erit *vnũ nisi tactu*. Puta sicut alicuius exerciti ab eo, scilicet quia ea quæ sunt diuersarũ specierũ non verè sunt vnum continuũ, vel vnum simpliciter; puta ignis, & aër, & similia. Et subdit: *Deinde* si supple illud totum constat ex partibus alterius speciei: aut *hæc erunt finita*: sic quòd diuersitas specifica, quæ est in partibus sit in aliquo numero certo: *aut erunt infinita specie*: vt scilicet sint species diuersæ infinitæ illarum partium totius: sed neutrum potest dari. Vnde subdit: *Finita quidẽ igitur non est possibile: enim* pro quia, *tunc* hæc *quidem erunt infinita*, supple in magnitudine: *hæc autem non. Si omne*, id est, totũ dicitur *esse infinitũ*, *puta* quòd *ignis*, *aut aqua* esset supple infinita, & reliqua erũt infinita. Ratio huius est, quia, vt dicebatur in præcedenti ratione, impossibile est aliquod infinitum constitui ex partibus numero finitis: nisi vel omnes par-

Al. acerui ex eo.

tes essent infinitæ in quantitate: quod non potest poni propter eandem rationem, quæ priùs: vel saltem aliqua sit, & aliqua non. Si igitur totum infinitũ habet partes alterius speciei, finitas tamẽ numero, oportet quòd aliquæ earũ sint infinitæ in quantitate, & aliquæ sint finitæ: & hoc est impossibile. Ideò subdit: *Quia quod est tale, est corruptio ex contrariis*, id est, quòd tunc partes infinitæ corrumperent omnes alias partes finitas: vt superiùs dicebatur. Patet ergo, quòd non possent esse finita numero illa, ex quibus, vt distinctis, specie, constitueretur corpus infinitum. Et subdit ad probandum alteram partem disiunctiuæ, dicens, *si autem sunt infinita*, scilicet specie, & *simplicia*, quatenus sunt scilicet primæ partes vniuersi, quas oportet esse simplices: aut non essent primæ: sequitur quòd, *& loca erunt infinita*. Cuius ratio est, quia quodlibet simplex corpus habet locum proprium naturalem, distinctum specie à loco alterius: & ideò si corpora simplicia diuersa specie sunt infinita, & per consequens *elementa*, quæ sunt corpora simplicia: sequitur quòd, *& loca erunt infinita*, & distincta secundùm speciem. Sed hoc est falsum: quia species locorum sunt in numero certo, quia sex: scilicet *sursum: deorsum: antè: retro: dextrorsum: & sinistrorsum*: vt habetur 4. Physic. t.c. 4. & hîc inferiùs. Iterum impossibile est elementa esse infinita: vt probatur 2. de Generatione, t.c. 35. & inde, & est ratio: quia tunc essent ignota: quia ad cognitionem rei perfectam oportet cognoscere eius principia, & elementa. Hæc est ratio Philosophi 1. Physic. t.c. 35. & circiter, cõtra Anaxagoram qui posuit principia infinita. Et subdit quasi ex opposito consequentis inferendo oppositum antecedentis, & conclusionẽ quam intendit, dicens: *si autem hoc est impossibile*, scilicet loca & elementa esse infinita: sequitur quòd loca sint finita, *&* per consequens *omne*, id est; totum corpus *necesse est esse finitum*. Patet ergo tota prima ratio, quæ multùm est prolixa, sicut patet. Deinde cùm dicit:

Species locorum 6 quare finita numero?

Elementa necessariò finita sunt.

Totaliter autem impossibile infinitum esse corpus, & locum corporibus, si omne corpus sensibile, aut leuitatem, aut grauitatem habet. Aut enim ad medium, aut ad sursum fertur. Impossibile autem infinitum, aut omne, aut dimidium quodcunque istorum passum est. Quomodo enim diuidens? aut quomodo infiniti erit? hoc quidem deorsum, hoc autem sursum, aut extremum est medium.

90

Omne corpus esse in loco & grauitatem, vel leuitatem participare secundùm antiquos.

Ponit secundam rationem, dicens, quòd *totaliter autem*, id est, vniuersaliter *impossibile est corpus esse infinitũ, & locũ corporibus*, id est, quòd cũ *omne corpus sẽsibile, si in loco*. Si supponatur, quòd omne corpus sensibile, *aut habet grauitatẽ, aut leuitatẽ*: quòd quidẽ verũ est secũdùm antiquos naturales, contra quos arguit: licèt corpus cœleste nec sit graue, nec leue, ex primo Cœli, & Mundi t.c. 18. & inde. Et ideò hoc ipse introducit sub conditione, quasi cõcessum ab aduersario, licèt simpliciter non sit verum. Si igitur omne corpus sensibile, & per consequens corpus sensibile, quod ponitur infinitum, est graue, vel leue: aut *fertur ad medium*, id est, deorsum: *aut sursum*: quia si sit graue, mouebitur deorsum: si leue, sursum. *Impossibile autem infinitum, aut omne*, id est, totum, *aut dimidiũ quod-*

Omne corpus, aut sursum, aut deorsum mouetur secundum antiquos, & corpori infinito repugnat.

cunque, id est, partem quamcũque *passum esse hoc*, scilicet quòd moueatur sursum, vel deorsum: quia supple medium non inuenitur in aliquo corpore, nisi sit in proportione aliqua ad extrema: quia medium dicitur respectu extremorum: vbi ergo non sunt extrema, nec medium erit: infinitum autem caret extremis; ergo & medio. Vnde subdit: *Quomodo enim diuidens* supple ipsum infinitum, *aut ipsius infiniti* supple corporis, vel loci *erit hoc quidem deorsum, hoc autem sursum, aut extremum, aut medium.* Vult dicere, quòd corpus infinitum occuparet locum infinitum: in infinito autem nec est sursum, nec medium, vt prædictum est: & ideò siue accipiatur totum corpus infinitum, siue diuidatur in partes, non poterit dici, quòd ipsum totũ moueatur ad extremum, vel ad mediũ; vel quòd vna pars moueatur ad medium, & alia ad extremum: & tamen oporteret, si illud corpus esset graue, aut leue, vt supponitur.

Quod caret extremis caret, & medio.

Al. quod tamen.

Notandum, quòd ista ratio æquè concludit si ponatur aliquod corpus tertium, quod non sit graue, vel leue: sicut oportet ponere secundùm viam Aristotelis corpus cœleste. Nam tale corpus secundùm naturam mouetur circa medium, ex primo Cœli, & Mundi, t.c.8. & inde. Et tamen medium non potest esse in corpore infinito: vt prædictum est. Deinde cùm dicit:

91 *Corpus infinitum non posse moueri ad medium, sicut nec à vel ad.*

Adhuc omne sensibile corpus in loco, loci autem species sex. Impoßibile autem in infinito corpore hoc esse.

Ponit tertiam rationem, quæ talis est: *Omne corpus sensibile est in loco*, vt suppositum est: *species autem loci sunt sex*: vt prædictum est in prima ratione. *Impossibile est autem in corpore infinito hoc esse*, id est, tales species loci inuenire. Cuius ratio est: quia illæ sex differentiæ, vel species loci sunt quædam extrema distantiarum: infinitum autem non habet extrema, & per consequens corpus infinitum non potest esse in loco, & per consequens vlterius, nullum corpus sensibile est infinitum. Deinde cùm dicit:

Species loci non conueniunt finito.

Totaliter autem si impoßibile locum finitum esse: & corpus impoßibile. Quod enim in loco alicubi est: hoc autem significat, aut deorsum, aut sursum, aut reliquorum aliquod. Horum autem vnumquodque terminus aliquis.

Ponit quartam rationem, quasi eandem cum tertia, quæ sic formari potest: Impossibile est locũ esse infinitum; ergo, & corpus. Cõsequentia patet, quia omne corpus est in loco, ex supposito; ergo corpus infinitum requirit locum infinitum. Si ergo non sic, id est, nõ possit esse locus infinitus, ergo nec erit corpus infinitum. Antecedens probatur sic: Quia quicquid est in loco erit in aliquo loco: sicut quicquid est animal, est quoddam animal: si ergo corpus infinitum est in loco, erit in aliquo loco, scilicet sursum, vel deorsum, antè vel retrò, &c. Sed impossibile est talem locum esse infinitum, quia vnusquisque est terminus alicuius distantiæ determinatæ. Et hoc est quod dicit: quòd *totaliter autem si impossibile est locum esse infinitum, & corpus*, scilicet esse infinitum *est impossibile. Enim* pro quia, *quod est in loco est alicubi: hoc autem significat aut esse deorsum, aut esse sursum, aut aliquod reliquorum*, id est, secundùm aliquam speciem aliam: vel differentiam loci. *Horum autem vnumquodque est aliquis terminus*, supple alicuius distantiæ determinatæ: quod repugnat infinito.

Sicut cui conuenit cõmune, & aliqua eius species conuenit; sic quod est in loco, est in aliqua specie eius.

Quod denominatur à genere & à specie. 2. Top.

92

Notandum, quòd prædictæ rationes dicuntur naturales: quatenus sumuntur penes actiuum, & passiuum; locum & locatum; quæ sunt passiones & proprietates corporis naturalis inquantum naturale est. Deinde cùm dicit:

Quare dictæ rationes naturales dicuntur?

Infinitum autem non idem in magnitudine, & motu; & tempore, vt vna quædam natura; sed quod posterius dicitur secũdùm prius; puta motus secundùm magnitudinem in qua mouetur, aut alteratur, aut augetur. Tempus autem propter motum.

Ostendit quomodo infinitum in potentia est diuersimodè in diuersis, dicens quòd *infinitũ autem*, supple in potentia, *non est idem in magnitudine, & motus, & tempore: vt vna quædam natura*, quasi vno modo, & vniuocè dictum de ipsis: *sed* supple secundùm prius, & posterius: *sed quod posterius dicitur secundùm prius*, id est, quòd id quod est posterius inter ista, dicitur infinitum secundùm illud quod est prius, *puta motus* dicitur supple infinitus *secundùm magnitudinem*, *in qua* aliquid *mouetur*, scilicet localiter, *aut alteratur*, *aut augetur: tempus autem* supple dicitur infinitum *secundùm motum.* Et ideò ista infinitas primò competit magnitudini, Secũdò motui, Tertiò tempori.

Infinitas potentialis aliter magnitudini motui & tempori conuenit.

Notandum, quòd, vt declaratum fuit 5. huius in quadam quæstione. De ratione continui sunt duo: puta posse diuidi in infinitum: & quòd partes eius copulentur ad aliquem terminum communem. Et fuit ibi probatum quòd motus formaliter habet aliam quantitatem, & diuisibilitatem à quantitate, vel diuisibilitate magnitudinis: quia motus nõest quãtus formaliter magnitudine; benè tamen quasi effectiuè, & consecutiuè diuisibilitas motus est à magnitudine: quia secundùm diuisionem magnitudinis diuiditur & motus: vt probatur 6. Physic. text. com. 33. siue sit magnitudo spatij quantùm ad motum localem siue magnitudo formæ ad quam est motus: & hoc, vel magnitudo diuisionis, quantùm ad motum quantitatis; vel magnitudo perfectionis, & intentionis, quantùm ad motum alterationis: vt hîc dicitur in littera. Tempus autem (tenendo quòd sit idem realiter quod motus,) patet quòd non habet diuisibilitatem à motu: quia cùm formaliter sit numerus, & per consequens discretum, non potest esse continuum, nec per consequens diuisibile, nisi propter motum cuius est passio. Quantùm ad secundum, probatum fuit ibi, quòd alium terminum communem, ad quem partes eius copulãtur, habet spatium in motu locali: & alium motus localis: tempus autem non habet alium à motu primo, cui est idem realiter: sed ab aliis motibus à quibus realiter distinguitur: vt sunt isti motus in inferiores, & hoc loquendo de tempore communi.

De ratione continui sunt duo.

Alia quantitas motus, & alia magnitudinis formaliter licèt hac ab illa efficiatur.

Magnitudo triplex & est singulare.

Tempus pro formali quid? & qualiter cõtinuum & diuisibile sit.

Cui motui est idem tempus & cui non?

SVMMÆ QVARTÆ
CAP. III.

Motum per se distingui à motu per accidens, & secundùm partem. Item quot modis dicitur aliquid in aliud mutari, & in quibus Prædicamentis sit motus.

SVM

SVMMARIVM.

Aliquid moueri & mouere tripliciter: Per accidens; secundùm partem; & secundùm totum. Item quinque concurrere in omni motu: & de mutatione quadruplici.

Permutatur autem quod permutatur. Hoc quidem secundùm accidens, vt musicum ambulare. Hoc autem eo quòd huius aliquid permutatur simpliciter, dicitur permutari, puta quæcunque secundùm partes. Sanatur enim corpus, quia oculus. Est autem aliquid, & quod ipsum primum mouetur, & hoc est per se mobile.

93

Sermo de diuisione motus.

Postquam Philosophus determinauit de motus diffinitione, & de eius passione, quod est infinitum: nunc agit de motus diuisione. Circa quod tria facit secundùm tres diuisiones motus se inuicem subdiuidentes. Nam secunda est subdiuisio primæ, & tertia secundæ. Secunda ibi: *Est autem aliquod mouens.* Tertia ibi: *Si ergo Prædicamenta.* Prima in duas. Primò assignat illam diuisionem ex parte mobilis. Secundò eandem ex parte mouentis. Secunda ibi: *Est autem aliquid, & in mouente.* Dicit ergo, quòd *omne quod permutatur, permutatur* tripliciter, *hoc quidem*, id est, vno modo *secundùm accidens*; *vt* cùm dicitur *musicum ambulare.* Nam musicum non ambulat, nisi quia subiectum, cui inest, ambulat. Puta Socrates ambulat. Ad hunc modum reducitur, quòd forma quæcunque siue substantialis, siue accidentalis, mouetur, ad motum compositi: vt anima mouetur per accidens moto corpore. Iterum hoc modo quæcunque pars mouetur per accidens ad motum totius, & etiam contentum ad motum continentis; vt nauta ad motum nauis mouetur per accidens: *hoc autem,* id est, alio modo *aliquid permutatur:* & ex *hoc dicitur simpliciter permutari. Puta quæcunque* scilicet permutantur *secundùm partes:: corpus enim sanatur, quia oculus* sanatur, qui est pars corporis: hoc enim est moueri per se, sed non primò, secundùm quòd *Primò* diuiditur contra partem. Est *autem aliquod* quod scilicet tertio modo *mouetur ipsum primùm*, idest, primò, vt primò diuiditur contra partem, vt cùm aliquod totum mouetur secundùm totum: & *hoc est mobile propriè*, puta cùm animal mouetur secundùm se totum: & omnes partes suas. Deinde cùm dicit:

1. Diuisio motus.

Per se & primò tripliciter

Est autem aliquid & in mouente eodem modo. Mouet enim secundùm accidens. Hoc quidem secundùm partem: Hoc autem per se.

Triplici dicto moueri correspõdet triplex mouere.

Ponit eandem diuisionem ex parte mouentis, dicens, quòd *& in mouente est aliquid eodem modo:* quia supple est mouens, quod supple *mouet secundùm accidens* vt musicus dicatur ædificare: *hoc quidem,* id est, alio modo mouet mouens *secundùm partem,* puta homo dicitur impellere lapidem secundùm pedem: *hoc autem,* id est, alio modo mouet *per se,* id est, secundùm se totum vt aqua infrigidans, vel ignis calefaciens. Deinde cùm dicit:

Est autem aliquid mouens primum: est autem aliquid quod mouetur. Adhuc in quo tempore, & ex quo, & in quod. Species autem, & passiones, & locus in quo mouentur mota quæ mobilia sunt, puta scientia, & caliditas: est autem non caliditas motus, sed calefactio.

Ponit secundam diuisionem. Circa quod duo facit. Primò præmittit quædam necessaria. Secũdò ostendit propositum. Secunda ibi: *Quæ autem non secundùm accidẽs.* Dicit ergo quòd in omni supple mutatione sunt quinque. Primum est, quia *est aliquod mouens primũ:* quia omnis motus causatur ab aliquo mouẽte. *Est autem* secundũ scilicet aliquid *quod mouetur*, id est, mobile, quod est subiectum motus. *Adhuc est* tertiũ scilicet tempus *in quo tẽpore* fit mutatio: quia omnis motus est in tẽpore. Et quartũ est terminus *ex quo.* Et quintũ est terminus *in quod,* id est, terminus ad quem. Et exponit duo vltima, dicẽs quod *species,* id est formę: *& passiones,* id est, qualitates: *& locus* supple sunt termini *in quo mouetur mota quæ sunt mobilia.* Et exemplificat de passionibus dicens, *Puta scientia, & caliditas.* Et addit: *Est autem motus non caliditas, sed calefactio:* & hoc dicit, quia quibusdam visum fuit quandoque quòd caliditas esset ipse motus alterationis: & tunc esset motus, & non terminus motus: & ideò dicit quòd caliditas non est motus, sed magis ipsa calefactio.

In omni motu concurrunt quinque.

Nõ caliditas sed calefactio est motus.

Notandum, quòd quia motus non diuiditur specificè ex parte mouentis, sed magis ex parte terminorum à quibus motus habet speciem, & denominationem vt patet 5. Phys. t.c.4. & inde, & nec etiam ex parte mobilis, nec ex parte temporis, sed magis ex parte terminorum, vt dictum est; ideò fortè solùm exemplificat de terminis motus, sic quòd per species intelligit formas substãtiales, in quibus est generatio, & corruptio simpliciter: & etiam quantitates in quibus est augmentum & decrementum: per passiones autem intelligit qualitates de tertia specie, in quibus strictè loquendo, est solùm alteratio: vt probatur 7. Physic. t.c. 14. sed per locum intelligit ipsum vbi, in quo est motus localis. Deinde cùm dicit:

Principaliter penes terminos attenditur specifica diuisio motus

Quæ autem non secundùm accidens permutatio, non in omnibus existit: sed in contrariis, & intermediis, & in contradictione. Huiusmodi autem fides ex inductione: permutatur enim quod permutatur, aut ex subiecto in subiectum, aut ex non subiecto in non subiectum, aut ex subiecto in non subiectum, aut ex non subiecto in subiectum. Dico autem subiectum quod affirmatione monstratur. Quare necesse est tres esse permutationes. Quæ enim ex non subiecto in non subiectum, non est permutatio: neque enim contraria est, neque contradictio, quia non est oppositio.

94

Ponit ipsam secundam diuisionem, quæ est subdiuisio secundi, & tertij menbri primæ diuisionis: quæ scilicet est mutatio non per accidens, sed secundùm partem, & per se: vel secundùm se totum & per se primò. Diuidit autem illam mutationem penes terminos. Circa quod duo facit. Primò proponit illam diuisionem. Secundò exponit eam. Secunda ibi: *Quæ quidem igitur.* Ideò dicit, quòd illa *permutatio quæ non est secundùm accidens;* sed

Secunda diuisio motus & est subdiuisio primæ.

Permutatio inter quos terminos existit.

sed supple per se *non existit in omnibus*, id est, inter quoscunque terminos: *sed in contrariis:* vt cùm est motus ab albo in nigrum: *& etiã intermediis* cùm est motus à nigro in pallidum, & etiam de pallido in rubeum: sed etiam est permutatio supple *in contradictione*, id est, inter terminos priuatiuè oppositos, qui circa subiectum aptum se habent, vt cõtradictio: vt declaratum est 4. huius, in quadam quæstione. Vt cùm est motus à non igne in ignem; vel è conuerso: vel à non albo in album; aut è conuerso. Ideò dicit; quòd *huiusmodi autẽ fides est ex inductione quod*, scilicet permutatio est inter per se terminos determinatos modo dicto. *Nã omne quod permutatur: permutatur* quadrupliciter, secũdùm quod quatuor modis possunt variari termini permutationis. *Aut enim est permutatio de subiecto in subiectum.* Puta ex albo in nigrum, & tunc vterque terminus est affirmatiuus, & positiuus: *aut ex non subiecto in non subiectum.* Puta à non albo in non nigrum: *aut à non subiecto in subiectum:* & tunc terminus à quo est priuatiuus, & terminus ad quẽ est positiuus, & affirmatiuus. *Aut est mutatio ex subiecto in non subiectũ.* Puta ex albo in non album: & tunc terminus à quo est affirmatiuus, & terminus ad quem est priuatiuus, siue negatiuus. Et exponit quòd intendit per *subiectum, quod affirmatione demonstramus*, vt patet ex prædictis. Concludit ergo: *quare necesse est tres esse permutationes: enim*, pro quia: illa *quæ est ex non subiecto in non subiectum non est permutatio: nec enim est contraria: nec contradictio: quia non est oppositio.*

Cõtingit immaginari aliquid mutari 4. modis.

Notandum, quòd cùm sint positæ quatuor combinationes terminorum mutationis. Vna tamen est inutilis: quia nulla est per se mutatio à non subiecto in non subiectum: quia istæ duæ negationes non sunt contraria, nec contradictoria, nec etiam opposita quocunque modo: quia possunt eidem inesse. Puta non album & non nigrum insunt cuilibet colorum mediorum: rubeum enim nec est album, nec est nigrum: si enim omnis mutatio est inter opposita: vt hìc dicitur & probatur 1. Physic. t. c. 43. & inde, sequitur quòd non sit mutatio non subiecti in non subiectum. Quare relinquitur quòd sunt tantùm tres permutationes. Duæ quidem secundùm contradictionem, & vna quidem secundùm contrarietatem in terminis.

Tantùm 3. sunt species mutationis in communi.

SVMMARIVM.

Exponit tres mutationes, probans mutationes quæ sunt de subiecto in non subiectum non esse motus. Explicatur id, *quod generatur non est in loco.* Et quomodo sola mutatio quæ est de subiecto in subiectum, est propriè motus.

QVæ quidem igitur ex non subiecto in subiectum secundùm contradictiones, generatio est: quæ quidem simpliciter simplex, quæ est alicuius quædam. Quæ ex subiecto in non subiectum, corruptio.

95

Exponit dictam diuisionem. Circa quod tria facit. Primò ostendit quòd duæ illarum trium mutationum sunt generatio, & corruptio. Secundò probat quòd illæ duæ non sunt motus. Tertiò per locum à diuisione concludit quòd tertia mutatio habet propriè rationem motus. Secunda ibi: *Si itaque non ens.* Tertia ibi: *Quoniam autẽ omnis motus.* Dicit ergo quòd cùm supple sint tres permutationes: illa *quidem igitur quæ est ex non subiecto in subiectum secundùm cõtradictionẽ*, id est, qui sunt termini cõtradictorij: *generatio est:* & hæc est duplex: *quædam quidẽ simpliciter simplex: quædam autẽ alicuius quædam.* Vult dicere, quòd generatio est duplex; quædam simplex, puta cùm est mutatio ex non ente simpliciter in ens simpliciter, sumendo ens simpliciter pro substantia, & hæc est generatio in forma substantiali. Quædam autem est generatio secundùm quid, vt quando est mutatio de non ente in ens secundũ quid, sumẽdo ens secũdùm quid pro omni alio à substãtia: & ideò mutatio à non albo in album est generatio secundùm quid. Et subdit: quòd illa mutatio *quæ est ex subiecto in non subiectum est corruptio:* & hæc est duplex: quædam quidem simpliciter simplex: quædã autem alicuius quædam; exponendo secundùm quid, & simpliciter: vt priùs. Deinde cùm dicit:

Expositio dictæ diuisionis.

Quod duæ dictarũ mutationũ sunt generatio & corruptio.

Generatio duplex.

Corruptio duplex.

Si itaque non ens dicitur multipliciter: & nec quod secundùm compositionem, aut diuisionem contingit moueri: nec quod secundùm potentiam quod simpliciter oppositum enti. Quod enim non album, aut non bonum tamen cõtingit moueri secundùm accidens. Erit enim vtique homo, quod non album: quod autẽ simpliciter non hoc, nequaquam. Impossibile enim non ens moueri. Si autem hoc, & generationem motum esse. Generatur enim non ens. Si enim, & quàm maximè secundùm accidens generatur. Sedtamen verum dicere, quod existit non ens, de generato simpliciter. Similiter autem, & quiescere. Hæc itaque accidunt difficilia.

96

Probat quòd istæ duæ mutationes non sunt motus. Circa quod duo facit: Primò probat hoc de generatione. Secundò Probat hoc idem de corruptione. Secunda ibi: *Nec itaque corruptio.* Prima in duas secundùm duas rationes. Secunda ibi: *Et si omne.* In prima parte intendit talem rationem: Quod mouetur, & quod generatur, nõdũ est; ergo generatio nõ est motus. Dicit ergo, quòd *si itaque non ens dicitur multipliciter sicut* & supple ens: nec quod *est secundùm compositionem, & diuisionem contingit moueri: nec quod secundùm potentiam, quod est oppositum enti simpliciter.* Vult dicere, quòd ens & non ens dicitur vno modo secundùm compositionem, & diuisionem: & tale non potest moueri, cùm non sit in rebus: sed in mẽte ex 6. huius, t. c. 8. Alio modo dicitur secũdùm potentiam, & actum: ita quòd id quod est ens actu est ens simpliciter: quod autem est secundum potentiã est non ens: tale ergo nõ ens, quod est ens in potẽtia nõ potest etiã moueri *quia est oppositũ enti simpliciter*, quod est ens in actu. Quare autẽ dixit quòd ens secũdùm potentiã sit quod est oppositũ enti simpliciter, ostendit cùm addit: *quod enim est non album, aut non bonũ cõtingit moueri secundùm accidens.* Vult dicere, quòd ens in potentia oppositum enti in actu, quod non est ens simpliciter, sumendo *ens simpliciter* pro substantia, non potest moueri: quia quod non est album in actu, aut non bonum in actu, potest moueri per accidens: qaatenus ipsum non album non mouetur, sed subiectum quod est ens actu, & cuius est ista priuatio. Ideo subdit: *Erit enim vtique homo*

Quòd generatio non sit motus probat

Ens & non ens accipiuntur dupliciter

Non ens non potest moueri quia quod mouetur, est.

homo quod est non album: quod autem est non hoc, id est, *non simpliciter*, & in actu, accipiendo simpliciter secundùm substantiam, *nequaquam potest* scilicet moueri. Si autem hoc est supple *verum: & generationem*, supple esse motum, est supple *impossibile. Enim* pro quia, *non ens*, id est, materia quæ est subiectum generationis & non ens de se: sed est in potentia ad omne ens simpliciter: tale inquam non ens generatur, scilicet vt subiectum. Nam generatio denominat subiectum, sicut & motus: vt ostensum est 7. huius. Si igitur generatio esset motus, sequeretur quòd *non ens moueretur*: Et subdit. *Si enim & quàm maximè secundùm accidens generatur*: sed tamen *verum est dicere de simpliciter generato*, id est, de materia, quæ simpliciter generatur saltem subiectiuè: quia existit non ens. Hoc autem addit, quia dixerat quòd non ens, id est, materia generatur. Et quia posset forsan aliquis dicere, quòd non ens tale non generatur nisi per accidens, ideò dicit, quòd dato quòd sic esset; tamen de eo, quod *simpliciter generatur*, vt subiectum, *verum est dicere quòd est non ens*: quia materia non est ens modo prædicto: & per consequens subiectum generationis, quod est materia, impossibile est moueri. Et subdit: *Similiter autem, & quiescere*, quia non ens simpliciter sicut non mouetur, non quiescit: quia motus, & quies habent fieri circa idem. *Hæc igitur accidunt difficilia*, id est, inconuenientia esse: si supple generatio ponatur esse motus.

Subiectum generationis, scilicet materia generatur saltem subiectiuè.

Subiectum generationis est non ens.

Non ens non quiescit.

97

Esse & non esse duplex.

Notandum, quòd ista ratio quæ etiam ponitur 5. Physic. tex. com. 8. communiter exponitur à quibusdam. Est enim sic intelligenda quòd esse, vel non esse referatur ad subiectum, vt sit sensus: quod mouetur est, id est, subiectum motus est aliquod ens in actu perfecto, quantùm ad esse substantiale, & specificum: sed quod generatur non est: quia materia quæ est subiectum generationis non est ens perfectum, nec in actu specifico substantiali, cùm de se nullam habeat formam: sed est in potentia ad omnes, quantùm est de se; & ideò est non ens oppositum enti simpliciter, & in actu; & ideò generatio & motus videntur distingui penes subiectum modo prædicto. Deinde cùm dicit:

Differentia inter subiectum motus & generationis.

Et si omne quod mouetur, in loco: non ens autem non est in loco. Erit enim vtique alicubi.

Ponit secundam rationem, quæ talis est: Quod mouetur est in loco: quod generatur non est in loco; ergo generatio non est motus. Dicit ergo: quòd supple patet, quòd generatio non est motus, *si omne quod mouetur est in loco*: ex eo scilicet quia motus localis est primus: *non ens autem*, id est, materia, quæ est subiectum generationis, *non est in loco. Erit enim alicubi*, id est, quòd si materia esset in loco, esset in aliquo loco.

Notandum, quòd ista propositio, *Quod generatur non est in loco*: si intelligitur pro subiecto generationis, falsa videtur esse. Nam si ex aqua generatur ignis, materia aquæ quæ subiicitur generationi est in loco: sicut & ipsa aqua; cùm materia non sit separata à forma, nec à magnitudine: vt dicitur 1. de Generatione. Dicendum ergo, quòd sic est intelligenda, quòd subiectum generationis non est in loco per aliquod, quod subiicitur generationi, vel per illud, quod per generationem acquiritur: quia illa est sola substantia, quæ de se non habet, quòd sit in loco: licèt concomitetur subiectum generationis quantitas, & respectu eius sit in loco: vt arguitur. Non sic est de aliis mutationibus, quæ omnes videntur supponere aliquam quantitatem in subiecto ratione cuius illud, quod mouetur, est in loco: & pro tanto dicitur non esse in loco, quod generatur, vt subiectum. Deinde cùm dicit:

Qualiter intelligi debet, quod id quod generatur, nõ sit in loco.

Neque itaque corruptio, motus. Contrarium enim motui motus, aut quies: corruptio autem generationi.

98

Ostendit idem de corruptione, quòd scilicet corruptio non est motus per talem rationem: Si corruptio est motus; ergo, & generatio. Consequens est falsum, vt ostensum est; ergo & antecedens. Consequentia probatur: quia quicquid contrariatur motui, vel est motus, vel quies: sed generatio contrariatur corruptioni: si ergo corruptio est motus, generatio erit motus, vel quies: non quies, patet; ergo motus. Hanc rationem tangit breuiter dicens: quod *nec itaque corruptio est motus. Enim* pro quia: *contrarium motui est motus aut quies: corruptio autem est contraria generationi*: & tunc vt priùs. Deinde cùm dicit:

Quod corruptio non sit motus ostenditur.

Motui contrariantur duo.

Quoniam autem omnis motus permutatio quædam. Permutationes autem tres dictæ. Harum autem quæ secundùm generationem, & corruptionem non motum: hæ autem sunt, quæ secundùm contradictionem. Necesse autem eam, quæ ex subiecto in non subiectum mutationem esse solam. Subiecta autem, aut contraria, aut intermedia. Etenim priuatio ponitur contrarium: & monstratur affirmatione, puta nudum, & edentulum, & nigrum,

Concludit quasi per locum à diuisione, quòd tertia mutatio, quæ scilicet est à subiecto in subiectum habet propriè rationem motus, dicens, quòd *quoniam omnis motus est quædam permutatio: permutationes autem dicta sunt tres. Harum autem illa quæ est secundùm generationem*, & illa quæ est secundùm, *corruptionem, non sunt motus*: vt probatum est. *Hæc autem sunt secundùm contradictionem*, id est, inter terminos contradictorios. Quia inquam, *sic est necesse eam solam mutationem, quæ est ex subiecto in subiectum esse motum. Subiecta autem*, inter quæ supple est motus, *aut* supple *sunt contraria*; *aut* supple *intermedia.* Et addit: *etenim priuatio ponitur contrarium, & monstratur affirmatione: vt edentulum, & nigrum.* Vult dicere, quòd licèt priuatio non videatur esse contrarium: cùm tamen sic monstratur affirmatione sicut edentulum, & nigrum, reducitur ad contrarium; quia priuatio est prima contrarietas, ex 10. huius, text. com. 15. Et ideò inter talia, vt sunt secundùm nomen affirmatiuè accepta, & monstrata potest esse motus. Ex quo patet, quòd vt accipitur contrarietas prout se extendit ad opposita priuatiuè, omnis motus, & mutatio est aliquo modo inter contraria: nigrum autem dicitur priuatio albi non simpliciter, cùm dicat aliquam naturam positiuam: sed ex eo, quòd deficit à perfectione albi, nec ita perfectè participat naturam sui generis, puta coloris sicut album, vt prædictum est 10. huius.

Quod solùm à subiecto in subiectũ mutatio sit propriè motus, vel saltem appropriatè de quo benè cogita.

Al. affirmatiuè.

Quomodo omnis motus est inter contraria & quo modo nigrum est priuatio albi: & priuatiua contraria?

SVMMARIVM.

Tres tantùm esse motus species per se, probat non esse motum in *Ad aliquid*, seu relationem, nec in Actionem, aut Passionem. Hinc non habetur, ad relationem extrinsecus aduenientem, non esse motum seu mutationem, de quo vide Doct. 3. d. 1. q. 1. & 4. d. 6. q. 10. & d. 13. q. 1.

SI igitur Prædicamenta diuisa sunt, substantia, qualitate, loco, facere, aut pati, ad aliquid, quando: necesse tres esse motus, scilicet qualis, quanti, & loci.

99 *Tertia diuisio motus quæ est subdiuisio secũdũ quoad 4. membrum eius.*

Hìc, vt dicebatur, ponit Philosophus tertiam diuisionem motus, quæ est subdiuisio illius mutationis, quæ dicta est esse motus. Circa quod tria facit. Primò proponit intentum. Secundò adducit probationem intenti. Tertiò epilogat circa dicta. Secunda ibi: *Secundùm substantiam verò.* Tertia ibi; *Quoniam autem nec substantiæ.* Dicit ergo, quòd *si* pro quia: ergo *Prædicamenta sunt diuisa, substantia, qualitate, loco*, id est, vbi, *facere, aut pati: aut ad aliquid, & quando*, & sic de aliis Prædicamentis: *necesse est tres esse motus*, id est, tres species motus: *qualis*, id est, in Qualitate: *quanti*, id est, Quantitatis: *& loci*, id est, in Vbi. In his enim tribus generibus, & non in aliis potest esse motus. Deinde cùm dicit:

Species motus propriè sunt tres secũdum tria genera.

Secundùm substantiam autem non, propter nullum esse substantiæ contrarium.

Probat intentum. Circa quod tria facit. Primò probat quòd motus non est in Substantia. Secundò quòd non est in Ad aliquid. Tertiò quòd non est in Actione, & Passione. Secunda ibi: *Nec ad aliquid.* Tertia ibi: *Nec facientis.* In prima parte intendit talem rationem. Omnis motus est inter contraria, vel media: quæ etiam habent rationem contrarij: sed in substantia non est contrarietas, nec per consequens media contrariorum; ergo in substantia non est motus. Maior patet: quia motus, de quo nunc est sermo, est ex subiecto in subiectum, quæ sunt duo termini affirmatiui & contrarij. Et hoc est quod dicit, quòd *secundùm substantiam non est*, supple motus *propter nullum esse substantiæ contrarium.* Qualiter autem intelligendum est, quòd substantiæ nihil sit contrarium: & vtrùm aliquo modo possit attendi contrarietas in genere Substantiæ, dictum est in 10. huius in quadam quæstione. Quæratur ibi. Quare etiam negatur motus esse in substantia: & quomodo hoc intelligendum sit, dictum est in quæstione præcedenti. Deinde cùm dicit:

In substantiã non esse motum ostendit: sed vide 1. q. 8. huius Doct.

Substantiæ nihil est contrarium ad motum requisitum.

Neque ad aliquid: est enim altero nihil permutato verificari alterum nihil permutatum. Quare secundùm accidens motus ipsorum.

Probat quòd in Ad aliquid non est motus per se primò: sed per accidens, & intendit talem rationem: Illud in quo non fit motus, nisi facto motu in altero, in eo non est motus nisi per accidens: sicut & illud quod mouetur ad motum alterius, dicitur moueri per accidens: vt nauta ad motum nauis: sed relatio aut Ad aliquid est huiusmodi, ergo, &c. Minor patet, quia non fit de simili non simile, aut dissimile, vel èconuerso, nisi facta mutatione in aliquo extremo secundùm quid absolutũ, siue in altero correlatiuo. Exemplum: Socrates, & Plato sunt similes secundùm albedinem: corrupta albedine in vtroque, vel tantum in altero, fiunt ambo dissimiles, qui priùs erant similes. Hanc rationem tangit dicens, quòd *nec in ad aliquid*, supple est motus: *etenim* pro quia: *altero* correlatiuo *permutato contingit verificari*, id est, in veritate mutari *alterum*, vel permutari secundùm quid absolutum. *Quare secundùm accidens est motus ipsorum*, scilicet relatiuorum.

In Ad aliquid non esse per se motũ.

Al. in altero.

Al. veraciter, Excludit falsum motiuũ de identitate relationis accidentalis, & fundamenti. quare 1. d. 2. q. 5.

Notandum, quòd ex hoc loco sumunt aliqui argumentum, quòd relatio non distinguitur realiter à fundamento: quia si sic, compositius esset album simile, quàm album solum, quod videtur esse falsum, vt dicunt: cùm homo de non simili possit fieri similis, nulla mutatione facta in eo, sicut dicitur hìc in litera. Et ex hoc probatur, quòd quia in Ad aliquid non est motus, quòd relatio non distinguitur realiter à fundamento, de quo aliàs. Non cogit argumentum. a. Cùm enim dicitur, quòd tunc album simile esset compositius dico quòd verum est: quia habet in se actum, & potentiam: puta fundamentum, & relationem. Cum dicitur quòd non, quia in Ad aliquid non est motus, quia aliquis de nouo fit similis sine sui mutatione, dico quòd hoc est falsum. b. Vbi notandum, quòd mutari est aliter se habere nunc quam priùs; hoc autem potest esse dupliciter, vel ad se, vel ad alterum. Primo modo mutari est in formis absolutis. Secundo modo in relatiuis. Ad probationem dicendum, quòd ipse ponit quòd non est possibile aliquid se habere aliter ad alterum, nisi aliter se habeat ad se; & hæc est eius ratio: ideò dicit quòd in Ad aliquid non est per se primò motus. Solùm ergo hìc intendit ostendere in quibus Prædicamentis est motus per se primò, & in quibus non. Confirmatur, quia etiam vult quòd in substantia non est motus: & tamen nullo dubitante in substantia est mutatio; ergo ex intentione eius non habetur, nisi quòd in Ad aliquid non est motus, cum quo stat quòd ibi sit mutatio. Deinde cùm dicit:

100 Al. Sed siue relatio distinguitur à realiter fundamẽto, siue sit idem de quo aliàs argumẽtum, &c. absque quia & non.

a. *Album simile compositius, quàm albũ præcisè.*

b. *Mutari quid, & qualiter nunc ad se, nunc ad alterum esse contingit. Vide 13. q. quolibet.*

Neque facientis, & patientis vt mouentis, & moti: quia non est motus motus: neque generationis generatio, nec totaliter permutationis permutatio.

Probat quòd motus non est in Actione, & Passione. Circa quod duo facit. Primò proponit conclusionem. Secundò subdit conclusionis probationem. Secunda ibi: *Dupliciter enim.* Dicit ergo, quòd *nec facientis, & patientis*, id est, actionis, & passionis, *vt mouentis, & moti*, id est, quæ sunt idem quod mouens & motum, scilicet est motus: *quia*, scilicet ipsius, *motus non est motus, neque generationis generatio.* Igitur supple cùm actio, & passio sint vel motus, vel generatio, id est, mutatio; sequitur quod actionis, vel passionis non sit motus, vel mutatio.

In substantiã est mutatio, licèt non motus & similiter in Ad aliquid.

SVMMARIVM.

Motus non posse esse motum, neque vt subiecti, neque vt termini, alioquin dari

dari processum, & simul aliquid generari, & corrumpi.

Dupliciter enim contingit motus esse motum: aut vt subiecti, velut homo mouetur: quia ex albo in nigrum permutatur. Quare sic, & motus, aut calescit, aut infrigidatur, aut locum permutat, aut augetur: hoc autem impossibile. Non enim subiectorum aliquid permutatio.

Non esse permutationem permutationis.

Probat propositam conclusionem: & intendit talem rationem: Si permutationis sit permutatio: hoc habet esse dupliciter, vel vt subiecti, vel vt termini: sed neutrum est possibile, ergo nullo modo permutationis est permutatio, nec per consequens actionis: quia hîc loquitur de actione, vt videtur res acta quæ est idem realiter quod motus, & quod passio. Circa istam rationem sic procedit, quia Primò probat primam partem minoris. Secundò secundam. Secunda ibi: *Aut eo quòd alterum.* Dicit ergo, quòd *dupliciter contingit*, supple intelligere, *motus esse motum: aut vno modo*, scilicet vt dicimus, quòd *homo mouetur: quia permutatur ex albo in nigrum*, quare si sic, & motus, *aut calesit, aut infrigidatur, aut permutat locum aut augetur:* si supple dicatur quòd motus mouetur, *vt subiectum. Hoc autem est impossibile: quia permutatio non est aliquid de numero subiectorum*, quod scilicet possit subiici calori, aut frigori, & huiusmodi. Patet ergo quòd motus non est motus vt subiecti. Deinde cùm dicit:

Aut eo quòd alterum aliquod subiectum ex permutatione permutetur in aliam speciem, velut homo ex languore in sanitatem. Sed nec hoc possibile nisi secundùm accidens. Omnis enim motus ex alio in aliud est permutatio, & generatio, & corruptio eodem modo. Veruntamen quæ quidem ex oppositis, sic aut non sic, non motus. Simul igitur permutatur ex sanitate in ægritudinem, & ex hac ipsa permutatione in aliam. Palàm autem quia si languerit, permutatus erit in qualiacunque. Contingit enim quiescere, & adhuc in non contingentem semper, & illa ex aliquo in aliquid aliud erit. Quare opposita erit sanatio; sed per accidens, velut ex reminiscentia in obliuionem permutatur: quia cui existit id permutatur; quandoque quidem in sanitatem; quandoque autem in scientiam.

101
Cùm omne quod mutatur, aut vt subiectum, aut vt terminus dicatur mutari: Ostēdit quòd motus non mutatur primo modo nec secundo.
Licèt per accidens non tamen per se contingit mu-

Probat secundam partem minoris, scilicet quòd motus non possit esse motus vt termini: ita quòd aliquod subiectũ mutetur ab aliqua mutatione in aliam. Circa quod quatuor facit secundùm quatuor rationes quas adducit. Secunda ibi: *Adhuc autem in infinitum.* Tertia ibi: *Adhuc eiusdem.* Quarta ibi: *Adhuc oportet.* Prima ratio sic formari potest: Quia si sic, ergo aliquod simul mouetur ad opposita; consequens est falsum; ergo & antecedens. Istam rationem sic declarat dicens quòd *aut* supple alio modo potest intelligi, quòd motus sit motus, vt termini, *eo quòd alterum subiectum permutetur ex vna permutatione in aliam speciem* permutationis, *vt homo permutatur ex languore in sanitatem. Sed neque hoc est possibile, nisi secundùm accidens*, quod probat: quia *omnis motus est permutatio ex alio in aliud: & generatio, & corruptio eodem modo, veruntamen est*, supple differentia in terminis: quia mutatio, *quæ quidē est ex oppositis sic, aut non sic*, puta ex non esse ad esse: vel èconuerso, non est motus, sed supple generatio, & corruptio, quæ sunt inter terminos contradictorios: *motus autem non*, sed inter contrarios, vt prædictum est. *Si igitur*, supple sit aliqua permutatio de vna permutatione in aliam permutationem, *simul igitur permutatur ex sanitate in ægritudinem, & ex hac ipsa permutatione*, scilicet ex ægritudine, *in aliam*, scilicet permutationem. Ex quo infert, *palàm autem quia si languerit*, scilicet ex languore, *permutatus erit in qualiacumque*, id est, in quamcunque aliam; puta in dealbationem, vel denigrationem, id est, ex hoc quòd mutatur de sanitate in ægritudinem: ex hac permutatione poterit permutari in quamcunque aliam. Et subdit, *contingit enim quiescere*, aliquando, id est, in termino alicuius mutationis. Hoc autem quod prædictum est improbat, dicens, quòd *adhuc omnis*, supple mutatio *fit semper in non contingentem*, id est, in oppositum: sicut & omnis mutatio fit in oppositum: *& illa*, scilicet transmutatio in qua fit transitus, *erit ex aliquo in aliud, quare opposita sanatio*, id est, quòd de permutatione languoris fiet transitus in oppositam mutationem, quæ est sanatio. Ex quo sequitur quòd colligitur ex prædictis, quòd opposita permutatio fiat in quamcunque aliam: & quòd non fiat nisi in oppositã: quod includit repugnantiam manifestam. Ex quo sequitur vlterius, quòd dum aliquid mutatur in vnum oppositorum, simul mutetur in mutationem, quæ tendit in aliud oppositum: quod est impossibile, quia nunquam natura intendit simul opposita. Et subdit, *sed per accidens*, supple contingit aliquid mutari de vna permutatione in aliam: licèt non per se, vt aliquis, *permutatur ex reminiscentia in obliuionem, quia illud*, scilicet subiectum, *cui existit*, scilicet reminiscentia, vel quæcunque alia mutatio; quandoque quidem *permutatur in scientiam, quandoque autem in sanitatem, quandoque in obliuionem*: & sic de aliis: accidit enim quòd permutatione terminata alia succedit siue opposita, siue quæcunque contingens.

tari de vna mutatione in aliam, vel simul, vel successiuè.

Natura non intendit simul opposita.

102
Resolutio dicta rationis.

Notandum, istam rationem in hoc stare breuiter, quòd si permutationis est permutatio vt termini: ita quòd vna ad aliam terminetur: illa quæ succedit potest esse opposita: puta si aliquid mutetur à sanatione in ægrotationem: vel potest esse quæcunque contingens, quia si aliquid mouetur de sanitate in ægritudinem, potest succedere, vel quæcunque alia mutatio: puta dealbatio, vel infrigidatio, vel quæcunque alia mutatio: licèt omnis mutatio debeat esse ad oppositam. Si igitur aliquid mutatur de vna mutatione ad aliam oppositam: puta de sanatione in ægrotationem: sequitur quòd simul mouetur ad opposita, & per consequens quòd simul sanetur, & infirmetur. Nam vt patet ex 5. Phys. text. com. 4. & inde, mutatio denominatur à termino, & denominat subiectum. Vnde motus ad sanitatem dicitur sanatio: & subiectum quod sic sanatur dicitur sanari: similiter motus ad ægritudinem dicitur ægrotatio: & subiectum quod sic mouetur dicitur ægrotari. Si igitur aliquid simul mouetur de sanatione ad ægrotationem, poterit denominari ab vtraque mutatione: & dicitur simul ægrotari, & sanari: quod est

Mutatio denominatur à termino, & denominat subiectum.

omnino extra rationem. Per se ergo loquendo, vna mutatio non terminatur ad aliam; licèt hoc contingat per accidens: puta si terminata sanatione incipiat subiectum dealbari: sed hoc accidit sanationi, quia posito quòd non succederet dealbatio, nihilominus sanatio esset in se perfectè terminata. Deinde cùm dicit:

103

Adhuc in infinitum ibit, si erit permutationis permutatio, & generationis generatio. Necesse igitur, & priorem si posterior: puta si simplex generatio fiebat aliquando, & quòd fit fiebat. Quare nondum erat quod fiebat simpliciter: si aliquid fiens simpliciter, aut factum. Si itaque, & hoc fiebat aliquando, quare nondum erat tunc genitum. Quoniam autem infinitorum non erit primum: quare neque habitum; neque fieri igitur, neque moueri possibile est, neque permutari nullum.

Si generationis esset generatio nunquã terminaretur alicuius generatio nec esset aliquid genitum.

Ponit secundam rationem, quæ talis est: Quia si sic, ergo erit processus infinitus in mutationibus. Consequens est falsum; ergo & antecedens. Hanc rationem declarat dicens: *Adhuc autem in infinitum ibit*, supple iste processus permutationum. *Si permutatio erit permutationis, & generatio generationis*: quia tunc supple ad permutationem non perueniretur, nisi per aliam permutationem priorem; & ad illam per aliam priorem, & sic in infinitum. *Quare necesse est esse priorem si posterior sit.* Et hoc est quod subdit; *necesse est* igitur, & *priorem*, scilicet esse *si posterior sit. Puta* si ponatur, quòd *generatio simplex*, quæ est generatio in substantia, *fiebat aliquando*, ita quòd generationis sit quædam alia generatio, *& quod fit*, id est, ipsa generatio, vel ipsum fieri generationis simpliciter *fiebat*, scilicet antea. *Quare* sequitur quòd *nondum erat quod fiebat simpliciter*, id est, generatio simpliciter; sed supple erat secundùm quòd fiebat generatio ipsius generationis. Ideò dicit, quòd *nondum erat quod fiebat*, id est, generatio simpliciter, *sed aliquid fiens*, id est, quod fit, *simpliciter aut factum*, id est, quòd res non est dum fit, sed cùm facta est tunc primò est. *Si itaque, & hoc*, id est, generatio *aliquando fiebat: quare nondum erat tunc genitum*, id est, tunc quando fiebat, & generabatur: & sic in infinitum. *Quoniam autem infinitorum non est primum*, sequitur quòd non est *primum*, id est, prima generatio generationis. *Quare nec habitum*, hoc est posterius & consequenter se habens; ergo neque, *possibile est fieri, nec moueri, nec permutari nullum*: quod est euidenter falsum. Deinde cùm dicit:

Vbi est posterius, necesse est esse prius.

104

Adhuc eiusdem motus contrarium, & quies, & generatio, & corruptio. Quare quod fit cùm fiat: fiens tunc corrumpitur: neque enim confestim factum neque posterius. Esse enim oportet quod corrumpitur.

Ponit tertiam rationem, quæ talis est: Quia si sic, ergo simul dum aliquid generatur, corrumpitur; consequens est falsum: quia quod corrumpitur oportet esse: sed quod generatur non est, ergo antecedens est falsum ex quo sequitur. Hanc rationem declarat, dicens, quòd *adhuc eiusdem*, scilicet subiecti, & *motus*, contrarius, & *quies: & etiam generatio, & corruptio*, quæ sunt contraria. Nam opposita habent fieri circa idem. *Quare* si supple idem subiectum mutetur de generatione in corruptionem. Sequitur quòd *fit cùm fiat fiens*, id est, dum generatur, *tunc corrumpitur*; quod supple est impossibile: *enim* pro quia, *nec confestim factum*, id est, generatum, *nec posterius*, supple corrumpitur, id est, quod nihil fit vt statim corrumpatur: *enim* pro quia, *esse oportet quod corrumpitur*. Cuius ratio est, quia cùm corruptio sit mutatio de esse, ad non esse, oportet illud quod corrumpitur esse: & per consequens inter generationem, quæ est mutatio ad esse; & corruptionem, quæ est ad non esse, necesse est cadere quietem mediam inesse: & per consequens non erit mutatio de generatione in corruptionem, vt in terminum. Deinde cùm dicit:

Vide 8. Phys. t.c. 62. & inde.

Ad hæc, & in Quodli. q. 13. exponitur.

Impossibile est aliquod simul vel immediatè generari, & corrumpi.

Adhuc oportet materiam subesse ei quod fit, & permutatur: quæ igitur erit? Quemadmodum alterabile corpus, aut anima aliquid: sic aliquid quod fit motus, & generatio, & aliquid in quod mouentur. Oportet enim aliquid esse eum qui huius ex hoc in hoc motum non motum. Qualiter igitur? Neque enim erit disciplina disciplinationis: quare neque generatio generationis.

Ponit quartam rationem, dicens: quòd *adhuc oportet materiam subesse ei quod fit, & permutatur*, id est, permutari quod mouet: quia in omni mutatione oportet esse subiectũ quod mutatur. *Quæ igitur erit?* supple materia si generatio generetur? Quasi diceret quòd non est dare: & tamen oporteret dare aliquam talem materiam. *Quemadmodum enim est alterabile corpus, aut anima: aut aliquid*, huiusmodi quod est materia, & mobile: *sic* oporteret esse, *aliquid quod fit motus, & generatio*, quod est materia, & mobile: si motus esset ad motum, & generatio ad generationem: & tamen huiusmodi materiam non est assignare motui, & generationi. Iterùm in omni supple motu, & generatione oportet esse, *aliquid in quod mouentur*, & ad quod terminantur: quia omnis mutatio sicut habet subiectum, ita & habet terminum, id est, quòd *oportet esse aliquem*, terminum *eius*, quod mouetur, *& est motum ex hoc in hoc*: & illud quod terminat non est motum: quia terminus motus non mouetur. *Qualiter igitur*, supple hoc contingit? Quasi diceret, quòd est possibile esse. Ideò concludit: *Nec enim erit disciplina disciplinationis*, id est, quòd huius permutationis, quæ est disciplinatio non erit aliqua alia mutatio, quæ ad disciplinationem terminetur: quæ quasi sit disciplina disciplinationis. Quare sequitur, quòd *nec erit generatio generationis*.

In omni moto materiam esse oportet.

In omni motu esse terminum oportet.

Mutationis non est mutatio nec vt terminus, nec vt subiectum

Notandum, hanc rationem in hoc stare, quòd in omni mutatione oportet dare duo, scilicet subiectum & terminum: sed si generationis esset generatio, & mutationis mutatio, neutrum posset assignari, nec subiectum, nec terminus; ergo impossibile est, quod generationis sit generatio, vt termini; aut totaliter mutatio mutationis.

Resolutio rationis.

S V M M A R I V M.

Motum propriè dictum tantùm esse in quantum, Vbi, & quale; optimè Doctor refutata expositione D. Thomæ, exponit

quare

quare Philosophus non exclusit expressè motum à Quando, Situ, & Habitu, sicut ab aliis tribus Prædicamentis.

Quoniam autem neque substantiæ, neque eius, quod Ad aliquid, neque eius quod est facere, & pati: relinquitur secundùm quod quale, & quantum, & Vbi motum esse. Horum enim vnicuique contrarietas est. Dico enim quale non quod in substantia: etenim differentia quale: sed quod passiuum, secundùm quod dicitur pati, aut impassibile esse.

105 *Tantùm ad tria genera est motus.*

Epilogat circa dicta, dicens: *Quoniam autem,* supple non est motus, *neque substantiæ*, id est, in genere Substantiæ: *Nec eius quod est Ad aliquid,* id est, in relatione: *Nec eius quod est facere, aut pati*, id est, in Actione, & Passione; *Relinquitur,* motum esse, *secundùm quale*, quæ est alteratio. *Et secundùm quantum*, puta augmentatio, & diminutio: *Et secundùm Vbi:* puta motus localis. *Horum autem vnicuique contrarietas est*, id est, quòd in his tribus generibus reperitur contrarietas, quæ ad terminos motus requiritur. Et subdit: *Dico autem quale, non quod est substantia: etenim differentia*, supple substantialis dicitur quædam qualitas: sed dico, *quale quod est passiuum secundùm quod dicitur pati aut impassibile esse.*

Tantùm ad qualitates 3. speciei est motus.

Notandum, quòd qualitas dicitur vno modo de forma, siue differentia substantiali, vt patet 5. huius, tex.com.19. cap. de Qualitate. Quia igitur dixerat motum esse secundùm quale, ne credat aliquis, quòd intelligeret de qualitate substantiali, ideo hoc excludit, dicens se loqui de quali secundùm quòd aliquid dicitur *pati: vel impassibile esse*, id est, de qualitate tertiæ speciei, quæ est passio, vel passibilis qualitas: in qua solùm, strictè loquendo, est alteratio, vt probatur 7. Physic. tex. com.14. & inde.

Quare Philosophus omisit 3. vltima Prædicamenta. D. Thomas in princ. huius cap.

Notandum enim, quòd Philosophus videtur prætermisisse tria Prædicamenta, scilicet. Quando Situm, & Habitum, de quibus non est locutus: Vtrùm in eis sit motus, vel non: quare videtur insufficienter dixisse. Dicitur à quodam expositore, quòd Quando significat esse in tempore: tempus autem est numerus motus. Et ideo eiusdem rationis est non esse motum in Quando; & non esse motum in Actione, & Passione, quæ significant aliqualiter ipsum motum. Nam actio, & passio sumpta pro re acta est idem realiter, quod motus. Positio autem, vel Situs non addit supra *Vbi*, nisi ordinem partium determinatum: quia nihil aliud, nisi determinatam relationem partium ad inuicem. Habitus etiam importat habitudinem indumenti ad indutum, & sic videtur esse eiusdem rationis, quòd non sit motus in Situ, & Habitu, & quòd non sit motus in Ad aliquid. Sed ista expositio videtur deficere.

Impugnat expositionem D. Thomæ. Differt tempus à motu particulari & à Quando realiter. Positio duplex.

Tum primò, quia licèt Quando significet esse in tempore, & tempus sit numerus motus, qui est idem, quod actio: non sequitur, quòd si in actione non sit motus; ergo nec in Quando; quia Quando est aliquid distinctum realiter à tempore: sicut respectus ab absoluto, & est in alio Prædicamento. Tempus etiam est realiter distinctum ab istis motibus inferioribus quos mensurat. Non ergo valet: In vno distinctorum non est motus realiter; ergo nec in alio. Tum secundò, quia videtur impropriè loqui de Positione, quæ est Prædicamentum, & non distinguere inter positionem, quæ est differentia quantitatis, & quæ est Prædicamentum, de qua nunc quærimus, quæ dicit ordinem partium in loco, cuius oppositum iste dicit. Non etiam valet similitudo ad *Vbi*: quia reducitur contra ipsum. Nam si in *Vbi* est motus; ergo & in Situ, siue in Positione: cùm secundùm te non addit supra *Vbi* nisi determinatum ordinē partium. Tum tertiò, quia non videtur valere, quod, quia in Ad aliquid non est motus; ergo nec in Situ, nec Habitu, nisi plus addatur: cùm sint Prædicamenta realiter distincta.

Expositio propria.

Aliter ergo potest dici, & breuiter: quòd cùm illa tria genera, de quibus quæritur, sint formaliter quidam respectus: licèt non sint de genere Relationis: tamen intelliguntur per relationem de genere Relationis propter eandem rationem. Nam sicut in Ad aliquid negatur esse motus: quia ibi non est motus, primò ex eo, quòd nihil mutatur secundùm relationem, nisi facta priùs mutatione in aliquo absoluto: sic propter eandem rationem negatur esse motus in istis tribus generibus: nunquam enim fit mutatio in Quando, vel in Situ, vel in Habitu, nisi facto priùs motu, saltem locali: vel in cælo, quantum ad Quando: vel in partibus corporis, quantum ad Situm: vel in vestimento, vel indumento, quantum ad Habitum: & ideò in his tribus generibus non est motus primò, sicùt nec in Ad aliquid. Quia igitur eadem est ratio non esse motum primò in Ad aliquid, & in his tribus, suffecerat Philosopho, fortè causa breuitatis, ostendere, quòd in Ad aliquid non est motus primò: cùm eadem ratio posset ad quodlibet horum trium generum de quibus quæritur, applicari.

Nomine relationis intellexit Philosophus 3. vltima genera quo ad non terminare primo motum.

SVMMÆ QVARTÆ
CAP. IV.

Immobile quot dicatur modis.

SVMMARIVM.

Immobile duobus modis sumi. Explicatur quid sit esse simul loco, separari loco, tangi, continuari, contiguari, & alia quæ motum concernunt, de quibus 5. huius, & 3. & 5. Phys. Vide ibi cap. 11.

Tex.c.9. 106

Immobile autem quod totaliter impossibile moueri, & quod vix in tempore multo tardè incipiens, & quod natum quidem moueri: non potens autem quando natum est, & vbi, & vt, quod voco quiescere immobilium solùm: contrarium enim quies motui. Quare priuatio vtique erit susceptiui.

Immobile accipitur tripliciter.

Postquam Philosophus determinauit de motu Vbi, & locutus est de mobili: nunc determinat de opposito, scilicet de immobili. Et ponit tres modos. Vno modo dicitur, *Immobile quod totaliter impossibile est moueri*. Puta primum mouens, & omnes Intelligentiæ secundùm Philosophum, & hoc est immobile negatiuè. Alio modo *dicitur immobile, quod vix in multo tempore est tardè incipiens*, scilicet moueri. Puta aliquis magnus mons, qui

qui tardè,& difficulter moueretur. *Alio modo dicitur immobile illud, quod est natum quidem moueri, non potens autem* moueri *quando est natum, & vbi est natum, & vt*, id est, sicut natum est moueri, & hoc est immobile priuatiuè. Ideò subdit quòd *hoc solùm non quiescere de numero* immobilium; *enim* pro quia, *quies est contrarium motui*, scilicet priuatiuè. *Quare* supple quies erit vtique *priuatio motus susceptiui*, id est, in subiecto susceptiuo vtriusque: quia habitus & priuatio habent fieri circa idem. Tunc sequitur illa pars:

Simul autem secundùm locum quæcunque in vno loco primum. Et seorsum quæcunque in alio. Tangi autem, quorum vltima sunt simul. Intermedium autem, in quod natum est priùs peruenire, quod permutatur, quàm in quod vltimum permutatur secundùm naturam continuè permutans. Contrarium secundùm locum, & secundùm rectum plurimum distans. Consequenter autem est, quo post principium ente positione, aut specie, aut aliter qualiter determinato, nihil intermedium eorum, quæ in eodem genere, & cuius consequenter est, vt linea lineæ, aut vnitates vnitati, aut domus domo. Aliud autem nihil prohibet intermedium esse. Quod enim consequenter ens tangit. Quoniam omnis permutatio in oppositis: hæc autem contraria, & contradictio, cõtradictionis autẽ nullum intermedium. Palàm quod in contrariis intermedium. Continuum autem quod quidem habitum aliquid. Dico autem continuum cùm idem fuerit, & vnum vtriusque terminus quibus tangunt, & continent.

107 *Tangit 9. concomitantia motum localem.*

Vbi Philosophus exponit quædam concomitantia motum localem. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est. Secundò, concludit quædam corollaria ex prædictis. Secunda ibi: *Quare palàm.* In prima parte exponit nouem. Primum est: quid sit *simul esse secundùm locum*, dicens quòd *Simul autem secundum locum dicuntur quæcunque sunt in vno loco primo*, & proprio, & adæquato. Nam si aliqua sunt in vno loco, puta multi homines in vna domo: non propter hoc dicuntur esse simul secundùm locum. Secundum est: quid sit *seorsum* secundùm locum: dicens, quòd supple *Seorsum*, dicuntur *quæcunque sunt in alio loco* Tertium est: quid sit *tangi*, dicens, quòd *Tangi autem dicuntur quorum vltima sunt simul:* puta duo ligna, vel duo lapides, quorum superficies iunguntur mutuò. Quartum est: quid sit medium: dicens, quòd *Intermedium dicitur illud in quod* illud quod continuè *permutatur, priùs secundùm naturã est natum peruenire, quàm in vltimum in quod permutatur:* puta si sit motus continuus ab *A* in *C* priùs peruenit mobile in *B*, quàm in *C*, & ideò *B* est medium. Quintum est: quid est *contrarium secundùm locum:* dicens, quòd *Contrarium secundùm locum est, quod est plurimum distans secundum rectum*, id est, secundùm rectam lineam. Quia distantia recta non potest mensurari secundùm lineam curuam, quia inter duo puncta possunt signari infinitæ lineæ circulares, & dissimiles in magnitudine & paruitate: sed non potest signari nisi vna recta: mensuram autem oportet esse certã ex 10. huius, t.c.3. & inde. Sextum est: quid sit *consequenter* dicens, quòd *Cõsequenter autem est, quo post principium, ente positione, aut specie, aut aliter qualiter determinato*, id est, quòd *Consequenter* dicitur illud, quod est post aliquod primum principium, siue attendatur ordo secundùm positionem, siue secundùm speciem; sicut binarius est post vnitatem; siue quomodocunque aliter, *& nihil est intermedium eorum, quæ sunt in eodem genere cuius est consequenter*, id est, quòd nihil eiusdem generis sit medium inter illud, quod est consequenter se habens, *vt lineæ*, sunt supple consequenter alicui *lineæ*, aut *vnitates vnitati, aut domus domo: nihil autem prohibet esse intermedium aliud* alterius generis: puta si inter duas domos sit media arbor, vel asinus: nihilominus domus illæ se habebunt consequenter. Et subdit ad maiorem declarationem dicti, quòd illud, *quod est consequenter, est respectu alicuius consequenter: & etiam quod sit aliquid posterius:* non enim vnum est consequenter duorum: quia vnum non est posterius, sed prius quàm duo; *nec vna noua Luna est*, supple consequenter *secundæ:* cùm scilicet sit prior secunda. Septimum est: quid sit *habitum* dicens: quòd *Habitum autem*, dicitur *quodcunque ens consequenter tangit*, ita quod habitum addit tactum supra consequenter, vt si duo corpora sint ordinata, & tangant se inuicem. Octauum est: *quorum sit medium*, dicens: quòd *quoniam omnis permutatio est in oppositis.* Hæc autem opposita inter quæ est mutatio, aut *sunt contraria, aut contradictoria*, vt priùs dictum est: *contradictionis autem nullum est intermedium*, ex 10. huius, tex.com.15. Quare inquam sic est: *Palàm, quia in contrariis est intermedium tantum*, & hoc idem ostensum est 10. huius, tex.com.14. & inde, inter sola contraria esse medium: hoc autem inducit, quia dixerat quòd consequenter se habent, inter quæ non est medium, & ideò consequens erat ostendere inter quæ possit esse medium. Nonum est: quid sit *continuum*, dicens, quòd *Continuum autem est, quod quidem est aliquid habitum:* sed addit aliquid: ideò subdit: *Dico autem continuum cùm terminus vtriusque* eorum, scilicet quæ se tangunt *fuerit vnum & idem in quibus tangunt, & continent:* quia scilicet partes continui continentur, & tangunt se in aliquo termino communi: & eodem in quo copulantur, vt partes lineæ in puncto. Deinde cùm dicit:

Consequenter quid?

Habitum quid?

Quorum est medium.

Al. conueniens. Continuum quid?

Simul quid? *Seorsũ quid?* *Tangi quid?* *Mediũ quid?* *Contrarium secundum locum.*

108

Quare palàm quòd continuum in his sit, ex quibus vnum aliquid natum est fieri secundùm contactum.

Primum sequens. In quibus est continuum?

Concludit tria corollaria ex prædictis. Secundum ponitur ibi: *Et quia primum.* Tertium ibi: *Quare non est.* Dicit ergo, quòd *Palàm quòd continuum est in his ex quibus natum est fieri vnum secundùm contactum:* hoc patet ex prædictis: quia continuum requirit identitatem termini communis. Deinde cùm dicit:

Et quia primum quod consequenter, palàm. Quòd enim consequenter, non tangit: hoc autem consequenter. Et si continuum, tangit. Si autem tangit, nondum continuum. In quibus autem non est tactus, non est connascentia in his.

Ponit

2. Sequens

Ponit secundum corollarium, dicens, *quòd* supple *palàm* est etiam, quòd inter ista tria, *Consequenter, Contactum, & continuum, Primum est*, & communius est: *quod est consequenter.* Quod probat: quia *non enim* omne, *quod est consequenter, tangit:* sed èconuerso Omne quod tangit, est consequenter. Nam contacta oportet esse ordinata secundùm positionem, & nulli earum est medium. Ex quo patet, quod in plùs est *consequenter* quàm *tangi:* & similiter *tangi* est in plus quàm *continuũ.* Nam quæcunque sunt continua, tangunt se: sed non èconuerso. Ideò subdit, quòd, *& si est continuum, tangit. Si autem tangit, nondum est continuum.* Dicitur autem quòd si est continuum, oportet quòd tangat: quia quod est vnum, necesse est simul esse: nisi fortè in hoc, quod est *simul esse*, intelligas pluralitatem; tunc enim continuum non erit contactum: sed quatenus illud, quod est simul est vnum, eatenus omne continuum est tangens: sed non èconuerso. Ideò subdit: *In quibus autem non est actus, in his non est connascentia*, id est, naturalis coniunctio, quæ propriè est in continuis: & ideò *continuum* præsupponit *tangi.* Deinde cùm dicit:

Consequẽter est in plus quam tangẽs & hoc quam continuum.

Connascentia tantũ est in continuis.

Quare non est punctum huic vnitati idem. His quidem enim inest tangi: his autem non, sed ad consequenter. Et horum quidem intermedium aliquid, horum autem non.

109

3. Sequens

Ponit tertium corollarium, dicens: *Quare* supple patet ex prædictis: *quia punctum non est idem vnitati.* Quod probat dupliciter. Tum, quia secundùm puncta est contactus: non autem secundùm vnitates. Ideò dicit *enim* pro quia: *his quidem*, id est, punctis *inest tangi*, id est, conuenit tactus. *His autem*, id est, vnitatibus *non: sed ad consequenter.* Tum, quia inter duo puncta semper est medium, scilicet linea, vt probatur 6. Physic. sed inter duas vnitates non est necesse aliquid medium esse. Ideò dicit quòd *horum quidem*, scilicet punctorum est *aliquid intermedium: horum autem*, id est, vnitatum *non.* Hoc autem tertium corollarium inducit Philosophus contra Platonicos, qui dixerunt punctum, & vnitatem esse idem. Nam punctum secundùm eos non est aliud quàm vnitas positionem habens.

Probat contra Platonicos dupliciter differentiam puncti, & vnitatis.

Notandum, quòd omnia supradicta ab illo loco: *Est autem hoc quidem*, vsque huc, accepta sunt de tertio, & quinto Physic. & ideò quia Philosophus quasi incidenter, & recapitulatim ista hìc resumit, & sufficit cum Philosopho breuiter pertransisse: quia magis spectat ad librum Physicorum, vnde accepta sunt, istam materiã pertractare.

LIBER DVODECIMVS.

IN huius libri prima parte repetit, & recapitulat, quæ tradidit 1. huius de substantia, eiusque principiis. Primò proponit hanc scientiam præcipuè agere de substantia, & probat quatuor rationibus. De quo 7. huius à text. 4. Vide Doctorem ibi, q. 23. & 4. Prima Summa huius libri agit de substantia sensibili. Secunda de immobili. Tertia de vniuersi bonitate.

SVMMA PRIMA

De substantia sensibili.

CAP. I.

De substantia speculationẽ esse oportere ex antiquorum etiam opinionibus.

Tex. com. 1.

DE substantia quidem Theoria est. Nam substantiarum principiata, & causæ quæruntur.

Postquam Philosophus in 11. lib. recollegit quædam priùs determinata, quæ erant vtilia ad principale intentum. Nunc accedit, & prosequitur de intento, determinando de substantiis immaterialibus, quæ sunt principia entis inquantum ens. Circa quod duo facit. Quia primò recollegit quædam quæ dicta sunt de substãtia in præcedentibus libris. In secunda parte incipit determinare de substantia immobili. Secunda ibi: *Quoniam tres erant substantiæ.* Prima in duas. Primò præmittit quòd ad Metaphysicum pertinet determinare principia substantię. Secundò exequitur determinando de substantia. Secunda ibi: *Substantiæ verò tres sunt.* Prima in duas. Primò proponit intentam conclusionem. Secundò addit conclusionis probationem. Secunda ibi: *Etenim si totum.* Dicit ergo, quòd *Theoria*, id est, consideratio Aristotelis est quòd Metaphysicus agit principaliùs *de substantia*, vt de nobiliori parte sui subiecti primi, quod est ens: sicut etiam inter substantias principaliùs agit de substantiis immaterialibus: non obstante, quòd agat de omni ente. Et ideò subdit: *quod Principia, & causæ substantiarum*, scilicet sunt, quæ *quæruntur* in hac, scilicet scientia principaliter. Deinde cùm dicit:

1 Accedit ad principaliter intentum scilicet ad speculandum de substãtia immateriali, quędam de substantia in cõmuni præmittendo.

Etenim si totum quoddam omne, Substantia est prima pars. Et si eo quod est consequenter, & ita primum Substantia, deinde Qualitas, aut Quantitas.

Tex. com. 2.

Probat propositam conclusionem, & diuiditur in quatuor, secundùm quòd quadrupliciter probat intentum. Primò ex substantiæ primitate. Secundò ex eius principalitate, vel entitate. Tertiò ex eius separabilitate. Quartò ex antiquorũ auctoritate. Secunda ibi: *Simul autem.* Tertia ibi: *Amplius nihil.* Quarta ibi: *Testantur autem.* In prima parte intendit talem rationem: Substantia est primum ens, ergo ista scientia principaliter considerat de substantia

substantia. Consequentia patet : quia scientia considerans aliqua plura, principalius considerat de primo ad quod omnia alia ordinantur. Antecedens declaratur per simile: quia si vniuersitas entium esset quoddam totum, ipsa substantia esset prima pars: sicut dicimus, quòd cor est prima pars animalis. Vel si omnia entia sint ordinata secundùm quandam consequentiam: substantia est principalius in illo ordine. Sicut Dux in exercitu; & hoc est quod dicit, *Etenim* pro quia, *si omne*, id est, vniuersitas entium esset *quoddam totũ: ipsa substantia esset prima pars, & si eo quod consequenter*, id est, quod si etiam entia se habeant consequenter, & ordinatè, adhuc Substantia esset primum: deinde Qualitas, aut Quantitas.

Substantia potest poni primum entium dupliciter imaginando.

Notandum, quòd ista ratio procedit per simile in rebus sensibilibus, vbi reperitur ordo principalitatis dupliciter. Vno modo secundùm quòd partes habent ordinem in toto sicut cor dicitur prima pars animalis. Alio modo secundùm quòd aliqua se habent consequenter: licèt ex eis non fiat verè vnum totum, scilicet per tactum, puta exercitus, vbi Dux dicitur esse primum: vel vna acies dicitur prima, & alia secunda. Sic in vniuersitate entium Substantia est primum vtroque modo per similitudinem: dato quòd tota vniuersitas entium esset, vel sicut quoddam totum vnum, vel sicut quidam exercitus se habens consequenter. Deinde cùm dicit:

Ordo principalitatis in rebus sensibilibus est duplex.
Cor dicitur prima pars animalis.

T. com. 3.

Similiter autem nec entia nihil est simpliciter dicere hæc; sed qualitates, & motus. Aut & non album, & non rectum. Dicimus enim esse, & hoc puta est non album.

Ponit secundam rationẽ, quæ talis est: Scientia de ente principaliter considerat de eo, quod est ens simpliciter: sed Metaphysica est scientia de ente, & substantia est simpliciter ens, alia autem non dicuntur entia simpliciter, sed per attributionem ad substantiam; ergo Metaphysica principaliter considerat de substantia. Dicit ergo, quòd *similiter autem* cum dicta ratione est etiam ista ad probandum intentum: quia *hæc*, id est, alia à substantia, nec sunt entia *simpliciter*, vt est *dicere:* sed sunt *qualitates, & motus*. Et subdit quòd etiam *nõ albũ, & non rectum* supple dicuntur entia aliqualiter: *enim* pro quia, & hoc *dicimus esse: puta* quia aliquid *est non album*. Hoc autem ideò dicit ad hoc, vt non videatur mirum, quòd accidentia dicuntur entia, licèt non sint simpliciter. Cùm etiã priuationes, & negationes dicantur entia aliqualiter ratione subiecti, sed differenter: quia subiectum habet singulariter aliquod esse per ipsum accidens: sed per negationem, & priuationem ipsius esse singulariter ipsum subiectum magis deficit abesse.

2
Sola substantia est simpliciter ens alia verò aliqualiter.
Nedum accidentia sed negationes & priuationes sunt aliqualiter entia, sed aliter & aliter.
Al. quia subiectum licèt non habeat esse simpliciter, habet tamen aliquod esse per ipsũ accidẽs.

Notandum, quòd, vt dictum est 4. & 7. huius sæpiùs accidentia dicuntur entia, inquantum taliter entis, id est, substantiæ: non quia accidentia sint entia formaliter, & entia per se; tum, quia sũt causata à substantia; tum quia nõ possunt existere sine substantia per naturam; tum quia habent attributionem ad substantiam, vt ad primum. Vnde vel sint qualitates substantiæ, vel motus, vel aliquod huiusmodi: hoc etiam modo negationes, & priuationes habent attributionem ad substantiã, & pro tanto dicuntur aliqualiter esse, vt declaratum est 4. huius, t. c, 2. & inde. Nec oportet hîc ampliùs immorari. Deinde cùm dicit:

Al. simpliciter.
Quare accidentia dicũtur entia entis, & similiter negationes & priuationes.

Ampliùs nihil aliorum separabile.

Ponit tertiam rationem quæ est in hoc; quod substantia est per se existens. & separabilis ab aliis: accidentia autem non habent esse per se, nec possunt separari à substantia, & per consequens substantia est perfectius & nobilius ens: ex quo sequitur, quòd scientia de ente principalius de substantia debet considerare: & hoc est, quod dicit: quia *Amplius nihil aliorum*, scilicet à substantia *separabile* est; supple præter quàm substantia. Deinde cùm dicit:

Accidentia sunt inseparabilia secũdùm Philosophũ, 7. huius. T. c. 4. & 1. Phys. T. c. 19. T. c. 4.

Testãtur autẽ, & antiqui opere. Nã substãtiæ quærebant principia, & elementa, & causas.

Qui quidem nunc vniuersalia substantias magis ponunt: nam genera vniuersalia, quæ dicunt principia, & substantias esse magis propter Logicè inquirere. Qui verò antiquitùs particularia, vt ignem, & terram, sed non commune corpus.

Ponit quartam rationem, dicens, quòd *antiqui* Philosophi in suo *opere testantur* hoc. s. quòd principalis consideratio Philosophi est de substãtia. *Nam quærebant substantiæ principia, & elemẽta, & causas*, & non supple aliorum: sed hoc fecerunt differenter. Nam *qui quidem nunc*, id est, Philosophi moderni, puta Platonici, *ponunt vniuersalia magis esse substantias*, quàm supple particularia. *Nam genera* quæ sunt *vniuersalia dicunt esse principia, & substantias, magis* supple quàm particularia. *Propter Logicè inquirere*, id est, ex hoc quòd de rebus Logicè inquirebant, propter quod vniuersalia abstracta secundum rationem, putauerunt secundùm rem abstracta esse, & posuerunt ea substantias & principia rerum. *Qui verò antiquitùs particularia*, id est, quòd antiqui Philosophi posuerunt *particularia*, esse substantias, & principia rerum, *vt ignem*, Sicut Heraclitus: & *terram*, Sicut Empedocles & plures alij: *sed non commune corpus*, id est, sed non posuerunt aliquod vniuersale, vel commune esse principium: puta hoc commune, quod est corpus, vel aliquod aliud. Tunc sequitur illa pars:

Philosophi omnes de principiis substãtiarũ causis & elemẽtis causam habuerunt & non aliorũ licèt ea variè posuerint.

SVMMÆ PRIMÆ CAP. II.

Substantiarum triplex diuisio. Et an in omnibus sensibilibus sit eadem materia.

SVMMARIVM.

Tripliciter dari substantiam, sensibilem mobilem, sensibilem, immobilem & immaterialem. De quo lib. 7. huius t. 10. explicat substantiam mobilem, & eius occasione, naturam materiæ, quæ est in potentia ad terminum mutationis, & susceptiua contrariorum: de quo 7. huius text. 4.

SVbstantiæ verò tres sunt. Vna quidẽ sensibilis, cuius alia quidem sempiterna, alia corruptibilis, quã omnes confitẽtur, vt plantæ, & animalia. Sẽpiterna autem, cuius elementa necesse est accipere, siue vnum, siue multa. Alia verò immobilis. Hanc dicunt quidam esse separabilem. Hi quidẽ in in duo diuidentes. Alij in vnam naturam species ponentes, & Mathematica. Alij horum Mathematica solùm,

Tex. com. 5.

Ille

T. com. 6.

Illæ quidẽ naturales, cũ motu enim sunt. Et hæc alterius, si nullũ illis principiũ cõmune est.

Substantia triplex.

Vbi exequitur de intento determinãdo de substantia immobili. Circa quod duo facit. Primò præmittit quandam diuisionem de substantia. Secundò exequitur de partibus diuisionis. Secunda ibi: *Sensibiles verò.* Dicit ergo, quòd *Substantiæ verò sunt tres. Vna quidem sensibilis, cuius*, scilicet duæ sunt partes. *Alia quidẽ substantia est sempiterna*, vt sunt corpora cœlestia. *Alia est corruptibilis quam omnes confitentur*, vt sunt plãta, *& animalia.* Et subdit, quòd *Sempiterna autem*, puta cœlum est *cuius elementa*, id est, principia *necesse est* supple *accipere* in hoc libro, *Siue vnum sunt, siue multa.* Quid fiet inquirendo de substantiis separatis, quæ sunt tam prima mouentia; quàm etiam fines orbium cœlestium, vt dicetur infrà. Vtitur tamen impropriè nomine *elementi*, cùm elementum sit principium materiale, & intrinsecum, ex 5. huius, cap. de Elemento: tamen substantiæ immateriales, quæ hîc dicuntur elementa cœli, non sunt principia intrinseca, sed extrinseca cœli. Et subdit: *Alia verò* substantia, quæ est tertia, est *immobilis:* & hæc est insensibilis, de qua opinio. Vnde addit quòd *Hanc dicunt quidã esse separabilem*, scilicet à sensibilibus: quorum opinio bipartitur: quia *Hi quidem diuidentes*, qui diuidunt substantiam separabilem, ponentes eam *in duplici* genere. s. in Ideas, & Mathematica intermedia, vt dictum fuit 1. & 3. huius. *Alij ponentes species.* i. Ideas, *& Mathematicam vnam naturam*, non distinguentes inter eas, vt primi; & isti omnes fuerunt Platonici *Alij autem* de numero horum. s. Pythagorici *solũ Mathematica posuerunt*, & non supple Ideas. Et subdit quòd *Illa quidem substantia.* s. sensibilis, siue sit sẽpiterna, siue corruptibilis *est naturalis*, & per consequens de consideratione Physici. Cuius causam subdit: *Enim* pro quia, talis substantia est *cum motu:* Naturalis autẽ considerat de omni ente mobili: sed *hæc.* s. substantia immobilis & separabilis *est alterius.* i. de consideratione alterius scientiæ. Et hoc *si nullum principium cõmune est ipsis:* Quod dicit pro tanto, quia si substantiæ mobiles, & immobiles conueniant in aliquo communi, consideratio de vtraque pertinet ad aliquã scientiam, quæ considerat illud commune. Vnde Philosophia naturalis considerat de substantia mobili, & sensibili tantùm. Sed Metaphysica considerat de substantia tàm mobili, quàm immobili, inquãtum conueniunt in aliquo communi, quod est ens.

Elementum dupliciter accipi potest.

Triplex opin. antiquorum de substantia immobili.

De omni substantia considerat Metaph. sed tãtum de mobili physicus.

Notandum, sententiã huius partis stare in hoc, quòd substantia quædam est sensibilis, & mobilis. Quædam insensibilis, & immobilis. Sensibilis autem est duplex. Quædam sempiterna, vt cœlum. Quædam corruptibilis, vt ista inferiora: puta animalia, & plantæ. Et sic habentur tres substantiæ in genere. De separabili fuerũt duæ opiniones. Quia quædam diuiserunt eam in duo. s. in Ideas, & Mathematica, quæ ponebant media inter Ideas, & sensibilia. Quorum alij dixerunt ambo tam Ideas quàm Mathematica esse vnius naturæ. Alij verò sola Mathematica posuerunt, non diuidentes substantiam immobilem in duo. De substantia autem sẽsibili cõsiderat Philosophus naturalis, sed de immobili Philosophus primus: qui etiam considerat de vtraq; substantia, inquantum ad aliquod commune. s. ad ens reducitur vtraq;. Deinde cùm dicit:

Resolutio dictorũ de triplici substantia.

Sensibilis verò substantia mutabilis. Si autem mutatio est ex oppositis, & mediis, sed oppositis nõ omnibus. Non albũ enim vox, sed ex contrario. Necesse subesse quidem mutabile in contrarietatem. Non enim contraria transmutantur. Ampliùs hoc quidem manet, aliud verò contrarium nòn manet. Est igitur aliquid tertium præter contraria materia.

4 *Sermo de substantia sensibili.*

Exequitur de partibus diuisionis. Circa quod duo facit. Primò determinat de substantia sensibili, & mobili. Secundò de insensibili. Secũda ibi: *Sed quoniam tres erant substantiæ.* Prima in duas Primò determinat de principiis substantiæ sensibilis. Secundò inquirit de eorũ identitate. Vtrùm .s. sint eadem principia substãtiæ sensibilis, & aliorum entium. Secunda ibi: *Causæ autẽ, & principia.* Prima in duas. Primò agit de materia. Secundò de forma. Secunda ibi: *Tres verò sunt causæ.* Prima in duas. Primò de materia veritatem ostendit. Secundò ex dictis quandam dubitationẽ soluit. Secunda ibi: *Dubitabit autem vtique.* Prima in tres. Primò probat quod materia sit in rebus sensibilibus. Secundò ostendit quale ens sit. Tertiò quod diuersimodè in entibus existit. Secunda ibi: *Si itaque transmutationes.* Tertia ibi: *Omnia verò materiã habẽt.* Dicit ergo, quòd *Substãtia sensibilis est mutabilis:* vt iam dictum est: *si* pro quia, *omnis mutatio est ex oppositis, & mediis:* nõ autem ex *omnibus oppositis. Vox enim est non album*, & tamen cùm supple album dicitur fieri ex non albo, non fit ex voce, *sed ex contrario:* puta ex non albo, quod est nigrum, vel medium. Et hoc verum est in quacunque mutatione, siue in substantia, siue in accidente, loquendo de terminis concomitantibus mutationes, quæ sunt ipsæ formæ contrariæ, vel mediæ. Quia inquam sic est: *necesse est subesse quidem mutabile.* i. aliquid subiectum, quod possit mutari *in contrarietatem.* i. à contrario in contrariũ: quod patet dupliciter. Tum primò, quia *contraria non transmutantur* inuicem: albedo enim non fit nigredo: & ideò oportet esse aliquid tertium commune, quod transit de vno ad alterum, quod nec est album, nec est nigrũ. Tum secundò, quia *Amplius* in omni supple mutatione *hoc quidem manet commune.* s. subiectum, quod manet successiuè sub vtroque contrariorum. *Aliud verò contrariorum non manet.* s. quod est in termino à quo: quia illud corrũpitur. Concludit ergo, quod *Est igitur aliquod tertium præter contraria*, inter quæ fit mutatio, & illud est *materia.* Deinde cùm dicit:

Mutatio omnis est inter cõtraria, vel media.

Materia est ponenda necessariò subiectũ transmutationis transiens & manens.

Tex. com. 7.

Si itaque transmutationes sunt quatuor, aut secundùm quid, aut secundum quantitatem, aut secũdum qualitatem, aut vbi. Generatio quidem simpliciter, & corruptio secundùm hoc. Et augmentũ, & decrementum, quæ secundùm quantitatem. Alteratio autem quæ secundùm passionem. Latio autem quæ secundùm locum. In contrarietates vtique erunt eas, quæ secundùm vnumquodque transmutationes: necesse itaque transmutari materiam potentem ambo.

Quale ens sit materia ostendit.

Inquirit de materia quale ens sit. Circa quod tria facit. Primò ostendit, quòd materia est ens in potentia ad vtrunq; contrariorũ, & ad terminum mutationis. Secundò ex hoc soluit dubitationem antiquorum, negantium generationẽ rerum. Tertiò adaptat suæ positioni opinionem quorundam aliorum antiquorum affirmãtium generationem. Secunda ibi: *Quoniam autem duplex est.* Tertia ibi: *Et hoc est Anaxagoræ.* Dicit ergo, *Si* pro quia *itaque transmutationes sunt quatuor, aut secun-*

Transmutatio est quadruplex.

dùm quid, id est, secundùm Substantiam: *aut secundùm Qualitatem, aut secundùm Quantitatẽ, aut secundũ Vbi*, quod exponit. *Generatio quidem, & corruptio simplex*, id est, simpliciter est mutatio *secundùm hoc*, id est, secundùm substanriam, *Augmentum verò, & decrementum, quæ secundum Quantitatem. Alteratio, quæ secundùm Passionem*, Quæ est tertia species Qualitatis, in qua est propriè alteratio, vt probatur 7. Phys. t.c.14. & inde. *Latio autem*, id est, loci mutatio est *quæ secundùm locum*, id est, secundùm Vbi: quia inquam sic est omnes supple dictæ transmutationes *erunt vtique in eas contrarietates, quæ* sunt, *secundũ vnumquodque genus* in quo est mutatio: cùm omnis mutatio, vt dictum est, fit à contrario in contrarium. Ex quo infert, *Necesse est itaque materiam*, quæ scilicet ponitur tertium in mutatione transmutari, vt subiectum, *potentem ambo*, id est, quæ est in potentia ad vtrunque extremorum contrariorum. Et hoc verum est in omni mutatione tam substantiali, quàm accidentali: quia sicut corpus quod mouetur ab albo in nigrum, neutrum habet quãtùm est de se: sic materia quæ mutatur de forma substantiali in formam substantialem, nullam habet quantùm est de se: sed est in potentia subiectiua, quantùm est de se ad vtramque.

Materia est ens in potentia ad vtrunque extremorũ transmutationis.

S V M M A R I V M.

Soluit rationem antiquorum, negantium generationem, & adaptat suæ sententiæ opinionem Anaxagoræ, ponentis vnum chaos, in quo omnia sunt confusa; & Empedoclis, ponentis omnia esse mixta, & vnita per amicitiam, & generationes fieri per discordiam, de quibus actum est in primo huius.

T com.8.

Q*Voniam autem duplex est ens, transmutatur omne ex potentia ente in actu ens, vt puta ex potentia albo etiam actu album: similiter autem in augmento, & decremento, quare non solùm secundùm accidens contingit fieri ex non ente, sed ex ente fiunt omnia: potentia quidem ente, ex non ente verò actu.*

5

Soluit dubitationem antiquorum generationem negantium.

Ex dictis soluit dubitationem antiquorum, negantium generationem.

Ad cuius euidentiam sciendum, quòd aliqui antiqui negauerunt generationem, vt tactum fuit 4. huius, t.c.19. & inde, propter istam rationem: Quia si aliquid generatur, vel fit ex non ente, vel ex ente: non ex non ente: quia ex nihilo nihil fit: nec ex ente: quia tunc iam esset antequam fieret. Hanc autem rationem soluit per distinctionem, dicens, quòd *quoniam ens est duplex*, scilicet *ens in potentia, & ens in actu*: ideò omne quod transmutat: transmutatur ex *ente in potentia in ens in actu: vt puta ex albo in potentia, in album actu: similiter autem in augmento, & decremento. Quare non solum* supple in genere substantiæ contingit aliquid fieri *secundùm accidens ex non ente*, id est, ex priuatione, quæ est non ens: *sed omnia fiunt ex ente* scilicet materia: *potentia* quidem *ente, ex non ente verò actu.*

Notandum, quòd vt hîc innuitur, & habetur 1. Phys. aliquid fit ex aliquo dupliciter: vel sicut ex priuatione, vel sicut ex materia, & subiecto. Ex priuatione quidem fit per accidens: sed ex materia per se. Materia autem est ens in potentia subiectiua, & non est aliquod ens in actu, quantum est de se eorum, ad quæ est in potentia. Et propter hoc soluitur ratio negantium generationem. Cùm enim arguitur, quòd vel fit ex non ente, vel ex ente. Potest dari vtrunque isto modo, scilicet quòd fit ex ente in potentia, & ex non ente in actu: & tunc nihil mali sequitur. Deinde cùm dicit:

Fieri ex aliquo contingit dupliciter. Ens, & non duplex.

T. com.9.

Et hoc est Anaxagoræ vnũ. Dignius enim est, quàm simul omnia. Et Empedoclis mixtura, & Anaximandri, vel vt Democritus, aut nobis erant omnia potentia, actu verò minimè.

T.com.10.

Quare materiam habuerunt.

Adaptat suæ positioni opinionem quorundam aliorum, qui generationem affirmabant, de quà habitum est in primo. Dicit ergo, quòd *hoc*, scilicet materia, quæ est in potentia ad omnia *est* illud *vnum Anaxagoræ.* Anaxagoras enim posuit vnũ chaos confusum, in quo dixit omnia esse mixta à principio, & ex illo omnia generari per quandam segregationem. Et subdit quòd *Dignius est*, supple ponere materiam, in qua omnia sunt in potentia, *quàm ponere omnia simul*, scilicet in actu, vt videtur Anaxagoras posuisse. Iterum materia videtur esse ista *mixtura Empedoclis & Anaximandri*, qui posuerunt à principio omnia esse mixta per amicitiam, posteà generata per discordiam disgregantem. Iterùm *vt* ait *Democritus nobis*, quòd *omnia erant in potentia* priùs, *actu verò minime.* Quare materiam vtique erant tangentes: ita quòd omnes isti Philosophi aliqualiter tetigerunt naturam materiæ: licèt imperfectè, quatenus nesciuerunt distinguere inter potentiam, & actum, sicut Aristoteles, non enim oportet ponere illam mixturam, in qua omnes res existerent in actu propter generationem rerum saluandam: quia ad hoc sufficit materia, quæ est in potentia ad omnia, vt sic ex ea possint omnia generari.

Materia posita saluat generationem.

S V M M A R I V M.

Distinguit quodammodò materiam sublunarium, & cœlestium; non tamen hinc sequitur distingui specie; imò sunt eiusdem speciei, vt habet Doct. 2. d. 14. q. 1. & q. 15. de Anima. Vide 8. huius text. 12. explicat quomodo generatio fit ex non ente.

O*Mnia verò materiam habent quæcunque transmutantur, sed aliam: & sempiternorum quæcunque non generabilia, mobilia autem lationem: verùm non generabilem habent, sed vnde, & quo.*

Ostendit quòd materia diuersimodè in entibus existit, dicens, quòd *Omnia verò quæcunque transmutantur, habent materiam: sed aliam, & aliam:* quia scilicet ea quæ sunt trãsmutabilia secundùm substantiam habent materiã subiectam generationi, & corruptioni: quæ verò nõ sic, sed sunt mobilia secundũ locum, vt sunt sempiterna, non habẽt talem

6

Diuersa in diuersis materia reperitur.

Materia duplex.

talem materiam : ſed ſolam ſubiectam motui ideò ſubdit, quòd *quæcunque ſempiternorum* non ſunt *generabilia:*ſunt *autem mobilia latione,*id eſt, ſecundùm locum, *non habent* materiam *generabilem : ſed vnde,quo,* id eſt, habent materiam : quæ eſt in potentia ad terminos motus localis : qui ſunt *vbi,* à quo motus incipit, & *vbi* quò tendit, & ad quem terminatur. Qualiter autem intelligendum ſit ſempiterna habere materiam ſubiectam motui locali, dictum fuit 8. huius quæſt. de materia in cœlo : nec oportet pro nunc circa hoc amplius morari;quæratur ibi. Deinde cùm dicit:

T. com. 11.

Dubitabit autem aliquis,ex quali non ente eſt generatio? Tripliciter enim non ens. Si itaque eſt aliquid potentia. Attamen non ex quocumque,ſed alterum ex altero. Neque ſufficiens, quia ſimul res omnes. Differunt enim materia. Quoniam quare infinita facta ſunt, ſed non vnum? Intellectus enim vnus.

Quare ſi materia vna, illud factum eſt actu cuius materia erat potentia.

Soluit dubitationem ex dictis ortam.

Soluit quandam dubitationem ex prædictis, dicens : quòd *dubitabit vtique aliquis ex quali non ente eſt generatio.* Dictum eſt enim quòd generatio eſt tranſmutatio de non ente. *Tripliciter enim* dicitur *non ens:*& ideò meritò dubitatur ex quo non ente fiat generatio. Dicitur enim vno modo nō ens,quod omnino nō eſt, & ex tali non fit generatio : cùm ex nihilo nihil fiat per naturā. Alio modo dicitur non ens ipſa priuatio,quæ formaliter eſt pura negatio in ſubiecto ; & ex tali fit vtique generatio,ſed per accidens,quatenus fit per ſe ex materia, cui annexa eſt priuatio ad generationem neceſſariò requiſita. Alio modo dicitur non ens ipſa materia:quatenus de ſe eſt ens in potentia, non in actu ; & ex tali fit generatio per ſe. Et ideò ſubdit, *Si itaque* ſupple *eſt aliquid potentia*, id eſt, ſi aliquid non ens eſt ens in potentia : ex tali ſupple non ente fit generatio per ſe : *attamen non ex quocunque*, id eſt, quòd non propter hoc fit quodlibet ex quolibet : *ſed alterum ex altero.* Vnumquodque enim generabile habet determinatam materiam ex qua fit,loquendo de materia propinqua, & immediata, quicquid ſit de materia prima. Et ſubdit, quòd *Nec eſt ſufficiēs* dicere quòd *omnes res ſint ſimul,* vt ait Anaxagoras, qui poſuit omnia commixta à principio. Nam tres ſupple *differunt materia* ſecundùm quòd ſcilicet in diuerſis ſunt diuerſæ materiæ : *Quoniam quare facta ſunt infinita, & non vnum* tantùm ſi ſupple ſecundùm Anaxagoram vna eſſet materia omnium. *Enim* pro quia, *intellectus eſt vnus*, quem ſcilicet Anaxagoras ponebat agens. *Quare ſi materia eſt vna,*ſequitur quòd *illud factum actu ſit* ſupple vnum *cuius materia*, id eſt,ad quod materia *erat in potentia*,Dictum eſt, num. 8. huius t. c. 12. & circiter, quòd ſi agens ſit vnum, & materia vna : neceſſe eſt effectum eſſe vnum : tenendum eſt ergo, quod generatio fit ex non ente,quod eſt materia : non quidem ex quocunque, ſed determinatū ex materia determinata.

Non ens eſt triplex.

Ex non ente quod eſt priuatio,& materia fit generatio, ex primo per accidens, & ex alio per ſe.

Determinati materiati determinata eſt materia ſecunda.

7 Notandum, quòd dictum Ariſtotelis non eſt accipiendum ſimpliciter tāquam verum:non enim concludit niſi forſan contra Anaxagoram de quo hîc loquitur, qui ponebat vnam materiam, & vnum intellectum eſſe principia omnium rerum; & illum intellectum eſſe virtutis limitatæ in eo, quòd ponebat eum intelligere ad productionem materiā & non poſſe producere ipſam, ſed præſupponere. Nam ſecundùm veritatem quiuis intellectus primus eſt vnus : quia tamen eſt infinitæ virtutis, & habet pluralitatem, ſiue infinitatem idealium conceptionum,poteſt ex eadem materia, diuerſa producere, maximè cùm agat liberè contingenter in omni actione ad extra, ſicut veri Theologi proteſtantur.

Licèt contra Anaxagoram concludat ratio Philoſophi non tamen ſimpliciter niſi ex falſis ſuppoſitis.

SVMMÆ PRIMÆ
CAP. III.

Tria eſſe principia ſubſtantiarum ſenſibilium, & formas aliquas ſeparabiles eſſe à materia, & quaſdam non.

SVMMARIVM.

Dari tria principia ſubſtantiæ ſenſibilis, materiam, formam, & priuationem, & duo prima eſſe per ſe principia tertium per accidens. De quo 1. Phyſ. c. 7. Item ſolum compoſitum generari de quo vide Doctorem 7. huius q. 8. 9. & 10. Item formam ſemper induci quodammodò vniuocè, de quo 7. huius text. 30.

T. com. 12. Cap. 3.

TRes verò ſunt cauſæ, & tria principia. Duo quidem contrarietates. Cuius hoc quidem ratio, & ſpecies. Illud verò priuatio. Tertium verò materia.

Sermo de forma. Principia naturæ tria.

Poſtquam Philoſophus determinauit de materia : nunc determinat de forma. Circa quod duo facit. Primò præmittit vnam diuiſionem de rerum principiis. Secundò exequitur de altero principio, quod eſt forma. Secunda ibi : *Poſtea quia nec fit materia.* Dicit ergo, quòd *Tres ſunt cauſæ,& tria principia,*ſupple ſubſtantiæ ſenſibilis. *Duo quidem contrarietates*, id eſt,duo contraria. *Cuius hoc quidem eſt ratio* ; *& ſpecies*, id eſt, forma : *illud vero priuatio*,quæ habet aliquo modo rationem contrarij:vt eſt dictum 10. huius. t. c. 9. & 15. & circiter. *Tertium autem* eſt *ipſa materia* : quam neceſſe eſt ſupponi omni tranſmutationi, vt præoſtenſum eſt. Hæc autem tria principia naturæ ſic ſe habent, quòd duo ſunt principia per ſe,ſcilicet materia, & forma, quæ realiter inexiſtunt rei quam principiant, & cauſant : ſed priuatio eſt principium per accidens. Ex eo quia, ſcilicet quod non inexiſtit rei generatæ : licèt ſit ad generationem naturalem neceſſariò requiſita, & pro tanto dicitur principium per accidens. Deinde cùm dicit :

Priuatio cur dicatur principium per accidens.

Poſtea quod non fit materia nec ſpecies. Dico autem vltima. Omne namque tranſmutat aliquid,& ab aliquo,& in quid. A quo quidē primo mouente, cuius verò materia. In quo verò ſpecies. In infinitum ergo ſunt,ſi non ſolùm æs fit rotundum. Sed & ipſum rotundum, aut æs. Neceſſe eſt itaque ſtare.

8

Determinat de altero principio: quod est forma Circa quod duo facit. Primò determinat de forma secundùm se. Secundò in comparatione ad substantiam compositam. Secunda ibi: *Substantia autem tres sunt.* Prima in duas. Primò ostendit, quòd forma non fit per se, nec generatur. Secundò quòd semper inducitur vniuocè aliquo modo, Secunda ibi: *Postea quia quaque.* Dicit ergo, *quia postea* supple est sciendum, quòd *nec materia, nec species,* id est, forma *fit,* id est, generatur supple per se. *Dico autem vltima.* Quia intelligendum est de materia vltima, & forma similiter; quod dicit pro tanto, quia aliqua materia, puta subiectum alterationis, quæ est substantia composita, per se generatur. Et subdit rationem dicti, *Omne namque transmutat aliquid,* id est, quòd in omni transmutatione est aliquid à quo transmutatur, quod est ipsum mouens, & ex *aliquo,* id est, aliquid quod est subiectum transmutationis, quod est materia. *& in quid,* id est, aliquod in quod, vt in terminum, fit transmutatio, quod est forma, & hoc est quod subdit: *A quo quidē primo mouente, cuius verò materia, in quod verò species,* id est, forma. *Si* igitur *non solùm fit,* id est, generatur *as rotundum,* quod est compositum: *sed etiam* generatur *ipsum rotundum:* quod est forma, *aut as,* quod est materia, *ergo sunt in infinitum.* Quia cum omne, quòd generatur generetur ex materia, vt dictum est, si materia generetur, generabitur ex alia materia, & forma. Similiter si forma noua, quæ erit pars eius ad quam generatio terminabitur. Et tunc quæretur de illa materia ex qua, & de forma formæ ad quam generatio terminetur, & sic esset processus infinitus in materiis, & formis Ideò cōcludit, quòd *necesse est itaque stare,* id est, deuenire ad vltimam materiam, & formam, quæ vlterius non generantur. Et hæc est ratio eadem quæ posita est 7. huius cap. 5. text. com. 27. & circiter. Vtitur autem exemplo artificiali de ære rotundo tanquam notiori, vt per artificialia, naturalia intelligamus similiter se habere. Deinde cùm dicit:

Solum compositum per se generatur, non ergo materia prima, nec forma.

In omni trāsmutatione sunt tria necessaria.

Non proceditur in infinitum in materiis & formis.

T. com. 13.

Postea quia quacunque ex vniuoco fit substantia. Nam, & qua natura sunt substantiæ, & alia, aut enim arte, aut natura sunt, aut fortuna, aut casu. Ars igitur principium est in alio. Natura autem principium in ipso. Homo namque hominem generat; reliquæ verò causa horum priuationes.

9

Ostendit quòd forma semper inducitur vniuocè aliquo modo, dicens, quòd *Postea* supple est sciendum: *quia quaque,* id est, quæcunque *substantia fit ex vniuoco,* id est, ex agente simili secundùm formam: quod probat inductiuè. *Nam, & qua sunt natura substantia, & alia,* id est, quòd quæcunque substantia, siue naturalis, siue alia, fit supple ex vniuoco, id est, agente. Nam supple omnes substantiæ, *aut* fiunt *arte, aut natura, aut fortuna, aut casu.* Et subdit differentiam inter artem, & naturam: dicens, quòd *Ars igitur est principium* agendi extrinsecum, *& in alio. Natura autem est principium in ipso,* id est, principium intrinsecum motus, & quietis in eo in quo est. Et subdit: *Homo namque hominem generat,* & ideò patet quòd generatio naturalis est ex vniuoco. *Reliqua verò causa* puta casus, & fortuna sunt *priuationes* & defectus *horum,* scilicet artis, & naturæ. Nam sunt causæ per accidens, & reducuntur ad agens naturale, & ad artem siue à proposito, ex 2. Physicor. text. com. 50. & inde. Vnde fortuna est intellectus agens præter intentionem. Casus autem est natura agens præter intentionem Et ideò ea quæ fiunt à casu, & à fortuna, non oportet assimilari suis agentibus, respectu quorum dicuntur sic per accidens generare, cùm casus, & fortuna sint causæ per accidens, non per se.

Omnis forma inducitur quoquo modo vniuocè vel ab vniuoco.

Differentia artis & natura.

Fortuna & casus sūt priuationes causarum per se.

Fortuna & casus quidt

Aduertendum autem, quòd de arte non posuit exempla, quia est quasi per se manifestum, quomodo generatio artis est ab vniuoco. Nam ædificator per formam domus, quam habet in mente producit domum extrà: ita quòd ex domo sine materia fit domus in materia, vt dictum fuit septimo huius, text. com. 30. & circiter. Deinde cùm dicit:

Quomodo generatio artificialis fit ex vniuoco.

Substantia autem tres sunt. Materia quidem hoc aliquid substantia in apparere. Nam quæcunque sunt tactu & non connascentia materia, & subiectum. Natura verò hoc aliquid inquantum habitus quidam. Amplius tertia quæ est ex his singularis, vt Socrates, & Callias.

Determinat de forma in comparatione ad substantiam compositam. Circa quod duo facit. Primò ostendit circa hoc veritatem. Secundò excludit falsitatem. Secunda ibi: *Palàm itaque.* Prima in duas. Primò præmittit quandam diuisionem. Secundò accedit ad inquisitionem. Secunda ibi: *In quibusdam igitur.* Dicit ergo, quòd *substantia quidem tres sunt. Materia quidem hoc aliquid substantia in apparere,* id est, quòd substantia dicitur vno modo materia, quæ quantùm ad id quod apparet est substantia *hoc aliquid.* Nam primi Philosophi naturales solam materiā dixerunt esse substantiam, vt dictumest primo, & septimo huius. text. com. 11. & circiter. text. com. 8. Quarum rationem subdit: *Nam quacunque tactu, & non connascentia materia, & subiectum,* id est, quòd quia viderunt quòd artificialium, quæ fiunt per contactum, & non per vnionem naturalem tota substantia est materia sola: quia formæ artificialium sunt accidentia ex 8. huius, text. com. 12. ideò putauerunt similiter esse in rebus naturalibus. Ideò subdit: *Natura verò hoc aliquid,* id est, quòd alio modo dicitur substantia ipsa forma, quæ est natura rei, & *hoc aliquid, inquantum est habitus quidam. Amplius est tertia substantia, qua est ex his singularis,* id est, composita ex materia, & forma *vt Socrates, & Callias.*

Substantia triplex scilicet materia, & forma, & cōpositum.

Solam materiam antiqui arbitrati sunt esse substātiā rerum.

Artificialium tota substātia est sua materia.

S V M M A R I V M.

Formas artificiales non esse à materia separabiles; idem esse de formis naturalibus, seu materialibus. Verùm formam rationalem separabilem esse innuit, etsi aliis locis, satis dubius esse videatur, de quo vide Doctorem 4. d. 43 quæst. 2. §. *potest dici.*

IN

10

IN quibusdam igitur hoc nō est præter compositam substantiam, vt species domus: si non est ars. Nec est generatio, nec corruptio horum. Sed alio modo sunt, & non sunt, vt domus quæ sine materia, & sanitas, & omne quod secundùm artem. Sed siquidem in eis quæ sunt natura.

T.com.15.

Quapropter non malè Plato ait, quia species sunt quæcunque natura. Siquidem sunt species aliæ horum, vt ignis, caro, caput: omnia enim materia sunt, & eis quæ maximè sunt substantiæ vltima.

Accedit ad inquisitionē de forma. Circa quod duo facit. Primò proponit in quibus est dubium, & in quibus est certum de inseparabilitate formę à substantia composita. Secundò ostendit de illis in quibus est dubium: quod etiam ibi est impossibilis separatio. Secunda ibi: *Mouentes quidem.* Dicit ergo, quòd *In quibusdam igitur* est supple manifestum *hoc*, id est, formam *non esse præter substantiam compositam vt species*, id est, forma domus, & similiter intelligendum est de aliis artificialibus. Cuius ratio est, quia formæ artificialium sunt accidentia: accidens autem non est separabile à subiecto. Et subdit: *Si non ars*, id est, quòd hoc quod dictum est, est verum, nisi forma domus sumatur pro arte, quæ est in mente artificis: quia illa est præter materiam. Et addit quòd *Nec horum*, id est, formarum, neque artificialium, neque earum quæ sunt in mente artificis *est generatio, nec corruptio: sed alio modo sunt, & non sunt, vt domus quæ est sine materia, & sanitas, & omne quod est secundùm artem:* quia scilicet formæ non per se generantur, nec corrumpuntur: & hoc dicit de formis artificialibus, quæ sunt in mente artificis: quia illæ aliter habentur quàm per generationem, & corruptionem propriè dictam, puta per doctrinam, vel inuentionem. Et subdit: *Siquidem in eis quæ sunt natura*, id est, quòd si aliquæ formæ sint præter substantiam compositam, hoc erit verum de formis naturalibus, quę sunt substantia: *Quapropter non malè ait Plato: quia species*, id est. Ideæ *sunt* formæ *quæcunque* sunt *natura*, id est, per naturam. *Siquidem* supple secundùm eum *sunt species*, id est, formæ separatæ: *aliæ horum*, id est, sensibilium, *vt est ignis, caro, caput. Omnia enim hæc sunt materia* vltima eius substantiæ, *quæ maximè*, id est, *substantia* particularis compositæ, quæ maximè substantia dicitur. Vult ergo Philosophus, quòd de formis artificialibus est certum quod non sunt separatę: sed de naturalibus est dubium cùm Plato hoc dixerit. Deinde cùm dicit:

Formæ artificiales sunt à materia inseparabiles, non ita de naturalibus certitudo habetur.

Formæ artificiales in mēte non propriè generantur, nec corrumpuntur.

Substantia particularis est maximè substantia.

T.com.16.

Mouentes quidem igitur causæ, velut priùs factæ existentes. Quæ autem vt ratio, simul. Quando enim sanatur homo, etiam sanitas est, & figura æreæ sphæræ simul, & ærea sphæra.

T.com.17.

Si autem aliquid manet posterius perscrutandum est. In quibusdam enim nihil prohibet: vt si est anima tale; non omnis, sed intellectus. Omne namque impossibile forsan.

11

Ostendit quòd etiam formæ naturales non sunt separatæ, & hoc declarat dando differentiam inter causas formales, & efficientes dicens: quòd *Mouentes*, id est, efficientes *quidem igitur causæ velut priùs factæ existentes*, id est, præexistunt ipsi composito quod fit. Cuius ratio est: quia efficiens est causa motus, qui ad rem factam terminatur. *Quæ autem vt ratio*, id est, causa formalis *simul* supple est, & incipit supple esse cum ipsa re formata. *Quando enim homo sanatur tunc sanitas est, & figura æreæ sphæræ* & ipsa *sphæra ænea* supple *simul* sunt, & incipiunt esse. Ex quo patet, quòd formæ non sunt separatæ à substantiis compositis: quia si sic, essent sempiternæ, cùm earum non sit per se generatio, nec corruptio, vt dictum est: & per consequens præexisterent substantiis compositis, & formatis. *Perscrutandum est* tamen *si, & posterius aliquid manet*, id est, si aliqua forma manet corruptâ substantiâ compositâ. *In quibusdam enim nihil prohibet*, quòd scilicet remaneat, *vt si* dicatur, quòd *anima sit aliquod tale*, non tamen *omnis* anima, *sed intellectus*, id est, anima intellectiua. *Forsan namque est impossibile omne*, id est, quòd omnis anima maneat corrupto animato. Dicit autem *forsan*, quia non est præsentis negocij hoc perscrutari: sed fortè magis spectat ad librum de Anima.

Efficiens præcedit, sed forma simul est cum composito.

Vide 1.q.4.

Formæ naturales non sunt separabiles à materia præter animam intellectiuā, nisi fiat miraculum.

Vide 43. dist. 4.q.2.

Vide 49. d.4. & 44. dist. eiusdem & 16. d.2.

Notandum, quòd aliæ potentiæ animæ ab intellectu, & voluntate intellectiua sunt potentiæ organicæ: ita quòd quælibet talis dicit aliquod compositum ex virtute animæ, & aliqua parte corporis, quæ est eius organum: puta oculus in visu, & ideò separatâ animâ à corpore talis potentia organica non manet, nisi fortè in radice, & quātùm ad id quod se tenet ex parte animæ, cùm ipsa anima sit incorruptibilis, cui talis potentia est esse essentialiter idem. Et hoc intelligo de potentiis organicis animæ rationalis: quia in aliis, puta in brutis, & plantis totaliter anima est corruptibilis, & quantùm ad essentiam, & quantùm ad operationem composito corrupto. Solus ergo intellectus, comprehendendo etiam voluntatem, remanet homine corrupto.

Notandum etiam quòd opinio Philosophi, quę hîc innuitur, videtur satis accedere ad veritatem fidei Christianæ. Nam scientia eius videtur esse, quòd anima intellectiua non sit corpus: vt Plato dicitur posuisse: & hoc quidem verum est, quia anima creando infunditur à Deo, & infundendo creatur: nec etiam corrumpitur corrupto homine, vt quidam antiqui posuerunt, putantes idem esse intellectum & sensum. Philosophus enim non distinguit animam intellectiuam ab aliis formis, quantùm ad hoc, quia formæ non præexistunt composito: sed quia non manent corrupto composito: quod nō est verum de anima intellectiua. Vnum ex his videtur posse colligi quòd opinio Commentatoris de intellectu agente, vel possibili, quem ponit separatum, non consonat cum opinione Aristotelis quia tunc ille intellectus cùm ponatur ab ipso esse incorruptibilis, sicut remanet corrupto homine: ita etiam præexistere homini: & tunc si talis intellectus ponatur forma hominis, erit idem cum opinione ponente Ideas esse formas sensibilium: quam opinionem Philosophus excludit. Si verò non ponatur esse forma hominis, hoc videtur esse extra rationem. De quo aliàs: quia magis pertinet ad librum de Anima istam materiam pertractare. Deinde cùm dicit:

12

Anima intellectiua secundū Arist. est forma hominis & immortalis.

Vide 17. d. 2.

Cōtra Comment. 3. de anima c.5.

Palàm itaque quòd non oportet propter hoc esse Ideas. Homo enim hominem generat. Qui verò singularis singulariter aliquem. Similiter autem, & in artibus. Medicinalis enim ars ratio sanitatis est.

Idea non sunt necessaria ad generationem nec naturalẽ neque artificialem.

Excludit quandam falsitatem. Dicebant enim Platonici esse necessarium ponere Ideas, vt substantiæ sensibiles fierent ad similitudinem, & exemplar Idearum:quod excludit: dicens:*palàm itaque quia non oportet propter hoc esse Ideas:*quia supple causa particularis sufficit. Nam agens siue naturale,siue artificiale, generat sibi simile. Ideò subdit: quòd *homo generat hominem* non supple homo vniuersalis generat supple hominem singularem:*sed qui singularis aliquem,* scilicet singularem: *& ideò singulariter.* Propter hoc non oportet ponere hominem vniuersalem. Et subdit: quòd *similiter autem, & in artibus: medicinalis enim ars,*id est, ipsa sanitas existens in mente artificis secundùm esse cognitum,*est* quædam *ratio,* id est, quædam Idea, vel similitudo *sanitatis:* quæ scilicet extrà generatur:hoc idem etiam fuit in 7. declaratum, text.com.30. & circiter.

SVMMÆ PRIMÆ.

CAP. IV.

Non esse eadem ptincipia substantiæ, & aliorum & quæ principia eadem omnium, & quot?

SVMMARIVM.

Arguitur dupliciter, non esse eadem principia substantiæ,& aliarum omnium. Resoluit esse eadem; quod in sequentibus explicat.

13
T.com.19.

Causæ autem, & principia, alia aliorum sunt, vt est, aut vt non. Si quis dicat vniuersaliter, & secundùm proportionem eadem omnium.

Postquam Philosophus determinauit de principiis substantiæ sensibilis:nunc inquirit de identitate principiorum: vtrùm, scilicet sint eadem principia substantiæ sensibilis,& aliorum entium, an non: quia si sic,assignatis principiis substantiæ sensibilis, assignata erunt principia omnium entium aliorum. Circa quod tria facit. Primò proponit veritatem. Secundò eam pertractat, & declarat. Tertiò epilogat circa dicta. Secunda ibi: *Dubitabit autem vtique.* Tertia ibi: *Quærere verò,quæ principia.*Dicit ergo, quòd *causæ autem, & principia sunt alia aliorum:*est quidem *vt est: est autem vt non:vt si quis dicat vniuersaliter, & secundùm proportionem omnium eadem.* Vult dicere, quòd aliorum sunt alia principia, & causæ simpliciter loquendo. Tamen loquendo vniuersaliter; & secundùm proportionem sunt quodammodò eadem omnium, vt dicetur. Deinde cùm dicit:

Principia entium qualiter alia & eadem.

Dubitabit autem vtique aliquis vtrùm altera, aut eadem sint principia, & elementa substantiarum,& eorum quæ sunt ad aliquid, & cuiuslibet Categoriarum similiter

Al. quæstionis veritatẽ, An omnium Prædicamentorũ sint eadẽ vel altera principia.

Exequitur pertractando, & declarando veritatem propositam. Circa quod tria facit. Primò proponit vnam quæstionem. Secundò arguit quæstionem. Tertiò exponit veritatis solutionem.Secunda ibi: *Sed inconueniens si eadem,* Tertia ibi: *Aut vt dicimus.* Dicit ergo, quòd *dubitabit autem vtique aliquis vtrùm principia, & elementa sint eadem:aut altera substantiarum, & eorum quæ sunt ad aliquid, & similiter cuiuslibet Categoriarum,* id est, aliorum Prædicamentorum.

Notandum, quòd vt dicitur ideò specialem mentionem fecit de Ad aliquid: quia relatiua videntur esse magis remota à substantia quàm alia Prædicamenta: quatenus habent esse debilius,nec vt plurimùm inhærent substantiæ nisi mediantibus aliis generibus. Puta æquale, & inæquale, mediante Quantitate: & simile,& dissimile, mediante Qualitate:actiuum, & passiuum mediante Actione,& Passione: similiter de multis aliis.Tamen non nego quin relatio possit fundari immediatè in substantia etiam in creaturis: paternitas enim fundatur immediatè in potentia generatiua patris, quæ est idem essentialiter cum anima, & per consequens est substantia: non enim potest fundari in actione generatiua:quia transit, & non manet; & quod non est non potest aliquid fundare: similiter filiatio fundatur immediatè in potentia passiua generandi in filio. Deinde cùm dicit:

Vbi fundatur relatio paternitatis? Quod non est non potest esse ratio fundandi.

Sed inconueniens si eadem omnium. Ex eisdem enim erunt, quæ ad aliquid & substantia. Quomodo igitur hoc erit:nam extra Substantiam, & alia Prædicamenta nihil est commune. Prius autem est elementum, quàm quorum est elementum. At verò neque substantia elementum est horum,quæ Ad aliquid, nec horum aliquid substantiæ.

14
Probat non eadem esse principia omnium Categoriarum.

Arguit ad quæstionem, probans partem negatiuam per duas rationes. Secunda ponitur ibi: *Amplius quomodo contingit.* Dicit ergo: *Sed inconueniens est si eadem,* supple principia sint *omnium,enim* pro quia: tunc *ex eisdem* scilicet principiis, *erunt quæ Ad aliquid,* id est, relatiua, & ens *substantia:quomodo igitur hoc erit.* Quasi diceret quòd non videtur. *Nam nihil esse commune extra Substantiam, & alia Prædicamenta: prius autem est elementum quàm quorum est elementum.* Ergo supple eadem principia talia non possunt poni extra Substantiam, & alia Prædicamenta: quia tunc esset aliquid prius, & communis Prædicamentis. *At verò nec substantia est elementum eorum,quæ sunt Ad aliquid: nec horum* quæ sunt ad *aliquid* sunt, scilicet elementum *substantiæ.* Ideò supple illa principia eadem non possent poni in aliquo genere determinato.

Resolutio rationis.

Notandum, istam rationem in hoc stare;quòd si sunt eadem principia substantiæ,& aliorum,aut erunt extra genus, aut in aliquo genere, puta in genere Substantiæ, aut aliquo alio. Non potest esse primo modo, quia cùm principium sit prius principiato:tunc aliquid esset prius Prædicamentis: puta illa principia, quæ ponuntur eadem, & extra

Hinc argumentum cōtra entis vniuocationē, sed tu dic cōsequenter.

extra genus;& per consequens aliquid esset prius Prædicamētis:quia illud quod est prius reperitur quandoque cōmunius, vt animal homine,& hoc maximè sequitur secūdùm Platonicos,qui vniuersalia ponunt principia:nihil autem videtur communius Prædicamentis. Nec potest esse secundo modo, quia principia videntur esse homogenea cum principiatis: sed impossibile videtur, quòd Substantia sit principium eorum, quæ sunt Ad aliquid,aut èconuerso;& similiter est de aliis generibus. Deinde cùm dicit:

T.com.20.

Ampliùs quomodo contingit esse elementa omnium eadem? Nullum enim possibile esse elementorum cum ex elementis composito idem. Vt ei quod est Ba, B, aut A.

T. com. 21.

Nec etiam intellectualium elementorum, vt vnum aut ens. Insunt enim ea singulis compositorum;nihil igitur erit eorum,nec Substantia, nec Ad aliquid; sed necessarium est principia propinqua esse diuersa.

T. com. 22.

Non sunt igitur omnium eadem elementa.

Ponit secundam rationem, quæ stat in hoc: Principia, siue elementa, differunt à principiatis, vt ostensum est 7. huius, cap. vltimo t.c.60. hoc idem hîc reperitur: Si ergo eadem sunt elementa Substantiæ, & aliorum generum, sequitur quòd nullum elementū erit in aliquo genere, quod videtur impossibile:quia omne quod est,necesse est in aliquo genere esse:non ergo erunt eadem omnium principia. Dicit ergo, quia *ampliùs quomodo contingit omnium esse eadem elementa?* Quasi diceret,quòd non videtur:*nullum enim eorum elementorum est possibile esse idem cum composito* ex elementis:nihil enim est sui ipsius causa: aut elementum *vt ei*,scilicet syllabæ *quæ est Ba, est* elementum *B, aut A*, à quibus supple realiter distinguitur. Et subdit: quòd *nec etiam elementorū intellectualium*,id est, vniuersalium:*vt* sunt *vnum, aut ens*, sunt supple idem cum his, quæ ex eis componuntur. Hoc autem adducit, quia dictum suum fortè videretur falsum de vno, & de Ente: & quæ à Platone principia ponuntur: quatenus quodlibet principiatum est ens & vnum. Et subdit probationem dicti; *quia ea*, scilicet Ens, & Vnum *insunt singulis compositorum:*& tamen supple nullum compositum ex eis inest aliis: ex quo sequitur quod differant abinuicem. Concludit ergo quòd *nihil* igitur eorum,id est,elementorum, *erit nec Substantia, nec Ad aliquid:* & similiter nec in aliquo genere:sed hoc est impossibile,cùm *necessarium est*, scilicet quòd omne, quod fit, sit in aliquo genere: *non igitur omnium sunt eadem principia.* Deinde cùm dicit:

Differt principiū à principiato realiter.

Al. sed necessariū est principia propinqua esse diuersa nō igitur &c.

16

Aut igitur dicimus est quidem vt est: est autem vt non,puta forsan sensibilium corporum vt quidem:species calidum,& alio modo frigidum priuatio. Materia verò quod potentia hoc primum secundùm se. Substantia verò; & hæc,& quæ ex his quorum sunt principia:hoc autem siquidem ex calido, & frigido fit vnum,vt caro,& os; alterum necesse est ab illis esse quod factum est. Horum igitur eadem elementa, & principia. Aliorum verò alia. Omnium autem ita quidem dicere non est,sed proportionaliter, quemadmodum si quis dicat quòd principia sunt tria, species, & priuatio, & materia, sed horum vnumquodque alterum circa genus vnumquodque vt in colore album, nigrum, superficies, in genere distinctionis temporum,vt tenebra, lumen,aër: Ex his autem dies, nox.

Al quæstionis veritatem.

Pertractat veritatē quæsiti.

Exponit veritatis solutionem. Circa quod duo facit. Primò declarat quomodo sunt eadem principia omnium secundùm proportionem.Secundò quomodo sunt eadem secundùm vniuersalitatem. Hæc enim duo fuerunt priùs proposita Secunda ibi: *Adhuc autem videre oportet.* Prima in duas. secundùm duos modos, quibus ostendit omnium proportionem. Secunda ibi: *Ampliùs autem alio modo.* Prima in duas. Primò ostendit quomodo sint eadem omnium secundùm proportionem. Secundò ostendit quomodo sint eadem omnium simpliciter. Secunda ibi: *Adhuc præter hæc.* Prima in duas. Primò ostendit propositum,quantùm ad causas, siue principia intrinseca. Secundò quantùm ad intrinseca,& extrinseca simul.Secunda ibi: *Quoniam autem non solum.*Dicit ergo,quòd *aut*,quod est nota solutionis,*est quidem vt dicimus vt est:est autem vt non.* Quòd scilicet sint eadem principia omnium: sic enim fuit dictum priùs: quod exponit dicens *puta forsan si* dicatur quòd principia *corporum sensibilium:vt quidem species*, id est, forma *sit calidum,& alio modo vt priuatio sit frigidum. Materia enim* sit supple id quod *secundùm se est in potentia primum* ad hæc quæ sunt calidum, & frigidum: materia enim est per se subiectum formæ, & priuationis. Dicit autem *forsan*, quia vsus est calido, & frigido, quæ sunt qualitates loco formę,& priuationis substantialis: non enim curat de exemplis:ideò addit:quòd *hæc verò,& quæ sunt ex his,quorum sunt principia,sunt substantia*, scilicet quòd tam hæc quæ dicuntur principia quàm principiata,*quæ* sint ex his,intelliguntur,quasi sint in genere Substantiæ. Puta si intelligatur componi ignis ex calido quasi ex forma,& ex propria materia;& aqua ex frigido,quasi ex priuatione,& ex materia propria. Et subdit: *Hoc autem siquidem ex calido, & frigido fit vnū, vt caro, aut os*, id est, quòd si etiam intelligatur aliquod vnum fieri ex calido, & frigido commixtis,vt caro,aut os:*necesse est quod factum est esse alterum ab illis*, scilicet principiis, puta calido, & frigido. Infert ergo quòd hæc igitur sunt *eadem elementa, & principia, aliorum verò* supple sunt *alia*,scilicet simpliciter. *Vnde omnium quidem dicere* quòd scilicet sint eadem principia simpliciter *non est* ita, *sed proportionaliter, quemadmodum si quis dicat*,quia, *sicut principia* supradicta,scilicet calidum,& frigidum,& materia *sunt tria*, scilicet *species,& forma,& priuatio, & materia:*ita etiam supple in quolibet alio genere sunt aliqua tria principia, quæ se habent vt forma priuatio, & materia: *sed horum vnumquodque est alterum circa vnumquodque genus, vt in coloribus album*, est supple sicut forma, *& nigrum* vt priuatio: *& superficies est* vt materia:& similiter *in tēpore aër* est supple materia: *tenebra* vt priuatio: *& lumen* vt forma. *Ex his autem tribus nox,& dies* constituitur, vt ex principiis. Est ergo sententia huius partis; quòd omnium sunt eadem principia proportionabiliter: & in quolibet genere est aliquid vt forma: aliud vt priuatio,aliud vt materia: sed non

Primus modus ponendi identitatem principiorum secundū proportionem & simpliciter. Principia intrinseca omnium generū sunt proportionabiliter eadem: simpliciter verò diuersa hoc dicit.

non sunt eadem simpliciter omnium quatenus in alio, & alio genere est alia, & alia forma: & similiter alia materia, & alia priuatio: patet in exemplis datis.

17 Excludit quorundam expositionẽ inferentium ex hoc textu accidentia habere materiam præter subiectũ eorum: quære in qu. 7. & 8. huius in Scot. notabiliter pro & contra de cõpositione accidentium & in 4. sent. & alibi vt ibi notaui.

Notandum, quòd ex hoc modo sumũt quidam argumentum, quòd accidens non sit verè forma simplex: sed forma composita ex materia, & forma. Cuius oppositum ostensum est 8. huius. Nam secundùm Aristotelem hîc, sicut illa quæ sũt in diuersis generibus, sunt simpliciter diuersa: ita & eorum principia propria sunt diuersa simpliciter, & proportionabiliter eadem, & hoc de materia, forma & priuatione, & etiam de mouente, vt dicetur: ergo forma, quæ est in genere accidentis, habet proprium potentiale principium componẽs ipsum, & non tantùm subiectum, & substantiam, vt videtur: quia tunc non viderentur principia generum ita esse alia, sicut sunt ipsa genera, scilicet cùm subiectum sit idem omnium accidentiũ. Respondeo quòd tenendo illud potentiale esse subiectum, & accidens esse formam simplicem intrinsecè, satis saluatur Philosophus per exempla quæ ponit, aër, tenebra, & lumen. Vnde exemplificat de subiecto pro materia. Et cùm dicitur, quod subiectum non est proprium potentiale, quia tunc principia non essent ita alia sicut principiata. Dicendum quòd Philosophus 3. Physic. t.c.9. distinguit inter æs inquantum æs, & inquãtum potentia statua: potentiale igitur in substantiis nullius alterius generis est aliquo modo: sed tantum generis substantiæ; licèt per reductionem: potentiale verò in genere accidentis, consideratum vt potentiale, & perfectibile, ibi est in illo genere per reductionem: quia tamen sine illa ratione perfectibilis est in se perfectum ens, scilicet substantia, ideò secundùm se consideratum ponitur in alio genere. Sic faciliter, & fortè ad propositum Aristotelis exponitur illud Prædicamentorum cap. de qualitate, ad finem. quod nihil prohibet in diuersis generibus numerari.

SVMMARIVM.

Numerando causas intrinsecas, & extrinsecas, docet quatuor esse principia eadem omnium, quæ reduci possunt ad tria; explicans primum modum quo sunt eadem simpliciter, loquendo de primis principiis.

T.com.23.

QVoniam autem non solùm quæ insunt causæ, sed eorum quæ extra, vtputa mouens, palàm quia alterum principium, & elementum: causæ verò ambo, & in hac diuiditur principium: quod verò aut mouens, aut sistens, principium est quoddã. Quare elemẽta secundùm analogiam tria. Causæ autem, & principia quatuor, aliud verò in alio, & prima causa. Quare mouens aliud alij, sanitas, infirmitas, corpus: mouens medicatiua. Species, inordinatio talis, lateres mouens ædificatoria. Et in ea diuiditur principium.

18 *Principia tã intrinseca,* *quàm extrinseca omnium generum sunt proportionabiliter eadem.*

Ostendit idem quòd priùs quantùm ad principia intrinseca, & extrinseca simul. Circa quod duo facit. Primò ostendit, quòd connumerando causas intrinsecas, & extrinsecas quatuor sunt principia eadem omnium. Secundò docet illa quatuor reducere ad tria. Secunda ibi: *Quoniam autem mouens.* Dicit ergo, quòd *quoniam non solum sunt causa rei, quæ insunt,* id est, intrinsecæ: *sed etiam eorum* quæ *sunt extra,* id est, causæ extrinsecæ, *vt puta mouens:* quia inquam sic est, *palàm quia alterum* est, id est, differunt *principium, & elementum: ambo verè* sunt *causæ:* & principium verò propriè dicitur causa extrinseca, quæ est mouens, à qua scilicet est principium motus: elementum verò est causa intrinseca propriè loquendo; ambo tamen dicuntur causæ. Et subdit: quòd *principium diuiditur in hac,* scilicet in causas intrinsecas, & extrinsecas. Ex quo patet, quòd in plus est principium, quàm elementum: quia omne, elementum est principium, & non èconuerso. Et subdit: *Quod verò est, aut mouens aut sistens,* i. faciens sistere, & quiescere *est quoddam principium,* sed non supple elementum; quia elementum est principium intrinsecum, ex quo res fit cùm insit, ex 5. huius cap. de Elemento, t.com.4. Concludit ergo, quòd *secundum analogiam,* id est, proportionẽ *tria sunt elementa omnium.* Puta materia, forma, & priuatio. Priuatio quidem dicitur elementum, non per se, sed per accidens, vt prædictum fuit. *Causa verò, & principia quatuor* addendo scilicet mouentem causam prædictis tribus elementis: *alia verò in alio, & prima causa.* Ex quo infert: *Quare mouens est aliud alij,* id est, quòd sicut tria elementa dicta sunt eadem omnium secundùm proportionem, diuersa tamen simpliciter; sic & ipsa causa mouens: quod declarat per exempla: quia supple in sanatiuis *sanitas* est vt forma; *infirmitas* vt priuatio; *corpus* vt materia: *mouens* ipsa ars *medicatiua.* Sed supple in ædificatiuis, *species* supple domus est forma, *inordinatio verò, talis,* quæ scilicet opponitur ordini ad domum requisito, est vt priuatio, *lateres* autem vt materia: *mouens* autem est ipsa ars *ædificatiua.* Et addit quòd *Principium diuiditur in ea,* id est, in quatuor prædicta. Patet ergo, quòd de omnibus causis est verum, quòd non sunt eadem simpliciter, sed secundùm proportionem. Deinde cùm dicit:

Principium, & elementũ differunt. Al. Nã principium propriè. *Principium in plus, quàm elementum. Elementum quid? Elementa 3. Principia, & causæ 4. & qualiter priuatio elementum.*

T.com.24. 19

Quoniam autem mouens in Physicis quidem homo: in his autem quæ à mente species, & contrarium. Modo quodam tres vtique erunt causæ. Sic autem quatuor: nam sanitas aliqualiter ars medicinalis; & domus species, ædificatoria. Et homo hominem generat.

Docet prædicta quatuor reducere ad tria ex hoc, scilicet quòd forma, & efficiens tam in naturalibus, quàm in artificialibus incidunt in idem specie: vt habetur 2. Phys. t.c.70. Dicit ergo, quòd *Quoniam in Physicis,* id est, in naturalibus, *mouens quidem est* vt *homo: in his autem quæ sunt mente,* id est, ab intellectu, & ab arte, mouens est supple *species* in mente artificis: *aut etiam contrarium* per cuius scilicet remotionem inducitur forma artis. Quia inquam sic est: sequitur quòd *Modo quodam erunt vtique tres causæ,* prout scilicet forma, & efficiens incidunt in idem specie. *Sic autem.* i. alio modo erũt *quatuor:* prout scilicet forma, & efficiens numero distinguuntur. *Nam*

Quomodo causæ tres, & quomodo quatuor declarat.

Idolum rei in mente artificis quo modo causat.

Nam sanitas aliqualiter est supple ipsa forma, siue *ars medicinalis*, *& species*, id est, forma *domus est* ipsa ars *ædificatoria*: accipiendo artem non pro habitu, sed pro forma rei artificialis in esse cognito, & obiectiuo, quæ est quædam similitudo formæ; quæ in materia inducitur. Et subdit, quòd *homo generat hominem*: ita quòd in naturalibus reperitur similitudo specifica formæ inter generans, & genitum. Deinde cùm dicit:

Adhuc præter hæc vt primum omnium idem mouens omnia.

T.com.25.

Quoniam autem sunt hæc quidem separabilia: illa autem inseparabilia illa substantiæ; & propter hoc omnium causæ hæc: quia sine substantiis non sunt passiones, & motus. Deinde hoc erit omnia anima forsan, & corpus; aut intellectus, & appetitus, & corpus.

Quod eadem sunt principia omnium generum simpliciter ostendit.

Ostendit qualiter sint eadē principia omnium simpliciter, & non solùm secundum proportionem; loquendo, scilicet de primis principiis, quæ sunt etiam eadem numero omnium entium: quod ostendit triplici via. Tum primò, quia causa mouens prima est eadem omnium: ideò dicit, quòd *adhuc autem*, id est, præter dictas causas est *vnum principium omnium, quod est mouens omnia*: quia (vt probatur 8. Phys. t. c. 45. & habetur infrà, text. com. 35. & inde.) in ordine mouentium est deuenire ad vnum primum mouens immobile, quod est idem omnium. Tum secundò, ex separabilitate, & primitate substantiæ. Nam quia substantia est prima, & est causa omnium entium, ideò principia substantiæ eadem sunt etiam principia omnium aliorum. Nam quod est causa causæ, etiam est causa causati: & hoc non solùm est verùm de prima causa efficiente, sed etiam de causis intrinsecis substantiæ. Nam materia cum forma est causa omnium entium, ex 1. Phys. t. c. 80. ideò dicit, quòd *Quoniam* supple entium *hæc quidem sunt separabilia*, puta substantiæ; *illa verò inseparabilia*, puta accidentia substantiæ: *& propter hoc*, scilicet principia substantiæ *sunt causæ omnium, quia sine substantiis non sunt passiones, & motus*: quæ scilicet accidunt substantiæ. Tum tertiò, quia in genere substantiæ est dare aliqua prima principia: puta corpora cœlestia, quæ secundùm eum sunt substantiæ viuentes, & animatæ, eo modo quo expositum est 8. huius. Ita quòd in genere substantię erunt principia prima anima, & corpus: vel etiam corpus, & intellectus, & desiderium. Nam anima cœli, eo modo quo ponitur animatum, non habet alias potentias animæ, præter intellectiuam, & desideratiuam: vt dicit Commentator, cap. 25. huius 12. Dicit ergo, quòd *Deinde hæc*, scilicet principia *omnium erunt anima forsan, & corpus: aut intellectus, & appetitus, & corpus*, modo præexposito.

Al. accidentium.

Vide 2. Cœl. c. 13 & lib. de substantia orbis.

20 *Intellectus & voluntas dũtaxat sunt in Intelligentiis.*

Notandum, quòd aliæ potentiæ animæ ab intellectu, & voluntate, puta sensus, non ponuntur esse in Intelligentia, quæ dicitur anima cœli, ex hoc, quia est motrix cœli, licèt non forma; quia non solùm deseruiunt ad scientiam, sed etiam ad necessitatem vitæ, vt dicitur lib. de Sensu, & Sensato, & tertio de Anima. t. c. 66. & inde. Et ideò sensus ordinantur ad conseruationem corruptibilium: propter quod substantia, & corpora incorruptibilia non egent potentiis sensitiuis.

SVMMARIVM.

Explicat alium modum quo principia sunt eadem omnium, proportione quadam; & secundùm vniuersalitatem.

T.com.26.

AMpliùs autem alio modo porportionaliter principia eadem, vt actus, & potentia, scilicet, & hæc alia quia aliis, & aliter. In quibusdam quidem enim quandoque est actu: quandoque potentia, vt vnum, aut caro, aut homo. Cadunt autem, & hæc in dictas causas. Actus quidem enim species si sit separabilis, & quod ex ambobus. Priuatio verò, vt tenebræ, aut laborans. Potentia autem materia. Hoc enim est, quod potest fieri ambo. Aliter autem actu, & potestate differunt, quorum non est eadem materia, quorum non est eadem species, sed altera. Quemadmodum hominis causa, elementa, ignis, & terra vt materia, & species propria, & si quid aliud extra, vt pater, & præter hoc Sol, & obliquus circulus. Neque materia etiam, neque species, neque priuatio, neque forma, sed mouentia.

Secundus modus ponendi identitatem principiorum secundùm proportionem.

Ponit secundum modum, quo sunt principia omnium eadem secundùm proportionem, dicens quòd *Ampliùs alio modo*, sunt *eadem principia omnium proportionabiliter, vt actus & potentia*: ita quòd actus, & potentia dicantur principia omnium. Sed est duplex differentia. Vna quidem, quia alia potentia, & alius actus sunt principia in diuersis. Ideò dicit: *Sed hæc alia qua aliis*. Secunda differentia est, quia *aliter* & aliter est actus & potentia in diuersis. Ideò dicit: quòd & *aliter*. Has autem duas differentias manifestat. Primò secundam, dicens, quòd *in quibusdam quidem idem quandoque est actu: quandoque in potentia vt vinum, aut caro, aut homo*: & similiter omnia alia generabilia, & corruptibilia. Alia verò supple sunt semper in actu: & substantiæ sempiternæ. Et subdit quomodo iste secundus modus quo dicuntur principia omnium proportionabiliter cadit aliqualiter in idem quòd primus modus, dicens quòd, *Hæc*, scilicet actus & potentia *cadunt in duas causas*, scilicet in materiam, & formam, & priuationem, & efficientem: *species*, id est, forma est *quidam actus*, esto quòd sit *separabilis* vt Platonici dixerunt, & *quod ex ambobus*, id est, quod etiam compositum ex materia, & forma, est etiam actus. *Priuatio verò, vt puta tenebræ aut laborans*, id est, infirmum est supple aliqualiter actus. Vnde etiam priuatio nominatur forma 2. Ph. t. c. 79. & circiter, sed nõ expresse. Quod non est intelligendum simpliciter, sed secundùm quendā modum se habendi, quia denominat materiam saltem priuatiuè. *Materia autem est potentia: hæc enim.* s. materia *est quæ potest fieri ambo*, .i. sub forma, vel priuatione. cùm sit in potentia ad vtrũque. Patet igitur ex dictis quòd actus, & potentia incidunt in idem cum materia, & forma, & priuatione: & etiā quòd potentia, & actus in diuersis aliter & aliter reperiũtur. Secundò exponit primam differentiam, dicens, quòd *Aliter autem differunt actu, & potestate*, id est, potentia, & actus in diuersis *quorũ non est eadem materia*, &

Actus & potentia sunt principia omnium, sed aliter & aliter.

Al. cũ primo

Reducit hunc modum secũdum ad primum.

Forma compositum & priuatio sunt actus.

Principium & causæ hominis quæ & quot?

& quorum non est eadem species; *sed altera.* Materia autem & forma se habent vt actus,& potentia. *Quemadmodum hominis causa vt materia* sunt *elementa*,puta *ignis, & terra*; & huiusmodi. Sed supple causa vt forma est *species propria*, puta anima. Et causa supple sufficiens, & mouens *est si quid aliud extra*,id est, aliquod extrinsecum: *vt pater*, qui est causa efficiens & mouens propinqua. & præter hoc est efficiens remotum *Sol, & obliquus circulus*,,id est, Zodiacus sub quo Sol mouetur,& alij planetæ,quorum quilibet facit ad generationem suo modo. Et subdit quòd supple huiusmodi principia *neque* sunt entia vt *materia, neque species*,id est,forma, *neque priuatio*, neque aliquod *cõforme* eis:quia scilicet reducitur ad istas causas.vt sunt actus, & potentia: sed supple sunt principia *mouentia*,& per consequens in alio genere causæ: quamuis etiam principium mouens reducatur ad actum, vt dictum est. Et tunc supplendum quòd alia ab homine habent etiã aliam materiam,& aliam formam, & aliud efficiens: & ex hoc patet illa prima differentia. Patet etiam quòd secundùm hunc modum eadem sunt principia omnium,non simpliciter sed secundùm proportionem. Tunc sequitur illa pars:

T. com. 27. 21

Adhuc autem videre oportet: quod hoc quidem est vniuersaliter dicere, hoc autem non. Omnium enim prima principia, quod actu primum hoc,& aliud quod potentia. Illa quidem igitur quæ vniuersalia non sunt. Principium enim singularium singulare. Homo quidem hominis vniuersaliter,sed non est nullus. Verum Peleus Achillis: tui verò pater, & huius syllabæ BA,B,& A,siue totaliter,siue particulariter. Deinde iam quæ substantiarum: alia autem aliorum causæ, & elementa sicut dictum est, eorum quæ non in eodem genere colorum, & sonorum, & substantiarum, & quantitatis præterquam proportionaliter: & eorum quæ sunt in eadem specie diuersa non specie, sed quia singularium aliud tua materia, & species, & mouens & mea,vniuersali autem ratione eadem.

Quod omniũ sint eadem principia secundùm vniuersalitatem ostendit. Actus & potentia sunt principia vniuersalissima.

Vbi ostendit quòd sunt eadem principia omnium secundum vniuersalitatem: hoc enim fuit propositum superiùs. Dicit ergo, quòd *Adhuc oportet videre*:quia scilicet *hoc quidem* est principium *dicere*,id est,dicitur *vniuersaliter:hoc autem non*. Et subdit quòd *Omnium etiam prima principia*,supple dicta vniuersaliter, sunt hoc *quod actu primum:& aliud quod potentia*, id est, quòd actus & potentia sunt supple maximè prima principia vniuersalia omnium:quia maximè vniuersalia intelliguntur. Et subdit:*Illa quidem igitur quæ vniuersalia non sunt*, id est, quòd actus & potentia non sic debent intelligi vniuersalia principia omnium quasi sint per se existentia separata, vt Platonici dixerunt. Cuius causam subdit, quia *principium singularium est singulare*:sicut vniuersaliũ vniuersale. *Homo quidem* supple *vniuersalis est principium hominis* vniuersaliter; *sed non est nullus*,id est,quòd nullus est homo vniuersaliter subsistens: & ideò non est aliquod principium vniuersale hominis vniuersalis,sed singulare singula-

Vniuersale duplex.
Al. sed non vniuersalis scilicet homo subsistens.

In proœmio.

ris,& hoc realiter loquendo.Cùm omnes actus,& generationes sint circa singularia. Ex 1.huius, *vt Peleus*,est supple pater, siue principium *Achillis. Tui verò* causa est *pater* tuus:&.hoc B, particulare *huius* particularis *syllabæ* BA est supple principium,totaliter verò, id est, vniuersaliter B acceptum est principium huius BA *simpliciter*, id est, vniuersaliter accepti:vt scilicet *particularium* sint principia particularia, & vniuersalium vniuersalia. Et hoc modo potest dici quòd principia sumpta vniuersaliter sunt eadem omnium: & addit: *Deinde quod iam* supple principia, *quæ sunt substantiarum*,sunt supple vniuersaliter omnium:inquantum scilicet accidentia causantur à substantiis: vt dictum est. Et subdit,quòd *aliorum autem sunt alia causa,& elementa:sicut dictum est.Eorum* scilicet *quæ* non sunt in *eodem genere*; *puta colorum,& sonorum, & substantiarum, & quantitatis præterquam proportionabiliter.* Quia hoc modo sunt eadem omnium, vt dictum fuit. Et similiter *eorum quæ sunt eadem specie, quæ non sunt* scilicet *diuersa specie*, sed numero: quia sunt de numero singularium, sunt supple diuersa principia, non specie, sed numero. Puta *quia singularium aliud est tua materia,& species*, id est,forma, *& mouens*, & aliud *mea:vniuersali autem ratione* sunt *eadem*. Nam anima,& corpus vniuersaliter sunt materia, & forma hominis generaliter;sed huius hominis hæc anima, & hoc corpus. Hoc autem adducit, vel addit,quia sicut actus, & potentia vniuersaliter sunt principia omnium, ita oportet quòd secundùm quòd descendit communitas principiatorum, descendat etiam communitas principiorum:vt sicut eorum quæ sunt diuersa genera,puta colorum,sonorum,&c.sunt principia,& elementa diuersa genere;sic & eorum quæ sunt diuersa specie, sunt principia diuersa specie:& quæ numero, numero:licèt sint eadem omnium secundùm proportionem, modo prædicto. Iterùm vniuersalium sunt principia,& causæ vniuersales, & particularium particulares: vt dictum fuit etiam quinto huius,cap.de Causa,t.c.28. Deinde cùm dicit:

Vniuersalia vniuersalia & singularis singularia sũt principia.
Idẽ 2.Phys.c. 36. & 5.huius t. com. 3.

Ad communitatem & particularitatem & diuisionẽ principiatorũ consequuntur similiter principia simpliciter, licèt eadem sint omnium proportionabiliter.

Hinc argumentum contra S. Thom. de principio indiuiduationis.
Vide 3.d.1.& 2. q.Quodlib. sup. 7. huius q.13.

Quærere verò quæ principia, aut elementa substantiarum, & ad aliquid, & qualitatum, vtrùm eadem, aut diuersa,palàm:quia multipliciter dictorum sunt vniuscuiusque,diuersorum verò non eadem, sed altera præterquam sic: & sic omnium quidem eadem, aut eo quod proportionaliter, quia materia, species, priuatio,mouens.Et sic substantiarum causæ,vt causæ omnium,quia destruuntur destructis. Amplius quod primũ entelechia. Sic alicui altera prima quæcunque contraria, si quæ nec vt genera dicuntur, nec vt multipliciter dicuntur, & adhuc materia.

T. com. 29.

Quæ quidem principia sensibilium,& quot & quomodo eadẽ,& quomodo altera,dictũ est.

22

Epilogat circa dicta,dicens,quòd *Quærere quæ sunt principia, aut elementa substantiarum, & ad aliquid,& qualitatum*, *vtrùm* scilicet *sint eadem principia vel altera,palàm: quia multipliciter dictorum*,id est,quòd principia *sunt* multipliciter dicta *vniuscuiusque, ideo non sunt eadem sed altera diuersorum*,supple simpliciter, *præter quam sic*,id est,nisi aliquo modo,id est,secundùm proportionẽ

&

Eadem esse principia omnium contingit intelligere tripliciter.

& vniuersalitatem. Ideò subdit quòd *Omnium quidem sic sunt eadem* principia. Aut eo quòd *proportionabiliter: quia materia, species*, id est, forma, *priuatio, mouens*; & sic in quolibet genere reperitur proportionabiliter aliquid quod se habet vt materia; aliquid vt forma; aliud vt priuatio: aliud, vt mouens. Secundo modo etiam supple sunt eadem principia omnium: quia *causæ substantiarum sunt causæ omnium, quia destruuntur destructis*, scilicet substantiis. *Ampliùs*, tertio modo supple sunt eadem principia omnium *quod primum, & entelechia*, id est, actus, & potentia sunt tali modo principia: hoc enim triplici modo ostensum est omnium eadem esse principia. Et subdit quòd *sic autem*, id est, *alio* modo sunt *altera prima*, id est, principia: puta *quæcunque sunt contraria*, scilicet forma, & priuatio *quæ in* diuersis sunt alia, & alia simpliciter: quæ *nec dicuntur vt genera, nec vt materia*, id est, quòd forma, & priuatio cum ipsa materia non dicuntur vt genera, id est, vt vniuocè: & vno modo in omnibus, cùm in diuersis sint diuersa, simpliciter loquendo: *nec etiam dicuntur multipliciter sic* quod nullo modo conueniant: quia sunt eadem saltem proportionabiliter: vt prædictũ est. Vltimò concludit, *Quæ quidē igitur sunt principia sensibilium*, quantùm ad substantiam; *& quot* quantùm ad numerum, & *quomodo* sunt *eadem*, & *quomodo* sunt *altera: dictum est*, supple priùs.

Multipliciter dicuntur adhuc.

SVMMA SECVNDA

De substantia immobili.

CAP. I.

Dari substantiam aliquam immobilem, perpetuam sempérque actu existentem. Item actum priorem esse potentia.

SVMMARIVM.

Dari aliquam substantiam sempiternam. Ratio quâ probatur falsum assumit, scilicet motum & tempus non incepisse, & friuolè probat illam substantiam esse semper operantem; nempe quia alioquin motus non foret æternus. Eadem ratione falsâ probat illam substantiam esse actum, & immaterialem: quatuor illæ conclusiones positæ veræ sunt, sed falso nituntur, & erroneo fundamento.

QVoniam autem erant tres substantiæ: duæ quidem quæ Physicæ, & vna quæ immobilis, de hac dicendum est: quia necesse est, esse sempiternam aliquam substantiam immobilem.

Sermo de substantia immobili.

Postquam Philosophus determinauit de substantia mobili, & de substantia sensibili: nunc determinat de immobili. Circa quod duo facit. Primò inquirit, & probat illius substantiæ existentiam. Secundò describit eius præcellentiam, inquirens scilicet conditiones eius naturales. Secunda ibi: *Monet autem sicut appetibile*. Prima in tres. Primò probat aliquam substantiam esse sempiternam & immaterialem. Secundò mouet quandam quæstionem circa dicta. Tertiò ex determinatione illius regreditur ad confirmandum veritatem præostensam. Secunda ibi: *Quamuis dubitatio*. Tertia ibi: *Quare non fuit*. Prima in quatuor, secundùm quòd quatuor conclusiones probat de illa substantia ad eius existentiam pertinentes. Prima est, quòd illa substantia est sempiterna. Secunda est, quòd est semper actu operans. Tertia est, quòd est essentialiter actus. Quarta est, quòd est immaterialis. Secunda ibi: *At verò fierit*. Tertia ibi: *Adhuc nec si ageret*. Quarta ibi: *Ampliùs igitur & tales*. Dicit ergo, quòd *Quoniam tres erant substantiæ*, vt prædictum est: *duæ quidem Physicæ*, id est, naturales, & materiales: *Vna* quidem sempiterna, vt cælum: Alia vero corruptibilis, vt animalia, & plantæ: Et vna tertia, quæ est, *immobilis. De hac*, scilicet immobili *dicendum est: quia necesse est esse aliquam substantiam sempiternam, & immobilem*: hoc enim probabitur. Deinde cùm dicit:

Substantiam immobilem aliquam esse æternam.

23

Nam substantiæ primæ entium. Et si omnes corruptibiles, omnia corruptibilia. Sed impossibile motum aut fieri, aut corrumpi: Semper enim erat. Nec tempus. Nec enim impossibile prius, & posterius esse, cùm non sit tempus & motus. Ergo sic est continuus vt tempus. Aut enim idem, aut motus est aliqua passio. Motus autem non est continuus; nisi qui secundùm locum. Et huiusmodi qui circulo.

1. Conclusio.

Probat conclusionem intentam per talem rationem: Si non sit aliqua substantia sempiterna, ergo nihil est aliud sempiternum. Consequens est falsum: vt probatur de motu, & tempore, ergo & antecedens. Consequentia patet; quia substantia est primum ens. Si ergo omnis substantia sit corruptibilis, ergo & omne aliud ens, quia corrupto priori, corrumpitur posterius. Dicit ergo, quòd supple substantia immobilis est sempiterna. *Nam substantiæ sunt primæ entium*: vt probatum est 7. huius: t.c.4. & inde. Ergo & *si omnes*, scilicet substantiæ sint *corruptibiles*; & nulla sempiterna; sequitur quòd, *& omnia erunt corruptibilia. Sed hoc est impossibile*, quia impossibile *est motum fieri, aut corrumpi*, id est, nouiter incepisse, aut aliquando totaliter desinere. *Semper enim erat*. Probatum est enim 8. Physicorum, tex. comm. 1. & inde, vt hîc supponitur, quod motus sit sempiternus. Nec etiam supple *tempus* est possibile aliquod fieri, aut corrumpi. Cuius rationem subdit: *Nec enim possibile est prius, & posterius esse, cùm non sit tempus*. Vult dicere, quod si tempus aliquando incepit, aut aliquando desinit, ergo prius non fuit tempus, quàm esset: sed prius, & posterius non sunt sine tempore, cùm sint differentiæ temporis; ergo tempus esset antequam esset, & esset postquam non esset: quod est impossibile; ergo tempus erit sempiternum: & si tempus; ergo motus. Ideo subdit: quod & *Motus ergo sic est continuus vt tempus*. Cuius rationem subdit, *aut enim idem*, est supple tempus cum motu, *aut* supple tempus, *est aliqua passio motus* ipsius: & hæc secunda pars disiunctiuæ est vera 4. Physicorum, text. comment. 98. & inde, & per consequens si tempus est sempiternum; ergo & motus. Et subdit; *quòd motus non est continuus*, id est, sempiternus, nisi motus, *qui est secundùm locum, & huiusmodi qui in circulo*. Vult dicere, quòd illud quod dicitur de sem

Impossibile est motũ vel tempus incepisse vel desinere esse.

Tempus est idem, vel passio motus. Solus motus localis circularis est æternus.

sempiternitate motus, intelligendum est de motu locali: & inter motus locales de motu circulari tantùm: vt probatur 8. Physicorum, t.c.55. & inde.

24

Notandum, quòd licet conclusio sit vera, aliquam, scilicet substantiam esse sempiternam, tamē ratio quam adducit Philosophus nulla est, quatenus falsum habet fundamentum: quòd scilicet motus, & tempus sunt sempiterna. Nec ratio quam addit cogit: nō enim sequitur quòd si tempus aliquando incepit, quòd oporteret ponere prius, aut posterius, nisi fortè imaginata; sicut dicitur quod extra cælum nihil est, ex primo Cæli, & Mundi: t.c.69. quia ly *extra* nihil est reale, sed solum imaginatum: & tamen *extra*, & *intra* sic sunt differentiæ loci; sicut *prius*, & *posterius* sunt differentiæ temporis. Si ergo extra cælum non oportet ponere aliquem locum: sic nec ante tempus oportet ponere tempus, nec post tempus, tēpus. Aliæ etiam rationes, quas Philosophus adducit 8. Phys. t.c.1. & inde, ad probandum sempiternitatem motus, & temporis similiter non concludunt: quas recitare non est præsentis negotij: sed magis spectat ad librum Physicorum: aliunde ergo habet probari sempiternitas substantiæ immaterialis, de quo alias: quia hoc probare veris Theologis relinquatur. Deinde cùm dicit:

Quamuis conclusio quam ponit Philosophus hic sit vera, ratio tamen est sophistica peccans.

Rationes Aristot. de æternitate mundi sunt sophisticæ peccantes.

At verò si fuerit motiuum, aut effectiuum, non operans autem aliquid, non erit motus. Contingit enim potentiam habens non agere.

Probat secundam conclusionem, scilicet quòd substantia illa sempiterna est semper actu operās. Circa quod duo facit. Quia primò probat conclusionem. Secundò ex dictis redarguit Platonem. Secunda ibi: *Nihil ergo prodest*. In prima parte intendit talem rationem: Si substantia sempiterna non sit semper operans, ergo motus non est sempiternus. Consequens est falsum, ex prima conclusione, ergo antecedens. Consequentia patet ex hoc, quia cùm illa substantia sit mouens, sequitur quòd si ipsa non semper moueatur, & operetur, quòd motus aliquando cessabit. Dicit ergo, quòd *At vero si supple* illa substantia sempiterna, *erit aliquid motiuum aut effectiuum*, id est, potens mouere, aut efficere: *non operans autē aliquid in actu*, sequitur quòd *non erit motus. Contingit enim potentiam habens non agere:* & ideò si illa substantia habet potentiam mouendi, non oportet, quòd moueat in actu: & per consequens motus non semper erit. Si igitur motus debeat esse sempiternus, oportet aliquam esse substantiam super mouentem, & operantem actu. Deinde cùm dicit:

2. Conclus. Substantiam immobilem aliquam esse semper actu operantem.

15

Nihil ergo prodest, nec si faciamus substantias sempiternas, quemadmodum qu. species: si non aliqua potens inerit principium transmutare: non ergo neque ipsa sufficiens, neque alia substantia præter species; nam si non egerit, non erit motus.

Ex dictis redarguit Platonem qui posuit Ideas, dicens, quòd *Nihil ergo prodest* ad saluandū, supple sempiternitatem motus: vt *si facimus substantias sempiternas: quemadmodum* qui ponunt *species*, id est, Ideas: *si non inerit aliud principium potens transmutare*, id est, nisi illæ substantiæ habeāt aliquod principium, & potentiam transmutandi: quod tamen supple est impossibile: quia Ideæ ponuntur quædam vniuersalia: & tamen patet, quòd vniuersalia non mouent inquantùm talia, quia actiones sunt singularium. Et subdit quòd si *ergo nec ipsa*, scilicet Idea est *sufficiens*, supple ad sempiternitatem motus saluandam; ergo *nec alia substantia præter species*, id est, Ideas: puta Mathematica, quæ aliqui posuerunt separata: quia Mathematica, inquantùm talia, non sunt principia motus, & ideò concludit: *Nam si non egerit*, id est, quòd si non ponatur aliqua substantia, quæ sit principium motus *non erit motus*: & ideò oportet ponere illam substantiam semper operantem & mouentem. Deinde cùm dicit:

Redarguit ideas Platonis, quo ad sempiternitatem motus.

Adhuc neque si aget: substantia autem ipsius potentia non erit motus æternus. Contingit enim quod potentia est non esse. Oportet igitur principium esse tale, cuius substantia actus.

Probat tertiam conclusionem, scilicet quòd illa substantia sit essentialiter actus; & intendit talem rationem: Si illa substantia sempiterna non sit essentialiter actus, ergo motus non erit æternus: cōsequens est falsum, ex prima conclusione, ergo & antecedens. Consequentia probatur: quia si sit in potentia, contingit ipsam non esse: cùm omnis potentia materiæ sit contradictionis: & per consequens non mouebit; ergo non erit. Dicit ergo, quòd *adhuc si non aget*, supple illa substantia: *substantia autem ipsius est in potentia: non* erit *motus æternus. Contingit enim non esse, quod est in potentia. Oportet igitur esse tale principium* mouens, *cuius substantia sit actus*, ita quòd nullo modo sit in potentia. Ex hoc patet intentionem Aristotelis esse, in cælo non esse materiam: quia si sic, esset in potentia: & per consequens contingeret ipsum non esse. Cuius oppositum ipse tenet: hoc autem quomodo se habeat, declaratum est 8. huius. Deinde cùm dicit:

3. Conclus. Substantiam immobilem aliquam esse essentialiter actum.

Omne quod est in potentia contingit non esse.

Ampliùs igitur tales oportet esse substantias sine materia. Sempiternas enim esse oportet: si & aliquid aliud sempiternum actu.

Probat quartam conclusionē, scilicet quòd substantia illa sempiterna, siue sit vna, siue plures, oportet quòd sit immaterialis. Et intendit talem rationem: Illa substantia, vel illæ, si plures sunt, sunt essentialiter actus: ergo immateriales. Antecedens patet ex tertia conclusione. Consequentia probatur: quia materia est ens in potentia: quod ergo non est in potentia, sed est actus, non habet materiam. Dicit ergo, quòd *Ampliùs igitur* patet ex dictis, quòd *oportet tales substantias esse sine materia:* quia supple materia est in potentia. *Sempiternas enim oportet ipsas esse, si aliquod aliud est sempiternum.* Puta motus, & tempus vt prædictum est: *actu* igitur esse oportet supple ipsas esse: & hoc vltimò concludit propter dubitationem, quæ sequitur: vt patebit.

4. Conclus. Substantiam immobilem, aliquam esse immaterialē.

Notandum, quòd licèt istæ conclusiones prædictæ veræ sint in se: tamen omnes innituntur ruinoso fundamento. Nam probationes earu procedunt supponendo sempiternitatem temporis, & motus: quod tamen falsum est: vt prædictum fuit.

Conclusiones dicta vere, sed probationes falsa.

SVMMARIVM.

Primam substantiam, seu rerum principium esse actum non potentiam; pro & contrà arguitur, & tangitur de initio mundi secundùm Poëtas Theologos, resoluitur esse actum, quia hic prior est

potentia

potentia diffinitione, & perfectione, ex 9. huius, vide Doct. ibi q. 1.

26

Igitur quamuis dubitatio. Videtur enim agens quidem omne posse: potest verò non omne agere. Quare prius esse potentia.

Dubium de prioritate actus respectu potentiæ.

Mouet quandam dubitationem, quasi sumentem originem ex prædictis. Circa quod duo facit. Primò arguit ad quæstionem. Secundò addit quæstionis solutionem. Secunda ibi: *Potentiam quidem igitur.* Prima in duas. Primò arguit ad vnam partem. Secundò ad aliam. Secunda ibi: *At verò si hoc.* Est autem dubitatio: vtrùm actus sit prior potentia, simpliciter, vt scilicet primum rerum principium sit tale, cuius substantia sit actus, vt prædictum est. Et arguit primò ad partem negatiuam sic: Illud est prius à quo non conuertitur consequentia essendi: vt patet ex 5. huius cap. de priori: t. c. 16. sed potentia videtur huiusmodi respectu actus; *Nam omne agens actu videtur posse agere:* sed non omne quod potest agere agit actu. Dicit ergo, quòd supple substantia sempiterna est actu, vt conclusum est. *Quamuis* circa hoc sit *dubitatio. Videtur quidem enim omne agens posse,* supple agere. *Quare illud* quod est *potentia videtur esse prius eo,* scilicet quod est actu. Deinde cùm dicit:

Quid prius.

Pro parte negatiua.

27

At verò si hoc, nihil erit entium: contingit enim quidem posse esse, nondum verò esse. Et etiam sicut dicunt Theologi, qui ex nocte generant: aut vt Physici, erant simul res omnes, dicunt idem impossibile. Quomodo enim mouebuntur si non fuerat actu aliqua causa? Non enim materia ipsa seipsam mouebit: sed tectonica. Nec menstrua, nec terra: sed semina, & genitura.

Ad partem affirmatiuam.

Arguit ad partem oppositam. Circa quod duo facit. Primò ponit rationem. Secundò ostendit quomodo illi rationi aliqui Philosophi inhæserunt. Secunda ibi: *Propter quod faciunt.* In prima parte intendit talem rationem: Si potentia est prior actu simpliciter, ergo aliquando nihil erit: consequens est falsum, ergo & antecedens. Consequentia probatur; quia quod est in potentia, contingit quòd nondum sit: si ergo prima entia sint in potentia: contingit quòd non sint in actu: & per consequens, quòd nihil aliquando sit: vt quidam antiqui posuerunt. Dicit ergo, quòd *At verò si* supple *hoc* est verum, quòd potentia sit prior actu, sequitur quòd *nihil entium erit: contingit enim quidem posse esse, nondum verò esse:* & tunc redibunt opiniones antiquorum: quarum vna est, quòd mundus esset generatus ex nihilo, & ex simplici priuatione præexistente vt dixerunt quidam Poëtæ Theologi: vt dictum est in 1. lib. ideò dicit, quòd *sequitur etiam sicut dicunt Theologi,* qui *generant,* scilicet mundum *ex nocte,* id est, ex nihilo, & ex simplici negatione, quam more poëtico vtentes metaphora noctem appellabant. Alia opinio fuit Philosophorum naturalium, qui fuerunt posteriores: qui videntes ex nihilo nihil fieri per naturam, posuerunt omnia simul esse confusa: vt Anaxagoras, qui posuit chaos mixtum, & confusa. Vtrique autem posuerunt omnia esse aliquando in potentia, non in actu. Ideò dicit, quòd *aut vt Physici,* id est, naturales, dixerunt quòd *omnes res simul erant,* scilicet in aliquo confuso, & supple vtrique *dicunt idem impossibile:* quòd scilicet essent omnia in potentia quandoque: q̀ hoc sit impossibile probat. *Quomodo mouebũtur,* scilicet ad actũ, *nisi* per *aliquid ens actu:* vt dicebatur 8. huius, t. c. 12. & inde, Ideò subdit: *Nõ enim materia,* scilicet artificialium *ipsa seipsam mouebit; sed tectonica,* id est, ars. *Nec menstrua* supple mouebunt seipsa ad generationem animalis, *sed semina,* id est, sperma masculi mouebit menstrua, tanquam agẽs principale: *nec terra* supple mouebit seipsam ad generationẽ plantæ: *sed genitura,* id est, semina plantarum. Qualiter in genere animalis se habeat semen masculi, & femellæ: & vtrùm semen femellæ aliquid actiuè operetur ad generationem animalis, dictum est 8. huius.

Poëtæ Theologi vt Orpheus, & alij. Positio antiquorum de inchoatione mundi consona fidei aliqualiter.

Agens in omnis generatione est necessarium. Semen habet virtutem motiuam. Non sunt verba Scoti.

Notandum quòd opinio poëtarum Theologorum, quæ hîc tangitur in tãtum deficit, quia posuerunt omnia entia sine aliquà exceptione esse in pura negatione, si tamen ita dixerunt: tunc enim valeret ratio Philosophi contra eos: quia cùm nihil reducatur de potentia ad actum, nisi per aliquod ens actu, sequitur quòd nullum ens esset omninò, cùm nullum ponant ens actu, per quod fiat ista reductio ad actum. Si autem supponatur aliquod ens actu, puta primum ens, nullũ est incõueniens quòd per illud ex nihilo, & ex pura negatione res ad actũ reducantur: si illud primum ens, sicut oportet dicere, sit virtutis infinitæ, vt dicetur infrà. De opinione autem Anaxagorę ponentis illud chaos confusum, dictum est in 1. lib. qualiter possit habere sanum intellectum. Deinde cùm dicit:

In quo defecerunt antiqui. Nihil reducitur de potentia ad actũ, nisi per aliquod ens actu.

28

Propter quod faciunt quidam semper actum vt Leucippus, & Plato, semper enim dicunt esse motum; sed quare, & quem, non dicunt, nec sic, nec causam. Nihil enim vt contingit mouetur, sed oportet quidem aliquid semper existere, quemadmodum nunc natura quidem sic, vi verò, aut ab intellectu, aut alio sic. Deinde qualis prior. Differt enim in aptabile quodcunque.

T. co. 31.

At verò, nec Platonem possibile dicere quod existimat aliquando principium esse, quod ipsum seipsum mouet. Posterius enim, & simul cum cœlo anima, vt ait.

Ostendit qualitèr dictæ rationi quidam Philosophi adhæserunt, dicens, quòd *propter quod,* id est, propter dictam rationem *faciunt quidam semper actum esse: vt Leucippus, & Plato; semper enim dicunt motum esse* in atomis quas ponebant principia rerum, & ante mundi constitutionem elementa moueri motibus inordinatis: sed postmodum fuisse ordinata, & reducta ad motum ordinatum; *sed* supple licèt benè dixerunt actum semper esse, defecerunt tamen non exprimentes quis esset ille motus, & *qua esset causa* eius, Ideò subdit: sed *quare, & quem,* scilicet motum non dicunt *nec sic, nec causã,* id est, nec simpliciter narrando, nec reddendo causam suæ positionis. *Nihil enim mouetur vt contingit* sine aliqua causa determinata: *sed oportet semper aliquid existere:* quod scilicet sit causa motus: *quemadmodum nunc* dicimus quòd supple quędam mouentur *sic quidẽ à natura: illa verò vi,* i. violẽter *aut ab intellectu, aut ab aliquo alio sic. Deinde* supple defecerunt quia nõ dixerũt, *Qualis prior* vtrũ, .s. motus naturalis esset priùs, aut violentus, aut aliquis alius. *Differt enim valde quodcũque* est. i. quodcunque

Confirmat suam rationẽ aliorum Philosophorum positione sed eos deficere plerunque ostendit.

Motus elementorum secundùm antiquos duplex.

cunque horum dicatur. Et subdit contra Platonem specialiter, dicẽs, quòd *At verò nec possibile est Platonem dicere*, id est, posse excusari ex hoc *quod existimat* esse *aliquando* aliud *principium*, scilicet motus, *quod mouet ipsum seipsum :* hoc enim primum mouẽs seipsum posuit animam: vt dicitur primo de Anima, t. c. 28. & circiter. Et tamen, vt *ipse ait*, *Anima fuit posterius, & simul cum cælo.* Ita quòd non posuit animam ante mundi cõstitutionem: sed post illam inordinationem motus, & simul factam esse cum cælo, quod dixit esse animatum : & per consequens secundùm eum anima non potest esse principium illius motus inordinati : & per consequens fuit insufficiens illius motus inordinati assertio non assignans causam. Deinde cùm dicit :

Anima creata simul est cum cælo secundùm Platonem.

T. com. 32.

Potentiam quid est igitur existimare priorem actu est quidem vt benè : est autem, vt non benè. Dictum est autem in quibuscunque huiusmodi quæstio.

Addit quæstionis solutionem. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est. Secundò confirmat solutionem per positiones quorundam Philosophorum. Secunda ibi: *Quia autem actus.* Primò igitur soluit dictam dubitationem remittens nos ad 9. librum, dicens quòd, *Existimare quidem igitur potentiam esse priorem actu est quidem vt benè : est autem vt non benè. Dictum est autem*, quomodo scilicet in 9. huius, t. c. 13. & inde. Vbi ostensũ est quòd actus est prior potentia diffinitione, & perfectione: & etiam tempore, simpliciter loquendo: licèt respectu eiusdem generabilis, & corruptibilis potentia præcedat actum. Ratio autem in oppositum non probat potentiam esse priorem, nisi prioritate cuiusdam communitatis, & secundùm rationem: licèt secundùm rem actus præcedit potentiam modo prædicto. Deinde cùm dicit :

29

Solutio dubij.

Ratio ad partem negatiuã soluitur.

Quia autem actus prius, testatur Anaxagoras. Intellectus enim actus. Et Empedocles amicitiam, & litem. Et semper dicentes motum esse vt Plato, & Leucippus.

Confirmat dictam solutionem per positiones quorundam Philosophorum, dicens, *quod autem actus*, scilicet *sit prius*, id est, prior simpliciter scilicet potentia *testatur Anaxagoras*: quia posuit intellectum *esse* primum principium mouens. *Intellectus enim actus*, scilicet quidam est. *Et Empedocles*, etiam scilicet hoc idem testatur qui posuit *litem, & amicitiam esse* causas mouentes: *& Leucippus, & Plato*, scilicet hoc idem testati sunt, *dicentes motum semper esse*, scilicet actu: & sic semper actum præcedere potentiam prædicti omnes testificati sunt. Tunc sequitur illa pars :

S V M M A R I V M.

Infert ex resolutione positam perpetuitatem generationis secundùm circulum, quod benè exponit Doctor, & ex perpetua generatione, perpetuitatẽ motus cæli: quia requiritur vnum agens conforme & aliud difforme Doctor exponit quænã sint ista secundùm Philosophos & comparantur inter se, & redarguitur Plato. Sed quæ hîc dicit Philosophus de perpetuitate generationis, & motus; non solùm contra fidem sunt, sed contra naturalem rationem esse videntur; de quo 8. Phys. c. 2. agunt expositores eius & Theologi 2. d. 1.

Quare non fuit infinito tempore chaos, aut nox, sed eadem semper, aut periodo, aut aliter: si prior est actus potentia.

30

Vbi postquam soluit dictam quæstionem, regreditur ad confirmandum veritatem præostensam de substãtia immateriali, & immobili. Circa quod tria facit. Primò ex solutione quæstionis quasi inferens conclusionem opinionis contrariæ esse falsam concludit perpetuitatem generationis, dicens generationem esse perpetuam secundùm circulum. Secundò ex perpetuitate generationis arguit perpetuitatem motus cæli. Tertiò ex perpetuitate motus cæli arguit perpetuitatẽ mouentis primi & immobilis, quod est principale. Secunda ibi: *Si itaque semper.* Tertia ibi: *Est igitur aliquid.* Dicit ergo, *Quare* quia supple actus est simpliciter prior quàm potentia, sequitur quòd *non fuit in tempore infinito chaos*, quod posuerunt antiqui naturales, putãtes potentiam simpliciter esse priorem actu: & ideò dixerunt omnia fuisse in potentia quadam in quodam chaos confuso: & hoc per tempus infinitum: aut entis non fuit *nox* vt dixerunt Poëtæ Theologi, qui propter eandem rationem dixerunt præcessisse per tempus infinitum ante rerum productionem, negationem siue priuationem simplicem, quam appellauerunt noctem. Hoc quidem supple falsum est, sed supple oportet dicere quòd semper eadem fuerint aut *periodo, aut aliter, si hoc est* verum quod *actus est prior potentia.*

Ex falsitate opinionis antiquorum cõcludit perpetuitatem generationis, & prioritatem actus respectu potentiæ.

Notandum, secundùm opinionem etiam Philosophi, vt magis patet ex secundo de Generatione, t. c. 57. & circiter, quòd quia ea, quæ generantur procedunt de potentia ad actum, oportet quòd eadem, quæ sunt actu post potentiam, semper fuerunt aliquo modo, scilicet non eadem numero, sed eadem specie : & hoc aut periodo, scilicet secundùm generationem circularem prout ea, quæ generantur fuerunt iam eadem non quidem numero, sed specie. Quod quidem fit quadam circulatione, & in periodo generationis; sicut cùm terra ex humectata generatur vapor, & ex vapore pluuia, & ex pluuia terra iterum humectatur. Item ex homine procedit semen, & ex semine iterum homo generatur. Sic ergo eadem specie fiunt tali circulatione. *Aut aliter*, quod dicit propter opinionem aliorum, puta Anaxagoræ, qui posuit præexistere omnia in illo chaos, ex quo postea dicebat res generari, & easdem procedere de potentia ad actum, vt sic eadem fierent post potentiam in actu. Deinde cùm dicit :

Al. opin. esse Philosophi.

Eadem in circuitu generãtur & corrũpuntur periodo, vel simpliciter.

Hic deficit text. noua translationis correspondens textui, c. 33. Traductionis Arabicæ.

Itaque periodo semper oportet aliquid manere semper similiter agens. Si autem debeat fore generatio, & corruptio, aliud oportet agens esse aliter, & aliter. Necesse est igitur quidem sic secundùm se agere, sic secundùm aliud. Aut ergo secundùm alterum, aut secundùm primum. Necesse igitur secundùm hoc. Cùm enim illud ipsique causa, & illi.

T. com. 34.

31

Ex perpetuitate generationis arguit perpetuitatem motus cæli. Circa quod duo facit. Primò ex perpetuitate generationis arguit duo esse agentia, quorum vnum sit causa perpetuitatis; puta primum mobile. Alterum quod sit causa alteritatis, puta mobile, quod mouetur in circulo obliquo, vt

Arguit perpetuitatem motus cæli & similiter ex illo ipsius cæli perpetuitatẽ.

Ad perpetuitatem generationis requiritur duplex agẽs perpetuum vnũ vniforme, & & aliud difforme.

vt Sol,& alij planetæ. Hęc enim duo sunt in generatione secundùm viã Philosophi, scilicet perpetuitas,& alteritas, inquantum generatio vnius est corruptio alterius in infinitum. Secundò ex dictis redarguit Platonem,& infert suam intentam conclusionem. Secunda ibi: *Ergo si sic se habent:* Prima in duas. Primò fecit quod dictum est. Secundò comparat illa duo agentia adinuicem ostendens, quòd primum est dignius,& nobilius secundo. Secunda ibi: *Dignius ergo primum.* Dicit ergo, quòd *Si autem debeat fore generatio, & corruptio,* scilicet in istis inferi oribus: *oportet esse alind agens aliter,& aliter,* id est, quòd se habeat difformiter in agendo vt agens supple, quòd semper vniformiter agit quod est primum cælum: hoc autẽ agens difformiter agens est corpus quod mouetur sub Zodiaco. Et hoc tale agens *Necesse est sic quidẽ igitur secundũ se agere sic verò secundũ alind,* id est, quod tale agẽs quodãmodò agit secũdùm se, id est, ex propria virtute quatenus causat diuersitatem generationis & corruptionis: & quodammodò agit secundùm aliud, id est, in virtute alterius, quatenus causat perpetuam generationem,& corruptionem. Et si sic: *Aut ergo*, ait *secundùm alterum,* id est, in virtute alicuius alterius, *vel secundùm primum,* id est, in virtute primi, scilicet cæli quod agit vniformiter: & hæc secunda pars disiunctiuæ est vera. Ideò subdit: *Necesse igitur,* id est, quòd causet perpetuam generationem, & corruptionem *secundùm hoc,* id est, in virtute huius primi, quod semper agit vniformiter: *Illud enim*, scilicet agens quod semper agit est *causa ipsi,& illi.* Quod scilicet difformiter agit.

32

Resol. dictorũ.

Notandum, quòd, vt magis habetur principaliter 2. de Gener. t. c. 56. & inde, per circuitum generationis redeunt eadem, modo prædicto, quæ transeunt de potentia ad actum. Si verò aliquid manet idem secundùm circulum generationis perpetuæ, oportet aliquid manere semper idem numero quod agit vniformiter ad hæc, quod causet perpetuitatem: nullum enim vnum generabile,& corruptibile potest esse causa talis perpetuitatis, quia vnicum generabile non semper est. Omnia autem non simul sunt, vt probatur 8. Phys. t. c. 2. & inde, & patet de se. Oportet igitur quòd sit aliquod agens perpetuò, & vniformiter causans dictam perpetuitatem. Illud est primum mobile, quod semper regulariter,& vniformiter mouetur & reuoluit omnes sphæras motu raptus, qui est motus diurnus. Quia verò idem, vt dicit. 2. de generat, t. c. 57. non causat nisi idem: in generatione autẽ, & corruptione est diuersitas, quatenus eadẽ qunadoque generantur, quãdoque corrumpuntur; ideò ad saluandum istam alteritatem oportet ponere secundum agens, quod sit difforme in agendo,& illud est corpus, quòd mouetur sub circulo obliquo, qui est Zodiacus. Nam cùm Zodiacus declinat secundum vtramque sui medietatem ab æquinoctiali: ideò Sol,& alij planetæ, qui sub Zodiaco mouentur, quãdoq; appropinquant, quãdoq; elongantur, & secundùm hoc causat sua propinquitate,& remotione contraria: sicut apparet manifestè, quòd Sole appropinquante ad nos à principio Arietis vsque ferè in finem Virginis, per totum ver,& æstatẽ generantur & nascuntur herbæ: recedente autem Sole in autumno,& hyeme, puta à principio Libræ vsque in finem Piscium, corrũpuntur, quæ priùs erant generata. Licèt autem omnes planetæ ad hoc concurrant, & etiam cælum stellatum, quatenus mouetur super polos Zodiaci motu proprio, contra motũ primi mobilis, vt dicunt Ptolemæus, & alij perfecti Astrologi: licèt Aristotel. putauerit cælũ stellatum esse immobile vt patet inf. & 2. de Cælo: Et, inquam, licèt omnia concurrant ad istam alteritatem, principalius tamen,& euidentius ipse Sol. Tale igitur agens difforme partim agit in virtute propria, vt dictum est: partim in virtute primi cæli. Quia cùm primum cælũ sit causa perpetuitatis cuiuslibet motus. Ergo & eius, quod difformiter agit: & per consequẽs illius, quod ab eo causatur, scilicet perpetuæ generationis,& corruptionis. Deinde cùm dicit:

Vniformitas ex primo motu difformitas ex Zodiaci varietate,& motu planerum.

Celum stellatum immobile secundum Philosophum.

Dignius ergo primũ. Etenim causa illud ipsius semper similiter. Et ipsius aliter alterum: eius autẽ quod est semper aliter, palàm quod ambo.

33

Dignius est primum mobile agens secundo agente prædicto.

Comparat hæc duo agentia ad inuicem dicens, quòd quia supple secundum agens agit in virtute primi cæli, quod semper vniformiter agit, ergo illud *primum* erit *dignius. Etenim* pro quia, *illud* erat *causa ipsius semper similiter,* id est, perpetuitatis, & per consequens dignius. *Et ipsius aliter,* id est, alteritatis in generatione,& corruptione, *Alterũ,* scilicet agẽs est supple causa, eo quòd difformiter agit, *Eius autem, quod est semper aliter,* id est, amborũ simul, quod est generationem esse perpetuã, *palã, quòd ambo* supple mobilia sint causę. Ita quòd primum sit causa perpetuitatis: & secundum sit causa alteritatis modo prædicto. Deinde cũ dicit:

Ergo si sic se habet motus, quid ergo alia oportet quærere principia? Quoniam autem ita cõtingit, & si non sic, ex nocte erunt: simul omnia, ex non ente. Soluentur vtique hac. Et est aliquid semper motum motu incessabili. Hæc autem quæ circulo. Et hoc non ratione solùm, sed opere palàm. Quare sempiternum erit vtique primum cælum.

Redarguit Ideas Platonis.

Redarguit Platonem ex dictis, & infert suam intentã cõclusionem, dicens, *Ergo quod si sic se habent motus cæli:* quòd supple ex eis potest saluari ꝑpetuitas generationis,& corruptionis: *Quid ergo oportet quærere alia principia,* puta ideas, vt Plato: aut litẽ,& amicitiã vt Empedocl. Quasi diceret, ꝙ nõ portet, *Quoniam* pro quia, ita *contingit,* scilicet assignare causam perpetuitatis, vt dictum est, *Et si non sic,* id est, si non est ita vt nos dicimus: sequitur quòd *erunt ex nocte,& omnia simul, ex non ente,* id est, quòd sequentur inconuenientia, quòd scilicet omnia fiant ex nocte, id est, ex simplici priuatione: aut quòd omnia fuerunt quãdoq; simul, aut quòd aliquid fiat ex non ente: ad quæ inconuenientia ducti sunt Philosophi antiqui, vt prædictum est. *Soluentur vtique hac* inconuenientia, scilicet dicendo, supple quòd perpetuitas generationis sit causata à motu cæli: *Et etiam* patet, quòd *est aliquid semper motum motu incessabili. Hac autem est, quæ est in circulo,* id est, motus circularis. *Et hoc* supple *non solùm* apparet esse verum *ratione, sed etiam palàm* est *opere,* id est, per effectũ, & sensum, quòd scilicet aliquid semper circulariter mouetur. Concludit ergo *Quare sempiternum erit vtique primum cælum,* quod scilicet circulariter perpetuò mouetur. Deinde cùm dicit:

Primum cælum sempiternum.

T. co. 35.

Est igitur aliquid,& quod mouet. Quoniam autem quod mouetur, & mouens & medium. Igitur est aliquid quod non motum mouet sempiternum, & substantia, & actus ens.

34 *Perpetuitas primi motoris ex motus cæli perpetuitate concluditur.*

Ex perpetuitate motus cæli concludit perpetuitatem mouentis primi, & immobilis, dicens, quòd quia omne, supple quod mouetur, ab alio mouetur: sequitur quòd si est cælum perpetuò mobile, quòd *est igitur aliquod quod mouet*, & est sempiternum in substantia existens actu. Cuius causam subdit: *Quoniam autem*, est supple aliquid, *quod mouetur* tantùm, & aliquid quod est *mouens* tantùm, & medium, scilicet quod mouetur, & mouet. Sequitur igitur quòd *est aliquid quod mouet non motum*, sed est immobile. & *sempiternum*, & per consequens, *substantia & ens, & actus*: quia supple si esset in potentia, esset natum ab alio moueri.

Notandum, quòd sicut habetur ex 7. & 8. Phys. tex. c. 1. & inde. t. c. 34. & circiter, in ordine mouentium, & mobilium est dare aliquod infimum, quod mouetur tantùm: & aliquod, supple, quod est mouens, & nullo modo motum; & aliquod medium, quod mouet & mouetur. Ex quo sequitur, quòd est dare aliquod mouens, supple, immobile omnino, tam per se, quàm per accidens: quia cùm non sit procedere in infinitum in mouentibus, & motis, oportet stare ad aliquod primum mouens immobile omnino: vt ibidem prolixiùs probatur: & hoc à Philosopho supponitur tanquam alibi probatum, scilicet ex 8. Phys.

Primus motor est omnino immobilis. Mouens triplex.

SVMMÆ SECVNDÆ
CAP. II.

Quomodo primum mouens mouet. Item ipsum esse primum appetibilium, & motum cæli localem esse.

SVMMARIVM.

Primum mouens mouere sicut appetibile, & intelligibile quæ sola mouent non mota. Videtur velle primam Intelligentiam mouere mediante secunda. Item in primo mouente appetibile, & intelligibile esse idem, licèt in aliis communiter non ita contingat.

T. com. 36.

Mouet autem sicut appetibile, & intelligibile: hac enim sola mouent non mota.

Postquam Philosophus probauit substantiæ immaterialis existentiam, siue sit vna, siue plures: quia de hoc infrà specialiter inquiretur; nunc describit, & inquirit eius excellentiam, tractans de quibusdam eius conditionibus naturalibus. Circa quod quatuor facit. Primò inquirit de illius substantiæ perfectionali dignitate. Secundò de eius naturali quantitate. Tertiò de eius essentiali intelligibilitate. Quartò de eius finali bonitate, inquantùm scilicet habet rationem finis, & boni. Secunda ibi: *Vtrum autem vnam.* Tertia ibi: *Qua autem circa intellectum.* Quarta ibi: *Perscrutandũ est autem qualiter.* Prima in duas. Primò inquirit, quod dictum est ex parte modi, quo mouet. Secundò ex parte virtutis, quã mouet. Secunda ibi: *Ostensum est autem.* Prima in duas. Primò ostendit intentam veritatem. Secundò excludit quandam falsitatem. Secunda ibi: *Quicunque autem putant.* Prima in duas. Primò præmittit quoddam quod est radix, & fundamentum ad ostendendũ illius substantiæ perfectionem, scilicet quòd mouet vt appetibile, & intelligibile. Secundò exequitur de proposito. Secunda ibi: *Intelligibilis autem.* Prima in duas. Primò proponit intentum. Secundò exponit ipsum. Secunda ibi: *Horum autem prima.* Dicit ergo, quòd illud supple primum mouens: quod dictum est esse immobile, *Mouet sicut appetibile, & intelligibile: hac enim sola*, scilicet appetibile, & intelligibile, *mouent non mota.* Formatur sic ratio: Quando duo agentia ordinata sic se habent, quòd secundũ mouet mobile, inquantùm amat, & desiderat, & intelligit primũ, ipsum primũ mouet sicut appetibile, & intelligibile: sed primũ ens, & secunda Intelligẽtia sunt huiusmodi, ergo, &c. Minor patet, quia mouet ipsũ amando, & desiderãdo.

Al. immobilis. *Sermo de perfectionibus naturalibus substãtiæ immobilis.*

Al. intellectualitate.

Primum mouens mouet, vt intelligibile, & appetibile.

Notandum, quòd, sicut patet ex 3. de Anima, cap. de Mouente: t. c. 50. & 54. & circiter, aliter est principium motus intellectus practicus; & aliter ipsum obiectum appetibile. Obiectum enim in se manens non motum, mouet potẽtiam, puta vnum pulchrum visibile, aut pulchrum intelligibile, mouet appetitum ad prosequendum: & intellectum ad intelligendum: & etiam ad dirigendum prosecutionem, si sit intellectus practicus. Ipse autem intellectus, siue appetitus, mouent, & mouentur. Primum autem mouens, quod est prima Intelligẽtia, dicitur mouere sicut appetibile, & desiderabile: quatenus motus cæli est causatus ab aliquo proximo mouente, quod est aliqua secũda Intelligentia, quæ mouet cælum propter ipsum primũ mouens immobile, vt propter finem amatum, & desideratum, vt scilicet secunda Intelligentia assimilet se primæ in causando, & explicet in actum id quod est in primo mouente virtualiter: non enim motus cæli est propter generationem, & corruptionem inferiorum, vt propter finem: cùm finis sit potior eo, quod est ad finem. Prima ergo Intelligentia, de qua hìc appropriatè Philosophus loquitur, est primum mouens, quod mouet sicut obiectum appetibile, & intelligibile. Deinde cũ dicit:

Obiectum, & intellectus practicus, & appetitus mouent, differenter. Vide Docto. in 4. dist 48 q. 1. quia hic transit cum communi declaratione.

36

Horum autem prima eadem. Concupiscibile quidem enim ipsum apparens: voluntabile autem ipsum primum existens bonum. Appetimus, quia videtur magis, quàm videtur; quia appetitus principium est intelligentia. Intellectus autem ab intelligi mouetur.

Exponit id quod proposuerat, dicens, quòd *horum autem prima eadem*, id est, quòd in prima Intelligentia idem est primum intelligibile, & primũ appetibile. Vult dicere, quòd licèt apud nos quãdoque aliud sit, quod mouet sicut desiderabile, vel appetibile bonum; & aliud quod mouet sicut bonum intelligibile, & vtrunque sit mouens non motum: sicut apparet in incontinente, qui secundùm rationem mouetur à bono intelligibili: secundùm autem appetitum concupiscibilem mouetur ab aliquo delectabili secundùm sensum, licèt non sit bonum simpliciter, sed solùm secundùm quid: tamen in primo mouente eadem sunt primum intelligibile, & primum desiderabile. Cuius causam subdit: *quia concupiscibile quidem ipsum apparens*, id est, quòd concupiscibile secundùm sensum est apparens bonum. Primum autem *voluntabile*, id est, primum bonum, quod est appetibile appetitu rationali, quæ est voluntas. *Ipsum* est *existens bonum*: & ideò simpliciter existens. *Appetimus autem*, supple appetitu rationali idem, *quia videtur*, scilicet esse bonum, *magis* supple quàm

Intelligibile, & appetibile bonum in prima Intelligentia sunt idem licèt in nobis oppositum contingat.

Vide 15. d. 3. & q. de praxi in Prol.

quàm èecontrario, scilicet *quod videtur bonum, quia appetitur*. Hoc enim interest inter appetitum sensitiuum, & rationalē: quia id quod appetitur appetitu sensitiuo, videtur bonum quãdoque eo quòd appetitur. Nam frequenter concupiscentia sensitiua peruertit rationem, vt videatur ei bonum, quod est delectabile, licèt non sit bonum simpliciter. Sed id quod appetitur appetitu rationali, ideò appetitur, quia videtur bonũ secundũ se. Vnde 3. de An. t. c. 53. dicitur quòd isti duo appetitus sũt quãdoque sibi cõtrarij. Et ideò subdit, quòd *principiũ* supple *appetitus* rationalis *est intelligentia*, quia nihil appetitur nisi cognitum, si sensibile, sensibiliter; si intellectuale, intellectualiter. Intellectus autem mouetur ab obiecto intelligibili. Sic ergo primum mouens mouet vt appetibile, & intelligibile: quia in eo hæc ambo sunt eadem, cùm ipsum sit bonum secundùm se, & simpliciter. Deinde cùm dicit:

Quare 7. Ethic.

Aug. 9. de Trin. cap. 3.

T. c. 37.

Intelligibilis autem altera coëlementatio secundùm se, & huius causa substantia prima, & huius quæ simpliciter, & secundùm actum.

Intellectus mouetur ab intelligibili.

Prosequitur de proposito. Circa quod facit tria. Primò inquirit perfectiones illius substantiæ ex parte suimet, vt habet rationem intelligibilis, & appetibilis. Secundò ex parte primi mobilis mouet. Tertiò ex parte ipsius appetentis, & intelligentis, quod est ipsa anima cæli, puta ipsa Intelligentia, siue sit forma cæli, siue motrix tantùm, de quo habitum est 8. huius. Secunda ibi: *Mouet autem*. Tertia ibi: *Deductio enim*. Prima in duas. Primò inquirit eius perfectionem ex hoc, quòd habet rationem intelligibilis, ostendens hanc conclusionem, quòd ipsúm est primum in ordine intelligibilium. Secundò ex hoc, quòd habet rationem appetibilis, ostendens hanc conclusionem, quòd ipsa est primum in ordine appetibilium. Secunda ibi: *At verò, & quod bonum*. Prima in duas. Primò ostendit conclusionem. Secundò remouet dubitationem. Secunda ibi: *Est autem vnum, & simplex*. Dicit ergo, quòd *Intelligibilis autem altera est coëlementatio secundùm se*: Vult dicere, quòd sicut mouentia, & mobilia habent suam coëlementationem, & coordinationem: sic & intelligibilia habent suam: quæ coordinatio vocatur intelligibilis, quatenus, vnum intelligibile est principium intelligendi aliud: sicut vnum mouens est alteri principium, & causa mouendi: sicut igitur ex ordine mouentis, & moti probatum est primum mouens esse substantiam, & actum: sic etiam arguit ex ordine intelligibilium esse aliquod primum intelligibile. Ideò subdit, quòd *huius*, scilicet coëlementationis intelligibilis, *substantia est prima*. Nam Metaphysicè loquendo substantia est primum entium cognitione. Ex 7. huius, t. c. 4. Nam accidentia cognoscuntur per substantiam, per quam diffiniuntur, *Et huius quæ simplex, & secundùm actum*, id est, inter substantias priùs est intelligibile simplex, quàm compositum. Nam intellectio compositorum dependet ab intellectione simplicium: Iterùm inter simplicia in genere Substãtiæ, actus est priùs intelligibilis quàm potentia: quia potentia per actum diffinitur ex 9. huius, t. c. 15. & circiter. Et tunc supplendum est quod cùm primum mouens sit substantia simplex, & actus, ipsa erit primum in genere intelligibilium. Deinde cùm dicit:

57

1. *Conclusio.*

Substantia immobilis est primum intelligibilium.

Ordo intelligibilium ex natura rei Metaphysicè.

Est autem vnum & simplex non idem. Vnum enim metrum significat: simplex autem qualiter habens ipsum.

Remouet dubitationem. Crederet enim fortè aliquis quòd Aristoteles ex hoc quòd ait primum mouens esse substantiam simplicem, incideret in opinonem Platonis, qui ponit primum rerum principium, ipsum vnum intelligibile. Hoc autem remouet, assignans differentiam inter vnum & simplex, dicens, quòd *autem vnum, & simplex non idem*. *Enim* pro quia, *vnum significat metrum*, id est, mensuram, ex 10. huius. *Simplex autem significat* dispositionem quandam absolutam *secundùm quam aliquid aliqualiter se habet*. Puta non esse compositum *ab aliis*: & ideò vnum, & simplex videntur formaliter distingui sicut respectiuum, & absolutum.

38

Vnum & simplex differunt.

Al. ex aliis.

SVMMARIVM.

Primum mouens esse primum appetibilium: & finem eius, reperiri in immobilibus, quæ benè explicat Doctor.

At verò, & bonum, & quod propter ipsum eligibile in eadem coëlementatione, & optimum semper; aut proportionale quod primum.

Ostendit substantiam immaterialem, quæ est primum mouens, esse primum in genere appetibilium: quia primum intelligibile, & primum appetibile vel sunt idem numero, vel se proportionabiliter consequuntur. Circa quod duo facit. Primò ostendit conclusionem. Secundò remouet dubitationem. Secunda ibi: *Quia autem est*. Dicit ergo, *At verò & quod bonum, & propter ipsum eligibile*, id est, quòd illud quod est per se bonum, & per se eligibile, est *in eadem coëlemẽtatione*: quia semper *optimum*, scilicet in genere appetibilium, est supple idem numero cum eo, quod est primum intelligibile: *aut est proportionabile quod primum*. Hoc autem ideò dicit, quia intelligibile, vt sic, est in intellectu: appetibile autem vt sic, est in re extra: quia bonum, & malum sunt in rebus ex 6. huius, t. c. 8. ideò dicit quòd sunt idem numero, aut proportionabiliter: licèt secundùm rem primum intelligibile sit primum appetibile. Et tunc supplendum est quòd cùm primum mouens, quæ est substantia simplex & actus; sit primum intelligibile, & eodem modo primum appetibile. Quare sequitur quòd erit primum appetibile quod est optimum. Ita quòd idem sit primum intelligibile, & primum appetibile. Deinde cùm dicit:

Al. immobilem.

2. *Conclusio.*

Substantia immobilis est primum appetibilium.

Differunt quo ad esse intelligibile & appetibile.

Quia autem est quod cuius gratiâ in mobilibus, diuisio ostendit. Est enim alicui quod cuius gratiâ: quorum hoc quidem est, hoc verò non est.

Remouet dubitationem. Quia enim bonum, & appetibile habent rationem finis, & finis non videtur esse in rebus immobilibus, vt 3. huius, t. c. 3. dicebatur, ideò crederet aliquis quòd primum

 mouens

mouens immobile non esset appetibile, & bonum. Hoc autem remouet, dicens, *Quia autem illud quod est cuius gratiâ*, id est, finis, fit *in* rebus *immobilibus*, *ostendit diuisio*, quæ. s. datur de fine. *Enim* pro quia, *id quod est cuius gratiâ alicui*, id est, finis. *Quorum hoc quidem est*, scilicet finis eius qui præexistit. *Hoc verò* est scilicet finis quomodo qui *non* præexistit. Vult dicere, quòd finis est duplex scilicet finis *cuius*, quod est ipsum obiectum in quod tenditur; & iste est finis præexistens, Alius est finis *quo* scilicet ipsa operatio qua obiectum attingitur: & hic non præexistit. Primo modo potest esse finis in rebus immobilibus: quia aliquid potest tendere in obiectum immobile per propriam operationem: sicut de facto oportet concedere in beatis, qui per operationem intellectus, & voluntatis tendunt in obiectum immobile quod est Deus. Quicquid ergo sit de fine *quo*, cùm iste sit productus per actionem de genere actionis, vt sanitas, & quæcunque forma terminans motum: tamen certum est; quod finis *cuius* potest in rebus immobilibus reperiri.

Finis duplex.

In rebus immobilibus reperitur finis cuius etsi non semper finis quo.

SVMMARIVM.

Motum primi mobilis esse localem, & primum mouens esse necesse esse, quia immutabile. Item qua necessitate mouetur primum mobile; an finis tantùm, vel effectiui.

T.c.38.

Mouet autem vt amatum, moto verò alia mouentur.

Si quidem igitur aliquid mouetur, contingit, & aliter habere. Quare latio qua prima, & actus est secundùm quod mouetur. Ex hac autem contingit aliter habere secundùm locum, etsi non secundùm substantiam,

40

Inquirit perfectiones illius substantiæ ex parte primi mobilis quod mouet. Et vult habere istam conclusionem: quòd prima substantia sit necesse esse. Circa quod duo facit. Primò ostendit motum primi mobilis esse localem. Secundò ex hoc ostendit intentum. Secunda ibi: *Quoniam autem quidem*. Dicit ergo, quòd simple primum mouens *mouet vt amatum* vt ostensum est: & per consequens necesse est aliquid esse ab ipso primo motum, scilicet primum cœlum: *moto verò*, scilicet illo primo *mouentur alia*: quia mediante primo mobili mouetur inferiora. Et subdit quòd *Siquidē igitur aliquid mouetur*, scilicet perpetuò: puta primum cælum. Vt supponitur *contingit aliter se habere*, id est, quòd oportet quòd contingat ipsum aliter, & aliter se habere: ita quòd semper sit in eadem dispositione quantùm ab substantiam: licèt varietur quantùm ad motum, & dispositiones partium. Vt patet ex 8. Physicorum, t.c.73. & circiter. Ideò subdit: *Quare latio*, id est, motus localis *est prima*, *& actus secundùm quod mouetur*, s. primum mobile, secundùm alios motus à motu locali: puta secundùm generationem, & corruptionem, augmentum, & decrementum: & etiam alterationem: oportet quòd aliter se habeat secundùm aliquòd absolutū sibi in existens: puta secundùm substantiam, vel Quantitatem, vel Qualitatem. Quod autem mouetur localiter, licèt se *habeat aliter secundùm locum*, & secundùm vbi, quæ videntur quædam extrinseca locato: *non tamen secundùm substantiam*, nec secundùm aliquam formam absolutam, propriè loquendo. Quia igitur cælum se habet sic quòd non variatur secundùm substantiam, nec aliquam formam absolutam propriè loquendo: oportet quòd moueatur motu locali tantùm. Aliter autem probatur 8. Physicorum, ex hoc scilicet quòd nullus motus potest esse perpetuus, & continuus præter localem, & circularem tantùm.

Al. mouetur

Primum mobile à primo motore primo motu, qui localis est perpetuo moueri.

Differentia motus localis ab aliis.

Notandum, quòd quidam expositor dicit, quòd meliùs dicitur quòd primum mouens mouet quasi amatum, quàm quasi desideratum: quia desiderium est eius quod non habetur: amatum etiam est habiti. Sed hoc nihil valet: quia desiderium est etiam respectu habiti, vt dictum fuit in 1. huius, in prologo. Vnde & de Deo, à sanctis Angelis iam habito dicitur 1. Petri. In quem desiderant Angeli prospicere. Et ideò vtrumque benè dicitur, & quòd mouet inquantum amatum, & inquantum desideratum. Deinde cùm dicit:

S. Thomas. 9.

Al. amor autem.

Desiderium est etiam respectu habiti.

Quoniam autem est quidem mouens ipsum immobile ens, actu ens, hoc non contingit aliter se habere nullatenus. Latio enim prima mutationum: huius autem quæ circulo: hac autem mouet hoc, Ex necessitate igitur est ens.

41

Ex hoc ostendit intentum dicens, quòd primum mouens sit substantia, quæ necesse est esse: & intendit talem rationem: Prima substantia est omnino intransmutabilis: ergo necesse est esse. Consequentia patet, quia oppositum consequentis infert oppositum antecedentis. Antecedens probatur ex hoc: quia cui non inest motus localis, nec aliquis alius: cùm primus motus sit localis, vt præostensum est, est omnino intransmutabilis: sed prima substantia non mouetur localiter: quia primum mouens non mouetur motu quo mouet. Ergo nec mouetur aliquo alio motu. Et per consequens est omnino intransmutabilis. Circa hoc autem tria facit. Quia primò ostendit propositum. Secundò exponit ipsum. Tertiò infert corollarium. Secunda ibi: *Et necessitas benè*. Tertia ibi: *Ex tali igitur*. Dicit ergo quòd, *Quoniam autem quidem ipsum mouens est ens immobile actu ens*, *hoc non contingit nullatenus aliter se habere*. Quia scilicet est omninò intransmutabile: quod probat, quia, *Latio*, id est, motus localis est *prima mutationum: huius autem*, scilicet lationis *quæ circulo*, id est, inter motus locales primus est motus circularis. *Hac autem*, id est, circulatione *mouet hoc*, scilicet primum mouens: & per consequens non mouetur tali motu quo mouet. Si igitur primū mouens nō mouetur motu circulari, qui est simpliciter primus motus, ergo nec aliquo alio, & per consequens non potest aliter se habere: sed est omnino intransmutabile: ex quo infert, igitur est *ens ex necessitate*, id est, necesse esse. Deinde cùm dicit:

3. *Conclusio.*

Substantia immobilis est necesse esse.

Latio est primus motuū.

Quod non mouetur localiter nec aliter.

Immobile ergo necesse esse.

Et necessitas benè, & sic principium. Nam necessarium toties, hoc quidem vi quod præter impetum. Illud verò, sine quo non benè. Hoc autem non contingens aliter, sed simpliciter. Ex tali igitur principio dependet cælum, & natura.

Exponit

Quæ sit necessitas primi motoris declarat.

Exponit quod dixerat, ſcilicet quæ ſit neceſſitas primi mouentis, inquantum eſt principium primi motus: oſtendens quòd eſt neceſſitas finis, dicens, quòd *Et neceſſitas cuius eſt* ſupple in *benè* ſe habere. id eſt, vt habet rationem boni, & finis, & ſic eſt *principiũ* ſupple primi motus, vt ſ. habet ratione finis, & amati. Quod probat à diuiſione: *Nã neceſſariũ dicitur toties*, ſ. tripliciter. *Hoc quidẽ*, id eſt, vno modo *vi*, id eſt, ſecundùm volentiam: quia *præter impetum*, id eſt, quòd accidit præter impetum rei: puta cùm lapis fertur ſurſum. *Illud verò*, id eſt, alio modo dicitur neceſſarium *ſine quo non benè* ſupple poteſt aliquid eſſe, vel habere finem: ſicut cibus eſt neceſſarius ad vitã animalis: & currus, & equus ad pertingendum finem, ſiue terminum itineris. *Hoc autem*, id eſt, alio modo dicitur neceſſarium quod eſt *non contingens aliter* ſe habere: *ſed ſimpliciter* eſt, ſcilicet neceſſarium, & ſecundùm ſe. Et eſt ſupplẽdum quòd primum mouens non mouet neceſſariò cælum primo modo: quia quæ ſunt ſecundùm violentiam, ſunt contra naturam. In rebus autem incorruptibilibus nihil euenit contra naturam: ex 9. huius Text. com. 17. & circiter. Nec etiam tertio modo. Quia cùm primum mobile ſit mouens ſeipſum, ex 8. phyſicorum, quatenus, ſcilicet habet Intelligentiam motricem appropriatam ſibi: quod autem mouet ſeipſum, habet in ſe quòd poſſit moueri, & non moueri; ſequitur quòd primum cælum non mouetur neceſſitate abſoluta. Relinquitur ergo, quòd mouetur neceſſitate ſecundo modo dicta, ita quòd neceſſitas primi motus ſit neceſſitas ex fine: ex hoc quòd ſine perpetuitate illius motus non eſſet ordo conueniens ad finem. Primum ergo mouens mouet vt finis. Vnde tertiò infert corollarium, dicens quòd *Ex tali igitur principio* quod eſt primum mouẽs, *dependet cælum, & natura.* Vt ſcilicet à fine: & etiam à principio effectiuo: cælum quidem, & quantùm ad ſuam ſubſtantiam, & quantùm ad motum: natura etiam, quatenus omnia naturalia dependent à cælo, & à motu cæli dependent à primo. Ex his infert quidam expoſitor quòd cùm neceſſitas primi motus non ſit abſoluta: ſed ex fine qui eſt primum principium, ſcilicet Deus: Illud autem quod intenditur per motum eſt aſſimilatio ad ipſum: aſſimilatio autem ad id quod eſt intelligens, & volens (qualis eſt Deus, vt inferiùs dicetur) attenditur ſecundùm intelligentiam & voluntatem: ſicut artificiata dicuntur artifici aſſimilari, inquantum in eis voluntas artificis adimpletur. Quia inquam ſic eſt, ſequitur quòd tota neceſſitas primi motus diuinæ ſubiaceat voluntati.

Neceſſarium triplex.

Motus cæli neceſſitate finis & benè eſſe eſt neceſſarius.

Cælum & natura dependet à primo motore.

S. Thom. Quid intenditur per motum cæli, & qualiter diuinæ ſubiacet voluntati?

SVMMÆ SECVNDÆ
CAP. III.

Primum mouens eſſe ſummè felix, viuens, perfectum, virtutis infinitæ, bonum.

SVMMARIVM.

Primum mouens eſſe ſummè felix, & beatum: atque in eo eſſe maiorem delectationem, quàm in vllo alio. Quæ benè exponit Doctor.

T. c. 39.

***D**eductio autem qualis optima paruo tempore nobis. Sic enim ſemper illud eſt, nobis quidem impoſſibile.*

43

Inquirit perfectiones illius ſubſtantiæ ex parte appetentis, & intelligentis. Ex quo oſtendit duo. Vnum eſt: quòd primum mouens, qui eſt Deus, eſt ſummè felix, & beatus. Secundum eſt: quòd eſſentialiter viuens, ibi: *Et vita autem.* Circa primum duo facit. Primò quòd in ipſo intelligente, & appetente primum motum, eſt maxima delectatio, quæ eſt eius beatitudo, & felicitas. Secundò oſtendit quòd in ipſo obiecto intelligibili, & appetibili, quod eſt primum mouens ſeipſum intelligens, eſt altior, & perfectior delectatio quàm in aliquo aliorum. Secunda ibi: *Seipſum autem intelligit.* Prima in duas. Primò proponit intentum. Secundò probat. Secunda ibi: *Quoniam autem, & delectatio.* Dicit ergo, quòd *Deductio*, id eſt, quædam delectabilis diſpoſitio eſt ſupple in ipſo deſiderante, & intelligente, *qualis optima paruo tempore*, poteſt ſupple ineſſe *nobis. Illud enim*, ſcilicet intelligens & deſiderans eſt ſemper ſic, id eſt, in tali diſpoſitione delectabili: *quod quidem nobis eſt impoſſibile*, quòd ſcilicet in illa diſpoſitione optima, & delectabili ſimus ſemper: quod intelligendum eſt pro ſtatu iſto: aliter dictum Philoſophi non eſt verum, quicquid ipſe ſenſerit, quia fortè futuram vitam non credidit.

4. Concluſio. In ſubſtantia immobili eſt maxima delectatio, quæ eſt felicitas ipſius & aliorum.

Delectatio viatoris momentanea.

Dei & Beatorũ æterna.

Notandùm, quòd ſi primum mouens, quod eſt Deus, mouet vt intelligibile, & amabile: oportet quòd primum mobile ipſum intelligat, & amet, inquantum, ſcilicet ipſa intelligentia, quæ mouet cælum, intelligit, & amat primum mouens: ex qua intellectione conſequitur in ipſo ſumma delectatio: cùm eius felicitas conſiſtat in amore, & contemplatione mouentis primi. Quam felicitatem, & nos ſperamus habere, non pro ſtatu iſto, ſed pro ſtatu futuro: licèt & modò poſſimus habere aliquam talem delectationem optimam, licèt imperfectam, & in paruo tempore, & alterius rationis ab illa perfecta, quam ſperamus. Deinde cùm dicit:

Quoniam, & delectatio actus huius. Et propter hoc vigilatio, ſenſus, & intelligibilia, & delectabiliſſimum. Species verò, & memoria propter hoc. Intelligentia autem quæ ſecundum ſe eius quod ſecundum ſe optimum, & quæ maximè eius quod maximè.

Probat quod dixerat, quòd, ſcilicet in actu huius conſiderantis, & intelligentis, primum mouens eſt ſumma *delectatio*, dicens: *Quoniam & delectatio huius actus*, id eſt, quòd delectatio ſequitur actum intelligentis & deſiderantis: Quod probat à ſigno dicens: *Et propter hoc*, quia ſcilicet delectatio conſequitur operationem actualem, ideò *vt vigilatio, & ſenſus, & intelligentia eſt delectabiliſſimum*, id eſt, quòd maxima delectatio eſt in vigilia, & dum homo actu ſentit, aut intelligit: ſenſus enim, & intellectus in actu comparantur ad ſenſum, & intellectum in potentia, ſicut vigilia ad ſomnum. Quod probat, quia alia, puta ſpecies in memoria; Vel ſecundùm aliam litteram *Species, & memoria* ſunt ſupple delectabiles *propter hoc*, id eſt, propter operationem aliquam actualem, inquantum, ſcilicet ſpecie, vel

Vide 1. d. 1. & 49. d. 4.

44

Species in memoria quomodo delectabiles.

vel per speciem in memoria menti nostræ aliquæ operationes delectabiles præteritæ, aut futuræ, ingeruntur quasi præsentes. Ex quo infert quòd propter hoc, quia supple delectatio consistit in actu sensus, & intellectus, *intelligentia autem secundùm se*, id est, actus intelligendi, inquantum huiusmodi *est eius quod est secundùm se optimum*, quod est bonum intelligibile. Nam bonum intelligibile excedit bonum sensibile: sicut bonum immobile, & vniuersale, bonum mobile, & particulare, & per consequens delectatio in actu intellectus est prior illa, quæ est in actu sensus. Ex quo infert & *quæ maximè est eius quod maximè*, id est, quòd maxima, & perfectissima intelligentia sit maximè optimi obiecti, quod est primum ens, quod est Deus, ad quem sequitur maxima delectatio. Ex quo patet quòd intelligentia intelligens, & appetens primum mouens, quod est primum intelligibile, & primum appetibile, maxima fruitur delectatione consequente eius felicitatem. Deinde cùm dicit:

Intelligibile sensibile, & intellectus sensum excedit.

Seipsum autem intelligit intellectus secundum transumptionem intelligibilis. Intelligibilis autem fit attingens, & intelligens; quare idem intellectus & intelligibile: susceptibile enim intelligibile, & substantiæ intelligendum est actualiter habens. Quare illud magis isto, quod videtur intellectus diuinum habere, & speculatio delectabilissimum, & optimum. Si igitur sic benè habet, vt nos, quandoque. Deus semper mirabilis. Si autem magis, adhuc mirabilius habet aliquis.

45

Ostendit quòd in ipso obiecto intelligibili, & appetibili, quod est primum mouens seipsum inintelligens, est altior, & perfectior delectatio, quàm in quocunque aliorum. Et quasi intendit talem rationem: Propter vnumquodque & illud magis, 1. Posteriorum t.c.5. sed alia habent delectationem inquantum attingunt ipsum primum per actum intellectus, & appetitus; ergo multò magis ipsum primum seipsum intelligens, & volens habebit delectationem. Dicit ergo, quòd *intellectus* supple alius à primo *intelligit seipsum secundùm transumptionem intelligibilis* inquantum transumit, & concipit in se aliquod obiectum intelligibile. Nam intelligit se intelligendo alia, ex 3. de Anima t.c.5. & 13. Et etiam de primo verum est inquantum concipit obiectum intelligibile non aliud à se: ideò subdit, quòd *intelligibilis* enim fit supple ipse intellectus *attingens*, scilicet aliquod obiectum. Ex quo infert: *Quare idem* erit *intellectus, & intelligibile*, eo modo quo scilicet dicimus fieri idem ex cognoscente, & cognito. Qualiter autem intellectus attingat intelligibile, exponit dicens, quòd intellectus se habet ad intelligibile obiectum sicut potentia ad actum, & perfectibile ad perfectionē cuius est susceptiuum: & ideò intellectus est susceptiuus obiecti intelligibilis, & specialiter substantiæ, quatenus substantia est propriè, & primum intelligibile: & quia vnumquodque fit actu, prout recipit suam perfectionem: ideò intellectus actuatur inquantum scilicet recipit intelligibile: esse autem actu in genere intelligibilium est esse intelligibile, siue intellectus: & quia vnumquodque agit vt est actu: *ideò intellectus est agens*, & operans, id est, intelligens inquantum attingit obiectum *intelligibile*. Quia igitur sic est, quòd *intellectus fit actu intelligens* per hoc quod attingit obiectum: & propter vnumquodque, & illud magis, sequitur quòd quicquid diuinum, aut nobile, vt est intelligere, & delectari, inuenitur in intellectu attingente primum intelligibile. Multò amplius inuenitur in ipso primo intelligibili comprehendente, & attingente seipsum perfectiori modo: & ideò eius delectatio est delectabilissima, & optima. Ideò subdit: *Quare illud magis isto, quod videtur* est intellectus *diuinum habere*, id est, quòd intelligere, & quodcunque aliud diuinum magis videtur habere illud primum, quàm quodcunque aliorum. *Et speculatio cuius* est quidem *delectabilissimum, & optimum*. Et subdit: *Si igitur* primum intelligibile, quod est Deus: *sic benè* semper *habet vt nos quandoque Deus semper mirabilis. Si autem magis adhuc mirabilius habet aliquis.* Vult dicere, quòd cùm delectatio, quam nos habemus intelligendo primum intelligibile, sit optima, licèt eam non habeamus semper, sed quandoque; si Deus habet eam semper, mirabilis est eius felicitas: & si eam habet semper nobiliori, & intensiori modo quàm nos quandoque, adhuc est mirabilior. Hoc autem sic, quod scilicet illam delectationem habet Deus diuturniorem quàm nos, quia æternam; & habet eam perfectiorem, & intensiorem, quia ipse solus seipsum perfectè comprehendit actu infinito, & adæquato ipsi obiecto, quod est ipsa sua propria essentia. Quod de nulla creatura dici potest.

Intellectus quomodo fit intelligibilis.

Intellectus quando fit actu, & quid actu ingenere intelligibiliū.

Al. intellectū.

Maior intensiuè, & extēsiuè est felicitas substantiæ per se, quā alterius cuiusque.

Felicitas Dei, & aliorum in speculatione ipsius consistit.

S V M M A R I V M.

Primum intelligibile, quod est Deus, esse viuens; Item bonum, & perfectum non esse excludenda ab illo primo principio, contra Pythagoricos, & alios.

ET vita autem vtique existit: etenim intellectus actus vita, illud autem ipse actus est: actus autem quod secundùm se illius vita optima, & sempiterna. Dicimus autē Deū animal esse sempiternum optimum. Quare vita, & duratio continua, & æterna existit Deo: hoc enim Deus.

Ostendit secundum, quod sequitur ex immediatè dicto, quòd scilicet primum intelligibile, quod est Deus, est essentialiter viuens, & quædam vita, dicens, quòd *vita vtique existit*, scilicet ipse Deus, quod probat: *Enim* pro quia, *actus intellectus*, puta intelligere est quædam *vita*. *Ipse autem Deus est illud*, vel id scilicet primum quod est Deus, est ipse, scilicet actus intelligendi, quia ipse est suum intelligere: *actus autem*, scilicet intelligendi in ipso est, *qui secundùm se est vita optima, & sempiterna illius.* Cùm intelligere sit homini viuere, & propter hoc supple, *Dicimus* secundùm vulgarem lationem, & famam, *Deum esse quoddam animal sempiternum, & optimum.* Cuius ratio est, quia vita apud nos in solo animali reperitur manifestè: quia plantæ non ita manifestè viuunt; quia igitur vita competit Deo; ideò animal nominatur: concludit ergo, *quare vita, & duratio continua, & æterna existit in Deo*, id est, quòd Deus

46
5. *Conclusio.*

Substantia immobilis est essentialiter vita & viuens.

Intelligere Dei est Deus.

Vide q. 1. quod li. & 2. d. 1. q. 1. & 35. dist. 1. Parisiensis.

Intelligere intelligenti est vita.

Deus *hoc ipsum quod est*, est essentialiter sua vita continua & æterna: nec etiam aliud ipse, & vita sua. Confirmatur sic ratio: Illud cui est idem essentialiter suum intelligere, est essentialiter vita: sed primum mouens est huiusmodi; ergo, &c. Maior patet, quia intelligere est vita intelligenti. Minor patet: quia omnis perfectio est essentialiter idem Deo: intelligere autem est perfectio intelligentis.

Omnis perfectio essentialiter est idem Deo.

Notandum, quòd sicut viuere potest sumi pro primo actu, qui est essentialiter: vel pro secundo, qui est opus vitæ: puta sentire, & mouere se, & huiusmodi, sic & intelligere. Nam intelligere quantùm ad primum actum, est quidam gradus essendi perfectissimus in entibus, vt sicut viuere quantùm ad primum actum, viuentibus est esse: ex 2. de Anima, t.c.37. Sic intelligere intelligentibus est esse: intelligere pro secundo actu est ipse intellectus actus, qui est quædam vita, & quoddam perfectum, quod est in vita: quia actus perfectior est potentia: & intelligens actu perfectiùs viuit quàm dormiens: licèt autem in omni alio à primo, actus intelligendi distinguatur realiter à substantia intelligentis, cùm sit quædam qualitas, & accidens per accidens: tamen ipse Deus est realiter & essentialiter suum intelligere: alioquin haberet se ad ipsum sicut potentia ad actum: & tamen ostensum est, quòd eius substantia est actus: nec aliquod accidens potest sibi euenire. Benè ergo dicitur quòd substantia primi entis est essentialiter vita, & quòd actus eius intelligendi est eius vita æterna, & optima. Deinde cùm dicit:

In solo Deo sunt idem intellectus, & actus intelligendi.

T.c.40.

Quicunque autem putant, vt Pythagorici, & Leucippus optimum, & nobilissimum non in principio esse. Quare & plantarum, & animalium principia causæ sunt. Bonum verò, & perfectum in his quæ ex his, non rectè existimant. Nam sperma ex alteris est prioribus perfectis; & primum non est sperma, sed perfectum vt priorem hominem dicat aliquis esse spermate. Non enim qui ex hoc fit; sed alterum ex quo sperma,

T.c.41.

Quia quidem igitur est substantia alia sempiterna, & immobilis separata à sensibilibus, manifestum est ex dictis,

47

Excludit quendam errorem, & falsitatem quorundam qui imperfectionem attribuebant primo enti, dicens, quòd non rectè existimant *quicunque putant, vt Pythagorici, & Leucippus optimum, & nobilissimum non esse in primo principio.* Quorum motiuum subdit: Quia *animalium, & plantarum sunt vtique causæ* boni, & perfecti, non tamen *bonum, & perfectum* reperitur in ipsis principiis, sed in principiatis. Vnde semina quæ sunt principia animalium, & plantarum, sunt imperfecta, & pari ratione putauerunt à primo principio debere excludi bonum, & perfectum: quorum improbationem subdit dicens, quòd *non rectè existimant. Nam sperma est ex alteris prioribus, & perfectis: & sperma non est primum*, supple principium simpliciter, *sed aliquod aliud perfectum: vt si aliquis dicat hominem esse priorem spermate:* non enim hominem scilicet *qui fit, id est, generatur ex hoc* spermate, *sed alterum ex quo sperma*, scilicet deciditur, & hoc est homo generans. Ex hoc ergo patet motiuum eorum nullum esse: quia cùm actus sit prior potentia simpliciter, omnino est dare aliquod agens primum, & ens, & in actu: per quod ens in potentia deducitur ad actum, & illud primum agens est perfectum. Ergo bonitas, & perfectio non repugnat principio, & minùs primo. Deinde epilogando concludit, dicens, *Quòd quidem igitur est substantia aliqua sempiterna, & immobilis, separata à sensibilibus, manifestum* scilicet *est ex his.*

Excludit errorem antiquorum.

Principio esse & inquantū tali non conuenit imperfectio.

Actus est prior potētia.

Esse aliquam substantiam immobilem, & sempiternam.

SVMMARIVM.

Primum mouens esse virtutis infinitæ, quia mouet tempore infinito. Ratio falsa, & conclusio vera. Pulchra dubia mouet Doctor, optimè exponens Philosophum etsi non approbet eius dicta in omnibus, sed in aliquibus reprobet. Concluditur Deum esse impassibilem, & immaterialem.

Ostensum est autem, & non contingit habere hanc substantiam magnitudinem nullam. Verùm sine parte indiuisibilis est. Mouet enim per infinitum tempus & non habet potentiam infinitam finitum. Quoniam autem omnis magnitudo finita est, aut infinita: Finita quidem propter quod hoc vtique non habebit magnitudinem: Infinita verò non, quia totaliter nulla est infinita magnitudo.

48

6. Conclusio.

Inquirit perfectiones primæ substantiæ mouentis ex parte virtutis qua mouet, ostendens ex hoc quòd est substantia incorporea nullam habens magnitudinem. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est. Secundò ex omnibus præcedentibus concludit quòd illa substantia sit impassibilis, & inalterabilis. Secunda ibi: *At verò, & quia impassibilis.* In prima parte supponendo quòd primum mouens sit potentiæ infinitæ, quatenus mouet per tempus infinitum, vt probatum est 8. Physicorum; intendit talem rationem, quam etiam accipit ex 8. Phys. t.c.78. & inde. Omnis magnitudo aut est finita, aut infinita: sed virtus primi mouentis, cùm sit infinita ex hypothesi, non potest esse in magnitudine finita: quia nullum finitum habet potentiam infinitam: nec potest esse in magnitudine infinita, quia illam impossibile est dari, vt probatur 3. Physicorum capitulo de infinito, & etiam 11. huius, t.c.40. & inde, ergo non potest esse substantia primi mouentis in aliqua magnitudine. Dicit ergo, quòd *Ostensum est autem* in 8. Physicorum, Quia *non contingit hanc substantiam*, scilicet primam *nullam magnitudinem habere. Verùm* pro sed, *est sine parte*, id est, impartibilis, & *indiuisibilis.* Cuius probationem subdit: *Mouet enim per tempus infinitum*, scilicet cùm moueat sempiterno tempore, vt prædictum est, & *finitum non habet potentiam infinitam. Quoniam autem omnis magnitudo est finita, aut infinita: Finita quidem magnitudinem non vtique habebit propter hoc*, scilicet quod dictum est: quia nullum finitum habet potentiam infinitam. *Infinitam verò*, scilicet magnitudinem non *habebit*, quia *totaliter nulla magnitudo est infinita.*

Substantia immobilis magnitudine molis caret.

Prima substantia habet virtutem infinitam.

Virtus infinita non potest esse in magnitudine.

Notan

49

Vide in 1.d. 2.q.1.viā ad probandam infinitatē, & d.8.eiusdem & in quodli. q.7.& Hēric. Gand.quodli. 4.q.3.sed deliramenta Auer.despice, & Nominales contemne.

Notandum, quòd, vt dictum est, ista conclusio cum sua probatione sumpta est 8. Physicorum. Et oportet eam supponere, licèt multa dubia includat. Vnum est, quando dicit quòd scilicet mouens per tempus infinitum sit virtutis infinitæ: quia si sic, cùm quælibet intelligentia inferior moueat suum orbem per tempus infinitum, secundùm eum; ergo quælibet esset virtutis infinitæ, quod est erroneum: nisi fortè dicatur quòd nulla inferior mouet tempore infinito, nisi in virtute primi.

Quomodo etiam valet illa consequentia: Mouet tempore infinito, ergo est virtutis, vel potentiæ infinitæ; dubium est. Quantùm autem spectat ad præsens, potest breuiter dici, quòd antecedens sic intelligendum est: quòd æquè benè concludit propositum: si possit mouere per tempus finitum, sicut si moueret per infinitum: quia æquè oportet ipsum esse in actu. Sed illud posse patet de primo mouente quantùm est de se. Licèt igitur non moueat motu infinito, sicut Aristoteles intendit: tamen si accipiatur antecedens illud, quòd quantùm est ex parte sua potest sic mouere; habetur antecedens verum, & æquè sufficiens ad inferendum propositum. Consequentia autem sic ostenditur esse probabilis: Quia quicquid potest in aliqua plura simul ita perfectè sicut in vnum tantùm, quorum quodlibet requirit aliquam perfectionem sibi propriam, illud concluditur esse perfectius ex pluralitate eorum seorsum, ex hoc quòd potest in plura: & per consequens infinitum, si simul possit in infinita. Vlteriùs etiam si naturæ effectus non permittat simul infinita esse, tamen causa, quantùm est ex se, si possit simul in infinita, ex hoc sequitur quòd sit infinita: & ita de primo mouente videtur concedendum, quòd si potest causare simul infinita, quòd virtus eius sit infinita: & per consequens si simul habet virtutem causandi infinita: ita quòd quantùm ex se posset producere simul infinita, licèt naturæ effectus repugnet, adhuc concluditur infinitas virtutis eius. Oportet autem concedere quòd simul possit quantùm est ex se, ex quo quantùm est ex se potest causare motum infinitum: quia saltem mediante motu infinito potest effectus infinitos producere.

Incompossibilitas effectuū non minuit virtutem causæ.

Quomodo ex motu infinito probatur virtus infinita, 8.d.1.q.1. & in tract. de primo principio.

Aliud dubium est. Qualiter verum sit quòd potentia infinita non possit esse in magnitudine. Nec probatio Philosophi 8. Physicorum, videtur cogere. Arguit enim sic: quòd maior potentia est in maiori magnitudine: & ideò potentia infinita non potest esse in magnitudine finita. Nec potest esse in infinita, quia illa est impossibilis; ergo potentia infinita non erit in aliqua magnitudine. Sed istud argumentum non videtur concludere: quia aduersarius, qui dicit potentiam infinitam esse in magnitudine, poneret ipsam esse eiusdem rationis in tota magnitudine, & in qualibet parte magnitudinis, & ita in maiori sicut in minori; ita quòd tota potentia infinita esset in tota magnitudine, & tota in qualibet parte: sicut anima intellectiua est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte eius, nec est maior in maiori corpore quàm in paruo. Et si istam animam consequeretur potentia infinita intelligendi, illa esset in magnitudine finita: & ita in parte sicut in toto: & in parua sicut in magna. Similiter dicetur in proposito, quòd potentia infinita in magnitudine esset eiusdem rationis in toto, & in parte.

50

Qualiter potētia infinita non possit esse in magnitudine.

Dicendum, quòd conclusio Aristotelis quam intendit, est ista: Quòd potentia infinita non est in magnitudine finita, puta dicto extensa per accidens; & hoc probat ratio sua hoc modo: Quæcunque potentia est extensa per accidens, maior, id est, efficacior est in maiori magnitudine cæteris partibus. Exemplum de calore in igne, quia maior ignis est maioris, id est, efficacioris potentiæ in toto quàm in parte. Ex quo sequitur quòd omnis talis potentia extensa per accidens quamdiu est in magnitudine finita, potest intelligi crescere in efficacia per augmentum magnitudinis; sed quamdiu intelligitur potens crescere in efficacia, non est infinita secundùm efficaciam: ex quo sequitur quòd talis potentia extensa per accidens, quamdiu est in magnitudine finita, est intensiuè finita, & non infinita: quia infinitas intensiua non potest esse sine infinitate in efficacia; ergo sequitur quòd potentia infinita in efficacia, vel etiam intensiuè non est in magnitudine finita. Et tunc vltrà: cùm non sit aliqua magnitudo infinita, patet quòd nulla potentia infinita est in magnitudine. Coniungendo autem huic hanc conclusionem, quam probat præcedenti capitulo, scilicet quòd primum mouens est sine materia, sequitur propositum. Nam omni extensione aliquid extenditur: & si extensio esset per se existens, aliquid esset forma informans extensionem, extensa per accidens. Si ergo ista potentia infinita ponatur in magnitudine, quæro quid est extensum ista extensione magnitudinis? Non ipsa potentia infinita, sicut probatum est. Nec ipsa perficit istam magnitudinem extensam sicut forma materiam, quia non est in materia, ex conclusione præostensa; ergo oportet ponere materiam extensam ipsa magnitudine, quæ materia perficeretur potentia infinita; sicut corpus nostrum extenditur magnitudine per se extensa; & perficitur per animam intellectiuam non extensam: sed nulla materia est in primo habente talem potentiam, vt præostensum est. Ex ista igitur immaterialitate præostensa à Philosopho habet ratio Philosophi efficaciam, cum hoc, quòd intendit loqui de potentia non extensa per accidens, vt probatum est. Aliter non videtur concludere; sed discutere de prædictis magis spectat ad octauum Physicorum.

Notandum etiam quòd licèt virtus corporis cælestis moueat inferiora corpora per tempus infinitum, non propter hoc sequitur, quòd sit infinita: quia non mouet nisi motum, & ideò influentia est ex mouente primo, sicut iam tactum est de secunda Intelligentia quæ non mouet tempore infinito nisi in virtute primæ. Nec etiam potest dici, quòd cælum sit virtutis infinitæ, licèt duret per tempus infinitum: quia maior duratio nihil perfectionis addit. Nam albedo, quæ vno anno durat, non est perfectior quàm si duret vno die tantùm. In cælo enim non est virtus actiua sui esse, sed solùm susceptiua. Vnde si eius infinita duratio arguat infinitam virtutem, non tamen ex parte durantis, sed ex parte principij ipsum producentis & perpetuò conseruantis. Deinde cùm dicit:

Infinita duratio & actio non arguit virtutem infinitam.

At verò quia impassibilis, & inalterabilis. Omnes enim alij motus posteriores sunt eo, qui est secundùm locum. Hæc quidem igitur manifesta quia hunc modum habent.

Concludit ex præcedentibus, quòd substantia primi mouentis est impassibilis, & inalterabilis.

7. Conclusio.

Et.

Subſtātia immobilis eſt impaſſibilis & inalterabilis.

Et intendit talem rationem: Cui non ineſt primus motus, nec aliquis alius, quia remoto priori remouentur omnia poſteriora: ſed primum mouens, vt præoſtenſum eſt, non mouetur motu locali, qui eſt primus ſimpliciter; Ergo neque alio motu, & per conſequens eſt omnino impaſſibilis & inalterabilis. Dicit ergo, quòd *at verò* eſt ſupple manifeſtū: *quia & impaſſibilis, & inalterabilis* eſt ſupple ſubſtantia mouentis primi. *Omnes enim alij motus ſunt poſteriores eo, qui eſt ſecundùm locum,* & tunc ſupplendum eſt; quòd cum non moueatur motu locali, ergo nec aliquo alio conſequenter. Vltimò concludit, quòd *hec quidem igitur maniſta ſunt quia habent modum.* Vt præoſtenſum eſt.

Quod non mouetur motu locali, nec alio motu mouetur.

SVMMÆ SECVNDÆ CAP. IV.

Quot ſint numero ſubſtantiæ immobiles, ac ſphæræ, quæ ab eis mouentur, quarum motus inueſtigat.

SVMMARIVM.

Reprehenſis antiquis probat plures eſſe ſubſtantias immateriales, quarum numerum ex numero cælorum venatur. Primò ſuadet prima mouentia eſſe ſubſtantias. Secundò eſſe inter ſe ordinata Tertiò eorum numerum indagat. Videtur ponere omnes intelligentias virtutis infinitæ, ſeu Deos; ſed non ſatis conſtat de eius mente. Vide Doctorem 1. d. 8. q. 5. & quodli. 7. dubium etiam eſt an voluerit primum mobile à primo principio moueri, & ſecundùm Doctorem videtur quòd non.

T.c.42. Cap.4. 51

***V**Trùm autem vnam ponendum eſt talem ſubſtantiam, aut plures, & quot, oportet non latere: ſed reminiſci, & aliorum negationes; quia de pluralitate nihil dixerunt, quod ſit planum dicere. Quæ enim circa ideas exiſtimatio nullam perſcrutationem habet propriam. Numeros quidem enim dicunt ideas. Sed de numeris quandoque autem ſicut de infinitis dicunt: quandoque autem vt vſque ad decadem determinatis. Propter quam cauſam verò tanta pluralitas eſt numerorum, nihil dicitur ſtudio demonſtratiuo.*

Al. immobilis.

Hîc, vt dicebatur, inquirit Philoſophus de ſubſtantiæ immaterialis numerali quantitate. Circa quod duo facit. Primò proponit inquiſitionis neceſſitatem. Secundò accedit ad determinandum veritatem. Secunda ibi: *Nobis autem ex ſuppoſitis.* Dicit ergo quòd *non oportet latere, ſed reminiſci, & aliorum negationes*: quia ſcilicet *nihil dixerūt de pluralitate ſubſtantiarum* immaterialium, *quòd ſit planum dicere,* id eſt, nihil dixerunt planum, & manifeſtum: *vtrùm eſt ponendū vnam talē eſſe ſubſtātiā tantùm, aut plures:* quod ſic patet: *Exiſtimatio enim,* id eſt, opinio, *quæ eſt circa Ideas, nullā habent propriam perſcrutationem,* quia ſcilicet Ideæ non habent rationem alicuius certitudinis, cùm ponantur eſſe omnium rerum communicantium in aliquo communi; & ſubdit quòd *numeros enim dicunt ideas:* hoc autem addit, quia Platonici poſuerunt Ideas eſſe numeros: ex quibus forſan videretur, quòd ex parte numerorū poſſit haberi certa pluralitas Idearum, contra quod inuehitur dicens: *Sed de numero quādoque quidē ſicut de infinitis dicunt: quādoque vſque ad decadē,* id eſt, decē *determinatis.* Vult dicere, quòd ponentes Ideas eſſe numeros, non ſemper vno modo de pluralitate nunumerorum loquebātur, nam quādoque numeros dicebāt eſſe infinitos ſecundum ſpeciem, & hoc in infinitū: quandoque verò dicebant ſpecies numerorum determinari vſque ad decem, & hoc quantùm ad numerationē: quia alij numeri poſt decem vidētur iterari ſecundùm nomen numeri denarij, vndecim enim videtur idē quod decem & vnū: & ſic de aliis. Et ſubdit cōtra ſic opinantes quòd *propter quā cauſā tāta ſit pluralitas numerorū,* ſcilicet vſque ad decem: *nihil dicitur* ab eo *ſtudio demonſtratiuo,* id eſt, per rationem demonſtratiuam. Cuius forſan ratio eſt, quia talis demonſtratio ſpecierum numeri non eſt ſecundùm rem, ſed ſecundùm nomen tantùm: licèt aliquis aſſignet iſtam rationem, quia numerus denarius conſurgit ex proceſſu numerorum vſque ad quaternarium, qui eſt primus numerus quadratus. Nam vnum, & duo ſunt tria: & tria addita faciunt ſex: quatuor autem additis faciunt decem. Sed vtrùm iſta ratio valeat non eſt præſentis negocij pertractare. Tunc ergo ſupplendum eſt, quia ex quo ponentes ſubſtantias immateriales maximè fuerunt Platonici ponentes Ideas, cùm illi nihil determinatè dixerint de earum pluralitate: Ideò neceſſarium eſt nunc inquirere vtrùm ſit vna ponenda talis, aut plures. Deinde cùm dicit:

Sermo de numero ſubſtantiarum immobilium immaterialium.

In numeris quoad eorum rationē in infinitū ſpecificè procedere licet, denominatiuè vſque ad decem antiqui dixēre.

Al. numerorū denominationem.

Al. progreſſu

T.c.45. 52

Nobis autem ex ſuppoſitis, & determinatis dicendum. Principium quidem enim & primum entium eſt immobile, & ſecundùm ſe, & ſecundùm accidens: mouens verò primum ſempiternum, & vnum motum. Quoniam autem quod mouetur neceſſe eſt ab aliquo moueri, & primum mouens immobile eſſe ſecundùm ſe, & ſempiternum motum à ſempiterno moueri, & vnum ab vno.

Accedit ad determinandum veritatem. Circa quod duo facit. Primò oſtendit illas ſubſtantias eſſe plures indeterminatè. Secundò inquirit earum numerum determinatum. Secunda ibi: *Pluralitatem verò.* Prima in tres. Primò oſtendit eas eſſe plures. Secundò eas eſſe ſubſtantias. Tertiò eſſe ordinatas. Secunda ibi: *Neceſſe & harum lationum.* Tertia ibi: *Quod quidem enim ſunt.* Prima in duas. Primò reſumit aliquid eſſe vnum, primum, principiū, immobile. Secundò oſtēdit quòd præter illud vnū primū ſunt etiā alia plura Secūda ibi: *Videmus autē.* Dicit ergo, quòd ſupple licèt alij nihil determinatè dixerint de numero harum ſubſtantiarū, vt dictum eſt: *Nobis autē dicendū eſt ex ſuppoſitis & determinatis* ſcilicet ſuperiùs, & in 8. Phyſic. t.c.45. & inde, *quòd primum principium entium eſt quidē immobile, & ſecundùm ſe & ſecundùm accidens,* quod ſcilicet eſt *mouens vnum motum primum, & ſēpiternū.* Cuius cauſam tangit. *Quoniā omne, quod mouetur neceſſe eſt ab aliquo moueri,* vt probatur 7. & 8. Phyſ. t.c.1. & inde. t.c.33. & circiter neceſſe eſt ſupple

Primus motor eſt penitus immobilis æternus, & vnus, vnius æterni mobilis.

supple esse *primum mouens secundùm se*, id est, *omnino esse immobile : & motum sempiternum moueri à sempiterno* scilicet mouente : *& vnum*, scilicet motum *ab vno* mouente. Iste autem est motus primi mobilis, quod mouetur à prima intelligentia motrice. Deinde cùm dicit :

Videmus autem præter vniuersi simplicem lationem, quam mouere dicimus potentiam existentem hîc substantiam, & immobilem : alias lationes planetarum sempiternas. Sempiternum enim, & instabile circulare corpus. Ostensum est autem, & in Physicis de his.

53

Ostendit quòd præter primum mouens immobile sunt etiam alia plura.

Ad cuius euidentiam sciendum, quòd Philosophus venatur numerum substantiarum immaterialium viâ motus : & ideò secundùm numerum mobilium cœlestium opinatus est esse numerum Intelligentiarum. Quia igitur præter primum motum primi cæli apparent alij motus, puta planetarum : oportet primum mouens primi cœli ponere alias substantias immateriales motrices orbium planetarum. Dicit ergo, quòd *Præter simplicem lationem vniuersi*, qui est motùs diurnus primi mobilis vniformis, & simplicis : *quam* scilicet lationem *dicimus mouere primam substãtiam existentem hîc immobilem. Videmus alias lationes sempiternas ipsorum planetarum.* Quod probat, *quia circulare corpus*, id est, *cælum est sempiternum, & instabile*, id est non potens stare, aut quiescere: quia eius motus non potest quiete interrũpi: quia igitur cælum est corpus sempiternum, ideò sempiternitas motus non potest tolli per corruptionem mobilis : & tunc supplendum est, quod cùm cuilibet mobili respondeat proprius motus, oportet quòd præter primum mouens, quod mouet primum cælum, erunt plures alij motores. Et subdit, *quod ostensum est autem de his in Physicis*, scilicet in 8. Phys. t.c.48. & inde, & specialiter, t.c.73. & inde, quod scilicet cælum mouetur motu cõnuo, & sempiterno. Deinde cùm dicit :

Præter motũ mobile, & mouens primum. sunt alia plura ponenda.

Necesse, & harum lationum vnamquamque ab immobili moueri secundùm se, & sempiterna. Astrorum enim natura sempiterna substantia quædam ens, & mouens sempiternum, & primum eo quod mouetur. Et quod priùs substantia substantiam esse necesse est. Palàm itaque quòd tot substantias esse necesse est natura sempiternas, & immobiles secundùm se, & sine magnitudine propter prædictam causam.

54

Mouentia omnia coporũ cælestium, substantias esse ostendit.

Non sunt verb. Scot. sed Ant. Andrea.

Ostendit illa plura mouentia esse substantias tali ratione: Astra mobilia sunt substantia, & mouens est prius moto: Sed nihil est prius substantia, nisi substantia; ergo illa mouentia astrorum oportet esse substantias. Dicit ergo, quòd *vnamquamque harum lationum dictarum est necesse moueri* à substantia *sempiterna, & immobili secundũ se:* enim pro quia : *vnumquodque astrorum est natura sempiterna, & substantia quædam ens, ergo, & mouens est sempiternum, & priùs eo quod mouetur; & quod est prius substantia : necesse est esse substantiam : palàm itaque* quòd supple quot sunt lationes astrorum, *tot necesse est esse substantias natura,* id est, naturaliter *sempiternas, & immobiles secundùm se, & sine magnitudine propter causam prædictam :* quia scilicet mouent tempore infinito: & per consequens sunt virtutis infinitæ: quæ in magnitudine esse non potest, vt præostensum est. Ex quo apparet, vt videtur secundùm mentem Philosophi, quòd non solùm prima Intelligentia, sed etiam omnes aliæ sunt virtutis infinitæ : sicut hîc videtur dicere exprESSè : & per consequens, quòd omnes sint quidã dij: licèt vna sit inter eas principalis. Vnus tamẽ Doctor nititur, & satis rationabiliter, ipsũ excusare; vt scilicet ipse nõ posuerit aliquam Intelligentiam esse virtutis infinitæ præter primam, sed ratione breuitatis supersedeo pro nunc istam materiam pertractare, quia de hoc inferiùs quæretur : & tunc parebit quomodo ista litera est aliter exponenda, quàm modò exposita sit. Deinde cùm dicit :

Iste Doct. est Scot. in 7.q. quodli. & in t. de primo principio. vide 2. & 8. d. 1.

Quia quidem igitur sint substantiæ, & harum quæ prima, & secunda secundùm ordinem eundem lationibus astrorum, palàm.

T.c.44.

Ostendit illas substantias esse ordinatas, dicens, quòd *quidem enim sint substantiæ* immateriales, & mouentes: *Et harum quæ prima, & quæ secunda: secundùm eundẽ ordinẽ lationũ astrorũ palàm est:* ita scilicet quòd ordo substãtiarum separatarũ, & immaterialium sit secundùm ordinem motuum, & mobilium cælestium. Probãt enim periti Astronomi, quòd oportet nunc supponere quòd quanto corpus cæleste est superius, tanto habet effectum vniuersaliorem, & diuturniorem, & priorem: quia igitur corpora cælestia sunt quasi instrumenta substantiarum immaterialium mouentium, sequitur quòd substantia motrix, & superioris orbis sit vniuersalioris, & efficacioris virtutis : & per consequens notior, & perfectior in natura.

Quãtò corpus cæleste est superius, eò maiorem habet effectum. Ordo substantiarum mouentium est secundùm ordinem mobilium, & motuum attendendus.

Notandum quòd, vt potest haberi ex loco isto, & ex secundo Cæli, & Mundi, t.c.60. & circiter. Aristoteles, qui non fuit multùm peritus in Astrologia, non putauit esse aliud cælum: præter cælum stellarum fixarum: ita quòd secundùm eum octaua sphæra, quòd est cælum stellatum, siue firmamentum, esset primum mobile, & motor eius esset primum principium. Vnde post primum motum non enumerat hîc nisi lationes planetarum. Tamen à peritis Astrologis deprehensus est motus firmamenti, quod mouetur contrà primum motum, super polos Zodiaci in centum annis vno gradu: & per consequens supra firmamentum oportet dare nonam sphæram, quæ sit primum mobile, reuoluens totum cælum motu diurno ab Oriente in Occidentem : & illud est mobile à primo mouente.

Quia Aristoteles non fuit peritus Astrologus, errauit in mobili primo, & numero mobilium assignando.

Sed est dubium, vtrùm primum cælum moueatur immediatè à primo principio. Dicendum quòd secundùm rei veritatẽ primum mobile habet duo mouentia: vnum separatum, qui est Deus mouens in ratione amati, & desiderati: aliud coniunctum, quod est secunda Intelligentia immediata post Deum: à qua immediatè mouetur in ratione amatis. Et mediante prima, quæ est Deus : ipsum primum cælum mouet. Et hæc est sententia expressè Auicennæ 9. Metaphys. cap.4. sed de intentione Aristotelis dicit vnus expositor, quòd sententia sua est, quòd primum cælum mouetur immediatè à primo principio, quod est Deus. Sed hoc non videtur, quia superiùs dixit, quòd primum mouens mouet primum motum in ratione amati.

55

Dubium notabile de motore primi orbis.

D.Thom hîc.

Oportet

Quod respectu cæli est ponendum mouēs duplex de mēte Arist. vide 7.q.quodli.& in t.de primo principio,& 2.& 8.d.1.

Oportet ergo, quòd sit dare aliud mouens, quod moueat in ratione amantis, de quo dixit suprà quòd ipsum consequitur maxima delectatio, ex hoc, quia intelligit, & amat primum mouens: & illud est aliqua secunda Intelligentia, quæ vocatur anima cæli, non in ratione informantis, sed in ratione motricis, vt ostensum est 8. huius, & hæc est expressa sententia Comment. c.21. huius Vbi exponens Philosophum assignat primo cælo duplex mouens, vnum coniunctum,& aliud separatum.Hæc enim videtur expressa sententia Arist. 8. Physic. t.c.78. & inde, quòd potentia infinita non potest immediatè mouere corpus in tempore: quia si sic, aliqua potentia finita posset moueri in æquali tempore, eo quòd augmentata virtute motiua minuitur tempus in quo mouet.Secundùm hoc ergo dicitur, quòd Deus non potest immediatè causare motum propriè dictum,quia cùm sit successiuus necessariò est in tempore. Posuit ergo duo mouentia ordinata: quia primum mouet mediatè, quia dat virtutem secundæ, & quia dat perpetuò illam virtutem, ideò est causa perpetuitatis in motu. Finitas autem virtutis receptæ,si finita sit, quæ non est aliud à natura Angeli, qui est secundum mouens, est causa successionis in motu: quia illi virtuti si ponitur finita potest esse aliqua resistentia in mobili, quæ non possit esse respectu virtutis infinitæ. Hæc videtur intentio Aristotelis. Philosophus tamen vtrumque mouens videtur accipere pro vno: & illud præmittit in computationem substantiarum immaterialium, quarum numerum venatur secundùm numerum mobilium cælestium, vt patebit infrà.

Duas primas Intelligētias Philosophus pro vna ponit enumerando Intelligētias.

SVMMARIVM.

Tradit de variis astrorum,seu planetarum motibus, vt inde venetur Intelligentiarum numerum. Sed vt aduertit Doctor, tam ipse, quàm Astronomi, quos sequitur, errant de numero cælorum, & orbium; de quo vide Doct. 2. d. 14.q.2. addo errasse in eo, quod putauit ex numero cælorum numerum intelligentiarum colligi, cùm prima Intelligentia omnes mouere posset.

PLuralitatem verò lationum iam ex maximè propria Philosophia Mathematicarum scientiarum intendere oportet ex Astrologia. Hæc enim de substantia sensibili quidem; sempiterna autem facit Theoricam: aliæ verò de nulla substantia,puta quæ circa numeros,& Geometria. Quia quidem igitur plures sint eorum,quæ feruntur lationes manifestum est,& parum attingentibus:pluribus enim quàm vna astrorum errantium vnumquodque fertur.

T.c.45.

Sed quot sunt hæ?nunc quidem,& nos quæ dicunt Mathematicorum quidam, attentionis gratia dicimus:vt mente aliqua pluralitas determinata suscipiatur. Reliquum verò hoc quidem quærentes oportet ipsos:illa verò persuaderi à quærentibus,si quid videatur præter modò dicta ab eo tractantibus: amare quidem vtrosque, persuaderi verò à certioribus.

56

Accedit ad inquirendum determinatū numerum mobilium & mouentium.

Inquirit illarū substantiarum numerum determinatum. Circa quod duo facit. Nam quia viâ motus procedit ad inquirendum earum pluralitatem, ideò primò inquirit numerum mobilium,& motuum cælestium. Secundò iuxta hoc concludit numerum determinatum substantiarum mouentium, quæ sunt substantiæ immateriales, & immobiles. Secunda ibi: *Quare & substantias.* Prima in duas. Primò proponit viam,& modum huius inquisitionis. Secundò iuxta modum datum prosequitur de intento. Secunda ibi: *Eudoxus autem.* Dicit ergo, quòd *Pluralitatem verò lationum*,id est,motuum cælestium,oportet intendere, id est,accipere & considerare ex Astrologia, *quæ Mathematicarum sciētiarum*,id est,inter scientias Mathematicas *est maximè propria Philosophia* ad hoc scilicet inquirendū.Hæc enim scilicet *Astrologia* sola supple *facit Theoricā*,id est,cōsideratione *de substātia sensibili quidem,sempiterna autem*, id est,de corpore cælesti:*aliæ verò* scilicet scientiæ Mathematicæ,*de nulla* supple substantia sempiterna considerant in speciali sicut facit Astronomia. *Puta quæ circa numeros*, id est, Arithmetica, *& Geometria*, quæ versatur circa magnitudines: numerus autem, & magnitudo sunt quædā accidentia. Et subdit, *Quòd quidem igitur plures sint lationes eorū,quæ ferūtur planetarū manifestū etiam parū attingētibus*,scilicet scientias Mathematicas: quia hoc supple patet ad sensum. *Enim* pro quia, *vnū quodq; astrorū errrantiū fertur*,scilicet pluribus lationibus quàm vna. Dicuntur autem planetæ astra errantia: non quòd in se irregulariter moueantur: sed quia præter varios motus quos habent, non semper seruant eandem positionem, & figuram ad alias stellas, vnde propter causam oppositam aliæ stellæ dicuntur fixæ, cùm semper sint in eadem distantia, & propinquitate. Et subdit: *Quot sunt hæ*, scilicet lationes planetarum *nunc nos dicemus quidem secundùm*,scilicet ea *quæ dicunt quidam Mathematicorum,& hoc attētionis gratiâ*,id est,vt reddamur attenti,& *vt menti suscipiatur*,scilicet à nobis *aliqua pluralitas determinata* illarū lationū.*Reliquum verò* si quid videatur *præter modò prędicta ab eo tractātibus*,id est, si quid aliud apparet postea præter ea quæ dicūtur,& tractātur à modernis:*oportet hoc quidē quærētes ipsos*, id est,vt quæramus per nosipsos. *Ista verò persuaderi à quærentibus*,id est, quod in hoc persuadeamur ab his,qui de talibus inquirūt.Et subdit,quòd *Amare quidē* oportet *vtrosque*,scilicet tā eos quorum opinionem sequimur; quàm eos, quorum opinionem fugimus.*Persuaderi autē à certioribus*, scilicet nos oportet; quia illi certiùs veritatē cognouerūt.Ratio huius potest esse:quia in eligēdo, vel fugiēdo opinionē nō debet homo duci amore, vel odio opinātis:sed potiùs ipsa veritate: & ideò amare quidem vtrosque oportet, quia vtrique iuuant ad inquisitionem veritatis: & ideò iustum est dicere gratias, vt habetur 2.huius:t.c.2.tamen oportet à certioribus persuaderi.

De numero lationum & orbium primo pertractat.

Astrolologia propriè de motibus calestibus considerat: ideo ab ipsa numerum lationum & corporum talium accipere conuenit.

Quare 7 planeta dicuntur stella erratica

Vide 1. Cal. t.c.101.& 1.Eth.c.6.

57

Quæst. 1.

Notandum,quòd illud quod hîc dicitur scilicet quòd aliæ scientiæ Mathematicæ ab Astrologia,de nulla substātia cōsiderant,videtur esse cōtra illud, quod dictum est 6. huius. Quòd scilicet scientia Mathematica cōsiderat de substantia corporea, vt de secundo speculabili. Tamen exponendum est, vt ibidem dictum fuit, quòd licèt secundùm veritatem scientia Mathematica sit de substantia corporea; tamen dicitur esse de quantitate continua, vel discreta, ex hoc, quia Mathematicus

Qualiter Mathematica de substantia & accidentibus determinat.

supponit quantitatem, tanquam primam passionem, mediante qua in substantiam corpoream reducit omnes alias passiones; quantitatem autem supponit tanquam passionem per se notam: & ideò quadam appropriatione Mathematica dicitur de quantitate, licèt realiter sit de substantia corporea, vt ibidem fuit declaratum.

Planetam moueri pluribus motibus.

Planetam contingit se habere tripliciter.

Notandum etiam, quòd vltra motum diurnum, qui est motus primi mobilis, deprehensum est plures esse lationes planetarum secundùm instrumenta Mathematica; puta astrolabium, & quadrantem, &c. Et etiam per rationem, quatenus motus planetæ apparet quandoque velocior, quandoque tardior; & planeta quandoque videtur directus, quandoque retrogradus, quandoque stationarius statione prima, vel secunda: quod non potest esse secundùm motum sphæræ, cùm ille sit omnino vniformis. Et ideò ad saluandum hos diuersos motus Ptolemæus, & alij periti Astrologi inuestigauerunt circulos planetarum præter sphæras, scilicet deferentem, & Epicyclum, &c. Et ideò benè ait Philosophus, quòd astrorum errantium plures sunt lationes quàm vna. Deinde cùm dicit:

Eudoxus quidem igitur Solem, & Lunam vtriusque lationem in tribus posuit esse sphæris. Quarum primam applanorum astrorum esse. Secundam autem secundùm eum qui Zodiaci per medium. Tertiam autem secundùm obliquatum in latitudinem animaliũ. In maiori autem latitudine obliquati secũdùm quam Luna fertur, quàm secundùm quam Sol.

T.c.46.

Errantium verò astrorum in quatuor cuiusque sphæris. Quarum primam quidem, & secundam illis eandem esse. Et eam quæ est applanorum, quæ omnes est ferens: & eam quæ sub ea ordinata, & secundùm eum, qui per medium Zodiaci lationem habentem, communẽ omniũ esse, Tertiæ verò omniũ eo in circulo polos esse, qui per media signa transit. At quartæ lationem per obliquum ad medium circulum huius esse. Tertiæ verò esse sphæræ polos aliorum quidem proprios; Veneris verò, & Mercurij eosdem.

58

Prosequitur de intento iuxta modum datum, narrans opinionem illorum quos sequitur, & qui tempore suo erant magis famosi in Astrologia. Et diuiditur in duas, secundùm duas opiniones, quas adducit. Secunda ibi: *Callipus autem.*

Aristotel. & Astrologi quos imitatus est errauerunt in numero orbium cælestium & circulorum.

Ad euidentiam istorum notandum, quòd Aristoteles & hi quos sequitur, in multis errauerunt circa Astrologiam. Tum, quia cælum stellatũ opinati sunt esse primum mobile, & primum cælum simpliciter: & ideò post illud non posuerunt nisi orbes planetarum, quod falsum est, secundùm quòd dictum est iam: tamen quia negauerunt epicyclos, & excentricos, id est, circulos deferẽtes, quorum vtrumque ponendum est, vt à magis peritis Astrologis est repertum, vt iam dictum est. Vnde per illos circulos saluant diuersitates apparentes in planetis, siue quantùm ad quantitatem, siue quantùm ad figuram: siue quantùm ad velocitatem, & tarditatem, stationem, retrogradationem, & directionem, &c. De istis opinionibus nõ est multùm curãdum in se, quia hoc est alterius negocij. Primam ergo opinionem recitans, dicit quòd *Eudoxus quidem igitur Solem, & Lunæ vtriusque lationem in tribus sphæris posuit esse*, ita quòd motum Solis, & Lunæ dixit fieri in tribus: *Quarum primam* scilicet lationem, vel sphæram, tam Solis, quàm Lunæ, *dixit astrorum applanorum*, id est, fixorum; & iste est motus diurnus, quo mouentur ab Oriente in Occidentem motu primi mobilis: quod Eudoxus dixit esse cælum stellatum, vt prædictum est. Quia verò non putauit, quòd non solùm primum mobile sufficeret ad reuoluendum sphæras omnes planetarum motu diurno, sicut posuit Ptolemæus, & alij periti Astrologi, ideò assignauit cuilibet planetæ sphæram propriam, in qua moueretur motu diurno. Et ad hunc motum causandum posuit primam sphæram Solis, & Lunæ. Secundam autem sphæram posuit *secundùm eum* scilicet motum, *qui est per medium*, scilicet *Zodiaci* sub linea ecliptica. Nam Sol, & Luna mouentur per medium Zodiaci sub linea ecliptica ab Occidente in Orientem contra motum primum, qui dicitur motus longitudinis: & ad causandum hunc motum posuit secundam sphæram. *Tertiam autem sphæram posuit secundùm motum obliquatum in latitudinem animalium*, id est, signorum Zodiaci, quæ figurantur, vt in pluribus figura alicuius animalis: secundùm enim Eudoxum Sol, & Luna non semper sunt sub ecliptica, sed quandoque declinant ab ea, nunc ad Aquilonem, nũc ad Austrum: & iste dicitur motus latitudinis. Quia verò iste motus magis apparet *in Luna, quæ in Sole*, quatenus plus declinat ab ecliptica. Ideò subdit, quòd *in maiori latitudine apparet* supple *obliquari motum, secundùm quem Luna fertur, quàm secundùm quem Sol.* Veruntamen secũdùm Ptolemæum, & Magistrum in sphæra, licèt Luna habeat hunc motum latitudinis, non tamen Sol, sed semper discurrit sub ecliptica. Eudoxus autem, vt ait Simplicicius, opinatus est, quòd Sol declinat ab ecliptica, nũc versus polum Arcticum, nunc versus Antarcticum, motus ex hoc quia Sol non semper oritur in eodem puncto, cùm est in Tropicis hyemali, & æstiuali. Propter hunc ergo motum saluandum posuit tertiam sphæram Solis & Lunæ. Et dicitur quòd hanc tertiam sphæram posuit in Sole reuolui ad eandem partem cum secunda: sed in Luna ad partem eandem cum prima sphæra. Et subdit quòd *Errantium verò astrorum aliorum* scilicet quinque planetarũ, *posuit* supple motum *in quatuor cuiuslibet sphæris, quarum primam quidem, & secundam dixit esse eandem*, id est, eiusdẽ rationis *cũ prima*, & secũda Solis, & Lunæ; quia motus primus, quem ponebat esse stellarum fixarum; & motus secundus, qui est per medium Zodiaci secundùm longitudinem, apparet cõmuniter in omnibus planetis. Ideò dicit quòd *Et eam* scilicet sphærã, aut lationẽ, *quæ est applanorũ*, id est, stellarũ fixarũ: *quæ est ferẽs omnes motus* scilicet raptus. *Et eã* scilicet sphærã, *quæ est ordinata sub ea, & habẽtem lationẽ secũdùm eũ* motum, *qui est per mediũ Zodiaci*, dixit *esse cõmunem omniũ* Et subdit quòd *Tertiæ verò* sphæræ *omnium*, scilicet aliorum quinque dixit *esse polos in eo*, qui est per *medium* animaliũ, id est, in linea ecliptica. Hãc autẽ tertiam sphærã posuit ad causãdũ motũ latitudinis. *Quartam autẽ lationẽ posuit esse secũdum obliquatũ ad medium huius*, scilicet tertiæ sphæræ. Dicit enim quòd quia ponebat omnes sphæras esse excentricas, sequitur quòd ex quo Zodiacus transibat

Opin. Eudoxi de numero cælorum apparẽs licèt erronea.

Soli & Lunæ Eudoxiũs 3. sphæras attribuit.

Aliis verò quandoque quatuor.

per

per polos tertiæ ſphæræ, quòd è conuerſo tertia ſphæra tranſiret quandoque *per polos* Zodiaci: ex quo ſequitur quòd motus *tertia ſphera* deferret ipſum planetam vſque ad polos Zodiaci, quòd tamen nunquam contingit: & ideò fuit coactus ponere quartam ſphæram, quæ ipſum planetam deferret, quæ reuoluitur in contrarium tertiæ in æquali tempore, ad impediendum nè plus diuertatur ſecundùm latitudinem à Zodiaco, & ne exeat extra latitudinem Zodiaci pluſquam oportet. Et hoc eſt, quod dicit quòd *Quarta lationem*, id eſt, quartum motum planetæ ponebat eſſe ſecundùm quendam *circulum obliquatum* ad *medium tertia ſphara*, id eſt, contra maximum eius circulum, atque motum.

Communiter in omnib. originalibus deficit tex. hic de t. 4. latione, & verba finalia t. qui habetur non pertractâtur.

Notandum, quòd iſte Eudoxus ad ſaluandum prædictas diuerſitates, quæ apparent in planetis, poſuit vnicuique planetæ diuerſas ſphæras concentricas mundo: quarum vnaquæque habet motum proprium, & ex illis motibus cauſantur ea, quæ apparent circa motus planetarum: iſte autem ſphæræ ſunt in numero 26. Nam cùm cuilibet quinque planetarum aſſignaret quatuor ſphæras, omnes ſimul ſunt 20. Quibus ſi iungantur 3. Solis, & 3. Lunæ: quæ ſunt 6. Omnes ſimul erunt 26. Sic tamen quòd corpus cuiuſlibet planetæ intelligatur defixum in vltima ſuarum ſphærarum verſus centum mundi. Deinde cùm dicit:

59

Numerus orbium planetarum 26. ſecundum Eudoxum.

T. c. 47.

Callippus autem poſitionem quidem ſphærarum eandem poſuit cum Eudoxo: hoc autem diſtantiarum ordinem. Pluralitatem verò ei quidem quæ Iouis, & ei quæ Saturni eandem cum illo dedit. Solis verò, & Lunæ duas exiſtimabat adhuc apponendas eſſe ſphæras, apparētia ſi quis eſt redditurus: reliquis verò planetis ſingulis vnam. Neceſſe autem ſimul poſita omnes apparentia ſunt redditura ſecundùm quemlibet errantium: alteras ſphæras vna minores eſſe reuoluentes, & ad idem reſtituentes, præter primam ſphæram ſemper inferius ordinati aſtri: ſic enim ſolùm contingit planetarum lationem omnia facere. Quoniam igitur in quibus quidem ipſa feruntur ſphæris: hæ quidem octo; hæ autem quinque, & viginti ſunt. Harum autem ſolas non oportet reuolui in quibus in fine ordinatum ferunt. Quæ quidem reuoluunt eas, quæ ſunt primorum duorum ſex erunt. Et quæ ante eas, quæ ſunt poſteriorum quatuor, ſexdecim. Omnium itaque numerus, & ferentium, & reuoluentium ea quinquaginta quinque. Si autem Soli, & Lunæ non addiderit: quia quos diximus motus, omnes ſphæræ erunt ſeptem, & quadraginta. Pluralitas igitur ſphærarum tanta ſit.

60

Narrat ſecundam opinionem, quæ eſt Callippi, quæ eſt de pluralitate ſphærarum. Iſte antem Callippus, vt ait Simplicius, fuit conuerſatus Athenis cum Ariſtotele qui cum Callippo correxit, & ſuppleuit ea, quæ inuenta fuerant ab Eudoxo. Vnde in quibuſdam conueniebat cum Eudoxo & in quibuſdam differebat. Ideò dixit, quòd *Callippus autem poſuit eandem poſitionem ſphærarum cum Eudoxo: hoc autē eſt*, id eſt, ſecundum *diſtantiarū ordinē*: Quia ſcilicet ordinabat planetas, ſicut Eudoxus, & etiam motus, & ſphæras ſicut & ipſe. Conueniebat etiam, *quia pluralitatem* ſcilicet ſphærarum *ei quidem quæ Iouis, & ei quæ Saturni eandem dedit*, id eſt, aſſignauit *cum illo* ſcilicet Eudoxo: quia vtique dedit quatuor ſphæras, quæ ſimul ſunt octo, ſed differebat ab eo in aliis. Ideò ſubdit, quòd *Soli verò*, & Lunæ *duas ſphæras exiſtimabat adhuc eſſe apponendas: ſi quis eſt redditurus apparentia*, id eſt, ſi quis velit aſſignare, & reddere rationem eorum, quæ apparent circa motus Solis, & Lunæ, ita quòd Sol habebit quinque ſphæras, & Luna ſimiliter quinque, quæ ſimul ſunt decem. Has autem duas ſphæras addit forſan propter ſaluandam velocitatem, & tarditatem apparentem in motibus Solis, & Lunæ: *reliquis verò planetis*, tribus ſcilicet qui reſtant, puta Marti, Mercurio, & Veneri, *ſingulis*, tribus ſcilicet vnam ſphæram addebat. Ita quòd quilibet habet quinque quæ ſimul faciunt 15. quæ ſi addantur præcedentibus ſimul faciunt 33. & has omnes vocabat deferentes: quatenus ſecundùm eas corpus planetæ ferebatur: illam autem vnam ſphæram addebat illis tribus planetis ſcilicet Marti, Mercurio, & Veneri, fortè ad ſaluandam retrogradationem, & ſtationem quæ apparent in planetis illis. Vltra autem iſtas ſphæras deferentes ponebat alias, quas vocabat reuoluentes propter cauſam, quæ dicetur. Et hoc eſt, quod ſubdit: quòd *ſi omnes*, ſupple ſphæræ *ſimul poſita*, id eſt, ordinatæ *& ſituata* ſimul *ſint reddutura*, id eſt debeant reddere, *& cauſare ea; quæ ſunt apparentia*, ſupple de motibus planetarum; ſi inquam ſic eſt, *oportet*, ſupple Præter ſphæras deferentes ſupradictas, *ponere* ſecundùm *quodlibet errantium*, ſcilicet ſecundùm quemlibet planetam *alteras ſphæras reuoluentes, & eſſe minores* vna illis, ſcilicet deferentibus, *& ad idem reſtituentes* præter primam ſphæram ſemper inferius *ordinati aſtri: ſic enim* ſcilicet ponendo ſphæras contingit ſolùm facere, id eſt, ſaluare omnia: quæ ſcilicet apparent circa lationem planetarum.

Vbi ad euidentiam literæ, notandum, quòd ad ponendum iſtas ſphæras reuoluentes, propter hoc Callippus fuit forſitan coactus, quia vltima ſphæra ſuperioris planetæ verſus centrum, puta Saturni; participat motum omnium ſuperiorum: ita quod tamen deficiebat in aliquo à motu primæ ſphæræ, & propter hoc prima ſphæra Iouis verſus firmamentum, cuius poli infiguntur aliqualiter in vltima ſphæra Saturni, participabat aliquid de motu ſphærarum Saturni: & ſic non vniformiter mouebatur motu diurno, ſicut prima ſphæra Saturni: quia participans in aliquo ſemper deficit à participato. Neceſſe igitur videbatur ponere aliam ſphæram reuoluentem ipſam, vt reſtitueret illud, quod ei auferebatur de velocitate ex ſphæris ſuperioribus: & pari ratione oportebat ponere aliam ſphæram reuoluentem ſecundam ſphæram Iouis, & tertiam ſphæram reuoluentem tertiam ſphæram Iouis. Non enim oportebat ponere aliquam ſphæram reuoluētem quartam ſphæram Iouis: quia motus quartæ ſphæræ verſus centrum medium, in qua affixum erat corpus planetæ Iouis, debebat eſſe compoſitum ex omnibus motibus ſuperioribus. Secundū hoc ergo Iupiter habebat quatuor ſphæras deferentes, & reuoluentes quot deferentes vna minùs, vt ait Philoſophus, ad idem reſtituentes præter primam ſphæram ordinati aſtri ſemper inferius: quia in ſphæra

61

Quare Callippus reuoluentes poſuit quas alij non viderunt ponendas.

Participans ſemper deficit à participato.

inferiori est affixum astrum, cui non respondet aliqua reuoluens. Quæ non puto posse sciri certè. Tamen quantùm spectat ad expositionem litteræ Philosophi sufficit scire, *quia est:* & quia sic posuit Callippus, *propter quid* quæratur. His præmissis accedit Philosophus ad colligendum numerum sphærarum priùs numeratatum, dicens, quòd *Quoniam in quibus quidem ipsa*, scilicet astra *feruntur sphæris*, id est, sphæræ deferentes: *hæ quidem sunt octo.* Puta quatuor Saturni, & quatuor Iouis. *Hæ autem quinque, & 20.* puta 10. Solis, & Lunæ, & quinque aliorum trium, puta Martis, Mercurij, & Veneris, vt prædictum est. *Harum autem*, scilicet sphærarum deferentium illas *solas non oportet reuolui in quibus in fine fertur ordinatum*, scilicet astrum sicut iam dictum est. Ex quo infert, quod illæ sphæræ, scilicet sphæræ, *quæ reuoluunt eas*, scilicet sphæras *quæ quidem sunt duorum primorum*, scilicet Saturni, & Iouis *erũt sex*, supple reuoluentes: quia cuiuslibet sunt tres, vt dictum fuit. *Quæ autem*, reuoluunt supple, *eas* scilicet sphæras, *quæ sunt quatuor posteriorum, erunt sedecim*, quæ cum sex prædictis faciunt 22. quibus si addantur prædictæ 33. *deferentes faciunt* 55. Ideò subdit, quòd *Omnium itaque numerus, & ferentium* scilicet sphærarum, *& reuoluentium eas est* 55.

Numerus orbium secundũ opinionem Callippi.

62 D. Thomas.

Aduertendum autem, quòd cùm post Saturnum, & Iouem sint alij quinque planetæ, apparet quòd prætermittit vnum eorum, cùm dicit, *posteriorum quatuor:* & vt dicitur præmittit illum vnum, vel ex errore qui quandoque accidit in numeris; vel fuit error scriptorum, vt loco *quatuor* scribi debeant *quinque*, & loco *sex*, *nouem*, quia ex subtractione vnius planetæ subtrahuntur tres sphæræ reuoluentes. Sed quia poterat esse dubium an Lunæ, & Soli sint addendæ duæ sphæræ, quas Callipus addit: vel an vtique sint dandæ duæ sphæræ solùm, vt posuit Eudoxus. Ideò subdit Philosophus: *Si autem Lunæ, & Soli non addiderit quis motus quos diximus*, scilicet Callippum addidisse, omnes *sphæræ erunt 7. & 40.* Quia tam Sol, quàm Luna habebant solùm tres sphæras reuoluentes: vt ait Eudoxus. Et tunc verum est quod dicitur: quia si à 55. subtrahantur quatuor deferentes, duæ Solis, & duæ Lunæ, & totidem reuoluentes, quæ eis respondent, quæ simul faciunt octo. Patet quòd non manent nisi 47. Concludit ergo, quòd *pluralitas igitur sphærarum tanta sit.*

Resolutio dictorum de numero calorum, sed vide in Scot. 2. d. 14. q. 2.

Notandum, quod vt potest patere ex prædictis, Callippus assignat Saturno, & Ioui quatuor sphæras deferentes, vt patet, & tres reuoluentes, quæ omnes simul faciunt 14. Ponebat enim reuoluentes æquales deferentibus vna minùs. Soli autem, & Lunæ assignauit cuilibet quinque deferentes, & quatuor reuoluentes, quæ simul sunt, 18. Aliis autem tribus scilicet Mercurio, Marti, & Veneri, cuilibet quinque deferentes, & quatuor reuoluentes, quæ sunt simul 27. Omnes igitur sphæræ simul sumptæ faciunt 59. tamen quicquid sit in causa, dimisit numerare reuoluentes vnius planetæ; & alterius à Saturno, & Ioue: quia non enumerat nisi quatuor planetas post illos duos, & sic deficiunt quatuor reuoluentes. Quæ si auferantur à 59. remanent 55. Vlteriùs si duæ sphæræ quas ille addebat vnam Soli, & alteram Lunæ non addantur: quia secundùm aliquos non sunt addendæ; tunc auferentur à 55. quatuor deferentes, duæ à Sole, & duæ à Luna, & per consequens quatuor reuoluentes, quæ eis correspondent, quæ simul sunt octo. Si ergo octo auferantur à 55. remanent 47. & hic est numerus sphærarum quem Philosophus concludit.

SVMMÆ SECVNDÆ

CAP. V.

Tot esse Intelligentias, quot cœlos secundum Philosophum, cuius opinio comparatur, & accommodatur hac de re.

SVMMARIVM.

Concludit tot esse Intelligentias, quot sunt cœli. Sed malè concludit, & erroneè, Quia millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebãt ei, Dan. 7. Tria obiecta soluit: de quibus benè Doctor; qui in solutione tertij notat, ex Philosopho malè intellecto, D. Thomam colligere, materiam esse principium indiuiduationis, de quo 2. d. 3. q. 5.

Quare, & substantias, & principia immobilia, & insensibilia tot rationabile existimare. Necessarium igitur dimittatur fortioribus dicere.

T. c. 48.

63

Postquam Philosophus inquisiuit numerum mobilium, & motuum cælestium, ex illis concludit numerum substantiarum immaterialium mouentium. Circa quod tria facit. Primò concludit intentam conclusionem. Secundò excludit triplicem obuiationem. Tertiò comparat quod dixerat ad antiquorum opiniones. Secunda ibi: *Si autem nullam.* Tertia ibi: *Tradita sunt autem.* Dicit ergo, quia cùm tanta, supple, sit pluralitas sphærarum, & motuum cælestium, *Rationabile est existimare tot esse substantias*, scilicet immateriales, *& principia immobilia*, vt habet alia litera, id est, corpora cælestia, quæ mouentur. Dicit autem *rationabile* ad denotandum hoc esse conclusum rationabiliter: quia ex auctoritate aliorum, & non per necessitatem. Ideò subdit: *Necessarium enim* scilicet *dicere dimittatur fortioribus*, id est, subtilioribus quàm ipse esset ad hoc inuestigandum. Deinde cùm dicit:

Numerum Intelligentiarum ex numero moterũ primorum & motuum taliũ concludit.

Si autem nullam poßibile dicere lationem non ordinatam ad astri lationem. Ampliùs autem omnem naturam, & omnem substantiam impaßibilem, & secundùm se optimum sortitam, esse finem oportet existimare: nulla erit præter has altera natura; sed hunc substantiarum numerum esse necesse est. Si enim essent aliæ, mouerent vtique fines existentes lationis.

64

1. Obiectio. Excludit instantiam, vt potest.

Excludit triplicem obuiationem. Quarum secunda ponitur ibi: *Sed alias quidem esse lationes.* Tertia ibi: *Quia autem vnum cælum.* Posset enim forsan aliquis dicere, quòd sunt quædam aliæ substantiæ separatæ, quibus non correspondent aliqui

motus

motus cæleſtes. Primò ergo ad hoc excludendum dicit, quòd *Si nullam lationem* cæleſtem *eſt poſſibile eſſe non ordinatam ad lationem*, alicuius *aſtri. Amplius autem*, ſcilicet ſi oportet *omnem naturam, & omnem ſubſtantiam impaſſibilem ſortitam optimum eſſe ſecundùm ſe*, id eſt, quæ habet ſuam perfectionem ſecundùm ſe, & ſine motu. Si omnem, inquam, talem potentiam *oportet exiſtimare eſſe finem*, ſupple alicuius lationis cæleſtis, *ſequitur* quòd *nulla* eſt altera *natura præter has*, ſupple ſubſtantias impaſſibiles, & immateriales, quæ ſunt fines motuum cæleſtium: *ſed neceſſe eſt hunc eſſe numerum ſubſtantiarum* ſeparatarum, qui eſt numerus motuum cæleſtium. *Si enim eſſent aliæ, mouerent vtique, vt exiſtentes finis* alicuius *lationis*.

Omnis Intelligentia eſt finis alicuius lationis immò finis eius eſt mouere, licèt non primò.

Al. exiſtẽtis.

Notandum, quòd iſta prima obuiatio eſt cogens, & Catholica: ſunt enim multæ ſubſtantiæ immateriales, puta Angeli, qui non ſunt motores alicuius orbis, ſiue motus cæleſtis. Nec hoc eſt neceſſarium: quia poſſunt eſſe quædam aliæ ſubſtantiæ ſeparatæ dignioris perfectionis, quàm vt deputentur ad aliquam cæleſtem ſphæram. Vnde, & plurimi ſunt Angeli beati, iuxta illud Danielis: *Millia millium miniſtrabant ei*. Deinde cùm dicit:

Vide 48. d. 4. q. 2.

Sed alias quidem eſſe lationes impoſſibile præter dictas. Hoc autem exiſtimare ex latis rationabile. Nam ſi quidem ferens, lati gratiâ natum eſt: & latio omnis lati eſt alicuius: nulla latio ſui gratiâ erit: nec alius alicuius lationis; ſed aſtrorum gratiâ. Nam ſi fuerit lationis gratiâ: & illam alterius gratiâ oportebit eſſe. Quare quoniam non eſt poſſibile ire in infinitum, finis erit omnis lationis latorum, aliquod diuinorum corporum ſecundùm locum.

65

2. Obiectio. Motus alios cæleſtes eſſe præter prædictos aſſeri tamen poſſe. Ferens eſt gratiâ lati, & motus moti.

Remouet ſecundam dubitationem. Diceret enim aliquis fortè, quòd in cælo ſunt aliæ lationes plures à prænumeratis, quæ quidem non poſſunt deprehendi, quatenus ex eis non accidit diuerſitas aliqua circa aſtra, quæ moueri percipiuntur ſenſu. Hoc ergo excludens dicit, quòd *Alias quidem eſſe lationes eſt impoſſibile præter dictas*. Ex quibus ſcilicet accidit diuerſitas circa aſtrorum motum. *Hoc autem exiſtimare rationabile ex latis*, id eſt, ex aſtris quæ feruntur. *Nam ſi omne ferens*, puta ſphæram, *natum eſt gratiâ lati*, id eſt, propter illud quod fertur, *& omnis latio eſt alicuius lati*, ſequitur quòd *nulla erit latio* cæleſtis, quæ ſit *gratiâ ſui*, *nec* gtatiâ *alicuius alius lationis*: ſed omnes, ſupple, lationes ſunt *gratiâ aſtrorum*, quæ feruntur. *Nam ſi fuerit latio gratiâ alterius lationis, & illam oportebit eſſe gratiâ alterius* lationis, & ſic in infinitum. *Quare quoniam non eſt ire in infinitum*, ſequitur quòd *finis omnis lationis erit aliquid diuinorum corporum latorum*, id eſt, quæ feruntur *ſecundùm cælum*, puta planetæ. Corpora enim cæleſtia vocat diuina, fortè ratione incorruptibilitatis, & permanentiæ æternæ.

Notandum, quòd vtique concedendum eſt, nullum eſſe motum cæleſtem, ex quo non poſſit percipi diuerſitas in aliquo aſtro quod mouetur: licèt ſecundùm veritatem motus cæleſtes non ſunt tales, nec illi quos Philoſophus ponit qui non ſunt ſcilicet illarum plurium ſphærarum, quos ponit in quolibet planeta, & aliquos prætermittit: qui ſcilicet ſunt motus circulorum deferentium, & epicyclorum vt tradunt Aſtronomi moderni. Vnde dato, quòd numerus Intelligentiarum eſſet ſecundùm numerum mobilium cæleſtium. Aliter eſſet dicendum de numero quàm Philoſophus poſuerit. Deinde cùm dicit:

Quid rectè, & quid non dicit hic Philoſophus.

Quia autem vnum cælum, manifeſtum. Si enim plures eſſent cæli, vt homines, foret principium quidem circa vnumquodque ſpecie vnum, numero verò multa. Sed quæcunque ſunt numero multa multam materiam habent. Vna enim, & eadem ratio multorum, vt hominis. Socrates verò vnus. Quia autem quod quid erat eſſe non habet materiam primam, entelechia enim. Vnum igitur, & ratione, & numero primum mouens immobile ens: & motum ergo ſemper & continuè vnum ſolum. Vnum ergo ſolum cælum.

T. com. 49.

66

Remouet tertiam obiectionem. Poſſet enim forſan aliquis dicere, quòd ſunt plures alij mundi, in quorum quolibet ſunt plures, & tot ſphæræ, & motus, ſicut & in iſto, & ideò oportet ponere plures immateriales ſubſtantias. Hoc ergo excludens dicit: *Quòd autem ſit vnum cælum tantùm manifeſtum eſt. Si enim eſſent plures cæli*, ſupple numero, & in eadem ſpecie, *vt ſunt plures homines*, ſequitur quòd *principium*, ſupple primum & immobile, quod *eſſet circa vnumquodque*, primum cælum, *fieret vnum ſpecie, numero verò multa*: ita quòd eſſent plura prima principia ſecundùm numerum communicantia in vna ſpecie: quod oſtendit eſſe impoſſibile, dicens: *Sed quæcunque ſunt multa numero*, & ſupple vnum ſpecie, *habent materiam*, per quam ſcilicet diſtinguuntur. *Multorũ enim*, ſcilicet indiuiduorum *eſt vna, & eadem ratio* ſpecifica, *vt ea* quæ eſt *hominis. Socrates verò eſt vnus*, non ſolùm, ſupple, ſecundùm rationem ſpecificam: ſed etiam ſecundùm naturam indiuidualem, ſed primum ſupple principium, *quod eſt quod quid erat eſſe, non habet materiam. Enim* pro quia, ſupple eius eſſentia eſt *entelechia*, id eſt, primus actus. Materia autem indiuidualis ſupponit potentialitatem in natura, quam contrahit ad hæcceitatem. Concludit ergo, quòd primum mouens eſt immobile, eſt *igitur vnum, & ratione*, ſcilicet ſpecifica, & *etiam numero*; ergo, & *motum*, qui ſcilicet ab eo cauſatur *ſemper*, & *continuè*, qui eſt primus motus, oportet eſſe *ſolùm vnum*; ergo per conſequens, *Cælum erit vnum ſolum*.

3. Obiectio.

Ex immaterialitate arguit primi motoris vnitatem numeralem, ex ipſius verò vnitate motus & mobilis vnitatem. Vide 3. d. 2. par. 2. & 2. q. quodl.

Notandum, quòd aliqui peruertentes ſenſum litteræ ex hoc loco ſumunt argumentum, quòd materia, quæ eſt pars eſſentialis, ſit cauſa indiuiduationis. Nam iſta ratio qua concluditur vnitas cæli ex vnitate motoris, & vnitas motoris, non tantùm ſpecie, ſed numero, propter hoc, quòd non habet materiam, non videtur valere: niſi diſtinctio numeralis fieret per materiam: ſed non valet, æquiuocat enim de *materia*, ſicut ſæpè dictum eſt. Concedo enim quòd non ponuntur plures motores primi, quia in primo motore non eſt materia; id eſt, non eſt in eo aliquod aliud: ſed eſt de ſe hæc ſine alio contrahente. Nam talis contradictio non ſtat cùm perfecta ſimplicitate, & ideò quiditas Dei eſt de ſe hæc. Excludit ergo Ariſtoteles à primo motore materiam, non ſolùm illam, quæ eſt altera pars eſſentialis compoſiti; ſed illam, quæ dicitur

67

Excludit intellectum D. Thomæ, & aliorũ de principio indiuiduationis. Materia duplex. Cauſa indiuiduationis duplex.

citur proprietas indiuidualis, quæ est causa indiuiduationis, non prima.

SVMMARIVM.

Comparat sua sensa opinioni antiquorum accommodatè, & videtur planè Intelligentias omnes, Deos facere, & consequenter non vnum tantùm Deum agnoscere; Sed variè in hoc exponitur.

T.com.50.

TRadita sunt autem à senioribus, & antiquis in fabulæ figura dimissa posterioribus: quia dij sunt hi, & continet diuinam naturam vniuersalem. Reliqua verò fabulosè iam adducta sunt ad persuasionem multorum, & ad opportunitatem multorum, ad leges etiam conferens. Conformes enim hominibus hos, & aliorum animalium quibusdam similes dicunt: & his altera consequentia, & dictis similia. A quibus si quis separans id accipiens solùm, quod primum Deos existimauerunt primas substantias esse: diuinè vtique esse dictum putabit, & secundùm verisimilitudinem. Et sæpè inuenta ad possibile vnaquaque, & arte, & Philosophia: & iterùm corruptis; & has opiniones illorum, quasi reliquias vsque nunc saluatas esse.

T. com. 51.

Paterna quidem opinio, & quæ à primis, inquantum nobis manifesta solùm.

68

Comparat ea quæ dixerat ad antiquorum opinionem, dicens, quòd ea quæ, supple, dicta sunt de substantiis immaterialibus, *à senioribus, & antiquis tradita sunt, & dimissa posterioribus, in figura fabulæ* scilicet, *quia hi quidem sunt quidam dij:* & quòd illud quod est diuinum, *continet naturam vniuersam:* & hoc etiam patet ex prædictis si omnes substantiæ immateriales dicantur dij, vt videtur Philosophus sentire. Si verò solum primum principium dicatur Deus, tunc erit tantùm vnus Deus. Et subdit quòd *reliqua verò sunt iam adducta fabulosè*, scilicet antiquis *ad persuasionem multorum*, qui scilicet non possunt capere difficilia, & intelligibilia, & hoc fuit, *conferens ad opportunitatem multorum, & ad leges*, supple legendas, & obseruandas, pro vtilitate humanæ conuersationis, vt scilicet ex talibus inuentis, suaderetur multitudini, vt vitia fugientes, virtuosa opera exercerent. Hoc autem fabulosè traditum exponit dicens, quòd *hos*, scilicet Deos, *dicunt esse conformes hominibus, & similes quibusdam aliorum animalium: & his alia similia, & consequentia dictis similiter* posuerunt: ponebant enim quosdam homines deificatos, & quædam similiter animalia, quæ Deos appellabant, & alia quæ ex his sequuntur. Et subdit: *A quibus*, scilicet dictis antiquorum, *si quis id accipiat solùm separans*, id est, relinquens alia dicta, *quod primum*, id est, quod primò ostensum est à primis Philosophis, *primas substantias*, id est, immateriales, *Deos existimauerunt, putabit vtique esse dictum diuinè, & secundùm verisimilitudinem*. Vnde hîc Philosophus videtur apertè consentire opinioni, quæ dicebat omnes substantias immateriales esse Deos: quia hoc asserit esse dictum diuinè, & verisimiliter, & per consequens videtur secundùm eum, quòd quælibet Intelligentia sit quoddam necesse esse, & virtutis infinitæ, vt superiùs dicebatur. Et de hoc quæretur statim. Et subdit quòd *vnaquaque arte, & Philosophia inuenta sæpè ad possibile*, id est, secundùm humanam possibilitatem, *& iterum corruptis. Has opiniones illorum*, scilicet antiquorum patet *esse saluatas vsque nunc, quasi reliquias*. Vltimò concludit, quòd *paterna quidem igitur opinio, & quæ à primis tradita est, in tantùm nobis est solùm manifesta*, scilicet per modum fabulæ.

Antiquorum opinione, dicta de substantiis immaterialibus confirmat.

Quare antiqui plures Deos ponebant.

Notandum, quòd quia Philosophus opinatus est mundum fuisse ab æterno, ideò habuit ponere consequenter, quòd quælibet ars, & Philosophia frequenter fuit inuenta, & iterum sæpè corrupta: puta vel per bella impedientia studium, vel propter diluuia, vel aliqua alia accidentia. Manifestum enim erat Philosopho, quòd ab aliquo certo tempore cœperant homines Philosophari, & artes inuenire. Videbatur enim irrationabile, quòd per infinitum tempus antè, humanum genus philosophiâ, & aliis artibus priuatum extitisset, sed nos quidem illustrati fide credimus mundum incepisse, nec oportet in hoc Philosopho assentire: quia & negato antecedente, oportet & consequens negare.

69 *Quia Philosophus posuit mundi æternitatem: ideo plura falsa consequenter posuit.*

SVMMÆ SECVNDÆ CAP. VI.

Examinantur nonnullæ dubitationes circa primi intellectus intellectionem.

SVMMARIVM.

Primum ens esse actu intelligens, & suum intelligere, séque habere pro obiecto motiuo: de quo Doctor 1. d. 2. q. 2. n. §. *quarta Conclusio*, nu. 24. Quod ait intellectum primi non intelligere aliud à se, benè exponit Doctor, scilicet, quòd sit obiectum adæquatum, vel motiuum eius, omnia tamen alia intelligit, vt terminatiua.

QVæ verò circa intellectum, habent quasdam dubitationes. Videtur quidem enim apparentium diuinissimum. Quomodo verò habens talis erit, vtique habet quandam difficultatem.

Hîc, vt dicebatur, inquirit de substantiæ immaterialis intellectualitate, vel intelligibilitate. Circa quod duo facit. Primò præmittit intentum. Secundò exequitur de intento. Secunda ibi: *Nam si non.* Dicit ergo primò; quòd *Habent quasdam difficultates*, ea supple, *quæ spectant circa intellectum*, scilicet primi mouentis, & substantiæ immaterialis: *Videtur quidem enim apparentium*, id est, inter ea, quæ hominibus apparent, primum supple principium esse *diuinissimum. Quomodo vero talis*, scilicet substantia erit vtique se *habens*: habet enim *quasdam difficultates*, vt dicetur. Deinde cùm dicit:

Sermo de substátia immobilis intellectualitate.

Nam

Nam si non intelligat, quid vtique erit insigne; sed habet se quemadmodum, vt si dormiens: siue intelligentia: huius verò aliquid principale. Non enim est hoc sua intelligentia, sed potentia: non vtique erit optima substantia. Per intelligere enim honorabile inest.

70

Exequitur de intento. Circa quod duo facit. Primò iuxta hoc præmittit quasdam dubitationes. Secundò accedit ad earum solutiones. Secunda ibi: *Primum quidem igitur*. Prima in duas. Primò mouet quæstiones principaliter intentas. Secundò quandam quæstionem annexam. Cuius solutio iuuat ad solutionem quæstionum principalium. Secunda ibi: *Ergo vtrum differt*. Prima in duas secundùm quòd mouet duas quæstiones. Quarum prima sumitur vt intellectus primi comparatur ad actum. Secunda vt comparatur ad obiectum. Secunda ibi: *Amplius autem siue intellectus*. Dicit ergo: *Nam si* intellectus, supple, primi *non intelligat*, scilicet in actu: sed, supple in potentia, vel in habitu: *quid vtique erit insigne*, & venerabile. Quasi dicat, quòd nō erit, *sed habet se quemadmodum, & si dormiens*. Vult dicere quòd bonitas, & perfectio intellectus est ex hoc, quòd actu intelligit. Si igitur intellectus primi mouentis non intelligat in actu, sed in potentia solùm, non erit quidem insigne, & venerabile, sed habebit se vt dormiens: quia intellectus intelligens solùm in potentia se habet sicut dormiens. Nam dormiens habet vtique potentias ad opera vitæ: puta sensum, & intellectum: licèt opera vitæ non operetur. Vnde somnus dicitur dimidium vitæ, non per operationem actualem, sed solùm potentialem, secundùm quē non distinguitur felix ab infelice, nec virtuosus ab vitioso. Et addit: *Siue*, supple dicatur, quòd *intellectus* primi intelligat, scilicet actu: *huius verò aliquid principale*, id est, actus intelligendi scilicet est aliud ab ipso, quia eius *intelligentia*, id est, actus intelligendi *non est hoc*, quod est *sua*, scilicet substantia: sed, supple, sua substantia comparatur ad ipsum, supple intelligere *vt potentia*, scilicet ad actum, & perfectibile ad perfectionem. Si inquam *sic dicatur*, sequitur, quòd, supple, primum intelligens non vtique *erit optima substantia*, *Enim* pro quia, *per intelligere inest ei honorabile*: & tunc supplendum est, quòd nihil est optimum, vel nobilissimum, quod est nobile, & honorabile per aliud à se.

2. Dubitatio. Vtrum intellectus primi intelligat actu semper & an suum intelligere sit idem sibi.

Notandum, quòd intellectus comparatus ad suum actum, quod est intelligere, potest tripliciter se habere. Vno modo quòd non habeat ipsum intelligere in actu, sed solùm in potentia, & in habitu, vt dormiens. Alio modo quòd habeat ipsum intelligere, & sit intelligens actu, sic tamen, quòd non sit suum intelligere, sed aliud realiter. Alio modo, quòd intellectus sic intelligat in actu, quòd tamen sit idem realiter, quod suum intelligere. Philosophus ergo proponens dubitationem, probat quòd intellectus primi non potest se habere ad intelligere primo modo. Quia si sic, haberet se vt dormiens, & non esset quid insigne, & venerabile. Nec secundo modo: quia si sic, esset substantia perfectibilis ab alio à se, & per consequens non esset optima substantia. Ideò oportet dare tertium, scilicet quòd intellectus primi sit realiter, & essentialiter suum intelligere: vt postea ostendetur. Deinde cùm dicit:

Intellectum ad suum intelligere contingit se habere tripliciter.

Amplius autem siue intellectus sit substantia, siue intelligentia, quid intelligit? aut enim seipsum? aut alterum aliquid? aut idem semper, aut aliud?

71

2. Dubitatio.

Mouet secundam quæstionem, quæ sumitur vt intellectus primi comparatur ad obiectum. Dicit ergo, quòd *Amplius autem siue* supple dicatur, quòd *intellectus primi sit* sua *substantia*, ita quòd substantia primi sit quidam intellectus: *Siue* sit *intelligentia*, id est, ipsum intelligere, quod est actus intelligendi, quod quærebat prima quæstio, *quid intelligit?* id est, adhuc restat quæstio, quid habet pro obiecto, quod intelligit: *aut enim intelligit seipsum*, *aut aliquod alterum*: & si aliquod alterum, *aut* intelligit *semper idem*, *vel aliud*. Puta nunc hoc, nunc illud. Deinde cùm dicit:

Aut vtrùm differt aliquid, aut nihil intelligere bonum, aut contingens?

Mouet quandam annexam quæstionem, cuius solutio iuuat ad quæstiones principales. Circa quod tria facit. Primò proponit quæstionem. Secundò addit eius solutionem. Tertiò infert ex dictis duplicem conclusionem. Secunda ibi: *Aut inconueniens*. Tertia ibi: *Palàm ergo*. Est ergo quæstio *vtrùm* supple ad nobilitatem, & perfectionem intellectus *differt aliquid: aut nihil intelligere bonum*, id est, aliquod obiectum nobile, & bonum; *aut contingens*, id est, quodcunque contingit indifferenter. Deinde cùm dicit:

3. Dubitatio, est incidentalis.

Aut inconueniens meditari de quibusdam.

Ponit solutionem volens, quòd differat: quod declarat quodam signo dicens: *Aut inconueniens est meditari de quibusdam*, scilicet quæ sunt vilia: quod non esset, nisi nobilitas obiecti intelligibilis faceret ad nobilitatem intellectus. Ratio huius est, quia actus specificatur principaliter ex obiecto: & ideò quantò obiectum nobilius: tantò nobilior & actus. Ad nobilitatem ergo intellectus multum refert meditari, id est, intelligere obiectum nobile, vel vile. Deinde cùm dicit:

Solutio q. incidentalis.

Quanto nobilius obiectum, eo actus nobilior.

Palàm ergo, quòd diuinissimum, & honorabilissimum intelligit.

Infert ex dictis duplicem conclusionem. Secunda ibi: *Et non transmutatur*. Dicit ergo, quòd quia, supple, multum differt ad nobilitatem intellectus, intelligere bonum, aut contingens: *palàm ergo*, quòd intellectus, supple, primi cùm sit nobilissimus, *intelligit* obiectum *diuinissimum*, & *honorabilissimum*. Deinde cùm dicit:

1. Conclusio.

Et non transmutatur. In indignius enim non transmutatio. Et motus quidem iam tale.

72

2. Conclusio. Intellectus primi entis non transmutatur de vno ad aliud.

Ponit secundam conclusionem. Quæ sequitur ex prima dicens, quòd quoniam, supple, sic est, quòd intellectus primi intelligit aliquid diuinissimum, & honorabilissimum. Ideò sequitur, quòd *non transmutatur*, scilicet de vno obiecto intelligibili ad aliud: quod probat dupliciter. Tum quia, supple, cùm intelligat obiectum dignissimum, esset *transmutatio* in aliud *indignius*, quod non potest competere intellectui primi entis: quia tunc

tenderet

tenderet in defectum. Tum secundò, quia *tale*, scilicet quod est transire de vno obiecto ad aliud, est *quidam motus*; & ideò non potest competere primo mouenti, quod est immobile omnino.

Solutio 2. partis 2. dubitationis principalis. Idem & non aliud intelligit Deus.

Notandum, quòd ex hoc colligitur solutio vltimæ partis quæstionis principalis, qua quærebatur: vtrùm intellectus primi intelligeret aliud, & aliud. Quia ostensum est, quòd non transmutatur, sed semper intelligit idem obiectum dignissimum, & honorabilissimum. Deinde cùm dicit:

Primum quidem igitur si non est intelligentia, sed potentia, rationabile est; laboriosum esse ei continuationem intelligentiæ.

73 Solutio primæ dubitationis principalis. Intelligere primi est idē substantia eius.

Accedit ad solutiones principalium quæstionum. Circa quod duo facit. Primò facit quod dictum est. Secundò iuxta datam solutionem mouet quandam quæstionem aliam, quæ restabat. Secunda ibi: ***Adhuc autem restat.*** Prima in duas. Primò soluit quæstionem primam. Secundò secundam ibi: *Deinde palàm.* Dicit ergo, quòd *Primum quidem igitur si* supple substantia sit intelligentis *non intelligentia*, id est, suum intelligere: *sed potentia*, id est, habet se in potentia ad intelligere, sicut ad perfectionem aliam à se: *rationabile est*, id est, probabile, non necessarium, *Laboriosum esse ei continuationem intelligentiæ.* Continuationem intellige, id est, continuus actus intelligendi erit ei laboriosus.

Philosophus non necessariò concludit identitatem Intelligentiæ & substantiæ.

Notandum, quòd signanter dixit hoc esse rationabile, quia non est necessarium. Licèt enim intellectio beatifica Angeli, & cuiuslibet beati sit differens ab eius substantia: non tamen continuatio perpetua eius est eis laboriosa, immò summè delectabilis. Videtur tamen consequentia Philosophi probabilis, quatenus potentia videtur esse contradictionis. Et ideò si intellectus primi se habet ad suum intelligere, vt potentia ad actum, potest quantùm est de se, intelligere, & non intelligere; nec habet ex se, quod continuè intelligat, & per consequens continuationem illam haberet ab alio: quod autem acquiritur ab extrinseco, & non habetur ex sui naturá, rationabile est, quòd insit rei cum labore, licèt hoc non sit necessarium: sicut datur instantia de motu cæli, cuius continuitas licèt dependeat ab extrinseco motore, non est tamen cum labore: vt dictum est 9. huius, tex. com. 17. & circiter. Deinde cùm dicit:

Deinde palàm: quia aliud aliquid erit dignius quàm intellectus, scilicet intellectiuum. Etenim intelligere, & intelligentia erunt indignissimum intelligenti. Quare fugiendum hæc eadem. Etenim non videre quidem quædam dignius quàm videre, non si sit optimum intelligentia. Seipsum ergo intelligit, siquidem est potentissimum.

74 Solutio 2. dubitationis principalis. Intellectum primi aliud à se non intelligere ostēdit.

Soluit secundam quæstionem. Circa quod duo facit. Primò præmittit solutionem. Secundò obiicit contra eam ibi: *Est intelligentia.* Vult ergo, quòd intellectus primi non intelligat aliud à se. Et intendit talem rationem. Si intellectus primi intelligit aliud à se, ergo aliquid est dignius eo. Consequens est falsum; ergo antecedens. Hanc rationem exponit, dicens: *Deinde*, scilicet post solutionem primæ quæstionis, *palàm est quia* si intellectus primi intelligit *aliud* à se, sequitur quòd *aliquod aliud erit dignius quàm ille*, scilicet *intellectus* obiectum. Quod sic patet: *Etenim* pro quia, *intelligere, & intelligentia*, id est, actus intelligendi inerunt ipsi *intelligenti*, etiam, supple, obiectum *indignissimum. Quare hoc*, id est, tale intelligere in actu *est fugiendum. Etenim* pro quia, *dignius est quadam non videre, quàm videre in actu: non si sit optimum intelligentia*, id est, quòd hoc non esset si Intelligentia esset quid optimum, nam tunc nullum intelligere esset fugiendum. Quia igitur aliquod intelligere fugiendum est propter indignitatem scilicet obiecti, sequitur quòd etiam nobilitas ipsius intelligere sit etiam ex nobilitate obiecti. Ex quo sequitur quòd ipsum obiectum sit dignius actu intelligendi. Cùm igitur ostensum sit, quòd primum intelligens sit essentialiter suum intelligere, sequitur quòd aliquid aliud esset nobilius eo, si intelligeret aliud à se. Ideò concludit Philosophus, quòd *seipsum ergo intelligit: si quidem*, pro quia, *est potentissimum*: & ideo in eo idem per essentiam sunt intelligens, & intellectum.

Obiectum est dignius actu.

Declarat quomodo intellectus primi intelligit alia à se, & tamē tantùm se. Vide q. 3. prolog.

Notandum, quòd intellectus primi entis intelligit seipsum, vt obiectum adæquatum: & intelligendo se intelligit alia nobiliori modo, quàm habeant esse in se. Nam essentia diuina virtualiter continet perfectionem, & entitatem cuiuscunque rei. Vnde etiam res, simpliciter loquendo, nobilius esse habent, vt contentæ in essentia diuina, quàm habeant in seipsis. Modò perfectissimè, & distinctissimè repræsentantur intellectui diuino in essentia obiecta vt in speculo perfecto: & ideò ipsæ res creatæ licèt fortè terminent actum intellectus diuini, non tamen mouent ipsum ad intelligendum, cùm omne mouens, vt sic, sit prius, & dignius ipso moto.

SVMMARIVM.

Duæ obiectiones, quòd primum mouens non sit suum intelligere & velle, soluuntur. Exponit benè Doctor duo quæ hîc tanguntur: quomodo scientia sit idem cum scito: & intelligens idem cum intellectu.

Et est intelligentia intelligere intelligentiæ, videtur autem semper alius scientia, & sensus, & opinio, & meditatio; ipsius autem in accessorio.

75 1. Obiectio contra datā solutionem.

Obiicit contra datam solutionem. Circa quod duo facit. Primo obiicit. Secundò soluit. Secunda ibi: *Aut in quibusdam.* Prima in duas, secundùm quòd obiicit dupliciter. Secunda ibi: *Amplius si aliud.* In prima parte intendit talem rationem: Primum mouens intelligit seipsum secundùm te: sed ipsum primum est idem quod sua intelligentia, vt præostensum est; ergo intelligentia primi erit intelligentia intelligentiæ, quia est sui ipsius, quod est idem quod sua intelligentia. Hoc autem videtur falsum, sicut patet in simili: quia actio sensus, & similiter scientia, &c. videntur semper esse alterius. Dicit ergo, quòd si, supple, prædicta vera sint, sequitur quòd *Intelligere est intelligentia intelligentia*, quod supple videtur falsum: quia *scientia, & sensus, & opinio, & meditatio videtur semper esse alius*, id est; alicuius alterius. Et subdit. Quòd *ipsius autem*, id est, sui ipsius est *in accessorio.* Vult dicere, quòd si contingat quandoque quòd scientia,

Formalitates Scot. tollunt hanc obiectionem.

Actus rectus est principalis reflexus accessorius.

da,& ſenſus, &c. Sit ſui ipſius, puta ſi aliquis ſentit ſe ſentire, vel ſcinſe ſcire,& ſic de aliis, hoc eſt quaſi acceſſorium, id eſt, minùs principale: quia actus principalis videtur ſemper eſſe reſpectu alterius obiecti. Si ergo intelligere primi non ſit niſi intelligentia intelligentiæ, ſequitur vt videtur, quòd ſuum intelligere non erit principale, ſed quaſi acceſſorium. Deinde cùm dicit:

Ampliùs ſi aliud aliquid eſt intelligere, & intelligi, ſecundùm quid ei ipſum benè ineſt? Non enim idẽ eſſe intelligentiæ, & intellecto.

2. Obiectio.

Ponit ſecundam obiectionem, quæ ſtat in hoc, quòd aliud eſt intelligere,& aliud eſt intelligi. Si ergo primum eſt ſuum intelligere, & eſt ipſum quod intelligitur. Reſtat dubium, cùm ſit quoddam optimum, ſecundùm quid inerit ei hoc, quod eſt benè eſſe eius? Vtrùm ſcilicet ſecundùm hoc, quod eſt intelligens: aut ſecundùm quòd eſt intellectum. Ideò dicit: *Ampliùs ſi aliud eſt intelligere, & intelligi ſecundùm quid ei quidem ipſum benè ineſt?* Quaſi diceret, quòd eſt dubium. Et addit: *Non enim eſt idem eſſe intelligentiæ, & intellecto.* Vult dicere, quòd ſi quandoque idem fuit ſubiecto intelligens, & intellectum, non tamen ſunt idem ſecundùm eſſe,& rationem: quia aliud eſt eſſe intelligentiæ, & intellecto: licèt quandoque vt in primo idem ſit intelligentia, & intellectum. Deinde cùm dicit:

Aut in quibuſdam ſcientia res: in factiuis quidem ſine materia. Subſtantia enim,& quod quid erat eſſe. In Theoricis verò rationes, & intelligentia. Non altero igitur exiſtente eo, quod intelligitur, & intellectu, quæcunque non materiam habent, idem erunt, & intellectiua eius, quod intelligitur vna.

Solutio obiectionum. Scientia duplex: vide 3. d.1.q.6.& 7.

Soluit has obiectiones, dicens, quòd *in quibuſdam ſcientia res*, id eſt, quod res ſcita eſt idẽ quod ſcientia: quod probat inducendo. Primò in ſcientiis, *factiuis*, ſiue practicis, dicens, quòd *In factiuis quidem ſine materia*, id eſt, res ſcita accepta ſine materia, eſt ipſa ſcientia: accipiendo ſcilicet ſcientiam, vt dictum eſt 7. huius, t.c.13.& inde, non pro habitu, ſed pro obiecto ſecundùm eſſe cognitum. Hoc enim modo domus ſine materia, vt eſt ſcilicet obiectiuè, id eſt, in mente artificis, poteſt dici ars ædificatoria, quod patet. *Quia*, & ars, ſupple, ſic accepta eſt, *ſubſtantia*, ſiue *quod quid erat eſſe* ipſius ſcilicet rei factæ. Omnis enim artifex cùm agat cognoſcendo, operatur cognoſcens, *quod quid eſt* rei fiendæ. Secundò inducit in ſcientiis ſpeculatiuis, dicens, quòd *In Theoricis verò rationes, & intelligentia*, id eſt, quòd ipſa res ſcita eſt idem, quod ratio diffinitiua, ſiue ipſa rei quiditas intellecta, quæ poteſt dici ſcientia modo prædicto: & idẽ quod potentia intellectiua, vt dicetur: per hoc enim eſt aliquis ſciens, & intelligens, quia habet rei rationem in eſſe obiectiuo. Ideò ſubdit quòd in his, *Quæcunque non habent materiam, non exiſtente altero eo, quod intelligitur & intellectu*, ſcilicet in actu, ſequitur quòd, ſupple, in primo mouente, cuius ſubſtantia eſt maximè immaterialis, *idem erunt, & intelligentia eius quod intelligitur vna*, id eſt, ipſum intelligere & intellectum: & ſic vna eſt intelligentia intellecti, & intelligentia intelligentiæ.

In quibus ſcientia & ſcitum ſunt idem.

Artifex cognoſcendo operatur.

In immaterialibus & maximè in primo idem ſunt intelligere & intellectum.

Notandum, quòd hîc tanguntur duæ propoſitiones, quæ etiam aut ſimiles habentur 3. de Anima. text.com.15.& inde. Vna eſt, quòd in ſeparatis à materia idem eſt ſcientia, & res ſcita: accipiendo ſcientiam non pro habitu, ſed pro obiecto ſecundùm eſſe cognitum, eo modo quo dictum eſt. Poteſt etiam dici, quòd habet veritatem accipiendo ſcientiam pro habitu. Nam quia res ſcita vt ſic, habet eſſe vniuerſale, & eſt in intellectu, ſaltem obiectiuè; Ideò aliquam ſimilitudinem, vel conuenientiam habet cum intelligentia, & cum ſcientia exiſtente in intellectu, quæ eſt eius cauſa,& ſimilitudo, inclinans ad eius conſiderationem: & pro tanto poſſunt dici aliqualiter idem, prima tamen expoſitio, realior videtur. Alia propoſitio eſt, quòd in theoricis, quæ etiam ſunt ſeparata à materia, quatenus omnis ſcientia abſtrahit ab exiſtentia,& aliis conditionibus materialibus obiecti, idem eſt non ſolùm res ſcita,& ſcientia, vt dictum eſt, ſed etiam ipſa potentia intellectiua. Ita quòd idem ſunt intelligens, & intellectum, eo modo quo fit vnum ex cognoſcente & cognito: quia ſaltem ſunt vnum ſubiecto, & per accidens, ex hoc, quòd obiectum intelligibile eſt in intellectu per ſpeciem accidentaliter inhærentem intellectui. Si igitur in omnibus eſt ſic, ſequitur, quòd in ſeparatis à materia ſecundùm eſſe, & non ſolùm ſecundùm conſiderationem, idem erit intelligens, & intellectum, cùm intelligat ſeipſum. Et ex hoc ſoluuntur præmiſſæ obiectiones. Patet enim quòd in ſolo Deo eſt idem intelligentia,& intellectum, & per conſequens idem eſt intelligentia intelligentiæ, & intelligentia intelligibilis: cùm idem ſit intelligens, & intelligibile: & idem etiam eſt in eo intelligere,& intelligi à ſeipſo. Et cùm quærebatur: ſecundum quid ſibi ineſſet ſuum benè eſſe? Videtur dicendum, quòd in hoc, quod eſt intelligere: cùm in intelligentia ſuæ eſſentiæ conſiſtat eius felicitas, non excludendo amorem, quo ſua eſſentia iucundiſſimè fruitur, ſcilicet ſummo bono.

Reſolutio dictorum.

Obiectum & potentia,& ſcire quomodo in creaturis etiam ſũt idem.

In ſolo Deo ſunt idem intelligentia & intellectum.

Per intelligentiam ineſt ſuum bene eſſe primo, includendo voluntatẽ, quod verum eſt formaliter.

SVMMARIVM.

Primùm mouens non ſe intelligere per modũ compoſiti, triplici ratione probat, ſed per modum ſimplicis & incomplexi.

ADbuc autem reſtat dubitatio, ſi compoſitum eſt quod intelligitur?

Mouet quandam quæſtionem circa ſolutionem datam, & facit duo. Primò quæſtionem mouet. Secundò ſoluit. Secunda ibi: *Tranſmutabitur enim.*

Ad euidentiam primæ patis notandum, quòd aliquid dupliciter poteſt intelligi. Vno modo per modum ſimplicis,& incomplexi, cùm intelligitur *quod quid eſt* rei. Alio modo per modum compoſiti,& complexi, vt cùm intelligitur aliqua enunciatio. Cùm igitur dictum ſit, quòd primum intelligit ſeipſum, reſtat dubitatio, vtrùm intelligat ſeipſum per modum ſimplicis, aut per modum compoſiti. Ideò dicit: *Quia adhuc autem reſtat dubitatio ſi compoſitum eſt, quod intelligitur.* Deinde cùm dicit:

78 Intelligere & intellectum duplex.

Tranſmutabitur enim in partibus totius.

Soluit quæſtionem, probans per tres rationes, quòd primum non intelligit ſe per modum compoſiti

positi. Secunda ratio ponitur ibi: *Aut indiuisibile.* Tertia ibi: *Aut quod quidem.* In prima parte intendit talem rationem: Si primum mouens intelligit se per modum compositi, ergo transmutabitur in intelligendo. Consequens est falsum, vt præostensum est, ergo & antecedens. Consequentia probatur ex hoc: quia in obiecto composito sunt plures partes, quæ possunt intelligi seorsum. Exêplum, licèt hoc compositum, *auis volat*, prout est vnum intellectum, simul intelligatur: tamen pars eius, puta *auis*, potest intelligi seorsum, & ly *volat*, potest similiter intelligi seorsum. Ex quo patet, quòd qui intelligit aliquod compositum, potest transmutari ab vna parte in aliam, intelligendo nunc illam, nunc istam. Similiter ergo esset in proposito: si primum mouens intelligeret seipsum, vt aliquod compositum. Hanc rationem breuiter tangit dicens: *Transmutabitur enim in partibus totius:* si supple se intelligeret vt compositum. Deinde cùm dicit:

Primum non intelligit se per modum complexi, & complexè, & est singularis doctrina.

Aut indiuisibile omne, quod non habet materiam, vt humanus intellectus.

Ponit secundam rationem, quæ est talis: Obiectum indiuisibile, & simplex non potest verè intelligi, vt compositum: sed primum est indiuisibile, & simplex cùm non habeat materiam; ergo non potest se intelligere vt compositum. Hanc rationem tangit breuiter, dicens, *Aut indiuisibile est omne, quod non habet materiam:* & tunc est supplenda ratio, vt priùs. Et ponit exemplum, dicens, *vt humanus intellectus.* Quod potest intelligi vel secundùm similitudinem, quantùm ad ipsius indiuisibilitatem, vel potiùs quoad dissimilitudinem in intelligendo, cùm intelligat compositum, & non solùm simplex; quia sua intelligibilia accipit à materialibus, quod non contingit de intellectu primi. Deinde cùm dicit;

Simplici intuitu omnia videt Deus.

Aut quod quidem compositorum habet in aliquo tempore. Non enim habet ipsum benè in hoc aut in hoc: sed in toto quodam quod optimum, & ens aliud aliquid. Sic autem habet ipsa suiipsius intelligentia toto æterno.

79

Ponit tertiam rationem, quæ talis est: Intellectus intelligens compositum non habet suam perfectionem semper, sed quandoque: sed intellectus primi habet suam perfectionem semper, non tantùm quandoque; ergo non intelligit se vt compositum. Maior egreditur ex hoc, quia intellectus intelligens composita, non habet suum bonum, & perfectionem in ista parte, vel in illa, sed in toto: sed partes sunt priores toto, ex quo sequitur, quòd illud quod non habet suum bonum, vel suum optimum in partibus, quæ seorsum sumi possunt, sed in toto ex partibus constituto, non habet suum bonum semper, sed quandoque. Dicit ergo, quòd *Aut quod quidem compositorum*, id est, intellectus, qui est intelligibilium compositorum, *habet*, supple, suam perfectionem *in aliquo tempore, & non* semper. *Non enim habet ipsum benè in hoc, aut in hoc*, id est, in hac parte, vel in illa: *sed ens optimum*, id est, suum optimum est *aliquid alind quod est in quodam toto:* sed *intelligentia*, scilicet primi, quæ est *ipsa suiipsius*, *sic habet toto æterno*: quia scilicet, æternaliter intelligit seipsum, non vt compositum, sed vt simplex.

Quomodo ergo sciês Deus, & quomodo hoc in hoc, & hoc prius, nec & hoc per hoc. Considera consequenter, & salua dictum Aristotelis.

Al. eius optimum.

SVMMA TERTIA,

De bonitate, & natura vniuersi.

CAP. I.

Primum mouens esse finem extrinsecum vniuersi. Refutat diuersas opiniones de rerum principiis.

SVMMARIVM.

Primum mouens esse finem extrinsecum totius vniuersi; & quomodo totum vniuersum habet pro fine ordinem. De prima parte fusè tradit Doctor 1.d.2.q.2. num. 17. probans primum ens esse vltimum finem omnium.

PErscrutandum autem est qualiter habet totius natura bonum & optimum: vtrùm separatum quid, & ipsum secundùm se: aut secundùm ordinem.

T.com. 51.

80

Hîc, vt dicebatur, inquirit Philosophus de substantiæ immaterialis finali bonitate, & ostendit quomodo habet rationem finis, & boni in toto vniuerso. Hoc autem facit ostendendo quomodo bonum est in natura vniuersi. Circa quod duo facit. Primò inquirit quomodo se habet bonum in natura vniuersi secundùm opinionem propriam. Secundò secundùm opinionem alienam. Secunda ibi: *Quæcunque verò impossibilia.* Prima in duas. Primò circa hoc mouet dubitationem. Secundò subdit dubitationis solutionem. Secunda ibi: *Aut vtroque modo.* Dicit ergo, quòd *Perscrutandum est qualiter natura totius vniuersi habet bonum optimum*, id est, finem proprium: *vtrùm* scilicet *separatum quid & ipsum* secundùm *se, aut secundum ordinem*, id est, vel quod habeat bonum, & optimum aliquid separatum à se: vel quod habeat bonum, & optimum in ordine suarum partium.

Al. immobilis. Sermo de substantia immobilis finali bonitate, ordine, & perfectione vniuersi.

Notandum, quod ista inquisitio habet locum ex hoc, quod prius dicebatur, quòd primum mouens mouet vt bonum, & amatum: bonum autem habet rationem finis, qui potest esse duplex. Nam quidam est finis extrinsecus, eo modo quo obiectum potentiæ dicitur finis actus eius. Alius est finis intrinsecus, eo modo quo forma dicitur finis generati cuius est pars: hoc etiam modo ordo partium cùm sit forma totius habentis vnitatem ex ordine partium, est finis, & bonum eius. Est ergo quæstio vtrùm natura vniuersi habeat finem bonum, & optimum aliquod, quasi separatum, & extrinsecum à se: vel eius bonum, & optimum sit in ordine partium vniuersi. Deinde cùm dicit:

Vide in Theorem Scotum. Finis duplex intrinsecus, & extrinsecus.

Aut vtroque modo, sicut exercitus. Etenim in ordine ipsum benè, & Dux exercitus, & magis iste. Non enim iste propter ordinem; sed ille propter hunc est.

81

Ponit dubitationis solutionem. Circa quod duo facit. Primò solutionem proponit. Secundò eam exponit quantùm ad vnam partem scilicet quantùm ad bonum ordinis. Secunda ibi: *Omnia verò.* Dicit ergo, quòd *Aut* supple ipsum vniuersum *habet vtroque modo*, scilicet bonum, & finem, *sicut exerci*

exerci

Bonum vniuersi consistit in separato ente, & ordine.

exercitus: *etenim* pro quia, *ipsum bonum* .i. ipsius exercitus est in *ordine*, & etiam *Dux*, id est, in Duce ipsius *exercitus*: quod probat, *Non enim ille*, scilicet Dux *est propter ordinem*, quasi propter finem; *sed magis* econuerso *ille*, id est, ordo *est propter hunc*, scilicet Ducem. Finis autem potior est in bonitate his, quæ sunt ad finem.

Bonum exercitus in quo stat?
In exercitu est bonũ duplex & similiter in vniuerso, & vtrobique potius bonũ est extrinsecum quàm intrinsecum.
T. c. 38. huius 12.

Notandum, quòd sicut in exercitu est considerare duplex bonum: vnũ quod consistit in ordine ipsius exercitus: & aliud in Duce, qui exercitui principatur, potius tamen est bonum Ducis, quatenus ordo exercitus ordinatur ad bonum Ducis, vt ad finem, scilicet quia ad complendum voluntatem Ducis pro victoria prosequenda: sic & in vniuerso est bonum vtroque modo. Nam est aliquod bonum separatum, puta primum, quia mouens, ex quo, sicut ex fine & bono appetibili, dependet cœlum, & natura: vt priùs dictum est. Iterùm in partibus vniuersi est ordo, & sic vniuersum habet bonum ordinis, & bonum separatum. Sic tamen, quòd bonum separatum est potiùs in ipsa bonitate: quia totus ordo vniuersi est propter primum mouens, vt propter finem. Quare, scilicet oportet, vt sic à primo mouente sit totus ordo vniuersi, sicut & ordo exercitus non solùm est propter Ducem, sed etiam est ab ipso Duce. Deinde cùm dicit:

Omnia verò coordinata sunt aliqualiter; sed non similiter, & natatilia, & volatilia, & plantæ. Et non sic se habent, vt non sit alteri ad alterum nihil; sed est aliquid. Ad vnum quidem enim omnia coordinata sunt.

Declaratio datæ solutionis.

Exponit dictam solutionem, quantùm ad vnam partem, scilicet quantùm ad bonum ordinis. Circa quod duo facit. Primò ostendit quomodo partes vniuersi se habent ad bonum ordinis. Secundò quod dixerat, declarat magis in quodam simili. Secunda ibi: *Sed quemadmodum.* Dicit ergo, quòd *Omnia verò* quæ sunt supple, in vniuerso, *sunt aliqualiter ordinata*: *sed non similiter* habent omnia, supple, ordinẽ, scilicet *natatilia, & volatilia, & plantæ*. Et subdit, quòd licèt, supple *non sint* omnia similiter ordinata, nõ tamẽ *sic se habent, vt non sit alterius ad alterum nihil*; *sed est aliquid*, id est, quòd non ita se habent *ordinata*, quòd vnum eorum non pertineat ad alterum, sed est aliqua affinitas, & ordo alterius ad alterum. Nam plantæ sunt propter animalia, & bruta propter homines. Quod probat, quia *Omnia sunt ordinata ad vnum*, scilicet ad finem. Et ideò inuicem quodam ordine connectuntur. Deinde cùm dicit:

Sed quemadmodum in domo liberis non licet quod contingit facere: sed omnia vel plura ordinata sunt: seruis verò, & bestiis parum, quod ad commune: multum verò quod contingit. Tale namque principium cuiusque ipsorum natura est.

T. c. 53.

Dico autem puta ad discerni necesse quoque omnibus venire, & alia sunt sic quibus communicant omnia ad totum.

82
Declarat ordinem ordinatorum vniuersi gradus per similitudinem ordinis œconomici.

Manifestat quòd dixerat in quodam simili, quomodo scilicet omnia sunt ordinata, licèt non similiter, dicens quòd supple, *sic se habent in toto vniuerso, quemadmodum in domo*, vbi *liberis*, id est, filiis, *non licet facere quod contingit*, supple casualiter sine ordine: *sed omnia aut plura, eorum quæ scilicet faciunt sunt ordinata*: *seruis verò, & bestiis; qui parum quidem*, supple, participant de ordine, qui est *ad commune: multum verò*, supple habent de eo, *quod contingit*, id est, euenit casualiter, & sine ordine: ex eo, scilicet quia plus distant à rectore domus, qui intendit bonum commune in tota domo. Et subdit: *Tale namque cuiuslibet principium ipsorum natura est.* Vult dicere: quòd sicut in domo datur in familia ordo secundùm mandatum, & legem patrisfamilias, qui est principium vnicuique ordinatorum in domo ad exequendum, scilicet ea, quæ ad ordinem domus spectant: ita natura in rebus naturalibus est principium cuilibet exequendi id quod sibi competit de ordine vniuersi. Ita quòd sicut ille, qui est in domo inclinatur ad aliquid per legem, & mandatum rectorum domus: ita natura est quasi quædam lex indita rebus naturalibus à primo mouente, per quam inclinantur, & ordinantur in finem debitum. Nam res naturales licèt non cognoscant finem, tamen à primo mouente in finem diriguntur, & ideò dicuntur agere propter finem, in quem naturaliter inclinantur. Et ideò natura non agit, nisi mota à causis superioribus, vt ait commentator. Et subdit: *Dico autem puta ad discerni quidem necesse omnibus euenire, & alia sic sunt quibus communicant omnia ad totum.*

Al. conuenit.

Vide 2. d. 1. q. 1.

In quibus cõueniunt & in quibus differunt ordinata moraliter & naturaliter.

Vult dicere, quòd licèt omnia sint ordinata, non tamen similiter se habent ad istum ordinem. Nam est vtique aliquod commune omnibus, quia necesse est omnia in hoc conuenire, quòd discernantur & quantùm ad operationes proprias, & distinctas, & etiam quantùm ad proprias substantias, & quiditates: & quantùm ad hoc ordo rerum non deficit in aliquo. Sed tamen quædam alia sic sunt, quòd vniuersaliter hoc habent, quòd omnia quæ sunt in eis, communicant ad totum, id est, ordinantur ad bonum commune totius: hoc autem reperitur in illis, in quibus nihil est à casu, nec præter naturam: sed omnia secundùm debitum ordinem fiunt, vt sunt corpora cœlestia, & substantiæ immateriales: vt dicebatur 9. huius t. c. 17. & circiter. Quædam verò sunt, quæ quandoque deficiunt à debita, & propria actione naturali; vt sunt corpora inferiora, in quibus multa eueniunt præter naturam, & à casu: & ideò non habent omnia sua communicantia ad totum.

83
Declaratio parabolæ præcedentis.

Notandum simile, quod adducitur, in hoc stare: nam sicut in aliqua domo ordinata, sunt diuersi gradus, puta quòd sub patrefamilias primus gradus est liberorum, secundus est seruorum, tertius est iumentorum, & bestiarum, quę seruiunt in domo, puta asini, & canes, & huiusmodi. Hi autem gradus differenter se habent ad ordinem domus, quæ instituitur à gubernatore, & patrefamilias domus: quia liberis non competit aliquid facere sine ordine, sed omnia ordinatè: serui autem, & bestiæ multa præter ordinem faciunt quandoque. Sic etiam intelligendum esse in toto vniuerso: vbi sub primo mouente, qui est paterfamilias, & rector vniuersi, sunt immediatè Intelligentiæ, & corpora cœlestia, quasi primus gradus liberorum: sunt ista inferiora generabilia, & corruptibilia, quasi secũdus, vel tertius gradus, tanquam seruorum, atque iumentorũ. Ita quòd in primo gradu omnia eueniũt ordinatè: in secundo autẽ, & in tertio gradu plurima inordinatè: licèt conueniant omnia quantùm ad distinctionem propriarũ operationum,

De ratione ordinis sunt duo.

rationum,& substantiatum,siue quiditatum. Hæc enim duo videntur esse de ratione ordinis:scilicet distinctio ordinatorum,& communicantia eorum ad ipsum totum. Quantùm ad primum est ordo in omnibus indeficienter. Quantùm autem ad secundum, est quidem ordo indeficienter in quibusdam, quæ scilicet sunt superiora, & proxima primo principio, vt sunt corpora cœlestia,& substantiæ immateriales,in quibus nihil euenit præter naturam, nec à casu:in quibusdam verò deficit, vt sunt corruptibilia, in quibus propter remotionem à primo principio semper vniformiter se habente, multa eueniunt præter naturam,& à casu.

SVMMARIVM.

Refutat ponentes principia contraria omnium. Item ponentes substantias separatas esse principia, ostendens vtrosque defecisse, & in quibus defecerunt. Reiicit etiam ponentes bonum esse principium quia rem non explicant.

QVæcunque verò impoßibilia omnia accidunt, aut absurda aliter dicentibus. Et qualia gratiosius dicentes, in quibus minimæ dubitationes oportet non latere.

Recitat opin. aliorum de ordine vniuersi.

Inquirit quomodo se habet bonum,& ordo in natura vniuersi secundùm opinionem alienam. Circa quod duo facit. Primò proponit intentum. Secundò exequitur de intento. Secunda ibi: *Omnes enim ex contrariis.* Dicit ergo, quòd *Oportet non latere quæcunque impoßibilia, aut absurda accidunt aliter dicentibus*, supple de bono, & ordine vniuersi, quàm nos diximus: & iterum *oportet non latere qualia*, scilicet *dicunt gratiosius dicentes*, id est, illi qui meliùs loquuntur, & in quibus minimæ dubitationes, id est, in quorum dictis dubitationes paucissimæ videntur esse. Deinde cùm dicit:

84

Omnes enim ex contrariis faciunt omnia. Neque autem quod omnia. Neque ex contrariis rectè. Nec in quibuscunque contraria existunt; quoniam ex contrariis erunt, non dicunt.

Tripliciter defecerunt antiqui ponentes principia rerum contraria.

Exequitur de intento. Circa quod duo facit. Primò pertractat opiniones Philosophorum naturaliter loquentium, & ponentium principia contraria. Secundò opiniones Philosophorum non naturaliter loquentium,& ponentium principia, & substantias separatas. Secunda ibi: *Amplius si non erunt.* Prima in duas. Primò proponit defectus illarum opinionum. Secundò probat quod dixerat. Secunda ibi: *Impaßibilia namque.* Proponit ergo tres defectus, qui sequuntur illas opiniones, dicens quòd *Omnes enim*, scilicet antiqui Philosophi, *faciunt*, id est, ponunt, *omnia esse ex contrariis*, scilicet principiis: & subdit primum defectum: *Neque rectè dicunt quòd contrarium sit ex contrario. Nec rectè dicunt quòd omnia sunt ex contrariis*: & iste fuit secundus defectus. Deinde tangit tertium defectum, dicens: *Nec* autem rectè dicunt *quòd omnia*, scilicet *sint ex contrariis in quibuscunque contraria existunt.* Deficiunt enim, *quia non dicunt* quomodo omnia *erunt ex contrariis.* Deinde cùm dicit:

Impaßibilia enim sunt contraria adinuicem; Nobis autem soluitur hoc rationabiliter, eo quòd tertium aliquid sit. Alij verò alterum contrariorum materiam faciunt; quemadmodum quidem est inæquale æquali, aut vni multa. Soluitur autem & hoc eodem modo. Materia enim quæ vna nulli est contraria.

Antiqui defecerunt ponentes ex cōtrariis res esse.

Probat quod dixerat. Circa quod tria facit. Primò ostendit quòd defecerunt ponendo res esse ex contrariis. Secundò quòd defecerunt ponentes omnia esse ex contrariis. Tertiò quòd defecerunt non exponentes quomodo res sunt ex contrariis. Secunda ibi: *Ampliùs omnia praui.* Tertia ibi: *Omnes autem contraria dicentes.* Dicit ergo quòd ideò, supple, non rectè dicunt ponentes res esse ex contrariis. *Enim* pro quia, *contraria*, supple in se accepta, *sunt impaßibilia mutuò*, non enim albedo patitur à nigredine, nec èconuerso: & tamen nisi contraria ad inuicem paterentur, & sic ad materiam reducerentur, non posset fieri ex eis aliquod vnum: & subdit: *Nobis autem soluitur hoc rationabiliter, eo quòd sit aliquod tertium*, id est, materia. Aliter enim vtique ex vno contrario, tanquam ex materia, fit aliud contrarium, & sic vnum contrarium patitur à reliquo. Et subdit: *Alij verò alterum contrarium faciunt materiam*, & non aliquid tertium, præter contraria, *quemadmodum qui inæquale æquali, aut vni multa.* Illi enim qui posuerunt ista contraria esse principia, scilicet æqualitas,& inæqualitas: aut vnū,& multa attribuebant æqualitatē,& vnitatem formæ; inæqualitatem autem, & multitudinem materiæ, vt patet de opinione Platonis in primo huius, text. com. 54. licèt naturales Philosophi ponerent contrarium, dicentes materiam esse vnam, formas autem esse diuersas, & contrarias. Et subdit: *Hoc* scilicet dictum *eorum soluitur eodem modo:* quia *materia quæ est vna, nulli est contraria*, sed est subiectum commune contrariorū. Deinde cùm dicit:

Materia nulli est cōtraria sed est subiectum contrariorum.

85

Ampliùs omnia praui participatione sunt extra vnum. Nam prauum ipsum alterum elementorum.

Antiqui malò posuerunt omnia ex cōtrariis esse.

Ostendit quomodo defecerunt in secundo ponentes omnia esse ex contrariis. Circa quod duo facit. Primò ostendit inconueniens quod sequitur. Secundò ostendit quomodo ab hac positione discordabat quorundam positio antiquorum. Secunda ibi: *Alij autem nec principia.* Dicit ergo, quòd *Ampliùs* supple secundùm eos *omnia sunt participatione praui*, id est, mali, *extra*, id est, præter *vnum*, scilicet bonum. *Namque* pro quia, *ipsum prauum*, id est, malum, dicunt esse *alterum elementorum*, principiorum.

Bonum & malum sunt principia omnium secundùm illos antiquos.

Notandum, quòd prima genera contrariorum, videtur esse bonum, & malum: quatenus alterum contrariorum est vt habitus, & habet rationem boni; & alterum vt priuatio, & habet rationem mali. Ergo si omnia sunt ex contrariis, oportet quòd omnia participent malo, excepto vno, scilicet bono: quod est principium. Nam malum ponitur alterum principiorum: principia autem non sunt ex se inuicem. 1. Physicor. text. c. 42. Omnia ergo alia erunt ex his duobus principiis, scilicet bono, & malo. Sed hoc apparet esse falsum,

falſum,quia in corporibus cœleſtibus,& ſubſtantiis immaterialibus,nihil inuenitur malum,neque peccatum,neque corruptum, quantùm ad eorum naturalia. Ex 9. huius t.c.17. & circiter. Deinde cùm dicit:

Alij autem nec principia bonum, & malum; quamuis in omnibus maximè quod bonum,principium.

Quidam alij poſuerunt tàtùm bonum rerum principium quorũ tamen defectum oſtẽdit.

Oſtendit quomodo ab hac poſitione diſcordabat quorundam opinio antiquorum. Circa quòd duo facit. Primò facit quod dictum eſt. Secundò oſtendit inſufficientiam illorum diſcordantium. Secunda ibi: *Alij verò hoc quidem.* Dicit ergo quòd *Alij autem nec principia* ſupple rerum ponunt *bonum,& malum,quamuis* ſcilicet ſecundùm eos *maximè, principium in omnibus quod bonum;* ſolum enim bonum recipiebant principium rerum, & per conſequens res non eſſe compoſitas ex contrariis bono, & malo. Deinde cùm dicit:

Alij verò hoc quidem rectè: quia principium, ſed quomodocunque bonum principium non dicunt: vtrùm ſcilicet vt finis, aut mouens aut ſpecies.

86

Oſtendit inſufficientiam iſtorum qui ſic diſcordabant: & primò hoc oſtendit in communi. Secundò in ſpeciali. Secunda ibi: *Inconuenienter autem.* Dicit ergo,quòd *Alij verò hoc quidem rectè dicunt: quia*, ipſi ſupple, *principium*,ponunt eſſe ipſum bonum, *ſed* non dicunt *quomodo bonum eſt principium,vtrùm vt finis, aut vt mouens, aut vt ſpecies*,id eſt, forma,& ideò defecerunt.

Omnes cauſæ præter materiam habent rationẽ boni. T. com. 22.

Notandum, quòd hæc tria, ſcilicet finis, efficiens,& forma,habent rationem boni,& perfecti; non autem materia: quia ratione priuationis annexæ ſemper machinatur ad malum, ex primo Phyſicorum t. c. 80. Et ipſa eſt ſecundùm quam res poteſt eſſe,& non eſſe, ex 7. huius: Ideò de materia non curauit Philoſophus hîc facere mentionem,

SVMMARIVM.

Refutat opinionem Empedoclis, & Anaxagoræ de rerum principiis, de quibus dictum eſt l. 1. huius.

INconuenienter autem & Empedocles,amicitiam enim facit bonum. Hoc autem principium & vt mouens, congregat enim; & vt materia,pars enim mixturæ. Si itaque & eidem accidit,vt materiam principium eſſe, & vt mouens, ſed eſſe non idem, vtrùm igitur amicitia. Inconueniens autem, & incorruptibilem eſſe litem: ſed ipſum autem eſt mali natura.

Oſtendit in ſpeciali defectum aliorum antiquorum bonum duntaxat principium omniũ ponentium.

Oſtendit iſtorum in ſpeciali inſufficientiam. Circa quòd duo facit. Primò oſtendit inſufficientiam Empedoclis ducens ipſum ad duo inconuenientia. Secundò inſufficientiam Anaxagoræ, ducens ipſum ad alia duo. Secunda ibi: *Anaxagoras autem.* Dicit ergo, quòd *Inconuenienter autem, & Empedocles* dicit, ſupple, bonum eſſe principium rerum: *enim* pro quia, *amicitiam facit bonum: hoc autem*,ſcilicet bonum *facit principiũ* dupliciter, *& vt mouens ,congregat enim*, id eſt,ex hoc quod habet congregare: *& vt materia, Pars enim mixturæ*, id eſt,ex hoc quòd amicitiam ponebat partem corporum mixtorum:dicebat enim mixta eſſe compoſita ex quatuor elementis, & ex amicitia, & lite, vt dictum eſt primo huius. Et ſubdit: *Si* pro quamuis, *itaque & eidem accidit eſſe* quandoque *materiam, & principium vt mouens:ſed non eſſe idem*,id eſt,non ſecundùm idem, ſed ſecundùm aliam rationem: aqua enim poteſt eſſe mouens ſecundùm formam, & mobile, ſiue materiale, ſecundùm materiam: ſed hoc non eſt ſecundùm eandem rationẽ.*Vtrùm igitur amicitia*, id eſt,quod debuit ergo aſſignare ſecundùm quid amicitia ſit materia, & ſecundùm quid ſit mouens: quod quia non fecit, ideò hoc eſt primum inconueniens. Secundum inconueniens ſubdit, dicens quòd *inconueniens eſt autem,& incorruptibilem eſſe litem*:hoc *ipſum autem eſt natura mali:* poſuit enim Empedocles litem eſſe primum principium: incorruptibile quidem ſecundùm ipſum videtur eſſe ipſa natura mali; & tamen malum, ſecundùm rationabiliter loquentes,vt prædictum eſt, non ponitur eſſe principium, ſed tantùm ipſum bonum. Deinde cùm dicit:

Idem contingit eſſe materia & mouẽs, quod declarabꝰ propter ea quæ habet. 2.*Phyſ.* text. com.70.

T.com.55.

Anaxagoras autem vt mouens quod bonum principium. Intellectus enim mouet,ſed gratiâ alicuius mouet:quare alterum,excepto, vt nos dicimus. Nam medicatiua eſt ſanitas quedammodò. Inconuenientes autem,& contrarium non facere bono, & intellectui.

87

Oſtendit inſufficientiam Anaxagoræ, ducens ipſum ad duo inconuenientia, dicens quòd *Anaxagoras* poſuit *bonum* eſſe *principium:*quia intellectus *mouet* omnia ſecundùm eum: ſed, ſupple, omnis *Intellectus mouet gratiâ alicuius*,id eſt,gratiâ finis: *quare alterum* ſupple debet ponere principium gratiâ cuius moueret intellectus: *excepto vt nos dicimus*,id eſt niſi fortè dicat, vt nos diximus, ſcilicet quòd intelligens,& intellectum ſunt idem: ita quòd intellectus moueat propter ſeipſum. *Nam medicatiua eſt quodammodò ſanitas*; exemplum eſt, quando in his,quæ agunt per intellectum, etiam ſecundùm Philoſophum, text. com. 51. ſuprà in hoc 12. aliqualiter propter ſe agunt. Nam ars medicinæ, quæ quodammodò eſt ipſa ſanitas,vt dictum fuit, agit propter ſanitatem, licèt non ſit eadem numero cùm ea propter quam agit niſi fortè ſanitatem dicas eandem numero,quæ eſt in re extrà, & quæ eſt in mente artificis,vt obiectum ideale. Et hoc eſt primum *inconueniens*. Et ſubdit ſecundum,dicens,quòd *Inconueniens eſt autem non facere contrarium bono & intellectui.* Vult dicere quòd ſi vera ſit opinio communis, quòd contraria ſint omnium principia, ſequitur inconueniens contra Anaxagoram quia non poſuit aliquod principium contrarium bono,& intellectui.

Al.quoniam.

SVMMARIVM.

Aſſerentes contraria eſſe rerum principia, impropriè & figuratiuè loqui;contra quos quatuor adducit inconuenientia, quæ benè exponit Doctor.

T. com. 56.

Omnes autem contraria dicentes non vtuntur contrariis, nisi figuret aliquis.

Huic litterę vsque ad finē nihil correspōdet in traductione Arabica nec in commentariis Auerrois hactenus communiter visis.

Ostendit defectus antiquorum non declarantium qualiter omnia ex contrariis componātur principiis.

Ostendit quomodo defecerunt in tertio, non ostendentes quomodo res sunt ex contrariis. Circa quod duo facit. Primò proponit intentum. Secundò exponit, ostendens quatuor inconuenientia, quæ sequuntur ad eas. Secunda ibi: *Et quia hoc quidem.* Dicit ergo, quòd *Omnes dicentes* principia scilicet *contraria, non vtuntur contrariis,* ad saluandum scilicet ea quæ in rebus apparent: *nisi figuret aliquis,* id est, nisi figuraliter loquatur, & impropriè. Deinde cùm dicit:

Et quare hæc quidem corruptibilia, hæc autem incorruptibilia nullus dicit, Omnia namque entia faciunt ex eisdem principiis. Ampliùs autem alij quidem ex non ente faciunt entia: alij autem nisi hoc cogantur, vnum omnia faciunt.

Primum inconueniens.

Exponit propositum, ostendens quatuor inconuenientia contra eos. Secundum ponitur ibi: *Amplius propter quid:* Tertium ibi: *Et duo principia.* Quartum ibi: *Et aliis quidem.* Dicit ergo, quòd, supple, illi antiqui non possunt reddere causam. Et *nullus dicit quare hæc quidem,* supple entia sunt *corruptibilia, illa verò incorruptibilia. Omnia namque entia faciunt ex principiis contrariis*: vt fuerunt antiqui naturales. *Ampliùs alij quidem faciunt entia ex non ente,* vt poëtæ Theologi, qui, vt suprà dicebatur, mundum ex nocte dicebant generari: omnes enim isti non possunt saluare distinctionem entium secundùm corruptibilitatem, & incorruptibilitatem, cùm eadem principia omnibus principiatis originaliter assignent. Et ideò subdit; quòd *Alij autem vt non cogantur hoc* ponere scilicet omnia esse ex non ente, vel distinctionem entium assignare: dixerunt *omnia esse vnum*, vt fuerunt Parmenides, & Mellissus, ex primo huius, Distinctionem entium totaliter auferentes. Deinde cùm dicit:

Ampliùs propter quid semper erit generatio, & quæ est causa generationis, nullus dicit.

Secundum inconueniens. 88

Ponit secundum inconueniens, dicens: quòd *Ampliùs nullus eorū dicit:* quia nec potest, supple, *propter quid generatio erit semper,* id est, sempiterna: nec etiam *quæ est causa* scilicet vniuersalis *generationis:* quia supple neutrum contrariorum potest esse generationis vniuersalis causa. Deinde cùm dicit:

Et duo principia facientibus aliquid necesse primum principalius esse. Et his qui species: quia aliud principium principalius. Propter quid enim participauit, & non participat.

3. Inconueniens. S. Thom.

Ponit tertium inconueniens, dicens, quòd *& facientibus duo principia,* scilicet contraria, *necesse est aliquod principium esse principalius:* quod dupliciter exponitur. Vno modo sic: Quòd necesse est eis dicere alterum contrariorum esse principiū principalius, cùm alterum contrariorum sit vt habitus, alterum vt priuatio. Alio modo quòd necesse est eis ponere aliquod principium primum principalius vtroque contrariorum. Ex quo possit dari ratio, quare quædam attribuuntur nunc vni contrariorum, nunc alteri, vt principio, puta, quare lis ad segregationem moueat elementa quandoque, & amicitia ad cōgregationē quandoque. Et subdit: quòd *Et his qui species:* id est, Ideas ponunt idem: supple, accidit. *Quia* scilicet habent ponere *Aliud principium,* supple, *principalius,* supple speciebus: *Propter quid enim* prius *participauit.* Modò autem *non participat.* Vult dicere quòd quia ea, quæ generantur, & corrumpuntur non semper vniformiter participant Ideam, ideò oportet eos ponere aliud principium, ex quo possit dari ratio, quare aliquod indiuiduum priùs participauit Ideam, & modò nō participat Ideam. Vel è conuerso: quare priùs non, & modò sic. Deinde cùm dicit:

Et aliis quidem necesse sapientiæ, & honoratissimæ scientiæ aliquid contrarium esse. Nobis autem non. Non enim est contrarium primo nihil. Nā omnia contraria materiam habent, & hæc potentia est. Contraria autem ignorantia ad contrarium. Nihil primo verò contrarium.

89 4. Inconueniens. Tange hic de diuidentibus per oppositum ens & alias instantias.

Ponit quartum inconueniens dicens. Quòd, *Et aliis quidem,* qui scilicet ponunt principia contraria, *necesse est* dicere *Sapientiæ, & honoratissimæ scientiæ,* quæ est Metaphysica, *Aliquid esse contrarium,* id est, aliquam scientiam esse contrariam Metaphysicæ scientiæ, quæ scilicet tractat de contrario primi principij, de quo agit Metaphysica. Nā Metaphysica agit præcisè de primo principio, & non de eius contrario, vt patet ex primo huius in proœmio. *Nobis autem non est,* supple necessarium hoc ponere, *Non enim est contrarium nihil primo,* scilicet principio secundum nos. *Nam omnia contraria habent materiam; & hæc,* scilicet materia, *est in potentia* ad vtrumque contrariorum. Et tamen ostensum est priùs, quòd primum principium non habet materiam. Et subdit: *Contraria autem est ignorantia ad contrarium, Primo verò contrarium nihil,* i. ex quo primo principio nihil est contrarium, sequitur quòd sapientiæ, quæ est de primo principio, non est contraria aliqua scientia: sed ignorantia tantùm opponitur sibi. Tunc sequitur illa pars:

Sicut primo enti nihil est contrariū sic Metaphysicæ nulla sciētia, sed ei duntaxat opponitur ignorantia.

SVMMÆ TERTIÆ.

Cap. II.

Contra ponentes substantias separatas rerum principia. Item ponentes eas connexas.

SVMMARIVM.

Refutat ponentes substantias separatas esse rerum principia, quatuor etiam inconuenientibus contra eos adductis.

Ampliùs si non erunt præter sensibilia alia, non est principium, & ordo, & generatio, & cælestia; sed semper principij principium, vt Theologis, & Physicis omnibus.

Vbi

Pertractat hic opiniones non naturaliter loquentiũ de ordine vniuersi.

Vbi pertractat opiniones non naturaliter loquentium,&ponentium principia substantias separatas. Circa quod duo facit. Primò præmittit inconueniens, quod sequitur non ponentes aliquas substantias separatas. Secundò exponit incóuenientia, quæ sequuntur eos, qui ponunt ipsas separatas. Secũda ibi. Si autẽ erunt species. Dicit ergo., quòd *Amplius si non erunt alia entia præter sensibilia*, sequitur quòd *non erit principium*, scilicet primum quale ostensum est: *Nec erit ordo*, scilicet rerũ qualis prius dictus est: *Nec generatio*, scilicet sphæræ perpetuæ: *Nec cœlestia*, scilicet principia, qualia priùs diximus: *Sed semper erit principij*, scilicet corruptibile *Principium* corruptibilis; Puta quòd Socrates generetur à Socrate: & Socrates à Callia, & sic in infinitum, vt supple *videbatur Theologis, & Physicis omnibus*: scilicet antiquis naturalibus, qui præter ista principia particularia, & sensibilia nullum vniuersale, & primum principium posuerunt. Oportet enim ponere aliquas substantias separatas secundùm viam Aristotelis, vt patet ex præcedentibus. Licèt non illo modo quomodo alij posuerunt, de quibus statim dicetur. Deinde cùm dicit:

Si autem erunt species, aut numeri, nullius causa. Sin autem, nunquid motus?

90

Contra ponentes substantias separatas.

Exponit inconuenientia, quæ sequũtur contra eos, qui ponebãt huiusmodi substantias separatas, & primò quantùm ad eos, qui in huiusmodi substantiis quandam connexionem ordinis concedebant. Secundò quantùm ad eos, qui talem ordinem negabant. Secunda ibi: *Dicentes autem numerum*. Prima in quatuor, secundùm quatuor inconuenientia. Secundum ponitur ibi: *Adhuc quomodo erit*. Tertium ibi: *At verò nullum*. Quartum ibi: *Adhuc quomodo numeri*. Dicit ergo. *Si* autem *erunt species*, id est, Ideæ, *aut numeri*, quæ scilicet sint præter sensibilia. *Nullius* supple *Causa* poterunt esse. *Sin autem*, id est, dato quòd sint causæ alicuius, *Numquid motus*, quasi diceret, quòd non, quia hęc non possunt habere rationem principij mouentis. Deinde cùm dicit;

Adhuc quomodo erit ex non magnitudinibus magnitudo, & continuum? Non enim numerus facit continuum nec vt mouens, nec vt species.

Ponit secundum inconueniens, quòd consistit in hoc, quia magnitudo non est, nisi ex magnitudinibus, ergo cùm numerus nòn sit magnitudo, non poterit ostendi quomodo ex numeris, qui non sunt continui, posset esse magnitudo, & continuum. Ideò dicit, quòd *Adhuc quomodo erit ex non magnitudinibus magnitudo, & continuum?* Quasi diceret. quòd non potest dari modus. *Non enim numerus facit*, id est, causat *continuum*, *nec vt mouens*, id est, vt efficiens: *Nec vt species*, id est, forma. Cùm scilicet numerus non sit continuus, sed discretus. Deinde cùm dicit:

):(

At verò nullum erit contrariorum, & factiuum quod & motiuum, continget vtique non esse. At verò posterius quidem ipsum facere potentia: non ergo sempiterna sunt entia, sed sunt intermedium. Interimendum igitur est aliquid horum. Et hoc dictum est.

91

Expositio

Ponit tertium inconueniens, dicens, quòd *At verò*, si supple species, & numeri sint prima principia, cùm in ipsis non sit contrarietas, sequitur quòd *nullum principium* quod ponitur, scilicet ab eis *factiuum, & motiuum*, scilicet in potentia, non in actu, *erit contrariorum*, id est, de numero contrariorum: *Contingit enim vtique non esse*: si supplę prima principia erunt contraria. Vel aliter, quòd contingit vtique non esse, scilicet generationem, & motum: quod probat, quia *At verò*, supple si prima principia non sunt mouentia in actu, sed factiua, & motiua, id est, *potentia facere, & mouere*: *posterius quidem erit ipsum facere, quàm potentia*, scilicet faciendi: quod autem ponitur facere, ponitur non facere. *Non ergo omnia entia sunt sempiterna*, scilicet secundum generationem, & corruptionem continuam. Cuius contrarium priùs ostensum est. Ideò subdit: *sed interimendum est aliquid horum*, quæ dicta sunt, scilicet quo ponebatur prima principia non esse mouentia in actu. Aliter potest ista ratio deduci, quòd *At verò*, supple si Ideæ, & numeri sint prima principia, cùm in ipsis sit contrarietas: sequitur quòd nullum ipsorum primorum principiorum erit contrarium, quod sit actiuum, siue factiuum, & motiuum: quia numeri & Ideæ non possunt esse causæ motus: vt prædictum est. Et quiá etiam contraria sola agunt, & patiuntur ad inuicem: ergo sequitur quòd non continget esse generationem, & motum, cùm semper facere sit posterius potentia faciendi. Vbi ergo non est potentia, ibi non erit factio, nec motus: non igitur erit generatio, & corruptio continua; sed hoc consequens est falsum, ergo, & illud ex quo sequitur: quòd scilicet prima principia non sint mouentia: non erunt ergo numeri, & Ideæ prima principia, cùm non possint esse mouentia continuè, & semper. Deinde cùm dicit:

Expositio specialis.

Adhuc quomodo numeri vnum, aut anima, aut corpus, & species totaliter, & res, nihil dicet nullus, nec continget dicere, si non vt nos dicat, quod mouens facit.

92

Ponit quartum inconueniens, dicens, quòd *adhuc* nullus nihil dicit, nec contingit, id est, nec potest dicere, *quomodo numeri vnum, aut anima, & corpus, & species totaliter, & res*, id est, quomodo *nullus* istorum *nihil dicit*, quid faciat vnum esse numerum: *aut animam, & corpus, & generaliter, & formam*; & id cuius est forma: si non dicat *sicut nos*, supple diximus 8. huius, tex. com. 12. & inde, *quòd mouens facit hoc*. Et tunc supplendum est quòd numeri, & Ideæ non possunt esse causæ mouentes: vt proximè dictum fuit.

Tex. com. 5

SUMMARIUM.

Refutat specialiter ponentes substantias separatas inconnexas principia rerum; concludens quòd vnus est princeps, qui scilicet est primum efficiens, primus finis, primum eminens, intelligens & volens, suúmque intelligere & velle, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi honor & gloria, in secula seculorum. *Amen.*

Dicentes autem numerum Mathematicum, & sic semper aliam habitam substantiam, & principia cuiuslibet: alij inconnexam ipsius vniuersi substantiã faciunt. Nihil enim aliam alij confert aut ens, aut non ens. Et principia multa. Entia verò nolunt malè disponi: nec bonum pluralitas principatuum. Vnus ergo princeps.

Concludit vt potuit à posteriori Dei vnitatem: cui fides certitudinem probet Deut. 6. & 1. Cor. 8. Quod subtilissimus Scot. altius probauit 2. d. 1. & in tractat. de primo principio: quod principiatũ Mauritium Ierusalem, vnde in Iericho descenderat curatũ faciali intuitu sibi ipsi connexum perpetuò cõcedat. Amen.

Ostendit inconuenientia, quæ sequuntur eos, qui ponunt huiusmodi substantias separatas sine connexione ordinis.

Ad cuius euidentiam sciendum, quòd vt dictum est circa principium 7. huius, aliqui Pythagorici, sicut etiam fuit Speusippus, posuerunt plures substantiarum separatum ordines: & in quolibet ordine ponebant vnum primum principium; & ab illo vno illum ordinem inchoabant. Vnde primum ordinem ponebant numerorum: & ibi assignabant vnum primum principium. Secundùm ordinem ponebant magnitudinum: & ibi assignabant aliud primum principium, & sic deinceps. Contra istos arguit Aristoteles dicens quòd *Dicentes autem numerum Mathematicum* esse primum, id est, in primo ordine: & *sic semper aliam habitam*, id est, consequenter se habentem, puta post numerum, magnitudinem: & sic vlterius vsque ad sensibilia, & facientes *principia alia, & alia cuiuslibet*, scilicet coordinationis, puta quòd alia sint principia numerorum, & alia magnitudinum, & alia sensibilium: isti inquam sic dicentes, *inconnexam*, id est, sine ordine, *faciunt vniuersi substantiam*: puta quòd *vna pars nihil conferat ad aliam, aut ens, aut non ens*, id est, siue sit, siue non sit. Et iterum faciunt *principia multa*, supple inconnexa. Sed hoc supple malè dicitur, quia *Entia nolunt malè disponi*: hæc supple dispositio entium est optima, vt est possibilis: & hæc etiam est in singulis, quòd vnumquodque est optimè dispositum, vt congruit naturæ suæ: & per consequens multò magis erit hoc verum in toto vniuerso. Ideò subdit: *quod nec est bonum pluralitas principantium*, scilicet in vniuerso: sicut quod nec esset bonum quòd in vna domo essent multæ familiæ sibi inuicem incommunicantes. Concludit ergo, dicens, scilicet quia igitur totum vniuersum est sicut vnus principatus. *Vnus ergo erit princeps*, scilicet primum mouens, & primum intelligibile, & primum appetibile, & bonum omnis boni regens, & gubernans totum vniuersum. Qui est Deus benedictus per secula infinita, trinus in persona & vnus in essentia infinita. *Amen.*

Excusat se de aliorum sequentium librorũ qui, secundùm aliquos, plures sũt duobus, expositione omissa. Hæc protestatio fidem facit quòd titulus quem operi præmisimus, & infrà replicauimus veridicus est.

Notandum quod in 13. & in 14. qui sequuntur, pertractat Philosophus opiniones aliorum & maximè Pythagoricorum, & Platonis, qui substantias separatas posuit numeros, & ideas: sed quia in dictis libris plurima ponuntur, quæ ad Philosophiam quam nunc sequimur, modicum nos iuuant: quia etiam de illis opinionibus multa dicta sunt in libris præcedentibus, vt patet primo & tertio huius. Ideo super duos libros sequentes nullus scribit aliquid, nec ipsos aliquando vidi. Idcirco sequens vestigia aliorum sequentes duos libros exponere non curaui.

Volo autem scire omnes litteram istam legentes, quòd tam sententiando, quàm notando secutus sum doctrinam illius subtilissimi, & excellentissimi Doctoris, cuius fama, & memoria in benedictione est: vtpote qui sua sacra & profunda doctrina totum orbem adimpleuit & facit resonare: scilicet Magistri Ioannis Duns, qui fuit natione Scotus, Religione Minor. Vnde, & verba eius in isto scripto frequenter reperies, sicut ab ipso tradita scripturæ reperiuntur. Et idcirco si aliquid benè dictum in isto opere reperies, scias à fonte & profunditate suæ doctrinæ, ac scientiæ emanasse. Si quid verò minus benè dictum, aut eius doctrinæ quomodolibet contradicens, meæ imperitiæ ascribatur. Nam ego quantùm sapio quantúmque capio, quicquid est hîc quod ipse exprimere intendebat, pes meus eius vestigia secutus est. Et ideò si aliquid aliud repugnans sibi inueniatur quandoque nunc pro tunc reuoco, paratus libenti animo emendare.

CONCLV

CONCLVSIONES VTILISSIMÆ

EX DVODECIM LIBRIS Metaphysicorum Aristotelis,

QVICQVID IN ILLIS AB IPSO resolutum est, mirâ comprehensione, & breuitate complectentes:

COLLECTÆ

A REVERENDO PATRE
IOANNE DVNS SCOTO
ORDINIS MINORVM.

REVERENDI PATRIS F.

LVCÆ VVADDINGI HIBERNI

PRO TRACTATV

DE CONCLVSIONIBVS METAPHYSICIS,

CENSVRA.

OPVSCVLVM *hoc solus indigitat Antonius Posseuinus, indicato etiam principio: alij operum* SCOTI *indicatores ab Opere quæstionum, vel Commenti litteralis in Metaphysicam non distinxerunt. Illud capiet Lector emolumenti, quod si velit, magno laboris compendio scire possit potissima, quæ Aristoteles vario & implexo suo Metaphysices opere obscurè disseruit.* MAVRITIVS & CAVELLVS SCOTI *opus esse probantes, notas marginales addiderunt, quæ maiorem claritatem afferrent breuissimis his resolutionibus, &* SCOTI *Commentariis super eandem Metaphysicam.*

CONCLVSIONES

VTILISSIMÆ

EX DVODECIM LIBRIS Metaphyſicorum Ariſtotelis.

QVICQVID IN ILLIS AB IPSO reſolutum eſt, mirâ comprehenſione, & breuitate complectentes:

COLLECTÆ

A REVERENDO PATRE

IOANNE DVNS SCOTO ORDINIS MINORVM.

Concluſiones Libri I.

1

CONCLVSIONES Metaphyſicæ Ariſtotelis, quas ipſe in hoc libro probare, ac determinare aſſertiuè intendit, prout potero breuiter compilabo, non vacaturus (cauſa breuitatis) expoſitioni litteræ, nec diſcuſſioni dubitationum, quæ circa aliqua ex concluſionibus ipſis, ſeu earum media poſſent occurrere; ſed ſolùm ſed ſolùm ſub concluſiua determinatione, prout littera ipſa ſonat; vel ex ea poteſt elici, electurus ſententiam illarum potiſſimè partium huius doctrinæ, in quibus potiſſimè vtilitas eius præcipua continetur. Partes verò alias in quibus diffuſius contra opiniones antiquorum inuehitur, tanquàm minùs vtiles, & ampliùs tædioſas, proſequi non intendo. In principio igitur libri Metaphyſicæ Ariſtoteles manifeſtat dignitatem huius ſcientiæ, quoad duo. Primò quoad conditiones nobiles iſtius ſcientiæ: quas manifeſtat in proœmio huius libri. Secundò quoad iſtius ſcientiæ operationem, ſcilicet, quia eius eſt vniuerſaliter errores aliorum circa principia rerum deſtruere, & hoc manifeſtat per effectum, ſcilicet diſputando contra poſitiones erroneas ſingulorum.

Lege cõcluſ. in proœm. 1.Phyſ.

Concluſiones autem quas Philoſophus in proœmio probat, poſſunt reduci ad ſexdecim.

1 Concluſio eſt, quòd *Scientia eſt, quæ deſideratur ab omnibus naturaliter:* Et huius probatio eſt; Diligimus enim ſenſus, etſi non propter aliud, ſaltem propter ſcire, & maximè ipſum viſum, qui maximè facit ſcire, ibi; *Omnes homines natura ſcire &c.* Deinde diſtinctis vniuerſaliter gradibus cognitionis in animalibus, ibi; *Alia quidem igitur*, & poſitâ excellentiâ cognitionis humanæ ſupra brutalem, ibi, *Animalia quidem igitur*, & manifeſtatis diuerſis modis humanæ cognitionis, ibi, *Fit autem ex memoria*, ponitur.

2 *In ſpeculatione ſcientifica: ſummam felicitatem poſuit Ariſt. 1. & 10. Ethic. com.in proœmio 8. Phyſ. 6. Eth. cap.9. & 14. multa 2.poſt.*

2 Concluſio, ſcilicet, quòd *Habens experientiam, excellit in operando habentem ſine experientia artem.* Cuius medium eſt; quia meliùs operatur, qui meliùs nouit ea circa quæ fit operatio; ſed tam artifex, quàm expertus operatur circa ſingularia; expertus autem melius nouit ea; quia experientia eſt cognitio ſingularium, ars verò vniuerſalium, ibi; *Ad agere quidem igitur.*

3 Concluſio ibi, *ſed tamen ſcire*, eſt, quòd *Artifex excedit expertum in ſciendo.* Et huius eſt triplex medium. Primum eſt, quia artifex ſcit *propter quid*; ille autem non *propter quid*, ſed *quia* ſolùm, ibi, *Hoc autem eſt.* Secundum eſt, quia ſciẽtis ſignum eſt poſſe docere; ſed meliùs poteſt hoc artifex, quàm expertus, cùm ſciat *propter quid*, ibi; *Et omnino ſcientis.* Tertium eſt, quia nulla cognitio ſenſitiua eſt ſcientia, vel ſapientia: ſed experiẽtia eſt cognitio ſenſitiua, ergo, &c. ibi: *Amplius.*

4 Concluſio ibi; *Primum quidem igitur*, eſt, quòd *Scientia ſpeculatiua eſt nobilior quæ practica actiua.* Et huius mediũ eſt, quia inuentor iſtius cognitionis ingeniũ excedit aliorũ, & ideò redditur admirabilior, & honorabilior quàm inuentor illius.

3 *Pro hac 4. vide Scot. de praxi, etiam practica ad penult. 1. q. 1.*

5 Concluſio

Magistrum mor.c 22. & 1. Rhet. c. 11. 6. eth.

5 Conclusio ibi, *Eius autem gratia*, est, quòd *De ratione sapientiæ est considerare causas rerum.* Medium patet ex habitis, quia quanto magis aliquis considerat causam, tanto magis est sapiens; vt artifex, quàm expertus. Deinde ibi, *Quoniam autem scientia*, ponuntur sex conditiones sapientis. & sapientiæ, quarum vltima probatur duobus mediis, quæ patent in littera.

Cont. hoc est quod habetur c. 10. 2. Post. cōtingit scire in vniuersali soluitur 7. q. quodlib. 2. ad princ.

6 Conclusio ibi, *Istorum autem hac quidem*, est, quòd *Habens scientiam vniuersalem scit aliquo modo omnia.* Cuius medium est: Quia qui scit vniuersalia, scit aliquo modo ea quæ continentur sub eis.

7 Conclusio ibi, *ferè autem*, est, quòd *Sapientis est scire maximè difficilia*; cuius medium est: quia illa sunt difficiliora, quæ sunt remotiora à sensibus, cuiusmodi sunt vniuersalia.

T. 18 51. Post. Quia sicut res se habent ad esse, &c. in prin. 1. d. 1.

8 Conclusio ibi; *Scientiarum verò*, est, quòd *Iste habet scientiam certiorem.* Cuius medium est, quia illa scientia certior est, quæ est de simplicioribus, ista autem est huiusmodi, quæ est de magis vniuersalibus.

9 Conclusio ibi, *At verò & doctrinalis*, est, quòd *Iste maximè nouit causas rerum:* Cuius medium est, quia ista scientia causas vniuersales singulorum considerat.

10 Conclusio ibi, *& noscere*, est, quòd *Hæc scientia est gratia sciendi*; Cuius medium est; quia illa scientia est maximè propter scire, quæ est de magis scibilibus; talis autem est ista, ergo &c.

Cùm sit sapientia, ex 12. concl. huius t. c. 1. Ex 12. huius ad finem. Auic. cap. 1. 1. Met. in fin. Q. 4. prol. 1.

11 Conclusio ibi; *Maximè verò*, est, quia *Scientia vniuersalis est principalior aliis.* Medium est, quia illa principalior est, quæ finem altiorem considerat, hæc autem considerat finem illum, qui est finis omnium.

12 Conclusio ibi, *Ex omnibus ergo*, est, quia *Scientia vniuersalis propriè est sapientia.* Medium accipitur tàm ex sex conditionibus sapientis, & sapientiæ, quàm ex sex conclusionibus immediatè præcedentibus: formetur ergo syllogismus sic: Quicunque maxime nouit omnia, vt contingit, & difficiliora, & certius, & maximè causas, & eius scientia est maximè propter ipsum scire, & principalior est aliis, est sapiens; sed ille qui habet scientiam vniuersalem est huiusmodi (vt probatum est) ergo, &c. In maiori huius syllogismi cōtinentur sex cōditiones sapientis, vt prætactū est.

Q. 4. prolog. primi huius.

13 Conclusio ibi, *Quia verò non actiua*, est, quòd *Hæc scientia est speculatiua.* Medium, quia studet ad ignorantiam fugiendam, & non propter aliquē finem exteriorem, cuius signum ponitur, ibi, *Testatur autem ipsum*, quid est, quia inuentis iam illis scientiis, quæ sunt propter necessitates humanas: hæc postea inquiri cœpit.

14 Conclusio ibi; *Sed vt dicimus*, est, quòd *Hæc scientia est liberrima.* Medium est, quia non dependet ab aliqua alia; nec ad finem extrinsecum ordinatur.

5 Vide quæ notaui in expositione litteræ.

15 Conclusio ibi; *Propter quod & iustè*, est, quòd *Non est humana possessio.* Medium est, quia illa scientia, quę est liberrima, non potest esse possessio eius naturæ, quæ valdè seruilis est; seruilis verò est humana natura, non inquantum intellectiua, sed propter necessitatem corporis necessariò administrandi, retrahitur ab operibus intellectualibus.

T. com. 1. de anima.

16 Conclusio ibi, *Nec tali aliam bono*, est, quòd *Hæc scientia est honorabilior, & nobilior omnibus aliis.* Medium est: quia maximè est diuina, tùm quia Deus eam maximè habet, tùm quia de Deo maximè est, cùm sit de primis principiis rerum: Deus autem est primum principium simpliciter, & causa omnium.

Conclusiones Libri II.

6

In secundo libro traditur modus considerandi veritatem in hac scientia. Potest autem iste distingui in tres partes. In prima agit de ipsa veritatis consideratione. In secunda ibi, *At verò quod sit principium*, t. c. 5. probatur status in causis per quas veritas habet considerari, & cognosci. In tertia ibi, *Contingunt autem auditiones*, t. c. 14. ostenditur diuersus modus considerandi veritatem, & possunt in hoc 2. notari 15. conclusiones.

1 Conclusio ibi, *De veritate*, t. c. 1. est, quòd *Consideratio veritatis, est aliquo modo facilis.* Medium est triplex. Primum ibi, *signum autem*, est, quòd licèt eam nullus perfectè inuenerit, quilibet tamen de ipsa aliquid inuenit. Secundùm ibi, *Sed vnumquemque*, est, quòd licet parum sit quòd ab vnoquoque inuentum est sigillatim; multum tamen est, si coniungatur, quod ab omnibus est inuentum. Tertium ibi, *Quare sic videtur*, est, quòd quemadmodum existenti extra domum nota est ianua, & interiora domus occulta; sic homini accidit in scientia: scilicet quia principia sunt patentia; licèt conclusiones sint difficiles, & latentes.

Multa Scot, dist. 3. 1. q. 4. & in princ. 1. post. & 4. huius t. c. 8. & 9.

2 Conclusio ibi, *Habere autem totum*, est, quòd *Consideratio veritatis aliquo modo difficilis est.* Medium est duplex. Primum per signum scilicet si penitus esset cognitio facilis; tunc statim perfectè cognoscerentur conclusiones, vel composita, vel causæ, contrarium experimur. Secundum per causam ibi, *forsan autem*, est, quòd intellectui caliganti ad manifestissima naturæ, est difficilis consideratio veritatis; talis autem est noster intellectus.

3 Conclusio ibi, *Non solùm autem*, t. c. 2. est, quòd *Debemus esse grati prioribus Philosophis.* Medium est, quòd iuuerunt nos ad scientiam, non solùm qui benè dixerunt, sed etiam qui errauerunt, dederunt nobis viam exercitij.

Lege 2. cœli t. c. 34.

4 Cōclusio ibi, *Vocari verò*, t. c. 3. est, quòd *Hæc scientia est consideratiua veritatis.* Medium, est quia est speculatiua, vt patet ex 13. conclusione primi, finis autem speculatiuæ est veritas.

5 Conclusio ibi, *Nescimus autem verum*, t. c. 4. est, quòd *Hæc scientia maximè considerat veritatem.* Medium est, quia est de maximis veris, cuius ratio est. Illa sunt maximè vera, quę sunt aliis causa veritatis, huiusmodi autem est principium. Sicut illud est calidissimum, quod est aliis causa caliditatis, sicut ignis est omnibus causa caloris.

7 Sco. lib. 1. d. 1. q. 1. ad primū principale, & in proœmio primi huius.

6 Conclusio ibi, *Quare vnumquodque*, t. c. 4. est, quòd *Vnaquæque res sicut se habet ad esse, sic se habet ad veritatem.* Medium patet ex quinta conclusione huius, scilicet, quia illa maximè sunt, & primò vera, quæ sunt aliis causa veritatis. Deinde ibi, *& manifestum est, quòd res habent principium*, t. c. 5. quia supposuerat in prima conclusione huius, esse aliqua principia prima, quod non posset esse, si causæ redigerentur in infinitum: idcirco sic probatur esse causas infinitas tam secundùm speciem (scilicet quòd non sunt infinitæ species causarum) quàm secundùm indiuiduum: scilicet quòd in eadem specie non est vna priùs alia in infinitum.

Pars 2. lib. *Pro parte ista 2. lege quæ scribit Franciscus d. 43. Conf. q. 9. & 10. & lib. 9. huius.*

7 Conclusio ibi, *Mediorum enim*, est, quòd *In causis mouentibus non in infinitum, accipiendo vnam*

vnam

vnam ante aliam. Medium eſt, quia in infinitis non eſt dare primum: ſed ſi non eſt cauſa prima in mouentibus, nec ſecundum eſt dare conſequentem, quæ dependeat à præcedentibus.

8 Cõcluſio ibi, *At verò neque deorſum*, t.c.7. eſt, quòd *In cauſis materialibus eſt finitas.* Medium eſt, quia duobus modis fit aliquid ex aliquo; aut tanquam ex medio, & imperfecto fit extremum, & perfectum; vt ex puero vir; aut à tanquam ex vno extremo fit aliud extremum; vt ex aqua aër; ſed primo modo, ſumitur non infinitum, quia inter duo extrema, media non poſſunt eſſe infinita: nec ſecundo modo, quia ibi fit reflexio, ita quòd dictus primus fit vltimum, & ècontra. In illis autem non contingit ambire, in quibus nec primum inuenitur, nec vltimum.

8

9 Concluſio ibi, *Similiter autem*, eſt, quòd *Primo illorum modorum duorum aliquid fit ex materia, & non ſecundo.* Medium eſt, quia materia prima eſt incorruptibilis: quando autem aliquid fit ex aliquo ſecundo modo generatio vnius eſt corruptio alterius.

10 Concluſio, ibi, *Ampliùs autem*, t.c.8. eſt, quòd *In cauſis finalibus non itur in infinitum.* Medium eſt, quia finis eſt illud propter quod ſunt alia, & ipſe non eſt propter aliud: aut igitur erit aliquid tale, & ſic erit vltimum, & ſic non itur in infinitum; aut ſi nihil fuerit tale, non erit finis, & ſic ſequuntur tria inconuenientia. Primum, quòd non ſit bonum in rebus, cùm bonum, & finis ſint idem ibi, *ſed qui infinitum faciunt.* Secundum, quòd non erit actus naturalis, cùm natura agat propter finem, ibi, *& nullus conabitur.* Tertium, quòd nullus erit agens per intellectum; agens enim per intellectum intendit finem, quem oportet cognoſcere; hoc autem non contingeret ſi fines eſſent infiniti, *neque vtique erit.* t.cap.9.

11 Concluſio ibi, *Sed nec quod quid erat*, t.c.10. eſt, quòd *Cauſæ formales ſunt finitæ.* Medium quadruplex. Primum ibi, *ſemper enim*, eſt, quia diffinitiones quæ à formis ſumuntur, ſunt finitæ: aliàs diffinitio poſterior non dependeret à priori, vt diffinitio hominis à diffinitione animalis, ſi non eſſet dare primam, nec ſequentem. Secundùm ibi, *Ampliùs ſcire*, t.c.11. eſt, quia non contingeret ſcire: quia non contingeret peruenire ad indiuidua rei ſcibilis, ſiue per indiuidua intelligas, ſpeciem ſpecialiſſimam, quæ in alias ſpecies non diuiditur; ſiue genus generaliſſimum, quod in genera priora non reſoluitur; ſiue propoſitionem immediatam, cuius termini per medium non diuiduntur, cùm non cadat medium inter eos. Tertium ibi, *& cognoſcere*, t.c.11. eſt, quòd cùm infinita non poſſint cognoſci, ſi res haberent formas infinitas nunquam eſſent cognoſcibiles. Quartum ibi, *Sed materiam*, text. comment. 12. eſt, quòd materia ſecundùm quòd infinita eſt habet rationem priuationis, cùm infinito conpetat eſſe nihil, ſiue non ens. Ergo per oppoſitum forma ſecundùm quòd finita eſt, vel habet finitam rationem, habet ſtatum, vel terminum, igitur infinitas non eſt à formis.

9

12 Concluſio ibi; *Sed ſi infinitæ*, t.c.13. eſt, quòd *Cauſæ nõ ſunt infinitæ ſecundum ſpeciem.* Medium eſt, quia tũc nullum cauſatum eſſet cognoſcibile.

13 Concluſio ibi, *contingunt autem*, t.c.14. eſt, quòd *Conſuetudo habet vim abſtractiuam, ſeu inclinationem.* Medium eſt quadruplex. Primum ibi, *Nam vt conſueuimus*, eſt, quòd conſueta placent. Secundum ibi, *& quæ prætereà*, quia inſueta diſplicent. Tertium ibi, *Quantam verò vim habeant*, eſt, quòd propter conſuetudinem audiendi fabuloſa multi negligunt veritatem, & vtilitatem legum & ad fabulas conuertuntur. Quartum ibi, *Alij autem ſi non Mathematica*, t.c.15. eſt, propter inductionem, quia diuerſi propter diuerſas conſuetudines habent diuerſos modos probandi, ſiue requirunt.

14 Concluſio ibi, *Propter quod oportet erudiri*, t.c.15. eſt, quòd *Logica eſt modus ſciendi, & vt addiſcenda ante iſtam ſcientiam.* Medium eſt, quia vtraque eſt difficilis, & non ſunt duo difficillima ſimul aggredienda.

15 Concluſio ibi, *Acribologia*, t.c.16. eſt, quòd *Certitudo demonſtrandi, non eſt omnibus ſcientiis æqualis*, Medium eſt, quia ſcibilia aliqua ſunt magis ſeparata à materia, quam alia, & ideò magis certificabilia.

Concluſiones Libri III.

10

In tertio libro ſpecificat Philoſophus, in ſpeciali, & ſigillatim materiam huius ſcientiæ; ponendo ſcibile; & diſputando quæſtiones quàm plures, circa quarum conſiderationem verſatur totaliter, & principaliter intentio Metaphyſici. Sed quia in hoc libro nullam illarum quæſtionum determinat; cùm in hoc opuſculo ſolas illas concluſiones compilare intendam quas Ariſtoteles determinatiuè ponit, ac probat, ideò Tertij libri Concluſiones non aſſigno ex his, quæ in iſtis libris tribus determinantur, patet enim quòd præambuli ſunt ad principale negotium huius ſcientiæ.

Pars octaua libri.

Concluſiones Libri IV.

In quarto libro oſtendit Philoſophus ſubiectũ huius ſcientię, quod ſcilicet eſt ens, inquantũ ens & conſequentia entis, & videntur tres eſſe eius principales partes. In prima oſtendit quòd iſta ſcientia determinat de ente inquantum ens, & de conſequentibus ad ipſum. In ſecunda ibi, *Dicendum autem vtrum*, t.c.7. oſtendit, quòd huius ſcientiæ eſt determinare de primis principiis demonſtrationis, & quòd ſit primum, & principale principium, ad quod omnia alia reducantur, &c. Tertia ibi, *principiũ non eſt ad omnia talia*, t.c.10. contra negantes huiuſmodi principiũ diſputatur.

Duarum autem partium primarum concluſiones ad 19. poſſunt reduci.

1 Concluſio eſt, quòd *Hæc ſcientia eſt de ente inquantum ens.* t.c.1. Probatio eſt, quia illa ſcientia quæ conſiderat ens inquantum ens, eſt vniuerſalis: quia nulla particularis eſt huiuſmodi; ſed hæc vniuerſalis non poteſt dici alia quàm illa quæ quærit prima principia, & primas cauſas, quales hîc quærimus; vnde antiqui quærentes elementa entis inquantum ens, quærebant huiuſmodi principia, & cauſas, ſcilicet primas; ergo hæc ſcientia vniuerſalis eſt de ente inquantum ens. Primò præmittit probationem ibi; *Eſt ſcientia quædam*, t.c.1, Secundò infert concluſionem ibi, *Vnde, & nobis entis*, t.c.1,

2 Concluſio eſt, quòd *De entibus inquantum entia, primam oportet eſſe ſcientiam.* Probatio eſt, quia quæcunque recipiunt prædicationem alicuius vnius, licèt non vniuocè, ſed analogicè, de ipſis determinare pertinet ad vnam ſcientiam; ſed ea

quæ continentur ſub ente ſic ſe habent reſpectu ipſius entis,ergo &c. Primò ponitur,& declaratur per exempla minor ibi, *Ens autem multis*, t.c.2. Secundò maior ibi, *Sed quemadmodum.* Tertiò concluſio ibi, *palam ergo.*

3 Concluſio ibi, *Vbicunque verò*,t.c.2. eſt,quòd *Hæc ſcientia primò, & principaliter agit de ſubſtantia.* Medium eſt, quia ſubſtantia eſt primum & principale ens à quo alia omnia dependent.

11

4 Cōcluſio ibi, *Omnis autem generis*, t. com.4. eſt, quòd *Hæc ſcientia eſt de omnibus entibus.* Medium eſt, quia omnia ſcibilia vnius generis, ſiue ſit vniuocum, ſiue analogum, pertinent ad vnam ſcientiam, ſicut & omnia ſenſibilia vnius generis ad vnum ſenſum: vnde hîc de omnibus entibus inquantum entia determinantur. Speciales autem ſcientiæ ſpeciales differentias entis conſiderant.

5 Concluſio ibi, *Si igitur ens,& vnum*, t. c. 3. eſt, quòd *Hæc ſcientia habet determinare de vno.* Medium eſt; quia ens,& vnum ſunt idem. Probatio huius duplex eſt. Prima ibi,*idem enim vnus homo*, t.c.3. ſcilicet quia ens,& vnum addita cuicunque nullam faciunt diuerſitatem: vnde quando generatur,& corrumpitur vnum, & aliud. Secunda ibi, *Amplius autem cuiuſcunque ſubſtantia*, t. c. 3. eſt, quia vtrumque eorum prædicatur eſſentialiter de omni ente.

6 Concluſio ibi, *Quare quotcunque vnius ſunt*, t. c. 2. eſt, quòd *Quot ſunt partes vnius, tot & entis,de quibus habet determinare hæc ſcientia, ſicut de particularibus entibus.* Medium patet ex quinta concluſione huius; ſed tamen non ſunt determinatæ partes *vnius*,ſicut entis in omnibus præſentis.

7 Concluſio ibi, *& tot partes ſunt philoſophiæ*, t.c.4.eſt, quòd *Iſtius ſcientiæ partes diuiduntur, ſicut & partes ſubſtantiæ.* Medium poteſt ſumi ex tertio huius, vnde de ſubſtantiis ſenſibilibus agit in 7. & 8. huius; de inſenſibilibus autem in 12. Aliud etiam medium huius 7. concluſionis ponitur ibi, *eſt enim philoſophus*, & eſt à ſimili ſcilicet, quòd ſicuti diuiditur Mathematica per diuiſionem ſui ſubiecti,ſic etiam hæc ſcientia.

8 Concluſio ibi; *quoniam autem vnius*,t.com.4. eſt,quòd *Iſtius ſcientiæ eſt determinare de* multo, *& de conſequentibus ad ipſum.* Medium eſt, quia huius ſcientiæ eſt conſiderare contraria & oppoſita; ſed *vni* opponuntur multa, & quia ſcilicet *vnum, & multa* conſequuntur ad ens, quod dicitur multipliciter, ideo etiam ipſa dicuntur multipliciter, & conſequentia ad ea:quas multiplicitates debet hîc Philoſophus determinare, & quæ per prius, & quæ per poſterius dicuntur. Et nota diligenter circa iſtam concluſionem octauam,differentiam inter priuationem,& negationem. Huius etiam octauæ concluſionis ponuntur alia tria communia media, tam 8. quàm 5. Primum ibi, *& Philoſophi*, t.c.5. & eſt, quòd, cùm de *vno*, & de *multo*, & de conſequentibus ad ea,fiant aliquę dubitationes, & non ſit alicuius ſcientiæ particularis illas determinare;igitur erit ſcientiæ vniuerſalis, qualis eſt iſta. Secundum ibi,*ſignum autem*, t.c.5. & eſt, quòd cùm Dialecticus, vel Sophiſta conueniat cum Metaphyſico;non in modo, ſed in rebus conſideratis;& illi conſiderent iſta: ergo & Metaphyſicus,quia ſcilicet iſta, *idem & diuerſum*; *ſimile & diſſimile*,& *contraria*, & huiuſmodi, reducuntur ad ens,& vnum,& multa. Tertium ibi, *amplius contrariorum*, t.c.6. & eſt, quòd non eſt alicuius ſcientiæ particularis iſta determinare,ſed ea ſupponere.Mediū patet ex 8.concluſione huius.

12

9 Concluſio ibi, *& iam non Geometricè*, eſt, quòd *Iſta;idē & diuerſum:ſimile & diſſimile*, &c. *non pertinent ad Geometricam ſpeculationem.* Medium,quia vnius ſcientiæ eſt ſpeculari ens, & conſequentia ens, talis autem eſt Metaphyſica ex 8. huius.

De prima principio complexo, vide Franciſc. Mayron. in tract. de eo.

10 Concluſio ibi,*palàm autem:quia* t.c.7.ſcilicet parum poſt principium ſecundæ partis,eſt, quòd *Huius ſcientiæ eſt determinare de primis, & communibus principiis demonſtrationis.* Medium eſt, duplex. Primum per cauſam ibi,*omnibus enim ſūt*, t.c.7. ſcilicet, quòd huiuſmodi principia conſequuntur ens communiter ſumptum. Secundum per ſignum ibi, *vnde nullus*, text.com.7. ſcilicet quod nulla ſcientia particularis de illis determinat.

11 Concluſio ibi,*Quicunque verò conantur*.t.c.8. eſt, quòd *Huiuſmodi principia non ſunt demonſtrabilia*, Medium innuitur ibi, *Propter ignorantiam*, t.c.8. ſcilicet, quia ſicuti oſtenditur primo Poſteriorum, t.c.6. & inde, non eſt demonſtratio niſi mediatorum.

12 Concluſio ibi, *Congruit autem maximè*,t.c.8. eſt,quòd *Primus Philoſophus debet habere firmiſſima principia.* Medium eſt vniuerſale,quia cognitio vniuerſalis debet eſſe certiſſima. Hoc autem patet ex medio 12.1.libri.

Al. Sapientialis.

13 Concluſio ibi, *Firmiſſimum autem*, t.com.8. eſt,quòd, *Circa primum principium non contingit decipi.*Mediū eſt,non decipimur niſi circa ignota.

14 Concluſio ibi, *& non conditionale*, t.c.8. eſt, quòd, *Huiuſmodi principium accipitur ſimpliciter, & non ex ſuppoſitione: ſicut ea quæ ab aliis ſcientiis ſupponuntur.* Medium eſt, quia intellectum cuiuſcunque veritatis alterius præcedit neceſſariò notitia huius principij.

15 Concluſio ibi, *Quod autem cognoſcere eſt neceſſarium.* t.c.8. eſt, quòd *Huiuſmodi principium per ſe venit in notitiam intellectus.* Medium patet ex medio 14.huius. Deinde ibi.*quòd verò ſit illud*, t.c.8. oportet, inquiens, quòd tale principium ſit hoc: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe,& non eſſe.*

13

16 Concluſio ibi, *Impoſſibile namque.* t. c. 9. eſt, quòd *Circa illud principium non contingit decipi.* Medium eſt quia tunc ſequeretur, quòd contraria eſſent ſimul vera in eodem: ſcilicet opiniones de contraria poſitione;quæ probantur eſſe contraria in fine Perihermenias.

17 Concluſio ibi, *Quapropter omnes.* t.c.9. eſt, quòd, *Hoc principium eſt vltimum in reſolutione complexorum.* Cùm ens ſit primum in compoſitione, ſic & hoc principium, quod componitur ex ente, & reſolutione complexorum,ſe habebit; & hoc innuitur ibi, *Natura namque principium*, & ex his duabus concluſionibus patet, quòd illa tria,quæ in aliis tribus concluſionibus immediatè præcedentibus ſunt oſtenſa de principio firmiſſimo,conueniunt iſti principio.

18 Concluſio ibi, *Vult autem*, eſt, quòd, *Hoc principium eſt indemonſtrabile.* Medium eſt,quia cùm aliqua ſint indemonſtrabilia, vt patet in 1. Poſt. t.c.6. & inde; nullum poteſt eſſe indemonſtrabilius iſto.

19 Concluſio ibi, *Eſt autem demonſtrabile*.t.c.9. quòd, *Licèt hoc principium non ſit demonſtrabile ſimpliciter, poteſt tamen demonſtrari per aliquod medium.* Cuius ratio eſt quia quicunque concedit aliquod medium, concedit ſaltem implicitè

implicitè hoc principium; si autem aliquis nihil concedit,non debet disputari cum eo. Conclusiones tertiæ partis non assigno hîc,quia ferè omnes reperiuntur in vndecimo huius, & tunc ibi poterunt assignari.

Pars 3.huius

Conclusiones Libri V.

14

In quinto libro,distinguit Philosophus multiplicitates nominum significantium res huius scientiæ, hoc enim pertinet ad ipsum, sicut patet ex his, quæ dicta sunt in octaua conclusione quarti, & quia in hoc libro procedit non concludendo,sed potiùs distinguendo:ideò conclusiones eius assignare non possumus.

Conclusiones Libri VI.

In sexto libro cōparat Philosophus hanc scientiam ad alias scientias, remouens à consideratione hac quosdam modos entis, de quibus principaliter non intendit:scilicet ens per accidens,& ens vt verum; & secundùm hoc,liber iste continet duas partes principales. In quarum prima comparatur hæc scientia ad alias. In secunda ibi, *Sed quando ens dictum simpliciter*,tex.c.4.remouentur prędicti modi entis à consideratione huius scientiæ. Possunt autem huius libri conclusiones reduci ad 18.

1 Conclusio est,quòd *In hac scientia quæruntur principia entis inquantum ens*, ibi, *Principia, & causæ quæruntur*, t.c.1. Medium à simili,quælibet enim scientia,vt Medicina,& Mathematica quærit prima principia,& causas sui subiecti.

2 Deinde ibi,*Sed omnes istæ*,tex.c.1.Assignat differentiam inter hanc scientiam, & alias, subiungens secundam Conclusionem, quæ est, quòd *Nulla scientia particularis inquirit quod quid est*. Medium est,quia vnaquæque ponit quod quid est, vel aliquo modo accipit ipsum.

3 Conclusio ibi, *Similiter autem nec si est*, text. c. 1. est, quòd *Nulla scientia inquirit, vel demonstrat si est, scilicet suum subiectum.* Medium est, quia eiusdem scientiæ, vel rationis, est inquirere, vel demonstrare si est,& quid est.

4 Conclusio ibi, *Quoniam verò Physica est scientia*,t. c.1. est, quòd *Scientia naturalis est speculatiua*. Medium est, quia omnis scientia, vel est actiua,vel factiua,vel speculatiua; sed scientia naturalis non est actiua,nec factiua; ergo. Probatio minoris:quia principium motus rerum,de quibus est scientia actiua, vel factiua, est in ipso sciente, vel in agente,vel in faciente. Principium autem motus rerum, de quibus est scientia naturalis, est in ipsis rebus. Primò medium ibi ponitur, *quodcunque verò*. Secundò, accepto medio principali infertur conclusio ibi,*quare si omnis*. Nota tamen, quod hîc actio vocatur operatio, quæ manet in agente,vt dilectio: factio verò illa, quæ transit in transmutationem materiæ exterioris, vt secare,vel vrere.

5 Conclusio ibi,*Oportet autem quod quid*,t.c.2. est, quòd *Scientia naturalis diffinit per materiam sensibilem*.Medium est,quia res naturales non possunt esse,nec intelligi,sine huiusmodi materia; & declaratur in littera exemplariter,& inductiuè.

6 Conclusio ibi, *Ideóque,& de anima*,est,quòd *Physici est determinare de anima, prout est in materia.* Medium patet ex declaratione quintæ huius in textu.

7 Conclusio ibi, *Sed est Mathematica*, tex.c.2. est,quòd *Scientia de rebus separatis à materia, est Theorica.* Medium est idem cum medio quartæ huius,& ideò non repetitur, scilicet, quia Mathematica scientia non est actiua,vel factiua, &c.

15

8 Conclusio ibi,*Si verò aliquod est immobile*,t.c. 2. est, quòd *Scientia de rebus separatis à materia, & sempiternis est Theorica*.Medium est idem cum medio quartæ huius, scilicet, quia talis scientia non est actiua,nec factiua.

9 Conclusio ibi, *Nam tum Physicè*, est, quòd *Hæc scientia, quæ est de rebus separatis à materia, & sempiternis,differt à Physica,& Mathematica.* Medium est, quia subiecta earum differunt,& declaratur in littera.

10 Conclusio ibi,*Quare tres erunt*,t.c.2.est,quòd *Tres sunt modi speculatiuæ.* Medium patet ex duabus conclusionibus immediatè præcedentibus.

11 Conclusio ibi,*Non enim immanifestum*, tex. com. 2. est, quòd *Hæc scientia quæ est de rebus separatis à materia, & sempiternis est Theologica,siue diuina:sic denominata fuit in textu in conclusione proximè præcedenti.* Medium est duplex. Primum,quia res diuina non potest esse alia quàm illa, quæ est separabilis, & sempiterna; huiusmodi naturam hæc scientia considerat, vt patet ex 8. & 9. conclusione huius. Aliud medium est, quia scientia honorabilissima, (cuiusmodi est ista, quæ est de rebus separatis, & sempiternis) debet esse circa genus honorabilissimum: huiusmodi est genus diuinarum rerum, ibi, *& honorabilissimam scientiam.*

12 Conclusio per modum dubitationis ponitur ibi, *Dubitabit enim vtique aliquis*,tex.c.3. & est, quòd *Hæc scientia est vniuersalis, & prior aliis.* Quòd autem sit vniuersalis probatur, quasi per locum à diuisione,ibi, *Non enim idem*,vbi ostenditur,quia aliæ non sunt vniuersales ab ista. Quòd verò sit prior, ostenditur ibi, *Si igitur*, per hoc quòd substantiæ illæ, de quibus determinat, sunt priores: licèt de substantiis adhuc nihil determinauerit,ideò sub dubitatione loquitur Aristoteles hîc: quia nondum probauit eas esse. Deinde distinguens diuersos modos entis, ibi, *Sed quoniam ens*, tex.com.4. Subiungit tandem, ibi, *Quoniam itaque multipliciter.*

16

Pars 2.lib.

13 Conclusio, quòd *Nulla scientia determinat de ente per accidens.* Probatio duplex, prima per inductionem ibi, *signum autem*, & patet secunda ibi, *& hoc rationabiliter.* Per rationem quæ est, quòd omnis scientia est de ente; ens autem per accidens non est nisi in solo nomine, scilicet inquantum vnum de alio prædicatur,vt album musicum,intantùm enim aliquid est ens, inquantum est vnum. Et hoc medium primò declarat per auctoritatem ibi, *Vnde Plato.* Secundò per rationem: scilicet, quia vnius entis vna est generatio; entis autem per accidens non est generatio, nec corruptio;scilicet vna,ibi,*Palàm autem.*

14 Conclusio ibi, *Attamen dicendum est ampliùs*,tex.comm.5.& est,quòd *Ens,vt in pluribus, per suum esse,est causa entis per accidens.* Medium est ex diffinitione entis per accidens, scilicet, quia ens per accidens est ens,vt in paucioribus, & hoc latè in littera, subiungens secundò dubitationes, quæ patent.

15 Conclusio ibi, *Quod autem scientia non est*, tex. com.6. est, quòd *De ente per accidens non potest esse scientia.* Medium est, quia tale ens, non est semper,nec vt in pluribus.

17

16 Conclusio ibi, *Quod autem sint principia*, tex. com.7.est, quòd *Non omne, quod fit in istis inferioribus, habet causam per se, vt aliqui dicebant.* Medium est, quia tunc omnia euenirent de necessitate: si enim positâ causâ per se, necesse sit poni effectum (vt ipsi concedebant) & omnis effectus habet causam per se, cùm omnia futura possunt reduci ad causas aliquas per se præsentes, vel præteritas, scilicet reducendo futurum remotius ad aliquod propinquius, & illud in aliud quousque veniatur in præsens, & istæ cùm sint positæ iam, sequeretur omnia futura de necessitate euenire. Primò ergo præmittitur probatio. Secundò infertur conclusio ibi, *Erit ergo eius quid.* Tertiò subiungitur dubitatio ibi, *Sed ad principium*, t.c.8.

17 Conclusio ibi, *Quod autem vt verum*, tex.c. 8.est, quòd *Ens, quod significat idem quod verum, & non ens, quod significat idem quod falsum, sunt in compositione, & diuisione.* Medium ibi, *Non enim*, est quasi per locum à diuisione, scilicet quia non est in rebus, nec in intellectu simplicium quiditatum, ergo in intellectu diuidente, & componente.

18 Conclusio ibi, *Quoniam autem complexio*, est, quòd *Isti duo modi entis, scilicet ens per accidens, & ens vt verum, sunt ab hac scientia relinquendi.* Medium est, quia ens, vt verum non est propriè ens, vel reale, sed mentale, & ideò ad scientiam pertinet de Anima. Præterea ens per accidens non habet certam causam. Item vtrumque horum entium fundatur super ens reale, quod est ens extra animam, & ideò de primo sufficit hîc determinare.

Conclusiones Libri VII.

18

Circa librum septimum, & sequentes attendendum est, quòd primò Philosophus agit de substantiis sensibilibus. Secundò repetit aliqua determinata, tam in hac doctrina, quàm in libris Physicorum, vt præparet se ad determinandum de insensibilibus substantiis, & hoc facit in 11. libro. Tertiò de substantiis insensibilibus, siue separatis à materia determinat, scilicet in 12. libro, & vltimo, & hoc dico principaliter. Item primò agit de substantiis sensibilibus, quoad principia suorum generum. Secundò scilicet in 9. quoad modos essendi, scilicet de actu, & potentia. Tertiò quoad diuisionem, siue vnitatem sui esse, & hoc in 10. Item primò inuestigat essentiam, & principia essentialia substantiarum sensibilium, modo magis Logicali, scilicet modo prædicandi, diffiniendi, & inquirendi quæ scilicet sint differentia, & quæ non. Secundò, modo magis reali, scilicet in 8. vbi de materia, & forma, & de earum vnione determinat. In 7. libro videntur esse 9. partes principales. In prima ostenditur de primo ente, de quo ente sit principaliter, & totaliter agendum, scilicet de Substantia. In secunda de qua substantia sit primum agendum ibi, *Dicitur autem substantia*, t.c.7. In tertia ex quibus sit ipsum *quod quid est*, & quorum ibi, *Et primo dicemus*, tex. c. 11. In quarta vtrùm ipsum *quod quid est* sit idem cum eo cuius est, ibi, *Vtrùm autem idem*, tex. com.20. In quinta inquiruntur causæ generationis sensibilium substantiarum ibi, *Eorum verò quæ sunt*, tex.c.22. In sexta inquiruntur quæ partes totius ingrediantur in diffinitione totius ibi, *Quoniam verò diffinitio*, t.c.33. In septima agitur de vnitate essentiæ, quam diffinitio signat ibi, *Nunc autem dicamus*, tex. cō. 42. In octaua probatur, quòd vniuersalia non sunt substantiæ, nec sunt separata ibi, *Quomodocumque verò dè substantia*, tex. com. 44. In nona ostenditur quomodo ipsum *quod quid est* habet rationem causæ, & principij ibi, *Quid autem oportet dicere*, t.c.59. & possunt huius libri conclusiones reduci ad quadraginta sex.

19

1 Conclusio est eadem cum tertia quarti, scilicet, quòd *De substantia est principaliter agendum.* Probatio huius duplex est. Prima ibi, *Toties autem ente dicto*, t.c.2. scilicet, quòd substantia est primum ens, & principale, & huius declaratio est triplex. Prima per rationem ibi, *Nam quando dicimus*, tex.c.2. quia ipsa dicit simpliciter quid, alia verò non: sed quale, vel quantum quid: vnde dicuntur entia, quia entis. Secunda per signum, scilicet quia de illis, quæ significant sine substantia; vt de accidentibus in abstracto, dubitatur ab aliquibus vtrùm sint entia; non autem de accidentibus concretis, quæ significant, vt in substantia, ibi, *Vnde, & vtique*, tex. c.3. Ex quo patet quòd substantia est primum ens, & simpliciter ens, cùm alia habeant esse ab ea, & concludit hoc ibi, *Quare primum ens*, t.c.4. subiungens quot, & quibus modis substantia sit prior accidente. Tertia probatio est per auctoritatem ibi, *Et quod olim*, tex.c.5. scilicet, quia antiqui qui quæsierunt principia entis principaliter, & totaliter, inquisierunt substantiarum principia, siue ponerent vnum principium, siue multa. Et primò præmittuntur probationes huius conclusionis primæ. Secundò ipsa infertur ibi, *Quapropter nobis maximè*, text.c. 5. Tertiò ostendit Philosophus quæ sunt manifestæ substantiæ, ibi, *Videtur autem substantia*, tex.c.5. Quartò ostendit, quæ sunt substantiæ secundùm antiquorum opinionem, ibi, *Videtur autem quibusdam*, t. c.5. Quintò ostendit quòd de iis est inquirendum ibi, *De his igitur, quod dicitur benè*, tex. comm.6. Deinde ibi, *Dicitur autem substantia*, distinguens, & subdistinguens nomen *substantiæ*, subiungit ibi, *Quare si species*, tex. com. 7.

2 Conclusio, quæ est, quòd *Forma prior sit composito.* Medium est, quia est componens, & principians, quod innuitur ibi, *Quod ex vtrisque*, tex.c.7. Deinde ibi, *Nunc quidem igitur*, dicit, quod adhuc non est manifesta natura substantiæ, & subiungit ibi, *Et adhuc materia*, tex.com.8. Rationem, per quam antiqui, solam materiam, probabant esse substantiam, & patet,

3 Conclusio ibi, *Dico autem materiam*, tex.com. 8. est, quòd *De essentia materiæ non est forma, nec priuatio.* Medium est diffinitio materiæ, quam primò ponit. Secundò infert conclusionem ibi, *Quare quod est vltimum*, tex.com.8.

1. Physicor. T.c.41.

4 Conclusio ibi, *Sed impossibile*, t. c.8. est, quòd *Compositum, & etiam forma est magis, vel veriùs substantia quàm materia.* Medium est duplex, tum, quia scilicet compositum est separabile, id est, distinctum, & per se stans: tum, quia est hoc aliquid, quorum neutrum materiæ conuenit.

20

Theor.21. lege lib.4. dist. 12.q.2. circa medium, & in Francisco 11. de Trin. veri.2.

5 Conclusio ibi, *Attamen eam quæ nunc*, tex. cō. 9. est, quòd *De forma potiùs agendum quàm de composito, vel materia.* Medium est triplex: tum scilicet, quia compositum est posterius: tum, quia manifestius, & minorem habet dubitationem: tū, quia ipsa materia erit magis manifesta in opinionibus antiquorū, omnes enim ponebant materiam esse, & etiam ipsam esse maximè substantiam, vt patet ante tertiam conclusionem huius in littera.

Innata est nobis via à notioribus & c.1.Physic. Pars 3.lib. *Pro hac parte habes in Auic.2. Metap. c.7.& d 1.4. q.1. habes conditiones requisitas lib. 4.dist. 12. q. 1.& q.4.c.de proprio. lege com.14.huius 7.Com.vbi suprà.*

6 Conclusio ibi, *Confitentur autem*, tex. com.9. est, quòd *De substantiis sensibilibus, & de earum quiditate est priùs agendum, quàm de insensibilibus.* Medium est, quia licèt illæ sint simpliciter notiores, nobis tamen istæ notiores sunt.

7 Conclusio, scilicet in principio tertiæ partis, ibi, *Et primò dicemus quadam*, text.c.11.est, quòd *Ex solis prædicatis per se primo modo, debet constitui diffinitio.* Medium est, quia nec prædicata per accidens, nec ea quæ prædicantur per se secundo modo, dicunt rei essentiam, & hoc latè declaratur in littera.

8 Conclusio est, quòd *Diffinitio non est accidentis, vel compositi ex subiecto, & accidente, & hoc debet intelligi per se, & primò.* Medium est, quia diffinitio dicit quid, vel aliquid, ipsum autem accidens non dicit quid: sed quale, vel quantùm: primò facit quæstionem circa hoc ibi, *Quoniam verò sunt*, tex. com. 12. secundò soluit ibi, *At verò neque*, tex. com.2. sed veritatem medij tangit, ibi, *Quod quidem enim quod erat esse.*

9 Conclusio ibi, *Aut, & diffinitio sicut, & quod quid*, t.c.14. est, quòd *Etsi diffinitio sit substantia, & accidentium, tamen per priùs est substantia.* Medium est, quia sicut ens per prius dicitur de substantia; ita & ipsum *quod quid est*, & hoc ibi declaratur diffusè.

10 Conclusio est, quòd *Accidentia non possunt diffiniri sine propriis subiectis.* Medium est, quia non possunt intelligi, nec esse sine illis. Hæc conclusio cum medio suo elicitur ex duabus dubitationibus, quas in fine huius tertiæ partis mouet, & pertractat. Prima dubitatio præmittitur ibi, *Habet autem dubitationem*, tex. com.17. Secunda ibi, *Est autem, & alia*, tex. com. 18. Medium autem videtur exprimere in 1. dubitatione cùm dicit, *Et non contingit*, text.com. 17.

Pars 4.lib. *Lege d.3.2. qu.6.& 2. quodlib. quomodo* quod quid est *potest ad tria comparari.*

11 Conclusio est, quæ scilicet est prima in 4.parte huius septimi, ibi, *In dictis itaque secundùm accidens*, tex.c.20.est, quòd *In his, quæ dicuntur per accidens (vt homo albus) ipsum* quod quid est, *non est idem cum eo cuius est.* Medium est, quia talia important duas essentias, scilicet subiecti & accidentis, vna verò diffinitio vnam solam essentiam dicit, & ideò si *quod quid est* in talibus referatur solùm ad accidens, est idem; si verò ad vtrumque ad accidens, scilicet, & ad subiectum, non est idem. Medium non ponitur hîc in principio, nam solùm arguendo procedit: sed ponitur vltimum medium huius quartæ partis ibi, *Secundùm accidens verò dictum*, tex.c.12.

21

12 Conclusio ibi, *In dictis verò secundùm se*, tex.c.20. est, quòd *In entibus per se*, quod quid est *est idem cum eo cuius est*, vtpote ideæ: quia si sint aliud ab ipso, cùm res dependeant à suo *quod quid est*, tunc erunt quiditates ipsarum idearum posteriores eis, & ita aliquæ substantiæ priores sunt ideis quod est contra Platonicos. Medium secundum, quod probatur simpliciter, & cum ex suppositione, est: quia si *quod quid est* rei sit aliud ab ea, cùm *quod quid est* sit quædam res, pari ratione, & *quod quid est* ipsius, *quod quid est*, erit aliud ab ea, & sic in infinitum. Hoc autem medium ponitur circa finem huius quartæ partis ibi, *Absurdum verò apparebit*, text. com. 21. Vbi videtur ponere duas rationes: sed ambæ reducuntur ad illud medium.

13 Conclusio ibi, *Et si quidem absolutè*, t. c.20. est, quòd *Ipsum*, quod quid est *non est separatum ab eo cuius est.* Medium est, quia tunc sequeretur, quòd res non essent scitæ, cùm res sciatur per suum *quod quid est*, & per illud quod est in ea; tum, quia res non existerent secundùm se, nec suas quiditates haberent in se. Primum medium ibi, *Scientia enim*, secundum ibi, *Amplius cui non inest.*

Pars 5.lib.

14 Conclusio ibi, *Etenim hoc sufficiens*, tex.com. 20. est, quòd *Vana est, & inutilis positio idearum.* Medium duplex est. Primum, quia ponebantur ad saluandum existentiam, & scientiam rerum, ad hoc autem magis, & meliùs sufficit aliud: scilicet quòd ipsum *quod quid est*, sit idem cum eo cuius est, & non separatum ab eo. Secundò, quia sequeretur indiuidua substantiæ non esse substantias, quia vnumquodque est substantia per suam formam, quę est in eo: hæc autem positio separat formas rerum ab ipsis, & hoc scilicet medium ponitur ibi, *Simúlque palàm, quia si sint*, tex.com.21. deinde in 5. parte præmittens duas diuisiones, vnam à parte modorum quibus aliquid fit, ibi, *Eorum autem quæ fiunt*, tex.com.22. aliam ex parte illorum, quæ ad factionem requiruntur, ibi; *Omnia verò quæ fiunt*, tex.c.22. ponitur.

22

15 Conclusio est, quòd *Omnia quæ fiunt, siue ab arte, siue à natura, habent materiam.* Medium, quia omnia talia possunt esse, & non esse.

Ad hoc 2: Phys.com.14. & circiter.

16 Conclusio ibi, *Vniuersaliter verò*, text.c.21. est, quòd *Forma est natura.* Medium, quia quando aliquid est factum, scilicet quando habet formam, & cuius habet naturam, illius rei habet formam.

17 Conclusio ibi, *& à quo quæ secundùm speciem*, text. comment. 22. est quòd *Ea quæ fiunt, à suis similibus fiunt.* Hanc autem declarat primò inductiuè, siue exemplariter in naturalibus, ibi, *Homo namque.* Secundò ibi: *Generationes verò*, declarat eam in artificialibus, distinguens, primò generationes, quæ non sunt naturales, & ostendens ibi, *Ab arte verò fiunt*, tex.c.23. quæ sunt actiones artificiales, ibi, *Fit itaque sanitas*, ostendit quomodo ab arte procedat, scilicet per similitudinem rei, quæ existit in mente artificis vnde concludit ibi, *Quare modo quodam accidit*, quòd sanitas per actiones artis, interiorem, & exteriorem inducitur ibi, *Generationem verò, & motuum*, tex. com. 23. Ex quibus omnino elicitur, quòd omne quod fit ab arte, fit ab altero informato, similitudine illius rei, quæ fit: & hoc est medium huius 17. conclusionis quantùm ad artificialia.

18 Conclusio ibi, *Faciens itaque, & vnde inchoat*, text. comm.23. est, quòd *Species existens in mente artificis, est principium operandi, siue agendi.* Medium huius patet ex medio 17. huius immediatè præmissæ, vnde incipit ab eodem, à quo, & agens ab arte. Declaratio huius est in exemplo; sicut enim si aliquis præter intentionem agens, fricando se calorem excitat, qui est principium sanitatis, & ita ab excitatione caloris incipit; ita etiam si ab arte operetur, & per intentionem sciret hoc expedire, ab eadem excitatione caloris inciperet. Hoc exemplo concludit ibi, *Calor itaque in corpore:* quia talis calor, vel est pars sanitatis, quando scilicet sanitatem immediatè introducit; vel sequitur ad eum aliqua pars sanitatis: scilicet quando non immediatè ad calorem, sed ad aliquam aliam dispositionem, quæ sequitur, priùs ipsum calorem mediatè, vel immediatè sanitas sequitur. Vnde talem dispositionem, quam immediatè sequitur forma, vocat partem ipsius.

19 Conclusio ibi, *Quare sicut dicitur impossibile*, tex.

tex.com.24.est,quòd *Cuiuslibet rei est aliqua pars praeexistens.* Medium est, quia præexistit materia, & etiam forma saltem secundùm materiam.

20 Conclusio ibi, *Ex quo verò, vt materia*, tex. com.24. est,quòd *Illud, ex quo aliquid fit, non prædicatur de eo, nisi fortè denominatiuè.* Medium ibi, *Causa verò est*, tex. com. 5. quia illud ex quo aliquid fieri dicitur, vt compositum: velut cum dico, quod domus fit ex lateribus, & lignis, in ipsis lateribus intelligitur priuatio opposita formæ domus.

21 Conclusio est, quòd *Forma non generatur.* Medium est, quia non habet materiam, & formam, quod autem generatur habet materiam, & formam; quod patet ex secunda diuisione posita in principio huius quintæ partis: Si enim forma haberet materiam, & formam, tunc quæreretur idem de illius forma, & sic in infinitum. Primò Aristoteles repetens illam diuisionem secundam proponit hanc conclusionem ibi, *Quomodocumque verò ab aliquo fit quod fit*, tex. com. 26. Secundò probat eam ibi, *Nam si facit ex aliquo*, text.com. 26. Tertiò infert probatam ibi, *Palàm ergo quòd* tex.com.27.

Pro his duabus Conclus. Vide 2. Her. lib. 1. d. 5 q. 1. & com. 8. huius. De ideis Platonis lege Auicen. lib. 7. sua met. c. 2. & 3. & Theo. d. 35. 1. sententiarum.

22 Conclusio ibi, *Æneam verò spheram esse facit*, tex. com.27.est, quòd *Solum compositum generatur.* Medium est, quia solum ipsum constat ex materia, & forma; vnde habet hoc in hoc, id est, formam in materia.

23 Conclusio ibi, *Vtrùm igitur est quædam sphera*, tex.com.28.est,quòd *Idea non est causa generationis per modum generantis.* Medium est, quia generans est hoc aliquid, & generatum similiter, Idea verò cùm sit à materia separata secundùm Platonicos, non potest esse hoc aliquid.

24

24 Conclusio ibi, *In quibusdam verò palàm*, tex. com. 28. est, quòd *Idea non est causa generationis per modum generantis exemplificantis, & causantis similitudinem in generato.* Medium est, quia ipsum generans sufficit ad huiusmodi similitudinem producendam, & propter hoc videtur fuisse præmissa.

25 Conclusio ibi, *Et diuersa quidem propter materiam*, tex. com 28. est, quòd *Generatum, siue id quod factum est, est diuersum à generante.* Medium est, quia habet aliam materiam.

26 Conclusio est, quòd *Eorum quæ fiunt ab arte quædam fieri etiam possunt à natura, vt sanitas, & quædam non, vt domus.* Medium est, quia quædam habent principium actiuum, siue motiuum in subiecto in quo fiunt, quædam verò non. Primò proponit hanc conclusionem, & aliam per modum quæstionis ibi, *Dubitabit*, tex.comm.29. secundò subiungit solutionem, ex qua habetur medium istud, ibi, *Causa verò est, quia hoc.*

27 Conclusio ibi, *Palàm verò ex dictis*, tex.com. 30. est, quòd *Licèt omnia fiant aliquo modo à sibi similibus, non tamen est æqualis similitudo semper in omnibus inter generans, & generatum.* Declaratio huius est per assignationem diuersorum modorum, quibus aliqua fiunt ab aliis, siue ab arte, siue à natura, siue in generantibus vniuocè, siue æquiuocè, ex quibus manifestè patet veritas huius 27. conclusionis.

28 Conclusio ibi, *Quæcunque autem à casu*, tex. com. 31. est, quòd *Eorum quæ fiunt per naturam quædam etiam fieri possunt à casu, scilicet, sine generante, vt ea quæ fiunt per putrefactionem: quædam verò non, vt animalia magis completa, vt equi & his similia.* Medium est, quia quorundam materia potest sine spermate moueri ad formam, quædam verò non.

29 Conclusio ibi, *Non solùm autem*, est, quòd *Forma accidentalis non generatur.* Medium est idem cum medio vigesimæprimæ huius septimi.

30 Conclusio ibi, *Sed proprium substantia ex his*, t. c.32. est, quòd *Ad generationem substantiarum oportet substantiam præexistere, ad generationem accidentium non oportet accidens præexistere accidenti.* Medium est, quia accidentis substantia potest esse primum principium: hoc medium non exprimitur, quia satis patet. Deinde in sexta parte proponens dubitationes, an oporteat poni partes in diffinitione locorum; & vtrùm sint priores ipsis totis, vel èconuerso; & arguens circa hoc, subiungit tandē, ibi, *Aut multipliciter dicitur pars*, t.c.33.

Pars 6.lib.

25

31 Conclusio est, quòd *Aliquæ partes ponuntur in diffinitione, aliquæ verò non.* Medium est, quia aliquæ sunt partes sine quibus diffinitum non potest esse, nec intelligi, & dicuntur partes essentiales, vel species: aliquæ verò sunt, sine quibus diffinitum potest intelligi, vt materia sensibilis facta hæc caro, & hæc ossa; & tales dicuntur partes materiales, vel partes indiuiduæ. Hoc medium satis planè potest haberi, ex his quæ in littera de diuersitate partium diffusè declarat.

32 Conclusio ibi, *Dictum est quidem igitur*, tex. c.35. est, quòd *Partes quæ ponuntur in diffinitione sunt priores suo toto.* Medium est, quia tales partes sunt essentiales, & hoc medium non exprimitur, quia patet: sed ipsam conclusionem hîc in littera per exempla declarat.

33 Conclusio ibi, *Sed rationis partes*, tex.com. 35. est, quòd *Partes speciei sunt partes diffinitionis, non autem partes materiæ.* Medium est, quia tales per diffinitionem non cognoscuntur, sed solùm per imaginationem. Causa verò quare singularia non sunt cognoscibilia cognitione diffinitiua, siue intellectuali, est, quia sunt magis materialia. Deinde ostendens qualiter sit respondendum ad continuam secundùm positiones diuersas ibi, *Interrogationi verò*, tex.c.36. & tandem proponens dubitationem, quæ scilicet sint partes speciei ibi, *Dubitatur autem*, tex.c.37. & soluens eam ibi, *Quæcunque quidem igitur*, text. c.37. ponit secundum, scilicet quòd quidam volebant quòd nec materia sensibilis sit pars speciei in materialibus, nec materia intellectualis, siue imaginabilis, cuiusmodi est quantitas in Mathematicis: sed solos modos ponebant species rerum. Subiungit tandem ibi, *Accidit itaque vnam multorum*, t.c.38.

34 Conclusio, in qua probat quòd *Numeri non sunt species rerum.* Medium huius principale est, quia quæcunque participant vnum numero, vt tres homines, & tres equi, participant etiam vnam speciem, quod est falsum. Aliud medium tangit in littera, de qua non multum curo.

26

Auicen. 3. met. sua c. 5. Scot. lib. 1. d. 2. par. 1. & lib. 3. dist. 12.

35 Conclusio ibi, *Quare omnia reducere*, tex.c. 39. est, quòd *Materia tam in naturalibus, quàm in Mathematicis, est de essentia speciei, non quidem materia indiuidualis, sed communiter sumpta.* Mediū est, quia sine tali, ipsa species nec esse, nec intelligi potest, & hoc patet ex eo, quod dicit ibi, *Adducit enim à veritate*, & ex illis, quæ ibi sequuntur.

36 Conclusio ibi, *Verum autem est præter materiam*, est, quòd *De substantiis separatis est inquirendum in hac scientia.* Medium est, quia de substantiis materialibus, & sensibilibus, quæ principalius pertinent ad naturalem, hîc agimus propter illas. Deinde circa finem huius sextæ partis epilogat ea quæ sunt in præcedentibus dicta.

37 Con

Pars 7.lib.

37 Concluſio eſt, quòd *Eſſentia quam diffinitio ſignat, eſt vna.* Medium eſt, quia differentia finalis, ſiue vltima, quæ illam eſſentiam perficit, & diſtinguit, eſt vna. Hæc concluſio primò declaratur in ſeptima parte huius ſeptimi, vbi primò proponit quæſtionem ibi: *Nunc autem dicamus*, tex. com. 42. Secundò arguit circa eam ibi: *In hoc namque.* Tertiò ſoluit ibi, *Oportet autem primum intendere*, tex. com. 43. Ex qua ſolutione elicitur hæc 37. Concluſio, cum ſuo medio. Deinde in principio partis 8.huius 7. continuans ſe, ac præmittens diuiſionem ſubſtantiæ, proponit tandem ibi, *Videtur enim impoſſibile*, text. com.44.

Pars 8.lib.

38 Concluſio eſt, quòd *Nullum vniuerſale eſt ſubſtantia*, & debet hoc intelligi de vniuerſali, vt eſt vniuerſale, ſcilicet prout accipitur ab intellectu, vt vnum in multis; ſic enim nòn eſt aliquid in ſe extra intellectum; illud autem quod ſubeſt intentioni vniuerſalitatis, vt homo, vel animal, vel ſubſtantia, eſt *quod quid erat eſſe*: nam ſuperiora dicunt quiditatem ſuorum inferiorum. Hanc autem 38. per ſex media videtur probare. Primum eſt, quòd quælibet ſubſtantia, eſt propria eius cuius eſt ſubſtantia, vniuerſale verò nòn eſt quid proprium, ſed commune; vnde aut eſſet ſubſtantia omnium inferiorum, aut alicuius; omnium non, propter illud quod prædictum eſt, ſed nec alicuius vnius; quia tunc omnia alia eſſent illud vnum. Hoc medium primò ponitur ibi, *Primum enim ſubſtantia*, tex.com.45. Secundum ibi: *Ampliùs ſubſtantia dicitur*, tex.com.46. Tertium ibi: *Ampliùs autem impoſſibile*, tex.com.47. Quartum ibi: *Ampliùs autem eſt*, tex. com. 49. & omiſſis quatuor mediis cauſa breuitatis. Sextum eſt, quòd ſpecies conſtituitur ex genere, & ex differentia; ex duobus autem actu non exiſtentibus, fit aliquod vnum, & ita patet quòd genus, & differentia, & per conſequens alia vniuerſalia, non ſunt ſubſtantiæ per ſe actu exiſtentes. Et ſubiungit ibi: *Habet autem quod accidit*, tex.com. 50. dubitationem quandam quæ ſoluetur inferiùs concluſione 41. huius ſeptimi.

Ex ſex mediis ſolū primum, & 6. deducit, quatuor intermedia omittit. quare in expoſitione.

27

39 Concluſio ibi, *Manifeſtum autem ex his*, tex. com. 51. eſt, quòd *Vniuerſalia non ſunt ſeparata.* Medium principale huius eſt, quia ſi vniuerſale, vt animal, ſit aliquid per ſe, & ſeparatum exiſtens, aut erit vnum numero, aut multa; ſi vnum numero, vt videtur, ergo vnum numero erit in multis diuiſim exiſtentibus; ſi autem ſint multa, ſequitur quòd ipſum animal, quod eſt vnum in ſe, ſecundùm poſitionem Platonicorum, ſit multa quaſi infinita ſecundùm multitudinem ſuppoſitorum. Huius medij primam partem præmittit ibi; *Sed ſi alterum in vnoquoque*, tex. com. 52. quædam autem media interponit ibi, & quædam ſubiungit, de quibus non eſt multùm curandum.

Eadem cum 10.9.

40 Concluſio ibi, *Quorumcunque verò ſubſtantia*, tex. com. 53. & eſt, quòd *Si vniuerſalia, vel ideæ ſunt ſeparata, non poſſunt diffiniri.* Quod eſt contra Platonicos: hæc enim erat vna cauſa, propter quam ponebant ideas, vt diffinirentur: ſenſibilia enim & corruptibilia diffiniri non poſſunt. Medium huius eſt: quia ſi ideæ ſic ſunt, vt ipſi poſuerunt, erunt quædam ſingularia, cùm per ſe ſeparatæ exiſtant, ſingularia verò diffiniri non poſſunt. Huius etiam medij minorem, ſcilicet quæ fuit 35. huius, tribus rationibus his probat. Prima, quia ſingularia ſint corruptibilia. Diffinitio verò ſicut & demonſtratio non eſt de corruptibilibus: ſed de neceſſariis, & perpetuis datur. Secunda ibi: *Nomen autem non faciet*, tex.c.54. eſt, quòd Diffinitio cum ſingulari conuerti non poteſt, eo quòd diffinitio conſtat ex omnibus communibus, non vno, ſed pluribus: communia verò cum ſingularibus non conuertuntur, & remouet quandam obiectionem, quæ poſſet circa hoc fieri ibi, *ſi quis autem dicat.* Tertia ibi, *quemadmodum igitur*, tex.c.55. eſt, quòd ſi aliqua ſingularia poſſunt diffiniri magis videtur hoc de ſingularibus ſempiternis, & perpetuis, quæ ſunt vnica in vna ſpecie, vt Sol, & Luna, quàm de aliis: tum quia iſta non ſunt corruptibilia, vt prima ratio procedebat: tum etiam, quia *quod quid eſt* ineſt ſpeciei, ineſt etiam ipſi indiuiduo, cùm non ſit niſi vnicum, & ita videtur quòd diffinitio poſſet eſſe conuertibilis cum tali: ſed iſta non poſſunt, quia aut adderetur aliquod accidentale ad faciendum diffinitionem conuertibilem, & tunc non eſſet vera diffinitio, aut ſola ſubſtantialia ponerentur ibi, & tunc diffinitio non eſſet conuertibilis: quia etſi non inſit alij indiuiduo eiuſdem ſpeciei, quia non eſt; poſſet tamen benè ineſſe, vt ſi eſſet alius Sol: hoc autem eſt contra naturam diffinitionis. Et addit ibi, *quoniam propter quid*, ſignum quòd idea non ſit diffinibilis, quia ſcilicet nullus, etiam ponentium eas, aliquando diffiniuit.

28

41 Concluſio ibi, *manifeſtum eſt autem*, text. com. 56. eſt, quòd *Inter ſubſtantias manifeſtiſſimas, cuiuſmodi ſunt ſenſibiles, plures ſunt in potentia, quàm in actu.* Medium eſt, quia plures ſunt partes quàm tota, partes autem cùm non ſint ſeparatæ, non poſſunt actu eſſe.

42 Concluſio ibi, *Quoniam verò vnum dicitur*, tex. com.57. eſt, quòd *Vnum, & ens non ſunt ſubſtantia per ſe exiſtentes.* Medium eſt duplex. Primum, quia ſicut patet ex 38. huius, Nullum vniuerſale eſt ſubſtantia, ibi, *Sed nec iſta.* Secundum eſt, quia, quod eſt vnum, vt vna ſubſtantia per ſe exiſtens, non eſt in multis ibi: *Ampliùs quod vnum.* Deinde ibi, *ſed ſpecies dicentes*, tex.com.58. oſtendit quoad quid rectè dixerunt Platonici, & quoad quid non; & oſtendit motiuum eorum eſſe irrationabile. Deinde in nona, & vltima parte huius ſeptimi, primò continuans ſe, ibi, *Quod autem oportet dicere*, tex. com.59. proponit tandem, ibi, *Quoniam ergo ſubſtantia.*

Pars 8.lib.

43 Concluſio eſt, quòd *Eſſentia, ſiue ſubſtantia rei habet rationem principij, & cauſæ.* Medium eſt, quia de ipſa quiditate non quæritur per quæſtionem *propter quid*, vt propter quid homo eſt homo: quia huiuſmodi quæſtio non quærit idem de ſe ipſo, ſed aliud de alio. Hoc autem medium latè pertractat in littera.

44 Concluſio ibi, *Palàm igitur*, t.c.60. eſt, quòd *De illis quæ ſunt penitùs ſimplicia*, cuiuſmodi eſt fortè ſolummodò prima cauſa) *non quæritur per quæſtionem* propter quid: *ſed alio modo cognoſcitur*, ſicut habetur in fine 9. libri. Medium patet ex declaratione 43. ſcilicet quia quæſtio *propter quid* ſemper quærit aliquid de alio, in penitùs autem ſimplicibus non eſt aliud, & aliud.

Auicen. 5. met. ſua c 3. & cap. 5 lib. 3. Scot. lib 3. d.2.q.2. & lib.4 d.43.q.1. oppoſit. comment.comm. 17.1.Phyſ. 43. 4. Phyſic. cor.com.8.3. cœli.

45 Concluſio ibi, *Quoniam compoſitum verò ex aliquo fit*, eſt, quòd *Quando ex aliquibus fit vnum ſimpliciter, compoſitum eſt aliud à componentibus.* Medium eſt, quia diſſoluto, aut corrupto compoſito, adhuc remanent componentia.

46 Concluſio eſt, quòd *Illud quo compoſitum eſt aliud à componentibus eſt forma.* Medium eſt, quia cùm ſit principium intrinſecum, & non ſit

ſit elementum, ſiue principium materiale, ergo eſt principium formale. Circa hanc concluſionem arguit. Primò ibi, *Si igitur neceſſe.* Secundò ſoluit ibi, *Videbitur*, ex qua ſolutione habetur concluſio. Medium autem habetur tam ex ſolutione, quàm etiam ex argumentatione.

Concluſiones Libri VIII.

29

In Octauo libro, cuius intentio facta eſt circa principium 7. quatuor partes principales aſſignari poſſunt. In 1. parte probatur quòd materia, & forma ſunt principia ſubſtantiarum ſenſibilium. In ſecunda ibi, *Oportet autem non ignorare*, t.c.7. agit de forma ſigillatim. In tertia ibi, *De materiali autem ſubſtantia*, tex.c.11. agitur de materia. In quarta de vnione ipſarum ibi, *De dubitatione verò dicta*, t.c. 15. Poſſunt autem concluſiones totius 8. ad 25. reduci, præmiſſa enim continuatione ad dicenda proponit.

1 Concluſio ibi, *Senſibiles autem ſubſtantiæ*, tex. com. 3. eſt quòd *Omnis ſubſtantia ſenſibilis habet materiam.* Medium, quia cùm talis ſubſtantia non ſit materia, eo quòd ſit in actu, nec forma, eo quòd ſit per ſe ſtans non ſolùm in ratione, ſed in re, oportet quòd ſit tertium, hoc eſt compoſitum ex materia.

2 Concluſio ibi, *Quod verò ſubſtantia eſt materia*, eſt quòd *Materia eſt ſubſtantia, & principium generabilium, & corruptibilium.* Medium quia ſubiicitur generationi & corruptioni, in omni verò mutatione oportet aliquod eſſe ſubiectum vtrique termino ipſius, & in generatione, & corruptione: hoc autem non eſt niſi materia in inferioribus, & ſuperioribus; in inferioribus enim eſt ſubiectum generationis, & per conſequens omnium aliarum mutationum. In ſuperioribus autem eſt ſubiectum motus localis, aut etiam alterationis largo modo ſumptæ, vt puta illuminationis, aut etiam obſcurationis non tamen generationis; non enim conuertuntur omnia.

3 Concluſio, quòd *Forma eſt principium eſſendi.* Medium eſt, quia ſecundùm varietatem formarum variatur ſubſtantia rerum. Primò ſe continuat ibi, *quorum quidem*, t.c.5. Deinde medium huius concluſionis prolixè declarat ibi, *Subſtantia quidem igitur*, tex. c.5. Tertiò inquirit differentias rerum quas ponebat Democritus: quia tres tantùm ponebat; videlicet, figuram, poſitionem, & ordinem, ibi, *Democritus quidem igitur*, t.c.5.

4 Concluſio ibi, *Et vt in ſubſtantiis*, tex.c.6. eſt, quòd diffinitiones debent dari per materiam, & formam, ſiue per id quod eſt materiale & formale; hanc declarat exemplariter: ſed medium huius patet ex 2. & 3. concluſione huius: quia vtrunque eſt principium.

30

5 Concluſio ibi, *Palàm itaque ex his*, tex.c.6. eſt, quòd *Diuerſarum materiarum diuerſæ ſunt formæ.* Hanc manifeſtat inductiuè ibi, *Aliorum enim compoſito.*

6 Concluſio ibi, *Propter quod diffinientium*, tex. c.6. eſt quòd *Illi ſoli perfectè diffiniunt, qui per materiam, & formam diffiniunt.* Medium, quia qui per ſolam materiam diffiniunt non dicunt rem niſi in potentia, qui autem per ſolam formam non dicunt formam eſſe in materia.

Pars 2. lib. *Pro hac parte 2. leg. Theor. 21.*

7 Concluſio ibi, *Oportet autem non ignorare*, t.c. 7. eſt, quòd *Nomen ſpeciei in habentibus materiam, non ſignificat ſolam formam, ſed compoſitum.* Medium huius eſt, quia nomen ſignificat eſſentiam, & in habentibus materiam ipſa materia eſt pars eſſentiæ, vt patet ex 35. 7. huius. Hanc concluſionem videtur intendere, licèt eam penitus ſic non proponat, nec medium eius ſic exprimat.

8 Concluſio ibi, *Non videtur itaque quærentibus*, tex.c.8. eſt, quòd *Forma eſt aliquid aliud præter partes materiales.* Medium eſt, quia non eſt elementum, nec ex elementis, vt patet 46. 7. huius & hîc repetitur.

9 Concluſio ibi, *Neceſſarium itaque*, t.c. 8. eſt, quòd *Forma non fit, nec generatur*, vt patet ex 21. 7. & hîc etiam repetitur.

10 Concluſio, quam videtur intendere ibi, *Si autem ſunt corruptibilium ſubſtantiæ*, tex. com. 8. eſt, quòd *Si formæ ſunt ſeparatæ à materia, vt Platonici poſuerunt, non erunt diffinibiles.* Et hæc eſt eadem cum 40. 7. Medium quod hîc ponitur, eſt, quia ſimplicium non eſt diffinitio, ſed compoſitorum. Et nota quòd ſi benè inſpiciatur intentio, Philoſophus videtur hîc velle, quòd nón contingeret diffinire *quod quid eſt*, eo quòd diffinitio eſt compoſita, res verò ſecundùm eos diffinita, erat ſimplex, habere locum, vel tempus, quod eſt contra Platonicos, ſcilicet, quia ipſi ponebant rem diffinibilem, ſcilicet ideam eſſe ſimplicem: quia ſeparabant illam à materia. Soluit verò Philoſophus argumentum interimendo hoc, quod ipſi ſupponebant, quòd ſcilicet res diffinita eſſet ſimplex, dicit enim quòd eſt compoſita.

31

11 Concluſio quam intendit, ibi, *Palàm autem quia etſi ſunt*, tex. c.10. eſt, quòd *Diffinitiones, ſeu eſſentiæ rerum ſignatæ per eas, ſunt ſicut numeri.* Medium, quia habent proprietates ſimiles proprietatibus numeri. Hanc autem declarat, aſſignans quatuor conuenientias circa ideas, & numeros. Prima ibi, *Palàm autem eſt*; quia ſicut numerus diuiditur in indiuiſibilia, ſcilicet in vnitates, ita diffinitio diuiditur in partes indiuiſibiles: quia non eſt procedere in infinitum in formis. Secunda ibi, *& quemadmodum nec à numero*, text, com. 10. eſt, quòd ſicuti vnitas addita numero, mutat ſpeciem ipſius, ſic & differentia ſe habet in diffinitione. Tertia ibi, *& numerum oportet eſſe*, tex. com. 10. eſt, quòd ſicut numerus eſt vnus ab vltima vnitate, ita & rei diffinitio eſt vna ab vltima differentia. Quarta ibi, *& quemadmodum nec numerus habet magis*, eſt, quòd ſicut numerus non recipit magis, & minùs, ita nec forma ſecundùm ſe, niſi in materia.

Pars 3. lib. *Pro parte iſta 3. lege Theor. 10.*

12 Concluſio ibi, *De materiali autem ſubſtantia*, tex. com. 11. eſt, quòd *Etſi ſit eadem materia prima omnium, ſunt tamen diuerſæ materiæ propria diuerſorum.* Hanc declarat inductiuè ibi, *vt phlegmatis.*

13 Concluſio ibi, *Fiunt autem plures materiæ eiuſdem*, tex.com. 11. eſt, quòd *Eiuſdem rei poſſunt eſſe plures materiæ.* Medium eſt, quia poteſt ex vno fieri aliquod mediatè, & ex altero immediatè, vt phlegma, ex craſſo, & craſſum, & dulce ex dulci; & oſtendit quòd duobus modis fit aliquod ex aliquo, quod ſatis eſt in littera manifeſtum.

14 Concluſio, quam intendit ibi, *Contingit autem vna*, tex. com. 11. eſt, quòd *Ad identitatem rerum productarum, requiritur identitas agentis, & materiæ, ſaltem ipſius agentis.* Medium, quia ſi agentia eſſent inter ſe diuerſa, & ſimiliter materiæ eſſent inter ſe diuerſæ, & etiam res productæ eſſent inter ſe diuerſæ.

15 Conclusio ibi, *Quando itaque aliquis quæsierit*, t.c.12. est, quòd *Cum qu ritur causa omnium generabilium, & corruptibilium, oportet omnes causas assignare, & proximas.* Medium, quia ad habendam rei notitiam perfectam oportet omnes causas eius propinquas cognoscere. In huiusmodi autem substantiis omnes causæ inueniuntur, vt ibi declarat.

32

16 Conclusio ibi, *In naturalibus quidem*, t.c.12. est, quòd *In substantiis ingenerabilibus, & perpetuis, cuiusmodi sunt corpora super cœlestia, non oportet materiam æqualiter quærere, vel assignare; sicut in generabilibus.* Medium est, quia non est ibi talis materia, qualis in his inferioribus.

17 Conclusio ibi, *Nec quæcunque itaque*, t.c.12. est, quòd *In accidentibus non oportet materiam ex qua quærere, vel assignare.* Medium, quia non habeat ipsam. Hoc autem medium primò inductiuè declarat, ostendens qualiter, & per quas causas accidentia debent diffiniri. Secunda ibi, *quoniam verò quædam* t. c. 14. declarat idem syllogisticè. Medium, quia quæ habent materiam ex qua generantur, vel fiunt per se, hæc autem non. Si autem videantur alicui respicienti 22. & 30. septimi, & earum probationes, quòd hæc secunda probatio, & aliæ conclusiones huius 8. sint circulares; potest dici quòd hæc litera *quoniam verò quædam*, t.c.14. non est ad probandum conclusiones præcedentes, scilicet 17. sed est præambula immediatè sequentis.

18 Conclusio ibi, *Nec omnis materia*, est, quòd *Non omnia communicant in materia.* Medium est, quia non omnia ad inuicem transmutantur.

19 Conclusio, quam intendit ibi, *Habet autem dubitationem*, t. c. 14. est, quòd *Materia per prius se habet ad vnum contrariorum, quàm ad alterum*, Medium est, quia vnum eorum est forma, vt est perfectio, reliquum verò importat priuationem, & defectum.

20 Conclusio ibi, *Dubitatio autem quædam* t.c. 14. est, quòd *Non omne illud, ex quo aliquid fieri dicitur, vt ex viuo mortuum, & ex vino acetum est materia eius, scilicet, quod fit.* Medium est, quia ex talibus non di itur aliquod fieri.

33

21 Conclusio ibi, *& quæcunque*, t.c.14. est, quòd *In talibus non fit reditus immediatè, scilicet, vt ex mortuo fiat viuum, & ex aceto vinum, nisi prius fiat resolutio in materiam primam*, vt ibi declarat. Exemplum autem huius patet ex 19. huius, scilicet quòd materia se habet secundùm ordinem quendam ad ipsa contraria. Deinde in 4. parte huius libri proponens dubitationem de vnitate diffinitionis, & numeri, & arguit circa hoc ostendens, quòd non potest solui secundùm opinionem Platonicam, & quòd secundùm suam scientiam facilè potest solui. Probat tandem ibi, *est enim hæc dubitatio* t.c.15.

Pars 4. lib.

22 Conclusio, scilicet quòd *Agens est causa vnitatis essentiæ, in rebus naturalibus.* Medium est quia per ipsum, materia vnitur formæ, scilicet effectiuè.

23 Conclusio ibi, *Est autem alia intellectualis*, t.c.15. est, quòd *In Mathematicis essentia per diffinitionem est vna.* Medium, quia materia est ibi imaginabilis, non sensibilis, vnde seipsam vnit formæ, vt superficies figuræ.

24 Conclusio ibi, *Quæcunque verò non habent materiam*, t.c.16. est, quòd *In habentibus materiam sensibilem, vel imaginabilem (cuiusmodi sunt Intelligentiæ) est etiam causa vnitatis, & vera vnitas.* Medium, quia eo ipso quòd habent entitatem, habent etiam vnitatem, & tam citò: quia non est in eis materia præexistens, & expectans vnitatem à forma, sed statim quodlibet. Eorum est vnum, eo ipso quòd est sic ens, & vnum quàm citò est, tam citò est substantia, vel quantitas, vel aliquod aliud ens.

25 Conclusio, est, quòd forma immediatè vnitur materiæ, vt anima corpori. Medium est, quia si per medium anima vniretur corpori, ita & quælibet alia forma suæ materiæ, vt albedo superficiei, & tunc quæreretur de illo medio, scilicet per quod illi vniretur, & sic aut esset ire in infinitum, aut esset stare, & qua ratione, in vno, & in alio, siue in vltimo & in primo. Primò ponit opinionem circa hoc aliquorum, ponentium, animam, & alias formas vniri per medium ibi, *Propter hanc verò dubitationem*, t.c.16. Secundò eam improbat ibi, *& quidem eadem ratio in omnibus*, t.c. 16. Tertiò ostendit ignorantiam erroris eorum ibi, *Causa verò*, t. c. 16. vbi satis conclusio ista exprimitur.

Conclusiones IX. Libri.

34

Liber nonus, in quo agitur de Ente, prout diuiditur per actum, & potentiam, tres videtur habere partes principales. In prima agit de potentia. In secunda de actu ibi, *Quoniam autem de potentia quæ est secundùm motum*, t. c. 11. In tertia de comparatione vnius ad alteram ibi, *Quoniam autem ipsum prius*, t.c.12. & ponitur ibi triplex comparatio. Prima est secundùm prius, & posterius, Secunda secundùm bonum, & malum, ibi, *Quod autem melior*, t. c. 19. Tertia est secundùm intelligentiam, & cognitionem veri, & falsi ibi, *Inueniuntur autem, & digrammata.* Præmissa igitur continuatione, & manifestata intẽtione sua in hoc libro, ibi, *Quoniam verò ens*, t.c.1. & posita distinctione potentiæ ibi, *Quod quidem igitur dicitur* t.c.2. probat tandem Philosophus ibi, *Palàm igitur*, t. c. 2. primam conclusionem huius libri, in quo videntur 32. conclusiones contineri.

1 Conclusio, quòd *Nihil patitur à se ipso*, Medium quia in alio est potentia actiua, & in alio est potentia passiua. Primò comparat potentiam actiuam ad passiuam secundùm conuenientiam, & differentiam, ex quo elicitur istud medium. Secundò infert conclusionem intentam ibi, *Quapropter inquantum simul*, t.c.1. & subiungit distinctionem impotentiæ, & priuationis, eo quòd impotentia est quædam priuatio ibi, *& potentia*, t.c.2. Deinde quandam diuisionem potentiarum ibi, *Quoniam autem hæ quidem*, t. c.3. subiungit tandem ibi, *Quapropter omnes.*

2 Conclusio est, quòd *Omnis ars, vel operatiua, est potentia.* Medium est, quia principium permutandi aliquod in alio inquantum aliud.

3 Conclusio ibi, *& quæ quidem cum ratione*, est, quòd *Potentia rationalis est potentia factiua contrariorum, potentia verò irrationalis non.* Medium, quia agens secundùm potentiam rationalem agit per speciem, siue per rationem rei, quæ est eadem contrariorum, vt etiam patet ex 17. conclusione 7. in textu; licèt huiusmodi ratio non similiter se habet ad contraria illa: agens autem secundùm potentiam irrationalem agit secundùm formam naturalem, quæ non est eadem contrariorum, nec etiam formæ contrariæ sunt in eodem simul. Pri-

mò præmittit hanc tertiã cõclusionem ibi, *& qua quidem*. Secũdò declarat primã partem medij ibi, *Causa autem*, t.c.3. Tertiò secundam ibi, *Quomodocumque autem contraria*, t. c. 4. Quartò infert conclusionem ibi, *Propter quod secundùm rationem*, t.c.4. & postea comparat quantùm ad conuenientiam ibi, *Palàm autem*, t.c.4.

35 *Lege Auic. 4. sua met. c. 2. ante mediū.*

4 Conclusio est, quòd *Potentia potest esse sine actu, scilicet in rebus mobilibus*. Cuius contrarium dicebant quidam, asserentes non esse potentiam in aliquo, nisi cum actu agit. Hanc quartam conclusionem probat quatuor mediis, quibus positionem illorum destruit. Primum, quia si daretur contrarium, cùm ars sit quædam potentia, vt patet ex secunda huius, sequeretur quòd cùm aliquis de nouo ædificat, tunc semper de nouo haberet artem, & cùm cessat ædificare tunc eam amittit, & ita sine experimento, & doctrina acquireretur ars, & sine obliuione, vel etiam forti passione, vel longitudine temporis amitteretur. Secundum est, quòd, quia cùm calidum, vel frigidum (& ita de aliis) sit illud quod potest immutare aliquod, vt sensum, sequeretur quòd nunquam frigidum sit frigidum, nec calidum sit calidum, & ita de aliis, nisi quando sentitur: sicut & Pythagoras dicebat sensibilia non esse aliquid in se, & absolutè, nisi per comparationem ad perceptionem sensus, quod improbatur in 3. par. 4. lib. t.c.15. & 19. Tertium est, quòd quando aliquis non audit, vel videt, sequitur quòd sit surdus, vel cæcus, cùm careat, secundùm hoc, potentia audiendi, vel videndi. Quartum est, quòd illud quod non est in actu sit impossibile, & ita sequitur quòd omnis motus, & & omnis generatio quæ non est in actu, nunquam possit esse. Primò præmittit propositiones illorum ibi, *Sunt autem quedam que dicuntur*, t. c. 5. Secundò ponit primum medium ibi, *Quibus accidentia*, t.c.5. secundum ibi, *& inanimata vtique similiter*, t.c.5. tertium ibi, *At verò*, t. cap. 5. quartum ibi, *amplius si impossibile*, t. c. 6. Tertiò infert conclusionem intentam ibi, *si ergo non contingit*, t. c. 6. Quartò ostendit quid sit possibile, illud scilicet quo posito nullum sequitur impossibile, ibi, *est autem possibile*, t.c.7. & postea ostendit vnde primò accipiatur nomen actus, ibi, *Venit autem actus*, t.c.7.

Lege lib. 1. Phys. t.c.56. & 16. principiis circa finem plura habet d.7.q.1. Scotus.

5 Conclusio ibi, *si autem est quod dictum est*. t.c. 8. est, quòd *Non omne quod non est in actu est in potentia*. Medium est, quia tunc impossibilia essent possibilia.

36

6 Conclusio ibi, *similiter autem palam*, t.c.9. est, quòd *Si aliqua propositio conditionalis est vera, tunc si antecedens est verum, & consequens erit verum*. Medium, quia si consequens esset impossibile, ex possibili sequeretur impossibile, quod est contra diffinitionem possibilis præmissam, & conuertit hanc sextam ibi, *Etsi à possibili*, t. c. 9. Deinde ponit aliam diuisionem potentiarum, & assignat differentiam inter membra ibi, *Omnibus autem potentiis*, t.c.10. & ostendens, quòd multa sunt consideranda in ratione possibilis, & repetens illam diuisionem potentiarum præmissam ibi, *Quoniam autem possibile*, t.c.10. subiungit tandem ibi, *Tales quidem potentias*.

Scot. lib. 1. d. 2. q. 4. ad 1. & d 1.
Auicen. 4. met. c. 2. lege prim. principium.

7 Conclusio est, quòd *Potentia irrationalis exit in actum, si passiuum dispositione debita, & approximatione sit propinquum suo actiuo*. Potentia enim irrationalis est determinata ad vnum, & ideò exit in illud præsente passiuo; potentia verò rationalis habet se ad contraria, & ideò si præsentia passiui ad hoc sufficeret, exiret simul in contrarios actus.

8 Conclusio ibi, *Necesse ergo alterum aliquid esse*, t.c.10. est, quòd *Potentia rationalis reducitur ad actum, vel exit in actum per appetitum sensitiuum, vel rationalem, scilicet præsente passiuo*. Medium, quia habens talem potentiam agit in his quæ sibi possibilia sunt, siue quæ vult, quod in litera declarat, & excludit obiectionem, quæ oriri possit ibi, *Nullo namque exteriorum*.

Lib 2. q. 1. ad 4. prima via.
Pars 2. lib.

9 Conclusio ibi, *propter quod, nec si simul* t.c.10. est, quòd *Agens secundùm potentiam rationalem, etsi velit non tamen agit simul duo contraria*. Medium est, quia non habet potentiam ad hoc. Deinde continuans se ibi, *quoniam autem de potentia*, t.c.11. & ostendens quid sit esse actu ibi, *Est autem actus existere rem*, t.c.11. & quòd actus non potest diffiniri nisi per diuersas comparationes duorum ad inuicem, quorum alterum sit in potentia, & alterum in actu, vt ædificans, & ædificabile habeat notificari, ibi, *palàm autem*, t.c.11. & vlteriùs ponens duas diffinitiones actuum ibi, *Dicuntur autem actu*, t.c.11. Prima est, quòd scilicet quidam est primus, vt visus; quidam secundus, vt videre. Secunda ibi, *Aliter autem, & infinitum*, quòd scilicet quædam possunt perfectè ad actum reduci, & quædam non.

37

10 Conclusio ibi, *quando autem potentia*, t.c.12. est, quòd *Materia propinqua, & non remota, est propriè in potentia ad actum*. Medium, quia illa sola potest per vnicam actionem agentis, vnius scilicet proprij ad actum reduci, & ideò terra antequam transmutetur in æs, non dicitur in potentia ad formam statuæ æreæ, nec arbores antequam sint decisæ, & dolatæ, dicuntur in potentia ad formam domus: quia non per solam ædificantis actionem possunt ad actum reduci, & ostendit ibi, *videtur autem quod dicimus esse*, t.c.12. quòd materia prædicatur de materiato, non quæcunque, sed propinqua; non quocunque modo, sed denominatiuè; sicut accidentia, non in abstracto, sed in concreto, de substantiis prædicantur; & interponit ex incidenti differentiam inter materiam primam, & vniuersale, ibi, *In hoc enim differt vniuersale, & subiectum*.

Auicen. 5. met. c. 1. & comm. 1. met. com. 17.

11 Conclusio ibi, *& rectè itaque accidit*, t.c.12. est, quòd *Rectè conuenit prædicatio denominatiua materiæ, & accidentibus*. Medium, quia prædicatio huiusmodi signat prædicatum ipsum non esse in se determinatum, vel absolutum: sed ab alio dependere, tale autem est materia respectu compositi, & accidens respectu substantiæ, vel subiecti. Deinde ibi, *Quomodocumque autem ipsum prius*, t.c.13. proponit quãdam generalem conclusionem quam per tres speciales distinguit, ibi, *omni itaque tali*, t.c.13.

Pars 3. lib.

12 Conclusio, quæ est prima istarum trium ibi, *Ratione quidem igitur*, t.c. 13. est, quòd *Actus est prior potentia diffinitione*. Medium, quia potentia diffinitur per actum, & non è conuerso.

12. huius t.c. 10.

13 Conclusio, quæ est secunda illarum trium ibi, *Tempore verò priùs*, t. c. 13. est, quòd *Actus est prior secundùm tempus quàm potentia, sed non in eodem numero, sed specie*. Medium, quia nihil educitur de potentia ad actum, nisi de aliquo priùs in actu existente, vt homo generatur ab homine.

Auicen. 4. met c. 2. circa finem.

14 Conclusio ibi, *Quapropter & videtur*, t. c. 14. est, quòd *Etiam in eodem numero actus præcedit potentiam scilicet acquisitam*. Medium, quia talis

talis potentia generatur ex actibus, & mouet obiectionem ibi, *Vnde sophisticus elenchus*,t.c.14. & & soluit eam ibidem.

38 *Rationem ponit hic d. 5.1. q.2.d.C.*

15 Conclusio quæ est tertia illarũ trium ibi, *At verò & substantia*,t.c.15.est, quòd *Actus est prior secundùm substantiam, siue perfectionem, quàm potentia.* Medium triplex. Primum ibi, *primum quidem*,t.c.15.quia quæ sunt posteriora generatione sunt priora perfectione:sed in eodem secũdùm numerum,actus est posterior quàm potentia,sicut patet ex 13. conclusione huius in textu. Secundum ibi, *& quia omne ad principium*,t.c.15.quia prius est perfectior his quæ sunt ad finem: actus verò est finis potentiæ;& declarat hanc minorem, primò exemplificando in potentiis naturalibus sensitiuis, ibi, *Non enim,vt visum*,t.c.15.secundò in potentiis acquisitis, ibi, *Similiter autem*,t.c.15. tertiò autem in potentia passiua, scilicet materiæ, ibi, *Amplius materia potentia est*, t. c. 16. quartò ibi, *Nam si non sit*, t. c. 16. ducendo ad inconueniens, quòd si complementum, & finis non sint in actu, non est nobis manifesta differentia inter sapientem & fatuum,cùm per actus non per habitus, & potentias à nobis discernantur. Et ad pleniorem manifestationem huius minoris subiungit distinctionem actuum à potentiis elicitorum, & assignat differentiam inter eas, ibi, *Quoniam verò est horum*, & postea repetit suam conclusionem, scilicet 15. ostensam per tria media, & etiam 16. ibi, *Quare manifestum*, t.c.17. Tertium medium huius 15. ibi, *At verò, & magis*,t.c.17.est, quòd sempiterna, & superiora sunt priora corruptibilibus: sed illa cõparantur ad ista sicut actus ad potẽtiam, illa enim semper sunt in actu,si enim essent in potentia possent esse, & non esse.

16 Conclusio ibi, *Nec eorum*,quæ est,quòd *Necessaria non sunt in potentia*, & concludit eodem medio, tertio huius 15. si enim possent non esse, & non essent, tunc nihil aliorum esset: quia contingentia, sine necessariis natura esse non possunt, Eodem etiam medio concluditur.

17 Conclusio ibi, *Neque vtique motus*, t.c.17. quæ est, quòd *Motus sempiternus, siue quod tali motu mouetur,non est in potentia ad ipsum motum, sed ad vbi*, & isto modo habet materiam, scilicet quæ est in potentia ad mutationem loci, & ex hoc 17. concluditur.

18 Conclusio ibi, *Propter quod*,t.c.17. scilicet, quòd *Corpora superiora semper agunt.* Medium, quia semper sunt in motu.

39

19 Conclusio ibi, *Non est autem timendum*,t.c. 17.est, quòd *Huiusmodi corpora non laborant,nec læduntur in continuatione suarum reuolutionum,& motuum.* Medium, quia non competit eis motus contrarius, vel etiam quies, quantùm est de natura illorum, nec sunt in potentia ad hoc.

20 Conclusio ibi, *Imitantur autem incorruptibilia*, t. c. 18. est, quòd *Inferiora assimilantur superioribus quoad aliquid.*Medium,quia inferiora semper agunt, saltem aliquas actiones sibi competentes, vt terra, & ignis.

21 Conclusio ibi, *Potentia verò alia*, est, quòd *Potentia superiorum differunt à potentiis inferiorum.* Medium, quia potentiæ inferiorum sunt ad opposita, vel in agendo, cuiusmodi sunt potentiæ rationales,vel saltem in essendo,scilicet vt possint esse, & non esse.

22 Conclusio ibi,*Si ergo aliqua sunt naturæ*,est, quòd *Forma si põnatur separata (vt scientia) minùs erit per se perfecta, quàm si sit coniuncta, quod est contra Platonicos.*Medium est,quia sicut sciens magis dicit actum, sic scientia magis dicit potentiam, & ita de aliis. Actus autem pefectior est quàm potentia, vt patet ex 15. huius.

23 Conclusio ibi, *Quòd autem & melior,& honorabilior*,t.c.14.est, quòd *In bonis actus est melior quàm potentia.* Medium est,quia malo impermixtior, cùm potentia se habet ad vtrunque, ad bonum scilicet, & ad malum ibi, *Posse verò similiter vtrumque*,t.c.19.

24 Conclusio ibi, *Necesse autem*, est, quòd *In malis actus est deterior quàm potentia.*Medium est, quia est bono impermixtior.

25 Conclusio ibi, *Palàm ergo: quia non*, est, quòd *Malum non est separatum à rebus.* Medium, quia malum supponit potentiam,vt patet ex 23.& 24.huius:potentia verò non separatur ab eo cuius est potentia.

26 Conclusio ibi, *Non ergo nec in eis*,t.c.19.est, quòd *In perpetuis non est malum, scilicet natura, cuiusmodi est corruptio,& defectus substantiæ.* Medium, quia talia non sunt in potentia, vt patet ex tertio medio 15. conclusionis huius. Malum autem præsupponit potentiam, vt patet ex præmissa conclusione.

40

27 Conclusio ibi, *Inueniuntur autem, & diagmata*, t.c.20.est, quòd *Ens in actu est illud, quod per se ab intellectu inuenitur, siue intelligitur.*Hanc declarat primò exemplariter:postea per rationem ibi, *Causa verò*,t.c.20.Medium est, quia obiectum proportionatur potentiæ; virtus autem intellectiua quidam actus est,ideò oportet quòd intelligibile sit aliquo modo in actu.

28 Conclusio ibi, *Quoniam autem ens*, t.c.21. est, quòd *Verum & falsum sunt circa compositionem, & diuisionem intellectus*, vt patet ex 17.sexti huius. Compositioni autem & diuisioni intellectus correspondet aliqua compositio in re, ab eo enim quod res est,vel non est,oratio vera,vel falsa dicitur. Aristot. in Præd. Compositio autem,& diuisio in rebus aliquo modo important rem actu, & distinguit ibi, *Si igitur hoc quidem semper*, t.c. 21.varios modos compositionum; & secundum hoc ostendit veritatem,falsitatem propositionum diuersimodè se habere.

29 Conclusio ibi, *Circa incomposita verò*,t.c.22. est, quòd *In substantiis incompositis, siue immaterialibus, nec est veritas, nec falsitas, sicut in compositis.* Medium duplex. Primum ibi, *Non enim est*, compositum scilicet: quia non est ibi compositio, sicut in istis; vt compositio formæ cùm materia, vel etiam accidentium cum subiecto; vt cùm dico lignum album. Secundum ibi, *Aut sicut nec verum*, est, quia non similiter se habent ad esse: quæ autem diuersimodè se habent ad esse, & ad veritatem, vt patet ex 6.conclusione 2 huius,& ostendit ibi, *Sed est verum quidem*, qualiter se habeat veritas illarum,non affirmando vnum de alio: sed solùm intelligendo mente simplicem quiditatem earum,& repræsentando voce:non attingere verò huiusmodi quiditatem est eam ignorare, non tamen ignorare, est falsitas, vel deceptio;non enim est deceptio, nisi circa illa complexa, circa quæ consistit veritas,& falsitas.Talis autem complexio non est in diffinitione, & ideò circa quiditatem rerum substantiarum simplicium, vel etiam compositarùm, non est deceptio nisi per accidens,scilicet inquantùm fit complexio ipsius diffinitionis cum aliqua re composita non rectè: & cùm substantiæ incompositæ hic vocentur substantiæ immate

materiales, si diligenter inspicias ea quæ in litera dicuntur, videbis quòd Angeli,& animæ non penitus possunt dici immateriales, quasi carentes omni materia. In talibus enim scilicet penitùs immaterialibus, non est veritas secundùm Philosophum hîc: sed secundùm compositionem, & diuisionem, nec est ibi affirmatio vnius de alio. Constat quod cùm intellectus noster Angelum, vel animam cognouerit verè potest componere, & ita affirmare vnum de alio,cùm in eis sint multi, & diuersi habitus, & actus, quæ omnia sunt accidentia: vnde quod hîc dicitur, videtur, quòd non possit saluari, nisi de prima causa tantùm.

41

30 Conclusio ibi, *& omnes sunt actu*,t.c.22. est, quòd *Tales substantiæ, scilicet simplices, siue compositæ, siue incompositæ semper sunt in actu.* Medium, quia aliàs essent generabiles,& corruptibiles, & haberent materiam quæ est subiectum generationis, & corruptionis, & recolligit ibi, *Esse verò vt verum*, ea quæ prædixit de veritate tam circa substantias compositas, quàm circa simplices. Vbi notandum, quòd vult Philosophus quòd licèt habeamus ignorantiam substantiarum spiritualium, non tamen impotentiam ad cognoscendum illas: dicit enim Philosophus, quòd huiusmodi ignorantia non est talis, qualis est cæcitas.

31 Conclusio ibi, *Palàm etiam*,t.c.22.est, quòd *In immaterialibus, siue inuariabilibus, si cognoscantur talia esse, non potest esse deceptio secundum quando, scilicet si præsentetur modo sic se habere, & alio tempore aliter.* Medium est, quando non possunt in diuersis temporibus aliter, & aliter se habere, potest tamen ibi esse deceptio secundùm supposita, si sint vniuersalia,& exemplificat in litera.

32 Conclusio ibi, *Numero verò circa vnum*, est, quòd *In immaterialibus, & in inuariabilibus, quæ sunt singularia, non potest esse deceptio, non solùm secundùm quando, nec etiam secundùm supposita.* Medium, quia non habent supposita diuersa.

Conclusiones X. Libri.

In decimo libro agitur de *vno*, quod conuertitur cum ente, & de *multo* quod ei opponitur, & de his quæ sequuntur ad ea, & eius possunt assignari vndecim partes.In prima agit de distinctione vnius. In secunda ibi,*Maximè verò in eo quod est*,t.c.2.agit de mensura, quæ primò reperitur in ipso vno.In tertia ibi,*Secundùm substantiam verò*, t.c. 6.ostendit qualiter vnum sit in substantia. In quarta ibi, *Opponuntur autem vnum, & multa*, t.c. 9. agit de oppositione vnius, & multi, & de his quæ sequuntur ad ea. In quinta ibi, *Quoniam autem differre*,t.c.13.agit de contrarietate.In sexta ibi, *Quoniam autem vnum vni*,t.c.17. agit de oppositione æqualis ad maius, vel minus.In septima ibi, *Similiter etiam de vno*,t.c.20. agit de oppositione multi ad vnum,& ad paucum. In octaua ibi, *Quoniam autem contrariorum*, t.c.22.agit de mediis, quæ sunt inter contraria. In nona ibi,*Diuersum autem specie*,t.c.24. agit de differentia secundùm speciem.In decima ibi,*Dubitabit autem vtique*,t.c.25.ostendit, quæ contraria faciunt differre specie, & quæ non. In vndecima ibi, *Quoniam verò contraria*,t.c.26.ostendit,quæ contraria differant genere. In hoc libro possunt distingui 62.

42 *De vnitate de qua hic agitur lege Franciscum d.24. conflatus qu. 2. & OcKam lib. 1.d.24. q.1, & quos notaui in expositione.*

conclusiones. Primò enim præmittens duos modos, vel duas diuisiones *vnius* infert ex illis, ibi, *Quare palam*,t.c.1.

1 Conclusio est, quòd *In magnitudinibus mobilibus primum vnum est illud quod primò motu mouetur.* Medium est, quia illud est magis, & prius vnum, cuius motus est magis vnus,& magis continuus, sicut patet ex prædictis duobus modis. Deinde addens duos alios modos, ibi, *Hæc autem sit ratio*, subiungit.

5. huius t.c.11.

2 Conclusio ibi, *Quare vtique vnum*, & est, quòd *Illud est primum vnum simpliciter, quod est primum ens*, hîc tamen medium hoc non exprimit, quia patet ex 24. 8. deinde recapitulat ibi, *Dicitur quidem igitur vnum*, quatuor modos *vnius* antea assignatos.

3 Conclusio ibi, *Omnia enim hæc vnum*, est, quòd *Omnia quæ dicuntur vnum, dicuntur ratione indiuisibilitatis.* Medium patet ex dictis modis; deinde ostendens, quòd diuersimodè prædicatur vnum de suo *quod quid est*, scilicet esse indiuisibile,& de rebus habentibus vnitatem ibi, *Oportet enim intelligere*, text.coment.2. subiungit tandem.

4 Conclusio ibi, *maximè verò in eo*, scilicet, quòd *In genere Quantitatis discreta reperitur primò mensura, scilicet inter accidentia*: Medium est, quia mensura est illud,quo cognoscitur quantitas, quantitas autem vel numero cognoscitur, velut cùm dico tres palmos, vel vno, velut cùm dico vnum palmum, & omnis numero cognoscitur vno. Ex hoc medio infertur

Pars 2. lib. De mensura vltra ea quæ notaui in expositione vide Landulphū l. 2. q. 2. arg. 1.

5 Conclusio,scilicet *Vnum est principium numeri*, ibi, *Quapropter vnum*, t.com.2.

43

6 Conclusio ibi, *Hinc autem & in aliis dicitur*, t. c. 3. est, quòd *In generibus aliis à quantitate discreta reperitur mensura, licèt non primò.* Hanc primò declarat exemplariter, secundò inductiuè in littera.

7 Conclusio ibi, *in omnibus autem*, t.c. 3. est, quòd *Omnis mensura est aliquod indiuisibile simpliciter, vt vnitas, vel aliquo modo, vtpote secundùm negociationem humanam, vt vncia, vel huiusmodi.* Medium est, quia tale (scilicet simplex, & indiuisibile) quæritur in omnibus pro mensura.

8 Conclusio ibi, *Vbicunque quidem*, est, quòd *Mensura, quæ est vnitas simpliciter est indiuisibilis, alia verò non*: sed imitantur tale quantùm possunt, & quanto sunt indiuisibiliores tanto sunt certiores: in magnis de facili latet additio, vel abstractio: Vnde & in ponderibus, & magnitudinibus, & in motibus, & in omnibus aliis mensurandis illud quod est simplicius accipitur pro mensura.

9 Conclusio ibi, *Non semper autem numero*, text.com. 4. est, quòd *Vnius rei plures sunt mensura.* Hanc exemplariter,& inductiuè declarat repetens, & declarans quædam pertinentia ad conclusionem 7. & 8. ibi, *sit itaque metrum omnium*, text.c.4.

Vt 10. mensuratur vna 2. & 5. lege 7. Euclidis.

10 Conclusio ibi, *semper autem cognatum*, est, quòd *Mensura est vnius generis cum mensurato.* Hanc similiter declarat inductiuè.

44

11 Conclusio ibi, *& scientiam autem*, t.c. 5.est, quòd *Scientia, & sensus licet dicantur rerum mensura metaphoricè, tamen sunt magis mensurata.* Medium est,quia à scibilibus, vel à sensibilibus mensuratur scientia, vel cognitio sensitiua, tantū enim habet etiā de sciētia,vel cognittione sensitiua

Nota ad hoc aliqua in com. 51. 12. huius quod notatur communiter à Doctoribus in dist. 35. primi.

ua quātū de scibilibus, vel à sensibilibus accipitur: & reprehendit Pythagorā, qui asserebat contrariū ibi, *Pythagoras verò*, & epilogat quæ de mensura dixerat ibi, *Quod quidem igitur.*

Pars 3. lib.

Deinde in 3. parte ostendens quomodo *vnum* habeat se ad substantiam ponit 12. Conclusionem, est, & *Vnum in genere substantiæ, non dicit naturam aliquam, vel substantiam per se existentem*, & est hæc eadem, quasi cum 42. 7. Medium est duplex. Primum est, quia nullum vniuersale est substantia, vt patet ex 18. 7. Secundum à simili, scilicet quia in aliis generibus accidentium ipsum *vnum* non dicit aliquam naturam separatam à rebus ipsorum generum. Primò quærit ibi, *Secundum substantiam verò, & naturam*, t.c.6. Secundò soluit ponendo primum medium ibi, *si itaque nullum.* Tertiò ponit secundum ibi, *Adhuc autem similiter*, & declarat ipsum per diuersa exempla ibi, *At verò in coloribus*, t.c.7.& concludit ipsum declaratum ibi, *Quare si quidem.* Quartò ibi, *quod quidem igitur vnum*, infert conclusionem intentam, scilicet hanc duodecimam.

Auicen. t. 1, 7. met. & lib. 1. c. 2.

13 Conclusio ibi, *Quia verò vnum significat aliqualiter*, t.c.8. est, quòd *Vnum & ens sunt idem aliquo modo, scilicet secundùm rem, licet ratione differant*, & hæc est eadem cum medio conclusionis 5. libri 4. Medium huius est triplex, Primum ibi, *Palàm per assequi æqualiter*, quia vtrunque, scilicet ens & vnum circuit omnia Prædicamenta. Secundum ibi, *& quia non sunt in nullo*, scilicet, quia neutrum continetur infra limites alicuius Prædicamenti. Tertium ibi, *& per hoc quod vnus homo*, quia neutrum eorum dicit aliam naturam à rebus de quibus prædicatur.

Pars 4. lib.

14 Conclusio ibi, *Et vni esse*, est, quòd *Vnicuique rei est vnum, & idem esse, & esse vnum.* Deinde in 4. parte ibi, *opponuntur autem vnum, & multa*, t.c.9. ostendit quòd vnum, & multa opponuntur, vt diuisibile, & indiuisibile: hoc autem patet ex diffinitione quam ponit hîc.

De oppositione vnius & multi latè habet Auicen. 3. met. c. 3.

15 Conclusio ibi, *Quomodocumque ergo quatuor modis*, est, quòd *Vnum & multa opponuntur vt contraria.* Medium non enim opponuntur vt priuatiua, nec vt contradictoria, propriè accipiendo priuationem, quia vtrumque eorum ponit aliquod; nec etiam vt relatiua, quia diuisibile non dicitur relatiuè ad indiuisibile. Nota tamen quòd vt vnum, & multa accipiuntur, vt mensura & mensuratum sic opponuntur relatiuè, vt patebit inferiùs conclus. 43.

45

16 Conclusio ibi, *Dicitur autem ex contrario*, t.c.9. est, quòd *Multitudo est nobis notior quàm vnitas*, Medium quia est magis sensibilis. Deinde assignans partes multi, & vnius ibi, *Est autem vnius*, t.c.10. & ostendens quot modis dicitur idem ibi, *Dicto verò eadem*, & quot modis dicitur simile: quia scilicet quatuor modis ibi, *similia verò*, t.c.11. & quot modis diuersum: quia tribus modis ibi, *Quare palàm.* Subiungit tandem ibi, *Diuersum quidem igitur*, t.c.11.

Dist. 3. & 26. vtriusque primi.

17 Conclusio scilicet, quòd *Idem & diuersum non dicuntur nisi de entibus.* Medium, quia opponuntur contrariè.

18 Conclusio ibi, *Differentia verò & diuersitas*, t.c.12. est, quòd *Diuersum, & differens differunt.* Medium est, quia diuersum est seipso diuersum, differens autem aliquo differens est, & hoc declarat ibidem, ostendens ea, quæ differunt genere, vel specie; declarat etiam ibidem quæ sunt differentia genere & quæ specie.

Pars 5. lib.

Deinde in quinta parte, ostendit quòd est dare maximam differentiam ibi, *Quomodocumque autem differre contingit*, t.c.13. Ponit 19. Conclusionem, scilicet quòd *Est dare aliquam maximam differentiam.* Medium est, quia vbicunque est inuenire magis & minùs, & maximum, cum non sit procedere in infinitum, sed aliquid contingit differre ab alio secundū magis & minùs; ergo, &c.

20 Conclusio ibi, *& hanc dico contrarietatem*, est, quòd *Contrarietas est maxima differentia.* Medium, quia illa quæ sunt diuersorum generum non sunt in quibus reperitur transmutatio vsque ad vltimum, id est, vsque ad contrarium; vt ab albo vsque ad nigrum, vbi est maxima distantia, ex quo patet, quòd inter sola contraria reperitur maxima distantia, siue differentia.

Not. quod magis distingui, vel distare stat dupliciter d. 7. 1. ad primum contra solutionem q. 5. & q. 1. 3. ad primum principale.

21 Conclusio ibi, *At verò maximum in vnoquoque*, t.c.13. est, quòd *Contrarietas est perfectio differentiæ.* Medium, quia perfectum & maximum sunt idem, vt ibi declarat per diffinitionem vtriusque.

22 Conclusio ibi, *Multipliciter autem dictis*, t.c.14. est, quòd *Perfectè differre non conuenit omnibus contrariis æqualiter.*

46

23 Conclusio ibi, *His autem entibus*, est, quòd *Vnum vni est contrarium.* Medium est duplex. Primum ibi, *Nec enim vltimo*, scilicet cùm contrarietas sit quædam distantia, cuius extrema sunt ipsa contraria: vnius autem distantis duo vltima sunt; ergo. Secundum ibi, *Totaliter autem*, est, quòd contrarietas est quædam differentia, differentia verò duorum est.

24 Conclusio ibi, *Necesse autem & alios*, t.c.14. est, quòd *Contraria sunt quæ plurimum differunt circa idem subiectum.* Medium, quia quæ transmutantur inuicem oportet, quòd habeant eandem naturam vel subiectum.

1. de Genere. t. c. 10. & circa.

25 Conclusio ibi, *& quæ sub eadem potentia*, est, quòd *Quæ sunt contraria plurimum differunt sub eadem potentia.* Medium ibi, *etenim scientia*, & est, quòd cùm sint ab vno genere, vt patet ex 20. huius, & vnius generis vna vt scientia oportet, quòd sint sub vna scientia, siue potentia. Deinde proponens duas conclusiones ibi, *Prima verò contrarietas*, t.c.15. quæ quia hîc probantur: sed inferiùs in suis locis in quibus probantur loco 31. & 32. computabuntur, & ostendens quòd multis modis dicuntur contraria. Probat tandem ibi, *si ergo opponuntur.*

28 Conclusio, scilicet, quòd *Contradictio, & contrarietas differunt.* Medium est, quia contraria habent medium contradictio verò non: sed meliùs patebit inferiùs, scilicet 48. conclusione huius.

29 Conclusio ibi, *Priuatio non contradictio*, est, quòd *Priuatio, est quædam contradictio.* Medium, quia cùm priuari dicatur multis modis, vt ibi tangitur, in omni autem priuatione intelligitur negatio scilicet non habere: sed tamen non est negatio simpliciter: sed negatio quædam ponens subiectum aliquod, vel sine aptitudine, vt si dicatur lapidem priuatum visus; vel cum aptitudine, vt cùm dico hominem cæcum. Ex hoc infertur.

Lege 23. & 28. d. 1. & Franciscus notanter q. 1. 2. d. cōflatus.

30 Conclusio ibi, *Quapropter contradictionis*, scilicet, quòd *Contradictio, & oppositio priuatiua differunt.* Medium, quia cùm priuatio determinet sibi subiectum (vt patet ex medio præcedentis) priuatiua autem non dicuntur de omni; vnde non omne quod non est æquale, vel inæquale est priuatum.

31 Con

31 Conclusio ibi, *Si itaque generationes,* t.c. 16. est, quòd *In omni contrarietate includitur priuatiua oppositio.* Medium, quia omne illud de quo fit generatio est priuatio, vel habitus, ex contrariis verò fiunt generationes, ergo, &c,

47

32 Conclusio ibi, *Priuatio verò non omnis,* t. c. 16. est, quòd *Non omnis priuatio est contrarietas,* Medium, quia contrarietas dicit maximam distantiam extremorum, vt patet 20. conclusione huius, priuatio verò non semper est inter maximè distantia, cùm etiam in mediis includatur extremorum priuatio. Deinde reuertitur ad probandam 30. Conclusionem; & primò probat eam per inductionem ibi, *Palàm autem*, ostendens quòd in omni contrarietate includitur priuatio, licèt non similiter: quia aliqua simpliciter, vt impar; aliqua verò non, sed respectu temporis, vt homo non est insensatus quocumque tempore, sed respectu alicuius temporis; & homo dicitur nudus, qui tantùm caret indumento in aliqua parte corporis; ex hoc etiam sequitur aliqua differentia, scilicet quòd aliqua priuatiua non habent fieri nisi circa suum subiectum, vt par, & impar circa numerum; alia verò non, vt bonũ & malum, circa hominem. Alia differentia est circa priuatiua, quia aliqua habent subiectum determinatum, siue speciale, vt cæcus & videns; aliqua non, vt opinabile, & inopinabile. Secundò ibi, *Suffi it autem*, Probat idem per reductionem ad contraria prima, scilicet quia vnum & multa, quæ sunt contraria prima, ad quæ reducuntur alia; scilicet, idem & diuersum, simile & dissimile, & ita de aliis; includunt in se priuatiuam oppositionem, scilicet diuisibile & indiuisibile; ergo & alia, quæ ad ipsa reducuntur. Cùm autem dicitur quòd vnum & multa opponuntur priuatiuè, accipitur communiter priuatio, & non prout distinguitur à contrarietate.

Pars 6. lib.

Deinde in 6. part. proponens duas dubitationes pertractandas consequenter ibi, *Vtrùm enim semper in oppositione,* tex. c. 17. ponit conclusionem,

33 Conclusio, scilicet, quòd *Per istam dubitationem, vtrùm, non quærimus nisi de oppositis.* Hanc primò declarat exemplariter; secundò per rationem ibi, *sed hoc*, scilicet, quia per istam disiunctiuam quærimus de his quæ non possunt simul existere. Sola autem opposita, scilicet implicitè, vel explicitè sunt talia; & si quæratur de aliquibus non oppositis, non est propriè nisi inquantum reducuntur ad aliquam oppositionem. Quærimus enim vtrùm veniant Petrus & Ioannes, an tantùm Petrus, id est, vtrùm vnus homo an multi.

34 Conclusio ibi, *Dicitur autem vtrùm magis,* t.c.18. est, quòd *Æquale opponitur maiori, & minori.* Medium est triplex. Primum ibi, *si itaque in oppositis,* t. c. 18. scilicet, quia per hanc dictionem, *vtrùm*, quærimus de istis, vt vtrùm sit aliquod æquale maiori, vel minori. Secundum ibi, *Ampliùs,* t.c.18. scilicet quia æquale est oppositum inæquali: sed inæquale est idem quòd maius, & minus. Tertium innuit ibi, *& dubitatio,* t.c.19. Sed quia hoc tertium innititur cuidam opinioni Pythagoricæ, quam prolixum est exponere, ideò dimittatur.

48

35 Conclusio est, quòd *Æquale non est contrarium maiori, vel minori.* Medium, duplex est. Primum ibi, *sed accidit,* t.c.19. quia tunc sequeretur, quòd vnum esset contrarium duobus, quod est contra 23. huius. Secundùm ibi, *Ampliùs æquale,* t.c.19. quia scilicet cùm æquale sit medium inter maius & minus, vt patebit in conclusione 38. non potest ab eis maximè distare. Istas autem duas conclusiones scilicet 34. & 35. ideò inter alias computaui, licèt Philosophus non videatur eas determinare: sed potiùs argumentatiuè concludere, quia earum veritatem consequenter supponit, vt patet in sequenti conclusione.

36 Conclusio ibi, *Restat igitur*, est, quòd *Æquale opponitur maiori, & minori contradictoriè, vel priuatiuè.* Quòd non opponatur eis contrariè supponitur ex 35. huius. Quòd non etiam relatiuè, patet, quia æquale non refertur nisi ad inæquale; & quod vtrique opponatur patet, nam qua ratione vni, & alteri. Vnde non quærimus vtrùm aliquid æquale sit, vel maius tantùm, vel minus tantùm: sed vtrùm aliquod sit æquale, vel maius, & hoc est medium huius conclusionis.

37 Conclusio ibi, *Non priuatio autem*, est, quòd *Æquale opponitur illis priuatiuè.* Vnde ista particula, *non autem*, quæ intelligitur in ratione æqualis, cùm dicitur quòd æquale est quod nec est maius, nec minus, importat priuationem. Medium, quia æquale, & maius & minus non dicuntur de omni, sed de rebus determinatis, scilicet de habentibus quantitatem, & ideò non opponuntur contrariè, sed priuatiuè.

38 Conclusio ibi, *Quapropter & medium,* tex. com. 19. est, quòd *Æquale est medium inter maius & minus.* Medium est, quia cùm sit in eodem genere dicitur per abnegationem vtriusque.

39 Conclusio ibi, *Quare non rectè,* text.c.19. est, quòd *Medium conuenienter potest accipi per negationem extremorum.* Medium, quia negatio vtriusque extremorum, existentium sub eodem genere cadit super aliquod determinatum, quod est medium inter ea, & in eodem genere cum eis. Primò tangit errorem quorundam incidentium talem medij sumptionem. Secundò soluit ibi, *non necesse autem accidere*, ex qua solutione elicitur hæc conclusio cum suo medio.

49
Pars 7. lib.

40. Conclusio ibi, *Similiter etiam & de vno,* tex. com. 20. est, quòd *Multum non opponitur vni.* Medium, quia cùm multum etiam opponatur pauco, tũc vnum esset paucum, & arguit ibi, *Ampliùs ipsa duo,* quòd vnum sit paucum: sed quia argumentum non est verum, & soluetur in conclusione sequenti, ideò ratio dimittitur ibi, *Ampliùs sicut in longitudine*, vbi ostendit quòd vnum non est paucum. Medium, quia sicut omne breue est quædam longitudo, ita omne paucum quædam multitudo, siue quædam multum; vbi autem est multa, vel multum, ibi non est vnum, nisi in quibusdam continuis facilè diuisibilibus cuiusmodi est aqua, vel aër: dicimus enim multam aquam, non autem multas, nisi sint actu diuisæ, & ita si vnum sit paucum, vnum esset multa.

41 Conclusio ibi, *Vno quidem modo,* tex. com. 20. est, quòd *Multum, aliter vni, aliter pauco opponitur.* Medium, quia multum prout dicit multitudinem absolutè secundùm numerum opponitur vni, & non pauco, & hoc modo duo sunt multa; multum verò prout dicit multitudinem respectiuam opponitur pauco & non vni, & hoc modo duo non sunt multa, imò in binario est prima paucitas.

42 Conclusio ibi, *Quapropter non rectè,* est, quòd *Res non sunt infinita secundùm paucitatem, secundùm quod dixit Anaxagoras.* Medium est, quia

scilicet

ſcilicet eſt dare primam paucitatem, ſcilicet binariam, vt patet ex medio præcedenti.

43 Concluſio ibi, *Opponitur itaque*, t.c.21.eſt, quòd *Vnum opponitur multo, vt menſurato, & ita relatiuè*. Non ſicut illa relatiua, in quibus eſt mutua dependentia: ſed ſicut ea quorum alterum tantùm dependet à reliquo, vt ibi exemplificat. Medium, quia numerus eſt multitudo menſurata per vnum.

44 Concluſio ibi, *Quapropter non omne quodcunque*, t.c.21.eſt, quòd *Poſito vno non ponitur numerus, vel quòd non omne quod eſt vnum eſt numerus, ſed è conuerſo*. Medium patet ex præcedenti, ſcilicet quòd non eſt in eis mutua dependentia, numerus enim dependet ab vno, ſed non è conuerſo.

45 Concluſio ibi, *Similiter autem dicta ſcientia*, t.c.21.eſt, quòd *Scientia, & ſcibile dicuntur relatiuè, ſicut numerus, & vnum; vel ſicut menſuratum & menſura*. Scientia enim dependet à ſcibili, quamuis aliquibus Pythagoricis contrarium videatur, vt habitum fuit ſuprà in 11. concluſione huius, & habetur in 3. parte 4. libri. Medium ibi, *Accidit autem*, eſt, quòd poſitâ ſcientiâ ponitur ſcibile; ſed non è conuerſo, ea poſtea repetit ibi, *Multitudo autem*, tex. cap. 21. quæ ſuprà dixit concluſione 41. de oppoſitione *multi* ad *vnum* & *paucum*, & vlteriùs duos modos, quibus opponitur *multum vni*, opponitur enim vt diuiſibile indiuiſibili ex 14. concluſione huius, & vt menſuratum menſuræ ex 43.

Pars 8. lib.

45 Deinde proponens ibi, *Quoniam autem contrariorum*, t.c.22. concluſionem vnam quam probabit inferius ſubiungit tandem.

50

46 Concluſio ibi, *Omnia namque*, ſcilicet quòd *Media ſunt in eodem genere cum extremis*. Medium, quia medium eſt illud in quo fit permutatio de vno extremo in aliud, antequam veniat extremum ad aliud, ſcilicet ſi fiat mutatio ſine ſaltu; mutatio autem non fit per ſe in his quæ non ſunt eiuſdem generis, quia ea quæ differunt genere non habent eandem naturam communem, vt patet 24. huius.

47 Concluſio ibi, *At verò omnia*, eſt, quòd *Media ſunt inter oppoſita*. Medium, quia media ſunt inter illa inter quæ eſt mutatio, vt patet ex medio præcedenti, mutatio autem eſt inter oppoſita.

48 Concluſio ibi, *Oppoſitorum verò*, eſt, quòd *Inter contradictoriè oppoſita nullum poteſt eſſe medium*. Medium, quia contradictio eſt cuius altera pars ex neceſſitate additur cuilibet ſubiecto, ſiue ſit ens, ſiue ſit non ens.

49 Concluſio ibi, *Eorum autem quæ ad aliquid*, t.c.22.eſt, quòd *Illa relatiua in quibus non eſt mutua dependentia (vt ſcientia, & ſcibile) non habent medium*. Probatio huius, quia talia non ſunt in eodem genere cum extremis, vt patet ex 46. huius.

Deinde ibi, *ſi verò ſunt in eodem genere*, t.c.23. repetens 46.& 47. & proponens aliam, quam intendit inferiùs probare. Primo probat 50. Concluſionem, ſcilicet quòd ſpecies contrariæ habent aliqua contraria priora ipſis. Medium, quia habent contrarias differentias, quæ etiam ſunt magis contrariæ, quàm ſpecies, cùm ſint cauſa contrarietatis in eis.

51 Concluſio ibi, *Et reliqua & media*, t.c.23. eſt, quòd ſpecies mediæ habent media priora, quæ non poſſunt eſſe eadem cum differentiis extremorum.

52 Concluſio quam probat ibi, *Quærendum autem*, eſt, quòd *Media componuntur ex extremis*. Medium eſt triplex. Primum ibi, *Neceſſe enim*, quia cùm extrema ſint ſimplicia, non componitur vnum cum altero; nec etiam componuntur ex mediis, aliàs non diſtarent maximè, oportet quòd ſint principia aliorum, quæ ſunt in eodem genere. Secundum ibi, *Quæ autem intermedia*, quia aut omnia ſunt compoſita ex extremis, aut nullum; qua enim ratione vnum & aliud: ſed aliquod medium componitur ex extremis: cùm enim fit mutatio de mediis in extremum, & vnum medium dicit plus, id eſt, habet plus de vno extremo, ſiue habet minus de alio, omne autem tale eſt compoſitum. Tertium ibi, *Quoniam autem non ſunt*, ſcilicet, quia illa quæ ſunt priora in aliquo genere, ſunt principia poſteriorum, extrema verò ſunt priora, vt patet ex primo medio.

Diſtin.7.2. circa finem notanter de hu.

51

53 Concluſio ibi, *Quare, & inferiora*, t.c.23.eſt, quòd *Omnia quæ continentur ſub genere conſtituuntur ex primis contrariis, id eſt, differentiis extremorum*. Medium patet ex 50. huius, & ex 52. deinde repetit tres concluſiones propoſitas, & oſtenſas ſcilicet 46. & 47. & 52. ibi, *quod quidem igitur*, t.c.24.

Pars 9. lib.

54 Concluſio ibi, *Diuerſum autem ſpecie*, t.c. 24.eſt, quòd *Differentia ſecundùm ſpeciem eſt per ſe, & propriè ipſius generis*. Medium eſt, quia talis differentia diuerſificat ſiue diuidit ipſum genus in ſuas ſpecies ſecundùm ſe, & non ſecundùm accidens, vt ibi declarat in litera.

55 Concluſio ibi, *Contrarietas igitur*, eſt, quòd *Contrarietas eſt differentia ſecundùm ſpeciem*. Probatio duplex. Prima ibi, *Palàm autem*, quia genus diuiditur per oppoſita, eo quòd omnis diuiſio fit per oppoſita, & non poſſit diuidi per contradictoria, vel priuatiua: quia ſcilicet priuatio formaliter ſumpta eſt negatio nihil ponens: nec etiam per relatiua, niſi fortè ipſum genus ſit Ad aliquid, oportet quòd diuidatur per contraria. Secunda ibi, *& contraria*, quia ad differentiam ſecundùm ſpeciem duo requiruntur, ſcilicet identitas generis in ſe, & diuerſificatio ipſius per diuerſas ſpecies: vtrunque autem iſtorum in contrarietate reperitur.

Al. differentias.

56 Concluſio ibi, *Quare palàm*, eſt, quòd *Species non dicitur idem ſpecie, nec diuerſum ad ſuum genus*. Medium eſt, quia tunc ſequeretur quòd genus haberet eandem differentiam diuiſiuam cum ſua ſpecie, vel oppoſitam, quod non eſt verum; ſicut enim de eſſentia materiæ non eſt aliqua forma, imò per abnegationem omnium formarum notificatur, vt patet ex 3.7. ita de eſſentia generis, quod eſt quaſi quædam materia, non eſt aliqua differentia diuiſiua.

57 Concluſio ibi, *Neque ad ea*, t.c.24. eſt quòd *Non dicitur aliquod diuerſum ſpecie, ſed propriè ad illud quod eſt in alio genere*. Medium, quia differentia ſecundùm ſpeciem eſt contrarietas, vt patet ex 55.huius.

Pars 10. lib.

58 Concluſio eſt, quòd *Aliqua contraria faciunt differentiam ſecundùm ſpeciem, aliqua non*. Medium eſt, quia aliqua contrarietas accipitur ſecundùm formam, aliqua non: ſed ſecundùm materiam; vel ſecundùm indiuidua. Circa hoc primò ponit quæſtionem de maſculo & fæmina arguendo ibi, *Dubitabit autem*, tex. c. 25. Secundò

cundò in generali de omnibus contrariis ibi, *Est autem hæc dubitatio.* Tertiò soluit ibi, *Aut quia hæc quidem*, & solutionem diffusè per multa exempla declarat, ex cuius declaratione elicitur hæc conclusio cum suo medio.

52 *Lege loca quæ in tex. 8. ad hoc.*

59 Conclusio ibi, *masculus verò*, t.c.25. est, quòd *Masculinum, & fœmininum non faciunt differentiam secundùm speciem in animalibus.* Medium, quia hæc contrarietas non sumitur à parte formæ, sed ex parte materiæ, vt corporum.

Pars 11. libri, & vlt.

60 Conclusio ibi, *Quoniam verò contraria*, t.c. 26. est, quòd *Corruptibile, & incorruptibile differunt genere.* Medium, quia contraria differunt specie, illa scilicet quæ accipiuntur secundùm formam & actum, vt patet ex 58. huius; ergo & corruptibile & incorruptibile, cùm accipiantur secundùm potentiam (dicitur enim corruptibile, quod potest corrumpi) faciunt differentiam secundùm genus. Sicut enim differentia, vel species accipitur ab eo, quod est in re formali, vel actuali, vt rationale à natura intellectiua, ita genus ab eo quod est in re potentiale, vel materiale, vt animal à natura sensitiua, quæ est materialis in homine respectu intellectiuæ.

61 Conclusio est, quod *Corruptibile, & incorruptibile insunt de necessitate illis quibus insunt, vel conueniunt.* Medium, quia aliter vnum, & idem quandoque esset corruptibile, quandoque incorruptibile. Et quòd idem quandoque esset possibile corrumpi, quandoque impossibile, primò arguit contra 60. conclusionem per hoc, quòd, sicut in eadem specie possunt esse album & nigrum, licèt non in eodem indiuiduo, ita corruptibile, & incorruptibile, vt videtur, non videntur differre genere, imò nec specie. Secundò ibi, *Sed contrarium*, t.c.26. soluit ostendens, quòd non est simile de albo, & nigro, & de aliis contrariis secundùm accidens, & de corruptibili, & incorruptibili, quæ insunt per se: ex qua solutione apparet hæc conclusio cum suo medio.

62 Conclusio ibi, *Palàm igitur*, t.c.26. est, quòd *Positio idearum non potest esse vera.* Medium, quia tunc sequeretur, quòd corruptibile, & incorruptibile essent idem, & in eodem genere, imò etiam in eadem specie. Idea enim hominis incorruptibilis est, vt dicunt omnes Platonici. Est etiam, secundùm eos, eadem secundùm speciem cum singulis hominibus corruptibilibus, vt patet ex his quæ in textu dicuntur, & ante 25. conclusionem septimi.

Conclusiones Libri XI.

53

Liber vndecimus, in quo aliqua declarata recolligit, vt dictum est in principio 7. in tres partes principales potest diuidi. In quarum prima recolligit dubitationes quas in tertio libro mouerat. In secunda ibi, *Quoniam autem Phil.* t.c.3. recolligit ea quæ de modo considerationis huius scientiæ declarauit in libro 4. & in principio 6. In tertia ibi, *Quoniam autem simpliciter ens*, t.c.3. recolligit ea, quæ scilicet declarauit de ente perfecto, & de ente per accidens, & de motu, & de infinito, de quibus partim in 6. huius, partim in libris Physicorum declarauit. Potest autem iste vndecimus in 11. partes diuidi. In quarum prima mouet dubitationes pertinentes ad hanc scientiam. In secunda ibi, *Quoniam autem Phil.* t.c.3. ostendit, quòd hæc scientia est de ente inquantum ens. In tertia ibi, *Quoniam autem Mathematicus*, t.c.3. ostendit quòd eius est considerare principia demonstrationis. In quarta ibi, *Est autem quoddam*, t.c.4. ostendit primum principium esse, & disputat contra negantes ipsum. In quinta ibi, *Soluetur autem vtique*, t. c. 5. ostendit quæ fuerunt motiua ipsorum negantium, & destruit ea. In sexta parte ibi, *Omnis autem scientia*, t.c.6. comparat istam scientiam ad alias. In septima ibi, *Quoniam autem simpliciter ens*, c.7. determinat de ente per accidens, & de causa per accidens. In octaua ibi, *Est autem hoc quidem actu*, c. 8. determinat de motu secundùm se. In nona ibi, *Infinitum autem*, c.9. agit de infinito. In decima ibi, *Permutatur autem*, c.10. diuidit motum in partes suas. In vndecima ibi, *Simul autem secundùm locum*, c.11. manifestat quædam cõcomitantia motũ, & partes eius. Prima pars sumitur de tertio huius, t.c.2. Secunda, tertia, quarta, & quinta de quarto huius, t.c.1. & inde, t.c.7. & inde. Sexta & septima vsque ad locum illum, *Quod autem gratia huius*, c.7. vbi incipit de causa per accidens, accipiuntur de 6. huius. Ab illo autem loco septimæ partis, vsque, ad finem ipsius, ponuntur quædam accepta ex 2. Physic. Decima & vndecima accipiuntur de 3. Physic. Supposito igitur in principio, quòd sapientia considerat causas, & principia rerum, vt patet 5. 1. & ex medio 12. eiusdem ponitur dubitatio. Prima ibi, *Dubitabit autem*, scilicet vtrùm sapientia sit scientia vna, vel plures. Secunda ibi, *Adhuc autem*, est, vtrùm vnius scientiæ, sit considerare principia demonstrationis. Tertia ibi, *Adhuc vtrùm*, est, vtrùm hæc scientia, quæ est de substantiis sit de omnibus substantiis, aut de quibusdam. Quarta ibi, *Adhuc vtrùm circa*, est, vtrùm de solis substantiis sit, vel de substantiis, & accidentibus. Quinta ibi, *Sed non circa dictas*, est, vtrùm hæc scientia consideret omnia genera causarum. Sexta ibi, *Totaliter autem*, est, vtrùm hæc scientia consideret substantias sensibiles. Septimam quam intendit ibi, *Attamen dubitationem*, est, vtrùm Mathematica sit separata à sensibilibus. Octaua ibi, *Totaliter autem dubitabit*, est, cuius sit disputare de subiecto, & materia Mathematicæ scientiæ, hoc idem intellige de subiectis aliarum scientiarum specialium. Nona ibi, *Dubitabit autem*, est, vtrùm istius scientiæ sit considerare principia intrinseca, quæ vocantur elementa. Decima ibi, *Hæc autem vtique fient*, est, vtrùm vnum, & ens sint principia rerum. Vndecima ibi, *Adhuc autem si magis*, est, vtrùm genus sit magis principium rerum, quàm species. Duodecima ibi, *Adhuc vtrùm*, est, vtrùm oporteat ponere aliquid in rerum natura subsistere præter singularia, aut non. Decimatertia ibi, *Etenim totaliter*, est, vtrùm sit aliqua substantia separabilis præter substantias sensibiles quæ sunt hîc, & nunc. Decimaquarta ibi, *Adhuc autem si præter*, est, dato quòd sint aliquæ separatæ (sicut Platonici ponebant) vtrùm in omni genere, seu specie sit dare aliquam separatam, scilicet vtrùm sicut vnus ponitur homo idealis, ita capra, & bos, & sic de aliis. Decimaquinta ibi, *Si autem non separabile*, est, dato, quòd non essent aliqua principia separata, sed solùm intrinseca, vtrùm forma sit magis principium, quàm materia, vel è conuerso. Decimasexta ibi, *Adhuc autem siquidem*, est, vtrùm sit vnum, & idem principium corruptibilium, & incorruptibilium, vel sint diuersa. Decimaseptima ibi, *Si autem rursus*, est, vtrùm

Vndecim primæ quæstiones habentur c.1. sequentes verò c.2.

vnum

vnum,& ens ſint principia rerum,ſicut Platonici ponebant. Decima octaua ibi, *Adhuc autem primum principium*, eſt, ſpecialiter de vno, ſcilicet vtrùm ipſum vnum ſit primum principium rerum. Decimanona ibi, *Si verò lineas*, eſt, vtrùm Mathematica, vt lineæ & ſuperficies ſint prima principia,vt quidam antiqui ponebant. Vigeſima ibi,*Exhibet autem dubitationem*, eſt,vtrùm principia rerum ſint ſubſtantiæ. Vigeſimaprima ibi, *Adhuc vtrùm*,eſt,vtrùm præter Synolon hoc eſt, compoſitùm ex materia,& forma,ſit aliquod,ſcilicet non compoſitum. Vigeſimaſecunda,& vltima, in hac parte ibi, *Adhuc autem*, eſt, vtrùm principia ſint eadem numero,vel ſpecie. Harum autem dubitationum argumenta, quæ in littera ponuntur, omiſi, tum propter breuitatem intentam, tum quia ferè nihil in hac parte (ſicut nec in 3. lib.) determinatè proponit. Veritates verò ipſarum dubitationum,& loca huius doctrinæ in quibus inueniri poſſunt in fine huius opuſculi, faciliùs & commodiùs poterunt aſſignari. Poſt dubitationes verò has ſequuntur dubitationes huius vndecimi, quæ poſſunt ad 67.reduci.

Pars 2. libri.

1 Concluſio quam probat ibi, *Quoniam autem Phil.* c. 3. eadem eſt cum ſecunda 4. & medium idem.

2 Concluſio ibi, *Quoniam autem omnis*, eſt, quòd *Omnes aliæ contrarietates reducuntur ad vnam primam quacunque ſit illa.* Medium eſt,quia entia ad quæ ipſæ contrarietates ſequuntur,reducuntur ad aliquod vnum,ſicut ad ens,quæ autem ſit illa prima contrarietas in ſecunda probatione 33. concluſionis 10. videtur exponi.

3 Concluſio ibi, *Differt autem nihil*,eſt,quòd *Entia poſſunt reduci ad vnum ſicut ad ens.*Mediũ quia ens, & vnum conuertuntur, & ſunt idem in re,& eſt idem medium cum 5.4. libri.

4 Cóncluſio ibi, *Quoniam autem ſunt*, eſt,quòd *Contraria prout reducuntur ad priuatiua ſunt immediata circa proprium ſubiectum.* Medium,quia contrarium includens priuationem iſto modo non tollit totam naturam habitus, ſed perfectionem ipſius,vt ſi iuſtus dicatur qui perfectè obedit legibus,iniuſtus priuatiuè dicetur,non qui in nullo obedit, ſed qui in aliquo non obedit. Si verò accipiatur contrarium propriè,ſcilicet provt contrarietas dicit maximam.& perfectam diſtantiam, vt habetur ex 21.decimi,vt ſi dicatur iniuſtus qui in nullo obedit legibus, tunc erit medium inter ea, ſcilicet, qui in aliquo obedit, & qui in aliquo non.

54

5 Concluſio ibi, *Quemadmodum autem*, eſt, quòd *Eſt aliqua ſcientia conſiderans ens generaliter.* Medium à ſimili,quia ſicùt eſt aliqua ſcientia de quantis, provt ſunt quanta, & de his quæ conſequuntur ad ea,inquantum talia,vt Geometria,non concernens paſſiones ſenſibiles, quæ reperiuntur in rebus habentibus quantitates,ſic erit aliqua de entibus, & non de ſpecialibus differentiis entium.

6 Concluſio ibi, *Huic enim accidentia*,eſt,quòd *Huius ſcientiæ eſt conſiderare entia.* Medium quia ſi alterius eſſet, magis videretur eſſe Phyſicæ, quæ putabatur apud antiquos eſſe prima,vt patet ex his quæ in ſecunda probatione 10. concluſionis 4. libri dicuntur in textu, vel eſſe Dialecticæ, vel Sophiſticæ, quæ ſunt communes : nullius autem iſtarum eſt; non Phyſicæ, non enim Phyſica conſiderat entia inquantum entia.

55

7 Concluſio ibi, *Quoniam autem ens*, eſt,quòd *De multis & differentibus ſpecie,& genere, cuiuſmodi ſunt entia, & de eorũ contrarietatibus, poteſt vna ſcientia eſſe.* Medium, quia talia reduci poſſunt ad vnum commune,& eorum contrarietates ad vnam contrarietatem primam, vt patet ex 1. & 2. huius.

Pars 3. libri.

8 Concluſio ibi, *Quoniam autem Mathematicus*,eſt,Eadem cum decimaquarta:& medium ferè idem, ſcilicet, quia principia demonſtrationis ſunt communia ita quòd in ſui communitate non accipiuntur ab his ſcientiis,vt à Mathematica vel Phyſica:ſed contracta ſecundùm exigentiam ſuorum ſubiectorum.

Nouẽ primæ concluſiones ponuntur c. 3.
Pars 4. libri.

9 Concluſio ibi,*Eodem autem habet modo*, eſt, quòd *Phyſica, & Mathematica ſunt partes Metaphyſicæ, ſcilicet particulares reſpectu ipſius.* Medium, quia ſubiectum ipſius eſt vniuerſale ad ſubiecta illarum, vt ex medio 8. huius dicitur in textu. Deinde ibi, *Eſt autem quædam in entibus*, c.4. proponens quoddam principium primum,& principale circa quod non contingit decipi, ſcilicet non contingere idem eſſe, & non eſſe.

10 Concluſio tandem ibi, *& de talibus*, ſcilicet quòd *Prædictum principium non eſt demonſtrabile.* Medium, quia nullum principium aliud eſt notius eo. Deinde proponens modum diſputandi contra negantem illud principium ibi, *Addiſcentem autem*, tandem probat.

11 Concluſio ibi, *Futuras itaque*, quæ eſt *Principium prædictum omnino eſſe verum.* Hanc primò probat per tria media communia. Primum eſt, ſuppoſito, quòd nomen ſignificet aliquod vnum determinatè : tunc enim ſi tu dicas idem eſſe,& non eſſe,vt Petrum eſſe hominem, & non eſſe hominem : quia primò affirmans, poſtea negans ſignificari per ipſum nomen, non ſignificabit aliquod determinatè. Secundum ibi, *Adhuc autem ſiquidem*, eſt, quòd *Quicquid eſt verum, eſt neceſſarium dum eſt verum,quod eſt neceſſarium non contingit non eſſe*, eo modo quo non eſt neceſſarium, & ita non contingit idem eſſe, & non eſſe. Tertium ibi,*Adhuc autem ſi* eſt,quia ſi contingit Petrum eſſe hominẽ,& non hominem,non minùs erit verũ de eo nõ equo, quã nõ hominẽ, & ſimiliter quodlibet aliud animal,quod eſt contra ſenſum. Deinde ibi, *Citò autem vtique quis*, deſcendens ad opinionem Heracliti, negantis illud principium,& oſtendens eum eſſe fatuum improbat ibi, *Totaliter autem*, vbi ponitur quartum medium huius vndecimæ concluſionis, ſcilicet quòd ſi affirmatio,& negatio ſunt ſimul veræ in ſimplicibus ſiue diuerſis,vt idem eſſe hominem,& non eſſe hominem, eadem ratione, & in complexis,ſiue compoſitis,vt ſi affirmem iſta duo eſſe idem duorum cum ſua negatione,ſcilicet eorum duorum erit ſimul vera;& ita ſunt ſimul veræ affirmatio,& negatio,non idem eſſe hominem & non eſſe hominem;nam etiam ſunt ſimul vera, cùm negatio huius totius ſit vera.

56

12 Concluſio ibi, *Adhuc autem ſi nihil*,eſt,quòd *Alia opinio Heracliti ponentis medium eſſe inter affirmationem & negationem;& omnes affirmationes, & negationes ſimul poſſunt eſſe falſæ, eſt falſa.* Medium, quia ſi nulla propoſitio affirmatiua eſt vera:nec illa eadẽ quæ hic proponitur, erit vera.

13 Concluſio ibi, *ſimile dictis*, eſt,quòd *Opinio Pythagoræ ponentis iudicium ſenſus, vel intellectus eſſe menſuram rerum ſenſibilium, vel intelligibilium, vt ſcilicet ita ſit in rebus ſicut vnuſquiſque iudicat,talis eſt falſa.* Medium, quia tunc ſequeretur

queretur opposita esse simul vera, cùm diuersi iudicent contraria de eisdem. Deinde ibi, *Soluetur autem*, ponens duas radices errorum in istis qui negabant ista principia, probat tandem.

Pars 5. libri.

14 Conclusio ibi, *sed & similiter attendere*, scilicet, quòd *Non est standum vtrique indicio aliquorum duorum contraria iudicantium.* Medium, quia oportet alterum ipsorum, corruptum iudicantium sensum, vel intellectum habere, & iudicio taliter se habentis non est standum.

Conclusiones ad 9. vsque ad hanc ponuntur c. 4.

57

15 Conclusio est, quòd *Alia opinio Heracliti ponentis omnia esse in continuo fluxu, & adeò velociter mutari, vt nulla natura maneat aliquo tempore fixa in rebus, est falsa.* Medium est, quintuplex. Primum ibi, *Totaliter autem inconueniens*, scilicet quia etsi inferiora sint variabilia, tamen superiora ad quæ tanquam ad principaliores partes mundi debemus attendere, plus sunt inuariabilia, & secundùm esse, & secundùm dispositiones intrinsecas. Secundum ibi, *Adhuc autem si motus*, quia quandiu aliquis motus durat, ipsum mobile est in termino à quo, & ita aliquo tempore manere aliquod in rebus potest tamen hoc medium conuenienter applicari potest ad conclusionem vndecimam huius, quæ principaliter intenditur in quarta & quinta parte huius vndecimi; si enim quandiu aliquid mouetur, nondum est in termino ad quem, non potest de eo verificari contradictio respectu ipsius termini. Tertium ibi, *& si secundùm quantum*, quia si res continuè fluat secundùm quantitatem, secundùm opinionem Heracliti credentis res continuè crescere (quod tamen non est verum) non propter hoc oportet, quòd secundùm qualitatem, vel secundùm alias dispositiones moueatur: substantia verò magis accipitur secundùm qualitatem, quàm secundùm quantitatem, cùm qualitas sit forma substantialis; & ita non oportet quòd omnia sint in continuo fluxu. Quartum ibi, *Adhuc autem propter quid*, si quælibet natura subitò mutaretur, non oporteret ad iussionem medici panem offerre infirmo: quia ante non fieret panis quàm sibi posset offerri. Quintum ibi *Adhuc siquidem*, scilicet, quòd aut nos continuè alteramur, aut non: si sic, non propter rerũ mutationem, sed propter nostrã diuersitatem, iudicamus de rebus, sicut aliter iudicat idem homo quando est sanus, & quando est infirmus, & ita adhuc res permanebunt secundùm mutationem: si verò nos non mutamur; ergo est aliquod fixum in rebus saltem aliquo tempore.

Lege ad hoc 6. Ph. t. c. 32.

16 Conclusio ibi, *Ad habentes quidem igitur*, est, quòd *Contra continentes istos errores ex pertinacia rationis, non potest faciliter, nec vtiliter disputari.* Medium est, quia nihil concedunt quod sit contra eos, quamuis verum, vel probabile.

Lege loca quæ super text. istum notaui.

58

17 Conclusio ibi, *Ad dubitationes autem*, est, quòd *Cum tenentibus eosdem errores non pertinaciter, sed per aliquas rationes probabiles eis, quæ ipsos faciunt, disputare licèt.* Medium, quia possumus eorum rationes soluere, vt iam patet ex dictis hîc, & in tertia parte quarti libri. Deinde repetens vndecimam huius ibi, *quare manifestum*, probat.

18 Conclusio scilicet, quòd *Non contingit contraria esse simul vera.* Medium, quia vnum contrium dicit priuationem, & per consequens negationem alterius.

19 Conclusio ibi, *Similiter autẽ*, est, quòd *Mediũ non potest simul verificari cum contrario, siue cum extremo.* Medium patet ex tertia parte quarti libri,

20 Conclusio ibi, *neque enim itaque secundùm Heraclitum*, est, quòd Tam opinio Heracliti, quàm Anaxagoræ est falsa. De Heraclito posuimus in præmissis in isto libro. De Anaxagora autem probat, scilicet quia contraria posuit simul esse, cum poneret quodlibet esse in quolibet actu, & non potentia.

21 Conclusio ibi, *similiter autem*, est, quòd *Impossibile est omnes simul propositiones esse veras, vel falsas.* Medium quia si omnes simul falsæ essent, & illa quæ hoc ipsum proponit erit falsa. Si autem omnes simul sunt veræ, tunc qui dicit omnes esse falsas, dicit verum.

22 Cõclusio ibi, *omnis autem scientia*, est, quòd vnaquæque scientia inquirit causas suorum scibilium. Hanc declarat inductiuè in littera assignans differentiam inter hanc scientiam, & alias quo ad modum considerandi ens.

23 Conclusio ibi, *dictarum autem scientiarum*, est, ferè eadem cum secunda sexti, & medium idem.

24 Conclusio ibi, *quoniam autem est quædam*, est eadem cum quarta sexti, & medium idem, licet ibi breuiùs declaretur.

25 Conclusio ibi, *Quoniam autem quod quid*, est eadem cum quinta sexti, & medium idem, licèt breuiùs declaretur.

59

26 Conclusio ibi, *quoniam autem est quædam scientia*, est eadem cum 9. sexti, & medium idem.

27 Conclusio ibi, *Palàm igitur quod tria genera*, est eadem dum decima sexti, & ferè ex eodem medio hæc repetitio concluditur.

28 Conclusio ibi, *optimum quidem igitur*, est, quòd Metaphysica est nobilior omnibus aliis scientiis speculatiuis. Medium quia de nobiliori subiecto: quia scilicet de altissimo ente cõsiderat.

29 Conclusio ibi, *Dubitabit autem*, est eadem cum tertia sexti, & medium idem. Deinde continuans ibi, *quoniam autem simpliciter ens*, ponit.

Concl. à 21. vsque ad 30. ponuntur c. 61.

Pars 7. libri.

30 Conclusio quæ est eadem cum 13. sexti, & medium duplex. Primum per inductionem ibi, *neque enim ædificatiua.* Secundum per rationem ibi, *neque inquantum musicum*, scilicet quia ens per accidens, vt musicum esse grammaticum non est propriè ens, cum non sit vnum; vnius enim entis vna est generatio: & ideò quia Sophista versatur circa ens per accidens, scilicet quantùm ad fallaciam; dicit Plato non malè Sophisticam esse circa non ens.

31 Conclusio ibi, *quomodocunque autem, neque contingens*, est eadem cum 15. sexti, & medium idem.

32 Conclusio ibi, *quod autem secundum accidens*, est eadem cum 16. sexti, & medium idem.

34 Conclusio ibi, *quod autem gratia huius*, est, quòd Fortuna est circa ea quę sunt ab intellectu. Medium est ex diffinitione fortunæ, scilicet, quia fortuna est causa per accidens in his quæ fiunt ab electione secundùm accidens propter aliquem finem. Et primò præmittit quædam præambula ad diffinitionem ibi, *quod autem gratia.* Secundo subiungit eam ibi, *fortuna autem.* Tertiò infert conclusionem ibi, *propter quod*, circa.

60

35 Conclusio ibi, *Causæ autem infinita*, est, quòd *Fortuna est incerta humanæ cognitioni.* Medium, quia causæ fortuitorum, sunt infinitæ & indeterminatæ, & incertæ. Et ostendit ibi, *Bona*

autem

autem fortuna, quæ sit fortuna bona, & quæ mala, & quid sit eufortunium, & quid infortunium.

36 Conclusio ibi, *Quoniam autem nullum*, est, quòd causa per accidens, & fortuna, & casus sunt posteriores, quàm causa per se cuiusmodi est intellectus. Medium, quia omne per accidens est posterius eo quod est per se.

Octo conclusiones immediatè præcedentes sumũtur ex cap. 7. Pars 8. lib.

37 Conclusio ibi, *si igitur fortuna*, est, quòd fortuna, & casus non possunt esse primæ causæ rerum, seu mundi. Medium patet ex præmissa, scilicet quia prior est intellectus quàm fortuna, & natura quàm casus. Deinde proponens duplicem diuisionem entis ibi, *Est autem hoc quidem*, c. 8. scilicet per actum, & potentiam, & per decem Prædicamenta probat ibi, *non est autem aliquid*.

Commẽtator phys. com. 40. Ant. Andreas q. 1. 3. principiorum.

38 Conclusio, scilicet, quòd *Motus non est aliud præter res*. Medium, quia omnis motus fit secundùm res aliquorum Prædicamentorum, vt sicut ipsis Prædicamentis non est aliquod genus commune, ita in ipsis motibus non est aliquod genus commune distinctum ab aliis.

39 Conclusio ibi, *vnumquodque autem*, est, quòd *In omni genere inueniuntur priuatio, & habitus seu perfectum, & imperfectum*. Hanc declarat inductiuè in litera. Medium tamen eius posset haberi ex 31. decimi, & 15. duodecimi.

40 Conclusio ibi, *Quare motus*, est, quòd *Tot sunt mutationis species & motus, quot sunt species entis illius, quod per motum propriè inducitur*. Medium huius patet ex trigesima huius; si enim motus non est aliud præter res, secundùm diuersitatem earum diuersificabitur & ipse motus: nam species subalternæ motus sunt sex quæ ponuntur in Postprædicamentis. Deinde ibi, *Diuisio autem*, diffiniens motum scilicet, quòd motus est actus entis in potentia inquantum huiusmodi. Probat consequenter ibi, *Quòd autem vera dicimus*.

61

41 Conclusio, scilicet, quòd *Motus est actus entis in potentia, inquantum huiusmodi*. Medium, quia ædificabilis inquantum ædificabile, actus est ædificatio, & curabilis curatio; huiusmodi autem sunt motus.

42 Conclusio ibi, *Dico autem inquantum*, est, quòd *Motus est actus existentis in potentia inquantum tale*. Quia etsi idem sit aliquid quod est ens in actu, & quod est in potentia ad aliud, vt idem est homo, & quod potentia sanum, siue curabile; differunt tamen hæc secundùm rationem: aliàs si idem esset secundùm rem & rationem, homo inquantum homo, & inquantum potens sanari, & similiter inquantum potens infirmari, per consequens sanari, & infirmari essent idem: curatio autem non est hominis actus, inquantum homo, aliàs semper sanaretur dum esset, ergo est actus inquantum est in potentia sanum, seu curabile.

43 Conclusio ibi, *Quod quidem enim*, est, quòd *Motus est actus*. Medium, quia cùm vnumquodque mobilium quandoque sit actu, quandoque potentia, oportet, quòd vnicuique talium correspondeat aliquis actus; ergo ædificabilis inquantum ædificabile, est actus, aut ipsa ædificatio, aut forma domus; sed non forma domus, quia quando iam est, non est ædificabile, sed ædificatum; ergo ædificatio est actus ipsius: talis autem est quidam motus, & sic de aliis. Deinde ostendens suam diffinitionem motus benè assignatam esse ibi, *Quod autem benè*. Probat

44 Conclusio, scilicet, quòd Alij diffinientes motum esse alteritatem, vel æqualitatem, vel non ens, inconuenienter dixerunt. Medium, quia nullum istorum est necesse inesse motui, nec ratione subiecti, nec ratione termini, nec ratione actus: quia non omne illud in quo est aliquod istorum trium moueri necesse est: quia non inchoatur magis motus ab istis, vel terminatur ad ea quàm ad eorum contraria. Et ostendit ibi, *Causa autem in hoc*, quare illi attribuebant ista motui, scilicet quia motus videtur esse quid indeterminatum. Vnde, & antiqui, scilicet Pythagorici, qui ponebant decem combinationes perfectorum, & imperfectorum, vt patet in 1. libro in illo capitulo, *In his autem ante nos vocati Pythagorici*, connumerabant motum inter imperfecta seu priuatiua. Deinde ostendens quare motus sit indeterminatus ibi, *cur autem videatur*. Probat

62

45 Conclusio, scilicet, quòd *Motus non est simpliciter idem quod potentia, nec simpliciter, nec penitus idem quod actus*. Medium, quia tunc omne quod esset in potentia ad aliquod, vt ad quantitatem, aut actu quantum, moueretur, quòd patet esse falsum.

46 Conclusio ibi, *Motus enim actus*, est, quòd *Motus est actus imperfectus*. Medium, quia est actus imperfecti, scilicet existentis in potentia.

3. met. t. c. 4.

47 Conclusio ibi, *& propter hoc difficile*, est, quòd *Difficile est accipere, vel cognoscere quid sit motus*. Medium patet ex præmissa, quia quanto minùs aliquod habet de perfectione & entitate, eo minùs est cognoscibile. Ponit tamen aliud medium ibi, *Causa autem*, scilicet, quòd nec motus idem est, quod priuatio simpliciter, nec idem quod potentia, nec etiam simpliciter idem quod actus, vt patet ex 45. conclus. huius.

48 Conclusio ibi, *& est motus enim mobili*, est, quòd *Motus est in mobili*. Medium, quia est actus eius.

3. Phys. t. c 18. & inde & iste ibidẽ q. 5.

49 Conclusio ibi, *& motiui actus*, est, quòd *Motus est actus mouentis*. Medium, quia motiuum dicitur secundùm potentiam, mouens autem secundum actum: sed non est in actu nisi per motum.

13. Conclusiones immediatè præcedentes habentur c. 8.

50 Conclusio ibi, *Quare similiter*, est, quòd *Vnus, & idem motus est actus motiui inquantum facit motum, est autem motus mobilis inquantum fit in eo motus: sed motiuum facit eundem motum illum; scilicet qui est in mobili, & non alium*. Circa istas duas conclusiones vltimas sic procedit. Primò ponit eas, similiter ibi, *& motiui actus*, Secundò subiungit medium 49. ibi, *Motiuum quidem enim*. Tertiò innuit medium 50. ibi, *Sed est actiuum*. Quartò eandem conclusionem declarat per exempla ibi, *Quemadmodum eadem*. Deinde ostendens quot modis dicitur infinitum in actu: quia scilicet quatuor modis ibi, *infinitum autem*, c. 9. & quot modis ens in potentia, quia scilicet tribus modis ibi, *Adhuc oppositione*, probat tandem ibi, *Separabile quidem igitur*.

Habentur hæc 1. Phys. t. c. 2. & inde. Pars 9. lib.

51 Conclusio, quòd scilicet *Infinitum non est separabile à sensibilibus, vt scilicet substantia quadam est principium aliorum (quemadmodum dixerunt Pythagorici.)* Medium triplex. Primum, quia si infinitum est substantia, non erit diuisibile, cùm non sit magnitudo, nec multitudo; & per consequens non erit infinitum propriè sumptum, secundùm quòd hîc intendimus de ipso. Secundum

dum ibi, *Adhuc quomodo*, est, quòd Magnitudo, & multitudo (in quibus propriè habet reperiri infinitum) non separantur à substantiis, cùm sint accidentia; ergo nec ipsum infinitum. Tertium ibi, *Adhuc si*, est, quòd si ipsum infinitum fuerit substantia, aut est diuisibilis; & tunc cùm sit simplex substantia, eo quòd est principium, secundùm eos, quælibet pars eius erit infinita, sicut quælibet pars aëris est aër, quod est inconueniens; aut indiuisibilis, & tunc sicut dictum est in primo medio, non est propriè infinitũ, & ita cùm sit accidẽs, non erit per se principiũ, vt ipsi ponebant.

63

3. Physs.t.c.2. & inf. habentur latiùs quæ hic dicũtur, & Scot. 3. Physs. suorum q.6.& 7.

52 Conclusio ibi, *Quod autem in sensibilibus*, est, quòd *Infinitum non est in sensibilibus, scilicet per accidens, siue passio alicuius quantitatis, vt aliqui naturales ponebant*. Media sunt sex. Primum ibi, *si enim corporum*, scilicet, quòd nec corpus, quod determinetur superficie, nec numerus, seu habens numerum, numerabilis erit in infinitum. Secundum ibi, *Naturaliter autem*, scilicet, quòd nec corpus simplex, nec compositum potest esse infinitum. De composito probat ibi, *Compositum quidem enim*. scilicet, quia cùm elementa sint finita in numero, si compositum esset infinitum secundùm quantitatem, oporteret vt alterum cōponentium esset infinitum secundùm quantitatem, & tunc illud destrueretur, aut omnia: & hoc non potest esse, quia vnum infinitum occuparet totum spatium. De simplici autem probat ibi, *Neque vnum*, si enim aliquod quatuor elementorum, vel aliquod medium inter ea, quod aliqui ponebant esse infinitum, cùm illud habeat contrarietatem ad alia, destrueret omnia. Tertium medium ibi, *Adhuc autem sensibile*, vbi supponit duo. Primò scilicet quòd omne corpus sensibile est in loco. Secundò, quòd idem est locus totius, & partis. Deinde arguit sic; Si aliquod corpus sit infinitum, aut erit similium partium, & tunc semper; aut moueretur extra locum in quo est, vtpote si esset in loco non naturali, aut semper quiesceret in eodem loco, vtputa si esset in loco naturali, quorum vtrumque videmus esse falsum de corpoporibus sensibilibus naturalibus; aut esset dissimilium partium, & tunc non esset vnum, nisi per quendam contactum, seu contiguitatem, sicut aqua, & aër. Præterea, aut illæ partes essent infinitæ secundùm speciem; aut finitæ: si finitæ, tunc oporteret saltem alteram ipsarum esse infinitam: si autem partes essent infinitæ secundùm speciem, tunc oporteret loca naturalia esse infinita, & etiam elementa essent infinita, quorum vtrumque est inconueniens: videmus enim loca naturalium corporum secundùm speciem esse finita, vtpote sursum, & deorsum; & elementa esse finita, aliàs elementa non possent cognosci. Quartum ibi, *Totaliter autem*, scilicet quòd omne corpus cùm sit graue, vel leue secundùm opinionem antiquorum ponentium corpora cælestia esse de natura elementorum, mouebitur sursum aut deorsum, vel ad medium: in corpore autem infinito, vel in eius loco non est tales assignare differentias. Quintum ibi, *Adhuc omne*, scilicet, quia sensibile corpus, & differentiæ lòci sunt determinatæ: vt sursum, & deorsum, &c. Hæc autem corpori infinito non conueniunt. Sextum ibi, *Totaliter autem*, scilicet, quia impossibile est corpus esse infinitum, cùm habeat determinatas differentias, siue partes, vt prædictum est.

64

53 Conclusio ibi, *Infinitum autem*, est, quòd *Infinitum per prius dicitur de magnitudine quàm de motu, & de motu quàm de tempore*. Medium huius patet: continuitas enim inest motui per magnitudinem, & tempori per motum, vt patet ex 4. Phys.t.c.99. & 113. hoc tamen medium hîc non exprimit. Deinde proponens ibi, *Permutatur autem*, c. 10. quòd tribus modis dicitur aliquid permutari, scilicet per accidens, vt musicum ambulat; & secundùm partem, vt corpus sanatur quia oculus; & secundùm se, vt lapis mouetur deorsum. Proponens etiam ibi, *Est autem aliquid & in mouente*, quòd scilicet totidem modis dicitur moueri aliquid, ostendens nihilominus ibi, *Est autem aliquid mouens*, quòd quinque requiruntur ad motum: scilicet mouens, mobile, tempus, & duo termini: scilicet à quo, & ad quem, ipsius motus. Proponit tandem.

Præcedentes proximè tres conclus. habentur c. 9. Pars 10. lib.

54 Conclusio ibi, *Quæ autem non secundùm accidens*, scilicet quòd *Mutatio secundùm se, non est nisi in contrariis, vel in medius, vel in contradictoriis*. Huius autem probationem ex inductione dicit esse accipiendam.

55 Conclusio ibi, *Permutatur autem*, est, quòd *Tres sunt permutationes, scilicet ex subiecto in non subiectum, quod est corruptio; ex non subiecto in subiectum, quod est generatio; & ex subiecto in subiectum*. Medium, quia toties possunt termini mutationum opponi: nam non subiectum non opponitur non subiecto, siue negatio negationi; simul enim verificantur de eodem duæ negationes.

56 Conclusio ibi, *Si itaque non ens*, est, quòd *Generatio non est motus, nec quies*. Medium duplex. Primum, quia non ens, siue ens in potentia simpliciter, non mouetur, nec quiescit: quòd autem generatur est non ens, siue ens in potentia simpliciter. Secundum medium ibi, *& si omne*, est, quòd omne quod mouetur, vel quiescit est in loco: quod autem generatur, cùm sit non ens, non est in loco.

65

57 Conclusio ibi, *Neque itaque corruptio*, est, quòd *Corruptio non est motus*. Medium quia motui opponitur motus, vel quies; vt patet ex 5.Physic. t.c.53.generatio autem quæ opponitur corruptioni, non est motus, vel quies, vt patet ex præmissa.

58 Conclusio ibi, *Quomodocunque autem omnis motus*, est, quòd *Illa mutatio, quæ est ex subiecto in subiectum, motus est, sed non illa mutatio quæ est ex non subiecto in non subiectum*, vt patet. Vocatur autem subiectum quicunque terminus mutationis affirmatiuè propositus, vt album, nigrum, & huiusmodi. Deinde proponens vnam conclusionem, quam probat inferiùs ex quibusdam aliis priùs ostendendis probat tandem ibi, *secundùm substantiam autem non*.

Pro his conclusionibus lege com. 10. 1.Physic. & commentatorem ibidem.

59 Conclusio, scilicet, quòd *Motus non est in substantia*. Medium, quia non est ibi contrarietas. Et nota quòd motum esse in aliquo genere non appellat aliud quàm rem illius generis per motum induci.

60 Conclusio ibi, *Neque in ad aliquid*, est, quòd *Motus non est in ad aliquid*. Medium, quia relatio potest inueniri in aliquo sine ipsius mutatione, vt aliquid fit simile, & æquale alteri, non per suam mutationem, sed alterius.

61 Conclusio ibi, *Neque facientis*, est, quòd *In actione, & passione non est motus*. Medium, quia motus non est motus, nec mutationis mutatio. Hoc autem medium quatuor modis probat. Primum ibi, *Dupliciter enim*, quia motus non est motus vt subiecti, eo quòd motus non mouetur: nec

nec vt termini, hoc enim non potest esse, nisi secundùm quòd vna mutatio succedit alteri; & si post vnamquamque alteram contingit esse, vna mutaretur in quamcunque alteram quod non est verum, cùm quælibet mutatio habeat certos terminos. Et prætetea cùm mutatio sit in opposita, vt patet ex 54. huius; si vna mutatio mutetur in alteram, mutaretur in oppositam, vt ægrotatio in sanationem, & ita simul aliquod tenderet in duo opposita. Secundum ibi, *Adhuc in infinitum*, quia si vná mutatio est terminus alterius, eadem ratione & illa prior erit terminus alterius prioris, & sic in infinitum; in infinitis autem non est primum; si autem non est prima generatio, nec consequens, & per consequens tolleretur generari, seu mutari à rebus. Tertium ibi, *Adhuc eiusdem*, scilicet cùm opposita habeant fieri circa idem, vt motus oppositi, & quietes oppositæ, & generatio & corruptio; ergo aliquod cùm generatur tendit ad corruptionem; hoc autem est impossibile: oportet enim esse quod corrumpitur: vnde nec dum generatur corrumpitur, nec statim dum est generatum. Quartum ibi, *Adhuc oportet materiam*, scilicet quòd cùm in omni mutatione duo requirantur, scilicet subiectum mutabile, seu materia, & terminus: si genetatio generetur, oportet ista duo dare: sed generationi non est assignare materiam, nec etiam terminatur generatio, sicut nec terminatur disciplinatio ad disciplinationem, sed ad scientiam.

66

62 Conclusio ibi, *Quoniam autem neque substantiæ*, t.c.10. est, quòd *In solis tribus prædicamentis; scilicet Quantitate, Qualitate, & Vbi est motus*. Medium est duplex. Primum, quia non est in aliis, vt patet ex tribus conclusionibus immediatè præmissis. Secundum ibi, *Horum enim*, scilicet quòd in tribus est contrarietas: talis autem est terminus motus. Et exponit, quòd non intellexit de qualitate substantiali, quæ idem est quod forma substantialis: sed de accidentali, secundùm quam subiectum est possibile, seu alterabile. Et nota quòd situs non addit supra Vbi nisi determinatum partium ordinem ad inuicem. Vlterius, quia Habitus dicit quandam habitudinem indumenti ad indutum, ideò eiusdem rationis videtur esse quòd non sit motus in Ad aliquid, & in his duobus prædicamentis. Item, quia quando significat esse in tempore, & tempus est numerus motus, & actionis, & passionis. Ex hoc quòd probat motum non esse in Actione; nec in Passione, fortè supponit non esse motum in Quando, quod est verum.

Lege loca quæ notaui in textu isto.

Deinde ostendens quot modis dicatur aliquod esse immobile, quia tribus modis, ibi, *Immobile autem*, t.c.11. probat.

Concl. decem proximè præcedentes habentur c.10. Pars 11. lib.

63 Conclusio ibi, scilicet quòd inter mobilia seu mota *Illud solùm quiescit, quod est aptum natum moueri*. Medium, quia quies, & motus habent fieri circa idem, cùm quies sit priuatio motus. Deinde ostendens ibi, *similiter autem*, c.11. quid sit esse sursum, & quid deorsum, & quid tangi, & quid intermedium, & quid contrarium secundùm locum, & quid esse consequenter habere, & quid habitum esse. Probat tandem ibi, *Quoniam autem omnis permutatio*.

64 Conclusio, scilicet, quòd *Media sunt inter contraria*. Medium, quia media sunt inter ea in quibus est mutatio, vt patet ex diffinitione medij prætermissa in textu: mutatio verò est inter opposita: aut ergo in contrariis, aut in contradictoriis. In contrariis autem non est medium, vt patet ex quadragesima octaua, conclusione decimi. Deinde ostendens quid sit cōtinuum, quia illud cuius partes copulantur ad eundem terminum, ibi, *continuum autem*, concludit ex hoc ibi, *Quare palàm*.

Sequentes quatuor conclus. habentur c.11. & vltimo.

In Præd. c. de Quantitate 81.

65 Conclusio, scilicet, quòd *Continuum habet esse in illis, quæ nata sunt vniri ad inuicem*.

66 Conclusio ibi, *& quia primum*, est, quòd *Esse consequenter est prius quàm tangi, & tangi prius quàm continuum esse*. Medium est, quia illud est prius à quo non conuertitur consequentia: hi autem termini sic se habent, quòd ad continuum sequitur tangi, & ad tangi sequitur esse cōsequenter, & non è conuerso, vt declaratur in litera.

In post præd. cap. de Priori.

67 Conclusio ibi, *Quare non*, quòd *Punctus, & vnitas non sunt idem*. Medium duplex est. Primum ibi, *His quidem*, scilicet, quia punctis conuenit tangi, vnitatibus autem non. Secundùm ibi, *& horum quidem*, scilicet, quia inter duo puncta, & in eodem continuo oportet esse aliquod medium, scilicet, lineam, vt patet ex 6. Phys. inter vnitates verò eiusdem numeri non oportet esse medium.

Vide ea quæ notaui infrà in expositione literæ.

Conclusiones Libri XII.

67

Liber duodecimus, in quo Philosophus agit secundùm suam opinionem de substantiis separatis principaliter. In aliis enim libris duobus sequentibus ponit opiniones antiquorum de huiusmodi substantiis, & eas improbat: & 8. partes habet. In prima dicit, quòd huius sciētiæ sit principaliter de substantia considerare. In secūda verò ibi, *Substantiæ verò tres* t.c.5. agit de substantiæ principiis, scilicet de materia & forma. In tertia ibi, *causæ autem & principia* t. c.19. agit de identitate, & diuersitate principiorum substantiæ, & aliorum entium. In quarta parte ibi, *Quoniam autem tres erant*, t. c. 29. ostendit aliquam substantiam sempiternam esse, & immutabilem. In quinta parte ibi, *mouet autē sicut appetibile*, t.c. 36 determinat pertinentia ad perfectionem istius sciētiæ. In sexta ibi, *Vtrum autem vnam ponēdam*. t.c.42. inquirit de numero substantiarum separatarum. In septima ibi, *Quæ verò circa intellectum*, t.c.51. agere videtur de prima causa, inquantum est intelligens, & intellectualis. In octaua, & vltima ibi, *Perscrutantur autem*, t. c. 52. agit de ipsa prout ipsa est bonum, siue appetibile, scilicet prout est finis & vltimum bonum totius vniuersi. Possunt autem huius libri conclusiones ad 78. reduci.

1 Conclusio est, quod *In hac scientia agitur principaliter de substantia, & de principiis eius*. Medium, quia substantia est primum, & principale ens, & est eadem conclusio cum tertia, quarti, & prima septimi. Medium idem. Hoc autem medium hîc non exprimitur, sed probat eam quadrupliciter. Primò ibi, *Etenim si totum*, t.c.2., scilicet, quòd siue sit quoddam totum verè vnum, siue sit vnum per quendam ordinem suarum partium consequenter se habentium, oportet substantiam esse priorem, & alia entia esse posteriora, & consequenter se habere. Secundò ibi, *similiter autem*, t.c.3. quia substantia est simpliciter ens, & perfectum ens, alia verò non. Tertiò ibi, *Amplius*, t.c.3. scilicet, quòd sola substantia est separabilis per se existens. Quartò ibi, *testantur autem*, t.c.3 scilicet, quia antiqui, qui de hoc tractauerunt tota

Lege commentum primum hîc.

totaliter, & principaliter de substantia, & eius principiis inquirebant, licèt differenter assignarent substantias, & principia. Alij enim (vt Platonici) ponebant vniuersalia magis esse substantias, & principaliter, alij verò particularia. Deinde in principio secundæ partis distinguens substantiam in sensibilem, & corruptibilem, sicut sunt plantæ; & in substantiã insensibilem, & sempiternam, sicut sunt corpora cælestia: & in insensibilem, & incorruptibilem, siue immortalem, cuiusmodi sunt substantiæ separatæ ibi, *Substantia verò tres*, t.c.5. probat tandem ibi, *Illa quidem naturales*, t.c.9.

Pars 2.lib.

In princ. 6. huius lege hunc 1. & 2. q.1.Phys.

2 Conclusio, scilicet, quòd *Prima dua substantia sint de consideratione naturalis.* Medium, quia vtraque est mobilis. Tertia verò non pertinet ad vnam scientiam cum illis, nisi inquantum reducuntur ad vnum commune, vtpote ad ens.

68

3 Conclusio ibi, *Sensibilis verò substantia*, t.c.6. est, quòd *In sensibilibus substantiis est materia*, Medium duplex. Primum, quia substantia sensibilis est mutabilis: mutatio verò est ab vno cõtrario, vel medio in aliud; cùm ipsa contraria non sint subiectum mutationis, oportet præter ipsa esse aliquod aliud, quod ipsi mutationi subiiciatur: hoc autem est materia. Secũdum ibi, *Amplius*, scilicet, quòd in omni mutatione manet aliquid: sed ipsa contraria non manent: oportet ergo præter ipsa esse aliquod tertium quod est materia.

Quæst. penul. 1.Phys. Scoti & 12. dist. 2.

4 Conclusio ibi, *Si itaque transmutationes*, t.c. 7.est, quòd *Materia est ens in potentia.* Medium quia cùm quælibet quatuor transmutationum, quæ scilicet sunt secundùm Substantiam, Qualitatem, Quantitatem, & Vbi, fiat per contrarietatẽ alicuius generis, oportet subiectum ipsius transmutationis esse in potentia ad vtrumque contrarium, aliàs non esset susceptiuum vtriusque.

Cõ. 11.huius & 1.Phys. t.c. 71. & 78.

5 Conclusio ibi, *Quoniam autem duplex*, t.c.8. est, quòd *Omnia qua fiunt, fiunt ex ente.* Medium, quia duplex est ens, in actu, & potentia; ea verò quæ fiunt, fiunt ex ente in potentia.

6 Conclusio est, quòd *Antiqui fuerũt loquuti de materia, sed imperfectè.* Hanc primò declarat tangendo opinionem aliquorum antiquorum, ibi, *& hoc est Anaxagora*, t.c.9. Secundò eam concludit ibi, *Quare materiam*, t.c.10.

Idem 16.8. habet, & 14. d.2.q.1. & cõ.12.2.huius

7 Conclusio ibi, *Omnia verò*, est, quòd *Licèt tam superiora, quàm inferiora habeant materiam*, vt patet ex 3. huius, *tamen materia superiorum est alia.* Quia materia superiorum non est subiectum generationis, & corruptionis. Deinde ibi, *Dubitabit autem*, t.c.11. ostendens, quòd nec ex non ente quod est purum nihil; nec ex non ente, quod idem est quod priuatio, nihil fit, nisi fortè per accidens; scilicet inquantum fit ex materia, quæ est subiectum priuationis: sed fit ex non ente, prout non ens dicitur illud, quod non est in actu, sed in potentia. Probat tandem ibi, *Attamen non ex quocunque*, t.c.11.

T. c. 26. 2. Phys. & 12. conclus. 8. huius.

8 Conclusio, scilicet, quòd *Diuersorum diuersa sunt materia.* Medium, quia si esset tantùm vna materia, & vnum agẽs, sicut ponebat Anaxagoras vnam materiam, & vnum intellectum esse principium rerũ, non posset tanta diuersitas rerum esse producta. Nota tamen, quòd hæc conclusio non est accipienda simpliciter tanquam vera, similiter nec eius medium: non enim concludit, nisi contra Anaxagoram fortè, de quo hîc loquitur, qui ponebat intellectum illum limitatæ virtutis in eo quòd ponebat ipsum indigere materia ad productionem rerum, & non producere ipsam materiam. Nam secundùm veritatem, quamuis intellectus primus sit vnus: quia tamen est infinitæ virtutis, & habet infinitatem, & pluralitatem idealium conceptionum, potest ex eadem materia producere diuersa, & infinita quantùm est ex parte sua.

69

86. dist.1. multa etiam d.2.par.1. Lege in q.7. huius, etiam probatur in vlt.1.Phy. & hoc 1.Phys. q.14.com.c. 17.7.huius.

9 Deinde distinguẽs tria principia rerum intrinseca, scilicet materiam, formam, & priuationem, ibi, *Tres verò sunt causa*, t.c.12, probat tandem nonam conclusionem ibi, *Postea quod sit materia*, t.c.12. quæ est, quòd *Forma non generatur, sicut nec materia.* Quod est intelligendum de vltima forma vt vltima materia. Medium, enim in omni mutatione oportet esse aliquid quod transmutatur, quod est materia, & aliquid à quo transmutatur, quod est mouens primum, & ad quod transmutatur, quod est species, & forma. Si ergo ipsa forma, & materia generentur, & non totum, quod est æs rotundum, sequitur quòd tam forma quàm materia habeant materiam, & formam; & sic ibitur in infinitũ in materia, & forma, quòd est impossibile: necesse est ergo quòd nec prima forma, nec materia prima generentur. Hæc est eadem cum 21. septimi.

70

Lege q. 1.12. huius.

10 Conclusio ibi, *Postea quaritur*, t.c.23. & est eadem cum 17. septimi, & medium idem; licèt hoc medium hîc breuiter pertractatur.

Ant. Andreã Eth. q.4. prologi.

Lege Burleum 5. T.c.2.2.Phys. Cõmentator cõ.9.c. huius.

11 Deinde distinguens substantias per materiã, formam, & compositum ibi, *Substantia autem*, t.c. 14. ponit tandem 11. Conclusionem ibi, *in quibusdam igitur*, t.c.14. scilicet quòd *Si aliqua forma separata sit sicut ponebant Platonici, hac non erat artificialis.* Medium huius patet ex quadragesima septimi, & ex decima octaui, scilicet, quia forma artificialis est accidens, quod habetur ex textu illarum duarum conclusionum: vnde non est præter materiam rei artificialis, nisi prout est in mente artificis.

Vide Auic. oppositum dicentem 8. sua met. c.1 leg. 8.d.1.q.1. & 30. & Francis.

12 Conclusio ibi, *Mouentes quidem*, t.c.16. est, quòd *Quamuis causa efficientes sint priores suis effectibus, causa tamen formales sunt simul tempore cum his, quorum sunt causa formales.* Hanc declarat exemplariter, scilicet, quia simul est sanitas cum sano, & figura cum figurato.

Mayrõ. Aureo de cau. Pro 13. conclus. lege Landulphum lib. 2.d.16. & 17.

13 Conclusio, quam videtur intendere ibi, *Si autem aliquid manet posterius*, t.c.17. est, quòd *Licèt nulla forma prior sit quàm compositum tempore: aliqua tamen manet corrupto composito, hac autem est anima, non quacunque, sed intellectiua.* Hanc non probat hîc: quia non est præsentis negotij disputare de incorruptione animæ.

14 Conclusio ibi, *Palàm itaque*, t.c.18. est eadem cum vigesima tertia septimi, & medium idem, & concluditur ex decima huius.

Pars 3.lib.

81

2.q quodlib. art.1. & Ioã. Can. q 5.1. Phys.

15 Deinde in principio tertiæ partis proponens qualiter principia sunt eadem, & mouens de hoc dubitationem ibi, *Dubitabit autem*, t.c. 19. & arguens duobus mediis ad partem negatiuam. Primum ibi, *Sed inconueniens*, t.c.19. Secundum ibi, *amplius quoque*, t.c.20. probat tandem decimamquintam Conclusionem ibi, *aut igitur dicimus*, tex.c.22. scilicet, quod *Quamuis principia rerum non sint penitus eadem secundum rem, sunt tamen eadem proportionabiliter.* Medium, quia sicuti in genere Substantiæ est dare causam mouentem, & materiam, & formam, & priuationem, ita & in aliis generibus. Hoc medium declaratur, primò exemplariter quantùm ad principia rerum intrinseca, scilicet materiam, & formam,

&

& priuationem, quæ prædicta sunt ibi, *Quoniam autem non solùm*, t.c.23. Secundò autem ista quatuor docet ad tria reducere, inquantum mouens, & forma coincidunt in idem specie, ibi, *Quoniam autem mouens in Physicis*, t.c.24.

T.c.49. 12. huius & 2.d.1 par.2. & Aui. 8. met sua c. 4.1. Phys.t. c.8.

16 Conclusio ibi, *Adhuc præter*, t.c.24. est, quòd *Principia rerum aliquo modo sunt eadem numero.* Hanc declarat tripliciter. Primò per hoc quòd primum mouens est vnum numero, ibi, *Adhuc.* Secundò per hoc, quòd illa eadem quæ sunt principia alicuius substantiæ, sunt etiam principia suorum accidentium ibi, *Quoniam autem*, t.c.25. Tertiò per hoc quod in substantiis corporeis est dare aliquas priores animatas, quæ sunt causæ, & principia aliorum, vt corpora cælestia, quæ secundùm opinionem Aristotelis hîc, & in 2. Cæli, & mundi expressiùs, sunt animata, & sunt causa generationis, & corruptionis in istis inferioribus ibi, *Deinde hoc erit.*

81 Materia huius conclus. habetur 9. huius per totum, distingue tamen de actu & potentia cum Scot.12.d.2.

17 Conclusio ibi, *Ampliùs autem alio modo*, t.c. 26. est, quòd *Alio etiam modò quod dictum est in 15. huius sunt principia rerum proportionaliter eadem.* Medium, quia sicut actus & potentia sunt prima in vno genere; ita etiam alio genere, licèt differant in diuersis dupliciter. Primò, quia non reperiuntur eodem modo; in quibusdam substantiis, vt in generabilibus & corruptibilibus est actus in potentia. Secundò, quia in diuersis sunt diuersa sicut diuersorum diuersæ sunt materiæ, & formæ. Vnde iste modus identitatis principiorum potest reduci ad illum, qui declaratus est in 15. huius, scilicet inquantum actus, & potentia possunt reduci ad illa tria principia intrinseca, de quibus ibi dictum est.

Notaui ad hoc conclusionē 15. huius.

18 Conclusio ibi, *Adhuc autem videre*, tex.com. 27. est, quòd *Principia rerum sunt eadem vniuersaliter.* Huius declaratio est, quia actus & potentia sunt principia omnium principiatorum: sed tamen licèt eadem sint vniuersaliter, diuersorum tamen specie, & diuersorum numero diuersa sunt principia numero, vt declarat in littera. Deinde recapitulat ea quæ declarauerat in hac parte 4 de identitate principiorum ibi, *Quare verò quæ principia*, text. com. 28.

Pars 4. lib.

18.d.1.q.4. 12.q. Centilogij Ockam T.c.10.lib.4. Phys. T.c.129. & infra. Lege hunc lib.2.d.2.q.1.

19 Conclusio ibi, *Quoniam autem tres*, tex.com. 29. est, quòd *Est dare aliquam substantiam sempiternam immortalem.* Medium, quia sunt aliqua accidētia sempiterna, vt motus, & tempus, sicut probatur in 8. Phys. & hoc probat etiam hîc de tempore: quia scilicet si tempus inciperet & desineret, posset esse prius, & posterius antequam ipsum tēpus esset; & hoc esset dare prius, & posterius sine tempore. Et nota quòd hæc conclusio est vera: sed eius medium falsum est, sicut & medium aliquarum conclusionum sequentium verarum, de quarum tamen falsitate disputare breuitas inchoata non sinit.

20 Conclusio ibi, *At verò si*, text.c.30. est, quòd *Huiusmodi substantia est semper actu agens seu mouens.* Medium, quia aliter motus non esset æternus.

Actus sunt singularium 1. huius, & principio 3. huius.

21 Conclusio ibi, *Nihil ergo*, tex.c.30. est, quòd *Ad saluandam æternitatem motus non valet positio Platonis, ponentis vniuersalia separata, nec etiam positio aliorum ponentium aliqua alia separata, vt Mathematica.* Medium, quia nec vniuersalia, nec Mathematica possunt esse principia motus.

2. dist.1. p.1 & 1. T.c.51. & com.q.3. de Anima.

22 Conclusio ibi, *Adhuc neque si aget*, est, quòd *Huiusmodi substantia est idem quod suus actus, scilicet intrinsecus.* Medium, quia quod est in potentia conuenit non esse.

Lege 8.d.1. q.1.

83 Hac materia discutitur à Scotistis 3. dist.2. Commētator 7. huius com. 31. Com.13. 9. huius hanc exprimit.q.1. 8.d.1.

23 Conclusio ibi, *Ampliùs igitur*, tex. c. 30. est, quòd *Huiusmodi substantia est immaterialis, quia est sempiterna.* Medium, quia non potest non esse, vt patet ex decimaquinta septimi huius: si diligenter attendas huius vigesimamtertiam conclusionem, & eius medium, non excludit omnem materiam à substantiis spiritualibus: sed solùm illam, quæ est subiectum generationis & corruptionis: si enim de omni materia hanc cum suo medio conclusionem intelligas, sequeretur nullam materiam esse in corporibus supercælestibus, quod est contra tertiam huius.

24 Conclusio est, quòd *Actus est simplicior, quàm sua potentia, & prior.* Circa quam sic procedit. Primò mouet dubitationem ibi, *Igitur quamuis dubitatio.* Secundò ibi, *Videtur enim*, arguit contrarium, scilicet, quia sequitur: si est actus, est & potentia, & non ècouersò. Tertiò ibi, *At verò si hoc*, tex.c.30. Arguit ad propositum, quia si potentia sit simpliciter prior quàm actus; sequeretur, quòd aliquando nihil fuisset, sicut aliqui antiqui volebant, dicentes noctem, id est, simplicem priuationem rerum fuisse tempore infinito: & etiam sequeretur, quòd motio nihil esset, quia nihil quod est in potentia potest ad actum reduci, nisi per aliquid aliud actu existens: quia materia à se ipsa non mouetur ad actum, sed per aliud sicut declarat in littera: & per hoc aliqui antiqui sicuti Leucippus & Plato posuerunt semper aliquem actū fuisse, licèt de hoc imperfectè dixerint. Quartò ibi, *Potentia quidem igitur*, tex.c.32. Remittit nos ad solutionem huius quæstionis, ad præcedentia, scilicet ad tertiam partem libri noni, vbi de hac plures conclusiones habentur. Quintò ibi, *Quod autem actus*, tex.co.32. Confirmat hanc 24. conclusionem.

Principio cōfusa chaos sine imagine moles Extitit. Hesiod. in Theogonia.

25 Conclusio ibi, *Quare non fuit*, tex. com.32. est, quòd *Falsa est opinio antiquorum, dicentium chaos, vel noctem, id est, simplicem priuationem rerum, fuisse tempore infinito*: semper enim fuerunt eadem in specie, quæ sunt modò secundùm opinionem Aristotelis ponentis generationem æternam. Hæc vigesimaquinta, sequitur ex vigesimaquarta, si enim actus est simpliciter prior quàm potentia, oportet quòd semper fuerit aliquid actu ens, per quod ea quæ sunt in potentia, ad actum reducantur: & ita non est dare quod aliquo tempore fuerit nihil.

Habetur 2. de Gen. ad finem lege com.15. Phys. lib 8. faciunt etiam pro sequentibus conclusionib

26 Conclusio ibi, *Itaque periodo semper*, t.c.34. est, quòd *Oportet semper esse aliquod agens vniformiter.* Medium, quia ex quo motus generationis est perpetuus, oportet quòd habeat causam perpetuam mouentem actu, quam intelligit esse primum mobile, & motorem ipsius.

84 Idem enim inquantum idem semper facit idem. 2. de Gene. T.c.56.

27 Conclusio ibi, *Si autem debeat*, text.com.38. est, quòd *Oportet esse aliquod agens diuersimodè se habens ad ista inferiora.* Medium, quia non solùm inuenitur in inferioribus perpetuitas generationis, sed etiam corruptionis; & ideò oportet quod causetur ab aliquo diuersimodè se habente ad hæc inferiora, per hoc autem intelligitur corpus mobile secundum Zodiacum, sicut & Sol, & alij planetæ: qui secundùm approximationem, & elongationem à nobis causant diuersitatem prædictam: ita quod primum agens est causa perpetuitatis, secundum verò causa diuersitatis.

Auic. met. d.2.

28 Conclusio ibi, *Dignius ergo*, est, quòd *Primum istorum est dignius, quàm secūdum.* Medium, quia primum est causa perpetuitatis, secundum

verò diuersitatis: vtrumque autem simul sumptum est causa vtriusque simul sumpti.

Facit ad primum propositũ de causis. 7. huius & Aui. 7. met. c.2. & 3 habetur Platonis imaginatio, nisi secus intelligatur. Lege com. 31. 7. & 18.12. huius. habetur 1.° Cæli, T.c.18. & inde.

29 Conclusio ibi, *Ergo si sic se habet*, text.c.34. est, quòd *Oportet quærere alia principia rerum, sicut Plato ponebat ideas, & Empedocles litem & amicitiam.* Hanc declarat dupliciter. Primò ibi, *Quoniam autem*, scilicet, quia isto modo potest saluari generatio rerum. Secundò ibi, *& si non*, scilicet, quia hoc non posito, quod scilicet Aristoteles posuit de motu cælesti, videntur sequi inconuenientia quæ ponebant antiqui, scilicet quòd fuerit aliquando nox, vt prædictum est, & sic de aliis.

30 Conclusio ibi, *Soluentur*, tex.c.34. est, quòd *Isto modo soluuntur dubitationes, ponendo scilicet motum superiorum causare generationem, & corruptionem in istis inferioribus.*

31 Conclusio ibi, *Quare sempiternum*, tex.com. 34. est, quòd *Primum mobile, siue cælum est sempiternum*: & hoc concludit patenter ex conclusione huius quartæ partis.

32 Conclusio ibi, *Est ergo aliquod*, tex.c.35. est, quòd *Primum mouens est sempiternum & immobile.* Medium, quia sicut est dare aliquod motum non mouens, ita oportet dare aliquod mouens primum non mobile, & sempiternum, scilicet cùm causet motum, qui est sempiternus secundùm opinionem Aristotelis: & huius primi mouentis substantia, est actus, vt patet ex 22. huius. Deinde in principio quintæ partis ibi, *Mouet autem*, t.c.36.

Pars 5. lib.

Ostendens per quem modum primus mouens moueat, scilicet sicut appetibile, & intelligibile mouent appetitum, & intellectum non mota; pro eo scilicet, quòd Intelligentia quæ mouet cælum, per intelligentiam, siue cognitionem, & amorem primæ causæ, cui se conformare intendit, motum istum continuat. Probat tandem ibi, *Horum autem prima*, trigesimamsecundam Conclusionem; quòd ipsum appetibile, quod est primum mouens, differt ab appetibili, & à concupiscibili secundùm sensum. Medium, quia appetibilia secundùm sensum ex eo, quòd desiderantur, & delectantur, creduntur esse bona. In primo autem mouente non est sic, imò ex eo desideratur, vnde principium desiderandi est principium ab ipso intelligi motus.

An autem moueat effectum lus non immodica, sed 8.d.1 q. 4. discutitur. Lege Landulphum ibidem.

85

33 Conclusio ibi, *Intelligibilis autem*, t.c. 37. est, quòd *Primum mouens est primum in ordine intelligibilium.* Medium, quia est substantia simplex secundum actum, sua actio, vt patet ex his quæ habita sunt in quarta parte.

De vnitate multiplici habes 2. d.1. p.2. vnum enim videtur superius ad simplex.

34 Conclusio ibi, *Est autem vnum*, tex.c.37. est, quòd *Vnum, & simplex non sunt idem.* Medium, quia vnum significat metrum, siue mensuram: simplex autem non, sed dispositionem quandam, scilicet secundùm quam aliquid non est ex pluribus.

35 Conclusio ibi, *At verò*, tex.com.37. est, quòd *Ipsum primum mouens est prius in ordine appetibilium.* Medium, quia appetibile, & intelligibile sunt idem in re, vel se habent proportionabiliter: & ita quod est primum in intelligibilibus, erit etiam primum in appetibilibus.

T.c.2. met. Sed an sufficiens vide quæ ante.

36 Conclusio ibi, *Quod autem est quod cuius gratiâ*, tex. com.37. est, quòd *In immobilibus potest esse causa finalis.* Medium est per distinctionem finis: quia etsi non sit ibi finis, qui per motum, seu operationem tendentis in finem inducitur; nec etiam arte, vt sanitas per operationem medicinalem; est tamen ibi finis qui motui, seu operationi tendentium in finem, præexistit. Deinde repetens modum per quem ipsum mouens mouet mobile, & per ipsum alia mouetur, probat cõsequẽter ibi, *Siquidẽ igitur aliquid moueur*, t.c.38.

37 Conclusio, scilicet quòd *Motus localis est primus omnium motuum.* Medium; quia est motus primi mobilis. Cùm enim primum mobile sit sempiternum, vt patet ex 31. huius, oportet quòd moueatur tali motu, qui non variet esse ipsius, nec aliquam dispositionem intrinsecam: solùm autem motus localis est huiusmodi,

In principio 4. Phys. & tex. cap 62. & inde 8. eiusdem.

38 Conclusio ibi, *Quoniam autem est quidem mouens*, tex.c.38. est, quòd *Primum est necessarium.* Medium, quia non contingit aliter se habere, cùm sit omnino immobile, quod probat: quia si moueretur, moueretur primo motu, scilicet locali circulari, sed hoc motu mouet: nullũ autem primum mouens mouetur motu quo mouet, sicut primum alterans non alteratur. Deinde ibi, *Et necessitas*, t.c.38. Ostendit quæ sit necessitas primi mouentis inquantum est principium primi motus, scilicet necessitas finis. Intelligentia enim quæ est motrix cæli, mouet propter ipsum tanquam propter finem, sine quo benè esse non potest: necessarium enim est illud quo est violentum, & illud sine quo res non potest benè esse, vel omne illud quod non contingit aliter se habere.

Sup. 19. conclus. huius.

86

39 Conclusio ibi, *Ex tali igitur principio*, tex. com. 38. est, quòd *A primo mouente dependet cælum*, & videtur sequi Deum esse causam efficientem omnium secundùm mentem Aristotelis per consequens alia natura inferiorum, quæ à cælo dependet: hoc tamen sequitur ex eo, quòd mobilia dependent ab immobilibus, & ex eo quòd ea quæ sunt ad finem, dependent ab ipso fine.

40 Conclusio ibi, *Deductio autem*, tex.com.39. est, quòd *Intelligentia apprehendente, siue intelligente ipsum primum mouens, est perfectissima delectatio, quam ibi vocat deductionem, eo quòd per eam intellectus, & voluntas ipsius Intelligentiæ deducuntur, & recipiuntur in ipsum primum intelligibile.* Medium duplex. Primum, quia semper intelligit, quod nobis impossibile est, ibi, *Sic enim semper.* Secundum ibi, *Quoniam & delectio*, scilicet, quòd cùm delectatio sequatur ex actu (vnde & in vigilia sensus & intellectus magnæ delectationes fiunt; in specie verò, & in memoria, quæ non sunt de rebus actu existentibus, non est delectatio, nisi inquantum præterita, vel futura, ingerunt delectationem tanquam præsentia) oportet quòd in nobilissimo actu sit nobilissima delectatio: nobilissimus autem actus, est intellectus in apprehensione optimi intelligibilis.

q.11.d.1. cont. Auic.

41 Conclusio est, quòd *In ipso primo intelligibili se ipsum intelligente, est multo altior, & perfectior delectatio, quam in aliquo intellectu ipsum apprehendente.* Medium duplex. Primum ibi, *Seipsum autem intelligit*, tex. com. 39. Scilicet quòd cùm intellectus intelligit seipsum, ex hoc attingit ad suum intelligibile, ad quod aptus natus est attingere: quia comparatur ad ipsum, tanquam potentia ad actum: etiam cùm attingit ipsum, tunc ad ipsum reducitur; & ita intellectus Intelligentiæ reducitur ad actum, & delectationem magnam assequitur, vt patet ex præmissa; multo maiorem ipsum primum intelligendo seipsum: quia propter quod vnumquodque, & illud magis. Virtutem illius primi medij tangit ibi, *Quare illud.* Secundum ibi, *Si igitur sic*, tex.c.39. Scilicet quia multò maior delectatio est in Deo, seipsum semper intelligente, quàm possit esse aliquando in nobis:

Causa est adæquatio potentiæ, & obiecti eius.

sed

ſed in nobis eſt hoc, quòd cùm de ipſo, vel de aliqua excellenti veritate aliquid intelligimus, eſt quandoque iucunditas maxima.

42 Concluſio ibi, *Et vita autem vtique*, eſt, quòd *Eſt vita*. Medium, quia actus intellectus, ſiue intelligere eſt vita; Deus autem eſt ſuus actus, ſiue ſuum intelligere, vt patet ex 22. huius, & patebit magis infrà 60. concluſ.

43

43 Concluſio ibi, *Actus autem quod ſecundùm ſe*, t.c.39. eſt, quòd *Deus eſt vita optima, & ſempiterna*. Hæc ſequitur ex 31. 32. & 35. & ex 42. huius. Addit etiam ibi, *Dicemus autem Deum*. Aliud medium per ſignum, ſcilicet quòd ex eo quòd Deus eſt vita optima, & ſempiterna, & vita apud nos in ſolis animalibus apparet, & inde eſt, quod à vulgo dicitur animal ſempiternum, & optimum: vnde manifeſtum eſt, quòd vita, & duratio continua, & æterna eſt Deo, hæc enim eſt Deus, vt vt hîc dicit expreſsè.

Lege quæ habentur q.1. 8. d.1. ſcilicet de perfectione cauſa extrinſeca, & imperfectione cauſa intrinſeca.

Hoc medium coloratur 2. & 8. d.1. q.1. & habetur etiam hæc concluſ. 8. Phyſ. circa finem.

44 Concluſio ibi, *Quicunque autem putabant*, t.c.40. eſt, quòd *Falſa eſt opinio Pythagoricorum, & Leucippi, dicentium non eſſe nobilitatem in principio huiuſmodi*. Concluſio hæc patet ex præmiſſis concluſionibus iſtius quintæ partis: addit tamen medium, ſcilicet quia ipſi non habent rectum motiuum ad dicendum hoc; poſuerunt enim iſtud ex hoc quòd aliqua principia, (vt ſpermata, & ſemina) eſſent imperfectiora ſuis principiatis: hæc autem non ſunt prima principia, vt declarat in litera.

45 Concluſio ibi, *Oſtenſum eſt autem*, t.c.41. eſt, quòd *Primum mouens nullam habet magnitudinem*. Medium, quia neque finitam, cùm virtutem infinitam habeat, [mouet enim per tempus infinitum; neque etiam infinitam, quia nulla magnitudo eſt actu infinita, vt patet ex quinquageſima vndecimi.

Pars 6. lib.

De numero Intelligentiarum fuerunt errores 5. quos lege in Landulph. lib.2. d.3. q. vlt.

46 Concluſio ibi, *At verò quia*, t.c.41. eſt, quòd *Primum mouens nec eſt paſſibile, nec alterabile*. Medium, quia à quo remouetur prius, & poſterius: motus autem localis, qui eſt primus, vt patet ex 37. huius, remouetur ab eo, vt patet ex 38. huius. Deinde in principio ſextæ partis ibi, *Vtrùm autem vnam*, t.c.42. oſtendens neceſſitatem, & numerum ſeparatarum ſubſtantiarum ponebat tandem ibi, *Nobis autem ex ſuprà poſitis*, t.c.43.

88

Lege 2. cæli T.c.17. & inde.

Facit ad hoc T.c.4. & 17. huius. Cur Ariſt. hoc aſſerat habet Landulph. vbi ſup. erro. 4. Immo à fide Catholica, cui falſum ſubeſſe non poteſt, maximè ſi ſit infuſa 14. q. quodl. & 21. q.3.

47 Concluſio, quòd *Sunt plures motores æterni*. Medium, quia plures ſunt motus cæleſtes, qui ſunt ſecundùm opinionem eius æterni. Hoc autem medium, primò latè pertractat: ſecundò infert concluſionem ibi, *Neceſſe & harum lationum*.

48 Concluſio ibi, *Et mouens ſempiternum, & primum*, tex.c.4. eſt, quòd *Huiuſmodi motores ſunt ſubſtantiæ*. Medium, quia ipſa mobilia quibus ipſi ſunt priores, ſunt ſubſtantiæ.

49 Concluſio ibi, *Palàm itaque*, eſt, quòd *Tot ſunt ſubſtantiæ immobiles, ſiue ſeparatæ motrices orbium, quot ſunt motus earum*. Hæc ſequitur ex duabus immediatè præmiſſis. Ex quadrageſima ſeptima enim habetur quòd ſunt plures motores, & quadrageſima octaua quòd ſunt ſubſtantiæ.

50 Concluſio ibi, *Quòd quidem igitur ſint ſubſtantiæ*, tex.c.44. eſt, quòd *Huiuſmodi motores ſunt inter ſe ordinati ſecundùm priùs, & poſterius*.

51 Concluſio eſt, quòd *Ab Aſtrologia debemus accipere numerum motuum cæleſtium*, ibi, *Pluralitatem verò*. Medium, quia hæc ſola inter Mathematicas de corporibus cæleſtibus, & motibus eorum conſiderat.

52 Concluſio ibi, *Quod quidem igitur*, eſt, quòd *Plures motus ſunt in cælo*. Medium, quia videmus ad ſenſum vnumquemque planetarum diuerſis motibus ferri. Deinde dicit, quòd vult aſſignare numerum motuum cæleſtium ſecundùm opinionem antiquorum Aſtrologorum, qui ſcilicet erant famoſi tempore ſuo, ibi, *Sed quod ſunt*, tex.c.45. & addit quòd ſi non perfectè dixerunt ea in quibus defecerunt, vel per nos ipſos quæramus, vel addiſcamus ab iis potiſſimè doctoribus. Poſt hoc ponit opinionem cuiuſdam Aſtrologi Eudoxi, qui ponebat in cælo ſphæras 36. & per conſequens totidem motus ibi, *Eudoxus quidem igitur*, tex.c.45. Deinde ponit opinionem alterius ſcilicet Callippi, ex cuius poſitione colligit eſſe ſphæras 50. vel alio modo 47. licèt videatur quòd debeat colligere 56. ſi perfectè poſitio Callippi reſpiciatur: ſed non eſt de hoc curandum, quia parum valet. Ex his poſitionibus concludit ibi, *Quare ex ſubſtantiis*, t.c.48.

Lege com. 45. huius & 35. 2. Cæli quid Commētator ſenſit.

53 Concluſio, ſcilicet, quod *Tot oportet eſſe ſubſtantias ſeparatas, & immobiles in cælo, quæ ſint principia cæleſtium motuum, ſiue tot principia ſenſibilia, id eſt, corpora cæleſtia, ſicut quot ſunt ſphæræ mobiles in cælo, ſiue ſint tot quot poſuit Eudoxus, ſiue Callippus, ſiue quotcumque ſint*.

89

Non enim Intelligentiæ ſunt præcisè vt cælos moueant.

54 Concluſio ibi, *Si autem nullam*, tex.c.48: eſt quòd *Non ſunt plures motores huiuſmodi, quàm ſint motus cæleſtes*. Medium, quia quilibet talis eſt finis, & complementum alicuius motus: quia quælibet talium ſubſtantiarum ſeparatarum eſt finis, & complementum alicuius motus cæleſtis. Hæc concluſio cum ſuo medio falſa eſt: vnde & Ariſtoteles ſub dubio, & conditionaliter poſuit ipſam.

55 Concluſio ibi, *Sed alias*, t.c.48. eſt quòd *Non plures ſunt motus cæleſtes, quàm ſint ſphæræ, ſiue mobilia*. Medium, quia non eſt latio propter ſe, ſed propter illud quod fertur; & ideò quot lationes ſunt, tot lata eſſe oportet.

8 q. quodlibeti ar.2. Lege Theor. 14. hac & ſequentibus.

56 Concluſio ibi, *Quòd autem vnum ſit cælum*, t.c.40. eſt, quòd *Tantùm vnus eſt mundus, qui cæli nomine deſignatur*. Quia ſi eſſent plures in ſpecie conuenientes, differentes autem numero, videtur quòd eodem modo oporteret eſſe plura principia prima differentia numero: hoc autem eſt impoſſibile: quia quæcunque conueniunt in ſpecie, & differunt in numero, habent materiam. Licèt autem quinquageſima ſexta concluſio ſit vera, medium tamen eius non eſt efficax; non enim oportet multiplicare prima principia propter multiplicationem mundorum, quia ab vno poſſunt eſſe plures. Deinde ibi, *Tradita ſunt autem*, t.com.50. oſtendit per quem modum ſui anteceſſores tractauerunt de hac ſcientia: ſcilicet magis per modum fabulæ, & narrationis, quàm per modum ſcientiæ. Aliqui etiam dixerunt Deos multos eſſe ſimiles aliquibus rebus ſenſibilibus, vt hominibus rudibus, qui de rebus immaterialibus non poterant intelligere, ſuaderent meliùs, ex huius imaginatione obſeruantiam legum. In hoc tamen rectè omnes dicebant, quòd Deos primos appellabant. Et quia Ariſtoteles ponebat mundum æternum, dubitari poſſet quomodo ſcientiæ ita tardè eſſent inuentæ? Reſpondet ſæpè fuiſſe inuentas, & ſæpè eas deſtructas, & libros earum, ſcilicet propter diluuia, & alios caſus. In principio 7. partis proponens ibi, *Quæ nota circa intellectum*, t.c.51. quòd ea quæ pertinent ad intellectum primæ cauſæ dubitationem habent, videtur enim quòd ipſa ſit digniſſima: quomodo tamen hoc ſit, difficile eſt videre. Subiungit tamen duas concluſiones.

Pars 7. lib.

Prima

Lege 2. d. 1. p. 1. & d. 35. 1. report. Franc d. 36. Bonflat.

Prima ibi, *Nam si non intelligat*, scilicet quomodo se habeat intellectus primi ad suum intelligere: nam si sit in potentia, & non in actu semper, non videtur esse quid dignissimum; si etiam sit semper in actu intelligendi, & tamen eius actus sit alius ab eo, adhuc non videtur esse quid nobilissimum, cùm nobilitas insit ei per aliud, scilicet per actum. Secunda ibi: *Amplius autem*, scilicet quomodo se habeat intellectus primi ad suum intelligibile; siue enim substantia ipsius primi sit quædam substantia intellectiua, siue sua intelligentia, id est, suum intelligere, quæritur quid intelligat, scilicet vtrùm se ipsum, an aliud? & si aliud, vtrùm idem semper, aut modò vnum, & modò aliud?

90

57 Conclusio, quam per modum quæstionis proponit ibi, *Aut vtrùm differt*, est, quòd *Nobilitas actus intellectus est ex nobilitate actus intelligibilis.* Medium, quia inconueniens, & indignum est meditari, siue occupare intellectum circa quędam, scilicet vniuersalia, quod non esset inconueniens, si ipsum intelligere ex se haberet nobilitatem, & non ex suo intelligibili: ex hac infertur

Sapit enim actus potentia cognitiua naturam principiorum talis actus d. 2. & 9. primi.

58 Conclusio ibi, *Palàm ergo*, scilicet, quòd *Cùm intellectus, & suum intelligibile sit quid nobilissimum, oportet quòd suum intelligere sit quid nobilissimum, & honorabilissimum.*

59 Conclusio ibi, *Et non transmutatur*, est, quòd *Intellectus primi non transit de vno intelligibili ad aliud.* Medium duplex. Primum ibi, *Indignius*, scilicet, quòd cùm intelligat quid dignissimum, vt patet ex præmissa, si transiret in aliud, transiret in indignius; quod suæ nobilitati non conuenit. Secundum ibi, *& motus quidem*, scilicet, quòd transire de vno intelligibili in aliud est quidam motus: motus autem primo mouenti non competit, vt patet ex 4. & 5. parte huius duodecimi.

2. & 8. d. 1. in primis quæst.

60 Conclusio ibi, *Primum quidem igitur*, tex. c. 51. est, quòd *Intellectus primi non est differens potentia ab actu intelligendi: sed est idem quod sua intelligentia, siue suum intelligere.* Et in hoc soluitur prima illarum duarum quæstionum, quæ motæ fuerunt in principio huius 7. partis. Medium, quia si sua potentia differret ab actu, videretur quòd continuatio, siue actus intelligendi, esset ei laboriosa sicut & nobis. Nota tamen, quòd licèt hæc 60. conclusio sit vera, medium tamen eius non est necessarium, sed probabile. Non enim si potentia differat ab actu, ptopter hoc actus ipse erit laboriosus, nisi vel ipsum, vel aliquod aliud concomitans ipsum, sit contra naturam. Ponit ergo hîc Philosophus medium probabile, quia superiùs in quæstione posuit necessarium, scilicet quòd si intellectus primi esset aliud à suo intelligere, non esset nobilissimum, cùm suum intelligere haberet ab alio.

Causa laboris in potentia cognoscente quæ sit?

91

61 Conclusio ibi, *Deinde palàm*, text. com. 51. est, quòd *Ipsum primum nõ intelligit aliud à se ipso.* Et in hoc soluitur 2. quæstio. Medium, quia cùm ipsum intelligere nobilitetur à suo intelligibili, vt patet ex quinquagesima septima, & non ex se, (aliàs intelligere vniuersalia, & occupari circa vniuersalia intelligenda esset quid nobile) si intellectus primi cùm sit idem quod suum intelligere, quod ex præmissa patet, intelligeret aliud à se ipso, nobilitatem haberet ab eo. Considerandum quòd Philosophus intendit quòd Deus non intelligat aliud à se ipso, inquantum intelligibile est perfectio intelligentis, & eius quid, est intelligere; tamen non sequitur quòd aliqua sint ei ignota: nam cùm ipse sit primum principium omnium, intelligendo se, & suam virtutem, perfectè intelligit omnia ad quæ sua virtus se extendit. Deinde ibi, *& est intelligentia*, obiicit contra pręmissa dupliciter: quia si primum intelligit se ipsum, & ipsum est idem quod sua intelligentia, siue suum intelligere; ergo in tali intelligere non est aliud quàm intelligentis intelligentia: sed hoc non videtur, quia sensus, & opinio, & scientia, & meditatio semper videntur esse alterius principaliter: etsi aliquod istorum est sui ipsius, sicut aliquis sentit se sentire, & scit se scire, hoc est ex annexo.

Lege hunc 2. d. 1. par. 1 & Landulphum d. 35. par. sui Auic 8 met. sua c 6. & 7. Franc d. 36. conf. q 4.

62 Conclusio ibi, *Aut in quibusdam*, est, quòd *In ipso primo cùm sit quid immateriale, est idem intelligens, & intelligibile.* Medium, quia in rebus materialibus prout sunt scitæ, siue secundùm sciẽtiam practicam, siue Theoricam, idem est scientia, & res, scilicet res sine materia; vt idem est domus vt domus sine materia, siue quæ est in mente artificis, & scientia domus, vt patet decimaseptima septimi in textu. Et similiter in Theorica ratio rei, & ipsa res, prout ipsa est in anima, & eius intelligentia idem sunt, siue cognitio; ergo multò magis in Deo. Et in hoc soluuntur præmissæ dubitationes. Patet enim quòd solùm in Deo est intelligentia intelligibilis, cùm idem sit intellectus, & intelligibile: & idem est in eo intelligere, & intelligi à seipso.

T. c. 9. 3. de Anima aliqua ad hoc,

63 Conclusio ibi, *Adhuc autem restat*, tex. c. 51. quam per modum dubitationis proponit. Et est, quòd *Intellectus primi intelligit non componendo: sed per modum intellectus simplicis apprehendentis simpliciter quiditatem rei.* Medium triplex. Primum ibi, *Transmutabit enim*, scilicet, quia intellectus qui intelligit componendo, transmutatur de vno intelligibili in aliud, modò intelligendo vnam complexi partem, modò aliam. Item, intelligendo modò partem, modò totum. Secundum ibi, *Aut indiuisibile*, scilicet quia omne quod non habet materiam (sicut est primum) est indiuisibile; & ideò compositionem circa se ipsum non potest facere, sicut intellectus humanus: super quo verbo nota expositionem S. Thomæ. Tertium ibi, *Aut quod quidem*, scilicet quia intellectus, qui intelligit componendo, non habet suam perfectionem, scilicet verum continuum, cùm veritas non sit nisi circa complexionem: ipsum autem primum suam perfectionem, & nobilitatem continuò, & æternaliter habet. Deinde quærens in principio 8. partis ibi, *Perscrutandum autem*, tex. com. 52. quomodo bonum sit in vniuerso; scilicet vtrùm sit bonum intrinsecum, quod est forma: an bonum extrinsecum separatum, quod est finis. Probat tandem ibi, *Aut vtroque modo.*

Pro hac conclusione Vide D. Thomam p. 1. q. 14. art. 14.

Pars 8. lib.

64 Conclusio, scilicet quòd *Vtroque istorum modorum est dare bonum in vniuerso.* Cuius declaratio est à simili: quia sicut in exercitu, qui non habet vnitatem continuitatis, sed vnitatem cuiusdam ordinis, sic & in vniuerso. In exercitu autem est dare bonum intrinsecum, siue bonum formæ, scilicet ipsum ordinem, siue dispositionem exercitus; & bonum extrinsecum cum sua forma, quæ consistit in ordine, & dispositione partium; bonum autem extrinsecum est finis, in quem totum vniuersum ordinatur.

Argumentũ à minori c. 27. 21. Hisp.

65 Conclusio ibi, *Et magis iste*, est, quòd *Secundum istorum bonorum est magis finis primo.* Medium est, quia primum est propter secundum, sicut in exercitu ordo ipsius est propter Ducem.

66 Conclusio ibi, *Omnia verò*, tex. com. 52. est, quòd *Omnia quæ sunt in vniuerso sunt ordinata*

seu

Intellige vt hic exponit dist 30.1.q.2 in fine.

seu connexa ad inuicem. Medium, quia ordinantur omnia ad vnum finem.

93

67 Conclusio quam probat ibi, *sed quemadmodum*, est, quòd *Non omnia sunt equaliter ordinata*. Medium, quia quorundam actiones, vt corporum cœlestium, & substantiarum spiritualium, siue Intelligentiarum ordinatæ sunt omnino: vnde comparantur actionibus liberorum in domo patrisfamilias: sed actiones inferiorũ frequẽter deficiunt à recto ordine, scilicet aut propter libertatẽ arbitrij, vt in hominibus; aut propter indispositionẽ materiæ. Vnde huiusmodi actiones cõparãtur actionibus seruorũ, & bestiarum, qui nõ intẽdũt ad bonum commune, sed conseruationem sui ipsius, vel constitutionẽ, imò frequenter ad contrarium. Et addit ibi, *Dico autem puta*, t.c.53. quòd quantùm ad institutionem omnia sunt æqualiter ordinata: sed quantùm ad hoc, quòd communicent, siue compatentur ad bonum vniuersi, non. Hæc enim duo requiruntur in ordine aliquorum ordinatorum, distinctio scilicet, & distinctorum conuenientia ad bonum commune totius. Deinde intendens prosequi de ordine vniuersorum secundùm opinionem aliorum manifestat primò quid intendit ibi, *Quacunque verò*, t.c. 53. Deinde ponit quandam opinionem antiquorum, scilicet quòd omnia sunt ex contrariis: & dicit eos in tribus defecisse, & quia dixerunt res esse ex contrariis, & quia dixerunt omnia ex eis, & quia dixerunt quod omnia generantur ex eis, ibi, *Omnes enim ex contrariis*.

1. de Gen. t.c.50.

68 Conclusio ibi, *Impossibilia enim*, est, quòd *Opinio dicentium res esse ex contrariis est inconueniens*. Medium, quia ea ex quibus aliqua fiunt, debent esse passibilia ab inuicẽ, vt scilicet per hoc reducantur ad vnum medium: contraria verò secundùm se sumpta non patiuntur ad inuicem, nisi ratione materiæ eis subiectæ, quod ipsi non assignabant; & ideò ratio est contra eos, non autem contra Aristotelem qui tria principia posuit, vt patet conclusione 9. huius.

94

1. Phys. text. com. 52. & circiter 1. de Gener.

69 Conclusio ibi, *Alij verò*. t.c.53. est, quòd *Falsa est opinio dicentium alterum contrariorum esse materiam sicut dicebant aliqui antiqui. Alij inaquale, & equale, & vnum ponebant multa esse principia, attribuentes inaqualitatem, & multitudinem materia, aqualitatem verò, & vnitatem forma*. Medium, quia cùm materia vna, & eadem sit susceptiua contrariorum (vt patet ex 4. huius) non potest in sua essentia contrarietatem habere ad alterum illorum.

70 Conclusio est, quòd *Opinio dicentium omnia esse ex contrariis est inconueniens*. Medium duplex. Primum ibi, *Amplius*, scilicet cùm in omni contrarietate includatur priuatio, vt patet ex 31. decimi; per consequens sequeretur quòd malum esset principium omnium, præter quàm ipsius boni, quod est principium. Secundum ibi, *Alij autem*, scilicet quòd ista positio discordat à famosis Philosophis, qui posuerunt solum bonum esse principium.

71 Conclusio ibi, *Alij verò hac quidem*. t. com. 54. est, quòd *Opinio aliquorum dicentium solùm bonum esse principium, est insufficiens*. Medium quia non assignauerunt qualiter sit principium, vtrùm vt finis, aut vt mouens, aut vt forma.

72 Conclusio ibi, *Inconuenienter autem*, est, quòd *Opinio Empedoclis dicentis litem, & amicitiam esse prima principia rerum est incõueniens*. Medium duplex. Primum ibi, *Amicitia enim*, scilicet, quòd cùm dixit amicitiam tam principium motiuum, quàm materiale, non declaratur per quem modum hoc posset esse, dato quòd sit verum, cùm tamen ista diuersa sint. Secundum ibi, *Inconueniens autem*, text. com. 55. scilicet; quòd lis habet naturam mali; inconueniens autem est ponere principium rerum ipsum malum.

73 Conclusio ibi, *Anaxagoras autem*, t.c.55. est, quòd *Opinio Anaxagora dicentis intellectum, rerum principium esse, est insufficiens*. Medium duplex. Primum ibi, *Intellectus enim*, scilicet, quòd cùm intellectus agat propter finem, debuit assignare aliam causam præter intellectum, scilicet finem propter quem agit; nisi dicat sicut dixit Aristoteles 62. & 63. huius: scilicet in Deo idem est intellectus, & intellectum, & ideò non agit intelligendo, seu concipiendo finem alium à se ipso: sed propter seipsum. Sicut ars medicinæ, siue sanitas, quæ est in mente medici, agit propter seipsam, inquantum agit propter sanitatem, quamuis non propter eandem in numero. Secundum ibi, *Inconueniens autem*, t. c. 55. scilicet, quòd si vera est opinio antiquorum, dicentium principia rerum esse contraria, debuit assignare aliud principium, quod esset contrarium bono, siue intellectui; hoc autem medium non arguit absolutè, sed ex conditione.

95

74 Conclusio ibi, *Omnes autem contraria*, text. com.56. est, quòd *Opinio dicentium principia rerum esse contraria fuit insufficiens*. Medium quadruplex. Primum ibi, *& quare hac quidem*, scilicet, quòd per eam non potest reddi ratio, quare quædam entium sunt corruptibilia, & quædam incorruptibilia, cùm sint ex eisdem principiis; vnde ad euitandum hoc inconueniens quidam dicebant res esse ex non ente, aliqui verò tollentes diuersitatem à rebus dicebant omnia esse vnum, vt Parmenides, & Melissus, vt patet in 1. Physic. Secundum ibi, *Amplius propter quid*, scilicet, quia per istam positionem non potest reddi ratio, quare generatio rerum sit perpetua, nec potest ostendi, quæ sit causa vniuersalis generationis. Tertium ibi, *& duo principia*, scilicet, quòd cùm ipsis contrariis diuersa conueniant, vtpote diuersæ actiones, & diuersi effectus ordinati ad aliud principium principalius ipsis contrariis, quod sit causa huius diuersitatis; & hoc quidem sequitur contra ponentes Ideas. Cùm enim singularia aliquando sint, aliquando non sint, & per consequens aliquando participent ipsis Ideis, aliquando non; oportebat assignare aliquod aliud à seipsis, quod causet istam varietatem in singularibus ipsis. Quartum ibi, *& aliis quidem*, scilicet quòd cùm prima Philosophia sit de primo principio, & non de secundo contrario, si primum principium habet contrarium, oportebat aliam esse scientiam isti contrariam, quæ sit de illo cõtrario: sed hoc est inconueniens, vt sequitur ad opinionem Aristotelis, qui ponit principium non habere aliquam contrarietatem: omnia autem contraria habent materiam, vt patet ex 46.10. vnde secundùm eum, & secundùm veritatem, huic scientiæ non est alia contraria, sed solùm ignorantia.

75 Conclusio ibi, *Amplius si non*, est, quòd *Oportet aliquas substantias alias à sensibilibus esse*. Medium, quia aliàs non esset primum principiũ, nec ordo in rebus, vt assignatus est, nec generatio

perpetua,

perpetua, nec motores: sed semper vnius principij corruptibilis esset aliud principium corruptibile, & sic in infinitum, vt visum est aliquibus Metaphysicis, & naturalibus, & videtur hæc 75. esse eadem cum 49. huius.

96

76 Conclusio est, quòd *Opinio ponentium quasdam substantias separatas & numeros, est inconueniens.* Medium est quadruplex. Primum ibi, *Si autem essent.* t.c. 56. scilicet, quia talia non possunt esse principia rerũ, vel saltem non sunt principia motus, cùm sint vniuersalia. Secundum ibi, *Adhuc quomodo*, scilicet, quòd secundùm hoc non videtur posse assignari principium magnitudinum, cùm non fiant ex non continuis. Non enim potest dici, quòd numerus sit principium efficiens, vel formale ipsarum magnitudinum. Tertium ibi, *At verò nullum*, scilicet, quia circa Ideas & numeros non innuitur contrarietas, sicut principium agendi, nec sicut actu mouentia, seu agentia; inde sequeretur ipsa principia non esse actu, sed potentia, & ita generatio non esset perpetua & ipsa generabilia, contingentia, nec etiam semper: sed continuantur, vt scilicet fuit conclusum 35. huius; ergo oportet dare aliqua principia rerum. Quartum ibi, *Adhuc quomodo*, est quòd per istam positionem, non ostenditur propter quam causam numerus sit aliquod vnum, vel propter quod anima & corpus, & generaliter forma & materia fiant vnum; nisi dicatur sicut dixit Aristoteles 22. octaui huius.

77 Conclusio est, quòd *Opinio dicentium diuersos esse ordines rerum, & in quolibet ordine esse aliquod principium, sicut fuit opinio Pythagoræ, posita in fine 1. partis septimi,* t.c. 5. *est falsa.* Medium duplex. Primum ibi, *Dicentes autem*, scilicet quia tunc substantia vniuersi esset inconnexa, quod est contra 66. huius. Secundum ibi, *& principia*, scilicet, quia tunc non esset vnum rerum principium, sed multa.

Q. 3. 2. d. 1. Theor. 15. OcKam coniunctione 2. Centologij. Sententia supra ex 2 Iliados Homeri, vt in textu notaui.

78 Conclusio est, quòd *Vnus est princeps totius vniuersi.* Medium, quia entia particularia volunt esse benè disposita, vnumquodque secundùm naturam suam; nec pati dispositionem sibi contrariam; ergo multo magis erit dispositio bona in toto vniuerso. Sed contra bonitatem dispositionis est multitudo principiorum, sub aliquo vno non contentorum: sicut esset inconueniens esse diuersas familias sibi inuicem non communicantes; oportet ergo totum vniuersum esse sicut vnum regnum, vel sicut vnus principatus, & quòd ab vno Rege, seu Principe gubernetur, qui est Deus altissimus. Primò, præmittit medium huius 78. ibi, *Entia verò nolunt*. Secundò, infert eandem ibi, *Vnus ergo princeps*, qui est benedictus in sæcula.

97

Finita iam collectione Conclusionum illarum Metaphysicæ, quas assignare curabam, quæ sunt in vniuerso 378. nunc superest dubitationum solutiones, quæ in principio vndecimi motæ fuerunt subiungere, passúsque huius scientiæ ex quibus solutiones huiusmodi possunt haberi (provt memoriæ occurrunt) annotare, ex quibus etiam dubitationibus, si diligenter inspiciantur, patebunt nihilominus solutiones illarum rationum, quæ contra dubitationes illas continentur in textu, contra arguentes. Est ergo veritas dubitationis primæ, quòd *Sapientia est vna scientia, scilicet scientia vniuersalis, quæ considerat ens, & principia eius, & contrarietates eius communes*, vt

Veritas 1. quæstionis.

idem, & diuersum, prius, & posterius, & similia, vt haberi potest ex 5. 6. & 7. conclusionibus primi, & ex 8. quarti, & ex 1. sexti, & ex 7. vndecimi. Secundæ autem dubitationis veritas est, quòd *Vna est scientia; scilicet Metaphysica, quæ principaliter considerat principia demonstrationis prima*: cùm ad ea pertineat consideratio communium, quæ sunt termini istorum principiorum, sicut ens & non ens, totum, & pars, & huiusmodi. Hæc autem veritas planè habetur ex decima 4. libri, & ex octaua vndecimi. Tertiæ autem dubitationis; & simul quartæ veritas est, quòd *Vna scientia, scilicet hæc, est de omnibus substantiis, & accidentibus*: Licèt sit principaliùs de substantiis, & inter substantias principaliùs agit de substantiis separatis, & insensibilibus, & de omnibus istis, inquantum hæc omnia conueniunt in vno genere, seu potiùs in vno generali subiecto, quod est ens. Hæc autem patet ex 3. & 4. quarti, & fine primæ partis quarti, & septima vndecimi. Veritas quintæ dubitationis hæc est, quòd *Hæc scientia considerat omnia genera causarum*: De efficienti, & materiali, & finali simul patet ex 5. parte septimi: de materiali, & formali diuisim per totum octauum: de finali autem patet ex vndecima primi, & ex 36. 38. 64. 65. 66. duodecimi, & in 36. duodecimi huius soluitur argumentum in contrarium factum: de mouente, siue efficiente; patet ex 16. 30. 55. 56. duodecimi, & ex nonnullis aliis eiusdem libri; & de omnibus causis insimul patet ex 2. parte 2. libri.

Veritas 2. quæstionis.

Veritas 3. quæst. & 4.

Veritas 5. qu.

98

Veritas 6. qu.

Veritas sextæ dubitationis est, quòd *Licèt hæc scientia principalius agat de substantiis separatis*; tamen de omnibus considerat, quamuis non de sensibilibus, inquantum sunt sensibiles, & mobiles, hoc enim proprium Physici est: sed inquantum sunt substantiæ, vel inquantum sunt entia, & hoc patet ex 36. septimi, & in primo libro in oppositionibus in illo capitulo ibi, *quicunque quidem igitur vnum*, text. com. 11. in fine, scilicet ante illud capitulum, *Pythagorici quidem igitur vocati*, text. com. 19. vbi dicit, *quicunquè verò de omnibus*. Veritas septimæ quæstionis est, quòd *Mathematica non sunt separata secundùm rem à sensibilibus, quamuis separentur secundùm rationem ab eis.* Et hoc patet in principio 13. libri, vbi de hoc disputant vsque ad illud capitulum *De ideis autem*, text. com. 2. Veritas octauæ quæstionis est quòd *Cùm nulla scientia particularis demonstret, quod quid est sui proprij subiecti, nec si est, vt patet ex 2. & 3. sexti, relinquitur, quod ad hanc scientiam, quæ principia aliorum considerat, pertineat de eis inquirere*, sicut concludebatur in eadem octaua dubitatione circa principium vndecimi. Vnde ratio hoc concludens ibidem est vera. Veritas nonæ dubitationis est, quòd *Hæc scientia non solùm considerat communia: sed etiam principia rerum intrinseca*, scilicet materiam, & formam, sicut patet ex solutione quintæ. Considerat autem hæc intrinseca non solùm singulariter: sed & vniuersaliter. Veritas decimæ est, quòd *Vnum & ens non sunt genera, sed analogicè*, sicut patet ex 2. quarti, 42. septimi, & ex 12. & 13. decimi, & ex prima vndecimi. Veritas vndecimæ est, quòd *Provt vniuersalia sunt principia, scilicet in cognoscendo: genera sunt magis principia, quàm species*, cùm species diffiniantur per ea, & non èconuerso, sicut patet ex 38. septimi: sunt enim simpliciora. Quod enim genera diuidantur in plura, hoc

Veritas 7. qu.

Veritas 8. qu.

Veritas 9. qu.

Veritas 10. q.

Veritas 11. q.

hoc est, quia continent plura in potentia, sed species plura in actu; species tamen sunt magis diuisibiles per modum resolutionis compositi in simplicia. Veritas duodecimæ est, quòd *Nihil est in rerum natura existens præter singularia*, sicut patet ex 39. & 40. septimi, & ex 18. duodecimi, sed omnia vniuersalia sunt in consideratione intellectus abstrahentis communia à propriis. Vnde de rebus non vniuersaliter existentibus, sed vniuersaliter consideratis sunt scientiæ. Veritas 13. & 14. est, quòd *Aliqua substantia separata à sensibilibus est, scilicet primi motoris*, sicut patet ex 4. parte, & ex 14. conclusione septimi, & 6. par. 12. libri, & ex 75. conclus. eiusdem: non tamen sunt ideæ rerum sensibilium, vt Platonici posuerunt; quorum positio improbatur 1. libro, in oppositionibus versus finem in illo capitulo, *Qui verò ideas posuerunt*, tex. com. 25. Improbatur etiam 14. 23. 24. 38. 39. & 40. conclus. septimi, & in 4. parte octaui, & 22. conclus. noni, & in 3. parte decimi, & in 11. 21. 29. 76. conclus. duodecimi, & latiùs in 13. & 14. libris Met.

Veritas 12. quæstionis.

Al. 29.

Veritas 13. & 14. quæstionis.

99

Veritas 15. quæst.

Veritas 16. quæst. hic non ponitur, quia

Veritas quintædecimæ est, quòd *Forma est magis principium, quàm materia, & perfectius*, vt patet ex 5. libro, vbi distinguitur nomen naturæ, & ex 4. septimi, sicut & actus est prior, & principalior quàm potentia, vt patet ex 3. parte noni, & 24. conclus. duodecimi. Veritas 17. 18. & 19. est, quòd *Nec vnum, nec ens, nec Mathematica, nec linea, nec superficies sunt principia rerum, cùm non sint substantiæ*, sicut patet ex 42. septimi, & 51. vndecimi, & ex principio duodecimi libri. Veritas vigesimæ est, quòd *Prima principia rerum sunt substantiæ*, sicut patet ex 4. 5. & 6. parte duodecimi, & de substantiis vniuersaliter compositis potest esse scientia quædam, & substantiæ simplices, & insensibiles, & separatæ pertinent ad cognitionem intellectualem, & scientialem, cùm & imaginationem excedant. Veritas vigesimæ primæ, est sicuti in 3. parte duodecimi libri, patet, quòd *Principia rerum intrinseca, scilicet materia, & forma, diuersa sunt in diuersis*: sed principium extrinsecum, quod est primum mouens, vnum est omnium, quamuis mouentia secunda, siue causata sint diuersa, quod quidem mouens primum est vltimus finis, qui est Deus gloriosus. Ipse namque, sicut ex 32. 33. 35. 39. 78. conclusione duodecimi, est Primum mouens immobile, primum intelligibile, primum appetibile, cæli naturæque principium, ac totius denique Princeps vniuersi, & quomodo ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi honor, & gloria in sæcula sæculorum.

Amen.

ex veritate 21. haberi potest.

Veritas 17. 18. & 19. quæst.

Veritas 20. quæst.

Veritas 21. quæst.

Finis Conclusionum Metaphysicarum.

R. P. F.

IOANNIS DVNS SCOTI

DOCTORIS SVBTILIS ORDINIS MINORVM

Quæſtiones ſubtiliſſimæ, in Metaphyſicam Ariſtotelis.

Cum Annotationibus

R. P. F. MAVRITII DE PORTV HIBERNI eiuſdem Doctoris fideliſſimi quondam interpretis.

Nouiter recognitæ, ab infinitis vitiis, & mendis, quibus vbique ſcatebant, caſtigatæ, Notis marginalibus, Scholiis, & Summariis in textum inſertis, magno labore exornatæ.

Per R. P. F. HVGONEM CAVELLVM HIBERNVM Ordinis Minorum in Conuentu Sanctæ Mariæ de Aracæli in Vrbe S. Theologiæ primarium profeſſorem emeritum.

Quibus in hac impreſſione adduntur liber decimus & duodecimus qui hucuſque deſiderabantur.

R. P. F.

LVCÆ VVADDINGI
HIBERNI

De Quæstionibus Doctoris subtilis in Metaphysicam.

CENSVRA.

N*VLLVS circa istud opus scrupulus occurrit, omnes Scoti esse fatentur. Circa tempus duntaxat aut scriptionis ordinem dubium inde exoriri potest, quòd in Commentariis Oxoniensibus in Magistrum Sententiarum, opus hoc, & vicissim in isto opere Commentarios citet Oxonienses. In 4. dist. 11. quæst. 3. §.* Secundùm hoc ad primam rationem, *citat se in lib. 9. Metaphys. & quod ibi ait: ad vltimam formam, si simul tempore cum aliis formis introducitur, non esse mutationem, tractat lib. 9. quæst. 14. numero 9. vbi ad veram mutationem docet requiri, quòd priuatio duratione præcedat formam. Deinde lib. 5. Metaphys. quæst. 7. numero 15. citat Distinctionem XIII. libri secundi Sententiarum, & numero 17. Distinctionem XVII. Libri primi. At sæpè occurrit, vt notat Mauritius hoc loco, Scotum citare in aliis operibus, quod communiter in talibus libris, vel librorum distinctionibus, siue capitulis, non à se, sed ab aliis tractatur; idque ex ipso modo citationis colligi potest; his enim vtitur verbis* dicitur, tractatur, ponitur, *non se dixisse, tractasse, posuisse, aut exposuisse refert, atque ita eo loci ait* ponitur Distinct. XIII. secundi lumen esse

ſpeciem lucis. *Itaque ante Commentarios Oxonienſes, quæſtiones has eum ſcripſiſſe opinor, ſed poſt alteram elucubrationem in Metaphyſica textum, in comperto eſt; quippe illam frequenter in hoc opere citat, vt videre licet ex libro 7. quæſt. 1. ad primum, & quæſt. 7. numero 3. & quæſt. 19. ad primum, & lib. 8. quæſt. 4. §.* Ideò aliter. *Opus eſt doctiſſimum, & luculentiſſimum, ſed incompletum: hucuſque enim circumferebantur quæſtiones in nouem duntaxat libros priores; de reliquis, quæ in hac impreſſione adduntur, meum iudicium ad eaſdem præfigam.*

INDEX

INDEX QVÆSTIONVM IN METAPHISICAM.

LIBRI I.

LIBRI II.

LIBRI III.

LIBRI IV.

LIBRI V.

LIBRI VI.

LIBRI VII.

LIBRI VIII.

LIBRI IX.

LIBRI X.

LIBRI XI. desideratur.

LIBRI XII.

Vtrùm

R. P. F.

IOANNIS DVNS SCOTI

ORDINIS MINORVM

Quæstiones subtilissimæ super libros Metaphysicorum Aristotelis.

Cum Annotationibus F. MAVRITII de PORTV, *Hiberni, eiusdem Ordinis.*

Adiectis scholiis, & notis R. P. F. HVGONIS CAVELLI, additísque libris duobus qui hucvsque desiderabantur.

PROLOGVS.

OMNES *homines naturâ scire desiderant.* In principio Metaphysicæ, quam præ manibus habemus, præmittit Philosophus hanc propositionem, dignitatem & nobilitatem huius scientiæ continentem, sicut patebit ex processu. Ad quod videndum. Primò propositio in se est declaranda. Et secundò ad conclusionem intentam est applicanda.

Declaratur autem propositio ista dupliciter in genere, videlicet à posteriori, & à priori. A posteriori declarat eam Philosophus in litera per signum quoddam, dicens: *Signum autem est sensuum dilectio: præter enim vtilitatem, propter seipsos diliguntur.* Quasi dicat: sensus naturaliter diliguntur, non solùm inquantùm vtiles ad vitæ sustentationem; sed inquantùm cognoscitiui. Quod probat in litera per hoc, quòd ille sensus maximè diligitur naturaliter, qui maximè est cognoscitiuus, videlicet visus, quem dicit maximè cognoscitiuum, propter duo, propter cognitionis certitudinem, & cognitorum multitudinem. Certitudo prouenit ex immaterialitate: quanto enim virtus cognoscitiua est immaterialior, tanto est in cognoscendo certior. Plura etiam obiecta per hunc sensum cognoscuntur: quia omnia corpora tam superiora, quàm inferiora, lucem, vel colorem participant: non autem alias qualitates sensibiles, tangibiles, scilicet & audibiles, & huiusmodi. Est igitur virtus probationis Aristotelis in hoc: Si magis naturaliter diligimus sensus magis cognoscitiuos, non propter vtilitatem vitæ tantùm, sed propter cognitionem; ergo scire magis naturaliter desideramus; quia hæc cognitio est nobilior cognitione sensitiua, & cognitio nostra sensitiua finaliter ad hanc ordinatur.

Vnde visus est perfectior aliis sensibus?

2 Declaratur secundò propositio præassumpta à quibusdam à priori, siue à causa tripliciter. Primò sic: omne imperfectum naturaliter appetit suam perfectionem, sicut haberi potest ex 1. Physic. *cap. vlt. tex. c.* 81. Anima autem hominis de se imperfecta est secundùm intellectiuam potentiam, cùm sit velut tabula nuda, in qua nihil depictum est secundum Philosophum 3. de Anima, tex.com.14. ergo naturaliter desiderat scire, quod est perfectio eius secundùm hanc potentiam. Secundò declaratur eadem sic: Vnumquodque naturaliter appetit suam propriam operationem, vt graue moueri deorsum: propria autem operatio hominis est intelligere, quia per hoc ab aliis distinguitur; ergo, &c. Tertio sic: Vnumquodque natu

Vnumquodque suam appetit perfectionem.

naturaliter appetit coniungi suo principio: homo autem coniungitur substantiis separatis per intelligere, sicut probat Philos. 10. Eth. c. 10. quia in speculatione veritatis maximè assimilamur substantiis separatis, & in hoc concludit beatitudinē nostram consistere; ergo homo naturaliter appetit scire.

Sed non videtur quòd istæ tres probationes eo modo, quo valent, multum distinguantur ab inuicem: quia sicut est duplex actus; primus, & secundus, vt patet 2. de Anima: text. c. 2. & 5. ita est duplex perfectio; prima, & secunda. Prima quidem est forma, vel habitus; secunda est operatio: & vnumquodque naturaliter appetit vtramque perfectionem, cùm operatio sit finis habitus. Hæc ergo propositio: *Vnumquodque naturaliter appetit suam perfectionem:* concludit propositum tam de scientia, de qua processit prima ratio, quàm de intelligere, de quo processit secunda; nec videtur esse aliqua necessitas secundæ, quare operatio naturaliter appetatur, nisi quia est perfectio. Præterea sicut potentia dicitur æquiuocè de potentia essentiali, quæ est ad formam, & accidentali, quæ est ad operationem; vt patet 2. de Anima: tex. c. 55. ita videtur esse æquiuocè desiderium, illud quod est ad formam, & illud quod est ad operationem consequentem formam; quia in primo non potest habere desiderans ex se desideratum sine actione alicuius extrinseci agentis: in secundo autem potest amoto impedimento: si igitur prima probatio & secunda concludant hanc propositionem esse veram, tāquam distinctæ probationes; sequitur quòd in hac vna propositione accipiatur desiderium æquiuocè, quando dicitur: *Vnumquodque appetit,* &c. Item tertia probatio non videtur differre à secunda, quia homo non est natus coniungi suo principio, nisi per operationem: nec videtur esse alia ratio desiderandi operationem & talem coniunctionem.

4 *Tres istæ rationes sunt D. Th. hîc inter quas ostēdit Doctor. vnam tantum valere.*

Ex his igitur tribus probationibus potest colligi vna talis: Vnumquodque naturaliter appetit suam perfectionem tam primam, quàm secundam; primam tanquam suam propriam formam; secundam tanquam suam propriam operationem, per quam etiam coniungitur suo principio; ergo homo naturaliter appetit scientiam, quæ est perfectio prima: & intelligere, quæ est perfectio secunda, per quam coniungitur suo principio. Et eodem desiderio vel saltem vniuocè dicto, sicut exponetur postea: appetitur scientia immediatè & intelligere mediante scientia: quod quidem desiderium correspondet potentiæ essentiali; quia non habens formam est in potentia essentiali ad actum primum & secundum. Eodem etiam desiderio essentiali potest appeti immediatè operatio, vt finis, & forma propter finem, quando neutrum habetur, vel saltem desiderio vniuocè dicto. Fortè enim non est eadem volitio entis ad finem, & finis, vt vtrumque est illud quod appetitur, sed tantummodo vt finis est, quo aliud appetitur: sicut color & lux non vnica visione videntur vt obiecta, sed vt vnum est *quo*, alterum *quod*. Alio autem desiderio & æquiuocè dicto appetitur scientia immediatè, & intelligere immediatè: loquendo de desiderio accidentali. Primum correspondet potentiæ essentiali, secundum accidentali. Primum potest dici desiderium ad formam: secundum desiderium consequens formam. De obiectionibus quibusdam contra hanc propositionem videbitur in quæstionibus. Tantùm sufficiat de declaratione propositionis.

Quomodo color et lux vna visione videntur?

SCHOLIVM I.

DIGNITATEM *Metaphysicæ probat, quia eius obiecta sunt prima & certissima. Quoad primam partem, id intellige de primitate cognitionis actualis distinctæ: hac enim cognitione, quò aliqua sunt superiora, eò sunt priùs cognita. Acquiritur enim cognitio distincta per diffinitionem, quæ inquiritur per diuisionem, incipiendo ab ente, vsque ad conceptum definiti. Ens ergo, circa quod præcipuè versatur Metaphysica, est omnium primum cognitum hac via. Verùm cognitione confusa, id est, qua res concipitur, vt exprimitur per nomen, & non vt exprimitur per diffinitionem, obiecta Metaphysicæ sunt vltima, quia primum cognitum hac via, est vltima species; & ideò ex Auicenna 1. Met. c. 3. Metaphysica est vltima scientia in ordine doctrinæ, de quo vide Doctorem 1. dist. 3. q. 2. §. Ad 2. quæst. n. 22. 24. Quoad secūdam partem, etiam patet, quia principia Metaphysicæ, vt,* Quodlibet est, vel non est, *& similia sunt magis certa, quàm aliarum scientiarum principia; magis enim repugnat eis subesse falsum, de quo vide Scot. 1. d. 3. q. 4. art. 2. vbi agit de veritatibus sinceris contra Henr. Tres rationes, quas docet n. 3. vnam tantùm valere, sunt D. Thomæ hîc; contra quas agunt Anton. Trombeta lib. 1. quæst. 2. & Antonius Andreas, quæst. 2. ad 3. principale.*

5 *Maximè scibile dupliciter sumitur.*

Nunc autem propositio ipsa est ad propositum applicanda, videlicet ad ostendendum dignitatem & nobilitatem huius scientiæ sic: Si omnes homines naturâ scire desiderant: ergo maximè scientiam maximè desiderabunt. Ita arguit Philosophus *primo huius cap.* 2. & ibidem subdit, quæ sit maximè scientia: illa, scilicet, quæ est circa maximè scibilia. Maximè autem dicuntur scibilia dupliciter: vel quia primò omnium sciuntur sine quibus non possunt alia sciri: vel quia sunt certissima cognoscibilia; vtroque autem modo ista scientia considerat maximè scibilia; igitur hæc est maximè scientia, & per consequens maximè desiderabilis. Probatio minoris, quantùm ad vtramque partem. Quoad primam partem sic: Maximè scibilia primo modo sunt communissima, vt est ens inquantum ens, & quæcunque sequuntur ens inquantum ens: dicit enim Auicenna 1. Metaphys. cap. 5. a. quòd *ens & res imprimuntur in anima prima impressione, quæ nō acquiritur ex aliis notioribus se.* Et infra b. *Quæ priora sunt ad imaginandum per seipsa, sunt ea quæ communia sunt omnibus: sicut res & ens & vnum*; & ideò non potest manifestari aliquod horum per probationem, quæ non sit circularis: hæc autem communissima pertinent ad considerationem Metaphysicę secundùm Philosophum in 4. huius in principio: *Est enim scientia quæ speculatur ens inquantum ens, & quæ huic insunt secundùm se,* &c. Cuius veritas, vel necessitas potest sic ostendi: Ex quo communissima primò intelliguntur, vt probatum est per Auicennam, sequitur quòd alia specialiora non possunt cognosci, nisi illa communia priùs cognoscantur, & non potest istorum communiū cognitio tradi in aliqua scientia particulari: quia qua ratione in vna, eadem & in alia, cùm ens & vnum dicantur æqualiter de omnibus, 10. *huius, cap.* 3. *b.* tex. comm. 7. & 8. & ita idem multoties inutiliter repeteretur: igitur necesse est esse aliquam scientiam vniuersalem, quæ

Communiora sunt priùs nota.

per

Etymologia Metaphysices.

per se consideret illa transcendentia, & hanc scientiam vocamus Metaphysicam, quæ dicitur à *meta*, quod est trans, & *physis*, scientia, quasi transcendens scientia, quia est de transcendentibus.

EXTRA.

Sed ista probatio non videtur efficax, quia ens per prius dicitur de substantia ex 4. huius, & vnum similiter si est transcendens: Si autem vnum est tantùm in genere Quantitatis, vt dicetur infrà in quæstione quadam super quartum, non sic æqualiter dicitur de omnibus. De intellectu propositionis huius require in quarto, in dubitationibus. Responsio, si ens æqualiter dicatur de omnibus tunc est probatio euidens. Sed si non æqualiter, sed primò de vno aliquo, igitur in ista scientia de illo primo tractabitur, & de his quæ sunt entis secundùm se & non in alia scientia, sed de aliquo posteriori, & ita vt priùs, vna erit scientia vniuersalis: non quia subiectum est vniuersale in prædicando, quia sic non differret à Logica, sed secundùm ordinem perfectionis.

Secunda pars minoris probatur sic: Certissima cognoscibilia sunt principia & causæ, & tantò secundùm se certiora quantò priora; ex illis enim dependet tota certitudo posteriorum: hæc autem scientia considerat huiusmodi principia & causas, sicut probat Philosophus 1. huius cap. 2. per hoc quòd ipsa est sapientia, vt patet ibi in litera. Sic igitur patet qualiter hæc scientia est circa maximè scibilia: ex quo sequitur quòd sit maximè scientia, & ita maximè appetenda, sicut priùs deductum est.

SCHOLIVM II.

7 Tres causæ Metaphysicæ.

EXPLICAT *optimè quatuor genera causarum Metaphysicæ, & rationes adducit suadentes ad vnamquamque earum pertinere rationem obiecti, de quo determinatè in sequentibus.*

Ex prædictis possunt elici tres causæ huius scientiæ; finalis scilicet, formalis, & materialis. De causa efficiente instrumentali non est magna cura, dummodò scientia sit benè tradita, dicitur autem fuisse Arist. Efficiens autem principale Deus est: de quo habetur 1. huius cap. 2. *Scientiam istam solus Deus maximè habet, etsi non solus habeat, quia diuinum non est natum inuidere*, quia inuidia non stat cum summa bonitate, propter quam bonitatem voluit Deus istam scientiam, sicut alias perfectiones communicare homini: *Omne enim verum à quocumque dicitur, à Spiritu sancto dicitur*, sicut in glo. ad Corinth. super illud: *Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Et Aug. 83. qq. q. 1. *Omne verum est à prima veritate verum.* Et Damasc. c. 91. *Si ab his qui foris sunt scilicet extra Ecclesiam, vtile quid fructificare poterimus, non obiiciendum est; purum & naturale aurum coaceruantes, contaminatum autem refutantes assumamus sermones optimos: Deos autem derisibiles & fabulas alienas canibus proiiciamus; plurimam enim ex ipsis aduersus ipsos fortitudinem habere poterimus.*

Omne verum à Spiritu sancto.

8 Finis Metaphysicæ duplex.

De causa finali sciendum quòd finis huius sciẽtiæ proprius, est operatio secundùm habitum istum, speculatio scilicet essentiarum rerũ, & præcipuè altissimarum causarum, & substantiarum separatarum, in quarum speculatione posuit Aristoteles felicitatem 10. Ethic. cap. 10. Finis autem extrinsecus sunt principia, causa, & substantiæ separatæ, quibus coniungitur intellectus noster, mediante habitu huius scientiæ. Non autem ordinatur hæc scientia ad aliquam aliam tanquam ad finem, sed aliæ ad ipsam: vnde non est vtilis ad aliam, secundùm Philosophum in litera, prout vtile propriè dicitur ordinatum ad finem: Sed est qualibet scientia vtili dignior & nobilior, tanquam finis.

Metaphysica est finis aliarum scientiarum.

9

De causa formali notandum, quòd causa formalis huius scientiæ est modus procedendi, qui hîc sicut in aliis libris triplex est, diuisiuus, diffinitiuus, & collectiuus. Proprium autem huius scientiæ est, diuidere & diffinire per essentialia simpliciter, & colligere, seu demonstrare per causas essentiales simpliciter priores & notiores, & maximè per causas altissimas.

EXTRA

Contrà: dicitur infra quòd omnis scientia diffinit & demonstrat per essentialia, vel priora. Responsio: concedo, sed proprium est huius scientiæ demonstrare per causas vniuersalissimas, & passiones vniuersalissimas, & per essentialia cuiuslibet, non inquantum huius; sed inquantum substantia, vel accidens, &c. hoc tamen est dubium; quare de hoc in octauo, in dubitationibus.

Hoc modo est Metaphysica secundùm se scibilis: non tamen sic eam scimus, nec sic inuenitur ab Aristotele tradita: quære si in toto libro inuenias vnam demonstrationem Metaphysicam *propter quid*, quia propter impotentiam intellectus nostri ex sensibilibus & minùs notis secundùm se, deuenimus in cognitionem immaterialium, quæ secundùm se notiora sunt & tanquam principia cognoscendi: alia in Metaphysica essent accipienda.

10

Quæritur quæ causa sit subiectum in scientia? Quòd effectiua videtur, quia in eodem genere causæ est aliquid respectu potentiæ, & respectu habitus eius. Exemplum, vt bonum est finis respectu voluntatis & charitatis, quia habitus non variat rationem obiecti potentiæ, sed dat modum operandi: sed obiectum intelligibile videtur causa efficiens respectu intellectiuæ potentiæ, cùm sit passiua. Quòd autem sit finis respectu scientiæ, videtur, quia obiectum voluntatis est finis, ergo & scientiæ. Probatio consequentiæ: quod est finis finis, est finis ordinati ad finem: actus voluntatis est finis actus intellectus. Item cognitio subiecti principaliter intenditur, alioquin esset scientia particularis. Item, à fine denominatur vnumquodque, & à subiecto scientia: ergo, &c. Quòd autem subiectum habeat rationem causæ formalis respectu scientiæ, videtur; quia subiectum tribuit speciem, vnitatem, & ordinem, & dignitatem: hæc autem conueniunt formæ. Quòd autem habeat rationem materiæ communiter dicitur, sed est differentia, quia subiectum præcognoscitur confusè, & distinctè quæritur: materia nullo modo præcognoscitur in actu, sicut materia & subiectum in materialibus. Similiter à subiecto habet scientia vnitatem & distinctionem & ordinem, & necessitatem, non autem à materia.

Quod subiectum metaphysicæ?

De causa materiali notandum, quòd non loquimur de materia scientiæ *ex qua*: cùm accidentia talem materiam non habeant secundùm Philosophum *in 8. huius, capite 5.* textu comment. 13. & 14. nec de materia in qua: Illa est enim anima, & hoc secundùm potentiam eius intellectiuam. Sed loquimur de materia *circa quam* est scientia: quæ dicitur à quibusdam subiectum scientiæ, vel magis propriè obiectum: sicut & illud circa quod est virtus, dicitur obiectum virtutis propriè, non subiectum. De isto autem obie

obiecto huius scientiæ, ostensum est priùs, quòd hæc scientia est circa transcendentia:ostensum est enim quòd est circa altissimas causas. Quod autem istorum debeat poni proprium eius obiectum variæ sunt opiniones: ideò de hoc inquirendum.

Epistola procemialis Mauritij.

Mauritius Hibernicus Ordinis Minorum, Antonio Trombeta Theologorum maximo eiusdem Ordinis, cum obseruantia, Salutem.

11 ETsi antea Honoratissime Pater, Quęstiones Metaphysicas Ioannis Scoti, quæ tot annis, nescio ne temporis iniuriâ an hominum negligentiâ, siue etiam earundem difficultate, quasi abiectæ in occulto latitabant, Ant. Andreas eius discipulus, vt erat magni ingenij, exquisitæque doctrinæ, acutè sciteque castigauit primaria præceptoris sui dicta accuratè eligendo, ac in ordinem resolutum fideliter dirigendo. Ego tamen nuper cùm in id opus Scoti incidissem ægrè ferens rem tam præclaram optimámque à re literaria exulare è situ, tenebrísque in apertum lucémque vendicaui: ídque Petro Barocio Patauino Præsuli dicatum esse volui. Huic adiunximus opusculum eiusdem Scoti de Primo principio, & Theoremata. Bone Iesu, cum quanto labo[r]e[m] tum ob exemplaria vetera, mendosa, rara, tum quòd sensa ipsa breuia sunt & occulta, & quibus, nisi totus adsis, facillimè hallucineris. Neque id arroganter à me factum existimes velim: mouit enim nos, & Doctoris Scoti conterranei mei singularis beneuolentia, & eius doctrinæ, cuius lacte ab incunabulis sum nutritus, amor non mediocris. Adde quòd ex hac re & religioni nostræ plurimũ decus accedere intelligebam: & Scoti sectatoribus maximã vtilitatem. Etsi enim quod Aristoteles obscuriùs, pressiúsque scripserit, Themistius, Alexander, Simplicius & vt de nostris dicam, Albertus ille cognomento Magnus, ac alij plerique additis, aut immutatis verbis clariùs, fusiúsque tractarunt, Quis tamen Peripateticorum his riuulis sitim sibi exhaustam putet, nisi latices ex ipso Aristotelico fonte degustauerit? Vtcumque Antonius Andreas, vt in Dialecticis, ita hîc & obscuriora, & difficiliora prætermisit.

Scot. & Mauritius conterr: nei: ergo Hiberni.

12 Accedit ad hoc quòd verba ipsa Scotica habent nescio quid latentis energiæ, quo fit, vt qui se huius viri discipulũ appellari cupit, is eius scripta legat, necesse sit. Quia autem multa in huiuscemodi quæstionibus pertractantur adeò ardua, difficiliáque & ferè supra vires humanæ facultatis inuenta, textúsque ipse variè correctus erat, nunc additione, nũc detractione vt moris est antiquis scriptoribus id in margine annotantibus, non modica perplexitate anxius erã. Verum quia tam excellẽtis ingenij hominem nihil frustrà, vel cogitasse, vel scripsisse arbitrabar omnia suis locis apposui, multa additione, aut extractione signare volui, plura etiã omisi, ab aliis tamen apposita, quæ omnia infra huic opusculo ingessi: ne quid à tam excogitato, elaboratóque opere detractũ esse videatur. Loca verò, seu auctoritates Aristotelis, Auerroïs, aliorúmque sapientum, confusè olim more antiquo adducta, propter curiosos huius temporis Scholasticos (vtinam ita doctos) in margine quibusdam literis annotauimus: laboriosa ea quidem; & vt videtur proteruientis industriæ.

15 Ad maiorem tamen operis elucidationem, compendium, quod sequitur ad finem earundẽ quæstionum apposui, quas castigationes Scoticæ Metaphysices placuit inscribere: in quo quidem opusculo & mendas omnes, & consentanea inter se dicta, vt hîc, ita alibi: & responsiones quorundam dubiorum more suo alibi quærendas, atque argutias, seu instantias (vt aiunt) ab aduersariis notandas, euacuandásque opiniones quoque & opinantes non expressos, quantum mihi per librorum inopiam, datum est: & denique vbicunque, vel additio, vel extractio signari solet, ea diligentia, qua potuimus, annotauimus. Cùm autem huic nostræ lucubratiunculæ patronum inquirerem, qui & literis & auctoritate plurimùm valeret, tu te mihi, Honoratissime Pater, in primis obtulisti, qui & dignitate amplissimus, & doctrina eruditissimus, & esses, & diceretis. Sed vt in te multa prætermittam, quis in Scoticis disciplinis, in quibus Patauij tot annis publicè doces, atque decertas, siue id Philosophiæ sit, seu Theologiæ, tibi conferri potest? quis iudex in his rebus sincerior? quis censor grauior? quis defensor acrior? quis castigator politior? Ea igitur, quæ ego (vt ingenue fatear) per ingenij sideratıonem, imbecillitatémque inchoaui, non vt tibi aliquo modo præirem, sed magis vt te ad maiora concitarem, tu absolues, atque consummabis. Interea tamen accipe has mei laboris primitias, quæ tuo munitæ præsidio cauillatores, calumniatorésque tanti facient, quanti Indus elephas culicem. Munusculum id quidem

perexi

perexiguum est, sed quod tibi plures deuinciet, cum tuis auspiciis se opus egregium consecutos animaduerterint. Vale. Ex Vtino, Kalendis Septembribus.

ANNOTATIO MAVRITII *in Prologum Doctoris.*

14

QVoniam vt inquit Philosophus 6. Topic. c. 2. *Omne obscurum quod inusitatum*, & 5. Topic. c. 3. *Quod multipliciter dicitur obscurum facit quod dictum est*: quare cùm Quæstion. Metaphys. Doctoris subtilis de Primo principio, tractatum, atque Theoremata ipsius impressoriæ artis periti summi Dei prouidentiâ, & mei ingenioli lucubratiunculâ ad singulorum manus sint porrecturi, quæ hactenus rarissima erant in quibus ardua, & vt ita dicam, senticosa plurima & inaccessa minùs prouectis prærupta, ac multipliciter interpretanda inseruntur, pro communi scholasticorum vtilitate, pauca, quæ sequuntur, addere decreui. Quæ epitomata castigationum, seu correctorium, aut certè elucidarium quoddam legentibus erunt, vbi & literæ correctionem, & sententias principales, & vbi desunt responsiones, quas plerunque omisit, & opiniones varias diuersorum, vt potero suis in locis, discurrendo per modum tabulæ annotabo. Aliquando etiam concordantias necessarias, & instantias atque remissiones, & defendendi modum adiungam.

15 *Tria obseruanda in hac Metaphysica.*

Sed antequam ad literam Doctoris accedam, quædam generalia documenta probabiliter proponam, quorum primum est tale, videlicet quòd Quæstiones Metaphysicæ, & expositionem in ipsam priùs quàm in sententias scriptum Doctor subtilis edidit, quamuis oppositum censuerint plurimi Scotistæ, & probabilia plura pro eis sint, quod videri potest ex 37. dist. 3. q. vnica, art. 2. par. 2. & 11. d. 4. q. 3. art. 2. par. 2. vbi remittit dicta ad q. 6. & 9. Metaph. & si alicubi in quæstionibus Metaphys. inueniantur remissiones ad Sententias, in locis suis tangam, immò vt credo, in sæculo adhuc doct. artium, aut iunior hoc scripsit. Vnde problematicè in aliquibus locis incedit more bonæ indolis, & minimè arrogantis, maioribus & antiquis morem gerens, iuxta doctrinam Philos. 2. Cæli, & Mundi, t. c. 2. & licèt fundamenta propriæ viæ tetigerit pluribus in locis, & stabiliuerit, non tamen ita plerumque asseruit, & in vnam partem se penitus determinauit, sicut postmodùm fecit Religiosus & prouectior effectus, dum sententias legit. Ex quo corollariè sequi videtur, quòd stabilis doctrina huius viri maximè super Sententias habetur, vnde plurimi sequaces alia omnia paruifaciunt. Nihilominus, quia principia scholastica, vtpote Logicalia, & Metaphysicalia, atque Naturalia, quæ miro ingenio edidit iunior, iunioribus sensu antiqua, licèt voce tædiosa, absque quibus nemo rectè speculatur, in locis suis copiosiùs habentur, præmittenda & præuidenda sunt, & si ad vtramque partem interdum disputauit nobilitati animi, & excellenti ingenio attribuendum est, quod tamen in vno loco problematicè, in alio assertiuè inuenies, vt infrà sæpè patebit. Supra humanum ferè ingenium principia Logicæ, & Metaphysicæ tradidit, quæ qui attingere non valent, respuunt.

Priùs scripsit Scotus Metaphysicam, quàm Theologiam. Sapius est problematicus in Metaphysica Doctor.

Secundò notandum, quòd modum doctrinæ Aristotelis communiter imitatur, & breuitate & obscuritate, & vbi non est locus propriæ determinationis alicuius veritatis, famosè loquendo antiquos semper præponendo; & inde est quòd ea ex quibus sequi videntur contradictiones plurimæ in dictis eius minimè implicant, vt in locis suis tangam.

Tertiò, præmittendum, quòd non habentur communiter quæstiones eius in Metaphysicalib. nisi ad 9. lib. inclusiuè: & hoc vel quia imitatus est Auicennam; vel quia ea quæ sequuntur 9. librum sunt iam ferè habita in 5. & in aliis præter 12. qui Theologus est. Quare in Sententiis de materia 12. lib. disputauit, vt patet intuenti, in aliquibus tamen originalibus antiquis habentur quæstiones super omnes 12.

Licèt quædam in hoc opere videantur contradictoria, non sunt talia, & quare.

Nunc ad literam accedo; præmittitur communiter quæstionibus prologus, vel præfatio, vel introductio literæ, vel more antiquorum lectio, sicut variè in sequentibus Doct. ipsum nominat, vbi declaratur prima propositio textus, & tota illa litera patet clarè in expositione sua, quam communiter attribuimus Antonio Andreæ in principio.

Aduertendum ergo primò cùm dicit infrà: *Declaratur secundò à quibusdam à priori*; quòd illa est probatio Theologiæ in expositione sua hîc.

Quod infrà ibidem tangit in applicatione propositionis de cognitione vniuersalissimorum, declarabis sicut habet 3. dist. primi de primo cognito: & q. 10. primi huius.

Q. 2.

Ibidem posset dubitari ex dictis Auicennæ quæ notat, quòd scilicet ens, res, & vnum sunt communissima: & quòd nullum horum potest manifestari, nisi probatione circulari: cùm tamen *vnum* sit passio entis, passio verò per subiectum manifestetur, & de quo vide infrà in 4. huius q. 2. & q. 1. primi huius.

17

Ibidem parum post, notatur vnum extra ab illo loco, *sed ista probatio*, vsque ibi, *secunda pars minoris*, &c. litera tamen bona & notanda, vt alibi sæpè accidit in additionibus & extra; quare omnia inseruimus.

Intentio Doctoris in hoc prologo est reddere auditores attentos, nobilitatem & vtilitatem huius scientiæ manifestando, & dociles quatuor eius causas explicando; & secundùm hoc duo facit in hac parte 2. ibi. *Ex prædictis*, &c.

Ibidem infrà in particula de causa formali ibi, *Contra dicitur infrà*, &c. vsque ibi, *hoc modo Metaphysica*, &c. ponitur extrà, sed notanda litera, vt patet.

Ibi infrà in dubio 1. *Quæritur quæ causa sit subiectum*, &c. Quod dimittit insolutum, sed arguit pro omni causa: notabis pro resolutione ea quæ habet in prolog. qu. 3. soluendo argumenta principalia, & q. de praxi. & q. 13. quod. & q. 7. & 9. 3. dist. primi: veriùs enim dicitur causa efficiens & finalis quàm formalis & materialis, sed cognitio eius est potiùs finis propinquus formaliter saltem, quàm ipsum. Motiua pro causa formali faciliter soluuntur, aliud est dare speciem vnitatum & ordinem, & aliud formaliter esse tales: distingue etiam de dare intrinsecè & formaliter, & extrinsecè & virtualiter: potest enim appellari forma exemplaris saltem. Motiua pro causa materiali soluuntur ex distinctione materiæ, quam tangit. Similiter de causa finali pondera omnia verba Doctoris & sententias præclaras vbique in litera.

LIBER PRIMVS.

PRIMVS iſte liber eſt totus procemialis, in quo c.1. & 2. agitur de dignitate huius ſcientiæ in generali, & ſpeciali; in reliquis ſequentibus cap. tractatur de opinionibus varijs Philoſophorum de rerum principijs. Doctor diſputat decem quæſtiones procemiales, circa primam partem libri, non tractans illas opiniones de principijs rerum.

QVÆSTIO I.

Vtrùm ſubiectum Metaphyſicæ ſit ens inquantùm ens, ſicut ens poſuit Auicenna? vel Deus, & Intelligentiæ, ſicut poſuit Commentator Auerroës?

Ariſt.4 *Met.tex.*1. Commentat.*ibid.& lib.*3.*comment.*14. *& lib.*12.*comm.*1.Auicenna 1.*Met.cap.*1. Albert.Magn. 4.*Met.cap* 2.*&* 3. D.Thom.*ibid.lect.*1.Soncinas *ibid.q.* 10. Ægid 1. *Met.q.*5.Antonius Andreas *ibid.q* 1.*art* 3. Flandria *ibid.q.*1.*ar.*1.*& ſequen.* Fonſeca 4.*Met.cap.*1. *q.*9.*ſect.*1. Suar. *diſp.*1. *Met.ſect.*4. Hurtad. *ibid.diſp.*1. *ſect.*3. *&* 4. Meuriſſe 1. *Met. q.* 4. Auerſa q. 2. *Philoſ. ſect.* 5 *& ſeqq.*

1 QVòd neutrum probo, de ſubiecto ſcientiæ oportet notum eſſe ſi eſt, & quid eſt, ſecundùm Philoſ.1. Poſter.text. com.2.*a* & infra c.illo, *Difficile autẽ eſt noſſe*;t.c.24 ſed in iſta ſcientia, nec de Deo eſt notum: ſi eſt, vel quid eſt, nec de ente quid eſt: ergo,&c. Minor habet tres partes. Probatio primæ dupliciter. Primò ſicut probat eam Auicenna 1. *Metaph. c.*1.*b.* quia Deum eſſe, non eſt per ſe notum, cùm concludatur ex effectibus, 8. *Phyſic.&* 12.*Metaph.* nec eſt deſperatum cognoſci, quia ſigna habemus de eo; & etiam ſi ſit deſperatum, tunc non præcognoſcitur, nec inquiritur eius eſſe, in alia ſcientia, nec morali, nec doctrinali, & ſic de aliis, igitur inquiritur eius eſſe, in iſta ſcientia. Secundò probatur eadem pars minoris ſic: In ſecundo huius, t.c.5.& 6. probat Ariſtoteles ſtatum eſſe in cauſis efficientibus. Probat igitur primã cauſam efficientem eſſe: illa eſt Deus.

Probatio ſecundæ partis minoris, dupliciter: tum, quia Deus non habet quid, ſecundum Auicennam 8. *Metaph.* c. illo, opus eſt vt repetamus. *Primus non habet genus, nec quiditatem, nec diffinitionem, qui eſt altiſſimus & glorioſus.* Tum, quia ſi haberet quiditatem, illa non eſſet præcognita in hac ſcientia, quia ſecundum Philoſ. 2. huius c. 1. tex.com.1. *Sicut oculus nycticoracis ſe habet ad lumen diei, ſic anima noſtra intellectus ad ea quæ ſunt omnium manifeſtiſſima.*

EXTRA. 2 *Tum, quia Commentator dicit* 1. *Metaphyſicæ c.* 18 *a. diffinitio ſignat res terminatas in diffinito; nihil in Deo eſt terminatum, quia omninò infinitũ eſt.*

Probatio tertiæ, partis minoris dupliciter. Tum, quia ens eſt æquiuocum, ſicut dicit Porphyrius, cap. de Specie. *Si quis omnia entia vocet, æquiuocè nuncupabit.* Et de hoc ampliùs infrà, quando quæretur de vniuocatione entis 4. huius. Tum, quia ſi ſit vniuocum, eſt communiſſimũ, nec habens genus, nec differentiam; per conſequens nec diffinitionem: diffinitio enim indicat quid. Item, ad principale, omne ſubiectum habet paſſiones de ipſo demonſtrabiles ſecundùm Philoſophum 1. Poſter. vbi ſuprà: nec Deus, nec ens ſunt huiuſmodi: ergo, &c. Probatio primæ partis minoris. Tum, quia paſſio eſt extra eſſentiam ſubiecti: nihil eſt in Deo quod non ſit eius eſſentia: tũ quia Auic.8. Metap. vbi priùs: *Primus non habet qualitatẽ, nec quantitatem, &c.& non poteſt fieri demonſtratio de eo.* Probatio ſecundæ partis minoris. Tum, quia, vt priùs, paſſio differt eſſentialiter à ſubiecto; ens eſt de eſſentia cuiuſlibet: tum, quia paſſio prædicatur denominatiuè de ſubiecto, & ſubiectum de paſſione, non niſi per accidens: ens prædicatur in quid de quolibet, octauo huius, tex.com.vltim.

Item ad principale: ſubiectum cuiuſlibet ſcientiæ habet propria principia & partes ſecundùm Philoſ.1. Poſter.t.c.43.c.illo: *Certior autẽ eſt ſcientia*: nec Deus, nec ens eſt huiuſmodi: ergo, &c. Prima pars minoris patet, cũ Deus ſit primus & ſimpliciſſimus. Probatio ſecundæ partis, quia ſi ens inquantum ens, haberet principia, igitur quodlibet ens haberet principia, ſicut arguit Philoſ.1. Priorũ, c.de Reduplicatione, t.c.35. *Si iuſtitia eſſet bonum in eo quod bonum iuſtitia eſſet omne bonum.*

Ad oppoſitũ pro ente eſt Ariſt.4. huius, in principio vbi videtur manifeſtè ex intentione dicere q aliqua ſcientia ſpeculatur ens inquantũ ens, & illa nõ eſt aliqua particularis. Et Auic.l.1.Met.c.11.dicit. *Primũ ſubiectum huius ſciẽtiæ eſt ens inquantũ ens.*

Ad oppoſitũ pro Deo eſt Cõmentator 1. Phyſ. com.vlt.dicens, *Qui dicit quòd prima Philoſophia nititur probare entia ſeparabilia eſſe; peccat: genus enim entiũ ſeparatorũ eſſe, non declaratur niſi in naturali ſcientia: hæc enim entia ſunt ſubiecta prima Philoſophiæ, & impoſſibile eſt aliquã ſcientiam probare ſuũ ſubiectum eſſe, ſed cõcedit ipſum eſſe, aut quia eſt manifeſtũ per ſe, aut quia eſt demõſtratũ in alia ſcientia. Vnde peccauit Auicenna qui dicit Philoſ. primũ demonſtrare primũ principium eſſe.*

SCHOLIVM I.

ALLATIS *optimis argumentis ſuadentibus nec ens, nec Deum eſſe obiectum Metaphyſices; aliiſque oppoſitum probantibus: ponit ſententiam Auerroïs, tenentis Deum, & ſubſtantias ſeparatas eſſe eius obiectum; quam variis rationibus probat, & reſpondet rationibus in contrarium adductis n.* 1. *&* 2. *Nota quòd ait hîc ad ſecundum principale, proprietatem re diſtingui à ſubiecto in creatis; apud ipſum etiã in Theologia non eſſe certũ, quia q.*3 *.prol.ad* 2.*pro.q.*1. *&* 1.*d.*3.*q.*4.§.De ſecundis cognoſcibilibus,*n.*9.*idẽ ait quod hîc: ſed* 2.*d.*16.§.Quia via,*n.*17.*&* 4.*d.*13. *q.*1.*a.*3.*n.*35.*& expreſſius* 1.*d.*3 *q.*5.*ad* 2.*pro opin.n.*13.

oppoſitum

oppositũ tenet, & fauet 3. d. 17. sol. arg. & 4. d. 49. q. 10. vbi, & aliàs passim docet, inclinationes rerũ non distingui ab ipsis, quæ tamen videtur esse proprietates. Et hanc partem tenet communis Scotistarum. Vnde loca illa ex q. 3. prol. & d. 3. primi, explicari possunt de proprietate largè sumpta, pro accidente communi: quia secundo loco mentio est de tali herba, quòd sit secundùm suam speciem calida; & primo loco loquitur de passionibus correspõdentibus attributis: & tales in nobis sunt accidentia communia, vt bonitas, iustitia, &c. Verùm difficile est sic locum hunc interpretari, quia agitur de passione verè scibili; si tamen quis ita glosset, dicet non agi de passione scibili strictè; agitur secundo loco citato de herba secundùm speciem calida, & tamen calor non est passio eius strictè sumpta. Quod subiungit, in diuinis proprietates ratione distingui à subiecto, & in creatis realiter: intellige, ratione formali à parte rei, ne distinctionem formalem in diuinis neget, quam admittit 1. d. 2. q. 7. num. 43. & d. 8. q. 4. & passim. Dum autem admittit realem distinctionem in creatis inter proprietates, & subiectum, intellige de proprietatibus largè sumptis, vt dictum est.

4 *Prima sententia.*

Ad quæstionem istam patet quòd sunt opiniones: vna Commentatoris dicentis, quòd substantiæ separatæ, scilicet Deus, & Intelligentiæ sunt hîc subiectum, quod confirmatur. Primò auctoritatibus Aristotelis hîc in prooemio, vbi probat quòd sapientia est speculatiua circa principia prima, & primas caussas ex descriptione sapientiæ, & infrà ca. 3. t. c. 2. & 3. *Hæc scientia maximè diuina est, quia est diuinorum*; & infrà in 6 huius c. 1. distinguit Aristoteles tres partes scientiæ speculatiuæ, dicens Physicam esse circa inseparabilia & mobilia; Mathematicam circa immobilia & inseparabilia; primam verò Philosophiam circa separabilia & immobilia, cuiusmodi sunt substantiæ separatæ. Si igitur hæc distinctio scientiarum speculatiuarum sit conueniens, videtur quòd sit circa propria subiecta ipsarum, quia secundùm Philosophum 3. de Anima, t. c. 38. *Scientiæ secantur vt res*: hoc est, sicut subiecta considerata in scientiis. Item ibidem in 6. t. c. 2. vocat hanc sciẽtiam Theologiam, & probat dupliciter. Primò, quia si alicubi diuinum existit, in tali natura existit: hoc est, in immobili & separabili, quam dixit istam scientiam considerare. Secundò probat sic, quia honorabilissimam scientiam oportet esse circa honorabilissimum genus: hæc est honorabilissima, vt probatum est in primo; & genus substantiarum separatarum, est honorabilissimum: ergo, &c.

EXTRA.

Primo de Generatione, cap. 1. de his quantum decet, vel conuenit dicitur; de immobili Principio quidem alterius est, & primæ philosophiæ diuidere opus, &c.

5

Præterea confirmatur positio Commentatoris ratione, primò sic: Substantiæ separatæ non sunt nobis omnino ignotæ, cùm de ipsis multa signa habeamus: igitur cognitio earum traditur in aliqua scientia; non naturali, vel Mathematica; igitur in ista: cùm sint tantummodò tres partes scientiæ speculatiuę ex 6. huius, t. c. 1. Item, scientia considerans aliqua multa attributa ad aliquid vnum primum, maximè considerat illud primum, tanquam proprium subiectum, ad quod alia attribuuntur, vt dicit Philos. 4. huius, c. 1. t. c. 2. *Vbique verò propriè est scientia: ex quo alia dependent, & propter quod dicuntur*: sed prima causa est illud ad quod omnia entia attribuuntur; igitur de primo maximè propriè est ista scientia, vt de subiecto.

6

Secundùm istam opinionem respondetur ad rationes in contrarium. Ad primam, patet quòd minor est falsa, quoad vtranque partem: de Deo enim naturaliter & secundùm se notum si est. Et ad probationem in cõtrarium, dicitur quòd Deum esse desperatum cognosci non est, nec quæsitum in alia scientia, nec in ista, secundùm se, quamuis quoad nos, fiat notum ex effectibus, sicut procedit ratio; potest enim aliquod secundùm se notius, fieri nobis notum ex aliis notioribus nobis. Per hoc ad secundam probationem patet: illa enim demonstratio in 2. huius, non procedit nisi ab effectu, siue ille effectus sit medium naturale, siue Metaphysicum. Aliter ad secundam probationem dicitur, quòd in 2. huius non ostenditur esse de Deo, sed ostenditur status de causis efficientibus: & quamuis hæc duo conuertantur, tamen vnum potest esse præcognitum in scientia; aliud autem ostensum; sic diffinitio & passio subiecti conuertuntur, & tamen vnum est medium demonstrandi aliud. Aliter videtur Commentator respõdere com. vlt. 1. Physicorum, quòd Deum esse non ostenditur nisi in scientia naturali; & si ad hoc ostendendum fiat aliqua ratio in ista scientia, hoc non est, nisi assumendo aliqua ex ostensis in scientia naturali, sicut per expositionem eius patet 2. huius, *com.* 6. vbi exponit demõstrationem Aristotelis de statu in causis efficientibus, vbi dicit: *Declaratum est in naturalibus, quòd omne motum habet motorem*: & totam rationem pertractat de mouente & moto.

Deum esse an sit notum per se?

7

Per hoc patet ad primam probationem, quia Deum esse, quæsitum est in scientia naturali, non in ista. Ad secundam, quia illa demonstratio secundi huius procedit ex medio naturali; videlicet ex ratione mouentis & moti; non autem ex medio Metaphysico. Tertio modo responderi potest ad istas duas probationes, quòd benè potest aliqua scientia demonstrare suum subiectum esse; & hoc à posteriori, sicut in lib. Elenchorum demonstratur syllogismum sophisticum esse per simile: & similiter Priscianus lib. 1. Constructionum, ostendit orationem constructam esse per similem modum habendi syllabarum ad dictiones; & dictionum ad orationes: tamen nulla scientia demonstrat suum subiectum esse, demonstratione *propter quid*, & à priori. Ista tertia responsio concordat cum prima: declarat enim secundam partem eius. Similiter non videtur facere nisi ad secundam probationem. Vnde cùm requiratur præcognitio subiecti ante totam scientiam, quam præcognitionem nulla responsio ponit, nisi prima, sola illa est sufficiens ad vtramque probationem. Commentator enim tantùm fugit, si ponit Deum esse tantùm nobis præcognitum ex aliquo medio naturali; si autem ponit Deum esse simpliciter præcognitum ex tali medio; & hîc præsupponitur inquantùm sit cognitum, igitur scientia naturalis simpliciter erit prior ista, quia notissimo hîc, est aliquid ibi simpliciter notius.

Scientia demõstrat suum subiectũ esse, & quomodo? Scot. in prol. q. 3. ad 1. 2. q. num. 10.

8

Ad aliam partem minoris, de *quid est*, dici potest, quòd licèt non habeat *quid*, quod exprimitur per diffinitionem, quia tale *quid* est limitatum, cùm omnis differentia diffiniens habeat aliquam oppositam (omne autem habens oppo-

 situm

An Deus habet quid, vel diffinitionẽ?

situm est limitatum) tamen sicut Deus habet essentiam illimitatam, ita habet *quid* illimitatum. Primo modo potest exponi auctoritas Auicennæ præallegata, cùm dicit, *nec quiditatem*, &c. & subdit, *non habet diffinitionem*, & hoc loquendo de diffinitione propriè dicta, quæ est ex genere & differentia, quæ à Deo remouentur superiùs in eod. cap. Per hoc patet ad primam probationem. Ad secundam probationem, sicut priùs de *si est* secundùm primam responsionem, *esse* Dei est naturaliter præcognitum in ista scientia secundùm se, licèt non quo ad nos: ita de *quid est*; potest tamen vtrunque à posteriori in hac scientia manifestari, sicut dicit tertia responsio. Illa autem propositio secundi huius: *sicut oculus nycticoracis, &c.* concludit de notitia quiditatis quoad nos, non simpliciter. Vtrùm tamen illa similitudo debet intelligi quoad impossibilitatem, sicut quidam exponunt, aut quoad difficultatem; sicut dicit Commentator, dicetur in loco suo: vnde sicut ipse exponit eam, non est multùm hîc contra opinionem eius.

De hoc 1.d.3. q.2.ad 2. pro 3.quæst.n.19.

9

Ad secundam rationem principalem dicitur, quòd Deus habet multas proprietates, vt *esse appetibile, esse immobile, esse perpetuum*, & *primum mouens* & huiusmodi; hæc autem posteriùs aliquo modo concipiuntur secundùm se, quàm essentia Dei absolutè, quia dicunt respectum ad extra. Ad primam probationem, quòd non oportet semper proprietatem esse aliud essentialiter ab illo cuius est; licèt hoc semper sit in creaturis, vbi propter imperfectionem, habens non est quicquid habet, vnde est in eo compositio actus cum potentia: In Deo autem omnes perfectiones existentes illimitatæ, sunt idipsum quod essentia eius, propter summam simplicitatem, tamen quælibet ratione differt ab essentia, & talis differentia sufficit ibi inter proprietates & subiectum, sicut in creaturis differentia realis. Ad auctoritatem Auicennæ *non est de Deo demonstratio*, potest exponi, quia non per causam priorem, vel sic, per diffinitionem eius quæ sit medium, quia non habet diffinitionem.

An proprietas distinguatur à subiecto?

Ad tertiam rationem principalem. Ad maiorem dicendum quòd non oportet quodlibet subiectum habere principia priora se, sed principia proprietatum per quæ suæ proprietates sibi inhæreant: si de ipso sit demonstratio *propter quid*: de Deo autem solummodò est demonstratio *quia*: & ideò loco talium principiorum sumuntur effectus pro medio: per quos concludimus perfectionem Dei de Deo tanquam per medium notius nobis.

Subiectum scientiæ, an necessariò habet principia priora se?

10

Quòd autem dicit Philosophus subiectum habere principia & partes: Verum est vt in pluribus: non tamen est de necessitate subiecti scientiæ. Posset enim fortè de vnitate esse demonstratio Mathematica, quanquam sit primum in genere suo & indiuisibile, & ita in illo genere, nec habens principia, nec partes. Aliter dicendum, quòd subiectum scientiẹ debet habere principia, intelligendum est de principiis complexis, cuiusmodi sunt præmissæ demonstrationis. De omni enim subiecto scientiæ, potest aliquid prædicari in propositione aliqua, quæ potest sumi pro præmissa in demonstratione de subiecto tali: & de tali principio primò oportet præcognosci quia est, hoc est, quia verum est, 1. Poster. a. t. cap. 2. & infrà tex. c. 22. c. illo, *Non est ex alio genere*, enumerat subiectum & passionem; & pro principiis dicit alterum ante dignitates. Et idem vult c. 1. Difficile.d.t.c.25. omnis scientia demonstratiua circa tria est, scilicet genus subiectum, & quæ communes dicuntur dignitates, & tertium passiones: talia autem principia possunt habere effectus illius subiecti, de quo est demonstratio pro terminis suis. Sufficit enim ad tale principium, quòd statim cognoscatur cognitis terminis; & tale principium potest esse aliquod ad demonstrandum aliquid de Deo.

An subiectũ habet partes.

SCHOLIVM II.

Refutat subtilissimè sententiam Auerroïs, probans nec Deum, nec Intelligentias esse subiectum huius scientiæ, quod etiam docet q. 3. prol. ad secundum q. 1. lateral. nu. 20 respondet ad argumenta pro illa sententia adducta nu. 4. & 5. explicat nu. 14. sub qua ratione agitur de Deo, & Intelligentiis in Metaphysica, & nu. 17. ac seqq. illam diuisionem scientiæ speculatiuæ in naturalem, & Metaphysicam de qua Philosophus 6. huius t. 3. habet pulcherrimam, & variam doctrinam.

11

Contra istam positionem secundum Philosophum 1. huius in proœmio, sapientia est certissima scientia: certior autem est scientia *propter quid* quàm scientia *quia*, 1. Poster. t. c. 21. 30. & 42. ergo Metaphysica, quæ est propriè sapientia secundum Philosophum hîc, in proœmio; est scientia *propter quid*: de Deo autem non est scientia *propter quid*, vt de primo subiecto; & nulla scientia considerat Deum vt causam, cùm nihil causet necessariò secundùm veritatem, quicquid sit de Aristotele; igitur neutro modo consideratur Deus in aliqua scientia, nec vt effectus, nec vt principium complexum: certum est igitur nullo modo, vt concedit responsio ad tertiam rationem. Et hoc probatur: certum enim est quòd nihil de Deo scitur per causam priorem ipso. Si autem causa accipiatur pro medio, respectu alicuius concludendi de Deo, aut illud concludendum, est proprietas absoluta Dei, vt sapientia, potentia, æternitas, immutabilitas, & huiusmodi; aut dicens respectum ad extrà, vt appetibile, primum mouens, prima causa, & huiusmodi, siue sic, siue sic, oportet illud demonstrabile de Deo esse idem essentialiter ei; eo quòd nihil aliud est verum de ipso: sed illud quod est idem essentialiter Deo, non habet aliquid aliud à se prius naturaliter ipso: causa autem est aliud à causato; & prius naturaliter ipso: igitur nihil quod est in Deo potest de ipso aliquo modo per causam ostendi, nec per causam quæ sit causa in essendo, nec in inhærendo, quia neutro modo potest esse aliud ab ipso, & prius naturaliter. Si autem aliquid tale per effectum demonstratur de Deo, non est demonstratio *propter quid*, sed *quia*, ex primo Posteriorum, tex. c. 30.

12

An Deus potest sciri à priori.

Sed ista ratio non mouet: si enim prius naturaliter & aliud potest esse medium sciendi posterius naturaliter & aliud, hoc non est inquantum aliud, quia hoc accidit, sed inquantum hoc, sicut est aliud, ita prius est naturaliter, & prius notum secundum se, & illud posterius: sed ita est inuenire in proprietatibus, vel attributis diuinis, igitur, &c. Responsio, quòd vna proprietas Dei est prior alia ratione. Contra; hæc differentia rationis,

nis,non sufficit ad rationem causæ, nec ad prioritatem, nec ad modum demonstrationis. Prima duo patent ex dictis:tertium propter petitionem, quia idem respectu sui diuersimodè consideratum potest esse prius & posterius ratione. Item contra Commentatorem; Deo & Intelligentiis non videtur esse aliquid commune vniuocum, quia tunc illud in eis distingueretur differentiis, & ita Deus posset diffiniri, igitur non potest vna scientia esse de Deo,& de Intelligẽtiis, vt de subiecto, quia vna scientia est vnius generis, 1. Posteriorum cap. 1. tex. c. 43. *Certior*, &c. Item aliud subiectum ponendum est in Metaphysica, sicut ostendetur etiam per Commentatorem, quando tangetur Auicennæ opinio; non igitur Deus, quia non possunt esse duo prima subiecta eiusdem scientiæ.

13 Ad illa igitur, quæ videntur facere pro Commentatore, soluenda, notandum quòd scientia non solùm dicitur esse circa aliquid, tanquam circa subiectum principaliter consideratum, sed etiam circa causas subiecti, sicut in Physica tractatur de natura, quamuis nec Commentator, nec Auicenna ponat naturam esse subiectum illius scientiæ, sed aliquid cuius natura est principium. Similiter in lib.de Anima tractatur de diffinitione animæ, & passionibus, & partibus eius, quamuis subiectum illius ponatur corpus animatum, cuius anima est principium. Similiter in Logica tractatur de multis quæ sunt principia syllogismi, quamuis syllogismus ponatur ibi subiectum principale, & in lib. Perihermenias tractatur de Nomine & verbo & oratione, quæ sunt principia Enunciationis, quæ ponitur subiectum illius libri, ita in aliis. Consimiliter in proposito circa causas altissimas, est consideratio istius scientiæ, tanquam circa principia subiecti, non autem tanquam circa subiectum principale; vnde habetur in principio 6. huius, tex. com. 1. *principia & causæ quæruntur entium inquantum entia.* Et Philosophus in 4. huius ostendit hanc scientiam esse circa ens, ex hoc, quòd est circa primas causas, quia primæ causæ sunt causæ secundùm se effectus primi, quod est ens, inquantum ens. Contra istud: Intelligentiæ nihil producunt nisi per motum, igitur non habent rationem causæ, nisi mouentis propriè dictæ; igitur non debent considerari vt causæ, nisi solùm in scientia naturali. Item: tantùm per causam necessariam in causando scitur aliquid de effectu: Deus nullius effectus est talis causa, sed tantùm voluntaria & liberè agens. Primum argumentum potest concedi. Item, secundum argumentum accipit falsum secundùm intentionem Philosophi, qui posuit Deum esse agens ex necessitate naturæ, vt dicit Rabbi Moyses. Contra hoc, in hoc primo inferiùs dicitur: *si Deus est inuidus, reliqui omnes ab ipso erunt infortunati:* sed hoc non sequitur nisi bonum reliquorum sit ab ipso voluntariè agente; si enim necessariò agit,quantumcumque inuideat aget.

Scientia non tantùm de obiecto primario. Vide Scot. l. Elen.q.3.

14 Aliud est notandum, quòd substantiæ immateriales & immobiles, non pertinent ad considerationem alicuius scientiæ particularis; non naturalis, quia non sunt mobilia; nec Mathematicæ, quia non sunt quanta: sed eorum consideratio pertinet ad aliquam superiorem scientiam, cuius consideratio abstrahit à motu, & à quanto; vnde in ista scientia considerantur non tantùm tanquam subiecti causæ: sed tanquam principales partes subiecti,quæ sunt secundùm esse abstracta illa abstractione, quæ propria est huic scientiæ: quæ etiam abstractio secundùm rationem competit aliis consideratis in hac scientia. Consideratur enim quicquid hîc consideratur, non inquantum,quantum,nec inquantum mobile: & ita quodlibet consideratum abstrahitur secundùm considerationem, & à quanto & à motu, & per consequens præcipuè considerantur hîc illa quæ secundùm esse abstrahuntur ab vtrisque: huiusmodi sunt substantiæ separatæ. Secundùm hoc patet ad auctoritates Philosophi. Dicitur enim hæc scientia esse circa altissimas causas & diuinas: quia de Deo, non tanquam de subiecto, sed tanquam de causa subiecti: ita quòd de Intelligentiis est tanquam de principalibus partibus subiecti,& non causis: quia non causant nisi mouendo; de Deo autem tanquam de causa; & non de parte subiecti, quia in nullo vniuocatur cum aliis.

Quomodo substantiæ separatæ considerantur in hac scientia?

15 EXTRA. *Contrà, si nihil Deus causat, secundùm rationem Aristotelis nisi mouendo, igitur non considerabitur hîc de Deo, vt de causa. Responsio. Deus est causa substantiarum separatarum,non per motum; & omnium aliorum,non tãtùm inquantum mobilia, vel quanta,sed inquantum entia,sed non sine motu: secundùm Aristotelem Intelligentia nullius est causa nisi inquantum mobile. Notandum tamen quòd in q.8.infrà,qui diceret partem affirmatiuam illius quæstionis quòd tantùm ad Metaphysicum pertinet considerare quiditates rerum,etiam in particulari, deberet dicere quòd non tantùm hîc consideratur Deus vt causa,sed Angelus,Sol,& ignis, & omnia agentia,si sint causa alicuius secundùm entitatem: quod quidem oportet ponere: quia aliter nihil causant: vt arguitur in illa quæstione de cognitione: sic arguo de creatione. Responsio,quòd Deus in quolibet causat entitatem quodlibet aliud agens talitatem entitatis:de hoc alibi. Si teneatur in quæstione illa 8.pars negatiua, tunc nulla causa particularis entitatis est hîc consideranda: sicut nec hoc ens secundùm quòd hoc ens:sed sicut tantùm consideratur hîc ens inquantum ens in communi,tantùm illud consideratur pro causa subiecti, quod est causa entis in communi:illud est tantùm Deus. Hoc teneas nisi fortè ponas Intelligentias non tantùm inquantum entia, sed inquantum Intelligentias hîc considerari, vt prædictum est ibi.*

Qu.2.& 5. huius & 1. d.2.q.2.

16 *Aliud est notandum,& est:si enim de Intelligentiis,inquantum Intelligentiæ,est aliqua scientia possibilis,& non ista,nec naturalis,nec Mathematica, vt patet,insufficiens ergo est diuisio Philosophi in 6. huius,t.c.2.&.3.scientiæ speculatiuæ in tria membra: & ita videtur quòd Intelligentiæ inquãtum huiusmodi,ad considerationem Metaphysicæ pertineant. Sed contrà:ens secundum se ita abstrahit ab immaterialibus,sicut à materialibus:ergo ista sciẽtia,quæ per se est de ente,inquantũ ens,non magis est de istis secundùm propriam rationem,quàm de illis.Confirmatur: quia omnis conclusio propria huius scientiæ est præmissa,ita ad concludendum de immaterialibus sicut de materialibus:ergo ipsa subalternat sibi æqualiter vtramque scientiam:nec valet illa ratio, quæ ponitur priùs ibi. Aliud est notandum:quia ista scientia sicut considerat aliqua,inquantum abstracta à materia, ita etiam inquantum abstracta ab immaterialitate: ergo considerabit illa, quæ in existendo habent hanc abstractionem ab immaterialitate; non sequitur.*

An immaterialia pertinent ad hanc scientiam sicut alia?

17 *Confirmatur: quia substantia, quam tu ponis subie*

subiectum, diuiditur in materialem, & in immaterialem; sicut in species oppositas; scientia autem de genere aequaliter videtur esse de duabus speciebus proximis. Conceditur secundùm illud quod tenes ad 8. quaest. quòd non plus est haec scientia de Intelligentia inquantum Intelligentia, quàm de igne, inquantum ignis, nec vt de causa, nec vt de subiecto, quia secundùm te de neutro: sicut secundùm oppositum, q.8. de vtroque est vtroque modo: si vtrumque causat aliquid inquantum ens. Sed quomodo tunc saluas diuisiones in 6. de triplici scientia speculatiua? Item quomodo est circa altissimas causas, si tantùm est circa Deum vt circa causam? Responsio. Deus dicitur causa propter multiplicem rationem causalitatis in ipso. Ad Philosophum patet responsio inferiùs de diuisione scientiarum speculatiuarum. Tenet enim de illis, quae à nobis per rationem naturalem possunt trahi, non de omnibus possibilibus, ex parte naturae scibilium. Euasio, quòd scientia de genere est de prima specie sub propria ratione, non de secunda specie; & tunc haec est ab Intelligentia vt prima specie substantiae, non vt de causa.

18 Ad auctoritatem primam sexti huius, t.c.3. dicitur quòd secundùm Philosophum primo Poster. c.1. *Certior autem est scientia altera ab altera: quorumcunque principia neque ex eisdem: nex ex alteris sunt.* Distinguuntur ergo scientiae non solùm penes diuersa subiecta, sed etiam penes diuersa principia; Et fortè haec distinctio per principia, est prior & essentialior; quanquam per subiecta aliquando fiat distinctio, sicut auctoritas illa tertio de Anima probat. Sic igitur potest intelligi distinctio illa trium scientiarum speculatiuarum, sexto huius, quòd licèt duarum, scilicet naturalis & Mathematicae ponantur ibi subiecta distinguentia, vel fortè principia: tamen huius scientiae ponuntur ibi principia non subiecta, per quae ab aliis distinguitur.

Quomodo distinguuntur scientiae.

Aliter potest dici quòd scientia ista considerat omnia illa, quae & aliae scientiae particulares, licèt sub ratione cõmuniori, & magis abstracta: aliqua tamen considerat, quae in aliis non considerantur, quibus conuenit tanta abstractio in essendo, quanta non conuenit consideratis in aliis scientiis; & ideò quando distinguitur haec scientia ab aliis, conuenienter hoc fit per illa considerabilia, in quibus non conuenit cum aliis scientiis, sed in quibus distinguitur. Vnde haec scientia est circa separabilia & immobilia, non tanquam circa subiecta, sed tanquam circa principales partes subiecti, quae non participant rationem subiecti alicuius alterius scientiae.

19 Respondetur aliter tertio modo, quòd haec scientia est circa immobilia & separabilia: hoc est: circa quaecunque sit, circa illa est considerata sub istis rationibus, abstractione scilicet à motu, & à materia naturali quae est principium generationis & corruptionis, sicut Mathematica dicitur esse circa immobilia; non quia quanta in essendo sint omninò immobilia, sed quia scientia Mathematica considerat illa sub ratione priori abstrahendo scilicet à motu.

Quomodo haec scientia est circa immobilia.

Ad alias auctoritates sexti patet quòd haec scientia potest dici Theologia, non autem à subiecto; sed à causa, sicut naturalis scientia dicitur à natura, quae non est subiectum illius scientiae, sed principium subiecti. Ad primam rationem, patet quòd substantiae separatae hîc considerantur & qualiter, quia non vt causae: sed tanquam principales partes subiecti, quae sic sunt abstractae in essendo, sicut omnia hîc considerata abstrahuntur secundùm considerationem. Ad aliam rationem. Ad maiorem dici potest, quòd scientia quae est de multis attributis ad vnum primum maximè est de illo primo, vt de subiecto, si istud primum habet conditiones requisitas ad subiectum in tali scientia, puta si scientia sit *propter quid*, & tale primum habeat aliquod demonstrabile de eo per causam: ita non est in proposito, cùm haec sit scientia *propter quid*, & de Deo nihil per causam demonstrari possit.

Quare haec scientia dicitur Theologia?

Vide solutionem q.3. prol. ad 2. nu. 20.

20 Sed adhuc videtur stare illa ratio, & confirmatur sic: quando aliqua attribuuntur ad alia, vt ad prius & posteriùs simpliciter, prima consideratio est de illis, vt attribuuntur ad simpliciter primum, accidentia autem omnia immediatè attribuuntur ad substantiam, sed ad Deum vt ad prius: quia & substantia ipsa attribuitur ad Deum; ergo simpliciter prima consideratio de entibus est de illis, vt attribuuntur ad Deum, & non vt ad substantiam; ergo Deus est simpliciter primum subiectum. Responsio. Simpliciter prima consideratio est de entibus, inquantum attributa ad Deum; non vt subiectum, quia non potest habere conditiones subiecti scientiae *propter quid*, sed vt ad causam. Aliter arguitur: Simpliciter primum, cui omnia attribuuntur, est Deus: igitur illud est subiectum primae scientiae. Responsio: sequeretur, si haberet alias conditiones subiecti scientiae: sed quid sit illud primum ad quod omnia alia attribuuntur: quod sit hîc ponendum subiectum principale, dicetur in sequentibus: & Philosophus in 4. tex. c. 2. vbi allegatum est; concludit statim: *Ergo si hîc est substantia: substantiarum oportet principia & causas habere Philosophum.* Vnde primum illud ponit substantiam non Deum: & idem habetur in principio septimi.

Quomodo cõsiderantur entia vt attribuuntur ad Deum?

SCHOLIVM III.

Secunda sententia est Auicennae, ens vt ens, esse subiectum Metaphysicae, quam tenet Doctor resolutiuè infrà l. 6. q. 1. & vlt. & q. 3. prol. ad tertium quaestionis primae. probat eam hîc vrgentissimis locis Aristotelis & duabus rationibus. Prima, quòd oportet aliquam scientiam esse de communissimo: Secunda, si haec scientia esset de aliquo subiecto, quo dari posset aliud superius, tunc ipsa non esset prima nec suprema, sed inferior ad illam, quae esset de illo superiori, & communiori subiecto, num. 23. ibi, Ad aliam rationem. *Videtur velle quòd ens praedicetur in quid de passionibus, sed statim post, ab hoc recedit. Tenet enim 1. d.3.q.3. num. 67. non praedicari in quid de suis passionibus, neque de vltimis differentiis, de quo postea l.4.q.1.*

21 Alia est opinio Auicennae, 1. Met. c. 1. quòd primum subiectum huius scientiae est ens inquantum ens. Hoc videtur Philosophus probare in princ. 4. huius, t.c.1. *Est scientia quaedam*, &c. Vbi secundùm Commentatorem intendit stabilire subiectũ istius artis: ad quod innuitur ibi talis ratio: quia Metaphysica considerat primas causas: vt probatum est in primo huius: ideò debet considerare effectum secundùm se primatum causarum: primae autem causae sunt causae secundùm se entium inquantum entia: ergo ens inquantum ens consideratur

2. Sententia.

deratur hîc vt subiectum. Item sexto huius, t.c.3. postquā distinxit tres partes scientiæ speculatiuæ mouet dubitationem, vtrùm prima Philosophia sit vniuersalis, aut circa aliquod genus determinatum: & videtur soluere quòd est vniuersalis; & in fine solutionis dicitx.c.4. *De ente inquantum ens: huius erit vtique speculari.* Item ibidem t.c.3. dicit, *si non esset substantia altera præter naturā consistentes: tunc Physica erit prima scientia:* quia Physica esset tunc de omnibus entibus, sicut nunc est de omnibus naturalibus: quia tunc omnia entia essent naturalia: sed nunc est ita de omnibus naturalibus, quòd primum subiectum eius est aliquod commune omnibus naturalibus: & non aliquod primum, ad quod omnia alia attribuuntur, sicut patet per Auicennam primo Metaphysicæ.c.2. & primo Physicæ suæ.c.1. & per Commentatorem.4. huius: commento primo: & secundùm alios loquentes de subiecto. Primum igitur subiectum primæ scientiæ est communissimum: alioquin non videtur valere consequentia Aristot.

22 Item dicit Commentator in prooemio tertij huius, *subiectum vtriusque scientiæ est ens simpliciter huius:* scilicet scientiæ disputatiuæ. Item, ad hoc videtur esse ratio: tum quia oportet esse aliquam scientiam per se considerantem communissima, sine quibus non possunt particularia cognosci: tum quia passiones hîc consideratæ, puta vnum & multa; potentia & actus, & similia, non videntur esse alicuius determinati primò; sed cuiuslibet inquantum ens: illud autem videtur primò esse subiectum, & proprium: cuius primò sunt passiones quæ per se considerantur in scientia. Item si ista scientia esset de aliquo genere determinato, quod quidem genus haberet aliud superius ad ipsum; tunc alia esset scientia superior & prior ista; consequens est falsum ex sexto huius, t.c.2. & 3. Probatio consequentiæ: quia illud superius haberet aliquam passionem demonstrabilem, de ipso in alia scientia: ergo eadem passio esset demonstrabilis de subiecto illius scientiæ: accipiendo pro medio, id cuius primò est: & ita illa scientia de subiecto communiori, demonstraret aliquid, tanquam conclusionem, quod acciperetur hîc pro principio; & ita illa scientia esset prior & superior ista.

23 Secundùm opinionem Auicennæ ad argumenta responderi potest. Ad primum quòd minor est falsa. Ad probationem cùm arguitur de æquiuocatione entis, videtur negandum secundùm Auicennā 1. Metaphysicæ c.5. vt priùs allegatum est in lectione ibi, *nunc propositio ad propositum est applicanda, &c.2.d.* Et ad auctoritatem Porphyrij, & consimiles pro alia parte respondebitur in 4. quando quæretur de æquiuocatione entis. Et ad aliam probationem, cùm dicitur quòd ens non habet *quid*, quia est transcendens. Responsio: hoc concluderet æqualiter de omni generalissimo, quia nullum generalissimum habet quiditatem propriè dictam: tamen quodlibet habet *quid:* tum quia habet essentiam; tum quia aliàs non prædicaretur de aliquo in *quid:* vnde probatio ista est insufficiens, quòd scilicet si non habet diffinitionem propriè dictam, non habet *quid*: non sequitur, nisi de quiditate speciei, cuius propriè est diffinitio.

Ad arg. posita nu.1.

q. 1.

Generalissima an habêt quid?

Ad aliam rationem respondeo, quòd ens inquantum ens potest habere passionem aliquam, quæ est extra essentiam eius inquantum est ens; sicut esse vnum, vel multa; actus vel potentia, est extra essentiam cuiuslibet, inquantum est ens, siue *quid* in se: tamen ens acceptum secundùm quamcumque rationem generaliter prædicatur de quolibet, in *quid*, & est de essentia cuiuslibet. Per hoc patet ad aliam rationem, quia ens prædicatur in *quid* de quolibet accepto, vt *quid* est: non tamen accepto secundùm quamcunque rationem, secundùm quam est passio entis.

Ens habet passiones.

24 Ad tertiam rationem dicendum, quòd cùm dicitur principia entis inquantum ens, non intelligitur ly *inquantum*, reduplicatiuè, ita quòd denotet causam: sed specificatiuè, vt sit sensus, entis inquantum ens, id est, entis secundùm suam entitatem; sicut dicimus, *hoc videtur inquantum album*, hoc est secundùm suam albedinem: consequentia autem non valet, ab inquantum ad vniuersale, nisi quando tenetur reduplicatiuè: de hoc ampliùs in principio 6. Entia enim non solùm sunt causata secundùm aliqua posteriora ipsa entitate; sed etiam secundùm suam entitatem; ita quòd in causatis, entitas est primum causatum, per hoc tenet ratio in principio quarti, t.c.1. *Quoniam autem principia, &c.* sicut exponitur ibi extrà. Vel vniuersaliter tenet: quia hîc consideratur causa entis in communi, scilicet Deus, cuius primus effectus est esse. Et nota quòd primæ causæ sciendi sunt primæ propositiones immediatæ. Alio modo primæ causæ non tantùm sciendi, sed essendi, dicuntur media in demonstratione, quæ demonstrant passionem in esse, & cognosci de subiecto. Alio modo dicuntur causæ primæ essendi: non tamen fortè propriè sciendi aliquid de subiecto: quia non sunt medium in demonstratione; sed principia intelligendi subiectum: quia pertinent ad *quid* subiecti; ita quòd intelligendo illud *quid*, istæ causæ intelliguntur sicut intrinsecæ illi quiditati: vt materia vel forma; vel extrinsecæ, & illæ intelliguntur priùs subiecto, sed non intelliguntur intra quiditatem subiecti.

Consequētia, ab inquātum ad vniuersale non valet.

Vide Scotū in hūc textum.

Prima causa multiplices.

25 Hæc, scientia est circa primas causas primis duobus modis, quia illi duo modi non differunt, nisi penes totum & partem, propositionem & terminum, & de communissimis fiunt propositiones primæ: & communissima sunt prima media in demonstratione. Isto modo, entis inquantum ens sunt principia: tenendo, *inquantum* reduplicatiuè; etiam licèt ens sit vniuocum ad omnia. Aliis duobus modis non est ista scientia circa primas causas entis, inquantum ens: si *inquantum* tenetur reduplicatiuè: quia non omnis entis sunt causæ tales extrinsecæ, vt patet, nec intrinsecæ; quia non simplicium: sed sic oportet *inquantum* teneri specificatiuè. Vbi notandum quòd quatuor causæ, inquantum quælibet in suo genere dat esse circumscribendo rationem motus & mutationis, pertinent ad Metaphysicum: materia & forma, inquantum sunt partes essentiæ: efficiens, in-inquantum dat esse circumscribendo motum, licèt enim non ageret nisi mouendo, tamen ratio dantis esse, prior est ratione mouentis: finis autem, inquantum res secundùm sui entitatem, ad illud ordinantur: licèt non possint illud attingere: nisi per motum, vel operationem, prior tamen est ratio ordinis secundùm esse, quam secundùm operationem. Aliter dicitur ad hoc, cùm dicitur *entis inquantum ens, sunt principia*, non intelligitur nisi de ente creato; & si concludatur, *ergo cuiuslibet entis talis sunt principia*, nihil mali accidit de tali ente.

An ens habet principia?

Quatuor causa consideratur à Metaphysico & quomodo?

SCHO

SCHOLIVM IV.

ARGVIT *subtilissimè contra solutionem datam in fauorem Auicennæ asserentis ens esse obiectum Metaphysicæ, num.23. probans non esse vniuocum ad decem Genera; & contra solutionem ad secundum, quod non habet passiones; quia tunc ens non imbiberetur in eis, vel passio foret sui ipsius passio, si includeret ens, quia passio superioris est inferioris. Addit rationes vrgentes contra illam sententiam, suadens substantiam esse primum obiectum, sed disputatiuè procedit, quia ens habere passiones, de quibus non dicitur in* quid; *habet 1.d.3.q.3.num.6.7. & ens esse vniuocum Deo, & creatis habet ibidem, & aliàs passim, de quo in lib.4.q.1.*

26

Arg. ens non esse vniuocũ.

Contra responsionem ad primum argumentum, supponatur quòd ens non possit habere conceptum communem ad decem Genera, propter auctoritates Philosophi, & rationes quæ tanguntur in principio huius 4.tex.c.43. tunc cùm vnius scientiæ sit vnum subiectum ex 1. Posteriorum,& probatur sic, secundùm vnum habitum conuenit operari vno actu; vnus autem actus intelligendi non potest esse nisi circa vnum obiectum (non enim potest esse vnus actus intelligendi circa omnia attributa ad vnum, quia tunc vnum intelligere esset omnium entium, cùm omnia attribuantur ad vnum primum) sequitur ergo oportet ponere aliquod vnum ens, cui alia attribuantur, proprium subiectum, ex cuius vnitate sit scientia vna.

Item contra responsionem ad secundum: si ens secundùm totam communitatem suam ad decem Genera haberet aliquam proprietatem, puta A, sequuntur duo inconuenientia; vnum quòd ens secundùm totam communitatem suam sit extra essentiam illius A, sicut subiectum extra essentiam ipsius passionis, cùm cadat in diffinitione tanquam additum, ex 7. huius, t.c.4.15. & 19. & ita ens secundùm totam communitatem suam non prædicaretur in *quid* de quolibet. Aliud inconueniens, scilicet quòd A esset passio sui ipsius, si ens aliquo modo prædicaretur in *quid* de A: quicquid enim est passio superioris,& inferioris; licèt non primò, & per consequens A esset demonstrabile *propter quid* de seipso per ens, tanquam per medium, quia passio, quæ est primò superioris est demonstrabilis *propter quid*, de quolibet inferiori per illud superius, tanquam per medium: ergo A, esset simpliciter notius de ente, quàm de seipso, & esset propriè quæstio propter quid, A, est A. quia esset terminabilis per demonstrationem *propter quid*, quod est contra Philosophum 7.huius,c.vlt.t.c.59. Videtur ergo quòd ens secundùm totam communitatem suam ad decem Genera non sit alicuius scientiæ subiectum.

Arg. ens non habere passiones.

27

Si dicatur ad hoc quòd ens in communi secundùm quòd ens, dicitur habere in cõmuni aliquam passionem: quia quodlibet ens, inquantum ens, habet aliquam passionem extra essentiam suam: aliud enim est in quolibet entitas eius, aliud vnitas vel actualitas.

Contra istam responsionem dupliciter. Primò videtur concedere propositum, scilicet quòd ens, secundùm totam communitatem sui, non sit subiectum, quia non habet sic passionem: licèt quodlibet particulare ens, consideratum secundùm quiditatem suam, habeat aliquam passionem. Secundò, quia sequitur idem esse passionem sui, vel circulariter idem esse passionem & subiectum, quorum vtrumque est impossibile. Probatio consequentiæ, cùm omnia entia sint finita, accipiantur gratiâ exempli, tria, A,B,C, secundùm responsionem, quodlibet illorum habet passionem, sit ergo B passio A,& C passio B, si C habet aliquam passionem, aut igitur seipsum: & hoc est vnum inconueniens; aut A, vel B, & ita est circulus, & ita est aliud inconueniens.

Respondeo ad hæc. Sit A vnitas, B actualitas: neutrum sequitur inconueniens. Vnitas enim est aliquod ens in actu denominatiua prædicatione. Similiter actualitas est aliquod vnum denominatiua prædicatione: nec est hic circulus, quia vnitas in vniuersali denominatur ab actualitate aliqua: & ita actualitas in communi non denominatur ab vnitate in communi: sed actualitas in communi ab aliqua vnitate. Contrà: si vnitas in communi denominatur ab aliqua actualitate, sicut à passione, ergo & quælibet vnitas, licèt non primò: quia passio communioris est passio cuiuslibet inferioris: licèt non primò,& actualitas in communi denominatur ab aliqua vnitate, sicut à passione, secundùm responsionem: ergo aliqua eadem vnitas respectu actualitatis est subiectum & passio.

Passio communioris, est inferioris.

28

Propter istas rationes, videtur concludendum quòd ens secundùm totum ambitum suum, prout dicitur de decem Generibus, non sit hîc subiectum: tum, quia nullam vnitatem habet maiorem quàm habeant decem Prædicamenta, cùm non habeat conceptum communem ad illa; licèt accidentia attribuantur ad substantiam: tum quia secundùm omnem communitatem suam non potest habere aliquam proprietatem, vt probatum est dupliciter, propter diuersitatem essentialem passionis à subiecto: & quia idem esset passio sui, vel circulus foret in passionibus & subiectis, quod est contra Philosophum 1. Poster.c.de statu principiorum: t.c.35. *Amplius si hic non est huius qualitas, & illud huius:* vbi sequitur de qualitate: *nullum aliorum*, scilicet subiectorum, *nisi secundùm accidens prædicabitur.* Ex his sequitur quòd oportet ponere aliquod vnum, quod passiones proprias potest habere, de ipso demonstrabiles *propter quid*, esse subiectum istius scientiæ: quia hæc scientia vna, & scientia *propter quid*. Oportet etiam illud vnum esse primum ens, ad quod omnia alia attribuantur, alioquin non consideraret ista scientia de omnibus entibus. Probatio consequentiæ: omnis enim scientia considerans multa per se, non vt passiones, vel vt causas, vel est de communi ad illa, vt de subiecto, vel de primò ad quod attribuuntur alia: consequens autem probatum est esse contra intentionem Philosophi suprà, quando arguebatur pro opinione Auicennæ: illud autem quod habet omnes alias conditiones non est nisi substantia: substantia ergo ponenda est hîc proprium subiectum.

Substãtia an subiectũ Metaphysicæ?

29

Istud confirmatur per Philosophum *in 4. huius:* t.c.2. vbi postquam distinxit ens,& qualiter ista scientia considerat omnia entia, quia vna scientia est omnium dictorum ad vnum, subdit: *vbique verò primi propriè est scientia ex quo alia pendent: & propter quod dicuntur:* & concludit ex hoc: *ergo si hæc est substantta substantiarum, oportet principia & causas habere Philosophum.* Item in principio septimi, t.c.4. & t.c.5. postquam

proba

probauit substantiam esse primum entium cognitione, diffinitione, & tempore: concludit; *Quapropter nobis maximè & primum & solum, vt est dicere de sic ente, scilicet de substantia speculandum est.* Benè autem dicit *solum, vt est dicere,* quia non solùm considerat ista scientia de substantia, quamuis illud solum sit principale subiectum: sed considerat etiam de omnibus aliis inquantum attributa sunt ad substantiam. Item in 4. cap. 2. text.comment.4. dicit Philosophus quòd tot partes sunt Philosophię, quot substantiæ, innuens per hoc quòd secundum distinctionem substantiæ, vt principalis subiecti distinguitur scientia hæc.

30 Omnes igitur auctoritates, quæ adductæ sunt priùs, quòd hæc scientia est de ente, inquantum ens, concedendæ sunt hoc modo, quia scientia quæ est de primo aliquo, tanquam de proprio subiecto, considerat etiam de attributis ad primum, non tanquam de principali subiecto, sicut exemplificat Philosophus 4. huius text. comment.2. de sano. Vnde in principio quarti, vbi principaliter præfigit subiectum secundùm Commentatorem, postquam dixit hanc scientiam esse de omnibus entibus, subdit exponendo se, quid sit proprium subiectum: *quia primum ex quo alia pendent:* vt priùs allegatum est. Non solùm autem substantia est primum, sed etiam passiones hîc consideratæ communes primò ei insunt, & per naturam eius attribuuntur aliis posterioribus. Alia etiam à substantia non solùm hîc considerantur tanquam passiones demonstrabiles de substantia; sed etiam inquantum quædam entia in se habentia passiones: vnde & passiones eorum de ipsis in hac scientia possunt demonstrari. Non est enim inconueniens passionem alicuius subiecti prioris, posse esse subiectum alicuius passionis posterioris, sicut apparet in passionibus aliàs accidentibus ordinatis; duplici enim ratione considerantur accidentia in ista scientia; vnde omnes rationes ad vtramque partem adductæ concludunt vnam veritatem primæ, quia hæc scientia est de omnibus entibus. Aliæ verò quod non de omnibus entibus istis tanquam de vno, nec de aliquo communi omnibus istis, sed de aliquo primo ad quod alia attribuuntur.

SCHOLIVM V.

DISPVTAT *ingeniosissimè contra sententiam ponentem substantiam esse obiectum huius scientiæ, quia non videtur, quòd aliqua passio possit de ea demonstrari. Sed respondet non esse subiectum eo rigore, quo ponitur* 1. *Poster.text.*5. *& explicat quæ vnitas requiritur in obiecto scientiæ continentis multos habitus: pulchras habet difficultates nihil resoluens.*

31 Sed contra prædicta instatur, si enim substantia ponatur subiectum in Metaphysica, de qua passiones Metaphysicales demonstrantur: dic vbi ostenditur aliqua passio de substantia? dices quod in principio septimi, text.comment. 4. vbi ostenditur quòd substantia est primum ens tripliciter.

Arguitur substantiam non esse obiectum Metaphysicæ.

Contrà; cuius generis est ista passio, quæ demonstratur de substantia? Non quantitatis, quia quantitas non inest omni substantiæ: nec alicuius generis posterioris; quia illa omnia præsupponunt quantitatem. Respondeo, quòd hæc passio, scilicet primum omnium entium, est relatio: & relatio non præsupponit quantitatem: quia substantia si non est prima, nisi vt est sub quantitate, ergo substantia non est prior quantitate: sicut homo albus, non est prior albedine.

Contrà: in quinto huius text. com. 20. ponunnuntur tres modi relationum tantùm, qui præsupponunt quantitatem. Item, per quod medium fiet demonstratio demonstrans passionem de substantia in communi? Non per diffinitionem, quia eam non habet; & tamen ponitur quòd potissima demonstratio est per diffinitionem; ergo hæc non est certissima scientia. Item per diffinitionem vt medium nihil videtur demonstratum de substantia: in qua enim figura hoc fieret?

32 *Quid scientia propriè dicta?*

Ad hoc potest dici, quòd de subiecto scientiæ propriè dictæ fortè sunt multa vera, quæ accipiuntur de libris Posteriorum. Illud enim est subiectum conclusionis demonstrationis, qua concluditur passio eius de ipso. Sec accipiendo scientiam aliter, provt est vna aggregatio tradita ex cognitione multorum cognoscibilium, simplicium & complexorum, principiorum & conclusionum, sicut Geometria dicitur vna scientia: sic subiectum scientiæ dicitur vnum commune ad omnia ista subiecta scientiæ propriè dictæ: vel vnum primum, ad quod omnia alia attribuuntur. Pone enim vnam scientiam demonstrantem de figura omnes passiones eius in communi; aliam quæ demonstrat omnes passiones specierum figuræ de ipsis; hæc videtur subalterna primæ: nec in hac aliqua passio ostenditur de figura in communi: & tamen huius subiectum videtur esse figura in communi: quia illud solum est commune ad omnia considerata in scientia illa. Si hæc distinctio est bona, tunc Deus potest poni hîc subiectum sicut in Theologia: licèt nulla passio sit de ipso demonstrabilis: quia omnia considerata hîc reducuntur ad ipsum, vt ad simpliciter primum. Sed siue Deus, siue substantia, ponatur hîc subiectum, nunquid de aliis posterioribus hîc consideratis, sunt aliqua principia simpliciter? Videtur quòd non, quia omnia posteriora, quoad quodlibet quod inest eis, habēt causā.

Subiectum scientia multorũ cognoscibiliũ quomodo vnum?

quæst. 3. prol.

33 *Hominis multa sunt causa, sed quare homo sit homo, nulla.*

Responsio: de posterioribus verè sunt principia complexa, propositiones scilicet immediatæ. Ita enim immediatè inest diffinitio numeri numero, sicut Angeli Angelo: vnde in quinto cap. de per se text. comment. 23. *hominis multæ sunt causæ, sed quare homo est homo nulla,* Tunc concedo quòd posteriora sunt causata secundùm se, & quodlibet sui simplex; tamen compositiones aliquæ de eis, non habent alias compositiones priores causas veritatis, per quas possint demonstrari; alioquin esset tantùm vnum principium proprium in vna scientia, in quo diffinitio subiecti de ipso prædicaretur.

Contrà: per principium aliquod de quantitate, demonstrantur passiones quantitatis, sicut per principium de substantia, passiones substantiæ; igitur si principia sunt æquè prima, quia nullum est causa alterius; & conclusiones erunt æquè primò scibiles: & ita æquè primò scientia hîc erit de substantia & quantitate. Item nunquid aliqua veritas complexa incausata, est causa veritatis complexæ causatæ, sicut incomplexa incomplexæ,

plexæ, cùm nulla sit Deus? Ad primum, quòd principia non sunt æquè prima, licèt nullum alterius veritatis sit causa: sicut patet de vnitate, & puncto: non etiam ambo æquè secundùm se nota; quia principia sunt notiora, quæ habent terminos notiores, & termini vnius sunt notiores naturaliter terminis alterius: ita etiam vna est verior alia; vnde immediatorum est ordo in veritate, licèt non causalitas. Sic etiam est de articulis fidei: quorum non omnes sunt æquè primi, quia non sunt de Deo immediatè: & tamen omnes simpliciter sunt principia Theologiæ: & similiter indemonstrabilia. Ad secundum, veritas complexa causatur à Deo, quia termini causantur à Deo, qui sunt causa veritatis complexæ: sed non, quia Deus est Deus, ideò homo est homo: licèt à Deo sit homo.

Articuli fidei nō æquè primi.

SCHOLIVM VI.

TENENDO *cum Auerroë Deum esse subiectum Metaphysicæ, ostendit primò ipsúmmet Auerroëm malè dixisse, nullam scientiam probare suum subiectum esse. Secundò, contra Auicennam, hoc ostendi in scientia naturali. Tertiò, contra Auerroëm ostendit in Metaphysica. Quartò, contra Auicennam arguit Deum esse subiectum Metaphysicæ, ex Philosopho, suprà, num.* 16. *& ex ratione adducta pro sententia Auerroïs num.* 5. *& ex confirmatione illius rationis posita ad responsionem eius n.* 20. *& adducit nouam rationem contra ipsũ, quòd Deus non consideratur in hac scientia vt ens, quia non est principium cognoscendi ens, scientiâ,* quia. *Addit rationes pro Auicenna adductas num.* 11. *suadentes Metaphysicam esse*, propter quid, *non valere, quia Deus*, propter quid, *sciri nequit Item rationes de passione, & principiis, solutas esse, vt habet num.* 26. *& seqq. Quintò, reiicit Auerroëm ponentem omnes substantias separatas obiectum huius scientiæ, alioquin, ponenda esset vna scientia de omnibus substantiis corporeis.*

34

Tenendo quòd Deus sit hìc subiectum, aliter est ponendum quàm ponit Auerroës. Circa quod duo sunt facienda. Primò enim ostendetur quomodo peccauit Auerroës, & Auicenna in opinionibus suis. Secundò dicetur modus, quo Deus potest poni subiectum in Metaphysica. Circa primum sciendum, quòd Auicenna, & Auerroës habent hanc propositionem communem, nulla scientia probat suum subiectum esse, Secundò, Auicenna dicit tantùm Philosophiam primam posse probare Deum esse; non naturalem. Tertiò, Auerroës ponitècontra, quòd tantùm in scientia naturali hoc declaratur: non in Philosophia prima. Quartò, Auicenna ponit Deum non esse subiectum in Metaphysica. Quintò, ponit Auerroës genus entium separatorum ibi esse subiectum.

Contra primum istorum arguitur sic: scientia, *quia*, demonstrat suum subiectum esse: quia per effectum demonstratur aliquid de causa sic: ex hoc enim quòd effectus non potest esse sine tali conditione in causa, effectus non potest esse sine causa causæ, ergo causa est. Patet etiam quòd primum quod concluditur de causa per effectum, est esse: sed scientia, *quia*, supponit conceptum aliquem apud intellectum de subiecto: & de illo conceptu, arguit primò quòd sit; secundò quòd alia sibi insunt.

35 *Scientia naturalis probat Deum esse, & etiam Metaphysica.*

Contra secundum & tertium simul: omnis proprietas considerata de effectu, quam impossibile est sibi inesse, nisi talis causa sit: concludit causam esse, *quia:* sed tam proprietas considerata in scientia naturali, quàm in ista, de effectu, non potest sibi inesse, nisi primum mouens sit, & nisi primum ens sit; ergo vtraque scientia potest probare ipsum esse. Tamen ista immediatiùs, quia generales proprietates entis creati, secundùm quòd considerantur hìc, magis ducunt in cognitionem positiuam perfectionum primi entis, per excellentiam, quàm speciales conditiones consideratæ in aliis scientiis: quia istæ magis ducunt in cognitionem priuatiuam: vel aliquam positiuam minùs excellentem: minùs enim excellens videtur primitas modi tantùm, quàm esse primum ens simpliciter: vnde vterque negetur, quo ad tertium, sed magis Auerroës. Hoc etiam probatur specialiter contra ipsum: quia tunc illa quæ est simpliciter conclusio in Physica, esset hìc simpliciter prima propositio omninò indemonstrabilis, & ita Physica esset prior ista. Si dicas, hìc non demonstratur, *propter quid*, nihil ad b, nec in Physica: igitur æqualiter: negatur hoc posse demonstrari ibi, sicut hìc.

36 *An Deus consideratur inquantùm ens in hac scientia?*

Contra quartum est ratio fundata super auctoritatem Philosophi, 6. *Metaphysicæ, text. comment.* 2. *&* 3. & vltima ratio addita pro opinione Auerroïs cum confirmatione illius rationis posita in responsione ad eam.

Item, contra ipsum arguitur sic: Auicenna concedit quòd Metaphysica est de Deo, & quòd considerat de ipso, & quòd est de ente inquantùm ens: sed Metaphysicus non intendit considerare de Deo propter considerationem entis, inquantùm ens; quia Deus non est principium cognoscendi ens in scientia, *quia*. Similiter tunc sequeretur quod vltimus finis istius scientiæ, non esset speculari causas altissimas & primas; nec in actu sapientiæ principali esset felicitas; naturalis; ergo Metaphysica principaliter considerat de ente propter primum ens: sed illud est subiectum in scientia, cuius cognitio principaliter quæritur quantùm ad proprietates & perfectiones eius, & etiam quantùm ad esse in scientia *quia*; ergo &c. Ex hac ratione patet quòd Deus non consideratur hìc vt principium subiecti: sic enim non consideratur aliquid in aliqua scientia, nisi sit principium sciendi subiectum in illa cuius est nomen, vt dictio respectu propositionis, & natura respectu entis naturalis: vnde glossa ad dicta Aristotelis de 6. Metaphysicæ adducta pro opinione Auerroïs parum valet.

37 *Metaphysica nostra scientia quia.*

Rationes etiam pro Auicenna principales, de *quia est:* & *quid est*, nihil valent: cùm Metaphysica necessariò sit scientia *quia* de Deo, secundum omnes: quia Deus non est aliter à nobis cognoscibilis. Rationes verò de passione & principiis, benè solutæ sunt priùs, in sustinendo opinionem Commentatoris. Ratio verò prima facta pro Auicenna contra Commentatorem superiùs, non valet. Licèt enim Metaphysica considerata à parte scibilium, hoc est si sic sciretur sicut scibilia nata sunt sciri, esset scientia *propter quid:* tamen Metaphysica, vt est à nobis scibilis, est necessariò scientia *quia* de Deo, vt

Obiectū primarium an primò scitum?

vt patebit. Primam depingit Philosophus, vix secundam tradit. Ad illud etiam quod arguit Henricus in Summa, 19. quæst. 1. quòd subiectum in scientia debet esse primò scitum, sub cuius ratione omnia alia sciuntur: sicut obiectum respectu potentiæ: Deus autem non cognoscitur hîc, nisi ex effectibus: quia nec ex eius cognitione cognoscuntur alia. Responsio: quòd hoc est verum de primo scito, primitate principalitatis, & intentionis,non executionis:patet de Nomine & Verbo, primo Perihermenias. Item, potest sic argui: notitia scientiæ, & habitus scibilis virtualiter includitur in notitia subiecti primi, & formalis illius habitus: quia in eius notitiam omnia posteriora reducuntur, secundùm eorum cognitionem: si ergo ens, & non Deus, ponitur subiectum in Metaphysica,sequitur quòd notitia specialis, quæ habetur in Metaphysica, virtualiter includatur in notitia entis:sed impossibile est cognitionem perfectiorem includi virtualiter in cognitione imperfectiori: ergo cognitio entis perfectior est, quàm cognitio circa Deum & substantias separatas: cùm igitur in cognitione Dei & substantiarum separatarum ponatur felicitas naturalis, vt patet 10. Ethic cap.10. sequitur quòd felicitas consistit in cognitione entis, inquantum ens, quod est falsum, cùm illa sit imperfectissima.

Sic igitur patet improbatio quarti,& quomodo positio contraria sustineretur: de quo magis patebit inferiùs, & quomodo ad illa pro quarto respondetur.

38

Negat vniuocationem. sed secundum communem opinionem,nō aliter.

Sed contra positionem contrariam sunt dubia alia à prædictis,quæ inferiùs tāgūtur post responsionē ad quæstionem. Contra quintam: superiùs argutum est de vniuocatione,quomodo Deo, & Intelligentiis non videtur esse aliquid commune vniuocum secundùm communem opinionem: ergo non potest esse vna scientia de aliquo communi Deo & Intelligentiis. Confirmatur:quia in nullo speciali magis vniuocantur Deus & substantiæ separatæ, quàm Deus & substantiæ corporeæ; ergo si propter aliquam vnitatem sit totum illud genus entium ponendum vnum subiectum: pari ratione & genus substantiarum corporearum. Et confirmatur, quia scientia communis non est magis de vna specie quàm de alia. Si verò dicatur quòd sit vna scientia de illis separatis, propter vnitatem attributionis: igitur primum erit per se subiectum igitur non magis in speciali de Intelligentiis quàm de corporalibus,nisi fortè quia sunt nobiliora entia, & immediatiùs attribuuntur ad primum: aut nisi dicatur quòd de cognoscibilibus de ipsis in speciali, non est à nobis specialis scientia tradenda: & ideò magis congrueret illud modicum quod de eis est, loquendum, dicere in scientia de primo: tamen quantum est ex natura scibilis, ita esset diuersa scientia à Metaphysica,sicut de substantia corporea. Et secundùm hoc diuisio Philosophi de speculatiuis scientiis sexto huius text. com. 2. tenet de traditis; & à nobis rationabiliter tradendis, non de omnibus ex parte naturæ scibilium:igitur Intelligentiæ non sunt hîc subiectum, nec pars: sed hîc sunt considerandæ, propter propinquitatem ad primam, cùm hoc quòd de eis modicam possumus habere notitiam naturalem. Ad omnes authoritates Philosophi pro quinto,dicendū, quòd Deum vocat primas causas multas, propter

Cur Deus vocatur prima causa.

multas perfectiones causalitatis: quia Angeli secundùm ipsum nihil causant, nisi mouendo. Ad rationes pro illo, patet ex dictis suprà responsio.

SCHOLIVM VII.

PONIT *modum defendendi Deum esse subiectum conclusionis scientificæ* propter quid, & quia *ac etiam scientiæ Metaphysicæ, sumptæ pro aggregatione multorum habituum, principiorum, & conclusionum. Primam partem suadet ratione allata suprà num.9. & alia ratione allata numero 12. Secundam partem explicat optimè, declarans* propter quid, *& quia, Metaphysicam esse de Deo, & de omnibus aliis, vt attribuuntur ad illum.*

39

Suprà nu. 9. Num. 12.

His sic pertractatis,videndum est de principali proposito, quomodo scilicet Deus potest esse subiectum Metaphysicæ?Et dicendum quòd suppositâ distinctione scientiæ: provt dicitur habitus Conclusionis, & provt dicitur aggregatio multorum habituum, tam principiorum quàm conclusionum, aliquam tamen conuenientiam habentium, de qua distinctione patet, quæstione 1. sexti, quòd Deus potest esse subiectum huius scientiæ, primo modo *propter quid*, tam secundùm responsionem ad secundam rationem principalem, secundùm opinionem Commentatoris, quàm secundùm illam additionem superiùs positam ad impediendam rationem primam factam contra opinionem Commentatoris. Quoniam sicut ibi dictum est: si prius naturaliter ad aliud potest esse medium sciendi posterius naturaliter, & aliud, hoc non est inquantùm aliud, quia hoc accidit: sed inquantùm hoc; vt ibi patet: & ideò non cogit illa ratio prima facta contra opinionem Commentatoris. Similiter potest esse subiectum primò modo in scientia *quia*. Supposito enim quid dicitur per nomen,si tale est causa talis effectus,ex effectu potest concludi tale & esse ex esse, & hoc ex hoc, tam quantùm ad essentialia, quàm quantùm ad proprietates: & hoc demonstratione *quia*: sed nihil sic de ipso potest concludi effectu, nisi illud sit, sine quo non potest esse talis effectus.

Deum posse esse subiectū scientiæ conclusionis, propter quod, & quia.

40

Quomodo Deus est obiectum Metaphysicæ?

Potest etiam esse subiectum scientiæ secundo modo dictæ: vel quæ tantùm aggregat conclusiones de Deo *propter quid*, vel *quia*, ostensas: & talis scientia, si qua esset, esset vna, maximè in illo genere, vnitate subiecti: vel quæ aggregat multas conclusiones & principia de Deo, & de aliis attributis ad ipsum, vt ad primum, inquantùm ad ipsum attribuuntur; & talis esset vna ex vnitate subiecti, non sicut prior, sed quia ad rationem subiecti alia attribuuntur, cum consideratio illa de aliquo, sit simpliciter prima, quæ considerat ipsum sub prima ratione, sub qua est considerabile: & ens causatum (licèt sit vniuocum sub ratione primi entis) considerari potest inquantùm attribuitur, & ita prima consideratio de omnibus entibus erit talis inquantùm attribuuntur ad primum ens, non ad substantiam: igitur si Metaphysica est prima scientia, erit scientia de omnibus secundùm hanc rationem; aut igitur considerantur ibi inquantùm attributa, quia ex notitia Dei ibi cognoscuntur; aut quia ex eorum noti-

Metaphysica de Deo propter quid & quia.

tia Deus cognoscitur. Primo modo esset ista de Deo : & esset scientia *propter quid*. Secundo modo, *quia*. Primo modo, natæ essent istæ res cognosci, & hæc scientia esset prima de eis : quia est de eis inquantùm attribuuntur ad simpliciter primum : non sic, quòd ibi non cognoscerentur res omnes secundùm propriam essentiam : (aliter enim non cognoscerentur) sed cognitio essentiæ eorum haberetur inquantùm attribuuntur ad ipsum Deum. Talem Metaphysicam habet Deus, sed non est sibi scientia, quia non est ex notitia sui discursiuè de aliis acquisita: quamuis enim sciat alia esse per ipsum, non tamen scit ea, quia scit se, quod requiritur ad scire. Talem Metaphysicam potuerant fortè Angeli habuisse si fuissent multo tempore viatores, & ex notitia naturali Dei potuissent discurrendo aliorum notitiam acquirere.

Deus quomodo Metaphysicus?

Angeli an possint esse Metaphysici, ex notitia Dei?

41

Secundo modo tantùm potest homo nunc Metaphysicam habere (quicquid sit de notitia naturali beati, vel in statu innocentiæ :) quia nunc omnis nostra cognitio oritur ex sensu; tantùm igitur sic potuit tradi à Philosopho. Potest igitur prima scientia, possibilis homini, per rationem naturalem acquiri, & poni scientia *quia*, & de Deo, vt de subiecto primo,& de omni ente, vt de materia inquantùm attribuitur ad primum ens : quæ nec supponat Deum esse, nec ab eius notitia incipiat ad cognoscendum alia, licèt vtrunque oporteret si esset scientia *propter quid*. Sicut enim in scientia *quia*, propriè dicta, non præsupponitur de subiecto, nisi tantùm quid dicitur per nomen:& concluditur tam esse quàm quid est, vt prædictum est : Similiter potest esse in scientia *quia*, aggregata : quod enim in alia scientia posset probari Deum esse *quia*, & non in tali, esset inconueniens : cùm talis consideret effectus ita immediatos eius, sicut aliqua alia; quare etiam scientia *quia*, non probat *propter quid*, subiectum esse : & quid est : cùm hoc posset probare per principia subiecti,si habet principia.

Scientia, quia non supponit obiectum esse, sed propter quid sic.

SCHOLIVM VIII.

Movet *aliquot dubia contra sententiam ponentem Deum obiectum Metaphysicæ, quam non improbat. Primum est quòd videtur consideratio aliorum in se esse prior consideratione eorum,vt attribuuntur ad primum ens;& respondet considerari in se prius prioritate originis, non intentionis. Secundum dubium, secundùm quam rationem in primo ente consideratur ipsum à Metaphysica? & respondet quòd secundum rationem primitatis vnitiuæ continentiæ excellentis, & secundùm istam, alia attribuuntur ad ipsum. Tertium dubium, quare hæc scientia non ordinatur ad primum ens vt ad finem,ita vt sit circa ens vt sic, vt circa materiam? respondet materiam circa quam, esse finem scientiæ. Ad quartum dubium docet Metaphysicam nostram non esse de Deo* propter quid, *& rationem assignat.*

42

Sed circa hanc positionem sunt aliquæ dubitationes. Prima est circa hoc quod ponitur Deum esse subiectum in Metaphysica, & quòd considerentur entia vt attribuuntur ad Deum : quoniam consideratio entium, inquantum entia, videtur esse prior, quàm inquantum attribuuntur ad primum ens : igitur aliqua esset Metaphysica prior, quæ consideraret entia, inquantum entia, quàm illa quæ ponitur de Deo vt de subiecto. Antecedens probatur, tum quia absolutum est ante respectum : tum quia præmissa est cognoscibilis ante conclusionem, & ante rationem conclusionis : & ex esse entium, inquantum entia, tanquam ex primo effectu, concluditur esse de Deo; tum quia ex quo entia, inquantum entia, videntur cognoscibilia absque illa attributione, cùm sint absoluta, & respectus non est de essentia absoluti : quæ ergo esset illa scientia, quæ consideraret entia inquantum entia sine tali attributione? videtur enim quòd sit ponenda alia Metaphysica. Item, ita attribuuntur omnia entia in speciali ad primum, sicut in vniuersali, sub ratione entis:ergo illa scientia vna erit de omnibus, & in vniuersali & in particulari. Confirmatur : quia Deus, qui habet Metaphysicam *propter quid*, ita per essentiam suam cognoscit omnia in particulari, sicut in vniuersali. Item tertiò sic : entia non attribuuntur ad primum ens, nisi in triplici genere causæ; & hoc non necesse est secundùm veritatem;sicut igitur non posset esse Metaphysica de eis,inquantum attribuuntur primo modo, ita nec secundo modo.

An ens prius consideratur vt ens, quàm vt attribuitur ad primum ens.

Vt sup. in prol.

43

Ad primam rationem istius dubij, dicendum est, quòd illa consideratio, qua considerantur entia in se; prior est prioritate originis; sicut probant duæ probationes : sed non prioritate intentionis : & primum subiectum ponitur, cuius cognitio principaliter intenditur, vel ad quod, vt ad primum principium, tota aggregatio multarum conclusionum principaliter ordinatur. Ad tertiam probationem dicendum, quòd illa scientia esset pars Metaphysicæ; sicut si traderetur cognitio de materia & forma, & relinqueretur complexa tractatio de ente naturali, esset Physica imperfecta : vel de nomine & de Verbo, & nihil de Enunciatione; relinqueretur enim consideratio principalis considerabilis : non enim esset simpliciter alia scientia, quia illa quæ est de primo,habet de illis tractare inquantum entia:vnde ibi considerantur in attributione, ibi in se,sed tamen in se considerantur propter primum.

Ad secundã rationem dicendum, quòd conditiones principales concludendæ de ente primo, sequuntur ex proprietatibus entis, inquantum ens; speciales enim conditiones entis non concludunt primò aliquid de ipso : ideò tantum considerat de ente in communi.

Contrà : quæcunque insunt enti, inquantum ens, insunt Deo : igitur per illa non concluditur aliquid de Deo. Ad tertium licèt non sit necessaria causa respectu esse aliorum;tamen est necessaria causa quòd proprietates aliorum insunt ipsis : quia enim ipse est actus purus, & ideò ens diuiditur per actum & potentiam.

Contrà : quomodo conditiones entis intelliguntur, cùm non sint sensibiles? Item secunda dubitatio, quæ est illa ratio in primo ente secundùm quàm consideratur, vt per se subiectum in Metaphysica.

44

Ad hoc dicendum, quòd non est ratio naturaliter cognoscibilis; tum, quia hæc ratio est accidentalis : ita quòd natura eius in se non considerabitur, sicut nec corpus sub motu : tum quia

quia illa pertinent ad modum scientiæ; & ratio subiecti præsupponitur modo scientiæ: tum, quia illa ratio communis est omnibus subiectis scientiarum; tum, quia illa ratio nihil ponit in natura eius; sed tantum fortè circa cognoscentem respectum ad ipsum. Nec etiam ratio ista primi mouentis, vt sit de aliqua ratione, ad quam peruenit naturalis: quia quamuis in eodem concurrant primitas mouendi, & essendi; tamen ex ratione ipsorum, non includitur contradictio, quòd non necessariò eidem inessent: & ita nunquam Naturalis ostendit primum ens esse, nisi per accidens: ita quòd non ostendit aliquod ens esse primum; sed aliquod mouens esse primum: sic nec aliquod ens esse vltimum: sed aliquod vltimum motum. Si verò nihil causaret primum ens, nisi per mutationem quod fortè non est verum, secundùm Philosophum; adhuc efficiens, inquantum efficiens, dicit totum vniuersale respectu mouentis, vt quo aliquid est: finis etiam est, non tantùm motus, sed entitatis. Vnde fortè non poneretur subiectum secundùm rationem huius duplicis primitatis, sed secundùm rationem primitatis vnitiuæ continentiæ excellentis, quæ est primitas aliqua formalis: & secundùm istam rationem alia attribuuntur verissimè ad ipsum.

Physicus non ostendit dari ens primum.

Contrà: secundum illam rationem habet poni subiectum, quæ primò concipitur; & secundùm quam demonstratur primò esse de ipso: & omnes aliæ proprietates: sed talis non est hæc primitas formalis: quia ista probatur, vt videtur, per alia priùs ostensa ex effectibus.

45

Item, tertia dubitatio est, quare Metaphysica non potest ordinari principaliter ad cognitionem primi entis, vt ad finem, & tamen esse circa ens, inquantum ens, vt circa materiam, cùm materia & finis non coincidant? Respondeo, quòd hoc ideò est, quia materia, circa quam principaliter agit scientia, est finis eius, quantùm ad cognitionem perfectam eius præsupposito quòd dicitur; siue quantùm ad aliquem conceptum.

Quare Metaphysica non ordinatur ad ens vt ad finem?

Item quarta dubitatio est: cùm scientia de ente, inquantum ens, sit *propter quid*; quare scientia de Deo est tantum *quia*, ex quo Metaphysica est *propter quid*? Quare etiam de Deo non est scientia *propter quid*? nam habitâ primâ proprietate eius de ipso, possunt aliæ, vt videtur, *propter quid*, ostendi? Respondeo, quòd tota illa scientia *propter quid*, quæ est de ente, inquantum ens, ordinatur ad *quia*, de Deo: Metaphysica verò, vt est nobis possibilis nunc, non est principaliter scientia, *propter quid*, de Deo; semper enim prima proprietas habetur *quia*, & licèt ex ista demonstretur secunda, *propter quid*, tamen secunda non cognoscitur simpliciter *propter quid*; quia eius cognitio dependet ex cognitione *quia*, primæ passionis. Aliter potest dici, quòd passio priùs conclusa *quia*, de Deo semper est posterior & remotior ab eius essentia: quia propinquior effectui, ex quo concluditur; ita quòd semper in passionibus proceditur *quia*, cuius signum est, quia Trinitas, quæ illi essentiæ singularissimæ inest, ex nullo effectu concluditur.

Quare scientia de Deo est tantùm quia?

SCOLIVM IX.

A D dubium quintum ait, ideò ens, esto sit vniuocum, negari posse, quòd sit obiectum Metaphysicæ, quia eius cognitio non intenditur principaliter; nec dicitur æqualiter de omnibus. Hic nota quod Doctor nihil asserit de vniuocatione entis. Ad dubium sextum disputat, quomodo esse, & primitatem esse, demonstrat Metaphysicus de Deo; & ostendit eiusdem scientiæ esse, demonstrare passionem communem simplicem de subiecto, & alteram partem passionis disiunctæ; cuiusmodi est respectu entis, primum, vel non primum. Certè, quæ in hac quæstione tradit Doctor, videntur humanum ingenium superare; & quamuis firmiter non resoluat cui sententiæ inhærendum sit, colligitur secundùm ipsum, probabilem esse sententiam Auerroïs, quòd Deus sit huius scientiæ obiectum, pro qua, vrgentissima adducit argumenta, eámque vltimo loco ponit. Tenet tamen qu. 3. prolog. & clariùs ibi in Report. eius esse eius obiectum, & his, quæ in Theologia habet, magis standum est; quia tamen rem hanc ex professio in Theolologia non tractat, sententiam hîc positam iuxta ipsius mentem, licet tenere, & quia probabilissima est.

Item dubitatio quinta est. Si ens est vnius rationis Deo & aliis, quare non potest poni ens primum subiectum, sub quo continentur omnia cognita, tam primum, quàm alia? Respondeo, dato quòd sit vniuocum, adhuc principale subiectum est hîc Deus: quia non traditur scientia propter cognitionem de ente in se habendam: tunc enim æqualiter intenderet cognitionem omnium sub ipso: quia propter cognitionem eius totam, sicut in aliis scientiis, nunquam principale subiectum ponetur genus, quando de ipso & de aliis speciebus traditur scientia principaliter, propter cognitionem vnius speciei: sed tantum tunc quando æquè primò de omnibus propter cognitionem de genere habendam, quantùm ipsum est cognoscibile.

46 *Quare ens etiam si sit vniuocum, nō possit esse subiectum Metaphysicæ?*

Item sexta dubitatio est, quoniam nihil de quiditate Dei particularius ipso ente à nobis hîc concipitur: immò quæcunque particularisatio est per modum descriptionis: vt animal risibile: sic cùm dicimus ens primum; igitur si Metaphysica sit de conceptu, quem de Deo apprehendimus, vt de primo ente, cuius conceptus est vt animal risibile, sequitur quòd sit de ente per accidens. Item, demonstratio qua demonstratur primum de ente, naturaliter præsupponit conceptum primi entis: ita quòd non sit simpliciter ratio in se falsa, sed hoc necesse est præsupponere de subiecto: quia aliàs animal inanimatum posset poni subiectum; hoc enim non tantùm præsupponitur ipsi esse existentiæ, sed ipsi esse quiditatiuo. Vnde quòd dicitur quòd per Metaphysicam ostenditur Deum esse, si intelligitur de actuali existentia, non est demonstratio, nec præmissa est necessaria: si autem intelligatur de esse quiditatiuo, verum est: & sic præmissa non est sumpta de existentia creaturæ, sed de aliqua proprietate quiditatiuè inhærente, ex qua sequitur primum inesse enti, vel summum, vel perfectissimum, vel optimum, & ex hoc sequitur rationem illam cui imponitur hoc nomen Deus non esse

47

esse rationem in se falsam, & ita alicuius quiditatis circumlocutiuam, & ita Deum habere entitatem quiditatiuè. Sed demonstratio concludens primum de ente, cùm sit particularis, non potest esse per naturam entis: igitur demonstratio passionis transcendentis de ente, prior est ista; sicut vniuersalis particulari: sicut medium medio: sicut omnis demonstratio de numero in communi, erit ante illam qua probatur numerus aliquis esse primus: igitur Metaphysica transcendens est tota prior scientia diuina, & ita essent quatuor scientiæ speculatiuæ: vna transcendens, & aliæ tres speciales.

48 Contrà: eiusdem est demonstrare conclusionem vniuersalem & particularem de eodem subiecto. Hoc conceditur, sed quòd medium huius demonstrationis, omnis passio disiuncta inest communi primo & omni, sed non præcisè, vt commune sed vt in pluribus; sic ens primum vel secundum, quia entia sunt ordinata: igitur aliquod ens est primum. Sed si vis habere passionem disiunctam, da medium probandum omne ens esse primum, vel secundum, negabitur. Si enim negetur ordo, per quid probabitur ordo, nisi per speciales quiditates? & ita non per ens; ordo enim præsupponit multitudinem, per quid probatur multitudo de entibus? Aliter verò datur medium sic, hoc non negatur: omne ens est primum, vel non primum, vltra hoc ens, vt lapis non est primum: ergo est non primum: sed omne non ens primum præsupponit ens primum, sed vnde hoc? hoc enim ex primitate debet probari. Dicetur quòd primæ propriæ passiones entis, sũt indemõstrabiles, & propositiones immediatæ. Sed quomodocunque sit de hoc, si de ente primo ostendatur aliqua passio specialis, puta vnum, vel sapiens, si non ponitur transcendens, videbitur exire Metaphysicam, quia præsupponit cognitionem quiditatum specialium, quarum hæc sunt. Vnde eiusdem scientiæ est demonstrare passionem communem & simplicem, conuertibilem cum subiecto, & passionem disiunctam conuertibilem cum subiecto; & alteram partem illius passionis disiunctæ de subiecto: demonstratione particulari: ideò ipsius Metaphysici est demonstrare passiones entis, vt vnum &c. de ente, si possunt demonstrari de eo, & primum, vel secundum, de ente, & esse primum de ente: demonstrare verò aliquid de Deo, vt Deus, & de aliis substantiis separatis considerare secundùm se, ad aliam scientiam particularem pertinet, quantùm est ex parte scibilium.

Eiusdẽ scientia, demonstrare passionem simplicẽ communẽ, & alterã partẽ passionis disiunctæ.

49 Contrà: finis cognitionis Metaphysicæ est cognitio entis in summo, & hoc est in primo ente: ergo ad Metaphysicum pertinet de primo ente considerare. Item, felicitas est in actu cognoscendi Metaphysicali, & sapientiali, ex 10. Ethic. Cap. 10. & est in cognitione primi entis: ergo &c. Ideò vitando quatuor esse scientias speculatiuas, & hanc ponendo de Deo, omnia naturaliter cognoscibilia de ipso sunt transcendentia: finis huius est perfecta cognitio entis, quæ est cognitio primi. Sed primò occurrens notissimum intellectui, est ens in communi, & ex ipso probatur primitas, & alia, in quibus est consummatio. Notandum verò, pro demonstratione demonstrante passionem disiunctam de subiecto aliquo, quòd si disiungantur correlatiua aliqua, vt causa & causatum, prius, & posterius, ex præmissa, quæ dicit vnum illorum inesse alicui, sequitur alterum illorum inesse alij: non de existentia, sed de esse quiditatiuo. Notandum etiam, quòd Naturalis demonstrat aliquod mouens esse primum, & ex illa ratione ostensa in se vera, mouens primum ostenditur immobile, incorruptibile &c. igitur Metaphysica & naturalis scientia sunt de eodem per accidens: sed de Deo est naturalis magis per accidens, quia summa descriptio, ad quam peruenit de ipso, quasi remotior est à quiditate Dei, quàm summa Metaphysici. Sicut illa scientia est per accidens de homine, quæ est de ipso, inquantum complexionatus, vt medicina, respectu illius, quæ esset de ipso inquantùm homo: tamen conclusiones eædem de eodem realiter, quod est primum ens, possunt probari per medium Metaphysicũ & Physicum, sicut terra rotũda per medium naturale & Mathematicum; & illa conclusio dicenda est Metaphysica & naturalis, vel simpliciter talis, qualis est medium immediatius, siue magis per se, respectu eius, sicut terra rotunda simpliciter est naturalis, quia medium *propter quid* simpliciter est naturale: medium autem Mathematicum non est simpliciter *propter quid*. Sed quis probabit quod idem est primum mouens & primum ens? Metaphysicus in 4. metaph. text. c. 5, & 12. si idem homo & homo albus.

Ens vt sic primo occurrit intellectui.

Si vnum correlatiuũ inest vni, & alterũ alteri.

Naturalis scĩẽtia magis per accidens de Deo quam Metaphysica.

Eadem conclusio medio Physico & Metaphysico; probatur.

ANNOTATIONES MAVRITII.

ad Quæstionem primam.

50 Sequitur quæstio prima primi libri, in qua venatur subiectum Metaphysicæ: cuius resolutio est ferè problematica. Tres enim opiniones proponit probabiles: vna est Auicennæ. Alia Auerroïs, vt & ibi patet in littera. Tertia est modernior quam sequuntur plures Latinorum, & Albertistæ, & Thomistæ quòd scilicet substantia est subiectum hìc. Primam communiter sequuntur Scotistæ: vt infrà in sexto, quæst. 1. se determinat Doctor & quæst. finali expresè, licèt saluari & glossari possent aliæ duæ. Secundam dupliciter sustentat, vno modo ad mentem Auerrois. Alio modo specialialiter imaginando, & subtiliter, licèt in primam opinionem vltimò videtur incidere. Tenebis tamen primam opinionem, vt in Prolog. quæst. 3. se determinat, & præfert Auicennæ opinionem contra Auerroëm expressè. Resolutè tamen posset distingui de subiecto, vt prædicationis dicatur ens principaliter; vel continentiæ virtualis, seu attributionis generalis substantia, principalissimæ verò considerationis, & vltimatæ attributionis, dicens vel genus entium separatorum: veriùs tamen dicitur Deus, quàm genus tale, vt imponitur Auerroï dixisse. Potest exemplum adduci de subiecto triplici Logicæ. Primum est ens rationis. Secundum syllogismus. Tertium demonstratio, siue syllogismus demonstratiuus. Multùm tamen refert ad veritatem dictorum, resolutio difficultatis nodosæ, de consideratione videlicet Metaphysici, an scilicet in vniuersali, an certè in particulari speculatur, vt tangit notanter in littera Doctor. Multa hìc tangat lector curiosus, quia ampla & copiosa & vniuersalis disputatio: si enim tantùm in vniuersali consideraret Metaphysicus ens, esset ponendum subiectum omni modo dicto, vt patet inducenti, secus si in particulari.

Tribus

Tribus rationibus ante oppositum arguit contra duas primas opiniones in quarum secunda ponitur paruum *Extra*, ibi: *Tamen quia Commentator*, vsque ibi: *Probatio tertia partis, &c.* litera tamen bona ad propositum.

51 Consequenter parum post principium solutionis quasi fortitudo opinionis Auerroïs ponitur in aliquibus originalibus quoddam paruum, *Extra* ibi: *primo de Generatione*, vsque ibi, *Praterea confirmatur*, &c.

Quod ibi tangit soluendo rationes principales, vt sunt contra Auerroëm de lib. Elenchor. & lib. 1. Constructionum Prisciani, vide c. 1. primi Elenchor. vbi ponit hoc pro conclusione scilicet quòd syllogismus Elenchus est, & probat ratione quadruplici, & exemplo multiplici: in minori verò volumine Prisciani, lib. 1. in principo, habetur illud aliud; & licèt quidam conetur illud hîc euadere ex Ægidio, & aliis: videat tamen discretus moderator vbique replicas & euacuet.

52 Quod ibidem consequenter habet soluendo secundum principale, de distinctione proprietatum à subiectis in creaturis, aliter quàm in diuinis, & sæpius in hac quæstione tangit, dubium videtur, quia videtur controuersia in doctrina eius. Nam communiter tenent Scotistæ identitatem realem passionis, & subiecti, hîc videtur dicere oppositum, maximè in creaturis. Hoc idem habet in prolog. q. 3. soluendo argumenta principalia; & sicut ibi saluatur controuersia communiter, ita dicit hîc euadi, vel quòd loquitur famosè, vel de proprietatibus, & non proprio 4. modi; vel quòd capit realiter, & essentialiter extensiuè, & similiter distinctionen rationis in diuinis; vel quòd est sermo comparatiuus, eo quòd dantur gradus in identitaté reali: eo quòd alia ex infinitate alterius, vel vtriusque extremi identificatur, alia ex conuenientia in tertio, qualis communiter est in creaturis. 8. dist. primi.

Consequenter ibi impugnando opinionem Auerroïs in aliquibus originalibus ponitur tota prima ratio, vsque ibi: *Item contra Commentator*, esse extra, vel additio, in aliquibus verò solum illa litera, *sed ista ratio non mouet*, &c. vsque ibi: *Responsio quòd vna proprietas*, &c.

Ibidem parum post in primo notabili, num. 13. assignatur vnum paruum *Extra*, quod sic incipit: *Contra hoc in hoc primo inferius dicitur*, &c. vsque ibi: *Aliud est notandum*, &c. & est bonum argumentum contra Philosophum de necessitate actionis diuinæ ad extra. Posset tamen solui à defendentibus ipsum, maximè si loquatur de necessitate immutabilitatis, non coactionis; vel recurrendo ad causas secundas: & vide soluendo primum dubium post quartam positionem, in hac quæst. ad tertium.

53 Infrà ibi: *Contrà, si Deus nihil causat*, &c. vsque ibi: *Ad auctoritatem primam 6. huius*, &c. assignatur *Extra* ab aliquibus; & quod ibi sequitur in quadam responsione, de hoc alibi. Quære infrà, in hac quæst. & 2. & 5. huius. & in Theorematibus, & de primo principio, & in 1. dist. 2. & 4. & alibi sæpè de causis essentialiter ordinatis, & in eadem additione pondera ad quem loquitur, cùm dicit, *tenes & ponis:* & applica responsiones ad sua loca ordinatè: quæ ibi confusè habentur.

Quod tangit inferiùs, num. 20. *Ad aliam rationem:* ad maiorem etiam, vbi videtur velle, quòd Deus non habet conditiones requisitas ad subiectum scientiæ, videtur contradicere his quæ habet in prolog. quæst. de subiecto Theologiæ; dic sicut ibi copiosè habetur: quomodo Theologia est scientia, & quomodo non, & qualis scientia. Videtur etiam loqui hîc de scientia viatoris naturaliter acquisita, & speculatiua, quære infrà in sexto libro.

Nota valde illud, quod habet in soluendo argumenta principalia sustinendo Auicennæ n. 23. ibi; *Ad aliam rationem:* & ibi: *per hoc patet*, vbi videtur velle quòd ens prædicatur in quid de suis passionibus, & consimiliter fortè posset dici de modis intrinsecis, & differentiis vltimis sumptis vt *quid*: licèt non vt modus, quod videtur esse contra ipsum 3. quæst. 2. & 8. dist. quæst. 3. primi Sententiarum. Tamen sententia est ista & necessaria: quam exponit subtiliter, quare infrà q. 1. 4. libri.

54 Ibidem parum post in solutione 3. principalis ibi: *Vel aliter tenet*: & vsque ibi: *Contra responsionem ad primum argumentum*, &c. assignatur *Extra* ab aliquibus.

Consequenter ibidē infrà: *Sed contra predicta instatur*, vel secundùm alios ibi: *Tenendo quòd Deus sit subiectum, &c.* vsque ad finem quæst. ponitur, *Extra* in aliquibus originalibus, materia tamen singularis est, ideò totám lege. Argumenta facta contra opinionem Auicennæ quam tenent communiter Scotistæ faciliter soluuntur.

Infrà assignando quartum modum dicendi in quæst. ibi: *his sic pertractatis*, &c. aduerte bene ad totum digressum, & specialiter ibi: vbi dicit: n. 40. *Talem Metaphysicam habet Deus*, &c. cùm tamē 3. q. prolog. habeat Deum nullam scientiā habere præter Theologiam; hoc tamen non obstat, quia Metaphysica talis, est vera Theologia, licèt non dicatur propriè sciētia, vt loquitur Philosophus 1. Posteriorū de scientia, vt inquit Doctor, eo quòd non per discursum: qui qualiter requiratur, vide ibidem. Videtur nihilominus expresè tenere in prologo, & maximè in Reportationibus, q. 3. quòd Deus non est subiectum Metaphysicæ, quæ faciliter concordabis ex his quæ notaui à principio, & discurrendo de Metaphysica scientia, & subiecto, & sic de aliis, vt altiùs lector notabit.

Aduerte ad sex dubitationes quæ sequuntur in fine solutionis; & ad solutiones earum; & ad quasdam replicas, quas non soluit, quæ tamen satis patent: & infert ex omnibus vltimatè intentionem Doctoris & conclusionem quæstionis principalem.

In aliquibus originalibus habentur hæc verba in margine in hac quæstione, scilicet: *Nota de ordine generum 9. accidentium inter se: specialiter relationis ad alia.* Item, de medio demonstrationis potissimæ. Item, dè distinctione scientiæ. Item iuxta hoc quomodo Deus potest poni subiectum Theologiæ: tam enim ratio faciens fidem conclusionis ex præmissa credita, quàm demonstratio, concludit aliquid de subiecto per medium aliud ab extremo. Item 5. quomodo est ordo principiorum immediatorum. Declarare terminos quæstionum, & insistere circa singula dicta Doctoris in litera, & diuidere in particulas determinationes quæstionis, & dependentiam, & ordinem quæstionis inuestigare, & cætera, quæ incumbunt lectori, ad præsens non intendo, sed aliàs, si otium & legendi munus occurrant: solùm

lùm enim gratiâ necessariæ correctionis, & elucidationis operis hîc pauca notare curaui.

Ex textu prolog.

Omnes homines naturâ scire desiderant, signum autem est sensuum dilectio, præter enim vtilitatem propter seipsos diliguntur. Et maximè aliorum, qui est per ipsos oculos. Non enim solùm vt agamus, sed & nihil agere debentes, ipsum videre præ omnibus, vt dicam, aliis, eligimus. Causa autem est, quia hic maximè sensuum cognoscere nos facit,& multas rerum differentias demonstrat.

QVÆSTIO II.

Vtrùm hæc sit vera: Omnes homines naturâ scire desiderant?

Aristoteles *hîc cap.* 1. Cicero 2. *&* 5. *de finibus.* Albert. *hîc c.*4 *&* 5. D.Thom. *ibid lect.*1. Flandria *q.*2.*art.*1. Fonseca *c.*1.*q.*1 *&* 2. Suar. *disp.* 1. *vel sect.*6. Murtad. *ibid. sect.*9. Auers. q 1. Philos. *sect.*8.

p.Tri.3.a.

QVod non probatur, quia si sic, ergo naturaliter scirent se scire: consequentia patet: quia nihil desideratur nisi cognitum. Item, si sic, ergo amoto impedimento omnes scirent; consequentia patet de igne; quia naturaliter inclinatur sursum, statim ascendit sursum, si sit extra locum, amoto impedimento. Item, si sic, igitur omnes habent scientiam, vel saltem habens non desiderat, quia desiderium est respectu non habiti. Item, aliqui desiderant ignorare: quia aliqua est ignorantia affectata. Item, sunt rationes Gandensis in summa: nihil appetitur nisi sub ratione boni: igitur appetitus non naturaliter inclinatur ad verum. Item, voluntas distinguitur contra naturam. Item, natura determinatur ad vnum: igitur vult tantum vnum scire.

Dicendum ad primum istorum, scire est commodum intellectus. Ad secundum, verum est de voluntate, vt libera est. Ad tertium, ad vnum in genere, sicut materia ad *quod quid est*, sub ratione formæ: sic intellectus ad scire, sicut ignis ad sursum esse, non tamen ad hoc sursum. Ad oppositum est Philosophus in litera per signum.

Contra probationem Philosophi, quòd non maximè diligamus sensum visus, probo: quia sensum illum magis diligimus, cuius oppositum magis odimus: quia 2. Prior text. com.21. c.illo: *Quomodo autem conuertantur extremitates.* in vltima regula dicitur: *magis eligendo magis fugiendum opponitur:* sed magis odimus oppositum tactus quàm oppositum visus; quia oppositum tactus destruit animal: non oppositum visus: ergo &c. Item, contra illud quod dicit, visum maximè facere scire: quia Philosophus in libro de Sensu & Sensato, cap.1.ad fin. dicit quòd cæci nati habentes auditum, sunt magis sapientes, quàm surdi nati habentes visum; igitur si sensus magis diligitur, quia est magis cognoscitiuus, secundùm quòd cognitio ordinatur ad scientiam, sequitur quòd auditus sit magis diligendus. Si verò non loquitur de cognitione simpliciter, tunc videtur quòd non est ad propositum, quia ex hoc deberet concludere quòd naturaliter desideramus scire. Item in sermone Paschæ Leo Papa præfert tactum Thomæ visui, quoad certitudinem cognitionis. Responsio, non quoad per se, & proprium obiectum vtriusque, sed fortè quoad corpus illud Christi experiendum. Item, contra hoc quod dicit visum plures differentias demonstrare: tactus enim plures demonstrat, quia tactus est duarum contrarietatum, visus vnius. Item, Philosophus 2. de Generatione, primæ qualitates sunt per se tangibiles: posterius autem non inuenitur sine priori: igitur vbicunque inuenitur qualitas visibilis, & qualitas tangibilis, & non èconuerso; igitur plures differentias demonstrat nobis tactus, quàm visus.

Visus an profectior auditu.

SCHOLIVM I.

RESOLVIT, *hominem naturaliter desiderare scientiam, & probatum est suprà in prologo, quod sequitur, (secundùm Mauritium est additio:) continet nos habere infallibilem cognitionem de actibus nostris, quòd benè tractat Doctor* 1. *d.* 3. *q.*4. §. De tertiis cognoscibilibus *num* 10. *Vide ipsum quæst.* 3. *prolog. num.* 13. *&* 1. *d.* 8. *quæst. vlt. num.* 24. *quibus locis docet esse per se notum, seu verum immediatum, quòd habeamus istos actus, quia etsi possit esse illusio in medio, vel organo, semper notum est operanti se habere actum. Vnde rationes, quas hîc adducit Doctor in contrarium, facilè solui possunt. Ad primam patet de contingenti, esse certitudinem non ex vi terminorum, sed ex eorum, & vnionis intuitione. Ad secundam, constat nobis in vigilia nos habuisse actus in somno, & quod illi actus sunt falsi; qui enim somniat se aliquid obtenturum vigilans non prosequitur illud, quia iudicat notitiam somnij falsam. Ad tertium ab intellectu. Ad quartum si cognoscatur intuitiuè, per suas entitates fit, si absit actiuè per species, de quo* 1. *d.* 3. *quæstion.*6. *&* 7. *&* 2. *d.* 3. *q.*10. *&* 11. *de quibus locis, & aliis, intelligit, dum hîc ait*, contra hoc quære in quæstionibus de intellectu. *Ad quintum conceditur illatum, si potentia non est separata. Vide eum* 1. *d.*3. *quæst.* 4. *ad* 3. *pro Henr. num.*14.

Respondeo ad quæstionem, veritas primæ propositionis patet ex dictis in introductione.

3 EXTRA.

Notandum circa ordinē inuestigandi veritatem circa scibilia, quòd antequam quæratur de scibilibus, oportet quærere de modo sciendi, ex 2. *Metaph.* text.com. 14. & 15. *& ante hoc impossibile sit illa scibilia scire, de quibus determinabitur: & an necessarium? & ante hoc an contingit nos aliquid scire, & an omnia? & quomodo? & ante hoc, an possit sciri aliquid nos scire: vel posse aliquid scire? Nam si non possit illud sciri, frustra quæritur, an contingit nos scire? quia quæstio ista non est scibilis, contra* 2. *Poster. & ante illud generalius, an possumus scire, idest, certam & infallibilem cognitionem habere de actibus nostris, & de quibus? an de nostro esse? an de viuere? an de vigilare? an de simplici intelligere? an de scire? an de credere? an de dubitare & opinari? & de cæteris actibus intellectus? an de velle & nolle? & cæteris ipsius voluntatis? an de sentire & phantasiari, &c.? an de actibus motiuæ & vegetatiuæ, &c.?*

An possimus scire nos scire velle, sentire, &c. vide Scot. 1. *d.*3. *q.*4.

4

Quòd non communiter de omnibus videtur: quia contingentes sunt: igitur non est certitudo de eis, quòd insunt. Item quicquid ponatur, per quid

erimus

erimus certi de eis, præter viuere? simile inest nobis, quando non insunt, sicut in somnio. Item, à quo cognoscuntur? non ab intellectu, quia singularia sunt: nec à sensu, vt patet de multis. Item, quomodo cognoscerentur? aut per essentiam: contra hoc quære in quæstionibus de intellectu: aut per speciē? quomodo venient species multorum ad intellectum, quorum nunquam fuerit species in sensu? Si dicas, cognoscuntur per experientiam: aut igitur, vt prius, per essentiam, aut per speciem. Item, si certum esset actus inesse, pari ratione & quales essent: & ita semper esset certum, quæ intellectio, & quæ sensatio esset vera: & quæ falsa. Contra de viuere Aug. 15. de Trin. cap. 12. de vigilare. Arist. 4. huius t.c.26. Sunt autem quidam qui dubitant, &c. irrationabiles sunt tales dubitationes: vt vtrùm nunc dormimus, vel vigilamus: quærunt enim rationem principij demonstrationis. *Contrà Petrus vigilans existimabat se visum videre. De credere Aug. 13. de Trinit. cap. 1. & 2. De dubitatione 15. de Trin. cap. 12. Videtur quòd oportet ponere certitudinem de multis istorum, & hoc sicut de per se notis & primis indemonstrabilibus: sunt enim aliquæ propositiones contingentes primæ in genere suo, sicut necessariæ in suo, & hoc videtur Aristoteles velle 4. huius vt allegatum est, vbi comparat hoc principiis demonstrationis.*

4

SCHOLIVM II.

RESOLVIT *locum illum Philosophi* omnes homines naturaliter, &c. *etiam intelligendum de desiderio, seu appetitu naturali, non de elicito, quia quodlibet naturaliter appetit suam perfectionem, vt explicuit in prolog. num. 4. Iste autem appetitus, seu desiderium, non est aliquid re distinctum à desiderante, vt docet ipse 3. dist. 17. num. 3. & 4. dist. 49. quæst. 10. & aliàs passim, vnde ad id, quod ait respondendo ad primum argumentum Henrici*, si appetitus grauis est relatio, vel potentia; circa hoc stude: *dicendum est esse in re ipsam rem appetentem, vel relationem fundamentalem, vt habet primo loco citato, quæ idem est. Quòd verò hæc relatio non distinguatur realiter à re, patet, quia sæpiùs non habet terminum existentem, & ita in terminis habet Doctor 3. distinct. 18. in fine, neque separari potest ab appetente, vt hîc habet ad tertium, manet enim habito desiderato, alioquin appeteret sui corruptionem.*

Ad solutionem tamen huius quæstionis, notandum: quòd 2. Physicor. text. comment. 62. probatur naturam agere propter finem: aliter ibi non acciderent error, nec frustrà; igitur intendit finem: igitur appetit: & tamen non cognoscit; igitur est aliquis appetitus sine cognitione, & cùm perfectio sit aliquo modo finis perfectibilis, 2. Physic. text. comment. 23. quia est finis motus: ideò ponitur desiderium naturale perfectibilis ad perfectionem: est igitur desiderium naturale in omnibus ordinatis ad finem alium à se: & perfectibilibus perfectione differente à sua essentia: ex hoc igitur procedunt probationes huius propositionis superius positæ in prologo: tamen omnes illæ rationes Thomæ ibi positæ videntur ostendere quòd istud desiderium sit ipsius intentio. * Contrà, Henric. in summa quæstione 24. ad tertium argumentum, idem actus specie & eiusdem obiecti specie, videtur esse eiusdem potentiæ desiderium, præcedens cognitionem, & sequens est actus idem specie, & eiusdem obiecti: quia boni &c. Item 24. in solutione: mouens superius respicit finem vniuersalem, & eius est mouere & inclinare mouentia inferiora in suos actus & fines; igitur voluntas inclinat alias potentias ad suos fines: sed hoc non potest nisi appetat illos. Item 15. de Trin. 7. cap. voluntas vult sibi & aliis, sicut intellectus intelligit sibi & aliis. Ad hoc responsio est de velle elicito, quod est vnius partis imaginis: non de velle naturali: de quo loquimur.

5 *Natura agit propter finē.*

Al. Intellectus.

Contra Gandau. naturale desiderium consequitur omnem naturam ordinatam ad finem alium à se, & perfectibilem perfectione alia à se; igitur per aliquid commune omnibus, illud non potest poni voluntas, igitur, &c. Item intellectus si esset sine voluntate, esset perfectibilis, & ad talem finem ordinatus. Item, anima naturaliter desiderat vniri corpori, vt videtur, illud desiderium inest immediatè essentiæ animæ, quia sic immediatè vnitur. Istæ rationes conceduntur, quia non omne desiderium in homine est tantum voluntatis; & tamen voluntas primò appetit naturaliter suam perfectionem, & ex consequenti omnium inferiorum, sine quibus sua perfectio haberi non potest. Vnde homo primò naturaliter vult se intellectu, & voluntate ex consequenti.

6

Ideò respondendum est ad rationes Henr. de Gandauo. Ad primum argumentum, minor est falsa, quòd est actus. Item, non est nisi boni commodi, non vt potentia obiecti, quia non est potentia, sed vt aliquid est sui finis naturalis: si igitur est appetitus grauis, nunquid grauitas; nunquid relatio, quæ est potentia, vel alia relatio? circa hoc stude. Ad secundum argumentum, ad maiorem, non inclinat ista contra naturam, igitur secundum naturam, ergo in eis est inclinatio naturalis ad illud, ad quod à superiori mouente inclinantur, & ita ipsa appetunt & non illud mouens. Vlterius, cùm dicitur: *hoc non potest, &c.* falsum est, quia tunc Deus naturaliter appeteret perfectionem creaturarum, vel si non ipse, quia non mouet nisi voluntariè, tunc Sol naturaliter appeteret perfectionem particularis agentis, quod videtur falsum, quia tunc si illud agens non consequeretur illam, Sol videretur imperfectior, sic enim non consecutio desiderati desiderio elicito, siue in se, siue in alio: eo modo quo desideratur, contristat desiderantem: ita videtur quòd non consecutio naturaliter desiderati in se, vel in alio, ponat aliquam imperfectionem in desiderante: Sol autem non est imperfectus, si aliquod inferius non consequatur finem; igitur finis mouentis inferioris, est finis superioris indigens, non perficiens: sicut nos sumus finis creaturarum: ad talem autem finem naturale desiderium non est, sed tantùm ad finem perficientem.

Appetitus naturalis nō est actus.

Agens superius non mouet inferius nisi conformiter ad eius naturam.

SCHOLIVM III.

IN *solutione ad primum diffinit delectationem, de qua agit 3. d. 15. §.* Aliter potest dici *num. 8. & §.* Vlterius de tristitia. *Vide scholium nostrum ad vtrumque locum, vbi quædam de delectatione eiusque causis annotaui, de quo fusius egi in commentario ad quæst. 11. Scoti de Anima, Annot. 4.*

Ad

Ad secundum clariùs respondetur, actum sequi amoto impedimento, quando inclinatum habet in se principium effectiuum completum, vt in exemplo de igne; tale non semper est in homine, saltem respectu omnium scibilium. Vel aliter, actus sequitur desiderium cessante impedimento, quando desiderans est in potentia accidentali ad illum, secus, si est in essentiali; vtraque solutio in re eadem est cum solutione Doctoris. De duplici hac potentia vide Scot. 2. distinct. 2. quæst. 10. num. 3. Ad quartum, dum ait voluntatem non posse velle ignorantiam, nisi ratione alicuius adiuncti conuenientis, supponit bonum esse obiectum voluntatis, quod etiam tenet 3. dist. 33. num. 6. & 4. d. 49. q. 20. §. sed est hîc vnum, *numero 8. & 2. distinct. 23. q. vn.* §. Ad quæst. *num. 4. mansit tamen aliis locis dubius an posset velle malum sub ratione mali: quod tenent Nominales, de quo dixi disput. 2. de Anim. sect. 3. & disput. 3. sect. 12.*

Ad primum argumentum principale in contrarium dicendum, quòd consequentia teneret, si illud desiderium sciendi, esset ipsius voluntatis actus elicitus; modò non est, sed illud desiderium sciendi est quædam inclinatio naturalis ipsius intellectus ad sciendum, cuius est etiam naturaliter delectari in scientia, cùm habetur: sicut quælibet potentia habet naturalem inclinationem ad suam perfectionem, & delectatur in ipsa cùm habetur. Hoc tamen quod prædicitur de delectatione dubium est, licèt illud dicat Auicenna 8. Metaphysic. cap. vlt. *Scias quòd delectatio cuiuslibet virtutis plena est acquisitio suæ perfectionis.* Item, delectatio perficit operationem vt accidens inseparabile: igitur eiusdem subiecti est. Responsio: omnis delectatio est virtutis appetitiuæ passio ex placenti percepta. Contrà: quomodo tunc corrupta violenter delectabitur? Respondetur; non delectabitur secundùm voluntatem; sed secundùm propriam potentiam appetitiuam consequentem actum: omni enim potentiæ apprehensiuæ correspondet propria appetitiua elicitiua actus appetendi, non solùm appetitus naturalis, nec illius est delectari, lapis enim non delectatur deorsum. Vnde delectatio tantùm videtur esse eius, cuius est desiderium elicitum: vnde non tantùm est dubium illud de delectatione, sed etiam impertinens ad propositum de naturali desiderio. Et cùm accipitur, nihil desideratur nisi cognitum; verum est de desiderio voluntatis elicito ab ipsa: non autem de desiderio; quod est solùm inclinatio naturalis: tale enim velle naturale vnius rationis, est in voluntate & in lapide, nec enim voluntas damnati aliquem actum amoris elicit in Deum, quem naturaliter amat, nec voluntas paruuli circa beatitudinem, tamen aliquod velle elicitum à voluntate præsupposita cognitione potest dici naturale, quia est secundùm inclinationem naturæ, sicut velle dicitur virtuosum, quia est secundùm inclinationem virtutis; sed ille non est propriissimus modus desiderij naturalis voluntatis.

Desiderium sciendi, naturale.

Quid est delectatio. Al. percepto. *Quomodo corrupta violenter delectatur? Vide 3. d. 15. n. 16.*

Desiderium naturale eiusdem rationis in voluntate & lapide.

Naturaliter amat. j. appetitu innato.

Scot. 1. d. 49. q. 10. § sed éstne actus? num. 7.

8 *Desiderium est respectu non habiti.*

Ad secundum argumentum, illud verum est de desiderio consequente formam, & perfectionem primam, non autem de desiderio præcedente formam. Et nota de æquiuocatione potentiæ, & desiderij superiùs in lectione. Ad tertium, est dicendum quòd propositio intelligitur de omni homine secundum se considerato: sicut anima de se semper est nuda ab omni cognitione, & sic consequens est verum: quia non omnes homines sciunt secundùm se considerati. Vel aliter, quòd desiderium est respectu habiti, ne generetur fastidium; sicut dicit glossa Petri prima c. 1. *In quem desiderant Angeli prospicere:* illa glossa loquitur de desiderio, quod est actus elicitus à voluntate: & illud fortè non manet cum desiderato, nono de Trin. vltim. *Appetitus inhiantis fit amor tenentis*, an sicut imperfectum fit perfectum idem manens in substantia; an quod desiderium corrumpitur, quia est sicut actualis motio, quæ corrumpitur adueniente termino, dubium est? Sed desiderium naturale nō corrumpitur, habito ipso volito: quia tunc ipsum esset principium appetendi suam corruptionem; sicut arguitur de priuatione primo Physic. t. c. 81. Vnde idem omninò videtur desiderium naturale & dilectio naturalis: quod ex hoc patet: quia Philosophus probat primam propositionem per dilectionem naturalem sensuum, quos non appetimus tantùm non habitos, sed habitos amamus.

Ad quartum, dicendum quòd stant simul quòd homo naturaliter desiderat scire: & tamen actualiter & voluntariè velit contrarium; In nobis enim voluntas ex libertate potest contra inclinationem naturalem moueri, nunquam tamen per se vult non scire, sed per accidens: quia aliquid aliud vult magis actu elicito: vt pigritiam, vel vt remorsum conscientiæ: quàm scire aliquid ad quod est inclinatio naturalis.

Appetitus elicitus, & innatus nō opponuntur. Scot. d. 49. q. 10.

SCHOLIVM IV.

SOLVIT *argumenta contra rationem Aristotelis, probat omnes naturaliter desiderare scire, suadentia quòd non magis diligimus visum, quàm alios sensus, pulchrè docet aliquid esse melius, quod tamen minus necessarium est, vt benè viuere quàm viuere: & sic visus est præstantior tactu. Vide eum qu. 6. de Anima, vbi probat visum cæteris sensibus perfectiorem, de quo ibi dixi in Comment. Annot. 2. vbi etiam ostendi visum ad acquirendam scientiam cæteris sensibus esse aptiorem, quia vniuersalitate obiecti, immaterialitate, distantia, celeritate, & facilitate excedit cæteros, quod tenet hîc Doctor ad secundum, de quo optimè, & fusè agit in expositione text. prol. vbi præfert visum aliis ob cognitionis certitudinem, & cognitorum multitudinem, & soluit rationes in contrarium. Vide Anton. Andream hîc q. 3. quæ est de hac re tantum, & Ant. Trombetam qu. 4. de eadem. Ad tertium, optimè explicat quomodo auditus per accidens supposita institutione vocum ad significandum, sit magis aptus ad disciplinam capiendam. Nota eius exemplum de silentio Monachorum, quod tempore Scoti meliùs quàm hodie obseruabatur. Scio tamen in quibusdam Monasteriis benè disciplinatis, vt in plurimum certis locis, Monachos signis tantum visibilibus suos communicare conceptus idque vidi in celeberrimo Sanctissimóque Claranallensi Monasterio obseruari; quod inter alia, antiqua Monasticæ disciplinæ, exempla, cum in hoc Sanctorum habitaculo (vbi Bernardus, cum nostro Malachia, pristinam conseruant pietatem) hospes, hærerem; pro mea ædificatione, notaui. Ad quartum, tactum esse duarum contrarietatum, humidi & sicci, calidi & frigidi, docet quæst. 1. de Anima. Vbi etiam tenet duos*

dari

dari tactus, dici tamen vnum sensum, de quo quedam ibi notaui.

9

Ad illud contra signum Aristotelis, dicendum quòd fallit per instantiam: quia melius est benè viuere, quàm viuere, tamen magis odimus oppositum viuere, quàm oppositum benè viuere: quia oppositum viuere destruit & viuere, & benè viuere. Vnde Philosophus 7. Topicorum cap. 2. glossat illam propositionem sic: *Nisi cùm alterum infert alterum:* & vult quòd illa regula non teneat quando magis eligendum includit minùs eligendum; sicut in exemplo proposito benè viuere includit viuere. Similiter & in proposito, sensus visus includit sensũ tactus, & oppositum tactus destruit tactum & visum. Ad aliud dicendum, quòd visus magis facit ad cognitionem per se, siue ad scientiam, quæ est per inuentionem, sicut vult Philosophus ibi. Ad Philosophum dicendum, quòd sicut ipse vult, auditus per accidens solùm magis facit ad cognitionem, siue ad scientiam, quæ est per doctrinam in hoc, quòd vox audibilis, quæ mouet auditum, est significatiua conceptuum, & hoc accidit voci secundùm quòd mouet auditum: & est immutatiua auditus. Si enim eædem voces formarentur quæ modò, & non essent signa instituta conceptibus, auditio earum nihil iuuaret ad disciplinam: si etiam signa visibilia essent imposita ad significandum conceptus omnes, sicut de multis habent Monachi, visus tunc per illum modum conferret ad scientiam, per quem nunc confert auditus. Sed voces sunt signa promptissima: & propter illud videtur lingua data esse hominibus, secundo de Anima, text. com. 88. Sic patet quomodo auditus per accidens facit ad scientiam: quia suum obiectum ex institutione factum est signum conceptus: per quam institutionem, nihil sibi accrescit. Vnde per accidens auditus facit magis scire; visus autem per se & directè, mediante lumine naturali ipsius intellectus.

Visus magis facit ad scire quã alij sensus.

Auditus per accidens magis ad scientiam quàm visus.

Nota de silentio Monachorum.

10

Tactus est duarum contrarietatum. Scot. q. 1. de Anima.

Ad aliud, quòd verum est quòd tactus est duarum contrarietatum, & visus vnius: & ex hoc fortè sequitur quòd tactus non sit simpliciter vnus sensus, tamen ex hoc non sequitur, quòd tactus plures differentias rerum demonstret: quia obiectum ipsius visus, scilicet lux & color in pluribus corporibus reperiuntur, quàm omnes qualitates tangibiles, si essent mille: & quia cognoscimus substantias per accidentia sua, & obiectum visus in pluribus corporibus reperitur, quàm obiectum tactus, vel alicuius alterius sensus particularis, ideò visus plures res demonstrat, & magis facit ad scientiam: & ideò magis diligitur.

Ad vltimum dici potest, quòd illud habet veritatem, quando illud prius est de essentia posterioris, sicut animal de essentia hominis: sic non est in proposito: qualitates enim primæ non sunt de essentia lucis. Similiter illæ qualitates tangibiles non sunt simpliciter primæ: sed primæ sunt respectu susceptibilis earum susceptiui, cuiusmodi sunt hîc inferiora: immò simpliciter malè allegagatur auctoritas illa ad hoc. Dicit enim ibi quòd quærit principia corporis sensibilis: & illud est tangibile. Ideò solæ contrarietates secundùm tactum faciunt species corporis, puta corporis sensibilis, de quo ibi intendit. Sequitur pòst: *quamuis visus prior tactu quapropter & subiectum prius,* id est, obiectum: sed non est obiectum visus, corporis tangibilis passio secundùm quòd tangibile, sed secundùm aliud: & si contingat natura prius, scilicet secundùm aliquam naturam communem corpori generabili, de quo ibi intendit, & corpori cœlesti, cuius est natura perspicui fortè. Ad aliud quod fuit tertium in ordine de Leone Papa, responsum est superiùs.

ANNOTATIONES
MAVRITII.

SEquitur quæstio secunda de naturali appetitu omnium hominum, immò omnium intellectualium naturarum, respectu scire. Vbi aduerte primò, quòd Doctor hîc incidentaliter post oppositum disputauit illam difficultatem, quam in quæstionibus Antonij Andreæ inter quæstiones enumerant: licèt ipse pro dubio litterali eam habet in expositione litteræ, vtrùm videlicet visus magis facit scire: & adducit 5. rationes: & eas soluit in fine quæstionis.

11

In principio solutionis ibi: *Notandum circa ordinem.* vsque ibi: *Ad solutionem tamen huius quæst. &c.* totum ponitur esse *Extra,* vel additio: & aliqui habent eam infrà ad finem 4. quæst. sed est singularis passus, quare legatur hîc.

Obiectiones quas ibi inducit, quòd non communiter de omnibus, &c. faciliter soluuntur. Prima ex his quæ habet, quæst. 3. & 4. prolog. & quæst. 4. 3. dist. primi. & 45. dist. 4. & alibi sæpè: nam contingentia certò cognoscuntur & infallibiliter. Similiter secunda patet. Ad tertiam dic, quòd ab intellectu etiam intuitiuè secundùm aliquos. Et videtur intentio huius. Ad quartam, potest concedi primum, si intuitiuè, vel per speciem sui, vel alterius, si abstractiuè. Quod ibi dicit, *Quare,* scilicet *in quæstionibus de intellectu:* vide vbi suprà, & 3. dist. & 9. eiusdem, & in quæstionibus Collationum, & in quæst. lib. de Anima; sed se remittit ad alios, maximè qui negant cognitionem per essentiam. Ad quintam potest concedi quod infertur, remoto impedimento. Quod obiicit de Petro, fuit ex insolita Angeli visione attonitus, vt Paulus in raptu. Vel dic aliter, recurrendo ad causas naturales vehementis passionis, &c.

Infrà soluendo primam rationem Henrici, ibi: *Circa hoc stude.* potest dici ad illud dubium, vt patet ex sequentibus hîc, & alibi sæpè in doctrina huius, quòd appetitus naturalis grauis, vel alterius, nihil aliud est quàm tendentia; quæ non est aliud à natura ipsa, quæ si sit relatio, est tantùm fundamentalis.

Quod infrà tangit, exponendo illud August. 9. Trin. *desiderium inhiantis:* & licèt vtraque expositio sit probabilis, prima tamen magis placet: sed vide curiosè in 3. dist. 26. & alibi.

Intentio Doctoris in hac quæst. est, quòd desiderio naturali, licèt non animali, vel intellectiuo, omnes homines scire desiderant.

Ex sensibus autem quibusdam quidem ipsorum memoria non fit: quibusdam verò fit. Et propter hoc alia quidem prudentia sunt, alia verò disciplinabiliora non potentibus memorari.

Ex textu prolog.

QVÆ

QVÆSTIO III.

Vtrùm prudentia sit in brutis?

Arist. *hic cap.* 1. *& lib.* 1. *de hist. anim. c.* 5. *& lib.* 9. *cap.* 6. *& sequent.* Albert. *hic cap.* 6. D. Thom. *lect.* 1. Flandr. *quæst.* 31. *artic* 4. *&* 5. Fonseca *cap.* 1. Suar. *disput.* 1. *Metaph. sect.* 6.

1 QVòd non, tũ, quia prudentia est recta ratio agibilium sexto Ethic. cap. 6. sed bruta non habent rationem; tum, quia prudentia includit prouidentiam de futuris ex memoria præteritorum, quod non potest esse sine collatione præteriti ad futurum, conferre autem est ipsius rationis: tum, quia nihil cognoscunt nisi per sensus; sensus non est per se nisi sensibilium propriorum & communium: nociuum autem & vtile circa quæ est prudentia, nec sunt sensibilia propria, nec communia; ergo &c.

Oppositum vult Philosophus in litera.

SCHOLIVM III.

PRVDENTIAM *metaphoricè, non propriè esse in brutis. Optimè explicat qualiter multa faciant eo ferè modo, quo homines, non tamen propterea habere prudentiam, vel prouidentiam, quia carent deliberatione, neque cognoscunt futura quà talia. In fine tangit an habeant memoriam nécne, iubens quærere responsionem, quam inuenies apud eum* 4. *distinct.* 45. *quæst.* 3. §. Iuxta hoc, *num.* 7. *& seq. Problematicum est an detur memoria sensitiua ex diuersis actibus brutorum cuiusmodi sunt prouidentia, vindicatio, beneficiatio, nidificatio, ac disciplinatio; suadetur ea habere memoriam, sed hæc omnia saluat ibi Doctor, negando ab eis omnem memoriam. Vide eum in expositione textus, qui præponitur huic quæstioni, vbi habet exquisita circa rem hanc. De quo Anton. Andreas quæstione* 4.

2 Respondeo quòd prudentia est in brutis metaphoricè: & hoc non respectu illorum quæ prosequuntur vel fugiunt ex naturali instinctu, sicut agnus sequitur matrem & fugit lupum: & hirundo facit nidum, & formica colligit grana contra hyemem: tum, quia ista non fiunt ex memoria: formica enim generata in æstate nunquid meminit hyemis? & tamen grana, colligit: memoria autem est pars prudentiæ brutorum, hîc in litera: tum, quia talia quæ fiunt ex naturali instinctu consequuntur totam speciem necessariò; & circa illa non contingit sic & aliter agere: prudentia autem sicut in nobis, est habitus consiliatiuus; non de fine; sed de his quæ sunt ad finem, non circa necessaria, sed contingentia, ita etiam in illis est circa illa quæ possunt sic aliter facere: puta quòd congreget, vel reponat, hoc in loco, vel illo: & ex hoc cumulo, vel illo, ex memoria loci, vbi primum granum reposuit, & cumuli vnde primũ sustulit: & quòd aranea magis facit telam in loco vbi maior est copia muscarum, vel hirundo nidum vbi difficilior est accessus.

Ad argumenta: ad primum patet quòd illa est diffinitio prudentiæ propriè dictæ. Ad aliud in litera, experimenti parum participant: & sicut aliquo modo habent experimentum, ita & collationem aliquam, licèt non illam quæ appropriatur rationi quæ est per discursum à noto ad ignotũ.

Ad tertium, per cognitionem sensitiuam interiorem aliquid cognosci, quod non cognoscitur per sensum exteriorem; licèt fortè species illius sit in sensu exteriori, sicut ponitur de cognitione substantiæ per intellectum, quam nullus sensus cognoscit: licèt, secundùm quosdam, substantia multiplicet speciem suam cum specie accidentis. Quòd autem sensus non cognoscat per illam speciem, quæ est in ipso, hoc est propter defectum virtutis cognoscitiuæ, non speciei repræsentantis: sicut medium non videt colorem, licèt ibi sit species coloris.

3 Contra responsionem ad secundum argumentum: bruta multa faciunt ex cognitione eodem modo quo fierent ab homine cognoscente per discursum rationis; ergo videntur habere similem cognitionem. Antecedens patet: sicut homo syllogizans argueret: Per breuiorem viam peruenitur ad intentum: hæc est breuior; ergo &c. Et ex tali discursu breuiorem eligeret ad aliquid obtinendum. Similiter videtur canis eligere prosequendo leporem: & sic de aliis. Ad hoc dicitur quòd licèt similiter agant quædam, sicut homo ageret ex deliberatione, non tamen oportet quòd similem cognitionem habeant: nam illud quod elicitur ex deliberatione, posset etiam idem non eligi, ex deliberatione, sed ex solo appetitu sensitiuo: & similiter, fieret vtraque actio exterior, sed non similiter foret vterque dominus suæ actionis. Contra hoc, ergo à simili possunt bruta agere, quasi haberent prudentiam, siue collationem præteriti ad futurum; licèt nullam habeant: prouidit enim formica contra hyemem, quasi cognosceret hyemem futuram: cùm tamen hoc non videatur cognoscere, cùm non habeat esse in se, sed tantum in sua causa, vel necessaria, si est necessarium; vel contingenti, si est contingens; non videtur ergo quòd futurum ei cui est futurum, possit esse cognitum necessariò, vel probabiliter coniecturando, nisi ex causa: cognitio autem effectus per causam est per collationem propriè dictam, quæ negata est à brutis; ergo prudentia illo modo, quo est in illis, non videtur esse prouidentia futurorum ex memoria præteritorum. Respondeo quòd illud potest concedi, cùm in omni actione sua agantur, & non agant: & ideò cùm nullius actionis sint domini propriè, nihil agunt prouidendo sibi respectu futurorum ex memoria præteriti, sed videtur quòd similiter agunt ex natura, quasi sic mota agerent.

Bruta quadã faciunt sicut homo, nõ tamen ex deliberatione.

Bruta carent prouidentia.

4 Contrà: quomodo ergo ponit Aristoteles gradus cognitionis in brutis? Respondeo quòd secundùm veritatem omnia bruta carent prouidentia futurorum per cognitionem. Sed quædam tantùm præsentia cognoscunt, & nullum instinctum habent ad faciendum illa, quæ vtilia sunt in futurum; quædam cum cognitione præsentium, instinctum habent ad operandum: quasi futura prouiderent, tamen necessariò agunt, non ex præcognitione, nec liberè, vnde tantum similitudinariè prudentia sunt. Sed tunc quæres fortè, quare talia non consequuntur totam speciem? Respondeo: quod difforme est pertinet ad sensum, puta ex hoc cumulo colligere grana, & hîc reponere: sed quod vniforme est ex instinctu naturæ est, puta simpliciter colligere quasi prouidendo, vnde sensus administrat instinctui Naturali. Sed ex hoc videtur sequi

Bruta non cognoscunt futurum: sed ex cognitione præsentium quasi prauident futura.

videtur sequi quòd minùs sit prudentia quo ad difforme, quàm quo ad vniforme: quia in apprehensione sensitiua nullus ponit prudentiam, quod autem difforme ibi est, pertinet ad sensum præcisè.

Aliter videtur saluari Aristotelis intentio, quia ipse ibi nihil loquitur de prouidentia futurorum, sed tantùm de memoria, & ex hoc concludit, *& propter hoc alia prudentia sunt*; quasi ille non sit gradus alius vltra memoriam.

5

Notandum est etiam, quòd hîc non distinguit inter phantasiam & memoriam, nec inter sensum & æstimatiuam: quia omne animal sicut habet sensum, ita & aliquam æstimationem; & tamen omnis potentia apprehensiua habet propriam appetitiuam; ergo omne animal habet duplicem appetitum: vnum sensitiuæ, alium æstimatiuæ. Sed vbi istæ virtutes sunt sine aliis retentiuis, ibi nec est appetitio, nec apprehensio conuenientis sensibilis, nec conuenientis naturæ, nec sensibilis, quod pertinet ad æstimatiuam, nisi tantùm in præsentia sensibilis. Prosequens autem tãtum aliquid præsens, nullus potest dici prudens propriè, nec similitudinariè: quod autem habet phantasiam retentiuam speciei sensibilis, & memoriam retentiuam speciei conuenientis æstimati, si in absentia actu phantasietur de sensibili, actu etiam æstimabit de conuenienti. Et licèt appetitus phantasiæ non impellat, quia fortè phantasiatum non est sensui delectabile; tamen si est conueniens naturæ appetitus æstimatiuæ impellet. Et tunc ex tali memoria & æstimatione, & appetitu, prosequendo absens, non delectabile sensui, sed conueniens naturæ, est actus bruti simillimus actui prudentiæ in nobis: quia quantùm ad executionem similis: si enim non prosequeremur ex prudentia, sed post apprehensionem alicuius conuenientis, per longam deliberationem determinaremus illud esse conueniens; & quia tale prosequeremur, non quia delectabile, nihil videtur eis deesse, nisi ista deliberatio; sed propter hoc non est in eis dissimilitudo in prosequendo. Sicut enim dicitur suprà, multa nos non deliberando agimus, similiter quasi deliberaremus: summa similitudo est, si illud conueniens est conueniens eis, non pro tunc vtendo, quando quæruntur, sed pro futuro, tunc videntur prouidere: sed nunquam hoc faciunt propter cognitionem futuri, sed propter cognitionem nunc præsentem in æstimatiua de aliquo præsenti, vel præterito.

In quo actus bruti simillimus prudentia.

Brutis deest deliberatio.

Si bruta faciunt aliqua pro tunc eis non vtilia, videntur prouidere.

6

Quare vnum phantasma potiùs mouet brutum quã aliud?

Sed contra hoc obiicitur sic: quare magis occurrit eis vnum phantasma mouens, quàm aliud? Respondeo, quod fortiùs fuit impressum, primò occurrit cessantibus motibus sensibilium exteriorum. Item arguitur: quare non nunc, sicut aliàs mouetur phantasia & æstimatiua? In hyeme enim non colligit formica grana. Item quare fugit delphinus contra tempestates, dato quòd illas priùs non senserit? Item, tunc quandocunque cessabunt vehementiora sensibilia, extra impellet phantasia & æstimatiua, & semper idem faciet quodlibet animal. Item, nunquid cognoscit præteritum sub ratione præteriti, aut tantùm præsentis sicut est phantasiæ cognoscere? quære responsionem alibi.

ANNOT. MAVRITII.

SEquitur tertia quæstio de prudentia brutorum, in qua ponit conclusionem, cuius prima pars est affirmatiua, & secunda negatiua contra Thom. hîc in prolog. Metaph. in opposit.

Ibi infrà, soluendo tertium principale, tangit opinionem Henrici, & aliorum plurium de cognitione substantiæ, & suffocatione quadam sensus interioris, & loquitur famosè vt patet: quia aliter inferiùs determinat se, resoluendo intentionem Philosophi.

In fine quæstionis, vbi dicit, *quare responsionem alibi.* Illud potest quæri apud Aristotelem in lib. de Animalibus, & Alber. Magnum, & Auic. & alios Metaphysicos. Sed breuiter ad primum dicatur, quòd non concurrit in hyeme appetitus sensitiuus cum æstimatiuo: quia non delectat tempus, & alia impedimenta occurrunt, instinctu etiam aliter agente, aliter operatur. Ad aliud recurrendum ad idem & ad virtutem cælestem, qua reguntur plurimùm bruta. Ad tertium, posset concedi quod infertur, idem saltem secundùm genus. Ad vltimum & quodammodò ad præcedentia: quære 45. d.4. & in libro dē Memoria & reminiscentia: & nota valde subtilem determinationem Doctoris, ad finem solutionis huius quæstionis, quia sapit.

Hominibus autem scientia & ars per experimentum euenit. Experientia quidem enim artem fecit, vt Polus rectè dicens: sed inexperientia casum.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm ex experientiis generetur ars?

Arist. *hic cap.* 1. *&* 1. *Post cap.* 14. *&* 18. D. Thom. *hîc lect.* 1. Albert. *ibid. cap.* 7. *&* 8. Flandr. *q.* 4 *ar.* 5. Fons. *cap.* 1. *q.* 5. *sect.* 2. *& seq.* Suar. *d.* 1. *sect.* 6. Vide Scot. *q.* 1. *Poster.*

QVòd non, secundùm Philosophum in litera: habere quidem in multis singularibus experimenti est, habere quod in omnibus, artis est: sed ex multis non possunt concludi omnia: sed è contra; ergo, &c. Item, in litera habetur quòd experti sciunt *quia* solùm; artifices verò *propter quid*, sed ex cognitione, *quia*, non concluditur, *propter quid.* Item, si ars fit ex multis experimentis, quæro, quam circunstantiam causæ dicit ly, *ex*, non causæ formalis, nec finalis: constat, ergo vel materialis, vel efficientis; non primo modo, quia materia est pars rei, & immanet rei factæ: cognitio experimentalis est singularium, quæ non est pars cognitionis vniuersalis, quæ habetur per artem: nec secundo modo, quia tunc, aut sicut ex efficiente vniuoco, & tunc effectus & causa essent eiusdem speciei, quod falsum est; aut sicut ex efficiente æquiuoco, & tunc efficiens esset nobilius effectu, quod falsum est, quia ars est nobilior experimento. Item, secundùm opinionem Platonis, ars & scientia insunt homini à natura; ergo non generatur ex experimẽtis. Probatio antecedentis est: quia Plato quæsiuit ab vno puero directè principia Geometrica, qui nunquam didicit ea, qui rectè interrogatus

Puer interrogatus à Platone de principiis Geometriæ, rectè respondit.

de principiis & conclusionibus Geometricis rectè respondit ad omnia. Sed tunc arguitur: nullus rectè interrogatus rectè respondet ad ea quæ ignorat, sed ille puer rectè interrogatus rectè respondit ad ea, & tamen nunquam didicit, ergo,&c.

1

Item, non videtur ex litera, quòd ex vno experimento ars generetur, sicut nec ex vna memoria experimentum; ergo necessariò ex multis: sed multa experimenta sunt multæ cognitiones eiusdem speciei; multa singularium in eadem specie, quæ cùm sint accidentia eiusdem speciei, non possunt simul esse in eadem potentia experimentiua scilicet cogitatiua, vel alia, quæcunque sit; ergo nunquam ex experimentis, cùm non possint esse plura simul, generatur ars; ergo, &c. Item, August. 83. q. q. 9. *ex sensibilibus non est expetenda syncera veritas*: quod primò probat, quia omne sensibile est continuè mutabile, sed de talibus non est certa apprehensio sensitiua; & si sic, nunquam ex talibus habetur experimentum, & per consequens nec ars. Item, arguit ibidem 2. cùm omnia sensibilia sentiantur per sensus, non potest sensus paticipere, an patiatur ab obiecto vero, vel tantùm à specie: sed à potentia nulla apprehensiua, est expectanda certa veritas, quæ non potest discernere inter obiectum verum & falsum; ergo ex cognitione experimentali sensitiua,nunquam habetur certa cognitio vniuersalis, cuiusmodi est ars.

Oppositum vult Philosophus in litera, & in 2. Poster.vlt.c. vbi ponit eundem modum generandi artem, sicut hîc.

SCHOLIVM I.

PRIMVM *dictum huius literæ: Scientia acquiritur nunc per inuentionem, nunc per disciplinam, & exemplo sanationis declaratur vtrumque.. Secundum dictum: Ad cognitionem simplicem intellectus, necessaria est cognitio sensus, quia nihil est in intellectu,quod non fuit in sensu,1. Post. 33. de quo vide Doct.1.d.3.q.6.nu.19.& q.3.nu.24.& 4.d.45. c.1.ad .pro opin.Tertium: Potest intellectus virtute propria, sine cognitione sensus, componere, & diuidere,tam quoad principia,quàm quoad conclusiones,modò præhabeat cognitionem simplicem, id est, species terminorum, quoad principia; & notitiam medij quoad conclusiones: requiritur tamen simultanea cognitio phantasiæ, quia nihil intelligimus in vniuersali, quod non phantasiemur in particulari, vt experientia constat, & tenet Doctor 1.d.3.q.6. ad 3.pro opin.Henr.nu.19.ex Phil.3.de An.tex.2. & 39. Quartum dictum: Iuuat cognitio experimentalis sensus,vt citiùs quis assentiatur principia, v.g.huic* Totum est maius sua parte, *quando videntur totum, & partes: tamen si sensus erraret in apprehensione terminorum, vt iudicando quod est remotius, esse minus eo,quod propinquius est, cùm è contra sit, non ideò intellectus falleretur in suo iudicio,sed corrigeret sensum de quo Doctor 1.d.3.q. 4.§.*Respondeo *aut circa,n.11.vide Ant. Andream hîc q.5. qui fusiùs ita explicat.*

Ad quæstionem dicendum,quòd dupliciter generetur scientia scilicet per inuentionem, & per doctrinam scilicet illa quæ per inuentionem prior est: nullus enim docet, nisi qui didicit: vel per doctrinam, vel per inuentionem: & si per doctrinam,adhuc habuit ab alio priùs sciente. Est autem de istis duobus modis addiscendi, sicut de sanatione:quandoque enim natura est ita potens,quòd sine adiutorio extrinseco inducit sanitatem:quandoque indiget adiutorio extrinseco: sed adhuc illud extrinsecum non est nisi instrumentum, & natura principaliter est sanans: ita in quibusdam naturale lumen intellectus est ita potens, quòd ex se sufficiat quòd applicet principia ad omnes: & tunc dicitur scientia acquiri per inuentionem. Quandoque non potest, & tunc iuuatur quibusdam signis sensibilibus propositis sibi à docente: per quæ docens exprimit applicationem quam apud se habuit, & addiscens concipit: & in virtute luminis proprij conclusioni consentit: quam deductam esse videt ex principiis sibi priùs notis.De generatione ergo per inuentionem determinat hîc Philosophus.

Scientia acquiritur per inuentionem vel doctrinã, & quomodo.

Sed hoc non est verum, scilicet quòd tantùm de ista determinetur hîc: quia addiscens non potest addiscere nisi cognoscat ad quid instituta sunt signa quæ proponit docens, & nisi illa signata aliqualiter concipiat; igitur tam quantùm ad apprehensionem simplicem est sibi necessaria cognitio sensitiua, quàm, quantùm ad cognitionem principiorum per modum occasionis: quàm etiam quantùm ad cognitionem conclusionis: quia vera est: nisi enim eam nouerit per experientiam, tantùm crederet docenti asserenti eam: nec sciet eam quia, *nec* propter quid, *donec demonstretur: & talis fides sufficit ad demonstrationem addiscendam ab alio plus quàm ad per se inueniendam: quia non inueniretur per se fortè; nisi præsupposita certa cognitione,* quia, *qua habita quæretur causa inuenienda per viam diuisionis.*

Videtur additio.

Vbi sciendum, quòd prima operatio intellectus, vt habetur 3.de Anima t.c.21.est apprehensio simplicium, quam consequitur compositio, vt actus secundus; & argumentatio, vt tertius actus: simplicia autem si sunt sensibilia, hoc dubium est:quia fortè secundùm Auicennam sexto scilicet naturalium, part. 1. & secundùm Augustinum si quis viueret, & nihil vnquam sensisset, & esset in statu perfectæ ætatis,cognosceret se viuere,& esse; ergo hîc saltem certum est, quòd cognitionem intellectiuam non præcedit sensitiua, vt origo, etiamsi aliunde posset oriri, non posset intelligi in vniuersali, nisi priùs sentiretur in singulari: quod probat Philosophus primo Posteriorum:t.c. 33.quia deficiente sensu, deficit scientia de sensibilibus illius sensus: quam impossibile est accipere. Si autem illa simplicia non sunt sensibilia, puta substantiæ & intentiones secundæ, & huiusmodi,tunc alia concipiuntur ab intellectu, primo actu intellectus, non sine apprehensione sensibilium, ex quibus cognoscuntur vel per discursum, vel quædam illorum:eò quòd multiplicant species suas cum speciebus sensibilium, secundùm diuersas opiniones; igitur nullo actu intellectus cognoscitur aliquid à nobis, nisi præcesserit cognitio sensibilium in sensu, hac autem cognitione præexistente generantur consequenter posteriores cognitiones in sensu communi & phantasia.

An cognitio sensus præcedat scientiam.

Et vlteriùs: quia illud quod existit in virtute phantastica, vt ibi existit, est improportionatum, vt moueat intellectum possibilem, secundùm quosdam; ideò attribuitur ei aliqua forma ab intellectu agente, virtute cuius potest mouere intellectum possibilem.Ille igitur,sic conceptis simplicibus, potest virtute propria, ipsa componere, vel diuidere: conceptus autem tales complexi, si

Experientia quomodo facit ad principia cognoscenda?

sint primorum principiorum, cognoscuntur esse veri lumine naturali intellectus: quia *principia cognoscimus inquantum terminos cognoscimus*, ex primo Posteriorum; t.c.6.etiam cognosci possunt, quia veri sunt ex frequenti cognitione sensitiua, memoratiua, & experimentali: per quas cognoscimus terminos talis principij, in suis singularibus in re esse coniunctos; sicut sensu frequenter vidit hanc totalitatem, & hanc maioritatem coniungi. Sic ergo patet qualiter cognitio experimentalis valet ad cognoscendum illud, quod est principium artis & scientiæ, de quo habetur secundo Posteriorum: tex. c. vlt. quia & propter cognitionem simplicium, quæ cognitione sensitiua apprehenduntur, & propter cognitionem veritatis in compositione; sicut dictum est.

5 *Ad simplicē apprehensionem non est necessaria experientia.*

Quoad primum non est cognitio experimentalis, siue frequens acceptio sensibilium, necessaria: sed aliqua apprehensio sensibilis est ita necessaria, quòd sine illa impossibile est vel simplex, quod est terminus principij; vel cópositum ipsum ab intellectu concipi: & idem etiam æquè verum est de conclusione; sicut de principio. Quoad secundum iuuat cognitio experimentalis: vt citiùs assentiatur principio affirmatiuo, si per sensum cognoscatur coniunctio extremorum in singulo: negatiuo, si disiunctio: sed non est necessaria nec ipsa, nec aliqua apprehensio sensitiua. Licèt enim nunquam per aliquem sensum videatur hæc affirmatio, vel negatio, nec eorum separatio in re, si tamen ex sensibilibus apprehenditur affirmatio, vel negatio, & intellectus componat hanc propositionem, *De omni est affirmatio, vel negatio vera*, assentitur isti. Et etiam vbi sensus percipit coniunctionem singularium terminorum in re, adhuc certiùs adhæretur principio complexo per naturale lumen intellectus, quàm propter aliquam apprehensionem sensus. Si enim in apprehensione sensus esset error, & intellectus iudicaret sensum errare in hoc, & tamen à sensu errante acciperet notitiam simplicium, & illa componeret ex sua virtute, adhuc intellectus circa illud principium non erraret, quantùm ad veritatem compositionis. Quo ad conclusiones, cognitio sensitiua est necessaria propter apprehensionem simplicium, sicut priùs dictum est; sed non est necessaria quoad veritatem compositionis: Sed quoad veritatem compositionis, interdum iuuat cognitio experimentalis, ex frequenti memoria genita, & hoc tantummodò, quia conclusio vera est, & cùm intellectus assentiat conclusioni, quia vera, id est, ex frequenti acceptione sensibilium: & considerat illud cui assentit non esse per se notum, nec primum principium, cognoscit illud esse verum habens causam: & sic excitatur ad inquirendum *propter quid* illius veri. Vnde experti conclusione, *quia est*, videntur se habere circa illam, sicut admirantes nescientes adhuc causam eius quod cognoscunt, quia verum est, & ex hoc incipiunt philosophari, & causam inquirere. Admiratio tamen minùs est quam cognitio experimentalis: quia admiratio potest esse ex vnico actu sentiendi: cùm adhuc non habeatur pro certo, quia ita semper est.

Intellectus accipiens simplicium notitiam à sensu errante, certè & verè iudicare potest. Sco.1.d.3.q.4.

Admiratio minùs est quàm experientia.

SCHOLIVM II.

EXPLICAT *pulcherrimè quomodo ex multis experientiis generatur ars, seu cognitio vniuersalis factiua: & quomodo inductio, & an hæc generat scientiā veram. Vide ipsum in positione textus huius quæstionis & seq. vbi circa hæc exactè, & clarè procedit, & 1.d.3.q.4.§.*De secundis cognoscibilibus, *num.9.*

6

Ad primum argumentum principale potest dici secundùm Philosophum 8. Topic. cap. 6. quòd inducenti in multis singularibus oportet vniuersalem concedere, vel ferre instantiam, alioquin proteruit respondens; expertus habet cognitionem in multis, & in nullo fertur instantia: igitur potest accipere; quia ita est de omnibus. Contrà: quamuis dialecticè concludatur respondenti secundùm artem nunc dictam, tamen scientia non generatur per hoc: licèt ita etiam sit in multis, non est necesse ita esse in omnibus, quamuis nesciat quis ferre instantiam: & quamdiu non est necesse esse ita in omnibus, non est firma adhæsio, quòd sit ita in omnibus. Ad hoc dicendum, quòd argumentum probat verum, quòd experimentalis cognitio quantumcunque frequens, non infert necessariò ita esse in omnibus, sed tantùm probabiliter: & ex hoc sequitur quòd non sit sufficiens causa ad generandam artem, vel scientiam: quod concedi potest, sed tantùm coadiuuans & occasio. Per hoc etiam dicitur ad secundum, quòd ex experimento non sequitur notitia scientifica, *propter quid*: sed *quia*, ex experimento cognoscente, quia est, datur occasio sic inquirendi causam: & sic inueniendi *propter quid*, & per consequens sic esse in omnibus singularibus. Vnde expertus per singularia arguit per simile, quòd sicut est de vno singulari, & de pluribus; sicut est in multis singularibus, sic est in omnibus. Quod autem simile sit de vno singulari, & de aliis, idem accipitur, quòd subiectum comparatur ad prædicatum, non secundùm accidens: nec secundùm illud in quo differt ab alio singulari, sed per se & secundùm naturam sui communis.

Inductio non generat scientiam.

Expertus quomodo ex singularibus colligit vniuersalem conclusionem?

7

Contrà: quomodo per experientiam sciam quòd prædicatum inest multis singularibus per naturam sui communis, cùm contingat dubitare de aliquo singulari non viso, quòd ipsum non consequitur prædicatum. Item, supponere quòd singulare per naturam sui communis in qua assimilatur alij singulari, sit tale, hoc est supponere quòd commune sit tale per se: sed hoc est petere: quia illius notitia accipitur à singularibus. Item, arguitur confirmando secundum argumentum principale: si enim quia in multis singularibus visum est hoc consequi illud, ideò arguitur ita esse in omnibus: quasi causaliter; hoc non tenet, nisi quia natura communis est per se causa illius in communi; sed illud est dubium magis, vel æquè cum conclusione.

SCHOLIVM III.

PONIT *tres falsas opiniones de scientiæ generatione. Prima ait nullam esse veram, sed apparentem tantùm, quam tenuit Anaxagoras & Homerus ex Arist.4. Met.tex.22.vbi vide expositionem Doctoris. Contra hanc optimè disputat 1. d.3.q.4.à §.*

Prima num. 4. Secunda est Auicenna de influxu specierum, de qua hic non tractat. Tertia est Platonis, scientiam non acquiri, sed esse nobis innatam. Hanc refutat ex Aristotele, Augustino, & rationibus claris.

8 *Opiniones antiquorum.*

Ad completiorem ergo & ampliorem solutionem istius quæstionis, sciendum est primò quòd modum ponendi Aristotelis de generatione scientiæ in nobis per experimentum & inuentionem negant tres opiniones. Quarum vna est de veritate apparentium, propter mutabilitatem sensibilium, & deceptionem sensuum, quæ fuit opinio antiquorum, dicentium apparentia omnia esse vera: de quorum opinione habetur 4. huius, t.c.21. & probabilitas opinionis tangitur 6. & 7. arg. principali, quæ sunt Augustini. Secunda est opinio Auicennæ de influxu specierum ab Intelligentia, quam ponit 9. Metaphysicæ suæ: quam improbare non est præsentis negocij. Tertia est opinio Platonis ponentis scientiam nobis innatam: cuius vna ratio ponitur superiùs in arguendo ad quæstionem, & est ratio quarta ad quæstionem. Alia ratio innuitur 1. Posteriorum, t.com.4. quæ talis est: Nullus quærens ignotum, inueniet nisi à casu: quia si inuenerit, nesciet quòd illud quæsiuerit: ergo omnis discens quærens aliquid, priùs sciuit illud. Confirmatur, quia non videtur quòd natura sit minùs sollicita de homine, quàm de brutis, imò per Philosophum 2. Cæli & Mundi, perfectiora superiora perfectionem suam acquirunt paucioribus, vt orbis superior, quàm inferiores; sed sensus in brutis statim acquirit suam perfectionem vnico actu; ergo multo magis intellectus in hominibus.

T. c. 62. & sequentibus.

9

Contra opinionem Platonis arguit Aristoteles 2. Posteriorum c.vlt. sic: inconueniens est cognitiones certissimas demonstrantem latere: sed antequam addiscamus, non percipimus eas in nobis; ergo non insunt. Confirmatur maior: quia habitus intellectualis etiam debilissimus, non est in nobis, quando certi sumus de illo quod nobis inest: nec latet, omnis enim opinans, dubitans, & credens certus est se opinari, dubitare, & credere. Vnde Augustin. 13. de Trinit. c. 1. & 3. *fidem vnusquisque in se videt*, &c. vide ibi quæ habentur.

Additio.

Contra: ergo omnis sciens scit se scire, cuius oppositum dicitur in responsione ad secundum principale. Probatur etiam: quia Apostoli sciuerunt viam: quia Christus dixit, viam scitis; & tamen nescierũt se scire, quia tunc Thomas mentitus fuisset, nescimus quò vadis, Augustinus super 1. Ioannis.

Item, contra Platonem arguit August. 1. de Trin. c. vlt. vbi multùm loquitur de ista materia sic: si puer ideò rectè respondet de conclusione, quia priùs sciuit: ergo si priùs interrogaretur de ea, antequam de principio, vel de conclusione remota à principio, rectè responderet, quod falsum est: nunquam enim rectè responderet nisi ordinatè interrogatus: vbi principia statim videret & connexionem ordinatè propositorum, & sic demonstratiuè docetur. Item, quare interrogatus de sensibilibus, vel de aliis, non demonstratiuè se habentibus, non rectè respondebit. Item, tertiò contra Platonem: natura videtur primò secundùm originem intendere perfectionem potentiarum inferiorum, quàm superiorum: patet de intellectu & voluntate; ergo similiter est de sensu respectu intellectus, aliter non videtur necessaria coniunctio animæ ad corpus; nec sensus nobis necessarij. Sed hoc non mouet: quia possent esse necessarij propter perfectionem compositi; licèt per ipsos scientia non acquireretur: sicut potentia augmentatiua est necessaria in perfecto quanto. Item quartò arguitur sic contra Platonem: est aliquod sciens quod est sua scientia; aliquod sciens quod non est sua scientia: sed sua scientia est sibi innata; ergo rationabile & possibile est ponere tertium gradum, aliquod scilicet sciens quod nec est sua scientia, nec scientiam habet sibi innatam, sed scientiam quærat. Item, nunquam est ponenda pluralitas sine necessitate 1. Physicorum, tex.c.50. de finitate principiorum, & de Anima 3. tex. c. 60. natura non abundat in superfluis, nec deficit in necessariis; sed nihil apparens in homine concludit necessariò scientiam sibi esse innatam; ergo non est hoc ponendum.

Quare puer ad aliqua respondet ordinatè, ad alia non?

10

Pluralitas sine necessitate tollenda.

SCHOLIVM IV.

Intellectum posse accipere notitiam à sensu errante, & formare inde propositiones certas, tam mediatas, quàm immediatas: v. g. si cæco in somno imprimerentur species colorum, acciperet intellectus eius apprehensionem simplicium à phantasia errante, quia vtente phantasmate, pro re, tamen eodem modo postea formaret certas notitias, sicut & is, qui acciperet notitiam simplicium à sensu non errante, de quo optimè tractat Doctor 1. d. 3. q. 4. §. Respondeo, *aut circa, num. 11. hinc infert cognitionem intellectus esse certiorem sensitiua, quia sensus non reflectit, nec propriè iudicat, de quo dixi in comment. ad quæst. 9. Scoti de An. annot. ad 3. arg. nec obstat, quod ait Aristoteles 2. An. c. 7. sensum non posse decipi, quia intelligitur secundùm se, & circa proprium sensibile, exclusis impedimentis, vt habet hic Doctor, num. 15. de quo in comment. quæst. 10. eius de An. con. 5. vbi de hoc plura.*

Item, quare diuersi contraria opinantur, & non omnes omnia sciunt? Secundò directè ad clariorem intellectum quæstionis, est considerandum, quòd à sensu siue errantis, siue non, potest intellectus apprehendere simplicia, & statim vniuersalissima; quia ad quamcunque apprehensionem sensitiuam imprimuntur intellectui ens & res, simplicibus apprehensis à sensu vero, vel falso, propositiones fiunt virtute propria intellectus primò de vniuersalioribus, postea de aliis. De vniuersalissimis verò, factis communibus conceptionibus, statim intellectus illis assentit, non propter sensum, imò certiùs quàm posset per sensum, dato quòd à sensu accepisset agnitionem veritatis illarum propositionum, alias propositiones facit, & immediatas de minùs vniuersalibus, sed non statim notas, nec scitas esse immediatas, quia termini non cognoscuntur. Inquirendo verò quid intelligitur per terminos, regulatur intellectus diuidendo & amouendo vnum, & attribuendo aliud per communes conceptiones: cognito quid dicitur per nomen, cognoscitur si propositio est immediata: & statim ei propter se adhæretur. Cognoscitur etiam de mediata ex cognitione terminorum, quòd ipsa sit mediata, quo cognito intellectus sua propria virtute potest omnes propositiones immediatas de terminis illius conclusionis, vel alterius ordi-

11 *A sensu errante potest intellectus accipere simplicia. Scot. 1. d. 3. q. 4.*

Intellectis terminis cognoscitur si propositio est immediata.

ordinare simul omninò, modo quo possunt ordinari; & si inueniat alias immediatas de terminis illis, quas cognouit esse immediatas ex cognitione terminorum antecedere ad illam mediatam, statim virtute luminis sui assentit connexioni: quia syllogismus perfectus est, qui nullo eget, &c. 1. Poster. t. c. 1. & conclusionem cognoscet, sic vltra ad alias; igitur cùm, quocunque errore posito in sensu, possint simplicia apprehendi, sicut & modò, & propositiones formari, & deueniri ad hoc quæ immediata, & quæ mediata, & mediatarum illatio ex immediatis cognosci, sequitur quòd omnes conclusiones naturaliter nobis cognoscibiles per demonstrationem, cognosci possent; etiam si omnes sensus errarent, vel aliquis sic, & aliquis non. Confirmatur illud, quia si per somnium essent cæco nato impressæ omnes species colorum, quamuis acciperet apprehensionem intellectualem de coloribus à sensu errante, quia à phantasia vtente phantasmate pro re: tamen omnes propositiones posset ipse formare de coloribus, quas alius, mediatas & immediatas, & per immediatas ad mediatas deuenire: & in nullius simpliciter demonstrabilis notitia, deficeret; sed tantùm in cognitione propositionis alicuius, quæ non esset sibi demonstratiuè possibilis probari, sed tantùm cognoscibilis ex frequentia sensus, & conclusiones dependentes ex tali propositione ignoraret.

Omnes conclusiones naturaliter scibiles, cognosci possent, & sensibus omnibus errantibus. Scot. 1. d. 3. q. 4.

12

Secundùm ista videtur concedendum quòd in nobis cognitio intellectiua sit certior simpliciter quàm sensitiua: quod probatur, tum quia de omni sensitiua potest intellectus iudicare, qualis ipsa est; tum, quia certitudo nunquam est in apprehendendo verum, nisi talis sciat veritatem apprehensam: vel sciat illud esse verum quod apprehendit: nam si opinando apprehendam primum principium; licèt illud quod verum est, necessariò apprehendam, tamen non sum certus: solus autem intellectus reflectitur iudicando se apprehendere verum, & hoc concordat secundæ rationi Augustini, superiùs positæ ad quæstionem quòd per sensum non discernitur verum à falso, non quin verum apprehendat; sed non potest iudicare illud esse verum, discernendo ipsum à falso: tum, quia sensus nunquam percipit immutabilitatem obiecti; licèt illud quod immutabile est, sentiat: non enim percipit nisi tantùm obiectum vt disponitur tunc, quando sentit: & ita non est ipse certior de immutabili, quòd sit immutabile, quàm si continuè mutaretur. Hoc consonat primæ rationi Augustini ad quæstionem positæ; non quòd sensibile semper mutetur, sed perinde est respectu sensus, ac si continuè mutaretur.

Cognitio intellectiua certior quam sensitiua.

Sensus non discernit verum à falso.

13

Sed contra hoc arguitur sic: Primò, quia nullus intellectus iudicat de actu sensus nisi per notitiam aliquam acceptam à sensu, fortè veriori, & tunc iudicat sensum nunc non errare, sed si in omni actu sensus erraret, intellectus non haberet per quid iudicaret sensum nunc errare. Respondeo ad hoc, quòd intellectus iudicat de actu sensus per notitiam ab actu sensus acceptam occasionaliter, vel quoad apprehensionem simplicium: non quoad compositionem principiorum & conclusionum. Item arguitur sic: sensus semper est verus respectu proprij obiecti, licèt non aliorum; actus autem reflexus qui ponitur in intellectu non est verus, nisi à veritate primi actus; ergo propter illum actum reflexum, non est danda maior certitudo in intellectu. Item, quare non potest sensus communis sic iudicare de sensu inferiori? Respondeo quòd non tantùm propter actum reflexum danda est maior certitudo intellectui quàm sensui, sed propter compositionem, & diuisionem, quæ vel nota est per se intellectui, vel ex per se notis infertur, in quarum neutra dependet cognitio intellectus à sensu, nisi occasionaliter. Per hoc patet ad aliud. Item 8. Physicorum, t. c. 26. & 27. parum ante illud, *mouentium*, &c. videtur vocare sensum digniorem ratione, & quòd sufficiens est fides contra illos, contra quos ibi arguit, quia videmus aliqua nunc quiescere, nunc moueri. Item, si secundùm Augustinum intellectus discernit verum à falso, & percipit immutabilitatem sui cogniti: quæro per quid? aut per notitiam acceptam à sensu, & stat primum argumentum suprà; quòd si omnis talis est falsa, intellectus malè iudicabit: aut per notitiam aliquam innatam non acquisitam per sensum: talis non ponitur.

14

Certitudo propriè tantùm in compositione.

Ad primum horum dicendum, quòd dignius ratione est intellectus, quo aliquid est per se notum, non sensus. Ad aliud dicendum quòd certitudo propriè, non est nisi circa compositionem & diuisionem, quæ ad intellectum tantùm propriè pertinet: prima operatio intellectus semper vera est, licèt sequens sensum errantem: ita enim concipitur albedo, si visus apprehendit illud esse album, quod est nigrum, sicut si albedo conciperetur à sensu verè vidente album; quia sufficit quòd species verè repræsentatiua albi, veniat ad intellectum, ad hoc vt simplici apprehensione album verè apprehendatur. In compositione autem & diuisione, sicut dictum est suprà, errat intellectus sequens sensum errantem, sed non circa prima principia; nec circa conclusiones, quas ex primis principiis deduxit; sed circa alias conclusiones, quarum aliam notitiam non habet nisi à sensu errante. Sed adhuc circa tales, licèt aliquis sensus erret, tamen non oportet intellectum sequi, sed oppositum tenere si iudicet hunc sensum errare.

Apprehensio sequens sensum errantem, vera.

Quando intellectus sequēs sensum errantem, errat?

15

Sed quomodo iudicabit, quis sensus est verus, & quis errat? Responsio. Gandensis in Summa dicit, quòd omnis sensus est verus, cui non contradicit alius sensus verior: vel ipsemet aliàs meliùs dispositus, vel notitia aliqua intellectualis accepta ab alio sensu veriori; vel eodem aliàs meliùs disposito. Sed quomodo iudicatur quis sensus est benè dispositus? Responsio: per se notum videtur quòd natura, ex quo est causa per se, & non libera, vt in pluribus rectè agit, & error si contingat, in minori parte accidet; quod ergo sensus vt in pluribus dicit, hoc est verum.

Quomodo discernitur quis sensus errat? Scot. 1. d. 3. q. 1. nu. 11.

Contrà: vnum non oportet pluralitate iudicare, quia tunc si tantùm essent tres sani, & omnes alij infirmi, iudicium sanorum refutandum esset. Item, semper visus errat de quantitate Solis & Lunæ, & fractione baculi in aqua, &c. Item, per illam rationem superiùs positam de simplici apprehensione intellectus, videtur ostendi quòd sensus semper sit verus, cùm eius apprehensio sit simplex, & illius cuius habet speciem vndecunque genitam. Hoc etiam cofirmatur; quia sensibile agit secundùm quòd est in actu, & sensus cognoscit secundùm quòd mouetur à sensibili; ergo semper verè cognoscit. Ad primum non pluralitate sensuum simul; sed pluralitate

Reiicit Henricum.

sensationum hoc est, quia sensus frequentiùs ita sentit. Item, hæc est alia cognitio accepta à sensu certiori, quàm sit sensus infirmi, per quam iudicatur sensum infirmum errare. Ad secundum per idem, quia sensus dicit distans minùs apparere, & ratio naturalis dicit, quia remotiùs agens, debiliùs agit, cùm sit finitæ virtutis. Ad tertium concedatur conclusio de sensibili proprio: tamen circa sensibile commune, & per accidens, vel in componendo hæc illis, decipitur sensus.

Visus non errat circa proprium sensibile.

16

Conclusio per syllogismum, principium cognoscitur per inductionem.

Item contra prædicta arguitur, dicit Aristoteles 1. Posteriorum, t.c.1. *Omnia cognoscuntur per syllogismum: vel per inductionem: conclusiones per syllogismum: principia per inductionem:* sed hoc tu negas, quia principia notiora sunt secundùm te singularibus inducentibus. Potest responderi ad intellectum eius ibi, quòd sensus est necessarius propter notiam terminorum. Vnde vniuersalia non cognoscuntur sine inductione, id est, sine cognitione alicuius singularis, quod non cognoscitur sine sensu in sensibilibus, ergo in illis si deest sensus, deest scientia: non oportet autem accipere *inductionem* ibi pro specie argumenti; saltem si sit argumentum: veritas præmissæ non cognoscitur à sensu, sed tantum extremum compositionis accipitur à sensu: intellectus autem accipit idem, & facit compositionem, & adhæret, & inde arguit inductiuè. Contrà: saltem prius tempore intellectus adhæret singulari propositioni, antequam principio probato per inductionem. Dic quòd verum est de cognitione sensitiua, qua cognoscitur coniunctio terminorum extrà. Sed ista cognitio est occasio cognitionis principij, non causa; vnde inductio est hîc non simpliciter, quia vniuersalis fortè est prima & immediata: singularis tantùm per se & mediata: nec fortè probatio dicitur, sed manuductio; quia quandocunque iste intelligit principium, magis adhæret illi, quàm singulari inducenti.

SCHOLIVM V.

OCCASIONE *confirmationis secundi argumenti posita num. 9. tota sequens disputatio de scientia, atque de dependentia cognitionis intellectus à sensu, vel eius experimento, inserta est, & nunc secundò respondet ad primum principale, & licèt in modo explicandi solutio videatur diuersa, re tamen ipsa coincidit cum prima solutione. Quod habet ibi*, item dato quòd *num.* 18. *probant ista argumenta tria E, F, G. per has literas vult significari tres instantias positas num.17. contra responsionem ad dubium quomodo ex effectu sensibili deuenitur in cognitionem causæ. Solebat Doctor, vt hîc aduertit Mauritius, argumenta, & solutiones in margine per literas notare, & computare. Explicat optimè ad secundum etsi non ita clarè, quatuor gradus cognitionis & tres ignorantiæ. Ad tertium, licèt videatur supponere intellectum agentem, & possibilem realiter distingui, tenendum est oppositum ex ipso 2.d.16. & Quodlib. 15. a.1. de quo dixi comment. ad q.13. de An. con.4. Circa ea quæ ibidem ait de causalitate phantasmatis in intellectu, vel è contra, vide comment. ad q.17. de An. vbi à nu.5. contra Caiet. ostēdo nihil causari ab intellectu in phantasia, neque è contra. Probabilius etiam esse ostendi phantasma non efficere Physicè speciem intelligibilem, neque ad eam sic concurrere.*

17

Ad primum argumentum principale dicendum, quòd ex multis singularibus cum hac propositione, *natura agit, vt in pluribus, nisi impediatur*, sequitur vniuersalis: & si non sit causa impedibilis, sequitur simpliciter quòd in omnibus. Ad secundum dicitur: quòd ex cognitione experimentali non sequitur cognitio faciens scire, *propter quid*, sed experto, *quia*, ita est de principio; sufficit, quia illud non cognoscitur *propter quid*, & statim cognita conclusione cognitione *quia est*, experto datur occasio inquirendi causam: & sic inueniendi *propter quid*, & per consequens de omni, quo ad præcedens argumentum. Contrà, quomodo ex effectu sensibili deuenitur ad notitiam causæ? Responsio, diuidendo sic, in A sunt B, C, D, si vis scire quod est causa D, B. an C separa hîc, vbi inuenies B, siue C. Si ibi D consequitur B & non C, ergo in A, B fuit causa D; sic etiam contingit causam cognoscere, si plura essent coniuncta. Contrà, volo vt B, C, D, vbique sint coniuncta: tunc non valet hæc via. Item pone quòd vbi est B, ibi est D, & non vbi est C. Ex hoc sequitur negatiua: quòd in A, C, non fuit causa D: sed non sequitur affirmatiua quòd B fuit causa D, propter fallaciam consequentis: habet enim antecedens aliam causam veritatis duplicem, vel triplicem: vnam quòd D sit causa ipsius B: aliam quòd F, B, & D, sint duo effectus necessarij eiusdem causæ: ita quòd neutra sit causa alterius, sicut se habet lucere & calere in igne. Tertiam quòd B, etiamsi non sit prius tempore ipso D, adhuc potest dici quòd non est causa propriè: sed tantùm est sine qua non: vt priuatio in materia respectu mutationis, intellectio respectu volitionis, & multa alia: sed hoc non valet; quia sola causa sine qua non, nunquam ponit effectum.

Quomodo ex effectu sensibili cognoscitur causa?

18

Additio.

Si dicas: quia B *est prius naturaliter ipso* D *vnde hoc probabitur? Responsio: quia* B *est substantia, &* D *est accidens: vel quia* B *est absolutum* D *autem non inest, nisi in comparatione ad ad aliud: vel quia* B *est actus primus,* D *secundus, vt aliqua operatio: vel quia* B, *est propinquius alicui tertio simpliciter primo. Quare ad hoc considerationes omnes tertij Topicorum, quæ sunt de comparatione magis & minus.*

Item, dato quòd in isto videas quòd ad B sequitur D, non ad C, nescis ita esse in omnibus, nec potes scire, sed tantùm credere per argumentum à simili. Nunquam ergo potest sciri aliquid esse necessarium, & per se causam alterius, & ita nihil sciretur. Dicitur quòd benè inueniretur per viam diuisionis illud quod est causa necessaria effectus, sed non potest demonstrari ipsum esse causam; sicut probant ista argumenta tertia E, F, G, & ita aliquid scitur; quia per causam cognoscitur, sed non scitur à me aliquid sciri à me; sed tantùm hoc credo; non tamen est opinio quòd hic sit causa huius, sed est intellectus: quia semper illud implicabitur in præmissa demonstrationis etiam potissimæ. Vnde quia per nihil potest probari de causa immediata, quòd sit causa huius effectus; ideò prædicando hunc effectum de hac causa, est propositio immediata in quarto modo per se: vt calor calefacit: si tamen per se potest inueniri sine necessario, sicut in causis non necessariis naturalibus, scilicet quæ sunt in pluribus. Item, ad hoc possunt induci rationes positæ in 4. huius de veritate apparentium: & hoc quoad apprehensionem simplicium: quoad

quoad probationes & argumenta, quòd vni dicitur demonstratio, alij verò sophisma, vel peccare in materia.

19 *Quatuor gradus, cognitionis, & tres ignorantia.*

Ad istam igitur rationem secundam principalem dicendum, quòd inexpertus demonstratione carens, tantùm crederet de conclusione *quia est*, expertus verò demonstratione carens, sciens *quia est*, certitudinaliter sine demonstratione cognosceret, quia videt, & certus est naturam, vt in pluribus, vniformiter agere, & ordinatè: principium verò intellectus sine applicatione ad conclusionem, sciet virtute: demonstrationem verò habens sciet *propter quid*. Ante istos quatuor gradus cognoscendi conclusionem, sunt ignorantia negationis, quando nec termini apprehenduntur; & ignorantia dispositionis, quando scilicet oppositum creditur; & mera ignorantia, quando neutro modo de conclusione opinatur, terminis tamen apprehensis, & propositione formata. Cum primo autem quatuor dictorum graduum, ponatur opinio, quia illi assimilatur antequam fortè est dubitatio. Ergo octo, vel nouem sunt gradus in addiscendo. Primus autem dictorum quatuor quantumcumque inquirat per viam diuisionis; aut per hoc, & hic, &c. In fine non sciet, sed tantùm credet: nisi fortè diuidendo veniat ad propositiones immediatas communes; ex quibus illud quod credit deducat. Secundus verò per viam diuisionis sciet conclusionem *propter quid*: sciunt enim ita esse: & per viam diuisionis scit quòd propter aliud nihil ita est, nisi propter hoc: sciet ergo propter hoc ita esse. Tertius verò applicando principium sciet *propter quid*, ergo secundus est dispositus ad sciendum propter quid dispositione propinquæ sed tertius propinquiori: secundus enim quasi immediatè demonstrabit causam per effectum quem nouit; & ex hoc vltrà cognoscet effectum per causam: sed tertius iam immediatè per causam notam cognoscet effectum: nec tamen cognitio principij est causa cognitionis conclusionis, sed dispositio conclusionis.

Gradus addiscendi varij.

20 *Quomodo inuenietur medium demonstrationis.*

Ad instantias respondeo, licèt procedant de causa reali; quam difficile est probare quæ cuius sit; non tamen de principio sciendi. Diuidendo enim multa prædicata dicta de subiecto propositionis mediatæ probandæ, inuenietur vnum quod mediat inter ipsum & prædicatum de ipso probandum, quod vnum, an mediatè, an immediatè insit subiecto, patebit ex ratione terminorum. & similiter si prædicatum sibi immediatè insit, vel non.

Ad tertiam rationem principalem dicendum, quòd ly *ex* potest notare ibi causam efficientem instrumentalem, nec talem, qualis est notitia principiorum respectu conclusionis, sed minorem occasionalem. Principalis autem causa efficiens in omni acquisitione scientiæ tam hîc, quàm etiam conclusionum ex principiis, est ipse intellectus virtute luminis naturalis: propositio verò allegata de efficiente, vera est de causa principaliori secundùm Commentatorem 11. huius. Sed dices: si intellectus sit principalis causa in acquisitione scientiæ, aut ergo intellectus agens, aut possibilis? Respondeo, quòd in demonstratione, intellectus possibilis est principalis causa, quia in ipso est habitus principiorum, & conclusionum. Sed quid hîc? Respondeo si experimentum sit in parte sensitiua, tunc intellectus agens abstrahit incomplexa, & intellectus possibilis componit illa, & adhæret illi complexioni per se, si est principium, vel ex cognitione sensitiua, qua vidit extrema coniungi in singulari sæpè. Contrà, igitur notitia coniunctionis extremorum causatur in intellectu possibili immediatè à sensu, quod est contra prædicta superiùs.

An intellectus agens sit causa effectiua notitia, vel possibilis?

Item, quòd dicitur intellectum agentem abstrahere incomplexa, quæro si per talem abstractionem aliquid causat in phantasmate, vt illud instrumentaliter moueat intellectum possibilem: & si sic, cùm instrumentum non moueat nisi motum, priùs naturaliter mouetur phantasma ab agente, quàm ipsum phantasma moueat possibilem: in illo priori aliqua forma imprimitur phantasmati ab intellectu agente, illa non est nisi vniuersalitas: quia terminus actionis agentis est vniuersalitas, si autem nihil causat in phantasmate, suum abstrahere non erit aliqua actio vera.

Item, si phantasma moueat intellectum possibilem per instrumentum: illud instrumentum nullam habebit operationem propriam mouendo intellectum possibilem præter illam, quam habet per formam sibi impressam: illam autem habet in virtute principalis agentis.

21

Ad secundum istorum trium dicitur, quòd vltimus terminus actionis intellectus agentis est vniuersalitas: non autem terminus proximus, quem producit in phantasmate, vt mediante illo inducat vltimum terminum: immò productum in phantasmate est aliquod lumen; immò simpliciter intellectus agens non causat vniuersalitatem secundùm te: quia primum obiectum possibilis est singulare, sed postea ex cognitione singularis, conferendo per conuenientiam & differentiam, abstrahit vniuersale, ita quòd abstrahere est cognitiua actio; qualis non est aliqua actio intellectus agentis. Ad tertium istorum est dicendum, quòd omne habens actionem, non in virtute alterius, in illa est principale agens: ergo repugnare videtur quòd instrumentaliter agens inquantùm instrumentum, habeat aliquam actionem propriam, non in virtute principalis agentis: vnde debile videtur fundamentum Thomæ de creatione. De hac autem opinione, si forma aliqua phantasmati imprimatur ab intellectu agente, & ad quid ponitur intellectus agens pertractare proprium non est hîc: sed in 3. de Anima.

SCHOLIVM IV.

In solutione sequentium argumentorum, habes selectam doctrinam. Ad quartum optimè explicat quomodo docens inducit discipulum ad assentiendum proponendis, & ad concipiendum ea, quæ proponuntur, si non habet discipulus proprias eorum species. Ad quintum vide in corpore quæstionis nu. 4. & 5. Ad sextum benè explicat scientiam immutabilem acquiri posse de obiecto mutabili, quia hoc non mouet, quà mutabile, sed quà natura; & similiter species, & anima, & si mutari possint ab esse ad non esse, generant scientiam immutabilem, id est, non conuertibilem in errorem, de quo vide eum 1. d.3. q.4. a.3. à num.13. & q.3. prol q.3. lateral. explicat primo loco fusè à 5. 6. Ad quæstionem quomodo iuxta mentem Augustini dicimur intelligere sinceras veritates in regulis æternis, etiamsi eas nostris viribus cognoscamus, quicquid dicat Henricus, contra quem ibi latè disputat circa id quod hîc dicit, num.24. virtutem superiorem sensitiuâ, nempe intellectum iudicare de bona, & mala dispositione sensus. Vide eum 1.d.3.q.4. art.2. num.11. vbi explicat quomodo intellectus corrigit sensus externos;

& art.3.num.14.vbi ait intellectum cognoſcere quomodo phantaſia eſt malè diſpoſita. Quomodo ſenſus decipitur,vel non. Quod hic tangit in fine, dixi fuſiùs Comment.ad q.10.de An.circa rationem eius ad oppoſitum à num.7.

22 *Quomodo docens ducit audientes ad aſſenſum?*

Ad quartum principale dicendum, quòd Plato docuit puerum. Nihil enim poteſt docens facere quo ad aſſenſum præbendum complexis, niſi debito ordine proponere illa principia nota diſcipulo; & alia ſequentia ex ipſis in illo ordine quo ſequuntur, & ille ſic propoſitis, propria virtute intellectus acquieſcit: quia ſyllogiſmus perfectus nullius eget. Sed quomodo docens cauſat ſpeciem in intellectu diſcipuli, alicuius ſenſibilis, quod nunquam diſcipulus ſenſit? Hîc ſpecies eſt neceſſaria,non tantùm ad ſcientiam, ſed etiam ad credendum magiſtro; puta aliquis docet me de colore Indico, vel alio conſimili: quomodo credam ſibi,cùm nullam apprehenſionem habeant de ſimilibus:quia nec illorum ſpecies;ergo à maiori quomodo ſciam?Reſponſio,ſi ſimile illius viderim, vel excedens, vel remiſſum: poteſt tamen dicere illud de quo mihi loquitur eſt huic ſimile: vel ſic,vel ſic ſe habere; vt formem mihi aliquam phantaſiam illius per compoſitionem,ſicut montis aurei. Alioquin ſi ex cognitis nullo modo poſſum eius ſimilitudinem mihi cauſare, nunquam addiſcam, niſi habitum vocalem; ſicut cæcus natus de coloribus poteſt habere.

An docens cauſat ſpeciē in intellectu diſcipuli,ſi non præhabet eam?

Ad quintum principale dictum eſt ſuperiùs in ſolutione quæſtionis,nu.4.& 5.quomodo vna notitia ſenſitiua ſufficit ad notitiam principij. Si vltrà intellectus abſtrahat & componit ad notitiam concluſionis, magis valent plures memoriæ, & plura experimenta; vt facientes cognoſcere *quia*, & inquirere *propter quid*. De multis autem accidentibus ſpeciei eiuſdem in eodem ſubiecto,habetur in quadam quæſt. huius libri.

Memoria facit cognoſcere, quia, *& inquirere,* propter quid? .1.7.

23

Ad ſextum principale, quod eſt de 83. Quæſtionum, ſcilicet quòd de ſenſibilibus, & mutabilibus non poteſt eſſe veritas certa. Ariſtoteles contra hoc arguit 4. huius c.5.t.c.62.& ſeqq. quia motus ſenſibilium eſt per ſe ſenſibilis; igitur aliqua veritas poteſt haberi per ſenſum de ſenſibilibus continuè motis, hæc ſcilicet quòd continuè mouentur. Similiter non ſemper continuè mouentur ſecundùm omnia; Sol enim non continuè mouetur ſecundùm ſubſtantiam,neque ſecundùm lucem,ſecundùm quam eſt ſenſibilis; ergo ſecundùm aliquid ſenſibiliter cognoſcibile, eſt permanens,licèt feratur continuè;multa autem ſunt ibidem ad hoc. Item, ſecunda ratio Auguſtini videtur quærere: quare magis ſanis credendum eſt, quàm infirmis,& furioſis;vigilantibus,quàm dormientibus? Vnde ad rationes illus', vt ſunt rationes, dicendum, quòd nec ſenſibilia omnia continuè mouentur ſecundùm omnia; nec ita imprimuntur ſpecies, vt ab ipſis phantaſmatibus non poſſit diſcerni, quando obiectum eſt præſens, & quando non: præcipuè de ſenſu particulari, qui non tenet ſpeciem in abſentia ſenſibilis. Sed ad auctoritatem Auguſtini ſaluandam, dici poteſt, quòd ſincera veritas non cognoſcitur à ſenſu, ita quòd ſenſus percipiat immutabilitatem veritatis, quam apprehendit, nec obiectum inquantùm immobile: ſenſus enim non percipit niſi præſens,& dum eſt præſens; & ideò non cognoſcit ex ſe aliquid ſe habere, niſi dum præſens eſt;& non ſemper præſens eſt ſenſui corporali:nam de iſto ſenſu exponit ſe Auguſtinus Retract. 1. c.25. ideò non percipitur hoc ita ſemper eſſe. Poſito etiam quòd ſemper continuaretur viſio mea circa A obiectum, ſicut in primo inſtanti,non percipio immutabilitatem A,quia pro tunc non percipio A, niſi quomodo A ſe habet pro tunc:quia non percipio niſi ipſum, vt tunc eſt præſens:ita etiam in tota viſione quantumcunque continuata, nunquam percipiam immutabilitatem A,ſed pro omni nunc percipiam quomodo ſe habet pro tunc.

Mutabile,an ſcitur immutabiliter? 5.Scot.1.d.3. q.4.

Senſus non percipit immobilitatem obiecti.

24

Contrà:ſic probaretur quòd cognitio intuitiua intellectus in patria, non percipit immutabilitatem obiecti: quia non eſt per demonſtrationem: nec ſcit videndo quòd ſic eſt, niſi pro tunc quando videt. Reſponſio:intellectus non videt immutabilitatem Dei, quia ſemper continuatur actus viſionis:tunc etiam in primo inſtanti non videret eam; ſed ipſa immutabilitas eſt vnum viſum intuitiuè,ſicut & bonitas. Hoc quoad primam probationem Auguſtini, non ſit de intellectu, ſed de ſenſu,quoniam in hoc non poſſum intelligere rem ſecundùm quòd ſemper immutabilis eſt, & eius immutabilitatem.Quoad ſecundam probationem Auguſtini,dicendum:quòd fortè ſenſus non reflectitur ſupra ſpeciem, & ideò non diſcernit vtrùm tantum ſpecie informetur:vel vtrùm obiectum ſit præſens ſpecialiter de phantaſia. Similiter etiam de ſenſu exteriori: quia ſecundùm aliquos ex vehementi imaginatione, poteſt ſpecies imprimi imaginati in ſenſum, ſed eſt alia virtus ſuperior ipſâ ſenſitiuâ, quæ ſemper iudicat de bona & de mala diſpoſitione ſenſus. Ad rationes dicendum eſt ſecundùm Ariſtotelem ibi, quòd benè concludunt quòd non ſit impoſſibile eſſe aliquam veritatem ſinceram de ſenſibilibus, quod imponitur illis contra quos arguit, ſed illam veritatem ſynceram eſſe,ſiue eius ſynceritatem, ſiue immutabilitatem, & à falſo diſtinctam, non percipit ſenſus, ſicùt dicit Auguſtinus: vnde ſibi non obuiat Ariſtoteles. Aliter exponitur ſic: à ſenſu non eſt expectanda ſyncera veritas, tanquam à cauſa principali effectiua: ſed tamen à cognitione ſenſitiua,vt ab occaſione acquiritur ſynceritas veritatis, & immutabilitatis: quia omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſu, licèt non totam, vel totalem cauſalitatem:tamen dicitur quòd Philoſophus loquebatur ſecundùm cognitionem naturalem eo modo quo expertus eſt: Auguſtinus verò de quadam cognitione ſuperiorum in diuinis,vel regulis æternis, in quibus ſolùm perfectè videtur verum: quia illæ ſunt regulæ iudicandi de omni vero, perfecto iudicio,& ad illas non pertingit cognitio noſtra ſenſitiua,

Concordat Auguſt. cum Ariſtotele.

A ſenſu non eſt ſyncera veritas,exponitur.

Quomodo aliquid in regulis æternis? 1.d.3.q 4.

25 *Vnde ſenſus errat?*

Notandum autem propter dicta, quòd poteſt quis dubitare ſi ſenſus ſanus,& non impeditus per indiſpoſitionem organi,poſſit impediri, vel illud per informationem ſpeciei ſine præſentia obiecti; ſicut ſi informaretur ab obiecto præſente:ſiue illa ſpecies inſit organo, ab aliquo illuminante immediatè,ſiue à phantaſia forti: ſaltem nunquam videtur ſic illudi:quoniam ſicut mouetur immediatè ſcilicet per ſpeciei informationem, ſic ſentit. Quandoq; tamē errat circa hoc,à quo illa ſpecies cauſatur, & in quo fit,dum fortè albedo, vel aliquod alterum ſubtile interpoſitum viſui, & corpori nigro videtur, & creditur illud corpus eſſe album;quandoque autem organum eſt indiſpoſitum per qualitatem intrinſecam impedientem operari,vt lingua febricitantis, & oculus irati: adhuc autem ſentit illud, cuius ſpecie informatur, licèt non ab obiecto extrà. Dico igitur ad propóſitum,

Sensus non decipitur, vt deseruit intellectui.

situm, quòd sensus nunquam illuditur, inquantùm seruit intellectui, quoad simplicium apprehensionem; nec quoad principiorum primorum veritatem; sed conclusionum quamdiu illæ ex primis principiis non inferuntur.

ANNOTATIONES MAVRITII

26

SEquitur quarta quæstio de generatione artis ex experimentis. Vbi aduerte, quòd multùm variè in originalibus habetur litera huius quæstionis & admixta multis additionibus & *Extra*. Inter argumenta enim principalia solent poni quædam rationes pro opinione Platonis, quæ sic incipiunt: *Item alind argumentum eius*, 1. *Poster.* &c. vsque ibi: *Item non videtur ex litera*: & quia infrà in corpore quæstionis habentur, ideò superflua esse censentur in pede: quare ipsa penitus omitte.

Infrà in principio solutionis ibi: *Sed hoc non est verum*, vsque ibi, *vbi sciendum*, &c. ponitur esse additio, & alia parum pòst ibi, *hoc dubium est*, &c. vsque ibi: *Non possunt intelligi, nisi*, &c. omnia tamen notanda sunt.

Infrà post solutionem 2. principalis ibi: *Quod autem simile sit de vno*, &c. vsque ibi: *Contra, quomodo ex effectu*, &c. in quarta columna sequenti, totum ponitur additio & *Extra*; omnia tamen lege. voluerunt etiam aliqui literam plerumque illam hinc inde transmutandam esse in quæstione ad varia loca; sed satis benè ordinatur.

Communiter ibi infrà: *Contra ergo sciens scit se scire*, &c. vsque ibi: *Contra Platonem*, &c. ponitur *Extra*: ad motiuum in se faciliter respondetur de cognitione viæ, & ignorantia eiusdem diuersimodè in Apostolis, quod etiam infertur in principio, potest concedi.

Illa etiam litera infrà ibi: *Ad primum argumentum principale*, &c. vsque ibi: *Contrà, quomodo ex effectu sensibili*, &c. videtur omninò superflua: sed posset addi ly *aliter*. Incidentaliter enim post solutionem 2. principalis, priùs introduxit totam illam disputationem super quam notaui, *additio*, vel *Extra* priùs.

27

Aduerte infrà ibi: *dicitur quòd benè inuenirgtur*, &c. & sequitur sicut probant ista argumenta tria in aliquibus libris sequitur ibi: E F G, quod consuetudo huius Doctoris erat notare argumenta in marginibus, & solutiones aliquando per huiusmodi literas, vel saltem computare, maximè in hac Metaphysica, & Theorem ꝛtibus, vnde insurgit maxima intricatio literæ, & obscuritas, quia scriptorum negligentiâ & longitudine temporis, omissum est sic assignare, diligens ergo lector aduertat ad singula.

Infrà etiam super illa litera: *Ad istam ergo rationem secundam*, &c. vsque ibi, *Ad tertiam rationem principalem*, &c. ponitur, *Extra*, in aliquibus, sed est singularis solutio & subtilis: & secundus modus dicendi ad argumentum secundum principale superiùs propter instantias omnes vitandas, igitur legatur: multa namque hîc assignanda duxi, *Extra*, & additiones, quæ tamen in originali impresso omisi assignare.

Consequenter parum post ibi: *Sed dices*, &c. vsque ibi, *Ad quartum principale*, &c. ponitur *Extra*. Et ad obiectionem primam trium, quas ibi inducit, quam non soluit faciliter, dic ex præcedentibus quòd illud quod infertur non est inconueniens sanè exponendo.

Deinde ibi infrà: *Sed quomodo docens*, &c. vsque ibi: *Ad quintum principale*, &c. assignatur *Extra*: satis tamen ad propositum, & singularis doctrina, ideò, &c.

Infrà ad finem q. ibi: *Notandum autem*, &c. vsque in finem dicitur esse *Extra*.

Determinatio Doctoris in hac quæstione satis clara est; sed pro maiori fortitudine & declaratione eorum, quæ tangit hîc: quære eam in 3. dist. primi, q. 4. & 3. dist. 2. q. finali. & 9. dist. eiusdem & 14. di. 3. & 45. 4. & collige plura singularia ex processu quæst. huius vbique vtilia.

Ex textu prologi.

Ad agere quidem igitur experientia nihil ab arte differre videtur; sed & expertos magis proficere videmus sine experientia rationem habentibus.

QVÆSTIO V.

Vtrùm expertus non habens artem certiùs operetur, quàm artifex inexpertus?

Arist. *hic cap.* 1. D. Thom. *ibid. lect.* 1. Flandr. *q.* 5. *art.* 1 & 3. Fons. *cap.* 1.

1

VIdetur quòd non, 6. Ethic. cap. 5. & 6. *sicut prudentia est habitus cognoscitiuus circa agibilia, ita ars circa factibilia*: sed nullus certiùs agit circa agibilia quàm prudens; ergo nec circa factibilia quàm artifex. Item, agens per cognitionem quantò certiùs cognoscit, tantò certiùs operatur: sed artifex certiùs cognoscit: quia cognoscit per causam, & *propter quid*: expertus autem solum, *quia*; ergo, &c. Ad hoc dicitur, quòd argumentum procederet, si artifex certiùs cognosceret singulare, circa quod est operatio per se, quàm expertus; sed non est ita: sed artifex certiùs cognoscit vniuersale, quàm expertus: expertus autem certiùs singulare, circa quod est operatio per se, & ideò certiùs operatur expertus quàm artifex. Contrà: tunc videtur quòd artifex non cognoscit particulare per se; quod est contra aliquos; vel si sic: argumentum procederet: quia tunc cognoscit particulare *propter quid*, sicut vniuersale; quod non f[illegible]it expertus, & per consequens, tunc certiùs cognoscit operabile, & sic idem quod priùs.

EXTRA.

2

Item, qui perfectiùs scit quiditatem alicuius, perfectiùs scit illud: sed artifex scit quid est sa[illegible]itas, perfectiùs quàm expertus; ergo scit perfectiùs sanare. Probatio minoris: quod quid est sanationis, est vniuersale, & per se etiam respicit obiectum vniuersale, tale magis scitur ab artifice. Responsio: vera est maior de scire speculatiuè; & minor similiter in conclusione, quando scire construitur cum infinitiuo significante operationem, ex communi modo loquendi, non potest sumi nisi pro scire practicè: ideò non sequitur. Si autem conclusio intelligatur de scire speculatiuè sumpto, concedatur. Contra illud: artifex inquantùm talis non cognoscit speculatiuè, sed practicè: quia ars est habitus cognoscitiuus practicus; ergo minor vera est de cognitione practica, & maior vera est de vtraque; quacunque enim notitia cognoscitur perfectiùs, quid est aliquid; eadem cognoscitur illud perfectiùs; ergo conclusio erit vera de practica. Item, scientia practica si est habitus

intelle

intellectus, & obiectum per se intellectus est vniuersale; ergo scientia practica magis est circa per se obiectum vniuersale, quàm singulare: & sequitur propositum quòd perfectiorem scientiam practicam habet, qui cognoscit per se vniuersale.

Ad primum: scire practicum *est duplex, scilicet scire operari, & scire ordinatum ad operari. Primum est propriè practicum. Secundum dicitur communiter practicum: & sic secundo modo omnis artifex scit practicè, non primo modo. Secundo modo,* scire *potest dici speculatiuum respectu primi modi, & sic intelligatur responsio ad primum argumentum praecedens. Ad secundum istorum,* scire practicum *primo modo, est per se circa singulare, sed secundo modo potest esse circa vniuersale: falsum est igitur quòd nihil per se intelligitur nisi vniuersale. Vel dic quòd scire practicè primo modo, nunquam acquiritur nisi per experientiam: vnde est eiusdem potentiae, cuius est cognitio experimentalis; puta fortè cogitatiuae potentiae: sed scire practicum secundo modo, est in intellectu extendente cognitionem ad vniuersale operabile.*

Practicum dupliciter sumitur Scot. 1. d. 38. & q. 4. prol. n. 44.

Oppositum vult Philosophus in litera.

SCHOLIVM I.

Expertvm *sine arte certiùs operari artifice inexperto, quia hic vniuersale, ille singulare considerat. Quòd verò singulare sit per se cognoscibile tenet Scot. 2. d. 3. q. 6. ad secundum, & q. 8 ad 2. & q. 11. ad 2. & tradit ex professo 7. huius qu. 15. & q. 22. de Anima, vbi vide nostrum Commentarium. Quod ait in fine habitum in membris ponendum esse, docet 3. d. 33. ad 3. idque tenent Occam, Gabr. Maior, Palac. Henric. quos ibi citaui in scholio, num. 17. vide Anton. Andream hîc q. 6.*

3

Responsio. planum est quòd expertus certiùs operatur artifice inexperto: quia cognitio experimentalis est per se singularis, circa quod est operatio per se: cognitio autem artis est vniuersalis per se, & si est singularis, hoc est ex consequenti, & per accidens: quia igitur expertus certiùs cognoscit operabile quàm artifex, ideò certiùs operatur: & hoc est quod dicit Philosophus in litera: *Si igitur sine experimento rationem quis habeat & vniuersale quidem cognoscat, in hoc singulare ignoret multoties quidem curatione peccabit.*

Ad argumenta. Ad primum dicendum, quòd in aliquo est similitudo, scilicet quòd sicut prudentia est habitus cognoscitiuus circa agibilia, sic ars circa factibilia: & est in aliquo dissimilitudo, scilicet quòd ipsa prudentia non generatur in anima, nisi ex actibus nostris: ideò nullus est prudens quin fuerit expertus; ars autem generatur per experimentum, & per doctrinam sine experimento: & sic potest aliquis habere artem, qui non est expertus: & sic minùs certè operari quàm expertus, cùm minùs certè cognoscat operabile per se. Ad aliud sicut priùs.

Prudentia non est sine experientia, ars sic.

Ad argumentum in contrarium, primò ostenditur ex intentione Philosophi oppositum, scilicet quòd singulare potest per se intelligi: quia si certiùs agit, qui plus per se cognoscit singulare; ergo agens, vt Deus & Angelus, quod certissimè agit, certissimè cognoscit per se singulare & maximè: sed est aliquod agens certissimè, quòd tantùm habet cognitionem intellectiuam, quia non habet aliam; ergo tale per se cognoscit singulare. Tunc ad formam rationis dicitur, quòd artifex ex hoc solo est perfectus, quia habet perfectum habitum in vniuersali; potest autem habere perfectum habitum in vniuersali non applicando ad singulare: quia secundùm Philosophum primo Priorum tex. com. 20. conuenit scire in vniuersali, ignorare autem in particulari; ergo possibile est artificem esse perfectum artificem, & tamen per se non cognoscere singulare, circa quod est operatio: expertum autem non contingit esse perfectè expertum, nisi per se cognoscat singulare: quia cognitio experimentalis est per se ipsius singularis. Ergo artifex ex hoc quòd est artifex; non oportet quòd cognoscat operabile, sicut expertus ex hoc quòd est expertus, & ita saluatur intentio Philosophi.

Singulare potest per se intelligi. Scot. 2. d 3. q. 6. ad 2. & q. 11. n. 9.

Scitur vniuersale, ignorato singulari.

EXTRA 4

Contrà: si artifex applicando artem ad diuersa singularia, vt per se intelligibilia, potest de illis habere duas intellectiones per se: & ex multis actibus generatur habitus; ergo potest per se de illis habere duas artes, quod videtur impossibile. Hoc autem tangit si singulare possit per se intelligi: & ad argumenta quae ad hoc, & ad contrarium illius scripta sunt in 7. in q. vtrùm singulare per se intelligatur.

Tamen ex hoc non sequitur quin possibile sit artificem ita per se & perfectè cognoscere singulare, sicut expertum, si applicet cognitionem vniuersalem, quam habet ad singulare. Est ergo comparatio Philosophi intelligenda de istis habitibus præcisè comparatis ad illa, quorum sunt principia cognoscendi ex se: non autem de his, quæ possunt cognosci ab habentibus istos habitus, per applicationem istorum habituum ad alia. Aliter dicitur, quòd in singulari, circa quòd est operatio per se, sunt multa præter naturam illius communis indiuiduatam, quæ multa diuersificant actionem. Aliter enim oportet agere circa hunc infirmum in hoc loco, & hoc tempore, quàm circa illum infirmum eadem infirmitate in specie, in alio loco, & in alio tempore: ista enim annexa cognoscet expertus ex multiplicata cognitione singularium & in se, & quantùm ad annexa: hîc autem annexa non oportet artificem ex hoc solo cognoscere quòd est artifex: quia licèt de per se singulari possit cognoscere *propter quid*, si applicet: non tamen de annexis per habitum artis. Ideò expertus certiùs singulare cognoscit inquantùm operabile: quia inquantùm est annexum illis accidentibus, quæ variant actionem. Quicquid sit de cognitio- artis & experimenti: expertus ex frequenter agere, habet habitum in potentia motiua, qua exercet operationem: vel fortè in membro quo agit, vt citharista exercitatus in manu: talem non habet artifex inexpertus: multùm illa facit ad expeditè agendum.

Artifex expertus perfectus cognoscit singulare, quà tantum expertus.

Datur habitus in mēbris citharistæ. Scot. 3. d. 33. ad 3.

ANNOTATIONES MAVRITII.

Sequitur quinta quæstio de comparatione artificis inexperti ad expertum non artificem, in operando: in cuius principio post secundum principale, & replicam eius in aliquibus originalibus, in aliquibus verò ad finem eius, ponitur vnum *Extra*, vel *vacat*, quod sic incipit: *Quod singulare per se intelligitur patet*, &c. vsque ibi inclusiuè: *tanto perfectius cognoscam vniuersale*, sed quia totum habetur infrà in 7. lib. q. 14. licèt aliqualiter variatio hinc inde in litera, ideò hîc omittatur, sed non minùs valeret hîc quàm ibi, quia quæstione 15. sequens ibidem satis est ad propositum.

Tertium etiam argumentum principale ibi: *Item*

Item qui perfectius scit quiditatem, &c: quæ sequuntur vsque ibi: *Oppositum vult Philosophus*, &c. ponitur *Extra*, ab aliquibus, vel additio, litera tamen bona, ideò legatur.

Infrà ponitur quoddam Extra, quod sic incipit: *Contrà si artifex*, &c. vsque ibi inclusiuè, *singulare per se intelligatur*, & sequitur immediatè in aliquibus, *tamen ex hoc*, &c. in aliquibus verò aliter dicitur secundum quòd diuersimodè in originalibus locatur. Sententia Doctoris in hac quæst. clara est, litera diuersimodè ordinatur in diuersis libris; sed satis benè hîc habetur.

Vlterior curiosa inuestigatio in duabus his quæst. quæratur apud antiquos Philosophos, & Medicos, sed minimè deseratur veritas Scotica vbique.

Actus autem & generationes omnes circa singulare sunt.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm omnes generationes, & actus sint circa singularia?

Arist. *hic cap.* 1. D. Thom. *ibid. lect.* 1. Flandr. *q.* 5. *art.* 2. Fons. *cap.* 1. *q.* 5. *sect.* 1. 2. & 3. Hurtad. *d.* 8. *Phys. sect.* 3. *subsect.* 3.

QVòd non: actus intelligendi est proprius actus scientiæ & artis, & tamen non est circa singulare, sed circa vniuersale dum intelligitur. Item si sic; ergo singulare est per se subiectum motus & generationis, & talium passionum: & sic solùm per se insunt singulari; ergo illæ non possunt per se esse passiones demonstrabiles de aliquo subiecto in scientia, cùm singulare non sit per se subiectum alicuius artis, siue scientiæ: quia secundùm Porphyrium c. de specie, *singularia relinquenda sunt ab arte*. Item, sicut ex vnitate per se obiecti, vel diuersitate, est vnitas vel diuersitas actus; ita ex vnitate, vel diuersitate actus, est vnitas, vel diuersitas potentiæ: si tunc singulare sit per se obiectum actus; ergo alius est actus circa hoc singulare & illud; & per consequens alia potentia, & sic alia est potentia, quæ videtur hoc album, & illud album, sicut alius & alius est actus. Item, Socrates per se sanatur: Socrates per se est homo; ergo homo per se sanatur: sed homo non est per se singulare; ergo non omnes actus sunt circa singulare per se. Item, si sic: aut circa hoc singulare tantùm, aut circa singulare abstractum ab hoc & ab illo: Si primum detur; ergo non circa aliud: si secundùm detur; ergo circa vniuersale: quia singulare abstractum ab hoc & ab illo, est vniuersale.

Ad oppositum est Philosophus.

SCHOLIVM I.

ACTVS *transeuntes versari circa singularia; immanentes autem posse versari circa naturas communes, seu vniuersales negatiuè. Tangit an actio sit in agente, & affirmatiuè resoluit* 4. *d.* 13. *q.* 1. *n.* 14. & *q.* 7. *de An. vbi id fusius explicui. Ad tertium quomodo vnitas potentiæ, vel actus sumitur ex obiecto. Vide ipsum* 4. *d.* 14. *q.* 2. *num.* 6. & 1. *d.* 3. *q.* 3. *ad* 1. *pro opin.* & 2. *d.* 16. *ad* 2. & *d.* 24. *quæst.* 1. *ad* 1. *Dicendum quòd tantùm extrinsecè, seu causaliter, & quandoque tantùm, non semper, vt si sunt diuersi generis; vt sensibile respectu sensus, & intelligibile cum hoc respectu intellectus, de quo Doctor d.* 9. 3. *ad* 1. *de quo latè egi disp.* 1. *de An. sec. vlt. Aduerte quòd Doctor hîc num.* 6. *negat expressè vniuersale à parte rei, quod etiam habet* 2. *d.* 3. *q.* 1. & 6. *de quo etiam fusè agit* 9. *huius qu.* 13. & 18. & *aliàs passim; vnde mirum est, quomodo multi tribuant ei, quòd posuerit vniuersale à parte rei, hîc disserit sine resolutione, an intellectus agens, an verò possibilis vniuersale fabricet, de quo lib.* 7. *q.* 18.

2 Dicendum quòd propositio est vera de actibus transeuntibus in extrinsecum; & hoc de illis secundùm quòd existunt extrà in rebus; non de illis secundùm quòd considerantur à ratione.

Quomodo actus sunt circa singulare?

Duo dicuntur in glossando propositionem. Probatio primi: quia cùm actio transiens in extrinsecum sit per se singularis, & existat in aliquo, sicut in subiecto, oportet quòd illud in quo existit, sit per se singulare: singulare enim non existit in subiecto vniuersali. Non sic de actu manente in agente: quia non est in obiecto circa quod est: & ideò talis actus singularis est, quia est in singulari subiecto, sicut patet de intelligere: licèt obiectum circa quod est, sit per se vniuersale. Sed hæc probatio non valet si sit omnis actio in agente, vt in subiecto.

Per hoc patet ad argumentum primum: quòd propositio non intelligitur de actibus manentibus in agente; cuiusmodi est intelligere. Ad secundum dico, quòd quodlibet moueri in natura, est in aliquo particulari: tamen ex hoc *moueri*, & illo potest abstrahi vnum commune *moueri*; & illud potest esse passio demonstrabilis per se & primò de aliquo subiecto communi in aliqua scientia, cuiusmodi est subiectum Philosophiæ naturalis.

EXTRA.

Quodcunque inest multis, per aliquod commune inest.

Quod probatur sic: quia quod inest multis vniuocè, & nulli eorum per alterum, oportet quòd primò insit vni communi illis, per cuius naturam insit illis multis. Contrà, tunc non magis est actus alicuius singularis, quàm quodcunque accidens reale, vt albedo: quodlibet enim tale vt existit in re, singulare est, & alicuius singularis.

3 Ad tertium dicendum est, quòd non ex quacunque diuersitate, vel vnitate obiecti, vel actus, sequitur diuersitas, vel vnitas potentiæ; sed ex vnitate, vel diuersitate secundùm genus. Quod confirmatur, quia sicut potentia receptiua materiæ respectu formarum est eadem respectu omnium formarum eiusdem generis: sic & potentia cognitiua respectu obiectorum. Probatio primæ partis similitudinis: quia inter omnes formas eiusdem generis est transmutatio ex 10. huius, tex. com. 12. transmutatio non est inter formas, nisi quia habent idem susceptiuum per se. Confirmatur etiam per Philosophum 2. Poster. in fine, dicentem, quòd *sensus est vniuersalis, vt hominis, non Callia hominis: sentire verò singularis.*

Contra istud, ex hoc sequuntur tria inconuenientia. Primum, quòd aliquid secundùm rationem vniuersalis, esset per se obiectum sensus. Probatio consequentiæ, obiectum secundùm vnitatem generis, est per se vniuersale. Probatio falsitatis consequentis: quia tunc non distingueretur sensus & intellectus penes obiecta secundùm rationes formales: sic quòd proprium esset intellectui esse circa vniuersale, quod est contra Philosophum 2. de Anima, t. com. 60. Secundum est, quòd vniuersalitas præcederet omnem operationem intel

intellectus; quod est contra Commentatorem 1. de Anima, com. 8. dicentem: *Intellectus est qui facit vniuersalitatem in rebus.* Probatio consequentiæ: quia sentire in nobis præcedit omne intelligere; & obiectum sensus, secundùm quòd est obiectum sensus, præcedit actum sensus; ergo secundùm istã rationem, præcedit actum intellectus, & quicquid est prius priore, est prius posteriore: obiectum autem est sensus, secundùm quòd vnitatem habet generis, ex responsione, quæ vnitas est vnitas vniuersalis.

4

Tertium inconueniens est, quòd potentiæ cognitiuæ sit aliquod per se obiectum, secundùm aliquam rationem, secundùm quam impossibile est illam potentiam cognoscere illud obiectum per se. Probatio consequentiæ: quia sensus nihil cognoscit, nisi sentiendo: sentire verò est solius singularis per se; sicut dicit responsio, & Aristoteles 2. de Anima, tex. com. 60. Contra primam confirmationem istius positionis: licèt idem sit subiectum omnium potentiarum, quæ sunt ad formas eiusdem generis, sicut probat ratio (alioquin non esset transmutatio per se inter illas) tamen non oportet eandem esse potentiam respectu omnium illarum formarum; immò oppositum videtur secundùm Philos. 3. Phys. tex. com. 10. dicentem; *Si posse sanari & posse ægrotare essent idem, sanitas & ægritudo essent idem.* ex quo manifestum est, quòd potentiæ distinguuntur secundùm distinctionẽ actuum; non solùm genere, sed specie: quia sanitas & ægritudo sunt eiusdem generis; ita quòd inter illa per se transmutatio est. Contra secundam confirmationem de 2. Poster. in lib. 1. c. 1. de Somno & Vigilia habetur, *Cuius est actus eius est potentia*; *ergo*, &c. Item, sequitur, quòd non sit idem obiectum potentiæ & actus: & ita non distinguuntur potentiæ per actus; sicut actus per obiecta, quod est contra Philos. 2. de Anima, tex. c. 33.

Ad primum istorum duorum, exponitur propositio Philosophi de potentia, quæ est ordo ad actum; sicut potentia & actus sunt differentiæ entis: quia illo modo idem subiectiuè, vel obiectiuè, est in potentia ad aliquid, & postea in actu secundùm illud; non de potentia cognitiua. Exemplum de potentia operatiua non valet, cuius est potentia operatiua, eius est agere, vt subiecti, si actio sit in passo. ex 3. Phys. text. com. 18. Dico igitur aliter ad argumentum, quòd vnitas obiecti sensus, non est aliqua vnitas vniuersalis in actu; sed aliquid vnum, alia vnitate priore, scilicet reali, à qua mouetur intellectus, ad causandum aliquid commune, abstractum ab hoc singulari, & illo, eiusdem speciei, magis quàm diuersarum; aliter vniuersale esset fictio solùm. Circumscripto enim intellectu, illud album magis conuenit cum alio, quàm cum aliquo alterius generis. Vnde dico, quòd illud vnum reale præcedens actum intellectus, est vnum in multis: non tamen de multis, sed fit vnum de multis per intellectum; & tunc est vniuersale, priùs non: quia ex 1. Poster. t. c. 25. ambæ conditiones requiruntur ad vniuersale.

Obiectum sẽsus vnum, minori vnitate quàm numerica. Scot. 2. d. 3. q. 1. 6.

De ista vnitate si debet poni, vel non, quære in 7. quæstione de Vniuersali, sed hîc arguitur contra ipsam, quantùm est ad propositum; quia scilicet per ipsam non saluatur difficultas de obiecto sensus.

6

Contra dictum in solutione ista, arguitur sic: Si illud vnum est aptum natum prædicari de pluribus; ergo est actu vniuersale. Responsio. verum est aptitudine remota: sed aptum aptitudine propinqua fit ex consideratione intellectus: & hoc est quod dicit diffinitio de multis, &c. Contrà, illud obiectum vnum realiter, aut est singulare, aut vniuersale. (non videtur possibile ponere medium, à nullo enim Philosopho ponitur medium) sed non vniuersale per te; ergo singulare: & tũc, sicut priùs, respectu diuersorum singularium diuersæ potentiæ. Ad istud argumentum nota, quòd Auicenna non negat in hac auctoritate vnitatem simpliciter de quiditate, sed negat vnitatem numeralem, ad quam, & multitudinem sibi oppositam, quiditas est indifferens, & ita ex se ad neutrum determinatur. Similiter nec ad vniuersale, nec ad singulare: & ita vt in se consideratur, sine vtroque illorum est obiectum sensus: omne enim ens de mundo, siue quiditas, siue quicquid sit, eo modo quo ens, & vnum.

Vniuersale non esse à parte rei. Scot. 2. d. 3. q. 1. & 6.

EXTRA.

Vnitate sibi propria, sic enim se habet vnitas quiditatis ad quiditatem, sicut vnitas suppositi ad suppositum: & ita natura, vt sub vnitate sibi propria, potest poni obiectum: sed illa est realis, non vniuersalis: vel si ponitur quiditas intellectualis sine illa vnitate, quæ etiam est passio eius, potest poni quòd ipsa sic etiam est obiectum: non secundùm rationem vnitatis superaddita sibi, sicut nec secundùm rationem actus, vel potentiæ; sed absolutè, ratione quà talis quiditas est.

Secundùm Auicennam 5. Metaph. c. 1. diffusè; nec humanitas, nec alia quiditas est actu, nec potentia, nec vnum, nec multum, nec vniuersale, nec singulare: sic dico de isto obiecto sensus. Contrà, sequitur tunc quòd idem & secundùm eandem rationem, per se fit obiectum sensus & intellectus: quia secundùm illam rationem, qua est quiditas, tantum est per se intelligibile, &, per te, per se sensibile. Item, sensus erit per se cognoscitiuus quiditatis & non singularis, quod videtur contra literam infrà, quæ dicit, quòd sensibus sunt cognitiones singularium maximè propriæ. Quomodo? non quia soli sensus sunt illorum, per te, nec quia illorum solorum per se. Respondes, quòd non sine singularitate.

EXTRA.

Aliter dicendum quòd sensus per se est singularis, compositi ex natura & differentia indiuiduali: tamen materia est ratio formalis cognoscendi. Contrà: ratio formalis magis cognoscitur: propter quod vnumquodque enim, &c. lib. 1. Post. t. c. 5. *Item, tunc non erraret sensus distinguendo hoc ab illo. Ad primum, consequentia tenet de intellectu, qui natus est cognoscere ita rationem, sicut illud cuius est, non de sensu: propositio verò Posteriorum intelligitur de ly* propter, *effectiuè. Ad secundum, non errat circa rationem formalem, siue circa hoc, quantùm ad illam.*

Ad primum dicitur, quòd si actu vniuersale esset per se obiectum intellectus possibilis, & causaretur vniuersale per se ab intellectu agente; tunc non sequeretur inconueniens. Aliter dicitur, quòd intellectus agens non causat vniuersale, sed intellectus possibilis considerans illam quiditatem illimitatam, causat in eo vniuersale; ita quòd vniuersale non est per se obiectum intellectus, sed consequitur etiam actionem primam intellectus possibilis; ita quòd quiditas secundùm se, sicut est obiectum sensus, secundùm præcedentem responsionem, ita etiam & intellectus.

EXTRA.

Contrà: quiditati secundùm se concepta, conuenit dici de multis; igitur est actu vniuersale. Item, si non, quid facit intellectus possibilis considerans circa illam, vt fiat actu vniuersale, solùm enim comparat

parat ad hoc, vel ad illud, de quibus est priùs prædicabilis, & ita vniuersalis? Item, per quancunque intellectionem quam nouam speciem habebit intellectus, & vnde illa?

Et tunc dicerent quòd non est inconueniens, quòd intellectus per se cognoscat singulare, sicut omnem rem, quam cognoscit sensus visus in albo, cognoscit sensus communis, sed non solùm sic. Similiter intellectus possibilis cognoscit illam quiditatem, sicut sensus, sed non solùm sic, sed vt actu sit vniuersale. Sed tunc ad argumentum quod fit, quòd potentiæ distinguuntur per obiecta: dico quòd potentiæ ordinatæ distinguuntur secundùm illud, quod est communius: sed potentiæ disparatæ per obiecta disparata. Ad aliud dicitur, non esse inconueniens quod infertur: & probatur sic; omnis potentia cognoscens obiectum secundùm aliquam rationem, magis videtur illam rationem cognoscere. Tunc arguitur: sensus per te cognoscit, non quiditatem, sed sub A, aliquo scilicet accidente: tunc quæro vtrùm per se cognoscit A, & tunc per se cognoscit quiditatem: si enim sub alio, tunc in infinitum, vel stabis: tamen sensus tantùm sentit illud quod est color, intellectus cognoscit quiditatem diffiniendo, & attribuendo diffinitionem diffinito, dicendo, hoc est tale quid: & sic videtur cognoscere quiditatem, non tantùm quid.

SCHOLIVM II.

Explicat *hîc illud*: Sensus est vniuersalis, sentire singularis, *& quomodo actus sensus est circa singulare, non vt circa primum obiectum. Ad id quod quærit, an singularitas sit per se sensibilis, respondet negatiuè 2. d. 3. q. 1. Vide eum infrà l. 7. qu. 14. & 15. Sicut enim est conditio, non ratio agendi, vt habet ipse 1. d. 3. qu. 6. ad primum principale, num. 15. ita est conditio, non ratio terminandi. Explicat in fine duplici via, quo sensu obiectum sensus sit singulare, & quo vniuersale? Et respődet ad tria inconuenientia, adducta contra responsionem ad tertium principale suprà, num. 3. Vide de his Anton. Andream hic q. 7. & Anton. Trombetam, q. 7. qui clariùs ista tractant.*

Ad quartum principale, dico, quòd consequentia non valet: quia non est simile; quia necessaria conclusio non potest sequi, nisi ex necessariis, nisi falsum sequeretur ex vero: & antecedens non potest esse verum sine consequente; nec separantur, nisi quantùm ad causalitatem; & ista causalitas est in propositionibus per se veris: vnde in propositionibus per se est accidens, quia non valet: licèt duo conueniant in vna causa; ergo vna est causa alterius. Ad aliud, hic actus circa hoc singulare, actus singularis in communi, circa singulare in communi, & actus secundùm naturam circa obiectum secundùm naturam, & actus vniuersalis circa obiectum vniuersale abstractum à singularibus. Et pro tanto potest saluari illud 2. Poster. suprà allegatum, *sensus est vniuersalis: sentire verò singularis:* quia quilibet vnus actus sentiendi, est circa vnum singulare tantùm, multi autem actus circa multa; & omnes illi actus sunt ab eadem potentia: ex quo concluditur quòd nullum vnum singulare, est primum obiectum potentiæ, sed aliquid vnum in multis singularibus, quod est quòdammodò vniuersale, sicut priùs expositum est.

Licèt autem quodlibet sentire sit tantùm circa singulare, non tamen vt circa primum obiectum, sed circa illud vnum, quod existit in singulari. Aliter non idem obiectum potentiæ, & actus, sed non est circa illud vnum, nisi sub singularitate; sicut color non videtur nisi in quantitate: à multis tamen actibus potest abstrahi vnum commune, & illius obiectum ponetur aliquod vniuersale; sicut dictum est in responsione ad secundum argumentum principale. Contrà: si sensus non sentit obiectum sine singularitate, quomodo se habet singularitas ad obiectum, vt ad colorem? Nunquid est per se sensibile, licèt non proprium, sicut quantitas? nunquid singularitas est tantùm per se intelligibile? stude. Notandum verò circa prædicta, quòd tertia ratio principalis non habet difficultatem specialem ad hanc quæstionem: soluitur enim sicut primum argumentum principale de actu immanente.

Quomodo sensus est circa singulare?

10

Sed circa istam literam Philosophi inferiùs in isto 1. libro: *Ampliùs autem sensuum, neque vnum,* &c. Est bona dubitatio, vtrùm obiectum per se sensus sit aliquid sub ratione singularis? Videtur quòd sic: quia ibidem dicitur quòd singulorum cognitiones sensibus maximè propriæ sunt. Et 2. de Anima, tex. com. 60. dicitur singulare dum sentitur. 2. etiam Poster. tex. com. vltimi. *sentire est singularis:* & eius est actus, cuius est potentia; ergo sensus est ipsius singularis. Quomodo etiam aliter ponetur differentia sensus ad intellectum? Sed contrarium arguitur per tertium argumentum principale de diuersitate potentiarum, & per confirmationem primam responsionis primæ, ad tertium principale, de diuersitate potentiarum; & per confirmationem primam responsionis primæ, ad tertium principale, per simile de potentia reali; quia vnitas potentiæ receptiuæ materiæ accipitur per se respectu vnitatis formarum eiusdem generis, inter quas est transmutatio; igitur vnitas potentiæ sensitiuæ similiter iudicabitur respectu vnitatis obiecti secundùm genus. Hoc etiam probatur per secundam confirmationem de 2. Poster. Item, singularitas est vnius rationis in colore & sono; ergo non est formalis ratio obiecti, quia per illam distinguuntur potentiæ. Item, non hæc singularitas est ratio formalis obiecti sensus; quia tunc aliud singulare non sentiretur: singularitas verò in communi videtur vniuersale, quia huic singularitati in hoc colore, quæ non est res secundæ intentionis, est aliquid simile in alio colore; ergo ab istis duobus ita abstrahitur vnum vniuersale, quod est singulare; sicut à duobus coloribus vnus color.

An singulare sit obiectum sensus?

11

Ad hanc dubitationem respondeo, quòd vtraque via concedit, quòd singulare non est per se obiectum potentiæ, & primum; sed prior via dicit quòd aliquid secundùm vnitatem generis, est obiectum potentiæ. Secunda verò via vitans vnitatem vniuersalis, esse proprium obiectum sensus, ponit sibi correspondere vnitatem realem fundamentalem vnitatis generis, inquantùm est obiectum, non tamen quòd illam vnitatem ponat obiectum; sed naturam, cui sine consideratione intellectus conuenit talis vnitas. Secundùm hoc igitur confirmationes ambæ primæ viæ, positæ ad confirmationem responsionis tertij argumenti, sunt pro secunda via. Principium enim potentiale materiale non dicitur primò esse idem formarum talis generis, vt genus est aliqua intentio secunda, causata ab intellectu, sed tantummodò formarum habentium vnam natu

Resolutio. Scoti 2. d. 3. q. 1.

Supra n. 3.

naturam tali vnitate reali, quæ sit fundamentum vnitatis generis, quando intellectus illam naturam considerat. Illud etiam de secunda confirmatione de 2. Poster. glossatur quòd sensus est vniuersalis, id est, vnius vnitate reali fundamentali vnitatis vniuersalis.

Sensus est vniuersalis, exponitur.

Tria inconuenientia adducta contra responsionem ad tertium principale, sunt contra primam viam, & non contra istam secundam. Argumentum etiam contra primam confirmationem quod accipitur ex 3. Physic. tex.com.10. quòd potentiæ contrariæ sunt diuersæ, vt posse sanari, & posse ægrotare, sophisticum est: quia illa prima confirmatio debet intelligi non de respectu possibili, sicut intelligitur dictum illud Philosophi de 3. Physic. sed de principio possibili, in quo est respectus ad formam: quia nec potentia cognoscitiua est tantùm respectus.

Ad illud argumentum superiùs factum contra secundam confirmationem responsionis ad tertium principale, dicendum est, quòd illud Philosophi de Somno, & vigilia; *cuius est potentia eius est actus*, intelligitur subiectiuè, ita quòd cuius subiectiuè est potentia, eius subiectiuè est actus. Probat enim ex illa propositione, quòd sicut actio sentiendi est compositi, ita & potentia, & non animæ tantùm: tamen vera est etiam propositio eiusdem, quòd eiusdem obiectiuè est potentia & actus, sicut probatur per argumentum aliud quòd sequitur illud: quia aliter non esset idem obiectum potentiæ & actus.

Cuius est potentia, & actus, exponitur.

12

Hîc etiam patet per tertium inconueniens suprà adductum, contra responsionem ad tertium principale, quia aliter aliquid esset obiectum potentiæ cognitiuæ secundùm aliquam rationem, secundùm quam impossibile est obiectum illud ab illa potentia cognosci. Vnde sicut negat illa secunda via de potentia, quòd sit per se, & primò circa singulare, ita neget de actu. Vnde glossantur, istâ secundâ viâ, omnia in contrarium: vt cùm dicitur quòd sentire est singularis, & consimilia de singularitate, per *sine quo non*; sicut de quantitate. Ponit ergo illa secunda via primum obiectum sensus colorem, vel lucem, illud quod ipsum est. Similiter & ipsius actus non sine singularitate. An autem potentiæ sine singularitate, dubium est. Responsio: sicut de quantitate, immò sine quantitate est motiuum, licèt non possit actu agere.

ANNOTATIONES MAVRITII.

13

SEquitur quæstio sexta de obiecto actuum & operationum. Vbi nota istam instantiam Doctoris parum post principium solutionis, cùm dicit: *sed hæc probatio non valet*, &c. & solue sicut benè respondet Antonius Andr. hîc. Sed videtur *Extra*, vt patet in multis originalibus.

Parum post ibi: *Contra tunc non magis*, &c. vsque ibi: *Ad tertium dicendum*, &c. est *Extra*, sed potest solui faciliter quòd infertur concedendo, sed specialis difficultas erat de actione.

Infrà assignatur quoddam paruum Extra ibi: *De ista vnitate*, &c. vsque ibi: *Contra illud*, &c. & parum post assignatur aliud ibi: *Vnitate sibi propria*, &c. vsque ibi: *Secundùm Auicennam*, &c. tamen litera bona & dependens satis.

Consequenter infrà ibi: *Respondeo quòd non sine*, &c. vsque ibi: *Ad primum dicitur quòd si actu vniuersale*, &c. ponitur esse *Extra*: sed satis benè ad propositum & vtile: non tamen est bona dependentia literæ, vt patet. Et parum post ibi: *Contrà quiditati secundum se*, &c. vsque ibi: *Et tunc dicerent*, &c. ponitur *Extra*.

Aduerte qualiter debet solui illa obiectio infrà, ibi: *Contrà si sensus non sentit obiectũ*, &c. vbi dicit in fine: *stude*, & quære infrà in 7.q.14. & 15. & 3. dist. primi. q.6. & in Theorematibus, propositione 3. est enim conditio agentis, non ratio agendi, singularitas ipsa. Similiter non est ratio terminandi actum, sed conditio terminantis: etiam respectu intellectus viatoris pro nunc. Vide infrà ad finem huius q. vbi satis expressè patet solutio.

Ad finem quæst. ibi: *Sed circa hanc literam*, &c. vsque ad finem, est motiuum octauæ quæst. quam format Antonius Andr. hîc & nota singularissimè qualiter paucis multa perstringit subtilissimè. Vnde patet clarè eius intentio in toto processu quæstionis. Ibi verò dum facit mentionem de duabus viis in quæstione, aduerte quòd sunt duæ responsiones ad tertium principale, in quibus replicando se dilatauit. Prima ibi: *Ad tertium dicendum*. Secunda ibi: *Dico igitur aliter*, &c.

Oportet enim hanc primorum principiorum & causarum esse speculatiuam. Summum etenim bonum, & quod cuius gratiâ, vna causarum est. Quare verò non actiua, palàm ex primùm philosophantibus.

Ex tex. prol.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm Metaphysica sit practica?

Arist. *hîc cap.* 2. *lib.* 2. *cap.* 1. *& lib.* 3. *cap.* 2. D. Thom. *hîc lect.* 2. Fons. *hîc cap* 2. *& lib* 2. *cap.* 1. Suar. *disp.* 1. *Met. sect.* 5. Hurt. *disp.* 1. *sect.* 9 Meurisse 1. *Met. q.* 3. Auers. *q.* 1. *Philos. sect.* 5. Vide Scot. *q.* 3. *Prologi.*

1

QVòd sic videtur, quia est vt boni fiamus: est enim ad felicitatem immediatè, quę est summum bonum nostrum, ergo, &c. Item 1. huius habetur, quòd hæc ordinat alias, ex sexta conditione sapientiæ; sed ordinare est actus scientiæ practicæ; ergo, &c. Item, sicut Theologia supernaturalis est ad perficiendum nos in esse supernaturali, sic ista in esse naturali; sed illa ponitur practica propter amorem charitatis; ergo, &c. Item, communis est speculatiuis & practicis; ergo nec est speculatiua, nec practica. In contrarium arguit Philosophus hîc, & in 6. huius, textu commentat. 1. & 2.

SCHOLIVM I.

PRIMVM *dictum huius literæ:* Praxis est omnis operatio, quæ non est speculatio, *de quo q.* 4. *prol. numero* 3. *vbi nota, quòd actus intellectus quandoque est praxis, vt hîc habet Doctor, & obseruaui, q.* 4. *prolog. num.* 3. *in scholio. Secundum*; Subest volũtati, & ideò operatio naturalis, vel vniformis non est praxis. *Ita q.* 4. *prol. n.* 45. *Tertium:* Operatio cognitiua intellectiua, & sensitiua: item appetitiua, sensitiua, & intellectualis, atque etiam motiua sunt praxes; vegetatiua non, quia non subest voluntatis imperio, *& ideo non omnes operationes*

præfatæ

præfatæ sunt praxes, sed tantùm quatenus subsunt imperio voluntatis; vnde sensitiua operatio tantùm quoad applicationem practica est. Quartum: Operatio voluntatis in qua contingit errare, praxis est, *secus de aliis. Quintum:* virtutes morales non sunt principaliter in appetitu, sed potius in voluntate. *De quo fusè 3. d.33. contra D. Th. Sextum:* Scientia practica respicit operationem, vel operabile quà tale. *De quo quæst.4. prolog. Septimum.* Non petit hæc ordinari ad nobilius, sed tantùm quod sit directiua praxis, seu operationis liberæ. *De quo etiam ibi. Octauum dubium*, an ex amore naturali generetur habitus, *quia ex vna parte nulla est difficultas, vel necessitas, ex alia videtur sufficere libertas. Vide Doct. 3. d.33. num.17. vbi an virtutes morales possint poni in Angelis, vt dubium relinquit, & idem habet 2.d.3.q.10. ad secundum, pro Henr. num.18.*

Ad solutionem huius quæstionis & sequentis primò oportet videre quid sit praxis, à qua dicitur scientia practica, & secundò qualiter se debet scientia habere ad illam praxim, vt ab illa dicatur practica. De primo est sciendum, quòd praxis est omnis operatio, quæ non est per essentiam speculatio; alioquin diuisio scientiæ in speculatiuam & practicam, esset insufficiens: quælibet enim operatio essentialiter distinguitur à speculatione, quantùm ad illud, quod est speculationem esse finem vltimum, vel non alterius gratiâ: oportet tamen quòd illa operatio non sit merè determinata à natura; sed quòd contingat in ea errare, & rectè agere. Quod patet ex secundo manifestando: scientia enim practica se habet ad praxim, vt directiua in ipsa: non est autem opus directione vbi nulla est difformitas: operationes autem quæ subsunt imperio nostro, sunt operationes cognoscitiuæ, tam intellectus, quàm sensus: operationes etiam appetitiuæ tam intellectiuæ, quàm sensitiuæ: operationes etiam motiuæ: operationes vegetatiuæ non: vnde de eis non est scientia practica.

Quid est praxis?

Quæ operationes subsunt imperio nostro?

2

Si instes per hoc quòd Metaphysica videtur esse de illis. Respondeo, quòd est de actibus nostris respicientibus illam, quomodo scilicet talia opposita, sic ipsam disponerent. Operatio autem cognitiua intellectiua est quadruplex: quædam ad nihil ordinatur, vt cognitio conclusionis vltimæ; quædam ad aliud vt causa eius, vt cognitio principij ad conclusionem; quædam ad aliud vt ad finem, vt scientia minùs nobilis ad Metaphysicam; quædam autem vt in alia dirigat, vt Logica; omnes tamen illæ sunt speculatiuæ, quia non ordinantur nisi ad speculationem. Operatio verò cognitiua sensitiua aliquo modo subest imperio nostro; puta sic, vel sic imaginari; sic, vel sic disponere oculum ad videndum: & si scientia de hoc daretur, practica esset docens quomodo esset sic operandum: pro quanto autem non subest nostro imperio quando organo disposito sensibile præsens necessariò sentitur nullo impediente, non est scientia practica de hoc. Operatio verò appetitiua voluntatis circa finem vltimum naturalem, vnica est & vniformis scilicet complacentia quædam simplex: in illa ergo non indigemus scientia directiua, quia, vt priùs dictum est, non est opus directione, vbi nulla accidit difformitas. Circa verò entia ad finem in actu naturali conuenit errare: & circa illa sunt virtutes & scientia moralis practica. In actu verò supernaturali voluntatis tam circa finem, quàm circa illa quæ sunt ad finem conuenit errare & rectè agere, quia ibi non rectè agitur sine multis circunstantiis actus; ergo ibi requiritur directio in vtroque: & scientia ibi directiua est Theologia supernaturalis; ergo illa secundùm illam viam ponenda est practica.

Cognitio quadruplex.

Cognitio sensitiua quomodo practica?

Circa entia ad finem sunt virtutes morales, & sciẽtia moralis.

Operatio verò appetitus sensitiui potest esse recta, & non recta: vnde circa directionem, etiam in illa, est moralis, pro quanto virtutes morales sunt ibi, licèt fortè non ita principaliter; sicut in voluntate. Operatio autem motiua quædam est simpliciter immanens, vt saltare, equitare; quædam autem transiens, nihil tamen relinquens, vt cantare in primo grădu, & citharizare in secundo; quædam aliquid relinquens: hæc propriissimè vocatur factio. Hæc igitur scientia, cùm sit de primo ente, nullo modo est practica, nisi quia ordinatur ad actum naturalem voluntatis circa illud ens: sed eam ad illud ordinari, non facit eam practicam, cùm non ordinetur ad illum vt directiua, cùm ille actus sit naturalis, rectus, & vniformis. Quod etiam probatur aliter: nulla scientia est practica, nisi consideret operationem, vel operabile, inquantùm operabile, hæc neutrum facit. Non secundum, quia primum ens sub ratione, quâ tale, non est operabile. Contrà: sic Theologia supernaturalis non esset practica. Ideò respondeo, operabile, vel circa quod est operatio, esse amabile, est esse circa quod est operatio, sicut esse sanabile: hoc sufficit ad practicam. Contrà: ratio amabilis, ex quo dicit aliquam relationem secundùm rationem in Deo, non potest esse prima ratio in ipso, secundùm quam omnia ad ipsum attribuuntur, ergo nec sic consideratur hîc. Responsio: idem argumentum potest fieri de Theologia: non enim potest poni hîc subiectum sub ratione nobiliori, quàm ibi. Ideò respondeo, quòd sub ratione boni potest tam hîc quàm ibi considerari, quæ est ratio absoluta, super quam fundatur ratio amabilis: sicut medicus considerat corpus inquantùm calidum & frigidum, in quo fundatur sanabilitas: & hoc sufficit ad rationem practicæ: vnde ex parte obiecti, non videtur esse ratio, quare ista etiam non est practica. Nec valet ponere ideò Metaphysicam esse speculatiuam secundùm Aristotelem quia ponit sapientiam esse nobilissimum habitum ex 6. Ethic. cap. 8. & per consequens non ordinatum ad alium, nec ad aliquid, nisi ad proprium actum, & ita non ad praxim, sed ad speculationem tantùm.

3
Operatio motiua alia immanens, alia transiens.

Hæc autem ratio, quamuis sit apparens, non valet, constat enim quòd omnis scientia sit nobilior actibus potentiæ motiuæ transeuntibus in extrinseca, & tamen respectu talium actuum ponitur scientia practica: vnde patet quòd ordo, sicut ad finem, vel sicut ad nobilius, non est de ratione practicæ: sed quòd directiua sit in aliquo actu, licèt minùs nobili quàm sit considerare: immò nullam ponit Aristoteles practicam, nisi directiuam in actu minùs nobilis potentiæ, quàm sit intellectus: nisi fortè moralem, si virtutes sint in voluntate. Item, in alio peccat ratio, constat quòd Aristoteles ponit appetitum intellectiuum in nobis 6. Ethic. capite 2. & 3. & 1. Rhetor.12. si autem illa potentia sit nobilior, actus eius erit nobilior actu intellectus; & ita actus intellectus ordinabitur ad illum: & illa est praxis, vt præhabitum est, ergo, &c. Nec valet probatio de sapientia: licèt enim verè sit nobilissimus habitus; tamen actus

4
Non est de ratione eius ordinari ad nobilius.

De hoc Scot. 4.d.49.q.4.

actus voluntatis naturalis, & ita non ab habitu, potest esse nobilior actu intellectus ab habitu, si voluntas sit nobilior intellectu: non enim hoc aufert nobilitatem ab actu, quod fiat à potentia sine habitu medio, præcipuè si est naturalis & vniformis. Exemplum: visio est nobilior actus, quàm actus scribendi, qui est ab habitu in manu, quia visus est nobilior potentia motiua: & tamen hoc esset, dato quòd habitus scribendi esset nobilior omni habitu: quia in potentia visiua nullus est habitus. Contra: quare ex amore naturali, id est, ex puris naturalibus, & tamen libero frequenter elicito, non potest in voluntate generari habitus amoris naturalis, sicut in intellectu ex intellectionibus naturalibus indeterminatior enim est voluntas, quàm intellectus, saltem respectu principiorum, quorum tamen sunt habitus. Responsio: quòd si habitus generetur, hoc est ex fœcunditate actus: non autem propter necessitatem actus; ita quòd inter potentiam & habitum actus mediet, non autem habitus inter potentiam & actum ex necessitate. Aristoteles autē nō poneret fortè habitum, nisi vt requiratur propter actum causandum.

SCHOLIVM II.

CIRCA *solutionem ad tertium difficile est ostendere, quare hæc scientia non sit practica, sicut Theologia, quia (vt hîc dicit in fine) Deus quatenus bonus, & secundùm quamcumque aliam rationem absolutam, potest esse obiectum scientiæ practicæ. Dicendum tamen hanc esse speculatiuam, quia, vt ait Aristoteles hîc in proœmio omnibus necessariis existentibus, inuenta est, non autem vt operemur operationes nobis necessarias, & sic eius finis est purum scire: Theologia autem inuenta est, vt iuxta eam operemur. Quod hîc ait in fine, practicam, & speculatiuam non distingui obiecto; intellige, materiali, vel remoto, quia in q.4. prolog.* §. Aliter dicitur, *nu. 10. tenet practicam dici ab obiecto. Vide eum ibi, de scientia practica satis fusè disputantem; sed quæstio magis molesta est, quàm vtilis, vt notaui ibi vlt. schol. Vide Anton. Andream hîc q. 11. & expositionem Doctoris in textum huius quæstionis.*

5 Ad primum argumentum quæstionis dicendum, quòd hîc est vt boni fiamus speculando. Ad secundum dicendum, quòd hîc ordinat alias, vt finis ordinat entia ad finem; non vt scientia directiua. Ad tertium dicendum, quòd non est simile, non propter secundas rationes improbatas, sed propter illam de naturalitate amoris, circa quam non est difformitas. Illa tamen ratio est debilis, sicut patet per argumentum de amore naturali suprà. Libertas enim est respectu actus ex puris naturalibus, vt eliciatur cum circumstantiis debitis, vel fine, scilicet super omnia, vel propter aliud, licèt istæ circunstantiæ non ponant amorem in esse supernaturali. Similiter vnde probatur illud de directione. Philosophus nu.2. huius dicit, tex.c.3. *finis practicæ est opus:* non dicit dirigere in opere. Ad quartum dicendum, quòd modus tractandi est vnus, & finis vnus quantumcunque subiectum sit commune. Ad argumentum de obiecto scientiæ practicæ, dicendum, quòd non est obiectum eius opus nostrum, sed directiuum per ipsam: nec obiectum eius est operabile, sed qualibet conditio absoluta potest esse ratio obiecti scientiæ practicæ, secundùm quam conditionem potest operatio nostra, quæ non est speculatio, esse circa illud: volitio autem potest esse circa obiectum, secundùm illam absolutam rationem eius, sicut & intellectus. Sic patet quomodo Deus inquantùm Deus, vel inquantùm bonus, vel secundùm aliam rationem absolutam, potest esse obiectum scientiæ practicæ; ergo scientia practica & speculatiua non distinguuntur penes obiectum; quia nullum est intelligibile, circa quod non possit esse secundùm rationem absolutam eius, ita operatio voluntatis sicut operatio intellectus. Richar. 1. q.4. vult quòd magis distinguatur à fine quàm à materia, & hoc loquendo de fine essentiali, quem scientia ex se respicit, non accidentali, quem sciens sibi præfigit, quod probatur: quia de quantumcunque operabili potest esse scientia speculatiua. Sed hîc restat dubium de scientia Dei: quare non est practica: & de hoc alibi patet.

ANNOTAT. MAVRITII.

SEquitur septima quæstio de fine Metaphysicæ, in qua communiter non assignatur correctio, licèt in aliquibus illa litera, infrà ibi: *Contrà: quare ex amore naturali,* &c. vsque ibi: *Ad primum argumentum,* &c. ponatur *Extra,* litera tamen bona & singularis.

6 Aduerte tamen quòd hæc quæstio in aliquibus sequitur quæstionem sequentem de comparatione speculatiuæ & practicæ, & ex litera Doctoris, patet quòd sic deberet ordinari ibi ad finem quæstionis. Ad argumentum de obiecto scientiæ practicæ &c. vbi aliqui libri habent, *Ad argumentum,* & alij *ad argumenta,* & subditur primæ quæstioni illud enim argumentum est in quæstione illa ibi: *Alij dicunt quod nulla voluntas,* & sequitur, *quòd probatur, quia obiectum speculatiuâ,* &c. vnde manifestum est, vel quòd illa responsio deberet poni ad finem sequentis, vel quòd illa deberet præcedere istâ, ad hoc facit ordo text. Philosophi super quem mouentur, vt patet; quia tamen communiter ordo quæstionis est talis, non mutauimus ipsum.

Ad finem huius quæstionis nota solutionem dubij: quod dimittit insolutum, quia erat Theologicum, ideò dicit de hoc alibi. Quære in prologo q. de praxi, vbi de scientia Dei est problema satis intricatum: si autem non ponatur practica, hoc ideò est, quia potentia practicans non est regulabilis aliunde, sed vniformis, & non potest cadere error in eius operationem. Igitur idem iudicium est de ipsa sicut de voluntate naturali, de qua loquitur Doctor in litera.

Sententia Doctoris clara est hîc, sed videatur profundiùs in prolog. vbi suprà.

Ex tex. prol. Maximè verò principalis scientiarum, & magis principaliter subseruiente est, quæ cognoscit cuius causa sunt agenda singula.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm speculatiua sit nobilior practica?

Arist. *hic cap.* 2, & 2. *Post. cap* 7. *tex.* 23. D.Th. 1. *Met. lect* 2. Ant. Andr. *ibid. q.* 12. Flandr. *q.* 6. *art* 1. Fons. *cap.* 2. Suar. *disp.* 1. *sect.* 5. Hurt. *disp.* 1. *sect.* 9. Vide Scot. q. 4 *Prol. cit.*

QVòd practica nobilior: quia finis eius est bonum esse; finis speculatiuæ verum scire: sed primum

primum est melius secundo. Item, scientia ciuilis, quæ est practica, ordinat speculationem, vt patet in Ethic. sed ordinans est melius.

Dicitur quòd praxis dicitur communiter ad scientiam factiuam, & ad effectiuam, quæ est operatio.

Alij dicunt quòd nuda voluntas non dicitur praxis: etiam dicunt quòd speculatiua est nobilior: & probatur sic ab obiecto: quia obiectum speculatiuæ, quod est quiditas rei, est nobilius obiecto practicæ, quod est opus nostrum: quiditates rerum intellectorum sunt nobiliores.

Alij dicerent ad hoc, quòd Deus sub ratione operabilis, id est, amabilis, est melius seipso cognoscibili. Aliter probatur à fine: quia finis practicæ est vsus gratia: speculatiuæ gratia speculandi verum: sed secundus nobilior est primo. 10. Ethic. cap. 10. illud enim est nobilius, per quod conuenimus cum nobilissimis: sed hoc est per intellectionem veritatis, qua conuenimus cum Diis, non enim faciunt sicut nos, nec aliqua agunt communia nobiscum. Ad argumenta in contrarium.

SCHOLIVM I.

Resolvtio *Doctoris, nobiliorem esse speculatiuam, quàm practicam, si hæc tantùm sit circa actus appetitus: vbi innuit hanc esse nobiliorem si ponamus voluntatem subiectum virtutum moralium, quod tenet ipse 3. d. 33. §. Ad quæst. nu. 12. de quo quidquid sit, Theologia quæ practica est, nobilior est omni speculatiua, & Philosophus ideò posuit speculatiuam nobilissimam, quia negauit voluntatem circa finem habere praxim, sed motionem naturalem, vt docet Scot. quæst. 4. prolog. num. 24. in quo errauit, & ideò discordandum est ab eo: Ita habet Doctor ibidem ad 4. num. 42. vbi explicat scientiam, quæ est gratiâ actus nobilioris suo actu, ex hoc nobiliorem esse, qua ratione sensitiua hominis nobilior est sensitiua bruti; secus est si sit gratiâ actuum inferiorum suis, & sic posuit Philosophus practicam, quia respectu actuum externorum, vel appetitus; ex prædicto errore Philosophus posuit felicitatem in speculatione 10. Ethic. cap. 10. vel à speculatione non excludit actus voluntatis, vt innuit doctor ex August. q. 4. prol. §. Quinta via, num. 26. Vide Anton. Andream de hac materia hìc q. 12. & expositionem Doctoris in textum huius quæstionis.*

2 Ad primum dico quòd scientia ista, est vt boni simus non simpliciter, sed secundùm virtutes, id est, moderati in parte sensitiua, si ponitur quòd sit subiectum virtutis: & illud non est bonum simpliciter: quia secundùm Philosophum ordinatur ad maius bonum nostrum scilicet vt speculemur substantias separatas, & quietemur in speculatione earum: illa autem speculatio est summum bonum nostrum, quia est felicitas, secundùm Philosophum 10. Ethic. cap. 10. Ad aliud ciuilis ordinat quis audiat istam, non istam; vnde aliud est ordinare vsum alicuius, & quis debet intelligere & exercere: aliud est ordinare ipsam scientiam in se. Vnde exercitium ordinat ciuilis: & ordinans est melius: verum est in aliquo sensu.

ANNOTATIONES MAVRITII.

Sequitur octaua quæst. de comparatione speculatiuæ & practicæ, in qua nihil occurrit notandùm, nisi quotare opiniones varias quas recitat, quære in prolog. in materia de praxi omnia apud istum, & antiquos doctores, & in hoc prologo. Vide Albertum, & alios expositores antiquos, hìc, & Quæstionistas.

Primum itaque existimamus sapientem omnia maximè scire, vt contingit, accipimus enim non singularem scientiam eorum habentem. *Ex tex. prol.*

QVÆSTIO IX.

Vtrùm ad Metaphysicam spectat cognoscere omnes quiditates?

Arist. *hic cap. 2. & 1. Poster. cap. 23.* Auerr. & D. Thom. *super eadem loca, & his super Boëtium de Trinit. in quæst. de diuisione scientiarum, art. 4. ad 6.* Auer. *2. Phys. comm. 22. & 4. Met. comment. 9.* Ægid. *1. Met. q. 22.* Mirandul. *lib. 13. de euersione singul. certam. sect. 6. & 7.* Antonius Andr. *hic q. 9.* Fons. *ibid cap. 2. q. 1. sect. 1. & seq.* Suar. *disp. 1. sect. 2.* Meurisse *1. Met. q. 5.*

1 Quòd sic, in sexto, text. c. 1. nulla alia scientia facit considerationem de ipso *quod quid est*: si ergo quiditates sunt notæ, & in nulla alia scientia, sequitur quòd in ista. Item, cognitio in vniuersali tantùm, est imperfecta, quia confusa & indistincta; ergo si sapiens cognosceret tantùm in vniuersali, esset imperfectè sciẽs, & alij perfectè, quod est contra Aristotelem in hoc primo. Item, simile videtur de habitibus ordinatis & potentiis: sed ita est in potentiis, quòd potentia superior potest omnem illam rationem comprehendere, quam inferior; ergo similiter habitus superior cognoscet omnia, quæ cognoscuntur in habitibus inferioribus: sed inferiores habitus cognoscunt in particulari; ergo & superiores. Contrà, in primo dicitur quòd sapiens est cognoscens omnia, vt contingit: & exponitur quòd non oportet in singulari, sed vniuersali. Item, si sic, tunc aliæ scientiæ superfluunt.

SCHOLIVM I.

Sententia *tenens ad Metaphysicam spectare cognoscere quamlibet quiditatem, non tamen accidentia quiditatis, & ponitur fundamentum vtriusque partis, quod clariùs videre potes apud Anton. Andream hìc q. 9. fusè contra hanc disputat, & soluit argumenta pro ea adducta n. 2.*

Respondetur communiter quòd Metaphysico pertinet cognoscere quamlibet quiditatem, secundùm quòd quiditas, & secundùm quòd hæc: non tamen secundùm omnem rationem cuiuscumque accidentis huic quiditati.

Primum sic ostenditur; hæc quiditas est prior cognitione, diffinitione, tempore, & motu, & quãtitate; ergo potest considerari absque illis: sed non in scientia naturali; quia considerat mobilia: nec Mathematica; quia considerat quanta; ergo illud consideratur à Metaphysica. Item, si hæc quiditas non per se consideratur à Metaphysico, tunc ab aliquo alio: & tunc sequitur quòd illa scientia esset subalternata Metaphysicæ, quia considerat de particulari quiditate: & Metaphysica de quiditate in communi. Similiter sequitur

tur quòd per se inferius & superius ad eandem scientiam non pertineant, cuius oppositum videtur in aliis: idem enim considerat numerum & binarium, &c..

EXTRA. *Item prima cognitione de aliquo cognoscitur illud quod primò sibi inest: quia illud est omninò primò ostensibile: alia omnia demonstrabilia per illud, sicut passiones, vel etiam ostensibilia, sicut prædicata essentialia alia, sed quod primò inest vnicuique, est quiditas sua propria: quæ exprimitur per diffinitionem propriam; ergo ad Metaphysicum, cuius est prima cognitio de aliquo, pertinet illud considerare de illo. Maior patet: quia cognitio ostensibilis per aliud de A non est prima de A. Probatio minoris, licèt ens sit primum quod inest homini: non tamen primò inest homini: tum quia ostensibile est, licèt non demonstrabile per diffinitionem hominis, sed hominem esse animal rationale per nihil ostensibile est: Vnde hoc quærere nihil est quærere, ex 7. Metaph. tex.com.69. cuius non est alia causa, vt homo est homo, 5. Met. cap. de per se, tex.com.23. tum, quia si A conuenit B primo, nulli alij conuenit, quod non est B; igitur si ens primò conueniret homini, nulli alij conueniret per se. Vnde sicut in secundo modo per se tantùm vnum inest vni, sic in primo modo, quod non potest esse nisi proprium quid. Contra illam rationem; ergo hoc:* Homo est homo, *esset prius principium quàm hoc:* Ens est ens: *quia prima ostendit secundam, non ècontra, principium habet ostendere conclusiones. Tamen hìc dicitur quòd primum principium complexum includitur in omnibus conceptibus complexis, sicut primum incomplexum in omnibus incomplexis. Ideò ostenditur per quodlibet, non autem demonstratur. Aliter dicitur, quòd de conceptibus communibus fiunt propositiones vniuersales, & sic superior distributus includit inferiorem, non ècontra. Ad hanc igitur rationem dicendum; quòd prima cognitio vel est vniuersalis, vel particularis. Prima vniuersalis cognoscit illud quod primò inest sibi in vniuersali: prima verò particularis, quod primò sibi inest in particulari: Metaphysica non est prima scientia particularis de homine, siue de homine in particulari, sed prima vniuersalis de ipso inquantùm ens, vel substantia: & sic cognoscit quòd primò sibi inest in vniuersali, vt* ens est ens. *Contra, saltem cognitio particularis de homine ostendit hanc,* ens est ens. *Ad hoc responsum est prius.*

3 Secundum declaratur sic: Hæc quiditas prior est accidentibus, & accidentia per se respectu eius, priora accidentibus per accidens: licèt ergo secundùm quòd hæc quiditas, & quantùm ad per se accidentia eius, pertineat ad Metaphysicam; inquantùm tamen mobilis, vel huiusmodi, hoc est formaliter intellecta sub aliquo accidente per accidens, pertinet ad scientiam aliam: quia sic est posterior seipsa intellecta sine illis. Per hoc ad primum: sapiens cognoscit omnia, non secundùm omnem rationem cognoscibilitatis, sed secundum omnem rationem quiditatis cognoscit, non tantùm in vniuersali, sed etiam in particulari. Ad aliud, aliæ scientiæ considerant quiditates secundùm accidentia sibi. Contra positionem sequitur quòd aliæ scientiæ non considerant nec quiditatem, nec hanc in se, sed tantùm secundùm accidentia sibi: cùm ergo quiditas cum accidentibus, sit ens per accidens, sequitur quòd omnes aliæ scientiæ à Metaphysica, essent de ente per accidens, sed de illo non est scientia 6. huius, tex.com. 4. Et probatio, quia necesse est præcognoscere de subiecto quid est; ens per accidens non habet *quid*: quia omne tale vel est genus, vel in genere, sed ens per accidens non est in genere: quia distinguitur contra omnia decem. Genera in libro 6. tex.com.4.

EXTRA. *Hìc respondetur quòd licèt corpus mobile sit ens per accidens: non tamen corpus secundùm quòd mobile: quia vna ratio formalis facit vnum cognoscibile & vnius scientiæ. Aliter dicitur, quòd Philosophus in 6. negat scientiam de ente per accidens, quod non habet causam determinatam, quod est in paucioribus; non sic hìc. Contra: vna cognitio est vnius cognoscibilis, sed non magis vnum est corpus secundùm quòd mobile, quàm corpus mobile: aut enim præcisè intelligo corpus, aut præcisè mobile intelligendo corpus secundùm quod mobile, aut vtrunque & tertium erit propositum.*

4 Item Philosophus dicit in Elenchis quòd hìc est accidens: *Cognoscis Coriscum, & ille est veniēs, ergo cognoscis venientem*, stant ergo simul quòd cognoscis venientiam, quæ est in Corisco, & accidens: & tamen ignoras subiectum eius. Sic ex parte ista simul stant, quòd Physicus cognoscit mobile illud accidens, & tamen ignorat corpus. Dicitur quòd ista cui accidunt, non cognoscuntur, nisi per accidens: tamen illæ rationes cognoscendi, quibus cognoscuntur illa alia, per se cognoscuntur. Contrà: si mobilitatem qua cognoscitur corpus per se cognoscit, aut tunc cognoscit mobilitatem inquantùm quid; Tunc propositum; si non inquantùm quid; ergo non per se, & tunc per accidens: & tunc quæro de illo accidente, & sic do omnibus aliis in infinitum. Item, Naturalis cognoscit per te corpus secundùm quòd mobile: aut ergo illa eadem scientia cognoscit mobile secundùm quòd mobile: & tunc cognoscit inquantùm quid: si verò cognoscit mobile inquantùm quid; tunc sequitur quòd idem sub eadem ratione formali cognitum, consideratur per se à diuersis scientiis: quia eadem ratio cognitionis est, qua cognoscitur corpus inquantùm mobile, & mobile inquantùm mobile, quia mobilitas est ratio cognoscendi formalis in naturali, & similiter in Metaphysica. Tertiò sic arguitur: Si non consideratur in Physica mobile inquantùm mobile, & mobile inquantùm mobile consideratur in alia scientia; ergo eadem ratio erit formalis in duabus scientiis.

5 Dicitur quòd non est eiusdem scientiæ considerare mobile inquantùm tale, & corpus inquantùm mobile: quia dicunt quòd non est simile, quia ratio mobilitatis accidit corpori, & per se inest mobili. Sed illud non valet, licèt benè dicat ista responsio quòd illa ratio habet diuersas comparationes ad cognita sub ea: tamen non vitat quin eadem ratio formalis in duabus scientiis consideretur per se. Eadem enim ratio, non variata quæ accidit vni, est eadem essentialiter alij: & tunc reduco argumentum, sicut priùs. Similiter ex quo diuersæ scientiæ habent diuersas rationes formales, non potest esse vna ratio formalis per se considerata ab vna & ab alia. Item, ad vnitatem scientiæ requiritur vnitas rationis formalis, saltem primæ: non tantùm in se, sed vt comparatur ad materialia, quorum est ratio scilicet quòd non diuersimodè comparetur ad illa secundùm se & per accidens: licèt diuersimodè fortè secundùm diuersos modos per se. Vnde ad eundem pertinet considerare risibile inquantùm risibile, & hominem inquantùm risibile: quia eadem ratio

An eadem ratio formalis in diuersis scientiis consideratur?

Ad vnitatē scientiæ requiritur vnitas formalis obiecti.

tio formalis vtrinque: & eodem secundùm per se vtrique cōparatur, licèt non eodem modo pes se: tunc sicut arguitur inferiùs, ibi, *hoc concedunt*, nihil videtur remanere cognoscendum aliis sciētiis.

6 Responsio: licèt nullum accidens per accidens dicatur de ente, quia ens ponitur in diffinitione cuiuslibet, non in sua communitate, sed vt includitur in aliquo inferiori: sicut figura in diffinitione habere tres ideò soli non omni: & ille modus pertinet ad per se. Tamen lineæ est aliquod accidens per accidens: vt visualitas, quæ tamen non tantùm entis, sed etiam alicuius subiecti inferioris, vt coloris, vel lucis, est per se, ergo licèt Metaphysicus consideret ens, colorem, lucem inquantùm visibilia, siue visualia: non tamen lineam inquantùm visualis: & de hoc est perspectiua. Contrà: hæc positio videtur vocalis: tum quia arguitur vt prius, ita videtur cognoscere lineam esse visualem; sicut lineam inquantum visibilis: tum quia si de linea inquantùm visualis, est scientia, aliquid demonstrabitur de linea per aliquod medium non sumptum de materiali; ergo ex formali; ergo oportet cognoscere formale secundùm se, quantùm ad medium quod sibi secundùm se inest. Similiter de infinitis esset quælibet scientia si sua ratio formalis possit accidentaliter accidere infinitis, quia vna ratio vtroque modo.

EXTRA.

Notandum verò, quòd ad illud superius dictum scilicet quòd ad vnitatem scientiæ requiritur vnitas rationis formalis, additur saltem primæ: *quia aliter positio sibi contradiceret: quia alia est ratio formalis entis, inquantùm ens, & hominis inquantùm homo: tamen inter omnes rationes formales, ratio entis est prima & vna. Contrà: equiuocatio entis. Aliter respondeo, quòd ratio hominis non est simpliciter alia à ratione entis: quia ipsum includit.*

De vniuocatione entis dicetur lib. 2. q. 1.

Non omnis quiditas prior est omni accidente.

Ad argumentum opinionis dico, quòd quiditas quælibet non est prior omni quantitate, sed tantùm quiditas substantiæ, sed quantitatis non. Arguitur contrà sic: quiditas ignis est prior omni motu; ergo, vt sic, non consideratur nec à naturali, nec à Metaphysico. Dico, quòd mobilitas non est ratio formalis subiecti quòd consideratur in scientia naturali: Cuius probatio est quia subiectum secundùm rationem subiecti prius est naturaliter passione: tunc passio non est ratio formalis considerandi ipsum, ex quo est posterius: mobilitas autem est passio naturalis in naturali scientia.

Mobilitas non est ratio formalis subiecti Physica.

7 Dico ergo, quòd quiditas ignis cum illo quòd appropriat, quicquid sit illud, vt sit proprium subiectum motus, consideratur in scientia naturali: illud autem, quòd appropriat ipsum, vt sit subiectum motus, non est motus: quia priùs naturaliter habet rationem illam, quàm sit subiectum motus. Contrà: Philosophus dicit quòd considerat mobilia, inquantùm mobilia. Dico, quod hoc dicit, quia non habet notam istam rationem quam habet, vt est subiectum motus, sed virtus motu tanquam magis noto. Vel dico, quòd considerat mobilia inquantùm mobilia, secundùm quòd *inquantum*, ibi dicit conuertibilitatem passionis cum subiecto, &c. Ad aliud dico, quòd necesse est ipsos concedere subalternationem. Probatio; conditio vna subalternatæ scientiæ est, quòd subiectum suum sit sub subiecto subalternantis; alia est quòd scit, *quia*, vbi superior scit, *propter quid*, & à superiori accipit sua principia, ad probandum conclusiones. Aliquando autem subiectum addit super subiectum differentiam essentialem, sicut binarius super numerum; aliquando accidentalē, sicut sonus numero; sed nunc est ita, quòd in omnibus scientiis discurrenti patet, quòd subalternata tantùm addit supra alterius subiectum, accidentalem differentiam: ita est communiter in omnibus scientiis, quòd magis subalternatæ addunt differentiam accidentalem, quàm essentialem. Vnde omnis subalternata duabus subalternatur, secundùm duo, quæ in eius subiecto includuntur: vt patet de Musica respectu Naturalis & Arithmeticæ: ergo sic hìc cùm secundùm eos subiectum aliarum addunt accidentales rationes, & per meam positionem addit essentiale aliquid, puta hanc quiditatem super quiditatem, magis sequitur subalternatio per illos, quàm per me. Item, si sola hæc consideret quiditates tunc.

Physicus considerat mobilia vt talia, exponitur.

Conditiones sciētiæ subalternatæ. Scot. q. 3 prol. q. 4. lat. nu. 29.

EXTRA.

Hoc concedunt sine argumento: quia vt patet suprà, cui per se inest aliqua passio, illud sub ratione eius considerabitur à Metaphysico, qui considerat passionem omnem in se A inquantum A; ergo & quodlibet inquantùm per se A, sequitur quod nulla omninò sit passio, nec prima, nec posterior, quæ alicui subiecto per se inest, quin Metaphysicus cognoscat illud subiectum sub ratione illius passionis; igitur non restant aliqua cognoscenda aliis, nisi accidentia per accidens: quæ nulli per se insunt: si tamen aliqua sunt talia, maximè cùm ponat ad secundum modum per se pertinere quatuor modos Proprij secundùm Porphyrium. Saltem nullum est accidens per accidens respectu entis, vt concedunt: quia diffinit quodlibet inferius, igitur ens cognosceretur hìc sub ratione cuiuslibet accidentis omninò; & ita, vt dicunt, non caret passionibus: vt consideratur à Metaphysico, verum vtique erit, sed nulla passio remanet consideranda aliis: imò nec vt videtur, aliquod accidens per accidens; ergo Metaphysica est omnis scientia.

8 Sola hæc demonstrat primam passionem de omnibus quiditatibus: quia prima passio inest quiditati suæ per se, & immediatè sine aliquo accidente: quia nisi sic, tunc non esset prima: sed aliæ scientiæ considerant subiecta sub accidentalibus rationibus; ergo non considerant per se primas passiones: sed semper considerans posteriores præsupponit primam esse; ergo nulla scientia considerans, demonstrat primam passionem inesse; sed præsupponit ipsam demonstrari in alia: sed conclusio vbi demonstratur prima passio; est principium in inferiori scientia, vbi demonstratur posterior: sed hæc est conditio scientiæ subalternantis, & subalternatæ: ergo omnes scientiæ aliæ subalternatæ sunt Metaphysicæ: sed secundùm positionem meam, si hæc quiditas esset per se subiectum naturalis, cùm habeat per se propriam, istam posset demonstrare.

Alias scientias subalternari Metaphysicæ.

SCHOLIVM II.

Ex *discursu disputationis in hac quæstione, & argumentorum solutione, satis patet, etsi Doctor directè non resoluat, eum velle Metaphysicam non agere de quiditatibus rerum in specie, sed in vniuersali, hoc est, in ratione entis, iuxta loca eius citata q. 1. schol. 3. & suadetur ex authoritate, & ratione ad oppositum nu. 1. & habet Doctor expresè in expositione textus, circa quem mota est quæstio. Vide Anton. Andream hìc q. 9.*

9

Ad primum principale ſcilicet textum Ariſtotelis dico, quòd ſolùm intelligit quòd nulla alia ſcientia conſideret ens, ſiue quid, in communi niſi hîc. Ad aliud dicendum, quòd Ariſtoteles 1. Poſteriorum, t.c.39. vbi comparat demonſtrationem vniuerſalem particulari, dicit in epilogo quòd demonſtratio vniuerſalis facit magis ſcire, quàm particularis. Hoc non eſt ad propoſitum.

EXTRA.

Concluſio enim ſuprà, licèt improbetur de veritate propoſitionis primæ opinionis, non tamen de cognitione particularis, vt præcisè accipitur contra cognitionem vniuerſalis.

Ideò aliter dicitur quòd licèt melius eſt cognoſcere in particulari, prout particulare includit vniuerſale, quàm in vniuerſali tantùm, tamen vbi particulare non includit vniuerſale, non eſt melius.

EXTRA.

Sicut habetur à Dionyſio, quòd eſſe, eſt nobiliſſima perfectio Dei: quòd verum eſt præcisè ſumptum: tamen vt alia includunt ipſam, & aliquid vltrà, nobiliora ſunt.

Alia reſponſio, licèt aliqua cognitio particularis ſit perfectior in ſe præcisè ſumpta tamen cognitio vniuerſalis de propoſito cognoſcibili, eſt certior ſecundùm proportionem, quàm cognitio particularis de ſuo cognoſcibili: quia plus vniuerſale cognoſcitur, inquantum eſt cognoſcibile, quàm particulare.

Ad aliud, non eſt ſimile de potentiis & habitibus: quia ex quò ſuperior potentia habet maiorem virtutem; & ſi habet ſpecies plurium, poteſt illa plura cognoſcere: ſed habitus non eſt ratio cognoſcendi, niſi repræſentando rem: ſed potentia non tantùm habet maiorem virtutem, ſed poteſt recipere alias ſpecies.

EXTRA.

Per potentiam eſt potens, & per ſuperiora eſt circa communius obiectum, & quodlibet ſub ipſo eſt potens; ſed per habitum eſt determinatus ad obiectum, non oportet ſi ſit determinatus ad ſuperius, & ad inferius: idem eſt ſuſceptiuum coloris, & huius coloris cuiuſlibet: non tamen ſi color informat, & quilibet color informat.

10

Cōtingit ſcire in vniuerſali & nō in particulari.

Quòd autem habitu vniuerſali, non cognoſcantur quæ ſunt habitus inferioris. Probatur, quia contingit ſcire in vniuerſali, & ignorare in particulari: hoc non contingeret ſi habitus vniuerſalis eſſet repræſentatiuus illorum particularium. Ad aliud pro contraria opinione, quod eiuſdem eſt conſiderare genus & ſpeciem; dico quòd eſt falſa: licèt in aliquibus eſt eadem ſcientia, hoc eſt, quia habent eandem rationem: ſed hîc & alibi, vbi non eſt eadem ratio, non eſt hoc verum. Vel dico ſimpliciter, quòd ſunt diuerſæ ſcientiæ, non tamen diſparatæ, ſed ordinatæ. Vel dici poteſt, quòd ſcientia de binario, ſi binarius haberet multas paſſiones, traderetur partim in Arithmetica, & partim in alia.

ANNOT. MAVRITII.

11

Sequitur nona quæſtio de modo & menſura conſiderationis Metaphyſicalis, quæ & ſequẽs decima ordine textus in quo fundantur, deberent præcedere duas præcedentes, ſed Doctor parum curauit de ordine, dummodò veritas appareret, licèt fortè curioſè inquirendo poſſet ordo eius ſuſtineri: de quo non modò.

Sententia Doctoris in hac quæſtione licèt videatur clara, tenendo partem negatiuam, vt communis ſchola; ex dictis tamen eius alibi, ſequaces ipſius variè ſentiunt, eo quòd verba eius in diuerſis locis diuerſimodè interpretantur, vt patet in prologo, q.1.& 3.& 2.di.primi.q.2.& 3.di.ſecundi,q.1.& alibi ſæpè. Si tamen ſubtiliter conſideretur diſtinguendo de Metaphyſica in ſe,& in nobis; vniuerſali & particulari; & quòd refert dicere conſiderare in vniuerſali & vniuerſale; & in particulari & particulare, & è contra: & ponderetur ſecundùm ſuppoſitum ſuprà in principio, quod præmiſi in hoc negotio, faciliter omnia concordabuntur. Verba tamen Doctoris ſuprà q. 1.multùm mouent ad partem affirmatiuam in hac quæſtione,& proceſſus Ariſtotelis deſcendendo in particulari ad decem Genera, & ſpecies eorum; & præferendo ſubſtantiam accidenti in conſideratione Metaphyſicæ, & multa alia. Qui ergo vellet tenere affirmatiuam hîc poſſet dicere iuxta illud ſecundùm notabile ſuprà exponendo Doctorem vel quòd loquitur non de vniuerſalitate prædicationis, vel communitatis, ſed præciſionis, vel abſtractionis: quæ verba poſſunt ponderari, quia placent. Non curo impedire chartam, recitando varias opiniones diuerſorum & Græcorum & Latinorum, vt multi Sophiſtæ moderni faciunt, quia hoc potiùs vacui recitatoris, vel hiſtoriographi, quàm ſubtilis indaginis, vel ſpeculatiui officium cenſetur.

12

In principio ſolutionis ibi: *Item prima cognitione de aliquo*, &c. vſque ibi: *Secundum declaratur* &c. aſſignatur *Extrà*: ſed litera ſatis bona eſt, ideò, &c.

Infrà etiam ibi: *Hîc reſpondetur*, &c. vſque ibi: *Item Philoſophus dicit*, &c. ponitur *Extrà*, & infrà ibi: *Item ad vnitatem ſcientiæ*, &c. vſque ibi: *Ad argumentum opinionis*,&c.aſſignatur *Extra*. Et infrà ibi: *Hoc concedunt*, &c. vſque ibi: *Sola hîc demonſtrat*, &c. dicitur *Extra*, vel additio. Et infrà ſoluendo ſecundum principale ibi: *Concluſio enim*, &c.vſque ibi: *Ideò aliter dicitur*, &c. ponitur etiam *Extra*. Et parum pòſt ibi: *Sicut habetur à Dionyſio*,&c. vſque ibi: *Alia reſponſio*, &c. eſt Extra ſecundùm aliquos. Et vltimò infrà ibi, *per potentiam eſt potens*, &c. vſque ibi, *Quod autem habitu vniuerſali*, &c. aſſignatur *Extra*. Quæ omnia licèt voce tædioſa, non tamen infructuoſa, ideò ruminentur. Poſſet fieri vis in illo exemplo quod tangitur de Dionyſio, quomodo vim eſſe ſumptam cum aliis perfectionibus diuinis, ſit nobilius ſe ipſo præcisè accepto, cùm infinitum non poſſit excedi, ſed videatur iſte 1.& 5. q. Quodlibeti, & 8.diſt.primi,& alibi ſæpè ad hæc.

Quærantur hîc Albertus, & Paulus Venetus, & Ioan. Buridanus, & Alex. de Alex. quem præſupponit plerumque in hac Metaphyſica: & Frater Adam, & Nicolaus Boneti, & alij plures pro opinionibus, quas recitat Doctor: vide Franc. de Mayronis in prolo.Conflatus,q.14.

Id quòd videtur velle Commentator de ſubſtantiis ſeparatis quòd conſiderantur in particulari hîc: ſecus autem de materialibus, nullum colorem videtur habere, loquendo de intellectu viatoris, & de cognitione quiditatiua, vt patet diſcutienti.

Ferè

Ferè autẽ & difficillima sunt hominibus ad cognoscendum, quæ maixmè sunt vniuersalia. Nam à sensibus sunt remotissima, &c.

QVÆSTIO X.

Vtrùm vniuersaliora sint nobis notiora?

Arist. *hic cap. 2. & lib. 5 cap. 11. & 1. Poster. cap. 2. tex. 5. & 1. Phys. cap. 5.* Auic. 1. *Met. cap. 5.* Philoponus & Themistius, 1. *Physic* D. Thom. *hic lect. 2.* Caiet. *de ente & esse. q. 1.* Fons. *hic cap. 2. q 1 sect. 1. & seq.* Suar. *disp. 1. Met. sect. 5.* Hurtad. *disp. 1. Met. sect. 9.* Vide Scot. 1 *dist. 3. q. 2.*

1 QVòd non, primo Physicorum, t.c.2. innata est nobis via procedere ex notioribus nobis: & intendit ibi, vt patet per literam, quòd vniuersaliora sunt nobis magis nota, singularia minùs nota. Item, confusa & indistincta, sunt nobis magis nota ibidem: t.c.3. & ibidem similiter, t.c.4. totum est magis notum nobis, quàm partes: vniuersale est totum. Item, illa citiùs ocurrunt intellectui, quorum singularia citiùs occurrunt sensui: sed singularia magis vniuersalium citiùs sentiuntur; ergo & illa vniuersaliora priùs intelliguntur. Probatio minoris per Auicennam & in 1. Physicorum, t.c.5. pueri primò appellant omnes viros patres, &c. Similiter 1. Physicorum, t. c. 2. non sunt eadem magis nota nobis, & simpliciter: sed minùs vniuersalia sunt notiora naturæ; ergo nobis minùs nota. Quòd sint simpliciter minùs vniuersalia naturæ magis nota, probatio: quia vnumquodque magis cognoscitur per naturam quòd est magis perfectum, & magis ens: minùs vniuersale addit super magis vniuersale aliqnam perfectionem. Item, secundùm Auicennam 1. Met. c. 5. communissima prima impressione imprimuntur; ergo priùs cognoscuntur: & sic de aliis secundùm ordinem. Item, si non, tunc scientia de eis esset minùs certa: hoc est contra vnam rationem sapientis. Contra Philosophum in litera. Similiter compositiora sunt nobis magis nota quàm simplicia: sicut patet in 1. Physicorum, t.c.4. quòd totum quod est compositum est nobis notius quàm partes: Sed minùs vniuersale componitur ex magis vniuersali; ergo; &c. Item 6. Topic. cap. 4. diffinitum est nobis minùs notum quàm diffinientia: sed diffinientia sunt magis vniuersalia quàm diffinitum. Item, diffinitio est per simpliciter priora: vt habetur, 6. Topic. sed talia sunt minùs nota nobis; ergo priora sunt nobis minùs nota.

SCHOLIVM I.

PRIMVM *dictum*; Vniuersalius in causando, est nobis minùs notum quia perfectius, & à sensibus remotius. *Secundùm*; Singulare est notius notitia sẽsus, quàm vniuersale, *quia hoc non cognoscitur à sensu, nisi per accidens quatenus inest singulari. Aduerte tamen sensum nõ cognoscere singularitatem, vt dictum est q. 6. Tertium*; Si teneatur singulare esse per se intelligibile, est notius vniuersali: *de hoc nihil asserit hìc, sed fusè ita tenet q. 22. de An. quod ibi in comment. latè explicui. Quartum*; Singulare magis vniuersalis, notius nobis singulari minùs vniuersalis, *vt cùm à longè video animal, priùs scio esse corpus, quàm animal, & animal, quàm equũ, vel asinũ; sed hoc est ratione indebitæ distãtiæ, vt explicat Doctor 1. d. 3. q. 2. n. 27. Quintum*; Inter vniuersalia, magis vniuersale est notius cognitione distincta: vel vt diffiniens. *Quia cognitio distincta habetur per diffinitionem, quæ requiritur per diuisionem incipiendo ab ente, de quo Doctor iam citatus* §. Contra dico *nu. 25. Sextum*; Magis vniuersale, vt indistinctum confusè continens plura, est magis notum nobis. *Hoc dictum non est tenendum iuxta Doctoris mentem, tum, quia hac quæstione nihil resoluit, tum etiam, quia* 1. d. 3. q. 2. §. Ad secundam quæst. *nu. 21. & de An. q. 16. & 22. tenet speciem vltimam esse primum cognitum cognitione confusa, tum tertio, quia in expositione textus huius quæstionis docet vniuersaliora esse nobis cognitu difficiliora. Adde etiamsi assertiue hoc dictum hìc teneret, standum adhuc iis, quæ in Theologia habet ratione assignata in nostra præfatione.*

2 *Vniuersale duplex.* Dicitur quòd est vniuersale per prædicationem, & illud diffinitur in Perihermenias, t.c.5. & 1. Poster. t.c.25. quod est vnum in multis, & de multis. Aliud est vniuersale per causalitatem, cuius virtus se extendit ad plures effectus: sicut causa prima, quæ est tamen singularis, nec prædicatur de pluribus singularibus. Secundo modo intelligendo magis vniuersale causalitate, est minùs nobis notum, quàm minùs vniuersale causalitate: quia magis vniuersale est perfectius, & perfectiora sunt minùs sensibilia; sicut patet de Intelligentiis & à materia separatis, sed causæ vniuersaliores sunt minùs sensibiles: ergo nobis minùs notæ. De vniuersali per prædicationem, aut comparatur ad singulare simpliciter, aut vniuersale magis ad vniuersale minùs, sicut genus ad speciem: de primo vniuersali, primò distinguendum est de cognitione, prout communis est ad cognitionem sensitiuam & intellectiuam, quæ dicitur cognitio in genere: & tunc singulare simpliciter est notius nobis, quàm vniuersale: quia illud est notius nobis, quod est notius cognitione prima in nobis, hæc est sensitiua. Si autem nõ cõparetur quantùm ad cognitionem in genere, sed ad vnam: tunc quantùm ad sensitiuam, singulare est magis notum nobis. Si autem quantùm ad intellectiuam, tunc secundùm illos qui ponunt singulare non intelligi, nisi per accidens, posterius intelligeretur: quia per accidens posterius est per se: vt dicit Philosophus 2. Physic. t.c.66. Si autem alia opinio sit vera, quòd per se intelligitur: tunc esset quæstio, & potest dici quòd singulare magis: quia conclusio non cognoscitur nisi per principia, quæ sunt magis nota secundùm Philosophum 1. Posteriorum, t. c. 5. & secundùm eum principia accipiuntur per inductionem; inductio autem ex singularibus.

3 *Singulare magis vniuersalis notius nobis.* Si autem comparatur magis vniuersale ad minùs vniuersale: vt quando vtrumque est simpliciter vniuersale: aut ambo comparantur ad intellectum: aut singularia eorum comparantur ad inuicem: si secundo modo, nobis notius est singulare magis vniuersalis; quàm singulare minùs vniuersalis. Si vniuersale vtrunque compararetur ad intellectum: tunc vel est loquendum de superiori, vt est quiddam indistinctum confusè continens plura, isto modo est magis notum nobis, & hoc probant tres primæ rationes. Si autem accipitur magis vniuersale, vt sic distinctum quoddam diffiniens: tunc diffinitum est magis notum: cognitione

Prius cognoscitur diffinitum confusè quàm diffinientia.

tione tamen indistincta: quia priùs cognoscitur diffinitum indistinctè quàm diffiniens. Ad omnes authoritates. Primæ tres probant quòd magis vniuersale comparatum ad minùs vniuersale, & secundùm cognitionem intellectiuam, inquantùm indistinctè magis vniuersale continet minus, est magis notum nobis. Magis ergo vniuersalia sunt priùs nota. Ad duo sequentia dicendum, quòd probant quòd singularia magis vniuersalis, singularibus minùs vniuersalis citiùs cognoscuntur, & hoc secundùm cognitionem sensitiuam, & similiter vniuersalia eorum correspondentia citiùs cognoscuntur & intelliguntur. Ad aliud *communissima prima impressione*, &c. Concludit quod magis vniuersale est magis notum, inquantùm indistinctè continet minùs vniuersale; igitur, &c.

Ad argumentum in oppositum, intelligendum est de causis vniuersalibus per causalitatem. Ad aliud de simplicitate, procedit quòd vniuersalius secũdùm quòd diffiniẽs. Aliter potest negari propositio; quia materia est simplicior quàm compositum; & tamen non perfectior. Vnde aliqua composita sunt perfectiora simplicibus, alia non. Ad aliud, intelligitur vt diffiniens, similiter illud de 6. Topic. quòd diffinientia sunt nobis notiora: verum est, inquantùm diffinientia.

SCHOLIVM II.

OBIICIT *tripliciter contra tria dicta in præcedenti litera, & soluit satis clarè. Vide sat ad longum de materia huius quæst. in q.16. Scoti de An. & in eius commentario, & in q. 22. vbi varia dubia circa primum cognitum resoluuntur. Vide etiam Anton. Andream hîc q.10. qui clariùs nonnihil, quæ Doctor in substantia habet, tractat, & Anton. Trombetam q. 10. qui satis prolixè rem prosequitur.*

4

Arguitur magis vniuersale causalitate, non esse nobis minus notum.

Contra: illud quod dicitur magis vniuersale causalitate est minùs notum nobis, quòd sit falsum. Probatio 2. huius, t.c.1. dicitur; *in foribus quis delinquit?* Vbi ex intentione habetur quòd principia scientiæ priora, sunt nobis facillimè nota; ergo causæ vniuersalissimæ sunt nobis notæ magis. Probatio consequentiæ, quia principia vniuersalissima dicunt *propter quid*, respectu conclusionum plurimarum: sed illud quod dicit *propter quid*, dicit causam; ergo vniuersalissimum principium causam vniuersalissimam: sed causa vniuersalissima est causa plurium effectum, eo enim quòd est vniuersalissimum principium, se ad plura in virtute extendit, &c.

Propinquius tali, magis tale.

Contra aliud: si singulare simpliciter est magis notum; ergo quod est propinquius illi singulari, est nobis notius, secundùm illud tertij Topic. cap. 4. *quod est propinquius simpliciter tali, magis est tale:* sed hoc est vniuersale minus; ergo est magis notum nobis, cuius oppositum probatur, &c. Contra aliud: verum est quòd cognitio sensitiua aliquo modo præcedit intellectiuam, tanquam causa sine qua non; sed hoc est in generatione scientiæ, non tamen in perfectione, quia intellectus est virtus perfectior; tunc sic: virtus perfectior intensiùs, & magis cognoscit, quã imperfectior: intellectus est perfectior; ergo, &c. Hoc etiã dicit Philosophus in proœm huius quòd artifex certiùs cognoscit, quia causam; expertus non: sensus ergo cùm nescit *propter quid*; ergo minùs perfectè cognoscit.

5

Ad primum: principia illa non habent causas vniuersales pro terminis; sed habent terminos communissimos secundùm prædicationem. Tunc ad formam, sicut vniuersalis passio habet vniuersale subiectum; sic vniuersalior vniuersalius: tunc secundùm hoc vniuersale prædicabile magis dicit *propter quid*, quàm minùs: non tamen sic quòd dicat causam essendi minus, &c. Sic hîc de principiis demonstrationis. Ad aliud dico, quòd regula illa sumitur à 3. Topic. in eligendis, & dico quòd intelligenda est si sit propinquius illi in eo quòd talis est, singulare autem est magis notum nobis, quia est sensibile. Illud ergo quod est propinquius in sensibilitate singulari, illud est nobis magis notum: sed in hoc magis vniuersale propinquius est quàm minùs. Notandum tamen, quòd non loquor quòd aliquod vniuersale sit sensibile propriè: prout tamen habent esse in suppositis, vnum est magis sensibile quàm aliud.

Intellectus certius cognoscit quam sensus.

Ad aliud: verum est quòd intellectus perfectiùs & veriùs cognoscit, siue certiùs, quàm sensus; tamen cum hoc stat quòd sensibilia sunt priora nobis nota & faciliùs, quia facilius est illa cognoscere quæ ducunt in cognitionem aliorum. Contrà: videtur quòd non potest dici notius, quia notius sonat imperfectionem. Ad hoc dico, quòd est notius secundùm proportionem cognoscentis ad cognoscibile: non autem secundùm perfectionem cognitionis in se: Exemplum: oculus infirmus secundùm proportionem cognoscit magis candelam, quàm aquila Solem, secundùm proportionem visibilitatis vtriusque, sed aquila perfectiùs, sic hîc.

Notius secũdùm proportionem cognoscentis ad cognoscibile; & secundũ proportionem cognitionis.

Nota in litera: *vnumquodque tunc est perfectum, quando potest generare sibi simile.* Contra: tunc Deus alium Deum. Si dicas quòd non est factibilis. Contrà: Angelus est factibilis, & tamen non potest. Dico, quòd fallit quando aliquid ita perfectum est, quòd requirit causam æquiuocam, & hoc est propter perfectionem: & similiter adhuc in vniuocis deficit, quando ibi non est potentia actiua. Lapis enim durus non potest sibi generare similem: quia tantùm habet potentiam passiuam ad resistendum: durum enim est quod resistit impellenti, sed non habet principium agendi qualitatis actiuæ. Tunc ad propositum, licèt sequatur quando potest perfectum, tamen fallacia est: *perfectum est, ergo potest.*

6

Perfectum, quod generare potest sibi simile, exponitur.

Nota, quòd in litera dicitur, singularium cognitio est maximè propria sensui: hoc dicit, quia tantum est sensus, & non dicitur propter intensionem actus: quia intellectus potest in illa perfectiùs, & in alia.

Singularium cognitio quomodo propria sensui?

Ad vnum argumentum dimissum, quòd ista scientia esset minùs certa, dico, si concludit vniformiter, non concludit quòd sit incerta in se, sed sicut vniuersalissima sunt difficillima, eo modo & scientia de illis est difficillima; sed illæ causæ primæ sunt difficiles nobis, sic & scientia. Contra: hîc dicitur quòd hæc scientia est per causam: dicit enim quòd principia & causæ quæruntur nobis; ergo non sunt notæ, &c. Verum est quòd non sunt nota nobis quæsita; tamen in se sunt nota, &c.

ANNO

ANNOT. MAVRITII.

SEquitur quæstio decima & vltima huius primi in qua disputatur etiam problema satis difficile, de comparatione magis & minùs vniuersalium, in prioritate & difficultate cognoscendi, sed Doctoris sententia satis clara est, & videatur altiùs 3.dist.1.q.2.& aliqualiter inferiùs in 7.

Opiniones, quas tangit ibi de cognitione singularis, patebunt infrà, in 7.q.14.& 15.

Non sunt correctiones in litera notabiles. Sed aduerte ad illud, quòd dicit comparando inter se singularia magis & minùs vniuersalis, quòd singulare, videlicet magis, priùs intelligitur, & quia videtur repugnare his quæ dicit in primo loco præallegato. Ad quod dices, sicut ibi, soluendo obiectiones, dicit ad argumentum factum ex experimento, Auic. &c. vel considera altiùs, quia satis dubium, & difficile.

Aduerte, quòd duo notanda incidentaliter ibi; *ad finem quæstionis* inducta possent assignari *Extra*, sed est doctrina singularis,; ideò legantur, &c.

Opiniones extremæ in hac materia sunt Theologorum, & aliorum plurium antiquorum, asserentium magis vniuersale primò cognosci, & Nominalium, dicentium singulare esse tale. Scotus videtur medium tenere, sed vt à principio notaui, multùm in his quæstionibus imitatur antiquos & problematicè incedit.

LIBER SECVNDVS.

HIc *Liber etiam ad proœmium spectare videtur, vt colligitur ex Arist.lib.3.tex.2. vbi referens se ad hîc dicta*, in iis, inquit, quæ proœmij loco dicta sunt; *agit de difficultate veritatis indagandæ, & quis modus in hoc tenendus, & quo principio vterdum. Doctor sex quæstiones vtilissimas circa ista disputat, in quibus multa habet scitu dignissima, Theologis, & Philosophis summè necessaria, maxima subtilitate tractata.*

Quare sic se videtur habere, vt prouerbialiter dicimus: in foribus quis delinquet? *tex. com.* 1.

QVÆSTIO I.

Vtrum prima principia sint naturaliter nota.

Arist. *hic cap.* 1. Commentat. *ibid.comment.* 1. D. Thom. 2. *Met.lect.* 1. Flandr. 1. *Met.q.*12 *art.*2.*&* 4. *Met q.*6. *art.*3. Fons. 2. *Met.cap* 1. Suar. *disp.*1.*Met.sect.*4. Hutt. *disp.*3.*Met.sect* 3. Meurisse 2. *Met.cap.*1.*q.*2. Vide Scotum 1.*dist.*3.*q.*4.*& dist.*39.

1 QVòd sic: Commentator 1. Metaph. com.1. super illud: *Nullus ignorat locum ianua in domo*, dicit quòd prima principia sunt nobis naturaliter cognita in quolibet genere entium. Item, sunt cognita à nobis non per inuentionem, nec per doctrinam; ergo naturaliter: quia non sunt plures modi cognoscendi. Probatio assumpti: quia omne cognitum per doctrinam, vel per inuentionem, cognoscitur per aliud priùs notum, 1. Posteriorum, t.c.1. sed primis principiis nihil est prius.

Ad oppositum Philosophus 3. de Anima, t.c.14. *Anima de se est sicut quædam tabula rasa, vel nuda, in qua nihil depingitur*; ergo secundùm se, & per naturam suam non habet aliquam cognitionem.

Anima de se tabula rasa.

SCHOLIVM I.

PRIMA *principia modò moueant sensus ad terminorum apprehensionem, sunt naturaliter nota, ita vt circa ea errari non possit, de quo vide Doctorem* 1. *d.* 3. *q.* 4. *a.* 2. *num.* 8. *Adde iudicium, seu compositionem de his esse certam, licèt apprehensionem terminorum acciperet intellectus à sensibus errantibus, vt ibi habet Doctor, de quo suprà l.*1.*q.*4.

2 Dicendum quòd non habet aliquam cognitionem naturalem, secundùm naturam suam, neque simplicium, neque complexorum, quia omnis nostra cognitio ortum habet ex sensu. Primò enim mouetur sensus ab aliquo simplici, non complexo, & à sensu moto, mouetur intellectus, & intelligit simplicia, quod est primus actus intellectus: deinde post apprehensionem simplicium, sequitur alius actus, qui est componere simplicia ad inuicem; post illam autem compositionem, habet intellectus ex lumine naturali, quòd assentiat illi veritati complexorum, si illud complexum sit principium primum.

Ad Commentatorem dicendum, quòd pro tanto dicuntur nobis naturaliter nota, siue cognita: quia præscita compositione simplicium terminorum, statim ex lumine naturali, intellectus acquiescit, vel adhæret illi veritati; tamen cognitio terminorum acquiritur ex sensibilibus, & iste intellectus dicitur habitus principiorum, quo adhæret primis principiis. Ad aliud: cognitio principiorum quantum ad simplicia acquiritur ex sensibilibus. Et ad illud quod assumitur quòd

Habitus principiorũ quid est?

Cognitio principiorum ex sensibilibus.

quòd non acquiritur per inuentionem, nec per doctrinam. Dicendum, quòd illa diuidunt acquisitionem scientiæ, quæ est per priùs notum, non intellectus, qui est habitus principiorum. Contra responsionem ad primum: si homo ex lumine naturali assentit veritati principiorum, tunc omnes homines æqualiter assentirent: quia quod consequitur hominem, vel intellectum nostrum, secundùm naturam suam, illud æqualiter reperitur in omnibus habentibus intellectum, quod est contra Commentatorem super 3. Physic. in princ. vbi dicit, quòd aliqui propter consuetudinem negauerunt prima principia: & exemplificat de Christianis, qui negant illud principium *de nihilo nihil fit*. Ad hoc dicendum, quòd ratio illa procedit de principiis simpliciter primis: cuiusmodi sunt, *Impossibile est idem simul esse & non esse*, & *Omne totum est maius sua parte*, & huiusmodi, circa quæ impossibile est errare secundùm Philosophum in 4. huius, t. com. 8. non autem procedit de principiis, quæ possunt esse conclusiones respectu principiorum primorum: talibus enim potest vnus homo assentire magis, quàm alius, inquantùm assentire talibus subest imperio voluntatis, visâ connexione istorum ad prima principia.

Prima principia à nemine negantur.

SCHOLIVM II.

PONIT *octo dubia satis acuta, circa materiam huius quæstionis, ad quæ respondet Mauritius in sua annotatione breuiter, & doctè. Vide q. 3. l. 6. vbi, & in nostris notis ferè omnia hæc fusiùs explicantur. Vide etiam expositionem Doctoris ad textum huius quæstionis præfixum.*

3 Hic ponuntur multa dubia. Primum, si ille assensus sit alius actus intellectus, quàm apprehensio? Auicenna enim in principio Logicæ suæ videtur sumere pro eodem *assensum*, & *scire*. Secundum, si ille assensus sit ab intellectu agente elicitiuè, qui ponitur lumen intellectuale? Tertium, si adhæsionis conclusionis formale principium, sit idem quòd adhæsionis principij? Quartum, vtrùm habitus principij, qui dicitur intellectus, sit principium per se apprehensionis, vel adhæsionis? Quintum, quomodo adhæsio est naturalis, & non apprehensio, cùm adhæsio præsupponat apprehensionem? Sextum, an componere differat ab apprehensione complexi, & an simul sit, & an simul cum ipso sit apprehensio simplicium, vt circa principium simul sint quinque actus, scilicet duæ apprehensiones simplicium, compositio, apprehensio complexi, & adhæsio? quære alibi hæc. Septimum, si intellectus est assentire & dissentire: quare non delectari & tristari? Octauum, quare simplicium est tantùm apprehensio, & non assentitur eis, nec dissentitur? Ex hoc fortè patet quomodo est verum in compositione & diuisione, & non in simplicibus.

ANNOT. MAVRITII.

4 Circa primam quæstionem 2. lib. de naturalitate cognitionis primorum principiorum, & oritur ex t. com. 1. Aduerte primò, quòd principia prima complexa sunt in multiplici differentia, vt habetur 1. Poster. t. c. 6. & in libello Boëtij de Hebdomadibus ad Ioannem Diaconum, & alibi sæpè: hîc enim videtur loqui de simpliciter primis, vel maximè notis, saltem ex terminis apprehensis.

Et non cadit aliqua correctio in quæstionem. Nam sententia Doctoris est clara, tenendo partem negatiuam; licèt cautè exponendo posset affirmatiua teneri ex dictis eius, & aliorum: quærantur Albertus, Ioannes Iandunus, & alij antiqui, & moderni hîc. Vide hunc 3. distin. primi, quæst. 4. & q. 1. & 3. prologi. & 45. distin. 4. q. 3. & 14. di. 3. & alibi sæpè, vt propositum altiùs elucescat.

Ad finem quæstionis mouet octo dubia; & non soluit: & totum posset assignari *Extra*, sed quia sunt notanda subtilia & singularissima, legantur. Et breuiter pro nunc ad singula respondetur, saluo semper meliori iudicio. Ad primum, potest concedi pars affirmatiua; vt patet ex doctrina Arist. 4. Metaphysicæ, & huius hîc, & suprà q. 4. 3. distin. primi, vbi priùs. Prior enim est apprehensio terminorum, quàm assensus. Ad illud dictum Auicennæ potest dici, quòd loquitur de *scire* impropriè.

Ad secundùm potest dici, quòd est intellectus possibilis talis assensus, licèt iste videatur dubius vbique in hoc problemate, vt 3. dist. primi, q. 7. & 15. q. Quodliberi, & alibi sæpè: sed magis placet ad mentem Aristotelis, & secundùm veritatem, illa pars, quæ ponit omnem elicitionem esse intellectus possibilis.

Ad tertium posset dici, quòd sic, licèt respectu vnius, vt principij principaliter, & respectu alterius, vt conclusionis secundariò: veritas enim, seu euidentia principij & conclusionis, vt 8. distin. primi, q. finali, habet iste, non differunt, nisi sicut pars & totum. Sed qui poneret habitus principiorum, & conclusionum, esse principia formalia talia; aliter haberet respondere. Sed tunc dubium esset de principio formali primæ adhæsionis huius & illius; nam priusquam generatur talis habitus, fit assensus & adhæsio. Si etiam ponatur tale principium lumen naturale intellectus, patet quid dicendum.

Ad quartum, posset dici quòd non; maximè apprehensionis, nec etiam adhæsionis, saltem primæ: sed an apprehensionis, vel adhæsionis conclusionis dispositiuè, vel formaliter, considera.

Ad quintum potest dici, quòd non inconuenit posterius esse naturale, & prius liberum, seu violentum. Exemplum primi de igne, naturaliter comburente, cuius approximatio ad lignum necessariò præsupposita, est merè libera. Exemplum secundi de graui posito violenter sursum, naturaliter tamen moto deorsum. Sed licèt hoc sit probabiliter dictum, posset tamen dici quòd vtrunque est naturale, licèt vario modo, vt patet speculanti.

Ad sextum potest concedi, quòd sunt diuersi actus illi quinque, de quibus loquitur, licèt Nominales aliter sentiant. Sed an sint simul, bona difficultas est; & satis probabiliter dicitur, quòd sic, maximè loquendo do principio, secus de aliis complexis: sed videtur communis sententia huius Doctoris, quòd non possunt esse plures actus perfecti in intellectu simul. Posset concedi fortè quòd hoc verum est de actibus eiusdem rationis; licèt

licèt etiam de illis sit difficultas. Breuiter posset dici, quòd hoc maximè verum est de actibus obiectorum disparatorum, quorum vnum non includitur in alio, nec intellectus vnius dependet ex intellectu alterius: modò intellectus complexi hîc dependet ex incomplexi notitia, & conclusionis ex præmissa, & similiter de assensu &c. Sed alia via posset sustineri probabiliter: cùm omne nostrum intelligere sit cum continuo & tempore, vt habet Philosophus in de Memoria & Reminiscentia: nullum igitur inconueniens si ponantur huiusmodi actus, ordine quodam temporis, licèt fortè imperceptibilis, propter connexionem eorum. Et quod ibi addit Doctor, *quare alibi hoc* &c. Vide q. collationum, sed non semper ad sua; sed ad alios se remittit. Vide curiosè ad hæc Gerardum Odonis, super 1. Ethic. lectione 11. q. 1. quære etiam super lib. de Anima quamplures, vt expedit.

Ad septimum potest dici quòd delectatio & dolor, gaudium & tristitia sunt passiones appetitus sensitiui & intellectiui; vt habet videri 10. Ethic. & in 3. dist. 15. præsupponunt tamen actionem cognitiuæ, vnde 6. Ethic. cap. 3. Quod est in mente affirmatio & negatio, hoc in appetitu est prosecutio & fuga: veriùs enim dicitur voluntas consentire, vel prosequi quàm assentire, licèt Doctor iste in 1. dist. 1. quæst. 3. ponat duplicem assensum intellectus, & duplicem voluntatis: & secundùm illa verba posset dici hîc, quòd assensus & delectatio sunt in eodem, puta in voluntate, licèt non in intellectu: nisi identicè.

Ad octauum facilis est solutio, quia assensus est veritatis complexæ solùm, quæ habet esse in compositione, & diuisione; vel si incóplexæ, non tamen vt talis. De quo vide infrà in 6. q. 3. vbi ferè omnia ista dubia possunt solui in mirabili digressu, quem facit vltra ingenium, dicámne Angelicum? saltem certè humanum, vide ibi.

Forsan autem & difficultate duobus modis existente non in rebus, sed in nobis est eius causa. *Text. com.* 1.

QVÆSTIO II.

Vtrùm difficultas intelligendi sit ex parte intellectus vel rerum cognoscibilium?

Arist. 2. *Met. c.* 1. *& lib.* 4. *cap.* 5. Albert. 2. *Met. c.* 2. Alen. *ibidem cap.* 1. *textu.* 6. D. Thom. *lect.* 1. Ant. Andr. *q.* 2. Flandria. *quæst.* 1. *art.* 3. Fonsec. *cap.* 1. *q.* 1. *sect.* 2. Suar. *disp* 9. *Met. sect.* 3. Hurtad. *disp.* 7. *Met. sect.* 2. Meurisse 2. *Met. c.* 3. *q.* 7.

QVòd ex parte rerum, probatio: res sunt cognoscibiles inquantùm sunt in actu, & certæ in se, & determinatæ, ex 9. huius, cap. vlt. text. com. 21. & seq. sed multæ sunt res de se potentiales, vt materia; incertæ, vt motus, & tempus; indeterminatæ, vt infinitum; ergo difficultas intelligendi tales res, est ex parte rerum, non ex parte intellectus nostri. Confirmatur ista ratio per Commentatorem 1. Metaph. secundùm translationem suam, Com. 1. qui dicit quòd difficultas intelligendi formas materiales, est ex parte ipsarum formarum, non ex parte nostra. Item, quando materia est summè disposita ad susceptionem formæ, nón est difficultas ex parte materiæ recipiendi formam, sicut patet de lumine in medio; quia enim medium est summè dispositum, quantùm est de se, ideò difficultas non est ex parte medij recipiendi formam, sed intellectus est de se summè dispositus ad cognoscendum res, quia ibi non est nisi sola priuatio cognitionis: nó enim est ibi aliquod contrarium cognitioni rerum: quia si sic, in parte intellectiua posset esse alteratio, quod negat Philosophus 7. Physicor. t. c. 20. Item, difficultas non est ex parte intellectus cognoscendi, vel intelligendi excellentia intelligibilia: sicut ex parte sensus sentiendi excellentia sensibilia, quia intellectus non corrumpitur ex excellenti intelligibili; sed habilitatur ad intelligendum, quia non est virtus organica ex 3. de Anima: text. com. 7. 67. & 68. 2. de Anima. text. com. 133. sensus verò corrumpitur ex excellentia sensibilis, quia est virtus organica; ergo &c. Ad oppositum est Philosoph. in 2. huius, cap. 1. text. comment. 1. non est in rebus difficultatis causa, sed in nobis: *sicut nycticoracum oculi ad lumen diei, &c. sic anima nostræ intellectus ad ea quæ sunt manifestissima naturæ.*

SCHOLIVM.

RESOLVITVR *hæc quæstio in quæstione sequenti num.* 26. *& argumenta hîc posita ibi soluuntur à num.* 27.

Sicut enim nycticoracum oculi ad lucem diei sese habent: sic & animæ nostræ intellectus ad ea quæ sunt omnium naturæ manifestissima. *t. c.* 1.

QVÆSTIO III.

Vtrùm substantiæ immateriales possint intelligi à nobis secundùm suas quiditates pro hoc statu?

Arist. *hîc cap.* 1. *& lib.* 9. *cap.* 12. *& lib.* 12. *cap.* 7. *& lib.* 3. *de Anima cap.* 7. Auerroes *ibidem.* D. Thom. 1. *p. q.* 12. *art.* 12. *& quæst.* 88. *art.* 2. Caiet. & Ferrar *in iisdem locis.* Capreol. 1. *dist.* 2 *quæst.* 1. Fonseca 2. *Met. cap.* 1. *q.* 2. *sect.* 1. *& sex sequent.* Suar. *disp.* 30. *Met. sect.* 12. Vide Scotum *in* 1. *dist.* 3. *q.* 1.

QVòd sic: quia dicit Cómentator hîc Comment. 1. hoc scilicet exemplum Aristotelis, non demonstrat res abstractas intelligere, nobis esse impossibile, sicut inspicere Solem est impossibile vespertilioni: quia si ita esset, ociosè egisset natura, quia fecisset quod in se naturaliter est intellectum, non intellectum ab alio, sicut si fecisset Solem non comprehensum ab aliquo visu. Item, intellectus noster nihil intelligit nisi sub ratione immaterialis 4. de Anima; text. c. 4. & 11. ergo maximè intelliget simpliciter immaterialia: quia vbi est ratio formalis obiecti, illud est apprehensibile à potentia. Probatio antecedentis, quia non oportet ponere actionem intellectus agentis, nisi ad hoc, vt obiectum materiale fiat aliquo modo immateriale, vt aptum natum sit mouere intellectum possibilem. Item, Commentator. 3. de Anima, Comment. 30. & 35. recitat opinionem Auempacæ ad hoc talé; Intellectus potest abstrahere formale à materiali: & sic quiditatem materialis substantiæ à singularibus: si autem in quiditate sic abstracta, remanet aliquod materiale, adhuc potest intellectus abstrahere formale à materiali, & sic semper; ergo tandem deueniet

niet ad quiditatem simpliciter immaterialem, & hanc cognoscet: quia hanc abstraxit à singularibus; ergo &c. Item, multa demonstrantur à Philophis de substantiis separatis: puta in 12. huius, t.c.30.36.39.51.48.de Deo, quòd sit sempiternum, quòd mouet sicut appetibile non motum, quòd est vita, quòd semper actu intelligit, quòd seipsum intelligit tanquam primum obiectum &c. ibi & alibi, & ibi de numero Intelligētiarum iuxta numerum orbium, quos mouent: de subiecto autem demonstrationis oportet præcognoscere quid est, ex 1. Poster. text. comment. 2. ergo quiditates omnium istorum cognouerunt Philosophi. Oppositum videtur in litera: text.c.1. *sicut oculus vespertilionis ad lucem Solis vel diei, ita animæ nostræ intellectus ad ea quæ sunt manifestissima in natura*, huiusmodi sunt substantiæ separatæ, sed primum est impossibile; ergo & secundum.

2 EXTRA. *Item, de intelligibilitate Dei, vel non: require pòst in quæstione de cognitione infiniti. q. vlt. huius. Item, plus distat intelligibile increatum ab intellectu creato, quàm intelligibile creatum à sensu: sed tale intelligibile non potest apprehendi à sensu; ergo multò minùs intelligibile increatum ab intellectu. Responsio, verum est in esse, non in cognoscibilitate, nec in proportione obiecti. Item, potentia passiua non se extendit nisi ad ea, ad quæ se extendit actiua eiusdem generis; igitur nec intellectus possibilis ad aliqua, nisi ad ea ad quæ se extendit intellectus agens, vt faciat ea intelligibilia, talia sunt phantasiabilia. Respondeo, quòd maior est falsa de potentia actiua, quæ tantùm est vnius, & passiua contrariorum, vt patet 12. huius commento 19. Aliter respondetur quòd intelligibilia fiunt per intellectum agentem inquantum in ipso, vt lumine, possunt suas species imprimere possibili; sic intelligentiæ fiunt intelligibiles, quia possibilis nihil reciperet nisi in lumine sibi connaturali, quòd est intellectus agens. Sed illud non saluat intellectum agentem habere actionem circa substantias separatas, siue intelligentias; sed circa intellectum possibilem qui species earum non potest recipere nisi in tali lumine. Aliter respondetur quòd intellectus possibilis in actu, non dicitur ampliùs passiuus, & vt factus in actu circa effectum quærit cognitionem istorum. Item arguitur quòd si sic, homo tunc naturaliter posset attingere ad beatitudinem. Responsio ad hoc patet ex solutione quæ habetur infrà, quia beatitudo habet visionem quæ est intellectio, vt intuitiua, non quæcunque.*

> Potentia actiua naturalis nō necessariò correspondet passiuæ naturali. Scot. q.1. prol. ad 1. prin. & ad 1. pro opin.

3 *Contra hòc: eiusdem potentiæ circa idem obiectum non est nisi vna actio; ergo cognitio nostra nūc nō differt ab illa visione specie; & tunc quāuis minùs beati simus, tamen beati, quia etiam vnus beatus minùs clarè Deum videbit alio. Probatur prima propositio, quia siue actio habeat speciem ab agente, siue ab obiecto, si vtrūque est idem, & actio erit eadem in specie. Confirmatur ex 8. Metaphysicæ t.c. 11. & 12. Responsio: quòd illa visio differt specie ab hac cognitione, & cognitio fidei differt specie ab vtraque istarum. Tūnc ad primam propositionem dicendum, quòd vera est quando vtrumque est idem non tantùm subiecto, sed secundùm quòd agit, & secundùm quòd est obiectum, & eodem modo se habentia, inuicem erit vna actio specie. Exemplum: aqua infrigidat & humectat: Sol constringit lutum & non glaciem: ignis lignum prope positum comburit, & non remotum, sed tantùm calefacit. In cognitiuis etiam est variatio propter organum omninò indispositum, vt febricitantis lingua; aliqualiter indispositum, vt oculus senis; benè dispositum, vt oculus hominis iuuenis; optimè, vt oculus aquilæ; propter medium, aliter videt oculus per aërem & aquam: aliter Sol videtur manè & meridie propter medium vaporosum: propter lumen, aliter in lumine candelæ, aliter in lumine Solis, vel radio, propter rationem cognoscendi, aliter per speciem propriam rectam, vel reflexam: hac autem visio & illa, habent diuersa lumina, & diuersa repræsentatiua obiecti.*

> *Cognitio intuitiua & abstractiua specie differunt.*

> Variis modis fit variatio actuū in potētiis cognoscitiuis, ex parte organi, medij, luminis, rationis cognoscendi.

SCHOLIVM I.

SVBSTANTIAS *separatas non posse à nobis pro nunc secundùm suas quiditates intelligi, probat dupliciter, primò, quia nihil nunc intelligimus, nisi per phantasmata, & illæ substantiæ non faciunt phantasmata, neque ex causis eorum possunt distinctè cognosci: ergo. Secundò adducit ad hoc fundamentum D. Thom. 1. p. q. 12. a. 2. & q. 84. a. 7. asserentis quiditatem rei materialis esse obiectum intellectus nostri, quod refutat 1. dist. 3. q. 3. n. 3. & Quodlib. 14. a. 1. & fusè q. 19. 20. & 21. de An. vbi nonnulla circa hoc adduxi.*

Respōdetur ad quæstionem; quòd anima coniuncta corpori non potest intelligere quiditates substantiarum separatarum propter duo. Primum est: quia sic coniuncta nihil intelligit nisi per abstractionem à phantasmatibus; substantiæ autem separatæ non faciunt phantasma, nec ex his quæ faciunt phantasma possunt cognosci; ergo &c. Probatio primæ propositionis dupliciter: tum, quia læso organo virtutis phantasticæ impeditur intellectus ab addiscendo incognita, & à speculando cognita: hoc non videtur; nisi quia indiget phantasmatibus in vtraque operatione: tum, quia dum volumus aliquid intelligere, formamus idolum in quo illud inspicimus, & 3. de Anima, text. comment. 30. dicitur: *Phantasma ad intellectum; sicut sensibilia ad sensum.* Secunda propositio habet duas partes. Prima patet, cùm phantasma sit motus factus à sensu secundùm actum, 2. de Anima text. c. 160. substantiæ autem separatæ non sunt sensibiles; ergo &c. Secunda pars probatur dupliciter: tum, quia effectus qui non adæquat potentiam causæ non ducit in cognitionem quiditatis causæ, substantiæ separatæ, si cognoscuntur per illa quę faciunt phantasmata in nobis, tantū cognoscuntur per huiusmodi, effectus quia scilicet nō sūt adæquātes causam; ergo &c. Prima propositio patet, quia quiditas talis causæ excedit talem effectum: tum, quia finiti ad infinitum nulla est proportio: ergo nec alicuius sensibilis ad quiditatem Dei. Si ergo quiditas Dei qui est prima causa efficiens non possit cognosci per effectum: multò magis nec alicuius substantiæ separatæ quiditas, cùm quælibet alia causa minùs causet quàm prima secundùm propositionem primam de causis.

> 4 *Nihil intelligimus nisi per phantasmata.*

> *1. de Anima. Text. com. 66*

> *2. de Anima. T. com. 153.*

> *An effectus ducit in notitiā quiditatis causæ*

Secundum principale, pro ista positione ponitur, quòd quiditas substantiæ materialis est proprium obiectū intellectus nostri possibililis, ergo nihil poterit per se intelligi à nobis: quod nec est talis quiditas, nec cognoscibile per talem quiditatem. Primum manifestum est de quiditate substantiarium materialium. Secundum probatur vt priùs, per non adæquationem & improportionem.

> 5 *Sententia D. Th. quam reiicit Scot. 1. d 3. q. 3. n. 2,*

portionem. Primum hîc assumptum ostenditur, quia obiectum proportionatur virtuti cuius est: intellectus autem est virtus existens in materia, tamen non operatur mediante organo: ergo obiectum eius erit aliquid existens in materia, non tamen cognoscitur inquantùm existens in materia: talis est quiditas substantiæ materialis abstracta per intellectum agentem. Confirmatur hoc: quia nisi illud esset obiectum intellectus possibilis, non videtur necessarium ponere actionem intellectus agentis, circa obiectum intellectus possibilis. Item, non videtur quibusdam quòd aliud possit conuenientius poni obiectum.

SCHOLIVM II.

Pᴏɴᴠɴᴛᴠʀ *quinque argumenta contra conclusionem positam, suadentia substantias separatas secundum suas quiditates pro nunc posse à nobis intelligi.*

6 Contra ista: primò contra positionem in se per quinque rationes. Prima talis est: *Omnes homines naturâ scire desiderant.* 1. Met. ergo maximam scientiam maximè desiderabunt. Ita arguitur in eodem primo: maxima scientia est circa maximè scibilia, quæ sunt causæ primæ, & prima principia, quia per hæc alia sciuntur non è conuerso, ibidem in primo: ergo scientia primarum causarum maximè naturaliter desiderabitur ab homine: desiderium naturale non est ad impossibile 1. Metaph. Comment. 1. tunc enim esset frustrà: ergo &c. Item 10. Ethic. cap. 10. probat Philosophus, quòd felicitas hominis consistit in speculatione veritatis: & concludit in fine capituli, quòd sapiens erit vtique felicissimus: & secundùm ipsum in 6. eiusdem cap. 8. sapientia est circa altissimas causas: ergo in speculatione altissimarum causarum maximè consistit felicitas hominis, ad felicitatem autem, cùm sit finis proprius hominis, non est impossibile homini attingere: quia 2. huius t. com. 8. dicitur quòd *nullus conabitur ad terminum non futurus venire:* & natura dedit sibi necessaria ad attingendum hunc finem, sicut probari habet ex Commento 50. 2. Cœli & Mundi, de stellis.

7 Ad istas duas respondetur, quòd possibile est hominem scire scientiam maximè scibilem pro prima ratione, & speculari altissimas causas pro secunda, non tamen in hac vita, sicut omnes desiderant beatitudinem secundum Aug. 13. de Trin. c. 3. ad quam non possunt in hac vita pertingere.

An Phil. posuit felicitatẽ in speculatione pro hoc statu?

Contrà: illa felicitas de qua loquitur Philosophus in 10. Ethic. cap. 10. haberi potest in hac vita: dicit enim: *Quare erit vtique felicitas speculatio quedam, opus autem erit, & prosperitate exteriori, & oportet corpus sanum esse, & cibum, & reliquum famulatum existere,* &c. Certum est hæc non haberi nisi in vita ista. Item, non est certum ex intentione Philosophi quòd posuerit aliquam aliam vitam: quia in diuersis locis, 2. de Anima. t. c. 21. & 12. huius, t. c. 17. videtur loqui dubitatiuè: sed certũ est secundùm ipsum felicitatem esse finem hominis, & per consequens possibilem attingi: ergo hæc debet poni in aliquo statu, quem certum est ipsum certitudinaliter posuisse. Item, potentia improportionabilis alicui obiecto non potest, per aliquem habitum sibi aduenientem, cognoscere per se illud obiectum: ergo si potentia intellectiua animæ coniunctæ, sit improportionabilis: ergo quiditati substantiæ separatæ, per nullum habitum, quem recipiet, cùm eadem manebit separata, poterit fieri proportionabilis: ergo intellectus separatus non cognoscet substantias illas separatas. Probatio maioris: omnis habitus receptibilis in aliqua potentia, vel respicit pro obiecto proprio, obiectum illius potentiæ, si sufficit ad eliciendum omnes actus illius potentiæ in ratione proximi principij formalis elicitiui: aut aliquod particulare contentum sub obiecto potentiæ, sicut patet de diuersis habitibus potentiæ intellectiuæ: sed nullus habitus respiciens pro obiecto aliquid improportionabile potentiæ, poterit recipi in tali potentia.

Potentia improportionabilis, per habitum non potest fieri proportionabilis.

8 Item, si intellectus separatus cognosceret aliquod obiectum per se, quod modò non potest cognoscere, vt quiditatem talium substantiarum: ergo non erit eadem potentia, quia eiusdem potentiæ est idem obiectum, 2. de Anima. text. c. 33. Item, contra positionem 3. sic Philosophus in 2. huius text. c. 8. arguit sic: *si fines essent infiniti, nullum esset agens per intellectum.* Hęc consequentia non valet, nisi agens per intellectum intenderet non solum proximum finem, sed omnes fines essentialiter ordinatos: si hæc propositio sumpta in argumento Philosophi est vera, & nullum agens per intellectum intendit agere propter finem, quem non cognoscit: ergo omne agens per intellectum cognoscit non solùm proximum finem: sed omnes fines essentialiter ordinatos, & ita vltimum. Si ergo non possit illum cognoscere, non erit agens per intellectum, quod est inconueniens Philosopho. Item, quartò, sic, in 2. huius, text. comment. 13. arguit sic: si causæ essent infinitæ, nihil esset cognoscere: & consimilem consequentiam facit 1. Physicorum text. com. 35. contra Anaxagoram: hæc consequentia non valet, nisi ad cognitionem cuiuscunque oporteret cognoscere omnes causas eius, ergo si non contingat intelligere primam causam, quæ est maximè causa cuiuslibet effectus, nullum effectum contingeret cognoscere.

Item, quintò sic: veritas aut est conformitas rei ad propriam mensuram, aut non est sine illa: ergo si contingat cognoscere veritatem alicuius rei naturalis, possibile erit intelligere conformitatem illius rei ad propriam mensuram. Ista mẽsura est idea in mente diuina, conformitatem autem ad hanc ideam non conuenit intelligere, nisi hac intellecta, cùm relatio nõ intelligatur absque termino: ergo si aliqua veritas est à nobis intelligibilis: per consequens & idea. Confirmatur per Aug. 83. Quæstionum, q. 46. *non est verisimile, aut nullos sapientes fuisse ante Platonem, aut res quas Plato ideas vocauit non intellexisse: si quidem in eis tanta vis constituitur: vt nisi illis intellectis sapiens esse non possit secundùm priorem positionem.*

SCHOLIVM III.

Rᴇsᴘᴏɴᴅᴇᴛ *Doctor primò argumentis principalibus, & pòst quinque argumentis adductis contra positionem, quæ incipiunt num. 7. vnica solutione. Sed replicat variè, & subtilissimè contra solutiones datas, disputando & nihil resoluendo.*

9

Respondetur ad argumenta facta in contrarium principalia: & ad ista quinque ad primum principale dicitur, quòd in argumento Commentatoris est duplex defectus. Primò est fallacia Consequentis: non enim sequitur, si natura non fecisset eas intellectas à nobis; ergo non ab aliquo, sed destruitur antecedens. Est etiam alius defectus: frustrà enim dicitur quòd ad finem ordinatur, & ad ipsum non potest attingere: sicut habetur 2. Physic. cap. de casu & Fortuna. text. com. 62. sed substantiæ separatæ secundùm intelligibilitatem suam, non ordinantur ad intellectionem nostram, vt ad finem; ergo non sunt frustrà intelligibiles; licèt à nobis non possint intelligi. Exemplum: Sol non est frustrà visibilis, si nó possit videri à vespertilione. Hîc dicitur quòd intentio Commentatoris non est, quòd substantiæ istæ non sint nobis cognoscibiles, quantùm est ex parte earum, & hoc probat ratio sua, quia tunc natura fecisset eas intelligibiles, quantùm est ex parte earum, & tamen nobis non intelligibiles, quantùm est ex parte sui; ergo frustrà.

Contra hoc est litera Commentatoris priùs allegata *non impossibile nobis &c. sicut impossibile est vespertilioni videre Solem:* sed non est impossibile ei quantùm est ex parte Solis, sed quantùm est ex parte sui: ergo ex alia parte non est impossibile nobis, ex parte nostra: alioquin simpliciter impossibile hinc & inde. Item est adhuc fallacia Consequentis, sicut priùs; non enim sequitur, non sunt intelligibiles, quantùm est ex parte sui à nobis; ergo non sunt intelligibiles ab aliquo. Respondetur de frustrà, quòd finis earum est, vt quantùm est ex parte sui, sint cognoscibiles à nobis, ad concludendum frustrà oportet habere quòd ad hunc finem non possint attingere, ergo oportet Commentatorem inferre quòd natura fecisset eas frustrà quæ sunt intelligibiles, quantùm est ex se nobis: tamen quòd non possibiles intelligi, quantùm est ex se, à nobis: sed hoc est inferre contradictorium de contradictorio, quod non potest fieri, nisi contradictio includatur in præmissis.

10

Ad secundum argumentum principale respondetur, quòd non intelligitur aliquid à nobis, nisi sub ratione immaterialis, hoc est considerati non vt in materia, quod tamen existit in materia, sicut dicit positio de obiecto intellectus nostri. Ad tertium secundùm vnum modum, abstractio non est ab aliquo intellecto in actu, sed tantùm ab aliquo existente in virtute phantastica.

Abstractum eiusdem rationis cum iis à quibus abstrahitur.

Contrà: saltem intellectus resoluit causata in incausata, compositiora in simpliciora, vt manifestum est de diffinito & partibus diffinitionis: sic ergo abstrahit immateriale à materiali, per resolutionem si debeat dici abstractio.

Respondetur ideò aliter, quòd quantumcunque abstrahitur illud quod est immateriale in quiditate substantiæ sensibilis, à materiali abstractum semper est eiusdem speciei cum singularibus, à quibus abstrahitur, & per consequens nunquam deuenitur ad quiditatem substantiæ immaterialis, sed tantùm ad quiditatem substantiæ, quæ est in materia, non tamen consideratæ vt est in materia. Ad quartum quòd non demonstramus aliqua de substantiis separatis nisi *quia* scilicet per effectus, & in tali demonstratione non oportet subiectum esse præcognitum, *quid est*: sed tantùm in demonstratione *propter quid*.

11

Nihil demõstratur de substantiis separatis nisi, quia.

Ad alias quinque rationes contra positionem, respondetur, quòd vel concludunt quòd cognoscimus de substantiis separatis, quia sunt, vel inquantùm sunt causę istorum inferiorum: non autem *propter quid*; cùm effectus deficiens non sufficiat, vt per ipsum cognoscatur quid est causæ. Vel aliter respondetur, quòd nos cognoscimus de eis quid non sunt, quia scilicet non sunt aliqua istorum inferiorum propter hoc quòd cognoscimus ipsas esse excellentes causas respectu horum.

Contra istas responsiones simul. Primò sic secundùm Philosophum 4. huius: text. com. 28. ratio quam significat nomen est diffinitio: diffinitio exprimit quid est esse rei; ergo vbicunque intelligimus rationem, quam significat nomen, ibi possumus intelligere quid est res; sed vbicunque imponimus nomen ad significandum, ibi possumus intelligere rationem quam significat nomen: nullus enim significat per vocem quod non intelligit: substantiis autem separatis imponimus nomina propriè significatiua ipsarum; ergo &c. Vltimum assumptum patet, quia de nullo sunt vera illa, quæ de Deo affirmamus, nisi de illa substantia separata cui hoc nomen imponitur.

12

Contra primam responsionem sic 2. Poster. cap. 6. text. c. 8. secundùm expositores antiquos. *Iterum autem speculandum*, vbi tractat Philosophus de cognitione, *quid est*, & *si est*, dicit quòd quando cognoscitur, *quia est*, vel *si est*, per se; tunc cognoscitur *quid est:* quando autem, *si est*, cognoscitur per accidens, necesse est nullo modo se habere ad *quid est*; quia neque, *quia est*; scimus. Quasi dicat secundùm cognitionem per accidens, nec cognoscimus *quid est*, nec *quia est:* & subdit paulò post: *Quorumcumque* quia est *habemus*, quid est *facilè est habere: quare quemadmodum habemus*, quia est: *sic habemus & ad quid est:* ergo cùm de substãtiis separatis cognoscamus, *si est:* non tamen per accidens, quia hoc non est cognoscere *quia est*; sequitur, quòd de ipsis possumus cognoscere *quid est:* maximè de Deo vbi vtrumque idem est, *quid est* scilicet & *quia est*. Item vltim. cap. 9. Metaphysicæ. Vult quòd circa incomposita non est decipi, sed aut tota attingentur, & est scientia; aut nihil de illis attingitur, & est ignorantia, non deceptio. Item esse inest immediatè quiditati; eorum ergo cum cognoscimus esse inesse quiditati ipsarum secundum ipsos; & non contingat intelligere compositionem nisi cognitis extremis, quia secundùm Philosophum. 1. Perihermenias, cap. de verbo. *Esse significat quandam compositionem quam sine compositis non est intelligere*; ergo sequitur de necessitate quod cognoscimus quiditates ipsarum.

Circa simplicia nõ est decipi.

13

Item, omni propositione negatiua, prior est affirmatiua. 2. Perihermenias, c. de vlt. t. c. 16. Hæc enim *Bonum non est malum*, est vera: quia hæc affirmatiua prior, est vera, scilicet *Bonum est bonũ*. Et Philosop. 4. huius 1. cap. quod incipit: *Amplius si contradictione notior vtique erit dictio quàm opposita negatio*; ergo si cognoscatur de Angelo quid non est: oportet præcognoscere quid est. Item, contra primum fundamentum de phantasmate: tunc non esset intellectus superior potentia phantastica, quia haberent idem obiectum primum, & æqualia continẽs: Item, aut intelligit opinio quòd nihil intelligimus, nisi cuius cognitionem accipimus à Phantasmatibus, & tunc stat quòd de substantiis separatis possumus cognoscere quid

quid sunt, sicut postea probatur: aut intelligit quòd nihil intelligimus, nisi cuius species secundum se priùs fuerit in phantasia: & tunc contra hoc sequitur, quòd nihil per se esset intelligibile, nisi per se sensibile, quia nihil aliud facit propriam speciem in phantasia; quod est contra eos.

14 Item, multas quiditates rerum intelligit anima, quæ non faciunt speciem propriam in phantasia, scilicet incorporeum, vt anima se ipsam & potentias animæ, & secundas intentiones: probatio primi, secundum Boëtium de hebdom. *Per se notum est sapientibus incorporea non esse in loco: non autem omnibus, quia termini non sunt noti omnibus.* Probatio secundi: Philosophus 2. de Anima text. com. 6. diffinit animam: quòd non esset nisi cognoscendo *quid est*, ipsius.

Ad quod posset dici quòd non diffinitur propriè, sed per subiectum. Contrà: aliquid ponitur in diffinitione eius scilicet quòd est actus, & huiusmodi, quæ non cadunt sub sensu, nec faciunt speciem in virtute phantastica. De potentiis patet quòd intellectus possibilis cognoscit se sicut alia.

Ad hoc dicitur, quòd verum est, quia per speciem aliorum, non per quiditatem. Contrà: quomodo intelligitur intellectus agens, qui non recipit speciem, nec est in actu per aliquam speciem receptam? Item, responsio dicit falsum, quia cognoscere intellectum possibilem per speciem lapidis quæ accidit sibi, non est cognoscere eum: cùm illa nunquam possit directè repræsentare aliquid, nisi lapidis cuius est, sicut cognoscere Coriscum inquantùm veniens solum, cùm venientia accidat sibi, sequitur quòd non cognosco ipsum simpliciter. Item de habitibus patet quòd per intellectum, qui est habitus principiorum, quo potest homo adhærere primis principiis: etiã potest scire se adhærere. Item per scientiam scit se cognoscere conclusionem per causas. Item patet de actibus: quia notior est dilectio, quam ille qui diligit secundùm August. Item reflexio fit super actum intellectus non imaginabilem.

15 EXTRA. *Item August. ad Nebridium de æternitate & similiter super Gen. 4. cap. 13. de intellectione senarij, quære in tabulis, & de beatitudine quære 13. de Trinitate 3. & de Anima quæ debet se secernere à phantasmatibus, vt se intelligat 10. Trin. 20. Responsio: debet se secernere in ratione intellecti, vt non credat se phantasma. Similiter in ratione principij intelligendi primò quòd scilicet phantasma non est principium intelligendi primò animam, quia tunc anima esset corpus, sed non debet se secernere à phantasmate in ratione principij intelligendi ex consequenti, & actu reflexo, vnde ibidem dicit de phantasmate: hoc se putat esse, sine quo se non potest cogitare. Isto etiam modo respondetur vbique ad Augustinum de secernendo & abstrahendo à phantasmate, sicut etiam de intellectione senarij & vnitate, quæ non intelliguntur sine phantasmatibus corporum: tamen intellectus secernit quòd phantasmata non sunt per se illarum; vnde illa negatiuè intelligit, sic de æternitate. Similiter quando dicit quòd imagines corporum sunt causa deceptionis & erroris &c. Intelligendum est si credatur spirituale, intelligendum esse primò repræsentatum per ista, vel idem illis. Contra hoc videtur manifestare 25. scilicet se non cogitare per imaginabile figmentum: sed quadam interiore vera præsentia. Non enim illi quicquam est seipsam repræsentans.*

Item de intentionibus secundis est hoc certum quòd certissimè diffiniuntur.

SCHOLIVM IV.

REFVTAT *opinionem D. Thom. tenentis quiditatem rei materialis esse obiectum intellectus. De quo fusè agit Schol. 1. citatis.*

16 De secunda propositione pro opinione quòd quiditas substantiæ materialis est per se obiectum, patet quòd hoc est falsum, si obiectum sit illud primum, sub ratione cuius omnia intelliguntur: quia probatum est multa alia per se intelligi à nobis, & secundùm quiditatem suam, quorum nullum est quiditas substantiæ materialis. Si autem accipitur primum pro eo quod primo tempore intelligitur, patet quòd hoc est falsum; sed illa priùs intelliguntur, quæ priùs sentiuntur, cuiusmodi sunt accidentia. Item si quiditas substantiæ materialis esset per se primum obiectum intellectus nostri, propter proportionem obiecti ad virtutem, cùm intellectus Angeli, secundùm ipsos, non sit virtus in corpore; sequitur quòd Angelus non cognosceret quiditatem substantiæ materialis, quæ est in materia. Item, tunc non cognosceret intellectus noster quiditatem rosæ, rosa non existente, cùm talis quiditas non sit tunc in materia. Item, Auicenna 1. Metaph. c. 5. *ens & res & huiusmodi sunt quæ prima impressione imprimuntur in anima:* quæ tamen non sunt quiditates materiales. Item 7. huius t. c. 4. probat Philosophus quòd substantia est prius cognitione, hoc non intelligitur de primitate executionis, sed dignitatis: quia scilicet est perfectissimum cognoscibile secundùm ipsum ibi; ergo substantia est maximè proprium obiectum. Loquitur autem ibi de substantia in communi, prout est vnum decem Generum, prout patet ex intentione eius in 7. in principio.

Accidentia priùs intelliguntur.

Quiditatem rei materialis non esse obiectum intellectus.

Item aliquando dicit Thom. verum esse proprium obiectum intellectus, eo quòd sic se habet ad intellectum, sicut bonum ad voluntatem: Item, quandoque ponitur vniuersale esse obiectum, sicut in 2. de Anima, text. com. 60. *singulare dum sentitur, vniuersale dum intelligitur.* Respondeo, licèt vniuersale sit propria passio obiecti intellectus, non tamẽ est obiectum, sicut nec visibile visus, sed color. Sed ad hoc aliter potest dici, quòd nec est eius propria passio, sed omnes auctoritates intelliguntur, quia in hoc excedit intellectus sensum, ideò in hoc est differentia. Ad illud ergo de proportione inter obiectum & potentiam, dicendum, quòd non requiritur proportio in essentia, nec in modo essendi, sed nec in natura; tunc oculus corporalis corruptibilis quomodo videret Solem incorruptibilem? & quare stella, vel Luna non cognoscit Solem? & quomodo Angelus cognoscit quiditatem corpoream? & quomodo intellectus noster quiditatem non existentem? sed requiritur proportio motiui & mobilis. Si autem corpus potest mouere intellectum: multò magis incorporeum.

Cõtra D. Th. Vniuersale no est obiectum intellectus, nec visibile visus.

Quæ proportio requiritur inter potẽtiã, & obiectum? Scot. 2. d. 3. q. 9.

SCHOLIVM V.

COGNOSCI *Deum aliquo modo à nobis probat: primò, quia si nihil cognosceremus, nisi quod species accepta per sensus repræsentaret, neque ipsam substantiam materialem cognosceremus.*

Hic tenet non dari speciem propriam substantiæ pro nunc, quod etiam docet 1. d.3. q.3. num.9.& d.22. q.1.num.2. & q.1. prolog. num.11. & q.17. de Anim. vbi in Comment. num.11.rem hanc fusius tractaui. Secundò quia effectus ducit in cognitionem causæ, & magis in cognitionem primæ. Positis sex cognitionibus conuenientibus sensui, docet primò intellectum non posse intelligere Deum pro nunc intuitiuè: secundò neque abstractiuè,cognitione propria, quia nulla cognitio sex numeratarum, quæ sensui conueniunt ad hoc se extendit, neque habet intellectus nisi alias sex, his proportionatas, & similes. Litera satis obscura est.

18

Ad quæstionem dicendum, quòd potest cognosci à nobis, quia 9. huius cap. vlt. text. com. vlt.ignorantia de illis, non est in nobis,vt cæcitas,sed in non habentibus intellectum:quia si nihil cognoscitur,nisi cuius est species intelligibilis accepta per sensus, nunquam substantia materialis cognosceretur, quia per sensum non est alia notitia,ante consecrationem Hostiæ & post.Item si effectus ducit in cognitionem causæ,quia causa, ergo magis causæ magis. Probatur : quia magis dependet ab illa,cùm magis sit efficiens quàm mediata, quia Deus posset facere illud sine mediata causa,nec potest esse sine efficiente remoto, cùm non possit fieri sine illo.

Quomodo ex effectu cognoscitur causa?

Contrà:igitur species lapidis magis repræsentat Deum quàm lapidem. Respondeo argumentum procedit de cognitione discursiua, quæ habetur per hoc tantum,quia est effectus: si autem est effectus, tunc species iam est principium cognitionis intuitiuæ,non discursiuæ. Item,quando arguit ab effectu ad causam,in quo stat;non in effectu, illud est præcisa causa, qua immediatè intelligitur conclusio demonstrationis.

19

Cognitio sensus, alia intuitiua alia abstractiua.

Notandum,quòd in sensu est vna cognitio intuitiua, primò propria: alia primò & per se propria per speciem, sed non intuitiua: vtrique correspondet sua cognitio per accidens, scilicet per priuationem cognoscibilis per se. Exemplum de primo : visus videt colorem. De secundo; phantasia imaginatur colorem. De tertio : visus videt tenebram. De quarto : phantasia imaginatur tenebram. Quinta cognitio phantasiæ propria, est per compositionem specierum diuersorum sensibilium; vt imaginãdo montem aureum. Sexta cognitio est cognitio per accidens alicuius ; vt hominis per figuram & colorem, &c.

Phantasia componit mõtum aureum.

Intellectio Dei intuitiua impossibilis in via.

In intellectu notitia visionis vel intuitiua,quæ est prima cognitio,non est in via possibilis, quia nulla potentia reseruans speciem, vel formale principium cognoscendi in absentia obiecti, potest sic cognoscere, quia illa idem habet principium re præsente, & non præsente ; & cognitio ista intuitiua est tantùm de re præsente,& sub ratione præsentis ; vnde si visus posset habere speciem in absentia obiecti,nunquam illa species esset principium intuitiuè cognoscendi. Item, vt videtur,nunquam cognitione intuitiua cognoscitur immutabilitas alicuius. Quære 1. lib.quæst.4. ad 6. Secunda cognitio est accidentium sensibilium solùm, quia illa sola faciunt speciem in intellectu,non autem substantiæ, vt patet suprà per illam consequentiam : *si nihil cognoscitur* &c. Tertia cognitio & quarta quæ idem sunt hîc, est priuationum propriarum rerum intellectarum per species habituum, remouendo,quomodo cognoscuntur intellectualiter priuationes rerum sensibilium. Quinta cognitio est fortè rerum separatarũ, vel substantiarum,quæ cognoscuntur per hoc, quòd multa apprehensa simul concipiũtur, quæ nusquam alibi omnia inueniuntur : sed propter hoc, nulla essentia specifica alicuius cognoscitur ; nisi in vniuersali, & fortè accidentali, vel per se superiori. Sed essentiæ propriæ se habent in hac cognitione quasi sensibilia per accidens in cognitione sensitiua, vbi est sextus gradus.

Quomodo cognoscuntur priuationes.

20

Ad argumentum in oppositũ, *sicut oculus* &c. Respondeo : similitudo quoad impossibilitatem intelligitur de notitia visionis, quia illa non pertinet ad sensum,& fortè noctua posset imaginari Solem,si Deus daret sibi speciem. Aliter posset dici,quòd sicut oculus ad lumen Solis,qui necessitate secundùm totam suam virtutem agit,ita intellectus ad cognoscendum illa,secundùm totam rationem cognoscibilitatis;aliter non tenet similitudo. Aliter dicitur, quòd intelligitur de potentia recipiendi propriam speciem obiecti, per quam fit secunda notitia ; & tunc impossibile vtrinque, ibi absolutè, hîc secundùm statum recipiendi tantùm species à sensibilibus. Aliter intelligitur de quinto gradu notitiæ intellectus quantùm ad difficultatem, non quantùm ad impossibilitatem secundum Commentatorem.

Sicut oculus noctuæ &c. exponitur.

SCHOLIVM VI.

SOLVIT *argumenta posita num.4. quatenus probare videntur nullam nos habere posse notitiam de substantiis separatis, & per solutiones videtur fauere sententiæ ponenti species proprias substantiarum pro nunc de quo quæst.27. de Anim.videri potest, cum nostro Commentario. Ad probandam hanc partem,adducit locum commentatoris citatum q.vlt.l.1. probantem ens quà tale, esse subiectum intellectus,& consequenter omne ens posse ab eo intelligi ; occasione cuius, disputat de entis vniuocatione de qua l.4. quæst. 1. agendum erit. Mauritius in sua Annotatione soluit aliquot argumenta hîc posita contra eam. Vide Anton. Andream hîc hîc q.3. qui doctrinam Doctoris clariùs explicat, nihil in substantia de suo addens.*

21

Ad argumenta primæ opinionis,patet quomodo intelligũtur omnia per abstractionem à phantasmatibus: quia nec in tertiam,nec in quartam, nec in quintam, nec in sextam cognitionem veniret intellectus,nisi secunda esset,vel prima ; tamen multa nunquam intelligit primo modo, nec secundo modo:& ita non abstracta à phantasmatibus,sed per abstracta,quæ cognoscit aliis modis sequentibus. Ad illud de læsione organi responsio:non est causa æqualitas obiectorum vtriusque potentiæ, sed causa est ordo naturalis, sicut non intelligimus in somnis, propter quod &c. Ad illud de idolo formato:benè verum est, quòd inde incipit cognitio, sed vltrà progreditur ad non habentia idola,respuens idola. Ad illud Auicennæ Metaph. 5. quòd *ens & res faciunt primam impressionem in anima* : quod videtur, quia primus habitus potentiæ habet pro obiecto, obiectum primum potentiæ primi habitus ; vt Metaphysicæ obiectum primum, est ens inquantùm ens 4. Metaph. text.comment.1. Item,nihil aliud est cõmune omni per se intelligibili nisi ens;nisi fortè alia conuertibilia enti:ante quæ omnia, naturaliter priùs est ens intelligibile, vt subiectum ante

Contra vniuocationem entis.

ante passiones, siue proprietates: Contrà: tunc ens habet vnum conceptum, quia potentia potest habere aliquem actum vnum, circa proprium obiectum. Item, tunc non esset formaliter alia ratio obiecti intellectus, & voluntatis, quia ratio obiecti voluntatis; est aliqua ratio entis ergo per se intelligibilis. Item, tunc omnia essent actu intelligibilia, quæcunque sunt actu entia:& tunc superflueret intellectus agens.Item, tunc singularia essent per se intelligibilia,similiter corporalia,quod est contra Augustinum 13.super Gen.cap.28.29. *Agens est nobilius patiente.*Item, tunc intellectus posset naturali virtute in cognitionem omnium entium, & cogitationis cordis, & futurorum contingentium &c.

22

Ad primum, euasio:color est primũ obiectum visus, tamen circa colorem in se nullum actum potest visus habere,sed semper circa singulare.

Contra hoc est, quòd visus non cognoscitiuus vniuersalis. Respondeo, sic nec intellectus vnico actu est alicuius æquiuoci cognoscitiuus secundùm logicum, licèt analogi secundùm Metaphysicũ,sed tantum primi inter illa analogata.

Contrà: illud est substantia, ergo illud facit propriam speciem; quia alioquin non certissimè cognosceretur, quod est contra illud quod prædictum est. Similiter albedo non intelligeretur inquantùm albedo, sed inquantùm est substantiæ. Similiter primum obiectum ponendum esset primum, ad quod omnia alia attribuuntur:alioquin vnde est vnitas potentiæ,ibi concede, si ens non est vniuocum. Respondeo, propria species substantiæ est in sensu, vt deferente, non vt percipiente;vel subiectiuè,non obiectiuè. Ad primum aliter dicitur,quòd ens est vnius rationis, vt tãgitur in illa quæst.4. huius:alioquin non esset certũ quòd aliquid est ens,& dubium si substantia, vel accidens. Ad secundum,idem est obiectum intellectus & voluntatis,quære in 6. quæst.3. & in 9. q.5. Aliter ista ratio intelligitur,sed non est ratio intelligibilis,nec sub qua aliquid per se intelligitur. Ad quartum, prima conclusio conceditur. August.exponitur in tabulis.

SCHOLIVM VII.

R e s o l v t i o; *de substantia separata(idem est de materiali) nos non habere pro nunc notitiam intuitiuam, neque abstractiuam per speciem propriam ab ipsa genitam, neque per speciem factam ab intellectu,quomodo phantasia facit montis aurei sed tantùm conceptum entis:cui addimus accidentia positiua, & priuatiua quæ ex sensibus cognoscimus, ex quibus conceptui entis coniunctis, facimus descriptionem,quæ nulli alij conuenit, quod optimè explicat,vide ipsum* 1.*dist.*3. *q.*2. §.3. *Dico,n.*16. 17. *vbi docet nullum nos habere conceptum proprium de Deo in particulari,tamen multos habere de eo conceptus, quorum perfectissimus est entis infiniti; omnes autem istos efformamus per conceptũ entis, additis proprietatibus positiuis, vel priuatiuis, aliàs nobis notis via sensuum. Vide ipsum etiam de hoc quæst.*1. *prolog.& Quodlib.* 14.*Duas instãtias hic positas soluit Mauritius. Ad primam ex Scot.*2. *d.*3. *quæst.*8. *ad primum, & aliàs passim,anima nostra in patria non dependebit à sensu. Ad secundam,vt dubium relinquit* 1.*d.*3.*quæst.*2. *numero* 18. *an species inferioris gradus,vel minùs vniuersalis repræsentat gradus superiores: de quo plura videri possunt in Comment.q.*17. *Scoti de An.& q.*22.

23

Ad pleniorem igitur solutionem istius quæstionis est dicendum,quòd quator sunt gradus in cognitione sensitiua: primus est intuitiuæ cognitionis quæ est de re præsente, non tantùm per speciem, nec tantùm sub ratione cognoscibilis, sed in propria natura. Secundus gradus est rei cognitæ per speciem propriam ex se genitam. Tertius gradus est per speciem aliam factam à virtute cognitiua,& hoc ex speciebus, aliquorum propriis impressis sibi. Omnes istæ cognitiones sunt per se: verbi gratiâ, de primo gradu, visus videt colorem;de secundo, phantasia imaginatur colorem visum; de tertio, phantasia imaginatur montem aureum:vel ex nigro debili, quòd videt imaginatur nigerrimum. In istis cognitionibus est aliquo modo vniuersale & particulare, sicut patet 1. Physicæ Auicennæ & cognitio in vniuersali est adhuc cognitio per se maximè in intellectu. Vltra hos gradus cognitionis, est cognitio per accidens, & hoc vel oppositi, per remotionem: siue subiecti per accidens, secundùm alias quæstiones. De primo gradu, scilicet intuitiuæ cognitionis, an sit in intellectu in via dubium est. Videtur tamen quòd sic:quia quicquid perfectionis simpliciter est in inferiori ponendum, videtur ponendum in superiori:& perfectionis simpliciter est in cognitione sensitiua,quòd cognoscit aliquid inquantùm præsens est per essentiam, ergo huiusmodi cognitio videtur hîc competere intellectui.

4. gradus cognitionis sensitiuæ.

*Cognitionem intuitiuam esse in intellectu. Scot.*2. *d.*3.*q.*9.

Sed contrà: nulla potentia retentiua speciei in absentia obiecti, cognoscit rem cognitione intuitiua, inquantùm præsens est per essentiam suam: sed intellectus retinet speciem si ponatur: ergo &c. Probatio maioris: quia species,quâ cognoscit talis potentia, vniformiter se habet ad ipsam re præsente secundùm essentiam, & non præsente: ergo &c.

24

Sed hoc argumentum probaret Deum non videri in patria per speciem, quæ possit conseruari in absentia obiecti:quia tunc non esset visio, neque esse posset. Si verò teneatur quòd intellectus hîc posset cognoscere intuitiuè, potest dici quòd omnem actum distinctum sensus concomitatur aliquis actus intellectus, circa idem obiectum:& ista intellectio est visio,sed saltem secundùm primum gradũ cognitionis,nulla substantia separata hîc à nobis cognoscitur.Nec secundo modo,quia oporteret quòd species illa immediatè originaretur ab illo obiecto, quod non fit: nullam enim speciem recipimus nisi vel per sensus, vel quam intellectus facit ex receptis. Tertio etiam modo non cognoscitur, quia oporteret quòd proprias species haberemus partium illius conceptus compositi: nec istæ tres intellectiones in particulari sunt de aliquo,nisi ab accidentibus. Quarto modo intelligitur quodlibet cõcipiendo ens in communi, quod est hoc ens,id est,singulare ens. Sed vltra conceptum entis nihil specialiùs intelligitur de qualitate alicuius substantiæ, non solùm separatæ, sed nec materialis. Qua enim ratione substantia materialis subiecta accidentibus posset multiplicare speciem propriam sui, cum speciebus accidentium; pari ratione & substantia immaterialis cum speciebus suarum actionum: non enim minùs dependet actio ab agente, quàm accidens à subiecto:sed ipsi enti coniungimus acci-

De substãtia separata non habetur hîc cognitio intuitiua.

Quomodo cognoscimus substantiam?

dentia positiua, vel priuatiua, quæ cognoscimus ex sensu; & facimus ex ente & multis talibus, vnam descriptionem, quæ tota nunquam inuenitur, nisi in tali specie; & conceptus talis descriptionis est perfectior conceptus, quem habemus de tali specie simpliciter. Verbi gratia, ex esse in aliquo localiter, concipimus esse in alio, sicut accidens in subiecto; & eius oppositum vlterius per accidens, per non esse in subiecto, componimus; *non ens in subiecto est substantia.* Nihil tamen aliud concipimus, nisi ens: vltra dimensiones sentimus ens non in subiecto, natum recipere dimensiones; & est conceptus corporis, non natum recipere, substantia incorporea: ita quòd in omnibus istis si quæritur, quid est illud quod est aptum natum, vel cui conuenit non esse in subiecto? dicimus quòd est vnum ens, quod est aliquid, quod est res; non habemus specialiorem conceptum de quiditate eius. Sed sic vltrà amouendo omnia corporibus propria, & ex intellectione & volitione nostra, quas experti sumus, cum imperfectione, abstrahendo intellectionem & volitionem in communi, & intelligendo amotionem illius imperfectionis, attribuendo illis positiuè; habemus vnam descriptionem ex priuatiuis & positiuis, vbi nihil est de quiditate descripti, nisi ens: alia omnia alia sunt proprietates essentiæ talis.

25 *De substãtia tantum per se intelligitur ens.*

Sic igitur patet, quomodo nulla substantia intelligitur per se, nisi in vniuersalissimo conceptu, scilicet entis; per accidens autem intelligitur in particulari, intelligendo, scilicet proprietatem, vel multas proprietates illi soli conuenientes. Deus tamen aliquo modo perfectiùs intelligitur; vt videtur, omni alia substantia. Sed contra prædicta arguitur, quòd substantia à nobis per se intelligitur: quia ita diffinimus substantias, sicut accidentia per genera & differentias proprias. Item, quomodo intelligimus accidentia vniuersalia cùm tantum singularia sentiamus?

Ad primum horum dicendũ quod de substantiis habemus habitum vocalem: sicut cæcus natus syllogizat de coloribus: quia nec ipsa genera intelligimus, nisi ens. Ad secundum dicendum, quòd abstractio vniuersalis à particulari fit virtute intellectus; & ideò accidentia vniuersalia intelligere possumus. Item, contra illud dictum superius, quo dicebatur quòd illæ tres intellectiones in particulari non sunt de aliquo nisi de accidentibus, arguitur; quia secundùm hoc videtur sequi quòd nunquam naturaliter intelligeremus aliquam substantiam, nec etiam in patria; nunc enim est intellectus capax, sicut tunc, quia est eadem potentia, nunc etiam est ipsa similiter potens gignere speciem, si tunc poterit. Item, quomodo tunc intelligetur ens, nunquid per speciem propriam? stude.

SCHOLIVM VIII.

R*ESOLVIT quoad quæst. secundam difficultatem cognoscendi substantiam, tam materialẽ, quàm immaterialem esse ex parte intellectus nostri, & non ex parte rerum, vnde proueniat ex natura an ex peccato. Vide ipsum 2. dist. 3. quæst. 8. ad 1. soluit argumenta illius quæst.*

26

Ad aliam quæstionem respondetur, quòd Commentator vult quòd ex parte intellectus nostri est difficultas cognoscendi substantias separatas, non ex parte earum. In intellectione substantiæ materialis est ex parte rei, quia vnumquodque cognoscitur, vel est cognoscibile secundùm quòd est in actu: illa ergo, quæ non sunt simpliciter in actu, habent ex se difficultatem vt cognoscantur. Contrà, si sic; ergo erit comparando istas res ad quemcumque intellectum: consequens est falsum respectu intellectus diuini: probatio consequentiæ, da oppositum huius, scilicet quòd difficultas cognoscendi eas ex parte rei, non respectu cuiuslibet intellectus, sed respectu alicuius scilicet nostri: tunc cùm istæ substantiæ sint eædem ad quemcunque intellectum comparentur, sequitur quòd non est difficultas ex parte ipsarum, sed ex parte intellectus nostri cui comparantur. Item non est difficultas ex parte rei, in illo quod immediatè consequitur rem secundùm quòd res est; sed cognoscibilitas statim consequitur ens secundum quod ens, quia per idem est ens, & cognoscibile, ex 2. huius, t. cap. 4.

Difficultas cognoscendi est ex nobis, non ex rebus.

Concedo igitur quòd in materialibus, & immaterialibus difficultas cognoscendi est ex parte intellectus nostri: materialia autem non sunt æquè in actu, sicut immaterialia: ideo non ita perfectè cognoscuntur, tamen cognitio quæ potest haberi de illis æquè faciliter habetur, sicut de immaterialibus, quia ita faciliter mouet materiale intellectum secundum cognoscibilitatem suam, sicut immateriale: non tamen æquè intensè mouet: sicut ignis paruus æquè faciliter calefacit secundum proportionem caloris sui; sicut maior ignis secundum proportionem caloris sui. Ad rationem quòd vnumquodque cognoscitur secundum quod in actu, vel inquantum ens: dico quòd quia sunt imperfectiora in entitate, ideo non habent ita perfectam cognitionem: tamen cognitio eis proportionata ita faciliter est de eis ex parte earum, sicut de immaterialibus ex parte earum. Ad aliam rationem dicendum quòd minor est falsa. Ad probationem dicendum quòd non est indispositio propter contrarium: sicut oculus noctuæ non habet contrarium luminis solis: sed propter debilitatem virtutis suæ in cognoscendo; & ita virtus est formale in cognoscendo. Ad aliud quod ratio probat quòd non sit difficultas, quia debilitatur ita in cognoscendo propter organum: sed quia virtus debilis est in cognoscendo: sensus autem potest habere vtrumque impedimentum.

ANNOTAT. MAVRITII. ad quæst. 2. & 3.

27

SEquitur q. 2. de causa difficultatis cognoscendi intellectus creati, tex. c. 2. post cuius argumenta ad partes mouet tria de cognitione substantiarum separatarum ab intellectu viatoris, t. c. 3. quam priùs soluit quàm secundam, quod sæpè accidit in doctrina huius, vbi solutio vnius quæstionis dependet ex alia; vel quãdo vna est generalior quàm alia. Vbi aduerte, quòd quamuis communiter ponatur in principio illius 2. q. *Iuxta hoc*, &c. benè tamen absolutè poneretur, *Quæritur*, &c. In principio verò tertiæ congruè ponitur: *Iuxta hoc quæritur*, &c.

Vbi primò aduerte quòd post argumentum primum in oppositum illius tertiæ quæstionis assignatur quoddam *Extra*, quod sic incipit: *Item de intelligibilita*

intelligibilitate Dei &c. & durat vsque ibi *Respondetur ad quest.*&c.sed litera bona est per totũ.

Opiniones antiquorum in hac quæstione quærantur apud Auer.3.de anima. Com.36.& opinio quam tangit Doct.in princ.est maximè Tho.in 3. p.q.11.& 1.par.q.12.& 85.& 2.2.q.18.& in Com. lib.de causis,& alibi sæpè.

Sententia Doct.in q.clara est; sed vide ad hoc eum 3. dist. 1. q. 1.& 3.& 1.& 3.& q. prolog. & in Quodlibero,q.14. & alibi sæpè.

Infrà ibi: *Item 9.metaph.t. vlt.* &c. vsque ibi: *Item esse immediatè*,&c.ponitur.*Extra* in aliquibus.

Item infrà ibi: *Item Aug.ad Nebridium*, &c. vsque ibi: *Item de intentionibus secundis*, & assignatur *Extra.*

Quia inferiùs ibi tangit allegando Thomam; licèt non habeatur communiter in originalibus, cùm dicit:*Item aliquando dicit Thomas* &c.quære 1.parte. qu. 16. & 6.Metaph. & in q.de veritate, & 1. contra Gentiles. Est etiam opinio Ægidij Quodlib.4.q.10. quære in Henrico.

28 Ibidem parum pòst assignatur ab aliquibus pro Extra illa litera: *Responsio vniuersale* &c.vsque illuc: *Ad illud ergo de proportione:* quæ tamen satis singularis & bona est,quare legatur.

Consequenter infrà;vbi ad mentem propriam soluit quæstionem,applicando gradus cognitionis sensitiuæ ad intellectiuam, dicens quòd prima quæ est intuitiua non est possibilis in via in intellectu &c. Aduerte,quòd cautè istud intelligendũ est,propter ea quæ habet in 3.dist.prim.q.4.& 45. dist.4.& 3.dist.prim.& 14. Quodlibeti,& infrà in hac q.parũ pòst. Sed loquendo de potentia naturali in attingendo, & de substantiis separatis, de quibus nunc est sermo. Verum est quòd dicit. Si autem vniuersalius loquatur exponatur castè, quia illa vniuersalis videtur simpliciter falsa:*nulla potentia reseruans speciem*,&c. expone ergo de intellectu viatoris, vel vbi species est concausata vbicunque, sed tota illa litera: *Notandum quòd in sensu* &c. vsque illuc: *Ad argumentum in oppositum* &c. videtur *Extra*, quia infrà ibi: *Ad pleniorem igitur solutionem &c.* habetur tota, & meliùs ad mentem Doct. quare hæc litera est superflua, nisi quòd primò ponuntur sex gradus, & secundò quatuor,vtraque saluetur si placet.

Infrà soluendo argumentum post oppositum principale ibi: *Aliter posset dici &c.* vsque illuc: *Aliter dicitur, quòd intelligitur &c.* assignatur ab aliquibus *Extra.*

Aduerte consequenter ad ea quæ dicit infrà in replicis, & solutionibus earum, soluendo argumenta primæ opinionis in quæstione vbi tangit de vniuocatione, & æquiuocatione entis, & eius analogia:nam omnia problematicè interpretanda sunt.Infra verò in 4.veritas rei apparebit,& similiter quod ibi dicit de specie substantiæ, eodem modo intelligendum est.Vnde negantes vniuocationem entis habent concedere substantiam per propriam speciem intelligi; vt patet hîc,& alibi, apud istum efficaciter.

29 Alias replicas quas ibi non soluit,solue sic: Ad tertium videlicet, negando consequentiam. Et si inferatur est actu ens; ergo actu intelligibile; adhuc negatur consequentia, quia nedum ens, sed modos eius, vel passiones, modificant alij modi eiusdem. Vel aliter quòd est multiplex,est actu intelligibile, referendo actum ad entitatem, vel ad intelligibilitatem.Vel tertiò & meliùs,conceditur consequentia, & consequens, absolutè loquendo, licèt non quoad nos,sicut exponitur communiter illud;*Vnũquodq; sicut se habet ad esse &c.*Diuisio enim intelligibilis per actum & potentiam est tantùm audienda, secundùm modum nostræ cognitionis. Vnde materia prima est ita proportionaliter actu intelligibile,sicut intelligentia,vt patet 3.di.2.q.fin. Quod infertur de singularibus & corporalibus, totum verum est. Ad auct. patet 3. dist.primi.q.7. quid dicendum. Quod vltimò infertur, fortè concedi posset ex natura potentiæ præter contingentia, de quibus est specialis difficultas,& primum ens, quod non cadit sub obiecto motiuo naturaliter attingibili.

Infrà ibi: *Ad pleniorem igitur solutionem &c.* Nota singularissimè illum processum & maximè de cognitione substantiæ, quia nullibi ita benè, sicut hîc declaratur ferè.

30 Ad duas instantias ad finem solutionis, quas non soluit,vbi dicit *stude.*licèt dicantur ab aliquibus,bonæ tamen sint, ideò legantur & soluuntur sic: Ad primum negatur quòd infertur: est enim nunc impedimentum quod non erit in patria, nec pro statu naturæ institutæ fuit, nec ex natura potentiæ,vt 3.dist.primi.& 3.dist.2.& 14.q. quodlibeti.& 1.q. prolog. & alibi sæpè habet. Concedo enim capacitatem passiuam, sed nego attingentiam,& actiuam causalitatem pro statu isto,respectu speciei substantiæ sustinendo opinionem huius.Et licèt substantia sit causatiua speciei partialiter nunc,non tamen reliqua causa concurrit necessariò requisita,vt in locis prællegatis habet.

Ad aliud tangetur infrà quæst.14. & 15.7. potest enim vtrunque dari probabiliter. Vel quòd per speciem propriam; vel quòd per speciem inferioris sensibilis primò. vide 3.di.1.q.6.vbi videtur sustinere primum membrum, licèt arguitiuè, quicquid tenebis,dic consequenter.

Et manifestum est, quòd res habent principium, & quòd causæ rerum entium non sunt infinitæ. *text.com.*5.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm sit status in genere causarum?

Arist.*hic text* 5.*& lib.*8.*Physicorum*.: Auicen.8. *Metaph. cap.*1. Albert.2. *Metaph.cap.*5. *& seqq.* D.Tho.1. *Met. lect* 3.Durand.1. *dist.*2. *q.*2. Flandria 2.*Met.q.*3 *art.*1. *& seq.* Fonsec.*ibid. cap.*2. *q.*1. *sect.*1. *& seq.* Suar. *disp.* 29.*Meta.sect.*1. Hurt.*disp* 18. *Physica sect.*1. Vide Scotium,*q.6.huius, & in* 1. *dist.*2.*q.*2.

QVod non. 8. Physic. text. com. 1. & infrà. motus nunquam incepit, & maximè circularis:& si hoc, nec generatio incipit ex 2. de Generatione,t.c.56.& infrà:ergo infinitæ generationes fiunt: & quælibet generatio habet propriam causam efficientem proximam,& finem & materiam in his quæ generantur per propagationem; ergo omnes causæ sunt infinitæ. Item, quando inter aliqua extrema est distantia infinita.possibile est ibi esse infinita media, sed inter primum efficiens,& inter quodcunque aliud efficiens, & sic de aliis causis, formali & finali, est infinita distantia. Probatio maioris: quantò aliqua magis distant, tantò plura possunt esse media inter ipsa: ergo si in infinitum, infinita possunt esse media. Item,de materia vtor priori maiore.Minor.ens in infinitum

infinitum distat à nihilo; ergo inter nihil & ens, possunt esse infinitæ entitates potentiales, cuiusmodi est materia. In oppositum est Philosophus in litera, & probat de omni genere causarum, quòd sit status.

T.com.5.

SCHOLIVM VNICVM.

RESOLVTIO *habetur q.6. à n.9. & argumenta hîc posita ibi soluuntur à n.12.*

QVÆSTIO V.

Vtrùm sit procedere in infinitum in effectibus?

Arist. * 3.cap. 8. & 8. *Physic. cap.2.* D.Thom. 1.*p. q.46. art.2. & q. 70. art. 3. & 4.* Suar. *disput. 29. Metaph. sect.1.& Tom. 2. in 1.p. disput.* 177. Vasq. *ibidem disp. 26.* Conimb.3. *Phys. cap.8. quæst.2. a.1.& 8. Phys.c.2. quæst.7.* Rubius 3. *Phys.tract.1.q.3.* Hurtad.*disput.13, Phys.sect.2.& disp.18.sect.1.*

QVòd sic videtur:omnis differentia alicuius generis habet differentiam oppositam condiuidentem secum illud genus;sed finitum in actu est differentia quantitatis; ergo habet infinitum pro differentia sibi opposita,& infinitum in actu; non in potentia; quia differentiæ oppositæ non compatiuntur se: sed idem est finitum actu,& infinitum in potentia; ergo habet pro opposito infinitum in actu. Item 6. Topic. cap. 19. Aristoteles increpat diffinitionem lineæ rectæ, cuius medium superadditur finibus: quia infinita, neque finem,neque mediũ habet; recta autem est linea, scilicet infinita; ergo non repugnat lineæ rectæ infinitas. Item,3. Physic.text.comm.69.quantam magnitudinem contingit esse in potentia, tantam contingit esse in actu: sed in potentia contingit esse infinitam, quia 2. deAnima text.c.41. ignis crescit in infinitum appositis combustibilibus. Item, continuum est diuisibile in semper diuisibilia 6.Physicor. t.c.3. sed numerus sequitur diuisionem continui ex 3. Phys. t.c. 68. ergo numerus est infinitus. Dicitur quòd hîc est in potentia,sicut diuisio. Contra hoc,primo de Cœlo & Mundo:*quod impossibile est factum esse,impossibile est fieri:*ergo si impossibile est continuum esse diuisum in infinitum;ergo impossibile est diuidi in infinitum in potentia. Item,quod dicitur de numero quòd est in potentia infinitus: quod actu probatio: concessum est quòd infinitus in potentia, sed qualibet specie data, potest addi vnitas,& causatur noua species: ergo species numerorum sunt infinitæ in potentia: sed quælibet species addit vnitatem super aliam:ergo alia species,quæ est in potentia habet in se infinitas vnitates, sed omnium specierum, quæ possibiles sunt, ideæ earum sunt in Deo actu: ergo habet actu ideam alicuius speciei, vel numeri habentis vnitates infinitas: sed omnis species,cuius ideam habet Deus in actu,est factibilis à Deo in suo singulari: ergo aliqua species infinitas habens vnitates, erit factibilis extra Deum. Contra:3. Phys. text.com.41. dicit Philosophus de numeris,quòd *omnis numerus est numerabilis*, sed omne numerabile,est pertransibile,& omne pertransibile, est finitum,ergo &c.

1.Prior, Tex.com.20. & 6. Physic. T.c.62. & 2. de Genera. T.c.64.& 3. Metaph, T.com.12.

SCHOLIVM.

HAEC *quæstio ferè eadem est cum precedenti, sed ad maiorem explicationem seorsim ponitur, & resoluitur quæstione sequenti à num.9.& argumenta soluuntur ibi,n.17.*

Intelligere verò non est non statuentem. *text. com. 2.* Sed si infinitæ essent pluralitate species causarum, non esset ita cognoscere. *text.com.13.*

QVÆSTIO VI.

Vtrùm infinitum possit cognosci à nobis?

Arist.*hîc c.2.&* 1. *Phys.c.4.* D.Thom.1. *Met.lect.4.&* 1. *p.q.86.a.2.* D. Bonauent. *in 3. dist.14.* Durand. 4.*dist. 49. q.3.* Marsil. 2. *. *q.10. art.2.* Ant.Andr. 2 *Metaph. q.vlt.*Fonseca *ibid. c.2.q.2. sect.1. & seq.*Vide Scotum *in 1.dist.3.q.2. & in 3.dist.14.q.2.*

QVòd sic:Deus est infinitus,& possumus eum cognoscere,vt suprà habitum est; ergo &c. Item,cognitio est per omnes causas:ergo per primam, quæ est infinita: Item, infinitum diffinimus,& passiones de eo assignamus,& imponimus nomen ad significandum illud:ergo ipsum intelligimus. Item, species omnes quorumcunque generum sunt intelligibiles à nobis, quia diffinibiles: sed species numerorum & figurarum sunt infinitæ:quia vltra quamcunque speciem datam, contingit accipere aliam in infinitum:& ita infinita,quæ veræ sunt species,licet non existant: sicut species rosæ est species vera,rosa non existente:ergo possunt cognosci. Item 4.Physicor.cap.de Vacuo. t.c.76. si duo corpora simul sunt & infinita: ergo si duæ speciec intelliguntur simul, & infinitæ,& quælibet est principium cognoscendi.

Contrà: Philos.2.huius text. comm. 35. dicit, si formales causæ essent infinitæ, nihil contingeret scire:& idem dicit 1.Phys.t. c.35. contra Anaxag.de principiis infinitis:tunc nihil esset cognoscibile. Item,commentator hîc Comment.11. si quis imaginatus fuerit lineam infinitam, non intelliget eam. Contrà, quod potest virtus inferior,potest & superior:quicquid igitur potest quis imaginari:potest intelligere.

SCHOLIVM I.

EXPLICAT *quomodo infinitum tripliciter sumitur,ponitque eius diffinitionem ex Philosopho. Primum dictum: Non potest dari numerus infinitus negatiuè,vel priuatiuè,quia tantùm vnitas est negatiuè,infinita, & nullus numerus aptus est terminari,qui non terminatur actu.Secundum: Non est dabilis numerus infinitus contrariè. Dubitat circa hoc de mente Philosophi quia posuit mundum ab æterno,& generationes æternas, & consequenter, vt videtur, infinitas animas; sed non est certum quid de immortalitate animæ senserit, de quo Doct.*4.*d.*43.*q.*2.§. De 2.propositione, *n.*13. *Secundum dictum, non posse dari infinitum secundum multitudinem:in hoc videtur problematicus, quia soluit rationes Aristotelis pro vtraque parte; nec inuenio quòd alibi absolutè neget omnipotentia Dei posse producere in finitũ:imò videtur id ei cõcedere 3.Phys.q.10. & fauet 2.d.1.q.3.ad vlt.pro Henrico, vbi admittit, vt videtur infinitatem si creatura foret ab æterno, & posse esse ab æterno,secundum ipsum ibi tenendum videtur.Neque obstat quod 3. dist. 13. quæst. 4. dicat gratiam Christi fuisse summam,& non positiuè infinitam,quia ibidem innuit id non esse certum, §. Quantum ad secundum,* in cõmendando Christum (*inquit*)malo excedere, quàm deficere, *vel quia locutus est secundum*

eundum communem sententiam, vt sæpius facit, ex professo non disputans an infinitum produci possit. Tum tertiò, quia ibi agit de infinito secundùm virtutem, de quo est maior difficultas, tandem 3. d. 14. quæst. 3. §. Sed hoc modo, *vt problematicè ponit animam Christi habere infinitas species singularium possibilium. Vnde hanc partem tenent Nominales, & ex Scotistis Mayron 1. distinct. 43. & Bassol. ibi quæstion. vnic. vide Conimb. 3. Physic. cap. 8. quæst. 2. qui vtramque sustinent probabiliter.*

2 *Infinitũ tripliciter sumitur.*

Hîc est notandum in generali, quid dicitur per hoc nomen, *infinitum.* Potest enim infinitum accipi tripliciter, negatiuè, priuatiuè, & contrariè. Primum patet 3. Phys. t. c. 34. punctus est infinitus negatiuè, sicut sonus inuisibilis priuatiuè, quia priuat finem in apto nato finiri, & vocabulum hoc sonat: contrariè, quod patet per Boëtium super Prædicamenta, cap. de Qualitate: vbi Philosophus dicit, quòd *Inest Qualitati habere cõtrariũ, sicut iustitia contrariatur iniustitiæ.* Iniustus contrariè dicitur, quia habet contrarium habitum ex actibus generatum: sic infinitum negat finitatem cum positione contrarij, sicut finitum extensum sine terminis; & sic loquitur Philos. contra Parmenidem & Melissum. 1. Phys. t. c. 15. & infrà. Illud infinitum contrariè dictum, dupliciter potest sumi; vel quòd sit in actu existens sine terminis, vel quòd sit tale in potentia, quod diffinit Philosophus 3. Physic. text. com. 63. *Infinitum est cuius quantitatem accipientibus semper est aliquid extra accipere:* ita quòd quantumcunque accipiatur, semper est aliquid extrà: si esset tantum negatiuè, vel priuatiuè non semper esset aliquid extrà accipere. Infinitum istis duobus modis vltimis, 2. principali, & 3. semper est in quantitate molis, vel virtutis: quantitas omnis propriè, vel metaphoricè est magnitudo, vel multitudo propriè, vel metaphoricè; ergo omnis infinitas talis est in magnitudine, vel multitudine propria, vel metaphorica.

Infinitum diffinitur.

3

De multitudine, siue numero, videndum est, quòd infinitum negatiuè non inuenitur in numeris, sed in principio numeri: nec priuatiuè, quia nulla multitudo est, quæ est apta nata terminari, & non terminatur. Infinitum contrariè in potentia est in numeris, quia numerus sequitur diuisionem continui. Infinitum etiam in actu est difficile vitare: Videtur enim secundùm Philosophum quòd infinitum contrariè in actu est, sicut patet de animabus hominum, posita generatione perpetua. Similiter per illud argumentum vltimum prius ad illam partem, & hoc concedit Auicenna, & Algazel eius sectator. Sed respondetur, quòd homo non fuit ab æterno: licèt mundus fuerit. Contra hoc arguitur 2. Phys. text. com. 24. nos sumus quodammodò finis omnium: vt quid alia per infinitum tempus sine fine ad quem sũt? Similiter Augustinus de Quæstionibus veteris testamenti, videtur illud improbare, quæst. 33. *Vt quid annua fœcunditas sine homine, &c.*

Contrà: tunc infinita numeralia possunt componi & facere magnitudinem infinitam. Responsio: nunquam magnitudo esset maior toto, ex cuius diuisione resultauit ille numerus, quod totum fuit finitum.

De multitudine transumptiuè dicta, quæ est in speciebus essentialiter ordinatis in omni genere, simile est de duobus modis quoad infinitum, scilicet negatiuè & priuatiuè: sed quoad infinitum contrariè in potentia, est dissimile, quia talis non potest esse in diuersitate specierum, ita quòd Deus possit facere in infinitum speciem nobiliorem quacunque facta: quia tunc esset aliquis gradus possibilis intensiuè infinitus in perfectione: & tunc esset creatura possibilis simpliciter infinita in essentia, & tunc illa similiter esset Deus. Quòd multitudo in genere Quantitatis, non possit esse actu infinita, patet 3. Physic. t. c. 41. omnis numerus est numerabilis; ergo pertransibilis; ergo &c. Item impossibile est omne continuum esse diuisum actu in infinitum: quia aut in diuisibilia, aut in indiuisibilia: si secundo modo, tunc componitur ex indiuisibilibus, cùm resoluatur in illa: si primo modo, potest vltrà diuidi, & ita non est diuisum in infinitum: sed numerus causatur ex diuisione continui, ergo numerus non potest esse actu infinitus. Item 5. huius cap. de Quantitate, t. c. 18. multitudo si sit finita, numerus est; ergo omnis numerus est multitudo finita. Item 10. huius, t. c. 2. & 4. *numerus est multitudo mensurata vno:* sed contra rationem infiniti est mensurari à finito; sicut probatur 6. Phys. t. c. 19. quod infinitum non potest mensurari à finito; ergo nullus numerus potest esse finitus.

4

Ad rationes in oppositum supponendo, quòd argumenta iam facta concludant. Ad illud de animabus, dicendum quòd non asserit alicubi formam aliquam, nec etiã intellectiuam manere post separationem. Vnde in 12. 1. cap. text. comm. 17. de hoc videtur loqui dubitatiuè. Ad hoc aliter respondetur, quòd si omnes animæ humanæ, quæ fuerunt positâ generatione perpetuâ à parte antè, siue si omnes partes in potentia in magnitudine essent, quòd non essent infinitæ actu, coniungendo infinitatem cum actu. Vnde fortè posset concedi quòd actu essent infinitæ in potentia, quia in potentia accipiendo vnam animam post aliam, quia aliter non competebat eis infinitas: sed non essent infinitæ actu: quia non sunt tot quin plures possint esse, infinita in actu tot sunt quòd non possunt plura composibilia esse. Vnde est ibi fallacia compositionis & diuisionis, eo quod ly *infinitas* coniungatur cum ly *actu*, & tunc est falsa; vel separatur ab eo, vnde concessis premisis, consequentia non valet.

Contrà: quot fuerunt homines tot sunt animæ: ergo si homines infiniti, & animo. Dicendum, quòd successiua infinita si essent simul, non essent infinita: vel si essent tot homines simul, quot fuerunt successiuè, non essent infiniti actu, quia infiniti fuerunt in accipiendo & in potentia: ideò nunquam sequitur ex illis, si essent simul, infinitas actualis, quia alterius rationis sunt infinitas actualis & potentialis: ideò ex infinitate potentiali nunquam potest concludi infinitas actualis. Ad aliud, quòd licèt esset aliqua species numeri intellecta à Deo, habens infinitas vnitates, non posset fieri extrà secundùm Philosophum quia nihil facit nisi mediante causa inferiori, quæ non potest talem effectum producere. Aliter positâ hypothesi, dicendum quòd posset fieri extrà, sicut sibi potest competere esse, scilicet quòd vnitas post vnitatem in infinitum, nunquam tamen simul, sed successiuè solùm; sicut Deus simul habet ideam totius temporis, quod tamen non est simul factibile extrà, sed tantùm pars post partem. Contra responsionem istam: Si numerus potest fieri sic, aliquando erunt istæ vnitates simul extra Deum, & tunc numerus aliquando

Ex infinitate potẽtiali non rectè concluditur actualis.

aliquando actus infinitus: si non; ergo iste numerus nunquam erit factus extrà, quia numerus non est extrà, nisi contineat simul omnes vnitates integrantes ipsum, non sic tempus respectu partium.

5 *Sustinet dari posse numerũ infinitum.*

Sustinendo quòd Deus posset facere numerum habentem infinitas vnitates. Tunc ad rationes Philosoph. in contrarium, cùm dicit, *Omnis numerus est numerabilis, &c.* Dicendum quòd eadem ratio posset fieri de numero infinito in potentia: omnis numerus in potentia est numerabilis in potentia, & omne numerabile in potentia est pertransibile in potentia, & omne pertransibile in potentia est finitum in potentia; ergo numerus infinitus in potentia est finitus in potentia. Dicendum ideò quòd est ratio probabilis solùm, secundùm quod dicit in litera, *rationabiliter autem*, quem modum loquendi habet quando facit tantum probabiles rationes, vnde altera præmissa neganda est. Ad aliud quòd sic causatur, sed non solùm sic causatur, quia potest vnum nouum continuum fieri, & crescit numerus: ideò aliter potest numerus causari, quàm ex diuisione continui, ideò fallacia Consequentis. Ad aliud quòd est fallacia Consequentis: quia sequitur; si multitudo finita est, numerus est, sed destruendo antecedens, non valet. Ad aliud, quòd nullum infinitum potest mensurari finito finities sumpto, benè tamē finito infinities sumpto, nunc non est de ratione numeri quòd mensuretur vno finities sumpto: quia secundùm ipsum, numerus in potentia est infinitus, qui non potest mensurari vno finities sumpto, sed necessariò vno infinities sumpto.

Infinitũ fieri ex finito infinities sũpto.

SCHOLIVM II.

PRIMVM *dictum:* An in speciebus rerum detur vltima possibilis? *fauet affirmatiua parti 3. dist. 13. q. 4. vbi tenet dari gratiam summam, & idem est de specie summa, quod sentiunt Durand. 1. dist. 44. quæst. 2. Caiet. 2. 2. q. 24. art. 7. Henric. Aureol. Palud. Canus, quos ibi citaui Schol. 1. sed vt notaui Schol. præcedenti, nihil firmiter in hoc resoluit, & oppositum est satis probabile, & commune, quod tenent D. Thom. 1. p. quæst. 25. art. 6. & alij, quos citat, & sequitur Suar. in Metaph. d. 30. sect. 17. n. 19. & seqq. Secundum:* Infinitum negatiuè non est in aliquo diuisibili, benè tamen priuatiuè, *vt si auferretur punctus terminans, quem docet posse auferri. Tertium:* Corpus infinitum non potest esse actu, *secundùm Philos. an verò de potentia absoluta fieri possit, idem videtur respondendum ac de infinito multitudinis. Explicat optimè Philosophi locum:* quantum contingit esse in potentia tantùm contingit esse in actu. *de quo fusè agit 3. d. 13. q. 4. n. 2. & 2. d. 2. q. 9. n. 21. Quartum dictum.* Non potest dari magnitudo perfectionis infinita negatiuè, neque priuatiuè *(tamen circa secundam particulam videtur idem de hac, & de magnitudine molis)* neque contrariè actu, vel potentia, *secundùm Philosophum.*

6 *3. Phys. Tex. c. 63. et 5. Metaph. Tex. c. 21. & 31. Et 10. Met. Tex. c. 13.*

De multitudine essentiali, scilicet specifica eorum quæ habent ordinem essentialem, patet quòd ibi non est infinitas negatiuè, nec priuatiuè. Infinitum contrariè non potest ibi esse: quia tunc esset illud infinitum intensiuè in perfectione, & esset Deus: nec est infinitas in potentia secundùm Philosophum tum quia vniuersum est perfectum: & secundùm Philosophum perfectum est, cui non potest fieri additio: tum quia non ponit aliquid posse fieri, cuius potentia passiua non præcessit in materia & potentia actiua in aliqua causa efficiente citra primam: quia non ponit Deum aliquid posse facere, nisi per causam mediam sicut reperitur à Commentatore super illud 7. huius, t. c. 30. 31. *manifestum ergo ex dictis quomodo omne quod fit, fit ex conueniente.* in fin. Comm. vbi dicitur. *impossibile est vt agens primum transmutet materiam, nisi mediante corpore aliquo non transmutabili;* scilicet corporibus cœlestibus, & ideò impossibile est, vt Intelligentiæ separatæ dēt aliquam formam formarum mixtarum in materia. Illud concludit de generalibus, quæ producuntur per transmutationem materiæ, sed non de Intelligentiis, in quibus ponerentur gradus in infinitum plures, si in aliquibus ponerentur.

Secundum veritatem circa hoc sunt opiniones: vna quòd Deus potest facere speciem vltra speciem in infinitum in potentia, quia quælibet factibilis in infinitum distat à Deo; ergo si perfectior intelligatur adhuc stat limes creaturæ. Alia opinio tacta est suprà cum vna ratione ad hoc. Infinitum negatiuè non est in aliquo diuisibili, sed in puncto.

7

Quod infinitum priuatiuè potest esse in aliquo diuisibili secundùm aliquos, probatur, quia terminus non est de essentia diuisibilis, sicut punctus non est de essentia lineæ, & amoto illo quod est extra essentiam rei, manet res. Si autem auferatur punctus vltimus terminans, aut manet linea non terminata apta nata terminari, aut non: si sic, tunc infinitum priuatiuè erit in linea diuisibili; si non, tunc aliquis punctus est immediatus puncto ablato, & sic duo puncta contigua in linea, & sic linea componeretur ex punctis. Item, idem argumentum potest fieri de tempore, si auferatur instans terminans. Contrà: quia non potest intelligi linea interminata, 2. huius, t. c. 11. *non conuenit intelligere lineam non statuentem.* Item, 1. Poster. text. c. 9. illa insunt per se primo modo, quæ insunt ratione quiditatiua, vt triangulo inest linea, & lineæ punctus: substantia, enim eorum ex his ēst, sed tale non potest separari à re, manente re: quia tunc esset linea & non linea. Item in principio Geometriæ, Diffinitione 2. *linea est longitudo, cuius extremitates sunt duo puncta.* Itē, 3. Phys. t. c. 40. de ratione corporis est terminari superficie, & superficiei linea, & lineæ puncto. Ad rationem primam istarum, quòd de ratione continui est terminus, dicendum, quòd eo modo quo ponitur in diffinitione, eo modo est de essentia eius, scilicet in ratione terminantis, non quòd linea sit punctus, sed quòd est terminata punctis. Per hoc patet ad alia: quia omnia procedunt non de continuo absolutè: sed vt est terminatum.

Quid est linea?

8

De infinito contrariè, sciendum quòd actu non potest esse in magnitudine; sicut vult Philosophus 3. Physicorum, text. comment. 37. & infrà. & 1. de Cœlo. text. comment. 35. & infrà. vbi arguit de corpore graui & leui, & circulari per rationes multas; quia de ratione corporis est terminari superficie, & sic de aliis magnitudinibus, sed vtrùm possit esse infinitum in potentia? Dicendum secundùm Philosophum quòd non, quia Philosophus 3. Physicorum text. comment. 69. *quantam magnitudinem contingit esse in potentia: tantam cōtingit esse in actu.*

Ista

8

An dabilis magnitudo infinita in potentia?

Ista propositio declaratur dupliciter. Primò, quia potentia magnitudinis ad augmentum est potentia ad formam, & totum, potentia ad diuisionem est potentia ad materiam, & ad imperfectionem, & ad partes: sed formæ est terminare, materiæ est esse infinitum, & non terminare; ideò potest esse linea tanta in actu, quanta est in potentia, sed non potest esse tam parua in actu, sicut in potentia. Contrà: tunc numerus crescens vadit ad formam: quia ad speciem numeri, & numerus diuisus ad vnitatem & materiam: ergo quantus est numerus in potentia, tantus poterit esse in actu, quod est contra Philosoph. qui concedit hoc de magnitudine, non de numero.

Quantum est in potentia, tãtum potest esse in actu, exponitur.

Aliter declaratur propositio, quamuis potentia quæ est ad vnam formam, posset reduci ad actum: potentia tamen ad plura, sicut est potentia diuisionis in magnitudine, non potest reduci ad actum; quia non est potentia vna, nec ad vnum. De numeris, diuidendo, est potentia ad vnum; augendo, ad plura: de magnitudine è contrà. Contra: sicut magnitudo augmentata est vna magnitudo, & ideò potest esse tanta in actu, quanta est in potentia, sic numerus auctus est vnus numerus. Si dicas quòd semper est alia species numeri per additionem vnitatis: eodem modo magnitudo cubitalis augmentata, si vltra augetur, deuenitur ad magnitudinem tricubitalem; & sic ascendendo erit variatio speciei, sicut in numeris. Item, nec ratio prohibet quantitatem contiguam esse infinitam, cùm ex illis contiguis non fiat vnum continuum: sicut nec in numeris.

Ideò, aliter declaratur, quia Phil. 3. Phys. t. c. 59. & alibi dicit quòd appositio non est infinita, nisi diuisione contraria existente infinita; quia non potest magnitudo crescere, nisi addendo ex alia magnitudine diuisa, sicut si magnitudo pedalis diuidatur, & addatur alij magnitudini pedali, nunquam excedet magnitudinem bipedalem, nec aliter intelligit Philosophus.

In magnitudine perfectionis non est infinitas negatiua, nec priuatiua.

De magnitudine perfectionis, vbi idem est maius, quod melius, in tali non est infinitas negatiuè, quia fortè quilibet gradus est diuisibilis, nec infinitum priuatiuè potest esse ibi, quia ibi non est aliquis gradus possibilis terminari, quin terminetur: infinitas contrariè in potentia an sit ibi, est dubium: infinitas enim talis secundum Philosophum nullibi est, nisi in numero, & ibi solùm in potentia, actu tamen non est in effectibus sed in Deo solo.

SCHOLIVM III.

RESOLVTIO 1. *quæst. quæ est 4. in ordine, ponendam esse primam causam, & impossibilem esse infinitatem in causis essentialiter ordinatis: de quo latè agit* 1. *d.* 2. *q.* 2. §. Primus articulus. *nu.* 11. *& de primo princ. c.* 1.

9

Resolutio 1. quæst. 1. quarta, dari primã causam, & vltimam. Scot. 1. d. 2. q. 1. n. 11.

Per hæc ad primam quæstionem, quòd infinitas transumptiua est in causis: quia in primo efficiente: causæ etiam accidentaliter ordinatæ possunt esse infinitæ in multitudine successiuè, non simul: in causis secundùm speciem, siue essentialiter ordinatis, nec simul, nec successiuè, quia omnis causa inquantùm causa, vel in hoc quòd causa, non est vltima, quia vltima nihil producit; omnis causa agens in virtute alterius, non est prima: sed si omnes essent infinitæ, quælibet ageret in virtute alterius; ergo nulla prima, nec vltima, sed omnes mediæ; sed omnes causæ mediæ acceptæ habent causalitatem ab aliqua vna causa: hæc non est aliqua, vel vna istarum mediarum, quia tunc idem esset causa suiipsius; ergo erit alia prima, quæ erit causa omnium: alioquin vniuersitas causarum mediarum non erit causata.

Contrà: responsio includit repugnantiam, quia simile est de causis accidentaliter ordinatis & de aliis; quia accipiendo omnes patres generantes, si sint infiniti; ergo omnes sunt medij, & si sunt medij, causalitas omnium erit ab aliqua vna causa: ista non est aliqua istarum, quia si sic idem esset causa suiipsius: & arguitur ibi sicut in causis per se ordinatis. Item, Commentator 2. Met. cô. 5. exponit sic, per rectitudinem fortè intendit ea quæ sunt vnius speciei: vt homo est ab homine; sed istæ sunt causæ accidentaliter ordinatæ: & tamen ponit quòd causæ sic ordinatæ in eadem specie sint finitæ: & post dicit quòd causæ accidentaliter ordinatæ sunt infinitæ, & sic videtur quòd dicat contradictoria.

10

Item si esset processus in causis accidentaliter ordinatis, esset numerus infinitus, & species numerorum sunt essentialiter ordinatæ; ergo in talibus est infinitas. Item, probatio quòd ratio petit, quia assumit in antecedente in minori omnes causas esse medias; ergo supponit primum & vltimum: alioquin ponit medium sine extremis. Item, assumit quòd omnes causæ mediæ haberent causam aliam: dico quòd non, sed quælibet est causata ab alia; sed non valet, quælibet est causata ab alia; ergo omnes sunt causatæ ab alia; sed est figura dictionis: commutatur enim singulare in plurale.

Causæ mediæ causalitas, est a causa priore.

Aliter formatur ratio ex litera ad solutionem quæstionis quòd causalitas mediatarum, sit ab vna causa, quia cuiuslibet causæ mediæ causalitas, est ab alia priore essentialiter: nulla est causa prior essentialiter, nisi sit aliqua prima essentialiter, quia prius est quod est principio propinquius; ergo nulla potest habere causalitatem, nisi sit alia prima, à qua omnes habent causalitatem suam.

Prius, quod primo propinquius.

Contra istam rationem: in tempore & motu sunt prius & posterius: & tamen non est ibi primum simpliciter. Ad illud respondet Philosoph. 5. Metaphys. cap. de Priori & Posteriori, t. c. 16. quòd non est ibi prius, neque posterius, nisi signetur à nobis: alibi est primum simpliciter, quia istæ secundus modus arguendi, potest aliquo modo saluare priorem modum arguendi, qui est Commentatoris. Ideò ad argumenta quæ sunt contra illum primum modum, dicendum.

Ad arg. posita nu. 9.

11

Ad primum, quòd illa consequentia valet; si omnes causæ sunt mediæ, quòd omnium causalitas est ab aliquo vno, si causæ sunt essentialiter ordinatæ: in accidentaliter ordinatis, non valet consequentia. Vel responsio patet ex secundo modo: ordo enim essentialis requirit, quòd omnium causalitas sit ab vno primo. Ad aliud de expositione secunda Commentatoris, quòd non est ad intentionem Philosophi, duas ponit; vnam, cùm fortè primam non approbes. Ad tertium, quòd non sequitur: nisi quòd in numeris in potentia est infinitas, non in actu, vt dictum est. Ad aliud, in antecedente sumitur quòd causæ omnes erunt mediæ per abnegationem primitatis & finita

Ordo essentialis petit omnia sint ab vno.

finitatis : vnde non accipit quòd eſſent infinitæ cauſæ mediæ poſitiuè, ita quòd eſſet aliqua prima ſimpliciter, & aliqua vltima, in quarum comparatione dicantur mediæ : ſed negatiuè per abnegationem primæ ſimpliciter & vltimæ. Ad vltimum quòd forma arguendi non valet, vniuerſitas non eſt cauſata, ergo aliqua non eſt cauſata : ſed tenet gratia materiæ : quia ſi totalitas non ſit ab vna cauſa prima, non eſſet aliqua vna prima omnium, nec eſſet inter illas aliqua prior eſſentialiter alia : & ſic nulla eſſet cauſa alterius.

SCHOLIVM IV.

Solvit argumenta 4. quaſtionis poſt ſolutionem ſecundi, oſtendit optimè viâ oſtenſiuâ, & ad impoſſibile, repugnare infinitatem in cauſis per ſe ordinatis, non autem in per accidens ordinatis : & ponit harum differentiam triplicem, de quo 1. d. 2. q. 2. num. 11.

12 *Ad arg.4. quaſt.*

Ad primum argumentum, quòd ſecundùm intenſionem Philoſophi cauſæ accidentaliter ordinatæ ſunt infinitæ ſucceſſiuè, poſita generatione perpetua; ſed de cauſis materialibus non eſt verum, ſed tantum tot ſunt cauſæ materiales, quot ſunt Prædicamenta ſimul exiſtentia : ſucceſſiuè enim generatorum eſt eadem materia. Contrà, 7. Metaph.t.c.28. *generans generat aliud propter materiam*; ergo in diuerſis generatis erit diuerſa materia. Reſponſio : generans & generatum ſunt ſimul, vnde in ipſis eſt alia materia : vt probat obiectio, ſed non in generato & corrupto. Ad aliud verum eſt de diſtantia propriè dicta, ſecundùm aliquam dimenſionem in genere quantitatis; non de diſtantia perfectionis, ſicut patet de contrariis, quæ maximè diſtant : & tamen ſunt aliqua contraria, quæ non habent medium. Vel poſſet concedi, quòd ſi eſſent infinita agentia, non attingerent perfectionem extremi, nec plus probat ratio. Vbi enim infinita diſtantia quotcunque dentur media, nullum poteſt attingere alterum extremum. Contrà; ergo poteſt aliud eſſe & aliud medium, vſque in infinitum. Item, Philoſophus 1. Phyſic. t. c. 15. contra Meliſſum dicit quòd finitum & infinitum in actu quantitati congruunt.

Generans generat aliud propter materiam: exponitur Scot. 2. d. 3. q. 6. ad 2.

13 *Inter cauſas per ſe & per accidens ordinatas, triplex differentia.*

Pro ampliori ſolutione iſtius quæſtionis, primò eſt notandum, quòd aliud eſt loqui de cauſis per ſe; & de cauſis per ſe ordinatis. Cauſæ per ſe ſunt, quæ per propriam naturam, & non per aliquod accidens ſibi, cauſant; ita quòd ibi eſt comparatio vnius ad vnum. Cauſæ per ſe ordinatæ dicuntur reſpectu alicuius effectus cauſati ab ambabus, & eſt illarum triplex differentia, ad cauſas accidentaliter ordinatas. Prima eſt, quòd per ſe ordinatarum ſecunda inquantum cauſat, dependet à prima cauſa, per accidens non, quantùm ad rationem cauſandi; licèt quantùm ad aliquid aliud. Alia differentia eſt, quòd alia ratio cauſalitatis, eſt in per ſe ordinatis, eadem in per accidens ordinatis, ſequitur hæc ex prima : & iuxta hanc dicitur quòd cauſæ per ſe ordinatæ ſunt diuerſæ ſpeciei, per accidens eiuſdem : ſed non oportet, quia diuerſus modus habendi formam eiuſdem ſpeciei, ſicut ignis habet calorem & alia, ſufficit fortè ad ordinem per ſe cauſarum. Tertia differentia ſequitur ex ſecunda ſcilicet quòd cauſæ per ſe ordinatæ omnes neceſſariò requiruntur ſimul ad effectum cauſandum; alioquin aliqua ratio propria cauſalitatis deeſſet effectui, in per accidens vna ſufficit. Ex hoc ſequitur ad propoſitum, quòd ſi eſſet infinitas cauſarum per ſe ordinatarum, illa neceſſariò eſſet in actu, & ſimul : infinitas cauſarum per accidens ſi eſt, non oportet quòd ſit niſi ſucceſſiuè, quia nunquam oportet ſimul multas cauſas eſſe tales ad productionem effectus.

Cauſæ per ſe omnes requiruntur ſimul.

14

Ex hoc apparet quare in cauſis per accidens ordinatis, ad hoc vt ſic cauſent, non repugnat infinitas, licèt fortè aliunde repugnet : cauſis verò per ſe ordinatis, ex hoc quòd ſic cauſant repugnat : quod oſtenditur hîc dupliciter, ſed primus modus eſt ſecundùm Ariſtotelem in litera, t.cô.6. & infrà ſic : Omnium cauſarum mediatarum habentium primum & vltimum, neceſſe eſt eſſe omnium cauſatorum aliquod primum eſſe cauſatum; ergo omnium cauſarum mediarum, neceſſe eſt aliquod primum, eſſe cauſam; ſed ſi cauſæ ſint infinitæ, omnes ſunt mediæ; ergo omnium neceſſe eſt aliquam vnam eſſe cauſam primam. Hucuſque deductio oſtenſiua propoſiti ex hypotheſi.

Sequitur deductio ad impoſſibile ex eadem hypotheſi, concludendo oppoſitum conſequentis, & inde oppoſitum antecedentis, hoc modo : ſi ſunt infinitæ nulla eſt prima, quare nulla erit cauſa media, & ita nulla cauſa; ita quòd ſumit medium in minori negatiuè per abnegationem primi & vltimi, in prima propoſitione accipit media, quorum primum eſt & vltimum, ſi ſic acciperet in minori ipſa eſſet falſa: ſi omittat in minori determinationẽ medij, videtur arguere ex quatuor terminis, propter hoc arguatur vt hîc habetur, ſcilicet quòd eorum illud mediorum ſit antecedens. Ad maiorem quia ſicut iam probabatur, & probatum eſt, in omnibus ordinatis eſt verum quod ipſe accipit in antecedente. Notandum, quòd ipſe intendit infinitatem cauſarum ſic ordinatarum excludere quodammodo : ex ordine enim ſequitur primitas, ſicut ipſe accipit in antecedente maioris, quod ipſe declarat, & minorem adiungit, & concluſionem ex eis ſequentem tacet. Sed ex infinitate ſequitur nullum eſſe primum; & ita ex ordine nullam eſſe cauſam, & hoc infert : ſed tota vis rationis eſt in hoc, quòd ſicut vbi ſunt media, id eſt, cauſæ cauſatæ (ſic enim loquitur) habentia primum & vltimum, ibi primum eſt cauſa omnium mediarum : ita vniuerſaliter omnium mediatum, id eſt, cauſarum cauſatarum oportet vnum primum eſſe cauſam. Vel, vt breuiùs dicatur, minùs curando de litera Ariſtotelis tota vis eius eſt in iſta propoſitione: *Omnium cauſarum cauſatarum, cùm eſt aliquod vnum primum*, quæ negaretur ponendo infinitatem : ſemper enim cuiuſlibet eſſet cauſa aliqua, ſed non omnium cauſatarum.

Omnium cauſarũ cauſatarum eſt vna prima.

15 *Cauſare eſt ſimpliciter perfectionis.*

Probatur autem propoſitio ſic: Cauſare eſt ſimpliciter perfectionis; omni cauſæ cauſatæ hoc imperfectè ineſt, quia inquantùm cauſat dependet ab alia; igitur iſtud erit in aliquo, ſine aliqua imperfectione (quicquid enim eſt ſimpliciter perfectionis, ſi in aliquo eſt imperfectè, eſt à perfecto ſecundùm illud) ſed illud in quo eſt cauſare ſine aliqua imperfectione, non cauſatur, quia tunc dependeret; igitur eſt primum. Confirmatur etiam illud, per illud inferiùs. *Prius principio, propinquius: ſic perfectius perfectiſſimo propinquius.* aliqua illarum cauſarum cauſatarum eſſet prior & perfe

perfectior alia; ergo aliqua prima. Sed nec prior propositio, neç ista confirmatio accipitur à litera Aristotelis sed aliunde ad probandam propositionem, cui tota sua ratio innititur.

Nulla perfectio impossibilis vniuerso

Aliter arguitur pro eadem propositione: rationabile est supponere nullum gradum cogitabilem simpliciter perfectionis esse impossibilem vniuerso: perfectè causare sine dependentia, & sine causari, est gradus cogitabilis simpliciter perfectionis; ergo non est impossibilis in toto vniuerso: sed si non est, impossibilis est; quia quicquid non est, & est possibile, est causabile; ergo si est, possibile est. Item causa infinitæ perfectionis in causando, est omninò independens in causando, & ita prima: sed si sunt infinitæ essentialiter ordinatæ, aliqua est infinitæ perfectionis in causando; ergo est independens, & prima in causando. Probatio minoris, semper causa superior in per se ordinatis, est maioris perfectionis in causando; ergo in infinitum superior in per se ordinatis est in infinitum maioris perfectionis in causando, sed ex hypothesi, aliqua in infinitum est superior ista, sic igitur ponitur infinita & primum.

Causa perfectissima est independens.

16

Si causa accidit esse causatum, eius causa non est per se ordinata ad ipsă.

Notandum, quòd quælibet per se causa ordinatur per se ad suum effectum, quia per se causa est per se prius, per se prius est per se ordinatum: sed si accidit tali inquantum causa, quòd sit causatum (esset enim causa si esset incausatum) tunc causa eius non ordinatur per se ad psum inquantùm causa; & ita causa eius & ipsum, non erunt causæ per se ordinatæ, quia non inquantum causæ, licèt sint causa, & effectus per se sic ordinata. Si autem causatum ab aliquo, vel non, inquantùm tamen causatum, per se dependet ab alia causa, puta quia est instrumentum, & dependet, à principali, tunc dicuntur causæ per se ordinatæ; quia in causando ordinantur, & faciunt omnes vnam causam sufficientem. Ex hoc apparet prima differentia: similiter secunda; quia si eadem ratio causalitatis esset in eis, siue in numero, vt in diuinis; siue in specie, vt in creaturis, & causarent eundem effectum; essent per accidens ordinatæ, vel non ordinatæ per se, sed essent vna causa, quia ordo est prioris & posterioris; ergo ordo in causando est priorum, patet etiam tertia.

Alia differentia in causis per se ordinatis: prior tenet ordinem suum, respectu totius speciei posterioris, vel saltem respectu totius modi talis habendi formam. Iuxta secundam differentiam per accidens tantùm habet ordinem respectu indiuidui ab eo producti, in quo coniunguntur duæ rationes causæ & causati ab illo per accidens. Item in causis per accidens ordinatis, vna potest in aliquid, in quod alia non potest: quia non potest se producere quod alia potest: sed potest in similem in per se: nam ordo per se respicit naturas, ordo per accidens indiuidua. Contra: nullius inquantùm causa, est causa aliqua: quia tunc cuiuslibet; ergo omnis causa est tantùm causæ per accidens, scilicet inquantùm per acidens coniunguntur ratio causæ & causati. Item, igitur in ordine per accidens, principium formale quo est causa; non est natura, sed principium indiuiduale. Item, ordo causarum per se est ordo causantium per se: actus sunt singularium. Ad primum: causæ ordinatæ dicuntur, non quia vna causa, alterius sit causa, sicut probat argumentum; sed quia vna non inquantùm causa in communi, sed inquantum talis, est prior altera causa, inquantùm talis causa, ita quòd prioritas & posterioritas per se determinant causalitatem: non sic de causa & effectu. Ad aliud dictum est suprà, num. 8.

Ordo per se respicit naturas, per accidens indiuidua.

SCHOLIVM V.

Solvit *argumenta 5. quæst. varias adducens, & resoluens replicas. Circa solutionem ad tertium tangitur an detur maximum, & minimum, in naturalibus, de quo Doct. 2. d. 2. q. 9. nu. 31. & circa eandem solutionem, tangitur molesta replica, quòd continuum possibile est diuidi, in omnia in qua diuisibile est: de quo ibi Doctor, num 21. longam habet disputationem. Breuiter dic, diuidi posse in omnia, in qua diuisibile est, non vnica, sed infinitis syncategorematicè diuisionibus, quæ nunquam habent vltimam; & sic nunquam continuum erit actu diuisum in omnia, in qua diuisibile est. In fine huius literæ ante solutionem tertiæ quæstionis ponit duas replicas, quas non soluit. Prima quærit quomodo pars est immediata puncto; & Responsio, quòd est immediata, quia inter eam secundùm se totam, & pũctum nihil mediat, non quòd secundùm se totam sit cum eo; quia hoc modo punctum est immediatum parti, de quo vide eum 2. d. 2. q. 9. §.* Aliter respondeo *num. 35. Ad secundam, etsi diuisio non sit generatio, illa posita generantur puncta, & indiuisibilia, quibus distincta indiuidua constituuntur: habet Doctor hoc argumentum 2. d. 2. q. 9. §.* Ad secundam probationem, *num. 27. & non soluit illud.*

17

Ad primum principale argumentum, quòd infinitum non repugnat quantitati in genere, repugnat tamen cuilibet speciei quantitatis. Contra istud: licèt hæc regula non valeat: Quicquid repugnat antecedenti, repugnat consequenti, tamen quod repugnat cuilibet antecedenti, repugnat consequenti. Probatio huius: omne repugnans alicui repugnat, quia aliud inest, sicut negatiua est vera propter affirmatiuam veram: si ergo aliquid repugnat aliquibus, hoc est, quia aliquid inest illis multis: sed nihil inest omnibus speciebus quantitatis, nisi quantitas, quod est genus; ergo, &c. Item, omne quod inest multis vniuocè, inest eis per aliquid primum in eis, cui primò inest: ideò dicitur quòd finitum & infinitum in actu, non est differentia quantitatis, sed conuertibile cum quantitate: sed finitum & infinitum in potentia sunt differentiæ quantitatis. Ad illud 1. Phys. quòd finitum & infinitum quantitati congruunt; dicitur quòd loquitur secundùm opinionem Melissi, qui ponit finitum & infinitum posse esse in actu, secundùm veritatem tamen infinitum non est differentia quantitatis in actu, sed in potentia. Contra: Commentator dicit primo Phys. cap. 15. *quantum est genus infiniti*: probat per diffinitionem; quia infinitum est quantum non terminatum: sed neutrum istorum esset verum de infinito in actu, de quo tantùm est ibi sermo, si illud repugnaret generi quantitatis. Item, finitum in potentia stat cum infinito in potentia; ergo illa duo non sunt differentiæ quantitatis. Probatio antecedentis: finitum in actu stat cum infinito in potentia, & sequitur finitum actu; ergo finitum in potentia; ergo, &c.

Negatiua est vera, propter affirmatiuam veram.

Quomodo infinitum est differentia entis.

18

Ad primum argumentum contra aduersarium sufficit accipere secundùm ipsum, quia tunc sequi

Quomodo quantum est genus ad finitum & infinitum?

sequitur non inconueniens, nisi propter dicta eius secundū Melissum, si esset infinitum, sicut ipse posuit actu extensum, sine terminis, cōgrueret quantitati: & ita oportet ipsum concedere quantitatem esse: & si hoc, ergo & substantiam, quæ est subiectum eius, & ita multa, quod est contra ipsum; & hæc est intentio Aristotelis ibidem, & sic patet ad argumentum: sic ad primum dictum Commentatoris secundùm Melissum, *quantum esset genus*, id est, commune ad finitum & infinitum si esset sicut Melissus posuit. Ad illud de diffinitione responsio 2. Poster. t. c. 7. ante illud, *Iterum autem speculandum*, duplex est diffinitio rei, & quid dicitur per nomen; secunda est non entium & impossibilium, & incompossibilium: & talis est diffinitio prædicta infiniti: tale autem diffinitum repugnare potest vtrique diffinitioni, cùm includit oppositum eius. Ad aliud finitum in potentia dicitur; cuius quantitatem quantumcunque accipientibus, non semper est aliquid eius accipere extrà, sicut est de ternario: sic opponitur infinito in potentia; nec sequitur ad finitum in actu. Ad aliud de linea: quòd licèt albedo esset infinita extensiuè, esset adhuc in genere sicut modò. Similiter si linea esset infinita; adhuc esset linea: quia non esset infinita intensiuè, & ideò lineæ ratio sibi competit. Contrà: contra rationem lineæ est non terminari: quia terminatio est essentiale lineæ; ideò si esset non terminata non competeret sibi ratio lineæ: quia illa linea includeret incompossibilia, scilicet terminationem & non terminationem.

Diffinitio finiti.

Albedo infinita esset in genere Scot. 1. d. 8. q. 3. n. 20.

19

Linea diffinitio an excludit infinitatē.

Dicendum aliter, quòd diffinitio non vituperatur, quia est lineæ: quia nulla diffinitio vituperatur, quia non competit illi, quòd non potest esse sub diffinito sine positione incompossibilium: sed quia est lineæ rectæ: quia rationi recti inquantùm linea, repugnat infinitas: tamen rationi recti simpliciter non repugnat infinitas; licèt per naturam lineæ quæ subest, repugnet: nunc ibi in diffinitione pro recta ponitur, cuius medium non excedit fines; quasi rectitudo essentialiter importet finitatem. Ad aliud dicendum, quòd ibi est oppositum: *quia omnium natura constantium est determinata quantitas in magnitudine & augmento*, propter quod intentio Philosophi est, quòd ignis non agit principaliter in augmentatione: quia augmentatio est in determinata quantitate, vel ad determinatam quantitatem de se in tali specie: ignis non agit ad determinatam quantitatem de se, sed vltrà potest: nunquam tamen ad infinitam quantitatem. Confirmatur secunda responsio ad rationem de animabus: quia infinitas actualis includit contradictionem in omnibus citra Deum, ex possibilibus autem & compossibilibus nunquam sequitur contradictio, vel impossibile, sed numerum esse infinitum in potentia, est possibile secundùm omnes; & animas semper manere est possibile & sunt compossibilia ad inuicem, quia necessarium, nulli est incompossibile, nisi impossibili, sed infinitum numerum esse in potentia, est necessarium, & animam semper manere est possibile; ergo numerum esse infinitum in potentia, est compossibile huic possibili, animas semper manere; ergo ex istis, anima semper manet: & numerus animarum est infinitus in potentia, non sequitur infinitum in actu esse. Item infinitas in potentia est, in accipiendo non tot quin plura: infinitas in actu est in accepto esse tot, quòd non plura compossibilia: alioquin infinita in actu possent excedi & essent finita. Sed non sequitur, animæ fuerunt non tot quin plura in accipiendo; ergo sunt modo in actu tot, quòd non plura, quia omnibus istis actu existentibus, posset Deus creare vnam animam, & addere illis; ergo non fuerunt priùs tot, quòd non plura.

Non datur terminus in inanimatis, magnitudinis, sed bene in animatis. Scot. 2. d. 2. q. 9. nu 31.

Non posse esse infinitas animas actu, iuxta solutionem nu. 4. sed post statim ibi ostedit se problematicum.

Infinitum in actu, & in potentia differunt.

20

Contrà: si animæ quæ fuerunt infinitorum præteritorum hominum, nunc simul sunt in actu: aut ergo actu finitæ, aut actu infinitæ, si infinitæ habetur propositum, si finitæ; ergo accipiendo vnam post alteram, tandem esset deuenire ad vltimam, & ita non sunt infinitæ in accipiendo. Idem argumentum fit de futuris sic: omnia futura si nunc simul essent, essent actu infinita, sed omnia simul erunt; ergo actu infinita erunt, probatio primæ, non essent actu finita, quia tunc aliquando omnia forent accepta. Probatio secundæ, futurum erit, prædicatum includitur in subiecto. Ad aliud quòd illa propositio, *quod impossibile est factum esse*, &c. verum est de qualibet factione vna; non de infinitis quæ habent terminum infinitum in potentia, vbi semper cum vno facto esse, necessariò stat potentia ad aliam factionem; nunc autem cum quocunqne; diuiso esse, necessariò concomitatur potentia ad aliam diuisionem: quia cum quolibet diuiso esse stat necessariò vtrumque, ita quòd diuisum est totum, & vtrumque istorum necessariò est continuum, & ita necessariò in potentia ad diuisionem. Contra istud, quando quælibet singularis alicuius vniuersalis possibilis est; & quælibet cuilibet compossibilis: ipsa vniuersalis est possibilis. Possibile est continuum esse diuisum secundùm hoc signum, & sic de singulis. Quælibet etiam singularis est alteri compossibilis: quia compossibile est continuum simul esse diuisum, secundùm quæcunque duo signa; ergo, &c. Ad istud videtur Commentator dicere 1. de Generatione, tractando rationem Democriti, quòd non quæcunque singulares sunt compossibiles, quia facta diuisione in vno signo, prohibetur fieri in alio. Contrà: aut in alio mediato, quòd nihil est, quia continuum intercipitur; aut immediato, sed nullum tale est.

Quod impossibile est factum esse, impossibile est fieri, exponitur Sco. 2. d. 2 q. 9 ad prob. 2. arg. n. 21.

Vide Scotum iam citatum.

21

An continuū diuidi possit secundùm omnia signa?

Ideò aliter dicitur quòd in eadem parte temporis impossibile est duas partes simul esse in fieri, ideò impossibile est omnes partes simul fieri, licèt simul sit potentia vt omnes partes fiant successiuè. Sed sicut possibile est quascunque partes temporis, vt duas, vel tres dici, simul factas esse: ita possibile est, non tantum omnem partem diei, sed omnes factas esse, & hoc simul: licèt non simul fuerint in fieri, nec simul sint primò factæ: in diuisione continui possibile est simul, secundùm quæcunque signa signata, finita tamen continuum diuidi, & simul esse diuisum, sed impossibile est quòd secundùm omnes partes propter rationem suprà dictam. Ad formam ergo argumenti, conceditur quòd vniuersalis est possibilis: hoc continuum diuiditur secundùm quodcunque signum, vel est diuisum secundùm quodlibet sigillatim, sed nec diuiditur, nec diuisum est secundùm omnia simul; hoc non valet: quia si nunc est in *diuidi* secundùm omne signum, est actu sub tot diuisionibus, ad quot fuit in potentia, & ita sub infinitis, & illis diuisionibus terminatis erunt tot diuisa esse, & ita erit omninò diuisum.

22

Ideò aliter ad formam argumenti: quibuslibet singularibus finitis compossibilibus: ergo sunt

sunt etiam aliæ quælibet singulares finitæ compossibiles,& quæcunque singulariter signata compossibilis, cuilibet singulari signatæ: sed tamen cuilibet singulari est alia singularis incompossibilis, sed non hæc determinatè, nec illa, quia cum quacunque diuisione, necesse est stare aliam partem, in qua est diuisio, & ita aliquod signum secundùm quod tunc non sit diuisio; imò cuilibet sunt infinitæ incompossibiles, quia in quacunque parte sunt infinitæ potentiæ ad diuidi, in successiuo semper,dum durat cum actu priore,necessariò est potentia ad posterius; sed tamen omnes potentiæ terminantur, non sic hîc. Ibi etiam pars necessariò determinata, ante determinatam, & nulla cum alia; hîc nullus ordo, quæ diuisio sit ante aliam, & quælibet simul, post quamlibet; licèt tamen & quælibet sit infinita in potentia: quia pars in quam fuit diuisio, vel partes in infinitum, diuisibilis, vel diuisibiles. Saluatur Commentator facta diuisione in vno, prohibetur tunc fieri in alio, non signato, sed indeterminato, sed non prohibetur post diuisionem ibi posse fieri.

Vide Scot.2.d. 2.q.9.nu.23. & seq.

Ad aliud argumentum,1.de Generatione: vbicunque linea est continua, ergo vbicunque est punctus continuans: consequentia non valet, sed sequitur vel punctus,vel pars continuata. Contrà: si non vbique punctus, ergo aut immediatè iuxta punctum, aut mediatè sed non datur primum: nō quia nullum continuum est immediatum puncto dato, quia pars eius propinquior illi puncto,sicut 6.Physic. probatur quòd nulla pars motus est prima. Contra totam responsionem, diuisio non est generatio; ergo non facit aliquid esse actu, quod priùs non fuit actu, licèt non separatim; ergo quot possunt esse actu per diuisionem, & separatim, tot ante diuisionem sunt actu,licèt non separatim, & ita infinita actu in in continuo, & numerus infinitus.

SCHOLIVM VI.

PONITVR *sententia negans infinitum à nobis cognosci posse, & quatuor rationibus suadetur; in cuius fauorem soluuntur argumenta principalia huius sextæ quæst. Refutat singulas rationes adductas pro hac sententia, & fundamentum earum: nēpe quiditatem rei materialis esse obiectum intellectus, improbatum est q.3.nu.6.& 17.vide ipsum 1. d.3.q.2.ad 3.nu.20. & 3.d.14.q.2.num.6.vbi docet infinitum cognosci posse ab intellectu finito alioquin nunquam satiaretur.*

23

Ad tertiam quæstionem dicitur, quòd infinitum non potest intelligi à nobis secundùm intentionem Philosophi in litera, quod patet ratione. Proprium obiectum intellectus nostri est quiditas materialis; ergo nihil est nobis cognoscibile, nisi sub ratione eius, tale non est infinitum. Item, nihil intelligitur à nobis vnica intellectione, nisi quod intelligitur per vnam speciem; infinitum non sic intelligitur, sed multis, vna post vnam; ergo nullo modo. Probatio primæ propositionis; omnes species intelligibiles sunt formæ eiusdem generis: & tales sunt incompossibiles in eodem instanti; huiusmodi ergo plures non possint simul perficere intellectum; ergo, &c. Item, quòd infinitum non potest facere in intellectu vnam speciem, probo: omne agens agit secundùm quòd ens; ergo quod causat vnam speciem, est vnum actu,& tale habet vnam formam: infinitum autem non habet formam, quia formæ est terminare, infinitum non terminatur. Item, oportet virtutem proportionari obiecto; potentia est finita in essendo; & per consequens in operando; ergo & obiectum potentiæ necessariò erit finitum. Confirmatur 1. Cæli & Mundi,t.c.65.& infra,finitum non potest moueri ab infinito, intellectus mouetur ab obiecto.

An ad vnam intellectionē vna requiritur species.

Ad rationem primam, quòd Deus non est cognoscibilis secundùm quòd infinitus,quia cognoscitur per effectus, sed nullus effectus adæquatur ei, nec per consequens repræsentat eum, secundùm quòd infinitus est. Ad aliud, quòd non valet: quia *nihil* signamus, & tamen *nihil* non est intelligibile: vnde diffinire quid dicitur per nomen, possumus de aliquo, quod non potest intelligi simpliciter; non tamen diffinimus aliquid per diffinitionem exprimentem *quid*: nisi quod est simpliciter intelligibile à nobis. Ad aliud, quòd solæ illæ, quarum species possunt in suis singularibus apprehendi per sensum sunt à nobis cognoscibiles. Ad aliud, quòd non est simile: quia locus est terminus corporis, & forma inquantum terminans, corpus quasi materia species habet rationem formæ, & intellectus rationem materiæ: sed si vna forma potest informare duo, pari ratione & infinita, quia terminatio est à parte eius, & per hoc, antecedens est impossibile: sed si materia posset perfici à duabus formis non oppositis, non propter hoc ab infinitis: quia hoc concluderet infinitam capacitatem materiæ illius. Aliter, quòd consequentia Philosophi intelligenda est quando non maioris virtutis est aliquid respectu multorum, quàm paucorum; vel tanta impossibilitas respectu paucorum, quanta respectu plurium: sic est in proposito Philosophi, quia in loco est eadem ratio continentiæ, respectu omnium corporum: non sic ex parte alia.

Ad argumēta quæst.sextæ.

24

Contra illa argumenta de obiecto intellectus, improbatum est priùs q.3. contra primam opinionem. Item, prima pars minoris secundæ rationis improbatur: Omne quod potest esse vnum extremum vnius compositionis apud intellectum, potest esse in intellectu vnica intellectione simplici. Probatio: tantùm illud quod apprehendit intellectus simplici apprehensione, componit cum alio, sed possibile est aliqua duo, quorum duæ species sunt in intellectu, sicut mons aureus, componi cum aliquo tertio; ergo mons aureus est extremum compositionis, & constat quod mons aureus non intelligitur vna specie, cùm nihil sit extra tale vnum, quod speciem suam faciat vnam in sensu, & per consequens nec in intellectu; & tamen mons aureus intelligitur vnica intellectione simplici, vt probatum est. Item, si valet ratio, æquè probat quòd non possumus scire multa simul; quia cuiuslibet sciti in actu, est species in intellectu in actu primo; ergo si impossibile est plures species esse in actu primo in intellectu, sicut probat ratio, impossibile esset scire multa simul: hoc est falsum ex 2. Topic. cap. 25. Minor probatur vt priùs, quia sunt eiusdem generis istæ species. Probatio maioris: considero vnam conclusionem per speciem in actu, & cognosco per possibile, duas alias conclusiones in habitu, si non habeo speciem illlarum duarum in actu; ergo oportet me acquirere speciem ilarum conclusionum, sed

Nu.6.& 17.

Vnitas speciei non requiritur ad vnam intellectionē.

Multa simul possunt sciri.

pono per possibile quòd singulare eius non est extra, quod posset facere speciem eius in sensu, & per consequens nec in intellectu: vel tunc nunquam intelligam illam conclusionem, vel habeo speciem in actu, sicut de prima conclusione, nec ex virtute phantastica potest species illius conclusionis abstrahi, quia ibi non possunt esse simul duæ species per te, sicut nec in intellectu. Contra tertium: finitum potest intelligi per vnam speciem: ergo priuatio eius, quia 7. Metaph. t.c.23. ratio eadem ostendit rem & priuationem. Contra aliud: quæro de proportione, si intelligitur de numerali, nihil est; si perfectionis quòd aliquoties sumptum reddat aliud, non valet; visus enim infinities sumptus, non redderet Solem, quia alterius rationis. Si de proportione finiti ad infinitum secundùm mouens & motum, non valet; si enim aliquid moueretur à finito, potest idem moueri ab infinito, sicut cælum à Deo, quod nunc mouetur ab Angelo.

SCHOLIVM VII.

REFVTAT *solutiones datas num.23 ad argumenta principalia huius sexta quæst. quatenus nituntur defendere infinitum non esse à nobis cognoscibile.*

25 Contra responsionem primi argumenti quòd cognoscere possumus Deum secundùm quòd infinitus, quia secundùm te per effectus; sed aliquis est effectus, cuius Deus causa est secundùm quod infinitus, scilicet creatio. Item, sequitur quòd intelligitur secundùm quòd infinitus à parte finis, quia omne agens per intellectum cognoscit vltimum finem, secundùm quod vult Philos. 2. huius, t.c.8. & 9. de causis finalibus. Ibi enim arguitur quòd si fines sint infiniti, nullum esset agens per intellectum, quia omne tale agens, cognoscit vltimum finem, propter quem agit, sed non est vltimus, nisi secundùm quòd infinitus. Probatio: omni bono finito contingit intelligere maius bonum: si ergo Deus secundùm quòd vltimus finis, non sit bonum infinitum; ergo possumus intelligere maius bonnm Deo, secundùm quòd est vltimus finis, saltem ipse potest, ergo aliquid præter Deum potest esse sibimet finis, ita quòd tale erit in rerum natura, & illud patet per argumentum Anselmi: quod *illud maius est quod est in re: & in intellctu,* &c. Contra aliud: illud est falsum: nullus effectus potest ducere in cognitionem causæ, nisi secundùm quòd adæquatur. Probatio, effectus adæquatur causæ; aut primæ simpliciter, & hoc negas; aut secundæ causæ: aut tunc illa causa causat in virtute sui, & tūc est prima: si in virtute alterius, ergo ab illo altero magis dependet, & effectus arguitiuè per demonstrationem, *quia,* ducit in cognitionem causæ, inquantùm dependet à causa, ergo magis repræsentat primam à qua magis dependet entitas effectus. Consimiliter arguitur suprà in solutione q.3. huius libri.

26 Contra aliud quod dicitur, quòd *nihil* signamus, quia 1. Periherm. cap. 1. sicut literæ notæ sunt vocum, sic voces passionum. Item, non concipio *nihil & aliquid* esse contradictoria, nisi intelligam vtrumque, tamen vnum per aliud. Contra aliud, ista consequentia est bona: *Dico me nihil dicere; ergo dico aliquid.* Similiter *scio me nihil intelligere; ergo aliquid intelligo.* De speciebus generum, quòd possumus intelligere numeros infinitos, si vnitas speciem faceret in virtute phantastica, possent infiniti numeri intelligi per speciem vnius, quia per speciem vnius vnitatis, potest intelligi alia vnitas, sicut Augustinus vult quòd per speciem vnius Solis, possunt intelligi, vel imaginari quotquot volo Soles, & sic infinitas vnitates: & possumus post componere dicendo, hæc nata sunt facere vnum. Contra aliud: si tenet consequentia de corporibus: quia vnum corpus eodem modo repugnat vni in vno loco, & in omnibus; sed hîc eadem causa, quia eadem ratio: quare si species compatitur secum vnam, & infinitas. Item, in intellectu potest esse eadem potestas infinita, quia in materia sunt capacitates ad infinitas formas reales; ergo in intellectu ad infinitas intentionales. Probatio: hæc vnitas est in potentia ad perfectiones infinitas reales, differentes à toto, quia est in potentia, vt sit pars infinitorum numerorum ordinatorum: omnis enim pars in toto, habet perfectionem realem, alioquin totum non esset verè vnum. Sic etiam centrum est in potentia, vt terminet infinitas lineas.

Dico me nihil dicere, ergo aliquid dico.

Species vnius Solis an repræsentat plures?

SCHOLIVM VIII.

RESOLVTIO, *& epilogus totius quæstionis. Tenet primò* infinitum, *siue sumatur pro ratione infinitatis, siue pro substrato,* posse à nobis intelligi. *Secundò ait quòd* infinitas actu non potest esse in magnitudine molis: *quod verū est secundū Philosophum, sed an de potentia absoluta esse possit, non se resoluit Doctor, sed per totam quæstionē videtur esse problematicus; & ad penultimum argumentum expressè dicit quòd* infinitæ species esse possunt simul in intellectu, & in particulari in anima Christi: *licèt oppositum habeat 3. dist. 14. quæst. 2. num. 18. Per quod etiam patet problematicum esse, quia etiam ibi ponit aliam sententiam, vt probabilem. Tertiò,* quòd in essentialiter ordinatis nequit esse infinitas actu, vel potentia; *de quo suprà num. 13. & 14. Quartò,* in accidentaliter ordinatis datur infinitas in potentia, *& etiam secundùm Philos. actu, non simul, sed in accepto esse, vt in tempore, tenendo illud esse ab æterno. Quinto,* infinitas priuatiuè non potest esse in magnitudine continua, vel multitudine: *Loquitur secundùm Philosophum, quia non repugnat à continuo separari punctum terminans, vt habet suprà num. 7. 8. quo casu esset infinitum priuatiuè. Sextò,* indiuisibilia sunt infinita negatiuè. *Septimò, ponit remissiuè de contradictione quomodo intelligitur. Videtur quòd pars negatiua contradictionis cognoscitur per ens, sicut priuatio per suum habitum, vt habetur 7. Metaph. text. 23. vide Doct. 2. d. 1. q. 3. ad auctoritates pro Henr. n. 14. Octauò, soluit argumenta principalia conformiter ad hanc suam resolutionem. Nonò, soluit argumenta allata num. 23. pro sententia negante nos posse intelligere infinitum.*

27 Ad quæstionem secundùm prædicta. Aliud est quærere de ratione infinitatis in se; & aliud de eo quod subest. Sicut aliud est quærere de ente per accidens; & aliud est quærere de eo, quod subest enti per accidens: Philos. enim 6. Metaphysicæ, t.c.4. & 6. probat aliqua de ente per accidens: ex quo sequitur quòd de ente per accidens potest esse scientia: & tamen ibi probat, quòd de ente per accidens non potest esse scientia. Primum intelli

Quomodo de ente per accidens eſt ſcientia?

intelligitur de ratione eius in ſe. Secundum de eo quod ſubeſt, vel cui ineſt, ſic in propoſito. Si quæritur de ratione infinitatis in ſe: dico quòd omni modo poteſt intelligi à nobis, quia impoſſibile eſt intelligere aliquid ineſſe, vel non ineſſe alteri; niſi priùs apprehenderetur intellectu ſimplici: ſed infinitum omni modo dictum poſſumus intelligere alicui ineſſe, vel non ineſſe. Sed qualiter apprehenditur? Sciendum, quòd non per propriam ſpeciem, ſed per ſpeciem ſui habitus, & vnica intellectione. Pro iſto membro vadunt aliquæ rationes ad principale. Sed de eo quod ſubeſt vtrùm poſſit intelligi: Dicendum, quòd infinitas ſic poteſt intelligi ineſſe alicui ſine contradictione, quia infinitas actualis in perfectione, ſicut Deus; ſed in magnitudine molis non poteſt eſſe infinitas in actu: Sed in eſſentialiter ordinatis, non poteſt eſſe nec actu, nec potentia: in accidentaliter ordinatis poteſt in potentia, & ſecundùm Philoſ. in actu, non ſimul, ſed in accepto eſſe, ſicut infinitum in tempore ſi fuit ſine principio. Infinitas priuatiuè non poteſt intelligi in magnitudine continua, nec diſcreta, ſine repugnantia intellectus: infinitas negatiuè poteſt eſſe in indiuiſibilibus. Quicquid ergo poteſt ſubeſſe rationi infinitatis ſine contradictione, poteſt à nobis intelligi ſub ratione infiniti: ſed non eſt intelligendum, nos non poſſe intelligere illud, quod includit contradictionem, quia quomodo tunc intelligemus aliqua eſſe contradictoria, ſed quomodo ſic, vel non: quære in quæſtionibus 4. huius.

Per quam ſpeciem intelligitur infinitum?

An contradictoria intelligi poſſunt? Scot.2. d... q.

Ad auctoritates pro Henr. n. 14.

28

Ad primas duas rationes dicendum, quòd concludunt verum. Vnde Damaſc. in ſententiis c. 4. *hoc poſſumus ſcire de Deo, quòd eſt infinitus, & incomprehenſibilis.* & Auguſt. 84. qq. q. 31. nec ſequitur ex hoc quòd Deus comprehenditur; quia in tali actu, oportet eſſe tantam intenſionem intellectionis in ſe, quanta poteſt eſſe circa tale obiectum, ita quòd cognoſcitur inquantùm infinitus, vel ſecundùm quòd infinitus, & infinitè à parte cognoſcentis. Ad alias rationes, quòd diffinitur infinitum: illa argumenta probant primum membrum, quòd poſſumus cognoſcere rationem infiniti in ſe. Ad aliud quod de ratione infiniti eſt, vel poteſt eſſe, demonſtratio: de re tamen ſubiecta non poteſt eſſe demonſtratio. Ad aliud non ſequitur: ſcio me non intelligere A; ergo intelligo A, non valet: tamē ſequitur, ergo intelligo aliquid. Similiter non valet: ſcio me non intelligere infinitum; ergo intelligo infinitum: ſed ſequitur, ergo intelligo aliquid. Ad aliud quòd ſi duo corpora ſimul: concedo quòd poſſunt eſſe ſimul in actu primo etiam infinitæ ſpecies, quantùm eſt ex parte ſpecierum: ſimiliter & ex parte intellectus, ſicut prætactum fuit ſuprà de vnitate: & illud conceditur quòd potentia paſſiua poteſt ad infinitas perfectiones, ſicut centrum poteſt eſſe terminus infinitarum linearum: tamen nulla potentia paſſiua eſt ad infinitam perfectionem intenſiuè.

Diffinitur infinitum.

Scio me nō intelligere A, ergo intelligo, A, *non valet.*

An poſſunt infinita ſpecies ſimul eſſe in intellectu?

Similiter potentia actiua poteſt eſſe ad infinitos effectus, ſicut Sol ad infinitas herbas, ſi generatio ſit ſemper: non tamen ad effectum infinitum: & tunc poteſt intellectus infinita ſcire in habitu, ſi eſſent qui imprimerent infinitas ſpecies in nobis: ſed intellectus non poteſt infinitas naturaliter acquirere, quia hoc fieret actibus ſuis, quos nec ſimul, nec ſucceſſiuè poteſt habere infinitos, ita quòd omnes tranſierint, ideò nec tot ſpecies habere: tamen anima Chriſti potuit in habitu, ex quo Deus potuit imprimere infinitas ſpecies ſimul. Ad aliud argumentum, quòd per ſpeciem vnitatis poteſt intelligere quaſcunque vnitates: concedo quòd poſſet intelligere quemcunque numerum, in cuius cognitionem poteſt peruenire per replicationem vnitatis; ſed nunquam deuenitur ad numerum infinitum in actu, quia non poteſt infinities replicare vnitates.

Potentia actiua poteſt in infinitos effectus.

Anima Chriſti infinitas ſpecies potuit habere. Sco. 3. d. 14. q. 3. contrarium habet.

29

Ad argumenta poſita num. 23.

Argumenta contra aliam poſitionem concedenda pro parte ſunt. Ad primum tamen dico, quòd maior eſt falſa, quia poſſum aliqua intelligere, quæ non habent ſpeciem vnam. Et minor eſt falſa, quia infinitum poteſt cognoſci per vnam ſpeciem habitus. Ad illud in oppoſitum de proportione, eſt ibi proportio perfectibilis ad perfectionē, & talis proportio poteſt eſſe finiti ad infinitum. Ad auctoritates Philoſophi: quòd infinita multitudine, quæ intelliguntur per diuerſas ſpecies, non poſſunt intelligi à nobis: eſto quòd intellectus haberet infinitas apud ſe, quia non poſſet ſimul elicere operationes infinitas; nec poteſt intelligere vnum poſt aliud, quia non poteſt eam pertranſire: vel ſi ſic, tunc non eſſent infinita. Vnde magis videtur ad intentionem Philoſophi de infinita multitudine, quòd illud non poteſt intelligi; ita quòd hoc poſt hoc. Infinitum enim non contingit pertranſire: ſicut etiam nec hoc poſſet intellectus infinitus; ſed infinitum ſiue in magnitudine, ſiue in multitudine propriè dicta, vel tranſumptiuè: intelligibile eſt, quantùm eſt de ſe, ab intellectu potente ipſum comprehendere, & habere rationem, qua cognoſcatur: vtrumque eſt in Deo: alterum, ſcilicet habere ſpeciem, vel ſpecies infiniti, ſic vel ſic, poſſibile eſt nobis, quantùm ad animam & ſpeciem, ſed non quoad acquiſitionem realem ſpeciei, vel ſpecierum. Reliquum, ſcilicet habere actum circa infinitum in multitudine, non eſt nobis poſſibile, propter defectum intellectus noſtri, quia nec ſimul; nec ſucceſſiuè circa omnia; ſed circa quodcunque acquiſitio poſſibilis eſt: eſt per Deum in viſione eius: & de infinita multitudine potuit imprimere animæ Chriſti ſpecies omnium, quæ Deus nouit etiam poſſibilium. Notandum, quòd infinitum contrariè in magnitudine perfectionis à nobis eſt intelligibile. Infinitum contrariè in multitudine à nobis intelligi, poteſt intelligi duobus modis, vel quòd multitudo infinita intelligatur tanquam vnum obiectum, vel quòd multa infinita intelligantur propriis intellectionibus ſuis. Secundo modo eſt ad intentionem Philoſophi: & certum eſt de actibus intellectionis actu infinitis, ſiue ſimul; quia virtus non ſufficit ad tot actus ſimul habendos, ſiue ſucceſſiuè, & ita loquitur Ariſtoteles habitualiter autem infinita intelligi per ſpecies proprias, non naturaliter acquiſitas, ſed à Deo impreſſas fortè non eſt impoſſibile, quia vbicunque non maior eſt repugnantia plurium quàm paucorum, ibi, ſi duo ſimul, & infinita 4. Phyſic. de corporibus, & vbi eſt aliquid capax vnius formæ alicuius generis, & omnium. Intellectus ergo eſt capax omnium intelligibilium, nec omnes magis repugnant, quàm duæ de aliis membris; ſicut infinitas eſt incompoſſibilis alicui, ita ipſum intelligere ſub infinitate, eſt aliquid intelligere ſub contradictione: ſicut intelligere hominem irrationalem.

Qua proportio finiti ad infinitum?

Intellectus noſter nequit intelligere infinita.

An ſimul intelligere infinita ſit nobis poſſibile?

Infinita intelligi à nobis per ſpecies proprias an repugnat?

Capax vnius formæ alicuius generis, & omnium.

):(

ANNOTATIONES MAVRITII. ad quaest. 4. 5. & 6.

30 SEquuntur 4. 5. & 6. q. quæ sunt dependentes de statu causarum & effectuum & cognoscibilitate infiniti & possibilitate eius, text.c.2.5.& 13. ideò priùs mouentur omnes,& arguitur ad partes, quàm aliqua earum soluatur. Vbi aduerte, quòd secunda earum non habet locum determinatum in textu;sed incidentaliter mouetur:vel quæratur eius fundamentum in litera,t.c.6.& seqq.

Ibi post oppositum 3.q. *Contra quod potest virtus inferior*,&c. vsque illuc: *Hic est notandum in generali*,&c.videtur esse *Extra*.

Consequenter infrà ibi:*infinitũ etiam in actu, est difficile vitare*,&c.vsque illuc:*Infinitum negatiuè*,&c.ponitur ab aliquibus *Extra*,litera tamen tota subtilis & bona,quare legatur.

Quod ibi tangitur de infinitate animarum, vide 1.di.2.q.3. resolutionem optimè:licèt bene hîc soluatur,& singularissimè. Et infrà iterum in hac quæstione.

Quod sequitur de processu in infinitum in speciebus,vide di.44. pri. & 13. di. tertij: sed quære alios ibi,& specialiter Herueũ Britonem Quodli. 1.q.12.& Franc.Ma.di.43.pri. Conflat.& Ocham, atque alios antiquos;& modernos, sed Doctor hîc videtur problematicè loqui: quia materia altioris negocij est vt à princ. notaui. videantur doctores super 3. & 8. Phys. & calculator & alij Sophistæ: nam materia ista multùm intricata est,vide 2.dist. 2.q.9.plura ad propositum.

Præmittit Doctor quandam generalem solutionem, siue præambula & documenta communia ad has 3.q. vel saltem ad duas primas ab illo loco: *Hîc est notandum*, &c. vsque ibi: *per hoc ad primam q*.vbi sententia satis clara est applicando distinctionem quam facit à principio solutionis de infinito resoluto per conclusiones.

Consequenter antequam soluat argumenta principalia secundæ respondet ad primam, vbi sententia Doctoris est clara.

Ibidem, ad finem solutionum principalium, aduerte ad duas instantias,quas non soluit. Solutio primæ patet ex dictis secundùm diuersas opiniones in solutione generali suprà: solutio secundæ patet infrà soluendo argumenta principalia secundæ q.quærantur ibi:& applicentur.

31 Aduerte quod tota illa litera, *pro ampliori solutione istius q*.&c.vsque ibi: *Ad aliud quæsitum*, &c. assignatur *Extra*, vel *Additio* ab aliquibus, sed est notabilis, & ad mentem Doctoris vide 2. di.pri.q.1.& in tractatu de primo principio, & in Theorematibus ea quæ faciunt ad solutionem istam totam;ibi in aliquibus originalibus ponuntur a.b.c, denotando propositiones in illa ratione omnium causarum mediarum, &c. sed non sunt necessaria,ideò &c.

Infrà, antequam soluat argumenta principalia 2.q.omisit duas replicas siue obiectiones, ad quas in forma non respondet ad finem, videlicet additionis prædictæ. Ad quas potest dici faciliter. Ad primam cum arguitur. *Item & in ordine per accidens*, &c. negatur quod infertur, cuius declaratio patet ex his quæ tacta sunt suprà,q.4. & 6. primi. Ad aliud patet ibidem.

Illa litera quæ sequitur: *Ad aliud dictum est suprà*, posset referri ad replicam primam illarum duarum dictarum, vel ad ambas. Sed melius est addere, vt communiter originalia correcta habent: *Ad aliud quæsitum dictum est*, &c. & debet referri ad 2.q.harum trium: eius solutio patet ex his quæ dicta sunt suprà,in generali,de infinito,& sequuntur ad argumenta eius principalia solutionēs,ibi: *Ad primum principale*,&c.

Infrà ibidem assignatur quoddam *Extra* ab aliquibus ab illo loco: *Contrà Commentator dicit*, &c. vsque illuc: *Ad aliud de linea*, &c. litera tamen singularis & subtilis,quare &c. *Num. 19.*

Ibidem parum pòst, ibi: *Dicendum aliter, vbi sequitur quòd nulla diffinitio*, &c. vsque ibi: *Sed quia est linea recta*, illa verba assignantur extra, sed sunt optima,vt 8.dist.pri.q.2.habet iste.

32 Illa litera quæ sequitur infrà,ibi: *Confirmatur secunda responsio ad rationem de animabus*,&c.vsque ibi: *Ad aliud quod illa propositio*,&c. videtur additio, sed benè valeret suprà in solutione generali,vbi ponitur illa responsio secunda post ipsam: hîc verò habet locum quodammodò incidentaliter propter solutionem 4.principalis: sed si placuerit lectori legatur vbi suprà: notabilis enim doctrina,& singularis est.

Infrà in illa responsione. *Ad aliud quod illa propositio quod impossibile*, &c. quod sequitur ibi: *quia cum in quolibet diuisio esse stat*,&c. vsque ibi. *Ad formam ergo argumenti*,&c.assignatur additio vel *Extra*,sed singularis & difficilis. Totum processum illius responsionis vide curiosè 2.di.2.q.9. in solut.2.principalis.

Consequenter infra immediatè ante solutionem 3.q.est notabilis replica,quam non soluit,ibi: *Contra totam responsionem*, &c. posset fieri vis in antecedente an diuisio sit generatio;sed ipso concesso negatur consequentia loquendo de actu subsistendi,licèt non existendi, vel inexistendi,infinitus, aut actualis: negatur de simul subsistentibus, maximè saltem per locum extrinsecum, de hoc infrà magis 8.lib.huius.

An autem intelligitur de partibus secundùm formam, & non secundùm materiam, & an existentia conueniat illis indifferenter,& an vna existentia actualis omnium partium & totius, considera

Responsiones quasdam, quas ibi impugnat de diuisione continui, videlicet Rogerij Bachonis,& aliorum,vide in 2.vbi suprà scilicet dist.2. q.9. vbi quotantur.

33 Consequenter soluendo 3.q.principalem, primò ponit opinionem Thomæ ad q.2.& ad argumenta principalia consequenter, quam quære 1. parte q.12.& 86.& in 3.par.qu.10. & alibi pluries, cuius motiua inducit & impugnat;& consequenter solutiones eius ad argumenta principalia. Deinde opinionem propriam ponit ibi: *Ad q*. &c. Et licèt quidam conetur soluere motiua Doctoris hîc contra Thom.& alibi,si tamen æquus moderator erit, videbit eos littus arasse. Confirmabis igitur & replicabis vbique. Et ad propositum 3. di.pri.& 2.& 14. qu. Quodlibeti,& alibi sæpè hîc videantur,& super 1.Physicor.communiter.

Sententia Doctoris clara est,applicando secundùm multiplicem acceptionem infinitatis conclusiones responsiuas,& in fine, vbi se remittit, quidam li.habent q.4 huius,quidam 8. quidam 9. sed in omnibus illis locis poterit quodammodò reperiri,profundè tamen in 2.di.1.qu.3. & di.6.q.1. & 1. Reportationum di.43. & in Fran. in 1. Confla.d.3. q.11. videbis de intelligibilitate contradictoriorum,

ctoriorum, & impossibilium. Videtur in fine determinare se de impossibilitate infiniti in actu in multitudine: licèt per totum videatur problema, vti supra notaui.

Infra, ibi: *Vnde magis videtur ad intentionem Philosophi*, vsque ad finem q. vel saltem vsque illuc: *Notandum*,&c. assignatur Extra, vel additio ab aliquibus: præclara tamen doctrina est; sed illa littera: *Notandum quòd infinitum contrariè*, &c. vsque ibi inclusiuè *hominem irrationalem*, ponitur variè in originalibus in diuersis locis in solutione, in aliquibus post illam litteram in qu.4. huius, in aliquibus in fine; vt posuimus, sed quomodocunque, littera est optima.

Quod ibi tangitur de intellectione animæ Christi, vide 14. dist. 3. vbi plura ad propositum conuenientia, & similiter 13. di.3. & alibi plerunque apud istum.

LIBER TERTIVS.

ARISTOTELES hoc lib.c.1. multas ponit quæstiones, & capitibus seqq. varias adducit rationes dubitandi, nullas tamen resolutiones ad eas: ideò Doctor hîc non hæret, sed vnicam tantùm quæstionem mouet. Vide ipsum optimè exponentem totius libri textum: in opere expositorio Metaphysicæ.

Impossibile autem prædicari, aut species generis de propriis differentiis, aut genus sine suis speciebus, *tex.com.2.*

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm Genus prædicetur per se de Differentia?

Arist. hîc text.10. & lib.7.text.43. & 4.Top.c.2. D.Thom. *2.Met.lect.8. & 1.contra Gentes c.17.* Ant.Andr.*hîc q.2. & 7. Met.q.15.* Soncin. *7.Met.q.37.* Masius *hîc sect. 2. q.3.* Rub. *q. 7.* Vide Scotum *7. huius q. 17. & 1. post. q.24. & in 4.dist.11.q.3.*

1 QVòd sic: homo per se est rationalis; ergo rationale per se est homo; ergo rationale per se est animal. Probatio primæ consequentiæ, propositio necessaria conuertitur in necessariam; ergo per se in per se. Probatio vltimæ consequentiæ, quia homo per se includit animal. Item, homo per se est animal: homo per se est rationalis; ergo, &c. Probatio consequentiæ: sicut ex præmissis necessariis conclusio necessaria: sic ex per se, per se. Item 7.huius, tex.com.43. quando aliquid prædicatur de aliquo per se primo modo, vnum prædicatur de alio in abstracto: istæ ergo sunt veræ, *Humanitas est rationalitas*; *Humanitas est animalitas*; ergo sequitur, rationalitas est animalitas: & tunc concretum est de concreto per se primo modo. Item in consequentia essentiali, prædicatum est de intellectu subiecti, sed 5. huius dicitur cap. de Elemento, tex.co.4. quòd cui inest differentia, & genus, &c. Item, si per accidens de differentia, & de specie. Probatio; quia quando aliquid prædicatur de aliquo per accidens, prædicatur de quolibet per accidens; quod intelligitur sub ratione illius, sicut sub ratione formali: sed species intelligitur sub differentia formaliter; ergo, &c.

SCHOLIVM.

GENVS *non prædicari per se de Differentia, alioquin diffiniendo hominem, esset nugatio, vel esset bis animal. Circa solutionem ad tertium de prædicatione abstractorum; de abstractis, vide Scot. 1.d.5.q.1. & ibi Leuchetum, & Tataretum, & Antonium Andream hîc quæst.2. & Bargium, & alios Scotistas d.d.5.q.1.*

2 Contrà: si sic, tunc vnum animal esset multa animalia: quia si genus esset in intellectu differentiæ, & animal ponitur in diffinitione cum differentia: tunc aut idem animal importaretur per genus & differentiam, & tunc nugatio erit, quia pone rationem animalis pro animali, tunc animal est substantia animata sensibilis, & rationem rationalis pro rationali; & patebit nugatio. Si sit aliud animal, tunc homo erit duo animalia. Ad illud respondet Auicen.5. Metaphys. c.3. licèt genus & differentia prædicentur de toto per se, non tamen significant totum per se: sed genus materiale, differentia formale; sed vtrumque significat partem speciei per modum totius: & sicut materiale est extra formale, sic conceptus generis est extra rationem differentiæ.

Ad primum, quòd prima conuersio non valet, sed est fallacia Consequentis: quia superius non habet causam quare inferius sibi insit. In subiecto enim potest esse causa inhærentiæ prædicati, licèt in prædicato non sit causa, quare subiectum sibi insit. Ad probationem, quòd consequentia non valet: quia antecedens non potest esse verum necessariò, nisi & consequens: quia alioquin posset esse verum sine illo: tamen antecedens potest habere causam quare prædicatum, vel consequens sibi insit, licèt non ècontra. Alioquin vniuersalis affirmatiua conuerteretur simpliciter, quia *per se* præsupponit *de omni*. Consimiliter ad secundum, non potest ex necessariis sequi nisi necessarium, alioquin præmissæ possent esse veræ sine conclusione; sed ex *per se* potest sequi per accidens, cùm tamen illud sit necessarium. Contrà 1. Poster.text.com.15. & 35. si per accidens, non necessarium. Respondetur, id verum est de accidentibus comparatis ad subiecta; de talibus loquitur, quia loquitur de conclusione demonstrationis. Contrà: probat ibi demonstrationem esse ex *per se*; ergo loquitur de præmissis primis.

Quare prædicatio per se non conuertitur?

Necessarium semper sequitur ex necessario, sed per accidens aliquando ex per se.

Ad aliud, quòd præmissæ sunt falsæ, scilicet *Humanitas est animalitas*, & alia similiter. Ad probatio

bationem, quòd abstractio duplex: & concretio duplex, ad subiectum, & ad suppositum. Primo modo, quando aliquid denominat aliquid extra essentiam suam. Concretio ad suppositum, est quando aliquid significat per modum denominantis aliquid propriæ naturæ: sicut hæc albedo est albedo. Sic est de duplici abstractione. Ad formam, verum est de concretis & abstractis primo modo: & ratio est: quia in prædicatione in primo modo, est prædicatio ratione quiditatis, si prædicatum est intra quiditatem subiecti; ergo præciso quocunque adhuc est de intellectu subiecti: sed si sit concretum ad subiectum, subiectum est extrà. In secunda autem concretione, prædicatum non est idem subiecto, nisi quia significat per modum totius, iste modus aufertur in abstracto. Vnde dico, quòd hîc non est idem prædicatum subiecto, nisi propter suppositum quod ab vtroque denominatur, quia prædicatum dicit formam, non suppositum. Ad aliud, quòd consequens non semper est de intellectu subiecti, vel antecedentis; licèt in consequentia essentiali. Aliter dicitur, quòd dicit Philosophus; cui inest differentia sequitur genus: & illud est species, cui inest differentia, & indiuiduum, & de indiuiduo & specie prædicatur genus per se: non tamen sequitur differentiam per se. Ad aliud, nego consequentiam. Ad probationem, quòd verum est, si illud quod est ratio intelligendi facit cum alio vnum per accidens, non si faciat vnum per se, sicut differentia cum specie, &c.

3

Duplex abstractio, & concretio. Scot. 1. d. 5. q. 1.

): (

ANNOTATIO MAVRITII.

CIrca vnicam quæstionem tertj libri de prædicatione & modo prædicandi generum de differentia, tex. c. 10. aduertendum quòd sententia Doctoris ibi clara est, & non occurrunt correctiones in littera. Vbi tamen scire debes, quòd aliæ duæ quæstiunculæ quas Ant. Andr. mouet hîc. de immobilibus, videlicet, & de instanti sunt dubia litteralia, maximè illa de instanti, quam habet Doctor in 2. di. 2. qu. 2. incidentaliter: aliam verò collegit hinc inde, vt patet.

Infrà, soluendo 2. principale, est quædam replica, quam non soluit ibi: *Contra probat ibi demonstrationem*, &c. Ad quam potest dici, quòd dato assumpto & illato, ita quòd nedum loquitur de conclusione, sed etiam de præmissis per se, non tamen sequitur quòd propositio non per se, sit non necessaria, immò est consequens cùm necessarium sit in plus, vt patet 1. Poster. loquitur ergo ibi de *per accidens* propriè, cuius assignat tres modos, t. com. 35. non autem de *per accidens* transumptiuè, quod est extraneum 1. Elenchorum, & alibi sæpè.

Quod ibi tangitur de duplici abstractione & concretione, posset habere instantias ex dictis eius super Porphyrio. q. 1. vtrùm genus verè prædicetur de specie infinitatis: sed super illo loco copiosè hæc tractaui: quære. Similiter 5. dist. pri. q. 1. & alibi patet de gradibus abstractionum, vbi idem notaui. Quære Io. Iandunum hîc, & vide Nominales, & alios antiquos, & infrà in 7. huius plura ad hæc notanda habentur, & super 1. Posteriorum.

LIBER QVARTVS.

IN hoc libro agit Philosophus de subiecto Metaphysicæ eiúsque partibus, effectibus, & principiis: de quibus optimè tractat Doctor in expositione textus & in quatuor quæstionibus hîc adiunctis.

Ens autem multis modis dicitur, sed ad vnum, & ad vnam aliquam naturam, & non æquiuocè, &c. *tex. comm, 2.*

QVÆSTIO I.

Vtrùm ens dicatur vniuocè de omnibus?

Arist. *hîc tex* 2. *&* 7. Auicen. 1. *Met. c.* 2. *&* 5. D. Thom. 1. *p. q.* 13. *art.* 5. *&* 7. Caiet. *de Analogia nomin. c.* 4 *&* 6. Ferrar. 1. *cont. Gent. c.* 34. Capriol. *in* 1. *dist.* 2. *q.* 1. Soto in Prædicam. *c.* 4. *q.* 1. Fons. 4. *Met. c.* 2. *q* 3. *per totum.* Suar. *disp.* 2. *Met. sect.* 1. *& sequent.* Vide Scotum *in* 1 *dist.* 3. *q.* 1. *&* 3. *& dist.* 8. *q.* 2. *& in* 2. *dist.* 3. *q.* 1.

1

QVòd sic: in æquiuocis non est contradictio, in Elenchis; ens & non ens, contradicunt. Minor probatur; Philos. 1. Physicor. text. com. 26. contra Parmenidem, reducit eum ad hoc inconueniens, quòd non ens sit ens. Dicitur quòd hoc facit ex concesso, quòd omnia sunt vnum. Contrà: ibi dicit Philos. t. c. 13. quòd principiũ cõtra eos est, accipere quòd ens dicitur multipliciter: sed si ipsi intenderent quòd ens diceretur simpliciter, tunc peteret Philos. supponendo contra eos oppositum dicti ipsorum non probatum, scilicet quòd ens dicitur multipliciter. Item, quòd ibi sit contradictio simpliciter probatur; hîc est contradictio, *Aliquid est & nihil est*, sed *aliquid* non est minùs commune quàm *ens*. Auicen. 1. Meta. c. 5. *ens & aliquid sunt nomina multipliciter dicta.* Si dicas quòd non est hîc contradictio, tunc nunquam erit contradictio, *aliquis & nullus*; quia *aliquis* non potest habere conceptum communiorem quàm *aliquid*. Item, nullum æquiuocum potest determinari per aliquid additum ad determinatum significatum: ens potest. Probatio maioris: Omne æquiuocum importat actu quodlibet significatum: omne determinabile est indifferens ad hoc, & illud. Probatio minoris. Aliter sic; dicere, *ens album*: non esset maior contradictio quàm dicere *ens* absolutè sine aliquo addito. Item, sequitur *hoc est substantia*; *ergo ens.* Antecedens non potest esse verum

verum sine consequente; in æquiuocis non est consequentia, quia non habent opposita.

Item, ens prædicatur de omnibus, de quibus prædicatur, secundùm vnam rationem prædicandi, quia in *quid*; ergo prædicatur secundùm vnum intellectum abstractum. Confirmatur, quia sicut passio vna realis requirit subiectum vnum secundùm rem, ita videtur quòd passio vna rationis requirat vnum subiectum secundùm rationem: hoc est, quòd sit vnum intelligibile vno conceptu. Quomodo enim vna passio rationis aliquibus multis inerit per se, nisi insit alicui primò, quod sit commune omnibus illis, sicut arguitur de passione reali? Item, actus & potentia sunt differentiæ entis; ergo potentia non est magis vniuoca, quàm ens: sed potentia dicitur vniuocè, quia impossibile & possibile contradicunt, & possibile sequitur ad necesse esse, sed nec consequentia nec contradictio est in æquiuocis. Item, 7. Phys. tex. com. 24. comparatio non est in æquiuocis: sed secundùm ens, est comparatio. Probatio minoris: tum quia substantia est magis ens accidente, & vnum accidens alio: tum quia 2. huius, tex. com. 4. *vnumquodque est magis tale, quod est ratio aliis vt talia dicantur*, ideò principia sempiternorum maximè sunt vera, quia aliis sunt causa veritatis: sed sicut ad esse, sic ad verum; ergo si comparantur in veritate, comparabilia sunt in entitate. Item, diuisum est vnius rationis in diuidentibus: ens diuiditur in alia; ergo, &c. Item, si ens intelligitur absolutum, vel comparatum, addere ens cum inferiori est nugatio, vel improprietas sermonis. Item 3. huius, ens non est genus, quia est de intellectu cuiuslibet: sed si esset æquiuocum secundùm vnum significatum, esset idem cum substantia, & extra intellectum accidentis. Item 4. huius, tex. com. 10. *est scientia vna, quæ speculatur ens*, & scientia vna est circa vniuocum subiectum: cuius probatio est 1. Poster. tex. com. 1. In æquiuocis non cadit demonstratio, de subiecto sunt demonstrationes, in eodem, t. com. 25. Item, de subiecto oportet præsupponere, vel præcognoscere *quid est*; t. com. 22. æquiuocum non habet *quid*. Item 4. huius, text. com. 8. & 9. firmissimum omnium principiorum est, quòd impossibile est idem simul esse & non esse: principium notissimum habet terminos notissimos, *quia principia cognoscimus inquantùm terminos cognoscimus*: sed termini æquiuoci non sunt notissimi. Confirmatur: omnia principia, quæ sunt communes conceptiones, sunt de terminis transcendentibus: omnes illi erunt æquiuoci si ens est æquiuocum, & ita omnes communes conceptiones erunt dubiæ.

3 Contrà: Porphyrius, cap. de specie, *si quis omnia entia vocet, æquiuocè*, inquit, *& non vniuocè nuncupabit.* Confirmatur: quia nihil vnum prædicatur de omnibus propter infinitatem rerum. Respondeo: sicut æquiuocatio dicitur apud realem Philosophum, magis adhuc quàm in genere, de cuius æquiuocatione dicitur 7. Physic. tex. com. 31. Contrà: Logicus fuit. Respondeo, dicuntur multa in Logica non Logicè: sicut 2. huius, tex. com. 12. in omni re mota est materia, hoc pertinet ad Physicum; non ad Metaphysicum. Item, in Prædicamentis, *singulum incomplexorum, aut significat substantiam, aut quantitatem*, &c. sed si esset vnus conceptus communis omnibus entibus: non esset illud dictum verum, quia incomplexum significans illum, non significaret substantiam, nec alia. Respondeo, singulum incomplexorum significantium rem alicuius Prædicamenti: quia ibi intendit diuidere incomplexum in Prædicamenta, sed non incomplexorum significantium aliquod trãscendens. Item 1. Physic. tex. comm. 13. *ens dicitur multipliciter*, idem dicitur 4. huius, tex. com. 2. Ad omnes auctoritates de *multipliciter*, dicendum quòd ideò est, quia non æquè primò de omnibus dicitur: sed tamen non æquiuocè secundùm Logicum: ita quòd non sit vnus conceptus. Item 4. huius, tex. com. 4. existunt in genere habentia statim ens & vnum. Ad illud statim responsio, quòd ideò Philosophus dicit quòd ens statim est quid, quale, &c. quia sunt immediatè partes entis: ita quòd non descendit ens in alias partes priusquam in istas, sicut substantia priùs descendit in alia, quàm in rationale & in irrationale: vnde illud statim non ponit æquiuocationem: hoc dicit Auic. 1. Meta. cap. 2. d. Aliter potest dici, quòd ideò ens statim est substantia, qualitas, &c. quia per nullum additum descendit in hæc.

4 Additio. *Ad quæstionem istam de vniuocatione conceptus entis, dicitur quòd quæstio est de significato nominis, quod est ad placitum, ideò non potest per rationem terminari, sed tantùm per auctoritatem, vel per vsum: quia loquendum est vt plures ex 2. Topic. cap. 11. Sed contra: quæstio est, vtrum possit esse vnus conceptus communis decem Generibus, quocunque nomine significetur, siue per ens, siue per aliud nomen: posse autem esse talem conceptum, vel non, potest argui ratione. Ad illud verò quod dicitur quòd significatum est ad placitum. Respondetur quòd ad placitum est huic conceptui hoc nomen imponere, vel illud, & idem nomen multis æquiuocè; vel vnitantùm, est ad placitum, sed non est ad placitum quis conceptus possit haberi communior isto, vel non: immò hoc dependet ex natura rei. Similiter ei quod non potest quis concipere, non est ad placitum quod illi nomen imponat; ergo si non potest concipere aliquid commune decem generalissimis, non est ad placitum imponentis quòd aliquod nomen significet aliquod commune decem Generibus, quia illud non concipit.*

SCHOLIVM I.

SENTENTIA *Auicennæ ens esse vniuocum, & dicere vnum conceptum communem omnibus, de quibus dicitur; quam fusè probat auctoritatibus, & rationibus, quámque resolutiuè tenet in Theologia 1. di. 3. q. 3. num. 7. & q. 2. à num. 5. & d. 8. quæst. 3. à num. 11. & q. 1. de Anima, vbi in commentario plura de hoc dixi à num. 9.*

5 In ista quæstione videtur opinio Auicennæ 1. Metaph. suæ c. 2. d. & c. 5. a. quòd ens dicitur per vnam rationem de omnibus, de quibus dicitur, sed non æquè primò, quia quædam sunt quasi genera, siue species entis: quædam verò vt passiones, &c. Ad hoc est ratio illa, quæ prima sunt ad intelligendum, sunt communissima, quia semper communius priùs intelligitur, & non est processus in infinitum in intelligibilibus: ergo illud quod est primum intelligibile simpliciter, est communissimum simpliciter. Sed nullum est tale nisi ens: quia nullum decem Generum, est communissimũ simpliciter, quia nullum prædicatur de alio genere; ens ergo potest habere vnum conceptum communem. Confirmatur hæc ratio: quod primò occurrit, debet esse confusum respectu cuiuslibet, vel cuiuscunque secundò occurrentis, quando est

Ens habere vnum conceptum communem

processus

processus à confuso ad determinatum : sed nullum genus est confusum respectu alterius generis occurrentis secundò,ergo,&c. Similiter sicut accidentia per se sentiuntur,ita primò vniuersalissima ipsorum, possunt intelligi, sed illud quod est simpliciter primum est tantùm vnum; ergo illud non potest esse aliquod genus,cùm contingat primò occurrere aliud genus, & non substantiam. Item,vnius potétiæ est vnum primum obiectum, quia potentia mouetur ab obiecto secundùm formam obiecti, & nisi habeat vnam formam non mouebit, & si intellectus non intelligit vnum,nihil intelligit,4.huius,tex.com.10.sed primum obiectum intellectus est ens, vt commune omnibus. Probatio: illud est primum obiectum potentiæ cognitiuæ, sub cuius ratione intelliguntur omnia alia ab illa,sicut patet de obiecto visus:sed nec ratio substantiæ, nec accidentis reperitur in omnibus intelligibilibus.

6 Dices quòd Deus est primum obiectum intellectus sui:non tamen includitur in omnibus, quæ possunt ab ipso intelligi. Contrà: si sufficeret quòd obiectum primum potentiæ esset aliquod primum, ad quod omnia alia attribuuntur, sicut dicit dicta responsio; ergo Deus esset simpliciter primum obiectum intellectus, quod non videtur esse verum. Item, patet quòd potentia receptiua alicuius formæ, ad quam aliæ attribuuntur, non est receptiua illarum aliarum; sicut de materia comparata ad formam substantialem, vel accidentalem. Item,substantia fortè & Deus non cognoscuntur per propriam speciem: quomodo ergo perfectius cognoscuntur accidente? primum autem obiectum perfectissimè cognoscitur, &c. Item,aliter patet; experimur in nobis ipsis, quòd possumus concipere ens, non concipiendo hoc ens in se, vel in alio, quia dubitatio est quando concipimus ens,vtrùm sit ens in se,vel in alio,sicut patet de lumine,vtrùm sit forma substantialis per se subsistens, vel accidentalis existens in alio, sicut forma: ergo primò aliquid indifferens concipimus ad vtrumque illorum, & vtrumque illorum postea inuenimus ita primò, quòd in isto saluatur primus conceptus quod sit ens.

Additio. *Notandum, quòd illud argumentum de obiecto intellectus, concludit quòd ens per se includitur in quocunque per se intelligibili: quantumcũque enim alicui esset idem, si non per se clauderetur in eius intellectu, perinde esset quantùm ad rationem formalem obiectiuam, ac si accideret sibi. Sed quando obiectum potentiæ per se accidit alicui, illud tantum per accidens est cognoscibile; ergo, &c. Tamen iste processus habet instantiam in sensibilibus communibus, quæ non sunt sensibilia per accidens: tunc etiam non tantùm deberet esse vnus conceptus communis decem Generibus, sed etiam Generi & Differentiæ, &* Vni *&* Vero, *& sic nugatio & processus in infinitum.*

7 EXTRA. *An ens clauditur in omnibus?*

Notandum, quòd si sermo est de re, ens cuilibet est idem essentialiter, si autem de conceptu, intra quemlibet clauditur: vbi concipitur aliquid: vt quid in se, puta rationalitas & vnitas, &c. Quando autem concipiuntur per modum denominantis, non clauditur intra per se intellectum ipsorum, sed tantùm concipiuntur vt informatiua entis. Nugationem & processum in infinitum sic vito, concedendo hìc nugationem, ens animal, *& hìc,* ens rationalitas, *&* ens vnitas: *nisi intelligatur specificatiua constructio sic;* ens quod est animal, &c. *nec est tunc inutilis repetitio. Sed nunquam in diffinitione fit coniunctio Generis & Differentiæ in abstracto; vnde non clauditur ibi idem bis; & tamen ipsa Differentia per identitatem est essentialiter ens, licèt non formali prædicatione, nec per se primo modo, sed magis per accidens, sicut hìc,* sapientia est potentia Dei. *Sed si arguas de processu in infinitum sic; Animal & rationale essentialiter in entitate conueniunt, & non sunt idem; ergo differunt aliquo, & illud alio, & sic in infinitum. Hìc dico, quòd se totis conueniunt, & se totis differunt, quia ens non dicit partem perfectionis ipsorum, sed totam: sicut indiuidua se totis conueniunt & differunt, quia species dicit totũ esse indiuiduorum: sic ergo illa responsio, quæ negat illud quod cõmune vnum in multis distinguitur in illis aliquo alio à se, vitat processum in infinitũ ex parte rerum. Illa autem quæ ponit ens non claudi in quolibet conceptu per se, vitat nugationem, vbicunque denominatiuũ additur enti, & prædicationem per se, vbicunque illud subiicitur enti, & hanc saluat esse per se secundo modo,* ens est vnum, *& tamen quantùm ad realitatem, tam ista prædicatio est per accidens,* vnum est ens; *quàm ista,* ens est vnum, *identica est. Tunc ad istud argumentum contra istam opinionem, illud additum est ens. Dico quòd sic per identitatem: non tamen formali prædicatione per se.*

Genus & differentia in abstracto non coniungũtur.

Genus & differentia se totis differunt.

Vnum est ens, an prædicatio per accidens?

8 *Ens vniuocum create & increato.*

Nota etiam, quòd illa argumenta concludunt, quòd ens sit commune ad ens creatum & increatum, quia constat certum esse de Sole quòd sit ens, dubitare autem an sit Deus, & hoc benè confirmatur per illud 2. Meta. tex.com.4. Principia sempiternorum sunt verissima. *Vbi videtur velle verum esse vniuocum principiis sempiternorum & principiatis. Alioquin quid valet illud secundùm quòd aliis inest vniuocatio? Tunc dicitur quòd ens, & omnia consequentia ipsum, inquantùm ens, vt bonum, verum, &c. ex se sunt indifferentia ad limitatum, vel illimitatum, & vltrà sub limitato ad substantiam & accidens, & vltrà, cùm omnis res cuiuslibet Prædicamenti necessariò sit limitata, impossibile est aliquod transcendens formaliter esse speciem alicuius generis; ita quòd non denominat opposita, sic quòd ipsa sunt species generum: sed omnino in nullo genere sunt.*

Item 3. huius, tex.com.10. Ens non potest esse genus, quia est de per se in intellectu cuiuslibet: sed si aliquo modo æquiuocè diceretur, posset secundùm vnum significatum esse extra intellectum alicuius. Accipiendo enim ens, vt significat substantiam,ita est extra intellectum differentiæ,sicut substantia,& sic de quolibet alio significato. Item, omnia numerata conueniunt in aliquo communi:substantia & quantitas sunt diuersa entia, quia idem & diuersum condiuidunt totum ens; ergo sunt duo entia; igitur ens est vnus conceptus communis eis. Item, aliàs non conuenientiùs diuideretur ens in substantiam & accidens,quàm in ens quando, & in ens non quando, quia nec accidens posset significare aliquid commune nouem Generibus magis quàm ens decem Generibus, & ita prima diuisio entis non esset in duo,sed in decem.

Si ens non esset vniuocum non diuideretur prius in duo, quàm in decem.

SCHOLIVM II.

ADDVCIT, *& soluit septem fortissima argumenta contra vniuocationem entis, quoad decem Prædicamenta, saluans ens non esse genus (sustinendo quòd non sit vniocum generi, & differentiæ,* quia

quia non imbibitur in hac formaliter, vt habet ipse 1. d.3. qu.3. num.6.7.) neque dari nugationem in diffinitionibus;lege attentè quia rationes sunt optime,& solutiones singulare:.

9

Contrà: tunc ens esset genus. Probatio consequẽtiæ;quod propriè prædicatur de multis,prædicatur de eis secundùm rationem alicuius vniuersalis de numero 5. vniuersalium; sed ens per te est huiusmodi; ergo prædicatur secundùm rationem vniuersalis: non Differentiæ, quia non prædicatur in quale; nec Proprij, nec Accidentis, quia sunt extra essentiam illius, de quo prædicantur; ergo vt Genus. Ad hoc responsio. Porphyrius ordinat librum suum ad Prædicamenta Aristotelis sicut dicit in proœmio: loquitur ergo de illis vniuersalibus, quæ aliquo modo inueniuntur in ordine Prædicamenti. Præter illud potest poni vniuersale transcendens, quod ad nullum Prædicamentum pertinet: & duo vniuersalia transcendentia, vnum autem dicitur in *quid* scilicet ens, & aliud dicitur in *quale* scilicet vnum, &c. Aliter potest dici, quòd quantùm ad diuisionem Porphyrij, fortè *ens* est Genus, & *vnum*, Proprium, sed non quantùm ad hoc quod est dicere partem Speciei, ita quòd determinetur per Differentiam. Aliter, quòd comparando ad inferius potest ens habere rationem speciei specialissimæ, sicut dicit secunda responsio post illud, *ista ratio*, *&c*. Item arguitur sic: Tunc genera prima sunt species: nam omne illud quod habet in suo per se intellectu aliquid materiale, & aliquid formale, potest propriè diffiniri per aliqua duo expressiua illius conceptus: sed omne primum genus est huiusmodi, quia habet in se conceptum entis, & aliquid formale, determinans illud commune ad hoc genus; ergo est diffinibile per commune, & illud formale additum. Ista ratio non probat quin ens sit vniuocum decem Generibus: sed tantùm quòd non sit vniuocum Generi & Differentiæ, & hoc potest concedi, licèt non primum. Aliter dici potest, quòd sicut indiuidua duo se totis numero differunt, & se totis sunt vnum in specie, nec est aliquid reale in altero, nisi natura speciei: sic hîc de generibus sub ente. Vnde prima propositio potest negari de omni vno communi, quod dicit totum illud, quod inferius:vera est autem tantùm de alio communi, quod dicit partem inferioris:tunc enim determinatur per aliquid quod dicit aliam partem. Ens autem dicit totum quod substantia, & quod homo: quia quicquid est ibi, est per se ens primo modo.

Arguitur ens esse genus, si est vniuocum.

Si ens est vniuocum, genera videtur esse species.

10 *Modi entis an includant ens?*

Item arguitur sic; omne vnum in se, si distinguitur in diuersis, distinguitur per alia addita sibi:conceptus entis est vnus de se, in omnibus Generibus, quæro de addito A aut est ens, & sic ens erit de intellectu eius scilicet A: quia ens prædicat substantiam cuiuslibet entis 4. huius,text.com. 3. & 4. ergo A, substantia est ens; & sic nugatio. Si sit non ens, tunc omne genus generalissimum est formaliter non ens, quia illud formale est non ens, & omnes species formaliter non ens. Ad istud argumentum sunt quatuor responsiones. Prima, concludit argumentum quòd ens non sit commune Generi & Differentiæ. Secunda, quòd commune est per identitatem, sed non quòd formaliter claudatur in conceptu vtriusque, sicut est commune *vni & bono*. Tertia, quòd commune est formaliter & essentialiter cuicunque naturæ conceptæ, vt est aliquid in se, non tamen conceptæ, vt denominat aliud, est formaliter commune; sed tantum per identitatem. Quarta, quòd est commune cuicunque quocunque modo concepto, & hoc tam formaliter, quàm per identitatem, sed est tale commune quod descendit in inferius per nihil additum: sed dicit totum illud quod dicit inferius. Prima responsio habet dicere quòd ens æquiuocè dictum dicitur formaliter de Differentia, & tunc argumenta pro prima opinione videntur contra hoc. Vel si dicat quòd nihil est commune Differentiæ, nec formaliter, nec per identitatem; dicit quòd Differentia diceret realiter aliud ab ente secundum quamcunque significationem. Secunda responsio, quamuis hoc euadat, tamen quare formaliter clauditur in vno ente, & non in alio? Tertia responsio vitat hoc: sed quare in conceptu istius entis: quando scilicet concipitur vt denominatiuum, non clauditur formaliter ens, non dicit. Quarta responsio, nullo modo cauet nugationem: quandocunque aliquid additur enti, vel aliquid alteri, quia in vtroque clauditur formaliter idem conceptus entis, cauet tamen processum in infinitum, quia non per aliquid aliud additum descendit. Tertia responsio videtur probabilis: quia ex quo conceptus entis est absolutus, non est inconueniens quòd claudatur in aliquo quod concipitur tanquam absolutum in se, non autem vt concipitur, vt denominatiuum alterius: sicut in albedine includitur formaliter color,non tamen in albo. Vnde non est nugatio *color albus*: & si iungatur isti quarta responsio, quòd respectu istorum, quibus est formaliter commune, est tale commune quod non descendit per additum, vitatur nugatio, & processus in infinitum: primam nota. Nec contra istam est aliquod argumentum pro prima opinione, sufficit enim quòd primum intelligibile quo ad primum argumentum; & proprium obiectum intellectus quoad secundum; sit aliquid commune formaliter cuilibet concepto absolutè: & commune per identitatem cuicunque quocunque modo concepto: & quoad tertium, quòd certus sit aliquis de quocunque, quomodocunque concipiat, quod illud per identitatem sit ens, licèt nesciat in particulari quod ens, nec quomodo: an scilicet formaliter claudatur in ipso, vt sic concipitur, an non. Hæc etiam communitas tam formalis, quàm identica, satis prohibet ens esse genus: sufficit etiam communitas identica ad hoc, quòd illa, quibus sit commune propriè, numerentur:quia numerus magis ratione essentiarum quàm modorum concipiendi: essentiis autem vno modo conceptis,est ens commune formaliter.

4. Solutiones ad arg.

Impugnat responsiones datas.

Ens non dici de omni eo quod concipitur,vt denominatiuum, vt est differentia.

11

Item, arguitur quòd nunquam esset diffinitio sine nugatione, hoc est inconueniens ex 7. huius text. comm.43. Similiter hîc esset nugatio, *homo albus*: quia ens secundùm eandem rationem est de per se intellectu vtriusque. Hoc non valet: quia nec hîc est nugatio, *homo humanus*: nec ens quod est commune decem Generibus, per se includitur in albo. Vnde hîc fortè esset nugatio, *homo albedo*. Item arguitur 5.huius,t.non habente Comm. *Differentia sunt quæ sunt diuersa aliquid idem entia*. Si ergo prima Genera aliquid dictum haberent de eis vniuocè, essent differentia, & non diuersa:& tunc nulla essent diuersa,nisi quæ differentia, quia superiora decem Generibus,non sunt diuersa nec contenta sub illis. Respondeo: duæ diffe

An ens includitur in albo?

Si ens clauderetur in omnibus an aliqua essent diuersa?

differentiæ oppositæ essent diuersæ, & duo indiuidua speciei specialissimæ. Item arguitur sic: Tunc non esset negatiua immediata, quando negatur vnum generalissimum ab alio; consequens est falsum 1. Poster. tex.com.31. Probatio consequentiæ, quia extrema essent in aliquo toto, quod non debet esse quando negatiua est immediata. Respondeo: non sunt in aliquo toto, quod potest esse medium remouendi vnum ab alio, sicut nec duo indiuidua. Item, arguitur sic: omnia entia attribuuntur ad substantiam, inquantùm entia: sed attributo secundùm quòd attribuitur, & ei cui attribuitur, non est aliquid commune vniuocum, quia prædicatum vniuocum prædicatur in *quid*, prædicatur ergo de eo secundùm se, non secundùm hoc quòd attribuitur alteri. Respondeo: maior sic intelligitur, id est, secundùm entitatem suam, quia entia secundùm se tota, attribuuntur ad substantiam, vt ad primum, sed non inquantùm entia, id est, inquantùm ens prædicatur de ipsis: ita enim in *quid* per se prædicatur de qualitate, sicut de substantia, & sic vera est illa propositio. Exemplum de speciebus numerorum; vnde sunt entia per substantiam effectiuè & non formaliter: & cum hoc stat vniuocatio.

Attributo & ei cui attribuitur ens est commune.

SCHOLIVM III.

VIDETVR *tenere ens non esse vniuocum, sed analogum decem Generibus; Mauritius tamen hìc notat eum esse problematicum, sed videtur hanc sententiam præferre, quandoquidem vltimo loco eam ponat, sed vltimum argumentum pro prima sententia Auicennæ positum nu.6. quod est præcipuum fundamentum pro vniuocatione entis, & est de neutralitate conceptus eius, cũ certitudine conceptuum inferiorum entium, non soluit, quod signum esse videtur, quòd secundam sententiam de analogia, quæ est Auerrois non prætulerit, de quo quidquid sit; vniuocationem entis ad creatum & increatum, & decem Genera, tenet in Theologia locis citatis in 1. Schol. & hoc secundùm ipsum tenendum est, esto hìc teneret oppositum. Adde quòd potiùs hìc inclinat in sententiam Auicennæ, vt patet ex vltimis verbis huius quæstionis, quibus tandem, post longam disputationem, tenet conceptum entis esse vnum, vt præscindit à modis per se, & non per se, qui sunt determinatiui, & nihil determinabilis, vt loquitur Doctor, id est, ipsius entis vt sic. Vide Ant. Andr. hìc q. 1. qui clariùs tractat multa ex his, quæ Doctor hìc tangit,*

12

Ad quæstionem, concedo quòd ens non dicatur vniuocè de omnibus entibus: non tamen æquiuocè: quia æquiuocè dicitur aliquid de multis, quando illa, de quibus dicitur non habent attributionem adinuicem, sed quando attribuuntur, tunc analogicè. Quia ergo non habet conceptum vnum, ideò significat omnia essentialiter secundùm propriam rationem, & simpliciter æquiuocè secundùm Logicum: quia autem illa quæ significantur inter se essentialiter attribuuntur, ideò analogicè secundùm Metaphysicum realem.

Ad primum, quòd minor est falsa. Ad probationem, quòd vtitur hypothesi Parmenidis, quod est ens dici vniuocè. Ad illud in contrarium, quando aliquis arguit contra alium, oportet accipere oppositum alicuius consequentis ad dictum suum si sit notius: & hoc non est petere, sed probare quod ita sit ibi. Sustinenti enim omnia esse vnum, consequens est dicere ens dici vniuocè. Oppositum consequentis accipit Aristoteles quòd ens dicitur materialiter. Contrà: tunc vteretur oppositis in sua ratione; accipit enim oppositum consequentis quòd *ens dicitur multipliciter*, & conclusio, quam infert hìc scilicet *ens est non ens*, non est inconueniens, nisi ens diceretur simpliciter, ergo ratio eius supponit duo opposita. Dicendum, quòd non potest inferri negatio eiusdem de se, nisi accipiantur præmissæ oppositæ ad illud concludendum. Ad aliud, quòd non nisi facta distinctione vtendo re pro substantia, vel pro aliquo genere determinato. Et ad probationem dicendum, quòd aliquid & aliquis & talia syncategoremata sunt res secundæ intentionis, & possunt esse eiusdem rationis quibuscunque addantur, nec est æquiuocatio ex parte eorum. Sed si sit æquiuocatio, hoc erit ex parte rerum determinabilium, sicut dicitur, *nullum ens, aliquod ens*, ex ratione rei hìc non: *nullus homo, aliquis homo*, quia res vnius rationis est in vtroque.

13

Potest determinatio fieri de æquiuoco.

Ad aliud, dicendum quòd æquiuocum non potest determinari. Ad minorem, neganda est: vel quia est nugatio, vel repugnantia intellectuum. Sed quoad vtentes potest determinatio fieri de æquiuoco, quia vtuntur æquiuoco pro illo significato, vbi determinatio potest inueniri. Ad aliud, quòd consequentia non valet, *substantia; ergo ens*, nisi *ens* distinguatur. Quod probatur: quia aut *ens* accipitur pro substantia: & tunc non valet consequentia, quia in consequentia est ordo, si pro quantitate, tunc falsa illatio. Ad aliud, quòd falsum est, sed eadem ratio prædicandi intentionaliter potest esse omnium generum, licèt conceptus sub eis non sit vniuocus. Ad aliud, quòd possibile 5. huius, text. comment. 17. vno modo est principium transmutandi; alio modo, & ad propositum, est æquiuocum ad res secundæ intentionis & primæ. Ad aliud, quòd comparatio propriè dicta est secundùm magis & minùs in eadem forma: hoc non est secundùm ens: Comparatio enim secundùm ens, non est nisi secundùm ordinem, secundùm quòd aliquid vnum dependet ab alio in entitate, sicut accidentia ad substantiam, ideò substantia dicitur primum ens, in causando accidentia. Tamen Philosoph. 8. Ethicor. dicit c. 1. quòd recipiunt magis & minùs altera specie, sed hoc potest secundo modo fieri. Ad aliud, quòd principia corporum cælestium necesse est illa esse verissima, sed eiusdem generis. Contrà: si principiis & principiatis entitas vniuoca, & omnia sunt principia & principiata; ergo, &c. Dicendum, quòd principia & principiata consequuntur ens non solùm in communi, sed in particulari genere: vnde si sint principia & principiata eiusdem generis, habent vniuocam entitatem: aliàs non. Ad aliud, quòd ens non est genus. Dicendum, quòd non potest esse genus non propter hoc, quod habet conceptũ communem, sed ens conuertibile cum substantia est genus. Ad aliud de subiecto vniuoco, dicendum, quòd subiectum est tale, sed ens non est hoc subiectum, sed substantia, & illud est vniuocum, & non solùm de illo hìc cõsideratur, sed de omnibus sibi attributis, non sicut de subiecto. Ad aliud, quòd hoc est verum, quia cognitis terminis est certissima, quantùm ad compositionem, tunc apprehendendo ens secundùm vnam & distinctiuam rationem,

Comparatio fit secundùm eandem formam.

Principia & principiata quando eiusdem generis?

rationem,& componendo ipsum cum alio potest esse principium certissimum.

14 Ad primum pro opinione Auicennæ dicitur, quòd communissima sunt primò intellecta,& decem sunt communissima: non tamen ista omnia sunt primò intellecta,sed substantia,ad quam omnia alia reducuntur. Et substantia est priùs, non prædicatione ad decem Genera, sed prius perfectione & causa, nec est dare aliquod commune ad decem, quod priùs intelligatur. Ad aliud, quòd maior est falsa,sed illud est substantia. Ad probationem, quòd primum obiectum non oportet extendi ad omnia intelligibilia prædicatione, sicut manifestum est de obiecto sensus visus, quod primum obiectum non prædicatur de omnibus, quæ sentiuntur à visu: magnitudo enim non est color, sed sufficit quòd primum obiectum sit ratio cognoscendi alia, quia magnitudo non videtur, nisi quia colorata: sic substantia respectu aliorum generum. Ad tertium dico, quòd conuenit cognoscere de aliquo quòd ipsum existit,non cognoscendo si in se existit, vel in alio. Sed illud esse existere non est quid, sed prædicatur denominatiuè de eo,sicut accidens,& illud ponitur de genere accidentis,& eiusdem rationis est in omnibus rebus,vt denominans illa:de ente autem quod prædicatur in quid de omnibus,non potest vnus conceptus concipi, nisi in aliquo genere determinato. Contrà: si conuenit concipere hoc esse, concipimus hoc esse quid; quia non cognoscitur esse,nisi quia cognoscitur habere aliquam essentiam,& ita aliquod quid. Aliter dicitur,quòd eadem essentia potest concipi sub diuersis rationibus concipiendi,& vno modo potest conceptus esse certus, alio modo non: ens enim significat idem quod substantia, tamen contingit concipere eandem essentiam sub ratione essendi à quo imponitur hoc nomen *ens*, & non concipiendo illam sub ratione substantialitatis,à qua imponitur hoc nomen *substantia*. Contrà:cognoscens aliquid inesse necessariò alicui, cognoscit illud habere aliquam quiditatem,& iste conceptus est sibi certus,sed dubitat an illa quiditas sit substantiæ, vel accidentis: quia alioquin quicquid tale conciperet, sciret vtrùm pertineret ad diffinitionem illius cui necessariò inest, vel esset eius propria passio, cùm de multis talibus sapientes dubitent. Vnde primus conceptus videtur de ente, vt opponitur ei, quod est *nihil*, determinabilis vltrà per se,vel non per se, &c.

Obiectum non prædicari de omni quod percipit potentia.

ANNOTAT. MAVRITII.

15 Circa primam quæstionem quarti libri, de vniuocatione entis,tex.c.2.quæ magnæ difficultatis & ambiguitatis apud antiquos & modernos est;aduerte qualiter probabiliter ostendit modum sustinendi,& vniuocationem secundùm Auicennam; & analogiam secundùm Commentatorem & alios,seu æquiuocationem Logicè loquendo, & non determinauit se expressè hîc propter causas, quas assignaui à principio: in primo verò Sentent.di.3.& 8.se determinauit.Quære opiniones antiquorum,& modernorum hîc:vtpote Rabbi Mosis,Alberti,Thomæ, Henrici,Nominalium: & super Sententias, & in hoc 4. & alibi pluries. Qualiter autem sit Logicè æquiuocum, & Metaphysicè transcendentale, licèt non prædicetur vniuocum,& qualiter argumenta Doctoris pro & contrà, debeant interpretari,& concordia induci, aliàs super q.4. Anteprædicamentorum huius copiosè notaui:videantur omnia ibi,ferè eodem modo hîc,& in illa quæstione sentit,sed hæc non debent mouere aliquem ad inferendum contradictionem in dictis huius:vt suprà notaui.

In aliquibus originalibus ad finem q. ponuntur solutiones argumentorum post oppositum q. ordinatè sic. Qui vult tenere ens esse vniuocum dicere potest ad argumenta principalia facta in oppositum per hunc modum: Ad illud Porphyrij:*si quis omnia entia vocet*, &c. Responsio, *sicut : quiuocatio dicitur*, &c. & sic benè valerent,licèt aliqui totum vsque ad finem dicunt *Extra*: in aliquibus verò immediatè adduntur singulæ ad singulas. Eligat lector quod voluerit.

Inter argumenta ante oppositum ponuntur duo in aliquibus,quæ in aliis non habentur, nec solutiones ad ipsa. Primum ibi:*Item diuisum*, &c. Secundum ibi: *Item si ens*, &c. quæ tamen faciliter soluuntur tenendo aliam viam,& in Prædicamentis vbi suprà soluuntur.

Infrà,ibi:*Ad quæstionem istam*,&c.vsque illuc: *In ista quæstione*,&c.assignatur communiter additio,satis tamen ad propositum, bona litera est:opinionem quam ibi tangit quære in antiquis hîc,& alibi.

16 Consequenter infrà arguendo pro opinione Auicennæ ponitur quædam additio in aliquibus originalibus ibi: *Notandum quòd illud argumentum de obiecto intellectus*, &c. vsque ibi inclusiuè; *& sic nugatio & processus in infinitum*, Et sequitur immediatè in aliquibus originalibus, *Notandum quòd si sit sermo de re*, &c. vsque ibi inclusiuè:*sed omninò in nullo genere sunt*, & totum assignatur extra. Ad finem tamen quæstionis huius, illud secundum *notandum*, in aliis originalibus situatur;& satis benè,quia ex hoc infertur determinatio intentionis Doctoris in quæstione. Nam licèt probabiliter sustineat vtramque viam, magis tamen Auicennæ vt in simili suprà q.1. primi huius,disputauit:fauet namque Auicennæ inter Philosophos vbique, nisi sit contra fidem & Augustino inter Doctores Catholicos, & Paulo inter Apostolos,&Ioanni inter Euangelistas,& nimirum, quia teste Boëtio omnis similitudo appetenda est.

Infrà,ibi: *Ad hoc potest dici quòd Porphyrius*, &c.vsque ibi:*Item etiam genera prima*,&c. dicitur additio: sed bona: vbi aduerte in prima istarum trium responsionum,qualiter cautè exponatur ens esse vniuersale; propter ea quæ habet 25. dist. 1. Reportationum,& alibi sæpè.In 2.responsione videtur fundari opin.Boëtij in tertia verò modus dicendi Franc.in prolog. Conflat.q.11. quas omnes colorabis,& defendes contra loquentes.

Consequenter ibi: *Ad istud argumentum sunt quatuor responsiones*, &c. vsque ibi:*Item nunquam diffinitio esset sine nugatione*, &c. ponitur totum Extra,vel Additio,sed litera valde singularis est.

17 Infra etiam ibi:*Responsio:maior sic intelligitur*, &c.vsque ibi:*Ad quæst*.&c. dicitur *Extra*,sed notabis quòd in tota hac disputatione contra opinionem Auicennæ,vt ostendantur argumenta non valere, addidit Doctor responsiones immediatè, vel in margine: vnde dicuntur extra, vel in litera formaliter, & postmodùm assignatæ sunt, vt suprà. Efficacissimæ tamẽ sunt,quare defende eas; & licèt multi conẽtur infringere ipsas,& similiter satisfacere argumẽtis ad oppositũ, tu tamẽ assume

gladium solertiæ Scoticæ,& scutum sinceræ veritatis Aristotelicæ, & clypeos confringes, & capras disperdes,& garrulos dissipabis loquentes,& Auerroystarum vmbrosas euelles frondes.

Sententia Doctoris ibi: *Ad quæstionem concedo,* &c. exponatur vt dixi priùs, & declaraui, vbi suprà notaui satis copiosè. Intendit enim præcisè ostendere qualiter, secundùm imaginationem antiquorum, sustineri possit entis analogia, vel æquiuocatio non quòd hoc sustinere velit, nisi fiat sermo de vniuocatione prædicabili, & propriè Logica. Vnde tertium argumentum pro Auicenna remanet insolutum, in quo se fundat vbique de alienitate, & neutralitate conceptus, de quo est certitudo,&c. quare illam viam consequenter prouectus insecutus est, vlterior declaratio horum, quia nimis prolixa hîc, quæratur vbi suprà, & dimittatur lectori subtili.

Quòd in hac q.& suprà q. 1. primi libri tetigit de prædicatione entis de omnibus in *quid*, cùm accipiuntur vt *quid*: habet videri multùm profundè, quia valdè singulare, & obiectiones in contrarium alibi ex dictis eius solui, vel aliter declarãdo.

Si igitur ens & vnum idem & vna natura, eo quod se ad inuicem consequuntur, sicut principium & causa: sed non vt vna ratione ostensa. *tex.com.* 3.

QVÆSTIO II.

Vtrùm ens & vnum significent eandem naturam?

Arist. *hîc c.2.& 5.& lib.5.c.6. tex.11.& lib.10.c.1.* Auicen. *3.Met c.2.& lib.7 c.1.* D.Th. *hîc lect.2.* Ant, Andr. *hic q.3* Capr. *in 1.dist.24.q.1.art.1.* Durand. *ibid.q.1 & 2.* Gabriel *q.1.art.3.dub.3.* Greg. *q.1.art.1.* Henr. *quodlib.1.q.1.* Fons. *c.2.q.5.* Vide Scotum *in 2.dist.3.q.2.*

1 QVòd non: quia tunc hoc esset vnum: *tantùm vnum est ens:* Consequens est falsum, ergo & antecedens. Consequentis falsitas patet per Philos. 1. Physic. text.c.6. & infrà, quia improbat Parmenidem, qui ponit tantùm vnum esse. Consequentia patet, quia quando aliquid prædicatur de aliquo conuertibiliter, prædicatur de eo cum dictione exclusiua. Respondetur, quòd Parmenides concessit tantùm vnum determinatum: contra quod arguit Philosophus. Contrà: sequitur, *Tantùm vnum; ergo tantum hoc vnum.* Probatio; antecedens infert affirmatiuam exponentem consequentis,& negatiua exponens antecedentis, negatiuam consequentis. Probatio primi: Tantùm vnum est ens, ergo omne ens est vnum. Vltrà, ergo hoc ens est vnum: Vltrà, conuerte; ergo hoc vnum est ens. Probatio secundi: sequitur, Nihil aliud ab vno: ergo nihil aliud ab hoc vno. Probatio, quia ex vniuersali affirmatiua sequitur singularis affirmatiua, sic: Omne aliud ab vno: ergo omne aliud ab hoc vno. Probatio: singulares primæ inferunt singulares secundæ: sequitur ergo hoc aliud ab vno: ergo hoc aliud ab hoc vno: & illud: & sic de aliis; ergo prima vniuersalis infert secundam: & tunc vt priùs. Item, diuidens non significat eandem naturam cum diuiso: vnum diuidit ens. Probatio primi: si sic, tunc condiuidens ex quo opponitur condiuidenti esset non ens, & ita non diceret ens. Item, cuius omnes species sunt determinati generis, ipsum est determinati generis: sed omnes species vnius, idem, simile, & æquale sunt in genere relationis; ergo,&c.

In oppositum est Philos. 4. huius, tex.comm.3, ens homo, & homo, & vnus homo, idem significant. Probatio, quia non separantur in generatione & corruptione: Item, ens & vnum prædicant essentiam cuiuslibet; ergo significant idem. Consequentiam probat Commentator comm. 3. huius cap. 1.

SCHOLIVM I.

Opinio *Auicennæ ens,& vnum dici de omnibus, non tamen esse eandem naturam, sed distingui vt subiectum & passionem, variis rationibus suadetur; & in eius fauorem argumenta ad oppositum soluuntur.*

2 Opinio Auicennæ 7. Metaphys. suæ, dicit quòd ens & vnum prædicantur de omnibus, tamen non sunt idem secundùm naturam, sed secundùm subiectum: sicut subiectum & passio, quia si vnum esset idem essentialiter cum ente, siue secundùm essentiam; tunc multitudo esset non ens. Item, dicendo; *ens vnum*, esset nugatio. Ad hoc Commentator dicit, quòd non est nugatio, quia non significant idem eodem modo. Contrà: genus & species significant eandem naturam alio & alio modo: & tamen dicto vniuersali, si addatur particulare, est nugatio secundùm Philos. 6. Topicorum, cap. 3. Item 5. Topicorum, cap. 4. quando exprimitur diffinitio pro nomine erit plana nugatio, quæ priùs latuit: vt, sit natura significata per *ens* & *vnum* A, & modi diuersi B, C, tunc est idem dicere ens vnum: & dicere A A, & B C, & hoc certùm est quòd dicere A A, est nugatio; ergo,&c. Item, quæro de istis modis, aut sunt intra conceptum entis & vnius, aut extra conceptum, sub quo concipitur. Si extra, non excludit nugationem, sicut probatur super *animal homo*: si intra tunc aut ille modus est totus conceptus, aut pars. Si primo modo, tunc non significant idem quod est oppositum positi. Si secundo modo, pone diffinitionem pro nominibus, tunc erit aliquid idem bis dictum: sequitur etiam quòd ab *vno* & *ente* possit abstrahi conceptus vnus communior, vel simplicior vtroque,& illud erit priùs dictum. Item, tertia ratio pro opinione Auicennæ, quod significat idem alicui prædicatur de eo in *quid*: sed *vnum* denominatiuè prædicatur de ente. Sed dicitur quòd *vnum* non prædicatur denominatiuè, licèt videatur.

3 Contrà: si prædicatur in *quid*, tunc abstractum prædicatur de abstracto, alterius facta abstractione à subiecto tantùm. Sed vnitas scilicet & entitas sunt abstracta à subiecto, non à supposito: quia hæc est vera, *Hac vnitas est vnitas*, tunc hæc est vera, *vnitas est entitas*, vel èconuerso, sed hæc est falsa, quia indiuisio est de intellectu *vnius*, sed non de ratione entitatis; ergo non sunt idem. Item quarta ratio; Omnis vnitas est de genere Quantitatis: ergo nullum vnum est conuertibile cum ente. Probatio primæ: omnis vnitas cum alia constituit numerum: ergo omnis vnitas est de genere Quantitatis. Dicitur quòd *vnum* est æquiuocum ad *vnum* quod est conuertibile cum ente, & ad *vnum* quod est principium numerorum, sed tunc hæc est falsa; omnis vnitas est determinati generis. Et ad illud quod omnis vnitas cum vnitate constituit numerum, falsum est, nisi in continuis, sed *vnum* transcendens facit

An omnis vnitas cum alia facit numerum.

facit cum alio multitudinem. Contrà: quòd constituat numerum propriè dictum: in 10. huius, tex. com. 20. hæc est ratio numeri: *Numerus est multitudo mensurata vno.* Probatio: non mensuratur numerus *vno*, nisi sicut per partem aliquotam: vnitas autem vbicunque est, est pars aliquota multitudinis, quia aliquoties sumpta, ipsam reddit. Item, vbicunque est vnitas, & vnitas, est differentia numero, vel specie, vel genere: & quæ differunt genere, & specie, & numero; & vbi differentia specie, & numero: sed vbi differentia numero, & numerus; sed omnia entia differunt specie, sicut Angelus ab homine. Item, Commentator. 6. Ethicor. parùm ante capitulum de Eubulia. cap. 9. commento 80. in princ. dicit, quòd numerus est mensura, siue in corporibus, vt in decem hominibus, siue in non corporibus, vt in decem animabus. Respondeo, propter inclinationem ad corpus. Contrà, anima, quia hæc, inclinatur ad hoc corpus, non èconuerso; similiter anima hominis inclinatur ad corpus hominis, non èconuerso. Similitudo patet ex 5. Metaphysicæ, text. com. 3. de causa vniuersali & singulari ad effectus. Item, Damascenus in Sententiis c. 54. Duæ naturæ dicuntur sub discreta quantitate.

Numerus est multitudo mensurata vno.

4

Sustinendo positionē Auicennæ. Respondetur ad argumenta principalia. Ad id quod dicit Philosophus quòd *ens & vnum* significant eandem naturam, subiungit sicut principium & causa: tūc sic est intelligendū, quòd illud quod per se significatur per *ens*, illud dat *vnum* intelligere, non tanquam principale significatum, sed significat priuationem per se, & priuatio non est nisi in natura, ideò dat intelligere naturam ex consequenti. Ad primum, quòd consequentia non valet: homo ens, homo & vnus homo sunt idem; ergo ens & vnum sunt idem. Probatio per instantiam, quia 7. huius, tex. com. 18. dicitur, *idem est nasus simus, & nasus cauus,* nec sequitur; ergo simitas est cauitas, quia contrahuntur in tertio determinando ad vnum. Dicitur tamen quòd non sic arguit: vnus homo, & ens homo, sunt idem; ergo ens, & vnum sunt idem, sed sic: quia non separantur in generatione, hoc est, quia generationem entis necessariò concomitatur indiuisio: tamen vnitas scilicet indiuisio non generatur sicut ens, ita quòd vnitas per se terminet generationem, quia *vnum* non dicit aliam naturam positiuam, quam *ens*. Si diceret, fortè aliqua propria generatio terminaretur ad vnitatem secundùm principalem opinionem. Ad aliud, quòd quælibet substantia est ens per se primo modo, & quælibet natura est vnum per se secundo modo, quia indiuisio statim sequitur quodlibet ens.

Ad argumentum Commentatoris, aut vnum per se, aut per accidens. Respondetur, *per accidens* dicitur tot modis, quot modis *per se*. Concedo quòd *per accidens* quod opponitur *per se* primo modo, sed non quod opponitur *per se* secundo modo, cùm dicit; ergo per aliud.

Per accidens dicitur tot modis, quot per se.

5

Ista propositio: *Homo est vnus per aliud,* potest dupliciter intelligi: sicut ista: *Homo est risibilis per aliud*, vel per aliud ab vtroque extremo, quod est falsum; passio enim inest subiecto propter subiectum; vel per aliud ab altero, sicut homo est risibilis per aliud à risibili; & verum est, quia per humanitatem: vnde quia homo est homo, ideò homo est risibilis. Hoc secundo modo, concedo: sed tunc non sequitur: ergo illud aliud est vnum per se, sed sequitur, ergo homo, de quo vnum dicitur per accidens, est homo per se: ita quòd nullo modo per accidens; quia quæ primo modo per se insunt, neutro modo per accidens prędicto inesse possunt, quia ibi subiectum propter quod prædicatum sibi inest à neutro extremo est aliud simpliciter. Tamen secundùm tres gradùs in primo modo, est subiectum magis, vel minùs aliud à prædicato, maximè quando pars diffinitionis prædicatur de diffinito: minùs quando diffinitio tota de diffinito: minimè quando idem de se; vnde ibi est primus gradus primi modi. Nota: benè conceditur quòd quandocunque aliquid est A per accidens, quòd aliquid sit A per se, quia A, est A. vt sic reducatur *per accidens* ad *per se*, tanquam ad necessariò præsuppositum, sed nunquam tenet, B est A per accidens; igitur per aliquid quod est A per se: ita quòd *per accidens* reducatur ad *per se* quod sit causa, & hæc à parte prædicati. Potest enim tota causa inhærentiæ per accidens A, esse in subiecto: sicut etiam est communiter in propositionibus per se, quòd causa inhærentiæ per se est in subiecto non in prædicato: non enim animal est causa, quare ipsum inest homini, quia tunc animalitas in asino, esset causa, sed humanitas est causa quare animal inest. Potest tamen esse, quòd inhærentia per accidens reducatur ad inhærentiam per se, vel ex parte subiecti, vel ex parte prædicati. Vnde arguendo ad alteram partem est fallacia consequentis: reducitur autem ad illam, vt ad causam sine qua, non est vera; sed non vt ad causam necessariò inferentem. Aliter enim omne per accidens esset necessarium, quia ex necessario, non sequitur necessariò, nisi necessarium: vnde communiter ad concludendum inhærentiam per accidens, si assumatur propositio per se, oportet coniungere aliam per accidens.

Homo est risibilis per aliud, exponitur.

Subiectum magis, vel minus aliud à prædicato, tribus modis.

B. est A. per accidens, ergo aliud est A per se, non sequitur.

In propositionibus per se causa inhærentiæ est in subiecto.

Quomodo inhærentia per accidens reducitur ad per se.

6

Contrà: A, est propositio per accidens. Si concedatur, accipietur vna præmissa per accidens: & illam concludens per aliam: ergo est ire in infinitum in propositionibus per accidens. Responsio: est aliqua per accidens prima, quæ non potest concludi: non prima simpliciter, quia omni tali est alia per se prior: sine qua illa per accidens non est vera, sed non per quam. Vnde 1. Poster. cap. vlt. habetur quòd contingit opinari *propter quid*, & *quia*; vnde vbicūque est ordo, est aliquod primum in illo ordine: licèt toto illo ordine sint alia priora. Detur etiam quòd est vnum per aliud, vnde illud quo aliud est vnum, non est vnum: sicut albedo non est alba, vel si sit vnum, est vnum per se primo modo: nec sequitur; ergo standum in primo: non enim eodem modo est vnitas idem sibi & subiecto quod substat vnitati. Contra istam responsionem, quia Philosophus in isto lib. 4. cap. tex. comm. 14. arguendo secundò contra negantes primum principium facit hanc consequentiam: Si nullum sit prædicatum substantiale, sed accidentale omne, itur in infinitum; ergo à simili hoc de vno. Ad illud dicendum, quòd Philosophus arguit benè, quia si nullum prædicatum esset per se primo modo, tunc nullum secundo modo, quia omnis propositio vera secundo modo per se, reducitur ad aliam veram per se primo modo, & si neutro modo prædicaretur aliquid per se omnia prædicantur simpliciter per accidens: & tale reducitur ad aliud: & ita in infinitum: sic non est hîc.

Datur propositio per accidens prima.

Id quo aliud est vnum, nō est vnum, in se.

Prædicatio per se secundo modo reducitur ad primum modum per se.

SCHOLIVM II.

In fauorem Auerrois tenentis ens & vnum non distingui, impugnat rationes adductas pro Auicenna à num. 2. & respondet ad argumenta principalia suadentia hac inter se distingui.

7

Contra opinionem Auicennæ contra primam rationem sequitur ex illa quòd ens & vnum non conuertuntur. Hoc haberi potest ex prima ratione pro opinione, quia non prædicantur de eisdem, contradicit sibiipsi, quia dicit 7. Metaphys. cap. 1. a. *ens & vnum parificantur in prædicatione, quia quicquid*, &c. Item Boëtius in lib. de Ente & Vno, omne ens siue compositum, siue simplex est vnum. Quantùm ad tertiam rationem, improbatur quòd vnitas non significet indiuisionem: priuatio est posterior habitu, vnitas prior multitudine; ergo vnitas est pars essentialis, & pars prior. Quantùm ad secundam & quartam simul, quòd vnitas non sit determinati generis, sicut ipse dicit, quia tunc hæc nugatio *ens vnum*; quia quicquid est determinati generis, genus prædicatur de eo primo modo, & illud genus est ens, siue vniuocè, siue æquiuocè dicatur ens; ergo addendo illud determinatum enti, idem bis dicitur, quantùm ad secundam & quartam. Item, si vnum sit determinati generis scilicet quantitatis; ergo illud genus prædicatur de illo in abstracto, & de genere in abstracto ens; ergo vnitas est entitas de primo ad vltimum. Item, vnum parificatur in prædicatione cum ente, aut est conuertibile essentiale, quod non potest, si sit determinati generis species; aut vnum prædicatur de ente per se secundo modo. Tunc idem prædicatur de se per se secundo modo, quia idem erit passio suiipsius. Consequentia patet, si vnum sit passio entis in communi, erit passio illius generis in quo est vnum: & quicquid est passio superioris, est passio inferioris, & sic idem passio eiusdem, si rationes concludant.

8

Ad primum in oppositum, dico quòd hæc est vera, *Tantùm vnum est ens*, siue *vnum* accipiatur pro eodem significato, siue in communi. Ad aliud, quòd Parmenides voluit quòd tantùm vnum determinatum ens esset, & illud immobile. Ad aliud in contrarium, quòd non valet, *Tantùm vnum; ergo tantùm hoc vnum.* Ad probationem primæ consequentiæ, conceditur primus processus vsque illuc: *hoc ens est vnum:* sed cùm pronomen demonstratiuum non sit syncategorema, sed pars termini, vt habetur super Priora, dicendum quòd propositio singularis, conuertitur in indefinitam: tamen de hoc non est vis. Ad exponentem negatiuam nihil aliud ab A; ergo nihil aliud ab hoc A, est fallacia Consequentis, quia sequitur amoto significato, & non èconuerso, ergo sic arguendo destruitur antecedens. Ad probationem negandum est: Omne aliud ab A, ergo omne aliud ab hoc A, propter idem. Ad probationem, concedo quòd singulares primæ vniuersalis inferunt aliquas singulares secundæ; omnes scilicet illas, quæ sunt aliæ ab A, sed non inferunt omnes: multa enim sunt alia ab hoc A, quæ non sunt alia ab A. Vnde ex illis singularibus secundæ, quæ sequuntur ex singularibus primæ vniuersalis, inferendo secundam vniuersalem est fallacia Consequentis ab insufficienti, sicut hîc: *Omnis homo currit, ergo iste & ille currunt*, &c. & vltra; *ergo illud animal currit & illud*, &c. & vltra; *ergo omne animal currit*: est fallacia Consequentis. Multæ enim singulares secundæ vniuersalis deficiunt, quæ non sequuntur ex singularibus primæ vniuersalis. Ad aliud, quòd *simpliciter vnum* non conuertitur cum *ente simpliciter*, quia *vnum* non dicitur de suo opposito scilicet multitudine: tamen *vnum* aliquo modo conuertitur cum *ente*, quia omne ens est vnum simpliciter, vel secundùm quid. Ad aliud; quòd illud quod significatur per *vnum* non est relatio, sed relatio superadditur ei, sicut similitudo albedini. De hoc quære li. 5. q. 2. vel 3. quæ mouetur capitulo de Ad aliquid.

Tantùm vnum est ens, exponitur.

Vnum quomodo conuertitur cum ente.

SCHOLIVM III.

SOLVIT *in fauorem Auicennæ tria argumenta contra ipsum facta, n. 7. sed eundem aliis duobus argumentis impugnat, & tandem pro eo resoluit,* ens, & vnum *non dici conuertibiliter, si sumatur* vnum *strictè; alioquin multitudo foret vna: conuertuntur tamen, sumendo* vnum *secundùm quid, vel vt disiunctum contra suum oppositum; quomodo finitum, vel infinitum conuertitur cum ente. Soluit consequenter ad hoc argumenta ad oppositum ex Philosopho, & duo argumenta propria posita n. 10.*

9

Ad argumenta posita num. 7.

Ad rationes contra opinionem Auicennæ, dicendum quòd concedit conuertibilitatem non essentialem, vel essentialiter, sed quòd idem sunt subiecto, non secundùm essentiam: quia si sic, multitudo secundùm quòd multitudo, non esset ens, quia multitudo secundùm quòd multitudo non est vna; ita quòd sit essentialis prædicatio, sed *vnum* accidit multitudini: conuertuntur ergo non tamen essentialiter, vel secundùm essentiam. Ad aliud Boëtij: quòd omne ens simpliciter, vel secundùm quid, est vnum: & hoc Auicenna concedit. Ad aliud: cui inest indiuisio naturaliter prior est eo cui inest diuisio, & illud est pars multitudinis: tamen conceptus nominis est indiuisio. Contrà: illud quod est pars per se multitudinis est aliquid positiuum, ex dictis, si idem essentialiter est cum ente, tunc *vnum ens* erit nugatio: si autem aliud positiuum ab illo quod dicit ens, imponatur nomen illi positiuo: illud nomen non significabit priuationem. Respondeo: aliud positiuum est, sed quia incognitum est, ideò innominatum, vel non nominatum positiuè, sed priuatiuè: vnde non tantùm includit positiuum, quod est ens. Ad alias duas simul, quòd idem concludunt contra aliam opinionem de vno quod est principium numeri. Si ergo *vnum* in communi non sit determinati generis: ergo nec *vnum* quod est principium numeri, si illa valent. Ad formas, quòd si non ponit aliud *vnum* quàm vnum principium numeri, non est nugatio, quia non est alicuius generis vt species, sed vt principium generis, nec genus includitur in intellectu illius, nec ens vt est in illo genere. Ad secundam similiter; vnitas illa non recipit prædicationem per se alicuius generis. Aliter: dato quòd sic, non tamen in abstracto, nec de genere, nisi in abstracto prædicatur entitas. Ad aliud scilicet tertium quòd est passio cuiuslibet speciei in illo genere, non tamen suiipsius, quia non est species, nec indiuiduum.

10

Contra Auicennam aliter arguitur, quòd si vnitas est determinati generis ex quo non concedit ens & vnum idem essentialiter; tunc hæc est prædicatio per se secundo modo, *Albedo est vna, color est*

est vnus; ex quo sequitur quòd Quantitas sit posterior omnibus aliis Prædicamentis, quia vnitas est prior omnibus speciebus Quantitatis, quia est principium Quantitatis solùm. Sed vnitas est posterior omni genere, quia omnis passio est posterior subiecto: & *vnum* est passio cuiuslibet generis; ergo Quantitas est posterior omnibus nouem generibus, vel Prædicamentis. Item, substantia est prior accidentibus; ergo prior quantitate; ergo potest intelligi sine quantitate, quia sic est vna & sic possum tunc intelligere eam eandem sibiipsi, & diuersam ab alia, quia illæ relationes sunt immediatè fundatæ super essentiam substantiæ, sed impossibile est intelligere identitatem essentialem, & diuersitatem sine vnitate essentiali & multitudine; ergo talis vnitas, & multitudo est sine quantitate.

Si vnum est passio, quantitas videtur posterior omnibus generibus.

Dicendum ad quæstionem, quòd non conuertuntur propter rationem tactam, quæ fuit secunda ad primam partem quæstionis, quæ etiam fuit prima pro opinione Auicennæ, nisi sit vnum simpliciter, vel secundùm quid. Hoc disiunctum conuertitur, sicut potentia, vel actus cum ente, non alterum per se, nec sunt idem essentialiter propter nugationem, & propter prædicationem in abstracto, tum de se, tum quia ens in abstracto prædicatur de aliquo, de quo non vnum, sicut de multitudine. Ad rationes pro intentione Philosophi est, quòd ad eandem scientiam pertinet considerare de subiecto, & de passione disiuncta, sicut de ente, & de *vno* vel de *multo*, & de vtraque parte seorsum; vnde ibi intendit probare quòd ad eandem scientiam pertinet considerare de *ente* & *vno*. Ad hoc probandum non requiritur pro antecedente, quòd *vnum* sit idem essentialiter *enti*: nec etiam quòd conuertibile cum *ente*, sed quod ipsum disiunctum contra oppositum conuertatur cum *ente*, & ex hoc sequitur conclusio Philosophi.

Ens & vnum non conuertitur nisi quodam sensu.

Ad rationes post oppositũ.

11

Et tunc ad argumentum, quòd non sunt idem nec simpliciter conuertibilia essentialiter vnum & ens: quia dicit Philosophus quòd consequuntur se sicut principium & causa. Et quod dicit quòd idem est dicere *ens homo* & *vnus homo*. Dicendum, quòd sunt vnum subiecto, quia idem dicitur cum dicitur *homo* & *risibile*. Ad aliud, quòd cuiuslibet substantia est vna, non secundùm accidens, verum est, quia non per aliud: tamen non ponitur primo modo per se de eo, sed secundo modo sicut passio de subiecto. Et potest dici, quòd *vnum* est determinati generis, sicut dicit Auicenna cuius probatio est: accipio *vnum* in genere substantiæ, quod est passio, illud est aliquod ens: aut ens in subiecto, aut ens non in subiecto. Licèt enim *homo albus*, & *homo non albus*, non contradicant: tamen circa hominem album, & non album, contradicunt: à simili contradicunt circa ens in subiecto, & non in subiecto. Si secũdo modo, tunc est substantia: vel ergo eadem cuius est vnitas, vel alia: non alia, quia vna substantia non est passio alterius: nec eadem, quia nulla est passio sui: sed si sit ens in subiecto; ergo est accidens in aliquo genere determinato. Concedo tunc quòd omne vnum est determinati generis scilicet Quantitatis: sicut enim omne aliud à Deo, dicitur creatum; ita quòd creatio passio, dicitur proprietas entis creati, & tamen creatio est vnius generis, vt relationis, & determinata species in illo genere: sic vnum potest esse determinati generis, & tamen conuenire toti enti simpliciter, vel secundum quid. Nec eius ratio per se variatur propter diuersitatem subiectorum quibus inest: alioquin æquale & simile non essent in genere: quia insunt rebus cuiuslibet Prædicamenti, vel generis; vnde hoc nihil concludit contra Auicennam.

Ens & vnum quo sensu cõuertuntur.

Substantia est vna per se.

Vnum an determinati generis.

Creatio est passio entis creati.

12

Ad rationes duas in contrarium. Ad primam respondeo, quòd omnis passio præter hoc quod est passio, est aliquid in se: similiter de Relatione potest concedi, quòd fundatur super omne Prædicamentum, sed considerata, vt est Prædicamentum secundùm se, prius est, quàm secundùm quòd est passio: vnitas autem secundùm se considerata, prior est quocunque alio accidente: licèt ergo posterior sit subiecto inquantum passio, secundùm se tamen est prior. Vel aliter sic, quòd est ordo essentialis quantitatis ad substantiam, & in comparatione ad substantiam, dicitur quantitas prior aliis accidentibus, quia immediatiùs inest substantiæ, quàm aliquod aliud accidens: ordo autem aliquorum accipitur secundùm id quod est in ipsis essentiale, siue principale, non secundùm aliquid accidentale ipsis: accidentale autem est sibi comparari ad alia genera accidentium. Ad aliud, quòd si tantùm intelligas substantiam, non intelliges identitatem, nec diuersitatem. Sed si velis intelligere relationem, necessariò præintelliges aliquid prius relatione, posterius tamen substantia, scilicet fundamentum relationis, & dabo tibi fundamentum, scilicet vnitatem: quia sicut vnitas applicata supposito, facit vnitatem suppositalem, ita applicata essentiæ facit vnitatem essentialem: & tamen vnitas semper est passio, & in genere Quantitatis. Nota, quomodo hoc intelligitur, habes lib. 5. q. 3. vel 2. c. de Ad aliquid: quia etiam vnitas secundùm gradus variatur.

Vnitas an prior aliis generibus.

Intelligens relationẽ intelligit aliud.

Contra istam responsionem: nullo alio intellecto alterius generis ab homine & asino, potest formari hæc propositio vera, *Homo est homo*, & *Homo non est asinus*: affirmatiua non est vera: nisi ex identitate terminorum, siue extremorum; nec negatiua, nisi ex diuersitate; ergo identitas & diuersitas priùs intelliguntur. Responsio: hîc est ordo; primò concipitur *homo*, concipitur *asinus*. secundò concipitur *homo est homo*: *asinus est asinus*, & per has affirmatiuas primas, vel per alteram istarum, concipitur negatiua, *Homo non est asinus*. Hoc habetur non concipiendo aliqua extrema aliorum generum, post hoc concipitur primò, *homo est vnus*: *asinus est vnus*, & post hoc secundò, *asinus est sibi idem*, & *homo sibi*, tertiò quia *vnus*, & *vnus homo*, & *asinus*, sunt multa, consequenter diuersa; vnde falsum est illud, veritas affirmatiuæ est identitas extremorum; & negatiuæ, est diuersitas, imò magis è conuerso, vt patet ex dictis.

Hæc propositio: homo est homo, an prius vera quàm vna?

SCHOLIVM IV.

MOVET *quatuor dubia. Primum, an* vnum *dicat aliquid positiuum, & respondet affirmatiuè, quod tenet 2. dist. 16. nu. 17. Secundum, an conuertitur cum ente, & affirmat etiam, non obstantibus multis, quæ in discursu quæstionis in contrarium adducta sunt, & in fine resoluit iuxta Auicennam, ens non diuidi propriè in vnum & multa, vnde de multis non dicitur ens, sed entia.*

13

Notandum, quòd hæc quæstio de ente & vno habet tot difficultates. Prima: an vnum dicat aliquid positiuum? si sic, Secunda, an conuertatur

cum ente? si sic. Tertia an illud quod conuertitur cum ente sit vnum quod est principium numeri, vel sit aliquid simpliciter transcendens? Quarta an aliquam aliam rem dicat ab ente? & hoc est commune dubium de omnibus transcendentibus vero & bono &c. vel si vnum principium numeri, dicat aliam rem ab eo cuius est? & hoc pertinet ad quæstionem de Prædicamentis, si dicant diuersas essentias.

Quantùm ad primum, habes supra q.2.ibi non in summa. Et confirmatur per Auic.3.Metaph.suæ 3.c. Si quis dixerit quod multitudo cõponitur ex rebus, quæ non sunt vnitates, sicut ex hominibus, dicemus quòd hæ res non sunt vnitates, sed res substantes vnitatibus: sic etiam non sunt multitudo, sed res subiectæ multitudini; ergo præter humanitatem vnitas, quæ est per se pars multitudinis, est aliquid positiuum. Confirmatur: priuatio nullam perfectionem ponit: vnitas ponit, quod probatur: quia in quolibet perfectius est ipsum, quàm non ipsum: diuisio enim vbique notat imperfectionem: tum quia in imperfectionibus nunquam reducuntur aliqua ad summum tale: sicut nec est summum malum, sed omnia vna reducuntur ad summum vnum: tum quia priuatio non recipit magis & minùs, aliquid autem est magis vnum alio, vt simplex composito. Auicenna 3. Metaphysicæ c. 2. g. quod dicatur priuatiuè Aristoteles 10. Metaph.t.c.9.cap.4. probat magis sensibilem esse multitudinem: & Auicen. 3. Metaphysicæ, cap.3.b. multitudo prior est ad imaginandum.

Vnum esse positiuum.

Vide Scot.2.d.16.§.

Diuisio est imperfectionis.

14

Ens conuertitur cum vno.

De secundo sic: Auicenna 3. Metaph.2.g.& 7. lib.c. 1. a. nec valet illud contra, de diuisione per vnum & multa: non enim est diuisio propriè per opposita. Auic.3.Metaph.c.6.quod nullo modo in se opponuntur, sed est quasi diceretur, ens, aliud ens, aliud entia: sic potest diuidi vnum, & vna, ita quòd multa propriè non sunt ens, sed entia: & ita quod non sit vnum, sed vna ipsa multitudo: sed non solùm est ens in anima, sed in re propriè ens est & propriè vna, Auic.3.Metaph.c.5.b.quod opponantur, & 10. Metaph.t.c.9.cap.4.Aristoteles dicit illa opponi, vt indiuisibile & diuisibile, & vt contraria, vt extenditur contrarietas ad disparationem, nec talem quæ est inter diuersas species, sed quasi inter indiuidua, quæ propriè dicitur discretio: vnitas enim non tollit multitudinem, nisi quia ponit vnitatem 3. Metaph. Auicen.c.6.

Ens nõ diuidi per vnum & multa propriè.

15

Ad tertium articulum proceditur sic: videtur enim primò quòd vnum principium numeri non conuertatur cum ente: quia vt probatur suprà, vnitas quæ est principium nùmeri est vnitas continui. Confirmatur 3.Physic.t.c.68. *Numerus causatur ex diuisione continui.* Item principium numeri non est vnitas, quia ab illo incipitur numerare: sic enim quinque esset principium senarij, quia ante senarium numeratur: ergo principium est, quia continet in se numerum, sed hoc non est nisi continuum, quia tantùm ex eius diuisione fit numerus: tamen triplex est numerus, sensibilis, Mathematicus, & formalis, vltimus est in non continuis: sed non nisi in participantibus aliquid idem, quia quodlibet mensuratur aliquo eiusdem generis: vnitas hîc mensurat. Item, Auicenna 3. Metaph. 5.b. Numerus non est multitudo, quia non continet in vnitate. Contra istud: sequitur quòd sicut est dare minimum in numeris, ita in continuis, quia vtrobique in actu, sed non in potentia: consequens est contra Aristotelem. Confirmatur quarto: super Gen.3. de intellectione senarij, quòd intellectus respuit corpuscula obiecta à phantasia, quia illa sunt diuisibilia, vnitates indiuisibiles. Item, quicquid continuitatis est in continuo, totum manet in partibus realiter, & non manet vnitas illa quæ priùs; ergo illa continuitas non est essentialiter illa vnitas. Probatur prima, quia aliter diuisio videretur esse verè generatio. Similiter nihil est ibi nouum, vt videtur nisi punctus terminans. Item, essent tres species vnitatis, sicut sunt continuitatis longitudo, latitudo, profunditas. Item, quomodo albedo hodie, & cras alia in eodem quanto, erunt duo? Item, vnitas principium numeri veriùs conuenit cum puncto quàm continuo, quia immediatè per situm est punctus. Item, accidens non potest abstrahi à per se subiecto, quia per ipsum diffinitur: numerus autem abstrahitur à continuo, quia Arithmetica prior est Geometria, 1. huius, & 1. Poster.t.c.42.Sup.nu.3.

Numerus triplex, sẽsibilis, Mathematicus, formalis.

16

Item, argumenta priùs facta in quarta ratione pro opinione Auicennæ contra probationes primæ opinionis: sic causatur, non sequitur, ergo tantùm sic: numerus est enim, secundùm ipsos, corporis cælestis cum igne, quæ nunquam fuerunt eiusdem continui partes. Responsio; omnia continua inquantùm ex parte continui, nata sunt fieri vnum: licèt non sit aliquando possibile, propter formas perfectissimas continuorum. Contra secundam probationem: si vnitas totius est principium numeri, quia continet partes, quæ diuisæ faciunt numerum, & cuiuslibet numeri vnitas est principium illius est pars: ergo vnitas totius est pars numeri causati per eius diuisionem, sed post eius diuisionem sunt duæ vnitates partium diuisarum, & præter hoc, vt probatum est, vnitas totius, igitur est principium, & ita pars; ergo binarius erit trinarius. Responsio: non tantum est vnitas principium, quia ab illo incipit numeratio: sed quia ipsa est per se pars numeri, & in potentia ad formam eius; nullus autem numerus est per se pars numeri, vt habetur ab Auicenna 3. Metaph. 5. cap. vnde sex sunt semel sex, non bis tria. Quod dicitur de triplici numero non cogit, quia illa diuisio potest esse penes numerata: quia scilicet numerus est horum, vel illorum, non penes aliam & aliam rationem numeri in se: sicut idem numerus est sensibilis, & Mathematicus, licèt aliter & aliter consideratus. Nota, primum argumentum contra hanc opinionem tangit dubium, an vnitas sit omnino non extensa, sicut nec anima.

Cõtinua quæ nata sũt fieri vnum.

Numerus nullus per se, est pars numeri.

Idem habet Arist. 5.Metaphysica t.c. 19.

SCHOLIVM V.

*V*NVM *quod conuertitur cum ente, non distingui realiter ab vno, quod est principium numeri, neque facere cum eo numerum, quia est indifferens ad limitatum, & illimitatum. In fine inclinat, quòd vnitas quantitatis est tantùm rationis, & idem de numero sentire videtur, de quo sic dubius est 1. d. 24.num. 2.*

17

Quantùm ad tertium articulum, relictâ opinione hîc priùs improbata, notandum quòd eiusdem non sunt duæ vnitates. Auicenna 3.Metaph. c.3.ergo in quocunque est vnitas, quæ est principium numeri, in illo non differt realiter ab illa vnitate conuertibili cum ente: semper tamen

conce

conceptus vnitatis transcendentis generalior est, quia ex se indifferens est ad limitatum & non limitatum; vnitas autem determinati generis necessariò importat aliquid limitatum, sicut & quodlibet quod est in genere quocunque: sed vbi est vnitas principium numeri?

In quo est vnitas principium numeri?

Responsio: aut in quolibet creato, quia cuiuslibet creati est vnitas limitata, & tunc subiectum illius vnitatis, est ens creatum, quod diuiditur in decem Genera, aut tantùm erit in substantia, propter illud argumentum suprà, vbi arguitur contra Auicennam. Et tunc tantùm substantia, vt est genus generalissimum erit subiectum vnitatis talis, & non aliqua quantitas, nec accidentia posteriora: ne alia accidentia ponantur priora quantitate: vnitas enim est simpliciter primum accidens, quia primum in quantitate, quæ prima est respectu aliorum. Istius disiunctiuæ fortè prima pars est verior, quia argumenta pro secunda satis soluuntur pòst. Nec vnitas principium numeri ponitur priùs vnitate transcendente. Si ergo illa vnitas transcendens potest esse vt passio posteriorum generum accidentium, quare non vnitas, quæ est principium numeri, non repugnante sua prioritate inter accidentia? Confirmatur: non videtur contra primitatem accidentis inesse subiecto posteriori, non vt primo subiecto, sed vt contento sub primo, dummodò primum subiectum sit aliquid commune ad subiectum simpliciter posterius, & simpliciter prius.

18

Tenendo ergo drimam partem disiunctiuæ sequitur quòd in omni creato vnitas, conuertibilis cum ente, realiter non differt ab vnitate de genere Quantitatis, licèt semper, vt dictum est, conceptus vnius transcendentis sit generalior: quia verò nihil potest esse pars numeri, nisi inquantùm limitatum, quia de ratione partis, est possibilitas ad formam totius, & vnum inquantùm conuertibile cum ente, non dicit limitationem, ideò ex tali, inquantùm tale, non fit numerus, nec multitudo aliquo modo vna, sed sola aggregatio, sicut habetur in Henrico de Gandauo, de denario Prædicamentorum. Vnitas verò Quantitatis, quia per se dicit aliquid limitatum, ideò est per se pars numeri, & omnis multitudo, si numerus tantùm est in anima, non habet partem realem, sed tantùm vnitatem vt intelligitur, & sic est limitata. Vnde in re nulla est vnitas nisi transcendens: omnis ergo multitudo creatorum realiter est numerus, licèt non inquantùm ex vnis vnitate conuertibili cum ente, sed in quantùm ex vnis de genere Quantitatis, quæ duæ vnitates non sunt duæ realiter in creaturis, vt dictum est. Sed hæc positio habet negare Deum, & creaturam esse duo dualitate, quæ numerus est, vel multa aliqua vna multitudine, quia omnis multitudo vna numerus est. Sed tantùm concedet ipsa duo esse aggregatione; non quia non conueniunt in aliquo vno vt in ente, sed quia aliqua vnitas Dei est illimitata, quod est contra rationem partis numeri. Sed quomodo est tunc numerus personarum in diuinis? Respondeo, quòd est limitatio distinctionis, & remotio imperfectionis. Per primum est hîc & non aliud, per secundum est sic perfectum, & non omnino. Primum est vnitatis vt est pars numeri: non secundum; sic patet quomodo soluuntur duo præmissa. Item, hæc positio si non vult ponere vnitatem creatorum, realiter esse accidens, habet ponere eam naturaliter saltem posteriorum quocunque ente cuius est, & ita non differre genera secundùm essentias, cuius contrarium tenetur in quinto q. 4. Respondeo: nulla vnitas realis est in genere Quantitatis, nec etiam vt principium, sed tantummodò fortè vnitas vt intelligitur, & est pars numeri, quæ est quantitas rationis non realis.

Vnitas passio entis non differt realiter ab vnitate quantitatis.

Omnis multitudo finitorum, est numerus.

Deus & creatura an faciunt numerum?

Quomodo numerus personarum est in Deo?

SCHOLIVM VI.

SENTENTIA *Auicennæ, vnum esse accidens, & consequenter ab ente re distinctum, suadetur, & argumenta Auerrois in contrarium, soluuntur.*

19

Quantùm autem ad quartum articulum, siue de *vno* transcendente, siue de *vno* principio numeri, per Auicennam fuit numeri denominatio, quòd omnis numerus sit accidens. Item, sicut arguit 3. Metaph. c. 3. quòd *vnum* nec genus, nec differentia est, sed præsupponit naturaliter ens in in actu specifico, & est in illo non sicut pars, & impossibile est esse sine illo, hîc videtur diffinitio accidentis. Item 7. Metaph. cap. 1. multitudo, inquantùm huiusmodi, non est vna. Contrà: duo sunt argumenta Aristotelis cum confirmatione per Commentatorem. Item, illud hîc suprà de identitate. Item, omnis perfectio simpliciter, quæ est entis, inquantùm ens, perfectiori modo est in perfectiori ente. Probatio: quia perfectissimè in primo ente hîc sunt simpliciter perfectionis: substantia est perfectius ens simpliciter; ergo perfectiori modo vna, quàm accidens: sed hoc non esset, si accidens esset idem vnitati essentialiter, & non substantiæ: quia tunc primum ens non haberet perfectissimè omnia, quia non sibi idem essentialiter. Sed hæc ratio est contra responsionem quæ daretur ad rationem Commentatoris, quòd statur in secundo, non in primo. Item, omnis perfectio, quæ est in effectu, si est illimitata, ita quòd entis, inquantum ens, formaliter est in causa, & perfectius quàm in effectu: hîc sunt talia, & substantia causa accidentis, &c. Item, accidens sicut secundùm esse præsupponit subiectum ens, ita secundùm vnitatem præsupponit subiectum vnum. Item, si *verum* ponatur obiectum intellectus, & *bonum* voluntatis, sequitur quòd ens erit tantùm intelligibile, per accidens, & diligibile: hoc videtur inconueniens; quia ens primò imprimitur in anima, secundùm Auicennam 1. Metaph. cap. 5. & esse maximè diligimus. Hæc ratio videtur contra concedentes primam propositionem suppositam sustinendo opinionem Auicennæ.

Diffinitur in 9.

Sup. num. 1.

4. Met. t. c. 3

20

Ad argumenta in contrarium. Ad Philosophum, quòd significant eandem naturam, sicut passio est eadem natura subiecto, vel significans ens per se, & *vnum* ex consequenti, sicut nomen impositum passioni importat subiectum. Ad primam rationem, non separantur sicut passio & subiectum. Contrà: contradictio videtur quòd separentur: quod non esset, si essent duæ res, cùm sint absolutæ. Item, eadem generatio videtur lapidis, entis, & vnius, &c. alioquin quandocunque generatur substantia, erunt simul duæ, vel decem generationes, sed vna non terminatur per se, nisi ad vnam essentiam. Ad primam: fortè maioris potentiæ est posse facere res absolutas omninò inseparabiles sine contradictione, quàm non posse:

Quomodo ens & vnum significant eã dem naturam?

Maioris potentia facere absoluta inseparabilia, quam non facere.

posse: quia primũ est supra duas differentias, alias scilicet vnitates separabiles, alias inseparabiles, aliter non posset, nisi tãtum super vnam differẽtiam, scilicet super vnitates separabiles. Exemplum: maioris potentiæ est posse facere res per se entes compossibiles, & aliquas nullo modo compossibiles, quantùm posse facere vnum membrum: aliter non est contradictio ens fieri sine vnitate, &c. sicut nec intelligit Auic. 5. Metaph. *Quiditas est tantum quiditas.* Ad secundum non est eadem generatio nisi substantiæ per se, alia non generantur nisi per accidens, quia cõsequuntur ad substantiam generatam, sicut de aliis proprietatibus. Ad secundum argumentum, cuiuslibet substantia est vna per se non primo modo, sed secundo, etiam secundùm Aristotelem, quia ista sunt passiones entis, inquantum ens. Ad argumentum Commentatoris, standum est in secundo, non in primo.

Substantia tantum generatur per se.

21 Si obiicitur contra hoc, quia 10. huius, t. c. 6. & 7 *ens & vnum æqualiter consequuntur omnia,* &c. Responsio. Æqualitas proportionis est inter ens & vnum: quia sicut *aliquid* consequitur ens, sic proportionabiliter *vnum* consequitur ipsum: sed non est æqualitas in consequendo hæc & illa, ita quòd sit æqualitas in consecutis, require expositionem ibi in 10. Contrà: si *vnum* ex sua ratione sit accidens enti; ergo cuilibet enti erit accidens. Respondeo: vbicunque erit accidens, sed non cuilibet per accidens est idem, sed substantiis, & aliis à se, sic per accidens erit, quòd non idem essentialiter: sibi autem est idem essentialiter. Ad aliud de perfectione simpliciter: Respondeo: perfectiones simpliciter, quæ præsupponunt vbicunque naturam entis per se completam in se, non magis identicè insunt enti per se, quàm enti in alio: nisi illud ens per se sit infinitum: tunc enim quicquid ei inest magis identicè inest, quàm cuilibet alij. Ratio primi est; quia tales perfectiones ex ratione sui semper sunt accidentia, sic quòd ex se non habent plus identificari substantiis, quàm vt accidentia. Sed si sint alicui non accidentia, vel plus identificentur quàm accidentia, hoc est propter illimitationem substantiæ, in qua sunt. Quamuis autem substantia creata ponatur alia vnitiuè continere, puta omnia sine quibus sua essentia non intelligitur, perfecta, tamen illa quæ ex ratione sua sunt extra essentiam, non continebit vnitiuè; cuiusmodi sunt ista; ita quòd distinctio vnitiuè contentorum præcedentium intellectum, similiter & consetium nulla videtur.

Æqualitas proportionis inter ens & vnum.

Ex ipso Scoto.

An perfectio effectus sit in causa?

22 Ad aliud de causa; fortè verum est de causa effectiua non originante, vel saltem non de subiecto: & tunc ista accidentia effectiuè causantur à producente substantiam. Aliter quòd maior est vera de perfectione simpliciter illimitata, quæ scilicet ex ratione sui non exit genus per se entis, nec cadit in accidens, aliter non est vera, nisi de causa simpliciter infinita. Ad aliud de subiecto, vnitas non est accidens consequens esse, sed tantum essentiam, sicut fortè ipsum esse est accidens: tale accidens tantùm quiditatem subiecti præsupponit, non aliquam dispositionem additam. Aliud non est nisi contra tenentes hypothesim de obiecto. Aliter illud argumentum est contra alios: quia quantumcumque sit identitas realis vnitatis per entitatem nihil valet ad saluandum ens per se intelligi, si verum sit obiectum: quia tanta differentia est quantùm ad intellectum, ac si esset differentia realis, quia isti sunt ita diuersi conceptus de vero, & de ente, quasi essent duæ res in eodem. Pro illa opinione Auicennæ sunt illa quæ ponuntur in 5. q. de numero Prædicamentorum. Contra secundam opinionem quære ibi. Similiter alia argumenta, ad quæ nunc est responsum, sunt aliquo modo contra partem oppositam de continentia vnitiua, quia saltem entitas, prior est naturaliter illi perfectionibus vnitiuè contentis: arguebatur ergo de illa inquantùm prior est.

Quale accidens est vnitas?

SCHOLIVM VII.

CONTRA *allatam sententiam tria facit argumenta, & soluit, notando illa falsò ab Auerroe tribui Auicennæ, qui tantùm voluit* vnum *esse accidens, id est, extra essentiam entis; & sustinendo* vnum *non distingui realiter ab ente, neque solùm ratione, quod idem est, ac distingui ex natura rei, vel formaliter; soluit quinque argumenta hoc eodem dub. 4. allata, quatenus contrariantur huic sententiæ. Vide Anton. Andr. hîc q. 3. & Ant. Trombetam q. 3. qui clariùs nonnihil ista tractant.*

23 Contra opinionem Auicennæ arguitur: quia impossibile est aliqua mutuò sibi accidere; ergo veritas non esset vna, nec vnitas vera, & hoc est quærere quis sit ordo per se istorum accidentium, quod primum, quod secundum: & ita secundum non erit subiectum primi. Item, processus in infinitum, quia istæ res in aliquo conueniunt, & non sunt omnino idem; ergo in aliquo differunt: quæro ergo quo? illud adhuc erit alia res ab vtroque, & conueniet cum illis, & differet, & erit dare quo etiam: sic infinitæ res. Item, pluralitas nunquam ponenda est sine necessitate 1. Physic. t. c. 59. hîc nulla necessitas. Probatio, ista ex ratione sui non sunt accidentia, quia cùm secundùm eandem rationem formaliter sint in Deo, essent ibi accidentia; ergo quòd sint accidentia, non erit nisi quia substantia non potest ea vnitiuè continere. Sed si alia potest vnitiuè continere, multò magis ista, quæ omnem entitatem inseparabiliter sequuntur; ergo, &c. Item, quomodo posset Deus separare ab hoc suam entitatem, & dare sibi aliam; tunc videretur quòd maneret idem & aliud.

Ad primum istorum: sicut oportet secundùm aliam partem dare ordinem istorum secundùm naturam, ita quòd vnum immediatiùs inest essentiæ, quàm aliud, ita dabitur hîc ordo: & tunc ens per se denominabitur à quolibet; primum etiam fortè à posteriori, sed posterius à priori, non nisi per accidens. Ad secundum patet responsio suprà, vbi responsum est ad illud argumentum de conceptu entis, per quid distinguatur. Ad tertium videtur necessitas quòd quicquid est posterius quiditate perfecta in specie sua, accidens sit si illud est receptiuum accidentium, per hoc excluditur Deus.

Sup. nu. 6.

24 Nota ergo quòd argumentum de obiecto intellectus simpliciter commune est vtrique parti. Similiter illud de ordine istorum. Similiter alia possunt aliquo modo adduci, eo modo quo ponitur ibi differentia. Nota etiam, quòd opinionem istam de diuersitate reali non oportet imponere Auicennæ, licèt Auerroës videatur sibi imponere: quæcunque enim dicit Auicen. 3. Metaph. suæ, vel 7.

Saluat Auicennam.

vel 7. de hac materia exponi possunt, quòd accidens est quicquid est extra per se intellectum quiditatis, sicut ipsemet loquitur in suo 5. *quiditas est tantùm quiditas, nec vniuersalis, nec particularis,* &c. hoc est, nullum istorum actu includitur in intellectu quiditatis; sed quasi prius naturaliter pręsupponit quiditatem, sed fortè hoc non necessariò ponit quòd sint accidentia, sed vnitiuè contenta.

Resolutio de distinctione vnius & entis.

Ens & vnum distingui non realiter nec ab intellectu.

Sustineri ergo potest opinio illa de identitate reali sic, quòd sicut essentia diuina infinitas perfectiones continet, & omnes continet vnitiuè, sic quòd non sunt aliæ res: sic essentia creata potest aliquas perfectiones vnitiuè continere: tamen quælibet in Deo est infinita, & ideò propriè non potest dici pars vnius totalis perfectionis: Nec ab aliquo potest sumi ratio generis & differentiæ quæ semper per se importent partem perfectionis speciei passibilem & actualem, & ideò perfectionem limitatam: in creatura quælibet perfectio contenta limitata est, & limitatior essentia continente secundùm totalitatem constituta; ideò quælibet potest dici pars perfectionis, non tamen realiter differens quòd sit alia natura, sed alia perfectio realis, alienitate, inquam, non causata ab intellectu: nec tamen tanta quantam intelligimus, cùm dicuntur diuersæ res, sed differentia reali minori, si vocetur differentia realis omnis non causata ab intellectu. Exemplum huius, quale in continuo, in quo sunt multæ partes, ista multitudo est realis, sic quòd non causata à ratione: non tamen tanta, quantam hîc intelligimus, diuersæ res; sed minor realis, quia multitudo non simpliciter diuersorum, sed aliqualiter diuersorum, in vno tamen toto contentorum. Sic intellige hanc differentiam hîc, nisi quòd hîc per identitatem quælibet perfectio contenta est ipsa continens: licèt hîc vt præcisè, non est illa vt tota. In continuo autem nulla pars simpliciter per identitatem, est ipsum totum: de ista continentia vnitiua & differentia contentorum quære, &c.

Multitudo in continuo non est realis simpliciter.

25

Ad argumenta ergo in contrarium. Ad primum, non est nugatio, quia diuersis perfectionibus nomina imponuntur, quare nulla in parte intellectu alterius clauditur. Ad secundum, denominatio propriè est: quia præsupponitur natura in se perfecta: non tamen denominatio ab alia natura, quia hîc vnitiuè continetur. Ad tertium: dicere omnem numerum substantiarum esse substantiam, videtur inconueniens, quia illa forma numeri, qua numerus est ens, & vnus, non est aliqua substantia; potest enim substantiis adesse & abesse ipsis manentibus; ergo omnis numerus est accidens, sed non omnis vnitas, nisi illa sola quæ est accidentis. Contrà: quomodo substantia est pars accidentis, cùm totum non possit in aliquo esse: nisi pars sit in aliquo, & ita nisi sit accidens? Respondeo, numerus ratione discretionis, quæ forma est eius, est accidens, vnitates verò non sunt per se partes eius: quia ipse est forma simplex, sicut aliud accidens, sed vnitates sunt quasi partes subiecti eius, quia subiectum eius est aliquid continens partes, in quibus est numerus per se, non autem in aliqua vna, & hoc distinguit numerum ab aliis accidentibus. Contrà: si subiectum eius habet partes; ergo est quantum, qua quantitate? non illa; ergo continuitate, hoc negas. Ad quartum patet, quomodo concludit accidentalitatem, hoc est extra essentiam per se. Ad quintum, multitudo non est vna per se primo modo, sic intellige inquantum, sed per se secundo modo: est autem ens primo modo; ergo non idem per se intellectus entis & *vnius.* Ad argumenta contra opinionem, in quæstione de distinctione Prædicamentorum, quære ibi responsionem.

Vnitates an partes per se numeri.

26

Contra istam viam secundam, videtur sequi ex ipsa, quòd nihil potest perfici ex diuersis essentiis. Probatio, qua ratione essentia creata potest vnitiuè continere aliquam perfectionem, eadem ratione & omnem, sine qua non potest essentia esse perfecta, & ita nulla differentia substantiarum, qua ratione etiam vnum accidens continet, vt vnitatem numeralem, eadem ratione & alia: & ita quælibet erit simplex non habens in se multas essentias. Respondeo: compositio concluditur per viam separationis. Probatio: si A transmutatur manente B hæc differunt essentialiter. Hoc medium est de loco de materia respectu formarum, de substantia respectu quantitatis. Vltrà, quando fortè est intransmutabile, adhuc non concluditur identitas essentialis: sicut si circulus semper esset in aëre. Sed tunc considerandum si aliquid eiusdem rationis sit alibi, & ibi sit accidens; ergo hîc, quia quod vni est accidens, illud manens eiusdem rationis, nulli est substantia. Exemplum de perspicuitate in cælo & electro. Vltrà, quando fortè alibi nusquam inuenitur, ascendendum ad eius genus, & alicuius alterius: & considerandum est de illo quòd per se respicit illud genus, si est essentialis coniunctio quòd non ostenditur de alia specie comparata ad aliam speciem: verbi gratia, Socrates iunior dicit, si forma circuli nunquam esset extra materiam auream, adhuc aurum non esset de essentia circuli; ergo nec prima via valet, nec secunda, hîc ergo est vtendum tertia. Similiter se habet figura in genere, ad materiam sensibilem in genere, & circulus ad hanc materiam auri, & quælibet alia figura ad suam materiam; sed de essentia trianguli non est lignum; ergo à simili, nec de essentia circuli aurum, demus quòd sit proportionabilitas. A quibusdam additur quando ista habent proprias virtutes actiuas, & proprias actiones: tunc non est continentia vnitiua, quandò etiam aliquod prius potest esse sine aliquo posteriori in existentia actuali: tunc non est continentia talis: exemplificat de forma elementari respectu formæ mixti.

1. Physic. t. c. 26. & 27.

7. Metaph. t. c. 39.

Inseparabilitas nõ arguit identitatem essentialem.

Vide Scot. 2. d. 2. q. 2. §. cõtra istud, n. 3.

Contra hanc additionem: Si alia essentia potest in se continere plures perfectiones diuersas formales, & quamlibet consequitur propria virtus actiua, & propria actio. Primum tunc non valet, nec secundum, quia semper perfectio superioris potest inueniri sine hoc inferiori; ergo nunquam vnitiuè continebatur. Antecedens patet, quia in alio inferiori inuenitur. Ad argumentum illud de compositione, diceretur fortè ab aliquo, quòd nunquam potest concludi compositio substantiæ, nisi ex materia vna & forma vna: & materia concluditur ex transmutatione, sed de accidentibus est aliud, quia manente vno non variato, aliud quandoque variatur, & quandoque è conuerso. Nota pro tertio argumento, ad quod respondetur suprà, quòd numerus est accidens simplex non habens materiam nec formam, sicut nec albedo; ergo est essentialiter

Quomodo cõcluditur compositio substãtia.

Numerus est accidens simplex.

liter discretio si illa est in rebus: tunc substantia hæc vna, & substantia illa vna, sunt subiectum proximum discretionis: nec est vnitas pars discretionis, nec pars subiecti, quia subiectum discretionis non præintelligitur quantum, cùm discretio sit prima quantitas, quæ sibi inest, sed præintelligitur hæc substantia vna, & illa substantia vna.

27

Contrà: ergo quomodo saluatur quòd vnitas est pars numeri? Respondeo: numerus sumitur tunc, non pro discretione tantùm, quæ est essentialiter numerus, habens partem & partem; sed pro composito ex illa discretione, & proximo susceptiuo in subiecto, id est, vnitatibus, & illud totum compositum est sicut caro quanta: & sicut huius totius assignatur pars, hæc caro: ita & numeri vnitas: nam vnitas formaliter non habet rationem partis, sed per partem discretionis fundatam in ipsa fit pars, sicut patet de carne. De illa continentia vnitiua sciendum, quòd nihil vnitiuè continens, mutabile est secundùm illud quod continet, quia enim hæc essentia ideò continet istam; ergo si non continet, fit non hæc. Item, licèt vnitiuè continens non possit mutari idem numero secundùm aliquod contentum, tamen aliud potest fieri continens aliqua illorum contentorum, & non alia, sicut sensitiua, respectu intellectiuæ: & si illud aliud possit esse eiusdem speciei cum isto, tunc argueretur ex diuersitate illius ad istud, sicut si aliquid idem numero mutaretur. Respondeo; quæ sustinet posse probari compositionem per mutabilitatem in vno, alio non mutato, non videtur sufficiens: si de magis & minùs in eadem forma ponatur identitas realis.

Quomodo vnitas pars numeri?

De vnitiuè continente si comparetur ad multa ad quæ vnita fieri semper comparantur, & quæstio, an ipsa inquantùm sic illimitata, sic comparetur, vel in quantùm limitatè continens hanc perfectionem: verbi gratia: si Deus inquantùm infinitus in perfectione omni, creat omne causatum: si essentia animæ inquantùm illimitatè continens omnes potentias, sit immediatum principium operandi: si albedo est obiectum visus, sensus communis & intellectus: videtur quòd sic de omnibus istis, quia tale continens est causa alterius ordinis, quàm perfectio contenta esset causa, quia Deus æquiuoca, & perfectio cōtenta vniuoca. Item, si limitatum inquantùm limitatum potest, multò magis illimitatum. Item, si voluntas nullam volitionem causat, nisi inquantùm habet in se perfectionem illius: & inquantùm habet illam, non habet perfectionem oppositam; ergo sub nulla ratione vna, potest elicere oppositas volitiones, & ita non inquantùm libera.

28

Contrà: actiones distinguuntur per principia elicitiua. Item, tunc essentia esset immediatum principium generationis in Deo. Item, potentiæ non distinguerentur per actus. Item, nec per obiecta. Item, nihil est per se alicuius causa, vel obiectum, inquantùm A, si amoto A, eodem modo habet rationem causæ & obiecti: Sed amoto per intellectum alio contento in isto, dummodò contineat perfectionem istam: eodem modo causabit, vel erit obiectum; ergo, &c. Respondeo; omne continens aliquam perfectionem vnitiuè alio modo habet eam in se, quàm illa haberetur vbi esset sola, & præter hoc cum illa aliam perfectionem continet, vtraque differentia potest poni eiusdem illimitationis, si intelligatur de prima. Respondeo ad quæstionem, quòd sic probant prima duo argumenta. Si de secunda non probant argumenta contrà.

Ad argumentum pro prima parte de voluntate, respondeo quòd quando contentum respicit contentum, nunquid continens respicit aliud continens? non oportet in causalitate, quia tunc Deus crearet Deum: fortè in obiecto & potentia aliter est, patet in Deo. Alio modo inferius continet vnitiuè perfectiones superiorum in Prædicamento; aliter disparatorum superius, id est, nobilius continet in se perfectionem minùs nobilem. Continentia vnitiua in vno extremo non requirit continentiam primam in alio, sed communitatem, aliquando benè habet secundam continentiam ponendo ista esse idem re: vnde cognosceretur ordo eorum, ordo contentorum vnitiuè cognoscitur ex operationibus. Item, ponendo eas esse res diuersas, quo amoto amouetur aliud. Similiter quòd adueniret cui præsupposito, vniuersaliter quæcunque competerent vnitiuè contentis propter se rationes ipsorum, si essent res diuersæ competunt eis vnitis: non enim rationes eorum pereunt. Sed propter perfectionem continentis fiunt sibi idem, sicut si in manu multa corpora ponantur, & ex perfecta compressione manus fiant omnia vnum corpus, nullius ratio per se perit. Sed exemplum non est omnino simile.

Responsio ad quæstionem.

Ordo contentorum vnde cognoscitur.

ANNOT. MAVRITII.

29

Sequitur q. 2. de identitate entis & vnius, t. c. 3. quæ etiam notabilis & difficilis, & valde subtilis, vt patet, & magnæ altercationis inter opinantes antiquos, & modernos; in qua Doctor etiam problematicè incedit, sustinendo probabiliter viam Auicennæ, & oppositam, quæ videtur Auerroïs licèt diminutè, quære eum in hoc 4. Comment. 3. & 10. huius Commen. 8. Adducit ergo primò rationes pro Auicenna & adiungit euacuationes, & addit replicas, & sustinendo eius opinionem soluit principalia post oppositum. Deinde arguit contra ipsum, & sustinendo oppositum opinionis eius soluit principalia ante oppositum. Cōsequēter respondet ad illa argumēta facta contra Auicennam: & addit duas rationes fortiores. Demùm respondet ad quæsitum quodammodò moderando, sed declinādo ad opinionem Auicennæ, & iterùm resumit argumenta post oppositum, & soluit & declarat pulchrè, & illa vltima argumenta contra Auicennā facta soluit, in quo toto processu subtilissimè vtraque viā sustinet, sed magis Auicēnæ. Vlterius resolutionē quæst. reducit ad quatuor dubia principalia, in quibus se dilatat.

Litera tota vsque ibi: *Quantùm ad primum*, &c. est satis benè ordinata, & correcta, & totaliter legenda.

Opiniones plurium hîc currunt, vt Stoïcorum, Pythagoræ, & Platonis, & Alber. & Tho. 1. p. q. 11. quas quære vt scis.

Aduerte ad illam remissionem, ibi: *Quantùm ad primum sit vt habes suprà*, &c. potest referri ad ea quæ præmisit in hac quæstione pro Auicēna arguendo, & aliqui libri non habent q. 2. & benè; vel si addatur, dic quòd totum sequens est tanquam additio q. principali, & quòd ibi additur: nota in summa: intellige sic: hoc est non summa

summariè ex pluribus ibi dictis in arguendo,&c. vel fortè remittit se ad summam Henrici,ad quam sæpènumero recurrit in hac Metaphysica,&alibi: Quære si volueris.

Infrà,ibi : *Quòd dicatur priuatiuè*, &c. vsque illuc:*de secundo*, &c. posset assignari *Extra* , sed posito quod sit de litera , faciliter soluitur ex dictis,primò dictum Aristotelis,& loquitur concomitanter,vel non formaliter. Vel aliter quòd accipit multitudinem & indiuisibile pro substrato, vt patet in expositione Commentatoris ibidem. Verum enim est quòd vnitas importat priuationem,vel negationem,sed non præcisè , nec etiam positiuum,quod est formaliter ens. Similiter dicatur ad dictum Auicennæ & quærantur dubia literalia,10. in a. vbi hoc optimè habetur.

Quod consequenter habet inferiùs ibi;*vna ipsa multitudo* , &c. potest solui totum sustinendo partem primam , quòd loquitur Aristoteles & etiam Auicenna de *vno* vt est passio distincta , & non vnica,prima verò pars potest intelligi de passione vnica. Vbi scire debes quòd per totum ad vtramque partem ingeniosè probabilia adducit, etiam soluendo hæc dubia.

Firmissimum autem principium omnium est circa quòd impossibile est mentiri. *t.c.*8.

Idem enim simul esse , & non inesse eidem , & secundùm idem impossibile, & quæcunque alia determinaremus vtique sicut determinata ad Logicas difficultates , hoc autem omnium firmissimum est principiorum. *t.c.*9.

QVÆSTIO III.

Vtrùm hoc principium: Impossibile est idem simul esse , & non esse , *sit firmissimum?*

Arist. *hic cap.*3.*text.* 8. Alen. *ibid.& c.*4.*&* 5.D. Thom. 4.*Met. lect.*6. Albert. *ibid tract.*2. *cap.*1. Anton. Andr. *q.*4. Trombet.*q* 5. Fland.*quæst.* 6.*art.*2 *&* 3.Fons. *c.* 3. *q.*1. Suar. *disp.*3. *Met.sect.*3. Meurisse *lib.*2.*Met.cap.*1. *quæst.*2.

1 QVòd non, tum quia falsum : tum quia aliud notius : tum quia contingit dubitare de eo. Probatio primi , alia opposita possunt inesse eidem ; ergo contradictio, cùm includatur in aliis: quod contraria possunt , 2. Topic. cap. 10. cuicunque inest genus,& species aliqua siue in prædicatione essentiali, siue denominatiua : sed scutum , cuius medietas est alba , & alia medietas nigra est coloratum ; ergo denominatur ab aliqua specie coloris , qua ratione ab albedine , eadem & nigredine ; ergo simul est album & nigrum , & ita contraria de relatiuè oppositis sic: hoc est duplum ad hoc, ergo duplum:oppositum consequentis non stat cum antecedente : ergo à simili , hoc est dimidium ; ergo est dimidium; ergo idem est dimidium,& duplum. Item, aliqua consequentia est bona in qua oppositum consequentis non infert oppositum antecedentis;ergo &c. Probatio antecedentis , tum in vniformi de contingenti,tum in aliis instantiis,lapis videt; ergo aliquid habens oculos videt : tamen ex opposito consequentis non valet. Ad propositum, si oppositum consequentis non infert oppositum antecedentis, potest stare in veritate cum antecedente,& cum quo stat antecedens & consequens: & sic consequens & oppositum consequentis.

Quoad secundum,scilicet quòd aliquid sit notius isto ; probatur 4.huius, text.com.16. notior dictio quàm opposita negatio , hæc est negatiua. Item in syllogismo ex oppositis conclusio debet esse notior in falsitate ipsis principiis : conclusio autem negat idem à se , in præmissis autem sumuntur opposita : ergo notius. Item , contingit de eo dubitare. Probatio ; omnis cognitio ortum habet à sensu : sed circa omnem cognitionem sensitiuam contingit errare ; ergo circa intellectiuam. Item , contingit scire in vniuersali, & ignorare in particulari 2. Priorum : text. com. 20. ita quòd contingit opinari oppositum in particulari:sed illud est contradictorium sciri,vt omnem mulam esse sterilem,& istam non;ergo contingit opinari contradictoria.

SCHOLIVM VNICVM.

*I*LLVD *principium : impossibile est , &c. esse firmissimum,nec posse de eo dubitari. Vide Doctorem de hoc , optimè rem explicantem in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 4. *art.* 2. *num.* 8. *& quæst.* 1. *prolog. ad* 3.*&* 1.*dist.*8.*quæst.*5. *num.*24.*& in* 4. *Met.text.*8. *vide etiam Anton. Andream hic q.*4. *& Anton. Trombetam quæst.* 5. *habet pulchra logicalia in solutione argumentorum.*

2 Ad oppositum Philosophus text. comment.8. propter tres conditiones, quòd *non contingit dubitare*, quòd *non est conditionale* , quòd *necesse est venire ad habentem*. Istæ sunt conditiones firmissimi principij. Probatio primæ secundùm Commentatorem,Comment.9.huius 4. quòd *non contingit dubitare:*quia si sic,posset opinari contraria inesse eidem:vt quòd idem calidum & frigidum. Probatio secundæ , quòd *non conditionalis* ; quia omnes propositiones reducuntur ad illam. Item, est principium omnium dignitatum : ergo non potest acquiri per aliud; ergo statim cognoscitur cognitis terminis.

Cõtra ista,quòd prima declaratio nõ valet:quia petit : quia consequens non magis inconueniens, quàm antecedens:quia si opinatur contradictoria esse simul,multò fortiùs contraria. Dicitur,quòd est magis impossibile secundùm sensum.

Contrà : Philosophus dicit in fine huius quarti, text.comment.25. & infrà, quòd nullus sensus dicit simul esse,& non esse. Item, hîc non arguit contra negantes primum principium , sed probat recipientibus ipsum principium quòd sit notissimum : notius autem mihi est secundùm intellectum , quòd contrariæ opiniones non possunt simul esse in anima mea , quàm quòd istud principium sit firmissimum : ergo non oportet fugere ad aliquid notius secundùm sensum hîc. Item, in consequentia Commentatoris est fallacia Consequentis : quia ad contraria sequuntur contradictoria : benè autem contingit opinari , vel scire consequens , licèt nunquam sciam , vel opiner antecedens , patet in multis. Vnde notandum , quòd non ducit ad inconueniens quòd aliquis opinetur contraria opinata , sed quòd contrariæ opiniones sunt in anima , cuius sunt opiniones contradictoriorum. . . . . . .

Stat scire cõsequens,& nõ antecedens.

vadit ad opinata. Aliter declaratur prima conditio sic: Species intelligibiles se habent ad intellectum, sicut formæ materiales ad materiam: sed formæ oppositæ non sunt simul in materia; ergo nec species contradictoriorum sunt simul in mẽte. Tamen illud non valet: quia tunc non contingeret scire multa contraria simul, quod falsum est, quia species contrariorum sunt simul, etiam in visu, aliàs simul non iudicaret de contrariis: ergo multò fortiùs in intellectu sunt species contradictoriorum; ergo non sunt contradictoriæ.

Species contrariorũ sunt simul in potentia.

EXTRA. 3

Item, contradictoria intelliguntur per eandem speciem, quomodo magnitudo actu infinita, intellectione simplici: vel aliquid sub suo opposito: quia de hoc præsupponitur priùs in secundo, & ibi, per te, non ponitur habitus, sed species simplici intellectione, & species contrariorum simul. Respondeo, intelligitur intellectione apprehensiua, non assensiua qualis est intellectio complexi per habitum. Contrà: nullum intelligibile simplex intelligitur intellectione assertiua, quomodo ergo aliter magnitudo, & magnitudo infinita ab intellectu simplici apprehenduntur? non valet dicere quòd duabus intellectionibus simplicibus intelligitur magnitudo, & infinitas, quia tunc nulla repugnantia intelligitur, saltem non nisi sub ratione repugnantis.

Contraria opiniones non possunt esse simul in mẽte.

Item, arguitur quòd non sequitur, ipsum contingit opinari duo contraria inesse simul: opiniones contrariorum sunt repugnantes, opiniones contrariæ sunt reales in anima: ergo non possunt esse ibi in intellectu: ideò arguitur contrarias opiniones esse in mente, hoc est impossibile, licèt contrariæ species simul possint esse in mente, non opiniones. Opinio est habitus quidam realis, & habens esse reale in anima, scientia & virtus, & tales habitus non habent esse rationis in anima, immò realiter sunt ibi, & non alibi; ergo si duo habitus rationales contrarij in anima, contraria realia essent in anima: species autem non habent esse reale: vnde sicut impossibile est, quòd ignorantia dispositionis, quæ est quidam habitus, sit in anima simul cum scientia, sic nec opiniones: nec enim sunt intellectiones repugnantes, sed species. Contra istam declarationem: eadem est scientia contrariorum, scientia habitus est; ergo oppositorum idem habitus est. Item, opiniones contrariorum sunt contrarię, non ergo contradictoriorum sunt contrariæ. Antecedens patet secundùm Philosophũ 2. Periher. cap. vlt. vbi dicit secundùm quod opposita, sunt opiniones. Item, videtur petitio, quia non magis videtur inconueniens, scilicet inconueniens ad quod deducit, & illud ex quo sequitur.

Ignorantia & scientia repugnant in eodem.

4

Ad primum circa intellectum simplicem non est assensus, vel dissensus: quia si assentiret, tunc componeret, vel diuideret: istorum incomplexorum est eadem scientia, id est, species: quia non ponerem habitum illorum nisi speciem: non enim ponerem habitum, nisi vbi est dissensus, vel assensus: vnde visus non assentit, sed intuitiuè fertur in obiectum, vnde scientia accipitur ibi pro specie. Et similiter conceditur quòd omnium, scilicet contrariorum complexorum eadem est scientia: quia scio hoc esse verum: & aliud esse falsum, non idem habitus quo adhæretur, & assentitur huic & illi, sed quo assentitur huic & dissentitur alteri. Ad aliud: concedo argumentum: vnde non accipio hîc, *contraria*, propriè: sed esse idem

Scientia est cõtrariorum, axponitur.

quod repugnantes: & hoc sufficit ad opinionis probationem. Ad aliud, infertur simpliciter magis impossibile: quia probat hoc principium esse firmissimum, quia non contingit dubitare: quia da oppositum: tunc sequitur quòd sit falsum: magis notum est impossibile esse quòd sit falsum, quàm contingere dubitare de primo principio, quia multi dubitant vtrùm sit firmissimum: qui tamen non credunt esse falsum. Sed in aliis principiis & communibus conceptionibus ex hoc quod contingit circa ea dubitare, non sequitur ipsa esse falsa.

Ad primum principale, consequentia bona est, antecedens est falsum. Ad probationem, regula tenet in prædicatione essentiali. Sed hoc non valet, quia Philosophus ponit exemplum vbi sunt denominationes. Aliter, *quidquid denominatur*, &c. denominatur à specie, vel speciebus, & hoc simpliciter vel secundùm *quid*, sic est scutum non simpliciter, sed secundum *quid* album, &c. Ad aliud, consequentiæ sunt bonæ & sunt consequẽtiæ Aristotelis in Prædicamentis, vbi probat quòd *magnum* & *paruum* non sunt contraria, quia dicuntur de eodem, vt mons magnus & paruus in respectu ad diuersa: quando accipitur: relatiua dicuntur de eodem; ergo relatiuè opposita; non valet, quia non omnia relatiua sunt opposita relatiuè, vt iste est pater & filius, sed non sunt relatiuè opposita, nisi vbi dicuntur de eodem, vt inter se referuntur, vel respectu eiudem tertij: prima responsio melior. Et si infers aliter, erit fallacia, ignorantia Elenchi. Ad aliud eo modo quo prima consequentia est bona, & alia.

Scot. 1. d. 3. q. 4. art. 2.

An relatiuè opposita possunt esse in eodẽ. Scot. 2. d. 2. q. 7. ad 3. & 4. d. 10. q. 2. ad 4.

Ad probationem de contingenti &c. dici potest quòd Philosophus non propter aliud negat mixtionem de necessario & de contingenti respectu necessarij, nisi quia non potest inferri aliqua propositio determinata de necessario, sed vna quæ est consequens ad omnia de necessario, modò non valet, si consequens sequitur ad consequens, antecedens ad antecedens. Similiter ex isto syllogismo, conuersio vniformis contingenti non sequitur aliqua opposita determinata de necessario affirmatiua, vel negatiua, sed vna opposita præcisè sequitur, quæ est consequens ad omnes de necessario, scilicet non contingit omne B, esse A, vbi non negat Aristoteles conclusionem necessariam sequi, sed determinatam necessariã.

5

Ad aliud: non est formalis consequentia, nec prima, nec secunda consequentia, quia reducuntur in syllogismum, sicut quodlibet enthymema. Et debet sumi talis minor ad hoc quòd sequatur formaliter, scilicet quòd lapis habet oculos, tamen de se non est manifesta; ideò non valet. Vnde illa regula in sophismatibus: *Quicquid sequitur ex antecedente & consequente: sequitur ex antecedente per se,* non valet. Ideò dicit Boëtius, subiicetur propositio de se manifesta.

Quod sequitur ex antecedente, & consequente etiam *exponitur.*

Ad aliud, similiter non valet: omnis homo quẽ tu nescis, vel vides currit; ergo tu curris: quia illud ad quod descenditur non continetur sub distribùto. Similiter secunda consequentia non valet *ex opposito*, &c. Ad principale de firmissimo: dico quòd illud principium est affirmatiuum formaliter, sicut hoc: non impossibile est hominem currere, valet istam, possibile est hominem currere. Similiter illud principium, impossibile est idem simul esse & non esse, valet hanc: necesse est idem, non simul esse & non esse, vnde dictum negatur, non modus.

Impossibile est idẽ esse, & non esse, *est affirmatiua expositio.*

Ad

6 Ad aliud: multi syllogismi docentur ex hypothesi, quia tali modo contingit arguere, non quia per illos modos contingit aliquid probare: probatio istius docet ibi probare ex syllogismo ex falsis, & per illos nunquam probabitur aliquid. Similiter de circulari syllogismo, per quem non contingit probare, immò eo ipso quod est circulare, non probat: Vnde dico quòd est notius, *impossibile idem simul esse, & non esse*, quàm negatio eiusdem de se: vnde licèt negaret quòd idem non sit ipsum, nec non ipsum, tamen nunquam diceret quòd idem sit ipsummet, & quòd non sit ipsummet.

Scot. 1. d. 3 q. 4. a. 2. deceptio sensus non falsificat principium.

Ad aliud: omnis deceptio, quæ potest fieri extrà per sensum, non falsificat primum principium, vnde nunquam aliquis sensus quoad hæc, dicit quòd hoc sensibile sit hoc, & non sit hoc in eodem instanti.

Ad aliud, verum est, & est causa, quia non pertractatur minor cum maiori. Vnde vult Philosophus quòd maiorem solùm contingit prius scire tempore, quàm minorem & conclusionem, tamen eodem tempore scitur maior & conclusio, & minor si applicentur. Vnde ad formam, quando dicit, contingit ignorare in particulari & scire in vniuersali, verum est propter hoc quòd nesciτur istud particulare contineri sub vniuersali: si tamen scirem & applicarem, tunc non: consequentia non valet; non enim opinor contradictoria, nisi opiner hanc mulam esse contentam sub mula: & hoc nõ facio per positum, nec sequitur, dubito hanc; ergo aliqua, sed est fallacia Consequentis: certum enim sum hanc esse falsam: Aliqua mula non est sterilis, sed non oportet scire quòd hæc est fallacia, ergo &c. quia sicut antecedens verum ad veritatem consequentis, sic falsitas consequentis ad falsitatem antecedentis.

Contingit scire in vniuersali, & ignorare in particulari, *exponitur.*

ANNOTATIO MAVRITII.

7 Sequitur tertia quæstio text. comment. 9. de primo principio firmissimo simpliciter quoad nos pro euidentissimo, verissimo, certissimo, sine quo nihil scire contingit demonstratiuè, similiter indemonstrabili, atque perpetuæ veritatis; licèt aliqui eius oppositum crediderint ex electione, vel sensu moti, de quibus & eius variis conditionibus & opinionibus diuersorum circa ipsum. Quære in hoc 4. sed singularissimè apud istum. Vide 1. q. prolog. & 3. dist. 1. quæst. 4. & alibi pluries.

Determinatio Doctoris hîc satis clara est, tenendo cum Philosopho partem affirmatiuam secundùm Commentatoris declarationem, & probationem non acceptat quoad primam conditionem primi principij in litera.

Infrà ibi: *Aliter declaratur*, &c. quære sic opinantes, vide Henric. & Albert. & Alex. de Ales. & alios antiquos de quo magis q. 7. 5. lib.

Consequenter ibi: *Item contradictoria intelliguntur* &c. vsque illuc: *Item vel idem arguitur*, &c. ponitur à quibusdam esse, *Extra*, vbi tamen litera variè habetur in originalibus, vt patet.

Processus Doctoris hîc est breuis & obscurus, quare aduerte ad singula diligenter: præsupponit bonam Logicam & Sophisticam, quære copiosè Franc. de Mayr. in prolog: Confla. & in tractat. de primo Princ. & alios alibi.

Quale verò nec contradictionis medium nihil esse contingit, sed necessarium aut dicere, aut negare vnum de vnoquoque. *text. com.* 27.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm inter contradictoria sit medium?

Arist. *hic cap.* 4. *text.* 17. Albert. 4. *Met. tract.* 2. *c.* 4. *& seq. Et tractat.* 3. *cap.* 1. *& seq.* D. Thom. *ibidem lect.* 7. Flandr. *quæst.* 8. *art.* 2. Fonf. *cap.* 4. Suar. *disput.* 3. *Met. sect.* 3.

1 *Text. com.* 7.

Qvòd sic 2. huius, semper enim est medium esse & non esse generatio; ergo &c. Item, inter extrema plus distantia, sunt plura media: ergo inter infinita distantia, infinita media; contradictoria distant in infinitum, quia non contingit intelligere maiorem distantiam: quia si sic, illa erit sub contradictione, *omni finito contingit intelligere maius*. Item, inter omnia relatiua relatio est medium: contradictoria referuntur ad inuicem; ergo erit relatio media. Item, ibi est medium per abnegationem, quia scutum cuius medietas est alba; & medietas nigra, non est album, nec non album. Item, si non esset medium, tunc de quolibet alterum, sed hæc falsa: Omnis homo albus, & hæc: Omnis homo non albus.

SCHOLIVM I.

INTER *contradictoria nullum esse per se medium; de quo vide Doctor.* 1. *dist.* 2. *quæst.* 1. *n.* 29. *&* 2. *dist.* 2. *quæst.* 9. §. ad rationem de contradictoriis num. 34. *sed cum ly* inquantùm, *vel simili, habent medium* 1. *distinct.* 5. *quæstione* 1. *num.* 14. *circa solutionem primi principalis, habet acutissimas replicas.*

Oppositum vult Philosophus 2. Poster. text. comment. 5. contradictio est oppositio, cuius non est medium secundùm se. Contra diffinitionem: quia non est propria, quia contingit contrariis immedietas. Dicendum, quòd diffinitio est multiplex: eo quòd negatio possit negare perseitatem, vel est ibi perseitas negationis: tunc est intellectus, quòd perseitas affirmatur: tunc est oppositio, cuius secundùm se non est medium: ex hoc sequitur: cuius nullo modo est medium. Vbi enim vnum oppositum inest per se, reliquum nullo modo potest inesse: est autem medium per accidens inter contraria immediata: non sic hîc.

Quando vnũ oppositũ inest per se, alterum nullo modo inest.

2 Ad primum principale, quòd nihil est medium inter ens & non ens, si accipiantur vt contradictoria. Accipiendo tamen non ens nihil, & ens actu, est aliquid medium. Contrà: omnis mutatio est medium inter per se terminos; sed termini generationis sunt contradictorij: quia esse, & non esse. Probatio assumpti 5. Physic. t. c. 7. *Generatio est à non subiecto in subiectum, corruptio èconuerso.* & ibidem dicit quòd generatio & corruptio sunt inter contradictoria. Item 4. huius, c. 6. text. c. 27. arguit sic: Si medium inter ens & non ens; ergo

Generatio à non subiecto in subiectum.

 mutatio

mutatio est aliqua media inter generationem & corruptionem:consequentia non valet, nisi acciperet contradictoria pro terminis generationis. Dicitur ad hoc ad mi.quod termini non sunt contradictorij,sed priuatio & forma.

Ad auctoritates intelligit per non subiectum, priuationem formæ. Similiter ibidem exponitur quod sequitur,quòd priuatiuè opposita sunt contradictoria circa subiectum aptum natum, quod mutatur. Ad aliud hîc in 4. huius dicitur, quòd argumentum est à maiori:quòd si medium sit inter contradictoria,multò magis inter quæcunque alia opposita,& ita inter priuationem & formam: & ita aliqua mutatio media, inter illam quæ terminatur ad formam,& illam quæ terminatur ad priuationem.

3 *Forma & habitus,circa subiectū contradictoria.*

Contra primam glossam, in litera dicit: *non subiectum dico priuationem*; ergo per *non subiectum* intelligit priuationem. Contra secundum sic: posset esse generatio vel corruptio inter contraria immediata, quia illa circa subiectum sunt contradictoria. Item, respondeo: concedit propositum si priuatio & forma sint proprij termini generationis, sed priuatio & habitus circa susceptibile, sunt contradictoria. Si ergo inter priuationem & formam sit medium, inter contradictoria erit medium. Ad primum dico,posset credi quòd per subiectum, per quod intelligit formam positiuam tantùm intelligeret extremum contrarietatis nobilius, quia extremum vilius videtur esse priuatio: hoc excludens exponit se intelligere per *non subiectum*, extremum contrarietatis ignobilius, dicens *non subiectum dico priuationem*, id est, vtrumque extremum contrarietatis: & non solùm alterum, quod est perfectius, sed etiam imperfectius vt nudum & nigrum; neutrum istorum est priuatio simpliciter; vnde per *non subiectum*, non intelligit aliam priuationem simpliciter, sed contrarium dictum est. Ad aliud de ratione contradictionis duo sunt: quod alterum necessariò insit: & quòd alterum nihil ponit: contraria immediata circa subiectum aptum natum habent vnam conditionem, scilicet quòd alterum inest, sed secundam non: quia vtrumque est positiuū:sed secunda requiritur,vt patet infrà, ad generationem & corruptionem,sed vtrumque est in priuatiuè oppositis. Ad tertium argumentum. Aut loquitur de generatione; & tunc non est forma nec priuatio,nec sub priuatione vel forma, sicut priuatum, vel informatum; & tunc est medium inter illa: sed sic non sunt contradictoria, sed circa aptum natum, sed generatio non est subiectum natum. Aut loquitur de generato,& illud est natum recipere priuationem & formam: sic tunc respondeo, quod illud subiectum semper est priuatum, vel formatum, quia priuatum vsque ad vltimum instans,& formatum illo vltimo;& ita nunquam habetur medium.

Generatio quomodo fit ex non subiecto? Dua conditiones ad cōtradictoria, vna ad contraria immediata.

4 *Omne quod mutatur partim est in termino à quo & partim, in ad quem exponitur, 2.d. 2. q.9.ad 3.*

Contrà:quòd circa subiectum natum,puta circa generatum, vel generabile, sit medium inter priuationem & formam, probatur, 6. Physicor. text.comment.7.& 87. probat Philosophus quòd omne quod mutatur,partim est in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*; ergo subiectum generationis mutationis partim est sub priuatione, & partim sub forma. Item, si priuatio est terminus *à quo* generationis; ergo ipsum subiectum desinit aliquando esse sub priuatione, & non in instanti sub quo est sub forma: ergo in alio antecedente;non immediato, ergo mediato, & inter talia est tempus medium, in quo subiectum sub neutro contradictorio est. Ad primum dicendum quòd propositio vera est, de mutatione diuisibili cuius est motus, non de indiuisibili, cuius est generatio, quia simul ibi generatur & generatum est.

Quod mouetur partim est in termino à quo & partim in ad quem: quomodo verum est in substantia?

Contrà: Commentator dicit ibi, quòd demonstratio illa locum habet in quatuor generibus,scilicet in Substantia,Quantitate, Qualitate. & Vbi. Item, arguo in genere Substantiæ, sicut arguit ibi Philosophus quod omnino est sub termino *à quo* non mutatur,& quando est omnino in termino *ad quem*, tunc mutatum est: ergo quod mutatur partim est sub termino *à quo*, & partim sub termino *ad quem*. Ad primum istorum,quòd Commentator dicit falsum de generatione indiuisibili, quæ est terminus motus:quia si partim habet priuationem, & partim formam: tunc non habet totam formam completè: ergo ad hoc quòd habeat, oportet ipsum mutari, & tunc illa mutatio non est vltima. Ideò dicendum quòd illa propositio habet locum in genere Substantiæ, tantùm ratione motus præcedentis generationem, sed ex hoc non sequitur quòd sit in genere Substantiæ, nisi excedendo. Vnde vel litera Commentatoris extorqueri videtur, vel est neganda: nisi quia illa alteratio à generatione quæ est terminus, potest dici esse in genere Substantiæ aliter quàm alia, cuius non est terminus generatio. Item, dicendum vt priùs:quod dictum Philosophi habet veritatem solùm in mutatione diuisibili. Ad illud, quod illud quod mutatur solùm mutatione indiuisibili, quando mutatur totaliter, est sub termino ad quem. Contrà: nihil mutatur ad habitum; primo de Generatione. text.comment.55. Dicendum, quando aliquid habet formam in quieto esse,& forma præsupponitur mutationi,ad tale esse non est mutatio: tamen quia mutatio fit ad illud quod simul habetur tempore, sed posterius natura, quia nunc acquiritur, hoc necessarium est in mutatione indiuisibili. Ad aliud, quòd subiectum aliquando desinit esse sub priuatione,in instanti, in quo primo est forma, *Desinit*, exponitur dupliciter; vno modo per positionem præsentis, & negationem futuri, vt nunc est, & non erit. Alio modo per negationem præsentis, & positionem præteriti: vt nunc non est, & fuit. Hoc secundo modo debet exponi in proposito, non primo: quia non est dare vltimum nunc termini *à quo* generationis, vel corruptionis, in quo terminus ille sit.

In mutatione indiuisibili forma est posterius natura.

Desinit, exponitur dupliciter, & quomodo priuatio desinit?

SCHOLIVM II.

5

A D *secundum principale, immediatè opposita maximè distare, & sine omni medio. Item, quòd contradictoria non distent in infinitum positiuè, sed tantùm permissiuè. Vide eum 4.dist.1.quæst.1. n.12. explicat quomodo contraria dicant maiorem distantiam positiuè, quàm contradictoria, non autē permissiuè. Item, quòd contradictio est prima oppositio communitate, non causalitate. Ad quartum benè explicat, quomodo omnia opposita sint relatiua, quoad intentionem secundam, secus loquendo de substratis. Item quòd contradictio circa nullum subiectum potest habere medium, secus de aliis oppositionibus. Ad quintum, concedit alterum contradictoriorum dici de quolibet in incomplexis,* de

de quo 1. d.2. q.9. §. ad rationem de contradictoriis, num.34. Aduerte tamen ad hoc requiri, quòd terminus de quo dicitur, non distribuatur: vnde amba hæ sunt falsæ: Omnis homo est iustus: Omnis homo non est iustus. *Pro completa notitia de contradictoriis, vide Philosophum in Postpredicamentis c. de Oppos. & Scotum de Predicamentis, q.39. & 41. in fine.*

Ad 2. princ. Immediata opposita maximè distant.

Ad aliud principale, quòd propriè distantia est in genere Quantitatis, & de hoc est verum. Tamen de distantia translata ad alia, vt opposita, quòd non valet, quia contraria immediata maximè distant, & tamen nullum medium: hîc enim in proposito est distantia priuatiua, quia alterum contradictoriorum est priuatio alterius. Ad formam, quòd non est verum quod sumitur in maiori, nisi vbi extrema distantia sunt positiua, & fortè non in omnibus talibus; & fortè minor est falsa; contradictoria distant in infinitum: quia de quolibet alterum contradictorium: ergo quantumcunque modicum aliquid distat ab vno contradictoriorũ: aliud extremum prædicatur de eo, tunc propositio glossatur, est ibi infinita vel maxima distantia, hoc est, indeterminatè: quia quæcunque minima distantia sufficit etiam, & maxima potest esse. Vnde non sequitur, quòd ibi sit infinita distantia positiuè, potest tamen esse ibi gratia materiæ alicuius, si alterum extremum sit infinitum positiuè: vt Deus & non Deus: vnde contradictio minimam distantiam requirit, & maximam permittit, ita quòd indifferenter saluatur in omni. Contra istud, si non in infinitum distent, sed indeterminatè: ergo contraria magis formaliter sunt opposita, quàm contradictoria. Probatio: quia contrarietas ponit maximam, & requirit, & contradictio, secundùm te, solùm permittit, & non requirit: ergo &c. sed hoc est falsum: quia contradictio est prima oppositio, primum est maximè tale.

Contradictoria non distãt infinitum, 4. d.1. q.1. n.

6

Quomodo cõtraria includunt maximam distantiam?

Ad istud: quòd contraria includunt maximam distantiam, vel maiorem positiuè, quàm contradictoria, tamen contradictoria permittunt maiorem distantiam, si esset: quia pone maiorem distantiam quàm inter contraria, & de illa dicitur contradictio. Probatio primi quia impossibile est genus includere aliquam perfectionem, quæ non sit in specie, cum aliquo superaddito, per quod species est species; ergo cùm contradictoria includantur in omni oppositione, sicut superius ad illa (non loquor de intentione contradictorij, sed de his quibus inest affirmatiuè, vel negatiuè) quicquid est in intellectu oppositionis contradictorię, erit in qualibet alia oppositione cum aliquo addito, & non èconuerso. Ad probationem falsitatis consequentis; quòd *primum* est æquiuocum 5. modo in Prædicamentis cap. de priori dicitur aliquid primum natura & causalitate, & primum tale est maximè tale, sed contradictio est oppositio prima, non causalitate, sed prima, quia communissima: hoc est secundo modo prioritatis in Prædicamentis, vnde includitur in qualibet alia: ideò non maxima. Contrà, quòd est prima causalitate, probatio: quia si non esset illa oppositio, nulla alia esset: & si nulla alia esset, contradictio adhuc esset oppositio, hæc videtur conditio causæ, quod potest esse sine causato, sed non èconuerso; ergo videtur quòd sit prima causalitate. Dicendum per simile, ponatur quòd Deus faceret animal sine omni differentia specifica, sicut fortè est animal in embryone, si animal non esset nulla species esset, & si nulla species esset, posset animal esse; ergo animal sic esset perfectissimum, non valet: sed sequitur ex hoc quòd animal esset communissimum, ita in proposito. Item, quòd non sit maxima distantia positiuè inter contradictoria probatio: quia inter omnia contradictoria secundùm quòd talia, est æqualis distantia: ergo si aliqua distant finitè secundùm quòd contradictoria, sequitur quòd omnia contradictoria, finitè distent. Assumpta probatur: quia inter contradictoria aliqua est mutatio naturalis: quia quilibet de se non sedente, potest facere sedentem; ergo nulla contradictoria secundùm quòd talia infinitè distant. Ad istud, quòd æqualiter distant, quantùm ad coëxistendi modum, non quoad existendi gradum. Ista responsio non saluat infinitam distantiam: quia si intelligit ratio: *distantia infinita*, quoad coëxistendi modum, sic respectu potentiæ diuinæ sunt infinita: quia non potest Deus facere quòd simul existant. Item tunc in omni oppositione esset infinita distantia, cùm non possit esse simul. Si quoad essendi gradum: tunc non est infinita distantia: quia quantuncunque parum distet vnum ab altero; hoc est non hoc:

Quomodo cõtradictio est prima oppositio?

Primum in subsistendi consequentia, non ideò prima perfectione.

Contradictoria quomodo æqualiter, & inæqualiter distant?

7

Quomodo omnia opposita sunt in genere Relationis?

Ad tertium principale: verum est loquendo de intentionibus, ibi est relatio media, & sic omnia opposita sunt in genere Relationis, quia oppositio quæ est genus ipsorum est, ibi: loquendo de rebus substratis non est verum, sicut *homo* & *non homo* non referuntur ad inuicem.

Ad quartum principale, dicunt aliqui quòd non est inconueniens, ex quo vnum contradictorium inest pro vna parte, & reliquum pro alia, ideo non respectu eiusdem, sed vtrunque inest secundùm quid. Contrà: tunc medium inter contradictoria, sicut inter contraria immediata. Dicendum, quòd inter contradictoria non est medium simpliciter, quia circa nullum subiectum neutrum simpliciter potest inesse, vel vtrũque secundùm quid, tamen in aliis potest esse simpliciter medium circa aliquod subiectum, quia lapis non est cæcus, nec videns simpliciter, nec secundùm quid vnum & alterum. Sed aliter potest dici, quòd est verum dicere, quòd hoc scutum non est album simpliciter tamen de contrariis non valet, est hoc scutum album, vel nigrum: dico quòd neutrum, quia nihil denominatur ab accidente nisi simpliciter insit: in contradictoriis negatiua est simpliciter vera, quia quicquid falsificat affirmatiuam, verificat simpliciter negatiuam, secundùm quid falsificat affirmatiuam; ergo verificat simpliciter negatiuam. Contrà: si hoc scutum sit simpliciter non album, & hoc non est nigrum, & sic de aliis; ergo hoc scutum non est coloratum, sed hoc est falsum; ergo alia negatiua quæ præcedit. Consequentia probatur, quia quicquid denominatur à genere, denominatur ab aliqua specie; ex consideratione 2. Topic. cap.10. Dicendum, quòd consequentia non valet.

Nil denominatur ab accidente nisi insit simpliciter.

8

Ad probationem dicendum, quòd ad destructionem cuiuslibet inferioris in prædicatione denominatiua, non sequitur destructio superioris nisi destruatur quodlibet inferius in se, & in coniunctione cum alia specie opposita, sic nec est album, nec nigrũ, nec album, nec nigrum simul. Sic consideratio exponitur. Aliter exponitur consideratio sic: denominatum à genere, oportet denomi

denominari ab aliqua specie: verum est aliqua illarum denominationum, de quibus est ibi sermo, vel scilicet sic, hoc est album, vel hoc habet albedinem, vel huic est albedo: duo secundi modi sunt veri in proposito. Vel dicitur sic, quòd hæc simpliciter est vera: *scutum non est coloratum*, quia nullo colore, quia nec nigrum, nec album, sicut si duo habeant vineam, quòd neuter habeat vineam, 6. Topic. cap. 21.

Sed expressius huius 4. & 10.

Ad aliud principale, quòd non est contradictio in incomplexis, ideò neutrum prædicatur de quolibet in talibus. Contrà: 5. huius, text. com. 15. alterum contradictorium de quolibet, propositio complexa de nullo prædicatur. Item, in Prædicamentis distinguit quatuor oppositiones: in Perihermenias duas, quia tantùm illæ sunt complexorum, de quibus loquitur ibi; ergo incomplexis sunt omnes quatuor, de quibus loquitur in Prædicamentis. Item, in 4. huius, text. com. 1[illegible]. & 13. si oppositum primi principij est verum, tunc idem homo & non homo; & sic vltrà, non erit homo, nec non homo; nam duarum duæ negationes; ergo intelligit duo contradictoria prædicari in propositionibus affirmatiuis, quarum accipit negationes. Item, homo & non homo repugnant; non contrariè, quia in substantia non est contrarietas, in Prædicamentis, cap. de Substantia, similiter quia non homo, nihil ponit: non priuatiuè, nam non homo dicitur de eo, quod non est aptum esse homo; non relatiuè, ergo contradictoriè. Concedendo hæc argumenta, dico ad rationem, quòd de contradictoriis incomplexis, verum est, quòd alterum dicitur de vnoquoque; non tamen de quolibet distributo pro omnibus suppositis, quia vni supposito potest inesse vnũ, alij aliud.

C. de oppositione, c. 5.

ANNOTAT. MAVRITII.

9

Sequitur quarta quæstio de medio contradictoriorum, vel de immediatione ipsorum, *text. com.* 7. in qua nec opin. inducit, nec articulos varios proponit, sed simpliciter cum Philosopho sentit partem negatiuam, & dilatat se in solutionibus principalium, adducendo replicas plures subtiles, & solutiones peregrinas: & licèt aliqua possent assignari ibi *Extra*, vel Additiones, quia tamen dependentia optima, & doctrina singularis, totum legendum & correctum ponitur. Vbi collige breuiter differentiam contradictoriorum, & contrariorum immediatorum, & qualiter inter contradictoria sit intelligenda distantia infinita: & quæ maior oppositionum, & qualiter possunt verificari simul contradictoria de eodem, & quomodo in incomplexis atque complexis reperiuntur, & plura alia notanda. Aduerte ibi ante solutionem 3. principalis, ad replicam, quam non soluit contra illam singularem solutionem de coexistendi modo, & essendi gradu, ad quam faciliter potest dici, concedendo secundam partem, scilicet quòd potest esse maxima distantia positiua inter contradictoria aliqua, & non quæcunque, & hoc quoad essendi gradum. Et cùm dicitur quòd tunc non est distantia infinita: nego, si extremum positiuum sit infinitum. Vnde distantia positiua contradictoriorũ est attendenda secundùm conditionem extremi positiui, vide copiosè 2. dist. 1. q. 1. & 1. dist. 4. q. 4. & cùm additur quòd *quantumcunque parum distet vnum ab alio* &c. concedo; sed ex hoc non sequitur æqualis distantia positiua, immò facit pro primo membro solutionis, plura hîc addat ingeniosus lector.

Quod ibi tangit in solutione 3. principalis de oppositione quòd est genus &c. & quòd omnes oppositiones formaliter acceptæ sunt in genere Relationis: loquitur famosè, & satis rectè, si benè exponatur. Quære in post prædimentis c. de Oppositione quæst. 1. vbi singularissimè omnia habet.

Vide 2. dist. 1. parte 2, q. 1. in solutione principalium, & primo Reportationum dist. 28. q. 1. & in 2. dist. 2. q. 9. & alibi sæpè de contradictione & ipsius natura, inquire etiam Sophistas antiquos Anglicos.

Accidit itaque & quod famatum est de omnibus talibus orationibus ipsas seipsas destruere. Nam qui omnia vera dicit orationis suæ contrariam veram facit. *Text. com.* 29.

QVÆSTIO V.

Vtrùm pars supponat pro toto?

Quòd non: quia si sic, tunc pars potest prædicari de toto, quia prædicare est commune ad supponere. Dicitur quòd terminus significans complexum per modum incomplexi, si sit pars complexi, supponit pro illo, sicut pro alio. Item, sic dico: omnis propositio est vera, si propositio solùm supponat pro contradictoria & non pro alia, possunt contradictoria simul esse vera & falsa. Ad primum illud in contrarium, quod terminus communis significans conceptum complexum per modum incomplexi prædicatur de toto, non inquantùm pars integralis, sed inquantùm totum vniuersale.

SCHOLIVM VNICVM.

Ad hanc quæstionem nihil occurrit dicendum, quia potiùs est dubium literale ad text. 29. vel 10. & litera videtur corrupta; fateor eius sensum mihi non occurrere.

ANNOTATIO MAVRITII.

Sequitur quinta quæstio & vltima de suppositione partis pro toto, text. c. 29. quæ tamen est potiùs dubium literale computandum: quàm quæstio quæ etiam breuis & clara est, vt patet; sed sophisticè speculanti posset dilatari multùm, quod relinquatur arbitrio legentis: videantur autem Logicalia huius pro decisione & vlteriori declaratione eius. Vbi autem in litera Philosophi fundetur posset esse altercatio, sed satis ad propositum oritur, t. c. 29. vt notauimus; licèt text. c. 10. quodammodò posset elici.

LIBER

LIBER QVINTVS.

TRACTAVIT Philosophus libro praecedenti quaedam communissima de ente, & proprietatibus eius, ac primis principiis: antequam autem rerum tractationem incipiat speculari, in hoc libro multorum nominum significata declarat, ex quibus rerum intelligentia dependet; vnde iuxta ipsius mentem, hic liber ad rem ipsam praeambulus est. Sed interpretes in eo agunt de rebus ipsis, nempe de 10. Generibus, & aliis, de quibus Doctor disputat 13. quaestiones.

Quapropter & natura principium, & elementum, & mens, & voluntas, & substantia, & quod cuius causa; multorum enim & cognitionis, & motus principium est bonum & malum. *Text.com.1.*

Amplius vt finis: hoc autem quod est cuius causa, vt ambulandi sanitas; & sequitur.

Et adinuicem causae sunt, vt laborare causa est euexiae, & haec laborandi: sed non eodem modo; verum hoc quidem finis; illud vero vt principium motus. *text.com.2.*

Et istud principium est causa finalis: omnes enim causae non sunt principia, nisi propter istud primum. *Commento 1. versus finem.*

QVÆSTIO I.

Vtrùm finis sit principium, & causa, & vtrùm sit causa ipsi agenti, & maximè causa?

1

Arist. *hic c.2. & lib.2. cap.3. & lib.11.c.1. & 2. Phys.c.1.* Albert. *ibid. tract.2.c.5.* D. Thom *hic lect.2.* Buridanus *2. Phys.c.7.* Albert. de Saxonia *q.23.* Fland. *5. Met. q.2. a.2.* Fonf. *ibid. c.2. q.10.* Suar. *disput. 23. Met. sect.1. & disp.* Ferrar. *1 cont. Gent. c.34* Capriol. *in 1. dist.2. q.1.* Soto in Praedicam. *c.4. q.1.* Fonf. *4. Met. c.2. q.3. per totum,* Suar. *disp.2. Met. sect.1. & seq.* vide Scotum *in 1. dist.3. q.1. & 3. & dist.8. q.2. & in 2. dist.3. q.1.*

QVòd non sit principium, quia de ratione principij est esse primum, capitulo 1. huius, text. com. 1. de ratione finis est esse vltimum. 5. huius cap. de perfecto: text. com. 21. vltimum & primum opponuntur. Quòd non causa, quia aut secundùm quòd ens; aut secundùm quòd non ens: secundo modo non, quia nō ens nullius est causa, finis est causa entis; ergo: nec primo modo, quia finis nō est causa, nisi secundùm quòd mouet efficientem ad agendum; sed quando finis est, nō mouetur efficiēs, imò cessat ab actione, quia *habitibus praeestibus cessat motus*, primo de Generatione text. com. 55. Quòd non causa efficienti, quia si sic, & efficiens est causa finis: tunc idem respectu eiusdem est causa & causatum: & per consequens prius, & posterius naturaliter. Sequitur etiam quòd idem erit causa sui, quia quicquid est causa causae; est & causa causati, & quicquid est prius priore, est prius posteriore, quare si finis est causa efficiētis, & efficiens causa finis, & finis erit causa finis, & eodem modo de priore. Item, sequitur quòd demonstratio *propter quid* erit circularis, vel potest esse; quod est falsum secundùm Philosophum 1. Poster. cap. 3. text. com. 6. *quibusdam autem* &c. quia idem esset prius & posterius respectu eiusdem. Probatur consequentia, quia demonstratio *propter quid* est per causam, & èconuerso; ergo si potest fieri demonstratio de efficiente, & èconuerso; ergo circulus. Quòd non maximè causa, quia est causa extrinseca: materia & forma, intrinsecae; & intrinsecum videtur magis conferre ad esse, quàm causae extrinsecae. Item, si sic, tunc nobilissima causata haberent istam causam quod est falsum; quia nobilissima causata sunt immobilia, quae non habent causam finalem: vnde in 3. text. com. 3. dicitur in immobilibus non est finis. Item probatur, quia finis est alicuius actionis, actio in motu: immobilia non habent motum: haec est ratio Philosophi in litera. Item, si esset maximè causae tunc esset maximè certa cognitio per eam; hoc falsum, quia maximè cognoscimus quā do cognoscimus ipsum *quid*, quod est per formam, vnde vbique Philosophus circumloquitur *quid* per formam.

Ad oppositum primi. Philos. in c.5. Oppositum secundi eodem capitulo.

Oppositum tertij inferiùs eodem cap. Oppositum quarti. Commentator cap. de principio in fine.

Text.com.1. Text.com. 2. Text.com.2. Coment.1.

SCHOLIVM I.

AVTHORITATE *Philosophi, & pulchra ratione ostendit finem esse principium & causam, quia vt intentus mouet efficiens vt producat formam materia. Vnde videtur quòd sit prima causa omnium. In solutione primi, explicat benè quomodo causat finis vt est in intentione, vt amatus, & desideratus, & idem habet 1. dist.8. quaest.5. num.5. & in prolog. quaest.4. num.11. & 2. d.25. q.1. num.24. Vide ipsum de hoc fusè 2. Physic. q.9. soluendo argumenta, explicat pulcherrimas difficultates Physicas, & Metaphysicas, & varia axiomata.*

2

Respondeo quòd sic, cuius probatio est: omne agens per se (quod dico propter casum & fortunam) agit propter finem, secundùm Philosophum

Text.c.40. sed expressius 2. huius text. com.8. & 9.

phum 1. Physicor. text.com.49.vbi diuidit agens propter finem in agens à natura, & in agens ab intellectu. Vnde casus concurrit in effectum causæ naturalis, sed fortuna est in agente à proposito, secundùm quòd dicitur ibidem quòd natura agit propter finem & intellectus similiter, hoc idem habetur 2. de Generatione, text.com.61. de vtroque fit vna ratio: Omne agens, in cuius actione potest accidere error, agit propter finem: sed omne agens per se est huiusmodi: frustra dicitur esse, (vt habetur 2. Phys.) illa actio, quæ non potest consequi finem intentum. Si ergo nullus finis sit intentus; nullum agens ageret frustra: necesse est ergo ponere finem intentum.

Argumentum de errore; ergo si omne agens possit per se errare; omne ergo agens aget propter finem: tale est agens naturale quod potest errare. Aliquando etiam de agente per intellectum verum est illud.

EXTRA.

Vltrà: si finis est intentus, tunc finis est causa, vt agat, & principium motiuum agenti, efficiens iam factus in actu causa, vel motus à fine, producit formam in materia, & hæc est causalitas formæ informare: causalitas materiæ est substare formæ: causalitas ergo omnium est à fine: ergo &c.

3

Ad argumentum primum, nota de duplici modo causandi finis, scilicet provt res est in motu, non de fine esse, quæ est operatio: quia ille potest esse simul in actu, cum illo cuius est finis: & tunc non est difficultas attendere entitatem dum existit: non provt res iam facta est, sed de fine motus: quia tunc non est &c. Potest ergo ad illud dici, quòd finis secundùm quòd ens in potentia est causa motus: entitas potentialis debetur sibi provt causat motum.

Contrà: si sic, habito fine secundùm quod finis, cessat motus, & finis secundùm entitatem potentialem in principio est causa motus secundùm quòd causa; ergo in principio motus cessaret motus. Item, finis secundùm entitatem quâ est causa, mouet efficiens ad agendum, ergo secundùm istam entitatem est nobilius efficiente: & efficiens est causa actualis esse finis: & finis secundùm esse potentiale est causa efficientis, & illud est nobilius esse secundùm quòd finis est causa efficientis, quàm secundùm quòd est effectus efficientis, quia vnumquodque est nobilius secundùm quòd est causa, quàm secundùm quòd est effectus; ergo finis esse potentiale, est nobilius quàm suum esse actuale. Aliter dicitur, quòd finis secundùm quòd futurus non mouet efficientem: quia idem argumentum potest fieri de fine & futuro, & de fine secundùm quòd est potentia, nec aliis modis; sed finis secundùm quòd est in intentione agentis, mouet efficiens vt desiderabile & bonum: quia si sit nudè apprehensum, & non mouet ad effectum, non est causa, nec habet rationem finis.

An esse potentiale finis sit nobilius eius esse actuali?

4

Contra eadem argumenta quæ priùs, quia in principio motus, habet finis illam potentialem entitatem secundùm quòd est in intentione, vt desiderabilis: ergo tunc cessabit motus. Item, illud esse finis est minùs perfectum esse finis, quàm esse extrà: ergo cùm secundùm illud esse actuale sit causatum, secundùm aliud non potest esse causa. Sustinendo tamen illam viam. Ad primam illarum dico, quòd propositio est falsa, loquendo de fine secundùm quòd est finis, quo habito cessat motus, quia incompossibilia accipiuntur: quia quando actio est, finis est ratio mouendi secundùm quòd causa; ergo non potest hæc esse vera, quando actio est, finis non est. Ad auctoritatem contra hoc, vbi dicit in de Generatione, quòd habitibus præsentibus in materia, cessat motus, sic dico de fine: quòd ipso habito in materia, cessat motus, sed finis in materia non habet rationem finis, nec causæ. Contrà: si habito fine secundùm quòd finis, adhuc est actio: tunc illa actio vlteriùs est frustrà, quia non est propter istum, quia ille habetur, nec propter finem extrà, quia ille non est finis secundùm te. Ad hoc negatur consequentia, quia actionem esse propter finem, est actionem esse propter aliquid mouens agens ad agendum in ratione desiderabilis; ergo cùm actio sit propter finem nunc præsentatum, est propter aliquid mouens agens ad agendum. Dico quòd propter finem agentis: dico vltra quòd finis ille est habitus. Dico etiam quòd requiritur hic ad hoc quòd sit finis. Ad aliud nota quòd duæ propositiones sunt: quia verius est aliquid in causa quàm in effectu, & alia est, quod est in causa, habet esse potentia. Sed arguo: esse potentiale est peius quàm actuale & in seipso. Dico ergo quòd effectus non habet verius esse in se quàm in causa: quia diuinum esse habet in sua causa, quod quidem esse est causa, sicut hæc sanitas intenta à medico, verius esse habet in mente medici, quàm sanitas in materia, quia habet esse simpliciter, scilicet vt sic causa & forma agentis, scilicet medici, vt agat.

Finem causare vt est in intentione agentis.

An res habet verius esse in causa quàm in se?

Ad principale, dico quòd finis est principium secundùm esse in mente agentis, & est vltimum secundùm quòd est in materia. Ad aliud, dico, quòd secundùm quòd est ens præsentatum in mente, vel in intentione agentis est mouens eum, vt desiderabile.

5 *Finis est principium, & vltimum & quomodo?*

Ad aliud istę quatuor causæ sunt primæ in suo genere, sicut omnia generalissima & tamen vnum Prædicamentum est prius alio: sic hîc quælibet causa in suo genere est prior alia aliqua prioritate. Vnde æquiuoca est prioritas, sicut æquiuoca est causalitas. Tunc ad rationem, non est inconueniens de prioritate & posterioritate diuersimodè dicta, & causalitate simpliciter æquiuocè dicta: tamen in eodem genere causalitatis & prioritatis, est inconueniens: vnde efficiens est causa finis in ratione efficientis, finis est causa efficientis inquantùm desiderabile. Ad aliud inconueniens, quòd esset causa suiipsius: dico quòd *quicquid est causa causæ, est causa causati*: In hac propositione sunt tres causæ: si variatur causa prima respectu mediæ, & media respectu vltimæ erit accidens; vnde in talibus sic variatis, non est propositio vera. Sed si vna causa sit prima causa respectu secundæ in genere causæ efficientis, & illa respectu tertiæ in eodem genere causæ, tunc benè tenet, & est propositio vera. Ad argumentum de priori per idem.

Datur prioritas mutua in causis diuersis.

Causa causæ, est causa causati, in eodem genere non aliter, eodem modo causa prior priori, & posteriore.

Ad illud de circulo, non sequitur inconueniēs. Ad probationem dico, quòd sicut causa est æquiuoca, sic demonstratio: modò si est circulus oportet quòd secundùm idem genus causæ probetur. Similiter oportet quòd idem genus *propter quid* esset in vtraque demonstratione: quia si non idem genus *propter quid*, non est circulus.

6

Contra istas tres rationes, quòd finis sit vniuocè causa efficientis & ècontra, probatio: quia finis

finis est causa effectiua respectu efficientis, sicut ècontra. Probatio assumpti, in agentibus à voluntate voluntas in rationibus est efficiens causa respectu finis, & finis simpliciter est actiuum: ergo mouet voluntatem actiuè & effectiuè; ergo sequitur quòd voluntas sit simpliciter passiua. Probatio quia omnis potentia aut est simpliciter actiua, aut passiua: non primo modo, voluntas est potentia, quia *potentia actiua est principium transmutandi aliud inquantùm aliud*; Voluntas non est huiusmodi: quia tunc suum obiectum esset naturæ passiuæ: quia transmutaretur à voluntate. Dicitur quòd est duplex finis, vel in intellectu, & sic mouet effectiuè voluntatem. Alius est finis extrà, & illud mouet in ratione finis, scilicet in ratione boni, sed esse extrà est mouens secundùm finem. Contrà: Philosoph. in litera: *Causæ non sunt sibi inuicem causæ in eodem genere causæ*, & probo sic: Tunc idem prius & posterius secundùm idem, & vniuocè: & similiter idem respectu suipsius secundùm idē, prius & posterius, & similiter quod demonstratio esset circularis secundùm idem, quod accipit quòd finis extrà mouet in ratione causæ. Contrà: illud quod non est ens, non habet rationem causæ: similiter si mouet intra in ratione finis, tunc non in ratione efficientis. Ad rationem istam nota quod Philosophus cùm loquitur de fine, dicit quòd mouet metaphoricè. Ad argumentum tunc per hoc sit. Ad probationem, voluntas est potentia passiua, nego. Ad probationem, ad illud; quòd *potentia est principium transmutandi*. Dico quòd potentia factiua est principium transmutandi, quod propriè est factio &c. vnde dicit 9. huius, c. de potentia text. com. 16. *vltimum visionis est visio, non vltimum ædificationis ædificatio, sed domus extrà*. Si ergo actio immanens esset principium transmutandi aliud inquantùm aliud: tunc causaret aliquid aliud præter operationem scilicet opus; quod est contra Philosophum ibidem.

7 *Potissima demōstratio per finem. 6. Phys. t. c. 89.*

Ad aliud, quod dicit quòd causæ intrinsecæ sunt magis causæ; dico quòd non semper, sed illa quæ est prima causalitas omnium est verior. Ad probationem, quòd omnis finis est actionis. Dico quòd non omnis finis est actionis: sed alicuius essentiæ absolutæ potest esse. Ad aliud dico, quòd omnes causæ possunt demonstrari per finem: ideò potissima demonstratio & certissima est per finem. Vnde sicut principium est in speculabilibus, sic finis est in agibilibus: ergo sicut principia certissima cognita, sic fines &c. Ad aliud sunt certissimæ nobis Mathematicæ demonstrationes, non tantum simpliciter; nam accidit in Mathematicis, quia ibi eadem sunt simpliciter nota, & quoad nos, &c. Ad aliud dico, quòd *quid rei* accipitur ab omni causa, & diffinitio similiter. Aliter dico, quòd aliud est loqui de cognitione simpliciter; & de cognitione secundùm proportionem, de qua cognitione dicitur in 1. lib. Dico ergo, quòd quanta certius cognoscuntur secundùm proportionem, quàm alia secundùm proportionem cognoscibilitatis suæ; vnde cognitio per finem est simpliciter notior: tamen cognitio de ista re est certior secundùm cognitionem suam per formam, quia forma est proximior causa quàm finis. Et Philosophus 1. Poster. t. c. 30. & 41. dicit quòd cognitio per causam propinquam est *quid*, per causam remotam est *quia*, &c. In causis inquantùm causæ sunt, non est circulus. Igitur cùm finis in existentia sit causatum efficientis, non est sic eius causa, nec secundùm minùs nobile esse, igitur esse cognitum, secundùm quòd solùm est causa, est verum esse, & nobilius quàm existentia. Respondeo, aut mouet secundùm aliquod esse nobilius, sed non verius esse eius, aut omnis finis simpliciter est aliquid existens & amatum: desideratum verò est finis respectu alterius desiderati; sed non simpliciter sicut creatura est in Deo.

Sicut principium in speculabilibus, sic finis in agibilibus exponitur. Vide Scot. 2. d. 1. qu. 4. ad arg. pro opin. 16.

SCHOLIVM II.

EXPLICAT *pulcherrimè finem, vt est in intellectu, vel intentione, esse primam causarum, sed in executione, vel existentia esse vltimam. Vide ipsum q. 3. prol. q. 2. lateral. n. 22. & 2. Physic. q. 9. ostendit causas extrinsecas priores esse intrinsecis. Item, formam priorem esse materia. Tangit duos alios dicendi modos, sed in fine ad hunc modum redit, implicitè cum cæteris præferens.*

8

Ad quæstionem, distinguendum est sicut distinguit Auicen. 6. Metaph. 5. c. d. Res aliquando est causata in sua causalitate, aliquando in suo esse. Primo modo causa finalis in causalitate præcedit causas agentes recipientes: & hoc secundùm suum esse in anima: quia anima adinuenit eam priùs, & postea imaginatur apud se actionem, & inquisitionem recipientis, & qualitatem formæ. Respectu ergo causalitatis, & respectu essendi in anima, non est aliqua causa prior finali: immò ipsa est causa essendi cæteras causas: esse verò aliarum causarum in effectu, est causa essendi illam in effectu, & multa ibidem de hoc, & in fine cap. Si de vnaquaque istarum causarum esset scientia, inter eas notior esset scientia de finali, & ipsa esset sapientia, & hæc etiam est nobilior reliquis partibus huius scientiæ, quia est sciētia considerans finales causas rerum. Et commentator in fine cap. de principio, illud principium intenditur ad sciendum in hac scientia, & illud est causa finalis: omnes enim causæ nō sunt principia, nisi propter illud. Et 2. Physicor. d. text. com. 89. *sicut principium in speculabilibus, sic finis in agibilibus.* Si ergo loquamur de prioritate in causando, dico quòd extrinsecæ priùs causant: quia enim illæ: ideò & intrinsecæ causāt: non ècontra, extrinsecarum autem priùs causat finis, ille enim quia mouet efficientem in ratione amati, ideò agens agit non ècontrario. Sed quæ causalitas materiæ vel formę prior? Videtur quòd formæ, quia propinquior efficienti & fini: materia enim intrat hoc suppositum, quia est sub hac forma, non autem hæc forma constituit hoc suppositum, quia est in hac materia. Sed quantùm ad esse, efficiens primum est, quandoque verò materia ab illo non dependet secundùm esse, sicut in naturalibus, sed à producente totum effectum dependet, & per consequens de ratione efficientis non est transmutare materiam: quia materia tunc quantùm ad esse, esset quasi coæuum principium efficienti: forma etiam quantùm ad esse est ab efficienti, & aliquo modo dependet à materia. (Sed dubium est vtrùm magis sic vel ècontrario.) finis verò non simpliciter, qui scilicet per operationem, sed finis, qui est operatio, dependet secundùm esse ab omnibus aliis causis: verumtamen semper dependet materia ab efficiente, inquantùm materia huius compositi, hoc enim est inquantùm fit sub hac forma.

Finem esse primam causarū omniū, & quo sensu.

Forma prior est materia.

Arguitur

9

Arguitur sic: Finis est eiusdem speciei cum efficiente, & idem numero cum forma 2. Physic. text. comment. 70, ergo non est ordo essentialis inter illa. Item, finis secundùm quòd est in intentione agentis non est notior ipso esse agentis, quia non habet nobilius esse quàm agens in quo est; ergo secundùm illud esse, non est causa agentis. Item, finis nihil videtur dare agenti: quia si agens haberet eandem vim actiuam, & nihil intenderet, eodem modo produceret effectum. Item confirmatur: quid enim est in intentione ignis, quando generat ignem? quis est ille modus essendi in? Item, Deus sub ratione finis vltimi ponitur obiectum actus beatifici; hoc autem non est inquantùm mouet ad agendum, vt desiderabile. Item causalitas finis videtur esse terminare: est enim causa opposita principio motus 1. huius: ergo non est de ratione finis initiare, sed terminare: quare ergo ponitur primo causare?

In parte executiua in princip.

Relinquendo ergo viam prædictam; vno modo dicitur quòd vnumquodque essentialiter ordinatur ad aliud nobilius se, tanquam ad finem non motu, nec operatione, sed quasi terminum operationis, non quidem producibilem per ipsam, nec per obiectum eius, sed cui istud assimilatur per operationem. Sic Deus potest poni finis immediatus cuiuslibet, illud inquantùm in se, est finis, & amatus: omne aliud, siue operatio, siue obiectum, non est finis simpliciter, sed est respectu eius liberalitas, de qua loquitur Auic. 6. Metaph. cap. 5. *Tribuens alij non propter sui retributionem,* &c. & illo modo superiora sunt vtilia inferioribus: sicut ipse dicit 1. Metaph. cap. 2. & propter ordinationem ad hunc finem simpliciter, vt est in se, operatur & producit: ita quòd illa operatio & productio non sunt ei finis simpliciter loquendo.

Deus finis immediatus omnium.

Ad argumenta diceretur, quòd sunt contra hoc. Item, contra hoc est, quòd ordinatio cuiuscunque ad finem videtur esse per appetitum aliquem, ille si est purè naturalis, non potest esse nisi ad commodum, & ita vltimus terminus eius, est ipse appetens.

10

Item, istud inquantùm est in se, non est propter quod agens agit: si enim illud in se destrueretur, & maneret in intentione agentis, similiter agens ageret. Item, ista via non potest poni de intelligente, qui præfigit sibi finem quē vult. Item, si intendit assimilari illi, communicando suam perfectionem; illa assimilatio ibi est inquantùm mouet.

Alia via est, quòd finis causat inquantùm terminat, & sic non oportet ei dare esse, nisi quòd intendatur ab agente, sed sic non est finis, sed inquantùm terminat.

Contrà, pone quòd non attingatur finis intentus, nonne illa actio habuit finem inquantùm causa est? aliter non diceretur frustra; propterea, inquantùm terminans non videretur plures causare quàm instans tempus, vel mutatio causat motum, quia est terminus magis intrà.

Tenendo ergo primam viam, quòd est causa inquantùm est in intentione agentis: Notandum, quòd est ibi quasi esse obiectiuum, & esse formale obiectiuum est esse reale: formale est illud, quo nunc illud intentum est, & hoc esse in intentione. Exemplum si intelligo rosam existentem.

ANNOTAT. MAVRITII.

11

Circa primam quæstionem libri quinti text. com. 1. & 2. in qua implicitè suprà incidentaliter includuntur quatuor quæstiones Prima *An finis sit principium?* Secunda *An causa?* Tertia *An causa agenti?* & Quarta *An maximè causa?* quæ quatuor tangit in arguendo, ad partes, & in decisione, quæstionis quæ satis clara est, vt patet tenendo affirmatiuam partem.

Infrà ibi; *Argumentum de errore*, &c. vsque illuc: *vltrà si finis est intentus* &c. *assignatur Extra*, vel vacat in aliquibus originalibus.

Deinde soluendo argumentum principale & sequentia; nota valde processum illum de causalitate finis, & replicas & solutiones singulares, & quære in Theorematibus huius. Vide etiam antiquos hîc; vt Thom. 1. p. q. 18. & 1. 2. q. 11. & 83. & Albertum hîc & Iand. & Henric. de Gandau. & alios quàm plures: quia variè sentiunt de causalitate finis: sententia tamen Doctoris est satis clara & subtilis; ideò eam sequere.

12

De sufficientia & ordine causarum quære vbi suprà, & super 2. Physic. copiosè, & ad finem huius solutionis, vbi aduerte quòd ab illo loco, *In causis inquantùm causa sunt, non est circulus*, &c. vsque ad finem posset assignari *Extra*, vel additio, sed tota litera est bona & notabilis, ideò legatur: Inducit enim ibi viam Auicennæ de entitate, causalitate, & ordine, seu prioritate finis; & similiter de aliis causis comparatis ad ipsum, & inter se, vbi cùm dicit: *sed dubium est vtrùm magis sic, vel è contra;* hoc est dictu, vtrùm magis dependet materia à forma: quàm forma à materia, & non soluit. Potest ibi dici probabiliter quòd simpliciter loquendo magis dependet materia à forma, non quòd implicet ipsam esse sine forma, nec quòd non habeat suum proprium esse extra causam & intellectum, sicut forma, nec etiam quòd causetur per formam, sed quia *esse* totius principalius est à forma, quod *esse* communicatur vtriq; consequenter, Quære 9. q. Quodlib. & in 2. dist. 1. q. 6. & dist. 3. q. 4. & 5. & 7. & 2. q. Quodlibeti, & in simili in Theorematibus, & 12. d. 4. q. 2. comparando quantitatem ad qualitatem; sed ex alia parte posset ponderari prioritas naturæ materiæ in ratione receptiui, & an aliquod esse communicat formæ, vel è contra immediatè loquendo & directè, & an sit difficiliùs imaginari materiam esse sine forma, quàm è contra, de quo vide in 2. d. 12. & alibi plura ad hæc notabis, vt 8. dist. primi q. 1. & 1. dist. tertij q. 1. quæ omnia castè masticabit subtilis lector.

Consequenter infrà ibi: *Arguitur sic: finis est eiusdem speciei*, &c. vsque illuc: *Relinquendo ergo viam prædictam*, &c. possunt faciliter solui illæ instantiæ, vt patet discurrendo, sustinendo ea quæ præmisit, quod relinquetur lectori. Similiter alia argumenta infrà soluantur, si quis voluerit tenere illum singularem modum dicendi in 1. parte: *Relinquendo ergo*, &c.

Examina diligenter totam literam, quia satis subtilis & obscura est, aliqua ad propositum inuenies, 3. & 4. quæstione prolog. & 1. distinct. 1. & 49. distinct. 4. quæstione 8. & 48. eiusdem quæstione 2. & in Francisco de Marchia, & de Mayronis.

Amplius vt agentia, aut secundum potentiam, differunt autem in tantùm quod agentia quidem & singularia simul sunt, & non sunt, & ipsa & quorum causæ. *Text.com.3.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm causa in actu, & effectus in actu sunt simul?

Arist. *hic cap. 2. & in Postprædicam. cap. de modis prioris,* D.Thom. *hic lect. 2.* Fland. *q.2. art.4* Fons. *cap.2.q.18.* Suar. *disput.27. Met.sect.2.* Hurt. *disp.8. Physic. sect.8.* Auersa *q.16. Phys. sect.2.*

1 QVòd sit inconueniens de causa in actu, probatur: accipiatur efficiens per motum: in principio, est efficiens in actu; ergo effectus: sed existente effectu, cessat motus; ergo cessat in principio. Item 4. huius, text.comment.25. mouens naturaliter est prius moto: & si hæc adinuicem dicuntur; nihil minùs, ergo mouens potest esse sine moto, sicut prius sine posteriori; ergo causa in actu sine effectu in actu. Item, scitum in actu est causa scientiæ in actu: sed scitum potest esse in actu sine scientia in actu, quia referuntur adinuicem tertio modo: non autem est ibi essentialis ordo, nec mutua dependentia, quia scientia depēdet à scito, & non ècontra. Item, Deus est semper causa in actu; ergo semper fuisset effectus in actu. Antecedens patet, si non; ergo priùs fuisset in primo causans & tunc mutatus.

De hoc dicitur, quòd causa singularis in actu & effectus in actu singularis, simul sunt & non sunt.

Contrà: causa & effectus simul sunt & non sunt, secundùm illam rationem, secundùm quam simul dependent; ergo eo modo, quo magis dependēt sunt magis simul: sed causa vniuersalis in actu, & effectus vniuersalis sunt huiusmodi. Probatio; quia aliquid potest esse causa in actu, & hæc causa, licèt non haberet hunc effectum in actu, sicut aliquis potest esse pater in actu, licèt non respectu huius filij, quia respectu alterius potest esse: sed nullus est pater nisi filij; ergo in vniuersali magis dependet, hoc patet, quia sic sunt primò relatiua.

2 ADDITIO. *Item, in motu proiectionis, proiectum proiicitur, quando proiiciens non manet proiiciens: sicut vertens rotam, & postea quiescens, non statim dimittit rotam quiescentem. Sic in alteratione cessante alterante, non statim cessat alteratio. Similiter de aliquo suspenso si propellatur ad vnam partem, cessante propellente, non statim quiescit. Item, quies violenta habet eandem causam cum motu violento: & tamen cessante mouente agere, manet quies. Item, causatum semper dum est, est actu in causari, non tamen causans semper causat, quia potest corrumpi; ergo. Probatio primi per Auicennam 6. Met.1. Tum, quia esse causatur actu, inquantùm est esse, non inquantùm incipit: non enim incipit, nisi quod est priùs non esse, sed non causatur inquantùm est priùs non esse: Quòd probatur ex eodem ca. f.* quia accidit agenti non semper egisse: *hoc enim non contingit sibi nisi inquantum aliquando patiens, vel saltem impedibile. Tum, quia vt ibi arguitur, illud esse causati, aut semper dependet ab alio, aut non? Si non, est ex se necessarium, & ita nunquam incepit: si sic, & inquantùm dependet actu causatur, quia in primo instanti propter hoc solum causatur, quia tunc dependet, non quia incipit, vt probat præcedens ratio. Tum, quia auctoritas est ibidem, scilicet quòd causatum semper eget datore sui esse, quamdiu est, sed non eget datore sui esse quandiu est, si non causatur. Similiter cap. 3. dist. cùm aliqua ex rebus per essentiam fuit causa esse alterius,* semper erit ei causa, quandiu habet esse. *Hæc ergo videtur esse eius opinio, quòd causa essentialis non tantùm tunc, quando primò causat, sed semper dum causatum manet, si sit simul in actu cum causato, & fortè quod causatum semper dum est actu causatur. Contra Auicennam: pater est causa filij, & ignis generans causa ignis geniti & per se, vt videtur: tamen manet effectus causâ destructâ. Item, si generans non simul manet cum genito, vt ipse videtur respondere cap. 2. sed cum aliquo alio, quod est immediatè causatum ab ipso, & illud est cum alio causato ab ipso, & sic vsque ad effectum, videtur esse processus in infinitum in causis: sed hoc ipse concedit cap. 2.* Causas non essentiales *inquit*, vel non propinquas, non nego procedere in infinitum. *Contrà: aut sunt sibi immediata in diuersis nunc, & tunc duo nunc immediata: aut tempus est medium inter ipsa, & tunc causa non simul cum causato: aut nullum est medium, sed quodlibet causatum simul cum sua causa, & tunc omnes causæ infinitæ erunt simul in actu, hoc argumentum facit ibi cap. 2. & respondet. vide ibi.*

Opinio Auicennæ causatum dum est, causari.

De alio membro dicit Philosophus quòd causa in potentia, & effectus in potentia non sunt simul. Contrà: causa in potentia, & effectus in potentia referuntur secundo modo relationis, vt calefactiuum, & calefactibile; sed ibi est mutua dependentia essentialis; ergo simul sunt & non sunt.

SCHOLIVM I.

SENTENTIA *Ægidij effectum immediatum, nempe fieri per motum, & eius causam, esse simul in actu; secus de effectu mediato, quale est factum esse: & sic intelligit Philosophi literam. Secundam partem probat, quia alioquin omnia necessariò euenirent. Refutatur primò quia ex hac ipsius ratione sequitur effectum illum immediatum necessario fieri. Secundò, quia ratio eius non minùs currit de effectu sine motu, immò magis, vt de actib. voluntatis, qui sine motu fiunt. Resoluit ergo Doctor, quando dicit Philosophus, causam in actu, & effectum in actu esse simul, secus de causa & effectu in potentia, id intelligendum esse de fundamentis, non de relationibus, quia hæ vtrobique simul sunt: sed fundamentum relationis causæ in potentia priùs existit, vt ædificator, quàm fundamentum relationis effectus in potentia, de quo postea l. 9.*

3 Ad quæstionem dicitur pro primo membro, quòd causa efficiens per motum, est causa vnius effectus immediatè, scilicet *fieri*, & facti, mediatè: tunc vera est propositio de causa in actu, & effectu immediato, scilicet ipso *fieri*, quia quando causa est in actu, tunc mouet, & quando mouet *fieri* est in mobili. De effectu mediato, non oportet

oportet hoc, quia tunc omnia euenirent de necessitate, supposito quòd omnia haberent causas per se: quia si aliquid eueniat tertia die, sit A, A, si fiat, fiet A, per se causa, scilicet B: sed B habet aliam causam, quia si B est in actu, & causa eius, scilicet C, & sic redeundo ad aliud, quod nunc est, sit D, quid est causa ipsius C, sed D fuit causa in actu, ad quam ex hypothesi necessariò sequebatur effectum esse simul in actu C, & sic ex C, B; & ex B, A: ergo omnia necessariò venirent. Tale argumentum facit Philosophus 6. huius, cap. 2. text. comment. 7. Vnde istæ duæ propositiones non sunt simul veræ, quòd cuiuslibet fiendi oportet dare per se causam, & quòd posita causa in actu, necesse sit effectũ poni in actu quia ex his sequitur conclusio impossibilis modo prædicto: quòd omnia necessariò erunt, & non propter primam propositionem, quia etiam si ipsa esset vera, adhuc conclusio non sequeretur; ergo propter secundam; ergo secunda est impossibilis. De causa in potentia dicitur quòd non oportet esse cum effectu, quia est prior effectu.

4 Sed contra istos est argumentum nunc factum, ita concludit contra eos de *fieri*, quod ponunt effectum immediatum, quia illatum duarum propositionum supposita prima, & hac quam ipsi dant, quod positâ causâ in actu necessariò sit esse fieri in actu. Arguitur vt priùs, D existente in actu, necesse est C fieri, & ex C, B: & ex B, A fieri: ergo omnia futura necessariò fient: hoc ita est inconueniens, sicut quod necessariò erunt: illud enim non solùm est inconueniens: sic quòd omnia simul erunt necessariò, vt vadit prima deductio, sed etiam quòd successiuè non potest vitari quin omnia necessariò erunt successiuè saltem, nisi per hoc solum quòd ponatur aliquid posse fieri, & tamen non fore propter impedimentum. Nec illa euasio valet, si in principio fieri sit aliquid fiendi. Similiter videtur quòd illud non sit verum, scilicet quòd causa particularis, & effectus immediatus sunt simul, per idem argumentum, quòd ipsi faciunt: quia ponamus quòd essent multæ causæ agentes ordinatæ, non per motum: tũc si causa existente in actu, necesse est immediatum effectum esse in actu; ergo omnia producibilia à talibus causis de necessitate euenirent: hoc autem est falsum; ita enim contingenter producit voluntas aliquid, non per motum, sicut ignis per motum, immò contingentius. Probatio consequentiæ, sicut ipsi arguunt vnde ratio non valet plus ibi quàm hîc. Ideò dicendum ad formam; quòd ibi est fallacia *secundùm quid*, & *simpliciter*: concedo quòd quando causat in actu, quòd necessariò sequitur quòd effectus est in actu: ergo necessariò est effectus, non sequitur, quia causa est in actu contingenter; vnde consequentia non valet: effectus necessariò, necessitate consequentiæ, est in actu, si causa sit in actu; ergo effectus necessariò est: nisi poneret quòd causa esset necessariò in actu; nunquam enim ex necessitate conditionali sequitur necessitas consequentis, nisi antecedens sit necessarium: sic non est hîc, sed sit causa in actu contingenter. Sed Philosophus non sic arguit. Sed hoc supposito, quòd posito eo quod est causa; sequitur necessariò aliud, sicut patet per exemplum eius ibi.

Contrà: adhuc illud quod est causa contingenter est, vel fuit, vel erit; ergo consequens non est necessarium. Responsio, si iam aliquid est, ad quod necessariò sequitur aliud, illud aliud necesse est fore necessitate ineuitabilitatis, sic quòd non potest euitari quin erit, sed non est simpliciter necessarium, quia potuit euitari, quia istud quod nunc est, potuit non esse nunc. Contra illud aliud de causa in potentia & effectu in potentia, videtur quòd simul sint, & non sint, quia referũtur secundo modo relatiuorum, quæ mutuò depēdēt.

Potest aliter dici ad quæstionem, quòd illa differentia non est de relatione causæ in potentia; & effectus in potentia, quia sic simul est causa in potentia & effectus in potentia, sicut de causa in actu & effectu in actu, quia vno genere relationis referuntur omnia hæc, vnde in hoc non est differentia, sed in hoc quòd veritas huius dicti attendenda est de fundamentis relationum: quia relatio causæ in actu, & effectus in actu non potest fundari nisi in ente in actu; & ideò sicut relationes simul sunt, & non sunt, ita & fundamenta earum, sicut priùs exponitur: sed relationes causæ, in potentia, & effectus in potentia, non requirunt fundamenta in actu, & ideò non oportet fundamenta earum simul esse, licèt relationes simul sint in actu.

5 ADDITIO. *Stat relatio causæ in ente in actu, sine effectu in actu.*

Si autem est causa in actu, simul erit illa relatio, & illa non potest fundari nisi in ente in actu; ergo aliquid est ens in actu, in quo illud fundatur; & ideò si causa est in actu, aliquid; non solùm est effectus in actu, sed aliquid existit actu, quod est effectus in actu. Sed si relatio causæ in potentia fundetur in mente in actu, sicut iste est ædificator, non oportet relationem effectus in potentia, quæ simul est cum relatione causæ in potentia, fundari in aliquo ente in actu, ita quòd non oportet simul aliquid existere, quod sit ædificator, & aliquid existere, quod sit ædificabile, quia ædificabile potest existere in ente in potentia. Nec intelligitur differentia fundamentorum relationum potentiæ in actu, & effectus in actu, ad fundamenta relationum causæ in potentia, & effectus in potentia, inquantùm sunt fundamenta, quia vtraqua relationes vtrimque simul sunt. Ita etiam fundamenta simul sunt, actu etiam sunt inquantùm fundamēta hoc est, actu sunt sub illis relationibus; sed non simul actu existunt, sed causa & effectus in actu: si vnũ existit, & aliud, nõ sic in potentia. Nec dico, si vnũ fundamentum existit, causæ scilicet in actu, quòd fundamentum effectus in actu existit, quia fundamentum actu existit sine relatione; sed si est sub relatione causæ in actu, & actu existit, tunc fundamentum relationis effectus in actu, actu existit, vt sit in summa differentia, non sic hinc inde inter relationes, quia vtraque necessariò simul sunt: nec inter fundamenta relationum, inquantùm sunt fundamenta, quia & illa vtrimque necessariò simul sunt, cùm sine illis sic non sint relationes: nec de illis quæ fundamenta sunt sine substantia in se consideratur, quia sic neutrobique necessariò simul actu, nec necessariò simul in potentia. Sed intelligitur differentia de fundamentis actu existentibus sub relationibus comparatis ad existentiam absolutè, non ad existentiam sub relationibus. Hoc sic exponitur, si causa est in actu, ita relatio est in actu; ergo necesse est aliquid existere in actu, in quo fundatur relatio causæ in actu, & effectus in actu; sed si causa in potentia est, sicut ædificator, non oportet aliquod ens, in actu esse, in quo fundetur illa relatio in potentia, sed sufficit habere aliquod fundamentum ens in potentia.

SCHO

SCHOLIVM II.

HABET *optimam doctrinam in solutione argumentorum. Ad quartum benè explicat quomodo Deus de nouo potest aliquid producere sine sui mutatione : de quo vide ipsum 1. d. 1. q. 2. ad primum, & ad quartum. Id quod dicitur in additione*, indisciplinati esse quærere nouum in Deo, vel rationem quare nunc agit, & non ante, *habetur in Philosoph. 4. Metaph. tex. 9. & 1. Post. tex. 6. quia non omnium est habenda, nec inquirenda ratio, nec hîc assignari potest, nisi quia voluit Deus nunc agere, & non ante; & huius volitionis nulla est prior ratio. Vide Doctorem in expositione tex. com. 3. circa quem mota est ista quæstio, & Anton. Andream hîc q. 3. qui clariùs nonnihil hanc quæstionem tractat, nihil ferè præterea de suo addens.*

6 Ad primam rationem, quòd & relationes sunt simul in actu & fundamenta realiter sunt in actu, sed dum motus est, non est causa agens facti in actu, sed in vltimo instanti. Accipiendo tamen effectum, respectu cuius est mouens in actu, est ille effectus in actu, sed dum mouet non est causa in actu, nisi fieri, sed in vltimo instanti est causa in actu facti, & tunc simul sunt in actu. Ad aliud de quarta huius, dico quòd mouens est simul naturâ cum effectu, quia si sint per se relatiua, relationes sunt simul; tamen res subiecta mobilitati est prior alia re, in qua fundatur relatio effectus: tunc loquitur de fundamentis non de relationibus, quia dicit ibidem quòd sensibilia possunt esse, non existentibus sensibus, quia sensibilia & sensus dicuntur relatiua tertio modo. Ad tertium argumentum, quòd scitum est causa scientiæ aliquo modo; & dico quòd scitum in actu, & scientia in actu simul sunt & non sunt, & cùm dicit quòd referuntur tertio modo, nego, sed scientia in actu, & scibile non in actu scitum. Ad aliud de Deo, quòd Deus semper fuit, non tamen causa in actu semper, Contra: tunc fuit causa in potentia, & tunc mutatus, quia factus est de causa in potentia, causa in actu. Non valet, quia agens voluntarium voluntate antiqua non mutata, potest causare quando placet sine mutatione sui: sicut si ego vellem modò, sedere cras, possum sedere cras sine mutatione voluntaris meæ. Contrà; Auerroës 8. Physicorum Comment. 4. 6. & 8. & volens nunc facere tunc, & non nunc, saltem expectat tempus, quod non est sine mutatione. Respondeo ita facit ipse miser Auerroës, quia fuit in tempore, Deus in æternitate ante mundi creationem nullum tempus expectauit, quia in instanti, quæ expectatio æternitatis instans est. Noli mensurare Deum secundùm Auerroëm.

Motus potest esse prius moto: exponitur.

Scientia in actu & sciti simul sunt.

7 Additio. *Et quòd à causa non mutata procedat nouus effectus probatur, A est nouum; ergo habet causam, & cùm non sit ire in infinitum, venietur ad causam non nouam à qua est immediatè nouum aliquid. Item, quomodo potest causa non mutata semper mouere, quod est semper alium & alium effectum habere, & non potest aliquando mouere, cum priùs non mouerit: cùm non sit nisi nouus effectus semper in primo membro, & nouus aliquando in secundo. Sed quare nunc mouit, & non tunc? quia voluit: huius non est quærere causam, quia habitâ causâ immediata, & sufficienti, respectu effectus, non est vltra quærere, quia tunc omnium esset demonstratio; ergo indisciplinati est quærere quid nouum in Deo quasi relatio rationis non præcederet creationem, sed quasi sequeretur, ita quòd causa inquantum præcedit causare, innouatur in nullo, sed vt agit quasi causando actionem, manet vt priùs, & naturaliter, nec re, nec ratione mutatur. Alij dicunt quòd omnis relatio noua est in effectu, etiam illa quâ causa dicitur ad effectum. Contrà: vbi est relatio ibi est fundamentum. Item, in quo est relatio, illud refertur illâ relatione. Item, relationes sibi inuicem opposita erunt in eodem. Aliter dicitur, quòd est nouâ denominatio antiquæ relationis. Contrà: eadem ratione, pater meus quando generauit me, non habuit nouam relationem, quia priùs fuit generatiuus, & sic solùm generans haberet nouam denominationem. Tenendo ergo primam illarum viarum, est dubitatio, vtrùm sit priùs in causa illa relatio rationis, an in effectu relatio realis? Dicitur secundum, quia referribile reale est causa rationis, non è contra. Exemplum de dextro in animali, & sinistro in columna. Contrà: priùs naturaliter fuit hoc causatiuum quàm illud causabile, (quia enim hoc causatiuum, ideò illud causabile;) ergo priùs hoc causans quàm illud causatum.*

Confirmatur: quicquid est in causa præcedit illud quod est in effectu. Responsio illorum non valet, quia semper maior differentia reducitur ad minorem. Ad tertium argumentum, aliter secundum aliquos, scibile secundùm se & essentialiter refertur ad scientiam in potentia; & scientia in potentia, & scibile simul sunt & non sunt; nec accidit scibili quòd sciatur in potentia, accidit tamen lapidi, sicut accidit Ioanni quòd sit pater: non tamen accidit patri quòd sit pater. Vnde sicut scientia in potentia essentialiter dependet à scibili, ita à conuerso: & sicut scientia in actu dependet à scito in actu, ita è contrà. Vnde quod dicunt, quòd accidit scibili: quòd sciatur, intelligendum est de re subiecta scilicet lapide, vel ligno. Probatio dicti: Scibile enim non est scibile: nisi quia eius potest esse scientia, quia si esset scibile, & eius non esset scientia in potentia, esset scibile & non scibile: ergo in ratione scibilis includitur scientia in potentia; sicut suum per se correlatiuum.

Non accidit scibili quòd sciatur in potentia, sed benè lapidi: nec patri quod sit pater, benè tamen Ioanni.

ANNOT. MAVRITII.

SEquitur quæstio secunda de simultate causæ particularis & effectus talis quoad esse, & non esse, t. c. 3. in cuius principio ibi: *Item in motu proiectionis*, &c. vsque illuc de alio membro, notatur *Extra*, vel additio; sed litera notabilis, ideò ponderentur solutiones ad illa argumenta: posset etiam inchoari illa additio, ibi: *de hoc quod causa singularis in actu*, &c. & durare vsque ibi: *Ad quæstionem dicitur*, &c. omnia tamen solues faciliter si legere placebit ex his quæ hîc & alibi habes in isto.

Ibidem infrà: *Ad quæstionem dicitur*, &c. ponitur opinio Ægidij super 2. Physic. Quære hîc & ibi alios antiquos ad propositum, & maximè in Theorematibus huius notanter.

Deinde in solutione propria ad quæst. ab illo loco: *si autem est causa in actu*, &c. vsque ibi: *Ad primam rationem*, &c. assignatur ab aliquibus *Extra*, vel additio, sed optima est litera & sententia

sententia per totum; ideò legatur, determinatio Doctoris ibi clara est, vt patet: & assertiua, & doctrinalis.

Postea soluendo principalia, ponitur quædam additio, vel *Extra*, & incipit sic: *Quòd autem à causa non mutata*, &c. & durat vsque illuc: *Ad tertium argumentum autem*, &c. est tamen litera singularis & subtilis, & probabilis ad partes; quare benè discutiatur.

Quod ibi tangit de relatione Dei ad creaturam, an sit noua, an etiam realis vel rationis, & varios modos dicendi, scilicet in quo est talis relatio formaliter, an in Deo, vel in creatura, quære in 1.d.30.& 35.& in 40.& 43.& in 2.vbi suprà, & breuiter si ille respectus sit causatus ab intellectu, vel voluntate diuina, oportet quòd sit æterna, si verò à potentia vitali creata, est ex tempore, & est ponenda in Deo forma; secus de relatione reali, & denominatione quæ fit à tali: quære Thom.Henric.Vua.

9 Illud quod vltimò ibi tangit comparando relationem rationis in causa ad realem in effectu, videtur habere bonam difficultatem in doctrina huius, quæ illarum sit prior: pro vtraque parte quære 8.dist.pri.q.4.vel 5.principali. Et posset probabiliter teneri quòd illa causa est prior, vt Doctor videtur tenere; actualis saltem: quia ab æterno per opus intellectus diuini, licèt illi æternæ fortè correspondet alia rationis æterna in creatura in esse cognito considerata, non realis actualis. Sed quod ibi additur de prioritate naturæ causatiui & causabilis, ponderari debet; & fortè negari, formaliter capiendo illa: dato etiam illo assumpto examinetur consequentia. Confirmatio sequens debet maximè attendi de absoluto quocunque in causa. &c. Et illud quod additur consequenter scilicet quòd maior differentia reducitur ad minorem, habet videri & examinari in Quodlib. q.2. ad fin. Breuiter sententia Doctoris in hoc dubio est probabilis & famosa: sed an de sua intentione, videatur benè in locis præallegatis. Posset etiam hîc inuestigari, an respectus causatiuitatis in Deo, quam dicit arguens præcedere naturâ, &c. sit realis vel rationis, & plura alia, quæ lector attendat.

Ea quæ consequenter tangit de relatione scibilis & scientiæ notentur, & infrà c. de Relatione magis patebunt, sed hæc sententia optima est: an tamen illa relatio mutua, quam hîc ponit, sit realis, vel rationis. & cuiusmodi sit, considera.

Horum quidem vtique altera causa est essendi necessaria; horum autem nulla, sed propter hæc alia sunt ex necessitate. *text.com.6.*

QVÆSTIO III.

Vtrùm necessaria habent causam sui esse.

Arist. *hic c.5. & 8 Physic.c.1.* Auicen. 1. *Met.c.6.* D.Thom. *hic lect.* 2. Ant. Andr. *ibid.q.4.* Fland.q.5.a.1. Fonf.c.5. q.1. Meurisse. 2. *Met.c.3.q.2.* Vide Scot. *in 1.dist.8.q.5. num.6.*

1 QVòd non Auicennæ 1. Meta.cap.6. a. Quia omne habens esse per causam, circumscriptâ causâ non habet esse: & tunc non necessarium de se; ergo nullum causatum de se necessarium. Item, causa efficiens est vnde principium motus: sed in immobilibus non est motus. Oppositum in 2. huius, t.c.4. necessariorum, vel sempiternorum sunt causæ.

SCHOLIVM I.

S1 *datur aliquis effectus necessarius, ille necessariò habet causam; aliqquin entitas eius esset causata, & necessitas incausata: hîc tangitur error Philosophi, qui posuit multa alia à Deo necessaria, quia posuit Deum causare necessariò; neque voluit ista necessaria, & Intelligentias, celos & elementa carere causa, vt fusè probat Doctor* 1. *d.* 8. *q.* 5. §. Contra istam *nu.6. contra Henricum, qui contendit quòd posuerit Philosophus ista necessaria, & à se, non ab vlla causa.*

Dicendum, quòd si aliquis potest esse effectus necessarius, potest necessitas eius habere causam efficientem, sicut res ipsa habet causam; quia oportet ponere vnum à quo est causalitas omnium: quia si necessitas effectus non haberet causam, cùm sit in causato, aliquid esset in causato non causatum.

Omnis effectus habet causam.

2 Ad Auicennam, quòd intelligitur de necessario per se. Sed aliquid dicitur necessarium per se effectiuè, ita quòd *per se* excludat aliam causam efficientem priorem: & sic solus Deus est per se necessarium in genere causæ efficientis. Vel potest aliquid esse necessarium formaliter & per se, & tale potest ab alio esse: quia sicut ipsum necessarium formaliter in se effectiuè est ab alio, ita & necessitas. Tunc ad formam: circumscriptâ causâ, non esset necessarium ex se, verum est in genere causæ efficientis: tamen formaliter, si forma eius posset stare de se, haberet necessitatem sine efficiente, sed non potest sine primo; vnde circumscriptio illius, circumscribit etiam causam intrinsecam formalem necessitatis ex consequenti: non enim partem habet à se, partem ab efficiente, sed totum, tam naturam quàm necessitatem habet ab efficiente, quo sublato totum tollitur. Contrà: quòd circumscripto aliquo non est, non est necessarium, nisi ex suppositione. Dicendum, quod illud quod est necessarium, ex suppositione necessaria, est necessarium. Ad aliud responsio, quòd illa descriptio est à posteriori, & non à notiori: non enim est simpliciter de ratione efficientis quòd sit principium motus, quia accidit efficienti secundùm quòd huiusmodi, quòd agat per motum, quia efficiens potest agere sine motu, tamen in naturalibus communiter est vera.

Necessarium effectiuè, solus Deus: formaliter quædam alia.

Necessarium ex suppositione necessaria, est verè necessarium.

Responsio ad quæstionem: ad hoc quòd effectus sit necessarius, oportet causam esse necessariam, & in essendo, & in causando, quia altero illorum destructo, potest effectus non esse. In complexis est inuenire vtrumque: principia enim in se sunt necessaria, & necessariò causant conclusiones: quia ratio necessariò causantis est, quòd destructo effectu, ipsa destruatur: sic est de principiis respectu conclusionum. 2. *Physic.* 8. tex. c. 89. *In incomplexis sine entitate rerum, nulla est causa vtroque modo necessaria: nulla enim post primam esset, nisi prima esset: quia nulla alia, nisi causata: & si non est necessario causata, non necessariò est: & ita non necessario causat. Sed prima non est necessaria in causando: quia ex ratione causæ necessariè*

3 Additio.

necessaria ipsa destrueretur destructo effectu: & ita eius entitas non esset omnino absoluta & independens. Argueretur hîc: quia liberè causat: non valet: nam & productio Spiritus Sancti est libera, siue liberè, & tamen necessaria.

Tamen aliqui sunt effectus necessarij secundùm *quid*, siue sub conditione, scilicet si causa est, pro eo quod causa proxima ex naturali colligantia cum effectu necessario, dum est, causat ipsum. Sed nec sic est necessitas in prima causa: quia tunc esset necessitas simpliciter, cùm illa conditio sit simpliciter necessaria. Quod enim necessarium est ex suppositione simpliciter necessaria, est simpliciter necessarium: illud suppositum in aliis causis naturalibus non est simpliciter necessarium. Ad argumentum in oppositum, non omne sempiternum est necessarium: sed hîc in litera, & 8. Physic. loquitur de complexis.

SCHOLIVM II.

Addvcit *argumenta suadentia in causatis aliqua dari simpliciter necessaria, vt voluerunt Philosophi, qui Deum naturaliter agere asseruerunt, & soluit clarè, de quo agit fusius 1. d. 8. q. 5. §.* Contra istam conclus. *& di. 2. q. 2. §.* Ostenso esse de proprietatibus. *& d. 39. §.* Tertia positio; *quibus locis ostendit Deum omnia contingenter agere, & nihil necessariò.*

4 Contra ista, necessitas simpliciter est conditio possibils in creaturis: quia non includit contradictionem. Quod probatur sic: modus producendi non variat naturam producti: si Deus produceret res ex necessitate, aliquid causatum esset necessarium: ergo licèt nunc aliter producantur, necessitas eis non repugnabit. Item, si Deus produceret ex necessitate naturæ, causatum esset necessarium simpliciter; ergo cùm modus quo nunc producit, sit æquè nobilis, vel nobilior illo, simpliciter necessarium potest sic producere. Item, in omni conditione entis, simpliciter nobilius est ens necessarium non necessario: ergo & in causando: ergo nobilissima causa necessariò causat. Item, ex plenitudine perfectionis in causa consequitur effectus; si ergo in aliquo effectu potest esse tanta perfectio, quod ipsa posita necessariò ponatur aliud, multò magis in prima causa. Quod ex hoc confirmatur; quia si primum non est necessarium, nec aliquid posterius in essentialiter ordinatis: ergo si connerio effectus cum prima causa, quæ est essentialiter prima connexio, non est necessaria, nec aliqua alia est. Ratio adducta de Deo, improbatur, & primò: quia non oportet illud accipere ex 2. Physicorum vbi loquitur de principio, & conclusione: quia aliter videtur esse conclusio in principio, quàm effectus in causa, quia conclusio est quædam pars intellectus principij actu contenta in illo, licèt non distinctè, sicut singulare in vniuersali, non sic effectus in causa. Hæc ratio concedetur, quod ratio causæ necessariò non inde accipitur. Item, in causatis, quòd aliquid necessariò causetur non attribuitur eorum imperfectioni, nec dependentiæ ex effectu, sed plenitudini perfectionis; ergo nec similiter hîc; vnde aliquo destructo, aliud destrui sequitur, vel quasi à priori, vel à posteriori. Primo modo concludit imperfectionem: secundo modo abundantem perfectionem, sicut de subiecto & propria passione, quæ non in se consistit, sed in aliud fluit; præcipuè si illud aliud destrui est possibile. Item, secundùm hoc posset Deus producere plures differentias entium quàm nunc: quia necessarium & possibile. Contra responsionem ad argumentum primo Cæli & mundi, tex. c. 138. quomodo nihil ex se possibile, potest esse necessarium per aliud, addita hîc hac ratione: necessarium & possibile diuidunt totum ens; ergo omnem differentiam entis: diuisiones enim entis inquantùm ens, communiter non sunt subordinatæ. Contrà: voluntas quæ est primò finis non est necessariò alicuius non necessariò ordinati ad finem.

5 *Modus producendi an mutat productum?*

Ad argumenta superiùs contra Auicennam. Ad primum, quòd modus producendi non variat conditionem propriam producto, sed aliqua productio concludit necessitatem producti: & quia causatum, concluditur non necessitas, ideò contradictio: causatum à Deo necessitate naturæ. Per hoc ad argumentum secundum. Ad tertium, quòd in omni causalitate, absoluta necessitas est perfectionis, & in respectu ad prius à quo aliquid dependet, si esset necessitas, non poneret imperfectionem in absoluta; ille tamen respectus esset perfectio, si non esset contradictio in termino: ad extremum enim cui repugnet necessitas, non potest esse respectus necessarius. Ad quartum, plenitudo perfectionis limitatæ non est simpliciter plenitudo. Ad confirmationem, quòd licèt aliqua connexio sit secundùm *quid* necessaria, nulla tamen simpliciter est necessaria, quia quælibet dependet à prima causa, quæ contingenter causat: quâ prius naturaliter non causante nihil aliud causat: similiter communiter secundæ causæ sunt impedibiles, & causa impedibilis, quantumcunque non impediatur non est necessaria. Pro prima ratione tacta, quæ est Auicennæ. Dicitur quòd necessarium ex se debet intrinsecè habere necessitatem: & ita quacunque hypothesi siue possibili, siue impossibili, posita, circa extrinsecum non erit non necessarium. Ad aliud hîc suprà respondeo: quæ dicunt perfectionem simpliciter, & hæc non determinatè: sed in summo diuidunt ens. Contrà: opposita conuertuntur cum aliis similibus diuidentibus ens. Exemplum finitum infinitum; possibile necessarium; imperfectum perfectum simpliciter, &c.

Nulla connexio effectui ad causam, necessario simpliciter.

ANNOT. MAVRITII.

6 Sequitur quæstio tertia de causalitate passiua necessariorum, t. c. 6. inqua aliqui totam illam literã ab illo loco; *Responsio ad quæstionem*, vsque ad finem, volunt esse additionem seu Extra; aliqui partem eius, sed hoc non est necessarium ponere, nam litera optima est, & cuncta rectè dicta: duos enim modos dicendi tangit in q. quorum primus est, vt ipse disputat. 8. di. pri. q. finali in opere Angelico, vel principali, in Reportatis, & in Quodlibeto q. 7. quòd benè potest aliquid esse formaliter necessarium, & tamen ab alio causatum, & videtur intentio Aristotelis, & Commentatoris vt ibidem patet, & qualiter Hen. & alij antiqui circa hoc variè sentiant, videatur ibi. Alius modus dicendi est distinguendo de necessa-

necessario complexo, & incomplexo & hoc, vel secundùm quid, vel simpliciter, vt patet in litera; & secundùm primum modum dicendi, respondet ad argumenta ante oppositum, & secundùm secundum ad argumentum in oppositum. Adducit consequenter plures instantias contra secundum modum dicendi, qui conformis est Auicennæ & soluit, quæ omnia videbis in primo, & Quodlibeto, ferè vbi suprà, & 39. eiusdem, & 36. & 2.

7 Infra ibi: *Contra, voluntas, quæ est primò finis*, &c. illa instantia faciliter soluitur, concedendo quòd voluntas non sit necessariò alterius à fine, nec etiam finis ipsius, loquendo de creatura. Vel si volueris concedere aliqua necessariò ordinari ad finem vltimum, intellige de necessitate consequentiæ, vel in esse obiectiuo considerata, & non realis existentiæ: quia sic omnia contingentia & contingenter ordinata.

Alia replica in fine, ibi: *Contra opposita*, &c quam non soluit, soluitur in principio, vbi suprà notaui. Quære hîc Alber. & alios opinantes, & processum Auerrois & Auicennæ de productione rerum.

Ampliùs autem alia secundùm numerum sunt vnum, alia secundùm speciem, alia secundùm genus, alia secundùm analogiam. *t. com.* 12.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm diuisio Vnius *in vnum genere, specie, numero, & proportione sit conueniens?*

Arist. *hîc cap.* 6. Alex. *ibid.* D. Thom. *lect.* 6. Albert. *tract.* 1. *cap.* 7. & 8. Anton. Andr. *q.* 6. Fland. *q.* 7. *a.* 3. Fonsec. 6. Meurisse. *lib.* 2. *Met. c.* 3. *q.* 2. Vide Scot. *in Comment. ad cap.* 6. *huius.*

1 QVòd non: aut est eadem cum prima quam ponit, aut alia: non eadem, quia tunc insufficiens: quia prima habet quinque membra, hæc tantum quatuor, non est alia, quia duo membra istius diuisionis, conueniunt cum duobus alterius scilicet de genere & de specie. Item, aut est diuisio vniuoci in vniuocata, quod non: quia tunc *multum* non diceretur oppositis modis istis, quod est contra Philosophum in litera. Irrationale enim & rationale non diuiduntur in æqualia. Nec diuisio æquiuoci: quia tunc vbicunque ponitur *vnum*, vel *multum* in propositione, esset propositio distinguenda, quod non est verum. Item, tunc ad vnum membrum non posset sequi aliud, contra Philosophum in litera: quia vnum membrum diuisionis conuenit omnibus membris, quia vni esse, est principium numeri esse, cap. isto; t.c. 12. ergo omne vnum est principium numeri; ergo vnum numero, quod est vnum membrum, est commune omnibus membris. Item, de ratione membrorum, quod dicit vnum numero, cuius materia vna numero: tunc nullum immateriale esset vnum numero: consequens est falsum, quia sicut semper vnitas prior infert vnitatem posteriorem, ita ex opposito in multitudine: sed in immaterialibus est multitudo specie; ergo vnum numero. Item, tunc contraria vnum numero: quia eorum materia est vna numero. Oppositum dicit Philosophus. t.c. 12.

SCHOLIVM I.

TEXTV 8. *& seqq. posuit Philosophus diuisionem* vnius, *accepti realiter in quinque species, continuatione, subiecto, genere, specie & indiuisibilitate; hîc autem ponit diuisionem eiusdem* vnius *accepti Logicè, in quatuor membra, cuius sufficientiam optimè declarat Doctor, & soluendo primum argumentum explicat quomodo vna diuisio differt ab altera.*

2 Dicitur quòd diuisio est conueniens, quia illa est secundùm intentiones Logicas, & prima diuisio est secundùm fundamenta realia, ista secundùm intentiones fundatas in rebus; vtrùm autem *vnum*, quod diuiditur in vna diuisione, & in alia sit reale, vel quòd in vna sit reale, & quod in alia intentionale, tangetur in prima solutione primi argumenti. Sed semper istud est verum quòd hîc dicitur: & tunc assignatur sufficientia, quia intellectus intelligens aliquid sub ratione vnius, aut intelligit sub ratione incommunicabilis, & hæc est vnitas numeralis; aut sub ratione prædicabilis de pluribus, tunc dicitur, aut differentibus numero: tunc vnitas speciei: aut differentibus specie: tunc vnitas generis. Vltra hanc vnitatem non est inuenire vnum conceptum prædicabilem, tamen vnum conceptum accipiendo communissimum comparando alteri communissimo, inuenitur vnitas proportionis in similiter se habendo ad alia scilicet sua inferiora in prædicando in *quid* de eis, sic diuisio est sufficiens. Contrà: duo membra non sunt accepta secundùm fundamenta intentionalia. Primum non: quia tunc dicitur vnum numero cuius materia vna, sed materia non est à consideratione intellectus. Quartum non, quia aliqua proportio esset nullo existente intellectu: nam similiter tunc se haberent 8. ad 4. & 6. ad 3. ergo vnitas proportionis non causatur ab intellectu. Exponitur primum vno modo sic; dicitur vnum numero, quod non prædicatur de pluribus: & hæc est vnitas singularis: & ita fundamentum vnius est singulare. Quod probatur, quia vniuersale & singulare referuntur ad inuicem: vniuersale intentionale; ergo singulare intentionale, quia sunt simul: natura & res intentionis primæ, & secundæ non sunt simul. Hoc confirmatur per illud tertij huius, t.c. 14. q. 3. vnum numero dicere, aut singulare, nihil differt. Ad aliud de proportione. Dico quòd proportio potest esse secundùm fundamenta realia, sicut in numeris, vel intentionalia, sicut in *prædicari* & *subiici*: prima potest esse sine intellectu, secunda non: & hæc est illa de qua loquitur, quia prædicata habent hanc proportionem in prædicando in *quid* de contentis sub ipsis.

Sufficientia huius diuisionis, declaratur.

Vnitas proportionis non est ab intellectu.

3 Ad primum principale argumentum dicitur, quòd nec ista diuisio, nec prima diuidat *vnum* secundùm rationem vnius scilicet secundùm rationem indiuisionis, sed secundùm fundamenta, super quæ potest vnitas fundari: tunc hæc diuisio differt à prima secundùm fundamenta diuersa: quia prima sunt fundamenta realia, hæc intentionalia. Contrà, res intentionis primæ: sicut vnitas, quæ est de genere quantitatis, non fundatur

fundatur in re secundæ intentionis: quia omne fundatum in alio, habet minorem entitatem quàm fundamentum, & res primæ intentionis habet maiorem entitatem quàm res secundæ intentionis. Conceditur & respondetur aliter, quia vnitas diuisa primò est realis, hîc autem est vnitas rationis, & fundamenta etiam: tunc dico quòd membra duo scilicet genere & specie hîc & ibi, non conueniunt. Ad hoc nota; quòd omnis vnitas causata ab intellectu habet vnitatem in re à qua originatur: sicut tangitur in 1. huius q. 1. & manifestiùs in septimo, sicut ignis generat ignem: quia idem specie ei nullo existente intellectu: & ex illa vnitate in re mouetur intellectus, ad inueniendum vnitatem intentionalem, quæ in illa vnitate reali fundatur: & hæc vnitas realis est in primis membris, & vnitas rationis, quæ fundatur in tali vnitate, est in secunda diuisione. Ad aliud posset hîc dici, quòd vnum hîc diuisum æquiuocè dicitur ab vno prius diuiso: tamen istud vnum in se, & illud in se, ambo quoad suos modos non sunt æquiuocè dicta, sed vnitas hîc in suis modis, & ibi in suis, differunt secundùm magis & minùs. Et cùm dicitur, tunc *multum* non dicitur sic, imò quando vnum oppositum dicitur secundùm magis & minùs de aliquibus, tunc oppositum tot modis: non tamen oportet oppositum diuidi in tot inferiora; sicut aliud. In quo genere est istud vnum intentionale, cùm aliud sit reale? Et ego quæro in quo genere sunt illæ intentiones, *genus* & *species*? si sint in nullo genere: tunc non est quærendum de vno in quo genere sit: si sint in aliquo, ibi ponetur *vnum* secundò diuisum.

Vnitas rationis principiatur ab vnitate in re.

Hæc diuisio an æquiuoca, cõparata ad primã diuisionẽ vnius?

4

Ad tertium dicendum, quòd *vnum* hîc diuisum est vnum rationis, & non vnum principium numeri, sed vnum principium numeri commune est omni reali, vnde vnum numero & vnum principium numeri differunt. Primum est diuidens in secunda diuisione: secundum diuisum in prima. Ad aliud dicit Commẽtator, quòd differentia est, quia vnum numero est in materia: vnum principium numerorum non est in materia. Sic ad argumentum. Contra hoc quod dicit quòd vnum quod est principium numerorum, non est in materia, aut propositio est vniuersalis negatiua, aut particularis negatiua: si primo modo falsum est, quia aliquod vnum vnitate, quæ principium est numeri, est in materia, sicut de partibus diuisis continui, quia quodlibet diuisum est vnum numero: & si nullum vnum principium numeri esset in materia; ergo nullus numerus esset in materia, si particulariter intelligit: quare ponit vnum conuertibile cum ente, aliud ab vno quod est principium numeri: quia in omnibus immaterialibus est vnum principium numeri secundùm eum, & immaterialibus, vt immediatè ante ostensum est; ergo in omnibus potest esse vnum principium numerorum; ergo aliud superfluum.

Vnum numero, & vnum principium numeri differunt.

Item, de alio membro, aut non est differentia, aut oportet intelligere, quòd omne vnum numero est in materia, sed hoc est falsum, quia in immaterialibus est aliqua vnitas maior vnitate speciei, nulla maior quam vnitas numero: prout hîc loquitur; ergo illa est in materialibus. Probatio primæ illarum, quia aliquis Angelus est ita vnum, quòd non prædicatur de pluribus; ergo magis vnum quàm specie.

In immaterialibus est vnitas maior specifica.

SCHOLIVM II.

REFVTAT *optimè D. Thom. asserentem vnitatem numeralem sumi à materia signata dimensionibus; quia immateriale est vnum, de quo fusè agit 2. d. 3. q. 5. & 6. vbi latè ostendit materiam non esse principium indiuiduationis, & q. 7. vbi probat posse esse plures Angelos solo numero differentes: vide ipsum in expositione textus 12. hîc, & 7. huius q. 13. vide etiam Anton. Andr. hîc q. 5. sed latissimè Anton. Trombetam q. 5. Argumenta pro D. Thomæ sententia soluit Doctor d. q. 6. & 7.*

Igitur omisso Auerroë dicit Tho. ad rationem, quòd vnitas numeralis causatur ex materia vna, secundùm quòd substat dimensionibus terminatis. Et secundùm hoc ad aliud quòd contraria non habent materiam vnam talem simul, Contrà: in immaterialibus est vnum, & tamen non est ibi talis materia. Contra secundum: si simultas requiritur, tunc simultas temporis; & tunc absoluta à tempore non possunt habere illam vnitatem, & talia sunt Mathematica. Et tamen Philosophus 3. t. c. 18. huius, dicit quòd in Mathematicis sunt multa numero eiusdem speciei. Dicitur aliter quod propositio Philosophi assignatur de quolibet in se, non de duobus comparatis ad inuicem. Contrà: si hæc sit per se ratio vnitatis numeralis in aliquo eodem, vbicunque inuenitur ratio, & effectus; ergo si in duobus comparatis inuenietur ratio, inuenietur illa vnitas. Dicitur ergo ad propositum, quòd vnitas numeralis non diffinitur per hoc quòd dicit Aristoteles, *cuius materia vna numero*; probatur quomodocunque: quia ens secundæ intentionis non diffinitur per ens primæ intentionis, neque est circumlocutio per conuertibilia. Sed exemplum est in manifestis. Verbi gratia: Ens secundùm accidens aggregat duo, homo dicit ens per se, nec oportet numerare omnia entia. Vnde manifestior est nobis vnitas in materialibus, quàm in immaterialibus: non tamen excludit quin sit in immaterialibus. Aliter, quòd singulare simpliciter substantiale habet rationem materialem, & substantialitas appropriatur simpliciter singulari: vnde glossa propositionem: *vnum numero est cuius materia est vna numero*, id est, cuius substantialitas est singularis simpliciter: & tunc nihil est ad materiam realem. Contra dicta in solutione principali. Si vnitas distinguitur hîc in fundamenta intentionalia: tunc non essent plures vnitates quàm fundamenta, nec è conuerso; hoc est falsum. Plura sunt fundamenta quàm illa quatuor, scilicet Genus, Differentia, Proprium, & Accidens. Contra vnum dictum ad primum argumentum, quòd fundamentum illius vnitatis sit intentionale, probo quòd nihil sit: Illud quod est minus ente intentionali est omnino non ens: sed passio fundata in ente rationis est minus ens; ergo nihil est: sic illa vnitas nihil esset. Ad primum, dicendum, quòd illa diuisio datur secundùm quòd vnitas intentionalis fundatur in quocunque considerato, vt *quid*, & non sunt prædicabilia in *quid*, nisi quatuor vt suprà enumerantur: quia aliæ quiditates enumeratæ in *quale* prædicantur; Aliter sic, quòd diuisio est secundùm quod est cuiuscunque intellecti in se: non prout comparatur ad alia, & hoc secundùm

5

Materia non est principiũ indiuiduationis. Scot. 2. d. 3. q. 5.

Vnum numero, cuius materia vna, exponitur.

In rebus rationis, sunt gradus.

diuersos gradus vnitatis; & per hoc excluditur vnitas diffinitionis & differentiæ; per primum excluditur proprium & accidens quæ in se considerata sunt vnum specie. Ad aliud, quòd sicut gradus est in rebus realibus, sic in rebus rationis; vnde illa res rationis quæ subiicitur alteri rei rationis est magis res aliquo modo, tamen ex hoc non sequitur quòd aliud sit nihil.

ANNOT. MAVRITII.

6 SEquitur quæstio quarta de diuisione secunda, seu Logica *vnius* t.c.12.in qua sententia Doct. est satis clara & determinata, nec occurrunt correctiones, nec opin. præter eas quæ tanguntur in litera: allegat enim Thomam,& habetur super 5. huius in expositione huius textus super quo fundatur hæc quæstio.

Pro ampliori tamen declaratione eorum quæ tangit Doctor hîc: vide eum in 2. d. 3. par.1. per totum de princ. indiuiduationis, & similiter in quæstionibus Logicalibus, & maximè super Porphyrio pro declaratione Logicalium quæ hîc tanguntur, & in Prædicamentis, pro illo quod tangit de generalissimo intensionum.

Et infrà in hoc li. & 7. huius. Aduerte etiam ad quatuor responsiones quarti principalis, & maximè ad quartam quæ subtilis, & Metaphysica propriè est atque Logica ad propositum, & qualiter notanter inuehitur contra Auerroëm & hîc & vbique.

Circa solutiones vltimas obiectionum ad finem quæstionis nota signanter de gradibus in intentionibus, & difficultatibus circa hoc pluribus,& qualiter omnia vniuersalia reducuntur ad duo prima, vt 25. distinct. prima Reportationum habet, & copiosè notaui super quæst. Porphyr, quære.

Secundùm se verò dicuntur esse, quæcunque significant figuras prædicationis. Quoties enim dicitur, toties esse significat. *tex.com.*14.

QVÆSTIO V.

Vtrùm ens secundùm se diuidatur in decem Genera?

Arist. *hic cap.7.Et in Antepradic.c.5.* D. Tho. *hic lect.7.& de veritate q* 1.a.1 Alex.7.5 *Met.text.*14. Soncin.*ibid. q.*13. Anton.Andr.*q.*7 Iauell. *in Pradicam. tract.*5.p.2. c.1.Iandim.*ibid q.*13.Ferrar.3.*Physic.q* 5.Occam *quodlib.*5.*q.*22. Ioan.Maior.*in Pradic.q.*10. Vide Scot. *ibid. q.*4.& 11.

1 QVòd non: ex parte diuisi; si ens secundùm se: cùm sic non eget altero, 1.Poster.t.c.9. tertio modo per se, sed accidens eget alio; ergo non est ens secundùm se. Dicitur quòd ens non diuiditur hîc, sicut accipitur ibi scilicet pro ente solitario, scilicet pro prima substantia, sed accipitur hîc pro quolibet quod non aggregat in se diuersas naturas. Contra 7. huius,tex.c.21.non est idem quiditas albi cum albo, nec musici cum musico, propter duplex significare; ergo accidentia quæcunque significant aggregatum. Item, ad principale ex parte diuidentium 5.Topic.Cap.15. Quod per superabundantiam dicitur, vni soli conuenit:generalissimum est tale; ergo,&c.Quòd sint tantùm duo, ens diuiditur in ens per se, & non per se. Similiter diuiditur in ens in alio, & non in alio, in ens dependens, & non dependens; ergo sicut vnum membrum est generalissimum, ita & reliquum. Dicitur hîc quòd consequentia non valet; quia vnum membrum est vniuocum, aliud æquiuocum: æquiuocum potest plura continere sub se quàm vniuocum; ideò,&c.

Contra 1. Topic. cap. 12. quot modis dicitur vnum oppositorum, tot & reliquum; ergo si diuisio sit per opposita, si vnum membrum est commune ad nouem & reliquum. Similiter si vnum membrum diuisionis sit æquiuocum ad genera nouem,ergo nullum accidentium plus conuenit cum alio, quàm cum substantia: hoc est inconueniens, cùm alia dependeant à substantia, & substantia non dependet. Similiter diuisio non esset verior quàm hîc: ens aliud Quando, aliud non Quando. Item,ad principale de Quantitate, quòd sint duo genera; in omni vno genere est vnum primum, in quantitate sunt duo, vnitas & punctum. Dicitur quòd non sunt duo prima simpliciter, sed vnum & punctus reducuntur ad vnitatem 5. huius, t.c.12. inde,1. de An.t.c.68.t.c.42. de Vno, omnino indiuisibile non habens positionem est vnitas: habens verò positionem est punctus,& 1.Poster. quod punctus est vnitas habens positionem. Contrà: sicut principium ad principium, sic principiatum ad principiatum; si ergo punctus habens positionem, reducitur ad vnum: tunc quantitas continua ad discretam: & tunc non sunt species vnius generis: quia genus æquè primò dicitur de suis speciebus. Item, hæc est falsa: punctus est vnitas habens positionem, nec oportet allegare Philosophum, qui loquitur secundùm positionem Platonis, ponentis quantitates esse substantias rerũ,non secundùm propriã: quoniam Philosophus dicit 1.Posteriorum; Punctus est substantia habens positionem: hoc autem est falsum secundùm eius intentionem, quòd punctus sit substantia; ergo aliter loquitur.Item, omne genus diuiditur primò per duas differentias tantùm in duas species primas: quantitas in Prædicamentis habet duas diuisiones, quarum neutra continetur sub alia, sed vtraque prima, Cuius probatio est, quia sub continua non continetur habere positionem. Nec discreta, quia vtraque tam quantitas continua, quàm discreta potest esse sine positione; ergo est duo genera.

2 De Qualitate habet quatuor species primas. De Relatione quòd sunt duo: omne relatiuum refertur ad correlatiuum, quòd est simul cum eo; ergo generalissimum ad aliquod æquè primum eo; ergo duo prima. De Actione & Passione; sunt essentialiter relationes; ergo non distincta genera. Probatio: omne illud est essentialiter relatio, quo aliquid formaliter refertur, sed actio & passio sunt huiusmodi; ergo, &c. Probatio:calefaciens refertur ad calefactum,sed calefaciens inquantùm calefaciens formaliter actione est calefaciens, & calefactum tale per passionem. De Vbi & Quando; Vbi est esse in loco, & Quando est esse in tempore; esse in aliquo loco, non est alterius generis quam illud in quo est:sicut nec esse in sanitate est alterius generis quàm sanitas:quia si sic,tunc essent 18.genera generalissima

in acci

in accidentibus; ergo esse in Vbi, & in tempore, est eiusdem generis cum loco & tempore. Item, Positio est ordo partium in loco, de quiditate positionis non est pars: quia pars est in genere Relationis, nec est esse in loco: quia tunc Positio esset Vbi; ergo est essentialiter ordo: & ordo est relatio; ergo positio est relatio essentialiter. De Habitu, habitus est habitudo media inter rem habitam & habentem, sed hoc est relatio. Item, habitus est medium inter habentem & rem habitam, sicut factio, medium inter facientem, & rem factam; sed factio facit duo generalissima per hoc quod est ab hoc & in hoc; ergo & ista. Oppositum dicit Philosophus in Prædicamentis, scilicet *singulum incomplexorum, aut significat*, &c. Nota, est hîc oppositum: quia hîc omittit duo; & dicit Commentator quòd propter breuitatem, sed quæ prolixitas fuisset dixisse duo verba, & hæc necessaria?

EXTRA. *Dubium est de istis Prædicamentis, quomodo quodlibet genus est in se vnum, cùm in multis non videatur esse realitas vna aliqua in omnibus speciebus substantia in Angelo, in corpore, vt qualitatis in quatuor speciebus, &c. Aliud dubium quare non est duplex Quando, Vbi, Situs, Habitus actiuũ scilicet & passiuum? Vbi etiam sunt aspectus potentiarum animæ: inclinationes etiam violenta data mobilibus à mouentibus? species genita sensibiles, vel intelligibiles? vbi est motus vbi principia substantiæ, cùm quodlibet istorum sit aliquod ens secundùm se, quia habens vnum quid? Quare etiam concreta non sunt genera sicut abstracta?*

SCHOLIVM VNICVM.

RESOLVITVR *quæstio hæc q. seq. à nu. 4. & argumenta hîc adducta, ibi soluuntur à num. 12.*

QVÆSTIO VI.

Vtrùm Prædicamenta distinguantur realiter?

D. Thom. 11 *Meta. lect. 9.* Alens. *hic tex.* 14 Capriol. 1. *dist.* 8. *q.* 2. Durand. *ibid. dist.* 30. *q* 2. Ioan. de Gan. 3. *Phys. q.* 5. Paul. Venet. *c.* 31. *Met.* Soncin. 5. *Met. quæst.* 13. Herueus *quodlib.* 1. *q.* 9. Ferrar. 3. *Phys. q.* 5. Fons. 5. *Met. c* 7. *q.* 3. *sect.* 3. Suar. *disp.* 39. *Met. sect.* 2. *nu.* 21. Vasq. 1. *p. disp.* 138. & *disp.* 175.

1 QVòd non: Quantitas est essentialiter diuisibilis in ea quæ insunt, &c. tale est substantia corporea, sine essentia addita. Probatio: Subiectum secundùm quòd subiectum naturaliter est prius accidente; ergo substantia corporea naturaliter est prior quantitate, cùm sit subiectum eius: sed talis substantia non potest recipere quantitatem, nisi in partibus eius: quia de ratione quantitatis, est habere partem extra partem, & indiuisibile non potest recipere diuisibile; ergo de ratione susceptiui inquantùm huiusmodi, est habere partes eiusdem rationis.

De Qualitate: qualitas dicitur vno modo differentia substantiæ: differentia non differt essentialiter à substantia; ergo, &c. Item, qualitas quartæ speciei non differt essentialiter à quantitate; ergo non distinguitur. Probatio: Si figura distingueretur essentialiter à corpore, cùm vtrumque sit absolutum; ergo Deus posset facere corpus sine figura, & ita non terminatum. Item, tunc posset quantitas intelligi sine figuratione, quæ est terminus, quod est contra Philosophum 3. Phys. tex. com. 40. non potest intelligi corpus, nisi terminatum superficie, c. de Infinito ibi: *Rationabiliter*, &c. prima ratione. Similiter 3. huius, t. c. 17. 16. q. argum. 2. sine his scilicet superficie & linea, impossibile est esse corpus: quia his diffinitur & non èconuerso.

De Relatione: aduenit sine reali mutatione; ergo non est res vera distincta: antecedens probatur per Arist. 5. Physic. t. c. 10. Sed hoc non valet: quia ibi similiter negat motum esse in Substantia, & in Ad aliquid: manifestum est quòd hoc non est, nisi de motu distincto contra mutationem, quia in substantia est mutatio, vt in termino.

2 Dicitur tamen ad illam rationem, quòd illud cui aduenit non mutatur in se, sed in habitudine ad aliud, id est, in aliter se habendo ad aliud. Contrà: omnis forma naturaliter prius inest subiecto suo, quàm subiectum sit tale secundùm illam formam; ergo relatio prius naturaliter inest subiecto in se, quàm subiectum se habeat secundùm illam in habitudine ad aliud; ergo in illo priori aliter se habebit in se; & sic mutatio in se.

De Actione & Passione, quòd non differunt, quoniam sunt motus, & vnus motus, & hoc essentialiter: probatio 5. Phys. text. com. 10. probat Aristoteles quòd ad Actionem, vt ad Passionem non est motus, quia nullius motus, est motus, actio est motus; ergo. Si intelligatur minor genitiuè, sic non valebit argumentum; ergo oportet accipere pro minore, quod actio est motus nominatiuè. Probatio quòd argumentum non concluderet si minor acciperetur genitiuè: quia non sequitur, nullius substantiæ est motus: albedo est substantiæ genitiuè; ergo albedinis non est motus; cùm ergo non valet hîc, nec alibi. Dicitur quòd sunt vnius motus, vt subiecti. Et respondetur ad argumentum quòd non est à toto in quantitate, tanquam à superiori ad inferius, sed à maiori, videlicet si motus non est motus: multò fortiùs nec actio, nec passio; quia motus magis terminatur ad motum, quàm ad passionem, vel actionem, quia motus qui est eorum subiectum, est magis determinatus & absolutus, quàm quæ in eo sunt: tunc à maiori procedit dictum Philosophi. Contrà: si nõ sunt essentialiter motus sunt aliquid aliud essentialiter, sed nihil videtur esse in actione, nisi motus cum respectu ab agente, nec in passione, nisi motus cum respectu in passo; ergo sunt essentialiter respectus, ex quo non sunt motus per te. Item, nec respondetur ad argumentum: quæro de qua determinatione intelligitur; si perfectionis, cùm ad substantiam non possit esse motus; ergo nec ad accidens potest esse motus: si determinatione permanentiæ: tunc nihil ad propositum, quia motus est successiuus secundùm essentiam, & non actio, quia potest esse in instanti, & nullus motus potest esse in instanti.

3 De Vbi & Quando. Quando non differt essentialiter à tempore: quia omne quod essentialiter est successiuum & continuum, est tempus, vel motus, sed Quando est huiusmodi; ergo, &c. Probatio minoris, omnis mensura propria successiui, est successiua: Quando est mensura propria successiui, inquantùm tale; ergo, &c. Probatio assumpti: quando venit? heri: quando veniet? cras. Auctor 6. Principiorum vult quòd per se differentiæ Quando, sunt præsens, præteritum & futurum. Loquitur ibi de præsenti diuisibili, patet ex

diffinitione sua ibi, cuius pars præteriit, pars est futura; ergo, &c.

De Vbi, denominatiuum non significat aliud quàm abstractum in Prædicamentis, album significat solam qualitatem, &c, tunc nec Quando à tempore, nec Vbi à loco, distinguuntur. De omnibus in communi sic: Prædicamenta secundùm quòd Prædicamenta, non sunt res; ergo nec distinguuntur realiter. Probatio antecedentis, sunt vniuersalia, & vniuersalia non sic sunt, sed sic dicuntur: quia omnis res est singularis. Oppositum Philosophus, huius 5.c. de Ente, t.c.14. diuidit ens secundum se, in decem Genera; ergo decem Genera sunt decem diuersa entia secundùm se: sed si tantùm differrent secundùm modum prædicandi, essent solùm decem diuersa ratione. Item Boët. in Prædicamentis de decem vocibus decem rerum Genera significantibus.

In princ. 2. editionis.

SCHOLIVM I.

OPINIO *Auicennæ, non esse necessarium tenenere famosum illum numerum decem generum entis, & quòd posset dici motum esse vnum genus. Ponit tamen Doctor modum sustinendi communem sententiam 10. tantùm esse genera, quia omnia directè, vel indirectè in his includuntur, quam etiam habet 4.d.10.q.1.num.11.& d.13.q.1.num.9.& 1.di.8.q.3.num.18. etsi non firmiter asserat, sed quasi conditionatè d.qu.1.num.9.si (inquit)* teneatur illa famosa diuisio entis in decem genera, &c, *Sed rem fusè, & subtiliter tractat qu. 11. de Prædicamentis. Hunc numerum Archytas Tarentinus insignis Pythagoricus primus inuenisse fertur, quem Aristoteles, & alij secuti sunt, sed facilè esset plura, vel pauciora sustinere; non est tamen quod discedatur à communi numero sine necessitate.*

4 Posset dici quòd non oportet ponere 10. sicut dicit Auic.3. Physic.3.& 2.cap. *Nos non cogimur obseruare illam diuisionem famosam, quâ dicitur quòd decem sunt Genera: quorum vniuscuiusque est certissima generalitas: & quia nihil est extra ipsa: quia aliquid inuenitur, quod sub nullo genere potest collocari, sicut motus: quia si comparatio motus ad subiectum sit prædicamentum scilicet esse motus in subiecto, puta genus passionis, multò fortiùs & motus erit Prædicamentum: vel si non ponamus comparationem qualitatis ad subiectum prædicamentum, & non qualitatem. Vel si tu velis ponere qualitatem genus, habes ponere motum genus. Et si vltrà, ponas comparationem qualitatis ad subiectum; ergo & sic de aliis accidentibus: & ita augebuntur Prædicamenta multa augmentatione.* Hæc Auic.3. Metaph.cap.3. Et est contra eos qui ponunt motum per comparationem ad patientem, prædicamentum. Ad omnia in contrarium, soluitur faciliter, quia Philosophus non facit Prædicamenta, sed loquitur ibi secundùm famosum modum loquendi. Similiter nec in 5. diuidit ens in tot Prædicamenta, sed in tot res. Tamen Boëtius dicit super Prædicamenta, quòd non potest esse vndecimum Prædicamentum quod de aliis decem dici potest. Similiter Boëtius super Prædicamenta in Commento dicit, quòd ille liber Prædicamentorum est simpliciter Aristotelis.

Opinio quòd motus est prædicamentum.

Aliter dicitur, quòd diuisio est sufficiens: non quòd diuisio tantùm fiat in illa genera: & in illa quæ directè sunt in genere, sed secundùm quòd conueniunt aliis, quæ indirectè sunt in genere: sicut aliqui ponunt proprietates substantiales reducibiles ad idem genus, & non solùm principia per se substantiæ.

Quòd ens sufficienter diuiditur in 10. Genera.

6 Contra: quòd negent diuisionem, Boëtius super Prædicamenta, prima omnium diuisio est in substantiam & accidens, hæc prima; ergo immediatissima; sed qui ponunt mediam non sustinent diuisionem Boëtij, ergo non est prima. Item, eorum quæ sunt, quædam sunt in subiecto, & quædam non. Auicen.2. Metaph.c.1. dicit, quòd diuisio sit sufficiens, sicut album & non album: sicut contradictoria sunt album & non album circa lignum, posito quòd lignum sit. Sed quicquid est ens, & non est in subiecto, est substantia, vel principium eius per se, & nihil est in alio, quod non sit accidens. Dicitur quòd idem argumentum potest fieri de principiis, quia principia non sunt substantia, nec accidens, sed reducuntur ad substantiam. Similiter secundum argumentum non concludit: quia tunc alterum esse, non in subiecto, & esse in subiecto, dicitur directè de materia, vel de forma, quod negas. Tunc dicitur quòd diuisio illa est sufficiens entis, in substantiam & accidens, prout ens dicitur de ente completo, vel ex parte diuidentium, quod diuiditur in omnia reducibilia ad genus. Quòd non similiter concludant rationes de principiis, & proprietatibus, sic patet: quia principium est prius naturaliter principiato: sed principium substantiæ non potest esse non substantia: ergo illud principium non potest esse alterius generis. Sed proprietas substantiæ quæcunque est posterior substantia, & extra conceptum & intellectum illius; ergo non simpliciter concludunt rationes de principiis & proprietatibus istis. Similiter ad aliud: Omne quod est, aut est ens in alio: aut non in alio, aut est ens in se, aut principium entis in se: sic non de proprietate. Item, quòd non sit eiusdem generis, quia in Prædicamentis esse in subiecto. Dico quòd cùm sit in alio, non est in eo sicut pars in toto, & impossibile est esse sine eo, in quo est: sed secundùm quòd esse in alio, est propria ratio accidentis conuertibilis cum eo, sic competit directè proprietati. Item, illa proprietas non est in eodem genere, nisi per immediationem ad illud cuius est; sed propter hoc non debet poni eiusdem generis: quia passio immediatè inest subiecto: & tamen est in genere accidentis, quia aliqua demonstratio est potissima, vel nulla demonstratio esset; quia demonstratio omnis tenet in virtute alicuius primi, prima & potissima idem; ergo principia sua erunt immediatissima; ergo passio conclusa immediatè inest subiecto; vel da oppositum, & maior vel minor propositio non est immediatissima. Item, quæro qualiter prædicatur de subiecto? vel per accidens: & tunc magis est in genere accidentis, quàm passio, quia passio per se prædicatur. Si per se primo modo: tunc est de essentia rei, quod est contradictio. Si secundo modo, tunc subiectum cadit in diffinitionem prædicati, sicut additum, sed omne tale verè est accidens. Item, diuisio substantiæ, non vt prædicatur de speciebus solùm, sed vt de omnibus, videtur esse hæc in 2.de Anima, tex.com.2.& 7. huius, text. com.7.quòd *substantia, aut est forma, aut est materia, aut compositum*; ergo, &c.

An prima diuisio entis, sit in substantiam & accidens?

Principium eiusdem rationis cum principiato.

):(

SCHO

SCHOLIVM II.

SENTENTIA *ponens non distingui Prædicamenta essentialiter, sed per diuersos prædicandi modos, latè impugnatur quoad secundam partem, quæ tamen videtur esse Philosophi, nempè numerum Prædicamentorum sumi ex modis prædicandi, sed obscurè procedit Doctor. Vide eum hîc exponentem tex.13. & Alensem in eundem tex.*

6

Prædicamenta non distingui realiter.

Ad secundam quæstionem respondetur, quòd Prædicamenta non distinguuntur essentialiter, sed penes diuersos modos prædicandi: quòd non essentialiter, probatur. De Quantitate: Continuitas substantiæ est vnitas substantiæ: si tunc illa vnitas distinguatur à substantia, tunc substantia est vnum per aliud à se, quod est contra Philosoph.4. huius, tex.com.3. & inde, & Comment. De Relatione: si esset distincta à fundamento: tunc nulla forma absoluta esset principium immediatum alicuius actionis: quia omnis talis forma habet respectum superadditum, si sit principium agendi; ergo respectus est formale eius, inquantùm elicit operationem. Secundum declaratur 5. huius, tex. com. 14. *Quoties dicitur ens, toties esse significat:* cùm ergo genus Prædicamentum significet alia, similiter & esse.

An penes modum prædicandi differunt prædicamenta?

Contra hoc secundum: primi modi prædicandi non sunt nisi duo simpliciter in *quid*, & in *quale*. Item, non sunt nisi quatuor prædicata, nec nisi 5. vniuersalia; ergo penes modum prædicandi non possunt Prædicamenta distingui si sint 10. Item, si esse quòd significat prædicationem alicuius de aliquo significat toties quot sunt essentialiter prædicata, tunc in omni propositione est nugatio, quia compositio se tenet à parte prædicati: & ita idem bis. Item, *esse* significat compositionem quandam quam sine extremis, &c. illa compositio causatur ab intellectu; ergo esse significat aliquid secundæ intentionis, sed tale non diuersificatur propter distinctionem rerum primæ intentionis, nec ècontra. Probatio assumpti, quia genus secundùm eandem rationem dicitur de Substantia & Quantitate & Qualitate, &c. Similiter anima secundùm se, non variatur propter intentionem generis, vel speciei, quæ sibi attribuitur ab intellectu. Item, si sic, tunc hæc propositio, *Homo est animal*, significaret de se quòd homo est animal primo modo: & tunc esset nugatio, homo per se est animal: quia illud quod exprimit per se, illud exprimit compositio secundum te.

1. Periher. cap.3.

Concedo hæc argumenta, quod *esse* quod est nota compositionis, non diuersificatur sicut res: tunc sequitur quòd *esse* non potest prædicari secundùm adiacens dicendo, homo est. Dicendum, quòd *esse* est æquiuocum ad rem primæ intentionis: tunc potest prædicari dicendo: *homo est*: id est, homo est existens, *esse* autem vt viuens non prædicatur.

7

Ad literam Philosophi dicendum, quòd illud *esse*, non est esse, quod est compositio, sed *esse* denominatiuè dictum ab *ente*, & illud *esse* significat idem vnicuique categoriæ entium: sicut *ens*, quod diuiditur in illa: sicut vox in significationes. Quãdo arguitur contra eos de intentione vniuersalitatis, dicunt quòd non quilibet modus prædicandi intentionalis distinguit Prædicamenta, sed illi modi prædicandi, qui sunt modi ipsarum rerum prædictarum: quia alium modum prædicandi habet Qualitas, & alium Quantitas. Contrà, alius modus prædicandi, est abstracti, & concreti, secundùm illum modum secundùm te. Probatio, illi modi primi exclusi, scilicet modi intentionales prædicandi, non causant falsitatem in propositione: sed isti modi abstracti, & concreti faciunt falsitatem in propositione, vt album est albedo; ergo in omni genere erunt duo genera generalissima. Item, ille diuersus modus prædicandi in diuersis generalissimis, est in ipsis per comparationem ad substantiam: quia comparando ea ad proprias species, est prædicatio in *quid*. Illa ergo quæ diuersimodè prædicantur de prima substantia, erunt Prædicamenta, & talia sunt accidentia in concreto: & sic *quale* erit prædicamentum, & non qualitas. Contrà Auic.3. Physic.c.2. vbi habet pro inconuenienti, quòd esse motus in subiecto, sit prædicamentum & non motus; cuius probatio est, quia sic habet aliquid rationem generis, inquantùm prædicatur in *quid*; ergo quod verius prædicatur in *quid*, est veriùs genus, talia sunt abstracta. Item, si diuersi modi prædicandi distinguerent genera, aut hoc sufficit, aut cum hoc requiritur diuersitas eorum quæ prædicantur: & si secundum detur, primum non est primum naturaliter distinguẽs: quia ipsum quod prædicatur est prius quàm modus prædicandi; ergo aliquid distinguit priùs quàm modi prædicandi. Si non, tunc Prædicamenta non sunt diuersa entia secundum se. Similiter sequitur quòd illa negatiua non erit prima in qua negatur vnum Prædicamentum ab alio, quod est contra Philos.1.Poster.c.1. *figurarum autem*, text. com.31. Probatio, quia veritas negatiuè est ex diuersitate extremorum: sicut veritas affirmatiuè ex identitate, vt *homo est homo*; vbi ergo maior diuersitas, verior negatio; sed illa verior, quâ distinguitur re, quàm in modo prædicandi solùm: hæc talis *homo non est asinus*; ergo immediatior quàm ista, *Substantia non est Quantitas*.

Qui modus prædicandi distinguit prædicamenta.

An negatiua qua vnum prædicamentum negatur de alio sit prima?

8

Nota, quòd viæ sunt variæ diuisiuæ, ostendentes sufficientiam Prædicamentorum, quæ videntur dupliciter peccare. Primò, quia ostendunt oppositum propositi, scilicet quòd diuisio entis in hæc decẽ non sit prima. Si enim priùs fiat in ens per se, & in non per se, & vltrà vnum membrum subdiuidatur, vel ambo, aut quælibet diuisio erit tantum nominis æquiuoci in æquiuocata, quod non est probare diuidere in duo, sed in decem sub duobus nominibus sicut sub 10. quia nomina sunt ad placitum, aut alicuius illorum decem est conceptus communior & immediatior enti, & ita ens non immediatè diuiditur in decem. Exemplum patet, ponendo quòd per diuisiones multas subordinatas in genere Substantiæ, tandem deuenitur ad decem species specialissimas: istæ non primò diuiderent substantiam. Secundò quia omnes illæ viæ diuisiuæ, non probant. Oporteret enim probare quòd diuisum sic diuiditur, & præcisè, sic & hoc ad propositum scilicet quòd diuidentia constituant generalissima. Ideò tenendo diuisionem esse sufficientem, esset dicendum quòd ipsa scilicet diuisio entis in decem genera, est prima, nec alia bimembris, vel trimembris prior est ea; nec probari potest, quia nec quòd diuidentia sub diuiso contineantur, cùm sit immediatio ibi; nec quòd sint diuersa, quia sunt primò diuersa, & negatiua. Patet negando vnum ab alio; nec quòd sola sint sub diuiso, quia omnis immediatio diuidentium, probatur per contradictionem, cuius est primò non habere medium, quæ via hîc non valet,

valet, ex quo primo est in decem. Contrà: omnis diuisio habet fieri per duo, quia per opposita: vnum vni est oppositum. Item, ens sic diuidi, non est primum principium; ergo probari potest. Ad primum, verum est de diuisione infra genus: vbi etiam sunt opposita & diuisione subiecti in accidentia: licèt non sit intra genus diuisi, est tamen intra genus. Aliter in diuisione specierum in indiuidua falsum est illud, hoc assimilatur tali diuisioni; est ergo verum in diuisione formali: hoc est, vbi differentiæ diuidentes formaliter, determinant ipsum diuisum, extra eius intellectum existentes. Ad secundum, sicut propositio enuncians immediatum superius de inferiori, est immediata: sic ècontra disiunctiua, tamen quòd sola sint, hoc sic ostenditur: quia non alia, remouendo quæcunque data: ostendendo quòd contineantur sub aliquo illorum decem. Sed non probatur ex hoc quòd nulla alia, sed est fallacia Consequentis.

Omnis diuisio habet fieri per duo, *exponitur.*

Enunciatio superioris immediati de inferiori est immediata.

SCHOLIVM III.

SVSTINET *diuisionem entis in decem Genera esse sufficientem; & probat sigillatim illa decem inter se realiter distingui, exactissimas adducit ad hoc propositum rationes; sed 2.d.1.qu.5. ad secundum problematicus esse videtur, an Prædicamenta distinguantur realiter, vel solùm formaliter: & quod tantùm formaliter, tenere videtur infrà l. 8. quæst.1. num.6.*

9 Concedo ergo diuisionem sufficientem, & quòd distinguuntur realiter. Et potest probari in speciali de Quantitate. Primò quòd quantitas à substantia corporea distinguitur: accidens est quod adest vel abest, secundùm Porphyrium, sed quantitas aduenit & recedit substantiæ, substantiâ corporeâ non mutatâ; ergo, &c. Probatio minoris, manente eâdem substantiâ, potest quantitas rarefieri, & condensari. Dicendum: quòd sicut quantitas mutatur, ita substantia: quia sicut aduenit quãtitas quantitati: ita substantia substantiæ, & tanta mutatio est tunc in substantia, quanta in quantitate. Item, aliter dicitur quòd rarefactio & condensatio non sunt motus in quantitate, sed in qualitate. Item, sola quantitas est diuisibilis in partes eiusdem rationis, sicut patet 5. huius, text.com.18. & 1. Physic.tex.comm.15. contra Melissum, dicit Philos. quòd finitas, & infinitas accidunt substantiæ: per se autem conueniunt quantitati; ergo quantitas non est idem essentialiter cum substantia. Et confirmatur 3. Physic. tex.comm.35. dicit Philos. contra eos qui posuerunt infinitum esse substantiam: & tamen quòd sit diuisibile; Dicit quod si est diuisibile, tunc est magnitudo, vel multitudo in partes eiusdem rationis; ergo, &c. Item, si substantia haberet propriam extensionem per essentiam, tunc extensio caloris, non differret à calore, sed simul est ignis pars & caloris; ergo duæ extensiones simul, contra Philosophum. Dicitur fortè quòd extensio caloris non est eadem cum calore: sicut extensio ignis, cum igne: quia calor in igne, non habet extensionem formaliter, sed extenditur per accidens ad extensionem substantiæ. Item 5. Phys. text.com.9.& inde, motus per se est ad quantitatem, terminus per se motus est vna natura absoluta, & non substantia corporea, quia ad substantiam non est motus, eodem 5.text. com. 10. ergo, &c.

10 De Qualitate etiam planum est quòd est alia à substantia, quia suscipit magis & minùs, & habet contrarium, & ad ipsam est motus: quæ omnia repugnant substantiæ. De Relatione, quòd sit aliud à fundamento: quia super idem fundamentum numero fundantur diuersæ relationes oppositæ; ergo neutra est idem essentialiter tertio. Assumptum patet per albedinem, quæ est similis albo, & dissimilis nigro. Item, aliqua relatio in omnibus creaturis est, quæ immediatè fundatur in essentia ipsius creaturæ, ex hoc ipso quòd creatura est: sed natura priùs producitur esse creaturæ, quàm aliquod accidens eius: & tunc omnia essentialiter & formaliter ad aliquid dicuntur contra Philos. 4. huius, text.commen.26.& 27. & si hoc concedas: tunc omnia apparentia vera: quia ex hoc quòd ponuntur omnia apparentia vera, concludit Philos. hoc inconueniens, tanquam consequens ad illud quòd omnia essentialiter essent ad aliquid. Si ergo tu concedis consequens esse verum, habes concedere antecedens esse verum: quia consequens est impossibilius, quam antecedens, quia ex antecedente deducit eos Philosoph. ad maius impossibile.

De Actione & Passione, quòd differunt à Relatione, patet, impossibile est relationem esse fundamentum relationis, sed relationes aliquæ secundi modi, fundantur super actionem & passionem; ergo, &c. Maior patet, quia relatio refertur non per accidens, sed per se. Minor etiam patet, quia relatio calefacientis ad calefactum, fundatur super agere & pati, 5.huius, text.com.20. Item, de Vbi, ad illud est per se motus, sed non ad relationem, nec ad locum: ergo Vbi non est relatio, nec locus. Primum patet per Philos. 5. Physic. text.comm.9. Quòd nec ad locum, probatio, quia si motus localis esset ad locum per se, tunc ad eundem terminum numero essent multæ mutationes numero, quia ad eundem locum numero, potest aliquis mouere se duobus motibus numero: quia locus semper idem manet, licèt idem moueatur ad ipsum semel, & iterùm; sed hoc est impossibile, vt probabitur infrà. Item, tunc via & terminus non sunt in eodem, quia locus non est in mobili, motus autem est in mobili.

11 De Quando quòd differt à relatione & tempore, quia tempus est mensura, *Quando* est, quod derelinquitur ex comparatione mensuræ ad mensuratum; ergo *quando* est posterius; relatio etiam non est effectus temporis; ergo aliud à *quando* essentialiter. Item, quòd actio & passio non sunt relationes: quia si sic: & tunc, cùm quicquid includitur in ratione generis, includatur in ratione speciei, sequeretur quòd omnes species actionis, includerent relationem, quod falsum est, quia actio manens in agente non includit relationem ad aliquam passionem, quia nullam causat, quia est vltimus finis potentiæ 9. huius, tex. comm.16. quod actio manens in agente, est verè actio. Probatur, quia actiuum huiusmodi actionis est verè actiuũ. Probatur, quia est verè in actu secundùm formam elicitam illius actionis. Quod *Vbi* differt à relatione & loco, quia ad locum non est motus per se, ad *Vbi* est motus per se; quia omnis motus est à contrario in contrarium, vel in medium 5. Physic.tex.commen.9.& inde. Sed omnium contrariorum idem est susceptiuum, 5.huius, tex. non habente Com. & medij cum extremis 4. huius, c.9. tex. c.27. locus autem *à quo*, & *in quem*, non habent idem susceptiuum; ergo non sunt contraria; ergo non est motus ab illo ad illũ. Et hoc confirmatur

matur prima probatio: quia si mobile postquam acquirit primò terminum A, possit iterùm moueri ad eundem terminum A, oportet ipsum primò recedere ab A, ex quo fuit in ipso: sicut probatum est modò; ergo A necessariò desinit esse: vel accidens migrabit de subiecto in subiectum; ergo si iterùm mouetur ad eundem terminum numero, A idem numero multoties generabitur, & corrumpetur contra Philos. 5. Physic. text. com. 36. & inde, quia habet hoc pro inconuenienti.

De Positione quòd distinguitur à Relatione, si positio esset ordo partium in loco, illud esset positum, cuius est ille ordo: sed ordo est partium & non totius; ergo partes essent positæ; ergo partes hominis sederent & non homo. Probatio assumpti, illud est ordinatum ordine cuius est ordo; sed ordo est partium. Quòd non sit *Vbi* probatio, ex quo homo est substantia quædam, est prior omni accidente suo; ergo posset homo intelligi perfectus quantus, & qualis: & non intelligi sub virtute derelicta à loco; & posset habere ordinem partium pertinentem ad genus: istud ergo *Vbi* non est de essentia sua. De Habitu, quòd non sit Relatio: quia illud est species habitus, quo formaliter aliquid dicitur habituatum. Sed in illo fundatur respectus ad illud quod habetur; forma ergo de genere Habitus est fundamentum relationis. Quod ipsa habitudo media non sit genus illud: quia tunc habitus esset duo generalissima, sicut actio & passio.

SCHOLIVM IV.

SOLVIT *argumenta q. 5. sustinendo famosam illam diuisionem Entis in 10. Genera esse sufficientem, & singula ab omnibus aliis distingui, de quo optimè tractat q. 11. de Prædicamentis. Habet selectam doctrinam ad intelligentiam naturæ Prædicamentorum, maximè necessariam. Quod ait ad id de qualitate, quòd non diuiditur in quatuor species, idem habet 4. d. 6. q. 10. num. 14. vbi docet non esse species, sed modos quosdam conuenientes diuersis, vel fortè eisdem qualitatibus, & idem fusiùs habet q. 36. de Prædicamentis, vbi docet modos non addere nisi differentias accidentales, ad id, cuius sunt, secus de speciebus, quia addunt differentias essentiales. Ad id quod ait, quòd relatio vt sic, est ratio referendi in inferioribus, aduerte quòd sicut datur vna suprema, seu generalissima relatio, ita etiã dari generalissimum relatiuum, quia hoc est illius concretum, & omni formæ abstractæ potest correspondere suum concretum, & omni formæ constitutiuæ, suum constitutum, non tamen datur aliud, aquè commune, quod sit correlatiuum huius relatiui; quia licèt in communi diffiniatur per esse ad aliud, non exercet hoc esse ad aliud, nisi in inferioribus, vnde in abstracto communi non habet correlatiuum: Adde etiam neque habere illud relationem communem æquiparantiæ; quia cùm huiusmodi relationes sint eiusdem rationis, habent eundem communem conceptum specierum, & ideò non potest tali conceptui alius conceptus obiectiuus correspondere correlatiuè; & ideò simile non dicitur ad aliud simile in communi, quia ipsum est commune omni simili. De hoc vide fusè Doctorem q. 25. de Prædicam. arg. 3. & 1. d. 21. num. 7. vbi habet relationem communem æquiparantiæ, non referri vt commune est, sed tantùm in suis inferioribus.*

12 Ad argumentum in oppositum primæ q. dicendum: sicut priùs dictum est. Ad illud in contrarium 7. huius, c. 10. text. com. 20. dicit Philosoph. *In dictis verò secundùm accidens videtur diuersum esse: vt homo albus, alterum, & homini albo esse.* Tunc videtur quòd dicta secundùm accidens vocat hominem album, & hominem musicum, & verum est quòd homo albus significat plura. Sed album tantum vnum, & similiter musicum. Ad argumentum secundum, quòd verum est, si dicatur simpliciter: tamen aliquid potest dici per superabundantiam in suo genere, & sic generalissima. Aliter dicitur, quòd generalissimum exponitur dupliciter, vel positiuè: quod scilicet est maximè tale per excessum respectu omnium, & est solum vnum scilicet Deus. Alio modo negatiuè per hoc quòd non exceditur ab aliquo tali: sicut illud dicitur albissimum, quod non exceditur ab aliquo albo: sic generalissima dicuntur prima genera, quia non habent superuenientia genera. Ad aliud, quod sequitur sustinendo quòd vnum membrum sit æquiuocum, dicitur quòd consequentia non valet: quia *ens per se*, & *ens non per se* non sunt opposita, sed *non ens per se*: & est verum quod accipitur, quòd *Quot modis dicitur vnum, tot & reliquum.*

Generalissimum dupliciter sumitur, positiuè & negatiuè.

Ad aliud, quòd verum est, non esset verior diuisio, nec plus conueniunt accidentia inter se, quàm cùm substantia, quia æquiuocum est vtrobique in quo conueniunt. Aliter, concedo quòd communior diuisio sit conuenientior, & quòd nouem Genera magis conueniant inter se, tamen hoc non in dicto aliquo de se in *quid*, sed in *quale*: quia multa dicuntur de nouem Generibus denominatiuè, quæ non dicuntur de eis, & substantia vniuocè, & tamen dicuntur de illis vniuocè denominatiuè solùm. Sed nihil vniuocè dicitur de eis scilicet nouem accidentibus in *quid*: vnde si diuisio sit per vniuoca hoc est solùm de dictis de eis nominatiuè. Contrà: passio vniuoca requirit subiectum vniuocum. Respondeo passio entis circumlocuta per duo contra se distincta, est primò entis, inquantùm ens: si ens sit vniuocum, & illa passio communis in quolibet inferiori est huiusmodi entis: sicut in passione propriè significata, quæ est generis, aliquid inferius eius est passio generis vt in specie: sicut etiam sensibilitas est passio animalis, ita sensibilitas talis, est passio animalis, vt animal est in homine: quando passio contrahitur, habet inferius pro per se subiecto. Ad aliud de quantitate concedo quòd punctus non est vnitas.

An accidentia magis inter se, quàm cũ substantia conueniant.

13 Ad aliud in contrarium quod fuit sic: si punctus non est vnitas, & est aliquid eius, aut est materiale, aut formale vnitatis: & tunc quicquid detur, sequitur quòd continuum est materiale numeri, aut formale. Dico tunc, cùm dicitur in omni genere est vnum primum: non est verum de generalissimo prædicabili: sicut patet de generalissimo Quantitatis, vbi sunt duo minima æquè prima; intelligitur ergo illud de genere Physico. Omnes enim formæ transmutabiles adinuicem habent vnum primum perfectione, quod est mensura aliarum formarum: sicut in genere coloris albedo, in genere saporis, dulcedo: & sic de aliis quæ possunt adinuicem transmutari; tunc de istis intelligitur assumptum de huiusmodi generibus: non tamen oportet illud verum esse de genere generalissimo prædicabili. Ad aliud, quòd verum est, vna est diuisio prima formalis, secũdùm quam constituuntur species formaliter: tamen possunt esse

In omni genere est vnũ primum, exponitur.

Non sunt quatuor species primæ Qualitatis.

esse differentiæ materiales, quæ non constituunt, & æquè primæ:& vna non reducitur ad aliam diuisionem. Ad illud de Qualitate, quòd non sunt ibi quatuor species primæ, sed duæ illarum continentur proximè sub primis. De illo de Relatione dicitur, negando minorem quòd generalissimum non est relatiuum,sed relatio,secundùm quam refertur aliud. Contrà:quòd dictum sit falsum:tunc sequitur quòd determinatio Philosophi in Prædicamentis & 5.huius,non sit ad propositum,quia *Ad aliquid* sunt, quorum ipsum esse est ad aliud se habere.Si ergo generalissimum non habet hanc rationem, nec aliquid de genere primo & per se: tunc diffinitio secundùm te non valet:quia de relationibus non posset intelligi,quia relationes non dicuntur ad conuertentiam:nec simul sunt,sed relatiua. Similiter 5. huius,tex.comm.20. Diffinitio relationis pertinet ad relatiua.

Item,impossibile est aliquid comparari per formam formaliter absolutam:sed si formæ in genere relationis non sunt comparatæ, nihil comparatur per eas:& tunc sunt absolutæ formæ,quia oppositum non est causa oppositi. Item,sicut omne relatiuum dicitur ad relatiuum simul cum eo,ita relatio est ratio referendi patrem ad filium,qui est simul cum patre. Si ergo generalissimum sit forma referendi aliquid,habet aliquod extremum simul naturâ cum eo, cuius est alia relatio ratio referendi illud ad aliud generalissimum : & erunt duæ relationes æquè primæ,& sic duo generalissima relationis. Quoad prima duo, dico quod relatiuum non est generalissimum.

Generalissimum ad aliquid, non est relatiuū sed relatio:relatiuum & absolutum sunt opposita, eorum abstracta non.

14

Ad illud, quod probat falsitatem responsionis, quòd non sequitur : quia relatio debilissimum *esse* habet de se ; ergo notior est relatio in relatiuo, quàm secundùm quòd est in se considerata, sed conuenientior est determinatio de aliquo per notius,si eius cognitio ex hoc haberi possit. Sed probatio quòd sic:quia si relatiui esse est se habere ad aliud;ergo esse formæ est secundùm quam illud se habet ad aliud:talis est relatio ; & si omnia relatiua dicuntur ad conuertentiam ; tunc relationes sunt formæ, secundùm quas dicuntur ad conuertentiam formaliter:& ità cognitio relationis melius habetur per relatiuum, quàm si secundùm se consideretur. Ad secundum, quòd absolutum,& comparatum sunt opposita circa susceptiua. Sed absolutio & comparatio non sunt huiusmodi,quia sanitas nec est sanum, nec ægrum : quia sanitas neutrius est susceptiua:similiter relatio nec est absoluta,nec relatiua,sed est ratio referendi ad aliud. Sed ad illud de relationibus æquè primò, dicitur quòd Relatio Generalissimum non est ratio referendi in se,sed in suis speciebus.

Relatio genus, est ratio referendi in suis speciebus.

Contrà:ratio Qualitatis secundùm quòd est generalissimum, est quòd secundùm ipsam aliquid dicitur quale ; ergo & similiter hæc. Item,quod inest aliquibus multis vniuocè, inest eis per aliquid commune:cui illud primò inest 2. huius,tex. comm. 2. sed omnibus relationibus inferioribus inest ratio referendi;ergo per genus. Item 4. Topic.cap.9. si species sit ad aliquid,& genus;ergo si species est ratio referendi, & genus. Concedendo hæc argumenta : & quòd generalissimum est aliquid ad aliud, tamen dicitur ad primum illorum, quòd secundùm Qualitatem dicitur aliquid quale, quod potest qualificare subiectum,non sicut generalissimū,sed sicut species,sic hæc. Contrà:potest intelligi aliquid informari qualitate in communi,& non qualitate in particulari:similiter de Relatione, quia commune est prius speciali,& quod est prius, potest prius intelligi:& tunc in illo priori intelligo relationem communem referre subiectum, & tunc quæro ad quid : non nisi ad aliud, & sic erunt duo relatiua æquè prima, & etiam duæ relationes æquè primæ : & sic duo generalissima vt priùs,& habeo propositum. Conceduntur ista argumenta.

Generalissimum relationis an ad aliud?

15

Tunc ad argumentum,tamen principale : dico quòd generalissimum Relatio, est principium referendi aliquid ad aliud, quod non referretur alia forma genere,ita quòd relatio, quæ est generalissimum, est ratio referendi duorum:sicut simile refertur ad simile in communi:in eadem specie vna relatione specie:vel est dare duas primas in eadem specie ; vna ergo similitudo specie est ratio referendi duorum extremorum. Contra istud : omnia quæ referuntur secundùm eandem formam in eis: & non secundùm diuersitatem, referuntur secundùm relationem æquiparantiæ ; ergo relatiuum dictum à generalissimo, est relatiuum æquiparantiæ. Dicendum, quòd relatiuum æquiparantiæ est æquiuocum. Propriè enim loquendo, relatiuum æquiparantiæ habet pro fundamento proximo vnitatem speciei alicuius formæ, in genere Qualitatis,vel Quantitatis. Alio modo dicitur, vbi est aliqua vnitas, siue sit in fundamento, siue in relatione,& hoc impropriè,siue sit vnitas. In proposito est aliqua vnitas formæ, quæ refertur, tunc vnitas dico genere: & tunc inconueniens est de æquiparantia primo modo. Contrà:secundo modo sunt omnia relatiua æquiparantiæ,& concedo.

An vna relatio sit ratio referendi duorum?

Relatio æquiparantiæ,dupliciter sumitur.

Item, si relatiuum secundùm relationem, quæ est genus, sit vnum & idem genere, tunc esset relatiuum secundùm rationem, & relatio, quæ est genus,esset relatio rationis. Dicendum,quòd maior vnitas requiritur in relatione identitatis,quàm vnitas generis : quia oportet quòd fundamentum identitatis sit vnum numero bis acceptum,& quòd relatio identitatis sit vna numero, & duæ secundùm rationem.

Vnum numero bis acceptum,fundamentū identitatis.

Ad argumentum de Actione, quòd secundùm actionem solùm refertur aliquid fundamentaliter:sicut secundùm albedinem. Ad probationem, dico quòd prout *inquantum* dicit causam reducibilem ad *per se* primo modo, est propositio falsa; quia sic significatur quòd calefactio est ipsa relatio quiditatiuè. Sed vera est secundùm quòd reducitur ad secundum modum *per se*. Ad aliud: quòd Vbi & Quando,non sunt denominatiuè dicta à loco, sed Vbi est denominatiuè dictum à circumscriptione passiua, ita quòd locatio in locante,est causa effectiua illius: & similiter intelligendum de Quando & tempore. Aliter dicitur, quòd non dicitur denominatiuè à loco formaliter, sed effectiuè solùm tanquam à causa ; & tale denominatiuum potest esse alterius generis à causa:sicut humanum opus. Ad aliud,quòd de ratione positionis non est Vbi, licèt positio non possit esse sine Vbi : sicut de Qualitate & Quantitate: quia qualitas non potest esse sine quantitate:& tamen quantitas non est de essentia qualitatis. Dico tunc, quòd positio est forma positi cui consequitur ordo, & ordo est extra essentiam suam. De Habitu,quòd habitus non est habitudo media,sed forma,per quam habitus formaliter est habitus,& in illa forma fundatur habitudo quædam ad illud,quo habituatur,scilicet ad tunicam.

Quomodo actione aliquid refertur?

Vbi non dicitur denominatiuè à loco, nec Quando à tempore.

Positio quomodo differt ab Vbi?

SCHOLIVM V.

Habet exquisitam doctrinam sustinendo Prædicamenta distingui realiter. In solutione argumentorum q. 6. verùm non dicit, distingui realiter tanquam res à rebus, & cùm secundum eum passim pluralitas non sit ponenda sine necessitate, videtur tantùm ponenda inter hæc, distinctio realis formalis, maximè cùm in Theologia problematicus circa hoc maneat, loco citato, in Scholio 3. Volo dicere; sufficere hanc, loquendo promiscuè de Prædicamentis, esto inter quædam ex eis, sit distinctio realis rei à re; quod etiam colligo ex Doctore l. 8. q. 1. nu. 6. vbi ait idem posse esse in diuersis Prædicamentis. Ad primum optimè explicat quomodo substantia corporea est in potentia diuisibilis ante quantitatem; quod intellige de diuisibilitate quantitatiua, quia entitatiuè est actu diuisibilis ante eam. Ad id de figura, dubitatiuè loquitur an sit aliquid absolutum, distinctum à quantitate: videtur secundùm ipsum non esse, quia 4. d. 12. q. 4. nu. 19. Ad quæst. *docet eam non addere quantitati, nisi relationem partium ad se inuicem, supponit tamen qualitatem, de quo vide ipsum q. 35. de Prædicam. vbi explicat in quo consistit forma, & figura, & quomodo ad qualitatem spectant. Ad id de relatione quod differt à fundamento, quando hoc sine termino illius esse nequit, & non aliter, fusè tractat 2. d. 1. qu. 4. & 5. Ad id de Actione, Passione, & motu, quod realiter differant, tenet 4. d. 13. q. 1. nu. 14. 15. & q. 7. de Anima, vbi in Commentario fusè de hoc egi à n. 6.*

16

Ad argumentum secundæ quæstionis de quantitate, dicendum quòd ibi est fallacia æquiuocationis, siue accidentis. Exemplum, aliquis potens est videre, quando habet habitum, & ante, sed æquiuocè, quia secundùm quòd est potens primo modo, habet formam secundùm quam, quod secundo modo non. Similiter diuisibile vno modo dicitur, quod habet formam secundùm quam formaliter potest diuidi: secundo modo quod non habet in actu formam, sed est in potentia ad formam, per quam immediatè posset diuidi; substantia corporea secundo modo de se est diuisibilis. Contrà: quòd sit diuisibilis primo modo, si non habet quòd sit ibi diuisibilitas formalis, non possent plures partes quantitatis recipi: quia si tota quantitas in tota substantia, & partes in partibus. Dicitur quòd substantia nullas partes habet, nisi per quantitatem extendentẽ in actu. Aliter, quòd substantia habet partes proprias sub quantitate extra alias. Ad argumentum, quòd substantia non est diuisibilis formaliter antequam sit sub quantitate, nisi in potentia, & sub quantitate actu: & secundùm quòd est subiectum quantitatis, non habet partes de se, nisi in potentia: sicut nec subiectum qualitatis est quale de se, nisi in potentia. Tunc ad argumentũ, sicut quantitas tota recipitur in tota substantia in potentia diuisibili, ita partes in partibus substantiæ, quæ sunt in potentia. Tunc ad argumentum conceditur; omne diuisibile est quantum: verum est de diuisibili extenso in actu.

Quomodo substantia corporea, ante & sub quãtitate est diuisibilis?

Ad primum de qualitate dicitur, quòd differentia substantiæ non est qualitas, sed ponitur vnus modus qualitatis, quia prædicatur in quale. Ad illud de figura, si qualitas sit & essentia absoluta alia à quantitate, &c. Dicendum, quòd illud non sequitur quòd corpus intelligatur infinitum, si intelligatur, sine figura, quia finis corporis est superficies essentialiter: figura finis accidentalis; tolle ergo figuram, adhuc terminatur corpus proprio fine. Similiter Auic. 2. Metaph. cap. 2. Finitum & infinitum accidunt quantitati, tamen hoc non teneo, sed solutionem dictam. Similiter, quòd corpus illud, si esset sine figura, non esset infinitum positiuè, sed priuatiuè solùm, & hoc non includeret contradictionem: sicut si Deus tolleret vltimum punctum lineæ: linea priuatiuè esset infinita: quia punctus non est immediatus puncto, nisi diceres quòd hoc non posset, nisi causaret nouum punctum.

Corpus sine figura non esset infinitum.

Linea sine vltimo puncto, non esset infinita, 2. d. 2. q. 9. n. 27.

17

An Deus possit facere absolutũ sine omni alio.

Contrà: semper videtur quòd figura non posset esse sine corpore, nec ècontrario. Dicitur quòd non omne absolutum potest fieri sine alio, quod est extra essentiam suam; sicut Deus non potest facere creaturam sine omni respectu; si ergo aliquod absolutum essentialiter dependet à respectu, Deus non potest facere illud absolutum sine respectu inhærente ei; sic figura causatur ex ordine partium corporis, tunc glossatur propositio, quòd Deus potest facere absolutum sine omni alio absoluto à se, verum est de per se absoluto, quod non dependet essentialiter à relatione, ad quod dependet reliquum, sicut corpus non potest esse sine respectu: siue respectus præcedat, siue sequatur, sicut figura sequitur respectũ. Ratio tota consistit in hoc: quòd si duo absoluta conueniunt in vno respectu, sine quo neutrum potest esse, sicut corpus & figura: quia corpus non potest esse sine ordine partium, & ordinem partium statim sequitur figura: ita quòd tam corpus quàm figura conueniunt in vno respectu; sic tunc Deus non potest separare vnum respectum ab alio: & si non conueniant, sic potest.

Ad aliud de relatione: Respondetur vt priùs. Ad aliud contra hoc: sustinendo quòd relatio sit aliud à fundamento, quòd id cui aduenit relatio mutatur in se, & ad aliud: non tamen mutatur ad formam absolutam, & quod sic mutatur scilicet ad formam absolutam, dicitur mutari à Philosopho quia ad relationem non est motus, quia omnis motus est ad formam absolutam, & negat motum ad substantiam, non tamen mutationem. Similiter licèt neget motum ad relationem, non tamen mutationem. Aliter dicitur quòd tota realitas relationis, habitualiter producitur cum fundamento: non tamen actualiter dicitur aliquid relatum, nisi sit aliud extremum. Et ratio huius est, quia relatio est forma referens ad aliud. Contrà: si esse relationis sit ibi, cùm esse rei de genere relationis, sit ad aliud se habere, si non sit aliud extremum, non est res huius generis.

Quomodo motus & mutatio nõ sunt ad relationem secundũ Philosophũ.

18

De Actione & Passione, quòd distinguuntur essentialiter & inter se, & à motu. Quòd inter se, probatio, potentiæ essentialiter distinctæ habent actus essentialiter distinctos, 1. Physic. text. comm. 10. Sed potentiæ actionis & passionis sunt huiusmodi, 5. huius; text. comm. 17. ergo & actus, sed actus potentiæ actiuæ est actio, & actus potentiæ passiuæ passio est, 3. Physic. text. com. 18. & 19. Quòd actio distinguatur essentialiter à motu, probatio: si non, ergo actus actiui, inquantùm actiuum, esset actus entis in potentia inquantùm in potentia; ergo actiuum, inquantùm actiuum, esset in potentia, consequens est impossibile. Probatio: motus est actus imperfecti, inquantùm imperfectum. Si ergo motus esset actus actiui inquantũ actiuum, tunc actiuum inquantùm actiuum, esset imperfectum, si antecedens esset verum. Item motus est actus mobilis, & actus actiui est actio, sed nullum agens, inquantùm tale, est mobile, licèt

Actio, passio & motus differunt.

cèt hoc aliquando accidat, ſicut agens naturale mouetur in agendo: ſed vltrà, quomodo ſequitur, actionis non eſt actio; ergo actionis non eſt motus? Reſpondeo, per hanc propoſitionem: Ad idem eſt motus & actio; ſiue per hanc; Ad quicquid eſt motus, ad illud eſt actio, quia nihil fit per motum, quod non fit per actionem. De paſſione patet idem ſcilicet quòd diſtinguatur ab actione eſſentialiter; quia ſi dicas quòd paſſio ſit motus, tunc diſtinguitur eſſentialiter ab actione, quia actio à motu: ſi non ſimiliter ſequitur quòd diſtinguitur, vt patet ſuprà.

Actionis nō eſt actio exponitur.

Tunc ad argumentum in contrarium de 5. Phyſ. Dicendum quòd argumentum non eſt per locum à toto in quantitate, ſed à ſimili, ſic; ſi motus non poteſt eſſe motus propter proceſſum in infinitum, ſic de actione quòd actionis non eſt actio, propter proceſſum in infinitum; & eodem modo de paſſione. Sed ſi ad hoc dicitur, quòd actio fundatur in motu, valet eadem reſponſio; quia ſi motus poſſet eſſe ſubiectum actionis; ergo actio poteſt eſſe actionis, quia eiuſdem eſt motus, vt termini, & actio fundata in motu; & ſi actio poteſt eſſe actionis, ergo motus poteſt eſſe motus, per locum à ſimili; ergo ex oppoſito, ſi motus non poteſt eſſe motus, actionis non poteſt eſſe actio; & vlteriùs ſi hoc, nec motus poteſt eſſe actio, quia ad idem eſt motus, & actio fundata in motu.

19

Differunt & quomodo, quando, & tempus?

Ad illud de Quando, quòd non eſt idem cum tempore. Ad probationem conceditur maior, ſed minor eſt falſa. Ad probationem, cùm dicitur quando diuiditur præteritum, &c. & quòd eſt menſura ſucceſſiui. Dicendum, quòd tempus eſt cauſa Quando, & tempus eſt menſura extrinſeca iſtorum inferiorum, tunc ex adiacentia temporis ad temporale, relinquitur forma in temporali: & illa forma eſt ſucceſſiua per accidẽs, quia per tempus, Similiter diuiſio illa contingit Quando per accidens, quia eſt temporis per ſe, quia differentiæ illæ eſſentiales temporis, cauſant conſimiles differentias accidentales in Quando, & ſunt illius per accidens ſolùm. Ad aliud, quòd poteſt eſſe ſucceſſiuum per ſucceſſionem ſibi inhærentem, non eſſentialiter; & propoſitio aſſumpta non eſt vniuerſaliter vera. Ad alia argumenta; quòd benè probant primum, quòd paſſio non eſt eſſe motus in ſubiecto, quia ſi eſſet, multò fortiùs motus eſſet prædicamentum: ſicut probat ratio, ſed eſſentialiter paſſio eſt actus paſſiui, inquantùm paſſiuum. Ad aliud de eſſe in ſubiecto. Dicendum quòd illa notificatio non eſt ſufficiens, cuius probatio eſt, quia illa tota competit formæ ſubſtantiali in materia. Contra iſtud: eſſe in ſubiecto non ſicut pars ſcilicet eius in quo eſt, nec eius quod reſultat ex materia & forma, eſt eſſe in ſubiecto, ſicut accidens. Sed forma licèt ſit in materia, & non ſit pars materiæ, eſt tamen pars tertij ſcilicet compoſiti: non ſic proprietas; ergo verè accidens, de opinione de modis prædicandi.

Ad argum. poſita n. 6.

Subſtantia non eſt vna per quantitatem.

Ad argumenta probantia quòd Prædicamenta non diſtinguuntur eſſentialiter: de Quantitate, cùm dicitur quòd continuitas ſubſtantiæ eſt vnitas ſubſtantiæ, reſpondetur quòd vnitas rei, vel quanti ſit continuitas rei, tamen ex quo ſecundò per illam formaliter eſt vna, eſt ergo de genere quantitatis, ſecundùm Auicennam, quia vnum principium & metrum numeri, eſt fundamentum identitatis in ſubſtantia, ſecundùm Philoſ. cap. de Relatione, tex. c. 20. Vnde continuitas non eſt quo ſubſtantia eſt vna eſſentialiter, & per ſe primo modo, ſed quo eſt quanta, & vna per ſe ſecundo modo. Ad aliud de relatione nihil valet, quia relatio fundata ſuper actionem, non eſt principium, quo agens agit elicitiuè, ſed eſt poſterior actione elicita, quia relatio in viſibili non mouet viſum.

Relatio viſibilis non mouet viſum.

20 Additio.

Sed quòd actio non ſit in agente, probatio; quia ſi ſic, actionis eſſet actio in infinitum, quia actio, quæ eſt forma agentis, inquantùm agens, eſt vera res, & natura de genere actionis; ergo eſt verè cauſata ab aliqua cauſa; ſed omne cauſans prius eſt cauſato, ſaltem naturâ 4. huius, t. c. 25. etſi hæc adinuicem dicantur: nihil minus ergo in illo priori natura cauſans formaliter cauſat aliquâ cauſatione: non illâ quæ eſt actio cauſata, quia illa actio in illo priori, nō eſt, ſed eſt cauſanda; ergo illius actionis cauſata eſt actio: & illius alia per idem, & ſic in infinitum. Dicitur hìc quòd actionis non eſt aliqua actio. Et ad argumentum dicitur, quòd actio illa eſt aliquo modo cauſata: Et cùm dicitur quòd alia actione, negandum eſt, ſed eâdem; quia eadem actio numero eſt prius & poſterius naturâ, ſeipsâ: inquantùm enim eſt actio agentis, eſt prior ſeipſâ, inquantùm eſt actũ, vel cauſatum. Contrà: accipio actionem in illo priori naturâ, in quo eſt prior ſeipſâ cauſatâ, ſic accipiendo eam, eſt verum quòd ipſa actio eſt cauſata; ergo ab aliqua cauſa, quæ cauſatione cauſat eã, vt prius, & ſequitur inconueniens primum. Item, ſequitur quòd idem in eodem tempore eſſet, & non eſſet, quia in illo priori, in quo agẽs eſt prius, actio non eſt actũ, quia dato quòd ſic: tũc eſſet prius, & non prius ſimpliciter. Si ergo ponas actionem & actum, vel cauſatum idem, ponis idem ſimul eſſe & non eſſe.

An actio ſit in agente? Scot. 4. d. 13. q. 1. n. 14.

Ad aliud, cùm dicitur quòd genera, ſecundùm quòd genera, non ſunt res; ergo non diſtinguuntur realiter, inquantum huiuſmodi; dicendũ quòd ſi reduplicatio ſit de intentionibus, verum eſt; ſed ſic non loquimur, ſed de his quæ ſubſunt intentionibus: & illa ſunt res. Probatio, quia de eſſentia primæ intentionis, non eſt res ſecundæ. Quod patet, quia res primæ intentionis habet completam quiditatem ſine ratione: res ſecundæ non: ſi ſic, tũc idem eſſe haberet, ſine intellectu, & cum; vnde hæc quantitas eſſet veræ quãtitas, ſine omni intellectu.

ANNOTAT. MAVRITII. ad quæſt. 5. & 6.

21

SEquuntur 5. & 6. qu. de diuiſione entis in 10. Genera: & ipſorum Generum inter ſe diſtinctione tex. c. 14. quæ notabiles, & neceſſariæ, atque ſubtiles ſunt. Vbi primo aduerte in argumento prius oppoſitum 5. q. vbi dicit: *Non eſt hìc oppoſitum*, &c. quòd intentio Doctoris eſt, quòd licèt in [illegible]ædicamentis habeatur expreſſe à Philoſopho [illegible]arius numerus: non tamen 5. Metaphyſ. ideò dicit: *Non eſt hìc oppoſitum*, &c. Et adducit excuſationem Comm. quam breuiter impugnat. Tacita ergo dubitatio eſt illis verbis, quare ſcilicet Philoſophus omiſit hìc enumerare Situm & Habitum, quæ in Prædicamentis collocauit. Vnde ex Philoſopho hìc potiùs habetur argumentum ad partem negatiuã quæſtionis quàm ad affirmatiuã; ideò dicit Doctor *non eſt hoc oppoſitum*, &c. excuſatio Commentatoris licèt apparens ſit, quòd ſcilicet propter breuitatem omiſit illa: tamen notanter impugnatur à Doctore. Poſſet ergo probabiliter dici, quòd illa tacuit, quia præſupponit iam ipſa eſſe expreſſa in Prædicamentis. Sed dices quòd eadem ratione tacuiſſet alia. Poteſt dici, quòd non eſt ſimile: tum, quia illa vltima: tum, quia

quia minimæ entitatis: tum etiam, quia similia quodammodò præcedentibus habitudinibus extrinsecus aduenientibus. Vnde etiam in Topicis & Physicis,& in Moralibus, vbi enumerat prædicamenta,non omnia decem exprimit. Ad placitum igitur Auctoris talia sunt referenda. Videantur ea quæ habet iste in Antepredicamentis quæstione finali, & in expositione huius loci: In sequentibus etiam in hac quæstione magis cuncta apparebunt.

Sequitur ibi quoddam Extra, quod incipit sic: *Dubium est de istis prædicamentis*, &c. & durat vsque ibi: *Iuxta hoc de diuisione*, &c. quod est principium alterius quæstionis & in aliquibus originalibus ponitur,cum argumentis ante oppositum, & rectè: in aliquibus verò non habetur: communiter autem post oppositum collocatur; vbi mouentur quædam dubia,quæ non soluit: & quia littera notabilis est, ideò legatur, & ad primum dubium dicatur conformiter his quæ notaui super quæstiones 4.& 7. Prædicabilium huius, & super quæstiones in Porphyrium c. de Genere copiosè. Ad secundum verò vbi plura tanguntur difficilia. Nam quo ad primum de *Vbi* duplici, & *Quando*,&c. Fortè rectè ponerentur: vt 10.di. 4.q.1.& 13.di.eiusdem,& in Quodlib.q.11.& super sex Principia tangit; sed an tot generalissima dubium est: famosè enim accipiuntur pro passiuè talibus,& sic loquitur Philos. Refert etiam loqui de respectu tali in se,& annexo actionis, vel passionis respectu. Quare autem respectum actionis & passionis, faciunt duo genera, & non sic huius enumerata, potest esse ratio, maior conuenientia in voce & conceptu hîc, quàm ibi,& plura alia:ad hoc inquirantur vbi suprà, & alibi, vt diligens lector agnoscit, & in sequentibus magis, & alibi explicabo,Deo duce. Et quod additur ibi de potentiis animæ; vel vt quidam habent *respectus* earum, quidam alij *aspectus*, & posset benè dici, *affectus* ipsarum, in quo videlicet Prædicamento habent poni; posset dici si loquamur de respectibus, quòd sunt vel transcendentes, vel de genere Relationis, si intrinsecus; vel actionis & passionis, si extrinsecus aduenientes. Si verò dicatur *aspectus*, vel *affectus*, si intelligatur actus primus, dicatur quòd in genere Substantiæ reductiuè;si actus secundus,in genere Qualitatis, licèt concomitanter, vel identicè, in genere Relationis vel Vbi,suprà, vide q.31. Quodlibeti, & 15.& 16, d.2.& alibi sæpè. Quod sequitur de inclinationibus violentis; & si dicant aliquid positiuum, aut absolutum, aut respectum transcendentem, vel limitatum,actualem,vel fundamentalem,seu aptitudinalem,applica conuenienter inuestigando:potiùs enim negationem inclinationis, quàm positiuum aliquid videntur importare. Et quod vlterius tangitur de speciebus sensibilibus & intelligibilibus;dicatur expeditè quòd pertinent ad primam speciem Qualitatis, saltem pro substrato;de motu verò secundùm quòd dupliciter accipitur, sic dupliciter dicatur. De principiis substantiæ, dic quòd sunt in prædicamento Substantiæ reductiuè, loquendo de principiis intrinsecis, vt ibidem c.de Substantia habet iste. De concretis autem dic vt in Antepredicamentis quæstione finali eleganter dicit: sunt enim in eodem Prædicamento, in quo sua abstracta: quia eadem penitùs ex natura rei.

22

Deinde respondendo ad quæstionem ponit primam opinionem Auicennæ & etiam Thom. & Alberti,& aliorum antiquorum hîc & alibi, & licèt non impugnet Auicennam, faciliter tamen impugnari, & ex dictis propriis, & alienis posset sustinendo famosam Aristotelis diuisionem, nullibi tamen probatam, licèt diuersi diuersimodè ponunt eius sufficientiam;impugnat alios modos dicendi quoad vtramque quæstionem & soluit eorum motiua:vt patet in litera, & consequenter ponit opinionem propriam sustinendo partem affirmatiuam vtriusque quæstionis, vbi cuncta eius dicta ponderabis.

23

Aduerte, quòd in aliquibus originalibus assignatur *Extra*,vel additio:illa litera: *nota quòd variæ sunt viæ diuisiuæ*,&c. vsque illuc:*Concedo ergo diuisionem*, &c. est tamen benè ad propositum,& ad mentem Doctoris:quare legatur.

Nota,quòd aliquæ rationes Doctoris ad ostendendum diuisionem prædicamentorum procedũt ex communiter concessis,& ad hominem,& specialiter illa ratio,quâ probat Actionem & Passionem distingui à relatione,vbi dicit quòd impossibile est relationem esse fundamentum relationis, &c. & quod sequitur de relationibus secundi modi,& fundamento eorum:nam alibi oppositum vtriusque sentit,vt in primo di.19.& in 2.di.1.q.5.& in 4.d.6.& 12.& in Quodlibeto,qu.3. & 6.& in 4. di.13.& alibi sæpè.

Aduerte etiam qualiter intelligit hîc distinctionem realem,vel essentialem,propriè videlicet, an extensiuè,& pondera dicta sua in Quodlibeto. q.13.& in 4.d.12. & auctores Formalitatum consule,& maximè Petr.Thom.& Franciscum.

Assignatur ab aliquibus *Extra* soluendo argumenta principalia primæ quæstionis illa litera: *Contra passio vniuoca*,&c.vsque ibi: *Ad aliud de Quantitate:* sed satis subtilis & bona est.Vbi aduerte ad finem, obiectionem quam non soluit, si rectè ponitur contrà:nam faciliter euadi potest.

24

Infrà soluendo argumenta principalia 2. quæstionis ibi:*Ratio, vel responsio tota consistit in hoc*, &c.vsque ibi inclusiuè:*& si non conueniant sic potest*,&c.ponitur *Extra* ab aliquibus.

Ibidem infrà assignatur, illa litera additio,quæ incipit sic:*Sed vltrà,quomodo sequitur quod actionis non est actio*, &c. vsque ibi: *de passione patet idem*,&c.sed notabilis litera.

Item ad finem quæstionis ibi: *Sed quòd actio non sit in agente*,vsque ibi: *Ad aliud cùm dicitur quòd genera*, &c. ponitur additio, & legi conuenienter debet ante illam solutionem præcedentem ibi: *Ad illud de Quando, quòd non est idem*, &c. cum aliis argumentis & responsionibus de actione,litera notabilis est, & subtilis, & communiter locatur ad finem ferè quæstionis.

Et quæcunque in eadem substantia entia differentiam habent. Eadem verò specie his oppositæ dicta. *Text. non habente Commentum.*

QVÆSTIO VII.

Vtrùm possibile sit aliqua accidentia solo numero differentia esse in eodem subiecto?

Arist.*hîc* c.10. D.Thom.*ibidem lect.* 12.*&* 3 *p.q.*35 *art.*5. Capitol. *in* 1.*dist.*7.*q.*2. Caiet. 3. *p.q.*53. *art.*5. Anton. And.5. *Met.q* 8. Durand 3. *dist.*8.*q.*3. Richard. *ibid.q.* 2. *art.*2. Argent. *ibid. q.*1 *art.* 2.Maior. *eadem dist. q. vnica* Heru.*quodl.* 3.*q.*9. Vide Scoti *in* 3.*d.*8 *q.vnica.*

1

VIdetur quòd sic;in eadem parte medij, & in eodem oculo sunt multæ species eiusdem

speciei; ergo, &c. Probatio assumpti: ponantur multa alba in medio, oculus existens in quocunque puncto medij potest videre ea; ergo habet species eorum & distinctè videt ea;ergo habet distinctas species: similiter in virtute imaginatiua sunt duæ species eiusdem speciei. Dicitur, quòd argumentum probat verum de accidentibus intentionalibus, non de realibus, quia denominant. Contrà:quòd responsio supponat falsum: species in organo habet actionem realem:quia 2. de Anima,tex.comment.123. *Excellens sensibile corrumpit sensum*, non nisi per speciem;ergo species est, quo est actio realis; ergo videtur quòd species sit accidens reale. Item, species in medio est verè visibilis ergo res. Probatio assumpti,si radius Solis transeat per vitrum rubeum, potest species ruboris vitri videri in pariete, vbi terminatur radius ille. Quòd autem ille rubor in pariete sit species,patet:quia si ponatur ibi oculus, per illam videbit ruborem in vitro. Quòd etiam responsio non euadat difficultatem,probatio: pater iste potest habere multos filios;ergo in eodem sunt multæ relationes reales. Probatio consequentiæ, pater dicitur, quia geneat. hîc in 5. tex. co.20. ergo si multis actibus genuit, multis relationibus pater est.

2 Item, duo lumina distincta sunt in eadem parte medij, quæ sunt formæ reales. Probatio, ponantur duæ candelæ, vna hîc, & alia ibi,& ponatur corpus medium,fiunt vmbræ:Si ergo amoueatur corpus, lumen vtriusque candelæ incedet incessu directo vsque ad locum, vbi corpus densum fuit; & ita duo lumina in eadem parte:vmbra enim est priuatio luminis primi vbi natum est esse,sicut tenebra priuatio luminis simpliciter; ergo amoto obstaculo,vtriusque candelæ, lumen primum est, vbi præfuit vmbra. Hoc etiam de luminibus dicit Dionysius 1.cap.de diuinis Nom. exēplificans per hoc de circumincessione personarum. Item, agentia duo calida possunt calefacere vnum calefactibile;sunt ergo duæ actiones: cuius probatio est, quia aliàs esset principium actiuum vnum in duobus agentibus differentibus numero, quod non videtur verum: ex quo ergo sunt duo principia actiua, erunt duæ actiones:quia actio est actus actiui,inquantùm actiuum 3. Physic. text. comm. 18.& 19. erunt ergo actus duo; ergo duo termini inducti scilicet duo calores in eodem numero. Dicitur, quòd duo calores faciunt vnum calorem compositiuè. Contrà: hæc pono duo agentia, & æqualiter approximata,æquè calida;& passum idē numero æquè dispositum ad recipiendum vtriusque caloris,actionem. Calores ergo inducti erunt æquè in actu, & æquè perfecti omnino. Sed ex duobus æquè in actu,non potest fieri vnum: quia ex quibus fit vnum, alterum est in potentia respectu alterius:aut si vterque in actu, & fieret vnum ex eis, superueniret aliqua forma tertia, quæ sit perfectio vtriusque, & actualior illis duobus existentibus æquè in actu,quod non est dare in proposito,quia nihil produceret illud. Item, omnis motus terminatur ad aliquem actum. Si ergo sint duo motus,& duo termini in actu, sed ex duobus in actu non fit vnum.

3 Contrà:Philosophus hîc tex. non habente com. quæcunque in eadem essentia differentiam habent,sunt diuersa specie. Item 5. Phys. text. com. 34. & inde, quod motus est vnus numero, qui est ad eundem terminum specie: si mobile sit vnum numero, & tempus idem mensurans motum: sed si possibile esset terminum eundem specie, multiplicari in eodem: possent duo motus esse ad eundem terminum specie: & sic duo motus essent vnus motus, quia Philosophus dicit quòd *motus vnus numero est, qui est ad eundem terminum specie*:si mobile sit vnum numero: & similiter tempus sit idem. Item 2.de Anima:tex.com. 31.& 121. oportet susceptiuum denudari ab eo quod recipit; ergo existens in actu per vnam formam specie, non potest recipere aliam eiusdem speciei.

EXTRA. *Contra illud,quod superius dictum est,quod rubor radij in pariete transeuntis per vitrum rubeum, est species: arguitur,quia tunc oculus extra locum terminationis illius radij, cum quo multiplicatur ille rubor, videret ruborem vitri per reflexionem:sicut in speculo: hoc falsum est, quia in tali visione reflexa super visibile,punctus reflexionis & oculus: oportet quod sint in eadē superficie.* Pechean. perspectiuæ par.2.q.6.& conclus.26. *Tum quia angulus incidentiæ est æqualis angulo reflexionis*, ibidem par. 2. quæst. 6. *hoc videtur idem quod prius qualicunque existente angulo. Tum, quia reflexio perceptibilis tantùm fit à leui terso* ibidem par. 2. conclus.2.*cuiusmodi non est paries. Tum quia nulla species simpliciter occultat proprium visibile, quia non est nata esse in ita densō,nec ita terminare visum, sicut visibile in se:hîc omnino occultatur color parietis. Tum, quia in visione reflexa, super obiectum primum, videtur secundùm suam intentionem:patet de Sole viso in aqua; hîc autem videtur rubor multò remissior illo, qui est in vitro:etiam à quantacunque modica distantia. Tum, quia illud videtur vt proprium visibile, cuius accidentia videntur,vt sensibilia communia: hîc motus & quies illius ruboris in pariete videtur;& non per motum vitri in se. Tum, quia ille rubor vitri in medio æquè illuminato vndique sphericè æqualiter se diffundit; ergo toto medio aliquo illuminato radio Solis, æqualiter opposito æquali obstaculo ex quacunque parte æqualiter fieret reflexio: & ita visio. hoc falsum. Hoc patet, quia ad quodcunque punctum æqualiter distans æquè multiplicatur, quia æqualiter videtur viso recto; ergo ibidem posito obstaculo æqualiter reflecteretur.*

Optimè impugnat id, speciem rubei vitri radio Solis illustrati, videri, de quo agit 2. d.13.

SCHOLIVM I.

SENTENTIA *D. Thom.1.p. q.85.art.1.& q.8.de Verit.art.14 & aliorum repugnare plura accidentia solo numero differentia esse in eodem subiecto; iuxta hanc soluuntur argumenta principalia, sed benè impugnantur solutiones, & per exquisitam doctrinam.*

4 Dicitur quòd non est possibile. Probatur,ab eodem est vnitas rei & entitas. Sed subiectum est causa sui accidentis & entitatis eius; ergo & vnitatis;ergo si subiectum vnum,& accidens. Confirmatur:sicut vnitas specie est à forma vna secundùm speciem, sic vnitas numeralis à materia vna numero.c.de Vno:tex.comm.12.sed subiectum est materia accidentis; & subiectum est vnum numero; ergo accidens. Item,materia est per se in potentia ad formam; & ad hanc formam per accidens. Probaito forma: est hæc, quia recipitur in hac materia; ergo posterius est forma hæc, quàm recipiatur. Aliter probatur, quia si esset in potentia ad hanc & ad illam:essent infinitæ potentiæ in materia, quod est impossibile. Probo, quia cuilibet potentiæ passiuæ naturali, correspondet potenti

Sententia D.Thom. & aliorum, duo accidentia eadem specie non posse in eodem.

potentia actiua naturalis, sed non sunt potentiæ actiuæ infinitæ in aliquo: quia si sic, esset infinitum intensiuè, sic ergo dupliciter probatur illa propositio, quòd materia per se est in potentia ad formam, & per accidens ad hanc formam. Ex hoc sequitur ergo, quòd materia est per se in actu per formam: non per hanc, nisi per accidens: si ergo esset in potentia ad aliam formam scilicet albedinem, cùm habet albedinem secundùm se, esset in actu & in potentia respectu eiusdem, quia est in actu per se per formam: & est in potentia per se, ad formam non ad aliam, nisi per accidens. Ad primum in contrarium dicitur primò sic, quòd non in eadem parte sunt species huius albi, & illius: & cùm dicitur de oculo, dicitur quòd sunt in diuersa parte oculi. Contrà: ponatur hîc vnum album tantùm scilicet ouum, species eius erit in toto medio illuminato, quantum durat virtus eius: ponatur aliud album, species eius erit in eadem parte cum specie alterius albi, aut illud aliud non videbitur ab oculo disposito, quod est contra sensum: cùm, secundùm te, non possit gignere speciem suam. Nec potest dicere quod gignendo speciem suam corrumpat speciem alterius albi: quia pono quòd sit debilius alio; aut ergo erit simul species eius, cum specie alterius, aut corrumperet, quod non potest, cùm sit debilius, aut non videtur. Item, virtus phantastica habet organum, habet tunc partes, ponatur septem, & habet tot species apud se: si tunc viderem in oculo aliquid de nouo consimile in specie, cum aliquo eorum quæ sunt in virtute phantastica: non possem imaginari illud: cùm species per comparationem ad subiectum eius non posset recipi in phantasia, quod videtur absurdum.

Species duorum alborum esse in eadem parte medij.

5 EXTRA.

Est enim dare minimam speciem albi, quæ potest per se perficere organum phantasiæ; ergo potest dari minimum quod potest perfici à specie per se existente, quia illa minima species non se habet ad indeterminatum perfectibile quantumcunque modicum, vel magnum, in toto organo, quia quantum organum in toto perficit species per se existens, tantum etiam per se existens eadem species perficeret per se ens, quod est capax speciei; ergo est dare minimum in toto, quod est capax speciei distincta, & per se entis.

Cognitio est in tota potentia cognoscente.

Item, quicquid dicatur de speciebus, quòd alia est in alia parte organi, vel medij, saltem cùm cognitio sit in potentia cognoscente tota, licèt per formam quæ est in parte: non est probabile quòd illæ duæ cognitiones, si simul sunt in aliqua potentia, quòd sint in diuersis partibus organi, vel potentiæ. Sed secundùm Aristotel. 1. huius: in procem. ex multis memoriis generatur vnum experimentum: illæ multæ memoriæ sunt cognitiones eiusdem speciei, quia sunt de singularibus eiusdem speciei secundùm Philosophum in litera. Similiter memoria est de diuersis speciebus simul in memoria sensitiua: si enim nunc imaginor de illo albo priùs viso, habeo speciem eius in memoria: statim imaginor de alio albo viso: habeo ergo speciem illius: cum hac manet species prioris albi, quia alioquin non possem imaginari de priori albo, nisi aliàs viderem illud, & sic acquirerem speciem: huius oppositum manifestè experimur.

Memoria est de diuersis speciebus simul retentis.

Ad ista dicitur, quòd memoriæ non est aliqua cognitio actualis, sed tantùm habitualis, quia tantùm conseruat speciem in habitu; sic ergo conceditur tam de memoria sensitiua quàm de intellectiua, quòd in ipsa sunt multæ species simul in habitu, & multæ cognitiones habituales, sed non in phantasia, vel in intelligentia, quia perficiuntur à specie in actu genita, ex specie in vtraque memoria, & per illam speciem genitam habent cognitionem actualem.

Reijcitur responsio.

6

Ex primo sequitur propositum, quia ille duæ species, vt duæ cognitiones habituales in memoria sensitiua de duobus singularibus eiusdem speciei, sunt accidentia eiusdem speciei, & in eodem. De alio membro pertinet ad aliam quæstionem scilicet vtrùm multa vt multa simul cognoscantur, sed quomodo tunc intellectus non posset habere multas scientias habituales eiusdem speciei, de aliquo eodem secundùm speciem, sicut memoria sensitiua cognitiones habituales multas: & tūc Christus posset scientiam acquisitam habere cum infusa? Respondeo, si intellectus intelligat primò singulare, sicut sensus primò sentit, benè sequitur propositum, sed si primò intelligat vniuersale, sufficit vna cognitio de vna specie: non enim posset esse alia, quia non haberet aliud obiectum primum, quia idem vniuersale esset vtraque notitia cognitum primo, non sic de memoria. Contrà: tu ponis antecedens illud scilicet si intellectus. Item, eadem conclusio potest sciri per multa media.

EXTRA.

Ad primum responsio: scientia acquiritur per medium quod est diffinitio, illa non est singularis ex 2. Metaphys. tex. comm. 53. sed tantùm vniuersalis; & ideò tantùm de vniuersali est demonstratio & scientia. Contrà: scientia est habitus conclusionis demonstrationis: sumpta specie pro medio, potest passio concludi de singulari & demonstratiuè; ergo, &c. Responsio: demonstratio est quando per causam conuertibilem cum passione propria demonstratur de aliquo; ergo consequens esset dicere quòd passio generis non potest demonstrari, nec sciri de aliqua specie; sed tantùm de genere, siue de omnibus speciebus scientia vna & vna demōstratione. Contrà, passio generis potest per genus tanquam per medium, concludi de vna specie, adhuc nihil intelligendo de alia specie; ergo eadem erit scientia duorum, quorum vnum est scibile, sine alio. Consimiliter potest argui de singularibus. Ad hoc videtur exemplum 1. Posteriorum, tex. comm. 3. quòd omnis triangulus, &c. *quod hîc quæ in semiduplo, &c. ergo ponit exemplum de principiis demonstrationis, sumendo species sub genere respectu passionis generis.*

Aliter dicitur, quòd duæ species per comparationem ad subiectum, sunt vna species, & duæ per comparationem ad obiecta, quorum sunt effectiuæ. Ad secundum dicunt, quòd multæ relationes non sunt simul; vnde pater non est pater, quia genuit hunc filium, sed quia filium; nec fundamentum est iste actus, sed actus; ergo vna paternitas per se: & si sunt plures filij, hoc accidit. Ad aliud, sicut prius de luminibus, quòd fit vnum ex duobus. Ad quartum; sicut priùs.

SCHOLIVM II.

REFVTAT *fundamenta D. Thomæ, & aliorum posita num. 4. solidè ostendens accidens habere vnitatem propriam, distinctam ab vnitate subiecti, & subiectum, seu materiam non tantùm respicere formam vt sic, sed formas singulares. Explicat quomodo tot sunt potentiæ passiuæ, quot formæ receptibiles, & refutat responsiones datas, num. 6. in fauorem huius sententiæ.*

7

Contra illud quod primò dicitur, à quo habet entitatem, &c. quæro qualiter, aut quod? vnitas subiecti sit formaliter vnitas accidentis, aut materialiter, aut effectiuè. Si primò modo: tunc intelligere accidens vnum numero, non cum vnitate subiecti, esset contradictio, & Deus non posset separare accidens à subiecto. Item si sic, duæ albedines erunt vnum numero. sit Socrates nunc albus, & postea niger, & iterùm albus: tunc si albedo sit vna formaliter vnitate subiecti, cùm vnitas subiecti semper maneat eadem numero, erunt illæ albedines vnum numero; & sic idem numero naturaliter frequenter generatur, & corrumpitur. Item, illud patet aliter, quia si sunt idem, ratio tua est contra te, quia entitas accidentis est alia ab entitate subiecti formaliter; ergo alia vnitas. Quòd autem entitas accidentis sit alia formaliter, patet, vel idem erit causa suiipsius, quia tu ponis subiectum causam accidentis: si vnitas subiecti & accidentis esset formaliter idem, essent idem ens formaliter, & tunc idem causa suiipsius. Si effectiuè, concedo quòd ab eodem efficiente, sint diuersi effectus differentes solo numero. Si autem materialiter, concedo, quia vna est materia diuersorum numero in eadem specie, & si accipis oppositum, petis contra me.

Accidens non esse vnum à subiecto.

Vna est materia diuersorum numero.

Contra confirmationem: tunc contraria essent vnum numero, quia subiectum idem. De alia ratione principali probatio oppositi scilicet quòd materia sit in potentia ad aliquam formam singularem primò & per se, quia motus est actus, &c. 3. Physicorum, tex. com. 6. si mobile sit tunc in potentia primò ad albedinem: & non ad aliquam singularem; ergo quod primò producitur per motum, erit natura specifica, & non natura singularis, nisi per accidens, quod est falsum, quia primò huius, in procem. *Actus & omnes generationes sunt circa singulare; non enim homo*, &c. Hæc probatio non valet, vt videtur, quia illud circa quod est subiectum motus non est terminus.

Materia est in potentia ad formas singulares.

8

Contrà: quicquid per se inducitur in singulare, inquantùm singulare, singulare est: terminus motus inducitur in illud, circa quod est operatio inquantùm circa ipsum est per se operatio; ergo inquantùm est singulare. Item auctor sex Principiorum: *Natura occultè operatur in his, producendo vniuersale cùm producit singulare*; ergo quod per se & primò producitur, est singulare. Contra aliud, quòd plures sunt potentiæ numero, ad eandem formam secundùm speciem, quia 3. Physic. cap. 1. tex. com. 10. si posse sanari & posse ægrotare, sunt idem, ergo ægritudo & sanitas idem. Similiter si posse dealbare hac dealbatione, & illa, sunt idem numero; ergo hæc albedo, & illa eadem numero. Dicitur, quòd non est simile, quia primæ duæ potentiæ sunt ad diuersas formas specie, ideò non sunt idem, non sic autem de aliis. Contrà: tunc sequitur quòd eadem potentia simul esset & non esset: quia pono quod aliquod subiectum fuit aliquando album: ad illam albedinem fuit potentia in subiecto. Pono vltrà, quòd illa albedo corrumpitur, adhuc est subiectum in potentia ad aliam albedinem: si per aliam potentiam, habetur propositum: si per eandem, cùm ad illam albedinem quæ fuit, nulla est potentia, quia non potest iterum eadem numero induci; ergo sequitur quòd eadem sit & non sit. Potentia enim ad albedinem præteritam non est, quia tunc idem numero redire posset naturaliter quod corruptum est; & per te hæc & illa potentia est eadem; ergo idem est & non est simul. Vel sic conclude, eadem potentia naturalis est ad illud, quod possibile est induci naturaliter, & quod impossibile est induci. Vel sic: si eadem potentia est; ergo illud quod fuit potest redire. Vel argue sic: modò est in potentia ad duas albedines futuras inducibiles diuersis temporibus, & non est vna potentia ad istas, quia potentia ad vnam, non est, quando potentia ad aliam est: puta post decem annos, quando prima fuerit corrupta, secunda non inducta adhuc. Item, potentia in te & in me ad album, tantùm differt numero: à quo? si à subiecto, ergo omnis potentia in me differt tantum numero à quacunque in te: quod est falsum: si à termino, sequitur propositum. Similiter in eodem subiecto sunt duo termini numero: & cùm accipitur quòd tunc essent infinitæ potentiæ actiuæ; concedo, nec est inconueniens: quia Sol si voluatur circa medium in infinitum, generaret in infinitum omni anno nouam herbam, si esset materia recipiens eius influentiam.

Cap. 1.

Tot esse potentias numero, quot sunt formæ quas respiciunt.

9

Contrà: eadem potentia actiua est in Sole, quæ posset producere infinitas herbas. Conceditur de illa potentia, quæ est substantia, vel qualitas, quæ videlicet est aliquod absolutum & principium operandi; non de potentia actiua, quæ est relatio fundata in tali principio per comparationem ad patiens. Illa enim numeratur ad numerationem potentiæ passiuæ, sicut relatiua numerantur. Contrà: tunc modò sunt infinitæ potentiæ tales in Sole simul, & eiusdem speciei omnes quia ad formas eiusdem speciei infinitas. Hoc conceditur, sicut & in materia ponuntur infinitæ potentiæ passiuæ eiusdem rationis. Sed cùm arguitur vltrà quòd illud esset infinitum intensiuè; consequentia non valet: nec enim aliquid perfectius sunt omnes illæ potentiæ actiuæ, & relationes fundatæ super vnam perfectionem absolutam, quàm vna. Contrà: si relatio prima aliquam perfectionem dicit: dupla perfectio est in duabus, & infinita in infinitis; si non, non videtur esse aliquod ens positiuum. Confirmatur etiam consequentia negata: quia 7. Physic. text. commen. 6. arguitur, si infinita mobilia mouerentur infinito tempore; ergo & vnum mobile infinitum mouetur in tempore finito: sicut arguit de infinito secundùm extensionem, ita hîc arguitur de infinito secundùm intensionem. Respondeo: hæc difficultas de infinitate relationis, communis est: ita enim probatur esse in me, sicut in Sole: quia secundùm aliquam qualitatem meam possum esse similis infinitis, si essent infinita, etiam actu, si essent actu infinita, etiam modò habeo realitatem omnium illarum relationum secundum Symach. * De hoc ergo ad relationem conceditur, saltem de relationibus potentialibus, vel habitualibus, licèt non actualibus secundùm aliquos.

Infinita potentia passiua in subiecto, si sumantur relatiuè.

* Aliàs Schireruuod.

10

Contrà responsionem ad argumenta, contra secundam responsionem. Ad primum argumentum: quæcunque formæ eiusdem speciei in eodem faciunt vnum: illud vnum tertium est intensius vtroque: si tunc duæ species sint simul in medio & faciunt vnum, causabunt speciem vnam intensiorem; sed illa talis non ducet in albedinem remissam, quæ multiplicauit vnam speciem, & eadem ratione, nec in alteram quæ gignit aliam speciem: quia illa species ex vtraque composita, est improportionabilis vtrique: repræsentabit ergo aliquam intensiorem & perfectiorem vtraque illarum: & sic illæ albedines nullo modo videbuntur

Ex duabus speciebus non fieri vnam intensiorem.

debuntur ab oculo. Item, ex quo illa species composita est vna numero, non repræsentabit duas albedines distinctè; ergo oculus non videbit illud remissum distinctè album, vt priùs, sed aliquod album intensius. Item, distincta actio non est nisi distincti entis: si ergo species repræsentant duo distincta, essent distinctæ. Contra responsionem ad secundum argumentum, paternitas in illo patre ad hunc filium habet maiorem vnitatem, quàm vnitatem speciei: quia aliàs non est maior vnitas paternitatis ipsius cum seipsa, quàm cum paternitate Platonis, quod videtur inconueniens: sed maior non est nisi vnitas particularis scilicet hæc paternitas; ergo in illo ad hunc filium est hæc paternitas: sed per hunc non refertur ad omnes filios: quia destructo hoc filio, destruitur hæc paternitas, si per eandem ad alium filium referatur illo filio existente, erit hæc paternitas; ergo simul erit hæc paternitas, & non erit. Contra aliud de luminibus, sicut prius de speciebus: non quia lumina non sunt repræsentatiua aliorum, sicut species; patet etiam quòd est intentio luminis quando sunt duo lumina eiusdem rationis illuminantia. Aliter meliùs: quia si essent vnum subiecto, & duo secundùm processum, tunc sequitur quòd isti duo radij erunt duo radij Geometrici: & non visibiles: quia secundùm rationem lineæ essent ibi duo, sed non secundùm aliquam qualitatem naturalem, quæ superadditur in linea visibili: & tunc omnes quæstiones perspectiuæ de intentione radiorum, & consimiles, quæ dependent ex diuersitate radiorum essent tantummodò veræ secundùm Geometricam considerationem, non secundùm perspectiuam: quia perspectiuus considerat lineam, vt in materia naturali.

Ista responsiones posita sūt nu.6.

Quot filij tot paternitates, 3.d.8.q.1.

SCHOLIVM III.

SENTENTIA *Doctoris accidentia intentionalia, vt species sensibiles, & intelligibiles, & quædam realia quæ fiunt sine motu, vt lumina, & relationes, posse esse plura numero in eodem, ita habet etiam 1.di.3.q.6.§. Ad quæst.nu.29.& 3.d.8.q.1.& 4.d.24.ad secundum. Quando autem agens reperit passum sub dispositione contraria agendo in illud per motum, si præhabet vnam formam, non inducit aliam eiusdem speciei, sed intendit iam productam, vt contingit in formis contrariis. De potentia Dei tamen, etiam loquendo de his, non repugnat plures formas eiusdem speciei esse in eodem, vt colligitur ex Scoto 3.di.8.nu.7. Ad id, quod tangit soluendo argumentum de duobus calidis, de diuersa acceptione actionis, vide eum 4.d. 13.q. 1. vbi fusè de actione, & eius acceptionibus, & q.7.de An.vbi, & in eius Commentario multa exposita habes, de actione, & passione à nu.13.tantum disputat nihil ferè resoluens, vnde & quæstionem per dubitationem finit. Vide Anton. Andream hic q.8.qui breuiùs, & clariùs habet contenta huius quæstionis, de qua etiam Anton.Tromb.hic quæstione vltima.*

11 Ad quæstionem ergo potest dici, quòd non est ratio impossibilitas, quin duo accidentia intentionalia, & respectiua realia, & realia non educta de potentia materiæ vel subiecti: vel etiam de potentia subiecti educta, non per motum eiusdem speciei, possunt esse simul sine contradictione: tamen inconueniens est hoc, vbi formæ inducuntur per motum, quia motus non est, nisi in mobili sit dispositio opposita formæ inducendæ, vt contraria vel media. Sed si agens inueniat in mobili formam eiusdem speciei formæ, non inuenit ipsum sub dispositione opposita, ideò non mouet ipsum simpliciter inducens aliam, sed augebit formam præexistentem in mobili: & hoc si forma illa præexistens sit imperfectior quàm illa quam agens posset inducere; si autem inuenerit mobile sub forma æquè perfecta formæ inducendæ ab agente ipso, non mouebit ipsum omnino.

Scot.3.d.8.q.1.nu.7.

Ad authoritatem primam de 5.huius, quòd per motum non possunt induci duæ formæ eiusdem speciei; vnde omnes formæ habentes differentiam in eodem subiecto, si inducantur per motum, necessariò differunt specie: tamen de aliis non inductis per motum non est necessarium: imò possibile est quod duæ tales eiusdem speciei sint in eodem subiecto, sicut duæ species duarum albedinum, & duæ paternitates & duo lumina, & sic de aliis non inductis per motum. Similiter ad aliam de 5.huius.

Ad argumēta posita n. 3.

Plures formæ non inductæ per motum eadem specie possunt inesse eidem.

Ad aliud de Anima, dicendum quod non oportet receptibile denudari ab omni forma eiusdem speciei, sed oportet eum denudari ab eadem forma numero. Fortè aliter & meliùs, quòd debet denudari à forma eiusdem generis, quæ perficit receptibile secundùm totam capacitatem eius.

Hæc glossa accipitur ab Anselmo de verita.cap. exemplum de vase vitreo intensè colorato, per cuius medium non repræsentatur liquor intus positus, secundùm colorem proprium, sed per vitrum remissè coloratum repræsentatur. EXTRA.

Si autem habeat vnam formam dummodo non perficiat totam capacitatem, potest recipere aliam eiusdem speciei: si tamen non inducantur per motum, sicut patet de formis superiùs enumeratis: de lumine non est dubium, si lumen requirat indispositionem in medio, siue vmbram, siue lumen modicum: tunc agens non imprimet nouam formam, sed intendet præexistentem.

An recipiens deberet denudari ab omni simili forma ei quam recipit. Scot.2.d.3.q.8.ad 3.

12 Ad argumentum de duobus calefacientibus per motum, quod est contra iam dicta, concedatur quòd calefaciunt duabus calefactionibus, quia duabus formis, & Commentator 5.Physic. Comment. 38. dicit si actio vna, & forma vna: sicut actio Solis, alia est ab actione patris in generatione: quia actio Solis est nobilior actione hominis, sed non correspondent eis duæ passiones, sed vna: quia vnum generatum potest generari à Sole & à patre, multis actionibus: & tamen ibi vna passio & vnum generatum; si actio dicat respectum agentis ad passum, & è conuerso, passio respectum patientis ad agens commultiplicatur sicut hîc supra arguitur. Si autem actio dicat respectum motus, vel mutationis ad agens, vt est ab agente: & passio respectū eiusdem ad passum, vt est in hoc: tunc non sunt respectus correspondentes, sed duo disparati fundati in eodem, & ad diuersos terminos: quia motus est vnus, quia forma fluens est vna, & termini agentes sunt plures, ideò respectus ad agentes sunt plures, sed terminus recipiens est vnus: & quòd forma fluens est vna, & passum recipiens est vnum; ergo vtrumque extremum ibi est vnum; ergo respectus medius erit vnus: sic secundo modo intellige responsionem superiùs datam. Omnia argumenta suprà ad hoc sunt soluta, nisi secundum: vbi respondeo quòd altero illorum non agente, effectus non esset in altero fieri, in quo est: quod scilicet dicit respectum ad illud agens; sed non sequitur quòd factum absolutè

Quomodo actiones duæ correspondent vni passioni.

Actio sumitur pro respectu agentis ad passum, & pro respectu motus ad agens.

lutè non fieret, sed non illo respectu, ad illud agens.

13

Contra solutionem quæstionis, duo agētia potentia paria, pone quòd inueniant passum sub dispositione contraria, simul imprimunt; ergo formæ inductæ per motum possunt multiplicari in eodem. Respondetur sicut hîc ad vltimū, quòd mobile non potest moueri simul duobus motibus ad terminum eiudem speciei, licèt duæ sint actiones. Contrà: simul sunt duæ potentiæ in isto passo ad duas formas eiusdem speciei; ergo simul possunt esse duo actus eius, inquantùm in potentia, & ita duo motus. Item, *causa in actu simul est cum effectu in actu, & non est*, 2. Physic. t.c.37. & 5. huius, t.c.3. & hoc verum est de effectu immediato, quod est *fieri*: hîc ergo calefaciens, simul est & non est cum *calefieri*, quod causat: & ille calefaciens cum illo, quod ille causat; ergo si vterque causat idem calefieri, idem simul est & non est, posito quòd hîc calefaciens cesset calefacere, & non cesset ille: non potest sic argui de agentibus ordinatis: quia inferius, quòd simul est cum fieri, non potest agere superiore non agente, per superius autem sine inferiori, non potest *fieri* esse. Item, si duæ actiones, & ille in passo respectus ad agens, & eædem realiter ipsis passionibus; ergo duæ passiones. Item, super actionem & passionem fundatur relatio, & ibi multiplicato vno extremo, & alio; ergo quot actiones, tot passiones.

Item, quid dices de formis inducibilibus per mutationem, nūquid tales duæ possunt esse simul vnius speciei? Dicitur quod non, quia respectu vnius speciei, est tantùm vna priuatio, quæ aufertur per primam formam aduenientem, & per consequens non est terminus à quo posset esse mutatio ad secundam. Contrà: priuatio est carentia alicuius in apto nato, alterius & alia carentia: quod probatur etiam, quia priuatiua sunt contradictoria circa aptum natum; ergo si hoc non inest, priuatio inest, & inter priuationem huius, & hanc, poterit esse mutatio. Similiter huiusmodi hæc priuatio, sicut hæc potentia. Ad primum argumentum videtur concedendum, quòd duæ formæ eiusdem speciei possunt simul inesse eidem, etiam inductæ per motum, sic quòd simul inducantur à duobus agentibus inuenientibus idem passum sub contrario; sed non possunt esse duæ successiuè inductæ, ita quòd vna post alteram per motum: quia inducta prima iam contrarium abiicitur, & ita non amplius potest esse motus ad aliquam formam eiusdem speciei cum illa quæ inest, sed secundùm agens si inueniat formam imperfectam respectu suæ, & sic aliquo modo oppositam, imperfectionem tollet, intendendo eam.

Nihil asserit, sed tantum dubitat.

14

Ad secundum argumentum, de mutationibus necessariò præexigentibus motum, consimiliter dicendum, sicut nunc dictum est ad primum argumentum: quòd duæ formæ eiusdem speciei, terminantes duas mutationes simul causatas à duobus agentibus, possunt simul induci, sed non vna post aliam: quia nec post illam primam, potest esse motus necessariò requisitus ad mutationem, quæ deberet esse ad secundam. Sed quid de mutationibus non terminātibus necessariò motus, cuiusmodi videntur illuminationes esse? Respondeo, quòd duæ & simul & successiuè in quocunque possunt inesse & formæ terminantes ipsas: quia post inductionem primæ manet potentia ad secundam, & priuatio propria eius, & subiectum mobile si adsit agens vel idem quod prius, vel aliud potest causare aliam formam: & si tales formæ sint natæ diu permanere in subiecto, possunt quotcunque manere simul; ergo lumen, & speciem non pones habere esse fixum in medio, sed in cōtinuo gignere, relationem pones manere, & ideò quotcunque eiusdem speciei, imò infinitas; quot ergo visibilia circa punctum medij potentia vsque illuc agere, tot ibi species: & quot luminaria, tot & lumina.

Illuminationes plures numero, & simul & successiuè possunt fieri in eodē.

Quot visibilia tot species, quot luminaria, tot lumina.

Contra primum argumentum: videtur destrui Arist. quòd idem simul mouetur duobus motibus eiusdem speciei. Item ergo duo ignes generabunt duos ignes ex aqua eadem, aut saltem duas formas ignis inducerent in eandem materiam, quòd videtur impossibile.

15

Pro solutione, notandum quòd quæcunque forma non est inducibilis, nisi post aliam formam incompossibilem, tunc corruptam, illa tantùm potest esse vnica in vno susceptiuo. Probatio, quia nec alia inducetur postquam illa est inducta, ea manente: quia illam aliam non præcederet alia incompossibilis: iam enim inductione primæ est quælibet incompossibilis expulsa, nec duæ tales simul inducentur, quia nec ab eodem agente 8. Metaph. t.c.12. *si efficiens vnum & materia vna, & effectus vnus est*: nec à diuersis: quia si illa sint approximata diuersis partibus mobilis: puta vnus ignis ad caput, alius ad pedes, agente in diuersas partes primò; vbi autem simul agunt, vnam formam inducent. Probatio, quia intensiorem quàm alterum solùm inducerent: sicut si ponerentur in eodem situ respectu eiusdem partis passi vnam formam inducerent, vt priùs: sed omnis forma inducibilis per motum, vel mutationem, necessariò terminantem motum, ad ipsam, necessariò ad sui inductionem, necessariò præexigit in susceptiuo formam incompossibilem tunc corruptam: quia licèt terminus *à quo* per se mutationis, sit priuatio, & non forma opposita, quam priuatio concomitatur: & idcircò inter duas formas sunt duæ mutationes habentes quatuor per se terminos. Licèt etiam duo motus simul currant inter contraria, quorum alter, qui est remissionis, est à gradu perfecto, in quo fuit mobile in vltimo quietis, ad priuationem illius contrarij totaliter, vel ad priuationem alicuius gradus diuisibilis, qui successiuè abiicitur. Alter autem, qui est intensionis est à priuatione contrarij inducendi, vel alicuius gradus diuisibilis inducendi ad gradum perfectum, terminantem motum: licèt inquantùm sic sint duæ mutationes, & duo motus, & vtrobique quatuor termini: & ita forma incompossibilis abiicienda, non sit per se terminus illius motus, vel mutationis: forma inducenda est per se terminus *ad quem*: tamen illa forma prior est necessariò requisita; & necesse est & transitus simul esse. Nullum enim agens naturale mouet, nec mutat mutatione terminante motum, aliquod susceptiuum, nisi habens formam suæ incompossibilē: cùm ergo non possunt plures eiusdem speciei simul esse per motum, nec per mutationem per se terminantem motum, forma quæ non necessariò requirit aliam incompossibilem in susceptiuo, ad hoc vt inducatur, vnde probatur vnica? non per hoc medium: quod agens non inuenit passum sub termino *à quo*, respectu actionis: quia cùm forma hac, inest priuatio illius, quæ sola sufficit pro termino *à quo* respectu inductionis talis formæ. Quære aliud medium, vnde tertiò formæ

Forma inducibilis per expulsionē alterius, est vna tantùm in vno subiecto.

Quatuor termini, intensionis & remissionis & qui sint? Scot. 2.d.q.9.n.31.

Nullum agēs naturale mouet, vel mutat post motū, nisi vbi reperit formam incompossibilem suā.

mæ absolutæ, de quibus fit vis: lumen, cognitio, species: nam de relatione non est vis quin multiplicetur sicut correlatiua, tum quia non in absolutè & strictè loquendo, sed in ad alterum: tum quia non terminat motum, nec mutationem per se: nisi fortè Vbi: & illud præsupponit actionem vti incompossibile, nec sunt naturaliter plura Vbi in eodem: vt autem supernaturaliter inducatur aliud Vbi, sufficit correlatiuum multiplicari, puta quòd miraculosè fiat aliud circumscribens simul cum primo circumscribente. De tribus illis formis absolutis videtur similiter dicendum, de lumine, specie, & cognitione, quia di. 13. secundi ponitur lumen esse speciem lucis.

Lumē, species, cognitio multiplicantur numero, in eodem.

16

Sed contrà; lumen intenditur, patet ad sensum; ergo non sunt duæ species: non intenditur, sicut probatur priùs in hac quæstione: quia illa species intensior non duceret in cognitionem visibilis remissioris. Respondeo: species rei præsentis in medio, & organo sensitiuo, intendit tam lumen quod est species lucis, quàm species coloris: & per consequens illud est vnicum in vno: non quia agens præsupponit formam incompossibilem in subiecto, ad hoc vt agat; sed quia quodlibet eiusdem speciei adueniens, in eodem natum est intendere formam talem in subiecto: species tamen lucis absentis, qualis requiritur in phantasia, vel memoria sensitiua, non est lumen; similiter species talis scilicet imaginaria ipsius albedinis, non est eiusdem rationis cum illa extrà. Tales species absentis necesse est simul esse duas in organo phantasiæ, vel memoriæ, nec est ibi vna intensior alia, sicut probatum est priùs: quia cum obiectum absens non cognoscitur à phantasia, nisi vt relucet in tali specie, oportet species proportionari obiecto: vt scilicet repræsentans non sit intensior quàm nata est sic gigni à tali obiecto: quia intensior species intensius obiectum proportionabiliter repræsentaret, nec potest poni in vna parte organi phantasiæ vna species & in alia, alia, sicut suprà probatum est in hac quæstione.

Qua species est lumen?

Species absētis plures numero simul.

Sed quare species in organo sensus particularis non ita distinguitur sicut in organo phantasiæ, vel memoriæ? imò eadem ratio videtur vtrobique. Probatio, aliàs non distinctè repræsentaret: similiter quomodo de vna specie in sensus exterioris organo generatur alia in interiori: non vna intensa, ex vna intensa? Videtur enim irrationabilius ponere vnam speciem exteriorem esse principium respectu duarum remissarum intra, quam duo obiecta præsentia causare in organo extra duas. Item, contra illam causam: nullum agens virtutis imperfectioris forma susceptiui, intendit illam; patet si calido intenso apponatur calidum non intensum, non agit in calidum perfectum intendendo. Contra illud argumentum de duabus formis: ergo duæ actiones; ergo duæ passiones; ergo duo termini: & de hoc dictum est superiùs.

Dubia duo.

Sup. nu. 12.

17

Ad primum, species in organo extrà non est ratio repræsentandi obiectum, vt cognitum, sed sensatio exterior est obiecti immediatè; vnde non requiritur quòd ibi sit species propter sensationem: in interiori verò requiritur; ita quòd interior est præcisè obiecti, vt lucet in specie, quia non est obiecti in se præsentis. Ad secundum: species in phantasia, vel memoria, non relinquitur, nisi mediante sensatione; ideò duas sequentur duæ: imò non retineo nisi subiecta post sensationes perceptas 11. de Trin. c. 8. ergo talis est vna eiusdem speciei, species simul: quare non plures plurium obiectorum præsentium simul, propter defectum intentionis copulantis; ibidem sæpè.

Non requiri speciem externam ad sensat ion, sed benè internam.

Et per hoc patet ad illud de tertia forma absoluta, quæ est cognitio. Nec sequitur: simul esset species intensior propter multa obiecta præsentia vnius speciei; ergo simul multæ visiones; vel ergo vna visio intensior: primum non sequitur: quia intensio non copulatur multis; ideò non plures saltem distinctæ simul: si vna post aliam, concedo quòd vtrumque sequitur propria species in memoria; non ergo ex vna intensa exteriori, generatur alia interior: imò nulla generatur nisi præsente sensatione, & duæ non sunt simul & duas successiuè sequuntur imaginationes duæ. Ad tertium d. 17. q. 4. an agens æquiuocum intendit vltra gradum quem causaret vniuocum agens? non. Sed quid? iam nulla forma absoluta ponitur multiplicari eiusdem speciei simul in eodem: nisi tantum species in sensu interiori, quæ remanet absente obiecto, & præcisè propter hunc finem: vt duo alba priùs visa possum imaginari, & possibilitas est: quia illa consequuntur distinctas visiones perceptas, quæ non sunt simul: tamen illis transeuntibus manent phantasmata: quare in vniuersis formis absolutis nullum est simile phantasmati, vel tali speciei interiori quantùm ad purificationem in eodem.

18

Dici potest, quòd & talis species similis est aliis formis quoad propositum: quia 11. de Trinit. c. 8. *vnum Solem memini: si voluero, aut duos, vel tres cogito: sed ex eadem memoria qua vnum memini formatur acies multos cogitantis* hæc ille; ergo vna species in phantasia, vel memoria sufficit ad imaginandum omnia eiusdem speciei, quia si volueris imaginari idola perfecta cum quantitate, colore, figura, &c. ad quodlibet vnum sufficit vnum phantasma pro omnibus illius speciei: ad omnia simul in idolo sufficit vti multis phantasmatibus componendo: sicut de monte aureo: sicut ibi docet Augustinus: *Quomodo possum cogitare Solem maiorem, vel minorem quàm memini: & quadrum*, &c. maximè stat hoc secundùm articulum, qui negat imaginationes huiusmodi vt hoc, sed tantùm naturæ quæ est hîc: illa natura est præsens per vnam speciem quantumcunque coniungatur cum aliis in idolo: falsum est ergo quod supponit ratio à fine, quòd distincta alba offeruntur phantasiæ, vt distincta; sed tantùm per vnam formam habeo multos actus cogitandi, vel imaginandi circa album in communi, ex tam diuersis idolis coniunctum. Sed nunquam phantasma intenditur ibi sic secundùm August. 6. Musicæ: continuè decidit & reparatur per sensus exteriores; sed alia ratio de possibilitate, quia sequitur duas sensationes, non concludit: non enim sequitur; ergo sunt duo phantasmata, quia illud posset intendi, non tantùm post duos actus, sed etiam si illi actus essent per se intendentes, adhuc dualitas illorum non concludit quin per vtrumque inductum, faciat vnam formam intensam. Phantasma videbatur dissimile aliis absolutis: iam positum est simile.

Aug.

Sufficit vnum phantasma ad imaginādum multa.

19

Et quidem secundum satis solutum est de duabus sensationibus, nec illud fuit priùs probatio: sed quasi solutio. Si primum manere videtur, quomodo distinctè imaginor albius, & minùs album

bum visa, non per visum multorum phantasmatum componendo in idolo, sicut montem aureum: patet quòd intensio & remissio non habent phantasmata propria alia à phantasmate formæ, nec per illud phantasma illa distinctè imaginor, quia naturaliter repræsentat obiectum secundùm gradum proportionabilem sibi.

Hucusque omnia dicta sunt loquendo naturaliter de actione naturali: restare posset quæstio de absoluta compossibilitate formarum, & respectu potentiæ diuinæ. Si de lumine, specie, & cognitione, concedis vnitatem in vno, & non, quia præsupponunt ante sui inductionem formam incompossibilem in passo; ergo illa ratio prolixa est particularis, quære medium vniuersalius: habes ibi quòd quicquid potest inducere aliquid speciei: in illud passum, potest intendere, quia nata sunt facere vnum: si simul in vno, sicut de quantitate continua vnita continuè in liquidis, sed an semper quodcunque adueniens possit augere: an vltra perfectionem proprij effectus, nullum adueniens intendat: an tertiò aliquod tale intendat, sed vsquequo dubium est? Contra causam, vnde vniuntur si diuersæ potentiæ? Responsio, quia vna summè actualiter priùs. Contrà: ista actuata summè, quare non actuatur alia? Respondeo; æqualis limitatio potentiæ ad actum, & è conuerso, quia licèt potentia non simpliciter dependeat ab actu accidentali, sicut è conuerso: tamen vt sic tale dependet ab illo; omnis dependentia est ad vnicum simul, si sufficienter terminat; ergo totum hoc reducetur: vna sufficienter actuat in hac specie, sed vnde probatur ista?

ANNOT. MAVRITII.

20

SEquitur quæstio septima de compossibilitate accidentium tantùm numero differentium, in eodem subiecto. t. non habente comment. quæ notabilis & magnæ altercationis inter Doct. habetur, vbi primò, post oppositum ponitur quoddam *Extra* ibi: *contra illud quod superius dictum est*, &c. vsque ibi: *dicitur quòd non est possibile*, &c. litera tamen valde notabilis, ideò ponderari debet: & benè habet legi cum argumento 2. principali, & eius solutione, & quia ibi quotat perspectiuæ partes & conclusiones; aduerte quòd licèt antiqui, videlicet Alacen quem consueuit Doct. noster communiter allegare, & alij plures perspectiuam scripserint, vltimo tamen mirabili resolutione & industria ille eximius Theologus & Philosophus F. Ioan. Pecheam Anglicus Ordinis Minorum, quondam Archiepiscopus Cantuariensis breui quodam compendio eam tradidit in tres partes diuiso: in quarum prima 84. in secunda 56. & in tertia 22. conclusiones notauit & exposuit: & vt lector fortè ob penuriam originalis in declinatione huius loci non perturbetur, hîc breuiter notabo ea quæ ad propositum faciunt.

Conclusio 2. secundæ partis est talis: *Reflectiones solas à regularibus superficiebus factas, oculo sentiri*. Dico superficies regulares illas quæ sunt dispositionis vniformis in omnibus partibus suis: videlicet planas, concauas, conuexas, & huiusmodi: irregulares autem sunt superficies corporum asperorum in quas radius, vel lux cadens dispergitur & distrahitur: ne regulariter oriri super oculum possit. Sexta conclusio eiusdem partis 3. talis est: *Angulos incidentiæ & reflexionis æquales esse: radiumque incidentem & reflexum in eadem superficie, esse cum linea erigibili à puncto reflexionis.* Dicitur angulus incidentiæ quam constituit radius cadens super speculum cum superficie speculi, vel ex vna parte, vel ex alia cum linea imaginabiliter erigibili à puncto reflexionis: Angulus autem reflexionis est, quem cum eisdem constituit radius reflexus. Æqualitas angulorum experimento colligitur, & ratione probatur ibidem 26. Conclusio eiusdem partis est talis: *In omni superficie reflexionis quatuor præcipuè puncta contineri: & quod extra illam est, minimè videri:* hi quatuor puncti sunt centrũ visus: punctus apprehẽsus, terminus axis, id est, perpendicularis ductæ à centro visus in speculum, & punctus reflexionis. Has tres conclusiones tangit Doct. hîc, sed pro maiori declaratione horum oporteret plura alia & in Perspectiua & Geometria videre. Videantur præcipuè 14. 15. & 16. conclusiones primæ partis Perspectiuæ, & plures aliæ illius secundæ, quæ omnia longum esset hîc inserere: prosequatur diligens lector multa addendo, si motiua illa soluere volueris, quia 13. di. hoc idem sentit, quod hîc tangit de illa specie ruboris: dic consequenter benè inuestigando vt ibi & alibi habet: idem enim potest esse species & obiectum.

21

Consequenter ponitur opinio Thom. & Henr. quære Thomam in q. de veritate, & in 3. parte q. 35. & hîc in 5. & alibi. & Henr. quodlib. 4. q. 3. & alibi & alios sequaces, partem negatiuam quæstionis tenentes & soluentes argumenta principalia quam opinionem impugnat copiosè. Vbi aduerte quòd notatur vnum paruum *Extra* ratione 2. contra primum modum aliorum ad primum principale ibi: *Est enim dare*, &c. vsque ibi: *Item quicquid dicatur*, &c. Et aliud infrà ibi: *Ad primum responsio*, &c. vsque illuc: *Aliter dicitur quòd duæ species*, &c. litera tamen vbique bona.

Infra etiam ibi: *Contrà ergo forma naturalis annihilatur*, &c. vsque ibi; *ergo sequitur quod eadẽ sit & non sit*, &c. assignatur *Extra*: sed satis benè ad propositum, vt patet.

Inferiùs in quadã responsione de relationibus, allegatur quidam auctor antiquus, & variè nominatur, quidam Schirervvod, quidam alio modo: est enim Anglicum cognomen, & videtur fuisse Nominalium opinionis, sed de nominibus non est vis, &c.

22

Determinatio Doctoris est satis clara in quæstione vbi plures conclusiones possent elici, vt Anton. Andreas fecit, sed paucis multa comprehendit suo more Doctor vbi notatur quoddam paruum *Extra* ibi: *hic glo.* &c. vsque ibi: *Si autem habeat*, &c. & infra ibi: *Si actio dicat respectum agentis ad passum*, &c. vsque illuc: *Contra solutionem q.* &c. assignatur *Extra* ab aliquibus: totum tamen notabile. Totum etiam sequens vsque ad finem quæstionis vocatur additio, vel *Extra* ab aliquibus, sed quia singulare & subtile, legatur totum.

Illud quòd infrà tangit allegando di. 13. 2. non obstat his quæ à principio notaui, quia vel alios allegat, vel hæc litera additio est, postquam scripsit secundum, hîc addita, sed primum magis sapit. Similiter dicendum est de illo, quod infra tangit de di. 17. q. 4. vt quidam libri habent. Quære in Vua. & Tho. & Alex. in primo de charitate: vel vt alij libri habent 77. q. 4. & potest referri summa Henr.

Henr. & Alex. studuit enim maximè in iuuentute in summa, & quodlibeto Henr. in Vua. & Alex. ideò allegationes Theoricæ in hac Metaphysica maximè habent referri ad illos. In primo tamen antiquo & Reportationum hîc tetigit ipse, videantur Calculator & alij de intensione formarũ, & ea quæ infrà li. 8. habet pro his quæ hîc vltimo tangit in q. & ponderari debent omnia verba ad vnguem omnia namque difficilia in aciem speculatiuæ certaminis vbique proponit.

Priora & posteriora dicuntur, quædam quidem tanquam existente aliquo primo, & principio in vnoquoque genere, quod propinquius quidem principio, aliquo determinato. *text. com.* 16.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm hæc sit ratio communis prioris prius est quod principio est propinquius?

Arist. *hic cap.* 11. Alex. *ibid. text. Comm.* 16. Albertus. *tract.* 1. *c.* 11. D. Thom. *lect.* 13. Fland. *in q.* 12. *a.* 1. Fonsec. *cap.* 11.

QVòd non: *tempus est numerus motus secundùm prius & posterius:* sed in tempore nullum est principium; ergo, &c. Item, in generabilibus per propagationem, si generatio fuit sine principio, vnum generans prius alio: & tamen nullum primum. Item, si prius est quod est principio propinquius; ergo principium non est prius principiato: quia si est prius: hoc est respectu alicuius principij primi per te; ergo principium habet principium: hoc est inconueniens: quia procederetur in infinitum. Item, non videtur necesse ponere primum propter prius: nisi quia vbi est magis, & maximum: sed hoc est falsum in numeris. Item, prius & posterius est remotius ab hoc *nunc:* & tamen dicit nobis vtentibus hoc *nunc*, vt principio; ergo non omne prius propinquius principio, sed aliquando remotius. Contra: Philos. hic & 4. huius, t. c. 16. t. c. 18. contra negantes principia.

SCHOLIVM vnicum.

OPTIME *explicat rationem prioris, iuxta mentem Philosophi, de qua vide ipsum hîc in text. Commen.* 16. *& Alensem ibidem.*

2

Posteriora essentialiter ordinata nihil causant sine primo. Scot. 1. d. 2. q. 2. art. 1. n. 12.

Dicitur quòd notificatio est conueniens: tamen aliter conuenit prioribus essentialiter & accidentaliter ordinatis: quia in essentialiter ordinatis nihil causat sine primo simpliciter: sed accidit hoc in ordinatis accidentaliter: quia accidit huic reuolutioni cæli, quòd alia præcessit, quia potuit fuisse, & si prior non fuisset per impossibile; vnde entitas talium omnium non est ab aliquo vno simpliciter primo, sicut in essentialiter ordinatis, sunt omnia ab vno primo, & à quo dependent omnia; vnde prius in accidentaliter ordinatis dicitur per comparationem ad aliquod primum, non simpliciter, sed respectu illius: & hoc per accidens. In essentialiter ordinatis dicitur prius respectu primi simpliciter, quod est causa illius, & omnium posteriorum.

Vtrùm tẽpus habet primũ, re vel in anima? 2. d. 2. q. 9. nu. 31.

Ad primum dicitur, vel dici posset fortè, quòd in tempore est prius ex assignatione nostra: & similiter principium. Contrà: tunc tempus non erit in genere Quantitatis: & tunc primus motus sine tempore, vel dependeret motus eius ab anima; ideò dicitur aliter quod in tempore est principium sine anima, non simpliciter primum: nec etiã esset cũ anima, est tamen ibi principiũ respectu alicuius posterioris & prioris: quia ista dies incipit à manè, & hora prima propinquior est manè quàm hora secunda. Contra istud: si in tẽpore secundùm se non est principium, sed in aliqua parte eius respectu alterius partis, tunc tempus secundùm se nec habet prius nec posterius, sed solùm respectu aliquarum partium: hoc inconueniens: quia diffinitio conuenit toti per se, quæ est, quòd *tempus est numerus motus secundùm prius, & posterius:* & partibus per accidens. Item, tempus est continuum; ergo non est ibi aliquod nunc in actu de se, quod sit prius, respectu cuius dicatur aliqua pars posterior, sed solùm in potentia, quantùm est ex parte temporis: quia si sic, esset de se discontinuum; ergo est ibi solùm primum, & prius ex assignatione nostra, & solùm in potentia de se.

Temporis diffinitio.

Tempus secũdùm se non habet prim.

Ad primum, quòd si secundùm se accipiatur pro toto tempore, verum est; & ideò totum tempus non est prius & posterius, sed ex hoc non sequitur quòd in tempore non sit prius & posterius: quia secundũ partes habet prius & posterius. Ad aliud, quod esse in potentia æquiuocè dicitur de esse in potentia ad actum primum, quæ est potentia, essentialis & de esse in potentia solùm ad actũ secundùm: ipsum verò *nunc*, in tempore, est solùm in potentia accidentali. Dico tunc, quòd in continuo nullum est indiuisibile in actu secundo creationis; ergo nullum prius in actu illo secundo: concedo: tamen sunt ibi in actu primo: & esse sic in actu, non discontinuat. Ad aliud, quod tertio generantes habent quartum pro principio respectu ipsorum, respectu cuius dicuntur inter se priores & posteriores. Ad aliud, quòd illa ratio ponitur de illis quæ sunt post principium, non de principio propriè. Vel aliter, quòd principium non est prius, sed primum: vel aliter, quòd notificatio datur de illo in quo minimum reperitur de ratione prioris. Ad aliud de numeris: quòd si aliquid sit magis secundùm formam oportet ponere maximum: non tamen oportet in his quæ sunt maiora & minora quantitate: quia vbi est magis & minùs secundum perfectionem, entitas omnium est à maximo, sed in numeris non: quia perfectio maiorum numerorum est à minoribus ex eo, quòd plures replicantur: siue ex hoc quòd vnitas, quæ est minimum ibi frequenter replicatur, causatur perfectio aliorum. Ad aliud, quòd hoc *nunc*, non est principium respectu cuius dicatur prius & posterius in præterito, nisi mediatè: quia est aliquod nunc prius respectu cuius dicantur illa in præterito priora, & posteriora.

ANNOT. MAVRITII.

SEquitur quæstio octaua de veritate diffinitionis prioris, tex. comment. 16. quæ satis clara est, vbi nulla correctio notabilis in litera occurrit: determinatio verò Doctoris assertiua & lucida existit. Pro ampliori autem materia discussione videantur

deantur ea quæ in Postprædicamentis ad propositum habet, & ibi deliramenta quorundam, & maximè Vua. Burlei exterminentur. De gradibus etiam & modis prioris, & diuersitate ordinum quæratur in doctrina huius, & Franc. de May. in plerisque locis vt aliàs sæpè notaui.

Quantum verò dicitur quod est diuisibile in ea quæ insunt, quorum vtrumque, aut singulum, vnum aliquid, & hoc aliquid natum est esse. *tex. com.* 18.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm ratio Quantitatis sit diuisibilitas, vel ratio mensuræ?

Arist. *hic. c.* 13. Albert. 1. *Physic. tract.* 2. *c.* 4. D. Thom. *opusc.* 52 *ad fin.* Henric. *quodlib.* 1. *q.* 4. Aureolus. *ibid. dist* 12. *q.* 2. *art.* 4. Maior & Bassel. *in* 4. *dist.* 12. Marsil. *in* 2. *q.* 49. Ægid. *Theorem.* 30. Anton. Andr. *hic q.* 10. Soncin. *ibid. q.* 21. Nypsius. *dist.* 9. Fons. *c.* 13. *q.* 1. *sect.* 2. & 3. Suar. *disp.* 11. *Met sect.* 3. & 4. vide Scot. *in Prædicam. q* 13. & *in* 2. *dist.* 12. *q.* 7.

1 QVòd non diuisibilitas: quia si sic; ergo partes post diuisionem differrent. Quæro qualiter, aut per accidens, aut formaliter? non per accidens, quia tunc quantitas diuisibilis esset per accidens. Probatio: quia idem est principium diuisionis & distinctionis partium diuisarum; ergo partes per accidens, &c. Non formaliter: quia distinctio formalis est specifica; ergo partes diuisæ differrent specie, quod falsum est, inquantùm partes quantitatiuæ. Item, propria ratio Generis æqualiter inest speciebus omnibus: quia Genus æquè prædicatur de eis, diuisibilitas non. Probatio, quia quantitas discreta est actu diuisa: continua in potentia; ergo non æqualiter, Probatio, quòd discretum sit actu diuisum; senarius si esset actu diuisus, essent duo ternarij in actu; sed senario existente in actu, duo ternarij sunt partes eius; ergo senarius actu existens senarius, est diuisus actu, cùm habeat duos ternarios actu in eo: cuius probatio patet ex auctoritatibus Philosoph. c. de ex aliquo, t. c. 30. huius, quod duo sunt pars trium aliqualiter; ergo in ternario dualitas habet suam formam. Et in cap de *Colobo:* t. c. 32. huius, quòd numerus habet aliquo modo partes diuisibiles: sicut quinarius binarium & ternarium; sed si tantùm ex vnitatibus esset, non haberet partes diuisibiles. Item, 7. Eucli. propositione quarta: *omnis numerus minor, est pars maioris, aut partes*; ergo, &c. Item, si diuisibilitas essentialiter, vel per se, conuenit omnibus speciebus quantitatis, & cuius est potentia, eius est actus, in lib. 1. c. 1. de Somno, & Vigilia; ergo diuidi, poterit per se competere omni continuo: sed diuidi repugnat: quia quod diuiditur non est continuum, secundùm quod diuiditur; tunc etiam naturaliter inesset quanto diuidi: & non violenter; & ita figura incisionis naturaliter fieret in materia, & ars vniuersaliter diuidens continuum haberet materiam in potentia naturali ad formam quam inducit, Item, ad principale, illa ratio non est generalis omnibus quantis: quia est dare minimum in naturalibus 1. Physic. t. c. 36. & inde, sed omne naturale est quantum: & tamen non est diuisibile in partes, quarum est quantitas. Item, si sic, cuicunque inesset hæc ratio, illud esset per se species quantitatis: hoc falsum est de loco, quia non numeratur hic inter species quantitatis, nec tempus est per se quantitas: quia est quantum per accidens, & motus similiter, secundùm Philos. t. c. 18. hîc. Similiter Commentator dicit de loco quod non est quantitas. Ad oppositum est Philosophus hîc.

Colobon to tũ mutil͂m vide Scot. hic, in t. 32.

SCHOLIVM I.

PONITVR *sententia tenens quantitatem esse rationem mensuræ, & refutatur tribus rationibus; ponitur ergo quòd diuisibilitas sit ratio eius, & hæc vel in partes eiusdem rationis, si iuxta vnam sententiam negetur substantiam habere partes entitatinas; vel in partes extensas actu, si secundùm aliam teneatur oppositum de substantia. Probat hanc secundam sententiam de ratione quantitatis, tribus locis Philosophi, sed prefert sententiam tenentem diuisibilitatem esse passionem quantitatis, quam probat num.* 5. *tribus etiam rationibus, & tenet* 2. *d.* 2. *q.* 9. *num.* 17. *Aduerte quando dicit substantiam non habere partes, nihil asserere, sed tantùm disputare,* 2. *d.* 12. *q.* 2. *ante solut. argum. habet substantiam entitatiuas continere partes: &* 4. *d.* 44. *q.* 1. *docet alias animas à rationali, habere partes. Vide eum* 4. *d.* 43. *q.* 2. & *q.* 17. *de Prædicamentis, vbi agit de ratione quantitatis.*

2 Posset dici ad quæstionem sic: quòd propria ratio eius est ratio mensuræ: quia sicut qualitas est dispositio substantiæ, ita quantitas est mensura substantiæ. Similiter in prædicamentis, Cap. de Quantitate, oratio est quantitas, mensurat enim syllabas. Item, quod magis quàm diuisibilitas, probatur: quia illa ponuntur distinctæ species quantitatis, quæ sunt distinctæ mensuræ; sicut superficies & locus, & tamen locus & superficies non distinguuntur in ratione diuisibilitatis; ergo hæc est propria ratio quantitatis.

Contrà, ratio Generis inest æquè primò omnibus speciebus, quia æqualiter dicitur de omnibus, ratio mensuræ non: quia non æqualiter de continuis & discretis: sicut patet lib. 10. c. 2. tex. com. 3. & inde, quia magis inest discretis, & continuis, non nisi inquantùm participant quantitatem discretam. Item, si sic, vnitas esset maximè species quantitatis: quia ratio mensuræ verissimè inest Vni ex 10. huius, tex. com. 2. & inde. Item, ratio mensuræ non est ratio quantitatis, dicta de quantitate per se primo modo, quia mensura est dicta denominatiuè, à relatione tertii modi; ergo tantum est ibi, vt in genere est, tunc passio quantitatis: & sic non propria ratio quantitatis, quia ex 10. tex. com. 1. & inde, in quolibet genere, est vnum primum quod est mensura omnium in illo genere, hoc conuenit omni generationi & magis aliis; sicut in genere coloris albedo: in genere saporis dulcedo; ergo non est proprium quantitatis.

3 Respondetur hîc, quòd quædam est mensura mensurans per replicationem, quæ aliquoties sumpta reddit totum, & talis est propria quantitatis. Alia est mensura perfectionis, siue secundùm perfectionem, & illa non sic, quia albedo nunquam reddit nigrum. Similiter nec mensura cognitionis: quia illud quod ducit in cognitionem aliorum in genere, nunquam reddit illa.

Con

Mēsura, alia replicationis, alia perfectionis. Scot. 2. d. 2. q. 2. §. ad secūdam partem.

Contrà: responsio concedit propositum, quia mensura non est essentialis quantitati, nec passio eius, nisi illa per replicationem, quæ non æqualitet conuenit continuis & discretis, quia in discretis est simpliciter minimum reddens, per replicationem totum, in continuis non, ex 1. huius c. 2. quia nihil est minimum nisi punctus, & tale per replicationem non reddit; ergo talis mensura non est propriè quantitatis, cùm non conueniat omnibus speciebus eius, & concedantur hæc argumenta.

Mensura per replicationē, non conuenit æquè quantitati cōtinuæ, & discretæ. Continuum non mensurat nisi per discretum.

Contra illa posset argui, contra primam rationem, videtur quòd continuum habeat rationem propriam mensurandi præter applicationem numeri: quia motus dicitur longus, & tempus longum 4. Physic. cap. de Tempore, text. com. 109. & inde, sed mensuratio secundum longum, non est mensuratio discreta. Dicendum, quòd nullum continuum mensurat, nisi applicando ei mensuram discretam, quia nescitur longitudo temporis, nec viæ, nisi quia tot sunt ibi pedes in spatio, super quod est motus; vnde mensuratio est secundùm replicationem partium aliquoties sumptarum: & ita vt eis applicatur numerus: quæ reddunt totum.

4

Dicendum tunc ad quæstionem, quòd propria ratio est diuisibilitas in partes eiusdem rationis. Vna est opinio quòd substantia corporea habet proprias partes eiusdem rationis extensas in potentia de se, & actu per quantitatem. Alia opinio est, quòd non habet partes eiusdem rationis: sed solùm partes essentiales. Si secunda est vera tunc diuisibilitas est propriè quantitatis in partes eiusdem rationis. Si prima sit vera, tunc oportet addere quòd diuisibilitas in partes extensas in actu, sit propria ratio eius. Tamen prima opinio non videtur vera: quia secundùm illam, ratio quātitatis nec numero, nec discretis competeret: ideò nihil oportet addere, nisi quòd diuisibilitas in partes eiusdem rationis sit eius ratio, auctoritate ad hoc, hîc in 5. vbi ponit propriam rationem quantitatis. Similiter notificat species per diuisibilitatem hîc in 5. & secundùm diuersum modum diuisibilitatis assignat diuersas species quantitatis: illa autem est ratio essentialis secundùm cuius distinctionem distinguuntur species generis. Similiter in Prædicamentis, Cap. de Quantitate. *Quantitas cōtinua est cuius partes copulantur*, &c. *Discreta cuius partes non copulantur*; ergo de ratione vtriusque est habere partes, sed omne habēs partes, est diuisibile. Similiter 3. Physic. t. c. 35. & inde, contra ponentes infinitum, & illud esse substantiam dicit Arist. quòd si sit indiuisibile in magnitudinem, aut multitudinem, aut est magnitudo, aut multitudo: substantia enim non est diuisibilis nisi per alterum istorum.

5

Contrà: auctoritates probant quòd diuisibilitas est proprium quantitatis, sed non quod sit de essentia eius, quia diuisibilitas est respectus: respectus non est de essentia absoluti. Item, potentia & actus sunt eiusdem generis, & diuidunt omne ens, & eiusdem essentiæ: sed diuidi non est de essentia quantitatis: quia si sic: omnis quantitas esset actu diuisa; ergo nec potentia ad diuidi est de eius essentia.

EXTRA.

Item, ista ratio videtur concludere contra te: quot enim actus, tot potentia 3. Physic. text. com. 10. posse sanari, &c. *ergo si in quanto sint potentia ad infinitas diuisiones; videtur quòd sint in ipso infinitæ diuisibilitates, sed prima passio est vna vnius.*

Item diuidi non stat cum continuo: ergo non est de eius essentia, quia continuum secundùm quòd continuum, nōn est diuisum: quia da quòd sic: tunc non est continuum, non sequitur vltra; ergo nec potentia: quia etiam de esse potentiæ non est ipsum diuidi, quod est terminus eius.

Diuisibilitatem esse passionem quantitatis.

Concedo tunc, quòd diuisibilitas est prima passio quantitatis & non de essentia eius; vnde sicut hæc est per se secundo modo; *color est visibilis*, sic hæc, *quantitas est diuisibilis*. Vnde sicut diuisibilitas. est respectus quidam in colore per comparationem ad visum: sic diuisibilitas fundatur in quantitate, & dicit habitudinem ad diuisionem: & cuicunque inest diuisibilitas in partes eiusdem rationis, hoc est per quantitatem: tunc hæc est per se secundo modo, *quantitas est diuisibilis*, sicut hæc, *color est visibilis* 2. de Anima; text. com. 66. Vnde omnes auctoritates probant quòd quantitas est diuisibilis per se secundo modo: vnde quantitas notificatur hîc per proximam passionem eius, & non diffinitur: & similiter diuisibilitas est passio cuiuscunque speciei quantitatis, licèt non primò, sed generis primò, & specierum per se non primò.

EXTRA.

Diuisibilitatem sequuntur finitum & infinitum, quia finitum presupponit aliquid quod debet finiri, illud necessariò preintelligitur diuisibile: finitum & infinitum, consequuntur æquale & inæquale, deinde ratio mensure, Hic videtur ordo istarum passionum quantitatis; prima duo sunt quantitatis in se: alia duo sunt per respectum ad aliud: illorum etiam æquale & inæquale pracedit mensuram: quia enim æquale vel inæquale, ideò mensurat, non èconuerso. Prima habetur hîc, & in 3. Physicor. Secunda 1. & 3. Physicor. Tertia in Predicamentis. Quarta 10. *huius* 1. *&* 2. *nunquid omnes propriè & equaliter insunt quantitati, vel non: sed vt species.*

Text. c. 35. Text. c. 15. Text. c. 36. Text. c. 2. & inde.

SCHOLIVM II.

Solvit *argumenta sustinendo diuisibilitatem esse propriam passionem materiæ, de eo quod dicit ad primum non omnem differentiam formalem esse specificam, Vide eum 2. dist. 3. quæst. 7. ad 3. benè tamen èontra verum est. Ad secundum tangit an diuidens continuum, aliquid generat; de quo agit 1. dist. 2. quæst. 9. numero 27. Explicat benè quomodo numerus minor est, & non est pars maioris. Adducit exquisitam doctrinam de natura, & vnitate, & distinctione numeri, de quo vide ipsum 1. distinct. 24. vbi tenet numerum habere vnitatem formalem, respectu cuius, cæteræ vnitatē: sunt materiales. Idem habet 3. distinct. 21. num. 18. Vide quæ dicta sunt de natura* vnius *&* vnitatis, *sup. quæst. 4.*

6

Ad primum argumentum dicitur, quòd hæc quantitas & illa, differunt per accidens, quia per subiecta. Contra hoc, de illis substantiis quæ recipiunt illas partes: quæro quomodo differunt substantia, si per se & non specie; ergo aliqua differentia essentialis est, & tamen non specifica, quod est contra aliquos: si per quantitatis partes in ipsis; ergo circulus, & si non detur hoc quod per subiectum: & tamen per accidens, & illud per aliud: tunc differunt per aliquid aliud: & illud per aliud A, vel B, & sequitur vnum dictorum duorum,

duorum, vel ibis in infinitum. Item, ratio stat quòd si partes diuisæ differunt per accidens, totum fuit diuisibile per accidens, quia quomodo partes diuisæ differunt per accidens, eo modo est totum diuisibile in suas partes,& èconuerso.

Extra. Non omnis differentia formalis est specifica. Scot. 2. d. 3. q. 7. ad 3. In senario nõ sunt duo ternarij actu.

Contrà: quantitas est diuisibilis per absolutum aliud à se, per te; ergo partes quantitatis per alia absoluta à se differunt: si regula per quam arguis sit bona.

Tunc dico, quòd quantitatis partes differunt seipsis formaliter, ita quòd partes quantitatis sunt proxima fundamenta:& tamen non specificè: illi etiam quibus principium est, quòd omnis differentia formalis, est specifica, coacti à veritate excipiunt quantitatem ab hac regula. Ad secundum dico: quòd minor est falsa,non essentialiter &c. Ad probationem, quod maior falsa est,scilicet discretum est actu diuisum,sed vtrumque diuisum in potentia. Ad probationem, quòd non sunt ibi actu duo ternarij, sed in potentia, quia diuersi numeri sunt diuersæ species specialissimæ, constitutæ per differentias oppositas sub suo genere: talium impossibile est vnam esse alterius partem, sicut nec in aliis speciebus èconuerso diuisis,eiusdem generis.

Diuidens cõtinuum an generat? Scot. 2. d. 2. q. 9. num. 17.

Contrà: tunc diuidens, qui tantùm videtur corrumpens, generabit, quia facit diuisa esse in actu post potentiam. Respondeo, soluit prohibens, vnde non est pars quanti in toto, in tali potentia, in quali est aliquid ante generationem, scilicet essentiali,sed tantum accidentali,quia,scilicet pars non est distincta nec sub actu proprio propter vnitatem totius. Solue hoc prohibens,fit pars in actu per diuisionem:non tamen est generatio nisi secundùm quid. Ad auctoritates: quòd in omni numero nullus numerus potest esse pars materialis: tamen vnitates in minori numero,sunt partes materiales in maiori numero: tunc duæ vnitates sunt partes materiales ternarij, quia vnitas non est species quantitatis, sed tantum in genere, vt principium fortè potentiale, vt materia in genere Substantiæ. Tunc glossatur dictum Philosophi, quòd duo, id est, duæ vnitates sunt partes ternarij aliqualiter,quia partes quantitatiuæ non aliquotæ. Similiter non dicit Philosophus quòd binarius est pars ternarij, sed tantùm duo trium,duo denominant duas vnitates;est ergo illud verum sicut istud; *duo albi currunt.*

Quomodo duo, partes ternarij

7 Ad aliam auctoritatem, quòd sicut ad habendum partes diuisibiles in substantia,oportet quòd sint diuersæ secundùm substantiam,sic ad habendum partes quantitatiuas diuisibiles, sufficit habere partem maiorem & minorem: & sic se habent duæ vnitates & tres vnitates. Ad tertium Euclidis, omnis numerus minor, id est, omnes vnitates in minori numero, sunt partes in maiori, talis expositio sufficit intentioni, quia omnia quæ probant de numeris, adeò vera sunt, illâ glossâ datâ, sicut si formaliter numerus esset pars numeri.

Quomodo quinarius nõ est senarius?

Contra istud, si numerus non sit actu diuisus: est actu vnus;ergo aliqua vnitate, quæ est principium numeri, quæ videntur opposita: similiter sequitur quòd numerus quinarius sit senarius: Probatur vtraque consequentia, quia vnum aliqua vnitate vnum, nullo alio, nisi vnitate de genere Quantitatis. Probatur per hoc, quod supra determinatum est secundùm Auicennam, tunc numerus est vnus vnitate, qui est principium numeri, quod est primum inconueniens, quia oppositum de opposito; & est vnus vnitate alia à suis partibus; & ita est maior seipso per illam vnam vnitatem. Item, omne accidens vnum, est in aliquo subiecto vno, numerus non; ergo &c. Item, hîc in litera, numerus est essentialiter multitudo: sed multitudo secundùm quòd multitudo, non est vnum, Auic. 7. Metaph. ergo nec numerus. Ad primum, quòd numerus est vnum aliqua vnitate, sed hoc, vltima vnitate. Sed omnes aliæ sunt partes materiales: vltima completiua & formalis omnium. Contra Philosoph. 5, cap. de Toto, text. comment. 31. in quibuscunque potentia non facit differentiam in substantia rei, neque in figura: ibi dicitur omnis, non totus, vt in liquidis, & numeris; ergo si prima vnitas fiat vltima, & vltima prima, nulla fiet differentia in substantia numeri, quod non staret si vltima vnitas est forma completiua & specifica numeri, à quo habet vnitatem, quia tunc illa transposita fieret alia forma, & ita alius numerus, quod non solum est contra Aristotelem sed impossibile aliũde, quod fiat aliud & aliud absolutum per solã mutationẽ relationis, scilicet ordinis in partibus hominis; nõ est simile, vbi non est mutatio ordinis sine mutatione alicuius absoluti in partibus, non sic hîc. Item, omnes vnitates constituentes numerum possunt esse æquè primæ, naturâ & tempore: sicut si multa indiuidua eiusdem speciei simul causarentur: quomodo est ergo vna vltima illarum: si quia vltimò accipitur à numerante, possum incipere èconuerso, & illa est prima. Item impossibile est quinarium secundùm quod tale, esse partem senarij; vnde nihil quod est proprium formale quinarij, existit in senario; vel da quòd sic, tunc quinarius esset in actu in senario, & tamen in senario non est vnitas quinta quinarij; ergo illa non potest esse forma quinarij: vel da quòd sic, cùm vnitas quinta sit in senario, sequitur quòd quinarius sit in actu in senario. Item, forma est in materia, alioquin non fieret vnum per se ex eis, si tantùm sit iuxtapositio ipsarum, vltima vnitas non est in aliis; ergo &c.

Quomodo numerus est multitudo, & vnus?

Qua forma numerus est vnus? innominata.

Concedo hæc argumenta. Tunc ad primum argumentum, quòd numerus est vnus, formâ suâ specificâ, à qua est propria discretio existens in quinque vnitatibus, vt vna materia: sicut homo à forma sua specifica, est vnus. Et quæ est hæc forma? Dico, quòd forma secundùm quam indiuisibilitas inest ei, sed illa forma non est nominata.

8 Quinarius an vnus aliqua vnitate ex quinque, vel alia quæ sit principiũ numeri? Scot. 1. d. 24.

Contrà; adhuc stat argumentum. Omne vnum est vnitate vnum: sed nullum est vnum, nisi de genere Quantitatis, si vnitas talis est principium numeri: sed illa non est aliqua vnitas de quinque; ergo alia: si verò hoc: tunc illa cum quinque aliis, faciet senarium: & ita sequitur quòd quinque sunt sex. Dico, quòd est vnus vnitate de genere Quantitatis, & non vnitate aliqua de quinque, & sic erunt tunc sex. Dico quòd sicut vnitas hominis est passio hominis consequens eius essentiam, sic vnitas quinarij sequitur quinarium, sicut passio: & est vnus formaliter per illam vnitatẽ: quia in omnibus vnitatibus, vt in materia est vna forma, quam consequitur vnitas, quæ est passio quinarij, quæ non ponit in numerum cum quinque materialibus, quia non est pars materialis, sed passio totius compositi, vnde numerus est vnus prædicatione denominatiua: & tunc illa vnitas

vnitas, quæ est passio quinarij, consequens ipsum existentem in actu per formam suam specificam, quæ non est aliqua vnitas materialis, sed forma innominata, aliquando fundatur super naturam rerum, aliquando super supposita. Vnde quinarius & senarius sunt duo numeri numero, sicut Petrus, & Paulus duo homines; ad hoc enim quòd esset senarius oporteret quòd haberet sex vnitates, tanquam partes materiales; illa enim formalis in quinario non ponit in numerum. Ad aliud, quòd verum est; vnde decem equi sunt subiectum denarij, sed non oportet accidens diuisibile esse in subiecto indiuisibili. Ad Auicennam dico quòd multitudo secundùm se non est vnum primo modo prædicandi: quin tamen sit vnum denominatiua prædicatione, non negat: immò sicut homo est vnus vnitate de genere Quantitatis, denominatiua prædicatione, sic multitudo & etiam numerus.

Quinarius & senarius an duo numeri numero?

Multitudo quomodo vnum?

Contrà: videtur quòd vnitas principium numeri, sit forma huius numeri: quia non das aliud vnum, & videntur sequi tria inconuenientia. Primum est, quòd senarius & quinarius tantum sunt duo numeri numero: quia vterque est vnus numero. Secundum, quòd tantùm sunt duo singulares numeri, & non duæ species: quia 5. huius q. 13. t. c. 14. *Nihil differt nobis vnum numero, aut singulare debere.* Tertium, si quinarius & senarius sunt duo numero, ille binarius numerus erit tertius ab eis numero, c. & illud, quartum tribus præcedentibus: & sic in infinitum non solum de numeris pluralibus, immò pone tantùm duos numeros actu: & concedes infinitos numeros nunc esse: quia sicut A, & B, numeri, duo numero, ita dualitas C, alia est ab A, & B: ergo ternarius D, numerus illorum trium numerorum A, B, C: & sic in infinitum omnia numerata, sequitur nunc esse actu; ergo & numeros omnes.

Arguitur duos numeros actu facere infinitos.

9

Confirmatur, quia omnium quantorum actu existentium, & realiter diuersorum, est aliquis numerus in actu: C & A sunt huiusmodi; ergo &c. Ista ratio probat nunc actu esse infinitos numeros diuersæ speciei, sicut patet: similiter eiusdem speciei, sicut patet, quia A & C sunt duo vna D dualitate, & B, & C alia dualitate. Item A & C similiter A & D: similiter D & C & sic in infinitum. Ad hæc tria inconuenientia. Ad duo prima, patet in prima quæstione quarti libri. Ad tertium, sicut si omnia corpora vniuersi essent continua inuicem, nullum esset corpus in actu, nisi vnum; ita quòd omne vnum discretum est ab omni vno discreto: ideò non est nisi vna discretio in actu, nec possunt esse plures numeri in actu, sed tantum ille est qui continet omnes vnitates, & in ipso est quilibet minor in potentia. Contrà: alius est denarius decem hominum, & decem canum 4. Phys. t. c. 134. Respondeo, sicut si illius continui partes differrent specie, esset dare maximam aquam, vel maximum aërem; & ita de aliis partibus: nullum autem corpus maximum in actu, nisi vnum quod continet omnes istas partes: sic est dare maximum numerum canum, & maximum hominum: nullum autem in actu simpliciter, nisi simpliciter maximum omnes vnitates continentem.

In numero maiori sunt minores in potentia tantum.

Contrà: modò dicuntur duæ domus, vel tres &c. ergo binarius est ibi actu. Respondeo, sicut continuum dicitur tricubitum: non quia tunc diuisum in tres partes cubitales, nec aliqua quantitas cubitalis est ibi actu, sed in potentia: quia nunc tantùm est quòd posset diuidi in tot partes tantas, sic lapides dicuntur duo: quia tanta pars numeri, quæ est actu omnium entium, est in illis lapidibus: quanta si per se esset extra totum, esset dualitas.

An vnus sit numerus omnium entiū?

Continuum tricubitū, an actu habet tres cubitales partes?

SCHOLIVM III.

ARGVIT *quadrupliciter contra solutionem tertij, quod intendebat infinitatem numerorum, si dentur duo simul actu: & soluit exactissimè sustinendo tantùm esse vnum numerum actu, & plures tantùm in potentia.*

10

Contra totam hanc viam ad tertium &c. videtur ponere omnem numerum esse simpliciter indiuisibilem; & ita vt videtur non quantum: prima consequentia patet: si enim aliquis est diuisibilis, possibile est esse duos, & stat argumentum. Videtur etiã ponere quòd Deus non posset facere duos numeros esse actu, quare hoc, cùm quælibet species sit factibilis in actu, & vnam esse cum alia non includat contradictionem? Tertiò, accipiatur maximus numerus qui datur, esse in actu, ille est vnus, & nulla vnitate quæ sit pars eius; ergo alia; ergo connumerando illam cum vnitatibus materialibus, habetur maior numerus, & in actu: & ita duo numeri, & in actu. Quartò, pars quanti in toto non est in potentia, sicut generabile, immò totam entitatem suam habet, licèt non separatim; ergo quot vnitates essent in partibus diuisis, tot etiam modò licèt non separentur. Ad primum, indiuisibile, hoc est impossibile diuidi, concedatur, nec sequitur vltra; ergo non quantum, quia quantum est aptum natum diuidi inquantum quantum: non autem impossibile: alioquin cœlum non esset quantum. Secundum concedatur, quia contradictio est duas esse discretiones, sicut aliqua vna non discreta ab aliis vnis: & si discreta ab illis; ergo cum eis faciunt vnum numerum. Ad tertium, impossibile est vnitatem informantem connumerari cum materialibus, nisi in imaginatione, in qua vadunt numeri in infinitum. Ad quartum, concedo quòd entitas omnium vnitatum est quæ esset facta diuisione, sed nunc ex vnitatibus, nullus numerus est in actu, nisi ex omnibus: ita quòd hæc & illa non faciunt vnitatem binarij, sed vna præcisè distincta à se inuicem, ita quòd à nullis aliis: vnde nec sic est binarius, in trinario, sicut pars lineæ in linea.

Numerus an indiuisibilis? An duo numeri actu sint possibiles?

Vnitas formalis numeri, non vadit in numerum.

11

Contrà: si numerus vnus, & partes non sunt in actu, hæc est falsa simpliciter: *bis tria sunt sex:* cuius oppositum videtur, quia est vera in sensu composito secundùm Philosophum 1. Elenchorum Cap. 2. Item *bis tria* est ductus numeri in numerum, & qualitas numeri, sed qualitas prædicatur de subiecto. Dicitur, quòd hæc est falsa, *bis tria sunt sex.* Et accipitur hæc authoritas quia sex sunt semel sex. Potest tamen concedi propositio, quòd bis tria sunt sex. Et ad Philosophum, non negat Philosophus, nisi quod ductus ternarij non est essentia senarij, sed est qualitas. Ad aliud accipiendo sic, quòd bis tria non sunt senarius, sed quæ habent bis tres vnitates, habent senarium, & est denominatiua prædicatio.

Text. com. 19. huius.

An hæc sit falsa, bis tria sunt sex.

Ad aliud principale, quòd potentia quæ est tantùm potentia ante actũ, quando illa est propria alicuius actus, non potest esse actus, manente illa potentia, quia si subiectum determinaret sibi poten

potentiam ante actum, actus non potest stare, quia corruptibile determinat sibi potentiam ad corruptionem ante actum: actus destruit & subiectum & potentiam. Similiter Philosophus 3.Phys.cap.de Motu,text.com.11. ædificabile est aliquis proprius actus, non domus, sed ædificari: & nunquam ædificabile habet domum pro actu, quia non est actu sub domo, vt ædificabile. Similiter quia continuum determinat potentiam diuisionis ante actum, ideò diuidi non stat cum continuo. Per idem dicitur de vnitate, nec est simile de risibili & ridere, quia non est determinata potentia ante actum. Contrà: cuius est potentia, eius est actus, aliàs potentia esset ad impossibile; vnde videtur contradictionem includere quòd aliqua potentia præcisè ante actum sit propria alicui subiecto, vel necessariò sibi inhærens, quia tunc actus possibilis & impossibilis inesset.

Quare risibilis stat cum risione, & diuisibile non cū diuisione.

SCHOLIVM IV.

OCCASIONE *argumenti quinti docet optimè minimum naturale non dari quod sit indiuisibile, refutans quorundam distinctionem, asserentium quantum, quà tale, esse in infinitum diuisibile, sed non secundùm quòd naturale. Refutat etiam tenentes dari minimum per se existens, licèt non detur in toto. De vtroque videri potest.2.d.2.q.9.* §. Ad ista argumenta, *num.15.&* §. Secunda responsio, *num. 19. vbi fusè ita tractat; de quibus etiam agit 6. Physic. quæst.10. sed per hæc non negat, quin viuentia habeant maximum, & minimum, ita quòd ipsorum forma non possint sub maiori maximo, vel minori minimo conseruari; imò id asserit d.quæst.*§. Ad aliud de secundo, *num.31. cum Phil.2. de An. text. 41. de quo etiam videri potest 1.Phys.quæst.13.& 14.& Conimbr.1.Phys. cap.4. quæst. 1. Aduerte ex iis quæ habet in fine solutionis huius argumenti, constare prius eū scripsisse Physicam, quam Metaphysicam, quæ tamen, teste Mauritio, hîc minus frequens fuit: creditur autem esse illa, quæ per Patrem Pitigianis in publicum data est, adiunctis doctissimis annotationibus.*

12 *Minimum naturale, æquè diuisibile, ac maximum.*

Contrà, per illam rationem non magis minimum, quàm maximum est indiuisibile, quia maximum non est diuisibile secundùm se, nisi inquantùm quantum. Si ergo ita verà quantitas est in minimo, sicut in maximo, ita verè est minimum naturale diuisibile, sicut maximum. Item, quandoque aliquid impossibile est inesse alicui secundùm aliquam conditionem eius, & secundùm aliam tantùm natum est sibi inesse: si insit secundùm illam conditionem, secundùm quam natum est inesse, simpliciter inest: sed diuisio inest minimo secundùm quantitatem; ex quo ergo est formaliter quantum, simpliciter est diuisibile. Posset dici ad primum; quòd in quanto illo aliquando coniungitur aliquid impediens diuisionem, sicut in minimo, in maiori non: quia facta diuisione in maiori, manent partes in specie, quæ priùs, non sic in minimo.

Impediens consequens impedit antecedens.

Contrà, aut illud impedimentum coniunctum repugnat simpliciter diuisibilitati, & tunc repugnat quanto, & ita minimum non est quantum; si non, sed stat cum diuisibilitate, & potentia non est ad impossibile, ergo possibile est actu aliquando inesse; ergo minimum potest diuidi. Item, quòd formæ naturali, vt carnis non repugnat esse sub quacūque modica quantitate etiam sub puncto. Probatio, aliquod corpus naturale, non circulare, est finitum; ergo aliqua superficies non circularis, est in actu, & non infinita; ergo terminata linea: & linea hîc terminatur puncto; ergo aliquis punctus in naturalibus est in actu; sed punctus est de genere Quantitatis; ergo determinat sibi aliquod subiectum: non materiam primam, ergo est in substantia composita; ergo aliqua caro in composito est sub puncto. Et ad hoc volunt aduersarij dicere, quòd licèt sit accipere minimum quod per se potest esse, tamen in toto non est accipere minimam partem: quia non est dare aliquam minimam partem in calefactibili, quæ primò calefiat: sicut nec in motu est dare primam partem 6. Physic. text. comment. 52. & circiter, & similiter pars mobilis in infinitum mouetur pars ante partem, ita quòd non est prima pars: & tamen illa minima pars, quæ est in toto, si sit diuisa, non manet, quia corrumpitur in continens. Contrà, quòd non repugnat sibi per se, quia si alteratio diuidatur secundùm diuisioné mobilis cùm in toto sit accipere partem minorem, & minorem in infinitum: ergo non repugnat formæ in toto perficere quancunque modicam partem.

13

Quod etiā dicūt, quòd minimū est indiuisibile, quia partes diuisæ non manēt post diuisionem: illud nihil est: quia licèt non possent manere post diuisionem, non minùs dicetur totum diuisibile, ex quo quantum est. Et ad Philos. 1. Physicor. t.c.36. quòd ipse loquitur de minimo contra Anaxagoram, & ipse imponit sibi quòd concessit quodlibet esse in quodlibet: & hoc quia ex quolibet potest generari quolibet. Contra dicit Phil. quòd veniam ad aliquod minimum ex quo minori nō potest quodlibet generari: quia illud minimum non potest sustinere actionem cuiuscunque agētis naturalis: quod tamen est contra Anaxagoram, qui ponit quodlibet generari ex quolibet in infinitum. Item, ex minimo à quæ potest generari ignis in centuplo plus: accipiatur tunc medietas ignis, ex illo fieri potest aliquid terræ, sed minus quàm sit illud ex quo generabitur totus ignis, accipiendo proportionem ècontrario, si tunc esset minimum esset minus minimo. Item, si est dare minimum quod potest per se esse; ergo est dare aliquid quod primò inducitur de calore per alterationem: ita quòd primum totum simul: alioquin si aliquid eius, & non totum, illud aliud est minus minimo, & hoc minus per se existens, quod nondum est in toto, quia nihil præter illud inductum est. Item, est dare minimam partem motus, & partem temporis, quia naturalia sunt: & tunc sequuntur duo inconuenientia. Primum contra Arist.6. Physicor. cap.4. & 5. text. com.52. & circiter, *Ante omne moueri præcedit mutatum esse*, & èconttario. Secundum, quia accipiam motum factum in tempore habentem septem partes minimas, accipiam mobile duplo velocius: illud pertransibile æquale in medio tempore; ergo in tribus partibus minimis, & dimidia minimè; & ita minimum erit diuisum; sic arguit Philosophus 6. Physicorum, cap. 1. de instanti, text. comment. 23. & 10. & inde.

2.d.2.q.9. num.30.

Nō dari minimū per se, nec in toto.

Scot.2.d.2. q.9. n.31.

Hîc diceretur: quòd quia omnis pars motus est pars in toto, & sic de tempore, & ideò non est dare minimum, est tamen dare minimum motum, qui posset per se esse, & non in toto. Contrà: quælibet pars potest per se esse, quæ tūc est quādo nihil

nihil sui totius est, nisi ipsum; subiectum videtur includere prædicatum: tale est quælibet pars motus, & temporis, etiam illa quam tu ponis in toto: alioquin essent successiuè multæ partes simul; ergo quælibet pars motus & temporis, potens per se esse in toto, potest per se esse. Si ergo non est dare partem minimam in toto, nec per se existentem.

Nō dari primam partem motus.

Item, cùm mouens prius causet partē priorem motus, quàm posteriorem: quare non potest in medio cessare, & erit prior pars per se existens, ita quòd in nullo toto: sic arguam de omni parte motus quam dederis in toto: quia omnem illam causat ante posteriorem. Item, quando fit motus à calido in frigidum, priùs deuenitur ad minimum calidum, si est dare, quàm totus calor abiiciatur, quia semper dum calidum remittitur, gradus remissus relictus per se, est extra totum, tandem veniam ad minimum sub illo, necessariò est mobile tantum per instans: quia si per duo; ergo quiesceret, & immediatè post illud instans calidum non est; ergo & corruptio istius gradus, non successiuè; patet, quia tunc relinqueretur per se existens aliquid minus minimo; ergo subita, & ita in instanti, & ita instans immediatum instanti.

14

Hîc est responsio de corruptione illius minimi, cuius datur vltimum in esse, sicut de corruptione nunc: quia neutrum aliquando primo non est. Contrà: simul est corruptio illius minimi calidi, & inductio alicuius gradus frigidi: si ergo in illo mobili, nunquam calidum primò non est, nunquam frigidum ibi primò est, vel ille gradus frigidi: & sic in infinitum pars illius est ante partem; ergo non habet minimum. Nota, si ponatur nihil frigidi induci antequam totum calidum corrumpatur secundùm opinionem fortè Arcellini, tunc necessariò concluditur quòd non est dare minimum frigidum generandum, si detur minimum calidum corrumpendum; & similiter ècontrario argueretur: & tunc istud argumentum redit in idem cum primo argumentorum suprà: quia illa duo minima, secundùm Arcellinum, erunt sibi immediata, & sub neutro ponit mobile esse, nisi per instans, si continuè mouetur à calido ad perfectum frigidum, alioquin simul moueretur & quiesceret. Si autem, contra Arcellinum, ponatur à principio in remissione calidi esse inductionem frigidi: tunc argumentum non ita cogit: quia nunquam primò calidum non est, nec vnquam primò ille gradus frigidi est, qui immediatè inducitur post minimum calidum: quia iam frigidum præfuit, & ille gradus iam non est; ideò non habet minimum. Contrà: remissio calidi si incipit ab immutatione, nec habet aliquid primum, tunc nec inductio prima frigidi, & stat argumentum. Si autem est aliqua prima mutatio, per quam aliquis gradus prius frigidi inducitur: tunc est prima mutatio per quam aliquid calidi remittitur: & ita non est dare vltimum calidi in esse quieto, quod videtur inconueniens & contra Aristot. 6. Physic. De ista materia quære in tabula Physic. 5. lib. & in quæstionibus 5. Physic.

Quomodo incipit & desinit intensio, & remissio? 2. d. 2. q. 9. §. est ergo ille, num. 31.

SCHOLIVM V.

AD *vltimum resoluit, locum, non esse de genere Quantitatis, & concordat Aristotelis loca circa hoc apparenter contraria. De ratione loci, in quo consistit, latè tradit 2. dist. 2. q. 6. §.* Ad quæst. *disputat exactissimè an motus, & tempus sint quanta per se, vel tantùm per accidens, & resoluit diuidi ad diuisionem magnitudinis, sed quoad vnitatem non dependent ab ea. Tenendum, motum reduci ad Prædicamentum sui termini, & colligitur ex ipso 4. d. 12. q. 4. & d. 23. q. 1. §.* Aliter potest, *num. 15. de quo Faber. Theorem. 45. Tempus à motu non distingui realiter tenet dubitatiuè 2. d. 2. q. 2. n. 8. & assertiuè 4. dist. 48. q. 2. §.* Ad quæst. *& 4. Phys. q. 15. Vide ipsum de motu, q. 7. de An. & ibi nostrum Commentarium. De loco, tempore, & motu, quòd non sint species Qu ant itatis latè disputat Suar. in Met. 40. sect. 7. & 8. pro meliori intelligentia eorum, quæ hac quæstione tanguntur videatur Doctor hic in expositione textus 18. & Alensis ibidem.*

15 *Locus an diuisibilis?*

Ad aliud, quòd locus non est in genere Quantitatis; & ideò non diuiditur nisi ad diuisionem superficiei: & sic diuiditur per accidens: immò punctus potest locari, & quæ Philosophus dicit in Prædicamentis de loco non sunt vera, nec loquitur secundùm intentionem propriam, sed famosè secundùm opinionem aliorum, secundùm Auicen. quia dicit ibi quòd locus est continuus: & in 4. Physic. dicit quòd non: vbi veritatem determinat. De motu & tempore, dicitur quòd sūt quanta per accidens: quia 5. huius text. com. 18. per aliud, quia motus per magnitudinem, & tempus per motum.

Motus & tēpus an quāta?

Contrà: illud quod habet proprias partes eiusdem rationis, distinctas à partibus alterius, habet propriam diuisibilitatem aliam secundum essentiam, à diuisibilitate alterius: sed motus habet huiusmodi partes per se, & tempus similiter: ergo &c. Probatio minoris: partes per se temporis, & motus sunt partes, quæ non possunt simul esse, partes magnitudinis in omni instanti simul sunt: ergo diuisibilitas hæc, & illa, non est eadem, & partes motus & temporis sunt prius & posterius, & aliæ simul.

Item, de proprietate Quantitatis patet idem: quia propria passio eius est maius & minus: quod ergo habet proprium maius & minus, aliud à maiori & minori alterius, habet propriam diuisibilitatem: motus est huiusmodi, respectu magnitudinis: ergo &c. Probatio minoris magnitudine existente tanta, potest motus esse maior quando transit mobile tardum: & minor, quando mobile velox. Item, continuum est cuius partes copulantur ad aliquem terminum communem: cuius ergo partes copulantur ad alium terminum, habet aliam continuitatem: sed ad aliud indiuisibile copulantur partes motus & magnitudinis: quia partes motus ad aliquod *mutatum esse*, partes magnitudinis ad punctum: ergo magnitudo non est continuitas motus, sed habet aliam. Item, contra causam eorum: quòd quia quanta sunt per aliud: ideò &c. Quòd antecedens sit falsum: & quòd consequentia non valet: primum patet, motus est continuus. Quæro aut à continuitate mobilis, aut à continuitate magnitudinis? Non primo modo, dicit Philosoph. planè in littera: Nec à continuitate eius secundùm quòd est motus in eo, quia ipse 5. Physic. c. 3. t. c. 23. diffiniens continuè moueri, cui nihil deest rei, aut parum, vt in chordis citharæ, dicit contrarium: similiter graue existens sursum mouetur continuè ad terram, si essent decem media conti

contigua: sicut si continua; ergo non est continuitas motus à magnitudine super quam. Item, quòd continuitas in motu, non sit à continuitate eius, secundùm quòd à magnitudine, quia tunc in alteratione non esset continuitas; quia albedo secundùm quam est motus, non est diuisibilis, nisi per accidens. Quòd consequentia non valet: musca est musca, & substantia ab alio; ergo non est in genere Substantiæ, non valet, quia est effectiuè ab alio substantia, & formaliter substantia secundùm se: similiter hic motus est effectiuè quantus à magnitudine, & formaliter de se.

16 *Motus est formaliter quantus.*

Concedo ergo quòd formaliter sunt quanta à seipsis. Concedo conclusiones trium primarum rationum, scilicet quòd motus formaliter est quantus, non quantitate magnitudinis.

Duo requiruntur ad continuum; infinita diuisibilitas, & partium copulatio.

Ad aliud contra causam concedo quòd consequentia non valet. Sed propter Phil. hîc oportet saluare antecedens, cùm primo arguitur contra antecedens. Respondeo, quòd de ratione continui sunt duo: vnum diuidi in semper diuisibilia: & aliud est quòd habet vnitatem ex hoc, quòd partes eius copulantur ad terminum communem. Quoad primum, potest concedi quòd motus cõsequitur magnitudinem: ita quòd motus diuiditur ad diuisionem magnitudinis, & tempus ad diuisionem motus, quoad vnitatem non: quia non requiritur tanta vnitas in magnitudine, sicut in motu, quia motus potest esse continuus & vnus, etsi magnitudo non fuerit continua. Ad aliud de alteratione: quòd si verum concludat, ibi non est. Contra, ex quo competit motui primo. s. locali, potest simpliciter cõcedi, quòd diuisibilitas motus est ab eo, secundũ quòd. s. à magnitudine. Contra primam responsionem, quòd diuisibilitas motus nõ sit ab eo secũdũ quòd à magnitudine; probatur: Accipio magnitudinem circularem ipsa existente vna, potest super eam motus fieri frequenter, ita quòd si diuidatur ille motus, nunquam vna pars motus est eadem alteri: & tamen non est diuidere magnitudinem, ita frequenter, quin aliquando aliqua pars sumpta, est eadem parti prius assumptæ. Dicitur hîc; quòd dictum habet veritatem de quolibet vno motu; nunc autem motus frequenter replicatus super eandem magnitudinem circularem, non est simpliciter vnus; immò quilibet vnus motus, simpliciter, diuiditur, sicut magnitudo.

Minor vnitas in magnitudine, quàm in motu.

ANNOTAT. MAVRITII.

17

SEquitur quæstio nona de ratione quantitatis quiditatiua. t. c. 18. in qua recitat primò duas opiniones antiquorum de ratione quantitatis. prima quòd est ratio mensuræ. Secunda quòd diuisibilitas. Quære Alber. & Alex. & alios hîc, & in prædicamentis. & Thom. maximè in primo di. 17. & 19. sed vtramque impugnat: & vltimò ponit modũ dicendi suum vbi tota sententia eius est satis clara. Ratio enim essentialis quantitatis, non quidem diffinitiua, quia illam non habet, sed conceptus eius quiditatiuus, maximè circumloqui potest per eius passionem primam, cuius est diuisibilitas: & sic loquitur Philosophus hîc, assignando talem qualem eius rationem, vt 2. d. 2. q. 9. & 3. di. eiusdem q. 4. habet iste: assignatur autem in impugnatione 2. opin. vnum paruum *Extra* ibi: *Item ista ratio videtur concludere*, &c. vsque ibi, *Item diuidi non fiat*, &c. & aliud infra ibi: *Diuisibilitatem sequuntur finitum & infinitum*, &c. vsque ibi, *Ad primum argumentum*, &c. sed tota littera notabilis est; ideò legatur, & plura addantur benè ponderando.

Posset adduci hîc discordia in dictis huius: nam in Prædicamentis, cap. de Quantitate tenet illam opinionem de diuisibilitate, quam hîc impugnat, immò quod ista sit vera, & in primo modo: *quantum est diuisibile, & quantitas est diuisibilitas*: videtur ibi asserere; hîc autem oppositum sentit. Ad quod faciliter dicatur, quòd loquitur ibi famosè, hîc autem ex intentione. Considerare enim rationes reales decem Generum non pertinet ad Logicum, nisi per accidens: ad Metaphysicum autem per se; vnde ad hoc vt intentio generalissimi, quam per se considerat Logicus applicetur quantitati, sufficit quòd dicat aliquẽ vnum conceptum: & quòd habeat aliquam vnam rationem conuertibilem siue quiditatiuam expressam, siue implicitam, circumlocutam per denominationem; seu qualitatiuam rationem. Metaphysicus quoque intimiùs speculando reperitur illud passionale quod Logicus ponit essentiale; quare nulla controuersia, nisi malè intelligentibus & obtusis cerebris.

18

Deinde soluendo argumenta principalia, assignatur vnum paruum *Extra* ibi: *Contra quantitas est diuisibilis* &c. vsque ibi: *Tunc dico* &c. Et aliud infrà ibi: *quia sunt diuersi numeri* &c. vsque illuc: *Contra tunc diuidens*, &c. vel vsque ibi: *Ad auctoritates*, &c. sed est optima littera & valde notanda; & totum sequens in hac quæstione; ideò masticetur minutim.

Aduerte singularissimè ad ea quæ tangit de numeris, & vnitate, & diuisibilitate continui, & minimo naturali, & considera benè solutionem illius replicæ ibi: *Contra cuius est potentia*, &c. vel an velit quòd concludat: & tunc alio modo respondeatur ad argumentum principale; posset enim dici quòd diuisibilitas non dicit potentiam, sed aptitudinem. Vel recurre ad ea quæ habet in 2. dist. 2. quæst. 9. & posset negari illa propositio: *diuidi repugnat*, &c. & ad probationem dicatur consequenter: illa etiam propositio, (*cuius est potentia*, &c. exponatur vt alibi plerumque habet. Distingue etiam de subiecto denominationis, & informationis, seu inhæsionis, vt in Prædicabilibus quæstione finali. Vide etiam in Postprædicamentis, & alibi plerumque specialiter prima Reportationum, dist. 24.

Opiniones etiam quas tangit de minimo, quære in 2. vbi suprà, & super 1. & 6. & 8. Physic. & 1. de Generatione, vbi aduerte quòd ab illo loco; *Item si est dare minimum*, &c. vsque ibi: *Ad aliud quod locus*, &c. assignatur *Extra* in aliquibus originalibus: sed totum lege, quia sapit.

Aduerte quòd magna variatio est in originalibus ibidem de nomine cuiusdam auctoris quem inducit; nam aliqua Anselm. aliqua Arcellinum habent, sed rectè Arcellinus nominatur: & est cognomen Anglicum; & erat Philosophus Sophista, seu calculator: quem etiam in Theorematibus inducit, ne fortè esset ille Alcuinus. De quo in 2. dist. 12. fit mentio.

19

Infrà etiã nota quotationem ex tabulis Physicorum, quas, vt credo, scripsit iste, & quæstiones, seu conclusiones in Physicis, ad quas sæpiùs recurrit in hac Metaphysica & Theorematibus, quę rarò habentur, quas tamen cum tempore Dei auxilio conabimur in publicum conferre.

De

De ſufficientia verò & numero ſpecierum Quantitatis & Qualitatis, & aliorum Generum, videatur apud antiquos, & modernos hîc, & ſuper Prædicamenta:& plura alia ſubtilia,quæ non hîc inſerenda decreui.

In aliquibus originalibus habetur, *Extra* in margine huius quæſtionis vbi fit ſermo de numero, hac litera, quod numerus nihil eſt, videtur quia non maior vnitas eius quàm numeratorum, quæ non eſt niſi aggregatione. Item ſi eſſet poſſet ſeparari ſicut quantitas continua ſeparatur. Itẽ infinitas rerum. Item, ex ſubſtantiis non fit non ſubſtantia,nec ex vnitatibus; ergo quæ ſunt ſubſtantiæ,nec pari ratione ex illis quæ ſunt qualitates,fiet quantitas:nec etiam ex vnitatibus continuorum,quia formæ vnius ſpeciei,non ſequuntur principia materialia alterius. Contrà:numerus eſt per ſe ſenſibile 2. de Anima. Item, ſubiectum ſcientiæ realis, vt Arithmeticæ.Item, fundamentum relationis realis in primo modo, ad aliquid. Item Auguſt.quia ſenarius eſt numerus perfectus &c. Et quia in loco ſuo non inſeruimus hæc verba,hîc ea notanda & extendenda atque declaranda lector habebit:nam vt prius notaui de diffinitionis cognitione eſt numerus vt patet.

Hæc autem vt motus & tempus;etenim huiuſmodi quanta quædam dicuntur & continua, eo quòd illa diuiſibilia ſunt, quorum ſunt hæ paſſiones. Dico autem non quod mouetur, ſed quod motum eſt:nam per eſſe quantum illud:& motus eſt quantus: tempus verò per ipſum, ſcilicet motum, *Text. com*,18.

QVÆSTIO X.

Vtrùm quantitas quâ motus eſt quantus, ſit tempus?

Ariſt.4 *Phyſ.tex*.95.*&* 96.Simpl. *ibid*.Capriol.*in* 2.*di*.2. *q*.2.Peter.*lib*.12. *c*.1.Albert.de Saxon.4. *Phyſ.quaſt*.14. Iauell.*ibid.q*.10. Fonſ.*hic c*.13 *q*.10. *ſect*.2. Conimb.3. *Phyſ. c*.2.*q*.2. *&* 4. *Phyſ.c*.14. *q*.2. Tolet.4. *Phyſ.q*.13. Suar. *diſp*.50. *Met.ſect*.6.

1 ET dicitur quòd eſt tempus materialiter. Sed quòd non,probo,per duo priùs facta. Continuum eſt,cuius partes, *&c*. Sed ad alium terminum copulantur partes temporis, & partes motus, quod concludit ad minùs contra Commentatorem quia inſtans eſt vnum in toto tempore, ſecundùm ipſum & partes motus copulantur ad *mutatum eſſe*, quod non eſt vnum in toto motu. Item, tempus habet proprium maius & minus, diſtinctum à maiori, & minori in motu: quia in minori tempore maior motus, & in minori minor. Præterea,menſura & menſuratum referuntur realiter,& talia diſtinguũtur realiter;ſed tempus eſt menſura motus;ergo quantitas motus non eſt tempus eſſentialiter. Item, omnis motus eſt formaliter ſucceſſiuus de ſe; ſed non omnis habet in ſe tempus,ſed ſolùm primus motus; ergo ſucceſſio cuiuſlibet motus non eſt tempus.

Et concedo quòd nullus motus: ſed quantitas quâ motus eſt quantus,eſt alia ſpecies à magnitudine,& à tempore:ita quòd tres ſunt ſpecies quãtitatis permanentis,ſcilicet corpus, ſuperficies, & linea, & duæ ſpecies ſucceſſiuorum, ſcilicet ſucceſſio,motus & temporis concedatur.

Notandum,quòd ſicut recitat Frater Guill. de Varro in 2. parte ſcripti:aliqui dicunt quòd tempus eſt vnum:quia eſt menſura variationis: cuius cauſa eſt materia quæ ſemper appetit nouam formam induere:& quia materia eſt vna in omnibus materialibus,ideò dicunt quòd tempus eſt vnum. Sed dicit quòd hoc non ſufficit, quia tempus eſt menſura variationis in actu: materia autem eſt cauſa variationis in potentia tantùm; ergo. *&c*. Item, licèt materia ſecundùm eſſentiam dicatur eſſe vna:non tamen vt eſt ſub diuerſis formis;ſed vt eſt formata alia & alia eſt; vnde materia ſub actu, eſt alia & alia: ſed ſic tantum eſt cauſa variationis;ergo &c. Item, tempus cùm ſit numerus, de neceſſitate reſpicit aliquam multitudinem numeralem:in materia autem prima non eſt aliqua talis multitudo:niſi quando eſt ſub actu: & tunc non eſt vna in omnibus.

In 2.diſt.2 2 *Opinio tempus eſſe vnũ, quia eſt menſura variationis, cuius cauſa eſt vna materia.*

Alij dicunt quòd æuum eſt vnum omnium: & tempus eſt vnum omnium menſurabiliũ: quia tempus eſt numerus,& plura eodem numero poſſunt menſurari & numerari:& eodem modo dicunt de æuo quod eſt menſura & numerus æuiternorum: & quia numerus vnus, ideò menſura vna. Hæc ratio confirmatur: quia Philoſophus oſtendit vnitatem temporis per vnitatem numeri, ſed hoc nihil eſt: quia numerus, quo numerantur res diuerſorum generum, vt decem homines & 10. canes, non eſt formalis, ſed Mathematicus: formalis verò diuerſificatur ſecundùm diuerſitatem formarum:tempus autem non eſt Mathematicum, cùm in diffinitione eius cadat motus: vnde dicit quòd duplex eſt numerus, ſcilicet formalis & Mathematicus. *Numerus formalis eſt numerus,qui eſt in rebus numeratis*:& ille diuerſificatur ſecundùm diuerſitatem numeratorum; & ideò eſt alius & alius in Angelis & hominibus. *Numerus* autem *Mathematicus eſt ille qui eſt in anima, & abſoluitur à materia*: & ideo poteſt eſſe idem diuerſorum.

Alia opinio de vnitate æui, & temporis.

4 Phyſ.t.c. 110.& inde. *Numerus formalis & Mathematicus: tempus non eſt Mathematicum, ſicut numerus.*

Ideò dicunt alij ſecundùm Commen. ſuper 4. Phyſic. Commen.132. tempus eſt vnum ab vnitate motus primi mobilis ad quem comparatur, ſicut menſura ad menſuratum,& ſicut accidens ad ſubiectum. Ad alios autem motus inferiores comparatur, ſicut menſura ad menſuratum tantum: non ſicut accidens ad ſubiectum: & quia vnitas accidentis eſt ab vnitate ſubiecti, ideò tempus eſt vnũ ab vnitate motus primi. Et ſimiliter dicunt de æuo quòd eſt vnum ab vnitate ſimpliciſſima omnium æuiternorum, quod eſt primus Angelus, ad quem comparatur æuum:non tantùm ſicut menſura ad alios Angelos, ſed ſicut accidens ad ſubiectum.

3 *Tempus dicitur eſſe vnũ ab vnitate motus primi, de hoc* 2.*d*.2. *q*.3.

Secundùm autem illos qui volunt quòd *nunc* æui, & *nunc* temporis ſunt idem *nunc* in genere entis,non in genere menſuræ,& ſtans & fluens:& inquantùm *ſtans* facit æuum,& inquantùm *fluens* facit tempus, poſſet dici quòd æuum eſt vnum ab vnitate eſſe ſubſtantialis primi mobilis;ſicut tempus eſt vnum ab vnitate ſui motus: inſtans enim non tantùm comparatur ad eſſe primi mobilis,ſicut accidens ad ſubiectum, ſed vt menſura ad menſuratum;ad alia comparatur tantùm, vt menſura, ſicut omnia ſucceſſiua, ſiue ſint operationes & affectiones ſucceſſiuæ Angelorum & hominum,ſiue quæcunque alia,in quibus aliquo modo cadit tranſmutatio, menſurantur tempore, quo

Quarta opinio nũc æui, & nunc tẽporis eſſe idẽ, & tantum differre, quòd vnũ eſt ſtãs, alterũ fluens.

mensuratur motus primi mobilis, in quo est tanquam in subiecto proprio: Sic omnia permanentia, in quibus nulla cadit transmutatio, quantùm ad esse substantiale, mensurantur ipso nunc quo mensuratur esse substantiale primi mobilis, in quo quidem esse substantiali, est ipsum nunc: non tantùm vt mensura, sed sicut accidens in subiecto proprio: vnde sicut *nunc fluens* mensurat omnia transmutabilia, ita *nunc stans* omnia æterna, idem autem *nunc* est fluens & stans. Stans enim secundùm quòd mensurat esse primi mobilis; fluens autem secundùm quòd mensurat motum eius: & sicut idem *nunc*, vt fluens est, mẽsurat omnia mutabilia, ita *nunc stans* omnia æuiterna: & sicut ponimus vnum tempus omnium corporalium, & spiritualium, quamuis spiritus non ordinentur ad motum primi mobilis, ita possumus ponere vnum æuum ab vnitate esse substantialis primi mobilis, licèt esse æuiternorum non ordinetur ad illud.

4 *Quinta opinio quòd sunt plura æua.*

Dicunt alij quòd sunt plura æua: quia sunt plura æuiterna, quæ non reducuntur ad vnum, neque vnum dependet ab alio, sicut omnia temporalia reducuntur ad vnum, scilicet primum mobile; & quia vnitas accidentis est ab vnitate subiecti, & æuiterna sunt diuersa; ideò æuum quod est accidens, est diuersum in diuersis. Hoc autem nihil est: quia Philos. dicit cap. de Tempore text. c. 93. quòd si essent plures cœli, adhuc vnum esset tempus: constat autem quòd illi plures cœli, vnum non dependeret ab alio, neque vnum reduceretur ad aliud.

SCHOLIVM VNICVM.

Præmissis *quinque opinionibus de vnitate temporis, & æui inclinare videtur in sextam opinionem quæ est Guilielmi Varronis Magistri sui; quòd vnitas temporis sumitur ab vnitate motus, tanquam à quasi subiecto. Explicat quomodo teneri possit tempus non distingui in re ab æuo, sed in ratione mensuræ; verum hìc nihil asserit, sed disputat & quidem obscurissimè nihil resoluens, quod tempus non differt realiter à motu, habet 4. dist. 48. q. 2. §.* Ad quæst, *& 4. Physic. quæst. 15. & quòd æuum non distinguatur ab æuiterno, habet 2. dist. 2. quæst. 2. §.* Contra istud, *& quatuor quæstionibus primis illius distinctionis agit de hac materia durationis.*

Motus fluit secundum dimensionem linealem.

Alia opinio est de vnitate temporis, & æui, subtilior, &, credo, verior: omnes enim motus fluunt secundùm dimensionem linearum, & tempus mensurat motum secundùm diuisionem linearum; sicut ergo infinitæ lineæ simul esse possunt, ex ea parte quâ dimensione carent, scilicet à parte latitudinis, ideò omnes motus, quia fluunt linealiter, simul sunt respectu *nunc* præsentis, & quia tempus mensurat motus omnes, secundùm quòd sunt linealiter fluentes, & sic simul sunt: ideò habent rationem vnitatis subiecti respectu temporis: ideò tempus est vnum. Similiter duratio cuiuslibet æuiterni similis est lineari dimensioni: & ideò vna est cum alia: & sic simul sunt: ideò sunt vnum subiectum respectu æui: & ideò vnum est æuum respectu omnium æuiternorum Notandum est etiam, quòd Frater Guil. de Varro in quæstione, qua quærit *vtrùm spiritualia habeant mensuram propriam aliam à tempore?* dicit, quòd sicut eadem quantitas, quæ, per comparationem ad corpus ambiens, dicitur superficies, per comparationem autem ad corpus ambitum dicitur locus, ita tempus, & æuum sunt idem per essentiam: differentia penes diuersas rationes, siue comparationes: ita quòd *nunc* æui, & *nunc* temporis, sunt idem *nunc* per essentiam, sola autem comparatione diuersa. Vnde vult Commentator super 4. Phys. c. de Tempore, Com. 104. quòd sicut primum mobile secundùm suam substantiam est immutabile quantùm ad formam; mutabile autem quantùm ad locum, siue circa locum: ita illud instans secundùm quòd respicit eius essentiam, est immutabile, sed inquantùm respicit ipsum, vt mobile circa locum, est fluxibile.

2. dist. 2. q. 2.

In 2. dist. 2.

Tempus & æuū esse idē.

Nunc temporis, & nunc æui quomodo idem, & non idem?

5

Si autem obiicias secundùm Augustin. 83. qq. q. 72. quòd *nunc* æui est stabile: *nunc* temporis fluxibile: & impossibile est quod vnum & idem simul moueatur & stet. Dicendum quòd hoc non est impossibile, secundùm Comment. 4. Phys. cap. de Tempore Com. 104. instans inquit, est quodammodò quasi idem nunquam transmutabile, & quodammodò transmutabile & multiplicabile, & causa in hoc est: quia translatum est tale. Verbi gratia, imaginetur punctum moueri: & per suum motum facere lineam, ille autem punctus est sic simplex, quia immutabilis est secundùm suam essentiam: inquantùm verò linea fluit ab ipso, mutabilis est: à simili dico de *nunc*, quia secundùm suam essentiam consideratum, cùm sit simplex immutabile est, & stat: inquantùm verò per suum fluxum causat tempus, mutabile & variabile est, secundùm esse. Primo modo consideratum dicitur *nunc* æui; secundo modo, *nunc* temporis: vnum tamen & idem numero.

Punctus stabilis & variabilis.

Vnde nota, quòd *nunc* æternitatis, & *nunc* temporis differunt in genere entis, & in genere, mensuræ: *nunc* verò æui, & *nunc* temporis, sunt idem *nunc* in genere entis, & differunt in genere mensuræ, sicut etiam quod est idem in toto tempore, & quod est aliud, & aliud secundùm rationem, sicut Commentator dicit in auctoritate prædicta.

Dicendum ergo secundùm illam positionem, quòd tempus & æuum possunt considerari in genere entis, & sic non differunt, quia sic sunt idem: vel in genere mensuræ, & sic sunt diuersa, quia mensuræ diuersificantur ratione mensuratorum suorum: sunt ergo tempus & æuum vnum ens, & diuersæ mensuræ, &c.

ANNOTATIO MAVRITII.

Sequitur quæstio decima de comparatione motus ad tempus in esse quantorum, t. c. 18. quæ satis clara est, quantùm ad sententiam principalem: pro cuius maiori ampliatione quærantur expositores, & quæstionistæ 4. Physicorum, & iste in 4. dist. 48. q. 2. Ea verò quæ tangit incidentaliter de vnitate temporis & æui, atque identitate & varietate eorum & vtriusque *nunc*, vbi tangit plures modos dicendi, vide copiosè in 2. dist. 2. p. 1. in 4. primis quæstionibus vbi subtilissimè cuncta habet: hìc verò breuibus & notanter valde pertransit: quære alios Theologos in eadem distinctione.

Vbi aduerte allegationes eius in Varronem qui præceptor erat ab oppido Vuarra in Anglia sic nuncupatus: vnde patet veritas præsuppositi principalis suprà, quòd videlicet has quæstiones priùs quàm super Sententias, scripsit: aliter ad dicta

Metaphysicã scripsit ante Theologiam.

ĉta sua ibi recursum habuisset: quære Ocham & sequaces:non vt imiteris,sed potius vt fugias:plura alia adde, quia hæc valde difficilia,licèt quotidiana:motus videlicet & tempus, de quibus rectè non gustabit asinus;multò minus æui,& ęternitatis arcana.

Ad aliquid dicuntur alia per se vt duplum,&c. *Text.com.20.*

QVÆSTIO XI.

Vtrùm relatio sit res,cui conuenit modus essendi ad aliud?

Arist.*hic c* 15. Auicen.3. *Metaph. c.*10. Auerroes,12. *Met. com.*19. D. Thom. *hic lect.* 15. *&* *q.*8. *de potent. a.*2. Occam. 1 *dist.*30.*q.*2. *&* *dist.*31. *q.*1. Aureol. *dist.*30. *art.*3. Ægid.*dist.*27.*q.*4. Capriol. *dist.*30. *q.*1. Caietan. 1.*p. q.*28. *art.*1. Ferrar.4.*cont.gent.cap.*14. Durand.1. *dist.*30. *q.*2. Sot. *in Prædicam. ad aliquid. q.*2 Fons.5. *Met cap.*15.*q.*2.*sect.*5.vide Scotum *in* 2.*di.*1.*q.*3.*&* *in* 3.*dist.*8.*q.*1.

1 ET arguitur quòd sic. *Esse in*, non constituit Prædicamentum; sed aliqua res est cui conuenit ille modus; ergo nec *esse ad aliud.* Item, non sunt ambo æquè prima,quia tunc genus non esset simplex, Contra Simplicium, in expositione æquiuocorum. Contrà:tunc Prædicamentum relationis non transferretur ad diuina, quia Prædicamentũ verè consistit in re,non in modo, patet de substantia. Item, res illa est subiectum, vel fundamẽtum habitudinis ad aliud, & ita non immediatè fundatur relatio in Quantitate,vel Qualitate.Item,illa res per se intellecta,nullius est decem Generum,& ita plura entia prima,quàm 10. intelligendo illam rem sine modo *ad.*

Propter argumentum relatio consideratur vno modo, vt est quoddam interuallum, & quoddam medium;alio modo vt fundata in extremis. Primo modo est purus modus, sicut esse *in*, nec aliquam distinctionem recipit à quocunque, Deo vel creatura reali, vel rationis. Secundo modo contrahit realitatem à fundamento characterizante. Primo modo est tantùm in intellectũ, vt vniuersale abstractum à particulari. Secundo modo est in relatis extra intellectum, ens ratum; ita quòd ex modo & realitate quam habet ex charactere, integratur hypostasis relationis: non tamen ita quòd res fundamenti cadat in significato relationis,quia sequeretur composita genera facere ex primis & secundis;sed quòd ipsum modum,qui ex se indeterminatus est, fundamentum secundum conditionem suæ realitatis, determinat,sicut nasus cauum. Contrà:mutatio est secundùm relationem manente subiecto, vel fundamento. Respondeo, duplex est mutatio per defectum fundamenti,& termini, sicut 5. de Trinit.4. de accidente dupliciter corrumpitur: tamen non corrumpitur in oppositum,vel medium, nec valet argumentum, sicut nec de modo essendi in altari.

Fundamentum characterizans,id est suppositũ.

2 Ad primum principale Simplicij in exponendo Prædicamentum Quando,non omne quod est in aliquo, dignum est Prædicamento speciali,sed sola in quibus hoc continet, hoc continetur, vtroque naturam suam seruante, & neutro alterius partem perficiente; neque complente alterum: albedo & suum *esse in*, accidit corpori, secundùm eandem rationem accidentis: quia nihil aliud est albedinem esse in corpore, quàm corpus esse album: *esse ad*, omnino accidit cui conuenit: quia potest adesse & abesse. Contra, *esse in*, potest adesse & abesse.

Item albedo separata est *ad*, scilicet similis albedini,quia eo quo est albedo,est in specie albedinis,& ita alij similis. Relatio tripliciter fundatur,aut super accidens,vt est in subiecto,aut super formam substantialem, vt est in supposito. Tertio modo super hanc vel illam, vt in se consideratur. Prima est accidentalis. Secunda est substantialis supposito: sicut & forma speciei accidentalis,pro quanto accidit formæ esse in supposito. Tertia est essentialis ratione fundamenti,licèt aliquid accidentis habeat propter concomitantiam:vnde characterizat:non sic quòd res eius cum relatione faciat hypostasim relationis, quãuis sic videatur dicere Simplicius: sicut si figura sigilli eadem numero figuraret ceram: nec sic, quòd quasi aliam figurã numero imprimat aliam realitatem absolutam: quia hoc non potest fieri, nisi in corporali separato;ergo tertio modo,scilicet tantùm determinando relationem,quæ est ex se indeterminata.

3 Relatio,comparatio, habitudo, vnitio vel annotatio, (illud est secundùm verbum Simplicij) respectus, adaliquitas, idem videntur significare, & eorum denominatiua idem. Ordo, & dependentia fortè sunt specialiores quinque prædictis. Ordo non videtur esse nisi prioris ad posterius; dependentia non est in diuinis.

Quinque synonyma relationis.

Prima conclusio.

Relatio aliqua est res naturæ:quia actio naturalis dependet ex approximatione agentis ad passum,sine qua nunquam est, quæcunque absoluta ponantur in hoc & in illo:similiter eisdem absolutis manentibus,diuersificatur actio, propter diuersam relationem. Item Simplicius:aliud quantum,aliud æquale,& aliud quale,& aliud simile.

Bonum vniuersi duplex.

Item, res ex se sunt connexæ, 2. Metaph.text. com. vltimi, g. inconnexam faciunt vniuscuiusque substantiam:bonum vniuersi duplex, *ibidem.* Intrinsecum, est ordo partium inter se. Aliud est ordo ad Deum. Item,sunt distinctæ res ex se realiter.Item,quædam sunt realiter compositæ:pone essentias absolutas totas sine relatione, compositum non est. Item, res creatæ ex quatuor causis, realiter sunt ab eis, & nunquam sine determinata relatione illarum causarum inuicem; si sine illa essent essentiæ absolutæ, nihil causarent: Item,si subiectum est res,& propria passio;æquale est propria passio quanti, & similiter qualis. Contrà: passio necessariò inest:æquale non, quia non inest,si aliud quantum non sit. Item,scientiæ Mathematicę ostendunt relationes de quantis 13. Metaphys.

SCHOLIVM I.

PROPOSITIS *argumentis Simplicij, sustinet relationem esse ens reale,soluens tria argumenta in oppositum. Ex solutione ad primum, & secundum,& ex octaua conclusione constat,primam conclusionem,quas in hac quæst.examinat,i e pere ibi:* relatio aliqua est res naturæ, *num.* 3. *licèt Mauritius dubitet, quenam sit habenda vt prima in ordine.Per conclusiones,vel syntagmata quedam habet totam ferè materiam Prædicamenti, & nature relationis:in prima tenet dari relationem rationis distinctam à reali, explicans quomodo intellectus* est

est causa eius,& quo actu fit,nempe directo,& non requiri reflexum, quod ex ipso colligitur 4. d.16. q.2.*num*.7.§. Contra conclus. *ponit consequenter alias conclusiones & passim impugnat singulas; in octaua cõclusione tenet quòd relatio distinguitur à fundamẽto,quando fundamentũ potest esse sine eius termino non aliter ; vide eum* 2.d.2.q.4.& 5. *quomodo relatio fundetur in relatione (quod tangit con.9.) sine processu in infinitum , vide ibi q.* 5. §. Ad istud respondeo. *num*.24. & q.d.6.q.10.n.3.

4

Hanc quæstionem circa hanc conclusionem, an relatio sit res ? disputat Simplicius super Prædicamenta , & ponit rationes multas, quòd non: quia sine mutatione accedit , & recedit. Dicit quòd illa fuit fortissima ratio Stoïcorum. Item, quia fundatur in tot generibus,nulla vna res conuenit omnibus illis. Item , quia multæ sunt ad non entia , vt prius & posterius. Ad oppositum arguit : inconueniens est harmoniam destruere quæ realiter delectat ; ergo realis est causa delectationis.

Text.com.8.

Item, est Prædicamentum entis , sub quo non continetur nisi ens verum. Respondeo,ens verum quod est in compositione excluditur 6. Metaph. sed non ens verum , quod est in intellectu , vel consequens aliquid, inquantùm est in intellectu, cuiusmodi est secunda intentio, & relatio quælibet relationis. Item, Auic.3.Metaph. nullo intellectu intelligente, cœlum esset superius, terra inferius:& iste pater , & ille filius. Item,Simplicius, aut iudicio rationis correspondet aliquid in re, & patet propositum ; aut non, & tunc illud iudicium est fictio. Contrà:ita argueretur quòd relatio rationis, vel intentio secunda esset fictio , vel res. Respondeo,non haberet intellectus vnde distingueret relationem rationis, nisi apprehendisset in aliquo relationem realem,sicut de attributis diuinis;ergo si omnes sint rationis,erunt fictiones,non autem si quædam.

Relationem esse ens reale.

Ad primum Simplicij , subiectum mutatur ad aliud , non in se. Argumentum est pro conclusione 8. Ad secundum est argumentum pro conclusione 8. quia quomodo esset vnum genus idem tot generibus ? Respondeo,materialiter distinguitur à fundamentis. Ad tertium , illæ relationes sunt rationis : quæ comparantur ad extrema simul , non vt sunt in re,ideò non reales.Nota, quòd omne mutans est actuans , sed addit nouiter , hoc est , post priuationem immediatè ille ordo , per se , nihil est ; ergo nec mutatio. Omne actuans est vniens,omne vnitum passiuè est vnitum formaliter & vnicè,èconuerso,negando : si A non vnitur formaliter relatione reali,non vnitur passiuè relatione reali. Vltrà , non actuat formaliter realiter, vel actualiter formaliter realiter. Vltrà, non mutatur realiter : vel non est realiter, secundùm quod mutatum mutatur. Vltrà, mutans non agit realiter , èconuerso non. Econuerso non tenet vltima consequentia , aliæ tenent. Itaque si omnes relationes sint reales,duæ erunt vnitorum formaliter mutuæ , sub quibus actuans & actuatum formaliter, sub quibus mutatum neutraliter non passiuè:& secundùm quòd mutatur,ibi additur nouitas. Aliæ duæ erunt duorum vnitorum formaliter , inquantùm vniuntur passiuè : quia vnio passiua est cuiusque realiter vniti formaliter, & sub istis , vt prius , illæ duæ erunt vnientium actiuè ad duo vnita passiuè , & sub istis actuans sic & sic:& sub hoc transmutans sic & sic in passiuis & actiuis ponitur vna relatio respectu correlatiuorum.

Non omnes relationes esse reales.

5 *Secunda conclusio. Datur relatio rationis.*

Relatio autem aliqua est res rationis,quia aliqua fundatur super ens rationis : & quia aliqua non inest rei,vt existit : sed vt intelligitur ex collatione eius ad aliud facta per intellectum. Contrà : quare magis ponitur intellectus facere relationem,quàm quantitatem ? Respondeo, quia est vis collatiua. Nota circa secundam conclusionem,de relatione , scilicet rationis est difficultas: si ratio facit illam , aut sicut facit montem aureum : aut sicut facit intellectionem. Si primo modo,non videtur relatio, nisi secundùm quid;si secundo modo,potest esse vera relatio,sicut intellectio est vera actio, & scientia est vera qualitas, quam tamen facit intellectus : quia naturalis entitas scientiæ & intellectionis potest causari ab intellectu : quare non similiter naturalis entitas relationis ? non tamen dicitur relatio realis , sicut nec scientia qualitas realis, id est,non est scientia realis, vocando, scilicet reale , quod nullo modo dependet ab intellectu. Si autem non facit ipsam sed ipsa inquantùm est rationis, tantùm est in consideratione intellectus , sicut rosa quando intelligitur , & nulla existit , tantùm est in consideratione intellectus &c. Similiter dicendum est de tali ratione quoad realitatem,sicut de rosa. De primo membro , scilicet quod facit, est dubium,vbi tunc est,vt in subiecto ? Non videtur quòd erit,nisi in intellectu , & ita per illam res intellecta non refertur : nisi dicatur quòd intellectus causando in se aliquid , accidentaliter causat in se relationem ad rem, & accidentaliter per accidens causat aliam in re respectu sui. Sed tunc relatio rationis non est in aliquo : nisi vt comparatur ad intellectum. Est ergo vis in hoc , quòd relationem rationis aut intellectus facit,aut considerat tantùm;si facit,non est in alio & nec aliud refertur ipsi , nisi saltem ad intellectum : quomodo etiam vitatur mutatio omnino, secundùm hanc, si etiam facit, quo duorum modorum facit ? Non primo, cùm sit simpliciter intelligibile , non fictum ex speciebus multorum. Si facit secundo modo ; ergo efficiens non tollit realitatem,si tantùm considerat;ergo illa in se res est vel fuit, & quandoque mouet intellectũ sicut rosa,licèt non existat:& ita nõ diuiditur relatio in rem,& rationem : sicut nec rosa in rosam realem, & rationis:sunt enim duo modi essendi eiusdem.

Scientia quomodo nõ realis ?

Relatio rationis in quo subiecto ?

6 *Intellectus facit relationem rationis. Relatio rationis inest rei vt consideratur.*

Responsio : intellectus facit ipsam per actum considerandi aliquid, & fundatur in illo inquantùm consideratur : non autem in consideratione inquantùm res est:sic enim posset esse realis,sicut diuersitas calefactionis ab alia actione,est relatio realis,& intellectio vniuersalis cùm sit verè actio realis,relatio quam fundat inquantùm res est , est realis. Illa consequitur naturam rei , sed relatio rationis omnino inest rei, inquantùm consideratur ; & per considerationem , alteri comparatur, quia consideratio est collatiua vnius ad alterum. Relatio ergo intelligibilis & intellectus est in vtroque realis,sed vniuersalis & particularis relatio rationis. Si quæratur;quid realiter est relatio rationis ? Respondeo;quæro primo, quid realiter sit obiectum intellectum,inquantùm intellectum: nullum enim esse habet nisi in intellectu,hoc est fundare relationem rationis secundùm alios : & vltra, minus ens erit:quia est quasi accidens eius: cuius est relatio rationis:falsum est ergo,quòd relatio rationis fundatur immediatè in actu intelligendi

Relatio rationis, non fundatur in actu intelligendi.

gendi

gendi: quia obiectum, inquantùm intelligitur, non est actus intelligendi formaliter. Falsum est etiam, quòd actu reflexo intelligendi sit relatio rationis: fit enim primo actu, scilicet directo intellectus comparantis hoc ad aliud. Quando autem reflexit intelligendo comparationem illam, vt obiectum, tunc non causatur relatio rationis, sed consideratur, & est consideratio Logica.

Ens rationis fit actu recto.

Relatio non videtur vnius rationis ad realem & rationis: sicut nec quantitas est ad quantitatem realem & rationis: quare enim vnum generalissimùm non erit ens reale, sicut & aliud? ergo & omnes species. Contrà: ita illa rationis videtur habitudo sicut realis.

Relatio non est vniuoca reali, & rationis.

Relatio realis est vnum per se generalissimum: quia dicit vnum conceptum dictum in quid de omnibus inferioribus: & nihil in quid de ipso, nisi ens. Contra; relatio ad subiectum, non videtur aliud esse in albedine, & esse album. Item, sex principia videntur esse respectus.

Relatio realis non est ens per se, nec interuallum inter duo extrema, nec in duobus: vt in vno subiecto, sed in vno & ad aliud.

7

Relatio realis est in vno immediatè, quod dicitur fundamentum, in alio quandoque mediatè, quod dicitur subiectum: quandoque idem est, sicut quantitas per se ens, se habet respectu dupli. Contrà: in Deo nec fortè propriè passionis, quia posterius entitate subiecti similis passio qualis.

Destruitur relatio destructo subiecto non èconuerso.

Relatio dependet ab illo in quo est, & non èconuerso: ergo illud in quo est: est prius natura, destruitur; ergo ex eius destructione, & non èconuerso.

Relatio realis non est eadem res cum fundamento: quia nulla vnitiua continentia: nec etiam in Deo, potest esse oppositorum formaliter: nec secundùm quòd continens est mutabile eidem fundamento, & oppositis relatio vnius rationis, insunt relationes oppositæ simul ad diuersa, & successiuè ad idem: & ita secundùm ipsam relationem est fundamentum potens aliter se habere: continens etiam perfectius, perfectius continet: non tamen semper albius, est similius.

Relatio re distinguitur à fundamento. 2. d. 1. q. 4.

Relatio realis fundatur super rem cuiuscunque generis: substantiæ primitas respectu quantitatis, qualitatis, principium agendi relationis, passio propria, est relatio.

Relatio fundatur super omnia genera.

Contrà: infinitæ relationes, si relatio relationis; & ita infinitæ res ex septima. Idem apparet de diuersitate, quæ diuersa est ab alia diuersitate, & causatione quæ causata est, & inhærentia accidentis quæ inest, & potentia materiæ, & vnione aliquorum. Respondeo; mutetur conclusio nona quantùm ad relationem: vt sit omnis substantia per se, & nulla in alia, licèt vna perfectior alia sit; nulla relatio est, in quo aliud est. Aliter concedendo relationem fundari in relatione, potest dici, fundamentum vnitiuè contineri à fundamento in illis generibus, de quibus instatur: nunquam enim ibi relatio fundans potest mutari, secundùm illam quæ fundatur. Patet, nisi tantùm de diuersitate, nam illa inter A, & B, potest manere, non manente diuersitate eius ab alia diuersitate inter C, & D, quæ potest destrui prima manente, vnde ibi oportet tenere primam responsionem. Sed contrà: omne ens omni enti est idem, vel diuersum. Verum est de ente absoluto: vel sic, idem vel diuersum denominatiuè, vel essentialiter, scilicet identitas, vel diuersitas; ita in aliis, omne ens absolutum vel comparatum, verum est denominatiuè, vel essentialiter, absolutio: & comparatio sicut nulla generatio, generatur.

Relatio fundatur in relatione. 2. d. 3. q. 5.

Generatio nō generatur.

Omnis distinctio relationum per fundamenta est per extrinseca, & non formalis: saltem sic extrinseca, quòd non est intra per se intellectum quiditatis relationis: & si idem esset vnitiuè, probatur hoc contra Henric. quæst. de numero Prędicamentorum.

Distinctio relationum per fundamenta extrinseca.

SCHOLIVM II.

Explicat *tres modos relatiuorum; de quibus vide ipsum in text. 20. hîc. Primus fundatur super vnitate, vel quantitate. Secundus in actione, & passione, vel potiùs super potentia. Tertius in ratione mensuræ. Reliqua omnia ad hos modos, aliquo modo reducuntur: vt relatio diuersitatis, distantiæ, &c. Vide eum 1. d. 3. q. 5. De conclusione 2. quòd relatio vna, est vnius termini, vide supra q. 7. Schol. 3. De concl. 13. quòd relatio terminatur ad absolutum, docet id 1. d. 26. num. 43. & d. 30. q. 2. num. 8. & d. 45. num. 3. De con. 15. quomodo relationi reali creaturæ ad Deum non respondeat alia realis in Deo; vide ipsum 1. d. 30. De con. 16. quòd relatiuum potest esse prius correlatiuo quinto modo prioris, non tamen secundo modo: exemplum de causa, & causato. Nota quòd quintus modus est in causando, secundus in subsistendi consequentia. Vide eum in Prædicam. q. 43. De con. 18. relationes oppositæ accidentales, vt mouentis & moti possunt esse in eadem natura, & supposito etiam limitato; causæ, & causati neutro modo possunt esse simul, sed producentis, & producti possunt esse, & sunt in eadem natura infinita, sed non in eodem supposito Scot. 1. d. 3. q. 7. ad argum Goffredi num. 29. De con. 19. ideò fundamentum in diuinis non refertur, quia non distinguitur à termino: qua ratione terminus formalis, ibi non refertur realiter ad producens; sed tantùm terminus totalis; secus est in creatis, quia vterque terminus differt realiter à producente, vt docet Doctor 1. d. 5. q. 1. §.* Ad rationem *num. 9. vide ipsum d. 26. num. 41.*

8

Quomodo sumuntur tres modi, quos ponit Arist. Respondeo, omnis relatio termini & terminati pertinet ad tertium modum. Primo enim refertur terminus sicut obiectum est terminus actus, vel habitus, vel potentiæ. Secundo omnis terminus etiam quantorum, & motus. Ad secundum modum pertinet omnis relatio causæ & effectus maximè efficientis & materiæ. Ad primum, omnis relatio totius cuiuscunque & partis, & vniuersaliter magis & minùs. Sed contrà: vbi sunt relatio diuersitatis, distantiæ, omnes species eorum, differentia & oppositio &c. prius & posterius, signum & signatum; mensura non per replicationem cuius est pars, sed exterior vt locus respectu corporis? Similiter quomodo finis, inquantùm huius, vel forma fundatur super actionem & passionem? efficiens etiam si efficit actionem & materia si recipit passionem, potentia & actus non sunt aliquod dictorum.

Potest ergo concedi, quòd non ponit omnes modos relatiuorum, sed manifestos per quos possunt intelligi alij, propter aliquam assimilationem ad illos. Quomodo in tertio modo non est mutua relatio? Respondeo potest intelligi aut quia fundamentum ex vna parte essentialiter ad suam

Relatio tertij modi quare non mutua.

suam perfectionem dependet ad aliud: & non èconuerso: aut quia vnũ quandocunque est, aliud est, & non èconuerso: & ita relatio in ipso semper est actualis, quia ad terminum iám existentem, sine illo potest esse habitualis: & ita non mutua: quòd si illa est in aliquo actuali, & ista, sed mutua, quia illa actualis in ente in actu, illa habitualis in ente in potentia.

Nota quòd agens in secundo modo communiter sumitur ad producens, & ad transmutans, & producens & productum inter se primò dicuntur, sed non ad aliud tertium per se, sed mutans & mutatum, licèt dicantur mutuò, primò tamen per se dicuntur ambo ad aliud, secundùm quòd est mutatio; ita quòd abstrahe ab istis primis relatis, commune, scilicet mutationem in communi, & dicitur primò ad illud secundùm quod? & secundùm quem modum? non primò, nec secundò; ergo tertiò; ergo non mutuò.

9 *Relatio non prius dicit in, quam ad, nec econtra.*

Relatio non prùs natura est *in*, quàm *ad*: quia tunc potest intelligi absolutum, nec ècontra: quia tunc posset intelligi non accidens; ergo simul est *in*, & *ad*. Prima probatio non valet, si est conceptus indifferens ad absolutum, & ad aliud. Secunda non valet, si est conceptus communis substantiæ & accidenti.

In quo & ad quod diuersa sunt, quia relatiui esse, est ad aliud se habere. Hoc verum est in relationibus fundatis super multitudinem, non super vnitatem, nisi ad aliud, id est, correlatiuum.

Relatio ad vnum terminum.

Relatiuum & correlatiuum sunt opposita: quia vnum genus oppositionis est relatiua oppositio. De relatiuis secundùm multitudinem, & pro illis pro quibus referuntur, nõ in communi, vel comparata ad idem. Nota, quando dicitur *in quo* & *ad quod*, intelligitur de illis quæ recipiunt relationes, non de compositis ex ipsis & relatione, sed de compositis intelligitur, quando dicitur relatiuum & correlatiuum.

Vna relatio est ad vnum terminum tantùm primò, ad diuersa per se, per quorum per se destructionem destruitur primò: non èconuerso, alioquin simul esset & non esset, si est mutua.

Relatio potest terminari ad absolutum: quod videtur, quia dependentia est ad independens: & quia sicut illud in quo est, prius est relatione, ex septima, ita illud ad quod, non valet de correlatiuis, cùm illa sint simul naturâ, ex proxima; & sic potest saluari Arist. de scibili & scientia.

Tunc nunquam per se dicitur ad correlatiuum, inquantùm relatiuum: tunc nunquam relatiuum, & illud ad quod, simul naturâ, sed ad quod, prius relatiuo inquantùm relatiuum, quia ad illud dependet: non ècontrario, & sine quo non est aliud, sed èconuerso.

Relatiua mutuò diffiniuntur.

Nulla per se mutua relatiua, nec ad conuertentiam, non mutuò diffinientur, nec exinuicem cognoscentur, aut relatio terminatur tantùm ad relatiuum per se, inquantùm relatiuum & èconuerso, ad informatum forma relationis, & possunt saluari dicta Aristotelis opposita conclusionibus immediatè priùs illatis.

10 *Relatio non est realis in vno extremo, si in altero est rationis. Relatio rationis non est necessariò in Deo, vt Creatoris.*

Nunquam in vno extremo est relatio realis, & in alio rationis, quia impossibile est rem & ens rationis simul esse natura: tunc enim res dependeret ad intellectum, quia à correlatiuo. Contrà Dei ad creaturas.

Respondeo, nisi res realiter relata dependeat ex consideratione intellectus, ex qua dicuntur illæ relationes rationis, & ita omnis relatio talis Dei ad creaturas, tantùm dependet ex consideratione intellectus diuini, sicut ideæ ponuntur esse in Deo, vel ex actu voluntatis, vt creaturæ creator, sed nulla relatio, nec rationis est noua in Deo. Probatur aliter, quia illæ in Deo sunt priores istis in creaturis, 9.q.1. nõ esset ita si ab intellectu creato dependerent, cùm iste non consideret illas, nisi ex relationibus realibus in creaturis. Confirmatur: quia Augustinus vocat illas nouas appellationes.

Quintus modus est causalitatis, secũdus in subsistendi consequentia. Scot.q.43. de prædicamentis.

Relatiuum potest esse prius correlatiuo quinto modo Prioris in Prædicamentis, sed non secundo modo.

Relatio est per se, & primò intelligibilis, licèt non sine aliis cointellectis, quia est ens, si commune primò refertur ad commune, licèt pro singularibus, vel singularia primò: si primum, nunquam in dictis secundùm vnum, est relatio ad aliud, vt primum correlatiuum, sed pro alio: si secundum, semper est ad aliud, nisi in identitate, vel illa est relatio rationis, quære 6. & 8.c. Respondeo referri per se primò conuenit, conuenit scilicet concreto in genere relationis, sed per accidens, vel per se, secundo modo conuenit singulari alterius generis, in quo est relatio. Contrà: relatio quandoque est propria passio, illa primò inest speciei, per accidens indiuiduo.

Relationes oppositę possunt fundari in eodem limitato: actio & passio in motu, voluntas mouet se.

11 *Fundamentũ in diuinis nõ refertur.*

Fundamentum illimitatum relationum oppositarum eis non refertur: quia non distinguitur; ideò essentia diuina non refertur, sed supposita. Aliter Deus refertur per accidens sicut homo, Deitas nullo modo, sicut nec humanitas: pater per se primo modo. Contra; ergo Deus distinguitur. Respondeo, non sequitur de illimitato in quo, sed de limitato in qno, vel de relatiuo.

Limitatum imperfectum, mutabile, dependens, naturaliter ordinatum, realiter relatum: ordo inter prima tria patet: quartum exponitur, quantùm ad expectare aliquid extra se, vt in ipso fundetur relatio. Ordinatur enim vt quoquo modo perficiatur ab illo, ad quod dependet: quia perfectius habetur albedo in duobus quàm in vno. Contrà: ergo albissimum non esset simile albissimo: dato quòd duo essent. Item, quomodo album dissimile nigro? Item creatum non agit inquantùm imperfectum, sed inquantùm perfectum & in actu: & tamen inquantùm agit, realiter refertur. Item, si A, inquantùm imperfectum dependet à B, vt à quo perficiatur; ergo B est perfectum inquantùm A dicitur ad ipsum: & ita B, inquantùm perfectum dicetur ad A, quod est propositum, vel non dicetur ad A, inquantùm A dicetur ad ipsum. Item, intelligere Deum sub ratione intelligibilis, est imperfectè intelligere: quia intelligibile est in dependentia, inquantùm intelligibile, quia est ad aliud: sicut enim relatio realis, quia est ad aliud dependentiam importat in fundamento, inquantùm fundamentum hoc est in re in se: sic relatio rationis in fundamento suo. Item, Deus priùs naturaliter intelligit primum ens, quàm intelligit se esse primum ens; ergo illa relatio realis primitas. Item, relatio intelligibilis præcedit actum intellectionis. Itẽ, sicut formaliter esse productiuum necessariò est perfectionis in patre: sic causatiuum

1.dist.30.

causatiuum necessariò in Deo: quia largitas perfecta non dependentia. Sed quare requiritur necessaria causalitas ad relationem realem, cùm voluntas causat: vel determinatio, siue limitatio ad causatum: cùm voluntas illimitata ad actum, vel actus, qui est accidens: cùm effectus æquè distinguatur à causa, siue actus quo producitur, sit idem causæ, vel aliud? Respondeo, quia relatio non fundatur immediatè super substantiam.

SCHOLIVM III.

EXPLICAT *secunda conclusione quo sensu correlatiua sint simul naturâ: de quo vide eum* 1. *d.* 28. *q.* 4. *de con.* 24. *quomodo relatio non est id, quo agens agit, patitur, vel quo potens est ad hac, vel ad mouendum, vt obiectum, vide eum* 3. *d.*15. §. Aliter potest, *num.* 8. & 1. *d.* 7. *num.* 8. *optimè explicat quomodo obiectum differt ab agente, & patiente, dato quòd agat; quia vt obiectum, est terminus circa quem potentia versatur. Disputat num.* 15. *contra simultatem relatiuorum secundi modi, & optimè explicat quomodo sunt simul.*

12 *Correlatiua quomodo simul naturâ? Scot.* 1 *d.*28. *q.*4.

Correlatiua simul sunt: aut intelligitur quantùm ad actum essendi: & sunt multæ instantiæ, prius & posterius, &c. aut inquantùm correlatiua, sic quandocunque vna relatio alicui siue existenti actu, siue non, inest relatio correspondens inest alteri: sicut quandocunque paternitas inest alicui, filiatio inest alicui existenti: sic tamen subiectum semper est, sicut requiritur ipsum esse, ad hoc, vt fundet talem relationem: sicut aliquando fuit in generati.

Si vna relatio non petit actu fundamentum neque altera.

Correlatiua si sint simul naturâ, quandocunque vna relatio non requirit necessariò subiectum actu ens, in quo fundetur, nec alia; sed si sit actu, hoc accidit, generabile actu est in ente in potentia: accidit quòd generatiuum fundetur in ente in actu: actu enim posset esse generatiuum, licèt actu non esset.

An relationes in Deo poni possunt reales?

Secundùm 18. & 19. possunt omnes relationes in Deo poni reales: sicut correspondentes in creaturis & æternæ, & noua denominatio tunc, quando subiectum, vel terminus fit de nouo in actu. Contra ista: ita posset poni qualitas eadem ante generationem, sicut relatio, quia subiecto potentiali inerat. Item, quando vniformiter informat: quare non vniformiter denominat? Item, tunc nihil est illud 5. Tri. relatio ideò accidens in creaturis, quia cum aliqua transmutatione aduenit: nulla enim aduenit, sed qualibet æterna: & fundamentum eius inquantùm fundamentum.

Relatio non est ratio agendi, recipiendi, vel mouendi.

Relatio non est quo agens agit, nec quo habens potentiam est potens, nec quo receptiuum recipit, nec quo obiectum est obiectum. Primum probatur, quia actio est aliquid perfectius relatione, vel saltem terminus actionis: si quis actus est primus, semper est perfectior actu secundo. Ex hoc sequitur secundum, quia eodem est potens agere quo agit. Tertium probatur: quia absolutum receptiuum, immediatè perficitur absoluto recepto; si relatio esset quo, tunc compositum ex absoluto & relatione esset immediatum receptiuum. Similiter etiam potest probari primum. Quartum sequitur ex primo & tertio: quia obiectum vel est actiuum, vel passiuum. Sed hoc non valet: tum, quia relatio obiecti, etiam vbi est actiuum, alia est à relatione actiui: tum, quia diuisio non valet; obiectum enim voluntatis & cuiuscunque potentiæ actiuæ, non factiuæ, nec est actiuum, nec passiuum, quia passio in extrinseco tantùm correspondet factioni.

Hic 4. conclusiones.

Obiectum, an actiuum, vel passiuum?

13 *Relatio rationis non est ratio obiecti.*

Ideò probatur aliter: relatio obiecti ad potentiam est relatio rationis; illa non præsupponitur actui rationis, ideò non potest esse formalis ratio obiecti intellectus, quia formalis ratio obiecti præcedit actum; nec etiam actus potentiæ breuiter, nisi fingatur de volũtate: quia omnes aliæ habent actus suos, non præsupposito actu intellectus de voluntate etiam nihil valet: tum, quia tendit in rem vt in se est; tum, quia primam apprehensionem obiecti potest concomitari volitio si adest: tunc nulla relatio rationis causatur. Primum assumptum scilicet quòd relatio obiecti ad potentiam, est relatio rationis: hoc falsum esse videtur, tam ex conclusione secunda pertractata: quàm ex 15. nec Arist. dicit hoc in litera. Notandum, quòd de 4. conclusionibus propositis nunc vltimo tres primæ pertinent ad secundum modum relatiuorum, quarta ad tertium.

Alia ratio actiui, & obiecti.

Pro quarta conclusione nota, quòd licèt obiectum quandoque sit actiuum, quandoque passiuum: tamen non est eadem relatio obiecti, vel actiui; sed duæ sunt relationes fundatæ in eodem absoluto. Quando enim obiectum quoad existentiam realem corrumpitur, cessat agere in potentiam: non tamen desinit esse obiectum, quia similiter intelligitur & amatur, quod non est, & quod est: quando agit etiam vel patitur, adhuc non inquantùm agit, vel patitur in potentiam, sed inquantùm est terminus actionis potentiæ est obiectum: terminus, inquam, non productus, quia ille est effectus producentis, sed terminus in quem transit: sicut in obiecto potentiæ factiuæ: sed nec est illa relatio tertij, sed secundi actiui, ad passiuum; ergo terminus non in quem, sed circa quem est actio manens in agente, est obiectum potentiæ, vt intelligibile, vel habitus, vt scibile est relatiuum tertij modi. Ex hoc sequitur quòd obiecta potentiarum passiuarum non referuntur tertio modo, sed secundo: tantùm enim agunt in potentias passiuas: & non terminant ipsas: nec secundùm substantiam ipsarum, patet: nec secundùm passionem, quia si quis est terminus passionum, manet in patiente, nec obiectum passiuæ potentiæ refertur tertio modo: neque scilicet terminus productus, nec in quem agit, vt prædictum est.

Obiecta potẽtiarum non referuntur tertio modo.

14 *T.c.20. huius.*

De istis relationibus tertij modi dicit Philosophus quòd non sunt mutuæ, sed non dicit quin sint per se, nec dicit eas esse relationes rationis. De primo & secundo, nota. De tertio probatur quòd visibile non est relatio rationis: tum, quia necessariò concomitatur potentiam visiuam, vel præcedit, quia perempto, &c. relatio rationis non est prior, nec simul cum re vera. Tum, quia 2. de Anima; t.c.66. vult Philosophus quòd hæc est per se secundo modo, *color est visibilis*. Impossibile est rem rationis de re extra animam prædicari per se. Vnde probatio quartæ conclusionis de obiecto scilicet per medium de relatione rationis, non valet.

Relationes tertij modi nõ sunt rationis. Hæc est per se; color est visibilis.

Omnia hæc membra improbantur ex hoc, quòd super actionem & passionem in actu & potentia, fundatur relatio; ergo est posterior naturaliter. Item, specialiter de secundo, & tertio: si potentia illa corrumpatur, quando agit, vel quando recipit.

recipit. Item, termini relationis ſimul ſunt naturâ, vel non poſteriores natura ipſis relationibus: actio & receptio ſunt termini potentiæ actiuæ & receptiuæ, ſed actio, vel recipere, non præcedunt naturaliter ſe; ergo nec potentia ad ipſa. Quantùm ergo ad ſecundum modum dicitur ſic: quòd natura abſoluta, ſiue actiua, ſiue paſſiua, priùs naturaliter ordinatur ad agendum, vel recipiendum, quàm agat, vel patiatur, & hîc eſt relatio determinans ad agendum, vel patiendum: non eſt tamen principium elicitiuum, nec receptiuum, ſed ordo fundatus in principio elicitiuo & receptiuo: ſicut probatur de elicitiuo principio, quod dicit eſſe perfectius, & de receptiuo, quod immediatè: & de vtroque quod manet cum actione & receptione. Reſtat ergo reſpondere ad duo argumenta, videlicet quomodo relatio fundatur ſuper actionem & paſſionem in potentia, cùm præcedat actionem: & quomodo illa relatio eſt, quando terminus ſuus non eſt. Ad primum concedatur, quòd ſuper actionem & paſſionem in potentia fundantur relationes potentiales. Et hoc probatur: quia relationes actuales fundantur ſuper actionem & paſſionem in actu, & relationes potentiales ſunt eiuſdem ſpeciei cum actualibus; ergo habent idem fundamentum ſpecie. Sed relatio potentiæ quæ eſt in actu, fundatur ſuper naturam abſolutam, quæ eſt principium agendi: vide Simplicium in principio capituli de *Ad aliquid* ſuper prædicamenta. Ad aliud dicitur, quod terminus relationis potentiæ eſt actio in potentia; & ita ſimul eſt in potentia.

Natura, an prius ordinatur ad agendum quam agit?

Quomodo relatio fũdatur ſuper actionẽ in potentia, cũ tunc actio non ſit.

15

Contra hanc viam: non minùs eſt principium actiuum quod ſemper habet actionem ſuam coæuam ſibi, quàm quod aliquando præcedit actionem ſuam: & tamen primum non ordinatur aliqua relatione potentiæ ad agendum: quia potentia non manet cum actione; ergo illa potentia non eſt prior naturaliter in actiuo vel receptiuo, quàm agat vel recipiat: ſed etiam prior tempore: & hoc ſi accidit actiuum, vel receptiuum, prius tempore eſſe quàm agat, vel recipiat, ex hoc ſequitur quòd non ſit neceſſaria, vt determinans: tum, quia agens, cui coæua eſt actio, determinatè agit; tum, quia magis eſſet neceſſaria, quando actu agit, quàm antequam egit: tunc enim maximè eſt determinatum ad actionem, quando actu agit: potentia autem non manet cum actu. Item, relatio ex determinatione termini magis determinatur quàm è contra: ſaltem prior eſt determinatio termini: actio autem eſt terminus huius potentiæ; quia ergo ad hanc actionem, ideò eſt hæc potentia in agente, non è conuerſo. Contra reſponſionem ad primum: potentia illa per te eſt prior naturaliter actione in actu, vt in actu: & eſt fundamentum relationis actualis: igitur relatio illa prior eſt fundameno relationis actualis fundatæ ſuper actionem in actu; ſed non eſt prior fundamento relationis potentialis fundatæ ſuper actum in potentia, quia non prius eſt potentia in iſto ad agendum, quàm ſit actio in potentia; ergo relatio actualis & potentialis non habent fundamentum eiuſdem ſpeciei, contra illud quod eſt ſuprà: & hoc probatur, &c. Contra primam reſponſionem ad ſecundum: ſi actio in potentia eſt terminus relationis potentiæ: quæro in potentia ad quid, quia illa potentia eſt relatio: ſit ad A, aut ad A in actu; & ſicut priùs illa non eſt; ergo nec potentia ad ipſam; ergo nec prima potentia: ſi ſecunda potentia eſt ad A, in potentia, quæro in potentia ad quid: quia etiam illa potentia eſt relatio: & ſequitur proceſſus in infinitum. Patet etiam quòd terminus relationis potentiæ eſt ens actu, vel actus: quia potentia eſt ad actum, non ad potentiam. Contra ſecundam reſponſionem ad idem; magis poteſt intellectus aliqua ſeparare, quàm poſſint ſeparari in eſſe. Sed impoſſibile eſt intelligere vnum relatiuorum ſine alio correlatiuo; ergo non poteſt eſſe ſine alio coexiſtente. Item, tota hæc via ponit, quòd Philoſophus inſufficienter diſtinxit modos relatiuorum, cum potentia illa poſſit fundari immediatè ſuper formã ſubſtantialem, vel qualitatem aliquam actiuam, & non ſuper aliquid de genere Actionis, vel Paſſionis.

Diſputat contra ſimult tẽ relatiuorum.

16

Concedatur ergo, quòd potentia propriè dicta, quæ ſcilicet opponitur actui, nec eſt principium elicitiuum, nec receptiuum, nec eſt prior naturaliter actu agendi, vel patiendi, vt in potentia, vt concedit prima via: & argumenta prima tria, quæ concedit illa via, hoc concludunt, ſed fundatur in vtroque, quando præcedit actum agendi, vel recipiendi, vt eſt prior naturaliter actione, vel paſſione: ſic quòd aliquo modo pertineat ad rationem cauſæ, vt determinans, vel quomodocunque quod probatum eſt illic: *Contra hanc viam*, &c. Quia non manet cum actu, nec aliquo modo eſt neceſſaria ad agendum, vel recipiendum, nec vt præuia, nec vt concomitans. Sed nunquid potentia tranſumptiuè dicta, pro principio potentiali actiuo, vel paſſiuo, non dico pro abſoluto, quod eſt principium, ſed pro ipſa relatione principij, vel cauſæ, eſt neceſſaria ad agendum, vel patiendum, ſiue vt prior naturaliter, ſiue vt neceſſariò concomitans? Reſpondeo: relatione principij, ſiue dicti ad actionem, ſiue ad eius terminum, actu non eſt, niſi quando eſt actio: tunc autem non eſt prior naturaliter actione, ſed poſterior: quoniam tunc eſſet prior naturaliter ſuo termino: ipſa tamen relatio neceſſariò concomitatur actionem, quia actio eſt primò cum ambobus extremis. Ambo enim ſunt in actu ſi ſublata eſt: & ſi ſucceſſiua, abſolutum ſuper quod fundatur, & actio tunc ſunt, licèt non terminus actionis. Relatio autem cauſæ, vel principij concomitatur actionem, nec neceſſariò præuia eſt: quia non oportet abſolutum præcedere tempore ſuam actionem: quod dictum eſt de actione. Eodem modo intelligatur de paſſione: tamen relatio potentiæ eſt præuia actioni & paſſioni; ſi abſolutum præcedat actionem, vel receptionem.

Potẽtia, non eſt prior actu agendi, vel patiendi, *exponitur.*

Relatio principij poſterior actione.

SCHOLIVM IV.

PRO *maiori explicatione ſecundi modi relatiuorum, declarat quomodo potentia fundatur ſuper abſolutam naturam ſubſtantiæ qualitatis, & quantitatis. Secundò quomodo actio, & paſſio fundant tres reſpectus, quia actio reſpicit agens, productum, mutatum; & paſſio duo vltima, atque potentiam ad ipſam. Quartò, quomodo illa tria non conueniant actioni immanenti, neque creationi: (hac enim non reſpicit mutatum, quia ante eam non eſt mutationis ſubiectum) ſed in omni paſſione reperiuntur, quia non eſt paſſio, vbi actio illa tria non continet.*

Quantùm ad modum ſecundum relatiuorum, nota,

nota, quòd hæc ibi inueniuntur circa actionem & passionem. Primò est potentia fundata super naturam absolutam substantiæ, vel qualitatis, vel quantitatis ad agendum, patiendum, siue recipiendum, & relatio actus fundatur in actione, vel receptione, quæ est terminus huius potentiæ: adhuc non est relatio huius causæ: nisi in potentia, & non in potentia, nisi vt terminus potentiæ prædictæ, & hic non est immediatus: quia immediatus est actio, vel receptio, inquantùm actio super quam fundatur relatio causæ efficientis, vel materialis, cui correspondet relatio opposita causati, fundata super terminum productum per actionem, vel super receptum, vel compositum ex recipiente & recepto, quia fortè materia magis dicitur materia compositi quàm formæ, T. secunda conclusione de forma. Non solùm autem actio est actus, secundùm quam rationem terminat primam relationem scilicet potentiæ ad ipsam: nec solùm est productio, secundùm quam rationem fundat relationem ad terminum productum, sed etiam est motio, vel mutatio actiua, secundùm quam rationem fundat relationem ad illud quod mouetur: sic passio est actus, vt terminat relationem potentiæ ad ipsam: & est productio alicuius, & fundat relationem ad productum: & est motus, vel mutatio passiua, & fundat relationem ad mouens. Tria prædicta in actione fortè vnitiuè continentur: & similiter tria alia in passione, non in qualibet actione, sed tantùm in illa quæ est factio: non quæ est immanens quâ nihil producitur: nec in qualibet factione, si creatio potest dici factio, quia per ipsam aliquid extra agens producitur, licèt non transeat extra in subiectum, transit tamen in terminum: sed tantùm in factione naturali, quæ est motio, quæ est quædam species actionis, includens tria prædicta, & secundum illa fundans tres relationes. Aliquæ autem actiones, quæ non includunt illa, non fundant tot. Volitio enim tantùm vnam fundat, quæ est terminus potentiæ, & actio, quæ est in voluntate ad volendum; creatio fundat duas: vnam quâ est terminus potentiæ: aliam quâ est productio ad productum: & sic super ipsam fundatur relatio causæ efficientis, & super terminum relatio effectus. Secundam relationem fundat generatio ignis: est enim terminus potentiæ fundatæ super formam substantialem ignis generantis, vel super ignem generantem, & est productio ignis generati, & est mutatio materiæ potentialis ad formam ignis generandi: passio autem omnis propriè dicta de genere Passionis, includit tria prædicta. Ipsa enim nunquam est nisi correspondens actioni includenti tria prædicta: non enim correspondet primæ actioni, cuiusmodi est volitio, quia illa actio nullum habet terminum alium à se: & ratio productionis in actione, est prior ratione motionis, quia nihil mouetur, vel mutatur, nisi ad aliquid aliud ab ipsa passione: nec correspondet secundæ, quia ibi licèt aliquid producatur, nihil mouetur nec mutatur: quia tunc oporteret illud naturaliter præcedere terminum; correspondet ergo tantùm tertiæ actioni.

Triplex relatio in actione, & passione.

Volitio vnam fundat relationem, creatio duas.

Passio semper fundat tres relationes.

18 Istarum ergo trium relationum iam dictarum prima non est agentis & patientis, sic quòd res de genere Actionis & Passionis fundent ibi relationes mutuas, sed est relatio transcendens potentiæ, & actus transcendens modo quo dicetur. Secunda etiam non fundatur similiter mutuò super actionem & passionem, sed super alterum illarum, vt in creatione, vel vtrumque, vt in generatione ad terminum, qui terminus idem est, loquendo de absoluto, quamuis duas relationes fundet, quando duas terminat, & tantùm vnam quando est terminus actionis tantùm, sicut in creatione: & hæc relatio similiter est transcendens aliquo modo, quia relatio causæ & causati: tantùm ergo relatio tertij ordinis fundatur mutuò super actionem & passionem, & hæc variatur secundùm Aristotelem in litera: quomodocunque enim accipiantur proportionaliter actio & passio, siue actu, siue in potentia, siue in præteritione, siue in futuritione, siue positiuè, siue priuatiuè, semper fundant relationes mutuas, quia semper manet ratio per se fundamentorum: tamen aliquo modo diuersificata, per illa determinantia illud fundamentum: & vbi est vnitas cum aliqua diuersitate, est similitudo. Verbi gratia, si dicerem, sicut simile ad simile, sic simile quomodocunque determinatum, ad simile determinatum, puta simile in albedine, ad simile albedine: & sic de aliis; ergo relatio fundata in absoluto ad actionem & passionem, alia est ab illa quæ fundatur in actione in potentia, & passione in potentia, & hoc ratione, quâ actio est motio, & passio motus. Et licèt illa determinatio, quæ determinat actionem & passionem, sit relatio potentiæ & eadem fortè cum illa, quæ est ad actionem & passionem: ipsa tamen determinans, non est causa mutuæ relationis, sed id quod determinatur per ipsam.

Relatio actionis, & passionis est transcendens.

Tantum relatio tertij ordinis fundatur super actionem, & passionem.

Relatio fundata in absoluto ad actionem, alia est à fundata in actione.

SCHOLIVM V.

PONIT 12. *dubia acutissima contra resolutiones suas in hac quæst. & soluit breuiter, sed subtilissimè; & vix quicquam cum breuitate de eis dici potest, quia singula exigunt longam examinationem. Ad septimum & nonum, quibus non respondet, vide notationem Mauritij hic & loca doctoris ab ipso citata, qui non sine causa asserit Doctorem in hac quæstione videri vltra humanum ingenium speculari.*

19 In hac narratione videntur quædam dubia. Primum, quod sequitur Philosophum non sufficienter distinxisse modos relationum, quia relationes primi & secundi ordinis ad nullum illorum pertinent secundum te. Secundum, quod sequitur quòd omnis potentia terminetur immediatè tantùm ad actionem vel passionem, quod videtur falsum, cùm ens diuidatur in communi per actum & potentiam; & ita quodlibet genus sic diuidatur. Tertium, quod relatio causæ efficientis, vel materialis, non fundetur, nisi super rem de genere Actionis & Passionis, & non super formam absolutam, cùm illa videatur principium, vel causa actionis. Similiter causa efficiens videtur perfectior effectu: quandoque est substantia; ergo formalis ratio in causa, non est actio, quia etiam materia, ideò videtur recipere non è conuerso. Quartum quod relatio super receptionem, est ad receptum: illud non est aliquid compositum. Item, compositum est productum, & ita terminat secundam relationem actionis; non ergo primam. Quintum, quòd idem produci potest per generationem & creationem; ergo easdem relationes fundabit, alioquin illud

illud productum per se refertur ad duo, contra Aristotelem hîc, idem etiam producetur duabus productionibus. Item, si agens formaliter denominatur à relatione causæ efficientis, igitur fundamentum est in ipso, sed actio non; igitur non vniuocè dicitur Deus calefactiuus & ignis, quia Deus inquantùm calefactiuus, non dicitur ad calefactibile, ignis dicetur, quod videtur inconueniēs, cùm diuersitas subiectorum non variet relationes. Item, ad idem specie actio eadem specie; ergo fundat relationes easdem. Sextum, quia si creatio est in creante; ergo est æterna:& ita non terminat potentiam. Septimum, quare non dicitur tunc Deus realiter ad creaturam, sicut efficiens causatum ad creaturam effectam? Octauum, quia volitio est passio inquantùm recipitur in voluntate, similiter intellectio.

20 Nonum, quia cùm actio possit esse sine termino alio à se, quare non similiter aliqua passio? & hoc habetur de prima intellectione quòd est passio, siue aliqua forma alia impressa. Decimum, quare in creatione non potest præintelligi naturaliter potentiale, siue actuabile,& in in illo priori naturæ transmutari ad actum, & illam transmutationem esse productionem compositi? sicut si Deus solùm crearet materiam summè dispositam,& approximatam agenti naturali,quòd agens in eodem instanti, licèt posterius naturaliter, induceret formam in materiam; sic si Deus nihil creet nisi materiam, & de illa simul duratione producat compositum non creando. Vndecimum, quia cùm passio sit effectus actionis in sex principiis actu, actu, & potentia, potentia: quare ille modus relatiuorum in tertio ordine, non est causæ efficientis ad effectum; Duodecimum,quia actiuum importat potens agere, passiuum potens pati, ratione potentiæ hinc inde, dicuntur non mutuò, quia illa vtrimque tantùm dicitur ad actum; ergo tantùm ratione actionis & passionis terminantium potentiam: sed actio terminans potentiam, est actio in actu; ergo eadem relatio est actio & passio secundùm actum, & secundùm potentiam: quia eadem relata. Confirmatur: terminus non specificatur per relationem; ergo nec actio per potentiam quæ ad ipsam. Vel sic: non similiter referuntur quæ immediatè referuntur, & quæ non: agens immediatè refertur ad patiens potens agere, non ad passiuum inquantùm hujusmodi, quia potens agere, primò refertur ad agere, sic vt passiuum ad pati, vltra actionem & passionem.

21 Ad primum conceditur conclusio, quia non de transcendentibus, sed tantùm certum genus recipientibus pro fundamento, quomodo sit glossandum, quære. Ad secundum: potentia & actus, vt sunt differentiæ entis, diuidunt quodlibet ens,hîc est sic, albedo in potentia obiectiuè, id est, obiectum, siue terminus potentiæ, terminus, inquam, vt correlatiuum, albedo in actu, id est, terminus euacuans potentiam, sicut albedo in fieri est, ad quam sequitur relatio factionis, passiuæ ad factum esse. Contrà: fieri in facto esse, euacuat fieri in potentia vt per se terminus. Ad tertium dicendum, illud concedendo actu, actu, & potentia potentia: forma verò & finis non super actionem & passionem tantùm fundantur, quia efficiens & materia præcedunt rem, & eius forma,& finis productionem,& concomitantur, & sequuntur ordine naturæ productionem; ideò magis sunt, vt termini actionis &

Actus & potentia diuidunt ens.

passionis quàm fundentur super ipsa: actio autem & passio possunt terminari ad absoluta diuersorum generum. Quod additur, quòd absolutum est principium actionis, videtur falsum, quære processum in infinitum inter conclusiones de actione de hoc: vnde hoc probat argumentum, quòd oportet ponere quartam relationem, quæ est media inter primam & secundam.Quod additur de perfectione efficientis intelligitur quantùm ad remotum fundamentum relationis. Ad quartum passio est actus, & productio, & receptio & motus: receptio intelligitur in motu, sicut in parte actionis: impressio actiua intelligitur in motione: vnde conuenienter secundo loco ponitur productio, tertio loco motus. Contrà: prior est receptio formæ quàm productio compositi.Ad aliud concedatur,idem est productum productione actionis & passionis, & ad vtrumque dicitur alia ratione. Ad quintum, quando absolutum est effectus mediatus, actio & passio immediatus, iuxta 6. Principia, tunc absolutum dependet à pluribus; ideò plures relationes fundat, quàm quando immediatè terminat actionem. Concedatur illud non vniuocè, quia ignis est potens facere aliquid calidum, Deus potest facere calorem calefactiuum; vtrumque potest significare æquiuocè. Aliud de identitate actionis falsum est, non à termino, sed à principio elicitiuo 5. Physic.com.38.Ad sextum,sicut nulla actio coæua agenti terminat, sed nata est terminare; sic hæc. Ad septimum quære.

Relatio efficiētis & materialis fundatur super actione.

Passio est actus, productio, receptio, motus.

Idem est productū actionis,& passionis.

Deus & ignis æquiuocè calefactiui.

Ad septimū vide 1. d.30. q.2.ad arg. ad 9.4.d.13. q.1. volitio propriè non est actio.

Ad octauū,volitio si per se esset passio, esset & actus & productio, sed in aliquo est sicut forma eius, non vt passio, sed sicut passio esset receptio albedinis, sic receptio volitionis. Contra hoc, receptio est immediatus effectus alicuius actionis, non nisi volitionis: & destruitur quod dictum est in primo modo actionum,quòd non habent terminum alium à se. Item,volitio est prior seipsa, quia eius esse est in subiecto, & ante illud est receptio, vt via, & ante illam volitio, vt eius causa.

22 Ad nonum quæritur quare. Ad decimum, non arguit quin creatio materiæ habeat duas primas relationes actionis, & non tertiam, quicquid sit de composito. Similiter licèt probet non esse necessarium compositum terminari, sed tantùm materiam: tamen non probat quòd non sit possibile: potest enim forma produci à Deo, non quasi de materia naturaliter præsupposita.

Ad Vndecimum, concedatur quòd relatio actionis & passionis est relatio efficientis talis, per motum scilicet vel mutationem ad effectum talis causæ proximum: causans autem sine illo effectu proximo, producit effectum vltimum, qui semper tam hîc, quàm ibi est intentus principaliter: licèt efficiens diminutum non possit illum immediatè producere: quia non de nihilo, & ita producit aliquid transmutando: passio tamen illa non est causa efficiens media: sed magis est causa materialis producti, ita quòd efficiens non tantùm efficit principale productum; sed etiam materiam eius, vel simpliciter sicut creans, vel inquantùm materia huius: sicut generans, & ita efficit aliquo modo omnes alias tres causas: de hoc suprà. De forma & fine, etiam extrinseco inquantùm finis satis patet in 2. libro.

Efficiens causat alias tres causas.

Ad 12. probat quòd ratione determinationis hinc & inde,non dicuntur mutuò,quod concedo: sed

sed ratione determinatorum: si enim determinantia essent rationes referendi, cùm illæ sint diuersæ, actus, potentia, præteritio, futuritio, priuatio, sequeretur quòd non: similiter hæc omnia dicerentur: quia non ratione illius quod ratione est in eis, sed vnum diuersorum. Exemplum: sicut maior in scientia ad minorem in scientia, sic maior in similitudine ad minorem in similitudine: hoc verum est ratione specificatorum vtrobique scilicet maioris & minoris: non ratione specificantium, quæ vtrimque dicuntur ad alia, vt scientia: non ad minus, sed ad scibile: & hæc adhuc diuersimodè: quia scientia vt mensurata: non sic simile ad simile. Ex alia parte potentia & potentia, actus & actus duo correlatiua sub vno extremo relationis, vt sub potentia, deinde ambo sub alio, vt sub actu. Ad formam, ratio referendi vtrobique est actio & passio; sed non sine diuersitate specificantis, & ideò est similitudo. Quod accipitur in confirmatione, negatur: quia sicut per aliam relationem, ita per illam quæ est ad ipsam potest aliquid determinari. Ad aliud respiciendo ad determinata, quælibet relatio est immediata; quantùm ad determinantia, non. Nec etiam mediata, quia nihil faciunt ad illam mutuam relationem.

ANNOT. MAVRITII.

23

SEquitur quæstio vndecima de entitate & conditionibus relationis, t. c.20. in qua est sermo difficilis de obiecto difficili scilicet relatione: nam minimæ entitatis teste Auerr. 11. Metaphysicæ, comm.19. & per consequens cognitionis, vt patet 2. Metaphysic. comm.4. primo breuius videtur respondere ad quæsitum, sed licèt subtiliter & singularissimè, tamen potiùs sequendo dicta Simplicij & Henr. quàm propria, vt in sequentibus patet: videatur Henr. quodlibeto 5. q.6. & 7. & quodlibeto 7. q.1. & quodlibeto 9. q.3. & Ocham quodlibeto 6. diffusè, & alibi sæpè.

Consequenter procedit longo digressu proponendo conclusiones & corollaria in hac materia, vltra ferè humanum ingenium inuestigando entitatem, conditiones, modos, & proprietates relationum & relatiuorum, in originalibus antiquis solent assignari conclusiones ordinatæ numerando, vel 30. vel plures, vel pauciores: & quia variæ quotationes in originalibus inueniebantur, omisimus eas ad iudicium lectoris suo modo computandas; aliqui incipiunt primam conclusionem ibi: *Relatio comparatio*, &c. aliqui parum pòst ibi: *Relatio aliqua est res natura*, &c. quod lector distinguere habet; ibi etiam per totum loquitur narratiuè, vt infrà profitetur: sed lector eligat eligéda: & omittat quæ ad rem non faciunt bene examinando fundamenta huius alibi; nam vt à principio notaui vniuersali indagine hîc plerunque incedit.

24 *Quomodo æqualitas est proprietas quantitatis?*

Infrà ibi: *Contrà, passio necessariò inest*, &c. posset dici *Extra*, vsque ibi: *Item scientia Mathematica*, &c. sed posito quòd sit de litera, faciliter dicetur recurrendo ad aptitudinem & actum: non enim dicit Philosophus quòd æquale, sed quod secundùm ipsam dici æquale, est proprium quantitatis: & similiter, de simili respectu qualitatis. Aliqui etiam assignant totam illam literam ibi, *Hanc quæstionem circa hanc conclusionem*, &c. vsque ibi: *Relatio aliqua est res rationis, & extra*, sed satis notabilis, & sequens & subtilis; ideò legatur. Vbi aduerte ad illam responsionen infrà: *Respondeo, ens verum quod est in compositione*, &c. quæ litera posset dici extra: sed quia optima & subtilis, & argumentum apparenter euadens, impugnetur consequenter, vt infra in 6. habet. Nam licèt ad ens verum reale reducantur entia rationis: non tamen sub ipso continentur, vt partes subiectiuæ, sicut relatio continetur; ideò, &c. plura alia ibi adde curiosè.

Num.5.

Consequenter infra ibi: *Nota circa secundam conclusionem*, &c. vsque illuc, *Relatio non videtur vnius rationis*, &c. assignatur *Extra*: sed singularis speculatio est de causatione, entitate, & fundatione relationis rationis, & multiplicitate eius: vide in Logicalibus huiusmodi; & infrà 7. huius q. de Vniuersali & singulari: & in Quodlib. q.13.

Deinde ponit quandam obiectionem, quam non soluit ibi: *Contrà ita illa rationis videtur habitudo*, &c. Ad quam dici potest; quòd habitudo æquiuocè conuenit vtrique, quia vnum ex natura rei, & simpliciter est tale: aliud secundùm quid & per positionem collatiuam: vide hunc in Prædicamentis, cap. de Relatione, & 19. atque 29. dist. primi: & alibi sæpe.

25

Parum post ponit duas alias quas non soluit ibi: *Contrà, relatio ad subiectum non videtur aliud in albedine*, &c. & licèt omnia talia possent assignari additiones, vel *Extra*: tamen quia currunt subtiliter, omnia sunt ponenda & soluenda, si sunt obiectiones; vel impugnanda, si responsiones. Ad primum; negetur quod assumitur ibi: Priùs enim, naturâ saltem, est aliquid album, quàm insurgat relatio inhærentiæ in albedine: de diuersis etiam dicuntur, & diuersis insunt. Ad aliud de sex Principiis dicendum, quòd sunt respectus extrinsecùs aduenientes: & non relationes propriæ, vel saltem appropriatæ: vt hîc loquitur Doctor.

Similiter parum pòst, ibi: *Contrà in Deo*, &c. vbi obiicit quòd in diuinis sunt relationes, non tamen in subiecto alio à fundamento, nec eodem: similiter propria passio, quæ importat relationem, vel est relatio, non videtur esse in subiecto: quia tunc esset posterior, & per consequens non idem, sed separabilis. Ad primum dicatur, quòd in diuinis præuenitur informatio, & accidentalitas, & subiectio propter infinitatem & simplicitatem diuinam. Ad aliud concedo, quòd est posterior passio subiecto: non tamen propriè receptio, nec informatio, sed transumptiuè & famosè. Vide 8. di.1. & prima di.2. aliter tamen ibi, quàm in diuinis, vt nosti.

Num.10.

Vlteriùs aduerte diligenter qualiter paucis plura amplectitur, ibi: *Relatio realis non est eadem res*, &c. & vide copiosè 1. dist.2. q.4. & 5. & alibi.

Nota, quòd in quibusdam antiquis originalibus in margine hîc habentur hæc verba: *Relatio aut est res vera, aut tantùm rationis: si res vera: aut eadem fundamento, aut alia à fundamento: si alia à fundamento, aut coæua fundamento, aut non coæua fundamento, secundùm Syrvvod. A. patet ex prima conclusione; & ita B. falsum C. improbatur ex 8. & ita etiam potest improbari D. & ita relinquitur E. ergo mutatio & compositio. Responsio: sicut respectus terminat mutationem, sic componit. Item infinita res.* Quære argumentum & respósionem inferiùs contra 9. & quia non ponuntur supra suo loco; ideò hîc omnia notabis.

26 Vlteriùs aduerte infra ibi: *Cõtrà: Dei ad creaturas*, quod in originalibus habetur ibi, quotatio vario modo; vnde sicut à principio notaui, recurrit semper ad antiquos in materia Theologica; clarum enim est vbi habentur illa in opere suo, q. 30. di. 1. ex intentione: & alibi sæpè incidentaliter: remittit ergo se hîc ad Thomam & Henr. & Alexan. & Vua. quære, vt nosti, Summas, & alia scripta eorum. Similiter intellige de aliis quotationibus parum pòst notatis: vnde infrà habet 9. q. 1. intellige de quodlibetis Henr. 9. scilicet Quodlibeto q. 1. sed omnia talia omitti possunt faciliter: quia veritas literæ habetur sine eis. Vbi etiam dicit parum infrà: *quare*, &c. potest referri ad sequentia in libro computando columnas eius: quia quæstione sequente de hoc habetur, vel aliorum librorum.

Obiectio parum infrà, quam non soluit ibi: *Contra relatio quandoque*, &c. faciliter soluitur: nec multùm repugnat benè intelligendo.

Consequenter aduerte ad obiectiones post illam conclusionem: *limitatum, imperfectum, mutabile*, &c. qualiter currunt: & an velit eas concludere, vel qualiter solui possent sustinendo illud quod impugnat: & breuitatis gratiâ pertractare singula hîc omitto. Vide cuncta dis. 30. 1. egregiè 19. & 29. & 31. 1. & maximè in Francisco: quære plura ad hæc: hîc enim fundamenta omnia tetigit: sed alibi declarauit.

Infrà ibi: *relatio non est quo agens agit*, &c. ponit quatuor conclusiones simul: & valde notanter pertractat, vbi ab illo loco: *pro quarta conclusione*, &c. vsque illuc, *Omnia hæc membra*, &c. assignatur *Extra* in aliquibus originalibus. Vbi aduerte quòd post illa verba, *de primo & secundo* nota, antequam addantur illa: *de tertio probatur*, &c. habetur spatium vacuum in aliquibus originalibus: quia videtur ibi litera deficere: sed satis completa est: nam ibi tria tangit cùm dicit parum antè, *de istis relationibus tertij modi*, &c. videlicet esse mutuas, esse per se, & esse rationis. Duo prima satis nota: tertium verò probat, si autem ibi addere volueris aliquid, considera plura quæ addi possent.

27 Nota valde ea quæ sequuntur de fundamento & relationibus secundi modi, & opiniones: & quære in 4. di. 13. copiosè: & in Quodlibeto q. 13. & in primo Reportationum, d. 27. & 1. di. 2. q. 5. & alibi sæpè in Doctrina eius. Pro ampliori declaratione dictorum, vide Albertum, & Thomam hîc & alibi: vt nosti, & imitare semper aquilam.

In originalibus habetur quædam remissio, seu allegatio infrà ibi: *quia fortè materia magis dicitur materia compositi quàm forma*; & ponitur T. & sequitur *secunda conclusione de forma*: & debet intelligi per T. Theorematum, quia ibi habetur quod dicit: sed posset loco T. poni supra si priùs Theoremata scripsit: dubium autem est quod horum priùs scripserit, an Theoremata, an certè has quæstiones quia ibi etiam remittit se ad quæstiones istas: sed si volueris tenere quòd has primò, dic quòd hæc litera erat additio quantùm ad hæc verba. Si verò è contrà, quia illa videntur alphabetum quoddam Metaphysicale, dic consequenter: primum tamen satis probabile est propter plura quæ non oportet hîc addere: sed infrà in 9. q. 11. ad finem; videtur alia pars verior: Solebant enim Doctores nunc addere, nunc deponere, nunc limitare sua dicta, antequam ad manus aliorum traderentur; ideò de priùs scriptis, posterioribus, & è contra, aliqua iungebant: non vt huius temporis scriptores festinantes agere solent, qui suos quinternos impressioni, citiùs quàm correctioni subiiciunt; vt infrà sæpè facit: nam quæstiones librorum sequentium allegat in præcedentibus: fortè tamen non tenuit ordinem scribendi continuum in omnibus, nec ordine textus scripsit.

An prius scripsit Theoremata, quã Metaphysic.

Consequenter soluendo primum dubium de numero 12. aduerte ad illud: quære, nam vbi suprà in primo, dist. videlicet 30. tangitur hoc, & vbi quotantur alij ibidem: infrà etiam quæst. sequente, satis copiosè habetur de hoc & in Theorematibus Henr. vbique præsupponit, quia tempore suo famosus erat.

28 Soluendo etiam secundum dubium, ponitur quoddam *Extra* longum in aliquibus originalibus: quod sic incipit: *Contra fieri in facto esse*, &c. vsque ibi: *Ad tertium dicendum*, &c. & quia non videbatur litera multùm vtilis, omisimus eam præter primam obiectionem tantùm, quam etiam omitte: vel dic consequenter: raro enim ponitur, sed subtilis argumentatio est, & nihil omittere decreui ex tanti ingenij discursu: licèt videantur verba aliorum, quare hîc totum notabo, sequitur litera sic: *Item ens in actu: & ens in potentia non immediatè diuidunt ens: quia secundùm expositionem istam, sed est in facto esse sub neutro membro coæquali. Contra dictum ad c. cùm potentia & actus sufficienter diuidant ens, cuilibet prædicato secundùm genus & speciem correspondet propria potentia & proprius actus: si proprius actus est fieri per te; igitur relatio fundata in receptione habet terminum fieri, in quo etiam fundabatur alia relatio ad factum esse relationis primæ: si in altera, relatio oportet habere potentiam: illa autem per se ad proprium fieri terminabitur: & in primo relatio ad factum esse secundæ, & sic in infinitum; ergo*, &c. *Contra dictum ad d. si passio sit actus productio: receptio & motus, cùm prius naturaliter recipiatur quàm actus eius: sequitur quòd relatio fundata in illa, vt receptio, sit prior relatione fundata in ipsa, vt actus: similiter sicut ipse instas prior est productio; ergo*, &c.

Responsio, verum est: sed prior est productio formæ quàm sua receptio. Contrà: relatio quàm ponis in passione, id est, ad totum compositum, vt per se terminum, quem non præcedit relatio; receptio autem formæ ipsum præcedit; ergo & relatio fundata in passione: vt receptio ad receptum, præcedit relationem productionis, vt tu ponis ipsam ad productum. Contra aliud additum ibi: si productum inquantùm tale alia, & alia ratione dicatur ad actionem & passionem: quomodo ergo idem bis non dicitur? Contra dictum ad 8. si volitio non sit per se passio, sed receptio volitionis; ergo receptio volitionis primò terminat relationem potentiæ non ipsa volitio. Item si volitio non sit ipsa receptio, nec actiua productio: sed forma producta sicut volitio: sicut enim volitio non est productiua alterius, ita nec albedo, vel quantitas; & sicut albedo & quantitas requirunt actionem & passionem per se terminus sicut forma producitur, ita & volitio. Hæc etiam videntur contra dictum ad 9. Ad primum quòd fieri volitionis, quæ est qualitas informans, & est receptio illius qualitatis: & productio & passio: in quo fundatur relatio productionis ad productum; ideò nec modò potest volitio, quæ est qualitas producta, producere ipsam produ

productionem passiuam, sicut non actiuam; est ergo productio, siue receptio passiua, immediatus effectus actionis, quæ est elicitio, non quæ est qualitas elicita. Per hoc patet ad secundum quod idem non præcedit se: sed elicitio actio præcedit vtrunque. Aliquis fortè diceret consequenter quòd sicut passio de genere Passionis non est sine termino: similiter nec actio sibi correspondens: sed vtraque fundat illas tres relationes: volitio tamen, quæ non est per se passio: sed pro tanto: quia recepta in alio non habet terminum vlteriorem. Tota ergo litera omnino est *Extrà*: & tangit solutiones 2. 3. 4. & 8. dubiorum. Vnde per c. intelligit 3. & per d. 4. & c. sicut sibi mos est in his Metaphysicalibus & Theorematibus & alibi: & an sit litera propria, vel alterius dubium est: sed propriam esse probabiliter apparet: satis tamen fracta & impertinens.

Ex his patet ad illam obiectionem, quam non soluit contra solutionem quarti dubij. Similiter ad duas alias contra solutionem octaui dubij, quas non soluit: sed omnia examinabis.

30 Deinde cùm dicit: *Ad 7. quære*, vide valde signanter ad hæc, in primo di. 30. q. 2. soluendo argumenta principalia; quære in Vuar. & aliis antiquis ibidem, idem.

Similiter parum infrà cùm dicit: *Ad 9. quære*, & quærit, seu quæritur quare. Vide ad hoc infrà in 9. lib. & in 4. di. 13. & in Quodlibeto q. 13. & in primo Reportationum, di. 27. & in primo Anglico. di. 3. quæst. vltima; nam æquiuocum est hoc nomen *actio*, & similiter hoc nomen *passio*; non ergo impugnat dicta: sed quærit quare: & ex illis locis declarat quare: plura alia notabit diligens lector hîc, quia materia valde copiosa & ardua: nil mirum ergo si vt plurimùm problematicè procedit hîc Doctor, sed quis in arduis certior aquila? quære antiquos hîc & alibi.

Alia per se vt duplum ad dimidium, & triplum ad tertiam partem: & totaliter multiplicatum ad multiplicati partem: & continens ad contentum. Alia vt calefactiuum ad calefactibile, & sectiuum ad secabile: & omnino actiuum ad passiuum: alia verò vt mensurabile ad mensuram: & scibile ad scientiam, & sensibile ad sensum. *Tex. com. 20.*

QVÆSTIO XII.

Vtrùm conuenienter ponat Philosophus tres modos relatiuorum?

Arist. *hic c. 15.* D. Thom. *lect. 17. & in 1. p. q. 13. art. 7. & q. 28. art. 1.* Ferrar. & Caiet. *in iisdem locis.* Capreol. *in 1. dist. 19. q. 2. & dist. 30. q. 1.* Ant. Andr. *hic q. 13.* Flandria *q. 16. art. 2.* Hispal. *in 2. dist. 19. q. 2.* Suar. *disp. 47. Met. sect. 10.* Auersa *q. 19. log. sect. 7.*

1 QVòd non in communi. Isti diuersi modi fundantur super diuersa generalissima; ergo relationes sunt in diuersis generalissimis. Probatio consequentiæ. Si relatio sit idem cum fundamento: tunc patet: si aliud, cùm accipiat speciem & distinctionem à fundamento, tunc tantùm differunt relationes, quantùm fundamenta: quare si fundamenta distinguuntur genere, & relationes. Item, dicit Philos. in 5. quòd octo dicuntur dupla dualitatis ratione; cùm ergo dupleitas non insit aliis numeris, nisi per dualitatem, quæ est primum fundamentum duplicitatis, sequitur quòd vnitas & distinctio relationis, sit à fundamento. Item, isti modi non sufficiunt, quia relatiua secundùm genus, sunt per se relatiua, & non continentur sub istis modis. Probatio primi, quicquid est de intellectu generis, est de intellectu speciei; ergo si genus dependet, & species similiter. Philosophus quoad secundum dicit in litera, de primo modo specialiter, idem non refertur per se ad diuersa, sed idem continens refertur ad multa contenta. Item, omnia relatiua sunt opposita in Prædicamentis, cap. de Oppositis, continens & contentum non. Probatio minoris in Prædicamentis c. de Quantitate, magnum & paruum non contraria sunt, quia idem dicitur magnum & paruum: similiter idem duplum ad hoc, & dimidium ad aliud; ergo non sunt opposita. Quòd etiam pars secunda illius modi non sit conueniens, quia identitas est relatio rationis; ergo non est vera relatio huiusmodi. Probatio, identitas est vna plurium, quando intellectus vtitur vno vt duobus; ergo identitas & similitudo realis non sunt in eodem genere. Item, idem, simile, & æquale sunt per se partes *vnius*, sed in omni genere est *vnum*; ergo, &c.

De secundo modo, sic; relatio nec relatiuum non est fundamentum relationis, sed potentia actiua & passiua referuntur; ergo relatio non fundatur super potentiam actiuam & passiuam, nec sunt formæ relationis in hoc genere: sicut nec quantitas est forma qua duplum refertur: similiter nec qualitas est forma qua simile refertur. Item, si secundùm potentiam actiuam aliquid dicatur relatiuè, hoc est ad dictum secundùm potentiam passiuam, sed hoc non: quia tunc idem ad duo, quia potentia actiua per se refertur ad agere; si igitur ad potentiam passiuam, tunc idem per se ad duo.

De tertio modo, quòd nihil refertur secundùm illum modum, ambo relatiua sunt in eodem genere; si non, tunc duo generalissima relationis: sed dicta sic non sunt in eodem genere, auctoritate Philos. 10. c. 9. t. c. 22. vult inter relatiua nō esse medium; quia non sunt in eodem genere, & ponit exemplum de scientia & de scibili. Item, ratione sic: omne quod habet rationem in genere Relationis, propriam illius generis, siue concretum sit, siue forma, siue sit denominatiuum, esse eius est ad aliud se habere; esse scibilis non est ad aliud se habere, hîc in 5. quia non dependet ad scientiam, contrarium explicat Philos. in litera. Tex. c. 20.

SCHOLIVM I.

TRES *modos relatiuorum assignatos à Philosopho sufficienter esse traditos; & soluit tria argumenta prima contra hoc adducta.*

2 Ad quæstionem in generali, dico quòd distinctio conueniens est. Vbi notandum quòd quamuis relationes, sicut alia, habent distinctiones specificas, secundùm proprias differentias: tamen quia latent nos, accipimus distinctionem earum per fundamenta, ex quibus innotescit distinctio relatiuorum, siue relationum, scilicet effectiuè, siue materialiter. *Tres modi relatiuorum sufficientes.*

Ad argumenta in communi. Ad primum, nego consequentiam: quia non solùm est ibi verum, sed in aliis: quia res in aliis generibus, sicut vnitas potest fundari, in ratione cuiuscunque generis, & *An relationes distinguuntur per fundamenta?*

ratio tacta est: tamen quia illa fundamenta non habent aliquid, in quo conueniunt, quod prædicatur de eis in *quid*; ideò non conueniunt genere, sicut relationes conueniunt in hoc, quod est habitudo ad aliud; & ideò sunt vnius generis omnes.

Super duo generalissima fundari possunt relationes eiusdem speciei.

Tunc dico, quòd super duo distincta generalissima potest fundari relatio eiusdem speciei; & cùm accipitur quòd accipiunt speciem à fundamentis: verum est, distinctio tamen non est tanta in relationibus, sicut in fundamentis, sicut anima & vermis distinguuntur inter se, non tamen tantùm sicut Sol producens vermem effectiuè, & Deus creans animam. Vel potest negari acceptum, quod non omnes relationes habent distinctionem à fundamentis, vel terminis.

Duplum quomodo fundatur in dualitate?

Ad Philos. scilicet quòd 8. dicuntur dupla, &c. dico quòd hoc non est quia dualitas est proprium fundamentum & primum dupli: ita quòd non possit fundari in alio, sed formaliter inest sibi dupleitas, per bis continere aliud: vnde non est verum fundamentaliter, quòd sunt scilicet 8. dupla dualitatis proportione, siue ratione, sed formaliter magis per hoc quòd 8. bis continet 4. sicut duo vnitatem bis. Ad aliud, quòd antecedens est falsum, cùm cadant, vel reducantur ad aliquem illorum, & cùm accipitur de genere, dicitur quòd illa quæ referuntur ratione generis, non referuntur primò, sed solùm per se, & omne relatiuum secundùm genus refertur secundùm aliquem illorum trium modorum, sed non primò: vnde non referri, negat referri primò secundùm aliquem istorum modorum, & non negat per se referri.

SCHOLIVM II.

RELATIONES *primi modi fundari super quantitatem discretam, vel continuam, sed priùs super discretam. Soluit argumenta in initio quæstionis contra primum modum adducta, per optimam, & singularem doctrinam multis deseruientem, vt in margine noto. Acutissimè expendit an identitas sit relatio realis, multis argumentis probans partem affirmatiuam.*

3

De quæstione primi modi, & primò de prima parte, quòd relationes ibi fundantur super aliquid de genere Quantitatis, scilicet super numerum, vel super continuum, priùs tamen reperitur relatio illius partis in numeris: & ibi est comparando numerum ad numerum, ita quòd oportet vtrumque extremum esse numerum, vel comparando numerum ad vnum, & est proportio multiplex, & ab istis discretis deriuatur ad continua: sed aliqua relatio est hæc in discretis, quæ non in continuis, quia in numeris est mensura, ita quòd ibi vnitas aliquando replicata reddit aliud extremum; sed in continuis est aliquando proportio incommensurabilis, sicut diameter costæ.

In continuis est aliquando proportio incommensurabilis, vt diameter & costa.

Ad primum patet iam, quòd idem potest subiectiuè referri ad multa contenta, sed continentia multiplicatur quoties aliud extremum multiplicatur. Ad aliud dicitur, quòd consequentia non valet secundùm quòd continens & contentum sunt opposita: cuius probatio est: omnia opposita concludunt contradictoria, quia contradictio est prima oppositio; ergo ad quæ antecedentia non sequuntur contradictoria, nec aliqua alia oppositio; quia ad quod non sequitur consequens, nec antecedens; sed ad aliqua sumpta per comparationem ad diuersa non sequuntur contradictoria, sed est ignorantia Elenchi; ergo nec aliqua alia oppositio sequitur.

Contradictio prima oppositio.

Omnis oppositio infert contradictionem.

Contrà: quomodo valet argumentum Philosophi in Prædicamentis de monte magno & paruo, qui dicuntur de eodem, & non sunt opposita per te. Ideò aliter dicitur, quòd non omnia relatiua dicuntur opposita; quia opposita comparantur simul ad idem, in eodem tempore: quando autem relatiuum aliquod comparatur ad diuersa, relatiua sunt, sed non opposita relatiua. Vel aliter, quòd sunt opposita: vnde duplum & dimidium in communi sunt opposita relatiua, sed duplum ad hoc, & dimidium ad hoc, non sunt opposita relatiua. Vel aliter, quòd sunt opposita secundùm quòd referuntur adinuicem, sed quando idem est generans & genitus, pater non refertur ad seipsum filium sed ad filium eius: & inquantùm filius ad patrem eius, & isto modo pater & filius sunt opposita, & non aliter, sic est de duplo & dimidio in proposito.

Quid est oppositio?

4

Sed argumentum Philosophi valet, quia arguit ex hypothesi, quòd magnum & paruum sint absolutè contraria; tunc oppositio vera de eodem, quia ex hoc quòd mons est magnus respectu huius, absolutè est magnus, & absolutè paruus respectu maioris; ergo absolutè contraria de eodem si sunt absolutè contraria, sed non sunt absolutè contraria.

An identitas sit relatio realis.

Ad aliud quòd quæritur de *eodem simili*, & *æquali*, quod relatiua hæc fundantur super hoc vnum: & tamen vnum illorum est relatiuum rationis, scilicet identitas, quia relatiui esse, est ad aliud se habere; *idem* nullo modo potest ad aliud esse, nisi ad aliud ratione, quia inquantùm simpliciter idem, intellectus vtitur vno, vt duobus.

An idem & diuersum opponuntur cõtrarie?

Contra illud: Idem & diuersum sunt contraria 10. huius, t.c.9. & inde: tex.c.13. Ibid. text.c.11. & 12. quia opposita & non priuatiua nec contradictoria, sed contraria sunt in eodem genere ex 10. sed diuersitas est relatio realis; ergo identitas, quia ens reale non opponitur enti rationis. Item, omne ens omni enti comparatum aut est idem aut diuersum; idem ergo & diuersum sunt contraria immediata circa ens, & conuertibilia. Sed ens rationis est distinctum contra reale, & non est passio conuertibilis cum ente extra animam; quia ens reale potest esse sine ente rationis; ergo identitas non est ens rationis. Item, si identitas esset ens rationis, non esset de consideratione Metaphysici, sed Logici, quod est contra Philos. 4. huius, cap. 2. text. com. 4. Item, contra rationem, si ratio valet, tunc idem omne est per accidens idem eidem, & non essentialiter. Probatio consequentiæ, de per se ratione huius, quod est idem inquantùm idem, est aliquid attributum sibi à ratione. Hæc dicit positio, quia essentia lapidis non est eadem sibi, nisi per aliquid attributum sibi à ratione, quia essentia vt fundamentum, & vt terminus, sunt idem per accidens, sicut homo & homo similis: quia vt est terminus, est aliquid cum attributo aliquo à ratione: & in alio termino similiter est aliqua compositio rei & rationis: & sic ille terminus compositus ex re, & ratione, est idem per accidens termino alij, ratione illius diuersi attributi à ratione vni termino: & alij, quia data vni termino, & alij sunt diuersa.

5

Vtrùm aliquid per se est idem sibi?

Item tunc, omne idem esset diuersum. Probatio, quia per se ratio referendi, idem sibi, est alietas ex hoc, quòd intellectus attribuit aliquid rationis vtrique termino; consequens impossibile, quia idem diuiditur per accidens, & secundùm se: sicut vnum,

vnum, per Philosoph. in litera; ergo aliquid est idem eidem secundùm se. Item, omne per accidens reducitur ad per se 2. Physic.tex.com.66.ergo si nihil per se idem eidem, nec est aliquid idem per accidens. Item, si omne idem eidem per accidens: tunc per aliud, & erit identitas in infinitum: vel si stes: tunc identitas per accidens totius ad totum, quia per se rei scilicet fundamenti ad rem: & tunc relatio realis prima. Item, ex hoc sequitur impossibile, quia in omni affirmatiua vera, eodem modo est vnitas propositionis, quomodo est vnitas extremorum: si tunc identitas extremorum est solùm per accidens; ergo nulla propositio per se vera, quòd hoc secundum conclusum sit impossibile, patet, quia intelliguntur duo opposita in eodem termino: quia per se identitas & alietas. Item, si sit relatio rationis, aut vtrumque extremum est ens rationis, aut vnum. Non vnum tantum, quia identitas æqualiter fundatur in vtroque termino: si vtrumque, negant communiter, quia fundamentum alterius relationis est essentia realis: non inquantùm attribuitur sibi aliquid rationis. Item, si sic; ergo similiter similitudo & æqualitas, quia de ratione illorum relatiuorum est non alietas, sed ratione illorum est vnitas in litera; ergo si propter vnitatem est identitas relatio rationis, propter vnitatem erunt illæ relationes rationis, sed hoc non concedunt.

Tex. non habente com.

Tex. c.20.

SCHOLIVM III.

Optime *explicat, quomodo identitas, similitudo, & æqualitas fundantur super eodem vno, quatenus dicit quid, gradum perfectionis & formam, quod clarius habet* 1.d.19.q.1.§. De secundo, *&* d.3.q.5.*&* d.31.qu vn. *Fusius;&* 4.d.6.qu.10.§. Secunda ratio. *vide Anton. Andream hîc qu.* 13. *Ponit modum sustinendi identitatem esse relationem realem, respondens argumento in contrarium adducto num.4. sed oppositum ex propria, tenet hîc nu.8. &* 1.d.31.q.vn. *vbi docet identitatem vnius personæ diuinæ ad se, esse rationis, sed ad aliam personam, esse realem, quia sic habet tres conditiones requisitas ad relationem realem scilicet fundamentum reale, extrema realiter existentia & resultantiam sine opere intellectus. Soluit nu.8. argumenta posita n.4. & 5. probantia identitatem eiusdem ad se, esse relationem realem.*

6 De tribus istis dicitur sic, quòd hæc tria fundantur super *vnum* quod est in diuerso genere; quia sicut ens dicitur multipliciter: ita vnitas; sicut ergo ens diuiditur in diuersa Prædicamenta, ita vnitas in diuersas vnitates; ita quòd identitas super vnum in substantia, æqualitas super vnum in quantitate, &c. Contrà: omne ens omni enti comparatum, est idem aut diuersum; ergo identitas non est tantùm in genere substantiæ, sed in omni genere. Item, albedo comparata albedini non est similis sibi, nec æqualis: tunc eadem sibi, & diuersa à nigredine. Item, Philosophus 5. huius in fine de Oppositis, diuersum est secundùm vnamquamque Categoriam, si diuersum, & idem, cùm opponantur; ergo idem non determinatur solùm ad genus Substantiæ. Item 4.cap.2.tex.c.4. quod in omni genere reperiuntur & attribuuntur substantiæ primò. Quod *simile* non inuenitur per se in genere Qualitatis; probo, indiuidua eiusdem speciei, non solùm habent vnitatem specie, sed habent vnitatem in differentia specifica: & inquantùm sic vnum, aut sunt eadem, propriè loquendo, aut non; & si sic, tunc inconuenienter diuiditur *vnum*, in vnum numero, genere, & specie, & proportione: non ergo sunt eadem in differentia specifica; sunt ergo similia in differentia, cùm conueniant in illa, & differentia prædicetur de illis in *quale*. Item Boëtius: *species est tenuis similitudo singularium.* De quantitate sic, in omni genere, loquendo de re illius generis, comparando eam ad aliam eiusdem, essentia hæc est æquè perfecta ei, & in omni genere est vnum primum, quod est mensura, &c. per cuius accessum dicuntur perfecta & minus perfecta; ergo æqualitas est ibi non fundata in quantitate. Item in genere Qualitatis, est maius & minùs, non à maiori & minori in quantitate, quod patet, aliàs equus esset magis albus quàm margarita. Item Philos. dicit 5. text. comm. 20. quòd hæc tria fundantur super *vnum* quod est principium numeri, & est metrum, non super vnum diuersorum generum. Conceduntur ergo rationes ad minùs de eodem, quod idem & diuersum reperitur in omni genere.

T. non habente comm.

Tex. com.2. & in l.c.

Idem & diuersum *reperiri in omni genere.*

7 De simili & æquali potest concedi idem, siue de quantitate & qualitate quæ sunt accidentia: vnde est ibi æqualitas & similitudo essentiarum: quia idem simile & æquale significant relationes, & fundantur super vnum principium numeri immediatè: & remotum fundamentum est res diuersorum generum secundùm vnam viam, & secundum aliam viam. Ista tria possunt fundari in omni genere super rem illius, inquantùm res est quid: & inquantùm sic vna fundatur identitas, & inquantùm res est æqualis, non solùm accipitur, sed per differentiam essentialem: & inquantùm sic vna super ipsam fundatur similitudo. Similiter inquantùm res habet quantitatem perfectionis, & est vna, sic fundatur remotæ æqualitas super ipsam; hæc ergo tria sunt in omni genere, & sunt in genere relationis, vt species. Contrà: aliqua habent vnitatem secundùm rem de genere actionis, inquantùm est actio & accidens agentis; ergo hîc fundatur relatio, quæ non est identitas, nec similitudo, nec æqualitas. Concedo tunc, quòd super vnitatem in genere actionis, potest fundari relatio; cùm ergo duo conueniunt in actione, illa relatio est alia ab istis. Item sequitur ex dictis, quòd idem sit simile sibi: quia si res de genere Substantiæ sit qualis qualitate essentiali, & sic habens vnitatem, sit similis; ergo iste homo, cùm hæc habeat, esset similis sibi ipsi. Dico quòd fundamentum identitatis est vnum numero; ideò idem sibi idem, sed vnitas similitudinis est vnitas specie solùm: ideò idem non est simile sibi.

Similitudo & æqualitas, in omni genere.

Quare idem non est simile sibi?

Ad argumenta, sustinendo quòd identitas sit relatio realis. Ad primum, cùm dicitur quòd est habitudo rationis: Dico quòd non est de ratione relationis, quòd sit habitudo ad aliud extremum realiter, sed quòd sit habitudo ad correlatiuum: siue sit aliud realiter, siue non, sed hæc accidit relationi, vnde potest esse realis. Hoc probatur, quia relatio talis fundatur super vnum; ergo vbi magis est concedenda vnitas quàm diuersitas, ibi magis est concedenda relatio, talis vnitas realis est maxima, quare. Item à similitudine in specie, dicitur aliquid simile in specie, & primum relatiuum est idem sibi, & refertur ad seipsum, & tamen ibi est relatio realis secundùm omnes; ergo, &c. Item, quod dicitur, relatio est ad aliud se habere, hoc est verum de relatiuis suppositionis de primo modo; sed in aliis est vnitas magis de ratione

Ad arg. n.4.

Sustinetur identitatem esse relationem realem.

ne extremorum, quàm alietas. Contrà : si identitas est relatio realis, esset relatio res alia à fundamento:& tunc illud esset idem sibi, & procederetur in infinitum. Dicendum,quòd illa identitas, quæ est relatio, non est relatiuum, sed ratio referendi;& quod illa relatio vt illa relatio, nec esset eadem sibi,nec diuersa,sed esset ratio, quâ aliquid esset idem sibi, & illud idem esset relatiuum per se : relatio autem non,& standum est tunc in primis. Ad primum argumentum principale in contrarium, quod ratio sumit falsum. Ad aliud quòd non sunt partes *vnius* quantùm ad speciem quam significant : sed quia requirunt in diuersis vnitatem pro fundamentis proximis,sunt partes *vnius:* quantùm etiam ad fundamenta remota, diuidunt aliquo modo vnum:quia fundamentum identitatis est homo vt vnus, similitudinis differentia hominis.

Quomodo simile,idem æquale, sunt partes vnius.

Sustinendo aliam partem. Ad tres primas rationes, quòd illæ propositiones veræ sunt ratione indiuisionis essentiæ,non ratione relationis superuenientis. Ad aliud similiter. Ad quintum,conceditur quòd idem sit sibi idem per accidens ; quia aut idem accipitur pro forma quam significat, tunc hæc propositio est per se, *idem eidem idem:* si accipiatur sic, pro eo quod est idem, vt dicitur homo est idem homini,hæc est vera per accidens, fundamentaliter,non quia identitas accidit homini : quia sic albedo accidit homini, sed albedo est fundamentum similitudinis de se. Sed Socrates non est fundamentum identitatis:nisi vt attribuitur sibi aliquid à ratione.Ad aliud in contrarium, quòd non oportet illud reduci ad aliquid,quod est per se tale,sed ad aliquid quod est per se causa illius : sic hæc identitas per accidens reducitur ad indiuisionem fundamenti,quæ est per se. Ad primum in contrarium dicendum,quòd distinctio illa de eodem, dicitur de eo quantùm ad indiuisionem,in qua fundatur identitas. Ad aliud de processu in infinitum. Dicitur quòd idem per accidens,est idem per aliud ; non quòd illud aliud sit idem : nec per se,nec per aliud. Ad aliud de veritate propositionis, quòd non oportet propositionem veram esse secundùm vnitatem extremorum cum relationibus superadditis, sed veritas est ex identitate fundamentorum in quibus fundatur relatio identitatis. Ad aliud,omne idem erit diuerso idem;verum est secundùm rationem : vnde ibi est identitas simpliciter, & diuersitas secundùm quid, & hæc non sunt opposita. Ad vnum argumentum principale:dico quòd vtrumque extremum est aliquid rationis secundùm quod refertur, fundamentum remotum est reale, vnitas essentialis. Ad aliud dico, quòd similitudo & æqualitas fundantur in vnitate reali : quia hæc albedo, & illa habent vnitatem realem inter se, si nunquam esset intellectus ; & ex illa vnitate mouetur intellectus ad attribuendum illi vnitati reali,vnitatem speciei,& ista vnitas,nec est vnitas rationis,nec singularis, sed media, & in potentia ad vnitatem rationis,quæ fundatur super eam.

Ad arg. n. 4. posita.

Omne per accidens reducitur ad aliquid per se,exponitur.

Veritas propositionis ex idētitate extremorū quomodo?

Quomodo idem est diuerso idem?

Quare similitudo,& æqualitas sunt relationes reales,& non identitas.

9

De potentia actiua & passiua,dicitur quòd fundamentum relatiuorum in secundo modo,fundatur in re de genere Actionis & Passionis, & hoc in rebus de genere Actionis, quibus correspondet passio. Fundatur etiam in principiis actiuis & passiuis,sicut in forma,quæ est principium agendi,& illa quæ est principium patiendi,quæ sunt in tertia specie qualitatis secundùm aliquos. Tamen hoc non oportet:quia si non esset aliquod principium immediatum operandi, nisi qualitas, tunc substantia nunquam generetur vniuocè:quia principium generandi, & substantia non sunt in eodem genere. Dicitur hîc, quòd accidens agit in virtute substantiæ, quæ est vniuoca generato. Contrà;aut in virtute eius, vt causa efficiens:tunc habetur propositum, quia efficiens primum plus causat quàm illud quod in virtute eius causat, & immediatiùs, & habet aliquem effectum in generato,quem non habet aliud agens.

Dico tunc,quòd principium agendi potest esse in genere Qualitatis, & in prima specie, & in secunda,& tertia ; & potest esse substantia : vnde in generatione Substantiæ, substantia est per se efficiens. Tunc dico, quòd relationes secundi modi possunt fundari super huiusmodi principia agendi, & eo modo super principia patiendi fundatur relatio:aliquando substantia quanta est immediatum principium patiendi respectu albedinis. Ad argumenta, quòd fundamenta sunt formæ absolutæ,quæ sunt principia agendi & patiendi, si accipias potentias,vt referuntur, accipis fundamentum cum relatione. Ad aliud,quod primò refertur ad potentiam passiuam primò & per se,non primò ad agere.

Substantia generat substantiam.

Ad argumentum quod fit contra tertium modum, quòd omnia relatiua denominatiuè dicta sunt in vno genere. Ad minorem nego. Ad probationem, quòd loquitur de genere naturali, vbi inter opposita, est transmutatio, & vbi priùs permutatur aliquid ad medium,quàm ad extremum; sed relatiua non sunt sic opposita;& ideò non est ibi medium. Ad rationem dico,quòd scibilis esse, est ad aliud se habere, & in aliis modis, est mutua dependentia, quia extrema accipiuntur vniformiter,si actu vnum, & aliud ; si in potentia, aliud in potentia:sed hæc mensura accipitur quasi actualiter,& mensurabile potentialiter, vt est per se terminus : si tamen accipitur proportionabiliter, est ibi mutua dependentia : sicut & in aliis modis, & sunt, & non sunt simul : vnde scibile se habet ad scientiam,in potentia. Contrà Aristot.in Prædicamentis destructo scibili, destruitur scientia, non ècontrario. Dicitur, quòd hoc verum est, quòd destructo scibili in potentia, destruitur scientia in potentia, & èconuerso;similiter destructo scito in actu,destruitur scientia in actu : & ècontrario,destructâ scientiâ in actu, destruitur scitum in actu. Sed destructâ scientiâ in actu, non destruitur scibile in potentia.

Quomodo omnia relatiua sunt in eodē genere, & quomodo in diuerso.

Destructo scibili destruitur scientia,nō ècontra,exponitur.

ANNOTAT. MAVRITII.

10

Sequitur quæstio duodecima de conuenientia assignationis trium modorum relationis, text. c. 20. quæ satis clara est & correcta & notabilis, Vbi primò in generali proponit veritatem quæsiti, deinde in speciali discurrendo per singulos modos relatiuorum:vbi possent formari 4.q.vl.4.art. vt Ant.Andr.facit. Quære Tho. & Alber.& alios hîc,& hunc maximè in Quodlibeto q.6.& in primo d.19.29.& 31.& in 4.di.6.& 12.& 13.ad plura quæ hîc tangit, maximè de fundamentis horum modorum, & distinctione eorundem & 27. dist. primi,vide Thomam in 4.di.12.artic.1.qu.2. Vide etiam Vua. ibi, & alibi maximè propter opiniones tacitas hîc,& instantias hinc inde notabis.

Secundùm

Secundùm numerum quidem igitur & potentiam dicta ad aliquid, omnia sunt ad aliquid, eo quod ipsum quod est, alterius dicitur ipsum quidem, sed non eo quod ad illud aliud. Mensurabile verò & scibile, intellectuale, eo quòd aliud ad ipsum dicitur, ad aliquid dicuntur. Nam intellectuale aliquid significat, quod ipsius intellectus est. *Text. comm.* 20.

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm tertius modus distinguitur à secundo?

Arist. *hic c.* 15. D.Thom. *ibid lect.* 17. Anton. Andr. *q.* 16. Flandria *ead. q. art.* 7. Fonf. *c.* 15. Suar. *disp.* 47. *Met. sect.* 3. Hurtad. *disp.* 15. *Met. sect.* 10. *subsect.* 2. Auersa *q.* 19. *log. sect.* 7.

QVòd non, in hoc modo ponitur sensus & sensibile; sensus & sensibile referuntur secundùm potentiam actiuam & passiuam, secundùm Philosophum 4. cap. t.c.25. de veritate apparentium; sensibile est motiuum sensus, & mouens prius moto: & sic hæc, &c. Item, sensus est potentia naturalis; ergo in secunda specie Qualitatis, & potentia passiua est 2. de Anima: t.c.51. & inde, & talis potentia est fundamentum relationis secundi modi. Quòd scientia non refertur ad scibile, probatio: scientia per se est in genere Qualitatis. Sed tale non dependet secundùm se. Contrarium ponitur à Philosopho in litera.

Ad quæstionem dicitur, quòd non accipitur in tertio modo mensura quantitatiua, sed perfectionis, aliàs non differret à primo modo: tunc mensura fundatur super omnem essentiam, & mensurari super habitum de genere Qualitatis.

Sententia D. Thom. Contrà; quòd accipi potest pro mensura quantitatiua, quia non omne contentum mensurat continens quantitatiuè, sicut patet de aliquibus numeris. Item, tempus mensurat motum, & tamen non reddit motum. Item, quòd ille modus non appropriatur habitui & cognitioni & obiecto: quia 10. tex. com. 2. & inde, in omni genere est aliquod primum, quod est mensura; ergo circumscribendo omnem habitum, est aliquid in genere substantiæ, quod mensurat rem omnem illius generis, & eodem modo in aliis generibus.

SCHOLIVM VNICVM.

IMPVGNATA *sententiâ D. Thomæ, explicat differentiam trium modorum, quòd primus fundatur super genere Quantitatis; secundus super Actione & Passione, & eorum principiis: Tertius super omni genere, quia in omni genere est aliquod primum, quod est mensura cæterorum, Vide Doctorem in hunc tex. & in Prædicam. q.* 29. *& Quodlib.* 13. *& Antonium Andr. hîc q.* 16.

2 *Differentia trium modorum relationis.* Tunc relationes primi modi fundantur præcisè super rem de genere Quantitatis, & in genere Substantiæ non fundatur præcisè aliquis modus; & relationes secundi modi fundantur in rebus de genere Actionis & Passionis, & super principia agendi & patiendi, quæ possunt esse in multis generibus. Relationes tertij modi fundantur in omni re cuiuscunque generis; & etiam super ideam in mente diuina: quia est mensura & perfectio ideati, & aliquando possunt fundari super res diuersorum generum, quia quælibet res intelligibilis, & cognitio est in genere actionis, & habitus cognitiuus in genere qualitatis. Sed videndum est, qualiter mensuratur scientia & scibile, scientia practica nostra causatur à rebus, & ideò scibile mensurat scientiam. Sed artificialia causantur à scientia practica, & ibi scibile est mensurabile, & scientia mensura rei: vnde omnia naturalia se habent ad scientiam Dei, sicut artificialia ad nostram; ita quòd scientia Dei est mensura. Iam ergo patet, quòd iste modus distinguitur à secundo modo: sicut patet ex prædictis, non per mutuam dependentiam: vel non mutuam, sed per fundamenta alia & alia, vt patet.

Scientia practica causatur à scibili: ipsa causat artificialia.

Sensus ad secundum, & tertium modum relationis spectat. Ad primum contrà, quòd sensus æquiuocum ad potentiam naturalem, quæ est in genere Qualitatis, & ad actum sentiendi: & sic est in genere Actionis. Tunc sensus primo modo est fundamentum secundi modi; sensus secundo modo est fundamentum illius tertij modi; & sic ad aliud argumentum. Et vltrà, quòd scientia est in genere Qualitatis per se, non in relatione: quia *Diuersorum generum, & non subalternatim positorum*, &c. Sed scientia quæ est habitus, est proximum fundamentum relationis, sicut quaternarius in genere Quantitatis, & duplicitas in genere relationis.

ANNOTAT. MAVRITII.

SEquitur quæstio 13. de differentia tertij modi relatiuorum à secundo, t. c. 10. quæ breuis & clara est, sed instantias ex dictis priùs tange, & alibi vbi suprà, & quære Thomam, & alios hîc pro opinione, quam tangit, & impugnat, vide vbique Alexand. de Alexand. & Albert.

Non est autem intellectus ad hæc, cuius est intellectus: bis enim idem dictum vtique erit; similiter autem & alicuius visus est visus, & non cuius est visus: quamuis hoc verum sit dicere, sed ad colorem, aut ad aliquid tale. Illo verò modo bis idem diceretur, quia est visus, cuius est visus. *Text. comm.* 20.

QVÆSTIO XIV.

Vtrùm idem referatur ad duo per se?

Arist. *hic c.* 15. D. Thom. *ibid lect.* 17. *& in* 1. *p. q.* 42. *art.* 4. *ad* 3. Capreol. *in* 3. *dist.* 8. *q. vn.* Anton. Trombet. *hic q.* 7. Anton. Andr. *ibid. q.* 17. Flandria *q.* 16. *art* 9. Fonf. *c.* 15. *q.* 5. Suar. *disp.* 47 *Met. sect.* 18 § 5. Vide Scotum *in prædicam. q.* 29 *& in* 3. *dist.* 8. *q vn.* & Lichet. *ibid.*

1 QVòd sic: idem continens ad multa contenta: similiter vna potentia actiua ad agere, & ad potentiam passiuam. Item, ad quicquid dependet genus, & species; ergo species refertur ad correlatiuum generis, & ad proprium, & ad vtrumque per se. Item, species per se refertur ad genus, secundùm Porphyrium, & per se ad indiuidua. Species est, quod per se prædicatur de indiuiduis, hîc ponitur *indiuidua*, & diffinitur per ea, quia non

ponitur

ponitur ibi vt genus, nec vt subiectum; ergo tantùm vt correlatiuum speciei; ergo, &c. Ad oppositum est Philosophus hîc in 5. text. c. 20. vbi habetur pro inconuenienti, quòd idem bis dicatur.

SCHOLIVM VNICVM.

RESOLVTIO; *idem non referri per se primò ad duo, benè tamen per se non primò, sed non ad quæcumque diuersa, & explicat singula clarè, de quo fusè agit de Prædicam. q. 29. vide eum in hunc textum, & Anton. Andream hîc, quæst. 17.*

2 Dicendum, quòd idem non potest referri ad diuersa primò: potest tamen per se non primò: quia illud competit alicui primò, quod competit ei per speciem suam, illud per se, quod competit sibi per causam in se: vnde illa dicuntur relatiua primò, quæ sunt huiusmodi per propriam rationem specificam, sicut patet per se. Alia per se dicuntur relatiua, secundùm aliquid intellectum in eis, sicut ratione generis sui: sicut medicina dicitur relatiuè ratione scientiæ, quæ est genus eius, quæ intelligitur in ea. Probatio primi: quia si sic, tunc relatio illa, quæ est ratio referendi vnum ad duo extrema primò, esset duæ relationes essentialiter, quia ad duo non est primò eadem habitudo: sed relatio secundum se est habitudo. Tunc etiam idem haberet duas diffinitiones, quia per vtrumque correlatiuum æquè primò diffinitur; & tunc posset cognosci per vnam, & non cognosci per aliam. Item, tunc idem posset esse & non esse simul, accipio duo correlatiua, A & B; & C referatur ad vtrumque: si C referatur ad A & æquè primò ad B, cùm A possit esse sine B, sequitur quod C relatiuum ad ambo, scilicet A, & B, esset & non esset: si A esset destructo B. Item, possibile idem referri ad diuersa non primò: quia primò & per se ad proprium correlatiuum; & per se non primò ad correlatiuum sui generis, verbi gratia, multiplex, & submultiplex referuntur, duplum & dimidium referuntur; sed duplum per se & primò refertur ad dimidium, per se non primò, ad submultiplex, quod est correlatiuum sui generis; & non est, ita quòd submultiplex quod est per se correlatiuum, & non primum dupli, potest esse non existente dimidio. Sed dimidium non potest esse non existente submultiplici, sed idem non potest referri ad quæcunque diuersa: quia si ad vnum primò, & ad aliud per se, tunc oportet primum esse tale, quòd non possit esse sine per se correlatiuo, quamuis èconuerso per se, sine primo correlatiuo. Probatio: quia si posset esse sine per se correlatiuo, sequitur quòd vnum extremum sit & non sit simul, quia existente dimidio necessarium est esse duplum, cuius est per se & primò correlatiuum. Sed destructo submultiplici, quod est per se correlatiuum dupli, & non primum, destruitur duplum: Si ergo dimidium posset esse non existente submultiplici, simul esset duplum ad esse dimidij, & destrueretur ad destructionem per se correlatiui. Item, esse per se correlatiui, tantùm ponit esse generis, & non ponit aliquid posterius genere; ergo.

Idem refertur ad duo non primò.

Idem non potest referri ad quæcunque diuersa.

3 Ad primum argumentum de continente & contento. Dico quòd non refertur ibi vnum ad diuersa primò, sed continens in communi ad contentum in communi, & continens quot species habet sub se, tot contentum. Et cùm dicitur idem numerus potest continere multos numeros. Dico quòd intelligendum est de per se extremo relationis, non de subiectis relationis. Non enim oportet, quòd vna relatio sit in tot, sicut alia relatio, quia paternitas in vno subiecto, & filiationes in multis filiis: tamen quot filiationes sunt in diuersis filiis, tot paternitates in vno qui est pater. Ad aliud, quòd potentia actiua primò refertur ad potentiam passiuam, inquantùm huiusmodi, per se inquantùm potentia solùm refertur, & non primò ad agere, & relatiuum primum scilicet potentia passiua, non potest esse sine per se correlatiuo non primò scilicet sine actu potentiæ actiuæ. Ad aliud, quòd species primò refertur ad genus, & per se ad indiuidua: vnde genus est primum correlatiuum, & non potest esse sine indiuiduis, quæ sunt per se correlatiuum. Auctoritas in contrarium patet; quia intellectus si dicitur ad intelligentem, & ad intelligibile, idem dicitur bis æquè primò, quia respicit vtrumque æquè. Vel aliter, tunc omne accidens habet duo correlatiua scilicet subiectum & obiectum. Ad aliud, quod ad quod refertur genus, & species, verum est, sed non primò.

Vna relatio non est in tot subiectis sicut altera.

Quomodo potentia actiua refertur ad agere, & ad passiuam potentiam simul?

Species primò refertur ad genus.

ANNOTATIO MAVRITII.

Sequitur quæstio 14. & vltima huius quinti de habitudine *vnius* ad plura, & possibilitate eius, t.c. 20. quæ etiam satis clara & correcta est, & sententia Doctoris determinata & notabilis, quam etiam habet in Prædicamentis, c. de *Ad aliquid* q. fin. Vide 13. q. Quodlibeti art. 2. singularissimè motiua aliorum ibi, & instantias hinc inde adducat lector,

LIBER

LIBER SEXTVS.

Philosophus postquam multa libro superiori tractasset de variis nominibus, vt principio, causa, potentia, toto, termino, falso, &c. quorum notitia videbatur necessaria ad rem ipsam tractandam, hîc incipit resoluere de obiecto huius scientiæ; & hac occasione, tractat de diuisione scientiæ vt sic, & comparatione scientiarum inter se, & circa hæc, Doctor quatuor quæstiones disputat.

Quare tres erunt Philosophiæ Theoricæ, Mathematica, Physica, Theologia. *Text. comm. 2.*

QVÆSTIO I.

Vtrùm diuisio scientiæ in Physicam, Mathematicam, & Diuinam sit sufficiens?

Aristot. *hic c.1. & lib.11.c.6.* Boët. *De Trin.c.2.* Damasc. *c.1. Physiolog.* Auicen. *1.Met.c.6.* D. Thom. *hic lect.2.* Albert. *ibid. tract. 1. c. 2.* Anton. Andr. *q. 3.* Mirand. *lib.13.de Euers. sing. certam. sect.6. & 7.* Fons. *hic c.1. q. 6. sect.2. & 3.* Hurtad. *disp.1.Met.sect.6.subsect.2.*

1 Arguitur quòd non: quia Logica neque est circa agibilia: neque factibilia; ergo est speculatiua: nec tamen est aliqua illarum; ergo, &c. Item, moralis nulla est istarum: est tamen Theorica. Probatio: nam omnis habitus intellectualis circa agibilia, est prudentia, quia sic diffinitur Prudentia 6. Ethicor. cap. 6. quòd *est recta ratio agibilium*: moralis autem scientia non est prudentia: quia tunc omnes habentes eam essent prudentes: & ita virtuosi moraliter; ergo moralis scientia non est recta ratio circa agibilia, neque factibilia: vt patet; ergo, &c. Item, ens æqualiter diuiditur in decem Genera ex 5. huius; tex. com. 14. ergo sicut vnum diuidens scilicet quantitas facit scientiam specialem, vt Mathematicam: ita quodlibet aliorum. Item, substantia incorporea habet proprietates, vel proprias passiones alias à passionibus entis & substantiæ: sicut & substantia corporea, & perfectiores passiones habet, quantò est ens perfectius; ergo si de substantia corporea est scientia specialis, vt Mathematica, vel naturalis, in qua considerantur propriæ passiones eius, ita videtur per locum à minori, quòd de substantia incorporea est alia scientia specialis præter Metaphysicam, in qua non considerantur de ipsa, nisi propriæ passiones entis, vel substantiæ. Item, quòd non sunt tot, videtur, quia Metaphysicus habet considerare omnia secundùm quiditates suas, etiam in speciali; ergo & omnes passiones omnium; ergo non est alia scientia. Probatio antecedentis per Aristotelem hîc in litera, nulla scientia rationem facit de eo *quod quid est*: sed vel ex sensu supponunt *quod quid est* sui subiecti, vel aliunde accipiunt. Item, quòd non sit distinctio inter Mathematicam, & Metaphysicam, arguitur; quia videntur esse de eodem: quantitas enim in vtraque consideratur: sic etiam in naturali scientia consideratur, vt patet 2. Physicor. t.c.16. & inde, ergo nec illa distinguitur ab alterutra istarũ.

SCHOLIVM I.

CITATIS *Philosophi, & aliorum authoritatibus, pro diuisione scientiæ in Physicam, Mathematicam, & Theologiam: adducit primam opinionem tenentem, tot esse scientias specie distinctas, quot sunt conclusiones diuersæ demonstrabiles, quam impugnat duplici, & clara ratione: hanc tamen ipse tenet 1.d.3. q.7. ad secundum in oppos. & q.3. prol. q.2. lateral. n.5. & 3.d.36. art.2. §.* Quantum ad istum, *vbi se citat in hac quæst. ex quo patet, priùs hoc opus scripsisse, quàm Theologiam. Vide eum de conditionibus obiecti, 1.d.3.q.3.*

2 In contrarium est Aristoteles in litera, tex.com. 2. Item, in libello de Intelligentia Aristot. Item Auicenna 1. Metaphysicæ suæ. Item, Ptolomæus in primo Almagesti. Item, Boëtius in libello suo de Trinitate. Et patet quòd apud philosophantes est famosissima diuisio.

Hîc primo videndum vnde sumatur distinctio scientiarum. Circa hoc sunt duæ opiniones. Prima talis: scientia est habitus cognitiuus conclusionis demonstrationis, sicut patet ex diffinitione scire, 1. Poster. tex. com. 5. ergo quot sunt conclusiones demonstrabiles, tot sunt scientiæ. Consequentia probatur: nam habitus distinguitur per obiecta, & ita scientiæ per scibilia: illa sunt conclusiones demonstrabiles. Item, habitus innotescunt per actus, respectu diuersarum conclusionum sunt diuersi actus sciendi specie; ergo & habitus diuersi. Minor probatur: tum, quia illi actus sciendi sunt diuersi, non tantùm numero, quia sic distinguuntur actus sciendi circa eandem conclusionem frequenter eliciti: differentia maior differentia numerali videtur esse differentia specifica. Tum, quia aliquid per causam cognoscere, est aliquid scire, ex diffinitione *scire*, 1. Poster. ergo cùm alia demonstratio sit per quam huiusmodi conclusio cognoscitur, & alia per quam illa; videtur quòd aliud sit hoc *scire* ab illo, etiam specie: magis enim differunt illæ demonstrationes, quàm numero tantùm: quia sunt ex diuersis principiis omnino. Et ista opinio ponit quodlibet complexum habere habitum proprium: si principium est, habet intellectum: si conclusio est, habet propriam scientiam.

Tot esse scientias quot conclusiones diuersæ.

Contra istam opinionem arguitur: quia secundùm ipsam Geometria, vel quæcunque alia scientia, non est vna, nisi vnitate aggregationis ex multis habitibus, quod videtur contra intentionem Aristotelis ex multis locis in primo Posteriorum, & secundo.

3 Itẽ, sic posset Metaphysica, & naturalis scientia dici

dici vna:quia aggregatione: inconueniens est autem quòd tantam vnitatem habeant inter se scientiæ, quæ ponuntur simpliciter diuersæ, quantam habet vna istarum inter se.

SCHOLIVM II.

SENTENTIA *Thomistarum, & videtur D. Tho.1.2.q.54.art.4.scientiam esse habitum omnino simplicem, & indiuisibilem, ita vt non obstante diuersitate specifica obiectorum, & actuum, ipsa maneat semper eiusdem speciei: quam primò explicat Doctor, sed fusè eam refutat, & vrgentissimis rationibus, de quo videri potest Suar. in Metaphys. disput. 44. sectio. 11. & Antonius Andreas hîc quæst, 3.*

3

Dicunt alij, quòd scientia vna est secundùm speciem specialissimam, quæ est circa subiectum vnum, ad quod plura attribuuntur, quæ cum hoc habet vnam rationem formalem considerandi omnia, quæ considerat; & talis in vna anima est vna numero ex multis actibus intelligendi generata: & ita vna est; sicut in vno appetitu est vna temperantia: licèt ex multis actibus generata, & in vna superficie vna albedo intensa; licèt esset successiuè ab eodem, vel diuersis generantibus vnica transmutatione, vel diuersis transmutationibus inducta. Quia tamen non est omnino simile, distinguunt, quòd quædam formæ recipientes magis & minùs secundùm gradum perfectionis, & completionis suæ inducuntur vnica transmutatione, vt albedo, vel pluribus actibus conformibus, vt temperantia: quædam autem pluribus difformibus, vt scientiæ, in quarum generatione ponunt talem processum, quia secundùm rectum ordinem acquirendi eas, ex actu cognoscendi principium primum talis scientiæ, habet ipsa primò generari, & tunc habetur totum esse illius habitus scientifici, licèt in gradu infimo: & tunc iste habitus dicitur esse intellectus illius principij. Deinde cognoscendo alia principia, idem habitus, qui dicitur esse intellectus illius principij, augetur, & dicitur intellectus plurium principiorum istorum cognitorum: & vltrà, ex principiis deducendo conclusiones, amplius augetur: & dicitur esse scientia istarum conclusionum, semper tamen manens idem habitus, non habens differentiam, nisi rationis tantùm: sicut aliæ formæ, quæ recipiunt intensionem, in quocumque gradu, si stant in illo, non habent compositionem aliquam: quia in illo non habent differentiam aliquam, vltra gradus inferiores, quos virtualiter continent, nisi rationis tantùm: & differentia rationis non sufficit ad compositionem.

Qualitas, alia vna, alia pluribus, perfectè causatur mutationibus.

Explicatur extensio scientia sin: sua mutatione.

Nec obstat, quòd hi actus, ex quibus generatur & augetur habitus, videntur quasi differre specie, sicut intellectiones diuersorum principiorum, vel diuersarum conclusionum, vel quasi genere, sicut intellectiones principij, & intellectio conclusionis: differunt enim actus, sicut differunt obiecta cognita, sed habitus vnus ex omnibus est generatus, & ad similes actus inclinans. Hoc confirmatur, quia principium perfectiùs cognoscitur, quando ex illo conclusio deducitur; non autem esset ita, nisi habitus principij intenderetur; ergo alius non generatur, sed præexistens augetur. Dicunt etiam, quòd talis habitus non tantùm intenditur ex cognitione diuersorum principiorum, vel conclusionum, sed etiam ex frequenti consideratione eiusdem, vt sic vnum principium magis cognoscatur illo habitu, quàm aliud: & vna conclusio quàm alia, quia frequentiùs considerata, semper autem secundùm istos cognitio prior est principium, & dispositio cognoscendi posterius, siue in principiis inter se, siue respectu conclusionum.

4

Contra illam opinionem multipliciter arguitur. Primò sic: actus naturaliter est generatiuus habitus, secundùm istos, per hoc quòd naturaliter suam similitudinem relinquit in passo: differentium autem specie secundùm proprias rationes agentium sunt diuersæ similitudines reales; ergo quanta est differentia actuum, tanta & habituum. Confirmatur: quare enim actus differentes morales, vt temperantiæ & iustitiæ generant diuersos habitus specie, nisi quia secundùm proprias rationes specificas, naturales similitudines imprimunt potentiæ, consimiliter differentes, sicut & ipsi? ergo vbi est causa eadem, est idem effectus. Vnde videtur sine ratione dictum, quòd quidam habitus tantùm generantur ex actibus vniformibus, quidam ex difformibus. Poterit enim aliquis ponere, quòd non est nisi vna virtus moralis, quæ generatur ex quocunque actu, & deinde augetur, non tantùm per actus similes, sed etiam per difformes: sicut hîc ponitur de habitu scientiæ. Nec poterit plus improbari, vt videtur illud de vnico habitu morali, quàm istud de habitu scientifico.

Tanta est differentia habituum, & actuum.

Si scientia est habitus simplex idem est de habitu morali.

Item, secundò sic: Aristoteles 6. Ethicor. distinguit intellectum à scientia, sicut habitū alium specie, licèt eiusdem generis propinquioris, quàm sit alterum eorum cum opinione & prudentia: nunc autem videntur essentialius disparata, quæ sub eodem genere propinquiori continentur, sicut album & nigrum, quàm album, & dulce; ergo impossibilius videtur quòd idem habitus sit, intellectus & scientia, quàm sit intellectus & opinio. Confirmatur illa ratio: verum inquantùm euidens, natum est causare habitum sui in intellectu cognitiuum. Similiter autem est alia ratio euidentiæ in principio, & conclusione, quia in principio propter se ex terminis, in conclusione propter aliud per discursum; ergo, &c. Item, cum intellectu principiorum aliquorum, & scientia aliquarum conclusionum in Geometria, stat ignorantia alicuius conclusionis eiusdem scientiæ: non tantùm ignorantia negationis, sed etiam dispositionis per falsigraphum generata: impossibile est autem respectu eiusdem complexi, simul in eodem intellectu, stare habitus oppositos; ergo respectu conclusionis ignoratæ non habetur habitus, qui sit scientia eius.

Alius habitus principij, alius conclusionis.

Habitus oppositi respectu eiusdem, non stant simul.

5

Confirmatur: quia quando conclusio ignorata addiscitur: habitus oppositus ignorantiæ præcedenti inducitur; ergo, &c. Item sic confirmatur: quia videtur contradictio, quòd ille habitus habeatur, qui idem numero est respectu talis obiecti, vt A, & tamen ex illo habitu nullus actus haberi posset circa A, nec etiam quantumcunque imperfectus: patet autem quòd circa conclusionem prædictam ignoratam, intellectus sic ignorans, ex toto habitu scientiæ quem habet; nullum potest habere actum sciendi, imò nec debilissimè opinandi: cùm firmiter teneat oppositum; ergo totus habitus quem habet, nullo modo erit idem numero, manens habitus illius conclusionis.

Item, quartò arguitur sic: ex habitu intenso

Si habitus esset simplex, eo intenso, posset quis quælibet illius scientiæ perfectius scire: quod est contra experientiam.

potest aliquis perfectiùs agere circa quodcunque obiectum, cuius est, quàm ex remisso; ergo si addiscendo nouas conclusiones, intenditur habitus prior, poterit habens ipsum perfectiùs speculari quodlibet, respectu cuius ponitur esse habitus cuius est, quàm priùs: & posse est necessarium, quantùm est ex parte habitus: sed consequens est falsum: possibile est enim dum est in addiscendo conclusiones nouas, quòd obliuiscatur alicuius prius sciti: aut minùs perfectè sciat, quàm ante illas conclusiones nouas sciuit: quando istam priùs scitam, frequentiùs considerauit: hoc patet per experimentum: qui enim addiscit secundum librum Geometriæ, dum ibi occupatur, negligit considerare conclusiones primi, saltem aliquas, quibus non vtitur. Nunquid cùm didicerit secundum perfectiùs, poterit speculari quamlibet conclusionem primi, quàm priùs, quando secundo ignorato, frequenter conclusiones primi speculatur?

Confirmatur ista ratio, quia ista positio ponit duplicem modum augendi habitum, per actus similes, & per difformes. Per similes ponit quòd illud perfectiùs scietur, cuius sunt illi actus, quàm aliud circa quod non eliciuntur tot actus similes; ergo habitus respiciens frequenter hoc speculatum, augetur sine augmento habitus respicientis illud rarò speculatum, quod est impossibile, si idem esset.

6

Gradus imperfectior non potest esse causa gradus perfectioris.

Item quintò sic: gradus imperfectior in habitu, siue habitus secundum istum gradum, non potest esse causa gradus perfectioris: tunc enim effectus excederet causam in perfectione: cognitio autem principij videtur causa cognitionis conclusionis: cùm arguat Aristot. 1. Poster. text. comm. 5. *Propter quod vnumquodque*, &c. Sed propter principia cognoscimus conclusiones; ergo, &c. Maior autem non videtur vera, nisi in causis efficientibus; ergo non est infimus gradus in habitu recto ordine generatus, ille secundùm quem respicit primum principium: esset autem, si esset vnus habitus principij & conclusionis secundùm quòd isti ponunt. Si dicatur, quòd gradus respiciens primum principium, est simpliciter perfectior gradu respiciente aliquod posterius præcisè sumpto: non tamen illo posteriore gradu, secundùm quod includit priorem: est autem causa primo modo tantùm. Contrà: hoc est dictum istorum, quòd quilibet gradus est simplex, non habens præcedentes in se distinctos, nisi ratione tantùm; ergo ille gradus correspondens vltimæ conclusioni, secundùm propriam rationem illius gradus, non includit omnes præcedentes: sicut diceret de vltimo gradu alterationis: ille autem vltimus gradus secundùm propriam rationem sui principij, videtur effectus secundùm propriam eius rationem, & in primo includi, & non èconuerso.

Gradus habitus non sunt inter se ordinati.

Item, in quacunque qualitate sunt gradus differentes, secundùm magis & minùs, illi habent ordinem essentialem, quod A includit B, virtualiter: & C, A, & sic vsque ad supremum, hoc patet in albedine. Probatur sic etiam: quia si non sunt ordinati, nihil vnum est ex illis. Sed in isto habitu scientiæ, non est dare tales gradus ordinatos respectu diuersorum scibilium; ergo quæ respiciunt diuersa scibilia, non sunt gradus eiusdem habitus, sed magis habitus differentes. Probatio minoris, multæ conclusiones Geometricæ sunt: quarum vtralibet potest indifferenter sciri ante aliam; ergo ille gradus qui respicit vnam illarum, non habet ordinem per se, ad illum qui respicit aliam. Respondeo, quòd gradus in habitu habent ordinem, licèt non sit ordo obiectorum. Contrà: omnis gradus habitus respicit quodlibet contentum sub primo subiecto illius habitus, licèt per actum remissiorem, vel intensiorem; hîc quicunque gradus præcisè non respicit quodcunque obiectum, secundùm quemcunque actum.

7

Illud potest esse argumentum ad principale. Si dicatur, quòd gradus infimus non respicit quodlibet sub primo obiecto, sed tantùm illud circa quod potest esse imperfectissima operatio. Exemplum de minimo calore respectu stupæ. Contrà: saltem quantumcunque detur infimum scibile, in illud potest omnis gradus superior, sed non èconuerso. Idem etiam argumentum probat multas esse prudentias: quia contingit habere rationem rectam circa materiam temperantiæ, non habendo circa materiam fortitudinis: & èconuerso, deducendo hoc ex principiis primis, & non illud. Confirmatur, quia actus generatiui prudentiæ, huius & illius, videntur differre, quantùm actus generatiui diuersarum artium, vel magis, propter concordiam prudentiæ cum appetitu. Ad istas rationes, licèt possent dari aliquæ euasiones, distinguendo de habitu, vt est in tali, & tali gradu, & vt est in tali gradu non est habitus talis obiecti: sed vt in tali, quas euasiones perscrutari causa breuitatis omitto, non videtur tamen quomodo ad eas saltem earum aliquas, possit rationabiliter responderi, nam oporteret respondentem negare propositiones vniuersales de habitibus sumptas, quæ in omnibus aliis habitibus sunt concessæ, & tales negando non inferendo instantiam, nisi in proposito, videtur esse irrationabiliter proteruire ex 8. Topicor. Aliter enim viderentur posse negari tales vniuersales in aliis habitibus, & deficerent propositiones quibus distinctio quorumcunque habituum probaretur, sicut patet in confirmatione primæ rationis suprà; nisi dicas, hîc placet eas negare, ibi non. Quod adducitur pro confirmatione huius opinionis, quòd principium magis cognoscitur quando conclusio ex ipso deducitur: hoc si verum est, non concludit quòd non sit alius habitus conclusionis: nam licèt sit alius habitus, tamen principium intenditur propter speculationem principij in se: quæ tunc est intensior communiter, quando conclusio ex illo deducitur: quàm quando in se consideratur sine ordine ad quodcunque aliud. Quod autem in principio dicitur, quòd vna scientia est vnius generis subiecti secundùm vnam rationem considerandi, & accipitur ex Posterioribus, quomodo sit intelligendum, iam patebit.

Plures esse prudentias sequitur ad responsum.

An principium magis cognoscatur quando conclusio ex eo deducitur, & quomodo?

Tex. c. 43.

SCHOLIVM III.

SENTENTIA *Doctoris tot esse scientias formales specie distinctas, quot conclusiones sic distinctæ, quam tenet locis Schol. primo citatis, & efficacissimè probatur rationibus adductis à num. 4. Explicat nihilominus optimè, quomodo scientia dici potest vna genere, quatenus virtute cõtinet multa vera complexa, quæ includuntur in eius obiecto: hoc enim includit essentialiter prædicatum in principiis primis, & virtualiter ea, quæ conueniunt ei per se secundo modo, & sic eo quiditatiuè, & in*

incomplexè cognito, cognoscuntur principia, & conclusiones de eo; & ideò habitus cognitiuus eius virtualiter continet multos habitus specie distinctos, vide Doct. locis citatis Schol. 1. & Anton. Andream hic q.3.

8 Inter dictas ergo opiniones quodammodò mediando, potest dici, quòd cùm habitus intellectus sit qualitas quædam generata & firmata ex frequenti consideratione, vel vnica perfecta, quandoque etiam ad consimilem inclinans intellectum respectu complexi speculandi, duplex potest poni habitus. Vnus proprius, qui formaliter inclinat ad speculationem eius, tanquam naturalis similitudo ex eius consideratione derelicta. Alius communis, qui virtualiter inclinat ad speculationem eius, inclinando formaliter ad speculationem alterius, in quo tale complexum virtualiter continetur. Primo modo potest concedi prima opinio, quot scibilia, tot scientiæ, secundùm quòd rationes contra secundam opinionem adductæ ostendunt. Secundo modo potest esse vnus habitus respectu multorum complexorum. Cùm enim conclusiones sint in principiis virtualiter, & principia virtualiter in subiecto, nam subiectum virtualiter includit prædicatum in principiis primis, & hoc essentialiter si sint per se primo modo, vel virtualiter si sint per se secundo modo, sequitur quòd in subiecto incomplexo quiditatiuè cognito, virtualiter contineantur principia & conclusiones de tali subiecto, ac sic tota notitia, quæ de ipso subiecto nata est haberi; & etiam vlteriùs quæ nata est haberi de aliis per rationem eius, siue sint inferiora contenta sub ipso; siue sint alia attributa ad ipsum, tanquam ad primum; ergo habitus inclinans formaliter ad speculandum tale subiectum secundùm rationem quiditatiuam, inclinat virtualiter ad omnia complexa prædicta; sed primò ad cognoscenda de ipso subiecto: per se autem, sed non primò, ad cognoscenda de illis aliis per rationem eius; & ita respectu omnium istorum est vnus habitus virtualis.

Quid habitus intellectus? Habitus intellectus duplex.

Obiectum scientiæ continet principia & conclusiones de eo.

9 Prima ergo distinctio scientiarum secundùm conclusiones scitas, potest esse secundùm species specialissimas, sed ista quæ est secundùm subiectum, virtualiter continens, potest poni distinctio secundùm genera proxima: sic intelligendo quòd in vna notitia subiecti omnes scientiæ primo modo dictæ virtualiter contentæ sunt vnius generis tantùm, sed notitia continens est vna specie, sicut & subiectum cuius est: hoc modo potest intelligi illud: vnius generis scilicet subiecti, est vna scientia; vel vna specie, & tunc est scientia virtualiter non formaliter, quia est incomplexa notitia & incomplexi: vel si scientia accipiatur formaliter: tunc non debet intelligi vna specie specialissima, sed genere propinquo. Vltra scientiam secundo modo dictam, est minor vnitas scientiæ, quæ est respectu multorum verorum complexorum, ad quæ non inclinat virtualiter vnus habitus subiecti, nec primò, nec per se, vt in secundo modo, sed tantum in potentia, & in vniuersali: sicut habitus inclinans formaliter ad considerandum aliquod subiectum commune, inclinat ad considerandum propria inferiorum de ipsis, tantum in vniuersali: quæ videlicet scienda sunt per proprias rationes inferiorum, non per naturam communis, & ista vnitas minima potest dici vnitas generis remoti, intelligendo simili modo, vt expositum est in secundo modo de scientia virtualiter, quæ est vna specie, sed scientiæ omnes formaliter, in illa virtualiter contentæ sunt tantùm vna genere remoto.

Scientia vna genere.

Secundò videndum est, quomodo accipienda sit scientia speculatiua, quæ hîc diuiditur. Vbi sciendum, quòd intelligendum est hoc primò de scientia speculatiua reali scilicet quæ considerat intentiones primas abstractas à singularibus realibus, & dictas de illis in *quid*, per quod excluditur Logica, quæ est de secundis intentionibus, quæ de nulla re primæ intentionis prædicantur in *quid*. Secundò intelligendum est de speculatiua scientia strictè sumpta: quæ scilicet ex natura sui & subiecti, ordinatur tanquam ad finem ad *scire* tantum: non autem ad *scire* directiuum in aliqua operatione, quæ non est essentialiter speculatio, per quod excluditur moralis, quæ largè est speculatiua, vt dicetur respondendo ad secundum argumentum. Tertiò intelligendum est de speculatiua possibili acquiri ab homine ex naturali lumine intellectus scilicet ex principiis cognitis via sensus, quia cognitio nostra oritur à sensu, 1. Posterior. text. comm. 1. per quod excluditur speculatiua cognitio de substantiis separatis, quantùm ad propria ipsarum, vt dicetur respondendo ad quartum argumentum.

Speculatiua, realis & rationis.

SCHOLIVM IV.

PVLCHERRIME *explicat sufficientiam diuisionis scientiæ realis speculatiuæ, pro nunc nobis possibilis, in Physicam, Mathematicam, & diuinam seu Metaphysicam, ex triplici obiecto; ens enim secundùm se consideratum habet passiones scibiles, & sic de eo est Metaphysica: sub ipso occurrunt decem Genera, de quibus actum est libro præced. q.5. & de nullo horum secundùm se considerato, via sensus dantur aliæ passiones demonstrabiles, præter communes, & transcendentes, neque aliquod genus accidentis diuidendo, inuenietur subiectum primum alterius scientiæ, quia quodlibet accidens mediatè, vel immediatè virtualiter continetur in specie aliqua substantiæ; & sic esto habeat aliquas passiones proprias demonstrabiles, non erit subiectum primum scientiæ. Vt ergo inueniatur subiectum aliarum scientiarum, substantia diuidenda est; & quoad spiritualem pro nunc, nullæ propriæ passiones eius sunt notæ nobis; & ideò de ea non habemus scientiam; erant ergo aliæ scientiæ de corporea: huic inest primò quantitas continua, & discreta, & hac mediante relationes super eam fundatæ, & qualitates quartæ speciei; & sub hac consideratione, habet passiones demonstrabiles, & consequenter est obiectum scientiæ distinctæ à Metaphysica, nempe Matheseos. Vlteriùs eadem considerata, vt habens formam & principium determinatæ operationis, motus, & quietis, habet multas passiones, & via sensus cognoscibiles: & sic datur de ea scientia, alia speculatiua, nempe Physica; nec est alia scientia speculatiua, quæ sub his non contineatur. Alibi dicit accidens esse subiectum Mathematicæ, sed explicari potest de secundario. Ponit alias duas diuisiones scientiæ, sed quia parui sunt momenti, reijcit, explicans quomodo Metaphysica appropriatè versatur circa intelligibilia, Mathematica circa imaginabilia, Physica circa sensibilia.*

10 His visis ad quæstionem dicendum est, quòd scientia speculatiua cum triplici determinatione prædicta, sumpta sufficienter ab Aristot. diuiditur, & hoc

Scientiæ diuisio sufficiens.

& hoc primaria diuisione: quæ scilicet est in immediatè contenta sub diuiso: quod ostenditur sic: quia talis diuisio non potest esse in scientias habentes vnitatem primo modo, quia istæ sunt species specialissimæ & remotissimæ à diuiso; ergo oportet quòd sit in habentes vnitatem secundo modo, vel tertio: sed istarum vnitatum vtraque correspondet vnitati subiecti virtualiter continentis totam scientiam, vt dictum est priùs; ergo secundùm distinctionem talium subiectorum, concluditur talis diuisio scientiarum: sed talia subiecta prima speculabilia, propriè realia, de quibus possunt aliqua sciri viâ sensus, sunt tantùm tria; ergo tantùm tres scientiæ speculatiuæ propriæ & reales, & naturaliter scibiles. Minor ostenditur sic, ab omnibus speculabilibus realibus potest vnũ commune scilicet ens abstrahi, de cuius communitate alibi dictum est: hoc commune habet proprias passiones secundùm Philosophum 4. Metaph. cuiusmodi sunt omnia transcendentia denominatiua, vt bonum, vnum, verum, actus & potentia, &c. ergo de ente est aliqua scientia possibibilis quantùm ad tales passiones, & est necessaria, quia cognitio nostra procedit à communibus ad propria, ex 1. Physicor. text. com. 3. & inde, ens autem est obiectum reale: quod patet, quia de rebus dicitur in *quid*, & est obiectum propriè speculabile: quia circa ens inquantùm ens, non est nata esse speculatio directiua in alia operatione à speculatione, & passiones eius ex principiis cognoscibilibus viâ sensus de ipso ostendi possunt; ergo habemus vnum subiectum primum, quod habet omnes conditiones prædictas; & sic patet vna pars minoris.

Tria subiecta scientiarum.

Obiectum Metaphysica, ens: quomodo? l. 4. q. 1. Tex. c. 5. Ens, obiectum scientiæ propria: habens omnia requisita.

Vlteriùs, quia habitus propriorum in vniuersali, non est respectu propriorum in inferioribus sub illo vniuersali, nisi in potentia tantùm, & secundùm quid, ad hoc, quòd intellectus circa alia speculatiua perficiatur, oportet inferiùs descendere, quærendo subiecta specialia: sub ente autem, prima diuidentia occurrunt decem generalissima, de quibus ex principiis notis viâ sensus, non sunt aliæ passiones demonstrabiles, nisi transcendentes; ergo nullum illorum est subiectum alterius scientiæ à Metaphysica, cuius tamen nullum istorum est subiectum primum, sicut nec homo, licèt immediatiùs insit substantiæ, quàm homini passio, quæ primò inest enti: quòd si oportet vlterius diuidere ad inueniendum subiectum alicuius scientiæ, non oportet procedere diuidendo aliquod genus accidentis: nam quodlibet istorum, & quælibet species cuiuslibet eorum, in aliqua specie substantiæ, virtualiter continetur, mediatè, vel immediatè; & ita quodcunque istorum poneretur pro subiecto, licèt fortè haberet aliquam passionem de se scibilem, non esset tamen primum subiectum; ergo nec penes aliquod illorum accipietur distinctio prima sciẽtiarum; ergo oportet diuidere præcisè substantiam, vt subiectum habeatur primum scientiæ alterius à Metaphysica diuisa, aut substantia ponitur alterum membrum scilicet incorporea ad Metaphysicum pertinere, & hoc propter hanc rationem: quia eiusdem est considerare genus aliquod, & primum contentum sub illo: substantia incorporea prior est sub substantia.

Ens immediatè diuidi in decem genera, sup. l. 5. q. 5. de his tantùm est Metaphysica, & nulla alia. Diuisio scientiarum non sumitur penes alicuius generis accidentis diuisionem.

11

Sed hæc ratio videtur deficere. Tum, quia scientia de diuiso, æqualiter videtur se habere ad vtrũque diuidens; ergo si est de vno sub propria ratione, & de altero. Tum, quia falsum supponitur, quòd Metaphysica est de substantia primò, quod non est verum, sed tantummodò inquantùm ens: & sic accidit considerationi eius, quòd perfectiùs participet rationem substantiæ. Ideò est alia ratio, quare substantia separata ad Metaphysicum pertinet, secundùm quòd Aristoteles ponit in litera ipsam pertinere: quia videlicet etsi habeat proprias passiones sibi primò inhærentes, non tamen nobis scibiles viâ sensus: sed sic sunt solæ passiones entis de ipsa notæ; vnde verum est quòd ipsa est subiectum secundæ scientiæ speculatiuæ possibilis intellectui cognoscenti ipsam, sub propria ratione, sed non nobis. Restat ergo substantia corporea, cui absolutè consideratæ inest primò quantitas continua, & secundùm aliquos discreta, & mediante quantitate, omnia quæ quãtitatem consequuntur, vt relationes fundatæ super quantitatem, & qualitates quartæ speciei. Et istæ passiones sunt de ipsa cognoscibiles ex principiis notis viâ sensus; ergo ipsa potest esse, & est scientiæ speculatiuæ subiectum possibilis nobis, alterius à Metaphysica: & hæc vocatur Mathematica, quæ licèt dicatur de quanto, vel quantitate, quia non multùm Mathematica comparat quantitatem ad substantiam corpoream, tamen subiectum primum virtute continens omnia, est substantia corporea. Vlteriùs eadem substantia corporea non contracta ad inferiùs, sed alio modo considerata scilicet inquantùm habens formam, quæ est principium determinatæ operationis, & motus & quietis, habet multas passiones sic sibi inhærentes, & scibiles per viam sensus; ergo quoad illas erit alia speculatiua, quæ dicitur Physica siue naturalis. Præter istas non potest inueniri alia scientia speculatiua, quæ non sub aliqua istarum contineatur, puta si sit de aliqua substantia inferiori, vel in aliqua istarum includatur: puta si sit de aliquo accidente: ergo sunt tantùm istæ tres primò diuidentes speculatiuam scientiam penes tria subiecta, habentia conditiones superiùs expressas.

Substantia separata an spectat ad Metaphysicum? Sola passiones entis possunt à nobis cognosci de substantia.

Substantia corporea quomodo obiectũ Mathematicæ?

Quomodo substantia corporea, est subiectum Physicæ?

Intelligendum est ergo ex dictis, quòd si scientia diuidatur penes obiectum, qualis est prima diuisio eius, vt dictum est, quia differentiæ specificæ sunt ignotæ, quòd sic poterit diuisio procedere: Scientia alia est de conceptu communissimo, per se passiones habente scilicet de ente; & alia de conceptu minùs communi, primò passiones habente; & per *primò*, excluditur omne accidens, intelligendo sic, quòd primò habens passiones, non sit passio alterius. Vlteriùs, secundum membrum subdiuiditur in scientiam de substantia incorporea, quæ non est nobis possibilis pro nunc, & in scientiam de substantia corporea.

12

Tres tantum esse scientias, quia tria tantum obiecta.

Tertia diuisione secundum membrum subdiuiditur in scientiam de substantia corporea, inquantùm sic, & sic consideratur. Non ergo quodlibet membrum prædictæ diuisionis æquè vnum, sed Metaphysica, in qua primo stat diuisio, est vna vnitate generis proximi, non habens sub se, nisi species specialissimas; vnde est vna secundo modo. Mathematica, siue Physica in qua, in tertio gradu stat diuisio, est vna tantùm vnitate generis remoti, & tertio modo, quarum vtraque in plures descendit, habentes vnitatem secundo modo.

Metaphysica vna genere proximo, Physica, vna genere remoto.

Contrà: vnitas habitus est ab obiecto; ergo à magis vno maior vnitas; minùs commune est magis vnum. Respondeo, etsi communius sit minùs vnũ in re, & magis diuersificatum, quàm minùs commune, tamen est æquè vnum intelligibile: quia

ita vnico & simplici actu intelligendi, intelligitur animal, sicut homo; & ita proprius habitus vtriusque est æquè vnus in se; sed habitus diuersi in isto vno contenti virtualiter, non habebunt æqualem vnitatem, nisi in isto vno æqualiter includantur: nam habent vnitatem ex hoc, quod includuntur: non autem æqualiter includit corpus Physicum omnes conclusiones scientiæ naturalis, & ens omnes conclusiones Metaphysicæ, quia ens includit istas secundo modo, corpus Physicum istas non nisi tertio modo.

Aliter ens includit conclusiones Metaphysicas, & corpus Physicũ Physicas.

13

Metaphysicus abstrahit à materia, Mathematicus à materia mobili, Physicus à materia singulari, tantùm.

Ex ista distinctione penes subiecta prima, patet causa illius distinctionis, quam Aristot. ponit in litera scilicet penes modos diffiniendi; ideò enim Metaphysicus diffiniendo, omnino abstrahit à materia, quia sicut ens quod primò considerat, ita & quodlibet inquantùm sub eius considerationem cadit, non includit materiam secundùm quod vult Auic. 1. Metaph. Mathematica verò, quia considerat substantiam corpoream sub tali conceptu, secundùm quem includit principia propria quantitatis, & ita necessariò requirit materiam, licèt non vt principium potentiale, siue mobile: ideò Mathematicus sic diffinit per materiam, non inquantùm principium motus. Physica verò conderat substantiam corpoream, inquantùm in conceptu quem de corpore habet includuntur principia motus & operationis; ideò per materiam sic diffinit, non quòd motum ponat in diffinitione: quia ille est passio apud eum, sed materiam secundùm considerationem contractam, secundùm quam est principium motus.

Metaphysica circa intelligibilia, Mathematica circa imaginabilia, Physica circa sensibilia.

Assignantur & aliæ distinctiones istarum, quia Metaphysica est circa maximè intelligibilia, & Mathematica circa imaginabilia: Naturalis circa sensibilia, quod intelligitur secundùm quandam appropriationem. Omnis enim scientia est circa intelligibilia, sed Metaphysicalia nec in vniuersali, nec in particulari, sunt propriè sensibilia, sicut nec entitas, nec vnitas, nec ista entitas, vel vnitas, licèt ex sensibus cognoscantur. Mathematica in singularibus, & naturalia sunt imaginabilia, sed Mathematica non sunt sensibilia primò, licèt per se. Naturalia primò, licet, non motus, nec quies.

Alia assignatur distinctio penes gradus certitudinis. Sed nec præcedens multùm probat, nec ista, quia quælibet est ex principiis necessariis, & ad conclusiones necessarias.

SCHOLIVM V.

HABET *exquisita doctrinalia in solutionibus argumentorum. Ad primum Logicam esse propriùs speculatiuam, & aliquo modo practicam; ita habet q. 4. prol. num. 3. Ad secundum moralem scientiam esse practicam, vt habet q. 4. prol. num. 11. largè tamen dici speculatiuam, vt habet ibi. Vide eum 1. d. 38. Ad tertium optimè explicat quomodo quantitas dicitur esse obiectum Mathematicæ, cùm verè non sit: ibidem docet fusè, corpus mobile non esse subiectum Physicæ. Idem habet 2. Phys. tex. 18. & q. 6. Ad quartum ex dictis patet quare de aliis generibus non est scientia. Ad quintum ostensum est l. 1. q. 9. quòd Metaphysicus non agit de rationibus particularibus entis.*

14

An Logica sit practica? q. 4. prol. n. 3.

Ad primum argumentum de Logica, licèt posset dici, quòd Logica est practica: quia non est tantùm propter *scire* proprium, sed propter *scire* directiuum in aliquo actu: quia enim intellectus in actu proprio discursiuo potest errare, indiget habitu directiuo, priusquam dirigat in aliis secundùm Boëtium super Porphyrium: ideò Logica potest dici prima practica inuenta, extendendo nomen: quia tamen iste actus in quo dirigit, non est nisi speculatio, ideò Logica propriè non est practica; non est enim finis eius veritas, confessè se habens appetitui recto, quæ veritas est finis practicæ ex 6. Ethic. cap. 2. Tunc dicendum est quòd non est speculatiua realis, quæ sola hîc diuiditur.

Ad secundùm de Ethica, respondeo, omnis habitus cognitiuus circa obiectum operabile ex natura rei, & obiecti, est directiuus in operatione, licèt non ex vsu habentis: sed aliquis habitus est directiuus incompletè, & quasi à remotiori, sicut qui est circa magis vniuersalia, aliquis magis perfectè & de propinquo, sicut qui est circa magis particularia: actus enim sũt circa singularia: vnde experientia magis dirigit in operando, quàm ars sine experientia 1. Metaph. In procem. & sic habitus incompletè dirigens comparatiuè, & largè, potest dici speculatiuus; quia ex se non sufficit ad dirigendum sine particulari determinante & applicante, & sic posset moralis scientia dici speculatiua, sed non propriè & strictè, sicut hîc sumitur speculatiua. Item cùm arguitur ex diffinitione prudentiæ. Respondeo, illa diffinitio debet intelligi de ratione agibilium, id est, directiua circa agibilia perfectè & immediatè, & in particulari, sed scientia moralis est alio modo respectu agibilium scilicet in vniuersali, & insufficiens ex se ad dirigendum circa ista. Contrà: tunc Philosophus 6. Ethic. cap. 4. insufficienter enumerat habitus cognitiuos, quia moralis scientia sub nullo eorum, quos ibi ponit, videtur contineri. Respondeo, qui poneret, quòd habitus idem est, sed tantùm differens secundùm magis, & minùs, ille qui dirigit in vniuersali, & qui in particulari; posset dicere, quòd Philosophus ibi sub prudentia comprehendit scientiam moralem, tanquam imperfectum sub perfecto: idem tamen sunt in essentia, & conuenientiùs ibi posuit habitum perfectum, quàm imperfectum, quia perfectus est magis virtus intellectus, de qua virtute intelligibili, ibi intendit.

Moralis sciẽtia, quomodo speculatiua, & practica? Scot. q. 4. prol. n. 11.

Quomodo prudentia differt à sciẽtia morali?

15

Alius qui ponit, quod licèt habitus sit practicus ex ratione formali obiecti, quod est operabile, non tamen intellectus est practicus; nisi ad considerandum motus ex appetitu finis, & considerationem suam ordinans ad opus, sed cum hoc deberet: vt videtur innuere, quod Philosophus ibi distinguit habitus intellectus speculatiui & practici, quia dicit Aristoteles mentis speculatiuæ & practicæ: mens sumitur pro intellectu; & tunc haberet dicere quòd scientia moralis, licèt sit habitus practicus, est tamen intellectus speculatiui: & hoc expresè dicit sic opinans, quòd alius est habitus ille, qui est tantùm practicus, & tamen est intellectus speculatiui, qui habitus respicit operabile in vniuersali: & alius ille, qui respicit operabile in particulari, & est intellectus practici. Secundùm hanc opinionem videtur esse dicendum, quòd scientia moralis continetur sub scientia, quam Aristoteles ponit ibi, habitum intellectus speculatiui.

Ad tertium dicendum, quòd falsum assumit, quod quantitas sit subiectum Mathematicæ, sicut dictũ est in solutione quæstionis, quia tamen quãtitas non ostenditur inesse substantiæ corporeæ: sed

Quantitas non est obiectum Mathematica.

sed quasi medium supponitur, & de substantia corporea non ostenditur aliquid in Mathematica, nisi per naturam quantitatis, tanquam primæ passionis, ideò videtur esse quasi ratio propria subiecti illius scientiæ,& quasi ponitur subiectum; licèt sit ibi passio, quia includitur in subiecto priori; vt ibi dictum est. Quare autem hoc modo de substantia corporea est scientia specialis per rationem quantitatis, vt primæ passionis eius, & non sic de aliis accidentibus? Ratio est: quia quantitatem consequuntur multa quæ per ipsam insunt subiecto eius: & per ipsam de illo sunt scibilia ex principiis notis via sensus: non sic per alia genera accidentium: tamen qualitas quantùm ad tres primas species, aut saltem quantùm ad tertiam speciem, quasi simili modo potest poni se habere in scientia naturali; nisi quòd in illa scientia quantitas aliquo modo consideratur, non absolutè, sed vt contracta ex 2. Physicorum, t.c.16.& inde.

Quare datur scientia specialis ratione quantitatis, & non aliorum accidentium?

16

Consideratur etiam forma substantialis determinata, quæ est principium determinationis quantitatis ex 2. de Anima, t.c.41. *omni natura constantium*, &c. & etiam qualitatum naturalium: ita quòd Mathematicus per rationem substantiæ corporeæ, siue in communi, siue in particulari, quasi nihil ostendit: sed omnia per rationem quantitatis, quæ est prima passio: naturalis autem per rationem substantiæ habentis formam determinatam substantialem, quæ est verè natura, siue in vniuersali, siue in particulari consideretur, tanquam per primum medium, si esset *propter quid* tradita, haberet ostendere determinatam quantitatem de tali substantia, & etiam qualitatem tertiæ speciei; & per istas duas passiones primas, quarum neutra alteram ostendit; licèt habeant ordinem in inhærendo substantiæ corporeæ, ostenderentur omnes passiones posteriores de substantia naturali. Vnde valde incòuenienter videtur mobile poni formalis ratio subiecti in Physica, cùm sit passio remota valde. Priùs enim supponitur, quòd substantia sit quanta quantitate determinata, quàm quòd sit mobilis, secundùm quantitatem, quia quantitas in communi abstrahit à motu. Priùs etiam quòd sit qualis qualitate tertiæ speciei, quàm ostendatur mobilis secundùm qualitatem, quia in ista sola specie, est motus alterationis ex 7. Physicorum, t.c.14.& inde. Priùs etiam, quàm ostendatur corpus esse mobile localiter, ostenditur habere vbi determinatum, quod præsupponit quantitatem determinatam: & similiter qualitatem, si accipiatur vbi determinatum, quantùm ad differentiam certam positionis, quia talis determinatio sequitur qualitatem naturalem, vt grauitatem deorsum, leuitatem sursum, vel neutralitatem, per quam intelligitur qualitas cælestis ignota, & proprium *Vbi* cælorum. Intellige ista priùs ostendi esse quanta, qualia,& vbi cum actu, vel aptitudine: sic enim intelligendæ sunt conclusiones demonstrationum: non de actuali existentia.

Corpus mobile non est obiectum in Physica.

Quòd si dicatur: substantia naturalis quædam est generabilis & corruptibilis, inquantùm habet talem formam substantialem: & est quædam ingenerabilis, & incorruptibilis, quia habet talem; ita quòd ista mutatio non videtur præsupponere aliud ostensum de substantia. Respondeo: tamen ipsa est passio, & ostenditur per propriam rationem subiecti.

Similiter potest aliter dici, quòd Philosophi non concluserunt substantiam corruptibilem, nisi esset alterabilis à propriis dispositionibus: & ita in fine alterationis, corruptibilis. Sic ergo posset dici, quòd generabile præsupponit ostendi, quòd sit alterabile. Sed hoc non est verum, nisi nobis, qui procedimus à posteriori in naturalibus, demonstrando; quia in re prius inest esse generabile; ideò detur prima responsio. Sed si dicatur; ideò scientia naturalis est de mobili, quia considerat passiones, quæ sunt extra essentiam substantiæ,& verè accidentia eius, secúdùm quæ subiectū est mobile, Metaphysica non sic, quia vnitas non est verè accidés entis: hoc nó videtur valere, quia sic Mathematica esset de mobili. Similiter, hoc si aliquid concludit, non concludit mobile esse rationem subiecti, sed passionem aliquam, sed nec hoc concludit, quia immobiliter se habet ad proprias passiones.

Generabile supponit alterabile.

Contrà: quomodo ergo saluabitur Aristoteles, qui videtur dicere in litera, t.c.2. quòd in ratione naturalium, cadit motus. Et Auic. 1. Metaphysic. quòd est de ente mobili? & multa dicta similia naturalium inueniuntur. Respondeo: mobile significat aptitudinem ad motum, quæ aptitudo, si intelligatur remota, inest substantiæ Physicæ, ex principiis propriis substantialibus: itaque per istam determinationem, non ponitur motus quomodocunque sumptus, propria ratio formalis subiecti Physicæ, sed tantùm contrahitur corpus ad considerationem sui, quantùm ad prima principia propria inquantùm principiant motum, & sic excluditur consideratio corporis pertinens ad Mathematicam. Ad quartam rationem, patet ex prædictis in corpore quæstionis.

Obiectum Physica quomodo dicitur mobile.

Ad quintam dictum est super primum Metaphysicæ q. 8. & ostensum est, quòd antecedens assumptum est falsum. Ad textum Aristotelis responsio, eius *quod quid est*, non est demonstratio: sicut nec in alia scientia, ita nec in Metaphysica: sed aliæ scientiæ, *quod quid est* sui subiecti supponunt ex sensu: si tantùm confusam cognitionem illius quiditatis, requirunt: puta ad sciendum binarium esse parem, sufficit quælibet cognitio confusa de binario, accepta à sensu, cum qua etiam stat ignorantia, an binarius sit substantia, vel accidens, quantitas aut qualitas; aut aliunde accipiunt, ideò à Metaphysico; si distinctam eius notitiam requirunt: puta non scietur quòd homo est animal perfectissimum, sine notitia subiecti: an sit substantia vel accidens, & sic procedendo. Et hoc, aliquo modo accipitur à Metaphysico, qui Metaphysicus de isto *quod quid est*, distinctè cognoscendo, rationem facit: prout possibile est rationem fieri ad *quod quid est* inquirendum. Cùm enim talis ratio sit via diuisiua ex 2. Posteriorum, quæ debet incipere à communissimis, quæ certum est inesse illi, cuius *quid* quæritur: quatenus ista communissima à Metaphysico considerantur, eatenus Metaphysicus iuuat ad faciendum rationem de *quod quid est* subiectorum specialium: & etiam quatenus diuidens in processu suo dirigitur per quædam principia Metaphysicalia communia, vt *de quolibet affirmatio, vel negatio*.

Quomodo supponitur quod quid est subiecti scientiarum.

Contra illud, Metaphysica non videtur necessaria quin quicunque alius artifex vtens Logica; cuius vsus est communis: etiam Metaphysicæ possit *quid* sui subiecti inquirere. Respondeo: in tali inquisitione nullus artifex est, quia ista inuestigatio præcedit omnem processum scientiæ, quæ est per demonstrationem: supposito *quod quid est* subiecti, siue confuso, siue distincto: sed in diuidendo

Quomodo Logicus inquirit quod quid est sui subiecti?

uidendo quod realitatis est, Metaphysici est, quod processus rationis, Logici est. Contrà: si procedatur per conceptus reales ad Metaphysicum non spectantes, vt per conceptum corporis, antequam diuidendo habeatur *quid* subiecti, nunquid talis est in procedendo Mathematicus, seu naturalis? Responsio, prædicatum dictum in *quid*, naturaliter notius est de subiecto quàm quæcumque passio, sed non nobis. Ideò si ordine naturalis notitiæ procederet diuidens, nihil faceret nisi abiiceret disconueniens, & acciperet conueniens. Sed qui sibi notitiam acquirit ex aliqua passione nota viâ sensus, vnum abiicit, aliud assumit, vel ex aliquibus propositionibus, sibi aliunde notis, & quatenus illis vtitur talis artifex est ad quem illæ spectant, licèt imperfectè sit talis: omnis autem inuestigans *quid* per diuisionem, etiam si non per omnia intermedia procedat, Metaphysicis vti oportet.

19 *Sciens particularis confusam notitiam subiecti accipit à sensu.*

Nullus est itaque particularis sciens præcisè, puta elementicus, siue lapidicus, seu planticus, nisi qui præcisè confusam notitiam subiecti accipit ex sensu: & isto supposito, passiones ostendit illi inesse, quas ex tali eius notitia potest de ea ostendere: & licèt talis sit perfectus planticus, vel plantista, est tamen imperfectus sciens, quia etiam plantam imperfectè nouit: potest enim ignorare an sit substantia, etiam non considerare an sit ens, si nunquam conceptum entis ab illo abstraxit, & hoc intellige nisi in demonstrando vtatur aliquibus principiis communibus, pro quorum intellectu oporteret conceptus communes abstrahere.

Essentialiùs nouit quælibet scientia quid proprij subiecti, quàm Metaphysica.

Ex his patet, quòd cùm alicuius cognoscibilis essentialior sit illa cognitio, quæ est in particulari, licèt magis confusè, quàm quæ est eius in vniuersali, tantum potens applicari ad ipsum in particulari & distinctè, & de quocunque subiecto speciali, prima cognitio habeatur in scientia propria de ipso, secunda autem in Metaphysica essentialiùs cognoscit quælibet scientia specialis *quid* proprij subiecti, quàm Metaphysicus. Metaphysicus etiam sine ista perfectus est, particularis sine illa nihil scit: tamen applicando Metaphysicam ad notitiam confusam, potest perfectior haberi de subiecto, quàm habet particularis inquantùm talis: sic exposita videtur litera Aristotelis.

Ordo in intelligendo.

Hìc nota ordinem intellectus nostri, intelligendo, quomodo confusum sensibile primò intelligit: & in illo imperfectè communissima. Deinde illa communissima percipit, & distincta notitia. Deinde particularia distinctè, ita quòd Metaphysica prima, quia est circa confusissima cognoscibilia, & imperfecta, & vltima, quantùm ad distinctam notitiam, potest sequi alias confusas, sed non distinctas. Ad sextum quantitas est subiectum remotum respectu passionum Metaphysicarum, quæ sunt primò entis. Ens autem, absolutè sumpta prima passio corporis, vt est subiectum in Mathematica: contracta autem est passio corporis, vt est subiectum Physicæ. Primo istorum modorum, non est cura, quid ad quam scientiam pertineat, quia sic lapis & albedo considerantur in Metaphysica. Secundo autem modo, & tertio, licèt sit distinctio sufficiens propter absolutam rationem & contractam: tamen & si nulla esset, si possibile esset eandem passionem primò inesse diuersis subiectis primis: adhuc distinguerentur scientiæ, quia causaliter earum distinctio est ex subiectis, non autem ex passionibus: illud tamen suppositum non est possibile, quia passio diuersorum per se est alicuius primo communis.

Quomodo quantitas cōsideratur in Metaphysica, & Mathematica.

SCHOLIVM VI.

EXPLICAT *fusiùs quomodo scientia aliis duobus modis generalioribus posset dici vna vnitate generis magis remoti, propter quandam conuenientiam scibilium, & virtualem eorundem continentiam in vno subiecto communi. Mauritius hìc notat totum textum vsque ad finem fuisse à Doctore cancellatum, seu notatum per vacat. In re non multùm differt intentum eius ab iis, quæ dicta sunt, sed fusiùs ista hìc explicantur.*

Additio.

20 Diuisio scietiæ prædicta non est in species vltimas.

Vlteriùs est sciendum, quòd quando aliquod genus remotum diuiditur prima diuisione, non statim diuiditur in genera proxima speciebus specialissimis: sicut patet in omni Prædicamento. Quando ergo scientia, quæ est genus valde commune, vt patet aliqualiter ex dictis, primò diuiditur, nec diuiditur in scientias primo modo dictas, quæ sunt specialissima; nec secundo modo, quæ sunt genera proxima specialissimis: nam fortè secundo modo tot sunt scientiæ, quot species specialissimæ habentes aliquas proprias passiones: nam de qualibet tali est aliquod principium, vt prædicando quod quid est *eius de ipsa: & aliqua conclusio: vt ostendendo propriam passionem eius de ipsa. Restat ergo præter duos modos dictos adhuc alium inquirere, quo scientia sit in se aliquo modo vna: licèt minùs vna quàm modis prædictis: & ab istis distincta maiori distinctione quàm distinguantur inter se prædicta: semper enim ascendendo occurrit communius in se minùs vnum, & ab alio fortè magis distinctum. Sciendum ergo quòd vltra secundum gradum, viderentur posse duo gradus assignari. Primus quando subiectum continens multorum principiorum & conclusionum veritatem, est aliquid commune ad multa inferiora, de quibus passiones primæ talis communis ostendentur per notitiam illius communis: & quantò communius, tantò minùs vnum. Et tunc habitus inclinans formaliter ad speculandum tale commune, virtualiter inclinaret, primò ad speculandum principia & conclusiones de ipso communi: per se autem non primò, ad speculandum eadem de inferioribus. Ita quòd omnes veritates siue de illo primo communi, siue eorundem prædicatorum de inferioribus, dicerentur pertinere ad vnam scientiam: vnam quidem genere magis remoto, quàm in secundo gradu, propter minorem conuenientiam scitorum per se: sed non primò, propter minorem vnitatem habitus virtualiter continentis illa scita: sicut & obiectum illius habitus est minùs vnum.*

Scietia quomodo vna genere remoto?

Alius gradus videretur esse, quando præter dicta gradu præcedenti cognita de inferioribus per naturam communis, etiam propria inferiorum de ipsis cognoscerentur: & omnia illa dicerentur esse vnius scientiæ propter vnum genus subiectum, cuius habitus formalis virtualiter inclinat ad alia omnia vera de ipso primò, & per se tantùm: ad omnia vera de inferioribus, per naturam eius: sed ad vera de inferioribus per naturam propriam ipsorum, non inclinat nec per se, nec primò: sed tantùm in vniuersali, & in potentia: ex qua inclinatione nunquam potest sufficienter acquiri actus: sicut potuit in gradu præcedenti.

Alia generalior scientiæ vnitas.

21

Sic ergo viderentur quatuor gradus in vnitate habitus scientifici. Primus quando est tantùm vnius complexi: vt homo est risibilis. Secundus

Quatuor gradus in vnitate habitus scientifici.

istorum habituum propriorum, qui sunt respectu multorum inclusorum in vna specie specialissima: vt homo est risibilis, homo est bipes, &c. conclusionum & principiorum de homine. Tertius istorum habituum & principiorum propriorum, qui sunt respectu multorum inclusorum in vno communi: & per ipsum inferioribus conuenientium: vt si in scientia de animali esset hîc pro principio, animal, habet animam sensitiuam; pro conclusione, animal habet organa sentiendi: animal habet appetitum sensitiuum, &c. conclusionum omnium quæ per naturam animalis de singulis animalibus ostenduntur. Quartus istorum habituum propriorum, qui sunt respectu multorum inclusorum in vno communi: & per ipsum conuenientium inferioribus: & etiam propriorum inclusorum in illis inferioribus, vt animal dicatur subiectum scientiæ, in qua omnia cognoscerentur, siue de animali in vniuersali, primò cognoscibilia, & de speciebus eius per se: siue etiam de speciebus primò. Et vltra istum gradum non videtur gradus vnitatis possibilis in scientia, nam quando ponitur scientia de vno primo, ad quod alia attribuuntur, videtur pertinere ad tertium gradum: nam illud primum non tantùm in vniuersali, & in potentia, sicut in gradu quarto: sed virtualiter includit, non tantum veritatem de se: sed etiam de attributis ad ipsum per se, sed non primò: licèt non eodem modo per se, quo & in tertio: quia ibi vniuersale vt medium in quid, dictum de vltimo, includit passionem ostendendam de vltimo; hîc non sicut medium dictum in quid: sed sicut extrinsecum & concausa propter quid respectu passionis ostendendæ de vltimo.

22 Explicantur dicti gradus.

Vnde analogia ista non facit gradum distinctum, vt videtur: gradus etiam vnitatis scientiæ, qui fit secundùm diuersas considerationes, videtur posse concurrere cum tertio, & quarto. Quomodo cum tertio concurrat, dictum est. Quomodo cum quarto, patet, quia si de attributo aliquid ostendatur per naturam propriam eius, non per naturam primi, ad quod attribuitur, illud non pertinebit ad scientiam de primo, nisi sicut quarto modo scientia propriæ passionis speciei, pertinet ad scientiam de genere. Posset etiam dici, quòd tertius gradus quatuor prædictorum coincidit cum secundo; quia vtrobique habitus vnus, qui est subiecti incomplexi: siue speciei specialissimæ: siue communioris, siue primi ad quod alia attribuũtur, includit sufficienter omnes veritates complexas illius scientiæ: & est ille habitus includens vbique æquè vnus: nam licèt obiectum sit communius, non tamen minùs vno actu intelligendi intelligitur: nec eius est minùs vnus habitus: nec sequitur, tale commune est minùs vnum in se: ergo est minùs vnum intelligibile. Quod si dicatur habitus non æquè vnus, quia alio modo includit hîc, & ibi. Hoc non obstat: quia non est alius modus intelligendi respectu primorum principiorum inclusorum: alia autem per se sub ratione primorum includuntur. Similiter etiam habitus speciei specialissimæ omnia includit per se, sed non primò veritatem passionis de indiuiduis. Licèt etiam indiuidua non tantùm distinguantur hîc, quantùm ibi species, non obstat: quia species non sumuntur hîc vt differentes, sed vt quasi singularia respectu generis, cui accidunt differentiæ specificæ inquantum de eis passio generis ostenditur. Itaque ex tota ista deductione teneatur tanquam probabile inquisitum, quòd tres sunt gradus vnitatis scientiæ speciei specialissimæ: primus generis proximi, secundus & cum eo ille qui videbatur posse poni tertius, & generis remoti; tertius qui ponebatur quartus. Nunc ergo ista sunt ad solutionem quæstionis applicanda.

23 Quid speculatiua, & quid practica.

Dico ergo quòd diuisio Aristotelis est sufficiens: quod sic patet: scientia speculatiua, vt hîc sumitur strictè, est illa, cuius finis ex natura scientiæ est præcisè speculari, non directiua ex se in aliqua operatione alia à speculatione: & per oppositum, practica largè sumpta est, cuius finis est ex natura scientiæ esse directiuum in actu alicuius, qui non est essentialiter speculatio: scientiæ autem speculatiuæ prima distinctio sumenda est penes obiecta virtualiter scibilia, omnia includentia, vel secundo modo vnitatis prædicto, vel tertio; dum tamen illa scibilia de subiecto tali, sciri possint per principia per se nobis cognoscibilia viâ sensus: quia omnis nostra cognitio ortum habet à sensu 1. Posterior. Aliàs si aliquod subiectum includeret multa de se scibilia: non tamen ex principiis cognoscibilibus viâ sensus, licèt de illo in se posset esse scientia: non tamen nobis. Aristoteles autem de scibilibus nobis locutus est; sic autem non sunt nisi obiecta tria speculabilia; ergo nec nisi scientiæ tres speculatiuæ. Minor declaratur sic; abstrahendo ab omnibus conceptibus inferioribus, simplicissimus conceptus in quo statur, est conceptus entis, sicut alibi de illo conceptu entis expressius dictum est. Iste conceptus includit virtualiter multas passiones de se primò scibiles, & de aliis inferioribus per rationem eius: vt patet per Aristotelem 4. Metaphysic. t. c. 5. sicut numeri inquantùm numerus, sunt aliquæ propriæ passiones, sic entis inquantùm ens, vt sunt omnia alia transcendentia denominatiua, vt vnum, verum, bonum, actus, & potentia, &c. De ente igitur potest esse aliqua scientia: non autem cum aliqua alia vnam faciens propter aliquod obiectum communius, secundùm tertium modum vnitatis: quia ente nihil est communius; ergo scientia potest esse præcisa de ente respectu passionum prædictarum: & talis est necessaria nobis quia ipso ignorato, alia ignorabuntur, cùm cognitio nostra procedat à communioribus ad minùs communia, ex 1. Physicorum, t. c. 3. & inde, & sic patet necessitas & vniuersalitas vnius scientiæ primæ ex ratione primi obiecti speculabilis, de quo ipsa est. Vlterius,

Necessitas, & communitas Metaphysicæ.

24

si vnitas quarti modi sufficiat ad vnitatem scientiæ, hæc scientia de ente, tunc erit de omnibus, nec est aliqua alia: nam habitus per se, & primò inclinans formaliter ad speculandum ens, virtualiter inclinat ad speculandum quæcunque, vel primò, vel per se, vel saltem in vniuersali, & in potentia; quia ens est commune ad omnia. Itaque oportet dicere, quòd ille modus vnitatis non sufficit: quia nec talis habitus respectu vniuersalis, qui est respectu inferiorum propriorum in potentia, tantùm est respectu illorum, nisi secundùm quid, simpliciter autem non est illorum. Restat ergo quòd scientia de ente nullam passionem primam alicuius inferioris ente considerat, sed tantùm passiones entis primò de ipso, & per se de quocunque inferiori: & sic habetur possibilitas & necessitas vnius scientiæ speculatiuæ, quæ est prima & de primo subiecto scilicet de ente, quæ est vna genere proximo, iuxta secundum modum vnitatis; Quia quantumcunque obiectum incomplexum sit commune, eius tamen est vnus habitus specie, sicut & vnus actus intelligendi: non enim est ens minùs vnum intelligibile, quàm homo,

Metaphysica non est de vllo inferiori entis secũdùm propriam rationem.

homo, licèt sit vnum in re minùs, & per consequens illa complexa, quæ in habitu entis virtualiter includuntur, inquantùm sic inclusa, tantam vnitatem habebunt, quantam & inclusa in habitu hominis. Sic ergo Metaphysica est vna secundo modo, non potens contineri cum aliqua alia, sicut pars alicuius eiusdem, nec potens in se continere cognitionem aliquorum, nisi quæ cognoscuntur de aliis inquantùm entia, vt patet ex dictis.

SCHOLIVM VII.

CONTRA trimembrem illam scientiæ diuisionem, in Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam, tria vrgentia argumenta facit; & licèt ea soluat, tamen eorum efficaciâ tandem motus, resoluit nullam esse rationem conuincentem huius trimembris diuisionis; sed tantùm placuit multis authoribus propter conuenientiam quorundam in principiis, & modo cognoscendi, sic diuidere: cùm tamen aliter diuidi posset.

Additio.

25

Contra ista: superiùs negabatur quòd omnis scientia esset Metaphysica; & quòd ideò qualibet scientia est vna secundo modo; ergo cùm nec Mathematica, nec Physica, sit vna secundo modo, sed tantùm tertio, & vtraque sub se contineat multas vnas secundo modo, sequitur quòd multò erunt plures scientiæ primò, æquè primò diuidentes scientiam, sicut Metaphysica eam diuidit. Item, substantia corporea virtualiter in se continet passiones Mathematicas & naturales: ergo proprius habitus eius formaliter, est virtualiter habitus vtrarumque passionum, & ita Mathematica, & naturalis erunt vnius generis. Item Socrates est subiectum vnius habitus virtualiter continentis omnia: nam inferiora sicut continent superiora, ita & passiones eorum; & ita quantò particulariùs, tantò scientia est vniuersalior.

Ad primum illorum, quòd licèt Metaphysica sit vna specie: tamen est obiecti ita communis, quod si ad eam pertinerent quæcunque habent vnitatem tertij modi, nimis esset confusa. Aliæ duæ, licèt sint tantùm vnæ tertio modo, tamen obiectum earum est minus commune; ideò considerando omnia, ad quæ illud obiectum se extendit scilicet in vniuersali, non est tanta confusio, quin in se habeant illam sufficientem vnitatem, & ab aliis distinctionem, præcipuè cùm per principia de tali communi subiecto, ostendantur de inferioribus non tantùm passiones talis communis, sed etiam propriæ: vt patet per conceptiones positas in primo Geometriæ, quæ ad conclusiones speciales adducuntur: consimiliter in naturali scientia. Vnde propter generalitatem talium principiorum, etiam extendentium se ad conclusiones speciales, licèt non sine principiis specialibus, potest tam Physica, quàm Mathematica dici aliquo modo vna secundo modo, non tamen tertio.

26

Ad secundum, quòd si ponantur diuersæ rationes reales, secundum quas includit istas passiones & illas, tunc potest poni subiectum hîc, & ibi, inquantùm sumitur sub hac ratione, & illa ratione: & tunc vnus habitus eius quiditatiuus inclinat ad ipsum sic, & alius sic. Ad tertium, quòd scientia est de illo subiecto, de quo primo scitur, non de quo per se, & non primò; & passio superioris nulli inferiori inest primò, sed tantùm per se. Contra primum, ista vniuersalia principia de ente, extenduntur ad ostendendum multas conclusiones speciales de entibus specialibus. Contra secundum, vnus habitus inclinat ad considerandum illud obiectum, neutram rationem determinando, sed vtramque intelligendo, vt habitus de albedine inclinat ad considerandum eam: tam vt habet genus, quàm vt habet differentiam.

Propter primum istorum, potest concedi, quòd illa extensio principiorum vniuersalium ad conclusiones speciales, non sufficit ad vnitatem secũdo modo, sed tantùm tertiò: quia illa principia in potentia includunt conclusiones speciales. Tot ergo scientiæ æquè primò diuidentes scientiam contra Metaphysicam, quot ad Mathematicam, & Physicam, inueniuntur vnæ secundo modo, sicut est Metaphysica. Nec ista diuisio est ex se sufficiens: sed tantùm est in tres scientias, quæ cum aliis licèt æquè primo diuidant scientiam, tamen priores sunt ratione subiectorum. Sed secundum argumentum plus concludit, quòd nec duo membra diuisionis sunt diuersa, quantùm ad secundum modum vnitatis.

27

Diuisio scientiæ in tres, non ostenditur per rationem necessariam.

Post ergo longam inquisitionem, non video huius diuisionis sufficientiam per aliquam rationem necessariam posse ostendi: sed placuit diuersis auctoribus circa diuersa subiecta speculari, & tot suæ considerationi subdere, quot videbantur aliquam conuenientiam in principiis, & in modo considerandi habere: cùm tamen multorum consideratorum ab vno, vt à Geometra, possint esse multi habitus, non tantùm primo modo, sed secundo; & non vnus nisi tertio, vt probat primum argumentum; aut consideratorum à diuersis possit esse vnus habitus secundo modo, vt probat secundum argumentum. Intelligendum autem, quòd licèt obiecta penes quæ distinguuntur tres scientiæ prædictæ, sint secundùm sub, & suprà, *ordinata: habitus tamen sunt simpliciter distincti, ita quod nullus alium includit: quia quilibet habitus inclinat ad proprium obiectum sub propria ratione & præcisa sumptum: & sic extraneatur alteri.*

Contrà: ergo propositio Metaphysicæ nihil probat in Physica: stude.

ANNOT. MAVRITII.

CIrca primam quæstionem sexti libri de trimembri diuisione speculatiuæ. t.c.2. Aduerte in principio solutionis ad duas opiniones, quas adducit de distinctione, & identitate scientiarum: quare Thomam hîc & 1.2.q.54. & Henr. Quodlibeto 9.q.4. & Albertum, & Ioannem Ianduunum: & antiquiores, vt Alpharabium, & Gondisal. de diuisione scientiarum, & Boëtium in lib. de Trinitate, cum expositionibus: hunc verò in prologo vtriusque primi. Vualterum etiam Burlei super Porphyrio, & alios moderniores ibidem copiosè & maximè resolutos Parisienses.

28

Consequenter ponit modum dicendi suum quantùm ad hunc articulum, distinguendo de triplici vnitate habitus valde subtiliter, & membra declarando. Secundò, distinguendo de speculatiua secundùm triplicem determinationem; deinde ad principale ista applicando, respondet ad quæsitum, vbi ardua speculatio, & singularis doctrina. Et licèt alibi, vt puta super 1. q. huius in Porphyrium satis resolutè collegi breuibus ea, quæ debent attendi ad vnitatem habitus exprimendam: & hanc triplicem vnitatem resolutè, vt potui, tetigi, aliis nihilominus omissis,

illa

illa breuia de vnitate tali hîc replicabo. Voco vnitatem specificam obiectiuam scientiæ, quæ sumitur ab obiecto complexo, vel incomplexo in se, & per se considerato. Genericam verò propinquam appello, quæ respicit obiectum complexum, vel incomplexum virtualiter actualiter consideratum, vel contentum. Genericam autem remotam dico, quæ concernit obiectum complexum, vel incomplexum virtualiter potentialiter, vel permissiuè apprehensum. Et hîc sumo specificum, & genericũ non ex modo entitatis obiectiuæ, sed ex modo cõsiderandi; nam de obiecto in se specifico, potest esse scientia generica: & de obiecto generalissimo, specifica, vt nunc probabiliter suppono.

Quid vnitas specifica, & Generica?

Deinde aduerte, cuius est illa ratio, quam adducit, & impugnat in solutione, ad ostendendum quòd substantiæ separatæ pertinent ad Metaphysici considerationem; quære Albertum hîc. Thomas habet quodammodò in simili, idem hîc comparando ens ad primum ens in ordine ad Metaphysicum.

29 Tange etiam plura circa rationes formales Mathematicæ, & Physicæ, subiectiuas in substantia corporea, an sint distinctæ res, vel realitates: & consequentes obiectiones, & instantias, & maximè ex 12. di. 4. q. 2. contra secundam opinionem arguendo.

In aliquibus originalibus ante illam literam, *Intelligendum est ergo ex dictis*, &c. ponuntur illæ obiectiones cum sequentibus, quas habes ad finem quæstionis ibi: *Contrà, superius negabatur*, &c. vsque ad finem: sed de ordine parum refert: lector nihilominus eligat, vt voluerit, & secundùm meliorem connexionem.

Hîc possunt introduci nonnulla ex dictis huiusmodi 34. di. 3. de diuisione habituum, & alibi sæpe: & ex aliis auctoribus, vt aliàs copiosè notaui.

Infrà, soluendo 2. principale; vbi introducit opinionem de habitu speculatiuo, & practico, vel in ordine ad obiectum, vel ad finem, seu subiectum: nota cuncta in prolog. in positione Godfredi & impugnatione eius in materia de praxi, q. 2. cuius etiam dicta, & Ægidij plerumque in his quæstionibus tangit.

Aduerte diligenter ad solutiones principalium valde fertiles, in quibus fundamenta propriæ opinionis vbique necessaria radicauit, & incidentaliter multa vtilia inducit; vbi ante solutionem 6. principalis ibi: *Hîc nota ordinem intellectus nostri*, &c videtur esse *Extra*, vel Additio: sed litera notabilis vbique.

Attendendum etiam, quòd ab illo loco: *Vlterius est sciendum, quòd quando aliquod genus remotum diuiditur*, &c. vsque ad finem quæstionis, Doctor in originali cancellauit, seu *vacat*, assignauit loco eius alia: priùs tamen habita suprà apposuit: sed quia omnia exquisita, licèt eorum aliqua iam explicata, ideò ea inserui legenda; vbi discretus lector cuncta æquabit.

Cùm dicit in fine obiectionis finalis, seu replicæ, stude: vt aliqui libri habent: licèt in aliis nihil ponit, nisi obiectionem insolutam, potest ibi concedi, quòd infertur, Physicè loquendo: sed ex distincta cognitione Metaphysica, quam non habet, vt Physicus efficitur perfectus sciens: veriùs etiam proprietates Physicas inuestigabit cùm Metaphysicæ obiectum nouit, recurre ad ea, quæ prædixit, plura alia hîc notabis ex prolog. vtriusque primi, & Francisci.

Primum de eo, quod secundùm accidens est, dicendum, quòd nulla est circa illud speculatio. Signum autem, &c. *tex. com.* 4.

Quòd autem scientia non est accidentis, palàm. Scientia namque omnis, aut est eius, quod semper, aut eius quod secundùm magis. *tex. com.* 6.

QVÆSTIO II.

Vtrùm de ente per accidens possit esse scientia?

Arist. *hîc c.* 2. *text.* 4. Albert. *tract.* 2. *c.* 1. *& sequent.* D. Tho. *lect.* 2. Ant. Andr. *q.* 4. *&* 5. Flandr. *q.* 8. *art.* 1. Fons. *c.* 2. *q.* *sect.* 1. *&* 2. Suar. *disp.* 1. *Met. sect.* 1. *num.* 4. Hurt. *disp.* 7. *subsect.* 4.

1 QVòd sic, arguitur, de quocunque potest esse demonstratio, & scientia, quia demonstratio est syllogismus faciens scire, 1. Poster. t. c. 5. Sed de ente per accidens demonstrat hîc Aristoteles aliqua; ergo, &c. Respondetur quòd Aristoteles demonstrat, quòd de eo non est scientia, & per consequens, quòd nec de ipso est demonstratio; demonstrare autem, quod de A non est demonstratio, est demonstrare de A secundùm quid; ergo inferendo, quòd de A est demonstratio, est fallacia secundùm quid, & simpliciter. Contrà: actus qui natus est habere suum oppositum pro obiecto simpliciter, si denotetur transire super illud oppositum, per hoc, non diminuitur; sed scire natum est habere pro obiecto simpliciter, hoc quod est A non sciri, sicut quodcunque aliud; ergo, &c. Maior patet, quia determinatio per obiectum non diminuit actum. Probatio minoris. Intellectus est reflexiuus; ergo quemcunque actum potest habere pro obiecto, similiter ergo & oppositum cuiuscunque: patet consequentia quia rectum est iudex sui, & obliqui, 1. de Anima, t. c. 85. & 7. Metaph. t. c. 23. priuatio ostenditur affirmatione. Confirmatur illud in exemplo: quia enim loqui vt est actus extrinsecus, potest indifferenter habere pro obiecto non loqui, vt est actus signatus, &c. sicut & quodcunque aliud signatum: ideò qui dicit se non loqui, ita simpliciter loquitur, quoad actum extrinsecum: sicut qui dicit se loqui, vel se currere: vnde sequitur dico me nihil dicere; ergo dico aliquid; ergo à simili hîc. Item, ad principale, astronomia, perspectiua, musica, & aliæ scientiæ subalternatæ videntur esse de ente per accidens, vt de subiecto; quod patet inducendo: nam de linea visuali, multa ostenduntur in Perspectiua, quæ per solam rationem lineæ non inessent, alias esset purè Geometria. Similiter multa, quæ per solam rationem visualitatis non insunt: aliàs esset purè naturalis; ergo quid subiecti eius includunt ambo, quæ nihil vnum per se faciunt: tamen quia quælibet istarum subalternatur duabus, quia vtriusque conclusiones pro principiis in ea continentur, quod non esset nisi subiectum eius subiecta ambarum includeret.

Rectum est index sui & obliqui.

2 Item, quod habet causam determinatam potest sciri per illam; ens per accidens est huiusmodi. Tum, quia ipsum secundùm Aristotelem prouenit

nit à causa naturali, non autem à causa ad vtrumlibet: causa autem naturalis determinata est, quia ex necessitate naturæ producit quod producit, in hoc distinguitur à voluntate. Tum, quia effectus non producitur à causa, vt videtur, quæ non habet se magis ad esse effectus, quàm ad non esse; quia propter talem, vt videtur, non plus esset effectus, quàm non esset. Sed causa indeterminata, dum manet indeterminata, non magis videtur se habere ad esse effectus, quàm ad non esse, alioquin iam ponitur, vt videtur, determinata; ergo à causa indeterminata, manente indeterminata nihil producitur; patet ergo, &c. Tum tertiò, quia quilibet effectus per accidens futurus, videtur posse reduci ad aliquam causam iam præsentem, & illa vlterius ad aliam præteritam iuxta deductionem in litera, t.c.7. de mori, vulnerari, incidere in latrones, exire domum, sitire, comedisse mordicantia. Sed omne vnius de præterito, est necessarium: quia *hoc solo priuatur Deus, ingenita facere, quæ facta sunt*, 6. Ethic. ergo alia sequentia videntur habere causam determinatam, imò necessariam. Item, ad principale, quicquid euenit à causa immutabili, dicitur esse necessarium, & ita scibile: ens per accidens est huiusmodi; igitur, &c. Probatio maioris: Non videtur effectus quandoque euenire, quandoque non, nisi quia causa aliter se habet ad ipsum; hoc non videtur posse esse sine mutatione causæ. Probatio minoris: à primo prouenit quodlibet, licèt non sit respectu eius ens per accidens: est autem primum immutabile 8. Physic. t.c.45. & inde. Respondeo, quòd maior est vera de causa proxima; minor de remota causa. Contrà: quòd maior sit vera de causa remota, probatio: si enim ista prima causa necessario causat mediatè A, necessariò mouet A: & A necessariò motum, necessariò mouet B, & sic vsque ad proximam, cùm posterior nunquam moueat, nisi quia mota. Si ergo sola prima causa conceditur mouens necessariò, omnes necessariò mouebunt. Item, quod scitur est scibile; quodcunque ens per accidens scitur à Deo; ergo, &c. Ad oppositum est Aristoteles in litera, t.c.4. & 6.

Hoc solo priuatur Deus ingenita facere, quæ facta sunt. Cap. 3.

SCHOLIVM I.

PRÆMITTIT *triplicem distinctionem, pro resolutione quæstionis. Prima: ens per accidens sumitur vno modo, vt dicit aggregatum ex rebus diuersorum generum, & ens per se oppositum huic est ex per se potentia, & per se actu de quo ipse 2. d. 12. quæst. 1. num. 14. §.* Quando ergo quæritur. *Alio modo sumitur pro effectu non intento, vt in casualibus, vel fortuitis, de quo latè Scot. Quodlib. vltim. Secunda distinctio: scientia est de aliquo strictè, quando de eo sua passio demonstratur: latè verò dicitur de ipso, quod scitur, vt de passione, vel conclusione. Tertia: scientia strictè est habitus conclusionis necessariæ: latè sumitur pro omni notitia determinata per causam per se, etiam non necessariam. Primo modo sumpta, alia est vna specie, alia vna genere proximo, alia vna genere remoto, iuxta dicta quæstione præcedenti.*

3

Ens per accidens primò sumitur pro aggregato ex rebus diuersorum generum.

Hìc distinguendum est primò de ente per accidens. Dicitur enim vno modo ens per accidens, quod est aggregatum ex rebus diuersorum generum, aut generalissimorum: vt homo quantus, album quantum; vel intermediorum, vt album dulce: & illud ens per accidens, sicut patet ex 5. Metaph. c. de Ente t.c.13. opponitur enti secundùm se, quod diuiditur in decem Genera quia tale ens per accidens non habet vnum conceptum quiditatiuum, per quem possit in aliquo genere collocari vno: sicut tamen est aliquo modo, & non simpliciter vnum ens, ita etiam cùm sit obiectum intellectus, aliquo modo vnum intelligibile est: non enim impossibile est hominem album vnico actu intelligendi concipi, sicut hominem, & asinum: nec tamen ita simplici actu concipiendi concipitur homo albus, sicut & homo. De hoc modo entis per accidens, loquitur Arist. in 5. lib. de Vno, t.c.7. & 13. & de Ente t.c.4. & quia diuisiones entis positas in 5. resumit hîc in principio huius capituli, ideò videtur in principio istius capituli loqui de isto modo entis per accidens; & similiter ita vsque ad illum locum: *Attamen dicendum*, &c. sicut patet per literam intuenti. Exemplificat enim de his, quæ accidunt trigono, & dicit ens per accidens esse non ens secundū positionem Platonis, qui Sophisticam ordinauit circa non ens: quæ certum est, quòd est circa ens per accidens isto modo, & hoc quoad fallaciam Accidentis. De isto etiam modo entis per accidens, est sermo in 7. t.c.11. & inde, t.c.20. & inde, quando negatur ens per accidens habere, *quod quid*, c.3. & *quod quid est* non est idem illi, cap.4.

4

Ens per accidens sumitur pro casuali, & fortuito.

Alio modo dicitur ens per accidens, prout per accidens non priuat perseitatem in entitate rei secundùm se; sed in comparatione ad aliquam causam; & sic dicitur ens per accidens, esse respectu alicuius causæ: ad cuius fieri, vel esse, talis causa non ordinatur essentialiter; sed euenit præter intentionem talis causæ aliud intendentis, cui tali, in minori parte, & per accidens est coniunctum. Cùm autem duplex sit principium efficiens in communi scilicet natura & voluntas; duplex est ens per accidens secūdo modo dictum, scilicet casuale strictè sumptum; & fortuitum: de vtroque loquitur in litera, t.c.5. De fortuito in exemplo de coquo.

De casu & fortuna, vide Scot. quodlib.21.

De casuali ibi, vbi vult, quòd ens in paucioribus: quia scilicet oppositum eius, quod in pluribus, non accidit à causa necessaria, sed præcisè circa effectus causæ naturalis, vt in pluribus, qui quandoque impediri possunt, & oppositum effectus per se intenti, accidere. Nec obstat quod dicit, materiam indispositam esse causam contingentis in paucioribus: nunquam enim propter materiam indispositam, agens deficeret ab intento, si esset virtutis sufficientis. Sed contra Aristotelem arguitur: quia videtur, quòd non ponat ens per accidens accidere in in naturalibus, nisi propter impedimentum causæ naturalis, inducens oppositum eius, quod vt in pluribus accidit: quod videtur falsum. Casus enim non includit frustrà, licèt è conuerso: nam quando intentum accidit, & cum hoc aliud non intentum, casus est. Item, oppositum intenti à causa naturali A, respectu eius non est effectus per accidens: quia nullo modo ab ipso A: respectu etiam alterius causæ impedientis A, non est illud oppositum: quia vt in pluribus est respectu eius: ergo tale oppositum respectu nullius causæ naturalis, est per accidens.

Quid est casus.

Secundò distinguendum est, quomodo multipliciter de aliquo potest esse scientia: licèt enim propriè dicatur de illo esse scientia, de quo aliud scitur,

Scientia est de aliquo dupliciter dicitur esse.

scitur, vt de subiecto passio, tamẽ quandoq; dicitur esse scientia de illo, quod scitur: vt de cõclusione, siue passione scita de subiecto: vt magis propriè diceretur sciẽtia esse eius, quàm de ipso: & vtroque modo sumendo, *de quo*, scilicet propriè, vel communiter, multipliciter accipitur scientia. Vel enim accipitur pro habitu conclusionis demonstrationis, provt scilicet est notitia cognita per causam necessariam; aut accipitur pro quacunque determinata notitia, per causam per se, licèt non necessariam. Si primo modo, adhuc potest scientia distingui secundùm vnitatem speciei specialissimæ, generis intermedij, & generis remoti; sicut dictum est in quæstione præcedente.

Scientia, alia vna, specie vltima, alia, genere proximo, alia remoto.

SCHOLIVM II.

PRIMVM dictum, sumẽdo id de quo est scientia strictè, iuxta secundam distinctionem, de ente per accidens primo modo, non est scientia vna specie; quia non est causa vnius passionis specie. Secundum, sumendo ly de quo, *largè, idem dicendum. Tertium, scientia vna genere proximo potest esse de ente per accidens, sumendo etiam propriè ly* de quo, *& ratio satis est clara. Quartum, de ente per accidens secundo modo quà tale, non potest esse scientia necessaria, quia esset falsa cum illa accidentalitas rarò contingat: de re tamen sic eueniente absolutè considerata, potest esse scientia necessaria, sed tunc non est ens per accidens Quintum, sumendo scientiam pro notitia certa, etiam non necessaria, non videtur esse de effectibus fortuitis dependentibus à voluntate mutabili: quia nec de effectibus talibus etiam intentis datur determinata certitudo; optimè ostendit pluuiam sub Cane futuram, esse scibile, quia id fortuitum non est, sed habet suas causas naturales necessarias. Vide Ant. Andr. hic, q. 4. & 5. quia ista nonnihil clariùs ponit.*

5 *De ente per accidens non est scientia.*

His prædictis, ad quæstionem dicendum est, quòd loquendo de ente per accidens primo modo, & accipiendo *de quo*, propriè, de tali non est scientia per se vna, vnitate speciei: quia cùm totum illud non sit aliquod vnum ens, non poterit per se esse causa alicuius vnius passionis; & de tali nihil demonstratur, nisi per alterum conceptum, quem includit: & ita illi conceptui per se inest tale demonstratum: non autem toti, nisi per accidens; ergo scientia vna specie, quę est conclusionis demonstratæ, non est per se, nisi de conceptu altero in tali ente. Eodem modo si *de quo*, accipiatur communiter, potest simili ratione probari, quòd de ipso non est scientia per se quia nullum subiectum potest includere aliquam causam per se, quæ sit proprium medium demonstrandi de ipso, nisi alterum conceptum; & ita non totum nisi per accidens. Si autem accipiatur scientia vna, genere proximo: illa autem potest aliquo modo per se esse de ente per accidens, accipiendo *de quo*, propriè: quia enim tale ens est aliquo modo vnum intelligibile, scilicet vnico actu, qui per se est eius, vt obiecti, licèt non sit per se vnus, natus est etiam ei correspondere habitus, per se ex talibus generatus actibus: licèt ille habitus non sit ita vnus, sicut ille, qui esset alterius partis tantum. Tale autem totũ multas passiones potest includere, quas simul neutra pars per se includit, licèt nullam includat, nisi ratione alterius partis, vt suprà dictum est; ergo habitus proprius istius totius, virtualiter inclinat ad omnes istas passiones sciendas de isto toto, licèt per accidens, scientiis specie distinctis, ergo omnes illæ scientiæ virtualiter continentur in habitu, qui est per se correspondens enti per accidens; & ita habebunt vnitatem in genere proximo, licèt non tantam, sicut istæ quæ includuntur in habitu correspondenti vni conceptui quiditatiuo.

Scientia vna genere potest esse de ente per accidens.

6

Quòd si dicatur: lineam visualem nullo vno actu intelligi, sed diuersis ex quibus relinquuntur habitus diuersi, alter lineæ; alter visualitatis: quorum vterque virtualiter inclinat ad speculandum illa de suo proprio obiecto, quæ in illo obiecto virtualiter includuntur, vt sic. Sicut nulla scientia vna specie, est de toto, nisi per accidens: sic nullus vnus habitus virtualiter includit illas, quæ sunt de vna parte, & alia: si inquam, sic dicatur, non video qualis vnitas potest assignari scientiæ subalternatæ, vt musicæ, vel perspectiuæ: nisi vnitas aggregationis, quod videtur inconueniens, & potest caueri, si via suprapositą de scientia vna genere teneatur.

De ente per accidens secundo modo, videretur alicui aliter esse dicendum: quòd cùm ista accidentalitas non respiciat res secundùm esse quiditatiuum: sed tantùm secundùm esse existentiæ, & per comparationem ad causam in *fieri*, siue in existentia; scientia autem strictè sumpta per demonstrationem simpliciter abstrahit ab actuali existentia: ideò de tali ente per accidens, potest sciri aliquid, & etiam ipsum sciri de alio, scientia tali: quidquid posset sciri de ipso, vel de quo ipsum posset sciri, si esset per se opposito modo isti per accidens; verbi gratia, quòd pluat sub Cane, per accidens est secundùm Aristotelem in litera text. com, 5. pluuia ista verè habet quiditatem pluuiæ, sicut pluuia, quæ est sub Capricorno; ideò quicquid est scibile per medium demonstratiuum, æquè est scibile de vtroque: tamen nihil scitur sic de tali, inquantum est ens per accidens. Tum, quia nec scitur aliquid pertinens ad existentiam, sed consequens quiditatem: & quoad quiditatem, non est ens per accidens. Tum, quia nihil scitur de ipso, nec ipsum de alio per illam causam, respectu cuius est per accidens, sed per aliquam aliam, quæ per se est medium inter extrema. Si autem aliquis negaret de singularibus esse scientiam: tunc cùm illa accidentalitas non sit conditio alicuius naturæ specificæ, inquantùm natura: sed tantùm sit conditio singularis, & hoc etiam in existentia, vt dictum est, esset consequenter dicendum, quòd de ente per accidens, nihil est scibile per se, scientiâ demonstratiuâ, nec ipsum de alio: sed tantùm commune eius, cui, inquantùm scito, extraneatur ista accidentalitas.

An sit scientia de ente fortuito.

7 *An sit sciẽtia de effectu voluntatis nostræ?*

Si autem intelligatur de scientia secundo modo, scilicet pro certa notitia per causam, licèt non necessariam, talis notitia fortè non potest haberi de effectibus dependentibus à voluntate mutabili, per causam talem; & per consequens, à maiori, nec de effectibus per accidens talis causæ, scilicet de fortuitis, potest talis notitia haberi per illam causam, nec per aliquam aliam. Probatio, quia sicut casuale quodcunque, strictè loquendo, est causæ alicuius per se effectus naturalis. Ita fortuitum, quando euenit, potest esse per se effectus alicuius potentiæ naturalis, quæ tamen in agendo subest voluntati; & ideò licèt determinatè agat

quantùm est de se, tamen effectus eius est indeterminatus propter indeterminationem voluntatis mouentis istam potentiam; & ita de tali effectu, nec per voluntatem respectu cuius est per accidens, nec per naturalem potentiam inferiorem, respectu cuius est per se: potest notitia certa haberi, quæ dicitur scientia secundo modo; vnde talis notitia potest fortè haberi de existentia rerum, ad quarum scilicet existentiam ordinantur causæ naturales, quæ vt in pluribus natæ sunt effectum producere. Et sic videtur quæstio propriam difficultatem habere. Et ad intentionem Aristotelis in litera, an scilicet sicut scibile est, pluuiam fore sub Capricorno, per causam naturalem ordinatam ad eius euentum, tamen impedibilem; ita etiam scibile sit, pluuiam fore sub Cane: & hoc supposito, quòd causæ naturales sibi dimittantur, scilicet quòd per virtutẽ diuinam non impediantur, quam suppositionem Arist. putauit necessariam. Supposuit etiam, quòd voluntas causata non possit eas impedire, licèt tamen à se inuicem, scilicet vna ab alia possint impediri. Et videretur, his positis, dicendum esse secundùm Arist. quòd non potest sciri euentus talis entis per accidens quia, sicut arguitur in litera, scientia est per causam per se; talis entis non est aliqua per se causa. Potest tamen dici, quòd licèt ens, inquantùm per accidens, non sit scibile, hoc est, non per istam causam, respectu cuius est per accidens: vt arguit Aristoteles, absolutè tamen est scibile, quia per aliam causam à qua prouenit, quæ respectu eius est, vt in pluribus. Verbi gratia, licèt ex comparatione Solis ad Zodiacum, non possit sciri, quòd pluat sub Cane, quia sic non habetur causa per se pluuiæ; tamen ex comparatione alterius planetæ ad Solem; vel ad alium planetam; vel ad stellas fixas; vel respectu materiæ sic eleuatæ; vel ex comparatione multorum simul; possunt hæc sciri, quæ simul concurrentia sunt causa pluuiæ, vt in pluribus; & sic generaliter in aliis: nihil enim naturale est ens per accidens respectu alicuius, quod non sit per se effectus respectu alicuius alterius, vel aliorum concurrentium.

An sit scibile pluuiam sub Cane. Quod est per accidens respectu vnius est per se intẽtum ab altero.

8

Quòd sic, probatur; nam omnis causa naturalis sibi dimissa, iuxta suppositiones positas, producit effectum, cuius est per se, nisi per aliquam causam naturalem impediatur, quæ si impediat, hoc non est, nisi producendo aliquid, cuius est per se causa, per quod impediat aliquam causam minùs potentem: aut si secunda non producit, hoc non est, nisi quia tertia causa impedit producendo illud, ad quod illa tertia ordinatur; & in hoc impediendo effectum secundæ, & sic de quocunque: aut si omnes concurrentes natæ sunt quodcunque seorsùm impedire; quia omnes simul sunt per se causa effectus incompossibilis effectui proprio cuiuscunq; seorsùm: & ita videtur, quòd æquè determinata causa est ad euentum cuiuscunque naturalis effectus, per quam possit sciri, quia potest sciri ex natura causarum, quæ quam vincet, & an omnes quamlibet vincent. Circumscriptâ ergo omni voluntate cooperante naturæ, vel impediente eam, posset absolutè concedi, quòd nihil omnino euenit nisi à causa per se per quam est scibile secundp modo: & ita nihil per accidens absolutè, licèt respectu alicuius causæ, sit aliquid per accidens: in effectibus tamen per se est aliqua differentia scilicet in simplicitate causæ, vel in compositione, id est, concursu multorum: sed etiam ipse concursus determinatus est, & quantùm ad causam, & quantùm ad effectum, sicut & vnumquodque concurrentium, esset determinatum ad proprium effectum: Vnde nihil videtur valere, quòd aliqui ponunt ens per accidens, quia prouenit ex concursu causarum suarum, qui concursus est per accidens, quod falsum est: quia ille concursus est per se in causis merè naturalibus, & ita effectus per se simpliciter.

Nihil absolutè per accidens euenit, licèt respectu alicuius causa sit.

SCHOLIVM III.

AD primum optimè disputat, an sit scientia quando ostenditur de aliquo, quòd non potest sciri, de quo pulchram habet doctrinam. Ad tertium benè explicat, quomodo necessitas existentiæ effectus requirit necessariam causam, & habitudinem eius ad effectum necessariam. Item, quod voluntas mutabilis, qualis est omnis creata, secundùm se, non potest esse causa determinata vllius futuri effectus. Ad quartum, quòd causa prima agit de nouo sine vlla sui mutatione, de quo 2.d.1.q.2.ad primum. Ad vltimum tangit, quomodo intellectus Dei videt futura contingentia, nempe quia videt determinationem voluntatis diuinæ, quæ nunquam potest velle oppositum eius, quod semel voluit, nec impediri à ponendo volito, sed respectu illius voluntatis nihil est per accidens. Sed de hoc grauissima difficultas est, quomodo saluatur libertas, si ex decreto Dei, omnia euenient, de quo 1. dist. 39. §. Viso de contingentia *numero 23. vide ibi Scholium nostrum.*

9

Ad primum argumentum dicendum, quòd ens per accidens, vno modo potest accipi pro conceptu, quem per se importat, secundùm quòd est ens per accidens. Alio modo pro eo cui inest, siue de quo denominatiuè prædicatur. Secundo modo accipiendo, intelligendum est dictum Aristotelis non primo modo: argumentum autem non procedit nisi primo modo accipiendo; verbi gratia, si ostenditur quòd de infinito, siue de vacuo non est scientia; hoc non intelligitur de conceptu importato; sed de illo quod intelligitur denominari à tali conceptu. Ita etiam de casuali & fortuito, si aliquid de illo ostendatur per rationem casualis, scietur de illo conceptu. Contrà, de illo, quod denominatur, de eo non negatur esse scientia, nisi quia sibi inest talis conceptus; ergo &c. igitur de conceptu magis negandum est. De conceptu. n. illo primo ostenditur non sciri: de obiecto autem non primo, nunquid etiam ista ostensio non scibilitatis de tali conceptu, facit scientiam simpliciter? Posset dici probabiliter, quòd non: quia talis ostensio non fit per *quid rei*, sed per *quid nominis* tantùm: non entia autem omnino, scilicet quæ non habent *quid rei*: sed tantùm *nominis*, non sunt propriè scibilia, sed secundùm quid: sicut *quid nominis* tantùm est quid secundùm quid. Nam imponendo nomen *A*, huic conceptui contradictionem implicanti, *albedo nigra*: posset ostendi ex ratione nominis *A*, quòd nulli superficiei inest: & tales sunt aliquæ conclusiones negatiuæ, quæ non videntur scibiles simpliciter: sicut nec *A* est intelligibile, quia nullum *quid* simpliciter habet. Secundùm hoc oporteret dicere, quòd conclusiones ostensibiles de infinito in actu, & de

Conclusio cui repugnat quid rei an sit scibilis?

de vacuo, & de conceptibus, quibus repugnat *quid rei*, non sunt simpliciter scibiles. Conceptus autem entis per accidens primo modo sumpti est talis, cui repugnat *quid rei*: quia est ex duobus, quorum non est aliquod vnum *quid*: sed conceptus entis per accidens secundo modo sumpti non est talis, quod ei repugnat *quid*; sed tantùm repugnat sibi habere per se causam, inquantum est ens per accidens: & sicut scibile simpliciter requirit *quid rei* simpliciter, ita & causam per se.

10

Si contra hoc obiiciatur, quòd simpliciter est scibile, nullum corpus esse infinitum actu: quia hoc demonstratur 3. Physicor. t. c. 35. & inde, & nullum esse vacuum, quia hoc demonstratur 4. Physicorum, t.c.60. & inde. Simpliciter autem scientia non esset, si carentia quiditatis in altero extremo repugnaret scientiæ simpliciter. Posset responderi, quòd per *quid* corporis, quod est verum *quid*, sicut ostenditur affirmatiuè ipsum esse finitum: ita & negatiuè quòd ipsum non sit infinitum: & vtrumque est simpliciter scibile: quia per *quid* simpliciter illius, de quo est scientia: non autem ita oportet, illud quod scitur de alio negatiuè, habere *quid* simpliciter: quia nec eius *quid* est medium demonstrationis; ita per rationem loci ostenditur quòd sit plenus, & ita quòd non vacuus, non per *quid* vacui.

Per quid corporis ostenditur non esse infinitum.

Ad argumentum superiùs factum contra responsionem de *secundùm quid*: quando arguitur de reflexione super oppositum: potest dici, quòd non diminuitur *scire*: quia transit super obiectum: sed quia transit super illud, de quo concluditur *non scire*, scilicet super ens per accidens, quod non habet *quid*, nisi secundùm quid; ideò non participat rationem obiecti intellectus, nisi secundùm quid: sicut videre tenebram, est videre secundùm quid: quia in tenebra est ratio obiecti visibilis secundum quid. Si placet tenere oppositum, tum quia habitus quo determinatè, & necessariò verum cognoscimus, & propter aliud, & non ex terminis immediatè, est scientia: talis autem est huius conclusionis, *ens per accidens est non scibile*; tum quia ita potest illa conclusio ostendi per *quid rei* ipsius scibilis: sicut priùs responsum est, per *quid* corporis concluditur negatio infinitatis de ipso; tunc debet intentio Aristot. hîc exponi de eo, quod subest: non de conceptu eius cuius est *quid nominis*.

Videre tenebram est videre secundū quid.

11

Ad secundum argumentum principale, patet in solutione quæstionis, quomodo scientia subalternata duabus, licet inquantum alteri subalternatur, posset poni habere vnitatem ab vnitate alicuius entis per se: non tamen quantùm ad suam totalitatem, secundùm quòd aliquid subiecti vtriusque subalteritatis includit; sed sic præcisè habet vnitatem generis proximi: & hoc à conceptu entis per accidens aliqualiter vno, virtualiter totam istam scientiam continente: licèt hæc vnitas non sit tanta, quanta est vnitas subalternantis, sicut nec vnitas subiecti tanta hîc, quanta ibi. Et secundùm hoc, conclusio argumenti secundi conceditur. Aliter, quòd de ente per accidens primo modo sumpto; potest esse scientia, eo modo, quo expositum est in solutione quæstionis.

Musica, Perspectiua, an scietia per se.

Ad tertium principale, procedit de ente per accidens secundo modo sumpto. Minor posset concedi de ente per accidens, quod est mutabile strictè sumptum, secundùm quod procedit prima probatio minoris: quæ tamen peccat, si accipiat quod Arist. loquitur præcisè de tali ente per accidēs: loquitur enim de fortuito: vt dictū est in solutione principali. Secunda probatio minoris difficultatem habet, quomodo voluntas causat aliquē effectum, cùm sit indeterminata ad vtrumlibet. Sed ista difficultas proprium locum habet in lib. 9. cap. 4. *Omnibus autem potentiis*, &c. vsque tunc differatur. Tertia probatio potest concedi, quia quicunque effectus naturalis futurus reducitur in causam per se præteritam, & ita potest sciri, sumptâ scientiâ secundo modo. Sed videtur concludere de scientia primo modo dicta: quia verum de præterito est necessarium. Vbi respondendum, quòd necessitas existentiæ effectus requirit causam in se necessariam: & cum hoc habitudinem necessariam ad effectum, quia neutrum per se sufficit: licèt autem quod fuit, fuisse sit necessarium: non tamen necessarium ordinem habet ad suum causatum: nec illud ad aliud causatum: sed quælibet causa impedibilis tantùm habet habitudinem contingentem, vt in pluribus, quæ contingentia licèt nō sit ad vtrumlibet æqualiter, excludit tamen necessitatem: effectus autem voluntatis mutabilis futurus, nec in causam præsentem, nec præteritam potest reduci, quæ sit causa determinata respectu eius.

Text. c. 10.

Necessaria causa requiritur ad necessariam existentiam effectus.

Voluntas mutabilis nō est causa determinata futuri.

12

Ad quartum, dicendum, quod maior est falsa. Ad probationem dico, quòd causa sine mutatione sui aliter potest se habere ad effectum, per solam mutationem alterius, à quo dependet effectus; sicut est in agentibus naturalibus, quæ aliter se habent ad passa, per quorum transmutationem producunt effectus. Et si dicatur, quòd actio illius causæ immutabilis à nullo passo dependet; ergo quando agens eodem modo se habet, eodem modo aget. Respondeo; consequentia teneret si esset agens naturale: tale enim nunquam ex se non agit: sed tantùm propter indispositionem, vel absentiam passi. Nunc autem illud agens est voluntarium, & benè possibile est voluntatem antiquam, esse respectu noui; ideò non oportet hîc causam in se aliter se habere, nec in respectu ad aliud, à quo dependet, sed prima diuersitas est in effectu, & sic causa aliter se habet ad effectum. De hoc amplius in 9. cap. 4. Ad quintum dicendum, quòd voluntas diuina transiens super oppositum vnum, potest transire super aliud, accipiendo in sensu diuisionis, & hoc sine mutatione voluntatis: nunquam tamen transit, nec transibit super oppositum; & hoc videt intellectus diuinus, super quam partem contradictionis fertur voluntas diuina, & super quam aliam nunquam fertur: ac per hoc videndo suum velle, volitum videt determinatè: nec respectu illius voluntatis, est aliquid per accidens. Vnde argumentum non probat, quòd ens per accidens, non scitur nisi per causam, respectu cuius non est per accidens, sed est effectus per se: & quæ respectu eius est determinata: licèt non necessariò: & hoc ab intellectu vidente determinationem talis causæ.

Causa prima sine vlla sui mutatione agit de nouo. Scot. 1. d. 1 q. 2. ad 1.

Voluntas diuina nunquā vult oppositū eius, quod semel voluit.

ANNOTAT. MAVRITII.

13

Sequitur secunda quæstio de scibilitate entis per accidens, t.c. 4. & 6. in qua præmissis duabus distinctionibus ad quæsitum determinatè, & notanter valde respondet; vbi aduerte quòd illa litera ante secundam distinctionem: *Sed contra Arist.*

Aristot. &c. vſque illuc. *Secundò diſtinguendum*, &c. videtur eſſe, *vacat*, vel ſaltem *Extra:* ſed ſi volueris ſoluere motiua:recurre ad ea quæ habet Philoſophus,& expoſitores 2. Phyſicorum, & in *de bona fortuna.*

Require plura hîc ad propoſitum 2.8.& 39.di. primi,& quæſt.21. Quodlibeti, & ſuper 2. Phyſicorum, vt priùs:& in antiquis,& ſuper lib.Elenchorum. Et ſuper Porphyrium ſingulariſſimè de multiplici acceptione *accidentis*,& alibi vt noſti, maximè Scotiſtas Pariſienſes reſolutos hîc, & vbique, atque Oxonienſes noſtros ingenioſiſſimos. Quære etiam conſiderationes Aſtrologorum de futuris contingentibus, & euentibus rerum ad propoſitum, & nota valde deciſionem Doctoris in hac materia, in qua vt fecit Ant. Andreas, duæ quæſtiones poſſent moueri: ſed ſuo modo breuitate vtitur.

Aduerte eleganter ibidem duos modos dicendi. Ad primum principale, & alias ſolutiones principalium,& maximè vltimam.

Quoniam autem complexio & diuiſio eſt in mente, & non in rebus. Quod autem ita ens, alterum ens à propriis, &c. *text.com.*8.

QVÆSTIO III.

Vtrùm verum *ſit obiectum Metaphyſicæ?*

Ariſtot. *hic cap.* 2. D.Thom. *lect.* 4. Flandria, *quæſt.vlt. artic.*1. Fonſeca, *cap.*2. Vide authores cit. *ante quæſt.* 5. *lib.* 2.

Arguitur quòd non; quia Metaphyſica cùm ſit prima ſcientia, & communiſſima, maximè videtur eſſe circa primum obiectum ſcibile: primum autem obiectum ſcibile vel intelligibile videtur eſſe *verum:* quia non videtur aliud poſſe poni,quod omnibus intelligibilibus conueniat:& quod ſit diſtinctum obiectum contra obiecta aliarum potentiarum. Confirmatur illa ratio per Philoſ.2. Metaphyſ.text.com.3.dicentem, vocari Philoſophiam veritatis ſcientiam, rectè habet. Item,vnumquodque ſicut ſe habet ad eſſe, ſic ad veritatem, 2. Metaph.text.com.4.ergo conuertitur cum ente; ergo pertinet ad ſcientiam de ente. Item, ſi *verum* excluderetur, hoc non eſſet niſi quia dicit ens diminutum:ſed hoc eſt falſum. Probatio, nam quæ diminuunt de perfectione entis, non attribuuntur primo enti, vt patet de cauſato, finito,&c. ſed *verum* attribuitur Deo, & in ſummo, vnde 2. Metaphyſic. text.comment.4. ſempiternorum principia eſſe veriſſima neceſſe eſt. Item, ſi dicatur debere intelligi de *vero*, quod eſt in compoſitione,& diuiſione.

1

Cap. de ſubſtantia.

Contrà: à quo non excluditur conſideratio cauſæ: nec effectus: iſta autem veritas eſt effectus realis entitatis, iuxta illud in Prædicamentis: in eo quod res eſt, vel non eſt, oratio vera, vel falſa eſt. Reſponſio, res non eſt cauſa præcisè veritatis in intellectu, ſed intellectus componens prædicatum cum ſubiecto.

Ad oppoſitum eſt Ariſtoteles in litera.

SCHOLIVM. I.

Ponit *ſententiam, qua tenet* verum *eſſe obiectum intellectus,quam tribus rationibus claris reſutat. Prima, quia obiectum eſt prius potentia, & actu. Secunda, veritas ſit per actum reflexum ſecundùm illius ſententiæ authores. Tertia, cognoſcit intellectus bonum: vt à vero diſtinctum: fusè de hoc agit Doctor quæſt.* 20. *de Anima, vbi quinque argumenta pro hac parte adducit, &* 1. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 3. *Vide plura apud ipſum de Anim.quæſt.* 19. 20. 21. *& in commentario noſtro ad dictas quæſtiones. Concludit ergo ens eſſe obiectum intellectus, quod fusè probat locis citatis. Quod hîc ait numero* 4. *ens includi in omni per ſe intelligibili, videtur contra ipſum* 1. *diſtinct.*3.*q.* 3. *vbi ait non includi in ſuis paſſionibus, vel vltimis differentiis:ſed illa fortè non ſunt per ſe intelligibilia,vel includunt ens mediatè, vel identicè, quod ſufficit.*

2 *Opinio, verũ eſſe obiectum intellectus.*

Hîc primò videndum eſt de ratione *veri*. Dicunt aliqui, quod *verum* eſt primum obiectum intellectus, quod oſtenditur dupliciter. Primò ſic:obiectum appetitus vt bonũ, determinat ens; ergo à ſimili videtur, quòd obiectum intellectus determinet ens tale, reſpectu intellectus, non eſt niſi verum. Præterea ens in ſe indifferens eſt ad ſenſibile, & intelligibile: obiectum autem proprium determinatur ad potentiam cuius eſt obiectum: ſuper ens non videtur aliud determinans ipſum ad intellectum, niſi verum. Ex hoc ad propoſitum, dicitur quòd cùm intellectus tendat in obiectum, inquantùm in intellectu eſt verum, dicet rationem entis in intellectu, & ideò entis diminuti; & ideò excludetur à conſideratione Metaphyſici. Sed ad huiuſmodi excluſionem nota, quòd *eſſe* quiditatiuum eſt eſſentiale *eſſe* obiecti, inquantùm obiectum intelligibile: quia ſecundùm illud intelligitur eſſe in intellectu, eſt neceſſariò concomitans, ſed non formale, quia ſecundùm illud non intelligitur, niſi reflectendo: *eſſe* verò exiſtentiæ non eſt *eſſe* formale eius inquantùm formale obiectum, nec neceſſariò concomitans. Sed nunquid obiectum voluntatis habet *eſſe* formale,vel neceſſariò concomitans,aliud quàm obiectum intellectus: Quomodo aliàs per illam fit motus in rem?

Contrà, quomodo appetitur non ens? nunquid etiam penes habitum realiter inquantùm amatum, habet aliud *eſſe* formaliter, vel concomitanter: quàm inquantùm viſum? Nunquid eſt ibi alia realis coniunctio voluntatis cum obiecto:aut tantùm mediante actu intelligendi perfectiore quàm fuit abſentis? Vlteriùs intelligendum, quòd indeterminatio eſt in obiecto reſpectu omnis differentiæ contrahentis,obiectum inferioris potentiæ eſt determinatio propria in obiecto ſupremæ potentiæ, aliàs non eſſet adæquatum potentiæ ſupremæ, quæ per ſe poteſt in obiectum inferioris, & ideò eius primum obiectum in illis includitur quiditatiuè.

Exponitur autem ab aliis,quod prædictum eſt, ſcilicet quòd *verum* dicit rationem entis in intellectu, eo quòd *verum* non eſt in intellectu formaliter; ſed obiectiuè: ſicut cognitum in cognoſcente. Sed per comparationem ad quem intellectum res dicitur vera? Dicitur quòd reſpectu intellectus diuini: quia reſpectu eius ſunt menſurata: & ſimiliter artificialia reſpectu intellectus noſtri: naturalia autem per accidens habent comparationem ad intellectum noſtrum, inquantùm vera, quia non vt menſurata, ſed vt menſuræ.

Contra

Obiectum, prius naturaliter potẽtia, & actu.

Contra ista, quòd ponitur primò *verum* esse obiectum primum intellectus. Arguitur oppositum tripliciter. Primò: sic obiectum primum secundùm suam formalem rationem, prius est naturaliter ipsa potentia: & magis saltem ipso actu; *verum* autem si dicit rationem entis in intellectu; non est naturaliter prius illo actu: quia non contingit intelligere rationem entis in intellectu, vt cogniti, nisi intelligendo actum intelligendi, per quem est sic intellectum. Item, secundò: illud non est primum obiectum potentiæ intellectiuæ, quod non actu directiuo, sed tantùm reflexiuo cognoscitur: huiusmodi est verum secundùm eos. Dicunt enim, quòd intelligitur, sicut ratio intelligibilis: postquam lapis fuerit intellectus, reflectendo supra rationem obiecti; ergo &c. Maior patet, quia actus directus naturaliter præcedit reflexum: & in quolibet actu oportet rationem formalis obiecti inueniri. Ex hoc sequitur contra illos, quod cùm ratio entis sit prior ratione *veri*, si *ens* est per se subiectum Metaphysicæ: quòd aliquid erit subiectum hîc, quod non habet rationem obiecti intelligibilis inquantùm tale, & ita non est scientia, quia obiectum habitus non excedit obiectum potentiæ habituatæ. Tertiò sic: quod secundùm propriam rationem intelligi potest: non inquantùm includit aliud, ita est per se intelligibile, sicut illud aliud, nec illud aliud per consequens est primum obiectum intellectus; sed *bonum* inquantùm distinguitur contra *verum*, & inquantùm eius rationem non includit, ita est per se intelligibile secundùm suam propriam rationem, sicut econuerso *verum* inquantùm nõ includit *bonum*; ergo, &c. Minor patet: tum quia intellectus differentias *boni* inquantùm *bonum*, & *veri* inquantùm *verum*, cognoscit, & æquè perfectè differentiam ex vtraque parte cognoscit; sed hæc differentia non conuenit *bono*, nisi secundùm propriam rationem, inquantùm non includit *verum*; Tum, quia, si non intelligeretur *bonum*, nec aliquid aliud nisi inquantùm includeret *verum*, cùm per accidens ipsum includat, sequitur quòd nec *bonum*, nec quiditas rei intelligeretur, nisi per accidens: & ita non intelligeretur simpliciter; sicut Coriscus, si cognoscatur inquantùm veniens, simpliciter non cognoscitur.

Actus directus, præcedit reflexum. Obiectũ habitus non excedit obiectũ potentiæ.

Bonum per se intelligibile.

4 Ens primum obiectum intellectus.

Propter istam rationem concedendum est, quòd primum obiectum intellectus non potest esse aliquid, nisi quod essentialiter includitur in quolibet per se intelligibili: sicut primum obiectum visus, non est aliquid, nisi quod essentialiter includitur in quolibet per se visibili: vt color in albo, & nigro. Cùm autem quodcunque ens sit per se intelligibile: & nihil possit in quocunque essentialiter includi nisi ens, sequitur quòd primum obiectum intellectus erit ens: & hoc dicit Auicenn. 1. Metaphysic. cap. 5. quod ens prima impressione imprimitur in anima: quæcunque autem rationes transcendentes, quæ sunt quasi passiones entis, vt verum, bonum &c. sunt posteriores primo obiecto; & quælibet earum æquè per se est intelligibilis, nec vna magis habet rationem subiecti intellectus, quàm alia. Si dicatur, quòd obiectum est duplex, quoddam mouens potentiam, quoddam determinans ad mouendum, & hoc non tanquam aliquid absolutum, dans virtutem mouendi, sed tanquam respectus, dicens habitudinem obiecti motiui ad tale mobile: & hoc vltimo modo *verum* est obiectum intellectus, & *bonum* voluntatis, quia *verum* non mouet primò, sicut probant tres rationes factæ, nec sic est obiectum primum, sed dicit habitudinem obiecti motiui ad determinatam potentiam, quia importat adæquationem ad intellectum; Contra illam positionem non oportet arguere, quia ex 2. Topicorum cap. 7. oportet loqui vt plures: hic autem modus videtur abuti termino illo *obiectum*: nam quòd respectus ad potentiam sit formalis ratio obiecti, non inuenitur à Philosophis communiter: sed illud, quod mouet potentiam passiuam. Vnde Aristot. 2. de Anima, cap. 1. text. com. 66. de visibilibus: cuius quidem est visus, hoc est visibile, sic quòd in rationem prædicati cadit subiectum: cuius est visus est obiectum visus. De isto, secundùm ipsum, ibi prædicatur per se secundo modo, non primo *visibile*, quod dicit respectum ad potentiam: sed si talis respectus esset ratio formalis obiecti, esset per se primo modo. Per hunc etiam modum facile est assignare obiecta prima omnium potentiarum, non aliqua absoluta, sed respectus quosdam correspondentes: puta quid obiectum visus? non quæram qualitatem, colorem, vel lucem, sed relatiuum vt visibile: sic gustus, non sapor, sed gustabile, &c. Quomodo etiam obiectum est simul natura cum potentia: absolutum etiam est priùs intelligibile quocunque respectu; ergo inquantùm intelligitur: non includit rationem respectus: & ita illud non est ratio primi obiecti. De quo quære in 9. q. 5.

Ens prima impressione imprimitur in anima.

Oportet loqui vt plures secundum Philos.

Respectus nõ est obiectum potentiæ.

SCHOLIVM II.

E*XPLICAT primò triplicem veritatem in rebus, & aliam triplicem in ordine ad intellectum, ponens horum sex conceptuum exactam differentiam, de quo videri potest* 1. *distinct.* 3. *quæstione* 3. *&* 4. *distinct.* 49. *quæst.* 4. §. Iuxta hoc, *num.* 10. *Secundò*, verum *in intellectu esse duplex, scilicet vt comparatur primæ, & secundæ eius operationi, id est, apprehensioni, & compositioni: & quod falsitas non opponitur primæ, sed ignorantia, benè tamen secundæ, non contradicit sibi* 2. *dist.* 6. *quæst.* 1. *ad* 3. *cùm negat apprehensioni veritatem, & falsitatem, quia ibi loquitur de veritate complexa. Tertiò, quomodo intellectus cognoscat, & quo actu, conformitatem sui actus cum obiecto. Quartò, quid sit falsitas materialiter, & formaliter, De his multa dixi in supplemento de Anima, disput.* 3. *sect.* 7. 8. 9.

Dicendum est ad quæstionem aliter; & primò distinguendum est de *vero*: est enim veritas in rebus, & veritas in intellectu. In rebus dupliciter, in genere, videlicet per comparationem ad producentem, & per comparationem ad cognoscentem, siue intelligentem. Primo modo dicitur veritas absolutè conformitas producti ad producens, aut determinatè conformitas talis secundùm adæquationem, aut determinatè conformitas secundùm imitation. Et licèt primus istorum trium modorum, videatur esse communis secundo, & tertio, tamen si nomen *veri* imponatur ad significandum quodcunque trium prædictorum, secundùm propriam rationem, erit æquiuocum. Secundus modus inuenitur in Filio Dei, qui veritas est: quia est secundùm Augustinum summa simi

5 Veritas in re, & in intellectu.

Filius Dei aliter verus, aliter creatura vera.

ſimilitudo principij: hæc enim eſt conformitas cum adæquatione. Tertius modus inuenitur in creatura, quæ imitatur exemplar, cui aliquo modo aſſimilatur, defectiuè tamen, aliàs non diceretur imitari. Secundo modo, ſcilicet per comparationem ad intellectum dicitur res vera tripliciter. Primò, quia ſui manifeſtatiua, quantùm eſt de ſe, cuicunque intellectui potenti manifeſtationem cognoſcere. Secundò, quia aſſimilatiua intellectus aſſimilabilis, qui non eſt niſi intellectus creatus. Tertiò, quia facta manifeſtatione, vel aſſimilatione, res in intellectu eſt, ſicut cognitum in cognoſcente.

Veritas in ordine ad intellectũ triplex.

Pro iſtis ſex conceptibus exprimendis poteſt accipi æquiuocè veritas in re. Patet enim quòd tres primi diſtinguuntur à tribus aliis, quia habitudo ad producentem, & ad intelligentem, alia & alia eſt: licèt idem ſit intelligens, & producens. Nam ſi per impoſſibile Deus eſſet productiuus ſimilis, & æqualis, & ſimili imitanti, & non eſſet intelligens, eſſet primus modus tripartitus ſine ſecundo; & èconuerſo, ſi eſſet alius Deus intelligens creaturas, non producens. Diſtinctio etiam primorum trium inter ſe patet, aliorum trium oſtenditur differentia: quia ſi nullus eſſet intellectus, adhuc quælibet res ſecundùm gradum ſuæ entitatis, eſſet nata ſe manifeſtare, & hæc notitia eſt, quâ res dicitur nota naturæ: non quia natura cognoſcat illam, ſed quia propter manifeſtationem maiorem, vel minorem nata eſſet, quantùm eſt de ſe, perfectiùs, vel minùs perfectè, cognoſci. Eſſe autem aſſimilatiuum dicit rationem actiui reſpectu aſſimilabilis, & ſequitur naturaliter eſſe manifeſtatiuum, vel diſparatum eſt non habens ordinem ad ipſum, ſed ſemper aſſimilatiuum, & aſſimilatio reſpectu intellectus paſſiui præcedit hoc quod eſt eſſe in intellectu: quia illud eſſe eſt poſterius naturá ipſo actu intelligendi: nam non eſt, niſi relatio rationis fundata in obiecto intellecto ad actum.

Prædicta veritates quo modo differunt.

EXTRA. *Si tamen hoc verum videtur eſſe; quare quærunt homines ita eſſe in memoria hominum, vel eſſe famoſi, vel habere filios poſt mortem, vel ſtatuas erigere, vel opera facere, vt poſt mortem maneat relatio rationis fundata in obiecto intellecto ad actum?*

6 *Verum in intellectu eſt duplex.*

Relatio autem eſt poſterior abſoluto, ad quod eſt ex 5. aſſimilatio autem formaliter eſt ipſe actus intellectus, aut prior ipſo. Comparando ſecundum, & tertium ad intellectum non aſſimilabilem, non habent ordinem eſſentialem, ſed accidentalem, reſpectu, ſcilicet alicuius intellectus tantùm. Sequitur videre de *vero* in intellectu. *Verum* autem in intellectu duplex eſt ſecundùm eius duplicem operationem, ſecundùm quarum vtramque natum eſt conformari obiecto, vt menſuratum menſuræ ſecundùm Ariſt. in 5. cap. de *Ad aliquid*, text.com.20. & 10.cap.2.text.c.3.l.3. t.c.26. Eſt autem inter iſtas veritates differentia vna, quòd primæ falſitas nõ opponitur, ſed ignorantia tantùm; & ſic intelligitur illud de Anima, quòd *intellectus circa* quod quid eſt *ſemper eſt verus*, ſicut ſenſus circa proprium ſenſibile: & hoc eſt intelligendum præcisè circa conceptum ſimpliciter ſimplicem: nam intellectus ſimplex circa conceptum non ſimpliciter ſimplicem, licèt non poſſit eſſe formaliter falſus, poteſt tamen eſſe virtualiter falſus, apprehendendo aliquid ſub determinatione ſibi non conueniente; & hoc modo dicitur in cap. de *Falſo*, text.comment.34. quòd eſt aliqua ratio in ſe falſa, non ſolùm de aliquo falſa, & tamen ratio illa in ſe falſa, ſimplici apprehenſione intelligibilis eſt, ſed illa non includit, vel exprimit aliquod *quid*: niſi fortè *quid nominis*. Eodem modo poteſt exponi vltimum capitulum noni, text.com.21. & 22. vbi videtur Ariſtoteles diſtinguere de intelligentia ſimplicium, inquantùm eſt circa *quid* ſimplicium, & circa *quid* compoſitorum, quòd circa *quid* compoſitorum cadit deceptio per accidens: quia ſcilicet eorum *quid* natum eſt facere cõceptum, non ſimpliciter ſimplicem, in quod poteſt cadere falſitas virtualiter, non ſic in *quid* ſimplicium: ſi enim intelligeret per accidens, ſcilicet in attribuendo alteri illud *quid*, non eſſet differentia: quia ita in *quid* ſimplicium, poteſt intellectus ſimplex eſſe falſus per accidens.

Intellectus circa quod quid eſt, ſemper eſt verus, exponitur.

Ratio in ſe falſa, & de alio falſa.

Circa compoſita cadit deceptio, nõ circa ſimplicia.

Secundæ autem veritati opponitur ignorantia priuatiuè, & falſitas contrariè: quando ſcilicet vniuntur quæ in re non ſunt vnita. Secunda differentia eſt in modo eſſendi veritatis, in hac operatione, & illa: licèt enim ſit in vtraque operatione veritas propria formaliter, non tamen obiectiuè, ſed tantùm in ſecunda. Nam neutra veritas eſt in intellectu obiectiuè, niſi reflectente ſe ſuper actum ſuum, comparando illud ad obiectum: quæ reflexio, ſcilicet in cognoſcendo quòd actus talis eſt ſimilis, vel diſſimilis, non eſt ſine compoſitione, & diuiſione: patet autem diſtinctio iſtorum modorum eſſendi veritatis in intellectu, ſcilicet formaliter & obiectiuè, quantùm ad primam operationem.

Veritas nõ eſt intellectu obiectiuè, niſi quando ſe reflectit.

Quoad ſecundam declaratur: quia intellectus multas propoſitiones format, & apprehendit actu ſecundo, quæ tamen ſunt ibi neutræ ex 1. Topic. licèt igitur in illo ſit formaliter veritas, vel falſitas, aut quia eſt conformitas rei extrà, aut non: tamen non eſt ibi obiectiuè, quia non apprehenditur iſta conformitas. Contra illud, videtur quòd principia ſtatim cùm apprehenduntur, cognoſcuntur eſſe vera. Reſpondeo propter euidentem habitudinem terminorum, intellectus componens ſtatim percipit, actum componendi eſſe conformem entitati compoſitorum. Poſſet ergo dici, quòd ibi eſt alius actus, & reflexus, ſed imperceptus, quia ſimul tempore. In aliis, vt in concluſionibus differunt tempore. Contrà: quo modo actus primus circa principia erit reflexus? Reſpondeo, non primus, qui eſt compoſitio, ſed ſecundus, qui eſt aſſenſus, & circa iudicabilia poſſet dici iudicare.

7 C.8.& alibi. *Multæ propoſitiones intellectui noſtro neutra.*

Contra hoc, quod ſuperius dictum eſt, quòd veritas complexi cognoſcitur per hoc, quòd intellectus apprehendit conformitatem actus componendi, entitati extremorum iſtius complexi; arguitur: quoniam quando comparo actum compoſitionis *A*, rei *B*, hoc facio actu compoſitionis *C*, quomodo ſciam iſtam ſecundam compoſitionem *C*, eſſe veram? Si per aliam compoſitionem, erit proceſſus in infinitum, antequam cognoſcatur veritas compoſitionis *A*, & ita nunquam cognoſcetur. Si per ſe ipſam cognoſcetur, pari ratione ſtandum eſt in prima compoſitione, quòd veritas eius non cognoſcatur per alium actum conferentem eius conformitatem entitati compoſitorum. Si autem non ſcio *C*, eſſe veram, ergo nec *A*, ſciam eſſe veram per illam: quia ab iſta

Quando veritas cõplexi cognoſcitur.

Quo actu cognoſcitur cõformitas actus cum re?

ista dependet. Item, si debeo cognoscere *A* esse veram per collationem ad rem; oportet igitur rem cognoscere; quo ergo actu? si eodem, qui est *A*, idem cognosco per *C*, si alio, vt ipso *D*, ergo duo actus simul de eadem re. Similiter, si ille actus *D* sit simplex, non est principium iudicandi de *A*: si complexus, sequitur processus in infinitum, vt priùs. Sequitur etiam aliud, quod *A* non cognoscitur esse vera nisi per vnum discursum à complexo in complexum: & ita primum principium non est notum sine discursu.

Item, secundùm viam istam, videtur dicendum, quòd conceptus hominis sit ita verus, sicut conceptus huius, *homo currit*, est verus: nam vtrobique est conformitas ad rem conceptam, & potest vtrobique conformitas cognosci per reflexionem.

Quid falsitas materialiter, & formaliter.

Respondeo, quòd superiùs inchoando, falsum dicit carentiam talitatis, quale apparet: ita quòd principale in significato eius, non est non apparere quale est, quia tunc si quid esset, & sine omni apparentia, esset falsum; nec apparere quale non est, quia tunc esset falsitas formaliter positio, non priuatio, sed falsum materialiter dicit apparere, & formaliter carere talitate quale videtur: & hoc non intelligendo per talitatem, similitudinem: nam nihil est simile sibi, & ita nihil esset verum; similiter si Socrates appareret Plato, Socrates esset verus Plato: quia tunc appareret talis, qualis est, hic est similis: quia Socrates est similis Platoni, sed per tale, quale intelligitur identitas: verum est enim quòd Socrates est talis, qualis est, licèt & simile dicatur tale quale est; igitur falsum quod caret identitate, ad id quòd apparet esse, & falsitas est non identitas entis, vt manifestati ad ens, vt declarans, siue apparens, & hoc de falso in re.

SCHOLIVM III.

EXPLICAT *primò quid sit* verum *in re, & quid in signo. Secundò, quomodo differt obiectum* veri *incomplexi ab obiecto* veri *complexi, quòd hoc prius natura habet esse quàm in intellectu, illud nō. Tertiò explicat, quomodo reflectendo cognoscit intellectus veritatem sui actus, scilicet aduertendo complexionem propositionis esse conformem virtuali habitudini inclusæ in terminis. Quartò, quomodo ista habitudo aliter est in terminis principij conclusionis, & propositionis contingentis, & quare statim intellectus habet notitiam veritatis principij, & à quo illa causetur. Quintò, soluit argumenta posita num.7. contra modum cognoscendi per actum reflexum, mirabiles circa hac speculationes facit.*

8 *Verum in re est id, quod apparet.*

Item *verum* in re, est illud quod apparet, & veritas non est conformitas, siue similitudo, quæ est inter diuersa, sed identitas vt manifestati ad se, vt declarans, siue manifestans, siue apparens; non ergo est veritas ratio declarantis, siue manifestantis, sed illa est ad alterum extremum, ad quod significat non conformitatem, siue similitudinem, sed identitatem, accipiendo eam in communi: sed *verum* in signo, dicit significatum esse id, quod manifestatur per signum, & in hoc signum manifestare illud, quod est, & ita conformitatem signi ad signatum. Si itaque omnis conceptus est signum rei, & conceptus simplex ita est conformis rei, sicut complexus rei,

Quid veritas in signo?

quia est ita definitiuus, quare non ita dicitur verus? immò complexus non videtur conformis rei, quantùm ad complexionem, sed tantùm sibi, quia complexio non est in re. Ad hoc *immò* responsum est prius, signum æquiuocum est conforme, non tale in natura, vt circulus est signum vini. Sed ad primum non valet, quod prædictum est: secundùm quòd *verum* est in complexo, vt in obiecto, in simplici non: quia potest intellectus conuertendo se cognoscere conformitatem intellectus simplicis ad rem, sicut & complexi; igitur & cognoscere veritatem vtriusque; ergo & ante reflexionem æquè fuit in vtroque; & per reflexionem cognoscitur esse in vtroque; igitur in conceptu hominis est veritas, sicut in ista, *homo est animal*, & reflectendo ita sciam conceptum hominis, esse verum: sicut sciam conceptum istū: *homo est animal*, esse verum, quod est contra Arist. 1. Perihermenias, cap. 1.

An verū sit in simplici sicut in complexo?

9 *Obiectum cōplexum priùs in se tale quā in intellectu: secus in simplici.*

Propter illud, notandum est, quòd obiectum simplex, quod est signatum conceptus simplicis, nullum *esse* habet aliud, quàm in conceptu, secundùm quòd *esse* debet mensurare illum conceptum, obiecta conceptus complexi, quæ sunt extrema, aliud *esse* habent, quàm vt sunt in conceptu complexo, & priùs naturaliter in se, vt simplicia sunt, secundùm quod esse, priùs mensurant illum conceptum complexum, cui *esse* priori, conceptum complexum conformari, est verum esse, difformari, est falsum esse: hoc *esse* est habitudo virtualiter inclusa in extremis antè naturaliter, quàm extrema comparentur à ratione, sed in simplici nihil est prius naturaliter in extremo, cui conceptus potest conformari & difformari.

Contrà: probat, quòd non potest esse falsus, sed verus. Respondeo, non est verus, vt complexus est verus, quia non necessariò habet signatum secundùm *esse*, priùs naturaliter, cui conceptus potest conformari, quàm in ipso: quia si est in re, hoc accidit; complexum necessariò habet signatum secundum *esse*, priùs quàm in ipso; ideò necessariò habet cui conformatur, vel difformatur, secundùm quòd dicitur verum, vel falsum: incomplexum non necessariò habet conformitatem, sed si conformatur rei extrà, accidit, sicut non est mensura eius.

Ad alia argumenta, quomodo reflectendo cognoscitur veritas nota: videtur difficultas, si in compositione cognosco rem non absolutè tantùm sed collatiuè, & reflectendo, conferendo actum ad rem, hoc est ad rem cognitam collatiuè, sicut dicit tertium argumentum: sed si conuerto ad rem nudè, conferendo, per hoc non potero iudicare de veritate compositionis, quæ est actus collatiuus; ergo videtur, quòd ad iudicandum de aliquo, conuerto ad illum, & eodem modo, quo & in prima compositione, & in illo, ad quod conuerto, habeo rem cognitam actu collatiuo. Nota, sicut dictum est, quare complexum est verum, quia complexionem, quæ est à ratione, præcedit naturaliter identitas extremorum: & alia habitudo virtualiter inclusa in ipsis, cui actu rationis conformari, vt mensuræ, est ipsum verum esse.

Identitas extremorū præcedit veritatem cōplexā.

10 *Veritas principij, conclusionis, & contingens, quomodo differunt?*

Ita dico, quòd illam complexionem cognosco esse veram, cognoscendo conformitatem eius ad illam habitudinē virtualiter inclusam in extremis, quæ quādoque includitur in extremis ex natura extremorum, non per aliud prius; quādoque

per aliud prius includens ; quandoque nullo modo ex natura terminorum , vel includentium ipsos , sed à causa extrinseca coniungente ipsa vel disiungente. Primo modo est in principio demonstrationis. Secundo modo in conclusione ; cuiuscunque terminorum habitudinem realem , præcedentem actum intellectus , includit virtualiter ipsa habitudo intrinseca in terminis principiorum , & ex sui ipsorum natura. Tertio modo est in propositione contingente. Itaque in primo modo extrema absolutè intellecta, statim nata sunt facere ex se in intellectu illius notitiam habitudinis ipsorum : sicut & alia absoluta relationis necessariò consequentis : quando ergo intellectus coniungit terminos illos componendo, statim videt conformitatem actus sui ad illam habitudinem,quam priùs naturâ habuit notam ex terminis. Quando autem componit terminos conclusionis , non videt illum actum esse conformé habitudini reali terminorum , donec videat illam habitudinem terminorum,cuius notitia non fuit impressa sibi ex terminis conclusionis : nec imprimitur , nisi ex notitia habitudinis terminorum principij , quæ includit illam. Quando autem componit terminos, propositionis contingentis , non videt actum esse conformem , nisi videndo habitudinem terminorum in re : quia causa extrinseca si facit eam , facit circa terminos, vt in re, non vt in conceptu , & tunc oportet videre intellectualiter terminos in re cõiungi, vel diuidi.

Principia intellecta statim causant notitiam habitudinis extremorum: sicut absoluta relationis necessaria.

11

A quo fit notitia habitudinis extremorum?

In primis ergo duobus, non cognoscitur compositio, esse vera, comparando ipsam ad rem , vt extrà , sed ad rem quæ est extremum , vt ipsum in intellectu priùs naturaliter facit notitiam habitudinis suæ ex se,vel ex virtute alterius , quàm intellectus sic componat.

Contrà : ergo quare non statim apprehensis terminis principij,intelligitur principium,si termini ex se necessariò faciunt notitiam illius habitudinis ? Patet autem quòd non statim , quia per quantumcunque tempus, potest aliquis nosse totum, & nosse partem , antequam sciat hoc esse verum,*omne totum*,&c.quia antequam componat illud. Item,notitia habitudinis terminorum conclusionis,aut fit ab ipsa habitudine ; aut terminis illis ; aut ab habitudine terminorum principij; aut ab illis terminis ; aut à notitia habitudinis illorum terminorum,quodlibet improbetur.

Ad primum,quòd licèt ex terminis, vel ex altero terminorum virtualiter includente respectum, fiat notitia habitualis habitudinis , tamen non oportet esse actualem perceptam statim : sed quando intellectus comparat extremum extremo,statim potest videre , & illam habitudinem, & habitudinem actus sui,ad illam. Ad secundum, notitia amborum principiorum simul facit notitiam conclusionis : & hoc sic , quòd notitia habitudinum terminorum in principiis, causat notitiam habitudinis terminorum in conclusione , & notitia veritatis principiorum notitiam veritatis conclusionis ; priùs tamen naturaliter faciunt notitiæ habitudinis simul iunctæ, vt vna causa integra notitiam habitudinis,quàm notitia veritatis notitiam veritatis ; ita quòd notitia habitudinis terminorum maioris est causa notitiæ veritatis eius,& sic de minore ; & sic illæ notitiæ sunt causa notitiæ habitudinis terminorum conclusionis;non ergo habitudo est causa habitudinis , nec veritas veritatis : sunt enim respectus hæc & illa,sed notitia notitiæ non actualis : quia non gignitur nisi ex memoria. sed habitualis est causa actualis duplicis ordinatæ secundùm rationem effectuum.

Contrà : ergo habitudo terminorum conclusionis,est ita non causata, & veritas eius, sicut in principio. Respondeo,absoluta in principio causant notitiam habitudinis,non habitudinem propriè , quia illa fundant vt necessariò consequentem naturam subiecti. Habitudo terminorum conclusionis fundatur in ipsis , & terminatur, quia absoluta causantur,vel alterum ipsorum , vt passio.

Sup. num. 7.

Ad primum argumentum , contra positionem de notitia actus , quo comparo , dico , quòd ille est verus , sed non oportet cognoscere illum esse verum : est enim actus vnus cognoscibilis naturaliter rectus , sicut dicitur de syllogismo alibi, quòd non est notus vt obiectum,sed vt actus cognoscendi rectus naturaliter ; ita hîc. Ad secundum,cognosco rem,& habitudinem priùs naturaliter, quàm actum compositionis , quo comparo rem rei. Ad tertium , ille est actus obiecti , ad quem conferendo , iudico. Similiter potest dici, quòd iudicium de veritate complexi , non est nisi collatio notitiæ conferentis ad notitiam incomplexam extremi,si sibi est conformis,& hæc conformitas statim quandoque patet,quando notitia simplex naturali necessitate statim includit notitiam collatiuam , sicut in primis principiis. quandoque non statim , vt in conclusionibus : & tunc oportet videre illam esse conformem suæ simplici , cui quia est conformis , vel consequens ad aliam , quæ est conformis statim simplici.

Quid est iudiciũ de veritate complexi?

12

Hæc via ponit veritatem complexi cogniti, non per collationem complexionis ad rem extrà , nec ad habitudinem realem extremorum priorem naturaliter comparatione:quæ enim habitudo esset illa , nisi identitas pro affirmatiua, quæ est relatio rationis;vel diuersitas pro negatiua, quæ fortè non est relatio rationis,sed tantùm ponit collationem complexionis ad notitiam extremorum simplicem, vel ad extrema,vt in notitia simplici statim ex notitia tali?Patet si complexio sibi conformetur , in primis principiis, quia ratio termini ostendit prædicatum conuenire subiecto , & sic non est discursus in cognoscendo primum principium , quia illa notitia simplex includitur in collatiua (non enim componuntur, nisi quæ in se cognoscuntur) & ita in ipsa complexione tali includitur, vt priùs naturaliter ipsâ, vnde ipsa complexio , siue compositio,necessariò videatur conformis : quia tunc visa sunt ambo extrema conformitatis , cùm tunc intelligantur simplicia , & tunc fiat compositio. Nec requiritur hîc collatio compositionis ad simplicia,quasi alicuius actus , sed intellectus componens terminos illos,& notitia habitualis terminorum , sunt causa necessaria & immediata , & integra ad causandum notitiam conformitatis complexionis ad terminos : non quidem circa principia: & ideò componens simul necessariò assentit: quia quando componit , habet totam dictam causam , sed iudicare in conclusione , non sic: sed illam complexionem confert ad illam,in qua includitur , quæ alia est principij , non quidem tantùm termini : & hîc discurrere est iudicare de conclusione, in fine est assensus, id est, impressio notitiæ necessariæ principij imprimẽtis,notitiam veritatis

Quare nõ est discursus cognoscẽdo primũ principiũ?

Quæ causa notitiæ conformitatis cõplexionis ad terminos.

veritatis conclusionum, ex veritate principij nota ex terminis.

SCHOLIVM IV.

RESOLVIT, *veritatem formalem incomplexi, esse relationem realem mensurati ad mensuram: an verò veritas complexi collatiua sit realis vel rationis sub dubio relinquit, & magis approbare videtur, quòd rationis; cuius fundamentum satis clarum: circa quod pulcherrimè disputat. De hoc dubio egi in supplem. de Anim. disput. 3. sect. 8. vbi tenui, veritatem complexam non videri realiter distingui ab actu, quod conforme est Doctori hîc, sed suam mentem non resoluit.*

13 *Quid veritas complexi, & incomplexi?*

Sed quid est vtraque veritas prædicta? Responsio, prima est relatio actus simplicis apprehensionis ad obiectum, & est realis, scilicet mensurati ad mensuram. Secunda, licèt videatur similis relatio, videtur tamen quòd actus secundus non est alicuius absolutè, sicut primus: sed est actus comparatiuus vnius conceptus simplicis ad alterum, vt eiusdem in affirmatiua, vel diuersi in negatiua: hunc autem necessariò sequitur, vel concomitatur relatio rationis in vtroque extremo ad alterum, quam habitudinem videtur signare hoc verbum, *est*, vt est nota compositionis, scilicet prout est tertium adiacens: & sic verum est illud Perihermenias, cap. 3. lib. 1. *esse* significat quandam compositionem, quam sine compositis non est intelligere: sicut nec rationem sine relatiuis: & sic etiam verum est illud 5. huius in cap. de Ente, text. com. 14. quòd *esse* vno modo significat verum, hoc est habitudinem rationis, inter extrema, quæ nata est esse vera. Vlteriùs, ista habitudo rationis conformis est rei: non quòd oporteat in re esse relationem aliquam inter extrema, vt in re similem isti rationis, quæ est inter extrema vt intellecta, immò vt ab intellectu inuicem comparata: nam tunc esset hæc falsa, *homo est homo*. Nec oportet fugere ad compositionem formæ cum materia: tum quia illam non exprimit propositio; tum quia hæc esset falsa, *Deus est Deus*: sed tunc hîc habitudo correspondet rei, quando est talis, qualem res virtualiter continet, siue qualem res de se nata esset facere in intellectu, si faceret habitudinem illam, siue quæ est signum, non simile, sed æquiuocum, exprimens tamen illud quod est in re: sicut circulus non est similis vino, est tamen verum signum vini, falsum autem lactis, vel huiusmodi: non tamen est omnino simile, quia illud signum est ad placitum huius signati: non sic illa habitudo rei. Contrà; 9. Metaphys. vlt. t. c. 21. & inde, *Verum est in rebus componi*. Responsio: notificatio fit per ea, quæ vt in pluribus; vbicumque autem idem non affirmatur de se realiter, aliqua est in re compositio: aut aliter, notificatio fit per minimum gradum, quasi dicat ad minùs requirit veritas, quòd in re sit compositio, si identitas est maior, & veritas.

Quomodo cõpositio est in vero?

14 Tertio modo, largè sumitur *componi*: sicut in primo cap. noni, text. com. 2. cùm accipitur, *simul natum* pro hoc quod est *idem*.. Hæc igitur correspondentia prædicta huius habitudinis ad id, quod est in re formaliter, est secunda veritas: & ita illa habitudo, quæ dicitur compositio expressa per *est*, vera est immediatè, & mediante illa verus est actus comparatiuus secundùm illam habitudinem: & sic videretur, cùm fundamentum illius veritatis sit habitudo rationis, quòd illa prima multò esset imperfectior relatio rationis. Quod si dicatur, relationem correspondentiæ, vel adæquationis, vel commensurationis, quæ quasi idem dicunt in proposito, non posse fundari in relatione: quomodo igitur proportio est æqualiter proportioni, vel similis: & hoc inquantùm proportio, non autem ratione absolutorum: inter quæ est proportio? Nam proportionalitas est, vbi extrema vnius proportionis absoluta, nec sunt similia, nec æqualia extremis absolutis in alia proportione. Si autem placet, quòd ille actus comparatiuus extremorum compositionis immediatè correspondeat, vel adæquatur rei, cùm ille actus sit vera res: sicut & primus, qui est vnius absolutè: tunc veritas secunda, est relatio realis, sicut & prima, & actus intellectus comparatiuus immediatè verus: non autem aliqua alia habitudo est vera, si nulla est formaliter, nisi in actu intellectus, quia in intellectis præcisè, inquantùm ab intellectu comparata, quæ habitudo, nisi quæ in intentione? aut si est in comparatis aliqua, aliquo modo alia ab illa, quæ est in actu intellectus, non est illa alia immediatè vera. Hoc dubium inquiratur.

Relatio fundat relationẽ. Scot. 2. d. 1. q. 5.

SCHOLIVM V.

RESOLVTIO *quæstionis, verum, sumptum pro relatione, vel passione actus intellectus, non spectare ad Metaphysicum, sed ad Logicum, vel ad scientiam de anima. Sed verum reale vt explicatum est num. 5. ad Metaphysicum spectat, & ratio est clara. Non soluit duo argumenta posita num. 2. suadentia, verum esse obiectum intellectus, sed ad primum negatur obiecta intellectus, & voluntatis distingui. Ad secundum, sensibile intellectui est intelligibile: vnde non condistinguitur contra illud, nisi in ordine ad sensum: quomodo autem ex diuersitate obiectorum colligitur diuersitas potentiarum in subordinatis, vel disparatis. Vide Scot. 1. d. 3. q. 3. num. 22. & Mauritium hîc in fine, qui etiam ista soluit.*

15 Ad propositam ergo quæstionem dico, quòd Aristoteles præcisè excludit *verum* in intellectu complexo, sicut expressè patet in litera eius, & rationabiliter. Patet enim ex dictis, quòd vel est mẽtis aliqua passio realis, scilicet relatio secũdùm secundam opinionem: & tunc illa, sicut & prima veritas, pertinet ad cõsideratione libri de Anima. Ex natura enim actus intellectus cognoscitur, quomodo est fundamentum talis relationis? vel est relatio rationis fundata in actu intelligendi, aut magis in habitudine rationis quæ est inter obiecta comparata per actum intelligendi, secundùm primam opinionem: & tunc est mentis aliqua passio originaliter, sed formaliter pertinet ad considerationem Logici: sicut *possibile*, & *impossibile*, & modi compositionum omnes. Præsupponit tamen Logicus considerationem de actibus intelligendi, quibus secundæ intentiones formantur. Patet ex principio Periherm.

Quæ veritas excluditur à Metaphysica?

Secundum veritatem autem dico, quòd ad considerationem Metaphysici pertinet verũ reale primo modo sumptum .s. per comparationem ad producentẽ, & hîc quoad omnia tria mẽbra, quia non contrahunt ens ad quantum, nec ad motum. Secundũ autem .s. sumptum per comparationem ad cognoscentem ad primum membrũ pertinet,

quia

quia conuertitur cum ente. Secundum contrahit ad actum determinatum, nec conuertitur cum ente. Tertium est ens diminutum, & est ens Logicum propriè, vnde omnes intẽtiones secũdę de tali ente, prædicantur; & ideò propriè excluditur à Metaphysico. Conuertitur tamen cum ente aliqualiter, quia Logicus considerat omnia, vt Metaphysicus: sed modus alius considerationis, scilicet per quid reale, & per intentionem secundam, sicut conuertibilitas entis simpliciter, & diminuti, quia neutrum alterum excedit in communitate: quidquid enim est simpliciter ens, potest esse ens diminutum. De duobus modis *veri* in intellectu dictum est iam.

Logicus considerat omnia, vt Metaphysicus, & quomodo?

Ad argumenta principalia patet; nullum est contra dicta, nisi vltimum de causa, & effectu: vbi est dicendum, quòd maior si est vera, est vera de causa totali: non autem est sic in proposito: nam veritas triplex exclusa omnino à Metaphysico, dependet ab intellectu, ita quòd res ex se non est sufficiens causa alicuius istorum, licèt ad illam requiratur, sicut illa probat auctoritas (*In eo quod res est*) in eo, non præcisè, sed si oratio formetur ab intellectu, vt extrema habeant esse diminutum. Ad argumenta pro opinione de vero, quæ fuit improbata: potest responderi ad primum.

ANNOTAT. MAVRITII.

16

Sequitur tertia quæstio de exclusione entis veri à consideratione Metaphysici, *t. c.* 8. Vbi primò aduerte, quòd illa responsio, quæ ponitur ad vltimum principale immediatè ibi: *Responsio res non est*, &c. posset assignari, *Extra*, sed bona est, quam etiã imitatur ad finem quæstionis, ideò potest legi tanquam argumentum euacuans, & ea quæ dicuntur ad finem quæstionis sunt eius confirmatiua, vel posset omitti tanquam superflua. Totum processum quæstionis nota valde Logicè, & Metaphysicè singularẽ, vbi primò ponitur opinio Ægidij de Roma, Quodlib. 4. q. 10. Quære etiam Henric. vt nosti, & Thomam 1. part. scilicet q. 16, & hîc, & primo contra Gentiles, & in q. de veritate, q. 1. & alios, & hunc maximè in q. lib. de Anim. q. 17. 18. & 19. & 3. dist. primi, q. 3, & in quodlib. q. 14. & sequaces eius: vt nosti pro declaratione ampliori huius.

In aliquibus originalibus illa litera infrà ibi: *Sed ad huius exclusionem*, &c. vsque illuc: *Exponitur autem ab aliis*, &c. assignatur *Extra*, vel *Additio*, vel saltem ab illo loco: *Sed nunquid obiectum voluntatis*, &c. Sed volendo eam legere, dic consequenter ad dubia ibi mota. Vide in prolog. Sententiarum & 2. & 3. dist. primi, & 25. 2. & in Quodlib. vbi suprà, & 15. & 26. dist. 3. & in materia de beatitudine.

Consequenter infrà ibi: *Exponitur autem ab aliis*, &c. quære Henric. & God. vide 3. dist. primi, q. 5. & 35. 36. 39. 43. & 44. eiusdem ad hæc. Et nota impugnationes notabiles contra hunc modum dicendi.

Infrà ibi: *Propter istam rationẽ concedendũ est*, &c. declarabis castè illa verba, quæ sequuntur ibi, de inclusione essentiali entis in quolibet per se intelligibili, quia videntur repugnare prima facie his quæ habet 3. dist. primi, q. 3. & 35. dist. eiusdem in reportatis maximè, sed tu ponderabis præcipuè ly *per se intelligibili*, & an intelligibilitas per se conueniat nisi his, quibus per se conuenit ens; & potest dici, quòd non, quia de quo in secundo modo dicitur passio, in primo modo dicitur subiectum. Notabilis valde determinatio est ista hîc, nec repugnat dictis alibi, si rectè exponantur, Ad pauca enim aspicientes, *&c.* Vide infrà in 9. q. 5.

Aliqui assignant *Extra* illam paruam literam infrà ibi: *Quo modo etiam obiectum*, &c. vsque illuc: *Dicendum est ad q. aliter*, &c. sed satis est ad propositum.

Deinde in solutione principali ponuntur in aliquibus originalibus quædam verba, quæ non sunt multùm ad rem ibi; &c. *Si tamen hoc verum videtur*, &c. vsque ibi: *relatio autem est posterior*, &c. & sunt *Extra*, & possunt pertractari aliter Theologicè, aliter Physicè, & multa addi, quæ dimittantur lectori curioso, vide 1. & 3. Ethicor.

In aliquibus originalibus immediatè ante illã responsionem. *Ad tertiũ ille est actus obiecti*, &c. ponitur quædam obiectio contra præcedẽtia, quę sic incipit: *Contrà, eo quod res est, vel non est*, &c. & sequitur ibi prolixa litera, quam, quia non multùm necessaria, & non etiam ad propositum multùm, sed fracta, & discorrecta, omisi hîc, & alibi, si lectori placuerit, inquirat, & addat. Nam facilè est addere (vt aiunt) inuentis: in dies enim, vt spero augebitur huius scripti perscrutatio.

17

Determinatio Doctoris resolutè habetur ad finem quęstionis quantùm ad principale quæsitum vbi colligere conclusiones, & corollaria potest lector, & resumere totum fructum quæstionis. Vbi aduerte ad illa verba, *hoc dubium inquiratur*, &c. vide optimè, q. 13. Quodliberi, & super lib. Perihermenias, & alibi, & maximè in sequacibus huius modernis.

Ad finem quæstionis vbi incipit soluere argumenta opin. in 1. art. de obiecto intellectus, & non prosequitur, & hoc vel quia ex dictis priùs in 1. lib. in simili de obiecto sensus, & intellectus, & infrà in 7. & alibi patent, vel fortè ex inaduertentia, aut fortè impeditus, vel quomodocunque: faciliter tamen respondebis. Ad primum, negando consequentiam: quia intellectus illimitatior obiectiuè, licèt nõ entitatiuè. Vel antecedens posset examinari, loquendo de bono existenter: & si adducatur Arist. 2. de Anima, de distinctione potentiarum per obiecta, *&c.* dicendum, quòd verum dicit in potentiis eiusdem generis, & disparatis: non autem subordinatis, nec alterius generis; nisi fortè secundum excessum apprehensionis, non autem simplicis exclusionis. Vide infrà in 9. lib. q. 5. præclarè.

Ad secundum dicendum, quòd diuisio entis per sensibile, & intelligibile non est per obiecta, quia omne sensibile intelligibile, licèt non ècontra; oportet ergo quòd sumatur intelligibile cum præcisione, ad hoc quòd sit aliqualis oppositio membrorum: ens igitur indifferens ad vtrumque est obiectum adæquatum intellectus: vnde talis indifferentia est sufficiens determinatio, proportio, & appropriatio ipsius entis ad intellectum; concedatur ergo argumentum vsque ibi, *super ens non videtur*, &c. secus est de potentiis limitatis eiusdem generis, vel alterius. Vide hîc copiosè, 3. distinct. primi, quæst. 3. & 35. distinct. eiusdem, & super lib. de Anima, vbi suprà notaui, & infrà in 7. in simili, & alibi sæpè, vt nosti.

Et

Et quia prima de ente, inquantùm ens, huius vtique erit speculari, tunc etiam,& quid est,& quæ sunt inquantùm ens. *Text. com.* 4. *Et sequitur.*

Perscrutandæ verò sunt ipsius entis causæ,& principia inquantùm ens.*t.c.*8.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm Metaphysica sit de ente.

*Vide authores cit. qq. lib.*2.

1

NOta rationes alibi Auicennæ,quòd sic,idest, Metaphysicæ, propter duo. Primò, quia Deum esse probatur hìc:& quia ens est commune ad omnia hìc considerata. Contrà, Auerr. Commento vltimo 1. Physicor. naturalis solus probat Deum esse, & ibi facit considerationem, genus substantiarum separatarum est subiectum Metaphysicæ. Contra Auerroem ex quolibet effectu ostenditur, causam esse, quia impossibile est effectum esse nisi à causa tali, siue nisi talis causa sit; huiusmodi sunt multæ passiones Metaphysicæ, *prius*,& *posterius*,*vnũ* & *multa*,*actus*,& *potentia*;quomodo, enim hæc causatis insunt,nisi sit aliquod vnum primum? Quære ibi. *Qui est misit*, &c. Item perfectior conceptus de Deo possibilis Physico, est primum mouens, possibilis autem Metaphysico,est primum ens, secundus est perfectior, tum quia absolutus, tum quia requirit perfectionem infinitam:nam primum perfectissimum. Sed si enti non repugnet infinitas, non est perfectissimum, quod non est infinitum; sed enti non repugnat infinitas, primum mouens tantum respectum dicit,& non necessariò ex formali ratione sui, requirit infinitatem: qui autem habet perfectiorem conceptum de subiecto, potest perfectiùs de ipso ostendere, quia per illa in effectibus, quæ ducunt ad cognoscendum esse de tali conceptu. Confirmatur, si Metaphysicus non consideret *esse* de Deo: nisi sicut demonstratur à Physico non cognosceret,nisi de primo mouente, & ita non haberet aliquam notitiam,quod subiectum suum est: quia primum mouens; non est suum subiectum, nec sequitur, primum mouens; ergo primum ens, sicut non sequitur,prima nigredo;ergo primus color:Nec Metaphysicus potest per ipsum ostendere de primo ente,amota ratione primi mouentis. Quomodo autem de mouente ostenderet Physicus primum, nisi in hoc sit magis Metaphysicus propter prædicatum,quàm Physicus propter subiectum:Respondeo pro Commentatore, præmissæ ad primũ ens sumuntur ex motu.

Idem 1. com. primi huius. Perfectior cõceptus Metaphysici de Deo, quàm Physici.

2

Contrà: licèt Physica sit prior doctrina,quàm Metaphysica, quia sensibilia sunt nobis notiora, non tamen dicitur ipse ostendere omnem conclusionem Metaphysicam, vel præmissas ad omnem:quia cùm deuentum fuerit, siue abstrahendo, siue in doctrina ad propria considerabilia, à Metaphysico, ex illis ostendit conclusiones suas: ita & primum ens ostendit ex propriis, licèt illa propria fortè non fierent nobis nota: nisi prius ordine naturæ Physica cognosceretur.Quomodo etiam scientia inferior stabiliet subiectum superioris,si ipsa superior non potest secundùm Auerroëm? Item, genus substantiarum separatarum nullam vnam rationem magis habet, quàm non separatum habet cum primo, secundùm ipsum: quia non nisi attributionem; igitur tantum primum est subiectum ibi,non illud genus.

Prior est Physica, quàm Metaphysica, & quare?

SCHOLIVM.

Tenet cum *Auicenna ens esse obiectum Metaphysicæ,quamuis circa hoc dubius ferè manserit, l.*1.*q.*1. *Vide rationes ibi positas,& loca Aristot. à n.*21. *& Schol.*3.*in quo alia loca Scoti pro hoc afferuntur. Soluuntur ibi varia argumenta Auerroïs,tenentis Deum esse obiectum Metaphysicæ,hìc Doctor duas rationes Auicennæ breuiter declarat.*

3

Quomodo ens ostenditur, quia à Metaphysico?

Tenetur igitur Auicenna. Prima ratio eius sic declaratur, *si est* præsupponitur de subiecto, non de actuali existentia, sed quod habet *esse* quiditatiuum,scilicet quòd ratio eius non est falsa in se,tale *si est* ostenditur *demonstratione, quia*, à Metaphysico de primo ente. Ostenditur enim, quòd primum conuenit enti alicui,& ita quia ille conceptus,ens primum, qui est perfectissimus subiecti,si esset hìc subiectum, non includit contradictionem; ergo si aliqua scientia supponeret istum conceptum pro subiecto,alia esset prior de ente,quæ probaret præcedentem, de primo ente: quia conclusio demonstrationis illius esset prior tota scientia de primo ente. Secunda ratio confirmatur de adæquatione, quam importat primitas,quære lib.9.5.q. quando igitur omnibus consideratis, in scientia est aliquod commune per prædicationem, & illud adæquat, non quæritur aliquod primum virtualiter adæquans: nisi quia deficit commune formaliter adæquans,ens autem vnius rationis, quære alibi;ergo adæquat. Confirmatur,prima scientia,scibilis primi.

Si datur cõmune per prædicationẽ,non est quærendũ obiectũ virtualiter commune.

ANNOTAT. MAVRITII.

SEquitur quarta & vltima quæstio de Metaphysici consideratione circa ens, t.c.1.4.& 8. in qua clara est determinatio Doctoris. Resumendo enim dicta Auicennæ & Auer.vt q.1.1.lib. prolixè pertractauit. Tenet tamen Auicennam, declarando motiua eius, & dimittit Auerroëm & in hoc potest ponderari notabiliter, quòd ea quæ in vno loco disputatiuè,& problematicè determinat, alibi asserendo alteram partem sustinet; nedũ in his Metaphysicalibus, sed etiã in Theologicis, plerumque, vt à principio notaui: præsupponit etiã ea quę dicta sunt de vniuocatione entis in 4. & plura alia quæ lector attendat, & maximè illud singularissimum,vbique necessarium,de subiecto, & adæquatione duplici:formali videlicet, & virtuali,mente teneatur,& examinetur.

Breuibus hìc tangit illam difficultatem intricatam apud multos: an videlicet Metaphysicus habet probare primum ens esse: hæc etiam quæstio posset præcedere omnes præcedentes in hoc 6.vel saltem duas immediatè præcedentes,secundùm quòd fundari posset super diuersa loca textus:vt notaui textum quotando in eius principio, sed satis rectè situatur: quia etiam oritur, text. com. 8. Alias duas quæstiones in principio huius 6. quas ponit Anton. Andr. accepit ex prolog. sententiarum, de verbo ad verbum,vt patet ex notabilibus textualibus huius 6.

LIBER

LIBER SEPTIMVS.

IN hoc libro incipit Philosophus tractare de præcipuo subiecto Metaphysicæ, nempe de Substantia, eiúsque partibus, item de quiditate rei, & definitione, eiúsque partibus, circa quæ disputat Doctor 20. quæstiones selectas.

Alia verò dicuntur entia: eo quod taliter entis &c. *Text. comment. 2. Et sequitur.*

Nihil enim ipsorum est, nec secundùm se aptum natum, nec separari possibile à substantia. Sed magis siquidem, &c. *Text.com.3.*

QVÆSTIO I.

Vtrùm inhærentia sit de essentia accidentis?

Arist. *hic cap.1.* Al. *ibid.quæst.3.* D.Thom. *lect.1.& in 4. dist.12.q. 2. art.1.* Caiet. *de ente, & essentia, cap.7. quæst.15.* Durand.*4.dist.12.* Palud.*ibid.quæst.2.* Ægid. *hic quæst. 2. & Theor. 41. de Euchar.* Zimara, *Theor. 3.* Æmilius Acerbus, *lib.3. Peripat. qq. q. 1.* Heruæus *Quodlib.4. qq.* Tromb. *hic quæst.1.* Anton. Andr. *ibid.* Fonseca, *cap.1, quæst.2.sect.2.* Suar. *disp.37.sect.2.* vide Scotum *in 4. dist.12.q.1.*

1 QVòd non, quia essentia passionis præcognoscitur demonstrationi, cùm sit medium ex 2. Poster. text. com. 8. & 25. inhærentia eius concluditur. Item, tunc esset nugatio, *hæc albedo inhærens*, quia addere aliquid ei de cuius essentia est, nugatio est. Item, tunc conceptus relationis in communi, non esset simplex: quia includeret respectum ad obiectum, & alium ad subiectum; & ita relatio non esset generalissimum: quia generalissimi est conceptus simplex. Item, quantitas manet in altari sine inhærentia ad subjectum.

Contrà, quo aliquid formaliter est ens, est de eius essentia, sed accidens est ens: quia entis, in litera, text.com.2. & text.com.3. Similiter sedere, magis ens, quàm sessio &c. Item, illa inhærentia differens non esset substantia; ergo accidens; ergo eius est alia inhærentia, & sic in infinitum. Item, si differunt, Posterius est conceptu accidentis; ergo conceptus accidentis in se, prior est, & absolutus, & ita definibilis sine subjecto, contra Arist.cap.3. text.com.17. & inde.

2 *Accidens sumitur pro per se significato, id est, pro accidentalitate, vel inhærentia, & pro denominato.* *Inhærentia alia actualis, alia essentialis.*

Respósio, distinguitur primò de accidéte, quia *accidens* si accipitur pro illo; quod per se significat nomen, vt pro conceptu, quem importat nomen accidentis per se, qui est ipsa accidentalitas, synonymum videtur cum hoc, quod est *inhærentia*: & tunc nulla est quæstio. Si accipiatur pro illo, quod denominat hoc concretum *accidens*, puta pro quantitate, sic quæstio habet locum, & sic fiat deinceps sermo. Tunc distinguitur secundò de inhærentia, quod *inhærentia* est duplex. Vna est actualis vnio accidentis existentis cum subiecto existente, vt actus aliqualis cum potentiali. Alia est dependentia, siue essentialis ordo accidentis secundùm quiditatem suam ad substantiam, secundùm quiditatem suam. Prima patet. Secunda probatur, quia demonstratio abstrahit ab existentia, & à consequentibus rem, inquantùm existit, aliter non esset necessariorum: demonstratur autem aliqua inhærentia passionis ad subiectum: igitur ista est alia à prima, quæ scilicet est existentia, vel conditio propria existentiæ.

Et hoc fortè consueuit dici de inhærentia actuali, & aptitudinali, prima non semper inest accidenti, secunda semper inest, siue existenti sine subiecto, siue non existenti. Contrà: aptitudinalis in accidente separato, non verificat aliquam prædicationem denominatiuam, sicut secunda hîc. EXTRA.

Aliud esse de essentia alicuius, & esse ei idem essentialiter, vel realiter.

Tertiò exponitur illud, quod dicitur de essentia. Non enim idem est esse de essentia *A*, & esse idem essentialiter, vel realiter ipsi *A*. Primum quidem infert secundum, sed non èconuerso; quia de essentia *A*, præcisè est illud, quod includitur per se in conceptu quiditatiuo *A*: & ideò ponitur in ratione eius quiditatiua, non vt additum: potest autem esse realiter ipsi *A* idem, licèt sit extra conceptum eius, putà vnitas, veritas &c. extra conceptum entis, qui prior est illis, secundùm Auicen.5. non tamen illa dicunt rem aliam ab ente: quære in quarto, quæstione de Vno. Vocantur tamen fortè ab Auicenna *accidentia* extendendo contra *essentiale* strictissimè sumptum; exemplum hîc de gradu addito albedini remissæ, quando intenditur, secundùm vnam opinionem est idem realiter, nec tamen de essentia hujus.

SCHOLIVM.

PRÆMISSA *triplici distinctione, scilicet accidentis in per se significatum, & denominatum: inhærentiæ, in actualem, & aptitudinalem: & eius, quod est esse de essentia alicuius, vel idem ei essentialiter, aut realiter: ponit tria dicta. Primum,* Nulla inhærentia est de essentia accidentis denominatiuè sumpti. *Ratio, quia est respectus fundatus in eo, & sic posterior ipso, de quo fusè Doct.4. d.12.q.1. Secundum:* Inhærentia aptitudinalis est idem realiter accidenti. *Ratio, quia perseitas non distinguitur à substantia, & quia illa inhærentia est omnino inseparabilis ab accidente, quod est signum indistinctionis realis ex Doctor. 2. d. 1. q. 4. Tertiũ:* Inhærentia actualis non est idẽ actualiter accidenti denominatiuo. *Quia vnũ manet altero destructo, vt in Eucharistia; sed hæc ratio tantùm currit in accidente absoluto, quia relatio non potest non inesse actu, si est, vt habet Doctor d. quæst.1. de*

de quo iterum l.8.erit sermo,vide Scot.latè de hac quæst.d.q.1.d.12. vbi satisfacit locis Arist.in contrarium. Vide Ant. Andream.hîc q.1.qui clariùs tradit doctrinam circa solutionem argumentorum. Aduerte hîc ex solutione primi in fine, Scotum priùs scripsisse expositionem textus, quàm has quæstiones: Falluntur ergo qui tribuunt illam expositionem Antonio Andreæ.

3 Ad quæstionem ergo primo dico, quod neutra inhærentia est de essentia accidentis,secundo modo sumpti, scilicet accipiendo *accidens* pro eo, quod hoc nomine denominatur, vt quantum, quale & huiusmodi. Tum, quia fundamentum respectus est aliquid præter respectum, respectus vtriusque inhęrentiæ in substantia non fundatur; quia tunc substantia inhærens esset, & non esset terminus respectus; ergo in accidente absoluto,& non in aggregato ex absoluto, & illo respectu: quia non est ratio fundamentalis respectu sui:igitur in absoluto præcisè; ergo est extra conceptum eius quiditatiuum, cùm respectus sit posterior natura fundamento. Tum, quia inhærentia videtur eiusdem rationis in quantitate, & qualitate; ergo si est de essentia vtriusque, potest ab vtroque abstrahi conceptus, dictus in *quid* de ipsis inferior conceptu entis, & superior eis, & ita non erunt generalissima. Secundò dicitur, quòd inhærentia secunda est eadem essentialiter, siue realiter accidenti secũdo modo sumpto.Tum, quia passiones entis dictæ de inferioribus,non dicunt aliud ab ente in eis; ergo cùm substantia dicitur prima, accidens posterius, quæ prius, & posterius diuidunt ens,vt passiones, primum non dicit aliud à substantia, nec posterius aliud ab accidente,siue ab ente inhærente,*per se* autem *ens*, siue *in se ens*, & *inhærens*, siue *in alio existens*,pro eodem accipio,sicut prius,& posterius. Tum,quia ille ordo abstrahit ab existentia, & fundatur super quiditatem possibilem, ista fundamenta sunt immutabilia,quia Deus necessariò exemplat quiditates possibiles,& voluntas si quem actum habet respectu illarum, similiter ille est necessarius: stantibus autem fundamentis ordinis immutabilibus, non videtur ordo mutabilis in altero,& ita nec differentia potest concludi per viam separationis possibilis. Si ponitur hoc, Arist. diceret quòd esset contradictio,1.Physicorum, tex.co.39. erit intellectus impossibilia quærens, qui dicit, passiones separari à subiectis,& loquitur de intellectu, quem posuit Anaxagoras.

Nulla inhærentia est de essentia accidentis denominatiuè sumpti.

Inhærentia aptitudinalis, idem accidenti.

4 Contra hoc tamen videtur illud,quod dicit 4. Physicorum, cap. de Vacuo. text.com.58. si sonus sine corpore, nunquid esset vacuum? Tertiò dicitur, quòd inhærentia prima non est idem realiter accidenti secundo modo sumpto, nec etiam existentiæ accidentis, si ponatur illa aliud ab accidente. Tum, quia idem realiter non manet & corrumpitur:accidens etiam existens manet non manente inhærentia prima: aliàs si illa maneret, cùm propter ipsam, subiectum denominabatur prius ab accidente: & dicebatur panis quantus, diceretur ita post transubstantiationem panis, quod est falsum. Tum, quia extremum vnum ordinis illius mutabile est, alio manente, quia actus voluntatis diuinæ respectu cuiuscunque existentiæ extra se, contingens est, ergo ordo non manebit altero extremo tantùm manente: & sic per viam separationis concluditur aliud esse hoc ab illo. Contra ista duas rationes arguitur: nam ponatur panem manere, & separatim à quantitate quâ priùs afficiebatur, quomodo non manebit inhærentia? Si dicatur alterum extremum iam esse mutatum, quia panis factus est non quantus; hoc nihil est, quia panis non fuit extremum dependentiæ, inquantum quantus, sed inquantum panis absolutę. Respondeo: hæc difficultas communis est omnibus vnitis potentibus manere seorsum, vt in anima, & corpore hominis;in Verbo & natura humana, quomodo neutro extremo mutato, vt videtur,secundùm aliquid absolutum, relatio non manet,quæ priùs. Et ibi adducitur illud de fine,7.Metaphys. text. com. 60. de *A* & *B*. sed hoc de facto non accidit separatione accidentis: quia subiectum non ponitur manere, licèt possit manere; vnde istam difficultatem differo vsque ad vltimum capitulum octaui, vbi propriè habet locum.

Inhærentia actualis differt ab accidente realiter.

5 Ad argumenta; alius, & alius conceptus sufficit ad præcognosci, & concludi, quia alia notitia, & prior natura, huius, quàm illius. Aliter, *quid nominis* præsupponitur non *quid rei*.

Secundum concludit pro prima parte solutionis, non contra secundam,quia non est nugatio hîc, ens vnum.

Tertium concludit pro prima parte solutionis.

Quartum pro tertia parte, ex qua sequitur prima pars de prima inhærentia.

Ad primum in oppositum:quia non notat causam formalem prædicationis entis de accidente, sed extrinsecã:licèt enim aliquid secundùm quodlibet sui, sit causatum à causa extrinseca, tamen potest prædicationem alicuius immediatè recipere formaliter,ac si non esset causatum,quia causa extrinseca non est medium, de quo prius illud dicatur, & inde de causato. Exemplum, formaliter creatura est ens; licèt totaliter à Deo. Item, possibile est aliquod prædicatũ secundùm se perfectiùs esse in vno, quàm in alio: & tamen æquè formaliter prædicatur de vtroque. Exemplum de albedine remissa, quæ æqualiter est albedo,& intensa,nec de altero per alterum dicitur.Item,possibile est ordinem essentialem esse aliquorum subiectorum secundùm quodlibet in se:& tamen aliquid tertium prædicatum æquè formaliter dicitur de vtroque. Exemplum de albedine, & nigredine respectu coloris. Nec ergo causalitas in substantia respectu totius accidentis,nec maior perfectio entitatis, nec ordo essentialis in entitate, concludit, quin accidens sit formaliter ens: non per substãtiam, nec per respectum ad ipsam, quia de per se in intellectu eius est ens, posito intellectu illo, etiam si per impossibile omnes conditiones prædictæ auferantur, quod allegatur ab Arist. ipse non dicit,eo quòd entis;sed *eo quod taliter entis*, id est, substantiæ. Fit ergo fallacia Consequentis, arguendo ab inferiori ad superius negatiuè cum nota causæ præcedente, sicut cum inquanto, primo Priorum. t.c.35. & inde, Debet tamen intelligi in *eo quod*, pro causa extrinseca. Similiter quod aliqui accipiunt, *non est, nisi quia entis*,adhuc fallacia Consequentis:sicut *hic huius; ergo solùm huius*.

Accidens est formaliter ens, sicut substantia.

6 De concreto, & abstracto videtur quòd accidens,vt accipitur in abstracto,est verius ens,quàm in concreto,quia species generis est,in quod diuiditur ens per se ex 5. t.c.14. non sic concretum, nec est substratio illa accidentis intellecti, sine subiecto,quia abstrahentium non est mendacium, 2. Physi-

2. Physicor. t.c. 18. sed est intellectio quiditatis, non inquantum denominat subiectum, sed inquantum hoc quid: & sic benè est subiecti, & dat intelligere subiectum. De intellectu Arist. in litera. Primò, quod adducitur de sano, quòd sicut nihil formaliter sanitatis est in vrina: sic nec entitatis in accidente. Similiter accidens dicitur ens, quemadmodum non scibile dicitur scibile. 7. c. 3. t.c. 15. Respondeo: ad primum dico, quòd Arist. loquitur de diuersis denominatiuis dictis ab vno abstracto, quæ denominatiua si vno nomine significentur: significantur æquiuocè. Ad secundũ: quòd illud exemplum corrigitur per paragraphũ sequentem, sicut exposui textum. Vnde exemplum quodlibet aliquid veritatis insinuat. Secundum concludit pro secundo membro solutionis. Sed videtur contra membrum tertium: & diceretur, quòd inhærentia seipsa inhæret: nec vnquam manet, nisi inhæreat, sicut quantitas manet. Ad tertium conceditur, quòd potest habere definitionem per genus proprium, & differentiam, sed Logicam, non realem. Contrà: nec genus, nec differentia complete intelliguntur sine subiecto, sicut nec definitum. Ideò aliter dicendum, quòd terminus respectus potest esse essentialius respectiuo, quàm ipse respectus: Deus enim qui est terminus respectus creaturæ, est causa creaturæ: non autem respectus, nec ab isto respectu dependet essentialiter creatura, sicut à Deo: sic hîc, si substantia est materia non ex qua, sed in qua potest accidens dependere ad ipsam, sicut ad causam aliquam, licèt sit prior respectu ad ipsam. Exemplum, homo prior est respectu sui ad animam, vt respectu totius ad partem, non tamen sequitur; ideò potest definiri sine anima.

Prius Scotus exposuit textum, quàm hoc opus scripsit.

An accidens definiri possit sine subiecto?

Accidens est prius respectu ad substantiam.

ANNOT. MAVRITII.

Circa primam quæstionem septimi libri de comparatione inhærentiæ accidentis ad essentiã eius. t.c. 2. & 3. in principio solutionis assignatur in aliquibus libris quoddam *Extra*, ibi: *Et hoc fortè consueuit dici*, &c. vsque illuc: *Tertiò exponitur*, &c. obiectionem autem ibi non solutam, sustinendo Doctorem, esse bonam, quia famosa est, solue consequenter, aut negando assumptum, aut aliter declarando, vt nosti, sed videtur omnino *Extra*.

Aliud etiam paruum *Extra* notatur in aliquibus originalibus, infrà ibi: *Sed iste respectus est relatio*, &c. vsque illuc: *Tamen quia inhærentia videtur*. Infrà etiam parùm pòst, ibi: *si ponitur hoc Arist.* &c. vsque ibi: *Tertiò dicitur quòd inhærentia*, &c. est *Extra*, & in pluribus originalibus, nullum horum trium habetur; ideò, &c.

Determinatio Doctoris hîc est clara, & resoluta: nam præmissis 3. distinctionibus adiungit 3. conclusiones, vbi aduerte in probatione secunda, 1. conclusionis, an illud, quod ibi infertur, vt inconueniens sit inconueniens, aliquod videlicet prædicatum dictum in quid de quantitate, & qualitate reperiri inferius ente, & superius vtroque illorum: nam nonnulli Scotistæ hoc videntur concedere, posito quòd ens diuidatur per quiditatem, vt in substantiam & accidens, absolutum, & respectiuum; argumentum saltem currit ad hominem, vt plerumque arguit Doctor hîc.

Hanc materiam vide in 4 huius, di. 12. q. 1. copiosè, & aliqualiter 1. di. 2. q. 4. & 5. Et 3. q. Quodlibeti. Opiniones aliorum: vt pote Auer. Alex. Ianduni, Alberti, & Thomæ, vide hîc, & alibi ad propositum, & maximè 12. dis. 4. vbi Theologi communiter pertractant hanc materiam.

7

Tange instantias consequenter in solutione argumentorum post oppositum. Primò, quomodo potest esse æquiuocatio in concreto, stante vniuocatione abstracti, cùm idem significet, vt in Anteprædicamentis, ex intentione q. 8. habet iste, & alibi plerumque. Vide in 4. di. 11. q. 1. art. 3. Et in Prædicab. quæstione finali, ordine debito; deinde qualiter ista possit esse vera. *Inhærentia inhæret*, cùm prædicatum, & subiectum sumantur sub oppositis modis significandi. Vide suprà in 5. & quære Franc. 8. di. pri. Conflatus, & 29. di. eiusdem benè considerando.

Nota etiam infrà ibi: Ad secundùm, *quòd illud exemplum corrigitur*, &c. quòd expositio in Metaphysica, quæ attribuitur Ant. And. est huius Doctoris vt hîc expressè dicit, & infrà sæpè, & alibi in Sententiis, sed fortè alio ordine & modo scribendi, sed in primo & 4. vbi suprà, habetur talis expositio valde notanter: originaliter tamen hîc.

Sed substãtia omnium primum tempore. *Tex. commenti 4.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm substantia sit primum omnium entium tempore.

Arist. *hic c.* 1. & 4. *Phys. c.* 12. *tex.* 117. & 8. *eiusdē c.* 1. 2. & 3. Auerr. *hic comment.* 4. Aleu. *ibid. q.* 3. Albert. *tract.* 1. *c.* 2. & 3. D. Thom. *lect.* 1. Ægid. *q.* 2. Iandun. *q.* 5. Flandria. *q.* 1. *art.* 1. Fons. *c.* 1. *q.* 2. *art.* 1. Suar. *disp.* 38. *Met. sect.* 1.

1

QVòd non: æterno non est aliquid prius tempore: accidentia autem sunt æterna, sicut motus 8. Physic. t.c. 1. & inde. Item si sic: ergo substantia præcedit tempus tempore. Oppositum Philos. 7. & 12. huius. t.c. 4.

Ad quæstionem Commentator. 4. huius 7. t.c. 2. & inde. Si accidens aduenit corpori, postquam est corpus, tunc prius est omni accidente adueniente. Si autem non aduenit, sed est inseparabile, & semper simul cum eo, tunc substantia composita non præcedit accidens, sed præceditur à materia substantiæ compositæ.

Opi. Auerr.

SCHOLIVM I.

SENTENTIA *Auerrois substantiam compositam non esse priorem tempore accidente inseparabili, benè tamen materiam; refutatur rationibus, & iuxta mentem Aristotelis, qui non tribuit illam primitatem materiæ. Admittit Auerroës substantiam omnem esse priorem tempore accidente separabili.*

2

Contrà de inseparabilibus, quòd non sit intellectus Philosophi, quòd materia præcedit: de eodem enim probat Philosophus quòd substantia est primum ens, & qualiter sit primum ens, & secundùm, non est verum de materia: quia probat eam primam, quia prædicatur simpliciter in quid, & quia alia sunt entia: quia sunt sic entis: neutrum

neutrum est verum de materia. Primum non, quia 9. ca. 6. t.c.12. materia prædicatur denominatiuè de materiato. Secundum non, quia non dicũtur accidentia entia, quia materiæ, quia vel nulla sunt in materia, vt in subiecto; vel si aliqua, saltem non perfecta. Item, ad principale, de eodem probatur primitas temporis, & cognitionis, & definitionis. Sed materia non præcedit cognitione, sed scibilis est per analogiam ad formam. Similiter nec cognitione, quia 9. huius, 1. Phys. t. c.69. actus prior cognitione potentia. Similiter nec definitione, quia substantia composita cadit in definitione accidentis, sed materia non: quia 7. ca.3. t.c.13. & inde. t.c.17. & inde, accidentia copulata habent definitionem per propriam substantiam. Item, Philos. probat substantiam esse primam, vt est primum prædicatum, ad quod reducuntur alia; ergo vel probatio est de substantia in communi, vel de aliqua specie in genere, vel de posteriori substantia: nullum illorum verum est de materia, quia nec est generalissimum, nec species in genere, nec posterius in substantia, sed prius, quia principium substantiæ, & principium prius principiato; ergo non potest inferri, quòd si materia sit prior accidente, quòd ideò substantia, nisi per hanc minorẽ falsam: quia si principium prius est aliquo, quòd principiatum prius est eodem. Item, si sic, aut materia secundùm se, aut sub aliqua forma; non primo modo, quia sic, nec est sub tempore, quia ingenerabilis, & incorruptibilis, 1. Physicor. t.c. 82. Non secundo modo, quia aut vt est sub forma accidentali, & tunc non est prius: quia vt est sub forma, non est prius forma; nec potest hoc dari, nisi ipsa sit sub forma substantiali: & si sic, tunc habetur propositum, quòd substantia composita est prior.

Materia denominatiuè dicitur de materiato.

Quomodo substãtia est primum ens?

3 Hîc dicitur, quòd materia vt est sub forma accidentali, & substantiali, præcedit tempore omne generabile ex illa; & per consequens omne accidens illius generabilis: non omne accidens, quod habet in se, sed omne accidens, quod inest illi, quod fiet ex ea. Contrà: per hanc rationem accidens est prius substantiâ, saltem generabili, & corruptibili: quia accidens generantis est prius substantiâ generabili ex ea, in infinitum: nec est ad intentionem Philosophi, quia probat primitatem temporis per hoc, quòd substantia est separabilis, & non accidens; illa probatio non valet de materia vnius, comparata ad accidentia alterius, quia substantia non dicitur substantia separabilis, nisi respectu accidentium suorum, quæ sibi insunt. Item, ad principale, sequitur, quòd aliqua accidentia sunt, quæ non præcederentur ab aliqua substantia, sicut omnia accidentia propria corporum cælestium: quia si non sit ibi materia secũdum Commentatorem in de Substantia orbis, non præceduntur, quia materia præcedit: nec à substantia composita, quia accidentia illa sunt inseparabilia, & si sit ibi materia, illa non præcessit tempore substantiam compositam, & per consequens, nec accidentia.

SCHOLIVM II.

*S*ECVNDA *opinio Alensis q. 3. circa hunc textum, substantiam esse priorem tempore accidente, quia non repugnat saltem causa prima esse sine vllo accidente, & consequenter nulli substãtia, quà talis, repugnat. Refutatur rationibus allatis contra primam sententiam. Tertia opinio est quorundam, quos refert Alens. citatus, quod per se substantia est prius tempore accidente, sed per accidens non; reiicitur, quia sequeretur scientiam posse esse falsam, posset enim passio per accidens separari à subiecto, esto hoc per se petat non separari.*

4 Ideò aliter dicitur, quòd est primum, quia substãtia separata ab accidentibus est prior, sed prioritas non potest intelligi de qualibet substantia, neque secundùm numerum, neque secundùm speciem respectu accidentium propriorum, quia substantia non est prior propria passione, quia in demonstratione concluditur passio de subiecto per se; ergo passio non potest non esse: nec de substantia secundùm numerum, quia si sic, posset esse idea Platonis, quia haberet totam naturam specificam sine accidentibus, quod ponit Plato. Et confirmatur consequentia: quia non posset illa idea esse distincta ab istis, quia haberet naturam speciei, & in illa non distinguuntur indiuidua eiusdem speciei; ergo, &c. tunc sequitur dictum Platonis. Dicitur ergo, quòd substantia cõsideratur inquantum hæc; & sic non præcedit, si consideretur inquantum substantia, sic prior est. Confirmatur sic, quod conuenit speciei non repugnat generi: nec alicui inferiori ratione generis: quia si habere alas conuenit animali, nulli inquantum animal, repugnat habere alas, sed aliqua substantia præcedit omne accidens, scilicet prima causa: & sibi non repugnat præcedere omne accidens duratione; ergo nulli substantiæ, inquantum substantia, repugnat præcedere accidens omne duratione.

Secunda opinio Alensis.

Substantia nõ repugnat præcedere omne accidens.

Contra istam positionem, quia rationes probantes expositionem Commentatoris non esse secundùm Philosophum, sunt contra illam positionem: quia non valet, si Deus, qui est simpliciter primus, præcedit; ergo substantia, quæ est posterior præcedit; & pondera hoc, & aliàs rationes ibi factas. Item, Deus non est in genere aliquo modo: sed quicquid est in genere habet passionem, & aliquod accidens, quod non præcedit, & hoc verum est de substantia omni in genere, sed quod repugnat cuilibet substantiæ repugnat substantiæ absolutè, & simpliciter: similiter loquendo Physicè, Deus non præcedit tempus tempore.

Ideò dicitur aliter, quòd propositio est vera per se, & falsa per accidens, & consimiles propositiones inueniuntur à Philosopho: vnde 6. Physic. t.c.15. supponit, quòd omni motu sit accipere motum velociorem, & tardiorem; & 8. t.c.76. & circiter, dicit, quòd aliquis motus est ita velox, quòd nullus velocior, sicut primus. Similiter 4. Physicor. text. com. 71. supponit, quòd omni corpore conuenit accipere corpus subtilius in infinitum, vbi probat motum non esse in vacuo; & tamen nisi exponatur, falsum est: quia igne non conuenit corpus subtilius accipere. Item 7. Physic. t.c.35. & inde, si aliquod mobile, &c. vnde tales propositiones sunt veræ per se, & falsæ per accidens. Vnde prima propositio vera est ratione motus, accipiendo mouentia proportionabilia motui: & similiter nõ repugnat corpori inquantum repletiuum loci, esse subtilius alio quocunque. Similiter in proposito, substantiæ, quantùm est de se, non repugnat præcedere omne accidens, ex quo non dependet ab accidente aliquo, quia completus intellectus sub

Multa sunt vera per se, & falsa per accidens.

substantiæ haberi potest, circumscripto omni accidente.

Contrà: si sic, ergo conclusio demonstrationis non est per se necessaria, quia necessarium non contingit aliter se habere 5. huius t. c. 6. sed contingit aliter se habere, quàm quod passio prædicetur de subiecto, quia subiectum potest esse secundùm opinionem illam, sine passione; consequens impossibile, 1. Poster. text. com. 5. & 7. & infrà, quia demonstratio est necessariorum, & eorum quæ sunt per se tantùm. Item si per accidens sit subiectum cum passione, à parte cuius tunc accidentalitas illa est? Non à parte passionis, quia simul est cum subiecto, quia causatur ab eo: tunc à parte subiecti, quod non est verum, quia ipsa natura subiecti per propria principia, est causa necessaria passionis; ergo non per accidens est simul tempore cum passione, quia per essentiam causat; ergo per essentiam simul cum passione, & non accidentaliter.

SCHOLIVM III.

Hic non agitur de tempore, vt sumitur 4. Phys. quia sic non est mensura substantiæ, vt benè probat Doctor 2. d. 2. q. 4. vnde nō accipitur pro duratione successiua, quia illa esset accidens, & sic esset quæstio, an substantia esset prius tempore, ipso tempore; sumit ergo secundùm Aristotelem, substantiam esse prius tempore accidente, pro esse separabile ab eo quantùm est de se. Ita habet ipse 2. d. 1. q. 5. & 4. d. 1. q. 1. com. 3. nu. 30. Iuxta hanc explicationem, idem est prius tempore, & prius natura, tertiam illam secutus est Doctor q. 33. de Vniuersalibus, sed hìc meliùs rem examinauit.

6 Ideò dicitur sic, & videndum est quid est, *esse prius tempore*: tempus non tantùm accipitur hìc, vt definitur in 4. Physic. t. c. 101. quia primitas temporis est substantiæ, inquantum substantia est: sed huiusmodi non est esse in tempore, quia tempus non est mensura, nisi motus, & quietis, & eorum quæ sunt in motu, & quiete: substantia secundùm se non est tale, nec accipitur pro quacunque duratione extensa successiua alia ab essentia rei, quia de illa esset quæstio; quia tūc substantia posset præcedere illud, cùm sit accidēs ei, & præcederet illud duratione, & quæro de illa, & sic in infinitum: tunc dicitur prius tempore esse, quod potest separatim esse sine alio, & illud non sine ipso: quia sic dicit Philos. in litera; illo modo omnis substantia prior est omni accidente vno modo: alio modo non; esse ergo prius tempore est posse habere existentiam actualem priorem alio: siue sine alio, quantū est ex se. Ita scilicet quòd sibi non repugnat, quia in nullo ab illo alio dependet. Hoc satis potest dici prius natura: nihil enim est prius natura, quod non sic sit prius & tempore. Quod autem possit sic præcedere, ostenditur dupliciter: vel quia non dependet ab illo; vel quia non est causa necessaria illius. Quòd hoc sit verum, patet per opposita horum: quia si non potest separari, hoc est, vel quia dependet ab illo; vel quia est necessaria causa illius. Dico, quòd substantia respectu accidentium separabilium, est prior vtroque modo, comparata respectu passionis est separabilis, & prior vno modo: quia non dependet; sed non inquantum causa, quia habet necessariam causam huiusmodi intra essentiam suam; ideò non est separabilis illo modo, scilicet inquantum est causa accidentis.

Substātia nō mensuratur tempore. Sco. 2. d. 2. q. 4.

Id est prius tēpore, quod potest esse sine alio, non è contra.

Vnde est inseparabilitas aliquorum?

7 *Substantiam, enim esse, hoc est aliquid esse, quod in essendo nō dependet ad aliam essentiam, vt subiectiuè sustentantem in eodem supposito. Videtur satis manifestum, quia si est sic dependens, quæro ad quid dependet; & ibitur in infinitum, nisi stetur ad aliquid sic independens: sed accidens esse ostenditur, per viam motus, quia aliquid idem manet, nunc mutatum secundum hoc, & non secundum illud; ergo illud habet subiectum manens: illud enim non est substantia, quia alia fit mutatio secundùm illud, & non secundùm istud, ita quòd ex vno accidente corruptibili cōcluditur, aliquid præter illud subesse: sed ex multis per se sibi inuicem succedentibus, meliùs concluditur aliquod esse subiectum illud à quocunque illorum. Difficile tamen est assignare manifestam differentiam dependentiæ formæ corruptibilis ad materiam, & accidentis ad subiectū, vt in prima dependens sit perfectius, in secūda imperfectius. Si dicas, hæc faciūt per se vnū, illa non: hìc quæritur, quare ille actus cū suo potētiali facit vnū per se, nec actus, nec potētia ponitur res generis, sed compositum ex illis; & illa principia in genere, alius actus cum suo potentiali, quod tamen verè informat, (aliàs non esset nisi aggregatio) non facit vnum per se; nec illud compositum est in genere, sed vtrumque componens in proprio genere? quæ ratio huiusmodi, qui diceret omnes formas esse vnius generis, vt principia, & constituere composita vnius generis: licèt vnius forma propria materia sit magis in actu per aliam formam eiusdem generis primi, non proximi, quàm alterius: quia ita ponunt in materiis formarum substantialium ponentes plures formas, vnde posset hoc improbari, de hoc quære quæstione vltima octaui.*

EXTRA.

Accidens esse ostenditur per viam motus.

8 Ad primum argumentum, quòd aliquid est æternum, id est, semper durans per se, & nihil est eo prius, vel per aliud, sicut motus per mobile, & tali potest substantia esse prior: quia non dependet ab eo, quamuis non potest inquantum causat necessariò. Ad aliud, vno modo sic, quòd tempus consideratur dupliciter, vt passio primi mobilis; vel vt mensura: tunc tempus vt est passio, præceditur à primo mobili tempore: non autem vt tempus accipitur pro mensura. Contrà: omne quod præceditur ab alio, tempore, non est quando præceditur; ergo si tempus, vt passio præceditur tempore, vt tempus est mensura, idem tempus realiter esset, & non esset simul, quia tempus passio quæ præceditur, non est quando præceditur: & tempus vt mensura quo formaliter præceditur, est, sed tempus passio, & tempus mensura sunt realiter idem; ergo idem realiter est, & non est simul. Aliter dicitur sic, quòd substantia præcedit tempus duratione aliqua, non tempore. Sed contra hoc est argumentum superiùs factum, quia illa duratio est accidens: quæro tunc, qualiter illa præceditur; si duratione, quæritur de illa in infinitum: nec præceditur duratione, quæ est ipsamet, quia tunc esset, & non esset simul. Ideò dico sicut priùs, quòd non accipitur hìc *tempus* propriè, vt est numerus motus, sed præcedit tempore: quia non dependet à tempore. Ad rationem primam pro secunda opinione, dico quòd necessariò passio inest subiecto suo, quia subiectum est causa necessaria illius: non quia

Primum mobile præcedit tempus.

Quod præceditur tunc non est.

Quomodo passio est necessario in suo subiecto?

quia subiectum dependet ab eo in essentia. Ad aliud de substantia singulari, dico quòd non esset idea Platonis, quia in illo esset propria passio hominis, sed non haberet accidentia per accidés; vnde dico, quòd indiuiduum cuiuscunque speciei posset per se existere sine omni accidente per accidens: & tamen illa substantia non esset perfectior, quàm nunc, nec essent alia substantia per participationem illius: & dico quòd distinguitur ab alio indiuiduo, quia aliter est natura specifica in te, & in omnibus communiter: vnde distingueretur ab alio per essentiam suam, sicut nunc: vel fortè per aliquam differentiam indiuidualem, quam addit indiuiduum supra speciem, quia distinctio per accidentia est secundùm accidens.

Substantia potest esse sine omni accidente.

ANNOT. MAVRITII.

Sequitur quæstio secunda de proprietate substantiæ tempore respectu accidentis. t. c. 4. vbi tres opiniones recitat, & impugnat, quarum prima est Commentatoris vbi in litera. Secunda Alexandri. Tertiam quære in Alberto, & Fratre Alex. & aliis hîc. Et licèt quidam conantur euadere impugnationes Doctoris hîc, aduerte quòd tertius modus dicendi est multùm apparés: vnde Doctor insequitur eum super Porphyrio. ca. de proprio. q. 3. & qualiter non sequatur ex hoc cótradictio, dic vt suprà in princ. & alibi notaui: hîc enim fuit locus propriæ determinationis, & non in Logicalibus, vt patet.

Determinatio Doctoris est satis clara hîc, licèt subtilis. Vide eum in 2. di. 1. q. 5. Et in 4. di. 1. q. 1. & alibi sæpè, vbi exponit hanc prioritatem vniformiter.

Assignatur quoddam *Extra*, ibi *Substantiam enim esse*, &c. vsque illuc *Ad primum argumentum*, &c. sed litera notabilis, & singularis doctrina, ideo castè percurratur vbique.

Considera benè in solutione vltimi principalis, vbi dicit, quòd indiuiduum cuiuscunque speciei, posset per se existere, sine omni accidente per accidens; ergo ignis sine calore, & homo sine quantitate; & sic de aliis dic consequenter; quære in 4. di. 12. & in Varrone.

Substantia est primum omnium notitia.
Text. commenti 4.

QVÆSTIO III.

Vtrùm substãtia sit primũ entium cognitione?

Arist. *hîc.c.*1. Al. *ibid.q.*5. Albert. *tract. c.*3. D. Tho *lect.*1. Heru. *Quodlib.* 3. *q.*12. Richard. *in* 2. *dist.*24. *art.*3 *q.*3. Anton. And. *hîc q.*4. Iandun. *q.*3. Niphus *disp.*4. Sonc. *q.*13. Fons. *c.* 1. *q.*2. *sect.*2. Suar. *disp.*38. *sect.*2.

1 QVòd non: omnis cognitio oritur à sensu. Sed sensibilia sunt accidentia; ergo accidés priùs cognoscitur quàm substantia. Posset dici, quòd ratio vadit de cognitione sensitiua, non intellectiua: de qua tamen intelligitur. Contrà: sicut aliqua cognoscuntur à sensu, ita à virtute phantastica, & intellectus sic potest ea abstrahere, & sic intelligere. Item ad idem 1. de Anima. t. c. 11. Accidentia magnam partem conferuntur, &c.

SCHOLIVM.

PRIMVM *dictum*: Substantia non est primum cognitione quoad generationem, *quia foret imperfectius accidente, & quia non habetur pro nunc propria species eius, vt habet Doctor hîc, & 1. d. 3. q. 3. nu. 9. & d. 22. q. 1. de quo fusè egi in Comment. quæst. 17. de Anima. Secundum dictum:* Substantia est primum cognitione primitate perfectionis, *quia habet perfectiorem quiditatem, perfectius tamen pro nunc secundùm proportionem cognoscitur à nobis accidens, quod exemplo oculi aquilæ, & Solis, benè explicat Doctor. Vide Anton. Andream hîc q. 4. qui fusiùs, & clariùs ista tractat.*

2 Ad quæstionem quòd sic: quia de omnibus quæ habent *quod quid* simpliciter, perfectissima est cognitio eorum, quando cognoscitur quid sunt, sicut habent *quid*: sed substantiæ est perfectissimè *quid*, ideò de substantia perfectissimè cognoscitur. Tamen intelligendum est, quòd quædam sunt priora generatione; & quædam perfectione. Quæ generatione sunt priora, imperfectiora sunt, èconuerso de alio: tunc substantia est primum omnium cognitione; quia perfectissimum, accidentia prima generatione; ideo, &c. Ad argumentum, quòd vadit de prioritate generationis. Contrà: quòd perfectione accidentia sunt priora cognitione; ideò cognoscibile cognoscitur, quia species eius est in cognoscente: sed in intellectu est species accidentis, non substantiæ; ergo accidens perfectiùs cognoscitur. Probatio minoris quia species accidentium sunt in virtute phantastica, & illorum est abstractio, quæ sunt ibi. Quòd autem species substantiæ non sit in intellectu, probatio: quia tunc species substantiæ priùs esset in sensu, & sic posset substantia cognosci à sensu, cuius oppositum manifestum est, quia omnia sensibilia sunt quantitates, vel qualitates. Item, si sic, tunc per cognitionem naturalem posset intellectus cognoscere substantiam in Sacramento esse, vel non esse. Ad illud dicitur sic: quòd substantia facit speciem, & est in sensu, & in medio; sed ibi non est principium videndi, sicut nec species in aëre, quia aër non habet potentias cognitiuas rei, cuius est similitudo, sed in intellectu est principium videndi. Contra hoc vadit argumentum de Sacramento.

Prius generatione, posterius perfectione.

Substantia pro nunc non cognoscitur per propriam speciem. Sco. 1. d. 3. q. 3. n. 9. & d. 22. q. 1.

3 Aliter dicitur, quòd non est in intellectu nisi species accidentis, & immediatè causatur illa species ab accidente: & mediatè à substantia, & primò repræsentat accidens, & secundariò substantiam. Sed contrà; species non potest repræsentare distinctè illud, quod est perfectius illo, cuius est species: quia si sic, tunc similitudo alicuius albi remissi, repræsentaret album intensum; & tunc quandocunque viderem remissum album, viderē intensum album, & sic substantia non erit perfectum cognoscibile: & tunc cum aliquando accidens sit per se, vt in Sacramento; & repræsentat substantiam secundario, tunc intellectus intelligeret substantiam in Sacramento, cùm ibi sint sola accidentia.

Species non repræsentat quod est perfectius suo obiecto.

Aliter dicitur, quòd substantia cognoscitur per discursum. Et tunc stat quòd non perfectè. Tunc dicendũ, quòd substantia est perfectum cognoscibile, & tamen aliquid aliud potest perfectius cognosci

Accidẽs perfectius cognoscitur à nobis.

cognosci à nobis secundùm proportionem cognoscibilitatis suæ, quia perfectius repræsentat species alicuius albi remissi, ipsum album cuius est species, quàm species Solis repræsentet oculo aquilæ ipsum Solem:& magis video albũ secundùm proportionem visibilitatis suæ, quàm aquila Solem, secundùm proportionem visibilitatis suæ, Tunc dico, quòd perfectiùs cognoscitur, cuius species est in intellectu; verum est secundùm proportionem suæ cognoscibilitatis, & tamen substantia de se est perfectius cognoscibile & in se, & à nobis, si possemus ad illam pertingere,sed non possumus in vita ista, vt habetur in 2. huius 3.q.& tunc dictum Philosophi intelligitur Metaphysicè dictum, non animasticè; distinctio hæc datur in quæstione de Singulari in 7. Et quia cognitio,quam habemus de substantia,est perfectior cognitio cùm attingitur, quàm cognitio accidentis, tunc licèt accidens sit primum cognoscibile respectu intellectus nostri generatione; tamen substantia est primum perfectione.Et ideò simpliciter primum.

ANNOT. MAVRITII.

4 SEquitur quæstio tertia de prioritate substantiæ cognitione respectu accidentis. t.c.4. quæ satis facilis, & correcta est, & sententia Doctoris determinata, & subtilis. Opiniones de cognitione substantiæ, quas tangit ibi soluendo argumentum principale, quære in Henr.& Thoma,& aliis antiquis, & modernis. Vide 3.di.primi, & super 1.de Anima: & hunc vbi suprà, super lib.de Anima, infrà etiam in 7. & suprà lib.1.& 2.plura adhuc patent.

Infrà ad finem ibi: *Si possemus ad illam pertingere*,&c.vsque illuc:*& quia illa cognitio,quam habemus*, &c. assignatur *Extra* ab aliquibus: satis tamen benè ad propositum præter illam allegationem ex 7.sed die consequenter.

Substantia est omnium primum ratione *text.com*.4.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm substantia sit primum entium definitione?

Arist.*hic c.*1.*&* 4 *text.*12. *& c.*5.*text.*19. D. Tho.*ibid. lect.* 1. Albert. *tract.* 1.*c.*3. Anton. And. *q* 3. Trombett. *q.*1. Iauell. *q.*1. Fons. *c.*2.*q.*1. *sect* 2. Suar. *disp.*37. *Met. sect.* 2. *& disp.*38. *sect.* 2.

1 QVòd non: omne accidens habet proprium genus, & propriam differentiam: ex talibus constituitur propria definitio, & sufficiens: hoc dicit Philos.8.huius,t.c.2.6.& 9.idem 6.Topic, c.4. quòd in definitione est *quid*, & *quale*. Dicitur, quòd tale aggregans genus,& differentiam, non est definitio, quia definitio datur causa innotescendi, sed talis definitio adhuc dependet ad substantiam; igitur substantia requiritur in definitione eius. Contrà:omne quod prædicatur propriè de aliquo subiecto, prædicatur de eo secundùm rationem alicuius prædicati quatuor prædicatorum, 1. Topic.cap. 3. vel sub ratione alicuius quinque Vniuersalium, sic dicendo, *Albedo est color*: A non est prædicatio, nisi vt definitio, quia Philosophus definit definitionem, dicens quòd *Est oratio indicans quid est esse rei*: sed illa indicat totam quiditatem albedinis: quòd aliud non sit verum, quia accidens est per se sensibile, & sic eius species abstrahi potest, & cognosci priùs quàm aliqua substantia cognoscatur. Item, tunc sequitur, quòd in definitione eiusdem accidentis, essent ponenda multa subiecta, quia oportet primum, & proprium poni; ex 7.huius,t.c.17.& infra,& subiectum generis,& differentiæ secundùm te, quia tota ratio dependet secundùm te.

Quid est definitio? 1.Topi.c.4.

Item, ratio quam significat nomen, est eius definitio 4. huius, t.c. 28. Sed nomen accidentis non significat subiectum; ergo subiectum non debet poni in eius definitione. Dicitur, quòd verum est, tamen accidens in concreto dat intelligere subiectum, & illud cointellectum poni debet, Contrà: tunc in definitione accidentis abstracti non ponitur, quia non dat intelligere subiectum aliquo modo: & talia sunt verius in genere accidentis,& sic habetur propositum, quòd in definitione accidentis, quod est maximè accidens, non debet poni subiectum. Item, ad principale, si sic; ergo hæc nugatio, nasus simus. Probatio consequentiæ, quia ad videndum nugationem, ponenda est ratio pro nomine, sed posita ratione simi, habetur nasus, nasus cauus.

2 Item, potest esse sine subiecto;ergo subiectum non debet poni, Probatio antecedentis: quicquid potest causa superior cum inferiore, potest per se; sed cum inferiori potest facere accidens esse per se; ergo sine eo potest. Probatio primæ propositionis: perfectum simpliciter est, quod non habet aliquam excedentiam; sed si prima causa cum secunda possit facere, quod non possit prima per se, habet excedentiam,quia ipsa cum causa secunda excederet seipsam solam. Item sic: aliqua accidentia dicuntur separabilia, possunt ergo illa separari, & per consequens definiri per se. Item, 8, Physicorum, t.c. 37. & inde,si contingit recipere mouens & motum simul: & mouens per se; ergo & motum per se: similiter hic de substantia, & accidente.

5. huius. T.c.21.

Dicitur, quòd est primum, quia debet poni in definitione aliorum omnium: sicut enim conuenit aliquibus *quod quid est*, sic definitio. Sed accidentia non sunt entia,nisi quia entis ex 7.huius, t.c. 2. & si sic, non habent quiditatem, nisi quia illius entis, nec definitionem; ergo in definitione eorum debet poni substantia.

1. Opinio.

Aliqui dicunt, dictum Philosophi esse verum non de entitate naturali accidentium, sed de entitate aptitudinali accidentium: tunc aptitudinaliter omnia accidentia definiuntur per substantiam, non actualiter, nec secundùm entitatem naturalem. Tamen secundùm Philosophum non possunt aliquo modo esse, nisi in substantia, & ideò simpliciter, & absolutè entitas omnis quam possunt habere, est à substantia, quia nec separantur secundùm Philosophum,nec habent aptitudinem ad separationem. Similiter illud potest haberi primo Physicor. t. c.39. contra Anaxagoram. Impossibile est segregare accidens à substantia. Similiter 7. huius, t. c. 47. contra Platonem cap. penult. nec ratione, nec tempore possunt esse, &c. Tunc definitur aptitudinaliter per substantiam,ita quòd insunt aptitudinaliter substantiæ.

2. Opinio.

Quomodo substantia cadit in definitionem accidentis?

SCHO

SCHOLIVM.

Non est de mente Aristotelis accidens in se non habere entitatem præter entitatem subiecti, alioquin poneret contradictoria in illo exemplo de sono in vacuo; quia si de essentia accidentis est esse in subiecto, repugnat aliter poni, & sic ponitur, & non ponitur. Ad quæstionem resolutio est, substantiam esse priorem definitione accidentibus, quia cadit in horum definitionem, vt habetur q. 1. huius: & ratio est, quia cùm accidens sit forma, non potest perfectè, & conceptu quietatiuo concipi, quin exprimatur ordo ad id cuius est forma, & consequenter terminus illius ordinis. Vide Anton. Andream hîc q. 3. & Ant. Trombet. q. 1.

3 Contrà, quòd non sit intentio Philosophi negare omnem entitatem formaliter ab accidentibus præter entitatem substantiæ actu: videtur Philos. 4. Phys. tex. com. 58. posito quòd in aliquo spatio sit tantùm sonus: quærit vtrùm illud spatium sit vacuum, & respondet, quòd si in spatio potest recipi corpus, vacuum est, si non, non est vacuum. Posito ergo, quòd accidens non potest esse sine subiecto, sequitur contradictoria simul vera, videlicet, quòd ibi sit corpus, & quòd non: tunc entitas eorum naturalis est per substantiam, possunt tamen actualiter esse sine ea cum aptitudine ad subiectum. Tunc ad propositiones Philosophi, quòd nullum potest esse sine aptitudine ad subiectum. Ad aliud contra Anaxagoram, loquitur de causa naturali, quia quærere segregare naturaliter est impossibile. Contrà; definiens minus est ens definito. Respondeo, verum est de parte quiditatiua definitionis, non de addito. Item, definitum non videtur ens nisi per definiens; ergo formaliter non est accidens ens, sed tantùm per subiectum. Et hoc videtur ex litera: *quia entis*, &c. Item, attributo essentialiter ad alterum, & ei cui attribuitur, non videtur conceptus communis, sicut nec absoluto, & respectiuo; nec substantiæ, & accidenti. Ad primum, per definiens additum, non recipit formaliter definitum prædicationem alicuius; alioquin sicut quantitas esset ens per substantiā, ita esset quantitas per substantiam, & creatura ens per Deum: formalis prædicatio est, vbi subiecto ex suo intellectu inest prædicatum, circumscripta à subiecto omni habitudine ad causam extrinsecam, quæ non est de quiditate eius cuiusmodi semper est efficiens, & materia *in qua*. Quod Philosophus dicit, intelligatur de entitate incomplexi, non de prædicatione entis de accidente: nisi fortè de causa extrinseca. Ad secundum, si attributum non esset nisi attributio, ita quòd respectus non fundaretur in aliquo absoluto, maior videtur vera. Quomodo ergo ordo in perfectione eius, quod prædicatur, non arguit ordinem prædicationis: quære in quæst. de inhærentia, &c. de hoc.

Quia poneretur subiectū esse de essentia, & accidens separari ab eo, quod est contradictio, si sic sentiret Arist.

Quid formalis prædicatio?

4 Ad primum argumentum principale, quòd illa ratio per genus, & differentiam non est definitio, Metaphysicè loquendo, quia non exprimit quiditatem omnino: & perfectè, quia non exprimit aptitudinem ad substantiam, nisi addatur substantia. Ad illud in contrarium dicitur, quòd Logicè loquendo, prædicatur vt definitio, quia Logicus concedit definitionem ex genere, & differentia solum, non Metaphysicè loquendo, quia non exprimit cuius est, cùm tamen secundùm se non dependeant. Aliter sic, quòd reducitur ad aliquod illorum, sicut ista, *homo est substantia sensibilis*: non est genus, nec differentia, &c. & ideò dicitur quòd reducitur: tamen non est vera definitio hominis, quia non exprimit completè totam essentiam illius, quod tamen pertinet ad definitionem. Ad aliud, quòd accidens completiuè non intelligitur sine subiecto. Ad illud de specie, dico, quòd cognitio illa accidentis non est completè distincta, sed confusa; sed quando cognoscitur cuius est, cum illis conditionibus, est cognitio definitiua, & distincta. Ad tertium dicendum, vel quòd genus & differentia, & species habent idem subiectum; vel differentia & species habent idem subiectum; & genus habet communius subiectum; sed illud non debet poni, quia illud subiectum communius intelligitur in subiecto speciei, quod est inferius. Ad aliud, quòd non est propter modum significandi concretum, quòd subiectum debet poni; quia accidens secundùm se dependet, saltem aptitudinaliter, & non est ens, nisi sic dependeret; ideò ponitur subiectum ad hoc, quòd completè definiatur, propter ipsam rem signatam. Ad aliud, quòd non est nugatio. Ad probationem, latet, dicit Philosophus: quia rationes non sunt certæ, quia nasus non est de per se, in intellectu simi. Contrà: tunc non differret dicere nasus simus, & nasus cauus, & tunc idem simus, & cauus. Consequens est falsum, quia tolle æqualia, quæ relinquentur sunt æqualia. Ad hoc, quòd simum non habet intra intellectum suum per se, nasum; sed licèt non significet hoc; tamen non est idem simum, & cauum: nec dicit simum tantùm cauitatem, quia simum dicit aliquam certam habitudinem ad nasum. Ad aliud de prima causa, concedo conclusionem. Ad aliud, accidens est separabile: dico quòd non est separabile, quia potest separari: & esse per se sine subiecto, sed quia corrumpitur post separationem, & alia inseparabilia, quia non possunt non esse subiecto existente. Ad aliud, quòd argumentum est à minori, quia magis potest mouens esse per se, quàm motum: cùm motum dependeat à mouente; ideò valet argumentum; sed in proposito non valet, quia arguitur per locum à minori affirmatiuè. Conuenit enim reperire substantiam, & accidens simul, & substantiam per se; ergo & accidens, non valet: substantia potest esse, per se quod magis videtur; ergo accidens quod minus videtur: sed est consequens.

Accidentis alia definitio Logica, alia Metaphysica.

Accidens cōpletiuè non intelligitur sine subiecto.

Accidens etiam abstractum definitur per subiectum.

Tex. c. 19. huius 7.

Quomodo accidens, aliud separabile, aliud inseparabile?

ANNOTATIO MAVRITII.

5 Sequitur quæstio quarta de prioritate substantiæ definitione respectu accidentis, t. c. 4. quæ satis clara est, & correcta, sed in decisione tanguntur dicta aliorum. Quære Hen. & alios, quos suprà notaui hîc: & hunc 12. di. 4. q. 1. & in Prædicamentis, q. 8. & in 2. di. 1. qu. 5. & sequaces moderniores super 1. Physic. & ipsum si inuenire valebis. Definitur enim accidens quodcunque definitione Metaphysica, & quietatiua, nedum aptitudinaliter, immò actualiter; nedum in concreto, immò in abstracto per substantiam expressè, vel implicitè: non quin existere possit aliquod saltem sine ipsa actu, sed quia actu semper dependet, & dependens inquantum tale, non completè intelligitur absque dependentiæ termini expressione, vel cognitione; & vt eius est, & in ipsa potiùs, quàm ab ipsa, requiritur in accidentis definitione substantia: hoc dicit.

Infrà ibi; *Contrà, definitus est minus ens*, &c. vsque illuc; *Ad primum principale*, &c, ponitur *Extra* in aliquibus, in aliquibus verò originalibus illa argumenta tria ponuntur in pede quæstionis 3. Principalia argumenta, & tres solutiones ad ipsa, ponuntur ad finem quæstionis in principio solutionum principalium. Sic ad primum argumentum principale, verum est de parte quiditatiua, &c. sed quomodocunque situetur litera, est satis bona & ad propositum; ideò, &c.

Quod ibi tangit de causa prima, & de separatione accidentis à substantia, examinabis benè, vt habet in 4. & 2. vbi suprà, & in primo di. 2. q. 42. & alibi. Et maximè in Quodlib. q. 7. Quære alios, vt nosti plura addendo hîc.

Dico autem materiam, quæ est secundùm se, nullatenus neque quid, neque quantitas, neque aliquid aliud eorum dicitur, quibus ens est determinatum. Est enim quoddam, de quo prædicatur horum quodlibet, cui est esse alterum, & Categoriarum vnicuique. *Tex. comm.* 8.

QVÆSTIO V.

Vtrùm materia sit ens?

Arist. *hic tex.* 7 & 8. & *lib* 12. *c.* 14. Plato *in Timæo*. Themist. & Simpl. 1 *Phys.* Albert. 1. *Met. tract.* 2. *c.* 4. Alexan. 1. *de Anima c.* 1. D. Thom. *hic lect.* 2. & 1. *p. q.* 14. *art.* 2. Henr. *quodlib.* 4. *q.* 16. Caiet. *de ente & essentia c.* 5. *q.* 8. Durand. *in* 2. *dist.* 12. *q.* 1. Greg. Gabriel. Occham. Richard. *ib. d. q.* 1. Ferrar. 2. *contra gentes c.* 68. Anton. Andr. *hic q.* 6. Suar. *disp.* 13. *Met. sect.* 4. Hurtad. *disp.* 2. *Phys. sect.* 2. Auersa *q.* 20. *Phys. sect.* 4. & 8. *c.* 8. Conimb. 1. *Phys. c.* 9. *q.* 3. *art.* 1. & *q.* 6. *art.* 2.

1 QVòd non in litera: t. c. 8. neque est quid, &c. Respondeo: non in actu, sed in potentia. Contrà: aut est in potētia materia, aut forma, aut compositum. Item, quod generatur, non est, 5. Physicorum: text. com. 8. intelligitur de subiecto generationis: quia quod mouetur est: intelligitur in potentia, quia accidit sibi esse in actu; ergo materia non est in potentia. Item, aut est actus purus, aut compositum ex actu, & potentia, neutrum: tum, quia non est scibilis nisi per analogiā; tum, quia tunc aliquid inferius ipsâ, possibile esset esse: nec primum, quia non distinguitur in fundamento naturæ, & sic non est forma: nec secundum, quia est principium. Tertiò sic; primus actus est sine omni potentia; ergo & prima potentia sine omni actu. Similiter actus proportionatur potentiæ, & ita esset illimitatus, sicut & potentia est infinita.

SCHOLIVM I.

PROBAT *exquisitis rationibus, & iuxta mentem Philosophi, materiam esse entitatem positiuam, sex ultum entitatiuum, de quo fusiùs agit* 2. *d.* 12. *q.* 1. *per totam, contra Albertum negantem duas qntitates positiuas in ente generabili; & contra alios negantes, materiam esse potentiam subiectiuam, vel habere propriam existentiam. De eodem etiam agit* 1. *Phys. q.* 19. 20. 24. & 2. *Phys. q.* 7.

2 Contrà: est principium per se, ex 1. Physicorum tex. com. 52. & per se causa ex secundo, t. c. 28. & inde, illud 5. huius, t. c. 2. & 2. huius, t. c. 5.

Responsio, quòd transmutatio fecit scire materiam: omne enim naturale agens respicit passum, in quod agat: sicut ergo in transmutatione accidentali transmutans transmutat aliquid manens, ab vno termino in alterum (albedo enim non fit nigredo, sed album priùs fit nigrum) ita in generatione, generans transmutat aliquid à forma in formam; illud dicitur materia, Hæc ratio Aristot. 1. Phys. t. c. 60. id est, de Generatione, & 2. t. c. 6. & 12. Meta. cap. 1. tex. c. 6. & alibi pluries. Respondetur: corrumpendum est in quod agens agit, sed vltimo instanti totum mutatur in totum ex 1. de Generatione, t. c. 24. Contrà: prius naturaliter corrumpendum non est, quàm genitum fiat; ergo si nihil corrumpendi manet in illo *nunc*, in quo generans generat; generat ex nihilo, nec in aliquid agit. Responsio: non de aliquo subiectiuè, sed ex aliquo initiatiuè, vt ex termino *à quo*, Deus vtroque modo ex nihilo. Contrà: agens habens in virtute sua causatiua totum effectum, non minus illum producet, licèt aliud non ponatur, quo posito magis debilitatur vis agentis, quàm fortificetur: sed per te generans habet in virtute sua effectiua totum effectum, quia nihil eius præsupponit: per actionem autem in contrarium corrumpendum, debilitatur eius virtus actiua, non fortificatur. Confirmatur ratio, quia agens naturale potens in aliquem totum effectum, de necessitate illum faciet, non impeditum ex 94. cap. tex. com. 10. & inde, non autem impeditur ignis generare ignem, in quem potest totum, ex datis: quia illa aqua non est præsens, magis autem impediretur si esset præsens. Item, aliæ congruentiæ ponuntur, quòd est vnum primum potentiale, quia in causis materialibus est ordo essentialis, sicut in effectibus ex 2. huius, tex. com. 5. & inde, primum potentiale videtur esse respectu primi actus. Item, nulla generatio passiua erit naturalis: quia nullus appetitus præcessit ad terminum generatum: nam forma corrupta non appetit illum, quod patet, quia tunc appetisset suam corruptionem. Immò nulla est generatio, quia nulla priuatio, quæ possit esse terminus *à quo*. Priuatio enim non est nisi in apto ad habitum: inter formas autem disparatas non est per se generatio, quia est ex non subiecto in subiectum. Item, quodlibet esset, intrinsecè loquendo, æquè incorruptibile. Nam ita forma aëris nititur saluare se: nec est in aliqua aptitudine naturali ex se, ad non essendum, vt videtur, sicut forma cæli: aër autem est per te tantùm forma: si dicatur, aërem habere contrarium, & cælum non: nihil ad *B*, quia contrarium non facit, quod illud habet aliquod intrinsecum principium, quo est corruptibile, & hæc videtur esse ratio Arist. in 7. c. 5. quòd omne generabile habet materiam: possibile namque esse, & non esse: quo autem aliquid est tale scilicet intrinsecè, est materia. Quia tamen materia dicitur esse in potentia, intelligendum, quòd aliquid dicitur in potentia dupliciter. Vno modo, vt terminus potentiæ, siue ad quod est potentia, vt albedo generanda. Alio modo, vt subiectum potentiæ, siue in quo est potentia, vt superficies dealbanda. Qui dicunt materiam esse primo modo ens in potentia, dicunt eam simpliciter esse non ens, nec videntur aliquo modo saluare intentionem Aristotelis. Tum, quia tale ens non est subiectum transmutationis, sed terminus,

Scot. 2. d. 12. q. 1. num. 3.

Omne generabile habet materiam.

Potentia obiectiua, & subiectiua. Scot. 2. d. 12. q. 1. n. 10.

nus, materia ponitur subiectum. Tum, quia talis potentia numeratur secundùm numerum actuum, ex 3. Physic. tex. comm. 10. materia autem vna est respectu formarum oppositarum; secundo, ergo modo materia ens est in potentia, & magis quàm subiectum accidentis, quia minus habens in se actualitatis, & maioris actualitatis capax; & ista potentia fundatur in aliquo actu secundum Comment. 3. Cæli, & Mundi, tex. com. 25. & 54. & inde, quia recipere non conuenit nisi habenti in se priùs aliquam entitatem positiuam: primum fundamentum omnis realitatis positiuæ, quid est?

SCHOLIVM II.

VIDE *Doctorem fusiùs, & clariùs soluentem hæc argumenta 2. d. 12. q. 1. & locis citatis 1. & 2. Physic. Vide etiam in expositione huius textus, vbi (& hîc tangit secunda solutione) benè ostendit textum hunc, non esse Aristotelis assertum, sed opponendo pro falsa parte dictum, vide Anton. Andream hic q. 6.*

4 Ad argumenta, loquitur de diuidentibus ens per se: vnde sequitur, *neque aliquod eorum, quibus ens est determinatum; sic etiam forma non est quid,* &c. Si arguitur vt videtur ex litera, quòd omnia prædicantur de materia denominatiuè; igitur nulli est idem essentialiter. Respondeo, nec pars de toto, nec èconuerso prædicatur propriè: sed aliquo modo denominatiuè; etsi non sicut accidentia, quia non deminatione extrinseca alterius generis; sic ergo materia non est homo, sed humana. Quòd autem illud de denominatione nihil valeat pro eis, patet ex 9. cap. 6. tex. comm. 12. vbi vult, quòd materia denominatiuè prædicetur de composito, & in hoc assimilatur accidenti; ergo non intelligit hoc, quòd sit subiectum propriè prædicationis denominatiuæ, respectu omnium aliorum, quia prædicationes denominatiuæ propriè non conuertuntur. Istæ autem partes de toto conuertuntur, quia & totum de parte denominatiuè prædicatur. Ad totum tamen textum illum est alia responsio: quia illud dicitur opponendo pro falsa parte: quod videtur ex epilogo sequente, *sic quidem intendentibus*, & ex aduersatione, quia statim arguit ad oppositum, *sed impossibile:* quandoque enim consueuit Aristoteles inter argumentum, pro & contrà, ponere determinationem quæstionis, sine aliqua nota solutionis. Ad aliud, sicut esse quantum est conditio concomitans scientem, sed non necessaria ad scire, est autem necessaria ad albedinem, sic entitas actualis est conditio necessaria mobilis, licèt fortè non proxima: vt habetur 3. Physic. tex. com. 9. æs non inquantum æs, sed inquantum potentia statua, mouetur: ita quòd à subiecto generationis remouetur, quòd actualis entitas non est sibi necessaria, & intelligatur de completa, quæ semper est necessaria mobili præcisè sumpto, inquantum mobile. Ad tertium, est actus tantùm. Ad primam obiectionem de scibili, nónne loquitur ibi Aristoteles de materia in communi, vt est per se principium transmutationis naturalis: Quare magis arguis ex illo dicto de subiecto generationis, quàm alterationis? Nunquid Aristoteles ante quintum librum de istis mutationibus distinxit, vel de pertinentibus ad ipsas? Dicas igitur propter istam auctoritatem, quòd subiectum alterationis est pura potentia. quia non scibilis. Ideò

Nec pars de toto, nec totū de parte prædicatur propriè.

Prædicatio denominatiua non conuertitur.

Al. Ex his ergo speculātibus, &c. t.c.8.

5

Quomodo materia est scibilis per formam?

responsio; scibilitas absoluta non est scibilitas cōpleta alicuius, inquantum comparatum. Patet de ære, & potentia statua: loquitur autem de materia ibi, vt est principium transmutationis: hæc autem est, inquantum capax formę per transmutationem; igitur tunc cognoscitur vt principium, & non antè, quando cognoscitur in analogia ad formam: licèt aliam notitiam absolutam habeat, vel non habeat, quid ad *B*? Aliter, propter defectum intellectus nostri, qui ex sensibilibus cognoscit. Primò in formæ notitiam inducimur per operationes sensibiles, materia nullius operationis sensibilis est principium, tamen ex formis succedentibus, quæ sunt aliarum operationum principia, concludimus illud, quod ad eas habet analogiam; vt receptiuum ad receptum. Ad aliud, quod arguit, quòd tunc fieri potest eā aliquid inferius.

Formas cognoscimus per operationes sensibiles.

Respondeo, si vis habere inter quodcunque *aliquid*: & *nihil*, vnum medium, erit illud *aliquid*, vel *nihil*, infimum, quod est in substantia, dum sit aliquid, est infimus actus, & potentialis respectu omnium aliorum actuum. Si vis habere propriam potentiam puram, sine omni actu, habebis *nihil*: sicut si priuationem sine subiecto, de hoc in nono quæst. 1. Ad alia est secundum se diuersum, scilicet à forma, non contendatur de nomine, *&c.*

Materia est infimum in substantia.

1

ANNOTATIO MAVRITII.

SEquitur quæstio quinta de entitate materiæ, *text. com.* 8. Vbi aduerte, quòd in aliquibus originalibus hanc præcedit illa quæstio de prioritate formæ respectu compositi, & materiæ, & rectè: quia illa oritur *t.c.* 7. licèt etiā *t.c.* 8. fundari posset, vt notauimus, de ordine tamē parū refert, dummodò veritas habeatur. Eligat lector quam præponere voluerit, hîc ordo satis placet.

Infrà in principio solutionis ibi: *Hæc ratio Arist.* &c. aduerte, quòd quotationes Commentorum non sunt de litera Doctoris: sed quia rectè in margine non poterant locari, inseruimus eas literæ suis in locis, vt vides.

Determinatio Doctoris clara, & assertiua, quam auctoritatibus, & rationibus, & congruentiis pulcherrimè adornauit. Vide 12. dist. 2. copiosè hunc, & alios Theologos, & super primis Physic. & de Generatione, & alibi de attributis, & conditionibus, atque proprietatibus materiæ notanter.

Quare si species materia est prior, & magis ens, & ipso, quod ex vtrisque prior eri t, propter eandem rationem. *tex. com.* 7.

Quapropter species, & quod ex ambobus, substantia videtur esse magis, quàm materia. *tex. com.* 8.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm forma sit prior composito & materia.

Arist. *hic c.* 3. Themist. 1. *Phys. tex.* 18. Simplic. *ibid. text.* 52. Auerroes 2. *Phys. com.* 4. Alexan. *hic tex.* 7. D. Thom. *lect.* 2. & 1. *p. q.* 3. *art.* 7. Anton. Andr. *hic q.* 5. Nyphus. *disp.* 5. Soncin. *q.* 18. Fland. *q.* 4. *art.* 2. Fons. *c.* 3. *q.* vnica *sect.* 1. & 2. Zimara *Theor.* 10.

Quòd

1

QVòd non composito: Omne per accidens, posterius est eo, quod est per se, 2. Physicor. cap. de Casu, & fortuna, text. com. 66. forma est huiusmodi respectu compositi. Probatio, *fieri* est per se via ad *esse*, ergo illud est per se, quod fit per se, tale est compositum, & forma per accidés, 7. huius text. com. 22. & 27. Item, compositum præter entitatem formæ includit aliam, scilicet materiæ: illud videtur perfectius ens alio, quod totum illud aliud includit, & aliquid vltrà. Quòd forma non sit prior materia, & magis ens illa, probatio; illa est maximè substantia, quæ substat pluribus, & talis est prima substantia in Prædicamentis; sed materia magis habet hanc rationem substandi, quàm forma; ergo est magis substantia. Item, posterius essentialiter, non videtur esse sine priori, sed èconuerso; ergo videtur, quòd materia non possit esse sine forma sed èconuerso.

EXTRA. *Item, actus est simpliciter perfectionis; alioquin non attribueretur Deo: ergo cui veriùs inest ratio actus, illud videtur simpliciter perfectius: forma est primò, & principaliter actus: compositum non nisi per partem, est in actu: materia non nisi participatione, vel denominatiuè. Respondeo igitur, incorruptibilius est perfectius animato corruptibili, non sequitur nisi secundùm quid: hoc enim carere, arguitur per rationem causæ. Contrà, hoc non concludit respectu materiæ, quia forma non est causa materiæ. Similiter de causa, vbi concurrit ratio partis, non videtur sequi propositum. Alioquin idem sequitur de materia. In prima ratione de actu, fortè vis est in verbis: distingue actum vt in nono, vt opponitur potentiæ, & inest materiæ, & composito, & non per formam præcisè, nisi inquantum illa est in actu tali: nec tunc per eam: nisi vt per causam partialem, vt dicit relationem ad materiam. quid ad B?*

Ad oppositum vtriusque est Aristoteles hîc.

SCHOLIVM.

FORMAM *esse priorem materia, & composito, & rationes sunt clarissimæ. Vide eum 4. d. 11. q. 3. & Quodli. 9.*

2
Forma prior est materia, & composito.

Dicendum, quòd forma, per quam materia, & compositum est simpliciter in actu, est prior materiâ, & composito. Quod probatur, quia forma est actus materiæ tanquam actuati per formam; compositum verò inquantùm compositum est actu per illam, tanquam per partem essentialem, & actus prior est potentia perfectione 9. huius, quia forma est posterior generatione materiâ naturaliter; ergo est prior vtroque, & specialiter hoc patet respectu materiæ: quia Philosophus probat hoc tripliciter 9. huius: tex. comm. 13. & inde, quia respectu compositi est manifestum. Respondeo, in eodem genere, siue vbi est vna generatio, vel generationes ordinatæ per se ad vnum, videtur consequentia tenere.

Ad primum argumentum dicitur, quòd de necessitate est dare aliquod *esse* formæ per se: per quod *esse* eius per se, sit prior composito, illud non est *esse* existentiæ, quo compositum est per se ens, quia illo forma est per accidens, sicut pars per *esse* totius. Sed est proprium *esse* formæ, tam quiditatiuum, quàm existentiæ, & *esse* illud est *esse*, quo aliquid existit, & secundùm illud *esse* præcedit compositum, & illud *esse* est simpliciter nobilius *esse* compositi. Tunc forma est ens per accidens. Verùm est de entitate, quæ est per se compositi: quia forma existit per compositum: tamen est ens per se secundùm proprium *esse*. Ad aliud dicitur, quòd hoc habet materia à forma, quòd substat. Tunc ad formam, quòd verum est assumptum, si hoc haberet ex seipso. Sed si hoc attribuitur sibi ab alio, non oportet, immò potest forma magis esse substantia, quæ facit materiam sic substare, & ita est. Contrà: tunc materia non haberet subsistentiam potentialem de se respectu omnium formarum, sed variatur *substare* eius, sicut variantur formæ; & tunc non haberet entitatem propriam.

Forma quomodo ens per se, & per accidens?

An substare habet materia per formam?

Ideò aliter dicitur, quòd substare (vnde est potentia receptiua) non est per se ratio substantiæ, quæ est maximè substantia. Sed illa ratio substantiæ est per se existere separabiliter ab aliis, non dependens ab aliis. Sed illud non conuenit materiæ, nisi per formam. Et ad dictum Philosophi, quòd substantia prima, non dicitur talis solùm, quia substat aliis: sed quia sistit in se, non dependens, & intelligitur ista comparatio respectu secundarum substantiarum, & accidentium: non respectu formæ quâ subsistit substantia prima. Ad quartum, vbi est ordo prioritatis naturæ, quæ non est causalitatis, potest posterius esse sine priori, etiam si est causalitatis: dum tamen causalitatem illius, possit alia causa prior supplere, primo modo est in proposito.

Substare non est ratio substantiæ.

ANNOTATIO MAVRITII.

3

SEquitur quæstio sexta de prioritate formæ respectu materiæ, & totius compositi, t. c. 7. & 8. vbi aduerte pro primo argumento ibi: *fieri est per se via ad esse*, &c. quod illa est sententia Philosophi 1. Physic. t. c. 62. & 2. Physicor. t. c. 14. & 1. de Generatione t. c. 18. & quarto Metaph. t. c. 2. & alibi plerumque.

Infrà ibi: *Item actus est simpliciter perfectionis*, &c. vsque illuc: *Ad oppositum*, &c. assignatur *Extra*, & in aliquibus originalibus ponitur post oppositum, & satis benè.

Inferiùs in solutione q. ibi: *de ista consequentia*, &c. vsque illuc: *Ad primum argumentum*, &c. ponitur *Extra* in aliquibus originalibus, sed litera bona vbique. Vide in Theorematibus, & in 4. di. 11. q. 3. & alibi sæpè in doctrina huiusmodi.

Determinatio Doctoris satis assertiua est, & clara. Vide singularissimè ad propositum in Quolib. q. 9. Vide etiam in Theorematibus, & in de primo principio, prima etiam q. 3. & 8. di. 1. qu. 1. Vide Commentat. 2. Physic. Commento 4. & alios ibi, & hîc, & pondera consequentiam Arist. in litera hîc. Et qualiter Doctor interpretatur ipsum paucis, & obscurè.

Quod tangit infrà de ratione substantiæ. Vide in Quodlibeto q. 3. & in primo di. 26. & in 4. di. 12. quæst. 1. & super Prædicamenta maximè apud modernos Scotistas.

):(

Singulum

Singulum enim non aliud videtur esse à suimet substantia, & quod quid erat esse dicitur singuli substantia. *Text. comm.* 20.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm quod quid est *sit idem cum eo cuius est?*

Adst. *hic c.6.tex.20. & c.10. text.35.* Albert. *hic tract.2. c.2.* D. Thom. *ibid.lect.5.* Anton. Andr. *q.7.* Flandria *q.10.art.1.* Fons. *c.6. q. vnica sect.1. & sequent.* Suar. *disp.34. Met.sect.5.*

1 QVòd non 3.de Anima,text.com.9.aliud magnitudo, & magnitudinis esse: & caro, & carnis esse;ergo,&c. Item 7.huius, text.com.34.& inde, cap. de partibus definitionis, quicquid concipitur cum materia, non est idem in eo, *quod quid est*, cum eo cuius est: Sed omnia naturalia concipiuntur cum materia: quia habent hoc, in hoc. Item,in eod. cap. tex. com.39. sicut in naturalibus est aliquid præter quiditatem speciei, ita in Mathematicis: sed in genus omne habens materiam, non est idem illi. Item si sic, *quod quid est*,esset generabile, sicut illud cuius est. Oppositum habetur in 7.c. illo, *Eorum autem quæ fiunt*, quòd nec species generatur, nec *quod quid est*. Dicitur, quòd illud cuius est *quod quid est*, non generatur, sed generatur singulare per se: cuius non est *quod quid est* per se, quia habet in se materiam indiuidualem. Contrà:generatio est per se in substantiam, sicut alteratio in qualitatem, & nullus motus terminatur ad ens per accidens per se; igitur generatio erit per se ad aliquid de genere substantiæ;tantum ergo aliquid per se generatur, cuius est per se quiditas. Aliter dicitur, quòd *quod quid erat* formæ non generatur, nec *quod quid erat* speciei,sed *quod quid erat* esse singularis,generatur per se sicut singulare. Contrà: aut quiditas hominis absolutè est tota quiditas huius hominis, aut in quiditate huius est aliquid aliud,quàm in quiditate hominis;si primum,tunc quiditas hominis per se generatur, non nisi inquantum consideratur ab intellectu,& sic nõ loquitur;si secundum detur; tunc per illud additum posset definiri, contra Philosophum in 7. text. com.53. contra Platonem,qui probat per tres rationes,quòd singulariter non definitur. Item, ad principale:si sic, quiditas hominis albi, idem erit cum homine albo,& si hoc, ergo idem cum homine. Probatio consequentiæ, cùm dicitur, homo albus, est homo albus: *albus* non substat nisi ratione hominis.

Oppositum vult Philosophus.

SCHOLIVM I.

OPINIO *tenens* quod quid est,*tantùm esse in substantiis, & per operationem intellectus, quia prædicata in quid, aliter non habentur; refutatur primò,quia* quod quid est *rei,inest ipsi reuera. Secundò,prior est identitas extremorum in hac:* Homo est animal rationale, *quàm compositio intellectus;dicendum ergo,quòd in omni genere, est* quod quid est, *seu definitio,licet accidentis definitio non possit haberi completè,& quietando intellectum,nisi per substantiam,vt dictum est quæst.2.*

1 Dicitur ad quæstionem, quòd *quod quid est*,est illud, quod colligitur ex prædicatis in quid, sicut dicitur 7. cap.2.de Magnis: tex.c.11.in qua igitur ratione non inest prædicatum, hæc ratio, *quod quid erat*, esse in singulis: ex hoc dicitur, quòd cum ista prædicata in quid, sint formaliter talia per rationem, sequitur quòd *quod quid est*, sit substantia secundùm rationem dicta secundùm se: scilicet illa quæ habent intellectum completum per aliquam differentiam proprij generis: & talia simpliciter loquendo non sunt nisi substantiæ: quia accidentia licèt habeant differentiam proprij generis, adhuc dependent ad subiectum. Tunc *quod quid est*, non est nisi eorum,quæ habent prædicata in quid, & talia sunt species substantiæ,& ibi idem, *quod quid est*, cùm eo cuius est. Dicta secundùm accidens non sunt idem cum *quod quid est* eorum:quia si sic,tunc *quod quid est* hominis albi, esset idem cum homine: sicut arguit Philosophus: quia homo albus non subiicitur,nisi ratione alterius partis, quæ est substantia, & ex hoc, quia singularia non habent prædicata in quid nisi prædicata speciei,nõ habent *quid*,nisi *quid* speciei,& nullum proprium eorum:quia verò includunt aliquid intra se, in quo distinguuntur præter materiam specificam; & ideò cum *quod quid est* speciei non sunt idem, nec habent aliud *quod quid est*:secundum hoc patet ad argumenta.

Explicatur quid est, quod quid est.

Contra illa, scilicet primum, nihil est formaliter ens,nisi suum, *quod quid est* sibi insit. Probatio,Philosophus in isto cap. tex. com.20. cui non inest esse bonum, non est bonum. Si ergo *quod quid est*,esset ex prædicatis in quid,nihil esset formaliter bonum:nec ens, nisi per considerationem intellectus: quia facit prædicata in quid,quod est inconueniens. Item,hîc dicitur, *singulum non videtur aliud à suimet substantia*, &c. Si ergo, *quod quid est* esset substantia, secundùm quòd ipsi dicunt, singulum esset ens rationis, & ita nullum ens reale. Item, veritas in intellectu componente,causatur ex hoc,quòd aliqua sunt composita in re,& naturaliter prior est identitas, quàm illa veritas. Si ergo hæc est vera, *homo est homo*; ergo identitas prior est naturaliter in re:sed idem significat homo,& *quod quid est*:ergo si homo est idem sibi,priùs quàm consideretur ab intellectu, homo erit idem quiditati suæ præter omnem intellectum; vnde *quod quid est*, est idem,quòd res,nec dependet à prædicatis in quid, nec ab intellectu. Ad auctoritates Philosophi dicitur, quòd Philosophus loquitur in 7.tex. comm.21. logicè,& hoc dicit ipsemet. Vnde cùm accipiunt literam pro eis: quòd hæc ratio, *quod quid est* in singulis,ibi accipitur,*quod quid erat* esse genitiuè, non nominatiuè. Secundum etiam non valet, quia alia translatio habet ex sermonibus,& dicit quasi epilogando, quòd alij sunt modi substantiæ, quàm illi duo, superiùs nominati. Tunc dico, quòd *quod quid est* idem est, quòd res sine omni intellectu.

Nihil est formaliter ens, nisi insit suum, quod quid est. Tex.c.20.

Veritas in intellectu componente est ex veritate in re. vide l.6. q.3.

3 Dico ergo, quòd in omni genere est definitio secundùm Philosophum,sicut vnitas,& entitas,similiter de *quod quid est* hominis albi, non valet: quia si consequentia valeret; sequitur inconueniens scilicet quòd tanta esset identitas hominis, in consequente cum homine albo, quanta est in antecedente hominis albi cum homine albo, sed non

In omni genere est suum quod quid est.

non potest:maior enim est identitas hominis albi ad hominem album, quàm hominis albi ad hominem:quia hæc, *Homo albus non est homo albus*, potest esse conclusio in syllogismo ex oppositis, Sed hæc conclusio est impossibilis; ergo oppositum necessarium. Sed hæc est contingens, *Homo est homo albus*. Similiter, *quod quid est* hominis albi secundum Philos.t.c.21. est alicui idem, alicui non:quia idem est passiuum non parti & substantiæ. Tunc Philosophus non facit illam consequentiam, quam assumunt, nisi opponendo, & respondet, aut non, quia extrema fiunt idem, sicut medium est cum extremo. Quære expositionem textus in glossa iuxta textum:& quomodo in argumento, quod dicunt esse Philosophi, fit accidens: & Aristot.ibi assignat accidens, sed non necesse est extrema coniungi: verum est cum *quid*: sicut nec per se, nec cum contingenti, licèt respectu cursus non esset accidens, quære ibi. Quod quartò dicitur de indiuiduis, videtur esse falsum. Prima enim substantia est maximè ens in prædicatis:ergo si *quod quid est*, non est nisi idem, quòd res, maximè substantia, & ens maximè habent *quod quid*, id est, sunt id, quod sunt. Item, illud additum speciei, quicquid sit, aut facit vnum per se cum natura speciei, aut non. Si non:& tunc cùm sit illud de esse primæ substantiæ, illud erit ens per accidens, & non generatur, nec corrumpitur. Si sic, totum illud est vna substantia per se:& tunc illud totum erit verè sibi idem:& tamẽ includit aliud à natura speciei, & potest haberi propriũ *quod quid*.

In dictis per accidẽs, quod quid est *non est idem cum eo cuius est*.

Priùs exposuit textum.

SCHOLIVM II.

QVOD quid est, *seu definitio idem est cum eo cuius est, id est, cum definito, in his, quæ sunt per se, & rationes sunt claræ. In ente tamen per accidens non ita est, quia hoc non habet*, quod quid est *vnum, cùm includat res diuersorum generum. Vide expositionem Doctoris in textum huius quæstionis, ad quam se remittit, quæ optimè rem hanc declarat. Vide ipsum etiam 2.d.3.q.5.ad 3. vbi explicat Philosophum dicentem, in habentibus materiam*, quod quid est, *non esse idem cum eo cuius est; vt sensus sit, habentia indiuiduales differentias, quas intelligit per materiam, non esse ipsum*, quod quid *primò, quia addunt naturæ hæcceitates; sed tamen esse idem ipsi per se secundò, hoc est mediante natura, quæ est idem suæ definitioni per se primò. Vide Ant. Andream hîc q.7.*

4

Aliter dicitur, *quod quid est*, ens reale, nec vniuersale, nec particulare est, secundum Auic.5. Metaph.c.1. Similiter, dicta secundùm se sunt omnes species omnium generum, & omnia indiuidua, quæ per se sunt in genere, quæ non includunt res diuersorum generum, sicut res secundùm se sumitur in 1.c.de Ente, t.c.14. Sed dicta secundùm accidens non sunt idem cum, *quod quid est* suo: quia non habent *quod quid*. Sed omnia dicta secũdùm se, habent, *quod quid* idem, quod ipsa sunt:& illud est idem sibi simpliciter, quod patet ratione Philosophi, *singulum non videtur aliud: quàm suimet substantia, quod quid est*, ergo est substantia cuiuscunque extendendo *substantiam* ad omne genus entium. Alioquin nihil dictum secundùm se, erit ens formaliter de se, nec scibile, quia perfectè scire vnumquodque, est scire ipsum, & hoc est scire ipsum, *quod quid est*. Similiter accipio rem, & *quiditatem* scilicet A, & B:B est ens, & non A: ergo aliud, ergo habet *quid est*, & *quod quid est* ipsius, aut est idem sibi, aut aliud: si idem, standum in primo; si aliud sit C & quæro in infinitum. Item, B est *quod quid est* A, & non est omnino aliud ab A, igitur includit plus quàm A vel minùs, vel idẽ præcisè. Si minùs, ergo non est proprium *quod quid est*, quia definitio est terminus rei, 5.t.c.22. sed terminus est intra quem includitur tota res, & nihil est extrà. Si plus: tunc conuenit absoluere illud additum A B, & tunc, quod remanet est, *quod quid est* A, quia terminus totum includens, si idem tantùm dicit, tunc habetur propositum. Similiter conuenit arguere de eo, quod habet, *quod quid est*; dico tunc, quòd est idem. Modus est iste, sicut iste idem concipitur confusè & distinctè, & primo modo significatur per nomen, secundo modo per definitionem, sic primo modo dicitur illud cuius est, *quod quid est*: secundo modo *quid*: vnde *quid*, & *id cuius*, nihil differunt: nisi in diuerso modo concipiendi idem, sed in dictis per accidens non: quia non habent, *quod quid*: quia sunt duo entia.

Quod quid est *idem est cum eo cuius est*.

Terminus est intra quem tota res includitur.

Quod quid est, *& cuius* est, *differunt vt distinctè & confusè conceptum, vt definitum, & definitio.*

5

Ad primum argumentum, quod *carni esse*, accipitur pro quiditate; & *Caro* pro carne habente materiam indiuidualem. Sed tunc, vt dictum est, non est definitio carnis illius; sed sicut definitio est illius carnis, sic est idem sibi. Ad aliud, quòd definitio secundùm Logicum non est nisi speciei, & sic loquitur Philosophus ibi. Tamen absolutè loquendo, & realiter est ipsius indiuidui. Tamen ad formam dico, quòd *quod quid est* speciei, non est idem cum singulari, quia addit aliquid vltra speciem scilicet materiam indiuidualem, vnde cum suo proprio, *quod quid est*, singulare est idem. Ad aliud, quòd sermo est hîc de *quod quid est* speciei, & cum illo non sunt idem. Ad aliud dico: quòd quando Socrates generatur, *quod quid* eius generatur per se. Vnde contra Platonem dicit Philosophus non generatur domui esse, sed huius: tamen *quod quid* hominis, vt homo est species, non generatur, sicut nec species. Ad illud contra hoc, quòd siue *quod quid* domus, sit idem cum *quod quid* huius domus, siue non: prout *quod quid* consideratur à ratione, non generatur. Ad aliud, quòd non est consequentia Philosophi, sed est fallacia.

An quod quid est *generetur.*

ANNOTAT. MAVRITII.

6

SEquitur quæstio septima de identitate *quod quid est* cum eo cuius est, t.c.20. vbi primò ponitur opinio aliorum, potiùs Logica quàm Metaphysica, apparens tamen: sed impugnat eam valde subtiliter:& licèt quidam conantur euadere argumenta, nihil faciunt, benè considerando. Quære quos suprà notaui hîc & alibi; pondera benè ibi verba Doctoris de homine albo, an videlicet ista, *Homo albus est homo albus*, sit necessaria & hæc contingens, *homo est albus*, & an per se, &c. iterum ibidem habes qualiter exposuit textum, & quod addit de quiditate indiuidui, examinabis benè propter dicta sua in 2. dist. 3. & plura alia notabis iuxta hanc disputationem.

Determinatio Doctoris assertiua, & clara, & notabilis valde & verè Metaphysicalis. In aliquibus originalibus assignatur *Extra* illa litera, *Modus est iste*, &c. vsque illuc: *Sed in dictis per accidens*, &c. sed optima videtur & ad propositum, ideò, &c.

Pro vlteriori declaratione huius materiæ vide in Quodl.q.2.& in 2. di.3.q.6.& in 3.di.22. fundamenta huius resolutæ. Et adde plura ex antiquis: vt nosti.

Consi

Consimiliter, qualiter currit illa distinctio de quiditate: videlicet considerata absolutè, vt sic dicatur *quod quid est* & considerata in ordine ad illud cuius est, vt sic dicatur *quod quid erat esse*, &c. nunc enim *forma*, nunc *esse*, nunc *essentia*: nunc *ratio*, nunc *definitio*, nunc *quid*, nunc *quod quid*, nunc *quod quid erat esse* apud Arist. & alios nuncupatur, vt patet discurrenti.

Illa propositio assumpta in ratione 3. contra opin. veritas in intellectu componente causatur ex hoc &c. Patet supra q. penultima 6. ex prædictis etiam c. de substantia, &c. de priori. & 4. Metaphysicæ, t.c. 16. & 5. Metaphy. t.c. 13. & 9. Metaphys. t. commenti penultimi, & vltimi habetur.

Antonius Andreas addidit post hanc quæst. quandam quæstiunculam de generatione animalium vniuoca, & æquiuoca, seu de genitis per propagationem, & putrefactionem; aut generaliùs vniuocè, & equiuocè: quam non ponit Doc. hic: sed eam habet incidentaliter in primo, di. 2. parte 2. q. 4. vnde de verbo ad literam accepit eam ille Doctor, quam lector introducat si voluerit, & tangat altercationes antiquorum, & modernorum.

Eorum autem, quæ fiunt, hæc quidem natura fiunt: hæc autem arte, illa autem casu. Omnia verò quæ fiunt, ab aliquo fiunt: & ex quo aliquo, & aliquid. Hoc autem aliquid dico secundùm quamlibet Categoriam: aut enim hoc, aut quale, aut quantum, aut quando. *Tex. com. 22.*

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm materia per se generetur?

Arist. 1. *Phys. text.* 82. D. Thom. *hic lect.* 6. Albert. *tract.* 2. *c* 7. Flandria *q.* 12. *art.* 1. Fons. *c.* 8. Suar. *disp.* 20. *Met. sect.* 1. Hurtad. *disp.* 2. *Phys. sect.* 1. *&* *disp.* 6 *sect.* 4. Auersa *q.* 20. *Phys. sect.* 11.

1 QVòd sic: mobile per se mouetur in omni motu; ergo in omni mutatione per se subiectum generatur; per se subiectum generationis est materia: vt probat Philosophus 5. Physicorum, tex. comm. 8. & in 8. huius; tex. c. 4. & 8. ergo, &c. Item 5. Physicorum, tex. c. 7. distinguitur mutatio in illam, quæ est à non subiecto, in subiectum, & illa est generatio, & videtur esse definitio generationis. Sed materia per se mutatur à non subiecto in subiectum; ergo generatur. Hoc dicit Philos. 1. Phys. Item 5. Physicorum, generatio non est motus. Probatur, *quod generatur non est, quod mouetur est*, igitur generatio non est motus. Quæro pro quo accipitur *quod generatur* in maiori propositione? Si pro termino generationis, nihil valet. Probatio: quia quod mouetur vt terminus motus, non est, & quod mouetur vt subiectum motus, est; ergo motus non est motus; ergo oportet vtrobique accipere pro subiecto. Item, ens perfectius videtur posse producere minùs perfectum, magis quàm æquè perfectum: compositum autem naturale producit æquè perfectum sibi secundum formam, quæ est perfectior materiâ; ergo materiam, quæ est minùs perfecta, potest per formam suam producere. Item, quando ex raro fit densum, videtur materiæ aliqua pars corrumpi, & èconuerso generari. Probatio: nam in denso signenter tres partes quantitatis; sub illis sunt tres partes materiæ sibi adæquatæ in ratione subiecti: si nulla sit alia in raro, eadem pars materiæ est sub duabus partibus quantitatis; aut si sic, tunc sub quarta parte quantitatis factæ de nouo, est aliqua pars materiæ sibi æquata: & nulla trium præcedentium; aut ista quarta pars materiæ fuit priùs simul cum aliqua alia parte materiæ: quod videtur inconueniens: quia quæ illarum fuit quanta illa quantitate? non vtraque, non neutra: non vna magis quàm altera. Patet quodlibet esse inconueniens. Item, actus est in proprio receptiuo; ergo sicut est gradus in formis materialibus, ita videtur quòd oportet gradus ponere in materiis propriis ad hoc, vt sint propriæ illis formis.

T.c. 82. & supra. T.c. 8.

SCHOLIVM.

SOLVIT *argumenta à ratione suadentia materiam esse generabilem, sed disputando tantùm, quia quæstionem resoluit infrà qu.* 10. *num.* 3. *&* 4. *Vide ipsum de hac re* 1. *Phys. qu.* 20. *& ibi annotationem P. Arretini, & de raro, & denso, an fiant quantitatis acquisitione, vel deperditione, vide ipsum* 4. *d.* 12. *qu.* 4. *vbi num.* 8. 20. *& ad tertium videtur tenere per hac non fieri, nec deperdi nouam quantitatem; Vel problematicus est.*

2 Ad primum istorum, quando actio vniuoca exhaurit totam virtutem principij actiui, non videtur remanere potentia ad æquiuocè agendum: agens agit per formam, ideò producit simile secundùm illam: & ibi exhauritur virtus eius actiua: ideò, &c. Contrà: substantia generat substantiam, & tamen causat accidens. Responsio: posterius causat exhaustâ quasi virtute tota circa prius, non èconuerso. Alij dicunt, quòd materia non est producibilis à natura propter ordinem agentium: quorum posterius semper præsupponit in actione terminum actionis prioris. Contrà: petitio videtur, quòd materia sit terminus actionis diuinæ solius: sicut subiectum artis est terminus productionis naturalis: hoc enim quæritur. Item, præsupponit quantum: & tamen producit quantitatem aliam à præsupposita: quare non sic de materia? Responsio. Primum potentiale in nullius est potentia; posterius natura quodcunque est, præsupponit potentiale: ideo non est ad primum potentia: & hæc est ratio bona pro principali. Ad secundum: quot partes sunt eiusdem proportionis in maiori quanto, tot in minori. Si ergo in raro sunt quatuor partes pedales quantitatis, Dico, quòd sub istis sunt quatuor partes materiæ: & in denso, vbi non erant nisi tres partes pedales, ibi erant tres partes materiæ, sub tribus illis partibus quantitatis: & etiam quarta non simul cum vna trium, sed quatuor illæ erant sub quatuor partibus quantitatis minoribus, quatuor pedalibus. Cùm dicis, illæ sibi erant æquatæ. Si intelligis præcisè, ita quòd quæcunque istarũ, sine additione substantiæ, non erat capax maioris quantitatis: falsum est. Est enim sicut tota in potentia ad contrarium, scilicet rarum & densum, maiorem, & minorem quantitatem, ita & quæcunque pars materiæ. Contrà; igitur quæcunque materia composita est in potentia ad totam quantitatem vniuersi. Respondeo, quòd subintratio partium materiæ, vt per hoc fiat con

Quare materia ingenerabilis.

Quomodo partes materia densi, subsunt maiori quantitati, sine suo augmento, quãdo rarescunt;

condensatio,& rarefactio per extra positionem illarum,per quantitatem aduenientem, improbatur alibi. Et ad illud de vniuerso:ignis est in potentia ad calidum,& minùs calidum : nec tamen ad calorem infinitum,nec etiam ad calorem minimum possibilem in quocumque misto. Ad tertium quære. Circa primum argumentum dicitur,quòd non sequitur materiam vniuocè produci, quia est infimum ens:quia nec supremum corpus,nec Angelus vniuocè producuntur, tamen ignis generat ignem. Item,nec oportet attribuere Deo propter perfectionem,effectus,qui est imperfectissimus in *esse* substantiæ, magis videtur proportionari causæ imperfectæ. Item, si dicas de termino incluso in termino vniuocè,verum est,quòd in illum potest agens,vt calidissimum in minùs calidum. Sed nec sic includitur materia in forma, quia est alterius rationis. Circa secundum argumentum, sic arguitur , vna pars quantitatis , quæ non fuit in denso,est in raro;ergo correspondet sibi pars materiæ prioris,quæ non fuit quanta;quia tanta materia semper sub tanta quantitate.

Contrà, Philosophus hîc , t.c.22.& inde,& 1. Physicorum, tex.com.82.

Palàm ergo , quòd nec species fit , aut quodcumque oportet vocare in sensibili forma:nec est enim generatio,nec quod quid erat esse huic. *Tex.com.27.*

QVÆSTIO IX.

Vtrùm forma generetur per se?

Arist. *hic tex.26 & 27.& lib.8.tex.4.* Auerr. *iisdem locis.* D.Thom. *1.p.q 45.art.4.& 8.*Alber.*2.de Anima tract.* *1.c.1.* Durand. *2.dist.1.q.4.* Anton.Andr. *hic q.9.* Fonf. *c.* 8. Zimara *Theor.* 20. & *Theor.* 100. Suar. *disp.* 15. *Met. sect.* 4.

1 QVòd sic : 1. Physicor.tex.c.52.& inde. Tria sunt per se principia mutationis, materia,& forma, & priuatio , sed forma, & priuatio , sunt principia non receptiua , sed in ratione terminorum ; sed priuatio est terminus , *à quo* generationis : ergo forma terminus *ad quem.* Item 2. Physicor. t.c.10. & inde, forma est natura, & ibidem, tex.c.14. generatio est naturalis:quia est via in naturam,sed non est in materiam , quia præest, nec in compositum:quia non est natura ; ergo dicitur naturalis:quia est in formam,sed mutatio non denominatur, nisi à per se termino : alioquin denominatur à rebus cuiuslibet generis,cùm possit esse ad rem cuiuslibet generis per accidens ; ergo denominatur à forma ; & ita est terminus per se. Item 2.Physicor.tex.c.70. forma,& finis incidunt in idem numero in 8. huius, tex. c.12. forsan forma,& finis idem. Ex his sic, si forma est finis , & non rei existentis,sed operatio ; ergo generationis per se. Item,quod de nouo habet esse, illud generatur ; illud est sola forma,quia tota materia præfuit,& in composito nihil,nisi materia, & forma.

Contrà , omne quod generatur , generatur ex materia , formæ non est materia : quia si sic, esset processus in infinitum.

SCHOLIVM.

Resolvitvr *quæstio hac negatiuè in quæst. sequenti, num.3. & soluuntur argumenta hîc posita, ibi,num.4.*

Oportebit enim diuisibile esse semper, quod fit : & esse hoc quidem hoc , & hoc hoc, Dico autem hoc quidem materiam: illud verò speciem. *Tex.c.27.*

Non solùm autem de substantia ostendit ratio non fieri speciem. *Tex.c.32.*

QVÆSTIO X.

Vtrùm compositum generetur per se, & primò in omni genere?

Arist. *hic c.8.& 15.* Albert. *tract.2. c.7.* D.Thom. *lect.7.* & *1.p. q.45. art.4.* Anton. Andr. *hic q.9.* Sonc. *q.23.* Flandria *q. 12. art.1.* Fonf. *c.* 8. Zimara *Theor.* 100. Suar. *disp.15. Met.sect.4.* Hurtad. *disp.6.Phys.sect.4.*

1 QVòd non : illud non inest primò,quod tantum inest secundùm vnam partem ex principio 5. Physic.tex.c.1. Sed generatio tantùm inest composito ratione formæ : quia materia præfuit. Probatio minoris,nihil realiter in composito videtur esse prius *non esse*,nisi forma. Ad primum argumentum 3. q. responsio. primò est æquiuocum,vt accipitur in 5. Physicor. t.c.1.vt conuenit toti integrali non per partem : & vt accipitur 1. Poster. tex. c.11. vt scilicet conuenit toti definito non per partem definientem, vt cui priùs conueniat,licèt per partem, vt quo conuenit toti. Primum primò , si est in passionibus homogeneis, inest cuilibet parti integrali ; sed si in heterogeneis non:vt totus triangulus æqualis toti quadrato primò. Secundum primò intelligitur in proposito , vt triangulus primò habet tres angulos, licèt per differentiam specificam,vt *quo* : non tamen vt *quod* prius habet : quia tunc triangulus non primò haberet. Sic forma est, vt *quo* , ita respectu generari,sicut respectu agere,quando compositum dicitur primò agere ; & per hoc soluuntur argumenta secundæ quæstionis , quia concludunt de ratione formali *quo* , non de eo , *quod.* Item , si compositum primò generatur ; ergo aut compositum in actu , quod non est verum : quia quod est , non fit ; nec compositum in potentia, quia compositum in potentia est in tota generatione,& quod est,non fit. Dicitur, quòd compositum in potentia fit compositum in actu,non compositum in potentia. Contrà : omne quod fit aliquid,aliquando est factum illud;si ergo hoc;tunc compositum in potentia, est factum compositum in actu;& tunc compositum in potentia,est compositum in actu. Item , in homine non est , nisi materia prima,& anima;ergo generans non generat compositum:quia non materiam,nec formam; ergo nihil generat. Si dicatur , quòd generans particulare generat compositum,& illud manet in inductione intellectiuæ scilicet corpus animatum anima sensitiua. Contrà;Commentator in 7. com. 31. arguit sic:Si generans generaret compositum, & si relinqueret illud sic , & aliud agens induceret aliam formam , totum non esset vnum , quia non habet vnum actum. Ad tertium argumentum 3. quæstionis dicitur,quòd ideò homo generat,quia inducit formam,quæ est necessitas ad intellectiuam,Inducens autem dispositionem necessitantem ad formam, quasi videtur inducere formam , & ita generare compositum. Contra hoc tripli

Primò,dupliciter aliquid conuenit alicui; vt toti integrali,non per partem, vel definito, non partem cui,sed quo conueniat toti. Scot. 2.d. 2.q.10. ad 2.

triplicitet; omnis potentia passiua est contradictionis; illa dispositio tenet se ex parte passiui respectu intellectiuæ; ergo, &c. Item, illa potentia creans intellectiuam liberè agit, sicut illa non posita; igitur non maior necessitas: aut si sic, necessariò erit, & non ab aliquo agente. Item 3. agens omne alicuius aut est eius immediatè, aut mediatè, non primo modo, hoc patet. Non secundo, quia tunc illud medium esset respectu vltimi in genere causæ efficientis, quod falsum est, quia est tantùm materia. Aliter dicitur, quòd sicut materia, quæ præfuit vnitur formæ, & hæc vnio est generatio compositi, ita si forma præesset, & vniretur materiæ, videretur esse generatio: licèt ergo priùs naturâ, anima creetur, quàm vniatur; si vnio fiat à generante, est generatio naturalis, si accidat generanti per alterum principium geniti, fit per ipsum: sicut si per reliquum. Contrà, in quæstione de rationibus seminalibus corrumpitur virtus seminis in instanti vnionis, igitur generans nihil videtur tunc agere. Item, Deus creando infundit. Diceret aliquis fortè, quòd actione generali, qua cooperatur naturæ. Contrà; ergo separata posset se reunire, quod videtur inconueniens. Ad principale, si sic; ergo in generatione qualitatis, & tunc accidentia essent composita contra Philos. 8. huius, t.c.12.cap.3.de principio materiali, quòd accidentia non habent materiam, nisi *in qua*. Contrà est Philosophus in 7. huius, tex.com 27. quòd compositum est diuisibile in duo.

Potentia cōtradictionis & passiua.

SCHOLIVM I.

SOLVM *compositum per se generatur secundùm Philosophum: & ratio est, quia id quod fit ex materia, vt ex parte, est solum compositum, & habet sic materiam, materia tamen denominatiuè dicitur generari (quatenus* generari *comparatur ad subiectum, cui inest) forma, etiam terminatiuè vt* quo, *sicut & compositum vt* quod. *Soluit primò argumenta quæst. 8. seu prima harum trium & postea argumenta quæstionis 9. seu secundæ.*

3

Ad vtramque quæstionem Philosophus vult, quòd solum compositum generetur per se. Sed pro prima quæstione distinguendum est de *generatione*, inquantum comparatur ad subiectum in quo est, vel inquantum comparatur ad terminum & sic *generari* dictum à generatione denominat æquiuocè. Si primo modo accipiatur, tunc generatio potest denominare subiectum, sicut motus mobile: nulla enim forma alicui subiecto inhæret, quæ non possit denominare illud, si significetur eo modo, quo nata est comparari ad subiectum. Vnde sic hæc vera est: *Materia generatur:* & hoc probant tres rationes primæ, & concedo. Vnde de subiecto supponit Philosophus, quòd generatio fundatur in materia & quærit quid generatur, vt terminus, & illud est compositum, & est ratio Philosophi talis: Omne quod fit, fit ex materia, quæ est pars: solum compositum habet materiam, quæ est pars. Probatio maioris: Omne quod fit, possibile est esse, & non esse, de potentia intrinseca loquendo: quod per se ergo fit habet per se principium, quo potest esse & non esse, illud principium est materia, sed solum compositum habet materiam partem sui. Probatio minoris, quo ad partem affirmatiuam: Ex hoc compositum est tale, quia habet partem potentialem, & actualem. Probatio secundæ partis, quia forma non habet formã, nec materia habet materiam: quia iretur in infinitum, sicut probat Philosophus. Item, eiusdem est *fieri* & *esse*, sed *esse* est compositi solum; ergo & *fieri*: cùm *fieri* sit per se via ad *esse*. Contra hanc rationem, quæro qualiter *esse* est eius quod fit: si *fieri* sit alicuius, quia *esse* est eiusdem: tunc comparatur eodem modo ad id quod per se fit. Sed *esse* est actus compositi perfectus; ergo & *fieri* est actus eius imperfectus: hoc falsum est, quia *fieri* est materiæ vt actus. Item, forma est magis ens quàm compositum, 7. ergo *esse* est magis formæ quàm compositi. Ad primum horum, quòd eadem ratione comparantur à parte illius cuius sunt illa, quia *fieri* est compositi vt via, sed non sunt illius secundùm eandem rationem à parte ipsorum *fieri* & *esse*, quia *fieri* est solùm compositi vt via: & *esse* vt actus, ita debet intelligi maior rationis. Ad aliud, quòd *esse* formæ per se non terminat generationem, sed *esse* compositi: & tamen forma secundùm *esse* suum proprium, & per se, est prior composito, & magis ens vno modo, vt patet suprà, vbi quæritur de hoc. Vnde nota, quòd generatio cùm sit mutatio, primò est potentialis ad actum, non primò alicuius *esse*, vt termini, nisi illius, quod consurgit ex hoc, quòd materia mutatur ad formam, hoc est *esse* compositi. Exemplum, figuratio est transmutatio materiæ ad figuram, non factio figuræ.

Omne quod inhæret, denominat.

Tex.c.22.huius, & inde.

Principium essendi, & non essendi est materia.

T.c.7.& 8.

Forma non generatur.

4

Ad argumenta primæ quæstionis: concedo prima tria, quòd materia generatur denominatiuè, sicut subiectum generationis, non sicut terminus generationis. Contrà: omne quod generatur aliquando generatum est, quia eiusdem est potentia, & actus; ergo materia aliquando est generata; hoc est impossibile. Ad hoc sic: quòd si concedatur conclusio, nihil mali est: ita quòd sicut materia est subiectum generationis, vt est actus imperfectus, & ideò dicitur generari denominatiuè, quòd sic: materia est subiecta aliquando generato esse, & ita generata est denominatiuè. Vel aliter, quòd *generari* comparatur ad subiectum, vt actus; & ad terminum vt via eius, sed quod est vt terminus, est in potentia ad generatum esse, & ideò quod generatur vt terminus viæ, aliquando est generatum: sed materia non sic generatur, ideò nunquam generata est.

Materia generatur denominatiuè.

Ad primam alterius quæstionis, quòd duo sunt per se principia *fieri* & *esse*, materia & forma: & tamen non sunt ita principia in *esse*, quòd alterum per se sit: sed est quo aliud existit. Similiter & si sunt principia *fieri*, non oportet quòd alterum per se fiat, vel generetur. Sed est quo aliud generatur, sicut materia est quo compositum generatur: vnde forma non fit vt terminus, sed est quo terminus est, siue existit. Ad aliud, quòd generatio dicitur naturalis primò, quia est via in ens scilicet compositum naturale: & ex hoc secundò dicitur naturalis, quia est via in naturam, sed non primò. Vnde compositum est ens naturale, quia forma eius est natura. Vnde ly *quia*, non dicit causam immediatam, sed remotam, sed quia est via in ens naturæ, ideò dicitur generatio naturalis primò, & secundariò, quia est in formam, quæ est natura. Vnde concedo, quòd forma est finis generationis, quia est illud quo compositum finit generationem: tamen est per se finis materiæ. Ad aliud, quòd verum est de *esse* composito ex potentiali & actuali. Et cùm dicitur sola forma est post *non esse*. Dico, quòd totum compositum ex partibus habet *esse* post non esse. Vnde *esse*

Generatio vnde dicitur naturalis.

esse inquantum formæ non acquiritur per generationem, sed inquantum est compositi.

SCHOLIVM II.

COMPOSITVM *in genere substantiæ per se generari, non tamen in genere accidentis. De hoc secundo longam, & subtilem texit disputationem pro & contra, multa loca Philosophi explicans; ita tamen obscurè, vt vix capias quid resoluat, & quam partem assertiuè teneat. de quo iterum l. 8. q. 1.*

5

Ad tertiam quæstionem, quòd omnes concedunt compositum in genere Substantiæ per se generari, sed in genere accidentis generatur subiectum cum accidente, id est, compositum ex subiecto & accidente: non aliquod compositum compositione illius generis, ex principiis essentialibus, secundùm aliquos, quia non generatur sphæra, sed sphæra ærea, nec lignum, sed album lignum, secundùm Philosophum hîc: tex. com. 32. & ibi dicit Commentator: quòd compositum in Quantitate & Qualitate est compositum ex substantia & accidente.

Contra hoc, entis per accidens non est generatio per se ex 6. huius, t. c. 4. ad finem, sed compositum ex substantia, & accidente, est ens per accidens; ergo illius non est generatio per se: igitur generatur aliquod compositum proprij generis. Dicitur, quòd Philosophus loquitur de ente per accidens, quod euenit præter intentionem causæ in minori parte, non de ente per accidens, quod aggregat duo diuersorum generum. Contrà, quòd non sic intelligit: quia in principio illius capituli repetit tres diuisiones, & de tertia exequitur, excludendo vnum membrum. Sed illud est de ente per accidens, quod aggregat in se diuersas res diuersorum generum; quia ens secundùm se continet rem vnius generis. Item, dicit ibidem, quòd Plato non malè fecit, qui dixit ens per accidens esse non ens; sed ens eueniens præter intentionem causæ est verè ens in se. Similiter sophistica non est de ente casuali, sed de ente aggregante diuersas res diuersorum generum; & similiter Philosophus dicit, quòd illud est ens tantùm secundùm nomen scilicet ens aggregans duas naturas, quod non est verum de ente casuali, quia eadem eueniunt à casu, & à proposito.

T. c. 4. iuxta principium.

T. c. 4. circiter medium.

Vide Scotum in dictum locum.

Et concedo hæc argumenta, quòd non generatur per se lignum album, quod est contra opinionem, quia eiusdem erit actus, & fieri, vt via. Sed entis per accidens non est actus, igitur nec fieri, quod est generari, per se dico, per accidens potest tamen esse illius. Item, omnis motus, & mutatio distinguuntur secundùm genus, à per se termino; sed ens per accidens non distinguitur genere ab homine, vel à termino suo: quia in nullo genere; ergo alteratio ad lignum album non distinguitur ab alteratione ad hominem album. Item in 7. eodem modo est generans compositum, & generatum: sed generans in genere accidentis, non est per se compositum ex subiecto, & accidente; ergo nec genitum. Probatio minoris: calefactio est vnus motus; sed omnis motus vnus, est ab vna forma, vt habetur 8. quia si faciens sit idem per accidens, faciet multa. Item, si calidum esset separatum, generaret sicut cum subiecto: sicut patet de speciebus in Sacramento; ergo de ratione generantis non est compositio ex subiecto, & accidente; ergo nec de ratione geniti.

Ens per accidens non generatur per se.

T. c. 27. & inde.

T. c. 11. & inde.

6

Ideò aliter dicitur, quòd compositum est ens per se ex propria potentia, & proprio actu. Declaratur sic, Philosophus in 12. 2. c. per totum, dicit quòd causæ, & principia entium sunt quodammodò eadem, quodammodò non eadem, quia sunt proportionaliter eadem, proportionaliter altera: sicut principiata sũt altera: & sicut in genere Substantiæ priuatio, &c. sicut igitur in genere Substãtiæ sunt propria principia, & materia, & forma: sic, vt videtur, secundùm Philosophum in aliis generibus. Dicitur, quòd illa potentia, quæ est in genere accidentium, est proprium susceptiuum illius accidentis, vt dicitur in 12. & exemplificando ibi dicit, album & superficies, tanquam superficies sit eius potentiale; & certum est, quòd non est in eodem genere cum albo, & nigro, nec per se, nec per reductionem. Contrà: Philosophus concludit diuersitatem similem in principiis, & principiatis: sed si hæc responsio sit vera, tunc sequitur, quòd non essent tot ibi altera principia, sicut genera, & principiata, quia proximum fundamentum relationis potest esse qualitas, & agere, & pati, & potentia actiua, &c. Ita quòd quatuor genera possunt esse proxima fundamenta relationis, quæ est eadem, & in eodem genere; ergo si tanta diuersitas, tunc principiata differrent quatuor generibus generalissimis. Similiter, eadem res subiecta, loquendo de subiecto, quod est obiectum, siue res generis prior, potest esse immediatum subiectum differẽtium genere, ita quòd neutrum recipiat mediante alio; illa ergo principiata differunt genere: & tamen potentia non est eadẽ, nec altera, sicut principiata; oportet ergo ponere tria principia proportionalia in quolibet genere, diuersa diuersorũ: sicut & genera sunt diuersa, ita quòd sit principiũ potentiale in quolibet genere diuersum, & similiter priuatio, & forma. Similiter, illud, quod dicunt de superficie, non cogit, quia ponit hoc pro exemplo, quia potentia propria non est nota.

T. c. 19. & inde.

Principia quodammodo eadem, & nõ eadem.

Tex. com. 22

Quatuor genera fundant relationem.

7

Vnde in substantiis sensibilibus exemplificans de priuatione, & forma, & materia, dicit, calidum, & frigidum, quæ secundùm omnes non sunt formæ substantiales, sed accidentales, sicut artificialia, & non materiæ, sed compositum. Item, in 8. c. de forma contra Platonem, dubitatio Antisthenicorum habet locum contra Platonem scilicet quòd cùm in definitione cuiuslibet, quod definitur, oportet quòd sit quid quale, id est, materia: vnde concludit quòd idea non definitur. Sed dicitur quòd sufficiunt conceptus diuersi. Contrà: tunc argumentum nihil est contra Platonem: quia ita diceret de idea, quòd sicut albedo habet conceptus diuersos, sic posset dici de idea. Confirmo illud: omnis definitio est ratio ex nominibus, nam vnum nomen, non facit rem esse notam, vt dicitur ibidem: ista nomina signabunt alterum genus, alterum differentiam, si sint mille istorum vnitorum: quia vnum est potentiale, aliud est actuale, & ad genus, & differentiam hæc pertinẽt. Item, illa nomina oportet, quòd significent essentiam ad hoc, quòd definiant naturam rei, & tunc aut significant per se eandem essentiam, aut alteram. Si alteram, propositum habeo. Si eandem, bis dicetur idem, si ponatur res pro nominibus, sicut de modis differendi arguitur contra Commentatorẽ. Item, si non sic esset, sufficeret tantùm genus in definitione, ex quo totam essentiam significat. Ad principale, planum est in numeris, quòd ibi est vera potentia, & materia alia à forma, non ipsa res, quæ est vna, quia ex rebus non compo

Tex. com. 9.

Definitio est ex nominibus quomodo?

componitur numerus; si ergo ibi ita est quid mali, sic est in aliis. Similiter continuum habet partem extra partem, inquantum continuum; illa pars, vel partes non sunt continuum; sunt ergo materiale, & formale, id est, forma continui superaddita.

SCHOLIVM III.

SPECIES rerum quodammodò generari, & sic formæ accidentales quatenus mobilia sunt, & composita, vt in Eucharistia generari dicuntur; verùm hæc generatio impropriè sumi videtur; vide Anton. Andream hîc q. 9. vbi clarius materiam harum 3. quæst. tractat.

8

Dico ergo, quòd quæ sunt in genere per se, vt species, sunt sic composita. Similiter hoc patet in Sacramento, vbi per naturam accidentia mouentur, & transmutantur. Contrà: omne accidens est forma; si ergo aliquod sit compositum formæ, est forma, hoc est contra Philosophum, quia tunc iretur in infinitum. Item, forma est compositioni contingens, in simplici, & inuariabili essentia consistens; ergo, &c. Item, si sic, vnumquodque sufficienter constituitur per principia essentialia. Tunc accidens sic posset definiri absque substantia. Item, tunc albedo fieret nigredo; sicut ignis aqua: sicut enim ibi est subiectum, quod potest differre transmutationem, sic hîc, quod est contra Philosophum in 1. Physicor. tex. c. 56. & inde, vbi dicit, contrarium non fit contrarium, sed est aliquid sub vtroque. Ad primum, vult ibidem, quòd compositum per se generatur, & non forma compositi generati, quia si sic, tunc ibitur in infinitum, sed non ibitur in infinitum, nisi detur, quòd similis est ratio in formis compòsitorum; sed albedo licèt sit forma accidentalis substantiæ, tamen non est forma compositi per se generati in genere accidentis, sed est ipsummet compositum eius: tamen compositi, id est, albedinis est aliqua forma, quæ non generatur. Ad aliud, probat simplicitatem ibidem, quia compositum eueniens composito, facit maius; sed forma eueniens composito non facit maius, vt dicit exemplum, ibi albedo aduenìens corpori non facit corpus maius. Concludit ergo tantùm, quòd non facit maius extensiuè, & hoc est verum; nulla enim forma facit sic maius, nisi quantitas; sed à compositione illa, alia est compositio materialiter valdè. Ideò stat, quòd etsi non sit composita compositione illa: quòd sit ibi cōpositio perfectionis.

Contrarium non fit contrarium.

Compositum aduenìens composito facit maius, forma non.

Ad rationes, accidens, secundùm omnes, habet genus, & differentiam; sicut ergo definitio ad rem, sic partes ad partes; sicut ergo tota signat essentiam totam, sic partes partes essentiæ; & ita, quòd vna partem materialem, alia formalem. Ad aliud, sicut ex igne fit aër, sic ex albedine nigredo; ita quòd neutrolibet hoc totum fit, vel vertitur in hoc totum, sed quid substratum sub vno, est pòst sub alio; tamen non concedimus ita de albedine, & nigredine, sicut est in substantia, quia potentia sub albedine, non est quid per se subsistens, sed dependens à subiecto; ideò non potest mutari ad aliam formam, nisi mutetur subiectum, sed materia substantiæ ita substat formis, quòd nihil est substratum, sub materia ad hoc, quod recipiat, sed ipsamet sine alio recipit. Similiter potentia accidentis, est ignota.

Tex. c. 33. huius.

Ad argumentum principale dicitur, quòd compositum in actu generatur: & cùm dicitur, tale est; dico quòd non est, quando generatur, ipsum tamen secundùm quòd terminat generationem, est actu. Ad aliud de generatione hominis, dicitur, quòd est naturalis, quia non solùm illud, quod inducit formam, sed quod inducit dispositionem necessariam ad inductionem formæ, dicitur generans, & in proposito, homo disponit materiā; ideò dicitur generans. Ad tertium, dicitur, quòd in aliis generibus generatur ens per se: & cùm dicitur, quòd non habent materiam. Verum est secundùm quòd materia dicitur substare formæ, sicut est in genere substantiæ; sed totum compositum in genere accidentis ex potentia & forma inhæret alteri. Ad aliud, quòd nunquam est mutatio in accidentibus, nisi quia subiectum mutatur.

Ad secundum.

Generatio hominis quomodo naturalis?

ANNOTATIONES MAVRITII ad Quæst. 8. 9. & 10.

9

SEquuntur octaua, nona, & decima quæstio de termino per se generationis, an videlicet possit esse materia, an forma: an certè compositum, t. c. 22. & 27. vbi aduerte, quòd in diuersis originalibus variè situatur litera. Nā in aliquibus priùs soluuntur duæ primæ quæstiones quàm moueatur tertia quæstio: in aliquibus autem immediatè post argumentum ad oppositum secundæ quæstionis mouetur tertia: & vterque ordo habet apparentiam ex verbis Doctoris, in diuersis locis. Secundo modo ordinauimus ipsas. Sed aduerte benè ad totam literam, quia in aliquibus locis intricata, & difficilis, ac singularis, vt patet.

Determinatio Doctoris satis clara, & assertiua: vult enim quòd materia generatur subiectiuè, & forma, & compositum terminatiuè, vnum vt *quo*, aliud vt *quod*: sed instat singularissimè, an hoc verum sit tantùm in genere Substantiæ, vt communis schola tenet: an certè in omni genere sit per se compositum per se terminans generationem. Et videtur tenere, quòd sic valde notanter, & argumenta difficilia in contrarium adducit, & soluit suo modo, sed infrà q. 1. lib. 8. de hac compositione in accidentibus ampliùs inquire.

Ad primam quæstionem arguit primò per auctoritates tribus argumentis, consequenter per tres rationes, & infrà immediatè antequam soluat quæstionem respondet ad illas rationes: hæc enim erat consuetudo eius: plerumque addere immediatè responsiones ad argumenta, vt videantur argumenta pauci momenti, vel vt replicis infringantur responsiones, vel vt aliorum solutiones non satisfacere ostendat. Nota valde totum processum ibi in pede primæ quæstionis in solutionibus, & replicis. Nam tres responsiones ad primam rationem inducit contra duas primas replicas. Tertiam tenet & hîc, & in 2. di. 1. q. 2. & in 4. di. 1. qu. 1. Prima responsio est conformis dictis Henrici quodl. 6. q. 1. & alibi, & apparens. Secunda Ægidij, Quodlib. 6. q. 3. & 4. & Maior in 2. d. 1. q. 2. post oppositum, quære Thom. 1. par. Summæ. q. 45. art. 2. & in 2. scripti. dis. 1. qu. 1. & Bonauenturam ibidem, & Ægidium, & alios communiter.

10

Quod tangitur in solutione 2. rationis de subintratione partium materiæ, quæ improbatur alibi, vt inquit: quære in Physicis, & in de generatione, & in 4. di. 10. quæst. 1. aliqualiter. vide Calculatorem: vt nosti, & alios Sophistas.

Cùm dicit postea: *Ad tertium quare*, &c. Vide infrà in quæst. de pluralitate formarum, & in Theorematibus notanter, & in 4. di. 11. quæst. 3. & ali

alibi. Materia enim formæ perfectæ communiter est secunda, & per consequens compositum ex materia,& forma,& hoc loquendo de materia totali,& immediata, talis potest produci terminatiuè per se,hîc sermo est de materia prima maximè: vniuersaliter enim materia vt materia,nó producitur per se terminatiuè, plura alia ibi adde ponédo, non inconuenit autem idem esse materiam vnius, & terminũ alterius productionis,licèt hoc accidat.

Illa litera ibidem. Circa primum argumentum dicitur,quòd non sequitur,&c. vsque illuc:*Contra est Philosophus*, &c. posset assignari Additio vel *Extra*,est tamen satis bona. Quærunt enim illa motiua,quare à solo Deo est producibilis materia æquiuocè, & quòd ab alio agente possit produci persuadent. Vide in 2.& in 4.vbi suprà,rationem, licèt alij Theologi varias assignant rationes, & quod additur de raro,& denso, satis priùs dictum est. Quære super 4. Physicor. & maximè apud Scotistas Parisienses,& antiquos etiam expositores,& Quæstionistas.

In pede tertiæ quæstionis immediatè post primum principale additur eius solutio in aliquibus originalibus: & sic posuimus, sed ibi meliùs scriberetur sic: *Ad hoc respondeo,quòd primò est æquiuocum*, &c. in aliquibus autem ponitur ad finem quæstionis illa responsio,& benè; ideò lector ordinet,vt placuerit, Vide 2.di.secundi,q.10.egregiè determinationem illam de duplici primitate, sed hîc satis expeditè,& subtiliter habetur.

11 Similiter infrà respondet ad tertium de generatione hominis, quæ responsio etiam ponitur ad finem quæstionis in aliquibus originalibus cum omnibus replicis sequentibus:& satis benè, & sustinendo primam responsionem possent tres replicæ contra ipsam solui, dicendo, quòd hæc necessitas est conditionata secundùm quid,& de potentia Dei ordinata;est ergo quantùm ad primum actiua, & quodammodò passiua forma mistionis respectu intellectiuæ. Similiter Deus non potest non agere ad hoc,ideò necessariò necessitate consequentiæ, sed simpliciter contingenter,quoad secundum.Similiter ad tertium dicatur,vt priùs.Secunda autem responsio sequens,pulchra est,quam multi tenent in hoc dubio; & quod adducitur in oppositum de rationibus seminalibus, patet ibi,& quod vltimò tangitur de anima separata se reuniente, &c. posset negari similitudo, sed qualiter valet,vide in 4.di.43.qu.3. singularissimè:arduum enim,& difficile dubium est,qualiter homo generat hominem,licèt faciliter proferatur apud Physicos. Quære in 2.di.17.& 18.& in 3. di.2.& 4 & in 4.q.1. & in quodlibeto qu.2. ea quæ faciunt ad hoc Henr. de Gan. ad hoc inquire, & alios antiquos vt nosti; omitte ergo in pede huius tertiæ quæstionis si volueris totam illam literam,ibi: *Ad primum argumentum* 3.*q*.&c.vsque illuc: *Item si compositum*,&c.& similiter ibi: *Ad tertium argumentũ* 3.*q*.&c.vsque illuc: *Ad principale si sic*,&c. & lege totum ad finem quæst. Sed videtur, quòd Doctor in margine, vel additiones has solutiones adiunxit,propter replicas,& alia quæ sequuntur.

12 Infrà cùm dicit, *Ad vtramque q. Philosophus vult*,&c.tenendo ordinem,quem posuimus,posset ibi scribi sic: *Ad duas primas quæstiones* vel vt in aliis originalibus habetur,& benè: *Ad præmissas q*.&c.sed de grammatica rei parum curandum est: ibi enim intendit respondere maximè ad duas primas q. & litera benè sonat secundùm alium ordinem,quem priùs recitaui.

Dicta Doctoris in toto processu ponderabis,& examinabis diligenter,quia suo modo transcendit terrena ingenia,

Cùm dicit infra ibi:Item,si calidum esset separatum, &c. illa verba declarabis,vt habet in 4.di. 12.quæst.2.& 3. Item, infrà soluendo argumentũ ex auctore 6. Principiorum:nota signanter expositionem Doctoris,sed instantias considera.

Ad finem quæstionis cùm habetur in aliquibus originalibus, & sic posuimus: *Ad argumentum principale*, &c. intellige de secundo principali,& non de primo:sed in aliis vbi responsiones omnes ad principalia ponuntur ad finem quæstionis habetur sic: *Ad primum argumentum* 3.*q*.&c. & sequitur infrà: *Ad secundum argumentum principale dicitur,quòd compositum*, &c.

Illa responsio, *Ad aliud de generatione hominis*,&c.non est necessaria,habita responsione superiùs assignata in pede quæst.nisi quia ibi fit mentio de forma,hîc de dispositione,& naturalitate.Et videtur,quòd illam responsionem voluerit sustinere, ad reliquas autẽ dicit communiter,vt suprà notaui.

Ad dictum Commentatoris in 7.Cõmento 31. adductum in 3.principali non respondet,sed faciliter posset dici,vel quòd loquitur de forma specifica,vel concedi potest,quòd dicit absolutè, quia non est contra nos,vt patet ex responsione Doctoris, quia generans vniuocum non dimittit ipsum compositum,vsque ad inductionem vltimæ specificæ,& hoc vel formaliter,vel virtualiter saltẽ generans limitatum æquiuocũ,de quo infrà in q.de rationibus seminalibus,& de pluralitate formarũ.

Vltima responsio,ibi: *Ad aliud,quòd nunquam est mutatio*,&c.debet applicari ad argumentum in solutione principali quæstionis quod probat secundùm communẽ viam,& Comment.vt videtur quòd in genere accidentis non generatur compositum per se. Alia addat diligens lector curiosè.

Vtrùm igitur est quædam sphæra præter has:aut domus preter lateres,aut nunquam facta est:si sic erat hoc aliquid. Sed quia tale significat, hoc autem & determinatum non est,sed generat,& facit ex hoc tale, quod quando generatum est, est hoc tale, hoc autem est omne hoc. *Text. com*.28.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm ratio Philosophi contra Platonem valeat,quam ponit de idea?

Arist.1.*Met.c.7.tex*.30.*&* 31.*& lib.7.c* 7.*tex*.28.Plato *in Timæo,Phædone & Cratylo*.Aug.*lib*.83.*qq.q*.46.*lib*.11.*de ciuit c*.10.*&*11. Clem. Alex.*lib*.4.*&* 5.*Strom*. Plutar.1. *de placit. Philosoph.c*.10.Ficinus *in q.de ideis*.Cicero 1. *de orat.& in Acad*.Apulei.*de dog.Plat*. Iust. Martyr *in orat.ad Gent*.Tertul. *lib.de anima*. Amb.*lib*.2. *Hexam. c*.1.*&* 2.Nazian.*orat*.33.Cyril.*lib*.2.*cont.Iulian*.

1 QVòd non:quia si sic:arguit quòd nunquam generatum est hoc aliquid. Sed conclusio est sic falsa:sed hoc non videtur valere, quia forma in composito est principium generandi compositum;igitur si per se esset, idem ageret: exemplum calor separatus. Item, nullum agens naturale particulare agit, nisi mediantibus qualitatibus actiuis, & passiuis; ergo nullum tale inducit formam substantialem,quia non inducit aliquid nobilius,quàm sit forma, secundùm quam agit;ergo inducitur à forma separata.

Hic

EXTRA. *Hîc etiam sunt duæ difficultates, quia illa virtus in semine non potest causare animam. Tum, quia corrumpitur cum forma seminis, quando anima primo est: & ita est à non ente. Tum, quia anima nobilior est illa virtute, virtus patris nihil est, quia non est agens superius, sed per accidens ordinatum.*

Item, omnia, quæ generantur, generantur ab vniuoco, ca. isto, t. c.28. & 30. sed in putrefactis non est vniuocum generans, nisi sit aliquod vniuocum separatum, sicut videtur specialiter in animatis: quorum forma nobilior est quacunque forma pure corporea. Nō valet hîc fugere ad Angelos, quia articulus damnatus est, 2. c. 7. & 23. ergo omnis anima immediatè est à Deo. Item, quòd ratio sua non valet, anima intellectiua non est à generante, sed à creante, quæ est pura forma: & tamen genitum est hoc aliquid, ergo consequentia non valet. Oppositum Philosophus text. com. 28.

Vide in Magistro.

SCHOLIVM. I.

RATIONEM *Philosophi contra ideam Platonis reiicit Commentator, probans quòd forma non potest generare; & sic quòd generans necessariò est compositum. Doctor soluit eius rationes. Sed postea nu. 5. ibi, qui vellet, ponit modum sustinendi ipsum.*

2 Dicitur, quòd ratio Philosophi valet. Quod probatur, quia si generans sit tantùm forma; ergo in generando non dependet á materia: & si hoc, producit sibi simile omnino, & si non, hoc est propter defectum à parte materiæ, quoniam idem facit idem. 2. de Generatione. t.c. 56. si ergo generans est forma tantùm, & genitum. Item, si genitum esset hoc aliquid; ergo generatur per transmutationem materiæ; ergo generans erit compositum, quia forma tantùm non potest trāsmutare materiam; vnde Commentator, cōm. 28. & 31. huius, forma non potest transmutare materiam; ideò ponentes creationem oportebat, eos ponere creans compositum ex materia, & forma. Dicitur, quòd oportet ponere agens compositum, disponens materiam, sed sola forma potest inducere formam. Contrà hoc: Commentator in eodem commento 31. excludit hanc responsionē: si illud quod generat subiectum formæ, esset aliud à generante formam: tunc subiectum & sua forma essent duo in actu. Item, si sic, vnum actu: secundùm quòd vnum generatur à duobus agentibus. Nota, quòd hîc innuitur responsio Commentatoris hîc in commento 31. & tres rationes, quibus ostendit consequentiam Aristotelis. Prima, propter assimilationem. Secunda, propter improportionabilitatem immaterialis ad materiale, in ratione mouentis. Tertia, quia excludit responsionem illam prædictam, & procedit ex vnitate compositi.

An requiritur agens cōpositum, vt materia disponatur?

Contrà, quòd prima ratio non probat consequentiam: omne agens quantùm est de se, producit sibi simile. Instantia: actio primæ causæ minùs dependet à materia, quàm actio alicuius ideæ, si esset: sed primum non potest producere sibi simile, semper: sed producit materiam sicut formam, & similiter compositum, quia quicquid potest causa inferior, potest & superior; sed inferior potest generare compositum; ergo, &c.

3 Item, consequentia assumpta non valet, quòd quia agens non est in materia, ideo non dependet actio à materia, quia omne agens circa primum requit materiam in quam agat: & tamen aliquod est agens immateriale præter primum. Item, contra secundam rationem, ista propositio videtur impossibilis: immateriale non potest transmutare materiam, & hoc propter quatuor. Primò, quia ex ipsa sequitur impossibile, scilicet quòd prima causa non potest transmutare materiam, quia nullum agens separatum est ita immateriale, sicut prima causa. Item secundò: impossibile est aliquid transmutare aliud per mediū, nisi transmutet medium, sed Commentator in fine illius commenti 31. dicit, quòd forma separata potest transmutare materiam mediante corpore cælesti; ergo potest transmutare illud corpus medium, aliàs procederet in infinitum, quia vltimum transmutatum transmutatur ab aliquo transmutante, & illud est materiale, & deuenies ad aliquod transmutans non corpus, quod transmutet corpus immediatè. Item 3. de dictis propriis sequitur oppositum dicti sui, quia dicit, cōment. 31. quòd corpora cælestia in illis, quæ generantur per putrefactionem, dant illis aliquid loco seminum: sed corpora cælestia sunt formæ, ita quòd nō est ibi materia receptiua formæ substantialis secundùm ipsum in de Substantia orbis, ergo sola forma potest transmutare materiam. Item, quartò: transmutans transmutat inquantum est in actu, 9. huius, t.c.2. & inde, & inquantum tale, accidit sibi habere principium potentiale; ergo accidit transmutanti habere materiam, & esse compositum. Item contra aliud, quod tangit excludendo responsionem per vnitatem compositi: dicit enim, quòd subiectum, & forma essent duo in actu, & quòd vnum actu esset à duobus agentibus, hæc sunt opposita, quia si subiectum, & forma sunt duo, tunc non sunt vnum actu, sed duo actu. Item, ex eodem affirmato, & negato non sequitur idem. Item, quòd ratio non valet in se, quia materia est à Deo, quia ingenerabilis, & tamē forma est à generatione particulari; ergo subiectum, & forma sunt duo in actu: non valet, quia tota materia est in potentia, & actus aduenien s facit vnum actu. Item, alia ratio non valet, quando infert, quòd vnum actu est à duobus agentibus. Probatio, quòd conclusio sit necessaria: aliquis vnus effectus est ab agēte particulari, & quicquid est à causa particulari, est ab omnibus causis vniuersalibus ordinatis, & veriùs quàm ab isto particulari, & illud voluit Plato, vt imponitur sibi: tamen, quòd esset à duobus agentibus æquè primis, & æquè immediatis, hoc esset impossibile, sed isto modo non potest inferre contra Platonem, quia disponens, & inducens sunt agentia ordinata.

Immateriale potest transmutare materiam.

SCHOLIVM. II.

PHILOSOPHVS *hîc tex. 28. arguit contra ideam Platonis, quia genitum est hoc aliquid, ergo & generans, & per consequens nulla idea ad generandum necessaria est. Ratio secundùm Doctorem, non probat ideas esse impossibiles, sed ad generationem non esse necessarias. Ponit viam defendendi modum Commentatoris, & soluit rationes allatas nu. 3. contra ipsum.*

Dicitur ideò ad quæstionē quod Philosophus

 probat

probat ideas non esse necessarias ad generationem, non quin sint possibiles: & hoc sufficit Philosopho. Quod probatur: nunquam ponenda sunt plura, vbi sufficit vnum secundùm ipsum 1. Physic. ca. illo. *Consequens autem*, &c. t.c. 50. Sed generatio vniuoca potest saluari sine ideis; ideò non oportet eas ponere propter generationem. Sed compositum particulare generat compositum particulare, & hoc vniuocè: & magis est generatio illa vniuoca quàm esset compositi generati, ab idea; ergo non est necesse ponere ideã propter generationem: tamen non probat, quòd non sunt possibiles, & hoc sonat littera sua, quia dicit, *si sint ideæ præter singularia, nihil vtiles erunt ad generationem.* Vnde non vult, quod impossibile sit eas esse. Sed propter generationem vniuocam non est necesse ponere eas.

Ideæ non necessaria propter generationem.

Ad primum argumentum, quòd qualitates actiuæ non sunt immediatum principium eliciẽdi quamlibet actionem, sed forma substantialis est immediatum principium generationis substantialis, sicut qualitas respectu motus. Sed dictum Philosophi habet veritatem respectu dispositionis materiæ. Ad aliud: quòd omnia fiunt aliqualiter ex vniuoco, quia agens, vel habet formam, quam producit formaliter in se, & tunc generatio simpliciter est vniuoca: aut habet formam illam in virtute, & tunc generatio non vniuoca simpliciter, vt priùs, sed secundùm quid. Ad aliud, quòd hæc consequentia est bona, & sufficit Philosopho, quia si genitum est hoc aliquid: non oportet generantem esse formam separatam. Sed sufficit ipsum generans esse compositum.

Omnia fiunt ex vniuoco, & quomodo.

Qui vellet tenere viam Commentatoris, innitendo secundæ rationi eius, non vniuersaliter, sicut ipse intendit, quia sic improbatur per primam instantiam de Deo. Sed particulariter de quolibet agente creato, posset sic arguere: Agens creatum nihil generat, nisi priùs alteret corrumpendum: immateriale creatum non potest alterare; ergo, &c. Probatio maioris non de nihilo generat, nec de materia sine forma; ergo requirit compositum in quod agit: illud non corrumpitur sine alteratione præuia. Probatio minoris: nihil alterat nisi habet qualitates actiuas formaliter, vel virtualiter. Sed substantia separata creata, nec habet qualitates actiuas formaliter, patet: nec virtualiter: probatur: quia omnium qualitatum spiritualium, quas habet, cùm sint primæ, vel secundæ speciei qualitatis, tota virtus exhauritur per operationem intra, cuius illæ sunt principia; ergo nihil extra causant.

Immateriale nihil generat, quia nec alterat.

5

Contra istam rationem instatur. Primò contra maiorem, quia videtur, quod aliud possit alterare, & aliud generare, sicut in productione hominis: nec aliter probatur maior, nisi quia oportet alterationem præcedere generationem: non autem quòd vtraque sit ab eodem: sic idea ponetur generans, sed tamen alterans. Item, minor negatur, & contra secundam partem minoris prosyllogismi probantis eam, arguitur, quia Arist. in 1. c. t. c. 32. in generatione quanti non oportet præexistere quantùm actu; ergo quantitas æquiuocè potest generari, pari ratione, & alia accidentia. Item, si non à substantia, saltem ab alia qualitate in Angelo, quæ perfectior est, potest generari, vt videtur alia minùs perfecta in corpore: sicut à luce lumen, vel potius calor. Item contra primam partem eiusdem minoris secundi, scilicet prosyllogismi, quia Plato posuit idearũ passiones, quia & scientiam de eis; igitur secundùm ipsum haberent proprietates naturales, per quas possent formaliter alterare. Item contra totam rationem: quomodo ipsa non æquè concluderet de Deo, sicut de Angelo? Ad ista.

An aliqua qualitas spiritus potest causare qualitatem in corpore?

Ad primum dicitur, quòd nihil nobilius negandum est alicui naturæ nisi appareat necessitas: quia 2. de Generatione; t.c.59. naturam semper inquimus desiderare, quod melius est. Nullum autem inconueniens, si hic ignis generet, quia secundùm Platonem, habet similem perfectionem cum idea licèt minùs perfectè; ergo & operationem similem, licèt minùs intensam. Itaque si cum hoc idea generet, videtur secundùm Commentatorem, quòd vnum actu est à duobus agentibus non ordinatis, sicut procedit vltima ratio hîc inducta contra Commentatorem. Quando igitur hîc accipitur; aliud potest alterare: & aliud generare, negatur de illis actiuis, quorum vnum necesse est generare, sicut & aliud, non iam negatur; quod illud aliud non potest, sed quia hoc potente, & ideò necessariò faciente, aliud non potest in eodem ordine causæ respectu eiusdem geniti. Sed quia illud videtur minùs tribuere ideis: Aliter dicitur, quòd mutatio terminans motum, nunquam potest esse, nisi à causa mouente in isto motu: licèt quandoque sit immediate mutatio ab isto, quod mouet mediatè, vt in generatione hominis nunquam primò mouet in alteratione idea, nec mediatè, nec immediatè: quia particulare agens sufficienter alterat, ita quòd aliud eiusdem ordinis non potest idem alterare; ergo non potest esse idea causa mutationis terminantis illum motum. Maior probatur, quia terminare, & per se terminus videntur esse ab eodem. Sed hæc ratio quasi eadem est cum præcedente, quia illa dicit synolon generare, & ideò non ideam, sed synolon alterare, & ideò non ideam. Et vltrà; ergo nec generare.

Idem nequit esse à duobus agentibus totalibus.

6

In hac fortè secunda sunt plura dubia, quàm in prima. Hæc propositio tamen, scilicet mutatio terminans motum, nunquam potest esse nisi à causa mouente in illo motu, videtur necessaria, si indiuisibile in quantitate continua nihil sit: sed est aliquid, propositio vera est secundùm Henricum; quia propter eam ponit duas formas in homine: & hoc loquendo de mutatione intrinsecè terminante; non autem de quacunque concomitante; quia creatio animæ concomitatur inductionem formæ mixti in homine: sed illud licèt (quod sequitur propositionem) sit verum, tunc propositio non valet per Henricum licèt hîc valeat contra ideam. Pro illo licet arguitur, quòd sicut in priori instanti naturæ terminatur actio secundi, & in secundo instanti naturæ est actio primi, in quo nunc secundum nihil coagit primo: licèt vsque tunc coëgit; quare non ita etiam quãdo est motus, potest coagere: & in *nunc* mutationis nihil? Item, cùm illo licèt possit negari, si enim natum est agere in instanti, vsque tunc facta dispositione à quocunque: quare non ageret; Exemplum si aër moueretur localiter ab aliquo, vt fieret præsens Soli quiescenti. Item, calor est principium alterationis, in cuius vltimo *nunc* substantia ignis, quæ vsque tunc nihil egit, generat ignem: & calor geniti est à propria forma substantiali secundùm te; ergo hic motus sine mutatione terminante, quàm faciet mouens, & mutatio ab aliquo, qui non mouet; nisi per accidens;

d ens;ita enim alterasset calor separatus. Ad secundum, substantia æquiuocè non causat quantitatem in alio, nisi priùs in se, quod non conuenit Angelo. Ad tertium responsum est, probando secundam partem minoris prosyllogismi. Ad quartum dubium est, an ideam ignis posuit calidam, sed dato quòd sic, aliud est hic alterans vt synolon; ergo non idea, sicut in prima responsione. Si autem negatur hîc hypothesis,&c. tunc ex quo idea agit vniuocè secnudum ipsum; ergo non agit æquiuocè,& ita non alterabit, & ita nec vniuocè generando, & ita contradictio. Ad quintum patet, Deus in se habet omnem entitatem,& omnem vim actiuam; ideò de ipso,& maior falsa primi argumenti, & minor, &c.

ANNOT. MAVRITII.

7 SEquitur quæstio vndecima de positione idearum Platonis impugnata, t.c. 28. in qua assignatur quoddam *Extra* in pede, ibi: *Hic sunt dua difficultates*, &c. vsque illuc inclusiuè: *sed per accidens ordinatum:* & in aliquibus ponitur ante duo vltima argumenta ante oppositum, in aliquibus verò post illa; & magis ad rem aliqualiter; & est bona litera, de qua fit meutio quæstione sequente, vbi locum habet.

Ibidem tangitur quotatio de articulo damnato. Vbi aduerte, quòd articuli damnati Oxonio, & Parisiis ordinantur per capita secundùm diuersas facultates, materias, & Pontifices: vnde iste articulus est secundus c.7. & vigesimus tertius. Quorum primus est, quòd *Intelligentia inferiores creant vegetatiuam,& sensitiuam, motu cælesti mediante. error.*

Secundus articulus. Cùm *Intelligentia sit plena formis, imprimit illas in materia per corpora cælestia, tanquam per instrumenta, error.*

Deinde ponit opinionem Commentatoris, & sequacium eius, cum suis rationibus, & impugnat; & responsiones quorundam fauentium Commentatori examinabis, & infringes.

Assignatur *Extra* in aliquibus illa litera *Nota, quod hic immutatur responsio comment.* &c. vsque illuc inclusiuè: *& procedit ex vnitate compositi*, & ponitur in aliquibus ante oppositum, in aliquibus post rationes opinionis & non videtur multùm necessaria, adde tamen si vis inquirendo antiquos, quos suprà.

Determinatio Doctoris clara est, vult enim, quod ratio Aristotelis arguit non necessitatem, non tamen impossibilitatem idearum Platonis hîc: vbi si te volueris extendere de ideis, vide antiquos Philosophos, & Theologos: & hunc quam egregiè, di. 35. primi, & maximè in Reportatis & alibi vt scis. Vide etiam Quodlibeto, q.7. conclus. 4. singularissimè ad propositum huius materiæ.

8 Verba Doctoris in impugnatione opinionis & in decisione valde notabis; & specialiter impugnando secundam rationem opin. nota propositionem illam: *Impossibile est aliquid transmutare alind per medium, nisi transmutet medium*, quære Commentatorem 8. Physic. comm. 37. & 2. Cæli & mun. comment. 42. & hunc in 2. di. 9. & di. 14. q. finali optimè.

Infrà etiam ibi: Item ex dictis propriis infert contra Commentatorem aut corpus cæleste esse compositum ex materia, & forma, aut contradictionem manifestam in dictis eius, plura alia tangat diligens lector altioris indaginis.

Aduerte, quòd non respondet ad primũ principale, sed incipit à secundo, solutio tamen primi principalis patet ex solutione quæstion. arguit enim non impossibilitatem, vt patet in exemplo, quod adducit, sed non necessitatem.

Aliter etiam dici posset, negando consequentiam: & quod additur de causare separato dic vt habet in 4. di. 12. q. 2. & 3. tantùm enim potentia remota potest generare.

Tota illa litera, *qui vellet tenere viam commentat.* &c. vsque in finem, assignatur additio ab aliquibus, sed notabilis discursus, & singularis; ideò legatur: infra tamen ibi: Hæc propositio tamen, *scilicet mutatio terminans motum*, &c. vsque illuc: *At secunda substantia æquiuocè*, &c. quæ non habetur in multis originalibus: ponatur *Extra*: & omittatur si placuerit, quære Henricum quodlibeto 5. 7. & 9. in diuersis qu. de ideis: & quodlibeto 2.3.4.6.9.10. & 12. in diuersis qu. de hoc, quod tangit hîc, videlicet, de pluralitate formarum, & hominis, & diuersitate agentium in producendo.

Dubitabit autem aliquis quare alia fiunt arte, & à casu vt sanitas, alia non vt domus. Causa verò est: quia hoc quidem est materia incipiens generationis in faeere, & fieri aliquid eorum, quæ ab arte in qua existit aliqua rei pars.

Text. commenti 29.

QVÆSTIO XII.

Vtrùm in materia rerum naturalium sit aliqua pars formæ generandæ, coagens ad compositi generationem?

Arist. *hic text.* 29. D.Aug. *lib.* 3. *de Trin. c.* 8. D.Tho. *hic lect.* 8. *&* 1. *p.q.* 113. *art.* 2. Albert. 1. *Phys. tract.* 3. *c.* 3. Durand. *in* 2. *dist.* 16. *q.* 2. Sot. 1. *Phys. q.* 7. Fland. q. 17. *art.* 1. *& sequent* Suar. *disp.* 15. *Met. sec.* 2. Hurt. *disp.* 4. *Phys. sec.* 2. Auersa. q. 20. *Phys. sect.* 7.

1 QVòd sic, duabus viis. Prima, aliter forma fieret ex nihilo, & ita crearetur. Secunda via ex naturalitate generationis, quæ multipliciter confirmatur. Primò per definitionem naturæ. 2. Physicor. tex. com. 3. principium non dicitur in quo est motus, sed motus eius in quo principium illud, siue ille motus. Nec videtur intelligi de principio passiuo tantùm, tum, quia magis dicitur forma esse natura, quàm materia ex 2. Physicor. t.c. 12. & inde. Tum, quia tunc non videretur differentia inter naturalia, & artificialia, quam ibi ponit, quia artificialia, inquantum huiusmodi, non habent principium motus, naturalia habent, patet quod artificialia habent principium passiuũ: aliter fieret, quod impossibile est fieri. Tum quia in vltimo cap. secundi t.c. 78. Arist. sic dicit: *Quòd si domus esset eorum, quæ natura, sic fieret à natura: sicut nunc ab arte*, & quod planius est in eodem cap. t. c. 86. dicit, *si nauifactiua esse in lignis, similiter faceret nauem: sicut nunc natura*; sed nauifactiua est principium actiuum. Ibidem etiã t.c. 84. dicit, quòd à natura sunt, quęcunq; sunt à prin

à principio intra, mota,&c. A, videtur nominare Causam efficientẽ.Tũ quia 6. Metaph.t.c.1.Arist. probans Philosophiam non esse practicam,arguit hoc ex obiectis: nam factibilium principium est in faciente: naturalium principium est in moto. Tum, quia 2. Physicor. t.c. 66.& inde, reducit Arist. casum, & fortunam ad naturam,& intellectum:constat secundùm ipsum,quòd casus,& fortuna sunt causæ per accidens efficientes; ergo natura est per se effectiua. Tandẽ confirmatur per illud 2. Ethic. *Violentum est, cuius principium est extra, non conferente vim passo* hæc definitio videtur conuenire generationi naturali, nisi passum coagat.

Quid est violentum.

Item Arist. dicit in litera,t.c.29. quòd à natura fiunt, in quorumque materia est pars aliqua formæ, quæ sic mouet materiam,sicut moueretur ab extrinseco, quid manifestius?

Contrà, forma est simplex ex 6. principiis. Si igitur aliquid præest, videtur quòd sit composita.

SCHOLIVM I.

Prima *sententia ait, aliquid à creante esse in materia, quæ est ratio seminalis omnium formarum vnius generis proximi,& aliud respectu aliarum vsque ad vltimam speciem. Secunda sententia ponit aliquid tale proprium rationi cuiuslibet formæ educibilis de materia, & hoc dupliciter. Doctor hos modos subtilissimè suo ordine refutat, sed priùs alios duos minus probabiles, & soluit motiua ex duabus viis pro illa sententia allatis, vide eum 2. d.12. q.1. nu.8.*

2 Prima opinio ponens aliquid formæ præexistere in materia,

Hìc fuit opinio famosa, quòd in materia est aliquid essentialiter distinctum ab ipsa, & est in ipsa à creante, non autem ab agente naturali, ex quo alio fiat forma,& illud vocabatur inchoatio, vel pars formæ, vel forma imperfecta, vel ratio seminalis,vel potentia actiua in materia,secundùm ponentes illud coagere generanti. Motiua fuerunt, quæ tacta sunt opponendo,fuga creationis, & innaturalitatis in generatione. Istorum quidam ponebant vnam formam generalem concreatam materiæ, quæ esset ratio seminalis respectu formæ generis proximi, & ita vltra, vsque ad formam speciei specialissimæ. Et hæc duplex confirmatio. Vna per Commentatorem, comm.17.1.huius, materia primò recipit formas vniuersales, &c. Alia per Arist. 1. Physicor. tex. com. 50. principia oportet manere; nulla forma particularis semper manet; ergo illa quæ est principium,est aliqua vniuersalis respectu omnium, ad quam non attingit generans.

Secunda opinio,& bimẽbris de eodẽ.

Alij posuerunt respectu cuiuscunque formæ propriam inchoationem; & ita à creante tot inchoationes in materia, quot formas ipsa potest ab agente naturali recipere, sed isti bifurcati videntur. Quidam posuerunt inchoationem esse partem formæ, siue formam imperfectam, quæ per generationem aliquam perfectionem recipiet. Alii dicunt eã esse totam formã, & hoc dupliciter, vel talem formam præesse in se: non tamen vnitam materiæ, siue informantem materiam, per generans autem fieri talem vnionem formæ cum materia, vel talem formam præesse, & vnitam materiæ, sed sub *esse* incompleto,& quod acquirit perfectum *esse* per generationem; ita quòd totum compositum præexistit generationi, vno modo existendi, & sequitur alio modo existendi: & additur nouissimè huic modo, quòd illa tota forma tali modo præexistens, est naturalis potentia de secunda specie Qualitatis, & quòd agit actione absoluta, quæ non respicit passum: generans autem extra agit actione respiciente passum, & hanc distinctionem actionis dicunt se habere à Simplicio super prædicamenta. ca. de Actione; sic ergo in speciali sunt quatuor modi ad istam partem quæstionis.

3 Christus fuit in Abraam, secundũ potẽtiam, passiuam,sed non secundũ seminalem rationem.

Alij impropriè sumentes vocabula, vocant potentiam passiuam materiæ rationem seminalem. Alij ipsum generans principale,sed vocabulum rationis seminalis specialiter ab Augustino habetur, qui non loquitur primo modo. Nam Christum negat fuisse in Abraam secundùm rationem seminalem: in quo tamen fuit aliquo modo secundùm potentiam passiuam:licèt remotam.Ita & leui secundum remotam: quem tamen concedit ibi fuisse secundum rationem seminalem, super Genesim ad literam. Tunc etiam nihil concederet Deum posse facere ex materia, nisi secundùm rationes seminales, licèt alio ordine, quàm agens naturale faceret: nihil enim fortè fieri potest ex materia,ad quod ipsa non est in potentia passiua. Quære in nono q.12.Nec loquitur secundo modo, quia semen ex ratione sua videtur aliquid imperfectum, quale non est agens principale.

Refutantur duæ opiniones positæ.

His ergo duobus modis tanquam impropriis omissis, primi quatuor tanquam falsi improbantur;primus sic: quia aut forma generis prioris est pars formæ generis posterioris:vt forma substantiæ pars formæ corporis,& sic deinceps:aut non; si non, non vitatur per hoc creatio, quia forma corporis non est de aliquo sui; si sic, ergo forma prior realiter eadem, est pars formarum contrariarum, quarum vna succedit alteri per generationem, quod videtur inconueniens. Consequentia patet, quia forma prior in generatione secundùm totam suam entitatem manet; aliàs quomodo non erit creatio; Ista autem in vna materia, est vna numero, & ipsa eadem fuit pars formæ corruptæ, & fit pars formæ generatæ.

Secundus modus reiicitur.

Contra secundum sequitur, quòd vniuersaliter forma substantialis suscipiat magis, & minùs:sed quia hoc non est ostensum hìc esse inconueniẽs: arguo aliter, ex parte præcedente, & sequente, quomodo fit vnum, aut sicut ex actu, & potentia: & nunc non erunt vnius rationis: aut sicut ex elementis,vt ex *A* & *B*, fit *AB*.& tunc oportet dare tertium, quo forma est vna. Item, aut pars formæ adueniens immediatè educitur de potentia materiæ,aut mediante alia parte,siue immediatè de illa alia parte. Si primo modo, frustrà ponitur propter vitandam creationem, quia sine illa prima ita immediatè secunda educeretur de potentia materiæ. Si secundo modo,quomodo duæ eiusdem rationis sic se habebunt,quòd vnum sit subiectum transmutationis, & alterum est terminus, præcipuè cùm potentia actiua quæcunque, vt probatur 9. q. 9. æquè per se respiciat quodcunque,in quo saluatur ratio sui obiecti primi;igitur naturalis vis generatiua,& corruptiua æquè respicit illam partem præexistentem, & aduenientem; ita quòd sicut potest super istam aduenientem, vt per eius actionem sit, & non sit, ita videtur quòd super aliam

aliam partem. Quomodo igitur illa eſt perpetua in materia?

4

Contra tertium modum non oportet multùm niti, quia ponit accidens ſine ſubiecto, hoc eſt, ſine hoc, quòd informet ſubiectum, & formam materialem corruptibilem ſine hoc, quòd perficiat materiam, & multa alia, quæ poſſent inferri. Contra quartum, præter hoc, quòd formam ſubſtantialem totam, (licèt ſecundùm alium modum eſſendi) ponit aptitudinem, vel habilitatem de ſecunda ſpecie Qualitatis, præter hoc etiam, quòd illum modum eſſendi dicit eſſe in potentia (& alij dicunt, non ponentes aliquid aliud à materia cum materia iam exiſtens, ſed poſſe priùs exiſtere,) præter illa, inquam, alias improbationes, (quomodo idem generabit ſe? & quomodo aliqua actio ſine paſſione? nec Simplicius hoc vult) quære in 60. 13. quæſt. 3.

Reiiciuntur tertius, & quartus modus.

Contra iſtos modos ſimul, quòd primum motiuum nihil ſit, probo: quia poſitis quibuſcunque præexiſtentibus, aut aliquid nouum eſt, cuius nihil præfuit, aut non: ſi ſic, quæcunque præexiſtunt fruſtrà ponuntur propter creationem vitandam: quia aliquid quàntumcunque modicum eſt & non ex aliquo ſui: ſi non, nulla eſt generatio, quia quodlibet in quolibet ante generationẽ: nulla enim entitas quantuncunque perfecta eſt noua.

Gandin.

Ad euitandam creationem non ponenda pars forma, præexiſtens.

Quòd ſecundum motiuum nihil ſit, probo: aut illud intrinſecum eſt ex ſe omnino ſufficiens actiuum ad generationem, aut non; ſi ſic, ſemper aget, & ita omnes formæ ſimul inducerentur; aut ſaltem illa ſemper ad quam eſt fortior potentia actiua. Similiter quis ponit imperfectius, ſufficiens actiuum reſpectu perfectioris? Si non, ergo priùs naturaliter agit agens extrinſecum, quàm illud intrinſecum. Alioquin ſemper illud intrinſecum egiſſet, licèt imperfectè, & ita nunquam materia aliqua erit in quieto *eſſe* ſub aliqua forma, & in illo priori naturæ, in quo intrinſecum non coagit, eſt actio violenta ſecundùm ipſos; fruſtrà ergo ponitur illa potentia, propter naturalitatem ſaluandam in generatione, quia tota generatio in quolibet inſtanti temporis, ſiue naturæ eſt æquè naturalis.

Non eſt ponẽda præuia pars formæ, vt generatio ſit naturalis.

Propter iſtas duas rationes cùm oſtendat, nullam eſſe neceſſitatem ponendi tales inchoationes, propter illa, propter quæ præcipuè ponuntur, & nunquam ponenda ſunt plura ſine neceſſitate, & etiam ſenſui ſatis contraria. Conceditur, quòd non oportet generaliter in naturalibus ponere tales inchoationes, nec etiam quaſcunque coæuas materiæ tranſmutabili. Quod confirmatur per Ariſt. in litera. t. c. 29. *Domus tantùm fit ab extrà, ſic tamen vtique & ignis.* Vnde reſpectu ignis nullum actiuum ponit infrà.

SCHOLIVM II.

IN *ſemine eſt vis quedam actiua, indita à generante, in ordine ad productionem ſimilis ipſi generanti, hac tamen non attingit ipſam ſubſtantialem generationem, tum, quia non eſt, quando generatio eſt; tum, quia imperfectior eſt forma geniti, de quo latiùs Sco. 2. d. 18. reiicit aſſerentes, in putrefactione aliquid inſtar ſeminis à corpore caleſti imprimi, quia cùm hoc non ſit agens eſſentialiter ſubordinatum principali agenti, poterit hoc ſine illo agere, & contra rationem eſt, ignem per aliquid ipſi impreſſum agere in ſe, ad ſui deſtructionem.*

5

Reſtat ergo inquirere, an in aliquibus naturalibus in ſpeciali, & in quibus ponendæ ſunt inchoationes, ſiue rationes ſeminales, licèt non ſunt coæuæ materiæ. Vbi ſciendum, quòd quædam naturalia immediatè producunt ſimilia; quædam mediatè; quædam neutro modo. Exemplum, ignis, bos, Sol, vel Angelus. De ſecundis videtur manifeſtum, quòd ipſa ſecunda immediatè producunt ſemina, ex quibus vltima ſunt ſimilia primis agentibus immediatè generanda, in quibus ſeminibus videtur quædam vis intrinſeca, actiua aliquo modo ad productionem ſimilium primis generantibus ſemina, quæ vis indita ſemini à generante vocatur *ratio ſeminalis.* Talium ſeminum forma non videtur principaliter intenta à natura, ſed propter aliud ex ſemine generandum; quaſi talis forma ſit via in naturali proceſſu ab imperfecto ad perfectum, ſicut è conuerſo forma cadaueris non videtur ex ſe principaliter intenta, ſed quaſi via in proceſſu à perfecto in imperfectum. Patet autem, quòd talis forma non eſt coæua materiæ, ſicut nec alia principaliter intenta, immò minùs permanens in materia; nec per conſequens virtus actiua conſequens ipſam erit coæua, quia iſta non manet, niſi cum forma ſubſtantiali ſeminis: nec in iſta eſt virtus actiua reſpectu generationis, propter duas rationes tactas in quæſtione de conſequentia Ariſtotelis contra Platonem, ſcilicet quia non manet in inſtanti generationis, ſicut nec forma, quam conſequitur: quia ſi ponatur eſſe in ſemine maris, & quod illud manet; licèt ſemen fœminæ, quod eſt materiale reſpectu fœtus corrumpatur, ſaltem ſtat ſecunda ratio, quia illa virtus eſt imperfectior, quàm forma inducenda. Imperfectius non eſt cauſa perfectioris. Nec valet dicere, quòd virtute decidentis, ſemen poteſt vltra ſpeciem ſuam: quia licèt vbi eſt ordo eſſentialis duarum cauſarum ad producendum effectum ſecundum, poſſit vna in virtute alterius, quod non poteſt ſola: non tamen vbi eſt accidentalis, & ratio patet ex diuiſione potentiæ actiuæ in totalem, & partialem in 9. q. 12. & ex dictis in 2. quæſt. de ſtatu cauſarum. Omnis autem cauſa, quæ non aliam habet actionem reſpectu tertij, niſi quod producit in eſſe cauſam agentem immediatam, eſt tantùm cauſa accidentaliter ordinata reſpectu illius tertij, quia poteſt non eſſe iſto producto agente tertium, quod non conuenit communiter in eſſentialiter ordinatis. Patet ergo eſt cauſa accidentaliter ordinata ad effectum productum actione ſeminis: quare, &c. Ex his patet, quòd vbi manifeſtè videtur ponendum ſemen, in ipſo nulla eſt ratio ſeminalis coæua materiæ, ſed corruptibilis etiam non actiua in generatione, ſed ad alterationem tantum præcedentem generationem.

Quid eſt ratio ſeminalis?

Forma ſeminis non eſt coæua materia.

Semen non eſt actiuum reſpectu generationis. Sco. 2. d. 8.

Cauſa eſſentialis, & accidentalis, quomodo differunt?

6

Reſtat vltrà videre, an ratio ſeminalis ſecundũ iſtas conditiones inueniatur in aliis à prædictis, puta in generatione putrefactorum, ſeu inanimatorum, ſeu elementorum. Dicunt quidam, quòd in generatione ex putrefactione imprimitur à corpore cæleſti virtus aliqua ſimilis illi, quæ eſt in ſemine propagantis, quæ virtus eſt ibi ratio ſeminalis; ſimiliter in generatione inanimatorum, vt lapidis, & mineralium. Similiter tandem in generatione elementorum immittitur elemento corrumpendo talis virtus à generante; ita quòd vniuerſaliter vbicunque eſt ratio ſeminalis in corrumpendo à principio alterationis primæ generationi,

generationi, licèt illud corrumpendum non sit propriè semen, quia non à principali generante, & quia principaliter intentum non propter aliud vt via.

Contra istam positionem: vbicunque est virtus talis, cùm non sit essentialiter ordinata in agendo respectu principalis generantis, videtur quòd illo amoto, habebit actionem propriam: non sic in istis, quia passa per nullam virtutem receptam videntur actiua in se, non præsente agente extrinseco, quod maximè apparet in elementis, quia amoto extrinseco agente, non perficiunt ad formam generandi, sed redeunt ad naturam propriam.

SCHOLIVM III.

Semen *tantùm ponendum esse, vbi absente agente extrinseco, ipsum alterandum ex se perficit, vbi fiat generatio: vnde non est in putrefactione, nec in productione mixtorum inanimatorum, vel elementorum. Vide Scot.* 1.*d.*2.*q.*7.*num.*27. *&* 4. *d.* 43. *q.* 1. *vbi docet genita ex putrefactione, & propagatione esse eiusdem speciei, de quo fusè Anton. Trombeta hîc q.*5. *Ad primum, explicat quo sensu creatio dicitur ex nihilo, de quo agit* 2. *di.* 1. *q.*2. *&* 3. *d.* 11. *q.*1. *Ad secundum, naturalitatem motus sumi per respectum ad principium internum passiuum: ita habet* 2. *d.*18. *ad* 3. *pro opin. num.* 6. *vide hîc circa hoc optimam doctrinam. Ad illud de artificialibus, quomodo differant à naturalibus, vide eum* 2. *d.* 18. *&* 2. *Physic. q.* 1. *Ad illud de casu, & fortuna, vide latè Scot. quodlib. vlt. &* 2. *Physic. tex.*29. *& d.*49. 43. *q.*4. *vbi explicat benè diffinitionem violenti.*

7

In quibus ponendum est semen?

Ad quæstionem ergo dici potest, quòd quia pluralitas non est ponenda sine necessitate, sicut vniuersaliter negatur ratio seminalis coæua materiæ; ita ponitur in generali, quòd non sit ratio seminalis in quacunque alteratione præuia generationi, sed solùm in illa, vbi ex sensu necesse est eam ponere: & hoc est vbi absente agente extrinseco, alterandum ex se perficit, vt fiat generatio: quod in nullis videtur, nisi in genitis ex semine propriè; ideò ibi solùm ponitur ratio seminalis, nõ in putrefactione, nec multò magis in inanimatis mixtis, nec respectu elementorum: immò nec in genitis ex semine animalibus, & plantis, poneretur ratio seminalis, ita quòd esset actiua, nisi manifestũ esset, quòd semen ibi alteratur sine præsentia agentis extrinseci; quod si poneretur, illam alterationem esse à continente, vel à corpore cælesti, nec ibi poneretur vis actiua; patet ergo vbi ponenda sit.

Creatio excludit subiectũ: & est ex nihilo eius. Sco. d. 1. *q.* 2.

Ad primum argumentum, aut concede nihil nouum omnino; aut quodcunque nouum esse immediatè à solo Deo; aut aliquid à creatura produci omnino nouum, ita quòd nihil eius præfuit; quòd si primum est inconueniens, & destruit omnem mutationem, & secundum, quia tollit omnem actionem à creatura, da tertium, & si contendas illud esse creationem; vide quid sequitur. Propriè autem potest dici, quòd creatio est sic de nihilo, non vt ex termino: sed vt ex subiecto, quòd nullum subiectum habeat in productione illa, aliquam rationem causalitatis; ita quòd nullum subiectum concauset causatum cum efficiente, cuius oppositum semper accidit respectu naturæ, non Dei, quia ibi natura nihil concausat, licèt quandoque concurrat posterius natura, quàm causatum causari. Ad secundum, dicitur primò, quòd nunquam motus dicitur naturalis propter principium actiuum intrinsecum, sed tantùm propter passiuum. Secundò tamen, quòd naturalia, vt in pluribus communiter habent in se principium actiuum alicuius motus.

Motus dicitur naturalis propter principium passiuum. 2. *Physic. tex. c.* 3.

8

Primum patet, tum, ex diffinitione naturæ, quæ est *principium motus eius in quo est, primum,* &c. Impossibile est autem, quòd in moto primum sit principium actiuum mouendi, quia ratio mouentis, & moti si concurrant in vno, hoc est per accidens, quia possunt diuidi; & ita quod est vnius, non est alterius primum: sed erit per accidens. Patet etiam in exemplo de Medico sanante se. Tum, quia moueri naturaliter, est moueri sicut mobile aptum est moueri, nunquam aptum est sic moueri, quia habet principium actiuum talis motus: quia tunc calidum esset aptum natum calefieri, immò si concurrat aptitudo ista, & principium actiuum, hoc est per accidens. Exemplum, imaginãdo remanere in graui illud, quo inclinatur ad esse deorsum, ablato principio effectiuo motiuo intrinseco deorsum, graue deorsum moueri ab extrinseco erit naturaliter, & sic motus naturalis. Tum, tertiò à maiori, quia in propagatis, vbi magis videntur esse, non sunt in instanti generationis.

Graue naturaliter caderet, etiam si non à se effectiuè.

Secundum patet, quia multa naturalia habent principium motus, & mutationis; vt animata, plura alterationis. Quære in 9. quæst. 9. plurimà loci mutationis: generationis autem nihil habet principium actiuum; quia forma substantialis imperfectior non est motiua ad perfectiorem, nec similis ad similem in eadem materia; patet.

Multa naturalia habent principia actiua motus in se.

Ad omnes autem probationes de principio actiuo, quæ sunt contra primam responsionem, respondetur. Ad primam istarum dicitur, quòd sicut principium actiuum est *quo,* nòn *quod,* ita & passiuum. Ita quòd non est in quo, sed principiũ eius, quod est in alio, cuius illud principium. Cùm additur, quòd forma est magis natura quàm materia. Respondetur, quòd forma quandoque est principium passiuum, sicut in alterationibus, vbi subiectum non inclinatur naturaliter ad qualitatem, ad quam alteratur, nisi inquantùm est per formam determinantem ipsum ad hoc.

Forma est quandoque passiua.

Ad aliud de differentia inter naturalia, & artificialia. Respondeo, materia artificialium nullam aptitudinem habet ad formam artificialem: aut quia illa nihil est, aut si aliquid, aut est contra inclinationem materiæ, vt omnes formæ inductæ per diuisionem continui, & per ordinem partium in toto aggregato contra naturalem inclinationem earum, vt in domo; aut est præter illam inclinationem, ita quòd materia nec ad ipsam inclinatur, nec ad oppositum, nullum istorum trium accidit de forma naturali.

9

Materia non appetit formas artificiales.

Cùm additur, quod est in potentia passiua, aliter impossibile esset fieri. Respondeo, quòd potentia passiua inuenitur sine aptitudine, vt in lapide ad sursum, & èconuerso, vt in cæco ad videndum naturaliter. Iudicatur autem aptitudo ad hoc, aut ex hoc, quod illud habet sibi derelictum, aut quia si haberet, naturaliter perficeretur secundũ illud, quod iam habet prius natura. Ad illud de domo. Intẽtio Aristotelis est ibi, quòd sicut ars agit propter finem, quia per media determinata

propter

propter vltimum, ita natura, quia similiter faceret domum quo ad hoc, vt ars facit. Ad illud de nauifactiua, ibi loquitur, quòd natura non propter hoc, non agit propter finem, quia non deliberat, quia & si nauifactiua esset in lignis perfecta, ageret propter finem, & non deliberando; ita natura suo modo quo ad hoc.

10 *A significat efficiens.*

Ad illud *A* respondeo per secundum notabile in principio solutionis secundi argumenti, quia communiter est *A*, licèt non sit de necessitate naturalis motûs, forma enim naturalis communiter est aliquod *A*, Artificialis nullum: immò nec *A*, nec ex naturalibus semper est alterum. Ad illud de 6. Metaph. dicitur per idem, quòd omne naturale habet aliquod principium alicuius motus, artificiale nullius. Contrà, ergo à practica per illam differentiam non distinguitur Physica, nisi inquantùm considerat naturalia, quo ad illos motus, aliter aliquod naturale respectu omnis motus. Contrà, ergo non distinguit ibi Aristoteles à practica nisi Physicam de aliquo naturali. Similiter falsum dicitur, quia multis Physicis potest etiam inesse motus violentus, aut neuter. Tertiò dicitur, quòd principium factibilium est in faciente cognoscente, non sic naturalium. Contrà: Arist. t.c.3. huius & suprà dicit, naturalium autem in motis, oportet principium vniformiter accipi. Respondeo, factibilium principium omne per se ordinatum ad *esse* eorum, est in cognoscente, præscindendo omne principium in facto: naturalium autem principium aliquod, quia passiuum naturaliter inclinatum est in moto; ergo vniuersalis differentia. Ad illud de casu: æquiuocatur, natura vt est principium actiuum ad vnum ex se, contra propositum non determinatum ad opposita: & vt principium motus naturalis, contra violentum. Patet enim, quòd quando ignis aquam alterat, ibi est natura primo modo, non secundo. Primo modo ad naturam reducitur casus: nihil ad *B*, de secundo. Ad illud de 3. Ethicorum, *vim* debet construi cum *passo*: non cum *conferente*: nisi *non* intelligatur priuatiuè, siue contrariè, non negatiuè tantùm. Ad vltimum de litera hîc: calor est pars sanitatis virtualiter: quia continet ipsam, licèt non secundùm vltimatum gradum eius formaliter, sed excellentiori modo, ideò illam causat sic in omnibus genitis à casu; ideò nulla substantia est à casu. Patet enim quòd sanitas de qua exemplificat, potest virtute contineri in qualitate absoluta, reductiua aliarum ad æqualitatem, quæ æqualitas est sanitas, vel concomitans eam: nunquam est sic in substantia.

Principium naturale est actiuum alicuius motus.

Principium naturalium, & factibiliū differunt.

Quomodo casus reducitur ad naturam? Violenti diffinitio exponitur.

Substantia nunquam fit à casu.

ANNOTAT. MAVRITII.

11

SEquitur quæstio duodecima de inchoatione formarum, seu de rationibus seminalibus, text. com.29. quæ famosa & magnæ altercationis apud antiquos, & modernos existit. Variè Stoici, Epicurei, & Peripatetici, atque Arabes in hoc problemate sentiunt. Vide copiosè 2. Phys. vt nosti & in Henr. quodlib. 4. q. 14. & 18. dist. secundi Sententiarum in doctrina huius, & aliorum Theologorum, & in Alber. hîc & in summa Theologiæ, & in Thom. hîc & in 2. vbi suprà, & in q. de potentia, q.3. & de virtutibus, q.3. & in tractatu de natura materiæ, & dimensionibus interminatis, & Varr. dist.12.2. & Ocham in 5. Sententiarum, & Aug. notanter, 3. de Trin. & Medicos, vt Galenum, & Conciliatorem differentia 48. & 101. & copiosè in quæst. trium principiorum, vbi hanc quæst. disputauit.

Recitat opinionem famosam prædictorum plurium, & Alberti, & sequacium, quam variè subdiuidit secundùm diuersorum imaginationē, & impugnat omnia membra de inchoatione formarum, & addit resolutè quid tenendum est. Deinde inuestigat, qualiter sunt ponendæ rationes seminales: & in quibus, & quid sint, non tamen ponendo eas coæuas materiæ, vbi valde notanter, & resolutè habes de veritate quæsiti.

Pro declaratione eorum, quæ dicit in solutione primi principalis. Vide in 3. dist. 11. q.1. & in 2. dist. 1. q.2. & infrà, & dist. 9. eiusdem, soluendo argumenta 1. q. & dist. 17. eiusdem, & 18. & alibi sæpè vt nosti. Quære glossam in principio super Gen. Vide etiam in 4. q.1. idem.

Similiter ad ea, quæ tangit in solutione 2. motiui principalis, vide super Phys. antiquos, & modernos, & in 1. q.1. prolog. & in 2. vbi suprà, & dist. 2. specialiter q. 10. & in 4. dist. 43. q. 4. & super 5. Metaphys. cap. de natura in expositione huius, & consequenter de differetia naturalium, & artificialium. Tange plura, vt nosti, omnia benè masticando.

Pro declaratione vlteriori illius diffinitionis violenti, vide in 2. vbi suprà, & super 3. Ethicorū, vt scis, & in 3. dist. 16. & in 4. dist. 29. optimè, & 43. & alibi: litera satis benè correcta, & ordinata est: plura diligens lector addat.

Callias & Socrates: Et diuersa quidem propter materiam. Diuersa namque: idem verò specie: nam indiuiduæ species. *Text.com.*28.

Singulare verò ex vltima materia, Socrates iam est: & in aliis similiter. Et infrà.

Horum autem non est diffinitio: sed cum intelligentia, aut sensu cognoscuntur: hoc est cum actu videntur. *Text.comment.*35.

Primum enim substantia, quæ vniuscuiusque propria vniuscuiusque, quæ non inest alij. *Text.com.*45.

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm natura lapidis de se sit hæc, vel per aliquid extrinsecum?

Auicen. 5. *Met. cap.* 2. & 4. Auerro. 3. *Phys. comment* 60. Boët. *cap. de specie & lib.* 1. *de Trin. cap.* 1. D. Thom. 1. *p. q.* 50. *a.* 4. Occam *in* 1. *dist.* 2. *q.* 4. & 6. Gab. *q.* 6. Adamus *dist.* 33. *q.* 8. *art.* 5. Durand. *in* 2. *dist.* 3. *q.* 2. Aureol. *in* 2. *dist.* 9. *q.* 3. *a.* 1. & 2. Henr. *quodlib.* 5. *q.* 8. & 15. Caiet. *de ente & essen. q.* 5. Ægid. *quodlib.* 1. *q.* 5. *a.* 1. *art.* 2. Rada *tom* 1. *Controu.* 3. *art.* 4. Suar. *disp.* 5. *Met. sect.* 2. Hurt. *ibid sect.* 5. Auersa *q.* 9. *Log. sect.* 2. Vide Scot. *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 6.

1

QVòd nonde se: cui inest vnum oppositum de se: ei non inest aliud; nec per se, nec per accidens: si ergo natura esset hoc aliquid de se, repugnaret sibi multitudo; & tunc natura non posset

posset esse in multis. Ideò enim essentia diuina ponitur indiuisibilis, quia est de se hæc. Confirmatur illa ratio sic:obiectum prius naturaliter est ipso actu, in illo priori per te; natura est de se hæc; ergo intellectus non potest intelligere eam sub ratione vniuersalis, nisi intelligendo eam sub opposita ratione illi, quam habet inquantùm est obiectum, & ita intelliget non obiectum, & opposita simul, aut fictionem intelligeret, & nihil rei, nisi sint gradus vniti. Item, quæ differunt propriè, aliquo sui differunt; indiuidua propriè differunt, non enim sunt primò diuersa, quia tunc ita essent realiter diuersa Socrates, & Plato, sicut albedo, & linea; ergo in aliquo reali conueniunt; igitur illud non est de se hoc. Item, eodem est hoc aliquid in se, & distinguitur ab alio hoc aliquo; sed natura de se non distinguitur ab alio, hoc aliquo; tunc enim non esset ille lapis, lapis; ergo de se non est hic lapis. Item, si lapis de se formaliter esset hic lapis; omnis lapis esset hic lapis. Consequentia patet, quia quicquid inest naturæ ex se, inest ei in quocunque inuenitur. Item, diffinitio exprimit naturam rei. Si ergo lapis esset de se hic lapis, diffinitio primò esset alicuius lapidis particularis. Item, cuius primò est diffinitio, istud est idem cum suo *quod quid est*, contra Aristotelem, text. comment. 34. huius, quia concepta cum materia, non sunt idem. Item, passio realis, vt operari, & generari, inest primo indiuiduo, & non speciei; ergo aliquid est in indiuiduo additum respectu cuius illud inest sibi primò.

EXTRA.

Nota, primum argumentum hìc, & secundum, idem important:& confirmatio primi bona est:tertia ratio est bona,quarta ratio,& quinta sunt idē: nec multùm valent; quia diceretur,quòd diffinitio est substantiæ secundùm rationem; igitur primam, & tertiam tene.

Contrà: quarto Metaphysicæ, t.c.3. idem est homo,& vnus homo,& ille homo,& nihil additum. Item,si natura est hæc per additum, aut per substantiam additam,aut per accidens additum,si primo modo, tunc per illud additum natura speciei posset diffiniri, & cùm illud faceret per se vnum cum specie: species erit genus, & prædicaret partem indiuidui, & non totam naturam indiuidui,sicut nec genus specierum.

SCHOLIVM I.

Ponentes *indiuiduum constitui per positiuum, variè sentiunt de illo positiuo. Quidam aiunt esse circumstantias,vel proprietates,quos hìc citat Doctor. Alij, quòd est quantitas,de quo latè agit 2.d.3.q.4. Alij,quòd materia de quo 16. q.3. Tandē alij, quòd est respectus ad producens. Reiicit quatuor viis efficacissimis tres primos dicēdi modos, quatenus conueniunt in eo, quòd substantia indiuiduatur per accidens; nam licèt tertia sententia dicat per materiam indiuiduari, addit huic signationem quantitatis. Tractat has rationes magna ex parte 2. dist. 3. quæst. 4. & 5. Eadem rationes procedunt contra quartum, & quintum modum, quia videntur velle, indiuiduationem fieri per accidens, vel accidentia.*

2 Circa istam quæstionem quidam dicunt, naturam indiuiduari per aliquid positiuum, aliquo modo aliud à natura, quidam non. Prima pars habet quinque vias. Prima de multis accidentibus aggregatis propter huiusmodi indiuiduum. Constat enim etiam secundum Porphyrium, ex septem proprietatibus. Et Boëtius ibidem in commento; idem de Trinitate Damasc.& Auic.5. Metaph. 2. Alia est specialiter de quantitate, Aristoteles 5. cap. de Quanto,diffinit quantum: *Quantum est, quod est diuisibile in partes eiusdem rationis*; ergo si sibi primò conuenit hoc, cuilibet alij conuenit per naturam eius: diuidendum in indiuidua est in partes eiusdem rationis. Confirmatur per Boëtium de diuisione quantitatiua;& qualitatiua.

Lib.1. cap.1. In elucid.c.5. Text.com.18.

EXTRA.

Hic malè allegatur Aristoteles, patet ex litera ibi, etiam patet de diuisione numeri in partes alterius rationis. Et dato, quòd nunquam partes diuidentes haberent aliam rationem à toto diuiso, non tamen esset diuisio in partes subiectiuas: quia nullum diuidentium quantum, *est ipsum diuisum, quod requiritur in toto vniuersali, & parte subiectiua. Istius rationis solutio diffusiùs alibi habetur.*

Tertia est de materia 5. Metaphysic. *Diuersa numero: quorum materia altera*, & hìc, *generans generat aliud propter materiam.* Et in 12. probat non posse esse plures Deos, quia non habent materiam. Et de Cœlo,& mundo, *Cœlum dicit formam, hoc cœlum materiam*, & concludit non posse esse aliud cœlum, *quia illud est ex tota materia sua.* Quarta est de esse actualis existentiæ.

Text.com.12. Text.c.28. Text.com.12. Text.com.92. & 95.

Confirmatur: vltimata determinatio est per vltimam actualitatem determinantem: vltima actualitas, ad quam quilibet præintellectum est in potentia,& determinabile, est *esse*. Item, singulare videtur esse per se terminus productionis, generatio autem per se est ad *esse*. Quinta est de respectu ad agens producens; quia sicut ex respectu ad intellectum habet rationem vniuersalis: ita ex respectu ad producens, videtur singularis, non enim videtur alia causa communis omni singulari:quare natura est singularis; nisi quia productùm in esse ab agente:& ita per respectum ad agens.Primæ duæ viæ patent, quòd ponunt accidens formaliter indiuiduare. Tertia etiam communiter ponitur includere secundam, quia differentia in materia absolutè secundum rationem potentialitatis,distinguit genera Physica, ex fine, 10.text.c.24. & inde. ergo illa,quæ distinguit indiuidua,est differentia partium eiusdem rationis: quarum vna est extra aliam, & aliam formam recipit; sed illa diuersitas ponitur in materia esse per quantitatem. Quarta etiam ponit accidens,si illud esse ponitur accidens. Quinta etiam, si ille respectus est accidens.

Illud autem,quod videtur commune omnibus, aut saltem tribus primis opinionibus de indiuiduatione per accidens, formaliter potest improbari quadruplici via satis rationali. Prima sumitur ex ratione entis per se. Secunda ex ratione prioritatis substantiæ.Tertia ex ratione vnius numero. Quarta ex ratione coordinationis prædicamentalis. Ex prima via arguitur sic;quod est ens primum, & verissimum, est ens per se; quod per se generatur, est ens per se; quod per se operatur, est ens per se; quod per se recipit prædicationem alicuius, est ens per se: prima substantia est

Tribus viis probatur, indiuiduū substantia non constitui per accidens.

Text.c.12.& inde. Text. com.7. Text.com.14. Text. com.4. & inde. Text.com.12. & inde. Text.com.4. Text.com.7.

primum ens, & maximè ens in Prædicamentis; per se generatur ex cap.7. septimi; per se recipit prædicationem speciei, quia in quid, ex diffinitione speciei, ergo prima substantia est ens per se. Aggregatum ex substantia, & accidente, est ens per accidens ex 5. Metaph.cap.de Vno; & cap.de Ente, & ex 6. cap. 2. & ex 7. cap.3. quare prima substantia non est tale aggregatum; non ergo includit accidens. Maioris duæ partes patent ex c.2. sexti, quia ens per accidens, est non ens. Similiter auctoritate Platonis, eius non est generatio, ibid. Tertia pars ex 5.cap.de Vno. Musicus Coriscus, & Coriscus sunt vnum per accidens. Hîc respondet Ægidius de illo modo derelicto in materia ex quantitate. Contrà, quare albedo non derelinquit albedinem aliam à se? Item, quid est illud relictum? Si tantum est à quantitate, non est ipsa quantitas, nec nihil, nec substantia; igitur accidens, & redit idem, quod priùs.

In communitatibus. Text. non habente Commentum.

Ex secunda via sic; substantia est prior omni accidente natura; ergo & hæc substantia. Consequentia probatur tripliciter. Primò, quia accidens commune inest indiuiduo, per Porphyrium, & Aristot. *in 5 cap.de Eodem*, illa est prior, quia est subiectum. Secundò, quia sicut substantia ad accidens, sic hoc ad hoc. Tertiò, quia si tantùm substantia in vniuersali esset prior accidente, cùm illa vt sic, tantùm sit ens rationis, prioritas eius non esset prioritas naturæ, sed rationis tantum, quia prioritas naturæ cùm sit realis, non videtur esse alicuius, nisi secundum entitatem realem. Hæc probatio est sophistica, licèt apparens. Prima probatio est bona. Et confirmatur sic; causa nullam conditionem necessariam ad causandum potest recipere à causato, quia tunc illud causatum esset causa sui, aut saltem prius seipso naturaliter, conditio necessaria in substantia, ad causandum accidentia, est singularitas, per illas auctoritates. Et etiam quia sicut vniuersalium sunt quasi vniuersales, sic singularium singulares 5. Metaphysicæ. Item, ex eadem via sic: sicut non est contradictio, intelligendo substantiam habere propriam existentiam, sine quocunque accidente, hæc enim est prioritas eius tempore: ita non est contradictio intelligere ipsam eandem in propria existentia, cum mutatione quorumcunq; accidentium; igitur eadē substātia posset esse successiuè indiuidua, duabus singularitatibus, si esset singularis per aliquod accidēs.

Causa nullā conditionem ad causandū accipit à causato. T.c.3. inde. 12. Metaph. T.c.27. & 2. Physic. T.com.38.

4

Ex tertia via tripliciter. Primò, quia substantia non mutata, non fit non hæc. Secundò, quia substantialis mutatio, alia est ad non hanc. Tertiò quia vnū cuilibet conuenit secundùm propriam rationē, sicut ipsum est terminus creationis, commune omnibus nulli est accidens in infinitum.

Ex quarta via similiter. Primò sic; in omni Prædicamento intrinsecè est inuenire omnia particularia ad coordinationem prædicamentalem, circumscripto quolibet, quod est alterius Prædicamenti, aliàs non essent totæ coordinationes primò diuersæ; ergo sicut in Prædicamento Substantiæ est reperire species, & genera intermedia, non per aliquid alterius generis, ita & indiuidua, cùm indiuiduum sit primum subiicibile illius coordinationis, sine quo non est coordinatio: sicut nec primo prædicabili, quia ad vtrumque est status in coordinatione ex 1. Posteriorū, text. com. 34. & inde. Secundò sic, & est confirmatio præcedentis, quia si species est in genere Substantiæ circumscriptis aliis; ergo habet diffinitionem speciei, scilicet quòd nata est prædicari de multis; igitur illis circumscriptis, sunt multa, de quibus nata est ipsa prædicari, aut saltem aliquod: non enim est intelligere prædicabile sine subiicibili, cùm sint simul naturâ; ergo quo prædicabile est prius natura, eo & subiicibile; prædicabile verò vt species, prius est quocunque alterius generis. Item tertiò sic: quando passio nata est alicui inesse, præcisè secundùm aliquam rationem, si secundùm illam ei inest, simpliciter ei inest. Exemplum de crispitudine hominis secundùm caput, vniuersalitas non est nata inesse alicui in genere Substantiæ, nisi inquantùm præcisè est illius coordinationis; igitur si sic, inest æqualiter vt priùs, & simpliciter inest æqualiter: sed quacunque determinatione facta, per aliquid alterius coordinationis circa ipsum, nihil immutatur de propria ratione eius, inquantùm est suæ coordinationis: igitur ita manet vniuersale, & non contractum in coordinatione sua, post talem determinationem, sicut & ante.

In omni Prædicamento sunt necessaria ad eius coordinationē sine vllo alterius Prædicamenti.

SCHOLIVM II.

Refvtat *sigillatim subtilissimè, & clarissimè quinque vias, quibus alij ponunt substantiam indiuiduari aliquo positiuo, de quo etiam fusè agit locis citatis in Schol.1. Sed hîc clariùs, quàm in Theologia rem tractat, & vt videtur non minùs efficaciter hîc premit aduersarios. Hîc in principio videtur velle eandem quantitatem manere in genito, & corrupto, sed oppositum tenet 2.dist.3. q. 4.num.17. de quo agit 4 dist.11.quæst.2.art.1. & dist.12. quæst.3.*

5 *Quare non diffinitur indiuiduum.*

Singulæ autem dictarum opinionum præter hæc, propriis viis improbantur. Prima, quia ex communibus nunquam fit ratio propria ex 7. contra Platonem t.c.45.& inde. Et per hoc probat indiuiduum non posse diffiniri, quia quæcunque communia simul iungantur, nunquam repugnat toti aggregato ex se esse in alio, ab illo in quo est: ergo non est eius diffinitio. Item, benè sequitur, quòd nec omnia illa simul indiuiduant, quia non faciunt formaliter aliquid, cui repugnet contradictoriè esse in alio. Contra secundam opinionem, aut quantitas interminata, aut terminata. Non prima, quia manet in generato igne, & corrupto aëre, & in aëre iterum generato ex igne: igitur primus aër & secundus esset idem numero. Non secunda: tum quia illa sequitur formam in materia, & quantitas indiuiduans ponitur in materia præcedere formam, vt faciens partem materiæ distinctam, & capacem formæ distinctæ secundùm eos, quia indistincta materia receptæ. Tum quia quantitas terminata mutatur per rarefactionem, & condensationem, & etiam secundum Auicen. 2. lib. 3. Metaph. suæ per diuersam figurationem: igitur mutaretur res mouens ab alia singularitate, in aliam. Item, quantitas in Sacramento Altaris posset diuina virtute, aliquem panem existentem, vel creatum informare: igitur ille non transsubstantiatus esset idem numero cum transsubstantiato, qui indiuiduabatur per illam quantitatem. Nunquam etiam panis singularis transsubstantiatur, quia manet quantitas eius, panis vniuersalis non est terminus à quo transsubstantiationis, sicut nec corpus vni

Eadem quātitas, an manet in genito?

Nulla quantitas indiuiduat substātiam.

vniuersale terminus *ad quem*. Posset etiam quantitas totaliter auferri ab aliqua substantia, & alia dari: ista esset duæ substantiæ numero, per quid ergo est lapis hic distinctus ab illo? Dicerent isti, quòd per quantitatem; & tunc sequitur, quòd hic lapis distinguitur ab alio, per quantitatem, cùm eodē sit hic, & distinguatur ab alio.

C. de Substātia. Text. com. 7.

Contrà: substantia est maximè ens ex isto 7. text. com. 2. & inde, sed prima substantia, est maximè substantia, ex Prædicamentis; ergo prima substantia est maximè ens, sed illud, quo aliquid est formaliter illud, est magis formaliter ens, quàm quod est per illud ex 7. si igitur sit hoc, nō substantia sed quātitate; igitur non substantia, vel quantitas est maximè, & magis ens, quàm aliqua substantia. Respondeo, lapis non est lapis per quantitatem, tamen lapis distinguitur ab alio per quantitatem.

6

Si quantitas indiuiduat substantiam est maximè ens. Text. com. 4. Substantia prior natura, & tempore, accidente.

Contrà: quòd lapis non distinguatur ab alio per quantitatem, probatio: accipiantur duo lapides, tunc sic: substantia est prior tempore, & naturâ omni accidente ex 7. ergo prima substantia, est maximè prior, cùm sit maximè substantia; ergo hic lapis est prior naturâ sua quantitate, & ille similiter: sed circumscripta quantitate, aut hic lapis manet hic, ita quòd nō sit ille: & habeo quòd in isto priori sine quantitate, distinguuntur isti duo lapides; aut non, & tunc vel iste manebit simpliciter, & destruetur alius, quod non est dare, quia non est magis vnus, quàm alius: aut ergo vterque manebit, quod est propositum; aut nulla substantia potest remanere sine quantitate: nec etiam intelligi remanere: & tunc substantia non est prior quantitate.

Sed dices, quòd iste lapis manet: & non distinguitur ab alio. Contrà: tunc ex duobus in actu, fit vnum: quia si habet materiam, & formam, est compositum in actu, antequam veniat quantitas saltem natura, & similiter alius. Si ergo fiant vnum, tunc ex duobus in actu, fit vnum per se.

Quòd materia non indiuiduat. 2. d. 3 q 5.

Contra tertiam viam sunt eadem, quæ sunt cōtra secundam, & specialiter arguo sic contra eam: Eadem materia, quæ est sub forma vnius indiuidui, potest esse sub forma alterius consequenter; ergo non est illud, quo distinguuntur duo indiuidua, & quo hoc est hoc. Respondetur, quòd vnitas specie præsupponitur vnitati numerali: inter autem aliqua eiusdem speciei non est mutatio.

Contrà: mutetur hic ignis in hanc aquam, & iterum hæc aqua in ignem, eadem est materia primi ignis, & secūdi, & eadem species; ergo idem ignis erit numero, & ille & iste respondeo, quòd materia dispergitur.

Contrà: hîc non est contradictio, quòd sit tota materia, est autem contradictio, quòd hic prior sit, ille alius posteriùs genitus naturaliter.

7

Aliter respondetur ad primum, quòd eadem materia numero, quæ est sub forma vnius indiuidui, potest esse sub forma alterius successiuè. Sed sic non distinguit, sed secundùm quod materia diuersa, simul est sub diuersis indiuiduis; ita quòd requiritur simultas temporis.

Contrà: ergo nulla duo indiuidua sunt in genere substantiæ, quod est falsum, quia substantia non mensuratur tempore secundùm se; ergo secundùm se non habet materiam, nec simul, nec successiuè; ita quòd ista sint de ratione materiæ inquantùm est substantiæ: & sic materia non distinguit indiuidua secundùm quòd substantia est absolutè.

Item Mathematica abstrahunt à motu, & tempore; ergo ibi non essent multa indiuidua distincta, simul in eadem specie, cùm non habeant materiam distinctam simul. Si dicatur, quòd debet intelligi de materia, prout est simul, & semel pars alicuius compositi; hoc negat positionem: quia tunc non materiat, sed materia nunc materians, vel simul sine interruptione materians; ergo tempus magis indiuiduat: sic enim materia per se quocunque amoto, semper esset, sicut albedo semper facit album, sequitur etiam, quòd cùm Mathematica abstrahant à tempore, in eis non est indiuiduatio contra Aristotelem.

3. huius, Text. c. 18. Existētia nō indiuiduat.

Contra quartam viam, quòd solummodò aliūde determinatur, non est vltimum determinans: esse non determinatur in diuersis generibus, & speciebus, nisi per determinationem essentiarum, quarum est esse, alioquin dabimus ipsi esse proprias differentias, & species, & genera præter illa quæ sunt quiditatis. Item, coordinatio prædicamentalis per se est secundùm quid inquantùm abstrahit ab *esse*, alioquin diffinitiones non essent necessariorum; esse ergo non est intrinseca determinatio alicuius in coordinatione. Contra 5. viā: ratio primæ substantiæ est absolutissima; igitur non est formaliter id, quod est per respectum. Item, iste respectus non est formalis terminus actionis, sed fundatus in formali termino: tunc si primus terminus est singularis, prius natura est singularis, quàm iste respectus, sicut fundamentum est priùs respectu.

SCHOLIVM III.

INTER *eos qui negant indiuiduationem fieri per positiuum, Nominales, & alij dicunt, naturam esse de se hanc, & singularem, sine vllo sibi superaddito, quos efficaciter refutat Doctor 2. d. 3. q. 1. Alij dicunt, indiuiduum constitui per duas negationes, vt Henric. quodlib. 5. q. 8. quem latè refutat Doctor 16. q. 2. Alij autem tenent, singulare constitui per secundam intentionem; cuius occasione fusè probat, naturam secundùm se habere vnitatem realem minorem numerica, de quo etiam agit latè 2. d. 3. q. 1, & prolixiùs multò Anton. Tromb. hîc q. 8.*

8

Pars opposita, quòd per nihil additum est indiuiduatio, habet duas vias. Vna est, quòd natura quælibet de se, & secundùm se, formaliter, sicut est natura, ita singularis: vniuersalis enim non est nisi ex intellectu considerante; ita quòd causam vniuersalitatis oportet quærere, quia illam non habet natura de se: non autem causam singularitatis, quasi natura priùs esset tempore, vel natura, non singularis, & adueniret pòst, per quod esset singularis, & falsa imaginatio est, secundùm illos. Vnde singularis naturæ nihil est causa secundùm istos: nisi sicut naturæ quatuor causæ quatuor: igitur causæ naturæ, sunt 4. causæ singularitatis, quælibet in suo genere. Sed in natura iam creata, non oportet aliquam causam singularitatis quærere. Exemplum posset poni de simpliciter, & secūdùm quid, circa quiditatem, & de *esse* vero, & de *esse* secundum quid, in intellectu. Primum habet ex se secundùm vnam opinionem, formaliter: & quæ sunt causæ naturæ, sunt causæ illius *esse*, non alia causa quasi media inter naturam, *esse*, vt quæ in natura iam creata sit causa *esse*. Ipsius verò *esse* in intellectu, alia est

Sententia Nominalist.

est causa, quia hoc est secundùm quid, nec naturæ inest ex se.

Contra illam sunt rationes factæ ad primam partem quæstionis, specialiter prima, aliæ sunt etiam probabiles.

Henr. quodlib. 5 q. 8.

Alia est opinio de duplici negatione. Vna est ad illud, quod est iuxta se, quâ non est illud. Alia est ad illud, quod posset intelligi sub se, quâ non est diuisibilis in inferiora. Quandoque videtur dicere illam negationem esse formalem rationem 39. ita fortè, & in quodlibet 5. q. 14. quandoque limitationem naturæ, quam consequitur negatio.

Contrà, si limitationem dicit eius causam, synonyma videntur sic limitatum, & indiuiduum. Si negationem, non primam: quia sic constitueret speciē, nam eiusdem rationis est ibi, ad illud iuxta se. Non secundam, quia illud positiuum videtur. Quære in 4. qu. de Vno: quia summè attribuitur Deo, quare quid positiuum. Item, improbatur istud de negatione: pòst ibi.

Hæc videtur alia opinio.

Dicitur ergo, quòd natura non est vna nisi per vnitatem de genere Quantitatis, & non est singulare, nisi per intētionē superadditam ab intellectu, quia singulare refertur ad vniuersale; & sicut vniuersale est ens rationis, sic singulare: aliàs non referrentur adinuicem, quia verè res extrà, & res rationis tantùm, non sunt simul naturâ; vnde per intellectum est natura singularis.

9

Et nota, quòd non quæritur, quo formaliter natura est singularis, quia intentione secunda; vel effectiuè, quia intellectu considerante: nec quo formaliter natura est vna numero, quia vnitate numerali, siue illa sit de genere quantitatis, siue non: sed quo natura est vna, vt proximâ causâ vnitatis. Sic differentia specifica in specie est proxima causa vnitatis specificæ, nec de vnitate numerali vaga, sed de hac, hoc est, quare natura sit hæc incōmunicabilis alteri. Hoc quærit quæstio: & sic videtur quòd natura non est de se hæc, quia cuiuscunque propria vnitas realis est minor vnitate numerali, illud non est de se vnum vnitate numerali, siue non est sufficiens causa talis vnitatis, siue non est de se hæc natura: sed naturæ in isto propria vnitas est minor vnitate numerali; ergo natura in isto de se, non est hæc. Probatur maior, quia nihil est de se vnum vnitate maiori sua propria vnitate: quia cum vnitate minori sine contradictione potest stare multitudo opposita vnitati maiori, quæ multitudo non potest stare cum vnitate maiori. Probatio minoris, quia si nulla vnitas realis naturæ est minor, hæcceitate, nec vnitas realis suppositi est minor. Patet, nulla erit vnitas realis minor numerali; consequens est falsum, quia tunc omnis vnitas realis est numeralis, quod improbatur postea. Respondetur ad probationem minoris, quia aliqua vnitas realis est minor; sed nec propria naturæ, nec suppositi.

Dari vnitatem realem minorem numerica. 2. d. 3. q. 1.

Contrà: sicut *vnum* conuertitur cum ente, ita omnis modus *vnius*, cum aliquo gradu entis, cui est proprius illo modus. Item, loco *de propria* ponitur *sufficiens*: & tantum valet argumentum. Probabiliter enim, quòd aliqua est minor vnitas realis vnitate numerali, quā natura sufficienter est vna; ita quòd illa præcisè non sit causa maioris vnitatis.

10

Omne ens reale habet vnitatē realem.

Vel probetur sic minor: Omne ens reale secundùm quòd tale, habet vnitatem aliquam realem, quia licèt albedo secundùm se, non sit vna numero, vel plura, secundùm Auicen. 5. Metaph. cap. 1. nec sit vna, ita quòd vnitas sit intra quiditatem: tamen albedo secundùm se, est vnum aliquid, sed natura secundùm quòd natura, est ens reale; ergo est vnum aliqua vnitate realiter: non vnitate indiuiduali, quia tunc omnis vnitas realis esset numeralis, quia tam illa, quæ est naturæ, quàm illa, quæ est suppositi. Consequens multipliciter improbatur. Primò sic; quia tunc omnis diuersitas realis, esset numeralis; consequens falsum est. Probatio consequentiæ: omne diuersum est in se vnum, quia vnum ab alio diuisum; igitur si non realiter vnum in se, diuersitas eius, vt sic non est realis. Probatio falsitatis consequentis. Tum, quia tunc omnis diuersitas realis esset ęqualis: Et licèt hoc prima facie sit inconueniens: tamen probatur, quia tunc nihil esset in re, quare intellectus magis abstraheret aliquid vnum ab istis, quā ab illis; nec quare hæc vnius speciei, illa tantùm vnius generis, sed essent vniuersalia præcisè fictiones. Tum, quia diuersitas secundùm quid, non infert illam, quæ est simpliciter: ergo nec rationis differentia infert realem, differentia specifica infert numeralem, 5. Metaphys. cap. de Vno text. com. 12. Respondetur ad primam improbationem consequentis, quòd non omnis differentia indiuidualis est æqualis. Item, nullo existente intellectu, realis est similitudo huius albi ad illud album secundùm albedinem; ergo aliqua realis vnitas est proximum fundamentum huius relationis, quia relatio realis non fundatur super ens rationis formaliter, nec super aliquid, quod est tale formaliter per aliquid rationis: sicut fundamentum identitatis rationis est aliquid tale formaliter per aliquid rationis, & ideò est relatio rationis. Quòd fundamentum illius relationis, scilicet similitudinis, sit vnitas, patet per Philos. 5. cap. de Relatione, vbi dicit, quod idem, simile, & æquale fundantur super vnitatem.

Relatio realis non fundatur super ens rationis.

Text. com. 20.

Idem, simile, & æquale, fundantur super vnitate.

Contrà: vnitas, quæ est proximum fundamentum similitudinis inter ista *A*, *B*, aut est eadem in *A*, & *B*, aut alia. Si eadem, quomodo ergo huius relationis, sunt per se duo termini. Si alia, illa est in vtroque numeralis: igitur illa sufficit. Ad istud, alia est hìc, & ibi, licèt non de se, alia: nec sufficit vnitas numeralis hìc, & ibi, quia illa de se non est alia: nec est magis principium similitudinis, quàm in albo, & nigro, quia omnis vnitas indiuidualis, inquantum præcisè indiuidualis est æqualis: sicut & specifica inquantùm præcisè specifica, quia est simplex.

Item 10. huius t. c. 2. & inde. In omni genere est principium, quod est mensura aliorum, & illud necesse est esse vnum: illud vnum in genere colorum, non est aliquid vnum vnitate singularitatis; quia si sic, tunc esset mensura illorum, quæ sunt eiusdem speciei cum ipso, quod falsum est, quia in indiuiduis eiusdem speciei, non est prius, & posterius; ergo est vnitas minor, quàm singularitatis, & illa realis est, alioquin non esset mensura nisi per considerationem rationis: & tunc non essent aliqua entia posteriora, quæ dependerent à mensura, nisi esset ratio.

In omni genere est principium, quod est mensura aliorum.

3. huius text. com. 11.

Item, potentiæ vnius est vnum obiectum, quia sicut cognitio potentiæ est à cognitione obiecti, ita vnitas ab vnitate, ex 2. de An. text. com. 33. ergo illud primum obiectum habet aliquam vnitatem realem, non vnitatem singularitatis, quia tunc nihil, nisi hoc singulare videretur; nec vniuersalitatis, quia obiectum visus præsupponitur omni actui rationis, vniuersale non. Hìc

Vnius potentiæ, vnū obiectum.

Obiectum visus, realiter vnum.

respondetur, quòd est vnum vniuersale. Ad probationem contrà, responsio, quodcunque obiectum vnius actus videndi, præsupponitur intellectioni: sed primum obiectum adæquatum, non oportet præsupponi, quia circa illud visus nullum actum habet, sed intellectus illud abstrahit à multis, circa quæ visus habet actum.

Contrà: obiectum cuiuscunque vnius actus non est hoc: igitur vnum alia vnitate, non vniuersalitatis; ergo &c. hoc valet. Confirmatur 7. Physicorum, text. com. 29. species atoma est vna natura, ideò secundùm ipsam est comparatio: illa autem comparatio esset sine actu rationis. Responsio: natura est vna vnitate maxima rationis, non vnitate naturalitatis, vnitas generis est minor vnitas rationis; ideò potest dici non vnum: sicut equus albus, & homo albus non sunt vnum in equinitate, & humanitate, sed in albedine. Vnde additum alicui non semper dicit vnitatem in illo, & secundùm illud: sed vnitatem eius, vel secundùm se, vel secundùm alia. Alia responsio, quòd ideò species est natura vna, quia non diuisa in naturas specificas, sicut genus.

Contra hanc responsionem: si natura non dicatur vna realiter, nisi indiuidualiter, nec plures, per consequens, & ita species specialissima diuisibilis est in naturas plures, sicut genus, realiter loquendo.

12

Item, quomodo in aliquo maior est vnitas, & minor sine intellectu? Item, in Damasc. 8. cap. tantùm cognitione est vniuersale vnum.

Ad primum sine intellectu est albedo, hæc albedo, & vna sua vnitate maiori, & albedo albedo, & vna vnitate minori: tamen vtraque vnitas est in hac albedine, sicut vtrumque subiectum est ibi. Ad Damascen. vniuersale creatum est vnum tantùm ratione, eo modo, quo Deus est vnum re, in tribus personis, & hoc est vnum numero, cum quo non stat aliqua diuisio: lapis enim est vnum intelligibile numero, sed non est vnum ens numero, sicut Deus, sed vnitate minori, reali tamen. Confirmatio de 7. Physicorum videtur bona, quia comparatio non est illorum, inquantùm habent differentias indiuiduales, sed secundùm gradus eiusdem naturæ, quorum differentia in intentione, & vnitas in non de se differre, præcedit naturaliter hoc, & hoc: & secundùm illa priora requiritur comparatio, non inquantùm hoc, & hoc. Responsio prima, scilicet quòd natura est vna vnitate maximè rationis, non valet: quia ita est genus vnum intelligibile numero, sicut species: nec loquitur Aristoteles secundùm fallaciam Accidentis, vt, *Iste est bonus faber, quia bonus, & faber*, quia vnitas naturæ est causa comparabilitatis. Item, non existente ratione, hic ignis generaret hunc, & corrumperet hunc aërem, sed generans generat simile propter formam, ex 7. huius, t.c. 23. & inde. ergo maior est conuenientia generantis ad generatum, quàm ad aërem corruptum. Hæc ratio confirmatur per secundam, si non concedatur vnitas generantis, & geniti, vbi similitudo? & per primam, quia non omnis differentia est singularis: quia si esset, esset hic æqualis, & ibi.

Quomodo vniuersale est vnum.

Maior est cõuenientia generantis ad genitũ quam ad corruptũ.

SCHOLIVM. IV.

CONCLVDIT *naturam substantialem indiuiduari per formam de genere Substantiæ, quã vltimatè ab omni alio distinguitur, de quo latè 2. d. 3. quæst. 6. Quia vt notat hìc Mauritius, litera hæc videtur mutata, vix solutiones commodè applicari possunt argumentis, aliqua enim videntur omissa; duo prima principalia probant hanc conclusionem: & quando dicit, quòd tertium non concludit, videtur loqui de 5. cui, & non 3. conuenit solutio, vt patet intuenti, & sequens solutio quadrat argumento 6. immediatè sequenti, & omissis aliis soluit argumentum post oppositum ibi:* Ad aliud dico, quòd est hoc per substantiam, *ibi:* Ad aliam quæstionem, *resoluit indiuiduum non constitui per materiam, & soluit argumenta ex Philosopho pro hoc adducta post oppositum, num. 21. Vide eum fusè de hoc 2. distinct. 3. quæst. 7. vbi argumenta hìc breuissimè tacta, ad longum discutit.*

13

Ex his potest concludi, quòd natura est hæc, per substantiam aliquam, quæ est forma, & prior hic lapis, & per formam indiuidualem distinguitur ab alio indiuiduo. Intellige hanc conclusionem sicut postea exponitur.

Ad duo prima primæ quæstionis, concludunt cum hoc dicto. Sed tertium non concludit; vnde ad hoc dicendum, quòd diffinitio non est naturæ secundùm se, sed secundùm quòd consideratur à ratione per hoc, quòd intellectus format conceptum generis, & differentiæ, & diffinit per ea. Vnde diffinitio est res secundæ intentionis. Vnde capit propositionem falsam; hæc non probat, quòd illud cuius est diffinitio, non est secundæ intentionis. Alia ratio concludit verum. Et ad illud contra hoc, dicitur, quòd sermo Philosophi est de *quod quid est* Logicè, secundùm quòd exprimitur per diffinitionem: & sic non est *quod quid est*, nisi speciei, & istud est indiuidui ex consequenti, & illud *quod quid est* speciei non est idem cum indiuiduis simpliciter, quia addunt super illud formam indiuidualem. Ad aliud dico, quòd est *hoc* per substantiam aliquam, & dicendo, quòd species nõ esset genus propter hoc, quia non prædicatur de multis differentibus specie, sed solùm numero, quia forma indiuidualis superaddita naturæ speciei, non facit differentiam specificam, sed numeralem solùm. Ad aliud, quòd sicut genus est totum respectu speciei, sic species indiuiduorum secundùm Porphyrium, & tamen est pars generis subiectiua. Vnde dico, quòd species non prædicat totam naturam indiuidui integraliter, sicut nec genus speciei. Ad tertium inconueniens illatum de diffinitione indiuidui, dicitur, quòd non sequitur, quòd diffinitio 1. Topicorum, est vnum de quatuor prædicatis; ergo diffinitio alicuius vniuersalis, quia tale prædicatum est vniuersale aptum dici de pluribus. Sed ista differentia indiuidualis non est nata de pluribus dici; ideò indiuiduum per illam differentiam, non potest diffinıri, cùm diffinitio sit prædicatum vniuersale, & tota ratio indiuidui non est nata dici de pluribus. Similiter Philosophus in 7. contra Platonem, t.c. 55. & inde. Omnia nomina in diffinitione sunt communia, sed illa differentia addita non est nomen commune. Contra 1. Topicor. cap. 4. diffinitio est oratio indicans *quid est esse*, sed ratio indiuidui cum addito, indicat *quid est esse* indiuidui. Respondeo, *quid est* vniuersalis, non *quid est* indiuidui, quia non omnis ratio indicãs *quid est esse* rei, est diffinitio; ergo illa ratio ex natura speciei cum differẽtia indiuiduali superaddita, nõ est diffinitio.

Ad argumẽtũ oppositum.

Species non prædicat totã naturam indiuidui.

Ad

Ad aliam quæſtionem dicendum quòd materia non eſt peincipium diſtinguendi cùm de ſit indiſtincta.

14 *Generans generat aliud propter materiam.*

Ad primum,& ſecundum, quòd generans naturale non producit aliquid,niſi ex aliquo, in quo recipitur actus eius. Sed hæc non poteſt eſſe materia generantis, quia non agit niſi patiens ſit in oppoſita diſpoſitione ipſi agenti; ſed ſua propria materia non eſt huiuſmodi: ergo agit in aliam materiam; ſine ergo materia non poteſt eſſe generatio naturalis, in compoſitis generabilibus naturaliter. Tamen ex hoc nō ſequitur,quòd materia ſit principium diſtinguens indiuidua in eadem ſpecie. Similiter, agens primum poteſt producere multa indiuidua ſine materia: ſed tunc materia eſt ſine quo non diſtinguitur naturaliter loquendo. Per hoc, ad aliud de cœlo, quòd non eſt contradictio: quia natura cœli diſtinguitur ab alio per primum agens. Tamen ipſum cœlum non poteſt generari aliud cœlum, niſi eſſet materia in qua ageret, quæ eſſet ſub oppoſita diſpoſitione. Similiter, nec Sol poteſt producere Solem ſine materia in qua ageret, propter cauſam ſupra poſitam: Deus tamen poteſt ſine aliqua contradictione facere duos cœlos, etiam poſito, quòd non haberent materiam. Ad aliud,quòd vnitas materiæ accipitur pro ſubiicibilitate, quòd illa ſunt vnum numero, quorum materia,id eſt, ſubiicibilitas eſt vna numero, id eſt,ſingularis.

Cœlum per ma,hoc cœlū materia.

SCHOLIVM V.

HIC *reſoluit quæſtionem de formis ſeparatis à materia,ſiue ſint aptæ ad informandum, ſiue non, quod ſunt indiuidua,cuiuſmodi ſunt Angelus,animæ,albedo. Argumenta quæ ſoluit, non reperio in hac quæſtione, & hinc etiam conſtat literam eius fuiſſe mutatam: Quædam ex eis habet 2.d.3.q.7. vbi probat contra D.Thom.poſſe eſſe plures Angelos in eadem ſpecie infima.*

Ad aliam quæſtionem, quòd forma eſt principium diſtinctum. Vnde 8. huius text. com. 5. Philoſophus dicit,quòd toties dicitur *eſſe* vel *ens*, quoties differentiæ dicuntur ad aliud, & hoc eſt verum de forma indiuiduali.Similiter 12.cap. 2. text.com. 22. & inde. quòd principia eorundem ſpecie, ſunt eadem ſpecie,ſed alia numero, ſicut tua, & mea. Similiter 12. ibid 2. dicitur modò, quòd non eſt ſolùm vnum ſecundùm materiam; ſed ſecundùm formam eſt vnum, & diuerſum, oppoſitum iſti dicitur, quòd non eſt idem ſecundùm formam.

15 Ad primum argumentum, quòd ſi ſint aliqua immaterialia,multiplicantur in eadem ſpecie per formas indiuiſibiles: nec eſt inconueniens,quòd natura ſpecifica ſit in potentia ad formam indiuidualem, & ex hac & iſta fit vnum. Et cùm dicitur,quòd talia ſunt totum *quod quid eſt*. Dico, quòd quodlibet indiuiduum habet naturam ſpecificam integraliter;ſed non quantùm ad totalitatem prædicationis, quia non eſt ſic in iſto, quin poſſit eſſe in alio: & tamen præter naturam ſpecificam,habent formas indiuiduales, per quas diſtinguuntur formaliter, quæ non pertinent ad diffinitionem ſpeciei. Vnde cùm Philoſophus dicit,*quod quid eſt*,eſt idem cum eo cuius eſt,verum eſt cum eo cuius eſt primò;vnde *quod quid eſt* ſpeciei, eſt idem cum ſpecie ſimpliciter, ſed non eſt idem cum indiuiduo,ſed quodammodò pars eius: cùm indiuiduum addat ſuper eam, formam indiuidualem, vt dictum eſt. Ad aliud,quòd propoſitio prima falſa eſt,quod patet: quantum eſt per ſe diuiſibile inquantùm quanrum, tunc vna pars continui diuiſa inquantùm talis, differt ab alia parte: & per quid? Si ſeipſis,habeo propoſitum, quia non differunt niſi numero: & ſunt formæ, quia loquor de quantitate ſolùm. Si per aliud, contrà,idem principium diuiſibilitatis, & principium diſtinctionis: ſed quantitas eſt, ſecundùm te, cauſa diuiſibilitaris; ergo cauſa diſtinctionis inter partes; ergo partes ſecundùm quòd quantæ differunt, & formaliter: conſtat: & tamen illæ duæ partes ſunt eiuſdem ſpeciei. Si per aliud, cùm non ſit dare niſi ſubiectum, erit circulus, quia formæ diſtinguunt ſubiectum:& èconuerſo ſecundùm te. Similiter quantitates in Sacramento Altaris diſtinguuntur formaliter ſecundùm ſe; ergo ſimiliter aliæ ſeparatæ. Tunc ad argumentum,quòd non concludit inconueniens,quia forma eſt principium generandi; ideò poteſt eſſe principium generandi ſimile, ex quo eſt agens vniuocum:ſed ex hoc non ſequitur, quòd eadem forma ſit in generante, & genito, ſed forma ſpecifica eſt vna amborum non indiuidualis. Ad aliud de numero,ſicut vnitas addita,vel ſubtracta variat ſpeciem,ita differentia addita,vel ſubtracta variat diffinitionem: quia vel non completè exprimentem,ſi differentia abſtrahatur; vel non præciſè,ſi vna addatur: tunc ſequitur,quòd non manebit eadem diffinitio. Sed non ſequitur;ergo altera; quia tolle differentiam vltimam,non manebit eadem diffinitio,quæ priùs; nec altera, quia nulla eſt;quia pars potentialis, quæ remanet non diffinitur,nec habet diffinitionem.

Quod quid eſt. idem eſt cum eo cuius eſt exponitur. 2.d.3.5.ad 3. & q.7. ad 1.

Quod formæ indiuidualiter differunt.

Formæ ſunt vcui numeri:*exponitur.* 2.d.3.q.7. ad 1.

SCHOLIVM VI.

RESOLVIT *in particulari,quantitatem non eſſe primum principium indiuiduationis ſubſtantiæ,quia hæc prior eſt illa,eſto illa ſit fundamentum relationis diſtinctionis; quod quomodo intelligatur, expoſitum eſt l. 5. quæſt. 12. Soluit argumentum pro illa ſententia de quantitate ex Ariſtot. poſitum num. 2. atque ponit hic ſoluitque ſex argumenta ſuadentia naturam eſſe de ſe indiuiduam, & ſingularem,quæ eſt ſentetia Nominalium.*

16 Ad aliam quæſtionem:quòd non quærit quæſtio, quo diſtinguuntur duo formaliter, quia diſtinctione diſtinguuntur;igitur diſtinguuntur relatione:ſicut & omnia relatiua oppoſita.Nec quęritur de fundamento proximo relationis,quia illa eſt quantitas:duo enim ſunt duo dualitate. Sed quæritur de primo principio diſtinctiuo,quod eſt cauſa diſtinctionis aliorum,& illud eſt ſubſtantia, quia forma indiuidualis.

Ad argumentum, quòd maior eſt falſa,ſaltem non neceſſaria, quia materia præcedit quantitatem,vel quamuis non eſſet particularitas materiæ niſi per quantitatem: adhuc materia inquantùm quanta,erit cauſa ſine qua non. Contra hoc,natura vniuſcuiuſque eſt propria ſibi; ergo ideò non poteſt vniuerſale eſſe ſubſtantiæ ſecundùm Philoſophum in hoc 7. text. com. 45. cùm ergo natura lapidis ſit verè natura,eſt propria ſibi ipſi, & per conſequens hæc de ſe. Item Boëtius, *De vnitate, & vno. Omne quod eſt, ideo eſt, quia vnum numero eſt*. Ergo natura de ſe vna, & tunc

incommunicabilis, & sic de se est hæc. Item, nulla est res, quæ non sit in singulari aliquo; ergo talis res, quæ existit in singulari, non est indifferens ad multa. Item, si est hæc, vel vna per formam, quæro de forma per quid est hæc? & procedetur in infinitum, vel stabitur, quòd in primo natura sit de se hæc. Item, nulla forma simplex tunc esset de se hæc: quia eam oportet habere formam determinantem. Item, diuisio generis, libro Diuisionū, in species, est qualitatiua, speciei in indiuidua, quantitatiua: si tunc esset verum, quod dicitur, vtraque esset qualitatiua; quia vtraque diuisio esset per formalem differentiam superadditam generi, & speciei.

Quomodo natura est propria sibi?

Ad primum, quòd substantia quælibet singularis est propria sibi; ita quòd eadem numero non potest esse alterius. Et hoc intendit Philosophus contra Platonem, qui ponit ideam vnam multorum indiuiduorum, & quòd ista est propria cuiuslibet indiuidui, secundùm Platonem. Et contra hoc vadit propositio Philosophi. Sed natura, quam ego pono, determinatur ad vnitatem numeralem per formam indiuidualem, & tunc est propria eius, cuius est ipsa: tamen de se non est propria alicuius. Ad aliud, quòd sicut animal non est hoc animal, nisi per differentiam additam, sic lapis non est hic lapis, nisi per differentiam indiuidualem superadditam: & quia nunquam de se separatur à differentia, ideò est vnum, vel hoc, per differentiam additam: & eodem modo, est de natura speciei respectu differentiæ indiuidualis superadditæ sibi. Ad aliud, quòd natura lapidis est vna in se, & res, & sic non est *hac* propriè: sed vnitas illa est minor, quam vnitas numeralis: & est realis vnitas: sed non tanta realitas est in illa vnitate, sicut in vnitate numerali; vnde determinatur per differentiam indiuidualem, vt sit *hac* propriè. Ad aliud, quòd forma non est propriè *hac*, sed est quo aliud est *hoc*: sicut genus non determinatur de se, sed per differentiam, vt sit species: & tamen differentia non est species, nec habet vnitatem specificam. Similiter forma indiuidualis determinat naturam specificam, vt sit *hac* verè. Non tamen illa forma est propriè *hac*, siue hoc aliquid: quia si sic, tunc sequitur, quòd differentia esset species. Ad aliud, quòd sicut nullum simplex potest esse species alicuius generis: sic nec aliquid omnino simplex, est particulare contentum sub specie: quia indiuiduum habet compositionem speciei, & formam indiuidualem vltrà. Vnde breuiter dico, quòd omnis forma, quæ est species alicuius generis, est composita ex potentiali aliquo & actu, & omnis talis est *hac* per formam indiuidualem. Ad aliud, quòd Boëtius ponit differentiam inter diuisionem generis in species, & totius in partes, & illud totum est totum integrale, & totum quantitatiuè diuiditur in partes; sed ex hoc non sequitur, quòd species diuiditur quantitatiuè in indiuidua, sed qualitatiuè solùm. Probatio, quia non ponit nisi tres diuisiones, scilicet generis in species, & vocis in significationes, & totius in partes; & tunc cùm diuisio speciei in indiuidua, maximè conueniat cum diuisione generis in species, quia cum aliis non conuenit, sequitur, quòd est qualitatiua, sicut diuisio generis.

Omne quod est, ideo est, quia vnum numero exponitur.

Indiuidualitas, an hoc aliquid

Nihil simplex est indiuiduū vllius speciei.

Diuisio speciei in indiuidua, qualitatiua.

SCHOLIVM VII.

DECLARAT *ampliùs hactenus dicta, altiùs omnia inuestigans, nihil non examinans, ad fundum vsque; adeò, vt maximus eius aduersarius, Occham 2.d.2. q.1. etsi ab eo in hac quæstione dissentiat, fateatur, ipsum omnes alios in huius difficilis quæstionis indagatione, excelluisse.*

17 *Indiuidui diffinitio, exponitur.*

Notandum, quòd indiuiduum; siue vnum numero, dicitur illud, quod non est diuisibile in multa: & distinguitur ab omni alio, secundùm numerum. Prima pars sic intelligitur, quòd sibi repugnat diuisio in partes subiectiuas, hæc repugnantia non potest esse nisi per aliquid, quod est in indiuiduo; vocetur indiuiduum *A*, hoc probatur dupliciter. Vno modo sic: diuidi in partes subiectiuas est imperfectionis, vnde remouetur à Deo; ergo hoc nulli repugnat, nisi propter perfectionem aliquam in ipso. Et quamuis dicatur hîc, quòd diuidi sic, est imperfectionis in natura specifica, vel in quacunque natura secundùm se, & non posse diuidi, est propter aliquam perfectionem: tamen in supposito naturæ non est propter aliquam perfectionem, sed propter limitationem. Aliter secundò arguitur ad conclusionem; si talis diuisio repugnet *A*; *A*, & diuisio illa sunt incompossibiles: sed incompossibilitas aliquorum non est nisi propter aliqua inclusa in ipsis, vel propter ipsa tota; ergo. Minor patet. Si enim ab *A* tolleretur tantummodò aliquid, per quod esset diuisibile sic, adhuc non repugnaret diuisioni; quia quod de se repugnat alicui, sub quocunque non destruente ipsum ponatur, semper sunt repugnantia; nisi autem repugnaret sibi diuidi, non esset indiuiduum. Hoc patet in exemplo: licèt enim substantia sine quantitate non sit in potentia, saltem proxima, ad qualitatem: tamen non repugnat sibi, quia tunc nullo adueniente posset stare cum ipsa: sic ergo supponendo conclusionem probatam: quærimus quid sit illud in indiuiduo, per quod sibi repugnat diuisio in partes subiectiuas tales, scilicet quarum quælibet sit ipsum. Non enim negatur ipsum posse diuidi in partes essentiales, similiter in integrales heterogeneas, & homogeneas: quandoque tamen nulla pars etiam homogenea est ipsum diuisum: licèt eadem species prædicetur de parte diuisa, quæ priùs prædicabatur de toto. Quid ergo est illud in *A*? non negatio, quia vel iste effectus est positiuus, & patet; vel priuatiuus, & ita non datur causa eius, sed id ipsum. Si datur hæc negatio non posse &c. Quæro etiam de causa negationis datæ; & semper quousque stes in natura positiua pro causa. Ad hoc esset illud argumentum primum pro suprà, si valeret.

Diuidi in plura numero, est imperfectionis.

Item, indiuiduum est verissimè ens, & vnum: sicut arguitur hîc de prima substantta, quòd est maximè substantia, & ipsius est generatio: & circa ipsam sunt operationes, ipsa etiam operatur; omnia ista videntur neganda ab aliquo formaliter constituto per negationem. Est ergo illud in *A*, positiuum, nullum accidens: nec multa simul, propter argumenta superiùs facta: & quædam suprà contra negationem. Non materia, nec forma, nec esse actu, si differt à forma, propter argumenta facta superiùs. Contra etiam omnia ista est, quia quodlibet istorum est communicabile; ergo de ipso est quærendum, per quid sit *hoc*, vel per quid repugnat sibi diuidi in partes subiectiuas. Istud idem

Negatio non constituit indiuiduū: nec accidens, nec materia, nec forma, nec existentia.

concludit contra negationem: per quid enim est *hæc*? quia conceptus negationis est contrahibilis.

18 *Quæ dicũtur primò diuersa?*

Notandum ergo, quòd sicut aliqua primò sũt diuersa, scilicet se totis, quæ videlicet in nullo conueniunt; sic in omnibus differentibus, quæ sunt diuersa aliquid vnum entia, oportet inuenire aliqua quibus differant, quæ se totis sunt diuersa, aliter procedetur in infinitum: & illa sunt vltimæ rationes vnitatis, qua sic sunt indiuisibilia, sicut differentia specifica in specie, est causa indiuisibilitatis in species: nec est causa prior, quia ipsa est ibi, cui primò repugnat diuisibilitas illa; ipsa etiam est quâ primò differt ab alia specie secundùm eius differentiam, ita quòd vna differentia primò est diuersa ab alia, sic de vnitate generis generalissimi in se, id est, in diuisibilitate eius in plura genera, & distinctioné ab alio genere. Vtrumque, enim conuenit substantiæ primò si sit conceptus simplex, & in nullo conueniat cum quantitate secundùm aliquos: sic igitur cùm indiuidua sint propriè differentia, non primò diuersa, quęrenda est causa vnitatis numeralis, quâ primo repugnat diuidi in multas partes subiectiuas: & quâ primò distinguitur ab alio indiuiduo, ita quòd id in hoc indiuiduo, & aliud in illo, sint primò diuersa; illud propriè vocatur differentia indiuidualis, vel singularis: cùm differentia sit, quâ differunt à se singula. Et constat indiuidua differre propriè, quia sunt diuersa aliquid vnum entia: & per omnia, quoad rationem differentiæ, scilicet quoad simplicem determinationem communis per ipsam, vt per formale: non habere aliud superius, in quo cõuenit cum differentia opposita: nec fortè cum aliquo: & æqualiter ex se diuersum esse à quolibet, siue opposito, siue differentia disparata: æqualiter inquam, quia se toto, non æqualiter quoad formalem rationem diuersitatis: quæ vno modo maior est inter opposita diuidentia idem commune; quo autem ad incompossibilitatem alio modo maior est inter disparata, quæ scilicet circa idem commune non habent fieri sicut opposita, &c.

Differentia indiuiduales sunt primò diuersa.

Similiter iudicandum est de differentia indiuiduali, sicut de specifica, quo ad aliquid: tamen est differentia, quòd specifica est causa minoris vnitatis, cui scilicet non repugnat omnis diuisio in partes subiectiuas. Hæc maximè vnitas, sicut inter specificas inferior est causa maioris vnitatis, quàm superior; quare tandem est aliqua vnitas maxima, cuius causa est perfectissima differentia, quæ ponitur indiuisibilis. Hæc differentia, quia indiuisibilis, non est principium constituendi aliquid in ratione prædicabilis: sed tantùm subiicibilis, & hoc maxima subiicibilitate, & subiectum est materiale respectu prædicati; sic potest vocari materialis differentia; & ideò non esse principium diffinitionis, quæ propriè est prædicatum, & medium demonstrationis; sic etiam differentia specifica posset dici materialis, aliquo modo, quia principium subiicibilis respectu generis, & sic in 5. capit. de Causa. Omnes partes diffinitionis dicuntur formæ: verum est respectu diffiniti, non inter se: sed differentia verè informatiua generis: vt actus potentialis, materialis respectu eius non pro se, si pro constituto in subiicibilitate respectu eius, sic hæc differentia magis materialis erit, & aliquo modo formalis; sic patet ad hoc.

Vnitas indiuidui omniũ maxima.

Text.c.2. Indiuidualis differentia, quare dicitur materialis?

SCHOLIVM VIII.

Vt meliùs prædicta omnia stabiliantur, adducit contra ea sex selecta argumenta, in quorum solutionibus, & solutionum replicationibus, maximas difficultates expedit, *vt*, an differentiæ indiuiduales sint eiusdem speciei, vel diuersæ, *de quo ad primum. Item*, an naturæ præcisè à sua singularitate repugnat diuidi, *de quo ad secundum. Item*, an separari possit à singularitate, *ad tertium*, & an sint plures indiuidualitates in vno, *vt animalis, hominis, Petri*, *ad quartum*, *vbi tangit* an à formis distinctis sumantur prædicata in quid, *de quo optimè tradit 1. d. 3. q. 6. §.* Vlteriùs declarando, *n. 11. explicans à qua entitate sumitur differentia, specifica, & indiuidualis.*

19

Contra prædicta: hæc differentia, aut est alterius speciei ab alia differentia indiuiduali, aut eiusdem: si alterius, ergo Socrates, & Plato differunt specie, quia differentiis alterius speciei: si eiusdem, ergo illud commune, sicut & natura hominis; per quid ergo descendit in hoc, & hoc? si secundùm alias differentias, idem argumentum de eis, & proceditur in infinitum. Item, naturæ specificæ, quæ intelligitur in Socrate sub hac differentia, repugnat diuidi, & ipsa distinguitur ab ipsa natura hominis, quæ est in Platone; ergo est indiuidua circumscripta illa differentia. Item, natura hominis, quæ est in Socrate, separetur ab illa differentia indiuiduali, & ita manebit non singularis, nec vna numero. Non enim videtur contradictio, quòd separetur, cùm non includat illam. Ponatur etiam sub alia differentia indiuiduali, & tunc eadem natura primò erit hæc singularis natura, postea illa singularis natura. Item, Socrates est Socrates, & est hic homo, & hoc animal, & sic vsque ad ens: ergo in eodem erunt multæ differentiæ indiuiduales. Item, quando linea diuiditur, quod priùs fuit pars, nunc est singulare per se; ergo generatur ibi differentia indiuidualis per diuisionem, & corrumpitur similiter continuatione duarum facta. Item, illa, quæ conueniunt indiuiduis, vt agere, generari &c. aut insunt eis per naturam communem, aut per differentias indiuiduales: si primo modo, tunc primò insunt vniuersali; si secundo, ergo talia non sunt demonstrabilia de aliquo subiecto, & ita nec scibilia, & ita scientia naturalis non est scientia.

Intelligendum, quòd vniuersale completum est, quod est in pluribus: & de pluribus, non actu, sed potentiâ propinquâ: tale nihil est, nisi ex consideratione intellectus: vnum autem in multis potentiâ, vt accipitur potentia Logicè, non naturaliter, dicitur, cui non repugnat esse in multis, & sic commune potest esse in rerum natura. In Socrate enim non solùm secundùm considerationem intellectus, sed secundùm ordinem naturalem perfectionum vnitiuè contentarum, priùs est animal quàm homo, & homo, quàm hic homo: quod patet ex operationibus propriis. Sic enim cognoscitur ordo vnitiuè contentorum, vt prædictum est versus finem secundæ quæstionis quarti libri; & homini secundùm gradum proprium naturaliter priorem gradu singularitatis, non repugnat in multis esse, quia in ipso vt sic nihil inuenitur, per quod repugnet sibi; sicut ergo commune est in natura, & sua vnitas, vt sic, dicta est illa, quæ probatur suprà in ista quæstione,

Vniuersale diffinitur, & est tantũ per intellectum.

ſtione, & de qua dictum eſt ſuprà; cuicunque enim gradui reali entitatis, correſpondet realis vnitas. Sicut tamen in aliis vnitiuè contentis, non eſt ſeparatio realis,nec etiam potentialis; ſic natura cui intellectus tribuit intentionem ſpeciei, quæ dicta eſt eſſe in re,eſt communis: ſicut commune eſt potentiale in re: nunquam ſeparatur ab alia perfectione vnitiuè ſecum contenta, vel ab illo gradu, in quo accipitur differentia indiuidualis. Cùm etiam nunquam fiat in rerum natura niſi ſub determinato gradu, nunquam eſt ab illo ſeparabilis, quia ille gradus cum quo ponitur,eſt ſecum vnitiuè contentus.

Gradus ſuperiores inſeparabiles ab inferioribus.

20

Per hoc patet ad tertium argumentum, quòd contradictio includitur, quòd ſeparetur propter vnitiuam continentiam. Contrà: quare non poteſt fieri ſub gradu naturæ,ſiue gradu indiuiduante?& de ipſa ſic facta procedit argumentum: ponitur enim ſub vno gradu indiuiduante, deinde ſub alio. Item,tunc ſequeretur,quòd natura nunquam poteſt indiuiduari per aliquid, non idem ſibi vnitiuè:aliter enim poſſet mutari à ſingularitate in ſingularitatem.Item,omnia eiuſdem ſpeciei eadem continent vnitiuè;ergo ſi alius eſt gradus in hoc,& in iſto vnitiuè contentus: oportet præintelligere differentiam continentium, & ita iſti gradus non erunt primò diſtinguentes. Ad primum iſtorum, quædam naturæ in ſe non repugnant, & tamen repugnant naturæ poſitæ in *eſſe*, vel factæ, ſicut non eſſe,non factum. Similiter naturæ in ſe non repugnat fortè ſeparari ab omnibus gradibus indiuidualibus:quia intelligẽdo naturam ſine illis,non includitur cõtradictio; tamen in *eſſe* repugnat ſibi, quòd ſeparetur ab omnibus: non autem quòd ſeparetur ab hac:hoc enim eſt poſſibile, vt in illa,& èconuerſo. Non ergo poteſt fieri niſi ſub aliquo gradu indiuiduali,quare iſte non poteſt differre re:in hoc conceditur ſecundum argumentum,& ita ſtat inſeparabilitas propter continentiam vnitiuam. In mutatione enim,oportet ſubiectum realiter differre ab vtroque termino.

An ſit contradictio naturam ſeparare à ſingularitate?

Ad tertium,natura non continet vnitiuè illum gradum,ſed compoſitum ex natura,& illo gradu. Quòd autem natura ponitur ſub illo gradu, non eſt cauſa niſi agens. Si ergo accipitur,iſte gradus non differt ab illo; niſi quia continens à continente, negandum eſt, ſed èconuerſo eſt:& tamen ille gradus non eſt: niſi quia naturaliter prius continens ipſum, eſt: non enim eſt, niſi quia agens producit compoſitum primò. Sic ergo continens priùs in *eſſe*, gradus prior in diuerſitate. Exemplum,Deus creat aërem,& ignem,compoſita primò producuntur; & ideò primò ſunt formæ, non niſi per accidens; & ideò ſecundò compoſita differunt per formas, tamen non èconuerſo; & formæ primò diuerſæ, non ſic compoſita.

Sic ergo patet ad tertium principale,& ad tres obiectiones annexas. Contra iſtam reſponſionem:contenta videntur differre propter differentiam continentium; non ergo èconuerſo propter circulum. Probatur antecedens, ſenſitiua in me, & in te, differt, quia intellectiua differt, non èconuerſo. Reſponſio, de antecedente, eſt vt ſic, eſt vt non, ſecundùm quòd contententum eſt formale in ratione continentis, vel materiale: exemplificatur autem in argumento, quando eſt materiale.

21

Ad primum principale; quòd ſi intelligatur *ſpeciei*,id eſt,ſicut contentum ſub ſpecie neutrum membrum eſt dandum, ſicut rationale, nec eſt eiuſdem generis cum irrationali; nec alterius, ſic ſicut contentum per ſe ſub genere. Differentiæ enim oppoſitæ, vt prædictum eſt, ſunt primò diuerſæ propter infinitatem vitandam. Si autem intelligatur *eiuſdem ſpeciei*, vt diuiſiuum,& conſtitutiuum aliquorum eiuſdem ſpeciei, ſic ſunt eiuſdem,ſicut differentiæ ſpecie ſunt eiuſdem generis. Ad ſecundum, ſicut lapidi albo formaliter repugnat nigredo per albedinem,& ita per intellectum circumſcribendo albedinem, lapidi, qui eſt genus ſubiectum non repugnat nigredo: ſic circumſcripta differentia indiuiduali, per quam formaliter diuiſio repugnat compoſito ex natura & illa differentia, naturæ ſpecificæ per illam differentiam non repugnat diuiſio: vnde ipſa eſt communis, vt prædictum eſt, per poſſe Logicè eſſe in pluribus. Contrà: tunc adhuc illa natura diſtinguitur ab illa, quæ eſt ſine alia differentia indiuiduali: ergo differentia numerali. Reſpondeo,ſi loquamur realiter; humanitas quæ eſt in Socrate, non eſt humanitas, quæ eſt in Platone, & eſt realis differentia ex differentiis indiuidualibus vnitiuè contentis, inſeparabilibus, hinc inde. Si autem circumſcribamus differentiam hinc inde, ſic vt nec natura intelligitur vna maxima vnitate in ſe,ſed tantùm illa vnitate minori, quæ eſt communis: ſic nec eſt diuiſa ab humanitate Platonis diuiſione numerali, nec aliqua quia non ſpecifica:patet,ſicut non ponendo aliam formam generis,aliam ſpeciei, diceretur de natura generis in vna ſpecie,& alia circumſcriptis differentiis hinc inde.

Differentiæ nõ ſunt eiuſdem nec diuerſi generis.

Natura Petri,an differt à natura Pauli,ſeclusis haecceitatibus?

Ad quartum,ſi ponantur aliæ formæ à quibus ſumuntur prædicata in *quid*, neceſſe eſt concedere multas differentias indiuiduales in eodem,quia natura generis ſine contradictione poteſt eſſe prior forma ſpecifica,& non eſt ſine ſua differentia indiuiduali. Et ſic neceſſe eſt concedere,quòd hoc animal poſſit eſſe hic homo, & non hic homo. Similiter hic homo,vel ille homo:niſi dicatur,quòd hoc animal non eſt natum perfici à natura animæ intellectiuæ,niſi ſub certa differentia indiuiduali: non eſt tamen niſi vna differentia indiuidualis vltima, quæ determinat formam ſpecificam.

Vtrùm ſint plures indiuiduales differentiæ in eodem?

Si dicatur alia opinio de formis, poteſt dici, quòd vnus gradus perfectionis determinet omnes præcedentes ad vltimam vnitatem, ſicut vna differentia ſpecifica determinat omnes perfectiones præcedentes ad vnitatem ſpeciei, quam nec ex ſe habent, nec aliunde, quàm ab alia differentia.

22

Contrà: ſi vna differentia indiuidualis poteſt intelligi inquantùm determinat genus ſuperius, non inquantùm determinat inferius: poteſt enim intelligi hæc ſubſtantia, non hoc corpus: ergo illa inquantùm determinat omnes perfectiones præcedentes,eſt in virtute multæ. Quod igitur inconueniens, ſi ponantur gradus proprij tot, cùm non ponantur res diuerſæ, ſed tantùm vnitiuè contenti?Non eſt inconueniens hoc concedere,ſecundùm vtramque opinionem,niſi quia maxima vnitas,quæ ſcilicet eſt per hanc differentiam,intelligeretur priùs ineſſe ſubſtantiæ,quàm vnitas differentiæ ſpecificæ, quæ eſt minor, & prior,vt videtur. Sed reſponſio, omne commune eſt æquè vnum in ſe,vnitate communis,& immediatè poſt illam,vnitate indiuiſibili,quarum neutra

tra secundùm se diuersificatur per aduenientia, non magis in substantia, quàm in homine: sed tantùm extrinsecè variatur, & vnum plus dicitur variari, quia est in pluribus essentialiter, & magis diuersis.

Contrà: tunc omne commune est species specialissima de se, quia vna talis est in pluribus, quàm alia: & indiuidua vnius speciei pluribus differentiis extrinsecis differunt, quàm indiuidua alterius. Respondeo, differentiæ extrinsecæ non faciunt vnum per se cum illo, quod subest: sicut hæc cum communiori: plures differentiæ faciunt vnum per se, & ideò quodam modo per se diuersificantur per illas, sicut materia per formas, non sic subiectum per accidentia.

Per discontinuationē, an fit aliquid positiuum?

Ad quintum, per diuisionem nihil positiuum fit, sed fit vna præcisio, vel solitudo, quæ dicitur actualitas opposita potentialitati partis in toto: hæc ergo priùs medietas lineæ, quæ nunc est hæc linea, & habens actu differentiam indiuidualem actualitate distinguente, sic quòd ipsa cum nullo facit vnum per se, hæc priùs habuit illam differentiam actu opposito potentiæ ante talem actum, ante generationem; & per eam distinguebatur ab alia mediatè, sic quòd non fuit illa: non tamen sic, quin ex eis fieret vnum.

Generari an inest Socrati per naturā, vel singularitatem?

Ad sextum, quicquid per se inest vni indiuiduo, cuius simile inest alij indiuiduo, inest per naturam communem, quia differentiis singularibus non inest commune aliquid: & ita si quid per vnam inesset, per aliam simile non inesset, non plus, quàm quæ consequuntur generalissima sunt similia, vel species, ratione differentiarum specificarum, licèt illa, quæ consequuntur species duas totas ratione totalitatis, sint similia; ergo generari inest Socrati ratione humanitatis, sicut generare, quia in hoc assimilatur genito tali: non tamen insunt hæc homini sine singularitate, loquendo de eis in se: loquendo autem de eis in communi, insunt primò homini in communi, & de illo demonstrantur, & sciuntur. Contra hoc est vnum argumentum factum extrà in q. 6. primi libri.

SCHOLIVM VIII.

Corollarie *infert singulare esse vnum quid, & consequenter per se intelligibile, quod tenet 2. dist. 3. quæst. 6. ad secundum, & quæst. 11. num. 9. & latiùs de Anima, q. 22. vbi plura de hoc dixi in Commentario. Contra horum tria, vel quatuor fortissima argumenta obiicit. Ad primum, explicat quare indiuiduum non est à nobis diffinibile, nec pro nunc distinctè cognoscibile. Ad secundum, an aliquid commune abstrahi possit ab indiuidualibus differentiis. Ad tertium (ponitur hìc ad quartum) quod sensus non cognoscit singulare, de quo 2. dist. 3. quæst. 1. num. 4. & multa hìc tractat, quomodo vniuersale cognosci possit ab intellectu, & non à sensu, de quo etiam suprà l. 1. quæst. 6. & de Anima quæst. 22. Circa vltimum dubium, quomodo existentibus multis phantasmatibus, fit cognitio potiùs per vnum, quàm per alia. Mauritius hìc in fine notat esse additionem, quia se remisit ad distinct. 3. primi, & tamen probat Mauritius in præfatione huius operis priùs eum scripsisse hoc opus, quàm Theologiam, vbi quæst. 6. primi libri ad 3. docet, quòd phantasma fortiùs mouens, facit vt intellectus obiectum illius priùs consideret; tangit quomodo conuertere, vel diuertere intellectum sit in potestate voluntatis, de quo latiùs agit 2. distinct. 42. quæstione quarta & hac de hac quæstione in cuius indagine verè dicit Occam, Scotum, omnes alios Doctores longe excelluisse.*

23

Ex ista opinione patet, quòd singulare est vnum quid, pro hoc, secundo de Trinit. 6. Danielitas; & si singulare est vnum quid, est per se intelligibile, etiam differentia indiuidualis, sine singulari. Contrà: ergo diffinibile, & de eo erunt demonstrationes, & scientiæ. Item, quicquid est in isto, eius simile est in illo, ita ab istis inquantùm singularia abstrahetur aliquid commune, sicut inquantùm albedines. Item, tunc sensus, & intellectus, quomodo differrent. Ad primum, differentia indiuidualis à nullo nota est in hac vita communiter. Cuius probatio est: quia tunc nota esset differentia eius ad quodcunque aliud; & ita non posset errare de quocunque alio sibi intellectualiter ostenso, quin iudicaret illud esse aliud; sed illud est falsum de alio omnino simili, nisi tantùm de intelligendo se animam, & suum actum fortè, à quibus differre diceret quantuncũque similia sibi ostensa; de intelligendo tamen se compositum, fortè erraret quis, si subitò Deus suum corpus annihilaret, & aliud animæ vniret, manente anima in eadem intellectione non interrupta, sic quòd anima inquantùm ad differentiam indiuidualem seipsam certissimè nouit hoc ens. Quantùm ad naturam specificam, alia vt sensibilia certiùs nouit, & hanc notitiam de se inquirit; sic glossa Augustin. Trinit. 6. ergo non possumus indiuiduum diffinire, non ex parte eius, sed ex impotentia nostra: sicut nec substantias separatas: vt patet in quadam quæstione super secundum librum. Contrà: sic species substantiæ diceretur non diffinibilis, quia non per se intelligitur: Respondeo, quamlibet naturam specificam substantiæ consequitur aliquid, vel aliqua, vnde eius notitia per effectum possit haberi: non sic differentiam indiuidualem. Sic ad ad aliud de demonstratione; vel sicut dictum est ad sextum, nihil consequitur indiuiduum ratione differentiæ indiuidualis per se, quia illud esset omnino incommunicabile, sic quòd nihil eius simile possit in aliquo inueniri, quale nihil inuenitur in entibus, vt videtur, præter differentiam indiuidualem: vel si quid consequitur ratione eius, cùm ipsa dicat gradum positiuum entis; ergo potest aliquid causare, tunc illa non erunt nota, & ita demonstrabilia in se, sed non nobis; sic oportet concedere illud extrà in quæst. 6. primi libri. Patet illud de infinitate non valet: quotcunque enim speciebus, fortè plures sunt possibiles; & tamen de qualibet non minùs est scientia, sic hìc. Nec valet de corruptibili singularium, quia incorruptibiliter sua passio, per suam diffinitionem sibi inest: potest enim, & vniuersale corrumpi ab actu esse, corruptis omnibus singularibus; ergo. Quod etiam vult Arist. 7. text. c. 35. quòd cùm extra sensum fiant, immanifestum est vtrùm sunt, vel non. Respondeo, hoc est de cognitione *si est*, siue rei in propria existentia, sic etiam de vniuersali, est immanifestum, nisi sciatur necessarium in aliquo singulari: quia tamen talis existẽtia est magis singularis quàm vniuersalis, quia nõ est vniuersalis, nisi in singulari; ideò sic singularia magis dicũtur, nõ scibilia, quia talis cognitio magis cõpetit eis. Ad

Differentia indiuidua in hac vita non scitur distinctè.

An quis intelligendo se compositum, errare posset? Quare indiuiduũ à nobis diffiniri nequit? 2. d. 3. q. 6 ad 2. vide q. 11. n. 9. Quæst. 3.

Quomodo natura specifica, sit diffinibilis cũ per se intelligitur?

Num. 6.

Corrumpitur vniuersale quomodo? Quare singularia spiritualia, minus nota?

24

Ad aliud, differentiæ illæ sunt primò diuersæ, in nullo conuenientes. Iuxta hoc nota, quòd si generatio deberet dici æquiuoca in diuinis, quia proprietates personales non sunt eiusdem speciei: ergo quælibet in creaturis, quia differentiæ indiuiduales sunt primò diuersæ. Item nota, quòd à differentiis indiuidualibus, quicquid abstrahitur est aliquid secundæ intentionis, & non primæ: & sic cùm intelligo Adam, non intelligo singulare, quia si ipse ostenderetur, nescirem quòd ipse esset, sed intelligo conceptum compositum ex homine,& singulari, quod est quoddam commune secundæ intentionis:talem etiam conceptum habeo, intelligendo quodcunque singulare. Quod verò prædictum est, quòd quicquid abstrahitur à differentiis indiuidualibus, est aliquid secundæ intentionis, hoc sic corrigitur:abstractio propriè est prædicati dicentis *quid* subiecti: non enim passio communis dicitur propriè abstrahi à subiecto non conuertibili: tamen communiter loquendo dicitur abstractio; ideò à differentiis indiuidualibus, sicut nec specificis nihil potest abstrahi primo modo, quia sunt rationes reales omnino simplices primò diuersæ, aliàs esset processus in infinitum. Sed secundo modo possunt multa abstrahi, & non solùm secundæ intentionis, vt prædicitur, sed & primæ, vt indiuiduum, vnum numero, per se existens, incommunicabile, quæ fortè sunt primæ intentionis. Sic ergo intelligendo compositum ex natura vniuersali, & aliquo tali, vt parte obiecti, non vt ratione obiecti. Ad quartum, per argumentum factum de intellectu, de differentia cognoscenda,quòd nullus sensus per se cognoscit singulare,quia eiusdem sensibilis,simile omnino, non discerneretur ab ipso. Contrà:immò ex loco similiter numerus est per se sensibilis. Respondeo,si quid idem in duobus locis,quid tunc? Similiter si ex loco, ergo non est per se hoc; quia hoc non est hoc per locum; quia si cognosceret hoc, inquantùm hoc, etiam distingueret ab illo, posito quod simul essent,immò quocunque posito,stante hoc.

A differẽtiis indiuidualibus,nihil reale abstrahitur,sed tantũ secundæ intẽtionis.

Quid abstractio propriè dicta?

Quædã primæ intentionis, abstrahi ab indiuidualitatibus.

Sensus non cognoscit singulare, 2.d.3. q.1.

Ad illud de numero,oportet glossare: certum est enim, si semper sunt noui radij Solis in medio,sic quòd nullus durat ibi diu, quòd visus noster illum numerum non cognoscit, intelligendum est ergo numerum dissimilium.

An visus numerum radiorum cognoscit?

Alia opinio de sentiendo singulare,tangitur in fine quæst.6. primi, argumenta contra non benè soluuntur fortè.

25

Aliter potest dici, quòd sensus non est alicuius,nisi præsentis, secundùm naturam, & in existentia actuali,quòd non est nisi singulare: intellectus intelligit abstrahendo ab *hîc*, & *nunc*, hoc est,non secundùm quòd actualiter existens in natura, cuius existentiæ conditiones sunt *hîc*, & *nunc*: ista abstractio semper necessaria est in intellectu. Hoc dubium:vt patet in quæst.6. huius, tamen talis abstractio non facit singulare,dicibile de multis. Ita enim *hic homo* est intelligibilis, non vt existens, sicut *homo*; intellectus ergo est vniuersalis per abstractionem ab *hîc*, & *nunc*, sensus singularis concernendo *hîc*, & *nunc*. Aliter, quòd albedo vniuersalis est ens per accidens, nec primò intelligitur, sed albedo, cui tamen intelligibili verè denominatiuè, conuenit diffinitio vniuersalis, quia nullo vlteriori facto circa ipsum, est dicibilis de pluribus, cùm non intelligatur sub ratione alicuius prohibentis istam pluralitatem possibilem, non impossibilem per abstractionem ab *hîc*, & *nunc*. Hoc modo tantùm vniuersale intelligitur,hoc est,tantùm illud, quod vt sic, natum est denominari ab vniuersalitate, non tamen vniuersale, sic quòd vniuersalitas sit ratio intelligendi sicut est hîc. *Tantùm intelligibile intelligitur.* Singulare tamen est ex parte sui intelligibile, cùm sit quid, sed non à nobis nunc, intellectione simplici positiua; albedo verò vniuersalis, & albedo singularis, sunt conceptus compositi entis per accidens, & posteriùs intelliguntur, sicut *homo albus*; singulare verò sentitur per se: nec compositum, *hæc albedo*, nec albedo singularis, ens per accidens, & ipsa singularitas est tantùm intelligibile, & aliquid secundæ intentionis, & commune albedini, & sono. Sed albedo coniuncta differentiæ indiuiduali, & sic est natum denominari à singularitate; non sic quòd coniunctio sentiatur, nec ista differentia indiuidualis, nec coniunctio sit ratio formalis sentiendi,sed modus quidam rationis formalis,sub quo modo est ratio sentiendi.

Sensus an sẽper præsentis, & existentis?

Intellectus abstrahit, sẽsus non.

Vniuersalitas non est ratio intelligendi.

Singularitas est tantum intelligibilis. Scot. de Anima q.22.

Contrà:tantùm albedo sentitur, cuicunque sit coniuncta;ergo ipsa vt est sic nota, non repugnat dici de pluribus:sicut nec ipsi vt est intellecta;ergo vniuersale ita sentitur,sicut intelligitur. Similiter, vniuersale sic est extra animam: quia licèt albedo extra animam semper sit coniuncta differentiæ indiuiduali, tamen albedo priùs naturaliter est,quàm illa coniunctio:illi sic non repugnat dici de multis, licèt consideratæ sub differentia, per differentiam repugnet; ergo sicut vniuersale intelligitur,sic est extrà.

26

Respondeo,ibi est albedo vniuersalis,vbi separatur à prohibente dici de multis, quia ibi non impossibile; ergo possibile est hoc esse in intellectione: sibi enim intellectæ non coniungitur differentia indiuidualis,sibi in re coniungitur,& sibi sensatæ maximè. Si hoc additur,quòd sensus est rei secundùm quod existit,quod est verum de existente fortè. Contrà:si intelligis separari realiter, sic, quòd non coniungatur intellecto in re,falsum est: abstrahentium enim non est mendacium:si inquantùm ad actum cognoscendi, sic in sensu, quia hæcceitas non sentitur. Similiter est in existendo,quia illo esse priori, quod est albedinis proprium, non est differentia indiuidualis,quia posteriùs, nisi dicatur quis videre colorẽ. Respondeo, intellecto in se per accidens coniungitur differentia indiuidualis, ita quòd non necessariò, sensato per accidens, hoc sine quo non, sed necessariò existenti per se;quia ille prior gradus,qui est albedinis in se, cum differentia indiuiduali facit vnum per se.

Natura sensata quare repugnat vniuersalitas?

Ad argumenta contra intellectionem singularium,quæ fiunt super primum librum,patet quòd nunc nunquam intelligitur; vnde perfectissima scientia nunc nobis possibilis est de specie specialissima,ibi status.

Quæst.6. Perfectissima scientia pro nunc de specie specialissima.

Sed difficultas est contra hoc:cùm enim multa singularia faciant multa phantasmata, quare non à quolibet abstrahitur species vniuersalis? & ita vel erunt tot, vel voluntas ibi aliquid faciet, quod est inconueniens. Responsionem ad hoc quære scilicet dist.3.pri. in responsione tertiæ rationis principalis illius quæstionis: an oportet ponere speciem intelligibilem in memoria præcedentem actum intelligendi. Ad aliud, vniuersalitas est per se ratio intelligendi quodlibet intelligibile,

telligibile, non intellecta vt obiectum, nec vt pars formalis obiecti: sicut singularitas ratio formalis sentiendi, non vt obiectum, nec pars, sed præcisè ratio; immò si debet intelligi, intelligitur sub ratione vniuersalis. Exemplum, masculinitatem volo concipere, qui est modus præcisè, concipiendo Deum, nec obiectum, nec pars: illummodum si facio obiectum, concipio sub modo fæmineitatis. Vnde masculinitas est fæminini generis: tamen fortè vniuersale est ratio intelligendi, non ita intellecta, sicut modus Grammaticalis.

ANNOT. MAVRITII.

27 Sequitur quæstio decimatertia de principio indiuiduationis, quæ fundari potest super diuersis locis textus: licèt super 5. Metaphysicæ poterat oriri, vt eam aliqualiter tetigit. An. An. ibidem, potest enim t. c. 28. 35. & 45. oriri: vt notauimus in principio eius, famosa enim, & ampla, & maximà speculationis est hæc materia, & chaos magnum opinionum, & disputationum: quam tamen mirabili ingenio hæc amplectitur compendiosè: & testante etiam aduersario doctrinæ huius Guilielmo Ocham. in primo. di. 2. cæteros omnes excellit iste in hac indiuiduatione, & subtilitate eius, de qua distinctè in 6. q. ad plenũ & resolutè, & difficulter pertractat, in 2. di. 3. par. 1. quarum principalis fructus in hac vnica q. habetur, & plura subtilissima adduntur Scholastico volatu mirifico.

Aduerte, quòd in aliquibus originalibus ante oppositum ponitur paruum *Extra* ibi: *Nota primum argumentum*, &c. vsque illuc: *Contra 4. Metaphys.* &c. & in margine in aliquibus habetur quædam litera, quæ sic incipit: *vtrùm substãtia materialis ex natura sua sit indiuidua*, &c. vsque illuc inclusiuè, *vt huius generis*, & alia, quæ sic incipit: *de Angelis quòd non. 12. Metaphys.* &c. vsque illuc inclusiuè. Item natura perfectior, communicatior: & quia non multùm necessaria, & diminuta, quare non posuimus in originali impresso eam: lector addat si voluerit.

Secundum argumentum post oppositum est diuisiuum: vt patet, cuius vnum membtum remouet, aliud verò membrum impugnabis: vt in sequentibus habet; supposuit enim satis manifestum, secundum membrum esse inconueniens; ideò tacuit.

Infrà, ibi: *Hìc malè allegat Aristot.* &c. vsque illuc *Tertia est de materia*, &c. assignatur *Extra*: sed litera satis bona est: & cùm dicit alibi, potest remitti ad expositionem literæ ibi: & suprà q. de ratione quantitatis, & infrà in hac q. & in 2. vbi suprà, & si sic congruè ponitur extra sustinendo suppositum principale.

28 In decisione quæstionis introducit duas vias principales, quarum prima est, quòd natura per aliquid positiuum quodammodò aliud ab ipsa indiuiduatur, quæ subdiuiditur in sex vias, quarum quinque sunt aliorum, & sexta est propria. Secunda via principalis habet duas vias. Prima, quòd seipsa natura est hæc; secunda, quod duplici negatione, & sic in vniuerso sunt octo viæ minùs principales. Opiniones primæ viæ partialis primæ principalis exprimuntur in litera. Secunda via partialis est God. quodlib. 7. q. 5. & quodlib. 6. q. 16. & Ægidij quodlib. 1. q. 5. & in Theorematibus. Tertia est Alberti 5. Metaphys. & in libello de intellectu, & intelligibili, & S. Thomæ: licèt propter infestationes Dæmonum materiam signauerit quantitatis Cruce in fronte, vide eum 5. Metaph. & in libello de indiuiduatione materiæ, & super Boëtio de Trini. & 1. par. Summæ, q. 7. art. 1. & 50. q. & in 2. scripto expressiùs, di. 3. q. 4. vide etiam Bonau. & Richardum in 2. ibidem notanter ad hoc, & alios antiquos. Quarta via attribuitur Rogerio Bachonis, & videtur Auicebron: qui tamen potiùs formam posuit esse principium indiuiduationis: & hanc sequitur Nicolaus Boneti. 8. Metaphysicæ: & aliqui quotant Goddo. Quære VVarr. in 2. vbi priùs. Quinta via est multùm specialis, quam tacuit in 2. quære VVar. in 2. q. 4. & Henr. quodlib. 3. q. 9. & alios ad hoc. Prima via partialis secundæ principalis est Nominalium, quam sequitur Ocham in primo di. 2. par. 1. copiosè, & aliqualiter quodlib. 5. q. 12. & 13. & Frater Adam lib. 1. d. 33. q. 8. art. 1. quære Aureolum, & alios, vt nosti, secunda via est Henr. quodlib. 5. q. 8. & 5. Quinque vias principales impugnat primò in generali, vel saltẽ tres primas per quatuor media notabiliter. Consequenter in speciali arguit singillatim contra eas suo modo.

Aliqui assignant *Extra* ibi: *Hìc respondet Ægidius de illo modo*, &c. vsque illuc: *Ex secunda via sic*, &c. & illa responsio habetur vbi suprà quotaui ipsum.

Quod tangit infrà in exemplo improbando, id est, viam secundæ principalis, vbi dicit secundùm vnam opinionẽ. Quære in primo di. 36. illas opiniones & consequenter in 2. via recitat dicta Henr. in Summa, & quodlibeto, vbi ibi tangit: sed vide omnia in fonte si potueris, & pondera singula.

Nu. 9. Infrà, ibi: *Dicitur ergo, quòd natura non est vna*, &c. assignatur *Extra* in aliquibus: sed satis bona litera, & potest assignari nona opinio in solutione quæstionis & verum est secundùm omnes, quòd singularitate formaliter, & proximè est singulare: sed de hoc non quæritur: vt habet.

29 Deinde ibi: *Et nota, quod non quæritur*, &c. Declarat titulum quæsiti, & ostendit partem negatiuam eius. Quantùm ad primam partem, videlicet quòd natura lapidis non sit de se hæc, vbi introducit disputationem de vnitate minori reali vnitate numerali, quæ etiam infrà q. 18. replicatur: & ideò hìc posset omitti, quæ famosa est in doctrina eius, & breuiter, & subtiliter procedit: & licèt multi conantur soluere motiua ista, vt Ocham, & sequaces vbi suprà, & similiter alia argumenta suprà, contra alias vias hìc, tu tamen faciliter infringes cuncta benè discutiendo: nam obstinatis nihil persuadetur.

Consequenter aduerte ad illam responsionem ibi infrà: *Respondetur ad primam improbationem consequentis*, &c. contra quam non replicat, posset enim assignari *Extra*, & si volueris, faciliter infringitur: nam licèt in differentibus numeraliter, posset reperiri inæqualitas, non tamen in differentia ipsa; an etiam sit alicuius quantitatis, & sic capax æqualitatis principium indiuiduationis, ponderabis, ex dictis huiusmodi: & probabiliter diceretur, quòd non, nisi extensiuè. Quære 5. quæst. quodliberi. & 26. dist. 1. sed instantia est aliqualiter. 1. di. 1. & alibi.

Infrà, aduerte qualiter argumentum de vnitate

tate obiecti potentiæ infringit: sed de vnitate obiecti vnius actus replicam commendat. Quære supra lib. 1. & in 2. Sententiarum, vbi suprà.

Deinde concludit quid tenendum sit in hac quæst. ibi: *Ex his potest concludi*, &c. vbi consequenter videtur magna intricatio in processu. Nam respondet ad diuersas quæst. cùm tamen vna tantùm mota sit. Et in originalibus diuersis transmutatur litera: tota namque illa litera, *Dicitur, quòd natura non est vna, nisi per vnitatem de genere Quantitatis*, &c. vsque illuc: *Ex his potest concludi*, omittitur in aliquibus: & vocatur *Extra*: & satis rationabiliter. Illa etiam litera: *Notandum, quod indiuiduum, siue vnum numero dicitur illud*, etiam per totum vsque ad illud inclusiuè, sicut modus Grammaticalis præcedit illam partem: *Ex his potest concludi*, &c. quæ sequuntur, & satis bonus ordo est ille: teneatur tamen ordo iste, quem posuimus: quia satis bonus: & legatur tota litera: quia optima vbique, & singularis doctrina de singulari.

Num. 13.

Num. 17.

Cùm dicit ibi: *Ad duo prima prima q.* &c. debent applicari ad principalia argumenta pro vtraque parte, & ante oppositum, & post illæ solutiones. Vbi aduerte, quòd quotat argumenta ante oppositum ibi: vt suprà in illo extra ante oppositum ea comparauit.

30 Infrà, consequenter cùm dicit: *Ad aliam quæst.* ibi intelligit implicitè qu. nam secundùm multiplicem recitatam opinion. multiplex subintelligitur hìc q. vt expresse ponit in 2. hìc verò gratia breuitatis sub vna omnes includit. Similiter infra cùm dicit: *Ad aliam quæst. quòd forma est principium*, &c. applica ad opin. de immaterialibus, in quibus non conceduntur plura in eadem specie secundùm communem viam, & ibi argumenta implicita, quæ soluit. Quære in 2. vbi suprà quæst. 7. & in illo *Extra*, quod notaui suprà de Angelis, &c. habentur breuibus, similiter infrà ibi: *Ad aliam quæst.* &c. applica ad opin. de quantitate, quæ ibi tangit, vt patet: licèt declaratio illa est generalis in hac materia in omni via, vt patet.

Deinde inducit obiectiones contra solutionem q. principalis: & soluit valde notanter, & aduerte ad solutionem vltimæ obiectionis ibidem: quia videtur habere instantias ex dictis Boëtij lib. Diuisionum, qui diuisionem speciei reducit ad diuisionum totius in partes, sed salua Doctorem vt nosti, & similiter omnes alias solutiones hìc examinabis diligenter iudicio boni viri.

Num. 17.

Sequitur illa pars: *Notandum, quòd indiuiduum*, &c. vbi declarat præcedentia, & altiùs omnia inuestigat, & de principio indiuiduationis, & vnitate reali minori vnitate numerali: & vniuersalitate, vbi consequenter inducit sex obiectiones contra dicta: & antequam soluit eas, inserit plura declaratiua, & instantias, & solutiones; vide infrà ibi: *Ad primum principale*, &c. intellige de prima illarum sex obiectionum.

Pertransibis lento passu, illud chaos metaphysicale Scoticum, vbi assignatur infrà ibi: *Quod verò prædictum est, quod quicquid abstrahitur*, &c. vsque illuc: *Ad quartum per argumentum factum*, &c. *Extra*: sed litera singularis valde, quam etiam infrà tangit, & non habetur communiter in omnibus originalibus in hoc loco.

Infrà ad finem quæst. ante illam literam immediatè: *Ad argumenta contra intellectionem singularis*, &c. ponitur in aliquibus originalibus obiectio talis. Contrà: semper stat, quòd per se sentitur vniuersale, quod est extra animam, hoc est illud, quod natum est denominari ab vnitate, & satis facilis est solutio ex dictis; vel omitte, quia non necessaria.

Consequenter ibi: *Responsionem ad hoc quære, scilicet 3. di. primi*, &c. illud additum est: & non est de originali Doct. vera enim remissio: sed non habetur in originalibus antiquis, & tenendo suppositum principale; nam est de litera, variè habetur ibi litera in diuersis: & aliqua adduntur, quæ non sunt hìc supra lib. 1. & lib. 5. ad hoc plura patent; quære 45. 4. & alibi sæpe. Alios sequaces huius hìc vide.

QVÆSTIO XIV.

Vtrùm singulare per se intelligatur?

Arist. 1. *Phys. text.* 49. & 5. *Met. c.* 9. Philopon. *ibid. c.* 8. Auerr. *tom.* 9. D. Thom. 1. *p. q.* 86. *a.* 1. *quodlib.* 12. *q.* 8. Mirand. *de euersione singular. certam. lib.* 23. *sec.* 4. Aureol. 1. *dist.* 35. *q.* 4. *a.* 1. Rich. 2. *dist.* 24. *q.* 4. Durand. *dist.* 3. *q.* 7. Greg. *in* 1. *dist.* 3. *q.* 1. *a.* 1. Iandun. 3. *de ani. q.* 11. Apollinar. *q.* 12. Suar. *lib.* 4. *de Ani. c.* 3.

QVòd sic videtur, quia ens per se est obiectũ intellectus per Auic. 1. Metaph. c. 5. & non tantùm ens in vniuersali, sed quodlibet ens inquantùm habet rationẽ entis; quod ergo maximè est ens, maximè est intelligibile: sed prima substãtia maximè est ens, quia maximè est substantia ex libro Prædicamentorum; ergo, &c. Item, operatio realis nõ est, nisi à singulari: sed mouere intellectũ obiectiuè est operatio realis; ergo, &c. Præterea 1. Posterior. t. c. 1. & 33. sicut per syllogismũ cognoscimus cõclusiones, ita per inductionem principia: Sed nulla potentia arguit discurrendo per inductionem, nisi intellectus; ergo sibi notiores sunt præmissæ conclusione; ergo per se intelligit singularia, à quibus arguit inducendo. Præterea, cognoscens differentiam per se aliquorum extremorum, per se cognoscit extrema differentia: sed intellectus per se cognoscit differentiam inter singulare, & vniuersale; ergo per se cognoscit vtrũque extremũ. Sic arguit Philos. 2. de Anima, t. c. 145. & inde, de sensu cõmuni. Præterea, intellectus rebus, quas intelligit, nomina imponit: imponit autem nomina singularibus, quibus etiam attribuit intentiones, puta hanc, singulare indiuiduum, propositiones, oppositiones contrarias de eis facit, quæ pertinent ad intellectum. Nec illa reflexio, quam ponunt, videtur multùm valere, cùm ista possint intelligi ante abstractionem vniuersalis, immò dubitando cuius speciei sit hoc indiuiduum. Præterea, nisi intellectus per se intelligeret singulare, quomodo voluntas potest per se velle actum singularem, & quomodo tunc peccaret? Videtur enim quòd nullo modo, cùm voluntas non possit per se velle, nisi quod est per se ab intellectu cognitum. Præterea, si repugnaret singulari, vnde singulare est, per se intelligi, quomodo posset Angelus per se intelligere seipsum; se? Deus se? ergo certum est, quòd singularitas non impedit intellectionem.

1 *Cap. de Substantia.*

Singulare per se intelligibile.

Intellectus intelligit singulare sicut volũtas vult illud.

2 Si ergo aliquid aliud, hoc impediat, puta accidentia annexa, separentur: si materialitas, vel quid aliud,

aliud, certum videtur, quòd intra quiditatem non est nisi quiditas speciei signata: tolle igitur omnia impedientia intelligibilitatem, ita per se mouebitur intellectus à singulari, sicut à speciei natura. Præterea, species genita cùm sit essentialiter similitudo, non solùm proximi gignentis ipsam, sed mediati, & hoc sub ista ratione obiecti, sub qua gignit: quia alia ratio requireret aliam speciem, propter aliam repræsentationem, cùm species in intellectu sit genita à singulari, sed mediatè illud semper repræsentabit: licèt enim nouum lumen requiratur ad illam gignitionem in intellectu, quod potest dare intensius, vel minùs intensè repræsentare, nunquam tamen dabit aliud in repræsentatione obiecti, quàm illud à quo gignitur mediatè, vel immeditè. Respondeo, quòd semper repræsentat istud à quo gignitur: sed non sub illa ratione, ita quòd gignés eandem rationem habeat inquantum gignens, cùm ratione obiecti repræsentari per speciem genitam; alioquin quamuis ponas, quòd singulare primò intelligitur saltem, tamen oportet te concedere, quòd à specie singularis in intellectu, possit abstrahi species vniuersalis; alioquin vniuersale nunquam intelligeretur, sequitur quòd illa species, quàm tu ponis vniuersalis, per se repræsentaret singulare in ratione obiecti.

3 Contrà; si singulare per se intelligitur, duo singularia erunt duo per se intelligibilia, & cùm intellectus simplex per se non intelligit, nisi quiditatem, duo singularia habebunt duas quiditates, & per consequens duas diffinitiones; & ita erunt duæ species. Responsio, primum consequens est concedendum: sed intellectus non intelligit, nisi quiditatem absolutè vniuersalis, vel hanc quiditatem, vel magis hoc *quid*, quia quiditas fortè non habet inferius. Sed *quid*, habet hoc *quid*, quod non est per accidens ens, ideò per se intelligibile: sed hæc duo *quid*, non habent duas diffinitiones. Præterea ad principale arguitur, si singulare per se intelligitur; ergo non vniuersale; cõsequens est falsum. Probatio consequentiæ: quia si singulare, & vniuersale per se intelligantur: aut ergo per eandem speciem, aut per aliam: non per eandem speciem; tum, quia illa repræsentaret omnia singularia sub propriis rationibus, & sic idem est principium cognoscendi plura, vt plura; & similiter idem repræsentabit illud sub ratione distincti; & indistincti, quæ sunt inconuenientia: tum, quia vniuersale, & singulare in ratione obiecti simpliciter differunt: tum, quia semper simul ambo intelligerentur, nisi intellectus vteretur specie, nunc ad hoc, nunc ad illud; & istum vsum oporteret, quòd præcederet cognitio huius, & illius, non per aliam speciem: tum, quia vtraque esset æquè abstracta & omnia haberet eadem, vt videtur tam phantasma originans, quàm intellectum agentem creantem, &c. quare ergo vna est magis vniuersale quàm alia? Præterea, si primò gignitur species intelligibilis singularis ex phantasmate, aut congignitur alia vniuersalis de eodẽ, vel etiam de illa: & tunc tot species erunt vniuersalis, quot singularium: & sic infinitæ: aut non non necessariò congignitur species vniuersalis, sed tantùm voluntariè: & hoc videtur irrationale omnino, cùm gignitio speciei sit naturalis: aut secunda species vniuersalis redit in idem cum prima, & auget eam: & sic cognitio vniuersalis poterit intendi in infinitum: & etiam sequeretur, quòd quantò plura singularia video, tantò perfectiùs cognoscam vniuersale. Propterea, si singulare sit per se intelligibile, duo singularia habebunt duas species proprias in intellectu, & duas intellectiones actuales; & sic ex multis actibus circa vtrumque potest generari habitus, qui sit per se illius obiecti, cuius est actus; ergo duæ scientiæ erunt de duobus singularibus eiusdem speciei, quod videtur multipliciter impossibile: quia tunc duo accidentia eiusdem speciei simul in eodem essent. Tunc etiam nullus sciens aliqua de specie specialissima esset perfectè sciens, sed tantùm in vniuersali, nisi sciret de omnibus singularibus. Tunc etiam idem posset habere infinitas scientias, tamen, quia idem sciẽs de vno singulari propter hoc non sciret de alio; ergo oportet alio singulari intellecto, ad sciendum de isto, accipere scientiam de nouo per inuentionem, vel doctrinam: nec tunc per vnam artem ædificandi sciret aliquis facere domũ nisi vnam. Respondeo ad hoc: non omnis intellectio per se iterata, generat habitum scientiæ, nisi sit cuiusdam de quodam per medium, quod est diffinitio; de duobus singularibus, non intelligitur aliquid per duo media, quæ sint diffinitiones. Contrà: ibi est hoc subiectum, hæc passio, hæc causa, quare ergo non est alia scientia?

Tantum intelligitur quiditas.

SCHOLIVM.

ADDVCTIS optimis argumentis ad vtramque partem, soluit in fauorem D. Thomæ argumenta partis affirmatiuæ, sed explicat, & refutat solutiones primi, & secundi, remittens se ad dicta q.3.l.2. vbi agit quomodo substãtia pro nunc sit à nobis intelligibilis, & tangit singulare esse per se intelligibile, quod etiam tenet 2.d.3.q.6. ad secundum & q.11. & q.22. de An. vbi multa de hoc adduxi argumenta partis negatiuæ hîc adducta nu.3. soluit quæst. seq. à nu.4.

4 Ad primum argumentum pro alia parte dicitur, quòd ens est obiectum intellectus, non tamẽ vt communissimum, sed vt extendit se ad quodlibet ens immateriale, vel consideratum, vt immateriale: hoc est abstractum à materia, non simpliciter, sed indiuidualitate autem abstractum est vniuersale. Aliter dicitur; detur, quòd ens, vt extendit se ad quodcunque, sit obiectum intellectus. Quando dicitur vltrà, quòd singulare est maximè ens, hoc falsum est in materialibus, per se loquendo: immò illud, quo formaliter est aliquid singulare, vt materia indiuidualis, magis facit ad *non esse*, quàm si *esse* speciei per se esset sine tali materia, quia illa est principium corruptionis. Et quando dicitur, quòd prima substantia maximè est substantia; verum est vt *substantia* dicitur à *substando*, quia pluribus substat: ita intelligitur dictum in Prædicamẽtis, non autem maximè substantia, quia perfectissima in essendo. Ad secundum, quando dicitur, quòd mouere realiter est singularis. Dico, quòd mouere intentionaliter imprimendo speciem, potest esse obiecti vniuersalis. Aliter dicitur, quòd intellectus non mouetur intentionaliter ab vniuersali, sed ab intellectu agente principaliter, & phantasmate instrumentaliter, quorum vtrumque est singulare. Ad aliud dicitur, quòd intellectus primò intelligens vniuersale, considerat se per aliquid illud intelligere, & non per essentiam suam, quia

Soluit argumenta secũdùm viam D. Thomæ.

Quomodo prima substantia est maximè substantia?

quia de nouo illud intelligit; ergo per aliquid in se factum, quod non potest esse, nisi sensus, & phantasma aliquid receperint à singulari extrà; ergo sic reflectendo intelligit singulare: & cùm sic intellexit, comparationes facit, & inductionem, & intentiones attribuit.

Singulare quomodo intelligitur?

Ad aliud, lumen, quod est principale efficiens gignitionis speciei de aliquo, magis confert speciei vim repræsentandi obiectum sub certa ratione, quàm originans, licèt originans det sibi vim repræsentandi naturam obiecti in se.

Ad aliud, cōceditur, quòd singularia in materialia sunt per se intelligibilia, non materialia: quia principium indiuiduationis in eis est materia indiuidualis. Prima responsio, & secunda, & tertia, & quinta satis videntur esse secundùm sententiam Thomæ, 1. par. 85. & 86. q. prima, & aliam viam quære de obiecto intellectus in 2. quæst. 3. in fine.

5

Contra responsionem secundam ad primum argumentum principale, & contra responsionem septimi argumenti: Singularitas non est per se causa non intelligibilitatis: hoc enim concedit responsio ad septimum: & oportet concedere de Deo: saltem natura indiuidui nihil addit vltra naturam speciei, nisi singularitatem; ergo nihil est in singulari impeditiuum intelligibilitatis, quia nec forma speciei, nec materia, nec singularitas alterius, vel amborum; & nihil est in natura singulari lapidis, nisi materia singularis, & forma singularis lapidis. Contrà primam responsionem ad secundum argumentum: Mouens intentionaliter, priùs naturaliter est, quàm species ab ipso impressa sit in intellectu possibili: sed illa priùs naturaliter est ibi, quàm obiectum cuius est, sit ibi, vt cognitum in cognoscente: si ergo vniuersale secundùm quòd vniuersale, mouet intentionaliter, illam speciem imprimendo, priùs naturaliter vniuersale, vt vniuersale, habebit aliquod esse, quàm sit in intellectu, vt in cognoscente. Sed illud prius est esse extra intellectum; igitur vniuersale secundùm quòd vniuersale, habet *esse* extra intellectum, & aliud quàm cognosci,

Si vniuersale imprimit speciem & à parte rei.

Contra responsionem secundam, cuiuslibet potentiæ passiuæ proprium obiectum est eius motiuum; ergo proprium obiectum intellectus possibilis est phantasma, vel intellectus agens. Respondeo; propositio prima est falsa. Nam potentia cognitiua non tantùm habet recipere speciem obiecti, sed etiam tendere per actum suum in obiectum. Et istud secundum est essentialius potentiæ, quia primum requiritur propter imperfectionem potentiæ,, & obiectum principalius est obiectum, quia in ipsum tendit potentia, quàm quia imprimit speciem. Quod patet, si Deus imprimeret speciem intellectui, vel oculo, eodem modo ferretur in obiectum, sicut modo, & obiectum ita esset obiectum; Sed Deus non esset obiectum, quia in ipsum non tendit potentia: & tamen ipse imprimit, sicut impressit Angelo species creaturarum. Hæc ergo est vera: cuiuslibet passiui est aliquid motiuum per se: sed non oportet in potentiis apprehensiuis, quòd illud motiuum, sit proprium obiectum potentiæ sub ratione quâ est motiuum: Sed oportet, quòd ipsum sub ratione quà obiectum, terminet actum potentiæ. Hoc patet in voluntate: qui enim dicunt eam passiuam, dicunt eam moueri ab obiecto, secundùm quòd intellectum est: sed tendere in obiectum non secundùm quod est in intellectu, sed secundùm illud, quod est in se, iuxta illud Commentatoris 12. Metaphysicæ, commento 36. *Balneum secundùm quod est in anima, mouet appetitum effectiuè, sed secundùm quod est in se extra mouet vt finis.* Sed propria ratio obiecti voluntatis est ratio finis: & vt res est in se: & non ratio efficientis, nec vt est in intellectu; ergo patet falsitas propositionis, & quomodo verificatur. Immò nec est vera in potentiis naturalibus: obiectum enim propriæ potentiæ passiuæ est accidens, vel ens actu, ad quod terminatur, & illud non agit in potentiam passiuam. Sed aliud in ipsam agens, producit istum actum, vel istud ens actu. A simili hæc est falsa: Omnis potentia actiua nata est per se agere in suum obiectum. Si obiectum suum sit terminus suæ actionis: terminus intellectus agentis non est ipsum phantasma, in quod agit, sed vniuersale: saltem in cognitiuis videtur verum. Intellectus enim Dei est actiuus respectu suæ essentiæ, non tamen agit quicquam in ipsam, Similiter voluntas nostra nihil agit in obiectum suum, etiam secundùm ponentes ipsam esse actiuam: sed tamen sua actione tendit in obiectum, Probatur ergo falsitas primæ, quia nec omni, nec soli obiecto contingit, vel conuenit mouere; ergo, &c.

Intellectus agens non est obiectū possibilis, neque phantasma.

An obiectum quà tale, sit proprium motiuum potentiæ?

Balneum effectiuè mouet vt intra, vt finis, vt extra.

Finis extra obiectū voluntatis.

Dictum est quidem igitur, & nunc ipsum verum: & tamen ampliùs, & manifestiùs dicemus repetentes. Nam quæcunque sunt rationis partes, & in quas diuiditur ratio, hæ sunt priores, aut omnes, aut quædam.

Tex. commenti 35.

QVÆSTIO XV.

Vtrùm singulare sit per se intelligibile à nobis?

D. Tho. *hîc lect. 9. & de ani. q. vnic. a* 20. Ant. And *hîc q.* 13. Fland. *ibid.* 21. *q* 2. Scot. *q.* 22. *de ani.* Cauellus *ibid.* Vide citatos antè *q. proxime præcedentem.*

Videtur quòd non, auctoritatibus. Et primò auctoritate Arist. hîc: videtur enim dicere, pluries ostendere, quòd abeuntibus à sensu, &c. Item 2. de Anima. *sensus est singularium, intellectus vniuersalium.* Ex quo multipliciter arguitur hîc: quia diuersarum potentiarum sunt diuersa obiecta, & in permutando. Et etiam deducitur de proportione potentiæ ad subiectum, secūdùm materiale, & immateriale: intellectus Angelicus omnino immaterialis, sensus omnino materialis, intellectus noster medio modo; ergo consimiles conditiones obiectorum. Additur etiam quartò, quòd materia secundùm se est ignota: illam includit singulare. Maior habetur in isto cap. t.c. 35. & ad hanc intentionem videtur. Minor habetur ex de Cælo, & Mundo. t.c. 92. *Cùm dico hoc celū, dico materiā,* &c. Item *quod quid est* est obiectū intellectus, ex 3. de Anima. t.c. 10. & inde, singulare nō habet propriū *quod quid est*, tū quia tunc esset diffinibile: tū quia tūc de ipso esset sciētia propria, quorum

1 T. c. 35. T. c. 66. Idē 1. Phys. & 1. & 2. posterior.

quorum vtrumque est contra Arist. cap. penultimo huius, t.c. 53. contra Platonem: & improbat secundum, quia tunc quandoque scientia esset scientia, quandoque non scientia. Tum, etiam tertiò, infinitæ possent esse scientiæ, quia infinitas non repugnat singularitati; vnde propter hanc rationem secundum Pophyr. Iubet Plato quiescere, & singularia ab arte relinquere. Tum etiam quartò, habens notitiam perfectam de specie specialissima, haberet imperfectam, & in potentia tantùm de quolibet singulari, sicut est de genere, & specie. Sed hoc consequens improbatur. Nam agens per cognitionem non potest perfectissimè sic dirigere in agendo, nisi cognoscat perfectissimè agibile quantùm possibile est, artifex autem per artem tantùm habens vniuersalem cognitionem de domo, perfectissimè se dirigit in faciendo hanc domum, ita perfectè, sicut si hanc perfectè eandem priùs nouisset; igitur domus facta non est nata perfectiùs cognosci ab ipso, quàm in vniuersali.

Singularia ab arte relinquẽda, secundũ Platonem.

Item ad principale, si singulare per se intelligitur, vniuersale per se non intelligitur; consequens est falsum. Probatio consequentiæ: aut vniuersale intelligeretur per eandem speciem, per quam & singulare, aut per aliam; non per eandem, tum, quia idem, quomodo repræsentabit aliquid sub ratione distincti, & indistincti? tum, quia aut sic per eandem, quòd vnica species, quæ est ipsius vniuersalis, est etiam omnium singularium, aut quæcunque est alicuius singularis propria, illa etiam cum hoc est ipsius vniuersalis. Non primo modo, quia vnica species non est distincta ratio cognoscendi plura, vt plura: non secundo modo, quia tunc essent tot intentiones vniuersalium, quot singularium. Non secundo principali modo, tum, quia tunc pari ratione manet specialis vniuersalis cum specie cuiuslibet singularis: & tunc infinitæ species erunt vniuersalis; aut si secunda intendat primam, poterit intendi cognitio vniuersalis in infinitum: quicunque enim plura singularia intelligit, perfectiùs intelliget vniuersale. Tum, quia quando duæ species insuerint; quare altera est vniuersalis, & altera singularis, cùm ab eodem phantasmate gignantur, & virtute eiusdem intellectus agentis?

5 Contrà: intellectus concipit differentiam inter vniuersale, & singulare; igitur extremum, & vtrumque secundùm propriam rationem: quia tantùm sic differunt. Item, discurrit à singulari ad vniuersale, & èconuerso; ergo cognoscit vtrumque extremum discursus. Item, singulare solùm mouet intellectum, quia mouere illud est actio realis: ergo est suppositi. Item, virtus inferior, vt sensus potest cognoscere singulare; ergo magis superior. Item, species per se repræsentat illud à quo gignitur: quælibet species intelligibilis primò gignitur à singulari, non ab intellectu agente: quia tunc esset eius species, & principium intelligendi ipsum. Dicitur, quòd in alio lumine aliud repræsentat. Contrà: lumen non facit aliam speciem: species ex natura sua repræsentat illud cuius est. Exemplum de quercu putrida non valet, quia duæ rationes agendi concurrunt, secundùm quarum vtramque in lumine semper agit, sed altera actio est imperceptibilis sensui, quando fit fortior actio, scilicet lucis incorporatæ, ibi quando color mouet in præsentia luminis maioris: quando autem fortior non potest esse propter defectum luminis, minor percipitur.

Singulare posse per se intelligi.

Quæreres putrida quare videtur nocte non die? Scot. 1. d. 3. q. 7. n. 7.

Item, ad principale, nullius est distincta memoria, cuius non præcessit distincta apprehensio: intellectus suorum actuum, qui nõ sunt sensibiles habet distinctam memoriam, vt patet, & hoc inquantum singulares; ergo & distinctam notitiam habet eorum, quando insunt.

Responsio, quæstio est Metaphysica, quatenus quærit de intelligibilitate singularis respectu intellectus simpliciter: pertinet ad librum de Anima, quatenus quærit de intellectione singularis respectu intellectus nostri, &c. De primo articulo primò videndum est, quomodo singulare sit per se intelligibile. Secundò, quomodo est primò intelligibile. Tertiò, quomodo simpliciter erit sumptum primum intelligibile respectu duplicis intellectionis.

An singulare sit per se intelligibile, Metapgysica, & animastica, quæstio.

SCHOLIVM. I.

PRIMVM *dictum*, singulare est per se intelligibile. *Secundum*, est per se primò, *id est, adæquatè*, intelligibile. *Tertium*, singulare abstrahens ab existentia, non est primò intelligibile per intuitionem. *Ratio pro singulis dictis est satis clara. Vide Doctorem fusè de hac re. q. 22. de An. & ibi nostrum Commentarium.*

4 De primo. Intelligibilitas absolutè sequitur entitatem, vt dictum est 6. q. vltima, singulare totam entitatem quiditatiuam superiorum includit, & vltra hoc gradum vltimæ actualitatis, & vnitatis, ex quæstione de indiuiduatione, quæ vnitas non diminuit, sed addit ad entitatem, & vnitatem, & ita ad intelligibilitatem. Item, singulare nihil includit, quod non includit vniuersale, nisi gradum prædictum: sed non excluditur ab ipso intelligibilitas, ratione alicuius inclusi in vniuersali, quia tunc vniuersale non esset per se intelligibile; nec ratione illius gradus, quia tunc Deus, vel Angelus singularis, non esset per se intelligibile; ergo, &c.

Singularitas non impedit intelligibilitatem.

De secundo. Primò intellectum est, quod adæquat actum intelligendi, puta quando videtur quantum bipedale, vt adæquat visionem: pars eius licèt per se videatur, non tamen adæquat visionem: sic quando species intelligitur, vt adæquans intellectionem, illud est primò intellectum, non genus, nec differentia primò intelligitur, licèt vtrumque per se intelligatur. Ad propositum, quodcunque aliud à singulari intelligitur, includit incompletè singulare, quantum ad quicquid intelligibilitatis est in eo, quia nec includit gradum, quo singulare est singulare: singulare autem includit completè quicquid est intelligibilitatis in quocunque superiori. Non est ergo natum intelligi singulare, vt pars inclusa in primo intellecto, sed tantùm vt primum intellectum, in quo alia quæcunque superiora per se intelliguntur. Iuxta hoc additur, quòd ideæ diuinæ maximè erunt singularium, quia distinctè repræsentant omnia alia intelligibilia à Deo.

Per se intelligibile, & primò intelligibile, differũt.

De tertio. Intellectio est duplex, vna quiditatiua, quæ abstrahit ab existẽtia; alia quę dicitur visio, quæ est existentis, vt existens. Prima licèt sit communiter respectu vniuersalis, potest esse primò respectu singularis, & quando est singularis, est eius primò: non enim singulare ex se determinatur ad existentiam, quia abstrahit, sicut & vniuersale: intellectio secunda est simul totius, id

Intellectio abstractiua & intuitiua.

id est, singularis, inquantum existens. Et sic exponendo simul totum apud Aristotelem non includet aliquod accidens, sed tantùm existentiam, quæ non est de ratione alicuius, nec inquantum *quid*, nec inquantum hoc participans *quid*: non est autem singulare primo modo, obiectum intellectionis secundæ, nec èconuerso, sicut exponetur respondendo ad secundum argumentum.

SCHOLIVM II.

SINGVLARE *pro hoc statu non posse à nobis distinctè intelligi, vel sentiri, de quo latè Doctor de An. q. 22. ratio est fortè, quia propter peccatum impedimur, ne singularia, vel substantias distinctè pro nunc intelligamus, vt velle videtur Aug. citatus à Scoto 2. di. 3. q. 8. & 1. di. 3. q. 3. num. 24.*

5

De secundo articulo principali, primò videndum est, quomodo intellectus noster in hoc statu non intelligit per se singulare, nec sensus sentit. Secundò, quomodo aliquo modo intelligimus singulare, & sentimus, & quomodo non.

De primo ostenditur, quòd ita est, sic: potentia cognoscens per se aliquod obiectum sub aliqua ratione, circumscripto quocunque alio, illo remanente, cognoscet illud per se: non sic est de intellectu, nec de sensu nostro respectu singularis; ergo, &c. Probatio primæ partis minoris: distinctissima intellectio singularis videtur esse alicuius intentionis, quam intellectus distinctè cognoscit: sed positâ illâ præcisè, amotâ differentiâ temporis, amoto alio, & alio gradu intentionis, & sic de omnibus accidentibus illi intentioni, non videtur quòd intellectus noster sciat distinguere, vel discernere, si ostendatur sibi à quacunque alia intentione singulari eiusdem speciei; ergo, &c. Probatio secundæ partis minoris, per idem: hæc albedo ponatur simul in loco cum illa albedine, manet ergo hæc & hæc, illa, & illa, quia hæc non est hæc, per hoc esse in loco, alia nunquid sensus discernit, in eodem loco duas esse albedines numero, si sint æquè intensæ? non. Quomodo etiam visus discernit diuersitatem solarium radiorum, qui tamen à quibusdam ponuntur continuè variari?

Singulare pro nunc non intelligitur.

Sensus non discernit inter duas albedines omnino similes, & æquales nec inter radios solares Scot. 2. d. 3. q. 1.

Contra illud obiicitur, quòd numerus propriorum sensibilium est per se sensibilis. Respondetur, quando vtrumque sensibile secundùm illam vnitatem, secundùm quam est principium numeri, est proprium sensibile: talis non est vnitas singularis propriè dicta: huius primi quæritur *propter quid*.

Respondeo, nulla potentia cognoscitiua in nobis cognoscit rem secundùm suam absolutam cognoscibilitaté, inquantum, scilicet est in se manifesta, sed solùm inquantùm est motiua potentiæ: quia potentiæ cognitiuæ hîc mouerentur ab oppositis: natura autem non mouet secundùm gradum singularitatis. Tum, quia ille gradus non est principium actionis, sed limitatiuus principiorum actionis, tamen à posteriori, quia non est principium assimilandi, sed natura tantùm, & idem est principium agendi, & assimilandi.

Singularitas non est ratio agendi.

6

Contrà: operationes sunt singularium, primo huius. Respondeo, si intelligatur de principio quo, exponitur, illud est naturæ, non sine singularitate: non tamen singularitate formaliter. Contrà: dictum est, quòd intellectus noster in hoc statu non potest cognoscere singulare, sub ratione, quâ est singulare: quia natura non mouet secundum gradum singularitatis, quia ille gradus singularitatis non est principium actionis, sed limitatiuus principiorũ actionis. Sed hoc si verum esset, concluderet, quod Angelus non intelligit singulare, ita quòd singularitas sit modus intellecti, qui eius intellectus est passiuus. Ideò dicitur corrigendo, quod omnis entitas actualis cuiuscunque rationis, est ratio agendi in intellectum actione intelligibilitatis, quia sic actus, & intelligibile conuertuntur. Probatur de existentia, quæ est alterius rationis ab entitate quiditatiua, & indiuiduali, quæ tamen mouet ad intellectionem, quæ est visio: non tamen entitas indiuidualis, vel existentiæ est principium actionis naturalis distinctæ contra actionem intelligibilitatis intellectualé: ita enim quantitas est actiua. Ex hoc sequitur, quòd intellectus immediatè receptiuus actionis obiecti, potest moueri à singularitate: non autem qui est receptiuus mediante actione naturali: tantùm primus est intellectus Angelicus, qui videt immediatè singulare materiale: secundus est noster intellectus, in quem non agit natura, nisi mediante gignitione in sensum, quæ potest dici actio naturalis materialis, respectu illius, quæ est intelligibilis in intellectum.

Quomodo operationes sunt singularium?

Quando singularitas est ratio agẽdi?

Contrà: intellectus noster habet aliquam intellectionem, quæ dicitur visio, quæ potest esse naturæ existentis sine visione singularitatis, sicut visus oculi videt; ergo intellectus noster est immediatè receptiuus actionis à re; ergo à singulari. Hoc conceditur, aliter non esset memoria in intellectu, vt est præteriti: illa enim non est, nisi cuius fuit visio intellectualis: & tunc corrigitur, quòd omnis entitas actualis est ratio agendi immediatè in intellectũ, qui capax est, non cuiuslibet actionis immediatè, sed à tali entitate: sic intellectus Angeli à quacunque entitate; noster non, nunc ab entitate indiuiduali. Quæ ratio cùm sit capax actionis ab existentia, quæ magis videtur alterius rationis.

7

Item, quare Angelicus, non noster? nonne potentiæ eiusdem rationis sunt respectu omnis entitatis? Istud poni potest tertium, cuius non est causa in natura potentiæ intellectiuæ cum illis duabus de phantasmate, & tunc Angelicus potest, quia perfectior, nec passiuum à pluribus est imperfectius, quando non potest perfici nisi patiendo: sicut perspicuum non est minùs perfectum, quod est illuminabile à quocunque luminoso, quàm quod tantùm à Sole. Vlteriùs de intellectu agente potest dici, quòd non habet actionem circa intelligentiam; & ideò nulli obiecto coagit in intellectione visiua, quæ est immediatè in intellectiua, non mediante specie in memoria. Tunc enim non esset visio: sed nec intellectus agens obiecto nato intelligi visiuè, coagit ad speciem in memoria, quia illa fit ibi mediante visione, & ita ab intelligentia: non ab intellectu agente. Itaque cùm omnis entitas, quæ est actu in re, nata sit ab Angelo videri, nulla requirit intellectum agentem, nec in nobis natura, quæ nata est videri, & est actu in re, vt natura. Sed nec in nobis respectu singularis, quia si esse natum mouere intellectum nostrum, esset ad visionem vniuersalem,

vniuersalem, vt vniuersale non est actu in re; & ita non est actu sub ratione talis intelligibilis: nisi fiat in memoria, quia intelligentia præsupponit actu intelligibile: ergo non potest fieri in memoria ab intelligentia. Sed tantùm ab intellectu agente, non à re tantùm, quia non sic est indeterminata: nec nata est sola agere nisi in intelligentiam: nam in Angelo, & nobis tantùm propter vniuersale est intellectus agens.

SCHOLIVM III.

SINGVLARE pro nunc intelligitur à nobis per reflexionem, & confusè tantùm; & explicat modum, etsi nihil resoluat, de quo fusius agit q.22. de An. vbi in commentario egi de hoc à num. 13. posui varios de hoc dicendi modos. Solutiones Doctoris sunt obscure. Vide Antonium Andream hìc quæst.13. quia clariùs ea proponit, & soluit. Vide etiam Scholium vltimum q. 13.

8 De secundo dicitur, quòd intelligimus singulare reflectendo ad phantasmata; intelligitur enim per lineam reflexam secundùm Arist. in 3. de Anima, tex. comm. 10. Commentator habet lineam sphæralem, & ipse sic exponit: & quiditas abstrahitur à quiditate, donec restet quiditas à qua non posset abstrahi. Sed tunc esset linea recta, non sphæra, nec sphæralis. Aliter exponitur, quòd in phantasia confusum est substantia cum accidentibus, vel multa accidentia mutuò se contrahentia: intellectus intelligendo vniuersale, abstrahit quodcunque illorum; intelligendo tandem vt intelligat singulare secundùm naturam, quæ est hæc, non inquantum hæc, sed cum accidentibus propriis, huic componit subiectum cum accidentibus; & ita terminus *à quo*, & *ad quem* reflexionis, est confusum, & in medio est distinctum. Vnde dicitur, quòd non tantùm sunt nomina secundæ intentionis conditiones singularis exprimentia, vt *singulare*, *suppositum*, &c. sed etiam aliqua primæ intentionis, vt *indiuiduum*, *vnum numero*, *incommunicabile*, &c. Natura igitur determinata istis, intelligitur, & est conceptus non simpliciter simplex, vt *ens*: nec etiam simplex quiditatiuus, vt *homo*, sed tantùm quasi per accidens, vt *homo albus*, licèt non ita per accidens: & iste est determinatior conceptus, ad quem venimus in vita ista; nam ad nihil deuenimus, cui de ratione sua inquantùm à nobis cognoscitur, contradictoriè repugnat alteri inesse, & sine tali conceptu, nunquam concipitur singulare distinctè. De hoc autem, & quomodo aliter singulare sit intelligibile, quære quæstione de Vniuersali. Quomodo autem est sensibile, quære in solutione 2. argumenti.

Quomodo intelligitur singulare?

Infra q.18.

9 Ad argumenta igitur. Ad primum, quòd dicta Aristotelis hìc communiter sunt de simul toto, illud enim immanifestum est recedens à sensu, & scientia fieret non scientia, quia habitus idem manens mutato obiecto, mutaretur. Ad aliud, illud est modus obiecti, non ratio intrinseca, neque cognita. Contrà, quæ differentia inter obiectum sensus, & intellectus? Respondeo: sensus est subordinatus; ergo obiectum secundùm omnem rationem subordinatur, ideò non valet proportio permutata, sicut nec in aliis ordinatis. Sed quomodo est sensus singularis determinatè magis, quàm intellectus? Respondeo: sensus simul totius est, & ideò actus sensus non est abstractus ab existentia, intellectio autem abstrahitur. Et est ista conditio obiecti, non tantùm per accidens concomitans, sed per se inquantum sensatum: per accidens autem semper concomitatur intellectionem quiditatiuam, de qua loquitur Aristoteles vt plurimùm, quia de visione intellectuali nihil videtur locutus. Ad deductionem de organico ignis, non est organicus, nec virtus in semine: non tamen producunt vniuersalia solummodò: sequitur, ergo non determinatur ad obiectum ex natura organi, quæ est determinatæ complexionis, sicut determinantur sensus; Aliunde potest determinari, & sensus indeterminari, quia natura vt natura est principium agendi in sensum. Ad illud de materia; de simul toto exponitur, quòd est mutabile, & ideò ignotum, id est, non scibile. Ad secundum principale: maior falsa est ex quæstione de indiuiduatione, quia ille gradus indiuidualis facit vnum de se cum natura. Primum consequens de diffinitione conceditur, & secundum: si scientia huius dicitur habitus inclinans ad speculandum aliquid de hoc, inquantum hoc. Aristoteles exponitur de simul toto. Et quod obiicitur de infinitate, quodlibet infinitorum est scibile nobis, non omnia simul: sicut si species ponantur infinitæ, Vltimum de scientia in potentia conceditur. Et cùm improbatur per artificem: Respondetur, quòd facit singularitatem per accidens, quia nullam per se, quam inesse consequitur singularitas: facit autem per accidens, quod non per se cognoscit: ducitur enim ratio ad oppositum, quia est possibile cum alia intellectione per euidentiam rei. Ad tertium principale: videtur ostendere, quòd per nullam intellectionem, quam modò habemus, abstrahendo sic possibile sit dare modum, quo vniuersale per se intelligatur, & singulare per se: & est pro primo secundi articuli; vel ad primum secundi articuli principalis, aut si est possibile, quære in quæstione de Vniuersali.

Proportio per mutata non valet in his quorum vnū est superius ad alterum.

Sensus non abstrahit ab existētia intellectus sic.

Singularitas conditio sensationis.

Quomodo materia est ignota?

Supra q. 13

Difficile vniuersale simul cum singulari, per se intelligi.

Ad argumenta contra 1. 2. & 4. intelligitur de conceptu non simpliciter simplici, vel simul toto, secundùm prædicta tertium, & quintum de natura, quæ est singularis, sextum de aggregato cum accidentibus.

ANNOTATIONES MAVRITII ad Quæst. 14. & 15.

10 SEquuntur quæstiones 14. & 15. de intelligibilitate singularis, t.c.35. quæ etiam communiter occurrunt, & in quibus varij variè sentiunt, quarum ordo ad præcedentem, & sequentem quæstionem posset ponderari: nam in aliquibus sequuntur sequentem hìc; & sic videntur fundari in textu, sed de hoc parùm refert, prima etiam istarum non videtur multùm necessaria, quia eadem fundamenta pro, & contra ferè habentur in secunda; ideò posset notari *Extra*, sed ad maiorem expressionem possunt legi ambæ. Nam vna est de intelligibilitate singularis absolutè, alia in ordine ad intellectum nostrum, suprà etiam lib.1. q. 5. in aliquibus originalibus ponitur tota hìc 14. sub breuitate tamen, & satis benè esset ibi ad propositum: vt ibi notaui.

Processus Doctoris in hac 14. satis patet: arguit enim ad vtramque partem copiosè, & soluit secundùm viam Thomæ argumenta principalia, & impugnat in fine solutiones. Ad argumen-

ra alterius partis habentur responsiones q. 15. & suprà lib. 2. vbi se remittit. In 2. etiam Sententiarum di. 9. & 3. plura ad hæc habet, & in q. Collationum, & in q. li. de Anima, & in Theorematibus propositione 3. & in 4. dist. 45. & in 3. di. 14. & in Quodlibeto. quæst. 13. & in 3. di. pri. quæ in quæst. sequente ampliùs pertractari habent.

In q. 15. arguit etiam ad partes ferè, vt priùs copiosè, vbi post oppositum ibi: *dicitur quòd in alio lumine*, &c. vsque illuc; *Item ad principale*, &c. assignatur *Extra* ab aliquibus.

Resolutio quæstionis in duobus articulis satis clara est, & notabilis valde in 2. arg. principali, parte 1. ibi: *Contra, dictum est, quòd intellectus noster*, &c. vsque illuc, *de secundo dicitur*, &c. assignatur *extra* ab aliquibus, sed tota litera valde notabilis est, & subtilis, atque singularis: quare legatur, & exponatur attentè, vbique. Opiniones antiquorum, & modernorum, adde hic si volueris. Vide supra 1. Phys. & 2. & 3. de Anima, & in hoc 7. & 2. Sententiarum di. 3. & alibi. Vide Ocham in primo, & quodlibetis, & defende veritatem Scoticam vbique. De modo verò cognoscēdi singulare, nota valde ea, quæ ponit Doctor in 2. parte 2. principalis argumenti, & quære alios variè ad hæc, vbi priùs infrà magis in q. de Vniuersali hîc singularissimè repetit. Vult breuiter Doctor hîc, quòd singulare est per se intelligibile, & primò, & abstractiuè, & intuitiuè, sed non à nobis pro statu isto, sub propria ratione, & vnitate, nisi in conceptu quodam vago, seu confuso, aut certè aggregato, & hoc maximè cognitione abstractiua: sed de intuitiua dubium videtur, vbi poterit lector conclusiones ordinatè proponere plures, vel vnam vt posui.

Quoniam autem diffinitio ratio est, & omnis ratio partes habet: vt autem ratio ad rem, & pars rationis ad partem rei, similiter se habet. *Tex. com* 33.

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm in rebus materialibus materia sit pars quiditatis rei?

Arist. 2. *Phys. cap* 1. & 1. *Metaph. cap.* 7. *tex* 51. Auer. *ibid. Comment.* 21. & 34. Al. 1. *Metaph. tex.* 12. Auicen. 5. *Metaph. cap.* 4. S. August. 19. *de Ciuit. cap* 9 Damasc. lib. *de fide cap.* 3. Alens. 3. p. q 6. D. Thom. 1. p. q 75 *art.* 4. & 1. *contra Gent. cap.* 21. Ferrarien. 1. *contra Gentes, c.* 21. Capreol. *in* 4 *dist.* 44. q. 1. *art.* 1. Iandun. *hic q.* 12. Anton. Andr. *ibid.* Ægid. q. 2. Flandria q. 19 *art.* 3. Conimbr. 1. *Phys. cap.* 9. q 10. Suar. *disp.* 36. *Metaph. sect.* 2. Vide Scotum *in* 3. *dist* 22. *q. vnica.*

1 *T. c.* 2. *inde. hic. t. c.* 35. & 2. *Phys.*

QVòd non, auctoritate 5. huius, cap. de Causa: Omnes partes diffinitionis sunt formæ. Item, ibidem, *Forma est, quod quid erat esse*; ergo sola forma pertinet ad quiditatem. Item 7. text. com. 35. *quod quid erat esse* animalis, est anima. Item, in eodem cap. tex. comm. 34. materiale nunquam secundùm se est dicendum: sed illud quod non secundùm se inest, non pertinet ad quiditatem. Item, inferiùs, tex. com. 35. quæcunque partes in quæ diuiditur, vt materia, sunt posteriora: sed nullũ posterius pertinet ad quiditatem. Item, *quod quid est*, est principium cognoscendi illud cuius est, sicut habetur in cap. præcedenti: text. c. 20. & 21. & inde: sed materia non est principium cognoscendi illud cuius est. Probatio minoris in commento c. materia siue sensibilis, siue intelligibilis, secundùm se, est ignota, idem primo Physic. comm. 35. Item, in dictis secundùm se, *quod quid est* est idem cum eo cuius est; ergo nihil pertinet ad diffinitionem, quod prohibet hoc: sed in omnibus habentibus materiam non est idem. Minor probatur in isto cap. text. com. 39. Dicit enim sic, materia est omnis illius, quod non est idem cum suo *quod quid est*. & inferiùs text. com. 41. dicit, concepta cum materia non idem. Item 8. huius, c. de Forma, text. com. 8. homo, & homini esse, non idem, nisi anima sit homo. Item, in epilogo illius cap. tex. com. 40. quæ sunt partes, vt materia, non inerunt in ratione substantiæ. Si exponatur de materia indiuiduali, contrà: ita posset negare partes formales esse partes rationis, quia forma indiuidualis non inest in ratione vniuersalis: sed non videtur ita negare de forma, sicut de materia. Dicitur, quòd Arist. negat in hoc cap. text. c. 35. de hac forma, quòd sit pars quiditatis hominis: sicut & de hac materia, sic de hac anima, sicut de hoc corpore. Contrà: communiter excludit materiam, non communiter formam. Item, hîc in litera, tex. com. 35. ex hac ratione vniuersaliter videtur dicere, quòd substantiæ simul totius quodammodò est diffinitio, quodammodò non, quia secundùm speciem est, secundùm materiam non est, quia indeterminata est materia. Idem Commentator, comm. 35.

Oppositum in isto cap. tex. com. 33. Incisio non pertinet ad diffinitionem, sed quæ syllabæ eam quæ est elementorum: sed elementa pertinent ad materiam. Item ibidem, text. comm. 36. si anima non est animal, tunc dicendum, quòd anima non est tota quiditas, ita intelligitur solutio sua. Item, contra Platonem, tex. com. 36. Parabola Platonis non benè se habet, quia non est simile de circulo, & homine: superfluum est enim auferre materiam à quiditate rerum, quia quædam sunt hoc in hoc, scilicet forma in materia, sicut in naturalibus.

SCHOLIVM I.

Sententia Auerrois, quam Albert. Iandun. & alij sequuntur, materiam in materialibus non esse de quiditate, sed solam formam, refutat eam Doctor variis locis Aristot. & rationes eius destruit. Idem præstat 3. d. 22. num. 9. vbi rationes huius sententia ducit ad oppositum. Soluit argumenta Auerroïs optimè explicans, quomodo potentia remota ad corrumpi sit scibilis per medium commune, abstrahens ab existentia, proxima verò non.

2 *Comm. isto 35. huius 7. sed est 3. huius cap.*

Dicitur secundùm Commentatorem isto cap. commento 3 a. quod non pertinet ad diffinitionem; vnde dicit, quòd quædam diffinitio est, vbi apparet materia; quædam vbi non apparet materia: vbi apparet materia, ibi vna pars posita non pertinet, materia scilicet vbi non apparet quælibet pars posita, pertinet. Item, ratio ad hoc c. 4. vel 5. huius 7. omnia facta à casu, & ab arte, habent materiam, & illa est, quâ res potest esse, & non esse, ibidem; si ergo materia sit principium, per quod aliquid possit esse, & non esse, si esset pars diffinitionis, *quod quid est* posset per se generari, & corrumpi, contra Philosophum, cap. 4. huius

Tex. com. 22. *Materia est quâ res potest esse, & non esse.*

huius 7.& penultimo,tex. com.34.& 53. Confirmatur, quia materia secundùm aliquos ponitur principium indiuiduationis: ideò prohibet intelligibilitatem secundùm Auic.8. Metaphysicæ:igitur quiditas cùm sit per se intelligibilis, oportet quòd abstrahatur à materia. Additur, quòd materia non est quâ res est, sed quâ potest esse, & non esse: *esse* autem aut *non esse* non est de quiditate rei. Item, materia manet, quiditate in isto corrupta.

Contra illam positionem sunt auctoritates adductæ. Item 8.huius,in fine primi cap. tex.com. 6.quòd quid quidem tantùm differunt,actum quidem totum compositum, qui ponunt materiam, & formam. Item in eodem cap.3. tex.comm.9. secundò contra Platonem, *omnis diffinitio habet quid, quale, & oportet hoc esse vt materiam, illud vt formam*; nisi ergo materia pertineret, non haberet contra Platonem,quòd idea non est diffinibilis, quia est sola forma;ergo quod diffinitur verè habet materiam,& formam, & vtrumque pertinet ad diffinitionem. Item, ratio omnis 7. huius,tex.com.33.idem in 8.tex.com.2. habet partes: & sicut partes rationis ad rationem, sic partes rei ad rem. Sicut ergo omnes partes præcisè exprimunt totam rem, ita omnes partes rationis rationem rei.Item,perfectissimè cognoscitur vnumquodque quando cognoscitur quid ipsum est 7. huius,text.com.20. & 21. sed impossibile est perfectè cognoscere rem, non cognita materia eius; ergo forma non est tota quiditas eius,quod habet materiam. Probatio minoris Philos.2.huius,tex. com.13. si species causarum essent infinitæ, nihil esset cognoscibile, quia infinita non possunt cognosci; ergo ad cognitionem rei pefectè, oportet cognoscere omnes causas. Item 8.huius,tex.com. 11. ibidem de materiali substantia, idem planè. Item,substantia habet diffinitionem,non ex additione 7.huius; tex.com.12. & inde,ergo quicquid ponitur in diffinitione substantiæ pertinet ad *quid* eius. Sed 6.huius,tex.com.2.& inde,in diffinitione rei materialis debet poni materia, & si non esset de ratione diffinitionis,diffinitio esset ex additione.

Materiam esse de quiditate.

3

Item, *quod quid est* est illud, quod est primò *ens*, & est illud cuius est primò *esse*:sed quod primò est,est compositum,quia in 8. tex.c.3. vbi distinguit substantiam, dicit, quòd substantia composita est simpliciter *hoc aliquid*, & separabile primò per se existens. Si ergo hoc,tunc *quod quid est*,est compositum ex materia,& forma.

Substantia composita, simpliciter hoc aliquid.

Item, contra rationes primæ opinionis. Primò contra secundam: si materia esset de se hæc, non possent duæ materiæ conuenire in vna ratione materiæ, sicut arguitur de dualitate; habet ergo materia communitatem sibi correspondentem ad materias, sicut forma ad formas. Et hoc probat auctoritatibus,2. Physic.text.comm,38.& inde,5. Metaph.cap.de Causa,tex.com.3. causa & effectus semper proportionantur, ita quòd singularium, sunt causæ singulares, vniuersalium, vniuersales. Similiter in 12. huius,cap.2. tex.com.27. *singularium aliud,vt tua materia, & mea, & species,& mouens,vniuersali autem ratione eadem*, similiter in isto cap. *homo & equus, & quæ ita sunt in singularibus; vniuersaliter autem non sunt substantia, sed simul totum quoddam ex hac materia, & hac ratione, vt vniuersaliter:singulare verò ex vltima materia, Socrates iam est*, ibidem infrà, *anima substantia prima, corpus verò materia, homo verò,aut animal, quod est ex vtrisque, vt vniuersaliter.* Supposità igitur vniuersalitate materiæ, quod est contra secundam rationem illorum. Arguitur ex hoc ad principale sic; Materia in vniuersali considerata, & forma in vniuersali considerata, sunt constitutiua compositi in vniuersali considerati; igitur ad quiditatem illius constituti, vt sic, pertinet vtrumque constituens, vt sic. Antecedens probatur, quia ratio potentiæ, & actus,propter quam ex materia,& forma fit vnum, manet in materia,& forma in vniuersali consideratis:nam in qualibet materia,& forma particulari,est ratio potentiæ,& actus; ergo per materiam communem, cui primò inest. Consequentia prima probatur,quia id, quod constituitur in vniuersali:non est ens per accidens,sed ens per se; igitur habet *quid*. Et patet,quòd partes illius sunt constituentia ipsum;ergo,&c. Contra primam rationem eorum,arguitur per idem: quia posse esse,& non esse, est passio communis vniuocè inhærens multis;ergo requirit subiectum commune, de quo est demonstrabilis; & medium commune, per quod demonstretur: si ergo materia in naturalibus; est illud medium secundùm illud dictum Philosophi,sequitur quòd materia est communis, & ita principium constituti communis.

Materia non est de se hæc.

Tex. c.35.

Tex.com.39.

Materia,& forma quiditatiuè constituunt totum.

Sed ad solutionem illius rationis, quia aliter concedetur corruptibile inesse communi, & aliter singulari. Notandum,quòd potentia ad *corrumrumpi*,siue ad *non esse*, potest intelligi duplex, scilicet remota, quæ est quædam aptitudo consequens naturam,sicut passio eius. Et illa est scibilis per medium commune,& abstrahit ab existentia: alioquin nulla passio naturalis communiter pertinens ad generationem, vel corruptionem, posset de aliquo sciri. Alia est potentia propinqua, quæ est ordo immediatus ad actum in proprio, & proximo receptiuo actus: & quia actus non inest nisi simul toti, quod non tantùm includit naturam hanc, sicut per se communis includit sed addit super hoc existentiam. Quod autem consequitur existentiam, communiter non pertinet ad *quid*, nec est scibile in creaturis; ideò ista potentia non est scibilis,nec materia, vt est principium huius est pars quiditatis. Nam vt sic includit materia & indiuisionem, & existentiam, quorum neutrum includitur in materia, vt est pars speciei,sed abstrahit ab vtroque. Per hoc patet ad secundum,quod fuit confirmatio istius:quia materia absolutè non est de se hæc, nec principium, vnde compositum sit hoc. Intelligibilitatem autem alicuius intellectione abstractiua, quæ non est visio, qualis est communiter intellectio nostra prohibet materialitas, non quæ est in habendo materiam,sed in habendo conditiones materiales, quæ sunt limitatio indiuiduationis, & existentia;& ita potest exponi Auicenna. Quod autem additur, quòd non est quâ res est, falsum est; immò est quâ in suo genere causæ; alioquin habens *quid* primò, vt vniuersale, esset similiter. Nec per hoc,quòd dicitur esse quâ res potest esse, excluditur hoc, sed includitur:nam nihil est principium proprium alicuius potentiæ in re; nisi idem sit aliquid in re. Quære in 9. qu. 1. Quod tertiò adiungitur, quòd materia manet, nihil valet,quasi materia non esset pars simul totius: manet enim simul toto corrupto: vnde non sequitur, totum corrumpitur; ergo quicquid fuit de quiditate totius, corrumpitur; sed fortè quantùm ad aliquod *esse*, quod habuit in toto: maneret enim

4

Potentia ad corrumpi duplex.

Quomodo materia non est scibilis.

A,B, secundum Philosophum, A B, corrupta : & tamen sunt partes quiditatis, A B, secundùm ipsum, tex.com.60. huius.

SCHOLIVM II.

RESOLVTIO, *materiam vt abstrahit ab existentia, & singularitate, esse partem quiditatis speciei, id est naturæ communis immediatè superioris ad indiuidua, sufficienter probatur rationibus adductis contra Auerroëm, de quo fusè agit Doctor 3.d.22. à num 5. vbi clarius totam hanc quæstionem tractat. Vide Ant. Andr. hîc q.12.*

5 Ad solutionem quæstionis,& etiam ad intellectum multarum auctoritatum hîc in litera, oportet distinguere de materia considerata in vniuersali, & in particulari; & de materia per se, quæ nullam conditionem includit extra rationem materiæ,vt est pars substantiæ, quæ verè est substantia;& de materia per accidens, quæ aliquam conditionem accidentalem includit: & dico quomodocunque accidentalem;siue largè,vt existentiam, sicut materia simul totius; siue propriè,& hoc vel vt necessarium,hoc est, sine qua non, vt semicirculi sunt materia circuli;siue præter necessarium, vt literæ in cera sunt materia accidentalis syllabæ,sicut habetur in litera, tex.com.34. Sed etiam distinguere de simul toto:quia licèt communiter vocetur indiuiduum cum actuali existentia, cuius est generari,& corrumpi; & idcirco in litera dicantur partes,in quas fit diuisio, esse partes simul totius,quia eius est primò diuidi,non autem communis habentis propriè quiditatem : tamen aliquando vocatur simul totum, compositum vel vniuersale: sicut patet in illa auctoritate superiùs adducta,*homo & equus*, &c. Similiter oportet distinguere de specie:quia quandoque sumitur pro forma,distinguendo contra materiam;quandóque pro vniuersali,distinguendo contra singulare. Similiter, *quid* propriè non est, nisi vniuersalis; & ideò simul totum,inquantum tale,non habet *quid*. Dicuntur autem aliquæ partes quiditatiuæ eius, quæ non sunt simpliciter quiditatiuæ, cuiusmodi sunt istæ., quas includit vltra quiditatem specificam. Similiter quintò, habens *quid* potest intelligi, vel pro illo, quod primò habet, & illud est commune;vel pro isto,quod habet per se,sed non primò,quia scilicet participat illud, cuiusmodi est singulare:sicut igitur in cap.4. septimi,dictum est de identitate *quid*, cum illo cuius est primò, ita hîc dicendum, quòd abstractio vniuersalis à proprio singulari non abstrahit ab aliqua parte, quæ fuit per se pars singularis, aliam partem. Sed est abstractio indeterminati à determinato toto, eodem determinatè, & indeterminatè sumpto : est enim possibilis talis abstractio, si multa quæ includuntur in determinato,faciunt vnum per se. Si autem non, alterum illorum nunquam per alterum determinabitur intrinsecè, sed quasi per accidens. Ita quòd in se remanebit æquè indeterminatum. Si ergo est abstractio qualis dicta est,sequitur, quòd quiditas includit quæcunque communiter sumpta, quæ singulariter sumpta includuntur in per se indiuiduo illius communis;licèt non illa,quæ in simul toto.

Materia duplex.

Tex.c.34. & inde.

Tex com.35. Species sumitur dupliciter.

6 Patet ergo, quòd per se materia non indiuidualis,nec simul totius propriè sumpti,sed in communi considerata, est de quiditate speciei; non prout species dicitur forma,sicut in litera, cauitatis non est pars; sed simitatis per cauitatem intelligitur forma tantùm,sed speciei, id est, vniuersalis infimi, siue proximi indiuiduis, cuius propriè est *quid*,& primò,& idem sibi:non autem est omnino idem habenti *quid* per se, sed non primò; quia illud includit aliquid vltra *quid*. Nulla autem materia accidentalis est de quiditate speciei: licèt aliqua sit de quiditate impropriè sumpta simul totius propriè sumpti, hoc est, de ratione eius tali quali : quia illud additum quiditati propriè dictæ, non facit cum ipsa vnum per se conceptum.

Tex.c.24.

SCHOLIVM III.

SOLVIT *optimè argumenta principalia;vide easdem,& alias solutiones 3.d.22.num.14. quomodò* quod quid est, *sit idem ei cuius est,& quid circa hoc voluit Aristot. Vide suprà qu. 7. & ibi quæ Schol.2.notaui. Vide etiam Doct. de hoc 2.d.3.q.5. ad tertium.*

7 Ad primum in oppositum : partes,quæ sunt in diffinitione,non sunt formæ inuicem comparatæ: quia forma non format, nisi materiale respectu sui; sed sunt formæ respectu diffiniti,scilicet de ipso formaliter prædicabiles. Ad secundum:quòd forma est *quod quid est* : Dicendum, quòd 2. Physicorum,tex.com.10.& inde,dicit,quòd forma est natura:quia determinat rem ad *esse* : & dicitur res natura,quando habet formam : & res completiuè de se,non est nisi per formam. Ideò dicitur etiam, quòd est *quod quid est* rei. Verum est completiuè,non tamen est totum *quod quid est*; sed illud, quod aggregat formam,& materiam. Vel dicitur, quia secundùm Platonem forma est *quod quid* rei : & quia Philosophus non determinauit veritatem suam de *quod quid est*, vtrùm scilicet forma sit *quod quid* rei solùm,vel non : sed etiam requiratur materia in rebus materialibus, vtitur dicto suo. Ad aliud, quòd materia non est pars formæ, sed in quo est forma : sed est pars speciei absolutè loquendo:materia tamen posterior, quæ est in indiuiduo, non pertinet:sicut litera pertinet ad quiditatem syllabæ:sed litera cerea non : sic intelligitur in aliis. Ad aliud de cognitione per materiam,dico,quòd materia pertinet ad cognitionem rei. Tunc ad auctoritatem,quòd hoc intelligitur de materia indiuiduali,quæ est principium indiuisionis. Vel aliter; si comparetur ad formam respectu eius,est ignota:sed materia cognita per formam, facit cognoscere compositum. Aliter,materia non est motiua intellectus;ideò ab intellectu cognoscente per receptionem ab obiecto,non cognoscitur ex se, & distinctè:tamen est cognoscibilis ab intellectu, cognoscente quodlibet secundùm suam entitatem propriam : nec quiditas materialis ab alio intellectu est cognoscibilis,nisi per discursum:sicut materia ex translatione:sicut forma ex operatione.

Quomodo forma est natura?

Litera pertinet ad essentiam syllabæ, litera cerea non.

An materia sit principiũ cognoscendi, & quomodo ignota?

8 Ad aliud:*quod quid erat esse*,est idem cum omni habente. Et dico, quòd materia non impedit identatem habentis, *quod quid est*, ad suum proprium *quod quid est*:sed habens materiam indiuidualem,non est idem cum *quod quid est* speciei,& hoc propter materiam indiuidualem,quæ non includitur in specie:& de quiditate speciei est sermo hîc in 7. quia loquitur Logicè hîc. Sed ad illud de 8.huius,dico,quòd ibi accipitur *homo* pro substantia sensibili, quæ habet in se materiam sensibilem:

Materia stat cum identitate quod quid est, cũ eo cuius est.

Vult Philosophus spirituale esse de se hoc.

bilem: vnde *quod quid est* illius, non est idem cum homine absolutè, nisi anima esset homo. Aliter Philosophus fortè diceret, quòd forma immaterialis est de se hæc: & ita nullus gradus additur naturæ speciei, vt indiuiduetur; sed in materialibus secundùm ipsum propter imperfectionem, qua natura non habet de se summam vnitatem, oportet vltra naturam gradum indiuiduantem addi. Habens autem *quod quid est*, non est intelligendum id quod primò habet, sed quod per se, & non primò; illud igitur in immaterialibus secundùm ipsum, idem est cum *quod quid est*: quia nullum gradum secundùm eum addit; in materialibus non sic: nec hoc ideò est, quia forma materialis est in materia actualiter, quia si esset separata, non esset perfectior quàm sit in materia. Et ita non minùs ex se habens suam vnitatem: sed arguitur secundùm ipsum ex imperfectione, quam habet forma, quæ nata est materiam perficere. Aliter expone, quòd totum istud capitulum videtur Platonicum, nisi quia paucæ improbationes interseruntur.

Ad rationem dicitur, quòd notificàtio illa est vera de materia indiuiduali, non de materia speciei. Sed materia speciei necessariò est sub forma, quia materia speciei occupatur per formam specificam. Contrà: materia, quæ est sub forma ignis, si recipiat aliam formam, habeo propositum: quia si potest; ergo est ibi priuatio: si non, cùm ergo aër ex igne generatur, vel corrumpitur materia ignis, vel remanebit sub forma ignis, quod est impossibile. Item, omne habens materiam est in potentia contradictionis. Ideò dicitur, quòd materia, non de sua substantia, est principium transmutandi ab alio, sed ratione priuationis adiunctæ, modò materia inquantum pars quiditatis, non habet priuationem, licèt sit ibi priuatio: semper tamen inquantum pars quiditatis, non habet priuationem, quia priuatio nihil pertinet ad *esse* rei; vnde quiditas potest esse, & non esse, destructo eo, quod habet quiditatem; sed quiditas non secundùm se, nec per se corrumpitur. Aliter, quòd materia non est pars quiditatis, nisi vt consideratur à ratione, & vt sic non est principium, quo aliquid corrumpitur. Sed inquantum existit in aliquo particulari. Hæc responsio concordat aliqualiter cum responsione suprà ad primam rationem pro opinione Commentatoris; illa potest quasi explanare istam.

Quiditas secundum se non corrumpitur.

ANNOTAT. MAVRITII.

SEquitur quæstio decima sexta de partibus diffinitionis, seu quiditatis, & maximè materialis materiali, tex. com. 33. & vide, in qua etiam varia interpretatio auctorum veterum, & modernorum reperitur.

Ponit opinionem Comment. in principio solutionis, quæ habetur comment. 35. huius 7. sed est tertium commentum, c. de partibus diffinitionis, idem tangit com. 21. huius 7. & alibi sæpè, quam opinionem imitatur Albert. & Io. Iandunus, & multi alij, quam consequenter impugnat auctoritatibus, & rationibus, & motiua eius soluit, & vt priùs sæpè notaui, fugam aliorum hìc tantùm caput abscondentium consequenter impugnabis. Et subtilitatem Auerroïs Commento 34. huius, sibi, & aliis, vt sui moris est imperceptibilem, cùm inquit, *secundùm considerationem ad substantiam declarantem essentiam, materia non dicitur esse pars substantiæ, sed esse apparens deferens formam, & suam diffinitionem*, &c. deridebis.

Determinatio Doctoris hìc est resoluta, & determinata: præmissis enim 5. distinctionibus, vel 6. computando illam de potentia duplici ad corruptionem, concludit quid tenendum; vbi possent variæ conclusiones ordinari, quod lectori relinquatur. Hanc materiam inquire in 3. di. 22. optimè, vbi alios Theologos inquire, vt Bona. Vuar. Hugonem de Sacramentis lib. 1. par. 2. cap. vltimo, & Thomam 1. par. q. 75. & in 3. par. q. 50. & in 4. di. 44. & in tractatu de Ente, & essentia, vide in 2. di. 3. par. 1. q. 5. & sequaces huius plura addendo, vt scis, litera est benè ordinata, & correcta per totum hìc.

Item animalis habentis pedes differentiam scire oportet, inquantum habens pedes. Quare non est dicendum habens pedes. Quare non est dicendum habentis pedes, aliud alatum: aliud non alatum: siquidem benè dicit: sed propter non posse, facit hoc: sed si aliud habens scissos pedes: aliud non scissos pedes: hæ namque sunt differentiæ pedis. *Tex. com.* 43.

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm differentia diuisiua generis inferioris includit differentiam diuisiuam primam?

Arist. *hic tex* 43. D. Thom. *lect.* 12. Capreol. *in* 1. *dist.* 8. *q.* 2. Caiet. *in exposit. cap. de differen.* Anton. Andreas *hic q.* 15. Flandr. *q.* 24. *art.* 5. Tolet. *cap. de substant. dub.* 2. Mercatus 1. *post. cap.* 4. *q.* 3. *ad* 3. Sanch. *lib.* 3. *q.* 28. Masius *cap. de diff. sect.* 2. *q.* 3. Rubius *ibid. q.* 5. Fons. 5. *Metaph. cap.* 28. *qu.* 18. *sect.* 1. & 2. Hurt. *disp.* 6. *Logica sect.* 3. Vide Scot. *in* 4. *dist.* 11. *q.* 3.

1

QVòd sic: hìc in 7. oportet in diuisione generis procedere per differentias, per se: & tunc secunda diuidit priorem per se: nam fissio pedis, est pedalitas: quod prædicatur de alio in abstracto est prædicatio per se primo modo. Item, si non; ergo duæ differentiæ specificæ, essent prima prædicata. Probatio consequentiæ: illa sunt prima prædicata, de quibus non prædicantur prædicata priora per se: ergo rationale, & irrationale, sunt prima prædicata, & tunc generalissima, & tunc sequitur, quòd propositio negatiua negans vnam differentiam ab alia sit immediata, sicut rationale non est irrationale. Item, si sic, ergo differentia inferior non diuersificat genus secundùm se: consequens est falsum contra Arist. quia animal hoc ipsum, quod est, est diuersum per differentias diuersas. Probatio consequentiæ. In genere diuiso, si non sit genus intermedium, non est nisi genus superius & differentia constitutiua eius: genus superius non includitur in differentiis inferioribus, nec differentia, quæ constituit scilicet sensibile, non distinguitur per differentias; quia ipsa non includitur in aliis differentiis, quia se habet ad ipsas, sicut potentia ad actus; sed potentiale non distinguitur secundùm essentiam suam per actum.

Tex. c. 43. *huius* & 10. *huius, t. c.* 12.

Contrà:

Tex. non habente comm. Tex. c.12. & inde.

Contrà : si sic,ergo differentiæ essent differentes. Probatio,5.dicit Philosophus:differentia sunt diuersa aliquid idem entia. Similiter 10.differentia aliquo sui sunt differentia,diuersa non. Sed rationale, & irrationale sunt diuersa, & differentia, quia conueniunt in differentia superiori per te: sed ex hoc proceditur in infinitum, si omnis differentia includit superiorem:quia si differunt,differunt differentiis ; & illæ differentiæ includunt superiorem,&c. Similiter, tunc differentia esset verè species, & tunc plura genera quàm decem, cùm non sit species alicuius illorum decem;omne quod habet prædicatum dictum de ipso in *quid* & differentiam dictam in *quale*, est species, quia compositum ex generē,& differentia,& potest per illa diffiniri, & omne diffinibile species est. Sed talis differentia inferior habet superiorem in *quid* & aliam qua differt ab opposita,quæ dicitur de ea in *quale.*

Differentia & diuersa, quomodo differunt?

SCHOLIVM I.

SENTENTIA *D. Thom. & aliorum, inferiores differentias includere superiores, probatur, & pòst reprobatur,eiúsque rationes reyciuntur : de quo agit Doctor 4.d.11.q.3.ad primum pro prima opin. num.98.*

2 *Tex.c.43.*

Dicitur, quòd superior includitur in inferiori: quia dicit Philosophus, quòd vltima differentia est substantia rei:hoc nō esset nisi includeret alias præcedentes. Similiter Philosophus dicit, Non oportet ponere alias differentias, sed solam vltimam : quia si aliæ ponantur cum prima,est nugatio:quia non oportet ponere animal bipes habens pedes,quia hæc est nugatio transponendo terminos,nam dicto *pede*,superfluum est ponere *habens pedes.* Similiter dicit,quòd ordo non est in substantia:sed si vltima non includeret primam, esset verè ordo in substantia,quia hæc differentia prior, hæc posterior.

Tex.c.43. *Tex.c.43.*

Superiorem differentiam non includi in inferiori.

Contrà,quòd rationes non concludant.Et primò,quòd prima auctoritas non concludit:quia est copulatiua,sicut allegant vnam partem,concedant aliam partem, quod vltima differentia sit diffinitio rei, quod non concedunt, quia diffinitio est composita. Item, quòd vltima non est tota substantia rei, quia de substantia huius non solùm sunt omnes differentiæ, sed etiam genus;ergo genus est de per se intellectu differentiæ vltimæ. Item,vltima differentia non est tota substantia rei, quia omnis ratio habet partes : & sicut tota diffinitio exprimit totam rem,sic pars partem. Cùm ergo differentia sit pars diffinitionis,exprimit partem rei, & non totam substantiam rei, quod ipsi volunt. De nugatione,dico,quòd sequitur ad dicta sua,non nobis, Probatio,omnis diffinitio vel dabitur per genus primum,& per differentias intermedias vsque ad vltimam ; vel per genus proximum,& differentiam specificam. Si primo modo,differentia intermedia ponetur in diffinitione, & vltima includit omnes, omnes intermediæ dicentur bis,quia & in se, & in differentia vltima. Si secundo modo,cùm genus proximum includat differentiam suam,& vltima includit eam,dicetur bis. Dicitur,quòd non sic datur,sed per genus primum, & vltimam differentiam. Contrà : hîc in litera : *Omnis diffinitio dabitur per genus proximum,& differentiam vltimam,vel per primum genus cum aliis differentiis intermediis.* Item manifestiùs Boëtius lib. Diuisionum, post diuisionem generis,dicit,quòd primò in diffinitione accipiendum est genus cum differentia:& videndum, si sit æquè cum specie diffinienda. Si minùs fuerit,accipienda est alia differentia, & genus cum differentia priori,in loco generis, & sic quousque reddat speciem diffiniendam ; ergo non solùm primum genus ponendum est cum vltima differentia,sed genus cum omnibus differentiis intermediis. Planè dicit hoc in litera ; ergo vel ponendum est genus proximum cum vltima differentia, vel primum genus cum multis differentiis. Item Philosophus 2. Posteriorum, text.com.4. & inde, vult idem,differentiæ autem omnes concipiuntur cum genere in diffinitione speciei. Contra secundum,quòd ordo non est in substantia.Contrà:omnis substantia diffinibilis componitur ex *quo*,& *quali*,8. huius, & forma prior & actus etiam potentia, ex 9. cap.7. tempore, & perfectione,& similiter 7. forma est magis ens quàm materia, & prior.

Tex. c.43.

Tex.com.9. Tex.com.13. Tex.com.7.

SCHOLIVM. II.

INFERIORES *differentias non includere superiores, quia daretur processus, de quo Doctor schol.praced.citatus, & de prædicabil. qu.9.& 13. vbi Mauritius. Vide Anton, Andream hîc q.15. explicat,an propter vitandam nugationem, negandum sit,superiores differentias includi in inferioribus. Nota Scotum loco citato ex 4. remittere se ad expositionem illius loci Philosophi*, fissio pedis est quædam pedalitas,*à se factam, ex quo constat eum ante Theologiam scripsisse Metaphysicam;exposuit autem illum locum hic, & in textum de quo suprà in prologo dixi.*

5

Propter istas rationes, & specialiter propter illam rationem,probantem processum in infinitum in differentiis ; vel est dare aliquam differentiam, quæ non includit priorem ; vel quòd differentiæ haberent differentiam prædictam in *quale*, & aliam in *quid*,vt sensibile,& sic essent species.Propter nugationem, dicitur aliter:quòd sicut forma, quæ est tantùm forma, est tantùm actus ; ita quælibet differentia significat formam tantùm de principali intellectu, tamen illam formam per modum totius,significat : quia quælibet differentia est specifica respectu alterius, & ideò quælibet differentia est per se diuersa ab alia.

Ad primum, quod Philosophus non vult : nisi quòd differentia superior diuidatur per differentias inferiores per se : quia fissio pedis solùm diuidit *habens pedes*, non quòd pedalitas prædicetur per se primo modo de fissione pedis, vel aliter, quòd est concretio duplex : quædam enim forma concernit suppositum, quod est eiusdem naturæ: & est alia concretio ad subiectum, quod non est eiusdem naturæ. Et per hoc abstractio duplex scilicet à supposito,sicut humanitas,& alia à subiecto, sicut albedo:in proposito est abstractio non solùm à subiecto alterius naturæ, sed à supposito propriæ naturæ. Vnde fissio pedum,& pedalitas, non sunt idem solùm propter identitatem subiecti, sed quia pedalitas abstrahitur à supposito eiusdem generis. Ad aliud, quòd omne principium, quod solum est principium, est se toto diuersum. Et similiter omnis differentia, quæ est solùm differentia,se tota est diuersa:& omnis talis est prædicatum primum ; ita quòd non sit prædicatum,

Concretio & abstractio duplex.

Fissio pedum est pedalitas, exponitur, de quo Sco. 4. d. 11.q.3.n.48. Differentiæ nihil habent ipsis commune.Scot.d.3. q.3.n.6.7.

catum, quod sit de intellectu alicuius differentiæ, quod sit prius aliqua differentia. Vnde differentiæ duæ nihil habent commune prædicatum de eis in *quid* per se primo modo. Ad tertium, quòd consequentia non valet, quia diuersitas secundùm se materiæ est per formas: quia quod facit vnum cum actu, diuersitas illius est per actum diuersum: & tunc genus, quod est potentiale distinguitur in diuersas species per differentias. Et si obiiciatur, quòd tunc genus non distinguitur per differentias, nisi sicut materia per formas. Et ego concedo, vt Philosophus vult.

4 *Differentia non est tota rei substantia.*

Ad aliud, quòd differentia est tota substantia, suprà patet, quòd non est intentio Philosophi, sed completiuè, & perfectè est substantia rei, quia ab illa differentia est completiuè tota substantia rei. Ad aliud de nugatione, quòd non est intentio Philosophi, quòd diffinitio non potest dari per genus, & multas differentias; vnde dico, quòd si ponantur in diffinitione multæ differentiæ ordinatæ, non sequitur nugatio; sed supponendo oppositum illius, quod Philosophus vult probare, sequitur nugatio. Hæc est hypothesis, quòd ab vltima differentia, non est vnitas rei. Et probat oppositum, quia da oppositum, & quandoque si genus sit remotum, datur diffinitio per multas differentias: si enim vnitas non est ab vltima differentia, cùm vnitas compositi sit ab vltima differentia, cùm hæc non sit vltima, est aliqua alia vltima, & actus; & cùm multæ sint ibi: tunc est aliqua differentia vltimus actus, & ab ea est compositum vnum: & tunc erunt duæ, aut vna. Si vna, est nugatio, cùm vtraque ponatur. Si aliud, & vtrumque in actu, & ex duobus in actu vltimo, non fit vnum; sequitur quòd ex illis duobus, non fit vnũ. Et de tertio scilicet ordine substantiæ, non plus vult Philosophus, nisi quòd ordo in differentiis positis, qualitercunque non vitet nugationem; quia si vno modo sit nugatio, qualitercunque transponantur differentiæ, adhuc est.

ANNOTAT. MAVRITII.

5

SEquitur quæstio decima septima, de comparatione differentiarum ordinatarum in linea Prædicamentali, secundùm essentialem inclusionem, & prædicationem, t. c. 43. cuius ordo ad sequentes posset transmutari; sed habita veritate quæsiti, ordo nihil facit. In principio solutionis tangit opin. plurium hîc: quære Thomam 1. parte scilicet q. 76. & in 4. di. 11. & in de natura generis, & Albertum, & alios hîc: quam consequenter impugnat notanter, & euasiones consequenter tu impugnabis; deinde conclusionem quam intendit breuibus absoluit. Vide eum copiosè in 4. di. 11. q. 3. & in Prædicabilium quæstionibus q. 9. & 13. vbi instantias hinc inde notaui, & vt potui euacuaui. Super 6. etiam Topicor. possent plura ad hæc inueniri, & alibi in Logicalibus, litera satis clara est, & correcta. Quærat diligens lector plura subtilia hîc, quia materia satis curiosa est Metaphysicè, & Logicè procedendo. Commentaria Boëtij subtilis inquire vbique.

Quoniam verò de substantia perscrutatio est: iterum redeamus. Dicitur autem sicut subiectum substantia esse, & *quod quid erat esse*, & quod ex his, & vniuersale. *Tex. com.* 44.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrùm vniuersale sit aliquid in rebus?

Arist. 1. *de Anima cap.* 1. D. Thom. *hic lect.* 13. *&* 1. *p. q.* 85 *art.* 11. *de Ente & essent. cap* 4. Caiet. *ibid.* Capreol. *in* 3 *dist.* 5 *q.* 3. *art.* 3. Durand. *q.* 2. *prologi & 1. dist.* 12. *p.* 2. Anton. Andreas *hic q.* 16. Soncin. *q.* 40. Ioan. Monlorius *disp. de Vniuers. cap.* 5. *&* 6. Masius *de Vniuers. sect.* 2. *q* 4. Suar. *disp* 6. *Metaph. sect.* 2. *&* 5. Rub. *q* 4. *Vniuers.* Vide Scotum *q.* 2. *Vniuers. & in* 2. *dist.* 3 *q.* 1.

1

QVòd sic videtur; omne quod est tale per participationem reducitur ad aliquid tale per essentiam: alioquin esset ipsum primum tale: sed singulare est tale per participationem: vt hîc homo per participationem hominis, quia aliter non plurificaretur homo in istis: ergo, &c. *T. c. 4. huius.*

Præterea, substantia est primum ens, & ita reale: sed intellectus noster nihil causat, nisi accidens; secunda verò substantia est substantia; ergo, &c. Propterea, si nihil esset in re, nisi singulare, nulla est vnitas realis, nisi vnitas numeralis, quæ est propria singulari; consequens falsum propter sex. Primò, quia tunc differentia omnis realis esset numeralis: nam omne diuersum ea vnitate est diuersum ab aliquo, quâ est in se vnum: hoc consequens est falsum. Tum, quia omnia æquè differrent realiter, & ita non esset in re aliquid, quare intellectus magis vnum conceptum abstrahit ab hoc albo, & illo, quam ab albo, & nigro. Hæc consequentia patet: quia si differentia realis esset numeralis tantùm: ergo differentia numeralis est præcisa causa differentiæ realis: sed quæcunque æqualiter participant præcisam causam alicuius effectus, æqualiter participant effectum: patet, sed omnia differentia realiter, æqualiter participant istud scilicet differre numero, quia omnia differentia realiter in aliquo communi, conueniunt, & inter se distinguuntur: vt patet per diffinitionem differentiæ 5. Metaph. ergo omnia æqualiter differunt numero, & vltra; ergo omnia æqualiter realiter. Tũ, quia differentia genere, & specie erunt tantùm differentia ratione; & ita secundùm *quid*; sed si differentia numeralis, esset realis; & ita arguendo, differunt specie: ergo differunt numero, esset fallacia secundum *quid*, & simpliciter, quod est contra Arist. 5. Metaph. c. de Vno, tex. c. 12. Secundò, consequens principale est falsum, quia tunc non esset generatio vniuoca, sine consideratione intellectus. *T. non habente Commentum.*

2 *Tex. c.* 20.

Tertiò, non esset aliqua similitudo realis, quia proximum eius fundamentum est vnum ex 5. Metaph. & illud tertium improbat responsionem, quæ posset dari ad secundum scilicet quòd generans, & genitum non habent aliquam vnitatem, sed similitudinem tantùm. Quartò, non esset aliquod vnum mensura realis aliarum specierum in genere: quia non vnum numero secundùm Aristotelem. Quintò, non esset contrarietas oppositio realis, quia extrema eius prima non sunt singularia: & oportet vtrumque esse in se vnum. Sextò, ipsius sensus non esset aliquod obiectum vnum: quia non vniuocæ rationis: nam obiectum præcedit natura actum sentiendi, & iste omnem intellectionem in nobis: & illud obiectum sensus, non est vnum singulare, quia tunc aliud non sentiretur. Confirmatur per illud 2. Poster. t. c. vltimi, *T. c. 2. & inde 10. huius.*

Sensus est vniuersalis: sed sensus est tantùm obiecti realis; ergo, &c.

Tex.com 44. Tex. com.45. Sed contrarium Arist. 7. Metaph. in 1. cap. *Quoniam autem de substantia consideratio.* Primò sic: substantia vniuscuiusque est propria sibi, & non inest alteri: sed vniuersale nulli est proprium. Tex. com.46. Præterea secundò sic: substantia non dicitur de subiecto, & vniuersale dicitur, & Commentator Com.48. ibidem, vniuersale est de cap. relationis. Item primo de Anima, Tex.com.8. *vniuersale aut nihil est, aut posterius est.* Item, aliter: *Logica, quæ est de vniuersali esset scientia realis:* quod falsum est.

SCHOLIVM. I.

POSITIS *breuiter sex rationibus, quas etiam habet 2. d. 3. q. 1. suadentibus dari vnitatem realem minorem numerica, & locis Philosophi in contrarium ponit sententiam Platonis de ideis, ac modum explicationis eius, qui non facilè impugnari potest.*

3 Ista quæstio primò potest pertractari contra positionem Platonis, ponentis ideas, secundùm quod Arist. imponit sibi; propter entitatem formalem rerum, secundùm primam rationem superiùs positam ad quæstionem; & propter scientiam, quæ est de necessariis tantùm, & singularia ista sunt corruptibilia; & etiam propter generationem, quia generans particulare non sufficit.

Ista opinio, si ponat ideam esse quandam substantiam separatam à motu, & ab accidentibus per accidens, nihil in se habentem nisi naturam separatam specificam perfectam, quantùm potest esse perfecta, & fortè habentem per se passiones speciei (aliter de ipsa nihil sciretur) non potest benè improbari, quia non videtur repugnare rationi absolutæ entitatis, tale singulare sic naturam habens. Nec absolutè hoc improbat Arist. Sed quatenus ponatur incorruptibile; arguitur contra hoc in fine decimi. Tex. t.26. & infra. Hic autem in 7. arguitur non impossibilitas, sed non necessitas: quia enim nihil non manifestum ponendum est à philosophantibus, sine necessitate, arguit Arist. contra ideas, quòd non sunt necesse, propter quæ ponebantur, & ita simpliciter non sunt ponendæ. Quod non propter entitatem, nec scientiam, arguit Arist. 7. Metaph. Tex. com.20 Tex. com.28 cap. illo, *vtrùm autem quod quid est:* quod non propter generationem, in cap. sequenti. Si autem vlteriùs ponat quis: quòd dicta idea est formaliter vniuersale, ita quòd per identitatem prædicetur, de isto corruptibili prædicatione dicente, hoc est hoc: statim videtur includere contradictionem, quòd idem numero sit quiditas multorum diuersorum, & tamen extra illa, aliter non esset incorruptibilis. Isto prætermisso, potest quæstio pertractari secundùm sententiam Aristotelis loquendo de vniuersali.

SCHOLIVM II.

PRIMA *opinio, vniuersale esse in rebus, triplici ratione suadetur, & totidem impugnatur. Secunda sententia, vniuersale fieri per intellectum suadetur, sed multis rationibus impugnatur.*

4 *Arguit tripliciter vniuersale esse in rebus.* Et sunt hîc duæ opiniones extremæ, quarum prima est, quòd vniuersale est in re, propter tres rationes, quarum prima est: vniuersale est, quod est aptum natum dici de pluribus: sed res de se est apta nata dici de pluribus: quia si non, aptitudo sibi repugnaret, nec conferri sibi posset saltem non ab intellectu: quia tunc posset intellectus dare Socrati talem aptitudinem.

Præterea, vniuersale, de quo loquimur, prædicatur de re, puta de singulari, prædicatione dicente, hoc est hoc, vt *Socrates est homo:* sed impossibile est aliquid prædicari de re, nisi sit in re. Item, quicquid absolutissimè sumptum est vera res, & vt in alio, vel vt limitatum, erit vera res; quia est principium, & causa, vt habetur vltimo cap. 7. Metaph. Tex. c. 59. & inde. Sed ipsum absolutè sumptum est vniuersale. Probatio, quia sic absolutè sumptum exprimitur per diffinitionem: sed diffinitio non est nisi vniuersalis. Modus ponendi est talis: in re cum gradu limitationis, quo singulare est hoc, vt dictum est in quæstione de indiuiduatione: est etiam natura per illum gradum limitata: ista natura non solùm est intelligibilis sine illo gradu, sed prior etiam est natura in re, & vt sic non repugnat sibi esse in alio: quia vt sic est prior, non est adhuc limitata ad hoc: vt sic ergo prior est, est vniuersalis.

Tripliciter arguit vniuersale non esse in re. Contra istam opinionem arguitur tripliciter. Primò sic: vniuersale est vnum obiectum intellectus, & vna intellectione numero intelligitur, ita quòd intellectus attribuendo ipsum diuersis singularibus, attribuit obiectum idem numero pluries conceptum, vt prædicatum diuersis subiectis dicendo, hoc est hoc. Impossibile autem videtur, quòd aliquid quod est in re, sit idem intelligibile numero, & sic attribuatur diuersis. Confirmatur, quia & ista natura vt prior gradu limitante, si intelligatur, nunquam verè attribuetur nisi vni: alteri enim singulari non verè attribuitur ille conceptus, sed est alius alterius naturæ, quæ est in alio. Præterea secundò sic: cui inest subiectum sub ratione quâ est subiectum, ei inest & passio; si ergo homo inest Socrati sub ea ratione, sub qua homo est vniuersalis verè, Socrates est verè vniuersalis, nec est accidens, quia medium non variatur. Præterea tertiò sic: sequeretur quòd sensus haberet per se pro obiecto, ipsum vniuersale: quia vt dictum est in quæstione de intellectione singularis, natura mouet non inquantùm hæc, licèt non nisi hæc. Sequeretur etiam, si omne vniuersale est actu in re ex se, quòd omnino superfluè ponitur intellectus agens.

Contra modum ponendi sequitur, quòd tot sint vniuersalia, quot singularia: quia quæcunque natura in quocunque indiuiduo habet istam rationem vniuersalis, quæ assignatur, & nulla est nisi respectu indiuiduorum, vt ostendit prima ratio supra; & ita quælibet vniuersalis, & nulla. Idem etiam prædicaretur de se in prædicatione vniuersalis de singulari.

5 *Vniuersale fieri ab intellectu.* Alia opinio est, quòd vniuersale tantùm est in intellectu. Ad hoc est auctoritas Commentatoris 1. de Anima. Intellectus facit vniuersalitatem in rebus, aliàs etiam non videretur intellectus agens necessarius. Confirmatur etiam propositum: quia intellectus agens non est vis factiua; ergo nihil causat extra intellectum. Item Boëtius, De vnitate, & vno. Omne quod est, est vnum numero. Ad hoc est ratio: *quia vniuersale est vnum in multis, & de multis,* 1. Poster. t. c. 25. includit ergo essentialiter comparationem ad supposita, vt prædicabile ad subiicibile: sed talis comparatio nô est in re, sed tantùm in intellectu comparante. Auctoritas ad hoc, & modus positionis habetur ab Auic. 5. Metaph. c. 2. vbi vult, quòd forma intelligibilis

respectu

respectu animæ est singularis, & alia in alio intellectu; sed eadem respectu indiuiduorum extrà est vniuersalis, quære ibi.

Arguit vniuersale non fieri ab intellectu.

Contra istam opinionem: obiectum naturaliter præcedit actum; ergo vniuersale naturaliter præcedit intellectionem, quando vniuersale intelligitur; sed non est in intellectu in actu, nisi per intellectionem. Confirmatur: quia si obiectum, vt obiectum, & vt prius intellectione, non esset vniuersale, non posset ab intellectu comparari ad plura extrà. Præterea, subiectum scientiæ, inquantùm subiectum, præcedit intellectionem: sed vt sic, est vniuersale: quia vt subiectum, est primò tale, comparando propriam passionem: & si primò; igitur de omni; & sic de eo scientia esse potest. Confirmatur: sicut primum principium, quod est propositio vniuersalis, primo actu complexo concipi potest, ita terminus eius extrà sub ea ratione, sub qua est eius terminus, prima intellectione incomplexa. Sed terminus, vt terminus vniuersalis est intra primum principium, quia vniuersaliter sumptibilis. Præterea tertiò: vniuersalitas esset conditio entis in intellectu, sicut verum, & ita diminueret ens hoc, sicut illud; & ita non magis esset aliqua scientia de vniuersali, quàm de vero. Ad ista posset dici, quòd licèt obiectum sit prius naturâ actu: non tamen hoc oportet de modo necessario in obiecto: maximè, qui non est modus cognitus, sed sub quo cognoscitur, maximè si obiectum non est simul, nisi tempore cum actu: sicut ponit Auicenna de vniuersali. Sed contrà, tunc nullo considerante, non esset vniuersale in actu, & ita scientia habitualis non esset obiecti vniuersalis actu. Prætereà, inquantùm obiectum est prius actu, non intelligetur sub hoc modo; ergo vel sub nullo modo, vel sub opposito: quia vt est obiectum, aliquem modum sibi determinat. Contra modum ponendi, illa forma intelligibilis subiectiuè est in anima, & realiter: vniuersale autem si est in intellectu, videtur ibi esse, vt est obiectum cognitum in cognoscente, isti modi essendi sunt diuersi; ergo, &c. Et sic improbant hanc opinionem iam positæ rationes.

SCHOLIVM III.

Præmittit triplicem claram acceptionem vniuersalis, & quo sensu prima opinio, & quo secunda quodammodo conciliari possint; explicat etiam, quomodo aliquid potest esse obiectiuè dupliciter in intellectu, scilicet per speciem ante actum, & per ipsum actum.

6 *Vniuersale tripliciter sumitur.*

Circa huius quæstionis solutionem primò distinguendum est de *vniuersali*. Sumitur enim, vel sumi potest tripliciter: quoniam pro intentione secunda quæ scilicet est quædam relatio rationis in prædicabili, ad illud de quo est prædicabile, & hunc respectum significat hoc nomen *vniuersale* in concreto, sicut & *vniuersalitas* in abstracto. Alio modo accipitur *vniuersale* pro illo, quod denominatur ab illa intentione, quod est aliqua res primæ intentionis, nam secundæ intentiones applicantur primis; & sic accipi potest dupliciter. Vno modo, pro illo, quod quasi vt subiectum remotum denominatur ista intentione: alio modo pro subiecto propinquo. Primo modo dicitur natura absolutè sumpta, *vniuersale*, quia non est de se hæc; & ita non repugnat sibi ex se dici de multis. Secundo modo non est vniuersale, nisi sit actu indeterminatum, ita quòd vnum intelligibile numero, sit dicibile de omni supposito, & illud est completè vniuersale. De primo modo, potest intelligi opinio secunda, quia ista comparatio, quæ est intentio secunda non est, nisi obiecti, vt in intellectu comparante. De secundo modo potest intelligi prima opinio, quia natura non est de se hæc: sed nec prima opinio ponit completum vniuersale, quia non sufficienter indeterminatum: quia non contrariè ad determinationem: sed quasi priuatiuè, vel contradictoriè. Nec secunda opinio loquitur de completa ratione vniuersalis, vt quæstio habet difficultatem; sed de quadam intentione posteriore naturaliter ratione eius completa; nam indeterminatio quasi contraria, qua *homo* est sic indeterminatum, vt vnica intellectione conceptum quiditatiuè insit omni, præcedit naturaliter illam intentionem secundam, quæ est vniuersalitas Logica, siue habitudo de multis.

Concordia duarum opinionum de vniuersali.

Vniuersale negatiuè, & contrarium.

De illo igitur tertio modo accipiendi vniuersale; restat videre; an sit primò in intellectu, & distinguo, quòd dupliciter potest aliquid esse in intellectu obiectiuè, sicut modò loquimur de *esse in*. Vno modo habitualiter, & alio modo actualiter, siue in actu primo, & secundo. Primo modo, est ibi quando est ibi vt immediatè motiuum ad intellectionem: secundo modo, quando actualiter intelligitur ista esse secundùm positionem Auicennæ, simul sunt tempore, licèt primum prius naturâ: licèt enim non ponat speciem intelligibilem, per quam obiectum est præsens primo modo, manere in intellectu, nisi dum actu intelligit: tamen prius naturâ est obiectum præsens, vt motiuum, quàm vt intellectum actu, quia primum præcedit intellectionem, vt causa, secundum sequitur siue concomitatur. Alius autem, qui negat speciem intelligibilem, non videtur, quomodo possit illa duo *esse* distinguere; quia nullum *esse* habet obiectum in intellectu secundùm ipsum, nisi per actum intelligendi; & ita nullum *esse* primum, & ita nullo modo mouebit intellectum: cuius tamen contrarium tenet ipse. Tertia via est communis, quòd primum *esse*, & tempore, & natura præcedit *esse* secundum, & manet sine eo, secundùm ponentes species intelligibiles manere sine actu. Inconueniens enim videtur retentionem proprij obiecti post actum negare intellectui inquantum intellectus creatus, cùm hæc sit perfectionis in sensitiua: & licèt coniungatur intellectus phantasiæ: quæro, quæ est perfectio intrinseca intellectus; accidit enim sibi inquantùm intellectus coniungi cum phantasia: & licèt sit imperfectior non coniuncto phantasiæ: non tamen fortè alterius rationis inquantùm potentia; ergo sicut separatus est intrinsecè retentiuus, ita noster, licèt minùs.

7 *Aliquid est in intellectu, habitualiter, vel actualiter.*

Intellectus retinet species post actus Sco. 1. d. 3. q. 6.

SCHOLIVM IV.

Vniuersale sumptum pro denominato, non negatiuè, sed contrariè, seu indeterminatè positiuè ad multa, esse habitualiter in intellectu, & non tantùm actualiter, id est, habet speciem intelligibilem post actum, vnde intellectus agens cum natura facit vniuersale hoc sensu. Vide eum 2. d. 3. quæst. 1. & 6.

8

Ad quæstionem igitur, quo ad hoc membrum, dico, quòd vniuersale tertio modo dictum non est in intellectu secundo modo ex necessitate, ita

ita quòd quasi illud *esse* sit sibi necessarium:sicut probant rationes contra secundam opinionem, sed necessariò est in intellectu primo modo, ita quòd sine illo concomitante obiectum, non inest ei vniuersalitas. Hoc probat benè prima ratio contra primam opinionem. Sed quæ est causa illius indeterminationis, quâ obiectum cùm habet *esse* primum in intellectu, est completè vniuersale? Respondeo, quòd non sola res, quia non est eius in se tanta indeterminatio, vt probat illa prima ratio. Nec etiam intellectus possibilis, quia non reciperet indeterminatiùs, quàm obiectum esse factiuum. In omni autem natura, vt arguit Aristot. in 3. de Anima, tex.com.17.& 18. est dare aliquid, quo est omnia facere, dato aliquo, quod est omnia fieri, hoc est in tota natura vniuersali, cuilibet potentiæ passiuæ correspondet potentia actiua:& si non extrinseca, intrinseca in eadem natura; ergo cùm experiamur, quòd est aliquis intellectus in nobis, quo est vniuersale fieri: hoc est, cui insit aliquid, per quod obiectum est præsens, vt vniuersale; necesse est aliquid esse actiuum illius, & non extrà, vt argutum est; ergo intrà. Intellectus igitur agens concurrens cum natura aliquo modo indeterminata ex se, est causa integra effectiua obiecti in intellectu possibili secundùm *esse* primum, & hoc secundùm completam indeterminationem vniuersalis; nec est alia causa, quòd intellectus agens cum natura facit obiectum sic esse, nisi quia est talis potentia; sicut nec quare calidum calefacit: est ergo natura in potentia remota ad determinationem singularitatis, & ad indeterminationem vniuersalis: & sicut à producente coniungitur singularitati, ita à re agente, & simul ab intellectu agente coniungitur vniuersalitati.

Qua causa vniuersalitatis.

Et isto modo benè intelligitur illud dictum Auicennæ, 5. Metaph. cap. 1. quòd natura de se non est vniuersalis, nec particularis, sed tantùm natura. Et hanc tertiam indeterminationem probat tertium argumentum cum suis probationibus, non illam quæ est vniuersalis, quia illa minor saluat similitudinem, contrarietatem, &c. Et illo modo dicatur *quid*, & ista indeterminatio eius est priuatiua, alia maior quæ est vniuersalitas contraria. Sed quæ est actio realis intellectus agentis? non videtur quòd circa obiectum reale; cùm illud nihil sit in re. Hìc dicunt quidam, quòd abstractio non fit à phantasmate, sed ab obiecto, quia nullam speciem intelligibilem ponunt.

9

Contrà: obiectum quando est in *esse* primo in intellectu, aliter se habet ad intellectum, quàm priùs, quando non fuit in *esse* primo: quia nunc mouet, prius non: nunc intellectus intelligit ex illa motione, & priùs non; ergo aliqua mutatio facta est priùs naturaliter, quàm intellectus intelligat; sed illa non est in phantasmate: patet, nec in intellectu agente, nec in eorum coniunctione, quia semper erant æqualiter coniuncta, ex quo illud phantasma infuit; ergo oportet ponere in intellectu possibili aliquam mutationem priorem naturâ, ipsa intellectione, per quam obiectum sit in *esse* primo in quo non fuit. Hoc conceditur, ita quòd abstractio obiecti non est aliqua actio realis, sed causatur species intelligibilis à phantasmate, & intellectu agente simul, quâ causata in intellectu possibili, formaliter, simul causatur obiectum abstractum ibi non formaliter, sed obiectiuè, & sic benè saluatur Auicen. 5. Metaph. cap. 2. de forma intelligibili. Licèt enim sit duplex modus essendi *in*, tamen vnus concomitatur alium necessariò: nisi enim ponatur illa gignitio, nulla actio realis potest dari intellectui agenti, & ita nec aliqua circa obiectum; quia illa nunquam est intentionaliter, nisi propter aliquam realem. Similiter nunquam obiectum est abstractum, nec vniuersale prius naturâ, quàm intelligatur, nisi ponatur quodcunque obiectum habens phantasma in phantasia coniuncta intellectui agenti, *esse* abstractum, & semper in *esse* primo, postquam eius inest phantasia. Et tunc quomodo post addiscere, est magis in potentia accidentali, quàm antè ad speculari? Respondeo, per habitum generatum, & phantastica ordinatè occurrunt. Contrà: iste habitus est in phantasia: si enim esset in intellectu possibili, quid facit circa phantasma, vt illud moueat intellectum possibilem, hic nunc, & illud tunc? non enim inclinat nisi potentiam in qua est. Sed quod illorum est prius scilicet esse in intellectu, vel illa indeterminatio, quæ ponitur propria vniuersali? Videtur quòd esse in intellectu: nam intellectus agens primò videtur facere aliquid in intellectu possibili; ergo si facit vniuersalitatem, hoc erit mediatè. Contrà: tunc vniuersale erit posterius ente vero. Non enim solùm est ens verum, quod est in intellectu in actu secundo, sed etiam quod in primo. Et videtur, quòd sit imperfectius ens, ens verum, quod est in habitu, quàm quod est in actu. Item, singularitas prior est natura, quàm esse in re; igitur à simili. Confirmatur, quia magis videtur vniuersale abstrahere à quacunque existentia, quàm singulare. Ad istam dubitationem potest dici, &c.

Quomodo dicitur abstractio?

Quomodo discitur habitis speciebus?

SCHOLIVM. V.

EANDEM *naturam, quæ est in re, & singulariter existens, fieri potest vniuersalis per relationem ad intellectum, vt cogniti ad cognoscens; potest tamen vniuersale non esse in re, sed nequit esse non in intellectu. Ista habes 2. d. 3. qu. 1. & 6. fusè tractata à Doctore.*

10

Quo ad secundum membrum quæstionis scilicet an sit in re? Respondeo, esse in intellectu primo modo, vel secundo, non est nisi habere relationem rationis ad intellectum. Istud autem quod est in re, benè habet istam relationem; ergo illud, quod est vniuersale, est in re. Confirmatur, aliter in sciendo aliqua de vniuersalibus, nihil sciremus de rebus, sed tantum de conceptibus nostris, nec mutaretur opinio nostra à vero in falsum, propter mutationem in existentia rei. Potest igitur vniuersale esse in re, ita quòd eadem natura est, quæ in existentia per gradum singularitatis est determinata; & in intellectu, hoc est, vt habet relationem ad intellectum, vt cognitum ad cognoscens, est indeterminata; ita quòd sicut ista duo esse concurrunt per accidens in eadem natura, & posset vtraque esse sine altera; ita etiam determinatio, & indeterminatio prædicta. Et ex hoc apparet, quòd non est necesse illud, quod est vniuersale, esse in re, licèt possit, sicut necesse est ipsum esse in intellectu.

Eadem natura, quæ est in re, est vniuersalis respectu ad intellectum?

Contrà: contraria non insunt eidem; determinatio, quâ est hoc, & indeterminatio, quâ est idem huic, & illi, sunt conceptus contrarij secundùm prædicta. Dicitur, quòd non insunt secundùm idem: quia vnum secundùm vnum esse, & aliud secundũ aliud esse: sed tunc oporteret ponere illa *esse*

naturaliter esse priora istis contrariis. Similiter, quòd absolutè contraria compatiuntur se in eodem, non videtur: nec aliqua diuersa secundùm quæ contraria insunt, puta album, & nigrum secundùm aliam, & aliam partem superficiei: talia non insunt eidem subiecto proprio. Si autem ad totum comparantur, respectu eius sunt contraria secundùm *quid*. Item, quomodo intelligitur *quid* absolutè, vel quomodo singulare, si semper natura cum intellectu agente, facit indeterminatum completè in intellectu possibili? Item estne abstractio illa intellectus agentis, perfectionis? Videtur quòd sic, quia sine intellectu agente, non posset esse intellectio abstracti: ergo illud adiungitur, vt concausa propter perfectionem maiorem. Contrà: cognoscere confusè est imperfectionis; ergo magis confusè imperfectiùs.

11

Ad primum de contrariis, posset dici, &c. Ad aliud dicitur, quòd *quid* intelligitur absolutè, & ita id quod est singulare, siue in differentia vniuersalis, quando natura sola mouet intellectum, sine intellectu agente: sed singulare inquantùm hoc, nunquam mouet, vt prius dictum est; igitur non intelligitur, nisi ab intellectu intelligente res, inquantùm sunt in se manifestæ: nam quia primò mouetur, primo modo visus videt singulare: secundo modo, non: tertio modo quando coagit intellectus agens naturæ, intelligitur vniuersale completè. Contrà: fictio videtur, quòd intellectus agens quandoque coagit phantasmati, & quãdoque non: cùm vtriusque virtus actiua sit naturalis, & non libera. Item, quomodo phantasma sola virtute propria mouebit intellectum possibilem? Ad secundum argumentum, cuiuslibet potentiæ passiuæ proprium obiectum, secundum quòd obiectum, est motiuum eius; ergo proprium obiectum intellectus agentis, si responsio sit vera.

Sup. q. 14. & 15.

Respondeo, quòd prima propositio est falsa: nam potentia cognoscitiua non tantùm habet recipere speciem obiecti, sed etiam tendere per actũ suum in obiectum, & illud secundum est essentialius potentiæ. Primum requiritur propter imperfectionem potentiæ, & obiectum principalius est obiectum; quia in ipsum tendit potentia, quàm quia imprimit speciem: quod patet, si Deus imprimeret speciem intellectui, vel etiam in oculo, eodem modo ferretur in obiectum, sicut modò, & obiectum ita esset obiectum: sed Deus non esset obiectum, quia in ipsum non tendit: & tamen ipse imprimit sicut impressit Angelis species creaturarum; hæc ergo est vera; *Cuiuslibet passiui est aliquod motiuum per se*: sed non oportet in potentiis apprehensiuis, quòd illud motiuum sit proprium obiectum potentiæ sub ratione, quâ obiectum terminat actum potentiæ. Hoc patet in voluntate: qui enim dicunt eam passiuam, dicunt eam moueri ab obiecto, secundùm quod in intellectu est; sed tendere in obiectum, non secundùm quod est in intellectu, sed secundùm quod est in se, iuxta illud Commentatoris 12. Metaphysic. Commento 36. *Balneum secundùm quod in anima mouet appetitum effectiuè; secundum autem quod in re extrà mouet, vt finis.* Sed propria ratio obiecti voluntatis est ratio finis, & vt res est in se, & non ratio efficientis, vel vt in intellectu; ergo. Patet falsitas propositionis, & quomodo verificatur: immò nec vera est in potentiis naturalibus: obiectum enim propriè potentiæ passiuæ est ens actu, vel actus ad quem terminatur, & illud non agit in potentiam passiuam; sed aliud agens in ipsam producit illum actum, vel illud ens actu. A simili, hæc est falsa: omnis potentia actiua, nata est per se agere in suum obiectum; si suum obiectum sit terminus actionis suæ. Terminus actionis intellectus agentis non est phantasma, in quod agit, sed vniuersale, saltem in cognitiuis videtur verum. Intellectus Dei actiuus est respectu essentiæ suæ: nec tamen quicquam agit in ipsam. Similiter voluntas nostra nihil agit in obiectum, etiam secundùm ponentes ipsam actiuam: sed tantùm actione sua intendit in obiectum. Probatur falsitas primæ: nec enim omni, nec soli obiecto conueniret mouere; ergo, &c.

Obiectum perfectius est, quatenus tẽditur in ipsum, quam, vt efficit speciem.

Finis mouet, vt est in re.

Non omnis potentia passiua nata est per se agere in obiectum.

ANNOTAT. MAVRITII.

12

Sequitur quæstio decima octaua de vniuersali, t.c.44. quæ famosa est, difficilis, quæ benè ordinaretur post sequentem quæstionem sed vt sæpè dixi, ordo non nocet. Ante oppositum replicat breuibus argumenta superiùs facta quæstione 13. de vnitate reali minori, vnitate numerali, quæ ibi notaui posse dici *Extra*, vel additio: vel certè hîc; vbique tamen ad maiorem expressionem possunt legi, & ponderari.

Opiniones in hac materia plures fuerunt. Vide Thomam in tractatu de Vniuersalibus, & 2.2. q.47. Epicurei enim, & Platonici hîc aliter sentiũt. Vide 1. Posterior. contra Platonem, & hîc Aristotelem. In principio igitur solutionis tractat quæstionem secundùm phantasiam Platonis, & impugnat breuibus.

Consequenter recitat opiniones Latinorum duas extremas. Prima est Realistarum aliqualiter nimis descendentium, & rebus sensibilibus vltra modum inuolutorum. Secunda est Nominalium, & Thomistarum. Quære Durandum, Heruæum, Thomam Anglicum, & alios quàm plures illius viæ ad propositum, & super 1. Posterior. & Phys. & in Logicalibus, & specialiter super Porphyrio, vt nosti. Vtramque impugnat, quia nimis excedunt, & in extremis.

Infrà in impugnatione secundæ opinionis ibi: *Ad ista posset dici quòd licèt obiectum sit prius*, &c. vsque illuc: *Contra modum ponendi*, &c. assignatur *Extra*, vel *additio* in aliquibus originalibus, & satis rectè.

Deinde respondendo ex intentione propria ad quæsitum, præmittit quasdam distinctiones, & applicat membra ad prædictas opiniones, & ibi tangit de specie intelligibili, Vide optimè 3. di. pri. qu.6. & 3. di.2. qu.1. & in qq. Logicalibus super Porphyrio, & 2. par. 3. di.2. & consequenter ad quæsitum respondet formaliter; vbi duo principaliter facit, & totus processus est satis clarus, sed valde notandus; ideò totam literam distinctè declara: vt scis.

13

Infrà, ibi: *Ad istam dubitationem potest dici*, &c. vbi communiter non habetur plus in litera, adde tu ex his quæ supra q. de ente vero dixit in 6. & ex 3. d.2. vbi prius & alibi, & specialiter ex 45. dist.4. q.3. & aliqualiter 8. dist. pri. q.3. & alibi sæpè vt nosti.

Vlteriùs infrà, ibi: *Contra: cognoscere confusè*, &c. vsque ad finem notatur, vt additio, vel *Extra* in aliquibus originalibus, sed litera notabilis, & subtilis; ideò legatur si placuerit; ponderabis verò solutionem illam, quam incipit, & non prosequitur cùm dicit. *Ad primum de contrariis*, &c.

non enim secundùm idem insunt, nec eodem modo, nec in eadem acceptione, vt patet, sicut responsio immediatè addita dicit, sed replicam consequenter adductam euadere, vt nosti. Et videtur tota litera non multùm necessaria, & *Extra*; atque pro maiori parte supra q.13. habetur, nihilominùs faciliter omnia hîc benè applicari possunt, & defendi, quare, &c.

14 Controuersiam quandam, quæ videtur hîc, & in Logicalibus super Porphyrio q. 8. de subiecto Vniuersalis, vt est intentio secunda, pondera, vt ibi notaui prolixè, & solue, & multa tange ex his quæ ibi collegi.

Prolixas quæstiones plurium modernorum in hac materia, vide super 1. Physicor. sed Parisienses resolutos, vbique imitabere.

Aduerte etiam, quòd multùm refert dicere vniuersalia realia, & communia, vel communicabilia, vel naturæ, vel quiditates tales in hac materia: nam primum est impropriè dictum, cætera vera, & propriè dicta.

Oportet autem primum intendere de his, quæ secundùm diuisiones diffinitionibus. Nihil enim aliud est in diffinitione, quàm primum dictum genus, & differentiæ. *Tex.com.* 43.

QVÆSTIO XIX.

Vtrùm conceptus generis sit alius à conceptu differentiæ?

Arist. *lib.3.huius tex.10.& hic cap.10.tex.33.* D. Thom. *hic lect.4.& 1.p.q.50.art.4.ad* 1. Herueus *quodlibeto* 1. *q.9.* Capreol. *in 1.dist.8.q.2.art.3.* Anton. Andr. *hic q.* 17. Soncin. *q.36.* Greg. *in 1. dict.*; 8. Ferrarien. *1.contra Gent.cap.24.* Caiet. *de ent.& off.cap.3.* Bannes *1.de Generat.c.4.q 8.art.1.* Fonsec. *2.Metaph.cap.2.& lib.4. cap.2.q 4.sect.3.& lib.5. cap.5.q.3. sect.3.* Vide Scotum *in 1. dict.3.q.1.*

1 QVòd non, quia in litera, tex.c.43. dicitur, genus nihil est præter eas, quæ sunt generis species. Item in 10. huius, cap.10.tex. c.24. Genus secundùm se est diuersum in diuersis speciebus. Item, alioquin esset pars speciei, & ita non prædicaretur formaliter de ea. Item 7. Physicor. text.c. 31. comparatio non fit secundùm genus, quia in genere latent æquiuocationes.

Contrà: si non: aut est idem conceptui vnius differentiæ tantùm, & tunc non prædicabitur, nisi de vna specie: aut cuiuslibet differentiæ, & tunc vel tot erunt generis conceptus, quot differentiarum: vel si tantùm vnus est conceptus generis, illi vni omnino erunt idem conceptus differentiarum; ergo & inter se idem; omnia illata sunt inconuenientia; ergo, &c.

SCHOLIVM I.

OPINIO *negans D.Tho.tract.de natura generis, & eius explicatio, refutatur tribus rationibus.*

2 *Conceptum generis non differre à cōceptu differentiæ.*

Opinio quòd non, propter tertiam rationem suprà. Modus ponendi est, quòd non sunt synonyma *genus & differentia*: differunt enim penes modos, siue rationes concipiendi eundem conceptum, quæ sunt rationes determinabilis, & determinantis: ratio generis est ratio determinabilis: ratio verò differentiæ est ratio determinati.

Quando contingit nugatio? Tex.com.43.

Contra illud; ergo in diffinitione est nugatio: quia idem conceptus bis dicitur per genus, & differentiam. Respondeo, nugatio excusatur propter diuersos modos concipiendi. Contrà: tunc est nugatio, quando positis diffinitionibus pro nominibus, idem bis dicitur, ex isto c. & ex 2. Perihermenias: positis autem rationibus generis & differentiæ idem conceptus bis sumitur; ergo, &c. Confirmatur, quia secundùm Aristotelem in isto cap.tex. com.43. Hîc est nugatio: *Pedes habens, bipes*, & tamen est alia ratio concipiendi. Item; illæ rationes concipiendi, aut sunt essentialiter intra conceptus generis, & differentiæ; aut non, sed accidentales, sub quibus conceptus illi concipiuntur. Si secundo modo, non vitatur nugatio: si primo modo, aut igitur vtraque ratio, est essentialis intra conceptum speciei, aut non. Si non, ergo diffinitio speciei includit quod non pertinet essentialiter ad speciem: includit enim quod essentialiter includitur in conceptu generis: si sic, ergo conceptus generis, & differentiæ simpliciter sunt alij: quia per rationes alias, quas essentialiter includunt, quæ etiam sunt de per se conceptu speciei. Non tantam diuersitatem ponit opinio opposita, vt iam patebit. Item tertiò: diffinitio debet esse primò eadem cum diffinito: conceptus iteratus non est idem primò sibi ipsi semel sumpto; ergo conceptui speciei, non est primò idem conceptus generis, & conceptus differentiæ simul, sed alter tantùm; & ita alter superfluit. Sequitur etiam quartò omnino, vt videtur, quòd completa diffinitio daretur per genus tantùm, quia exprimeret totum conceptum quiditatiuum speciei, & ratio determinantis non requireretur, quia illa ratio non caderet in intellectu speciei. Est enim fallacia Accidentis: rationale est determinans: homo est rationalis; ergo homo est determinans; non ergo requiritur *rationale* in diffinitione propter istam rationem, quia ipsa extraneatur diffinito: nec propter conceptum, cuius esset illa ratio, quia ille totus exprimitur per genus.

Diffinitio primò eadem diffinito.

SCHOLIVM II.

PRO *resolutione quæstionis quatuor examinat. Primum, conceptum generis esse vnum in se: quod quadrupliciter probat, de quo vide eum 1.d.3.q.2. à n.5. Secundum, qualiter sit alius conceptus differentia, de quo quæst. seq. Tertium, per genus intelligi potentiale proprium, & per* differentiam *actum vltimum illius potentialis, quæ est completa causa vnitatis specificæ. Quartum, quid in re correspondet istis conceptibus, & an sufficiat ad eos distinctio rationis, de quo 1.d.8.q.3.num.16. & 26. & 2.d.3.q. 6.num.12. videtur differentiam intentionis, de qua hîc agit, ponere secundùm mentem aliorum, medium inter realem, & rationis strictè differentias. Adducit, & soluit argumenta contra illam differentiam intentionis, tanquam sufficientem ad conceptus generis, & differentiæ.*

3 Ideò ad ostendendam oppositam partem, quatuor sunt videnda. Primò, quia conceptus generis est vnus in se, quod ostenditur tripliciter. Primò, quia omnis certitudinem habens de aliquo, dubitans autem de omnibus determinantibus illud, habet de illo de quo est certus, conceptum vnum alium ab illis, de quibus dubitat, alioquin esset

Conceptum generis esse vnum in se. Potest quis certus esse

de genere & dubius de omni eius specie. Sco. 1. di. 3. q. 2, n. 5.

esset certus : & de nullo; quia de nullo conceptu: potest autem haberi certitudo de inhærentia cõceptus generis alicui, dubitando de quocunque conceptu speciei, vt cùm animal videtur à remotis : vel meliùs per proprietatem conuertibilem, cum genere, demonstrando ipsum de Deo *demonstratione quia*, de quo nescitur aliqua species generis. Secundo sic, differentia sunt diuersa aliquid idem entia ex 5. huius, text. non habẽte commentum, & 10. ca. 4. t. c. 12. ita quòd magis sunt vnum differentia in illo in quo conueniunt, quàm in illis in quibus differunt, alioquin essent primò diuersa, non differentia : ergo id, in quo sunt idẽ, est in se magis vnum, quàm illa in quibus differunt : species generis propriè differunt differentiis, & sunt vnum in genere; ergo genus est magis vnum in illis, quàm differentiæ, quibus differunt, quod non esset, nisi generis esset vnus cõceptus. Nam si plures, ita essent isti diuersi, sicut conceptus differentiarum, quo ad hoc, quòd species nihil vnum essent. Tertiò sic, genus prædicatur propriè, & in *quid* de specie; ergo secundum aliquem conceptum, non eundem speciei, quia tunc ista prædicatio esset eiusdem de se; ergo secundùm alium conceptum, alium à conceptu speciei, & similiter de quacunque specie, est vnus in se : alioquin tot genera quot species. Additur quartò, quòd nomen generis est vniuocum; ergo significat conceptum vnum. Sed quomodo vnum? Respondeo, genus aut concipitur primò, sicut obiectum adæquans intellectionem; aut per se, & non primò, scilicet in aliquo conceptu adæquante intellectionem, in quo genus includitur. Primo modo cõceptus eius est vnus numero, sicut intellectio vna numero; & generaliter, ita vnica intellectione numero intelligatur magis commune, sicut minùs commune.

Differentia & primò diuersa differunt.

Conceptum generis esse vnum alioquin tot genera quot species.

Conceptus generis vnus numero.

EXTRA. *Nota, quòd sicut idem numero fit à diuersis specie, ita eadem intellectio numero hominis, nata est fieri ex phantasmate cuiuscunque singularis.*

Secundo modo conceptus illi primi sunt valde diuersi, omnes tamen includunt vnum conceptum numero : non qui est vnus numero, vt ibi concipitur, sed tot numero in quot includitur, quia non alia intellectio est circa includens, & inclusum : Sed quia natus est esse vnus numero, quando primò concipitur, & indifferens ad omnes alios.

4

Secundò videndum est, quòd conceptus generis alius est à conceptu differentiæ, quod ostendetur in quæstione sequente, & ita alius est, quàm primò diuersus : & ex hoc sequitur, quòd est alius à conceptu speciei, sicut partialis à totali, quia species essentialiter includit conceptum differentiæ, & generis.

Tertiò, quid determinatè cõcipitur per genus, & quid per differentiam. Sciendum, quòd secundùm quod dicit Arist. cap. præcedente 7. *Sicut ratio ad rem, sic partes rationis ad partes rei.* Et in 8. c. 3. *oportet terminum esse rationem longam, & exprimere quid, & quale.* In specie autem non sunt nisi duæ primæ partes essentiales, scilicet actus vltimus, quo species est id, quod est; & proprium potentiale respectu illius actus vltimi, quotcunque ordinata includat illud potentiale, siue ordinata realiter naturaliter, siue aliter, de quo dicetur in 4. artic. Differentia vltima, quæ est specifica, à qua est vnitas rei, & diffinitionis, includit præcisè de suo per se intellectu, actum vltimum in re, quæ est causa vnitatis completa : & genus proximum præcisè per se includit proprium potentiale respectu illius actus.

T. c. 33. T. c. 9. Sicut ratio ad rem, sic partes rationis ad partes rei.

Quartò videndum est, quid istis conceptibus correspondeat in re.

Dicunt quidam, quod in re sufficit differentia intentionis, quæ nullam differentiam nec compositionem actu ponit in re, sed tantùm potentialem, sic quòd ipsa nata est facere diuersos conceptus in intellectu de se. Ita quòd ista differẽtia, actu est solùm in intellectu concipiente : non sufficit autem differentia rationis, quæ est, quando res non est nata facere, nisi vnum conceptum : qui tamen potest concipi sub diuersis modis concipiendi.

5

Cum illa opinione conceditur, quòd differentia rationis non sufficit ad distinctionem generis, & differentiæ : sicut argutum est contra primam opinionem : sed quòd nec differentia ista intentionis sufficit, arguitur sic : quia concipiendo genus, aut concipitur aliquid rei in specie, aut nihil; similiter de differentia : si nihil, isti conceptus videntur fictitij, non reales, nec dicentur in *quid* de specie : si aliquid, aut aliquid idem, & tunc erit idem conceptus; aut aliquid aliud, & tunc erit in re aliqua differentia prior differentia conceptuum. Respondetur, quòd aliquid rei concipitur, & idem, nec sequitur : ergo idem conceptus, quia eadem res nata est facere diuersos cõceptus. Contrà: vna res nata est formare conceptum vnum sibi adæquatum, quia aliàs non esset cognoscibile : sed illum sibi adæquatum conceptum formando videtur immutare intellectum quantùm nata est ipsum immutare. Aut si dicatur, quòd propter suam perfectionem præter istũ adæquatum, nata est res immutare intellectum ad conceptus non adæquatos, quis erit ordo in immutando ad illos, & ad illum adæquatum? Nunquid facit primò notitiam propriam, aut cõfusam; & quodcunque priùs facit si non tantùm prius naturâ, sed tempore : videtur quòd nihil amplius facit : quia agens naturale, præsente passo, statim facit, quod potest. Quicquid sit de istis: videtur quòd prima ratio stet : nam species formando duos conceptus generis, & differentiæ, nõ tantum causat duos actus in intellectu distinctos numero, sed causat duas notitias actuales, vel habituales, habentes obiecta propria distincta : & hoc ita distincta, sicut si illa duo obiecta essent duæ res extrà. Quæro igitur, an istis notitiis cognoscat intellectus obiectiuè aliquid in re? si nihil, fictio est : si idem; ergo obiectum idem est : nisi dicas, quòd vna res extrà facit formaliter duo obiecta in intellectu : & tunc non videtur, quod res, vel aliquid rei, sit obiectum, sed aliquid factũ à re : si aliud, habetur propositum, quia differentia ante conceptus. Item secundò ad principale : omnis differentia prior naturaliter omni actu rationis, videtur differentia realis : obiecta naturaliter præcedunt actus, & distinctio obiectorum, distinctionem actuum : maximè quando hæc illam causat, vt hîc ponitur; ergo differentia intentionis, quæ est in conceptibus, concludit priorem in obiectis, quæ erit realis.

An sufficit rationis differentia, ad conceptus generis & differentia.

Agens naturale præsente passo agit quod potest.

6

Qu. 18.

Potest dici, sustinendo differentiam intentionis, sicut habetur in quæstione de vniuersali, quòd res obiectiuè est in intellectu, vel in actu primo, vel in actu secundo; & differentia quæcunque quæ non conuenit rei, nisi sic, vel sic : & hoc, vel illud, esse præsupponatur differentiæ, siue

necessariò concomitetur, est differentia rationis, scilicet sumendo differentiam rationis communiter ad differentiam intentionis, & rationis propriè dictam: nam nulla talis rei inest existenti in se, nec sine actu intellectus concomitante, vel praecedente; & hoc intellectus possibilis considerantis, vt quando est res in intellectu in actu secundo; vel intellectus agentis abstrahentis, vt quando est res in intellectu in *esse* primo. Differentia ergo rationis strictè loquendo, est differétia posterior naturaliter actu intellectus possibilis, considerantis idem obiectum sub alia, & alia ratione; & hoc siue illa differentia sit obiecti existentis in intellectu in actu secundo; siue habitualiter per habitum derelictum ex actu concipiendi: nam *esse* tale habituale est naturaliter posterius actu considerandi: sed differentia intentionis est prior naturaliter omni actu intellectus possibilis, & omni *esse* obiecti in ipso intellectu, siue sit actuale, siue habituale derelictum ex actu eius: sequitur tamen ordine naturae actum intellectus agentis, & concomitatur ipsum necessariò *esse* in intellectu possibili in actu primo. Haec magis patent ex dictis in quaestione de Vniuersali.

Quid differentia rationis strictè.

His intellectis, pro differentia intentionis in communi, vlteriùs in speciali sciendum est, quòd essentia vna specie, quantumcunque simplex, vt albedo, nata est ex se diuersa obiecta facere praesentia intellectui possibili: quia sicut dictum est in quaestione praecedente, non est realiter, nisi facere realiter aliqua diuersa, per quae illa sint obiectiuè praesentia: nam circa *esse* obiectiuum, cùm nihil sit, non cadit mutatio nisi per mutationem realem in aliis, per quae ista sunt obiectiue praesentia. Quare autem sit factiua diuersorum, non est ratio propter perfectionem, quia tunc Deus faceret, quod negatur; nec propter perfectionem, quia tunc materia prima faceret; nec per aliquam differentiam priorem in natura rei, extra intellectum, sicut calor, quia est calefactiuus, non propter perfectionem in communi, nec propter imperfectionem: ita qualibet talis essentia, quia talis, factiua est talium duorum in intellectu realiter, & per hoc duorum obiectiuè. Praeter hoc etiam, factiua est vnius conceptus adaequati: sed illius fortè primi, vt confusi, inquantum percepti, aliorum autem prius naturâ, sed non perceptorum: sicut alibi videtur de processu intellectus nostri in intelligendo.

Essentia vna, nata est repraesentare plura, quomodo?

Tunc ad argumenta contra positionem de differentia intentionis. Ad primũ, genus, & differentia diuersa obiecta intelligibilia includunt, & tamen in vtroque idem re intelligitur: quia sicut potest idem habere *esse* in re, & intellectu ex quaestione praedicta, ita potest habere vnum *esse* in re, & duo in intellectu, & cõcomitantibus illis duobus *esse*, duo obiecta in vno intellectu, tantùm vnum *esse* habet. Per hoc patet ad totam deductionem contra responsionem: quia & vnum adaequatum conceptum generat, & plures non adaequatos, & simul tempore quantùm ad *esse* primum in intellectu, licèt non quantùm ad *esse* secundum, quod non est sine perceptione. Sed non tenetur illud in secunda responsione; quod propter perfectionem, &c. Cùm reducitur ratio; concedo, quòd simpliciter sunt diuersa obiecta, sicut si essent essentiae diuersae; sed sunt obiecta diuersa concomitante *esse* in intellectu; vt autem res est obiectum, eadem est: ita quòd idem extrà sub duobus *esse* in intellectu concomitantibus, habet rationem vnius materialiter, & duorum obiectorum formaliter. Ad secundum principale patet: differentia prior natura omni actu intellectus tam agentis, quàm possibilis, est realis. Concedatur: sic minor est falsa. Sed per omnia dicta, non videtur prima difficultas soluta: quomodo duo obiecta formaliter inquantum obiecta & tamen vna essentia, si ista essentia aliquo modo cognoscatur? quia illa essentia vna, si tantummodo per duo *esse* in intellectu, est duo obiecta, & secundùm ista non cognoscitur, quia ista non accidunt obiecto; non videtur quomodo erunt duo inquantum obiecta.

7 Ad arg. posita nu. 5.

Non videtur etiam, quòd aliquâ intellectionum istarum aliquid rei cognoscatur. Quod ostenditur sic: quia sic intellectioni abstractiuae potest succedere intuitiua eiusdem primi obiecti praecisè, quando abstractiua alicuius rei est imperfecta, alia perfecta: sed visiones duae possunt esse generis, & differentiae: quia visio non est nisi obiecti primi realiter existentis, & praesentis. Ex hoc sequitur, quòd intellectus diuinus non cognoscit, vt distincta obiecta ista, quorum ponitur differentia intentionis; nec aliquis intellectus, nisi abstractiuè intelligens, & ita imperfectè. Item, cùm dico, Socrates est homo, non est vnio actuum concipiendi: quia hic actus non est ille; nec obiectorum habentium differentiam intentionis, quae scilicet non habent esse extra, sed in intellectu actu primo: tum, quia obiectum vnum vt sic, non est aliud: tum, quia obiectum vnum facit aliud in *esse* talis obiecti: & licèt includat ipsum vt factum, non est ipsum: tum, quia tunc non dependeret veritas orationis à re extrà: ergo est vnio, quorumcumque sit, primò saltem est pro re extrà: & tunc pro opinione de differentia intentionis, est praedicatio eiusdem de se, nec alia erit veritas illarum: *Socrates est homo; Socrates est animal, Socrates est substantia,* &c. Qui meliùs scit exponere differentiam intentionis, euadendo dictas difficultates, exponat.

Visio an potest esse generis sine differentia?

SCHOLIVM III.

Opinio ponens obiecta aliqualiter in re diuersa correspondere conceptibus generis, & differentiae. Obscurum est quid hic velit; videtur tantùm velle conceptus hos differre ex natura rei, seu formaliter: explicat quarum perfectionum continentia requiritur ad genus, nempe illarum, quarum vna perficitur ab alia, & ideò Deum excludit à genere, de quo latè agit 1. d.8.q.3. maximè n. 16. & 20. & ex ibi, & alibi dictis, colligitur praefatam distinctionem ponendam esse inter genus, & differentiam.

8

Alia est opinio, quae propter praedicta motiua, ne ponat conceptus simpliciter diuersos generis, & differentiae esse fictitios. Sed cum vtroque illorum aliquid in re concipiatur, cùm illorum actuum sint obiecta inquantùm obiecta, ita formaliter diuersa, sicut si essent res omnino diuersae, ponit quòd illis correspondent aliqualiter in re realiter diuersa, ita realiter, quòd circumscriptâ omni operatione intellectus agentis, vel possibilis, & omni *esse* in intellectu praesupposito, vel concomitante, est in re illa differentia; sed realis differentia ponitur habere gradus. Est enim maxima naturarum, & suppositorum. Media naturarum

Tres gradus differentiae realis.

ratum in vno supposito. Minima diuersarum perfectionum, siue rationum perfectionalium vnitiuè contentarum in vna natura. Istam differentiam videtur necessarium ponere in aliis: puta in ente, & eius passionibus, relatione, & fundamento in Deo, & creatura. Quandoque videtur etiam, sed non est ita necesse, quòd sit ponenda in causa multorum; sicut potentiæ animæ & virtualitas, in aliis similiter in eminentia, siue alterius speciei, siue eiusdem. Sed in istis duobis vltimis potest benè negari, quia idem non distinctum potest multa causare. Item, non distinctum potest multa excedere, & continentia virtualiter, vel eminenter non ad perfectionum realium: quia tales actualiter continentur, & formaliter denominant: virtualiter, & eminenter contentum continetur vt aliud ibi contineri potest non inesse, sed abesse, vel deesse. Secundùm etiam illam opinionem, quæ ponit minùs in eadem specie esse realiter, in magis, non, est ibi sicut perfectio realis tantùm; sed vt pars quantitatiua virtualis non mobilis, vel corruptibilis sine corruptione totius rei; ita non est ibi differentia rationum realium. De qua differentia quære in quarto, in quæstione de Vno: talis necessariò est differentia illius perfectionis in re, quæ correspondet conceptui generis, & illius, quæ correspondet conceptui differentiæ. Sed maior est benè quidem, puta materiæ proximæ & formæ, sicut sensitiui, & rationalis secundùm pluralitatem formarum. Sed illa est minima vbi potest saluari fundamentaliter ratio generis, & differentiæ. Hæ perfectiones distinctos formant conceptus, & distincta sunt obiecta illorum conceptuum, sicut si essent separatæ, quemadmodum alibi habetur: quod quicquid perfectionem aliquam consequitur ex propria eius ratione, etiam eam consequitur, quando vnitiuè cum alia continetur, sicut actio propria, &c. huiusmodi.

Continentia virtualis, & eminētia, nō arguunt realem differentiam realem.

q. 2.

9

Forma vna est principiū multarū operationum.

Et per hoc potest forma specifica vnitiuè continens formas generum intermediorum, esse principium multarum operationum illis contentis correspondentium, si illa intermedia ex se sint actiua. Nihil enim tali perfectioni deficit, quando continetur; sed limitatio tollitur à continente: quia non tantùm illam continet: sed illam continet, ac si non illam, & èconuerso. De hoc quære vbi suprà. Nec tamen quæcunque continentia perfectionum sufficit ad rationem generis, & differentiæ: sed illarum, quarum altera potentialis est ex propria ratione respectu alterius, & sic potentialis, quod quantùm est ex per se ratione eius, etiam in se non repugnaret sibi esse sub opposito actu; sicut perfectio coloreitatis non tantùm est perfectibilis per gradum perfectionis proprium albedini: sed etiam quantùm ex propria ratione coloreitatis illius, non repugnaret sibi subesse gradui proprio nigredinis. Conditio prima excludit Deum à genere, si ponatur in illo talis differentia, siue attributorum, siue idearum: nullum enim perfectibile est per alterum specialiter de attributis: quia quodlibet est infinitum, & de ideis: quia respectus ad diuersa non perficiunt se. Ideò si est talis differentia, non erit compositio, quia nihil perfectibile, nihil perficiens: licèt alius ordo prioritatis alicuius poneretur, nec aliquid vnum ex illis. Sed aliquid summè vnum, sunt illa per identitatem, quæ secúndùm proprias rationes, nec vnum componunt, nec aggregant, quia numerum non faciunt necessarium aggregationi. Si autem nec talis differentia in Deo ponatur, quia nec illa intentionis, quæ minor est, & illam immediatè sequitur magis, patet quomodo non est in genere hæc differentia, & compositio sibi correspondens, quando perfectiones contentæ sint limitatæ, generalis est omni creaturæ. Et secundùm hanc faciliter saluatur, quomodo omnis creatura componitur ex potentia & actu. Non enim ibi accipitur potentia pro illa, quæ est ad *esse*, quia illa non manet in creatura.

Quæ continentia sufficit ad rationem generis?

Quare Deus non est in genere? Sco. 1. d. 8. q. 3. nu. 16. 20.

Omnis creatura est composita.

EXTRA. 10

Notà, quòd hìc videtur exprimi propria ratio illius differentiæ, quæ vocatur secundùm intentionem: quia illa secundùm talem compositionem, ponit in re, ita quòd differentia conceptuum, siue obiectorum formalium, non omnis est differentia intentionis: nec etiam si illi differentiæ conceptuū correspondet differentia rationum realium. Sed tantùm quandoque duæ conditiones hìc positæ sunt ibi. Contrà: ergo omnis species composita, & ita accidentia non erunt in genere: patet responsio.

Ista opinio non negat differentiam intentionis, sed ponit sibi necessariò correspondere aliquam in re: & ita ponit quadruplicem differentiam, duplicem realem, rerum, & rationum realium; & duplicem rationis scilicet intentionis, & rationis strictè sumptam, quòd si differentia intentionis non requirat differentiam rationum realium in actu, sed sufficiat quòd in potentia sit in re, & in actu in intellectu in *esse* primo, vt priùs expositum est: qui potest capere, capiat.

Differentia rationis, & intentionis explicatur supra nu. 6.

SCHOLIVM IV.

SOLVENDO *argumenta, explicat optimè varia loca Aristotelis. Nota ad primum, priùs eum scripsisse expositionem textus Metaphysices, quàm has quæstiones. Arguit tripliciter contra assertum tertio articulo, scilicet differentiam vltimam dicere tantùm vltimum actum, qui est causa vnitatis completæ, & genus proximum potentiale illius actus. Ad primum explicat, vnde sumitur differentia, de quo 2. di. 3. q. 6. nu. 12. & genus de quo 1. di. 8. quæst. 3. num. 16.*

11

Genus nihil est præter species, exponitur.

Ad argumenta principalia. Ad primum additur: aut si est, est quidem, vt materia, & exēplificatur de voce, & illud membrum est verum, pro quo exemplum adducitur: & propter intelligi ad manifestandum, quòd singulare in re correspondet conceptui communi generis: sicut expositum fuit legendo textum. Ad aliud de 10. patet in primo artic. quomodo, &c. quia conceptus generis, vt in speciebus, licèt habeat aptitudinem: vt si ex se concipiatur, primò sit idem numero determinabilis per omnes differentias: tamen vt in speciebus concipitur, per se est actualiter ita diuersus, sicut conceptus specierum. Conceptus autem speciei non in diuersis natus est per se concipi; & quod aliquando allegatur, de secundo cap. Ad tertium; pars per modum partis, non prædicatur denominatiuè, signata prædicatur. Quære alibi exempla, de capitato, & manuato quantùm ad per se intellectum, & quantùm ad modum concipiendi, propter quem prædicantur. Et quomodo est duplex denominatio subiecti per accidens, & totius à parte essentiali, quæ non excludit prædicationem in *quid*, concurrit hæc cum denominatione suppositi: èconuerso totius de parte non est ita essentialis prædicatio. Ad quartum, si vna

Nota ante has quæstiones exposuisse textum.

An pars prædicetur de toto, vide Scot. q. 3. de Genere.

si vna natura requiritur ad comparationem non vnus conceptus, sicut ibi videtur dicere, nihil est ad *B* illa litera. Et quod dictum est æquiuocatio, dictum est Physici, non Logici, nec Metaphysici: quia natura non est vna, sed alia, & alia, &c. ordine essentiali.

In genere latent aequiuocationes: scilicet physica.

12

Contra tertium articulum, vbi dicitur, quòd vltima differentia speciei, præcisè includit de suo per se intellectu, actum vltimum in re, qui est causa vnitatis completa; & genus proximum præcisè includit proprium potentiale respectu illius actus vltimi; arguitur primò: quia tunc primum genus accipietur à materia simpliciter, vel materiali, quia in isto possunt aliqua conuenire sine conuenientia in aliquo gradu posteriori. Item, tunc nulla species specialissima includit materiam, nisi quia præcisè includit conceptum primi generis: nam respectu eius, omnes differẽtiæ intermediæ dicunt actum, & ita nulla materia, quæ sit propriè materia simplex, est alterius rationis ab alia, quia illa est sine omni actu distinguente: & ita nec in cœlo, & in igne est materia alterius rationis. Item, tunc substantia, vel includet solam materiam, & ita secundùm aliquos non prædicabitur de Angelis; vel est composita ex materia, & forma: & nec sic secundùm istos, prædicatur de illis. Si neutro modo, tunc differentia corporis constitutiua, addet materiam supra formale importatum per substantiam, ex quo materia pertinet ad quiditatem rei. Et oportet, quòd addatur aliquid pertinens ad suam quiditatem, quod est contra istum tertium articulum. Ad illa.

13

Ad primum, si negetur prædicatum in *quid* accipi ab aliquo, nisi manifesto per operationem, hoc nihil est; tum, quia multa genera intermedia à nulla propria operatione sumuntur; tum, quia etsi intellectus noster non sumeret, esset tamen perfectio in re, & prædicatum sumptibile; tum, quia transmutatio manifestat aliquid commune, sicut & operatio communis. Aliter potest dici, quòd differentia sumitur per se ab actualitate essentialiter perfectiua: quandoque autem talis est realiter forma, & perfectibile materia simplex, vel composita, sic Auicembron posuit omni differentiæ correspondere propriam formam: quandoque actualitas à qua sumitur differentia non est forma, sed perfectio formalis: & hoc sufficit pro differentia, & tunc perfectibile non est materia, sed totum vt perfectibile, secundùm aliquã rationem in realem perfectiuam. Licèt igitur quandoque ascendendo abstrahatur verè materia composita à forma, vel formato, vt corpus ab animato, & secũdùm multos ab inanimato: tamen vlterior abstractio fit tantùm à ratione reali formali, & ita non statur in materia prima, sed in ente summè potẽtiali respectu rationum realium perfectiuarum; tale est ens communissimè sumptum. Genus autẽ communissimũ omnium naturalium, non tantùm à materia sumitur: sed etiam ab aliqua forma secundùm se indistincta, & perfectibili per omnes actualitates specierum sicut per rationes reales alias perfectiuas. Si autem omnino instas, quod à materia potest sumi prædicatum in *quid*, ex quo est de essentia rei, & ab illa forma, aliud prædicatum, & in *quale*, & ita de differentia. Respondeo, illud prædicatum à forma non contrahet prædicatum à materia, sicut differentia contrahit genus: quia vtrumque est & æquè commune: ideò à tali forma

Vnde sumitur differentia? Sco. 2. d. 3. q. 6. nu. 12.

Genus non sumitur semper à materia.

non contrahente, sed contrahibili si accipiatur prædicatum erit genus, & in *quid*: ita potes habere tria genera prima materialium, sed vnum totale includit duo partialia. Ideò sufficit illud vnum, & neutrum aliorum ponitur genus: quia genus propriè dicitur, quod importat totum potentiale speciei contrahibile per differentiam vlteriorem. Sed quare est vna forma secundùm se indistincta, quæ immediatè inest materiæ primæ, quæ cõtrahitur per omnẽ formã remotior, sicut per rationem eandem, nisi ponatur similiter in omni genere descendendo vsque ad specialissima? Respondeo, omnis forma informans materiam primam habet vnam rationem realem imperfectissimam, & potentialissimam, quæ constituit perfectibile per aliam rationem eiusdem formæ actualiorem, & perfectiorem. Sic saluatur illud: *Inter potentiam, & actum primum est proportio*: secundùm indistinctionem primæ rationis realis ab illa sumitur genus primũ materialium simul, & à materia, vt genus totale secundùm prædicta. Quarumcunque igitur specierum formæ specificæ solæ perficiunt rationem primam immediatè, ad illas à genere primo materialium descenditur tantùm per differentias perfectionales, quandoque per partiales; quandiu itur in vna forma, per perfectionales; quando ibi statur, & habetur materia composita, additur differentia partialis *in qua*; quandoque potest vlterius iri, secundùm perfectionales, sicut in animali vltra corpus. Ad secundum, per idem patet. Ad tertium dico; quod ista ratio realis à qua sumitur generalissimum, quod est *Substantia*, est simplex negatiuè, id est, non includens compositionem, non contrariè, id est, repugnans compositioni. Quòd autem differentia addat totalitatem essentialem, non est inconueniens, quia totalitas essentialis contrahit partẽ perfectionalem, sicut quandoque partem essentialem potest contrahere totum perfectionale.

ANNOT. MAVRITII.

14

SEquitur quæstio decima nona de comparatione conceptus generis, & differentiæ, atque speciei respectu vtriusque secundùm identitatem, vel diuersitatem, t. c. 43. quæ vt prius notaui, posset congruè præcedere duas præcedentes, vel saltem immediatè præcedentem: quæ etiam pulchra est, & subtilis, ac verè metaphysicalis.

In principio solutionis adducit modum dicendi Thomæ in tractatu de natura generis, & impugnat consequenter satis euidenter: licet quidam conantur euadere argumenta ex fundamentis Thomæ suo modo.

Infra ibi: *nota quòd sicut idem numero*, &c. vsque illuc: *secundo modo conceptus illi*, &c. assignatur vnum paruum *Extra*: & aliud infrà, ibi: *Nota, quòd hic videtur exprimere*, &c. vsque illuc: *Ista opinio non negat*, &c. & ibi tange illud, quod dicit: patet responsio, &c. qualiter patet exprimendo, vt nosti.

15

Propter maiorem expressionem illius opinionis in 4. art. solutionis, de differentia intentionis sciendum, quòd Henr. & Thomas etiam videtur ponere differentiam intentionis, tanquam mediam inter differentiam realem, & rationis, maiorem, videlicet secunda, & minorem prima, & reperitur illa triplex differentia, tam in diuinis, quàm

quàm in creaturis secundùm eos. Realis enim differentia est inter subiectum,& accidés in creaturis; in diuinis verò inter personas. Rationis autem differentia in creaturis est inter diffinitionem,& diffinitum; in diuinis inter abstractum, & concretum,vt inter bonitatem, & bonum,inter essentiam etiam secundùm Henr. & proprietates originis: intentionis verò differentia in creaturis habetur inter genus, & differentiam; in diuinis inter attributa, vt inter bonitatem,& sapientiam. Vide VVar. in primo. di. 2. q. 3. & di. 8. q. 1. & di. 45. optimè ad hæc,& Petrum de Aquila in 1. di. 3. q. 1. Incidentaliter verò habentur in 2. huius, di. 1 q. 5. & di. 5. pri. q. 2. & di. 8. eiusdem q. 3. aliqua verba de hac differentia, vide Henr. in Summa. artic. 2. q. 23. & 24. & quodlibeto 8. q. 9. & quodlibeto 9. q. 1. & 2. & quodlibeto 11. q. 3. & quodlibeto 5. q. 1. & 3. & quodlibeto 13. q. 1. & alibi pluries ad propositum exprimendum. Primò ergo impugnat opinionem de differentia intentionis; consequenter dat sibi intellectum sanum, & sustinet eam, & soluit motiua in oppositum adducta: sed instat finaliter eam excludendo totaliter à proposito: vltimò alium subtilem modum dicendi adducit, vbi omnia verba mensurabis, & est sua propria atque Varronis. Quære 8. d. pri. q. 3. & 2. di. eiusdem, & in Reportatis in prolo. & alibi, & apud sequaces huius copiosè. Vbi aduerte de gradibus distinctionis realis, & rationis in quodlibeto q. 13. & in primo, vbi suprà, & fundamentis generis, & differentiæ ex parte rei, & quare nec Deus, nec aliquid formaliter dictum de ipso, sit in genere, & continentia vnitiua, & in fine notabis valde illa verba. *Qui potest capere capiat*, & suprà ibi: *quemadmodum alibi habetur: quod quicquid perfectionem*, &c. considera an sit *Extra*, vel vbi est illud alibi, in Sententiis enim potest reperiri, vbi suprà, sed suprà lib. 4. & in Theorematibus Quære hæc, & vide ad propositum in Logicalibus huius egregiè super Porphyr. c. de genere, q. 3. vel 4. computando quæstiunculam de loco & q. 7. & in Antepraedicamentis q. 7. & in primo vbi suprà, & in 2. dist. 3. q. 6. & di. 16. & in 4. di. 46. q. 3. & primo Reportationum di. 45. q. 2. & notabis differentiam continentiæ actualis, potentialis, virtualis, vnitiuæ, & eminentialis. Nominales, & alios de via communi inquire.

16 Breuiter hìc tene, quòd conceptus generis ex parte rei distinguitur ad minùs formaliter à conceptu differentiæ, & ex natura rei à conceptu speciei: sed an formaliter considera: & adde plura hìc, vt nosti. Quod addit in solutione 3. principalis, ibi, quære alibi exempla de manuato, & capitato, &c. Vide in quæst. super Porphyrio. ca. de Genere quæst. 3. & originaliter in Auic. vbi ibi notaui. Cætera quæ ibi tanguntur in obiectionibus, & solutionibus vigilanter valde notabis, quia singularis, & subtilissima consideratio, & maximè ea, quæ dicit de materia totali, & partiali, & de conceptu generis, & correspondentia eius ex parte rei, &c. In solutione etiam primi principalis pondera mentionem, quam facit, de expositione textus, vt suprà.

Ampliùs autem est ita manifestum, impossibile enim substantiam ex substantiis esse inexistentibus, sic vt actu. Duo namque sic actu, nunquam sunt vnum actu: sed si potestate duo fuerint, erunt vnum: vt quæ duplum ex duobus dimidiis potestate.

Tex. comment. 49.

Manifestum est, autem quòd substantiarum esse existimatarum plurimæ, potestate sunt, vt ipsæ partes animalium. Nihil etenim separatum est: quando autem separata fuerint, tunc entia sunt, vt materia omnia, terra, ignis, & aër.

Tex. comment. 56.

QVÆSTIO XX.

Vtrùm partes organicæ animalis habeant distinctas formas specie differentes?

Alens. 2. *p. q. 62. memb. 2.* D. Tho. 1. *p. q. 76. art. 4.* Caiet. *ibid.* Auers. 6. *Phys. comment.* 59. & 2. *Metaph. tex.* 17 Henric. *quodlib. 2. q. 2. quodlib. 4. q. 13.* Capriol. 2. *dist.* 15. Ferrar. 2. *contra Gent. cap.* 58. Barguis 1. *dict.* 30. Durand. 1. *dist* 9. *q.* 1. Gregor. 2. *dist.* 16. *q.* 2. Ægid. *in tract. de pluralit. formarũ* Ant. And *hic. q.* 17. Tronbet. *lib.* 8. *huius q.* 2. Paul. Venet. *in summa de anim. cap.* 5. Bann. 1. *de Generat. c.* 4. *q.* 8. *art.* 4. Marsil. *ibid. q.* 6. Herueus *tract. de pluralit. formar.* Fonse. 2. *Metaph. cap.* 2. *q.* 1. *sec.* 8. Suar. *disp.* 15. *Metaph. sec.* 10. Conimbr. 1. *de Generat. cap.* 4. *q.* 22. vide Scot. *in* 4. *dict.* 1. *q.* 3. *a.* 2.

1 QVòd non: ex duobus in actu non fit vnum, in litera t.c. 49. duo actus constituunt duo in actu; igitur, &c. Item, ex duobus numero nõ fit vnum; ergo nec ex duobus specie. quæ magis differunt. Item, diuersa specie, non continuantur; quæ enim forma perficeret materiam, quæ subest termino continuanti? animal est vnum continuum 5. huius. cap. de Natura. vnum sunt, secundùm quòd continuum, ad natum, & cui nascitur; ergo & hìc. Item, vnam formam substantialem ordine naturæ sequitur vna forma in materia: forma alimenti est vna, quam consequuntur immediatè formæ partium organicarum: quia quælibet pars organica simul nutritur, ergo, &c. Item, diuidatur vermis, vtraque pars manet animata: si in eis sunt diuersæ formæ specie, erunt animalia diuersæ speciei; ergo vermis priùs non fuit vnum animal: si in eis est vna forma speciei; ergo & priùs in toto. *Tex. ca. 5.*

Contrà: mouens, & motum sunt duo in actu: vna pars mouet aliam partem animalis. Item, accidentia magis diuersa insunt partibus diuersis organicis, quàm sint diuersa accidéria multorum specie differentium. Item, operationes indicant formas: sed diuersas habent operationes specie partes organicæ. Item, diuersa mistio in diuersis partibus; ergo alia forma. Item, in omni parte misti omnes sunt formæ elementares, secundùm aliquos: & tamen mistum est vnum; ergo magis est hìc.

SCHOLIVM I.

OPINIO *ponens plures formas organicas distinctas in animali suadetur, & aliqualiter respõdetur probationibus. Explicatur triplex modus, qua*

quo defendi possit, & singuli impugnantur, de quo latè Doctor 4. d.11.q.3. nu.18. & à nu.33. sed in fine quaestionis respondet impugnationibus, assertiuè tenens hanc opinionem.

2 Opinio, quòd sic: quia pars animalis separatur ab animali, sine generatione: & non manet in actu per formam totius post separationem; ergo per aliam, quam priùs habuit. Antecedens patet, tum, ad sensum, si os extrahatur de corpore animalis.

EXTRA. *Respondetur, quòd generans vniuersale inducit aliam formam: quia aequiuocè dicitur secundùm aliquos os viuum, & mortuum.*

Tum, per rationem, quia abscindatur aliqua pars carnis successiuè à corpore animalis, successiuè amittet animam & acquiret successiuè aliam formam, si nõ manet illa, quam praehabuit.

EXTRA. *Hoc autem non cogit, quia successio est ibi in amittendo animam simul cum diuisione.*

Item, forma eadem videtur aequè conseruatiua sui à corruptione: corrumpitur autem tota caro: & putrescit osse manente, non corrupto.

EXTRA. *Hoc non cogit, quia conseruatio maior potest esse propter alia accidentia.*

Item, formam carnis sequitur ordine naturali in materia, forma substantialis alia ab illa, quae sequitur formam ossis. Patet in putrefactione cadaueris, in generatione aliorum ex ipso; igitur formae à quibus sunt istae generationes sunt aliae specie.

EXTRA. *Hoc non cogit quia ex eadem parte carnis per putrefactionem possunt plura generari.*

Ista opinio si ponat aliquam vnitatem in animali, praeter aggregationem, quomodo vnus est aceruus lapidum, oportet quòd vno trium modorum ponat: vel quòd eius vnitas sit ab vltima forma, scilicet anima sensitiua, quae sit similiter vna specie in toto, licèt extensa per accidens ad extensionem totius: vel quod ante istam, ponatur vna forma misti, quae sit dispositio ad sensitiuam: vel tertio modo, quod nulla est ibi vna forma specie, sed tantùm multae specie ex quibus integratur vna forma, à qua est vnitas compositi. Sed tertium membrum videtur contra Aristotelẽ in fine septimi. t. c. 60. quomodo enim ex materialibus partibus secundùm ipsum, hoc est, ex integralibus, est vnum nisi per aliquid, quod sit actus respectu eorum, ita quòd illa integralia simul iuncta, nunquam videntur esse, nisi vna pars essentialis alicuius vnius. Aliorum modorum primus ponit minorem vnitatem, secundus maiorem. Vterque improbatur per hanc rationem: Vnius perfectionis est vnum perfectibile praesuppositum, ita quòd illa propria vnitas vnius perfectibilis, praesupponitur vnitati perfectionis: nec est ab ea quam talem vnitatem dabis perfectibili sensitiuae, secundum primam viam; vel perfectibili formae mistionis, secundùm secundam; non videtur possibile. Confirmatur prima propositio: quomodo enim improbatur vna forma totius vniuersi, ipsâ negatâ, vel quorumcunque disparatorum; Item, generatio animalis ex semine, est vna; ergo sicut terminus à *quo* est vnus, ita terminus ad *quem*, praecipuè si vni formae tantùm vna succedit naturaliter. Item, transubstantiatio panis in Corpus Christi, est vna.

Modi tres ponẽdi formã corporeitatis.

SCHOLIVM II.

Opinio D. Tho. & Thomistarum vnam tantùm formam esse in toto, suadetur, & explicatur, sed postea reiicitur, & iuxta mentem Doctoris, forma corporeitatis asseritur, de qua fusè agit 4. d.11.q.3. à nu.33. Vide ad hoc multa, quae adduxi disp.1. sect.4. de Anima, & Anton. Andream hîc, quaest. 17.

3 Opinio alia, quòd forma misti praecedens animam si esset alia, ipsa esset vna totius, virtualiter in se continentis perfectiones multas, secundùm quas perficeret diuersas partes materiae: & constitueret diuersa organa incompleta, scilicet principia imperfecta: & quasi remota operationum diuersarum: quare si sensitiua animalis bruti ex perfectione sui includat perfectionem talis formae misti, & praeter hoc propriam: poterit esse vna realiter: & multiplex virtualiter, & secundùm diuersas perfectiones virtualiter cõtentas tam proprias sibi, quàm formae misti, si eam includat, poterit diuersas partes materiae perficere, & diuersa organa perfectè constituere. Confirmatur, quia vnitas videtur ponenda quantùm est possibile, nunc autem maior distinctio apparet in operationibus, & in aliis correspondentibus organis, inquantum animata sunt: quam inquantum sunt sic, vel sic mista; & tamen perfectiones eorum, quae sunt inqnantum animata sunt; non ponuntur diuersae formae substantiales integrantes vnam animam sensitiuam, etiam secundùm illos, qui non ponunt potentias esse accidentia: igitur nec oportet talem diuersitatem ponere in forma misti: & si non in oculo, & aure, pari ratione videtur, quod nec in carne, & osse. Secundò, confirmatur per illud 2. Caeli, & Mundi, t.c.62. & inde, de ordinatione entium secundùm multas, & paucas operationes: quaere ibi. Sicut igitur in corruptibilibus perfectius ens habet plures operationes, ita videtur, quòd forma, quae est perfectior, sit principiũ talium. Ex hoc apparet, vt videtur, quare anima requirit corpus habens partes heterogeneas, vt sint apta instrumenta multarum operationum: quarum ipsa est principium, quas non posset per vnum instrumentum exercere; & ideò tale corpus habens partes huius, vocatur organicum, & ita est si aliqua disponat immediatè ad talem formam, videtur quòd sit vna realiter: licèt ergo ponerentur in composito multae formae ordinatae, non tamen multae partiales.

EXTRA. *Hoc dicitur ad oppositum: quia perfectius plurium operationum est principium cum minori diuersitate; ergo sensitiua magis vna, quàm forma misti; & licèt sensitiua sit principium multorum, non forma misti, nisi materialiter, & dispositiuè: non tamen possunt perfectiones vnitiuè contenta in sensitiua, ad seipsas materialiter disponere: nec ita oportet eas differre, sicut formas disponentes imperfectiores.*

Tertiò, confirmatur positio sic: sicut aliquid est ens, ita & vnum; ergo perfectiùs ens est perfectius vnum. Respondeo: intensior vnitas non semper magis excludit differentiam aliquorum in vno.

4 Contra istam opinionem quare forma vna dat huic parti materiae hanc perfectionem, & non illam, quam tamen aequaliter continet? Respondetur: in forma homogenea, vt ignis, quare illa pars quantitatiua

4 *Quare eadẽ forma dat vni parti materiæ vnã perfectionem, & aliam aliis?*

quantitatiua datur huic parti & materiæ, & illa illi?Facilius videtur in proposito responderi, quia partes sunt aliter dispositæ, vel per formam imperfectiorem; vel per formas corrumpendas; vel per qualitates in partibus corrumpendi: ideò diceretur formam dare aliquam perfectionem vni parti, quam alteri. Contrà: forma omnem perfectionem virtualiter contentam, dat omni parti materiæ, quam perficit: Exemplum, intellectiua si continet sensitiuam & alias, omnis pars materiæ,quæ perficitur intellectiua,perficitur aliis contentis. Respondetur, quòd quædam forma habet totalitatem quantitatiuam, & si per accidens, & hoc sine totalitate virtuali: exemplum albedo. Quædam totalitatem virtualem sine quantitatiua omnium:exemplum,anima intellectiua. Quædam vtrumque simul; exemplum in proposito de forma misti,si ponatur cum sensitiua,aut de sensitiua, si continet illam. Quod accipitur in obiiciendo, conceditur de secunda totalitate, non de tertia: quia licèt ibi præcedat naturaliter totalitas virtualis illam aliam, tamen in perficiendo materiam secundùm illas perfectiones, distinctè poneretur necessaria alia totalitas: quia non est eadem pars materiæ capax perfectionum istarum distinctè. Possent igitur dari quatuor signa. In primo est talis forma habens totalitatem virtualem tantùm. In secundo perficit totam materiam, vt primum perfectibile, constituendo compositum sine pluralitate perfectionum distinctarum. In tertio, materia intelligitur extensa, & etiam forma ista per accidens. In quarto, intelliguntur partes materiæ perfici perfectionibus virtualibus formæ, & hoc distinctè.

5 *Ideò aliqua incompossibilia in tertio, quia in se talia.*

Contra ista: si perfectiones aliquæ virtualiter contentæ sunt incompossibiles in materia, igitur & in forma continente. Probatio consequentiæ: nunquam est incompossibilitas aliquorum, vt insunt tertio, nisi quia inter se sunt incompossibilia: vnde si album, & nigrum non essent inter se repugnantia, quin secundùm proprias rationes simul essent in aliqua essentia continente, vt rubore, secundùm proprias rationes possent idem perficere. Item, quæ est differentia huius opinionis subtilis, quæ videtur sequi rationem; & primæ, quæ videtur grossa, & est sensui consona? Nonne prima ponit vnam formam misti habentem multas formas partiales, non propriè quantitatiuas? quia accidit, quòd vna sit extra aliam, cùm sunt res diuersæ, & si perficiant, aliam partem materiæ perficient: nec forma tota, quæ est ex eis,poterit materiam perficere, nisi habentem partes diuersas, secundùm quas diuersæ partes formæ perficiant. Si compares totam formam ad totam materiam,& partes ad partes, quæ in perficiendo sit naturaliter prior? tota s. an pars? æquiuocatio erit, quia tota prioritate perfectionis; pars prioritate generationis. Quid vltrà potest secunda opinio ponere, si maiorem vnitatem ponat in tota forma respectu partium, quam istam. vt s. forma non habens partes reales, perficiens materiam non habentem partes realiter diuersas, in quocumque nunc naturæ perficiat illas partes? Cõtradictio videtur,vt deducit prior ratio.

Præfert secundã opin. quam habet 4.d.11.q.3.

Sic ergo teneatur prima opinio. Et confirmatur sic, secundùm Philosophum; cor primò generatur etiam tempore ante alias partes animalis: & esset assignare in generatione animalis (loquendo de tota) multas mutationes completas ad multas formas partium, vnam ante aliam tempore;ergo si animalis est tantùm vna forma misti, vel generatio illius est motus prolixissimus,immò multi motus consequenter se habentes, vel multæ mutationes, inter quas cadunt multi motus habentes illas pro terminis; quorum vtrumque videtur inconueniens, ponendo vnam formam omnium partium animalis.

De partib. animal.lib 3. cap.4.

Plures esse formas in animali.

SCHOLIVM. III.

Ad tertium, quod ait diuersa specie continuari, intelligi debet de quantitate, quæ perinde se habet in vno, & diuersis modo non separentur ab inuicem; & fortè loquitur in sententia tenente eandem quantitatem manere in genito, & corrupto, de quo agit 2.d.3. q.4. num. 10. & 17. licèt magis ipse inclinet in oppositam partem. Tenendo autem quantitatem subiectari in composito, & variari in genito & corrupto, etiam diuersa specie continuantur quandòque, vt in aggeneratione, in cuius singulis instantibus quantitas rei genitæ terminatur intrinsecè termino illo, ad quem actio peruenit, & reliqua quantitas tantùm extrinsecè terminatur, quia non potest pro eodem instanti alius terminus intrinsecus in ea resultare, alioquin in singulis instantibus continua aggenerationis tot noua superficies resultarent, & statim desinerent; Item, illæ quantitates in singulis instantibus essent contigua, & simul mutatio fieret continuè, quod repugnat. Dicendum ergo, si aggeneratio est continua, vt in exemplo de manu arescente, si teneatur aliam formam induci dum moritur, quòd vna forma intrinsecè, alia verò extrinsecè terminetur in singulis instantibus, alioquin vnum punctum materiæ simul subesset duabus formis specie distinctis contiguis: ad eundem modum continuantur alba pars, & nigra, eiusdem virgæ; & necesse est alteram tantùm intrinsecè terminari, alioquin in linea continuante superficiem simul inhærerent albedo, & nigredo: illa autem forma, quæ de nouo introducitur, & eius agens, impediunt, ne indiuisibile resultet in altera. Dices, igitur quantitas in casu, non erit continua, quia non habet terminum communem; nec contigua, quia non habet duo vltima, quæ sunt simul. Respondetur, in rigore ita esse, sed illo casu erit medium inter vtrumque, & hoc sensu continuum, quia non contiguum, vt hic ait Doctor: si tamen teneatur quantitatem non variari in genito, & corpore, in rigore erit continua, iuxta hæc, intelligitur axioma 5. Met. tex. 89. Quæ specie differunt non possunt esse continua, *& quomodo partes animalis continuantur, quia formæ partium non possunt habere vnum terminum communem, habent tamen maiorem vnitatem contiguitate,vt hic ait Doctor, & hoc videtur esse quod dixi, alteram intrinsecè, alteram extrinsecè terminari. Vide Suar, in Met.disp. 40. sec. 5. à num. 55.*

Fons ille de quo hic loquitur Doctor ad lacum Each, in Tyronia Boreali Hiberniæ parte traditur esse: ego sæpiùs ab incolis circumuicinis audiui, frequenter reperiri in illo lacu lignum, cuius infima pars est lapis, media ferrum, & suprema lignum, in vna tamen specie ligni id obseruatum est, de quo, Cambren. in descript. Hibern. locus ille in Hibernia, in quo (vt ait hic Mauritius) nullus moritur, est in Prouincia Momoniæ, & vocatur insula viuorum: moribundi tamen ibi agonizant,& quia sic viuere tadet,deportantur extra insulam,vt vitam finiant, quia intra eam mori non possunt.

De auibus illis, quæ secundùm eũdem nascuntur ex arboribus, quod scribit, res est vulgaris. In Patria Occhani in eadem Tyronia, iuxta mare, frequentissimæ sunt, quas, & ego sæpissimè vidi: sunt autem duæ, vel tres species harum auium ex diuersi generis arboribus nascentium, quarum vna ferè ad magnitudinem ferorum anserum (qui etiam ibi sunt frequentissimi) accedit, à quibus figura non multùm differt, de quibus videri possunt Cambren. suprà, Ioan. Leslæus in descript. Scot. & Hector Boëtius. Quod verò in Hibernia nullum sit animal venenosum, vt ait Mauritius, præter quotidianam experientiam, id testantur V. Beda lib. 1. hist. cap. 1. S. Isidor. l. 14. etym. cap. 6. Vincent. l. 6. Spec. Hist. cap. 19. Iocelin. c. 108. vitæ S. Patritij, Tiræus, Orosius, Solinus, Sabel. Polidor. Molanus, Maiolus, & alij. Sed hæc quia ad metaphysicam non spectant, missa faciamus. Multa his magis miranda habuit Hibernia, olim sanctorum insula nuncupata, teste Iocelino supra c. 174. quam, prô dolor! à multis iam annis, deformare studuit inimicorum Ecclesiæ perfidia, & peruersis erroribus deprauare: sed Dei gratia, & Sanctorum suorum patrocinio, aliquem adhuc pristini ardoris igniculum retinens, fidem saltem maiorum, contra quotidianas hæreticorum persecutiones fidelissimè, constantissiméque seruat, ita vt vicinis insulis, & regionibus iamdudum in fide corruptis, in hæretica permanentibus peruicacia, Hibernia in Catholica semper fide virgo vsque adhuc in Ecclesiæ Sanctæ obedientia, inuiolata permaneat.

6 Ad primum argumentum dicendum, quòd maior est vera, quando illa duo sunt in actibus vltimatis, ita quòd illa actuata non sunt capacia vlterioris actualitatis, quales non ponuntur partes illæ. Ad secundùm, quantò aliqua sunt magis vnũ in participando vnã rationẽ, tantò minùs nata sunt vniri, vt ex eis fiat vnum; ergo, consequentia non valet. Ad tertium negatur maior, quia manus arida continuatur carni viuæ, vel ramus arbori: sicut ligno lapis secundùm aliquos de fonte conuertente lignum in lapidem. Habetur in Hibernia, seu Scotia maiori. Ad probationem maioris si punctus ponatur priuatio vlterioris longitudinis, & sic linea vlterioris latitudinis, & superficies profunditatis, non est difficultas, quia forma nihil perficit sub puncto, nec linea, sed tantùm sub quantitate corporea. Si autem ponãtur linea & superficies, & punctus aliqua alia positiua: quia & corpus in cuius diffinitione cadũt, est aliquid positiuum ex 3. Metaphys. t. c. 7. difficile est argumentum: quia non sunt in materia sine forma substantiali, nec cum formis oppositis. Tunc etiam non oportet omnem formam substantialem requirere determinatam quantitatem in materia, imò nec aliquam, quin possit non quantam perficere. Aliter minor negatur, & ponitur, quòd vnitas partium animalis est maior vnitate contiguitatis, & minor continuitate. Primũ patet, quia fructus auulsus non nutritur. Secundum patet in summitatibus ossium, vbi dicitur fieri continuatio per cartilaginem, post decoctionem, videtur cartilago separari, non relinquendo signa continuationis. Contra hoc ergo animal vnum, est multa animalia, quia multæ substantiæ sensibiles. Respondeo, anima est primò perfectio animalis per se, & non primò partis animalis: ergo substantia animata sensibilis primo est animal, non sic pars. Ad quartum respondeo, maior videtur vera, quia generationem præcedit alteratio propria, quæ non potest recipi, nisi in substantia determinata. Minor falsa, quia alimentum est alterabile secundùm diuersas partes diuersis alterationibus præuiis diuersis generationibus. Aliter dicendum, quòd sicut est vna forma principalis generãtis secundùm quam agit, ita & vna est principalis terminus generationis, aliæ sine quibus nõ est illa, sunt termini nõ principales. Exemplum; quando animal generat animal, secundùm aliquos generat formas quatuor elementorum: non tamen vt principaliter intentas: sed necessarias propter formam misti principaliter intentam.

Indiuisibilia esse positiua docet 2. d. 2. q. 9. nu. 27.

Vtrùm animal sit contiguũ vel cõtinuum?

Vna forma est terminus principalis generantis?

7 Ad argumenta contra primam opinionem: quia illa opinio tenetur, respondendum est. Ad primum vnius perfectionis, &c. Respondeo, partes materiales, quæ vocantur elementa in fine t. c. 60. non habent tantam vnitatem, antequam recipiunt formam, quantam habent à forma; sicut *A* & *B* in se quantam habent à forma syllabæ. Sufficit igitur respectu formæ illuminatæ aliquo modo vnitas ordinis in partibus materiæ scilicet quòd tota materia ex illis ordinem habeat ad talem actum, vt formam adæquatam, respectu cuius nulla pars materiæ esset potentia adæquata. Ad illud de anima mundi, dicitur, quòd non est vna forma; quia tunc vniuersum esset imperfectũ quocunque indiuiduo corrupto. Contrà: nunquid animal imperfectum quacunque carnis parte amota? nonne indiuidua in vniuerso ponerentur, quasi partes homœomereæ, & species quasi anomœomereæ? Aliter arguitur, quod operatio arguit formam: igitur vbi vltra proprias operationes conuenientes partibus secundùm proprias formas, videmus aliquam vnam operationem cõmunem: sicut in animali sentire, ibi concludimus formam totius actuantem omnes partes. Communiter in partibus vniuersi vltra proprias operationes conuenientes eis secundùm proprias formas, nullam videmus aliam communem, vt in igne, & aqua vltrà calefacere, & frigescere; ergo, &c.

Vnius perfectionis, vnũ perfectibile exponitur.

Quare non detur vna forma vniuersi?

Ad illud de vnitate generationis animalis, patet per confirmationem primæ opinionis de generatione cordis ante alia, & hoc loquendo de inductione formarum partialium mistionis. Si autem generatio animalis dicatur inductio sentire, illa est vnica in vnico instanti: nam simul potest quælibet pars secundùm formam mistionis, esse dispositio ad receptionem sentire, eo modo, quo est eius receptiua, licèt non possit simul semen esse dispositum ad omnes formas partiales mistionis. Vnde nota, quòd non simul inducuntur formæ misti, tamen sensitiua tota simul in vltimo instanti completæ organizationis: nec simul forma misti cum sensitiua. Ad argumentum pro secunda opinione. Ad primum de maiori distinctione operationum continentium sensitiuam, quam formam misti: Posset dici quod, &c.

ANNOT. MAVRITII.

Sequitur quæstio vicesima de pluralitate formarum. t. c. 49. & 56. quæ famosa valde est, & litigiosa: sunt enim materiæ communiter currentes hoc tẽpore in quibus magna dyscolia habetur, de primo videlicet cognito, de pluralitate formarum,

formarum, de vniuersalibus realibus, de vniuocatione entis, de principio indiuiduationis. Apud Theologos verò curiosósque magnates de æternitate mundi, immortalitate animæ, atque futuris contingentibus, præscientia, & prædestinatione, famosa quæstio habetur: quæ quantò magis ventilantur, tantò difficilius comprehenduntur.

Hanc materiam copiosè habet in 4. di. 11. q. 3. & in 3. dist. 2. & 4. aliqualiter, & in 2. dist. 18. & alibi sæpiùs incidentaliter.

Aduerte, quòd hæc quæstio in aliquibus originalibus solet poni 4. lib. 8. sed licèt ibi habeat locum, hîc etiam non minùs valet.

In principio solutionis ponit opinionem, quam sequitur finaliter in hac quæstione, quam etiam Henr. de Gan. in multis quodlibetis habet vt suprà notaui, & quàm dilatant Nominales nimis, & sequuntur Auicembron etiam, & Linconiensis, & Ioannes Iandunus, & plures alij habent idem, pro qua arguit notanter, Vbi aduerte, quòd euasiones ibi additę immediatè ad argumenta, notantur *Extra*, vel additiones; & si volueris eas legere adhuc consequenter replicas sustinendo opin. illam, vide in 4. vbi suprà, & apud alios Graduatores formarum. Quære in quæstione trium principiorum copiosè hîc.

Deinde declarat illam opinionem notanter, & qualiter defendi possit, & vltimò eam impugnat secundùm omnem intellectum satis notanter: sed in fine quæst. 1. motiua soluit.

9 Consequenter ponit secũdam opinionem quæ est Thomæ, & videtur etiam Alberti, & Ægidij, & multorum sequacium. Quære Thomam 1. par. q. 76. & 77. & in 4. di. 11. artic. 1. & di. 44. & in primo scripti, di. 8. & in libello de natura generis cap. 17. & in q. de potentia. q. 3. & in quæstionibus disputatis. Quære Heruæum quodlibeto 2. q. 10. & quodlibeto 4. q. 10. quære Varr. & alios minores, vt nosti, & modernos Parisienses, & Nominales, & specialiter Ocham quodlibeto 2. q. 10. & 11. & super Sententias, & Auicen. & alios Medicos.

Adducit consequenter motiua pro illa opinione apparentia, sed addit euasiones bonas, vbi assignatur quoddam *Extra* ibi, *hoc ducitur ad oppositum*, &c. vsque illuc. *Tertiò confirmatur*, &c. sed est satis bona litera.

Deinde impugnat illam opinionem, & vltimò concludit cum prima opinione quid tenendum sit, & motiua in oppositum soluit, vbi Doctoris sententia est satis clara, & singularis, vt in locis allegatis suprà prolixius habetur, quam confirmabis multipliciter ex antiquis, & modernis. Vide Commentatorem 6. Physicor. Commento 57. & alibi: sed instantias plures adducere potes. Vide in 2. di. 15. argumentum ad hominem sed faciliter euaditur, licèt habeat bonam apparentiam. Considera etiam hîc quot sint ponendæ formæ totales, & partiales, & à qua forma est vnitas animalis, & plura alia difficilia pertractabit hîc curiosus lector: quia materia copiosa est, & solutiones argumentorum principalium, & opin. examinabis diligenter.

Propter illud, quod tangit infrà exemplariter de ligno continuato lapidi in quodam fonte, &c. aduerte, quòd ille fons est in Hybernia, seu in Scotia maiori, aut Irlandia in partibus Septentrionalibus Insulæ: lignum enim affixum illi aquæ ad limum vsque inclusiuè, peracto determinato tempore reperitur tripartitum, cõtinuum tamen: nam pars supereminens aquæ remanet lignum, pars media ferrum, & pars infima lapis, & hoc non mirum est respectu aliorum plurium, quæ in hac Insulà inueniuntur. Nam ibi locus est, in quo nullum animal mori potest, quamdiu ibi deget. Sunt & arbores ex se generantes aues ferè anserũ syluestrium quantitatis: sunt alia loca in quibus cadauera illico resoluuntur: & alia, in quibus perpetuò manent illæsa; est etiam tota terra immunis ab omnibus venenosis, immò tanquam remedium cõtra ea vbicunque feratur. Plura alia quærantur apud antiquos. Quære Consiliatorem 10. particula problematum, in commento problematis 7. Taceo incolarum virtutes, & mores ne assentari nostratibus videar: animi tamen nobilitate, & armorum vehementia, cæteros excellere, asserere non ambigo: hæc à Metaphysici speculatione aliena sunt, sed propter exemplum exemplariter hactenus dicta.

10 Infra ibi: *vnde nota quòd non simul*, &c. vsque illuc: *Ad argumenta 2. opinionis*, &c. assignatur *Extra* in aliquibus, sed litera satis bene est ad propositum.

Aduerte consequenter ibidem ad solutionem illam, quam omittit inceptam tantùm, ad primum argumentum secundæ opin. quære in 4. vbi suprà, & nota ibi, quæ forma, & cuius operatio in alia potest contineri, & quæ non. Breuiter potest negari, & formam mixtionis, & operationes consequentes eam posse contineri in aliqua anima, considera tamen instantias de forma corporeitatis pertractabis secundùm varias opiniones vt nosti.

Aliam vltimam quæstionem Ant. And. hîc disputauit de composito, quæ non est multum necessaria, habito suprà sufficienter de termino generationis, quo, & quòd, & infrà q. vlt. 8. lib. habetur sufficienter; sed pro quanto tangit de 3. entitate notabilis est. Totum accepit ex 2. di. 3. quæst. 2. & aliis sequacibus huius, vbi Comment. imaginationem impugnabis ex propriis dictis plerumque.

LIBER OCTAVVS.

Hic Liber videtur magis ad Physicum spectare, quòd in eo tractetur de principiis entis naturalis; verùm agitur de eis magis sub consideratione Metaphysica, quàm Physica, de quo suprà l.1.q.1. & postea l.9.q.4. de quibus Doctor quatuor quæstiones exactè disputat; quarum tres primæ formam accidentalem, & substantialem, vltima compositum concernit.

Nec quæcunque itaque natura quidem: non substantia verò non est his materia: sed quod subiicitur, substantia; puta quæ causa eclipsis: quæ materia, non enim est: sed luna, quod patitur: quæ causa vt mouens, & corrumpens lumen, terra.

Tex. commenti 12.

QVÆSTIO I.

Vtrùm accidens sit forma simplex, vel sit compositum ex aliquibus essentialiter diuersis?

Arist. *hic c.4.* D. Tho. *lect.4* Iandun. *q.8.* Fland. *q 8. art.1.* Fons. *c.4.* Soncin. 12. *met. q. 26.* Iauell. *ibid. q. 8.* Suar. *disp.13. Metaph. sec.1. num.3.* vide Scot *in 2. dist.16. & in 3. dist.2 q.2.*

1 *Tex. c. 22.* Qvòd sit compositum arguitur, quia ex 7.c.5. *materia est qua res potest esse, & non esse:* accidentia sunt corruptibilia; ergo, &c. Confirmatur: quia ex 9. ca.7. videtur haberi, quòd omnis simplex forma, & est tantùm in actu, & incorruptibilis. *T. c. 17. & inde.* Item, simplicitas perfecta est simplictier perfectionis in entibus. Quod patet, quia Deo summè attribuitur; ergo quod est simplicius est perfectius: nam in his, quæ sunt per se, si simpliciter, & magis ad magis: & èconuerso; accidens igitur si esset omnino simpliciter, esset perfectius substantia, quæ est composita ex materia, & forma. Confirmatur, quia ens diuiditur in causam, & causatum: ita quòd causatum tenet ibi rationem imperfecti, quia dependens est; ergo quod plus recedit à ratione causati, perfectius est: accidens si est pura forma, minùs causatum est, quàm substantia: quia tantùm habet duas causas extrinsecas, intrinsecam nullam: substantia autem composita magis causata est, & à pluribus dependet: quia à quatuor causis. Item, forma simplex subiectum accidentis esse non potest secundùm Boëtium de Trinitate. *Li.1.c 3.*

Et probatur, quia potentia prior, quæ scilicet est ad formam substantialem, priùs oportet quòd actuetur, quàm potentia secunda, quæ est accidens: sed multa accidentia sunt subiecta accidentium, vt linea recti, & curui: numerus paris, vel imparis, motus velocis, vel tardi. Hoc etiam vult Auicenna 2. Metaphysicæ, c. p. 9. *Tex. c.12.*

Contrà Philosophus in litera; accidentia non habent materiam *ex qua*, sed *in qua*. Item in sex principiis forma est simplex, &c.

SCHOLIVM I.

Opinio tenens accidens esse compositum, ex materia, & forma tripliciter probatur, sed tripliciter etiam reiicitur.

2 Opinio, quòd accidens est realiter compositum; propter tria. Primò, quia quod cum alio realiter côuenit, & ab eo realiter differt, est compositum ex duobus, in quorum altero conuenit, & per reliquum differt; nigredo, & albedo realiter differunt, vt patet; & realiter conueniunt, quia in colore, quæ non est conuenientia rationis, ex quæstione de cóceptu generis. Côfirmatur maior, quia simpliciter simplex à quocunq; distinguitur, videtur esse primò diuersum ab ipso, & non differens: vt patet de materia respectu formæ; species accidentium propriè differunt. Item, suprà in isto 8. cap.3. habetur, quòd omne diffinibile oportet esse compositum, per quod Arist. approbãdo Anthisthenicos improbat Platonis ideas; quod non erunt diffinibiles, si sunt formæ simplices. Oportet enim terminum esse rationem longam, secundùm ipsum; accidentia autem sunt diffinibilia secundùm ipsum in 7. tex. com.14. & 15. & inde. Nec obstat quòd ex additione diffiniũtur: quia propter simplicitatem non negatur eis diffinitio talis, qualis est diffinitio substantiæ: sed propter dependentiam ad substantiam. *T. c. 9.* Item, secundò principaliter sic: 1. Metaph. cap.2. diffusè tractat Aristoteles quòd sicut illa, quæ sunt in diuersis generibus, sunt simpliciter diuersa, ita & eorum principia propria, proportionabiliter tamen eadẽ: & hoc de materia, priuatione, forma, & mouente; ergo forma, quæ est in genere accidentis, habet proprium potentiale principium componens ipsum, & non tantùm subiectum, vt videtur: quia tunc non viderentur principia generum, ita esse alia, sicut sunt ipsa genera. *T. c. 19. & inde.* Confirmatur illud ex intentione Arist. in 7. c.8. t.c.32. vbi vult, quòd illa conclusio c.7. t.c.22. & inde. Quòd compositum generatur, vera sit in omni genere: ergo & in genere Qualitatis: si illud compositum esset tantùm ex subiecto, & accidente, cùm illud sit ens per accidens, non esset per se terminus alicuius motus, vt videtur Arist. velle in 6. cap.2. t.c.4. & inde, quia in nullo genere est: motus omnis videtur terminari ad rem alicuius generis, per quam & ipse in genere collocetur.

Item

Item 3. principaliter sic in 10. cap. 9. t. c. 22.& inde,vult Arist.quòd motus est inter formas eiusdem generis Physici,cuiusmodi sunt contraria,& media,& non inter formas alterius generis Physici, eiusdem generis: hæc dicuntur ex 5.t.c.33. quæ habent idem susceptiuum primum tale;ergo susceptiuum habent contraria, & media inter se idem, & non idem cum aliis alterius contrarietatis: puta omnes colores inter se, sed non cum sapore. Sed quodcunque subiectum,siue potentiale alterius generis à genere Qualitatis, sumatur istud, sicut est idem colorum, & ita etiam coloris,& saporis:vt patet de substantia,& quantitate, quæ vtraque eadem subest colori, & sapori;ergo illud susceptiuum penes quod distinguuntur genera Physica, in accidentibus est aliquid intrinsecum ipsis, & pars essentialis ipsorum.

3 Contra istam opinionem arguitur tripliciter. Primò sic, si albedo est composita, sint componentia *A* materiale,& *B*. formale: albedo informat subiectum aliquod, quæro aut *A* tantùm informat illud subiectum; aut tantùm *B*, aut vtrúque: si neutrum,ergo nihil informat subiectum. Si *A* vel *B* tantùm,ergo propria passio nõ inest primò, suo subiecto: sed tantùm per partem sui. Non vtrumque: probo primò de *A* quia tunc materia substantiæ cùm sit perfectior *A*, poterit aliquid informare, & ita in infinitum ire. Secundò probatur hoc de *B*, quia ita informat *A*,cuius capacitas adæquatur Actualitati *B*,alioquin non fieret vnum ex eis; ergo actualitas *B*,non extendit se ad subiectum. Confirmatur,forma substantialis, quæ perfectior est ipso *B*, nihil aliud à propria materia potest informare, nec perficere, vt informans. Ex prædictis etiam probatur,quòd non alterum tantùm. Quod etiam aliter probatur: quia si *A* tantùm; ergo *B* nihil informat, cùm quo non facit vnum per se, & ita omnino non est forma accidentalis. Magis etiam denominaretur subiectum ab *A* quàm à toto, vel à *B*:Si *B* tantùm, ergo *A* est, & non est in subiecto, & capax actus;ergo est materia substantialis. Item secundò sic: inter illa potest esse motus, quæ etiam habent idem susceptiuum proprium, & hoc circumscripto alio susceptiuo accidentali: patet de qualitatibus, & qualitate,siue substantia: duæ formæ duarum specierum contrariarum ex datis, habent idem proprium susceptiuum,& per se, quia eiusdem generis; ergo circumscripto subiecto, quod est susceptiuum accidentale, poterit esse motus inter species contrarias; sic igitur ex albedine fiet nigredo, sicut ex aëre aqua, quod est contra Arist. qui in multis locis vult subiectum esse ita necessarium in transmutatione accidentali, sicut materiam in transmutatione substantiali: & quòd ex albedine non fit nigredo, sed quòd ex albo fit nigrum. Si dicatur quamlibet formam accidentalem habere proprium susceptiuum, quod nullius alterius formæ sit capax; hoc videtur irrationale: tum, quia tunc forma accidentalis magis complet capacitatem sui receptiui proportionalis, quàm forma substantialis aliqua sui susceptiui, nisi fortè forma cæli, secundùm aliquos: & tunc sicut cælum ponitur incorruptibile,quare non ita & accidens compositum?Tum, quia si motus deberet esse inter contraria, oporteret, vt videtur, quòd subiectum primò moueretur ad susceptiuum proprium eius, quantùm ad formam susceptiui illius; & ita non esset primò motus inter contraria. Item tertiò; omne illud, quod est immediatum principium agendi: vt scilicet quo agens agit, videtur esse tantùm actus; ita quòd non includat duas res, potentiam, & actum: quia non esset quo primo agit; sed per partem primi, quæ est actus: accidens autem aliquod vt calor, & huiusmodi ponitur quo primo agens agit in aliqua actione, vt in calefactione, &c.

Accidens nõ habere materiam.

Si accidens haberet materiam,albedo fieret ex nigredine.

In hoc 7. t.c. 32. & alibi, & 1.Phy. & 1. de Gen.

Omne quo agens agit est actus.

SCHOLIVM II.

Accidens *esse omnino simplex,physicè loquendo, ita quòd nullam habeat materiam ex qua; & ratio est, quia secundùm Philosophum pluralitas est fugienda, si fieri potest, de quo Doct. 2.d. 16. & 3. d.2.q.2. non negat tamen compositionem Metaphysicam accidenti, immò concedit 1.d.8.q.1. Ad primum docet propriè totum generari, & corrumpi, de quo 4. d. 11. quæst. 1. num.24. & suprà lib.7. quæst. 10. Ad secundum, remittit se ad Theoremata in fine, sed 1. d.8. quæst.1. Ad primum explicat quando simplicitas est perfectior compositione, de quo etiam vide eum dist. 19. ad secundum.*

4 Aliter dicitur ad quæstionem, quòd paucitas semper est ponenda: quando per istam saluatur apparentia iuxta sententiam Philosophi 1.Physic. t. c. 50. commendantis Melissum præ Anaxag. propter paucitatem principiorum: natura enim nihil facit frustrà. Et ideò positio plurium semper debet dicere necessitatem manifestam, propter quam ponantur tot: nihil autem apparet in accidentibus,propter quod debeant poni composita ex duabus partibus essentialibus, communiter loquendo, vt patebit respondendo ad argumenta; ideò communiter negatur talis compositio, De quantitate tamen continua,& discreta, quæ videntur habere partes materiales, ac per hoc essentiales: quia nunquàm materiales constituunt vnum cõpositum sine forma alia ab ipsis. De his, inquam, est difficultas specialis,quæ alibi habet locum, scilicet in explicando descriptionem quantitatis, in 5. lib. Sed de aliis accidentibus sit hîc sermo.

Paucitas semper ponenda, nisi necessitas aliud cogat.

Ad primum principale respondeo, sicut *generabile* propriè est, cuius aliquid præfuit, quod postea est pars geniti, ex 7. c.5. t. c.22.& inde, ita & *corruptibile* est propriè, cuius aliquid manet post corruptionem, quod fuit pars corrupti; & ita tantùm compositum generatur,& corrũpitur in omni genere: & hoc compositum ex ista forma,quæ per generationẽ inducitur,& per corruptionẽ expellitur, & ex illo,quod transmutatur secundùm illam formam. Sicut autem in generatione substantiali, quod transmutatur est materia. Ita in accidentali, quod transmutatur est subiectum. Et ita compositum ex ipso,& forma accidentali, est per se generabile ibi, & per se corruptibile: per se, inquam, sicut ibi est per se generatio, & corruptio. Accidens autem sic non est corruptibile, sed vocando *corruptibile* quicquid per trãsmutationem naturalem non est,postquam fuit, sic accidens est corruptibile: & etiam forma substantialis materialis. Ad confirmationem respõsio in 5. habetur,ca.de Vno,tex.com.11. quòd indiuisibile est maximè vnum, & hoc si est substantia:quia ex tunc est ex se vnum, & incompossibile alteri: accidens licèt in se sit indiuisibile, est tamen compossibile alteri, sine quo natu

Compositum tãtùm per se generabile.

Quomodo forma est corruptibilis.

naturaliter non est; ideò licèt Philosophus diceret omnes actus primo modo simplices, hoc est, in se,& aliis incompossibiles,esse incorruptibiles; non tamen hoc diceret de simplicibus in se, & compossibilibus cum aliis.

5 *Quando vna perfectio simpliciter arguit id cui conuenit,esse aliis perfectius?*

Ad secundum principale, quod requirit magnum tractatum: quomodo illud, quod est simpliciter perfectionis, non semper concludit istud esse simpliciter perfectius,in quo est excellentius illud; sed tantùm secundùm quid: nisi illud sit perfectissimum inter illa, quæ sunt simpliciter perfectionis: quem tractatum habes alibi. Hic breuiter transeo, quod in corruptibilibus communiter simplicius est imperfectius:licèt nō propter simplicitatem maiorem, quasi illa nō sit perfectionis, sed quia talis natura, non potest habere multam actualitatem cum simplicitate, non tantam saltem,quantam cum compositione,& actualius vniuersaliter est perfectius. Exemplum esset, si quis canis esset sapiens, & cum sapientia non posset habere summam rabiem conuenientem cani, esset canis imperfectior cane non sapiente: non tamen esset ens imperfectius, quia canis limitat ens,& ponit ei repugnare, quod in entitate ponit nobilitatem. Per idem ad confirmationem: licèt, enim ens causatum sit simpliciter imperfectum, quia dependens: tamen illud ens limitatum, cuius entitas propria requirit necessariò quòd sit causatum, potest esse perfectius tale ens, si est à pluribus causatum, quàm aliud ens, quod est à paucioribus causatum, quod non recipit tantam perfectionem: nam in dependentibus, benè potest illud dependens esse perfectius, quod dependet à pluribus, à quorum quolibet recipit aliquam perfectionem sui, quæ omnia requiruntur propter suam perfectionem; ita quòd nullum per se sufficeret. Vnde communiter causata perfectiora, quæ non immediatè sunt à Deo, à pluribus causis dependent:quia propter eorum maiorem perfectionem, non sufficiunt ita paucæ ad causandum illa, sicut alia imperfecta. De minore tertij principalis, quæ dubia est, & videtur contrariari Aristoteli in 4. lib. in secunda ratione contra negantes primum principium, quære ibi quid sit dicendum. Qui autem negaret maiorem, diceret Boëtium intelligere per formā simplicem, actum purum,hoc est, essentiam diuinam, vel ideam. Ad probationem etiam diceret, quòd potentia hęc est prior illâ,non quòd secūda sit in aliquo supposito,nisi ibi sit prima; sed quia actus sit prior in genere actus, id est, perfectior; quemadmodum potentia ad quantitatem prior est potentia ad qualitatem propter ordinem actuum in genere: nec tamen in quocunque est secunda, est etiam prima.

De hoc 1. d. 8.q.1.ad primum.

Causata à plurib.causis, perfectiora.

T. c. 13. & inde.

Forma simplex an subiectum accidentis? Potētia ad quantitatem,prior potentia ad qualitatem.

SCHOLIVM III.

SATISFIT *argumentis positis nu.2 probantibus accidens esse compositum. Ad secundum,admittit Prædicamenta, vt videtur, non distingui realiter, quod problematicè tenet 2.d.1. q.5. ad 2. pro opin. de quo supra lib.5.q.6.vide ibi Scholium secundum.*

6

Ad argumenta pro prima opinione. Ad primum, patet ex quæstione de conceptu generis, qualis compositio sufficit ad differentiam,& conuenientiam realem specierum: quia vel tantùm compositio ex differētibus secundùm intentionē; vel ex rationibus realibus diuersis vnitiuè contentis in eodem. Et per idem patet ad confirmationem. Et etiam ad illud octaui,de ratione longa,&c. nisi quòd oportet exponere, quomodo ratio Aristotelis tenet contra ideas; & potest dici quòd licèt diffinibile in communi, non oporteat esse compositum ex re, & re,secundùm prædicta; oportet tamē diffinibile,quod est species respectu substantiarum indiuiduarum corruptibilium quarumcunque,esse sic compositum,& hoc,quia materia est per se pars quiditatis talis ex 7.sed si ideæ ponentur formæ,tantùm esset aliqua illarum species respectu talium indiuiduorum corruptibiliū: nam ibi maximè ponebantur; ergo non essent diffinibiles, sicut species tales, quia forma pura tantùm est pars talis speciei. Ad secundum principale,idem de 12.Metaph. satis soluitur per exēpla, aër,lux, tenebra,&c. huiusmodi. Et quod dicitur, quòd subiectum non est proprium potentiale: quia tunc principia non essent ita alia, sicut principiata. Respondeo 3. Physic. distinguit Arist. inter ens, inquantum ens,& inquantum in potentia statua; potentiale in substantiis nullius alterius generis est aliquo modo: sed tantùm illius per reductionem: potentiale verò in genere accidentis, consideratum vt potentiale,& vt perfectibile, ibi est in illo genere per reductionem: quia tamen sine illa ratione perfectibilis est in se perfectum ens scilicet substantia, ideò secundùm se ponitur in alio genere, sic faciliter,& fortè ad propositum Aristotelis exponitur illud Prædicamentorum c. de Qualitate ad fin. *nihil prohibet idem in diuersis generibus annumerari,*

Li.7. q.19.

Omne diffinibile, est cōpositum.

T. c.9.

Idem posse esse in diuersis Prædicamentis.

7

Quod additur de 7. Responsio, ens per accidens, licèt non sit vnum sicut substantia, non tamen est nullo modo vnum: nec ita multa, sicut quando subiectum, & accidens manent separata, ex cap. de Vnitate diffinitionis *B.*in hoc namque, *homo est album*,multa quidem sunt, cùm alterum non insit alteri: vnum verò quando inest, & patitur aliquid subiectum *homo*: tunc enim vnum fit,& est *albus homo*, &c. & sicut est aliqua, ita illud totū est ens aliquod; & illius totius est generatio, & hoc est per se: sicut in isto genere est generatio per se: & tamen per accidens respectu generationis substantiæ, quæ est per se: sicut totum est ens per accidens respectu substantiæ. Et quod additur de 6. non valet: quoniam in prima parte capituli, loquitur de ente per accidens vno modo, in secunda parte alio modo: sicut dictum est in quæstione de ente per accidens: & tunc illud dictum non intelligitur, nisi de ente rarò, & hoc comparato ad illam causam, respectu cuius est ens rarò. Vel si intelligitur de aggregato, hoc est comparando illud ad per se causam subiecti tātùm,quod subiectū cōcomitatur rarò aliquod accidens per accidens. Sed tunc nō est ratione aggregationis;sed ratione alterius accidētis:quod intelligo per raritatē;quæ raritas hîc concurrit cum aggregatione.Et ille secundus modus fortè verè est secundùm intentionē literæ. Vide exēpla de ædificatore, & domo:quòd domus est his tristis, causa per se est,causa subiecti tantùm, & aggregati per accidens tantùm: quia illud aggregatum includit accidēs per accidēs, quod rarò est à tali causa.Et ita alia accidentalitas est ibi,quàm aggregatio: aggregatio,enim non prohibet: quia ignis per se generat lignum calidum, non tantùm calidum: sed hoc, sicut est ibi per se.

T. c.42.

Quomodo vnum per accidens, fit per se genitum?

Vide Scotum in expositione literæ.

Quod

Ignis per se generat lignũ calidum.

Quod additur de termino motus, responsio, sicut dictum est in quæstione de generatione compositi: quòd forma est quo generatum generatur: & ideò in 2. Physicor. tex.com.14. generatio dicitur naturalis, per hoc, quòd est via in naturam, quæ est forma, & hoc non inquantum *quod*, sed inquantum *quo*. Ita hic omnino motus collocandus est in genere penes terminum *quo*, non *quod*; nisi aliquis vellet dicere, quòd alius est per se terminus motus, & alius generationis accidentalis, quæ fit cum motu; circa quod nunc non insisto.

Lib.7.q.10.

Motus est in genere termini quo.

8

Ad tertium principale, quod videtur difficile, quia non videtur aliquod absolutum dari prius ista contrarietate, in quo, vel mediante quo, hæc contrarietas recipitur, quin idem absolutum similiter se habeat respectu alterius contrarietatis. Patet de substantia, de quantitate respectu generis colorum, & generis saporum. Si quis etiam vellet fugere ad qualitates primas, adhuc non videtur possibilis euasio: nulla enim præcisè vna, est immediatè susceptiuum generis colorum, nec immediatè ratio susceptiui, sed omnes, vel aliquæ sic commixtæ; & eadem simili modo, videntur primò receptiua respectu saporum. Posset dici, quòd licèt vnica sit commixtio elementorum in vno commixto: tamen vnumquodque elementum multas habet qualitates, & diuersam commixtionem illarum qualitatum elementarium, sequitur immediatè aliud, & aliud genus qualitatum mixtarum; puta si mixtionem ignis inquantum lucens, cum terra inquantum terminata, & aëre, & aqua inquantum perspicua, consequatur genus colorum: commixtionem verò ignis, & aëris, inquantum calida digerentia humorem aquæ commixtum sicco terrestri, consequitur genus saporum, & sic de aliis. Hæc particularia sunt, & longè à consideratione Metaphysici.

Diuersam mixtionem elementorum sequitur alia, & alia qualitas.

Item, aliter potest dici vniuersaliùs: quòd sicut expressiùs habetur in 9. lib q.5. diuersitas potentiarum actiuarum (accipiendo eas, secundùm quod sunt priores naturaliter principiatis) vel nullam omnino requirit diuersitatem in re; vel tantùm rationum perfectionalium vnitiuè contentarum, ita & hæc in potentiis passiuis: & tunc vel diuersitas generis subiecti, quod correspondet diuersitati generis prædicabilis Physici, tantùm est per respectum generis subiecti ad genus Physicum prædicabile, quem respectum nulla præcedit diuersitas absoluta; vel erit illa diuersitas generis subiecti per perfectiones vnitiuè contentas, præcedentes diuersitatem respectuum. Nec mireris diuersas rationes vnitiuè poni in eodem, quod capax est plurium perfectionum, quia quandoque est ex imperfectione subiecti, quod non est capax talis perfectionis; & si illa imperfectio tollatur, siue per rem additam, siue fiat aliud continens vnitiuè illam rem addendam, benè est capax perfectionis, cuius non fuit priùs capax.

Potentia receptiua accidentium non necessariò re distincta.

ANNOT. MAVRITII.

9

Circa primam quæstionem octaui libri de simplicitate formæ accidentalis, quo ad partes essentiales, t.c.12. aduerte primò, quòd An. Andr. hîc mouet ante istam plures alias: quarum prima videtur dubium literale. Secunda habetur in 3. di.4. Tertia potest colligi in 4. d.11. 12. 43. & 44. Quarta habetur in 2. di. 14. qu.1. Quære etiam hanc 4. super lib. Cæl. & Mun. & præcedentem super lib. de Generatione, & 1. Physicorum, quinta verò apud ipsum est prima hîc. Non videtur tamen benè tenere ordinem quæstionum prædictarum, & sequentium in hoc lib. 8. vt patet in textu.

Hæc quæstio satis clara est, & sententia Doctoris est assertiua: sed multa difficilia possent induci: ponit opinionem quandam pro affirmatiua secundæ partis quæsiti, & per consequens pro negatiua primæ partis: quam videtur sequi Ioannes Iandunus super 5. Metaphysicæ. Quære antiquos hîc, & alibi, pro qua opinione arguit tribus rationibus, & impugnat aliis tribus. Primam rationem impugnationis in simili tangit, in 2. di. 16. contra Bona. & in 3. di.2.q.2. contra Vuar. Deinde breuibus tenet affirmatiuam partem quæstionis quantùm ad primam partem eius, & negatiuam quantùm ad secundam, & hoc loquendo de compositione Physica, & rei: secus est de Metaphysica, & realitatum, de quibus habet 8.di.1.q.1.& 3.& 3.di.1.q.3.& 3.di.2.q.6.& 46.di.4. incidentaliter. Et nota singula dicta vbique, quære Varr. alios sequaces, & tange instantias ex his, quæ dicta sunt suprà q.10.7.lib. Vide Thomam in de ente & essentia, & Hen. & Nominales ad propositum, multa addendo curiosè, semper cum aquila Solem intuere.

Infrà soluendo secundum principale, cum dicit, *Quem tractatum habes alibi*, &c. aduerte, quòd illud tangit notanter in Theorematibus ad finem ad quem locum, vt reputo se remittit hic. In Sententiis cum habetur 8.di.1.q.1.& di.19.q.1. & di.2.par.2.q.1.& alibi. quære Var. & Henricum.

Aduerte diligenter ad solutiones principalium, & maximè opinionis impugnatæ: quia singularis doctrina, & valde profunda Metaphysica, in qua declarantur plura alibi, & hîc ambigua: & singularissimè aduerte ad illam expositionem, qualiter idem sit in diuersis generibus. Quære in quodlibeto q.13. idem. Quære multa in naturalibus pro solutione vltima infrà. Aduerte etiam, quòd hæc quæstio congruè sequentes duas hîc sequeretur, vt fundantur in textu: sed de hoc non multùm curandum, vt sæpè suprà.

Palàm autem, & quia si sint aliqualiter numeri substantiæ sic sunt, & non sunt, vt quidam dicunt, vnitatum multitudo, Nam diffinitio numerus quidam est. *Tex.com.*10.

QVÆSTIO II.

Vtrùm forma accidentalis suscipiat magis, & minùs secundùm essentiam suam?

D. Thom. 1.2.q.52. *art.*1. & 2. & 2.2, q.24. *art.*5. Caiet. *iisdem locis*. Henr. *quodlib.*5. q.5. Albert. *in* 1. *dist.* 17. *art.*10 D.Bonau. *ibid.*1.*p.dist.art.*1.q.1. Richar.*art.*2.q.2 Occham q.6. Gab. & Greg. *ibid.* Durand. 1. *dist.*17. q.7, Capriol. 1.*dist.*27 q.2. Heru. *ibid.q.*2. & *quodlib.*6. q.11. Anton. Andr. q.6. Soncin. q.21. Tolet. 1.*de Gener.* c.3.q.4. Fons. *hicc.*3.q.2.*sect.*1. & 2. Suar. *disp.*46.*Metaph.sect.*1. Vide Scotum *in* 1.*dist.*17.q.5.

1

Quòd non, forma est compositioni continges, &c. Et est sermo de forma accidentali. Item hîc in prima comparatione, sicut numerus diuiditur in indiuisibilia, sic diffinitio accidentis diuiditur in genus, & differentiam, quæ sunt indiuisibilia; ergo differentia est indiuisibilis, & per

Tex.c.10.

consequens forma à qua accipitur. Item, Boetius super Prædicamenta, super illud, quòd *iustitia non est magis iustitia alia*, ibi dicit, quòd qualitas secundùm se, non suscipit, sed subiectum secundùm illam. Item, si sic, ergo ipsa manens secundùm essentiam potest intendi, & remitti; hoc falsum. Probatio, quia si sic, verè est motus à minori calido in maius 5. Physicorum, tex. com. 19. Sed in omni motu termini sunt oppositi, ita quòd inducto termino *ad quem*, corrumpitur terminus *à quo*: igitur inducto calore intenso, corrumpitur remissus; ergo nulla vna essentia recipit. Item, ex præcedente, & subsequente fieret vnum, & tunc esset compositum illud: & minùs perfectum, quia compositum: quia forma simplex perfectior composito. Item, si fieret vnum ex eis; vel alterum actus, & reliquum potentia, quod falsum, quia sunt eiusdem speciei; vel ambo in potentia ad aliam formam: & tunc aut illa forma esset calor, & esset quæstio de isto; aut alterius speciei, & tunc hoc totum tale per alterius speciei aliquid. Item, præexistens non augetur nisi maiori eo apposito, quia non intenditur tepidum, nisi adueniat calidius; consequens est falsum: quia tunc apposito aliquo paruo igne ligno intensè calido, nullum calorem induceret.

C. de Qualitate. Contra in Prædicamentis, *qualitas suscipit magis.*

Ad istam quæstionem, quòd sic: sed quomodo ponitur vno modo, propter approximationem, vel remotionem à contrario, vnde 3. Topicorum: *Cap. 9.* *albius dicitur, quod est nigro impermixtius.*

Contrà, quòd magis & minùs sit ibi, non tantùm sic: sex principiorum habitus suscipit magis, & minus: & non habet contrarium, ibidem. Item, accipiatur albedo permixta, tollatur nigredo, & albedo non fiet perfectior: quia illa causa est tantùm priuatiua: sed effectus positiui non est tantùm priuatiua causa; nihil ergo positiuum aduenit albedini, quod falsum est: quia intendi est effectus positiuus; ergo non tantùm sic est magis, & minùs. Sed aliter potest esse in non habentibus contrarium.

SCHOLIVM.

Relatis *sententiis D. Thom. Ægidij, & Henrici, & breuiter impugnatis, propriam ponit, scilicet formam accidentalem intendi in se per gradus entitatiuos, de nouo aduenientes, de quo fusè agit 1. d. 17. q. 5. & 6. & 3. Physic. quæst. 3.*

2 Aliter dicitur, quòd non secundùm essentiam suam: sed secundùm esse in subiecto, & secundùm quòd subiectum est magis dispositum inhæret perfectiùs, vel minùs perfectè. Contrà: primum subiectum secundùm se non suscipit magis, & minùs: quia idem subiectum secundùm se est in toto motu: & sub vtroque extremo: vel ergo tunc forma secundùm se suscipit, & habetur propositum; vel secundùm inhærentiam suam subiecto. Quòd si sit aliud ab essentia formæ, quæro de illo alio, aut secundùm essentiam suam sine addito suscipit; ergo aliquod accidens suscipit secundùm essentiam suam, & habetur propositum. Si secundum aliud, ibitur in infinitum, vel est status in aliqua forma secundùm essentiam. Dicitur, quòd nulla vna dispositio est, quæ intendatur, & remittatur, quæ est in subiecto, sed sunt diuersæ dispositiones in diuersis subiectis: & secundùm vnam inhæret

Essentia accidentis intenditur, vel datur processus.

vni subiecto, magis quàm alij. Contrà: tunc inter maius, & minus in eadem forma, non est motus: quia inter quæ est motus, habent idem susceptiuum primum: nihil tale est in proposito, quia vnum subiectum est dispositum vna dispositione, diuersa specie, à dispositione alterius subiecti. Item, tunc minùs album, & magis album non sunt eiusdem speciei. Probatio, quia vnius formæ specie est vna propria potentia: & proxima susceptiua. Consequens falsum 7. Physicorum, cap. penultimo, comparatio non est nisi in eadem specie specialissima. Sed comparantur adinuicem, igitur, &c.

Tex. c. 27. & inde.

Item, ad principale, habito termino secundùm rationem, quâ est terminus, cessat motus: sed in principio calefactionis habetur caliditas secundùm illam rationem, quâ est terminus calefactionis; ergo in principio cessat. Probatio minoris ex hypothesi: omne quod mouetur, aliquid habet de vtroque termino, 6. Physicorum: & 4. huius: ergo in principio est aliquid de *esse* caloris: si ergo essentia non recipit magis, & minùs, in principio est ibi calor perfectissimus: sed calor perfectissimus est terminus; ergo in principio motus cessat motus. Dicitur hìc, quòd non sic est terminus motus: sed secundùm perfectum *esse* in subiecto. Contrà: perfectè terminus calefactionis est ipsa forma de genere Qualitatis; ergo ita secundùm perfectionem suam est terminus calefactionis, & iam habeo perfectam secundùm se in principio calefactionis; ergo terminus in principio est perfectissimus; ergo cessabit. Item, si motus sit ad *esse* perfectum in subiecto, illud esse in subiecto, aut est idem cum essentia caloris, etsi nòn sit perfectum: ergo nec essentia; si aliud & accidens, tunc cùm illud suscipiat magis, & minus; ergo aliquod accidens. Et confirmatur 5. Physicorum, inter calorem maiorem, & minorem est per se motus, & illæ formæ sunt de genere Qualitatis; ergo per se terminus motus est aliqua forma de genere Qualitatis.

T. c. 7. 32. & 87.
T. c. 22.

Si qualitas in se non intenditur in initio motus est eius terminus perfectus.

Tex. c. 19. & inde.

Ad primum principale respondetur in 7. in illa quæstione: *vtrùm compositum per se generetur:* loquitur sic: quod non recipit maius, & minus quantitatiuè: sed cum hoc stat, quòd in essentia potest recipere intensionem. Ad secundum, quòd sunt indiuisibilia secundùm quod sunt quiditates per se, tamen in indiuiduis sunt diuisibilia. Ad aliud, quòd accidens, non secundùm quiditatem in communi: sicut nec substantia. Ad aliud, quod dicit in litera, in abstracto ambigere potest aliquis, vtrùm in abstracto suscipiant: sed in concreto certum est: sed cum ambiguitate potest stare, quòd recipit in abstractis, licèt non sit ita manifestum in abstractis, sicut in concretis: nec Boëtius facit aliud, quàm recitat dictum Philosophi. Ad vltimum argumentum dicitur, quòd de calore non est manifestum si corrumpatur: consequentia tamen non valet, quia magis, & minùs potest esse non ex hoc, quod essentia caloris suscipit, sed ex hoc, quòd vnum indiuiduum habet naturam perfectiùs, quàm aliud, & potest esse continuus processus inter ista duo indiuidua, & per consequens motus.

q. 10.

Quiditas caloris non suscipit magis, & minus, sed indiuiduum eius.

ANNOTAT. MAVRITII.

3 Sequitur quæstio secunda de intensione formæ accidentalis, & remissione eius, t. c. 10. quæ famosa est, & magnæ altercationis inter Sophistas, & Phy

& Physicos etiam, atque Theologos, quæ sequitur in aliquibus originalibus sequentem hic de intensione, & remissione formæ substantialis; ideò soluendo argumenta principalia eius habetur in antiquis sic: *Ad primum secundæ q. respondetur in septimo*, &c. ordo etiam literæ in his duabus variè habebatur, sed ordo quem hîc habes, satis bonus est.

In principio solutionis recitat modum dicendi Thomæ, & Alberti, & auctoris sex Principiorum ferè. Vide Thomam 1.2. q.52. art.1.& 2. & q.54. & hîc, & in primo, dist.17. & quodlibeto 6. & 22. q.24.& alibi sæpè, quam breuibus impugnat, deinde modum dicendi aliorum: vtpote Ægidij quodlibeto 2.q.14. & quodlibeto 6.q.9. & Henr. quodlibeto 14. q.3. adiungit, & impugnat, & absque vlteriori determinatione propria ad principalia respondet. Vnde aduerte quòd longa additio, quam notauimus in sequentibus ibi; *notandum pro primo argumento*, &c. Et maximè ibi, circa istas 2.q. &c. vsque ad finem, est determinatio harum duarum quæstionum. Primò enim ponuntur seorsum, & breuibus soluuntur; deinde coniunctim pertractantur; sed, vt priùs notaui, alio modo ordinabatur litera in antiquis originalibus. Multæ aliæ opiniones hîc solent recitari de causa suscipiendi magis, & minùs, de quibus ampliùs in sequentibus videantur Terministæ, & calculator Suuiset Anglicus, & Iacobus Forliuiensis, & super Prædicamenta antiqui, & moderni Expositores, & iste ibidem notanter, c.de Qualitate; & Theologi super 17. dist. pri. vbi hæc materia copiosè tractatur, & maximè apud istum, & sequaces eius, & Varr.& Franc.de May.specialiter, & P. de Candia.& Hu.de ca. no. & specialiter Gerardus Odonis, ibi & di.13.3. lib. q.1. qui negat realitates acquiri, vel perdi in intensione, & remissione, & similiter in augmentatione, & diminutione, in q. etiam 3.& 6.principiorum, & super 5.Physic.apud diuersos diuersarum viarum, hæc quærantur.

Et quemadmodum nec numerus habet magis, aut minùs: nec quæ secundùm speciem substantia: sed siquidem quæ cum materia. *Tex. com.*10.

QVÆSTIO III.

Vtrùm substantia, scilicet forma substantialis suscipiat magis, & minùs.

Arist. *hic* tex.10. Auerr 1.*de Gener.c.de mistione.* Galenus *in* 2. *Meth. c.* 2. *& lib. de substantia naturali ad finem.* D.Thom.1.*p.q.*76.*art.*4.*ad* 4. Aureol.*in* 2.*dist.*15. Capreol.*&* Greg.*ibid.* Anton. Andr. 11.*Met.q.vnic.* Zimara. *Theor.*48. Fonf.8.*Met.c* 3.*q.*4 *sect.*1.*&* 2. Suar. *disp.* 15.*Met sect.*10. Hurtad.*disp.*14.*Met.sect.*4. Auersa q.20. *Phys.sect.*11. Vide Scotum *in* 2.*dist.*1.*q.*9.*ad* 3.

1 *Tex.c.*7 32. *&* 87. *Com.*87.

QVòd sic, 6. Physicorum: omne quod transmutatur partim est in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*: ergo oportet transmutatum habere partes: Sed illud secundùm Commentatorem habet locum in quatuor generibus, & genus Substantiæ est vnum illorum. Dicitur, quòd demonstratio non debet intelligi de partibilitate terminorum, sed de transmutabili, quod habeat partes, & sit diuisibile. Contrà: illo modo propositio est falsa; & esset petitio. Primum patet, quòd secundùm vnam partem sit in vno termino, & secundùm aliud in alio; accipio corpus pedale, cuius vna pars est sub calore, & alia sub frigiditate: si aliqua pars eius calefiat, habeo propositum, quia tunc non est partim in vno termino, & partim in alio; & si non, nihil tunc calefit primò, vel punctum solùm. Item, in de Sensu & Sensato, totum aliquod potest alterari simul, non pars post partem: tamen nihil potest moueri simul. In proposito maximè est propositio falsa, & propter formam inductam, & propter susceptiuum: quia forma substantialis est primus actus materiæ; ergo non præsupponitur ibi quantitas in materia; ergo subiectum generationis non habet partem extra partem, cuius vna sit sub forma, & alia sub priuatione. Item, quòd petat, vult probare ibi, quòd omne mobile est diuisibile: si tunc accipiat, quòd omne quod mouetur habet partem quantitatiuam, & partem: accipit tunc, quòd motum sit diuisibile, quod debet probare. Item, ad principale, intensio & remissio in proprio effectu, & per se concludit intensionem, & remissionem in propria causa: sed aliquod accidens, quod est proprius effectus substantiæ, recipit magis & minùs; ergo substantia, quæ est causa eius. Probatio minoris: caliditas, quæ intenditur, aut immediatè est à substantia ignis, & tunc habeo propositum: si mediante alio, illud intenditur, aut ergo est à substantia ignis immediatè, vel est in infinitum processus. Item, omnia habentia idem proprium susceptiuum, sunt eiusdem generis naturalis: multæ formæ substantiales, sunt tales, sicut patet c.de Vno in 5. Sed omnes tales sunt extremæ, vel mediæ: sed non possunt omnes esse extremæ, quia contrariæ sunt tantùm duæ; ergo omnes aliæ sunt mediæ; sed omne medium componitur ex extremis, ita quòd medium est magis vnius, & minùs alterius; ergo extrema suscipiunt.

*Com.*8. *ad finem.*

Contra in Prædicamentis & hîc sicut numerus non suscipit magis & minùs, sic nec substantia secundùm speciem.

*C. de Substantia. Tex.com.*10.

SCHOLIVM I.

OPINIO *communis formam substantialem non suscipere magis, & minùs, suadetur tribus rationibus, quas ostendit Doctor nihil conficere.*

2 *Substantiam non suscipere magis, & minùs. Tex. com.* 10.

Ad quæstionem dicitur, quòd non: quia omnis differentia in essentia est differentia specifica: differentia secundùm magis si esset, esset in essentia rei, & tunc esset differentia specifica: & de hoc non est quæstio, sed de substantia in eadem specie. Maior patet, hîc Philosophus dicit, diffinitiones assimilantur numeris, ita quòd diffinitiones variantur quocunque addito, vel subtracto, sicut in numeris. Item, si sic, verè esset motus secundùm substantiam, quia motus est acquisitio formæ partibiliter. Commentator 3. Phys. Consequens est contra Philosophum in 5. Phys. text. comm.8.& inde. Illa ratio ponitur ab Auicenna 3. Physicor. cap.1. *Ponemus fundamentum*, &c. dicit, quòd ibi non est motus: quia non magis, & minùs. Item, si sic, haberet contrarium, quia vbi distantia magis, & minùs, ibi & maxima, 10. huius, textu comment. 13.

Com. 4.

Contra hanc positionem, quòd rationes positionis non moueant: Quòd prima non, quia si sic, eadem concluderet de qualitate: sed non valet,

let,quia suscipit secundùm Philosophum in Prædicamentis:quia in qualitate esset additio in essentia,si in essentia suscipiat,vt probatur prius.Item, non valet,quia *magis*, & *minus* ponuntur in essentia substantiæ,& qualitatis,sicut consequentia essentiam,non quòd *magis*,& *minus* sint de essentia, sicut maius, & minus quantitatem: sed quantitas eadem minor fit maior, manens in eadem specie: quia hæc linea manens hæc,est maior aliâ: & tamen ambæ sunt eiusdem speciei;ergo eodem modo potest esse ex alia parte. Item, quòd secunda ratio non valet,quia consequens non est inconueniens:quia in substantia est verè definitio motus: quia verè exit substantia de potentia in actum, & aliquis est actus exeuntis, & ille est entis in potentia secundùm quòd in potentia. Item, quòd tertia non valet, omne genus diuiditur differentiis oppositis, & non aliis quàm differentiis contrariis:ex 10. tex. com.24. quia priuatiuè oppositis non, quia priuatio nihil ponit, ideò non causat, nec constituit aliquam speciem. Similiter in substantia est distantia maior,& minor; ergo maxima,ex 10.tex. com. 13. Similiter vbi suprà Auicenna, quòd ignis & aqua sunt contraria secundùm substantias.

SCHOLIVM II.

SVSTINENDO *formam substantialem suscipere magis, & minus, notat authoritates Philosophi in contrarium,exponi posse de quiditate formæ, non de indiuiduis; & soluit tres rationes adductas pro communi sententia num.2. de quo vide Anton. Andr.l.11.q.vnic. pro solutione primi principalis, tractat fusè id,quod ait Arist. 6. Phys. c.7.* Quod mouetur partim esse in termino à quo, & partim in termino ad quem:*examinans vtrùm diuisibilitas motus sumatur ex parte mobilis, vel formæ,seu termini;& sustinet quòd ex parte mobilis,& explicat etiam quando ex parte formæ accipitur; & quoad substantialem sequi solùm hinc extensionem non intensionem, vt hic notat Maurit. sed de hoc optimè agit Doctor 2. d. 2. quæst. 9. ad 3. num.36.& seq. Quando autem alteratio fit in instanti, & quando non, ibi tractat à num. 32. vbi etiam explicat locum Aristot. 8. Phys. de cauatione guttæ,quam hîc adducit,& locum etiam de Sensu, & Sensato. Quod tractat hîc num. 7. an pars aliqua certa caloris inducatur simul,optimè discutit 2.d.2. q.9.§.* Ad aliud de secundo, *num.31.vbi ostendit hoc discursu non dari primum* mutatum esse,*nec primam partem in motu.*

3 Ad quæstionem sustinendo quòd suscipit, ad hoc notandum,propter auctoritates,quòd Metaphysicus hîc in 8. loquitur de forma, & differentia, secundùm quod pertinet ad quiditatem rei: sed quiditas abstrahit à suppositis, non includens aliquid, quod pertinet ad indiuidua: sed suscipere magis & minùs non competit quiditati secundùm se consideratæ, sed vt est in indiuiduis: secundùm hæc differentia addita quiditati, sic variat definitionem. Substantia ergo secundùm speciem in vniuersali considerata, vt quiditas, non suscipit magis & minùs: sed in supposito patet, quia hoc indiuiduum perfectiùs habet naturam specificam, quàm aliud suppositum. Aliud de substantia notandum, quòd aliter est in accidentibus, quàm in substantiis:quia in substantiis magis, & minùs inducuntur mutatione indiuisibili,

Substantia secundũ quiditatem non suscipit magis & minùs, secus fortè secundum indiuidua.

in accidentibus motu continuo.

Ad auctoritates, quòd in communi substantia non suscipit, sed in indiuiduo. Ad rationem pro prima opinione, patet qualiter loquitur de formis: quocunque enim addito, quod pertinet ad definitionem speciei,variatur species: sed si addatur pertinens ad indiuiduum,non oportet: sic est hîc: vnde substantia cum materia suscipit magis, & minùs. Ad aliud, quòd si esset magis, & minus inter quæ esset motus continuus, sicut in accidentibus,verum esset,sed non est sic. Similiter motus in 3. Physicorum accipitur prout est commune ad motum,& ad mutationem,& illo modo est in substantia. Sed in 5. distinguit inter motum,& mutationem, & dicit quòd motus non est in substantia. Ad tertium, quòd *contrarietas* accipitur aliquando pro priuatiuè oppositis, 1. Physicorum,& sic est in genere Substantiæ, vel prout vtrumque extremum est aliquid positiuum, & sic in omni genere. Tertio modo, dicitur non solùm distantia maxima in eadem specie, sed talis, quæ nata est in eodem subiecto succedere vicissim, ita quòd paulatim deperdatur vnum, & acquiratur alterum: sic non est in substantia: sed vbi tale,ibi motus verè est,vt dicit Philosophus 5. Physicorum,tex.com.8.& inde.

Formæ sunt sicut numeri,exponitur, 2.d.3. q.7.ad 3.

Tex.c.6.& inde.

Tex.c.8.& inde.

Tex.c.56.& supra.

Contrarietas tripliciter sumitur.

ADDITIO.

Notandum pro primo argumento, quod Arist. 6. Physicor. cap. 2. conclusione secunda, quæ hîc adducitur; planè intelligit de diuisibilitate mobilis in partes quantitatiuas sicut dicit Hen. in hac quæstione ad hoc argumentum, non de diuisibilitate terminorum secundùm magis,& minùs;dico autem in quod mutatur primum; vt ex albo in fuscum, non in nigrum. Si secundùm partem termini, & termini illi non essent immediati,sicut hîc dicit. Similiter 3.cap. Sed manifestissimè,cap.4. Neque in eo,quod mutatum est aliquid,prius est quod mutatum est. *Et probat per diuisibilitatem temporis, & mobilis. Et ibidem statim negat talem diuisibilitatem terminorum.* Ipsum autem in quod mutatur,non similiter se habebit, homo, tempus, & album;homo igitur, & tempus diuisibilia sunt: de albo alia est ratio,præterquam secundùm accidens. *Tamen,vt ibi vult,in loci mutatione, & secundùm quantitatem, forma secundùm quam est motus,per se diuisibilis est,& ibi, ideò non est primum:sicut nec ex parte temporis,& mobilis;ita nec ex parte formæ,in sola mutatione secundùm qualitatem conuenit indiuisibile per se esse. Et cap. 5.* Necesse est omne,quod mutatum est,mutari priùs. *Eadem demonstratio,& non incontinuis,& in contrariis,& in contradictione, & intelligit prius non naturâ, sed tempore: sicut probat ex diuisibilitate temporis. Et cap.8. respondendo ad argumentum Zenonis contra generationem, quòd mutabile est in neutro contradictorio, respondet:* Non enim si non totum in quolibet, non dicetur album, vel non album:est enim ex necessitate in altero contradictoriorum: in neutro autem totum semper. *Vbi manifestè vult demonstrationem istam saluari in mutatione secundùm contradictionem, & sic in contradictione: non secundùm diuisibilitatem terminorum:quia ibi termini sunt omnino immediati, licèt vnus in se habeat magis, & minùs, terminus est,vt hic,non vt tantum,vel tantum, & hoc secundùm diuisibilitatem subiecti. Et in generatione substantiali eodem modo saluabitur necessariò,cùm omne genitum sit extensum. Igitur nulla pars illius,ex quo fit generatio, tota simul alteratur: nec disponitur:quia sicut qualibet incipit ordinatè alterari,*

Tex.c.32.

Tex.com.48.

Tex.com.49.

Tex.com.58.

Tex. c.52.& inde.

Tex.com.83.

rari, ita ordine simili summè disponitur; ergo cùm generatio fiat ex summè disposito, sequitur quòd generatio continui non est tota simul: & sicut in illis duobus nunc*, idem pracisè non est summè dispositum: sed aliud, & aliud, ita in toto tempore intermedio continuum summè disponitur: sic forma substantialis pro alia, & alia parte in quibuscunque duobus* nunc*, inducitur, & in tempore intermedio inducitur, in quò continuè aliquid summè disponitur.*

5 Tex.c.34.

Hoc consonat 7. vbi comparat generationes, sed velocitatem cap.4. igitur est alia comparatio, quàm alterationum, quam præmisit ibidem, & hanc distinguit ab illa. Igitur illud argumentum omnino non concludit intensionem in forma substantiali, sed extensionem, & hoc continuè acquisibilem. Contra 8. Physicor. Principium autem considerationis, tot guttæ mouent tantum, pars autem ipsorum in nullo tempore pòst: non enim si partibile in infinitum, quod alteratur, propter hoc & alteratio: sed velox est multoties. *Item de Sensu secunda dubitatione; ergo oportet subitò alterari, & non dimidium prius: primum autem ab isto alterante transmutari: & non necessariò simul alterari. In antiqua translatione, non inueni in textu istud,* velut aquam simul omnem coagulari: *attamen si fuerit multum, quod calefit: aut coagulatur, non subitò mouetur. Similis quæstio videtur in illuminatione, si luminosum aliquam partem diuisibilem illuminet primò, vel nullam primò. Tamen non est similis: quia vbicunque non est ordo temporis, ponere ordinem natura; vel sicut duorum effectuum respectu eiusdem causæ; vel quorum vnum sit causa alterius; non videtur necessarium: & sequitur diuisio actualis medij in infinita, & quod nihil primò illuminatur natura, vel indiuisibile. Sed vbi est ordo temporis inter partes effectus ex natura eius, hoc non concludit: quia nihil primò tempore, sed aliquid primò natura: sicut subiectum motus primò recipit ipsum, sicut natus est esse. Quantum autem ad tempus non est primum in toto.*

Tex. c.21. Tex. c.23. Cap.8. 2.d.2.q.9. num.32.

Ad illud de gutta, separatio partis lapidis licèt non fiat sic paulatim, quod in toto tempore, quo fit dispositio ad ipsum, fiat ipsa secundùm partem, & partem à gutta, & gutta: tamen facta dispositione per multas, vltima in virtute præcedentium agens, non separat in instanti, sed prius discontinuat vnam partem eius, quàm aliam, & illius partis partem, prius in infinitum: non sic quod discontinuet à parte remouenda aliquam partem sui: sed illam in suo toto remouendo manentem, priùs discontinuat à toto lapide, quàm illud totum remouendum simul; non ergo in instanti, sed in modico tempore, quod dicitur simul respectu totius, quo fit preparatio ad motionem.

Gutta non cauat in instanti.

6

Ad illud de alteratione respondeo; probat non omnia semper moueri, & sic verum est: non si mobile partibile in infinitum, ita quòd nunquam possit fieri eius diuisio, sic alteratio infinita, vt nunquam finiatur: non enim ipsa actu significat partes eiusdem proportionis, secundùm quas est infinita diuisio omnis actu, quia sic non possent pertransiri. Sic alia secundò, quòd alteratio est inter contraria: & quòd aliquid quiescit secundùm qualitatem, excludit illud secundùm membrum diuisionis: quòd omnia semper alterantur. Non autem, quod alteratio non sit infinita secundùm diuisionem secundùm partes mobilis: si enim intelligeret, quòd aliquid mobilis simul alteratur: quare diceret: sed velox est multoties? *non negat ergo infinitatem diuisionis alterationis, sed durationis.*

Ad illud de Sensu; loquitur de alteratione intentionali: vbi subiectum est summè dispositum ad formam. Intentio enim sua est, quòd sonus non subitò multiplicatur: quia requiritur motus localis ad eius multiplicationem, qui non potest esse subitus: color potest subitò multiplicari, quia non requiritur ibi motus localis: sed alteratio, quæ subitò potest esse, maximè quando subiectum est summè dispositum. Contrà est, aquam simul coagulari. *Ideò aliter, quòd alteratio ex genere non requirit successionem propter formam, secundùm quam est, sed latio requirit, sicut suprà 6. Physic.c.3. Contra hoc, nihil videtur ad ipsum. Non enim ponitur multiplicatio soni successiua, coloris subita propter gradus in forma hic, non ibi, cùm vel vtrimque, vel neutrobique sint, sed propter diuisibilitatem medij, respectu immutationis à sono, propter motum localem; non respectu immutationis à colore, & tamen medium diuisibile in se, tunc ergo. Ideò aliter: quòd quia sonus, siue haberet in se gradus, siue non, fit in partibus medij cum motu locali, sequitur conditionem formæ, secundùm quam est motus localis, & ideò successiuè fit in eis: species coloris, licèt fiat in partibus medij, non tamen secundùm conditionem alicuius successiui; ideò nec successiuè, quia alteratio ex genere non prohibetur esse subitò; & ita nec multiplicatio soni, inquantùm alteratio, sed inquantùm consequens motum localem.*

Alteratio intentionalis fit in instanti.

Quare alteratio soni in tempore, & visionis in instanti. Tex. c.35. & circiter.

7

Contrà, tunc nulla alteratio ex ratione sua est successiua circumscripta latione, saltem secundùm diuisibilitatem ipsius mobilis, sed tantum formæ: quod videtur contra Aristot. 6. lib. cap.4. 5. & 8. Item contra primam responsionem, si diuisibilitas subiecti secundùm Aristot. est per se causa successionis, & remanet ita in summè disposito; sicut non summè; igitur, &c. Confirmatur de primo gradu recipiendo à passo, quantumcunque indisposito, respectu cuius fuit summè dispositum, altàs in infinitum dispositio. Concedatur, quòd nulli formæ, quia in qualibet est generatio 5. Physicor. nec subiecto: vt 8. Physicorum, & de Sensu, repugnat subita mutatio: tamen omni formæ respectu subiecti diuisibilis, potest conuenire successiua inductio (sic intelligitur 6. Physicor.) etiam substantiali: ratione autem graduum in forma, alicui potest, & alicui non 5. Physicor. distinguitur motus à mutatione sic; ponitur motus in tribus generibus; ergo omnia dicta intelliguntur de possibili, non de necessario. Contra A, B calefiant secundùm gradum C, D. Si possibile est A simul calefieri secundùm C gradum, ponatur, post illud nunc*, aut est quies, & ita non mutatio; aut alia mutatio, & ita motus ex mutationbus duabus; &* nunc *consequenter; aut successio est secundùm partes ipsius* B*, aut secundùm gradus ipsius* D*: sed nulla est ratio, quare ab eadem virtute non ita subitò* B *fit* D*, sicut* A *fit* C*, cùm sint aqualia A B, & CD. Nec valet dicere: quod successio est in disponendo* A*, & in fine dispositionis inducitur* C*. Item, successio in disponendo* B*, & in fine inducitur* D*, quia idem argumentum est de dispositione, per quid est successio in dispositione? Ideò finaliter oportet dicere, quòd successio vbique ratione subiecti est possibilis, 6. Physicor. non vbique ratione formæ, 5. Physicor. neutra diuisim est necessaria, 8. & 5. Sed si est motus, necessaria est hæc, vel illa sub disiunctione: si enim A, non priùs pars vna eius, quàm alia, simul alteratur alteratione successiua,*

An alteratio ex ratione sua fit successio. Tex. c.7.

Motus distinguitur à mutatione.

De hoc 2. d. 2.q.9.n 31.

Successio semper ratione subiecti diuisibilis,& passibilis;nam sic ratione formæ, nisi quandoque.

sina,necesse est C non simul induci: quia A in nulli duobus nunc *similiter se habebit,completo igitur tempore secundùm partes C, in instanti terminante illud,nihil de B esset in aliquo alteratum,sed vel ab illo instanti incipiet alterari, & curreret simul alteratio B,secundùm gradus ipsius C,& alteratio A, secundùm gradus ipsius D,quia A nondum habuit formam in summo,vel oportebit A, alterari,& secundùm C, & D, & in termino totius illius ..... nihil ipsius B, esse alteratum,sed ab illo incipere esse alterationem.*

SCHOLIVM II.

In motu alterationis ostendit non posse assignari primam partem simul factam, idque exquisitissimis rationibus, de quo videri potest 2. d. 2. quæst. 9. num. 31. vbi ex Philosopho 6. Physic. probat non dari primam partem, nec primum *mutatum esse* in motu. Quod tractat, alterationem extensam,quandoque fieri in instanti, & an à primo alterante tantùm, vel ita vt primum alteratum alteret secundum, & hoc tertium, vide eum 2.d.2. q.12. ad vltimum. Ad id quod tangit ex Philosopho num. 10. sensibile si esset diuisibile in infinitum, sensus cresceret in infinitum;verum est si ita diuisibile esset, & vt à sensu percipi posset,vt habet ipse 2. d.2.q.9. num.30. Intricatissimus est hic textus ratione literarum, quas ponit Doctor; solebat quandoque more aliorum antiquorum notare argumenta, & propositiones literis Alphabeti,quas cùm alij omitterent, obscurissimum reddebant Doctorem.

8

Contra vtrumque istorum membrorum. Contra primum sic: alterans non minùs potens est in principio,quàm pòst, & agit secundùm vltimum potentia; igitur in tantum passum potest agere, & agit necessariò à principio, quantum pòst. Sed completo tempore in quo C inducitur in A, ponitur ex tunc in totum A B,agere,& in B, ita perfecta actione sicut prius in A, & in A, perfectiore actione quantùm ad formam, quia secundùm D: ergo à principio egit in totum. Aliter formatur, actio in B,secundùm C, est æqualis actioni in A, secundùm C, sed illa in B, non adæquat potentiam agentis, quin cum illa simul habet aliam in B: igitur nec illa in A adæquabit in principio. Istud eo magis concludit,quia ponit vnum passum certa quantitatis proportionatum tanto agenti, in quod totum simul agat, & secundùm talia passa potest esse successio in alteratione; non autem secundùm partes talis passi. Hæc argumenta probant, quòd illud datum est passum proportionatum omnino. Item, virtus naturalis in remotiùs debilius agit; ergo cùm B,sit remotior quàm A, alias A non priùs alteraretur: non ita citò alterabitur B ad C, sicut A alteratum est;ergo quando A erit in D B,non est in C, & tunc mobilis diuisibilis in duo proportionata agenti,nunquam pars remotior pertinget ad dimidium formæ, quam habet propinquior: nisi postquam completa est tota alteratio A, & continuetur alteratio B, donec veniat ad D, & tunc aget in remotum, nihil agendo in propinquum. Et tunc contra regulas 7. Physicor. nec in æquali tempore mouebuntur æqualia,A B, mobilia, nec duplex mobile A B, ad A, in duplo tempore: sed quasi sesquialtero respectu temporis A, & aliquantulum plus. Secundùm autem secundum membrum, sequitur quòd

Vis naturalis in remotius debilius agit.

Tex.c.35. & inde.

An pars alterata alterat instanta- nee sequentem? 2.d 2.q. 12. ad vlt.

plusquam in duplo tempore. Secundum membrum videtur contra sensum, quòd prima medietas sit in summo,& secunda omnino nihil alterata. Similiter totam secundam alterabit, nihil tunc faciendo in propinquum, & plusquam in tanto tempore, & ita duplum, plus quàm in duplo. Item, contra vtrumque membrum simul, quare pars alterata primò eum recipiat formam vniuocam agenti, non potest agere in remotam, quæ omnino nihil ponitur habere,& simul cùm habet statim aget,& parhratione illa alia, & sic de toto? Item, neutrum membrum tenet vnam alterationem, sed multas consequenter entes, vel post aliam omnino completam, vel post meditatem eius completam.

9

Notandum, quòd aliud est ponere successionem alterationis secùndum partes mobilis proportionati agenti; aliud secundùm partes improportionati: quarum qualibet per se,sit mobile proportionatum agenti. In primo enim potest poni pars alterata ab agente, non alterans secundam, vel alterans, & hoc vel principaliter, sic quòd alterans extrinsecum, non alterat secundam: vel instrumentaliter, ita quòd principale alterans, sit illud extrinsecum agens. In secundo potest benè poni primum alteratum, principaliter alterare secundum alteratum: & responsum est tunc ad primum argumentum, contra primum membrum. Sed adhuc distinguendum, tam in secundo, quàm in primo: aut alteratum si alterat statim incipit alterare, cùm aliquid habet formæ: aut tunc tantùm, quando in summo habet formam: aut quando habet in aliquo certo gradu, dicatur 12. ita quòd citra illum nihil facit. In secundo est secundum membrum, & est contra sensum, siue intelligatur in absolutè summo, certum est, siue intelligatur in summo possibili induci ab illo agente: quia dato quòd hoc agens cesset citra summum sibi possibile,hic alteratum ab ipso nihil vnquam poterit facere. Contra E, arguitur, dicatur alterans primum extrinsecum O, alteratum primum proportionatum A: secundum ab A, alteratum sit B, ex E sequitur, quòd simul venit A, ad C, & B, ad C. Similiter simul ad D, contra sensum.

Quando pars alterata,alterare incipit?

Intricata litera, vide Mauritium.

Respondeo A, licèt in principio incipiat in B, quando O incipiat in A, tamen O est efficacius, ideò citiùs mouet A, quàm A B. Contrà: cùm successio in A sit posita secundum gradus, in infinitum remissior, ante aliam inducitur; ergo A, non potest aliquam remissiorem inducere in B, pro aliquo tempore, quàm sit ille, quem recipit ab O pro eodem; igitur æquè citò ad quemcumque gradum peruenit B, sicut A. Respondeo, licèt idem gradus sint hic, & ibi inducendi, tamen citiùs pertranseuntur à maiori virtute, sicut de loco. Patet, quia eadem diuisibilitas pertransitur à testudine, & lepore, sed non æquè citò.

10

Contra E aliter, si minimus ignis calefaceret, calefieret simul totus aër. Probatio, A calefit ab illo igne simul calefacit B, pari ratione B C, quia quodlibet quàm citò habet formam, alterat patiens sibi proportionatum, quantumcunque illud sit modicum, habet aliquod patiens sibi proportionatum, licèt minus, & sic in infinitum, maximè de partibus in toto. Minima enim stella posita illuminaretur totum vniuersum, si esset infinitum. Propter istud negatur E: sicut enim in motu locali, motum, quia motum mouet, & tamen ita remissè potest moueri, quòd nihil mouet 8. Physic. F. de proiectis; sic aliqua forma potest esse ita remissa,

remissa, quòd omnino nihil aget; & similiter ita parua in quantitate formæ. Probatio Philosophi 1. Physicorum de minimo, contra Anaxagoram exponitur respectu actionis, & passionis naturalis. & in lib. de Sensu, dubitatione prima, si sensibile diuidatur in infinitum, sensus cresceret in infinitum: quia in eo, quòd possunt mouere dubitatur. Est igitur contra propositionem F. 13. quia non omnis forma eiusdem speciei est principium operationis eiusdem speciei, quia agere est perfecti; ergo relinquitur F. Sed quis est ille gradus: non facile est assignare; fortè minor sufficit in forma magis actiua, vt calore, quàm frigiditate. Sic ergo expeditum est in secundo, quòd O habet passum proportionatum A, quod totum simul alterat vsque ad aliquem gradum formæ C, in quo potest A per illam agere: & alterat tunc passum sibi propontionatum, & minus in quantitate se, & tardiùs quàm ab O est alteratum, & potest A cessare alterari, & tamen continuare alterare B, & sic vsque ad certam distantiam: vltimum mobile nunquam producetur ad gradum, in quo potest mouere, ita quòd cessabitur propter remissionem formæ in vltimo, non propter paruitatem quantitatis, licèt fortè sit minus præcedentibus; & erunt tot alterationes, quot alterantia, & alteratata proportionata; vnumquodque verò alterans tardiùs mouebitur, quantò debilius, & ita duplum in non duplo: quia non eadem virtus, nec æqualis. Tempora etiam non sunt omnino consequenter, quia vnum incipit ante finem alterius, & ideò non duplum in sesquialtera ab vna virtute, sed à duabus. Sic duo cursus si essent æquales, quorum vnus inciperet in medio alterius esse sesquialteri ad tempus vnius illorum cursuum. Item, si vnumquodque alterans tardiùs mouet, quantò debiliùs; ergo secundùm tardiùs primo: sed secundùm æquè citò cum secundo, quia incipit quando venit ad illum gradum, ad quem secundum venerat quando incepit, & ita æquè efficax quantùm est ex intensione formæ, est quodlibet post primum: sed B est minus A, quia A quando incipit est remissius O. Si autem B alteret C, non oportet C esse etiam minus ipso: quia B quando incipit; est ita intensum, sicut A, quando incepit, & ita passum æquale sibi proportionatum.

T. c 82. & inde. T. c. 36. & inde. Cap. 7. Si sensibile esset diuisibile in infinitũ, sensus cresceret in infinitum. 2. d. 2. q. 9. nu. 29.

11

Contrà, si ex intensione formæ, cæteris paribus, concluditur maior quantitas passi proportionati: ergo B cum A continuè intenditur per O, vel quòd A continuè maius, & minùs alterat B, antequam veniat ad gradum, in quo B potest agere A maius ipso B alterabit continuè; ponatur aliquid de ipso C vsque ad D, quando igitur totum B veniet simul ad gradum actiuum C vsque ad D, est aliqualiter alteratum; igitur si illud alterat, & vltra hoc totum residuum ipsius C vsque E, vt passum sibi proportionatum simul agent A, & B in C vsque ad D, & continuè vltra D extendet se A secundùm quod crescit, & ita C D citiùs est actiuums quàm D E, & priùs aget in propinquum, sibi proportionatum, quàm in distans, in quod aget, secundùm quod crescet. Sic ergo post primum alteratum semper erit successio, secundùm partes mobilis per comparationem ad quodcunque vnum agens. Similiter cuiuslibet agentis præter illa proportionata, prior pars priùs aget, quia priùs producetur ad gradum actiuum. Et erunt post principium C agentia infinita quolibet tempore priùs in actu alio, & ipsum ad actum producens: & cuiuslibet passum crescit in infinitum: sicut & ipsum crescit.

Quomodo post primũ alteratũ, est successio in alteratione?

Si vis hoc vitare, dic passum proportionatum intensiori non necessariò maius esse; fac conclusionem, sicut sub hoc in prosequendo 9. & 10. argumentum necessariò conceditur, quod à duobus simul mouetur, quicquid signatum mouetur, pari ratione à 3. & inferius quodlibet prius tempore, & natura in motu: sed natura tantùm in mutatione priùs est in actu, quàm aliud, & hoc vbi forma inducta est actiua, secus est in latione, vbi prius tempore; & natura, vt effectus prior, non vt causa. Sic quodlibet agens comparatur ad infinita passa, in quorum semper vnum prius tempore & natura, vel natura tantum agit, quàm in reliquum, & procedit vtrumque vsque ad determinatum ad quantum, scilicet potest se virtus agentis extendere, sicut O alterat A B, non simul. Sed A priùs, nec A simul, & sic in infinitum, A ergo agit, detur vsque ad D in infinitas partes B C, & in nullam simul; & ita infinitas passorum. Similiter quælibet pars A agit in B. & nulla simul cum alia: quia nulla æquè primò est in actu actiuo, sicut alia.

Litera corrupta.

12

Sic omnino oportet ponere infinitatem agentium, & patientium tempore, vel naturâ ordinatorum, & ponendo, quòd sit alicuius agentis, aliquod primum passum, vt O, A, & A, B, vltra vt hìc suprà deducitur, crescente A, crescit eius mobile proportionatum, & ibi vltra terminum B, erit omnino talis infinitas, & agentium, & patientium: sicut nunc dicta est: ergo omni modo ordo temporis, vel naturæ, vel vtriusque, est semper secundùm partes mobilis. Hoc non pro nihilo voluit Aristot. Tamen omnis pars potest cum principali agente in partem aliam, ita quòd faciunt vnum agens: igitur principale totum alterat, & habet passum proportionatum in quod agit, non simul, sed sicut natum est moueri secundùm partes, & per eas, vt concausas. Sicut mouens habet vnum mobile localiter, quod totum non fert simul respectu signi in spatio minori mouente citiùs partes, cessant alias ad gradum actiuum mouere. Sic ergo patet ad argumenta, & de proportionato passo, & regulis 7. Et quomodo non vna alteratio, nisi aliquo modo propter vnitatem continuitatis inter alterabilia: quandoque verò nec illa est: sed tantùm contiguitas, quia ad propositum non multùm refert dubitatio, si vna pars mobilis possit aliam mouere, &c.

Infinitas agentium, datur, si datur primũ passum.

SCHOLIVM IV.

DECEM selectis argumentis probat non dari successionem alterationis secundùm partes mobilis, ita quòd vna prima pars alteret secundam, & hæc tertiam, &c. & concesso intento horum argumentorum, quoad mobile proportionatum, cuius vna pars non alterat, sed totum immediatè alteratur ab agente principali; soluit argumentum in contrarium, admittens actionem in distans, de quo optimè agit 2. dist. 9. q. 2. num. 16. & 7. Physic. q. 3.

13

Sed primum argumentum contra vtrumque membrum quærit de prima substantia, vbi dicitur, quòd nunquam est successio alterationis secundùm partes mobilis, sic quòd vna alteret aliam, quod ostenditur multipliciter. Primò sic: quia efficiens,

efficiens, & effectus non sunt vnum ens. 8. Physicor. nullum continuum mouet se. Item, generans est prius naturaliter in actu, genito; ergo quot partes in mobili: tot sic se haberent, quòd prius naturaliter in actu secundùm formam esset vna, quàm alia, & distincta, quia alterans; & ita infinita in actu. Item tertiò, omne generans habet vnum primum, & immediatum genitum: illud non potest esse indiuisibile; tum, quia forma naturalis non est nata ibi esse: tum, quia illud alteraret aliud indiuisibile; & sic totum alterabile ex indiuisibilibus superficiebus, & motus ex mutationibus; ergo illud est diuisibile, & ita si illud simul, non priùs vna pars, quàm alia. Si habeo de vna parte satis est. Item, quartò, nunquam aliquid alteraretur, quia ab vno termino antequam perueniretur ad alium, quantumcunque illud esset modicum, essent infinita generationes actu. Item, quintò, quomodo pars pulsi pellet aliam partem, vel tracti pars trahet aliam, vertigo? Item, quomodo vna pars grauis mouet aliam? Item, sextò, cum impressio agentis non sit sibi vniuoca, sed Analoga, quia generatur ab eo secundùm essentiam, & esse; quomodo generabit effectum vniuocum in secunda parte sibi, qua genita est ab agente? Item septimò, si generat impressionem sibi similem; ergo non mouebit materiam ad aliam formam, cuius contrarium patet de impulsu dato. Proiectio faciet impulsum non motum, & impressio ignis in materiam aqua faciet impressionem, non formam ignis de potentia educet. Item octauò, non est causa quare lux reflectitur ad obstaculum, frangatur ad Diaphanum medium discontinuatum. Item nonò, prima pars non alterabit secundam, nisi in virtute primi alterantis; ergo primum magis. Item, decimò, in alterante pari ratione vna pars priùs alterabit, quàm alia: quia vna propinquior. Et ita tota virtus secundùm profundum non concurret ad agendum. Et ita efficaciter tunc potest operari, quantumcunque tenue: sicut quantumcunque spissum.

T.c.30.& circiter.

14

Ponitur igitur, quòd nulla pars mouet aliam in mobili proportionato: sed totum immediatè à principali agente mouetur. Confirmatur, quia realiter agens agit in realiter priuatum: sed quando realiter forma est in aliqua parte, est etiam in alia; igitur in alia non est actio. Contrà: illud agens est immediatum proximo patienti; per hoc enim in 2. de Anima probatur necessitas medij inter visibile, & visum. Similiter 7. Physicorum. Item, per hoc probatur Deus esse vbique præsens secundùm essentiam, quia vbique agit. Item. virtus non est, vbi non est substantia. Item, si non est immediatum proximo effectui; ergo aliquid medium, in quod non agit: quia tunc aliud esset proximus effectus; ergo nec in remotius aget. Ex illo probato sequitur propositum, quia extrinsecum agens non potest esse immediatum cuilibet parti mobilis: sicut vna aliis. Item, destructâ formâ partis propinquioris: destruitur forma partis remotioris, & positâ ponitur; igitur forma propinquioris est causa alterius. Ad illa respondetur. Ad primum, quòd tactus Mathematicus non est necessarius agentis, & patientis: cùm enim non tangant nisi superficies vltimas, non agunt, nisi in illas; & ita in nullam, & sic nihil est argumentum; igitur requiritur tactus virtualis, & sic intelligitur Aristotelis 7. Physicorum præsens in ratione potentis agere, & sic est præsens profundo passi; vbi non est eius essentia, sic ad probationes: nec ex illo antecedente sequitur propositum: quia nulli parti potest esse immediatum. Ad secundum, immediatum sic excludat medium in ratione causæ, conceditur, si effectum intermedium, falsum est: hac enim forma partis propinqua est effectus immediatior, quàm remota: sicut mouens non potest producere aliquod vltimum, nisi per intermedia: quorum nullum est causa vltimi, sed effectus prior, sed ibi tempore prior, hîc quandoque naturâ tantùm. Contrà, nec sic ordo, quia adamas attrahit ferrum non aërem intermedium; & centrum terram, non aërem intermedium. Respondeo, omne agens in remotius priùs agit in propinquius, sed non actione simili: piscis mortificat manum piscatoris non rete. Et Sol agit in orbem, priusquam in in elementa: non tamen ibi, sicut hîc formas producendo. Aliter, centrum non trahit, sed terra sua grauitate mouetur: sicut q. centrum attraheret: sic exponuntur.

T.c.73.& inde. T.c.8.& inde.

Dari actionē in distans.2. d.9.q 2.

Agēs in remotum, agit in propinquū actione dissimili.

15

Notandum, quòd hæc positio de immediatione agentis suo passo conceditur falsa: quia tantùm superficiei esset immediatum, & tunc non saluaretur positio de successione motus penes partes mobilis, quia in mobili esset dare primum. Et vel post quies, vel nunc immediata, & in mobili indiuisibilia immediata, similiter, quod post hoc tangitur, quod prius naturâ, vel tempore agit in propinquum, quam in remotum, licèt verum sit, & benè respondetur ad instantias: tamen non est propositum; ergo de proposito quædam argumenta prima videntur concludere, quòd impossibile sit successionem motus esse secundùm partes mobilis. Quædam, quòd hoc est impossibile, sic quòd pars prior moueat secundam. Tenendum autem videtur secundùm Aristotelem, & in motu locali, est manifestum, quòd successio potest esse secundùm partes mobilis. Et quod ex hoc sequatur aliud, scilicet causalitas prioris respectu posterioris. Probatur, quia omne ens actiuè potest omne ens in potentia simile sibi facere actu: prior pars prior est in actu actiuè, quàm secunda ex hypothesi successionis; igitur secundam, quæ tunc ex se est in potentia, potest facere actu, cùm sit approximata. Nec videtur impedimentum: vt ostendetur respondendo ad argumenta: ergo potest concedi, quòd motus potest esse successiuè secundùm partes mobilis, & sic etiam, quòd prior alteret posteriorem: quando scilicet prior peruenit ad gradum actiuum secundùm F, non secundùm E. Et vbi non est successio secundùm illas partes, potest concedi, quòd illa causalitas manet: quia prior pars prius naturâ habet formam, quàm posterior, licèt non tempore: ergo potest eam facere in illo: quia in illo tunc verè non habet, sic in illuminatione. Si autem est successio secundum formam: tunc pars prior aget, non secunda à principio: sed quando habet illam secundùm gradum actiuum.

Successio secūdum partes mobilis.

SCHOLIVM V.

SVSTINENDO successionem alterationis dari secundùm partes mobilis, ita quòd vna aliam alteret, soluit decem argumenta adducta ad oppositum num.13.

16

Ad argumenta. Ad primum, vnum ens &c. continuum falsum est, vnum identitate, verum est. Ad

Ad Aristotelem, mouere se non est vnam partem continui mouere aliam. Ad secundum, actu esse, est æquiuocum: vel in entitate propria extra causam, vel in esse distincto ab aliis. Primo modo, est generans actu prius naturâ genito, non secundo, quia continuatur genito: primo modo necessariò sunt infinita actu: quia qualibet pars continui est sua entitate extra causam, secundo modo non. Ad tertium, propositio prima neganda est, quæ est opposita conclusionis, quæ tenetur. Vnde si poneretur successio ratione formæ, non esset aliquod primum genitum eius. 6. Physicorum, cap. 4. & 5. *ã. suprà manifestè. Tum primo, vt opponitur ei quod est secundùm partem, sic conceditur primum, non primo tempore. Ad quartum, illud non est contra causalitatem partis ad partem, sed absolutè contra successionem penes partes, & idem fieret contra successionem secundùm formam, vnde infinitæ transmutationes in potentia: quia continuæ, siue à principali agente, siue partis à parte. Ad quintum, quod localiter mouetur, motu illo non acquirit formam actiuam, saltem vnica actione: ideò nec pars partem mouet: non sic in alteratione, vtrobique tamen est successio secundùm partes. Contrà: mobilis localiter vna pars propinquior, & priùs ordine naturæ mouetur, ita quòd motu eius posito, ponitur motus partis posterioris, & destructo, destruitur: & tamen non sequitur, quòd sit causa; igitur nec alibi. Respondeo: sola propinquitas non concludit: sed quia recipit formam actiuam, potest agere in approximatum passum. Ordo tamen naturæ hic conceditur in effectibus ordinatis, non causis: non sic in alteratione, quia effectus hic prior non est natus causare secundum, sicut ibi. Ad sextum, si intelligatur quòd omne agens imprimit speciem immediatè, negatur, sed formam vniuocam suæ in materia nata recipere, & ita illa potest vniuocam facere. Per hoc ad septimum, non est impressio, quæ moueat materiam: tunc enim moueretur à se, non ab agente extrinseco: sed extrinsecum mouet immediatè ad formam. Ad octauum, magìs per hanc positionem, quàm per aliam, datur causa formæ, vel æquè. Actiuum enim agit in receptiuum: & quia inuenit obstaculum, non potest versus illam partem agere, agit reflectendo. De nono pòst. Ad decimum non est simile: quia secundùm partes agentis, non est successio, partes enim accidunt agenti, per se sunt passi. Propinquitas igitur partium eius, est per accidens: sicut & partibilitas: quia si nullas partes haberet, & esset æquè actuale, æquè ageret.*

Text. c. 52. & circiter.

An in successione alterationis sint infinitæ transmutationes.

Virtus non potens agere directè, agit reflexè.

17

De secundo inconuenienti, virtus in toto est vna, & maior in maiori quantitate, licèt per accidens sit quantitas: ideò tota in profundo concurrit. Et per hoc ad aliud inconueniens, quòd in tenui non est tanta virtus. Ad vndecimum, quod est confirmatio positionis, responsio, actio subita simul est cum termino: ideò sic nihil agit in realiter priuatum, tunc quando agit, sed vsque tunc. Contra responsionem ad decimum, si quantumcumque agens non alterat, nisi partem mobilis minorem in infinitum quacunque data, quare non quodcumque paruum agens posset idem alterare? & ita nulla exigentia passiuorum proportionatorum motibus diuersis. Ad hoc, & ad nonum argumentum dicetur, quòd primum alterans alterat principaliter; pars alterata alterat instrumentaliter; ideò maius potest in passum maius, vt principale agens, non tamen nisi per partes passi: sicut in motu locali virtuosius potest maius mobile transferre, tamen non nisi modo sibi possibili, scilicet secundùm successionem partium respectu spatij. Contrà: forma vniuoca in quocumque est habet rationem causæ: quia causæ ordinatæ specie differunt, 2. suprà. Ideo in vniuocis solùm possibilis infinitas. Igitur pars alterata non est instrumentùm principalis agentis. Aliter dicetur, quòd agens principale, & pars alterata, vt vnum agens, alterant partem aliam. Contrà: vel vtrumque est causa sufficiens effectui: contra est 10. *cap. iuxta: aut neutrum; & tunc sequitur, quòd principale agens nullius erit causa sufficiens: quia non formæ in indiuisibili: quia ibi non est: non in diuisibili: quia pars eius cum principali causa, causat partis alterius formam, & tamen primum alteratum, vt ita dicam, non alterauit se.*

Actio subita simul cum termino.

Secũda pars an alterat aliam in virtute primæ partis?

Sic igitur vide, quomodo possibile est successionem esse in alteratione, vel alterationibus consequenter entibus secundùm alterata proportionabilia diuersorum alterantium, quæ alterata quandóque sunt continua, quandóque contigua. Secundò, quomodo secundùm partes vnius mobilis proportionati, potest esse successio, & causalitas A, respectu B, quandóque causalitas sine successione in illuminatione: quandóque econuerso, in latione. Et argumenta contra hoc. Tertiò, quomodo nec in primo modo: nec in secundo, A secundùm quemlibet gradum formæ eius alterat B; sed secundùm tertium. Quarto, quomodo agens præsens proximo patienti, vel effectui priùs agat in propinquum, quàm in remotum.

Epilogus.

Quandoque alteratio sine successione, quandoque non.

SCHOLIVM VI.

PONITVR triplex via sustinendi successionem in alteratione: prima, & secunda est penes gradus formæ; tertia penes partes mobilis, de quibus pro & contra mirabili subtilitate sine assertione disputat.

18

Nota, quòd via tenens successionem alterationis penes diuisibilitatem formæ, habet ponere gradus infinitos in forma, & nullum minimum, quo remissior non possit per se esse: quia priùs tempore acquiritur, & pòst tempore deperditur. Secunda via ponens quemlibet gradum esse aliud indiuiduum speciei, habet negare infinitatem: quia aliàs summus gradus infinitus: quia excedens infimum per infinitos æquales quantitatis: ponens minimum & maximum: potest negare contraria simul: sed successionem præcisè ponet secundùm partes mobilis 6. *Physicorum. Contra illud: eodem modo videtur ponendus motus in substantia, sicut in qualitate: quia penes partes mobilis successio vtrobique, vt dictum est suprà: quod videtur contra Aristotelem* 5. *Physicorum, vbi concedit in tribus generibus, negat in substantia. Item videmus, quòd aliquod quantum motum priùs habet calorem remissum, postea intensum: quomodo fit hoc? Ad primum: quædam formæ substantiales sunt vnigeneæ, quæ eandem dispositionem requirunt in qualibet parte: vt forma ignis: ibi potest concedi successio generationis penes partes materiæ extensæ per accidens. De cuius vna parte priùs educitur forma, quàm de alia. Sic respondet Aristot. ad rationem*

T. c. 7. & inde.
T. c. 9. & inde.

Quomodo est successio in generatione ignis?

tionem Zenonis, in mutatione secundùm contradictionem ponit medium penes partes mobilis. Et sic currit illa propositio, quòd nunquam vna pars aquæ est summè disposita primò cum alia parte: & tunc fit generatio ignis, quando corrumpendum est summè dispositum contrario sibi. Alia forma heterogenea, vt anima, non requirunt eandem dispositionem in qualibet parte, & si posterius alterari incipit vna pars, quàm alia, possibile est quamlibet in vno instanti esse summè dispositam suo modo. Et ita anima simul potest induci: sic igitur aliqua generatio non est motus, sicut alteratio. Contrà: ergo aliqua alteratio non est motus. Aliter potest dici, quòd generaliter forma substantialis perficit materiam non mediante quantitate, & ideo suum primum susceptiuum, inquantùm huiusmodi, non habet partem extra partem, & ideò in eius inductione non est successio secundùm partes sui susceptiui. quia susceptiuum per se non habet partes, sed per accidens: quia nunquam est sine quantitate: & ideò per accidens potest esse successio penes partes susceptiui: per se autem in alteratione, quia qualitas est per se in quanto. Ad secundum, si ab aliquo instanti incipit corpus calefieri, non est prima pars motus, sicut nec mobilis; inducitur in partes mobilis aliquis gradus minimus caloris, qui est mesura in pima parrte mobilis; per tempus incipit alius motus eiusdem partis, secundùm alium gradum maiorem. Continnatur tamen prima alteratio in partibus aliis mobilis, ita quòd qualibet vna alteratio est secundùm vnum gradum inductum successiuè in partibus mobilis, quâ completâ, vel quantulacumque eius parte potest incipere alia: & sic cum illa alia tertia: & currunt multa simul, vel consequenter entes, ita tamen, quòd nihil simul alteratur, nisi vna illarum: sed prior pars alteratur secunda alteratione, quando posterior adhuc prima alteratione alteratur, in fine prior pars est intensius calida, quàm pars posterior. Contrà: quicunque gradus, ex quo est indiuisibilis, totus simul inducitur, & ita permutationem; illa non est terminus alicuius motus, & videtur motus componi ex mutationibus.

Aliter fit generatio in heterogeneis, aliter in vnigeneis.

Forma substantialis informat materiam non mediante quantitate.

Quomodo calor intenditur?

19 T.com.10.

Item, agens sufficiens approximatum passo disposito in naturalibus, vt videtur, statim agit 9. Metaphys. cap. 4. igitur cùm istud calefaciens sit actiuum secundùm illas alterationes diuersas, secundùm diuersos gradus formæ, & semper approximatur passo alterabili secundùm omnes illas, immediatè postquam alterauit ipsum prima, alterabit ipsum secunda, vel necessariò quiesceret per tempus non agens, cùm tamen sit actiuum, & passo approximatum. Item, quantumcumque debilis virtutis calefaciens, calefaciet mobile sibi proportionatum in quantitate, æquè citò intenso calore, sicut perfectissimum calefaciens: quia oportebit procedere per omnes illas alterationes ordine certo, & inter quaslibet esse quietem. Item 5. quælibet pars est sub alio gradu, quàm alia, & ita sub alio indiuiduo, & ita totum erit calidum, nullo vno calore secundùm numerum, sed multis valdè, fortè infinitis in actu. Item, aliqua alteratio est subita, vbi tamen mobile est diuisibile, ergo hæc non est causa. Ad 1. quilibet gradus, etsi indiuisibilis est in se, inquantum est gradus formæ, tamen est diuisibilis per accidens ex subiecto, & successiuè inducitur in partes mobilis: nec est ibi aliqua mutatio alicuius partis, sed motus.

Agens naturale passo disposito, statim agit.

Contrà: igitur motus sine mutatione, nam illa mutatione quid mutaretur? Non pars illa mouetur, non indiuisibile, illud non recipit calorem; aut oportet concedere punctum calefactibile subitò; aut nullam mutationem ibi, quâ aliquid nouum insit. Secundùm illam viam punctus nihil est. Ad secundùm 8. Physicorum cap. 8. in generatione nihil producit natura, vt statim corrumpatur: ergo si posset aliqua pars mutari, non immediatè sequeretur secunda post terminum alterationis primæ; in quantacumque parte: sed oportet quietem intercipi mediam, in qua primus gradus inesset: nec est passum dispositum statim recipere oppositum illius, quod statim est inductum. Quanto tempore oportet quiescere? Responsio, non est dare certum tempus; quia minus & minus in infinitum, secundùm quod maior est mouentis virtus. Per hoc ad tertium, quomodo velocius mouet intensius nominatiuè. Aliter ad tertium, imperfectum mouens oportet incipere à minimo gradu, & procedere per omnes medios: perfectius potest incipere à secundo, ita quòd ille sit sibi primus alius perfectior à tertio, alius à quarto, & sicut non est primus necessarius ante secundum ex parte mobilis, sed propter imperfectionem mouentis, qui non potest perfectius tunc assimilare sibi passum, ita fortè incipienti à secundo non est tertius necessariò prior quarto: sed immediatè quartus alij, est sibi secundus, sextus alij, sibi tertius. Ad quartum, diuisibile non est mouenti diuisibile quando totum primò, & simul alteratur.

T.com.63. Nihil generatur vt statim desinat esse.

SCHOLIVM VII.

PONIT sex conclusiones de prioritate, posterioritate, & simultate alterationis, valde subtiles etsi obscuras; vbi nota quòd ipse explicat quid intelligit per *A*, *B*, *D*, itaque non sumuntur sicut aliæ literæ ab ipso positæ infrà post Scholium 9. & alias post varias instantias, & replicas explicat successionis causam, non esse ex parte formæ, sed ex defectu agentis: quidquid enim successiuè fit à causa minoris virtutis, potest simul fieri à virtute maiori, de quo Doctor 2.distinct.2. quæstione 12. vbi hac ratione docet Angelum non posse se mouere ad locum distantem nisi successiuè; potest tamen à Deo moueri instantaneè.

20

Ex prædictis nota sex conclusiones. Prima, quòd In omni transmutatione secundùm partes, mobilis est prius *A*, *D*. *Secunda*, In omni transmutatione, qua forma actiua inducitur vsque ad gradum actiuum, est prius *A* vtroque modo secundùm partes mobilis. *Tertia*, Inductione cuiuscunque formæ possibile est prius *B*, secundum partes mobilis. *Quarta*, In nullius formæ inductione est per se necessaria successio temporis secũdum partes mobilis. *Quinta*, In omni inductione ex parte graduum formæ est possibilis simultas opposita omni modo prioritatis. *Sexta*, In aliqua inductione est possibile prius *A*, *D*, & *B*, secundùm partes formæ: *vbicũque, scilicet forma habet gradus proprios, vbi non*

non habet, non est sic possibile, vt ponitur de forma substantiali. Ad euidentiam conclusionum cùm sit prioritas naturæ tam in genere causæ, quàm in genere effectus: & prioritas temporis: per A, intellige prius naturâ: per D, effectum priorem: per B, prius tempore in essendo. Contra quartum videtur esse instantia de Vbi*, & de quantitate inducenda. Item, quando primum alteratum proportionatum agenti, primò incipit alterare aliud, semper crescit eius alterabile: vt patet ex supradictis, & ita successio secundùm partes mobilis, est per accidens: quia alterans ponitur variari. Ad primam instantiam, si* Vbi *est aliqua forma mobilis, sit calor, tota est in tota, & pars in parte: nec nata est prius tempore pars mobilis* A*, esse in parte* Vbi C*, quàm B in* D*, immò necessariò simul tempore, si* A B*, est continuum: quia continuum est cuius motus est vnus, indiuisibilis secundùm tempus, 5. Physicorum. Si autem motus localis sit ad locum, cùm prior pars mobilis necessariò sit priùs cum aliqua parte loci signata, quàm posterior pars mobilis, necessaria esset successio secundùm partes mobilis; vel simul 2. præsentes eidem parti loci: sed secundum modum non teneo.*

T.c.23. & inde.

21

Ad 1. non est instantia. Similiter de augmento non priùs A, pars mobilis acquirit quantitatem C, quàm D, B, aliàs nullum esset instans terminans motum, in quo totus cessaret. Sed magis videntur instantiæ prima contra quintam, sed si in omni genere est generatio, & omnis motus terminatur ad mutationem, necesse est in vltimo instanti aliquid formæ induci, quod antè non infuit, & pari ratione posset tota. Contrà: vnde ergo successio secundùm formam? Respondeo, ex defectu agentis non potentis totum simul inducere, possibilitas verò successionis ex parte formæ. Contrà; in principio agit secundùm vltimum gradum suæ potentiæ; ergo tunc producet quicquid est producere: potest autem vltimum gradum producere; igitur &c. Item, quicquid facit in vltimo secundùm aliquos, non manet. Item, ergo successio à mouente, non à mobili, nec forma. Ad primum, agit quicquid potest tunc agere, non quicquid tunc potest agere. Contrà: si tunc potest, quare non agit tunc, cùm non sit ab extrinseco, quia illud natum est fieri tunc? Respondeo, eadem est quæstio, quare non curro in instanti, cùm potentia currendi sit in me in instanti? Contrà, illud non est natum simul fieri. Respondeo, nec illud ab illo, licèt ab alio. Contrà: quicquid absolutè est possibile nunc fieri, nunc fit à nunc potente facere. Respondeo: non: sed à potente nunc facere. Ad secundum respondeant illi aliqui. Ad tertium; nunquam est successio in forma inductione necessariò, nisi ex resistentia mobilis ipsi mouenti, quæ non est ex contrario: quia tantum potest super illud, quantum potest inducere formam: nec est ex natura mobilis absolutè, quia tunc cuicunque resisteret, sed est ex defectu virtutis agentis. Inductio verò per quadam media incompossibilia simul, necessario est non subita, ex resistentia mobilis ad media simul: non quia mobile habet contrarium, sed quia mediorum inter se. Sed non posse inducere, nisi per talia media est imperfectionis in agente; ergo nec distantia terminorum est causa necessaria successionis: quia si vnus potest simul induci, & alius. Si intelligatur distantia propter multa media, non differt ab illa causa propter resistentiam medij ad mobile, & hoc est ex incompossibilitate mediorum in isto. Si non est necesse ire per media hic tunc, & hæc causa nulla; ergo tantùm tertia causa, scilicet resistentia mobilis ad mouens, quæ est propter defectum virtutis mouentis.

Successio in forma, ex defectu agentis.

Inductio per media incõpossibilia, est successiua.

SCHOLIVM VIII.

REFERT circa hanc, & quæstionem præcedentem quatuor sententias de suscipiendo magis, seu de intensione formæ. Secundam retulit, & reiecit quæst. præced. Item & tertiam, quæ ponit formas in se indiuisibiles, sed intendi ratione subiecti, quæ censetur D. Thomæ 1. 2. quæst. 51. artic. 1. & 2. & 2.2. quæst. 24. art. 5. vbi Caietan. Capr. 1. dist. 17. quæst. 2. Socin. hîc q. 21. Iauell. q. 6. quam fusè refutat Doct. 1. d. 17. q. 5. 6. & 3. Phys. q. 3. 4. 1. & 4. opiniones exoluerunt. Est & alia opinio Hoffredi quodlib. 11. q. 3. Durandi 1. dist. 17. q. 7. & aliorum formam dum intendi dicitur totam perire, & aliam ei succedere, quam hîc non refert Doctor, sed locis citatis latè eam refutat.

22

Quatuor opiniones, de intensione formæ.

Circa istas duas quæstiones de magis, & minùs sic procedendum est. Primò recitandæ sunt opiniones, & improbandæ. Secundò, veritas declaranda est. Opiniones sunt tres. Prima ponitur, & improbatur ab Auctore 6. Principiorum, quòd magis est propter incrementum subiecti, vel accidentis, vel vtriusque tam in eodem, quàm in diuersis. Probatur, grauius est, quod habet maiorem grauitatem extensiuè. Contrà: susciperet tunc magis, quia incrementum recipit secundùm quantitatem, vt vir maior puero. Item, quantitates solæ per se, & figuræ, quæ consequuntur: quia illæ quæ per se crescunt, reciperent magis, quod est contra Aristot. in Prædicamentis. Tum in cap. de Quantitate, & Qualitate. Tùm infrà, quadratum crescit gnomone circumposito: non tamen alteratum est. Item, omne maius album, esset albius, patet esse falsum. Opinio alia de contrario prius ponitur cum improbatione. Item, improbatur de magis, & minus in lumine in medio, vbi non est contrarium. Similiter de virtute sine omni vitio, & gratia sine peccato in statu innocentiæ. Item, motus in magis est dealbatio; ergo terminus ad quem, non est tantùm separatio nigredinis. Item, opinio tertia de magis secundùm esse in subiecto ponitur prius. Pro hac Boetius in Prædicamentis. Contra ipsum arguitur, Prius in infinitum, &c. Istæ duæ opiniones negant in essentia magis per hoc 6. principiorum, Forma est compositi, &c. *Item, differentia formalis est specifica. Item, addito aliquo, non manet species. Contra illam conclusionem, illud prius factum habitibus præsentibus, &c. Item, illud contrarium in vno gradu est incompossibile alteri, in alio non; igitur in primo aliquid habet in essentia quo repugnat, non per subiectum. Opinio quarta Auctoris 6. Principiorum: quod magis est per accessum ad terminum, in quo fit incompositio nominis. Contrà; tunc nihil esset album albedine, nisi albissimum.*

In prædicamentis, cap. penultimo.

Non omne maius, albũ, est albius. q. præced.

Hoc est D. Thom.

SCHOLIVM IX.

PRO resolutione quæstionis quatuor ponit articulos. Primum diuidit in quinque membra. Secundum in totidem. Tertium in tria. Quartum in

in septem. Quoad primum docet primò, secundùm Aristotelem in quiditatem non dari magis. Secundò, quod dicitur magis, esse in se maius. Tertio, solùm secundùm prædicationem denominatiuam aliquid dici magis. Quartò, omne maius habere latitudinem inter summum,& infimum. Quintò, maius,vel minus reperiri in omni creatura,quia creaturæ sunt sicut numeri.

23

Circa solutionem sic procedendum. Primò in vniuersali absolutè, & ibi 5. Primò, quæ sit intentio Aristotelis hîc: quomodo, scilicet negatur, vno modo magis *in substantia, & accidente. Secundò, quòd vbicunque est* magis, *est propter hoc quòd aliquid est maius, non maioritate molis, sed perfectionis, vel in natura rei, siue in complemento perfectionis, vel in potentia, siue in feruore actionis. Prima dicitur naturalis bonitas. Secunda dicitur naturalis vigor. Tertiò, quòd non vbicunque est maius perfectione, ibi est magis. Quartò, in quo communiter consistit ratio eius magis,quod est maius perfectione? Quintò, quòd maius sic inuenitur in quocunque respectu alterius, vel minus:loquendo de diuersis naturis, siue comparatis inter se, siue ad Deum.*

Secundò, procedendum est in vniuersali comparando maius, *&* minus *ad vnitatem; & primò numeralem;* Vtrùm idem numero possit esse maius, & minus, *& ibi priùs declaratur quartus articulus præcedens. Secundò,* Vtrùm idem specie possit esse maius,& minus. *Et iuxta hoc:* Vtrùm necessaria sit vnitas speciei: *& tertiò,* An vnum genere possit esse, *&c. Quartò,* An vnum Analogicè. *Quintò,* An vnùm æquiuocè.

Tertiò, procedendum est in particulari. Primò, quo istorum modorum est maius in accidentibus, Secundò,in substantiis. Tertiò,quomodo hîc,& ibi aliter.

Quartò, specialius procedetur. Et primò, an in substantiis materialibus? Secundò,an in omnib. materialib. ratione formæ? Tertiò,an in ratione materiæ? Quartò,an in quantitatibus? Quintò,in quibus qualitatibus? Sextò,an in relationibus? Septimò,an in actione,& passione,& sic consequenter de aliis Prædicamentis.

T.c.10. huius. In quiditate non est magis, nec minus.

De primò; Aristoteles loquitur de quiditate, inquantùm exprimitur per diffinitionem,& sic non recipit magis:ita quòd includat, quia abstrahit ab vtroque oppositorũ. Probatur per proprietatem præcedentem, quocunque addito, & est inquantùm diffinibilis. Quod dicit, substantià secundùm speciem, *accipit pro quiditate in vniuersali: sicut per totum hîc accipitur* substantia. *Quod dicit:* siquidem cum materia: *vel sunt duæ dictiones, si substantia habet magis* quidem *cum materia, vel vna dictio,* siquidem cum materia, *id est, in inferioribus, quæ respectu eius sunt materialia. Nulla ergo maioritas est in quiditate, vt quiditas, quia abstrahit ab omni conditione indiuiduali. Hoc verum est in substantia, & accidente,*8. *Metaph.*

Maius, & magis quomodo differunt?

De secundo; vbicunque aliquid secundùm aliquid dicitur magis, siutrumque esset indiuisibile, esset impossibile magis, igitur alterum est in se maius; & communiter est illud, secundùm quod aliquid dicitur magis. Maius, *& minus, est aliquorum comparatorum secundùm propriam quantitatem virtutis, vel molis. Magis dicuntur aliqua quæ comparantur secundùm illa, quæ dicuntur maius, & minus.*

24

Solum denominatiuũ prædicatum dicit magis. Aduerbium non determinat, nisi vi Verbi.

De tertio:quia nihil magis,nisi prædicatum denominatiuum,ideo, &c. *Prædicatum enim dictum in quid æqualiter dicitur de quolibet subiecto,quia per se includitur in quolibet. Contrà: non probatur prima. Item, per secundum probatur æqualis veritas cuiuslibet compositionis: non autem æqualitas in prædicato. Ita dicetur in denominatiuo: si enim necessaria est consequentia ab abstractis ad concreta: sed omnis albedo est æqualiter albedo, licèt non æqualis albedo,& omnis albus est æqualiter albus. Ad primum, Aduerbium non est determinatiuum, nisi vi Verbi, vel habentis vim eius, Participium includitur in concreto,vt* habens, *non autem in abstracto. Item in Grammatica notatur, quòd adiectiua tantùm recipiunt comparationem. Contrà: tantùm concluditur improprietas, non falsitas. Respondeo ad secundum, soluit primum, vbi dicitur, quòd hæc non est magis albedo, nec vt magis determinat compositionem, nec vt prædicatum. Sed tantùm est maior albedo. Item, aut significat* maior *cum albedine, quod* magis *cum albo. Ideò cùm æqualiter determinare possit prædicatum,hinc inde, non tenet consequentia. Nullum igitur abstractum dicitur magis, nec aliquid dicitur magis aliquid in abstracto. Responsio Logica: quia si* magis *determinet esse, falsa est. Si prædicatum,ratio Grammatica, illud non est determinabile per* magis: *sed tantùm adiectiuum: forma dicitur maior alia,secundùm quam subiectum habens,dicitur magis alio. Licèt forma sit maior alia,nihil secundùm eam dicitur magis, nisi denominet propriè, hoc est subiectum alterius naturæ. Ideò secundùm formam substantialem nihil dicitur magis.*

Nihil dicitur magis alio in abstracto.

Forma est maior, quæ facit subiectum magis tale.

De quarto:necesse est illud, quod dicitur maius, habere latitudinem quandam, cuius sunt duo termini in summum, & in imum, improbatur. Probatur ratione, quia non stat in indiuisibili. Item auctoritate Aristot. determinatorum nullum recipit magis. *Determinata dicuntur limitata ad gradum indiuisibilem. Item, Simplicius, quadam infinitate. Item, auctor 6. Principiorum, ad terminum accessus* &c.

8.huius, vbi sup.

De quinto: sicut creaturæ procedunt à Deo, vt numeri, & ordinatè, ita inæqualiter, quia multæ numero, quia inæquales mensura, quia compositæ pondus, id est, ad dissolutionem inclinatio; igitur maior hæc illa. Sed inter se comparatio propria: Ad Deum comparatio excessiua.

SCHOLIVM X.

LITERA hæc secundi articuli vix,aut ne vix capi potest: quia Alphabeti literis eam signauit Doctor,quas posteri omiserunt secundùm veritatem, quidquid dicat Henricus, videtur propriè tantùm in singulari reperiri *magis*, & *minus*. Ad tertium articulum cum Henrico vult *magis* in accidente,esse secundùm partes, non secundùm indiuisibile,de substantia hinc inde disputat: inclinat tamen quod intenditur per partes, atque vt generatio sit successiua in homogeneis,secundùm Aristot. Ad quartum nihil certi colligo,nisi quòd quantitas non habet *magis*,& quod singulæ qualitatis species id habent præter quartam. Ista breuissimè,& obscurissimè ponuntur, vt vix sensum capias.

25

Circa secundum principale. De primo, Henr. c.f. quod sit in accidentibus pars post partem,ideò ibi

ibi naturæ ſingularis habet latitudinem, & determinata ad ſingularitatem, non determinatur ad gradum: niſi per motum potentem ſiſtere in quolibet gradu. Quando ergo forma accidentalis vna maior alia, latitudo ponitur, non tantùm in natura ſpecifica, ſed in eadem ſingulari forma, & hoc non eſt ſecundùm gradus indiuiſibiles, ſed partes diuiſibiles habentes terminos indiuiſibiles: vel quaſi continuantes, aliàs non eſſet motus continuus, & continuatus per mutationem. Sed nunquid infimus? non: quia non eſt dare primam mutationem in motu. Item, nec vltimum nunc *in eſſe, ergo infiniti gradus. Item, ergo ſummus infinitus. Item, ergo aliquis gradus erit inferior materia. Quare ſolutionem* O, *26. g. In ſubſtantiis non ſic, ſed ſola natura vniuerſalis habet latitudinem, in quolibet ſingulari eſt determinata ad gradum; ideò non eſt ibi modus, nec intenſio, licèt* magis.

Contrà: de gradibus æqualibus ſecundus non intendet. Item, ex ſequenti, & præcedenti, quomodo fit vnum? Item, termini motus incompoſſibiles O, *26. g. Item, forma moueretur à magis in minùs. Item, perfectior compoſitio realiter. Rationale videtur, quòd vbicunque eſt magis, eodem modo ſe habeat ad minùs. Quando autem in aliqua ſpecie eſt: vel in ſubſtantia, non ponitur compoſitius, quod eſt magis. Item, tenetur alia pars, quòd nihil idem numero eſt magis, & minus, ſed differentia propinquior naturæ, eſt magis, & minus, remotior differentia indiuiſibilis: perfectiùs autem, quod præciſè virtualiter continet minus, non realiter: ſicut maius continet, quàm minus: nec tantùm non continet priuationem in minus: ſed nec rem ipſam, quæ ſubeſt. Contra:* O, *26. g. ſub de quantitate.*

Contrà: omnis differentia maior numerali, per ſe ordinata ad ipſam, eſt ſpecifica. Probatur, quia diffinitione expreſſibilis. Item, in eadem ſpecie non ſunt idem termini motus. Item, quomodo aliter in accidentibus, quàm in ſubſtantiis? Reſpondeo 3. tertij, de ſecundo differentia ſpecifica &c. non ſtat in indiuiſibili.

Amicitiam non oportet dici vniuocè. Tex.c.31. & circiter.

De tertio, 8. Ethic. A, *non oportet amicitiam dici vniuocè, quia magis, & minùs; vnde colonatior ſecundùm genus, quia perſpicuum magis terminat, & ſapientior magis, quam grammaticior.*

De genere diuiſo per differentias additas, & per gradus naturæ, quære C, D, C, E. *Contrà: 7. Phyſicor. de comparatione ſecundùm ſpeciem atomam.*

De quarto, ſic: in ente comparantur ſubſtantia, & accidens, 7. Metaph.

De quinto, Henric. C, F, *non ſecundùm diuerſas rationes partibiles in comparatis, eſt magis, & minùs, ſed requiritur vna ratio communis vniuoca, vel analogica: tum quia comparatio æquiuoca abuſiua: lux clarior tenebris, exceſſiua infiniti ad finitum. Contra 1. Cœli, & Mundi.*

T c.36. & circiter. 26

Circa tertium principale, regula Henric. B, F, *quòd tantummodò quæcunque indeterminata determinabilia, non tamen ab aliquo intra eſſentiam, vt quanta, ſed cum hoc ab eo, in quo ſunt, habent magis.*

De primo, & ſecundo ſic, quia non in indiuiſibili. Item, arguitur per motum, ſed in 3. artic. hoc patet, quomodo illud argumentum tenet contra ſecundum, forma ſubſtantialis perfectiſſima. Item, dat eſſe *ſimpliciter; ergo adueniens eſt accidens. Item motus in ſubſtantia. De tertio, tertius primi. Item, in accidentibus motus, licèt non manente eodem ſingulari accidente in ſubſtantia, totum ſubitò inducitur. Item, eſt differentia comparando ad contrarium, quia in accidentibus compoſſibile contrarium contrario remiſſo, in ſubſtantiis ſimpliciter incompoſſibile; ideò hic motus.*

Contrarium cõtrario remiſſo compoſſibile.

Contrà: ſicut penes infinita indiuidua, eſt motus in accidente, quare non poteſt ita eſſe penes infinita indiuidua ſubſtantiæ in gradibus infinitis? Item, ſecundùm infinita indiuidua accidentis, non eſt motus, niſi ex mutationibus, quia nullo tempore eſt ſubiectum ſub eodem. Item, de ſubſtantia demonſtratio Ariſt. 6. quæ eſt primum argumentum ſuprà ad 1. quæſt. Ad primum, ante nunc *generationis nihil inducitur, tamen materia tota ſummè diſpoſita; igitur ſimul generatio. Contra 13.2. ſub & ſuprà in concluſionibus. Tene quod Ariſtot. ponit generationem ſucceſſiuam ſicut motum, & omnem ſucceſſionem penes partes mobilis, niſi in Quantitate, & Vbi.*

Generatio ſecundùm Ariſtot. an ſucceſsiua?

Circa quartum principale. De primo Henr. non B, E, *contra Richardum.*

Com.67.

De ſecundo in elementis, ſecundùm Comment. 3. Cœli, & mundi. Probatur per corruptionem. Aliter ignis denſior aqua ante generationem terræ ex igne, & denſitas ſine ſubiecto proprio; ergo &c. Item, quomodo mixtio elementorum? Item de anima intellectiua, ſecundùm articulum igitur perfectiſſimè, & imperfectiſſimè; ergo omnes media. Arguitur ex operatione, & propriis accidentibus.

De tertio quære in Henric. C, A. *Magis malè dicitur: cuius materia eſt virtualiter maior: & tunc dicitur multa: quando autem actu extenſa, dicitur magna.*

Text com.1.

De quarto, nulla quantitas: quia ratio eius in extenſione, vel diſcretione ſubſtantiæ. Contrà: 10. Metaph. maius continuum, cuius motus indiuiſibilior.

De quinto, tantùm in quarta ſpecie non eſt magis; quare ergo non eſt motus in prima, nec ſecunda. Ad 6. non &c. Quare.

SCHOLIVM XI.

ADDVCIT tria media cùm Henrico ſuadentia vnam formam ſubſtantialem eſſe maiorem aliâ eiuſdem ſpeciei, & hoc quoad primam quæſtionem. Quoad ſecundam, an eadem numero forma ſubſtantialis poſſit intendi, poſſet negari cum Henrico contra Commentat. & hunc tertia quæſtio, ſcilicet quibus mediis, an continuis, vel indiuiſibiliter, non haberet locum: ſi verò affirmatiuè reſpondeatur ad ſecundam quæſtionem, Ad tertiam etiam dicendum, quòd continuè intendetur forma. de quo nihil reſoluit Doctor.

27

Poſſent ergo formari tres quæſtiones de ſuſceptione magis, & minùs in formis ſubſtantialibus. Prima An forma ſubſtantialis ſit maior alia eiuſdem ſpeciei? *Sic Henric. vniuerſaliter. Auerroës particulariter. Secunda: Dato quòd ſic,* An idem numero intendatur: *Henric. non. Auerroës ſic. Tertia ſi ſic:* An per media continua, vel tantùm indiuiſibiliter? *Quia quilibet gradus indiuiſibilis ſi diuiſibiliter, licet ſucceſſiuè acquiratur forma perfecta; quod non eſt inconueniens in generatione, niſi concedatur ſucceſſio ſuprà: non tan-*

Text com.8.

tùm motus propter subiectum, quod non est : sicut currit vtraq; ratio Arist. in 5. nõ cõtra successionẽ: sed quòd generatio nõ est in diuersis partibilis. Nota, quòd quæstio prima mota de substãtiali forma, nullam habet rationẽ cogentẽ pro, nec cõtra. Pro, est articulus vigesimus primus, igitur de intellectiua, & Auerroës in 3. Cœli, & mundi de forma elementari. Ex his concludit de mediis quòd sic. Contra non est Aristot. hìc : quia soluitur ante ad D. in Prædicamentis videtur contrà. Sed potest exponi: sicut ad E & G, quia in cap. de Qualitate negat iustitiam dici magis & minus, nec principiũ sex principiorum, infrà ipse in termino loquitur de nomine, non de re. Vide qualem simplicitatem probat in essentia, sicut 8. Metaph. t. com. 10.

Comm. 67. Formã substantialẽ habere magis, & minus, nec probari, nec improbari potest.

Pro, videntur tria media. Vnum est ex qualitate propria comparata ad elementum, cuius est propria. Aliud comparata ad aliud subiectum. Tertium ex actione inæquali : quæ sibi competit ratione formæ substantialis. Ex primo sic : calidum intenditur, & remittitur; igitur ignis. Probatur consequentia, quia propria passio saltẽ consequitur formam, tanquam per se causã : causa similiter se habente, & causatum. Secunda probatio est Auerroïs 3. Cœli, & mundi; quia qua ratione ignis manens non remissus, potest remitti secundùm vnum gradum caloris, pari ratione, & secundùm omnem. Hæc posset esse ratio, quæst. per se : quare manent in mixto: igitur in se remittuntur. Sed antecedens est dubium, & Auicenna negat consequentiam. Sed probatur, quia quomodo illa in se intensa sunt potentiales respectu formæ mixti, cùm quælibet sit nata sic perfecta constituere per se ens? Itaque hæc ratio de mixto est particularis, & concedenti antecedens est probabilis.

Suadetur formã substantialem intendi. Comm. 67.

28

Ex secundo medio arguitur; in alteratione præcedente corruptionem aquæ in ignem, inducitur calor: igitur & forma ignis non perfecta, ergo remissa. Primum patet, quia tunc cessaret actio, vel saltem post primum gradum caloris inductum, nulla esset generatio. Prima consequentia probatur per primam probationem priùs, quia passio; vel per secundam, saltem videtur accidens proprium. Et per tertiam, quia tunc totus calor igneus posset esse in aqua. Et confirmatur, quia si non inducitur in aqua calor incompossibilis aquæ per alterationem, non sequitur corruptio: quia forma non expellitur, nisi per grdum sibi incompossibilem, si inducatur, igitur habet calorem excedentem aquam.

Alia probatio est: quòd aqua manens aqua erit multoties calidior igne manente igne. Probatio, sit enim supremus gradus caloris ignei, decimus, aqua ante corruptionem habet 9. gradus. aliàs non summè disponitur. Item, ignis corrumpendus frigescit: igitur ante corruptionem non habet nisi vnicum : gradum: quia aliàs non summè disponitur ad corruptionem : aqua ergo corrumpenda excedit ignem corrumpendum in 8. gradibus caloris, & est nouies calidior igne. Alia probatio est ex 2. de Anima, vbi probat, quòd corpora non tangunt se immediatè in aere, vel aqua : quia extrema eorum sunt humida; ergo est aër, vel aqua.

T.c.113.

Ex tertio medio arguitur : ignis remisso calore non aquè ignit, nec vinum aquaticum conuertit semper aquam in vinum; nec caro secundùm materiam conuertit alimentum in carnem. Et tamen illæ generationes fiunt per formam substantialem generantis.

29

Contrà: videtur vnum medium, ex auctoritate: quia negatur motus in Substantia, sicut conceditur in Qualitate, non penes partes mobilis, quia sic generatio est successiua 13. 6. suprà : ergo penes partes, & impartibilitatem formarum. Aliud medium, dat per se esse. Qui teneret sic tantùm propter articulum, posset ad secundam quæstionem motam dicere, quòd non, cum Henrico, & tunc tertia quæstio nulla esset sibi nec multò magis quarta egeret ad saluandum Aristotelem de non esse motum in substantia. Sed qui tenet propter alterum medium dicat consequenter quantùm vtrumque concludit : quod vtique est. Ad secundam quæstionem, quòd sic. Et ad tertiam similiter: quòd sic: patet enim, quòd si intensio qualitatis concludat intensionem formæ elementaris, igitur continua intensio in fluxu eiusdem qualitatis concludit continuam intensionem in fluxu eiusdem formæ ignis. Alioquin in aliquo instanti non correspondet proprius gradus formæ ignis proprio gradui qualitatis in instanti illo : & tunc statim receditur à mediis illis, quia simpliciter non concluderent. Itaque, qui tenet propter auctoritatem Auerrois, cùm ille probet propositum per primum medium, habet dicere consequenter, quòd sic, ad primam, ad secundam, & tertiam quæstionem : & non restat ad benè saluandum Philosophum, quòd non sit ibi motus, nisi quartum. Igitur Henric. non dicit consequenter, cùm ponat conclusionem; propter Auerroëm. Et ad secundam quæstionem respondeat negatiuè: nisi intelligat de aliis substantiis ab elementis. Sed nec de illis potest qualitas intendi continuè sine continua intensione formæ substantialis.

An eadem forma substãtialis numero, suscipit magis, & minus.

An forma substantialis suscipit magis cõtinuè?

SCHOLIVM XII.

TANDEM inclinat quoad primam quæstionem vnam formam substantialem esse perfectiorem aliâ eiusdem speciei, & sic eam sequitur Mauritius hìc dicens, cõmuniter sequaces ita sentire. Anton. Andreas ex professo lib. 11. q. vn. de quo egi trac. de An. disp. 1. sec. 10. vbi hanc partem problematicè teneo, quia sic videtur tenere Doctor, licèt magis inclinet in affirmatiuam, & iuxta hæc exponendus est 3. d. 15. num. 18. vbi ait animam Christi esse omnium excellentissimam. Sed quoad secundam quæst. cum Henr. contra Auerroëm tenet eandem numero formam substantialem non intendi, nec remitti. Soluit argumenta ex tribus mediis adducta nu. 27. 28. quatenus faciunt contra eius responsionem. Ad secundam quæst. qui attentè legerit hanc quæst. non mirabitur, Mauritium hìc dixisse, Doctorem quasi vltra humani ingenii vires speculatum fuisse, quod passim in hisce Metaphysicalibus præstat.

30

Tenendo primum medium, potest dici, quòd non solùm elementa, sed multa mixta habent qualitates proprias, respectu quarum forma substantialis eorum sibi ipsi derelicta, hoc est, excluso contrario agente extrinseco, est causa naturalis actiua secundùm proportionem perfectionis suæ: quia causa naturalis sibi derelicta, & sufficiens, ex quo agit secundùm vltimum potentiæ, si est perfectior, effectum perfectiorem producit, & talis qualitas apparet perfectior in vno indiuiduo speciei sibi derelicto, quàm in alio; igitur, &c. Itaque non teneo primum medium, quod omni gradui qualitatis propriæ, quæ inest per actionem agentis extrinseci, correspondeat proprius

Vnam formam substātialem esse perfectiorē alia eiusdem speciei.

proprius gradus formæ: quia tunc sequitur illud inconueniens priùs positum; sed gradus qualitatis in esse quieto, sequitur determinatum gradum formæ. Vnde breuiter sic arguo: vna substantia eiusdem speciei habet qualitatem necessariò conuenientem speciei, intensiorem, quàm alia; & hoc excluso omni agente extrinseco; ergo forma substantialis vnius est perfectior alia. Antecedens patet in indiuiduis ignis, & aquæ, &c. Patet in carne, & carne, vino, & vino & multis aliis. Consequentia patet, causa naturalis alicuius, quando non impeditur, agit secundùm vltimum potentiæ; igitur æquè perfecta non impedita necessariò habet effectum æquè perfectum: forma substantialis potest esse causa naturalis qualitatis consequentis: quia siue in generatione qualitas illa sit à generante; siue non, saltem potest esse per actionem formæ circumscripto extrinseco: sicut patet quando primo per contrarium qualitas talis remittitur, & postea sibi derelicta redit ad gradum perfectum qualitatis illius reditus non videtur causa efficiens, nisi indiuiduum: vt habens formam substantialem.

Causa naturalis agit, quantū potest.

13 Forma substantialis nō remittitur.

Itaque ad secundam quæstionem ibi dico, quòd non, propter idem medium: quia si remissa qualitate remitteretur forma substantialis; igitur amoto contrario remittente, nulla esset causa intrinseca redeundi ad gradum intensum; nam forma substantialis remissa, per te, non est principium agendi ad qualitatem intensiorem: quia illa non est sibi proportionalis, sed ille gradus remissus. Similiter nec forma remissa per te est, principiū intēdendi seipsam, & sic ex consequenti qualitatem; patet quòd nihil intendit se effectiuè. Consimiliter dico, quòd qualitate tali innaturaliter intensa per contrarium præsens, sicut quando aër calefit contra gradum naturalem, non intenditur forma aëris: quod tunc amoto igne non esset causa intrinseca, per quam aër rediret ad perfectum calorem remissum; patet etiam, quòd non. Ad secundam quæstionem in animabus, de quibus est articulus, & videtur similiter in aliis: nihil enim concludit, formam substantialem sic intendi.

Ad argumenta prima. Ad primum, prima consequentia non valet, quia causa naturalis est impedibilis per contrarium præsens, & agens, & ita per illud contrarium potest effectus eius remitti: licèt causa non remittatur: quod hîc patet, quia æquè sibi derelicta causat effectum perfectum, vt priùs. Sed valet consequentia, sic arguendo; Calor est maior in hoc igne sibi derelicto, quàm in alio; ergo hæc igneitas est perfectior, sicut priùs arguitur. Ad probationes consequentiæ. Ad primam dico, quòd nō est propria passio: quia nec indiuisibiliter sequens, nec sibi inhærens: sed est qualitas necessariò consequens formam, necessitate absoluta, secundùm aliquem gradum determinatum: sed non secundùm gradum certum necessitate tali, qualis est connaturalis ad agendum: quæ scilicet manet causa sibi derelicta: non autem manet contrario impediente. Tunc illa est falsa, causa similiter habente, & causatum, nisi intelligatur causa similiter se habere ad extra: scilicet impediendo quam similiter in se. Probatio secunda Auerroïs nihil valet, quia multa simpliciter necessariò requirunt qualitatem infrà latitudinem aliquam, non tamen necessariò in hoc gradu. Exemplum: vita requirit sanitatem aliquā, igitur requirit hanc proportionem præcisam humorum adhoc; vt sit hæc vita? Tunc sequeretur, quod corpore meo aliqualiter infirmato, anima mea intellectiua remitteretur, quia illâ formaliter viuo: nec sequitur, eiusdem rationis est vnus gradus qualitatis. & omnes, ergo æquè potest indiuiduum carere omni vt vno: quia non æquè necessariò requiritur ad illud. Sed quæ causa, quare necessariò requirit aliquem gradum? vt in omni corrupto forma corrumpatur, cùm quilibet accidat?

Soluit argumenta posita num. 27.28. Calor an propria passio ignis?

Causa similiter se habente, & causatum.

32 T.c.4. Tantus calor in aqua in fieri, quātus in igne in facto esse.

Ad secundum medium: nego consequentiam, quia qualitas illa licèt primò insit igni ex se, non tamen soli: quia est causa aliis caloris, 2. Metaph. Ad secundum, probationes patent. Ad tertium, siue ponatur quæcunque indiuisibilia nihil esse, nisi priuationes continuorum, siue ponatur per vltimam mutationem nullum gradum nouum induci, sed in tempore calorem induci, in instanti inductum esse, concedenda est conclusio, quòd tantus calor est in aqua in fieri, quantus in igne in quieto. Et tunc confirmatio non est contra. De hoc est instans per se: propter motum localem in instanti, arguendo de raritate, & augmento, quære. Si autem per mutationem vltimam concedatur nouum gradum induci caloris: consequentia non valet, quia sicut priùs latitudo est necessaria: non tamen supremus gradus, quando contrarium impedit, ita aliqua latitudo qualis est compossibilis aliquis gradus supremus, quia sibi repugnat infimo necessariò huic non est incompossibilis.

Ad confirmationem dico, quòd in toto tempore alterationis non inest aliquis gradus incompossibilis ipsi aquæ: quia non repugnans necessariò gradui ipsius aquæ: alioquin repugnantia, vt repugnantia simul erunt, vel aqua maneret sine frigore sibi necessariò: quia manet in tota illa alteratione: nec sequitur; ergo aqua non corrumpitur in vltimo instanti: quia tunc reducitur gradus incompossibilis. Sed sequitur, quòd in tempore alterationis non corrumpitur. Et concedo aliam consequentiam, quòd ignis quandocunque in via ad corruptionem in aquam, sit minùs calidus, quàm aqua in via ad corruptionem in ignem, concedo, alias neutrum sufficienter disponeretur ad corrumpi in aliud, sed non est sic in quieto esse. Similiter, si tu diceres formam ignis intendi cum calore in materia aquæ corrumpendo, sequeretur, etiam quòd dum manet aqua, magis esset illud corpus ignis, quàm aqua, & in alia corruptione ignis minus esset ignis, quàm illud hîc.

Ignis quandoque minus calidus, quàm aqua.

33 Corpora nō se tangunt immediatè in aqua, vel in aere. Scot. de anima 9.

Ad aliam probationem de secundo de Anima. Dico, quòd si tangens esset formaliter humidum, benè posset immediatè tangere carnem aliam humidam, sicut calida potest immediatè tangere calidam, qualitas enim inhærens non prohibet immediatum tactum corporum. Sed intentio Philosophi est ista, quòd caro tangens aliam in aëre, vel aqua, est humida humiditate non inhærentè, sed adhærente carni, hoc apparet ad sensum in aqua, & ibi supponitur in aëre, qui non est ita sensibilis: tamen ita adhærens: humiditas autem adhærens non est in carne, vt in subiecto: quia tunc inhæreret, non adhæreret: ergo in alio subiecto non est ibi ponere, nisi aërem, & aquam, ergo in principio non est tactus immediatus. Sed si diu adhæreant donec calor dissoluat illud corpus humidum adhærens, ita vt exhaletur: benè tunc tangunt se immediatè. Si etiam statim tangens vehementer applicetur alij tanta virtus posset esse, quòd corpus humidum adhærens necessariò sibi cederet, & tangeret se immediatè: sicut quando cultellus tangit cutem non est verisimile, quòd aëre, vel aqua mediante scindat cutem, sed

expellitur virtute motiua applicante cultellum, ne possit intercipi. Hac dicta sunt pro intentione Aristot. ibi. Sed ad propositum sufficit, quòd non intendit humorem inesse soli aquæ, & aëri, sicut nec calorem soli igni, & aëri, sed ibi tangentia communiter humida sunt humiditate sibi adherente in extremis; & per consequens non immediatè tangunt. Ad tertium medium, patet quòd benè concludit de substantia sibi derelicta, qua inequaliter agit hac, & illa actione formæ substantialis. De non derelicta non valet: quia illa inequaliter agit propter impediens extrinsecum.

ANNOT. MAVRITII.

34 SEquitur quæstio tertia de intensione, vel graduatione formæ substantialis, text.comm.10. quæ specialior est, & magis determinata communiter, quam Anton. Andreas, non hîc: sed super 11. huius posuit. Vbi primò recitat opinionem communem ferè omnium loquentium in hac materia, tenendo partem negatiuam auctoritatibus, & rationibus innitentem, quære Henr. Quodlibeto 4. qu.15. & Hu.de Ca.no. in 2.dist. 15. & modernos, cap. de Substantia in Prædicamentis, & super 5. Physicor. & Thomam 1.part. q.76. & 93. & super 5. Physicorum, & 11. Metap. & Auerroëm 3. & 5. Phy. & 3. Cœli, & Auicembron. & alios quamplures antiquos, & modernos.

Deinde impugnat illam positionem, & breuiter ponit aliam, quam sustinet, quòd videlicet secundùm esse indiuiduale, licèt non quiditatiuum, suscipit substantia magis, & minùs, differunt ab accidente ratione acquisitionis diuisibilis, indiuisibilisque, & soluit motiua alterius viæ valde notanter, & cuncta notabis attentè.

Consequenter sequitur illa litera: *Notandum pro primo argumento*, &c. quam vsque ad finem quæstionis assignant multi, vt additionem, vel *Extrà*: quæ tamen mirabilis subtilitatis, & indaginis est: licèt in aliquibus locis difficilis correctionis, & intricata, vbi suo modo humanum ingeniũ transcendit; qui poterit ergo capere capiat, sed aliquantulùm insistam circa dicta pedetentim, licèt non ad plenum exponendo. In principio enim illius literæ, & per longum processum pertractat dicta Aristotelis 6. Physicor. de diuisibilitate, seu partibilitate motus suo modo: aut valet ex parte mobilis: aut ex parte formæ, vel termini, debet attendi, & sustinet, quòd ex parte mobilis primò, quare non sequitur inconueniens, quòd infert argumentum principale: Sed instat, & replicat, & restringit dicta quando, & qualiter etiam ex parte formæ attenditur: sed ex hoc non sequitur intensio, sed extensio tantùm maximè in substantiali, quod dictum est probabile tantùm. Totum illum processum habet in 2. dist.2. quæst. 9. in digressu, quem facit in soluendo 2. principale, quære sequaces ibidem.

Infrà ibi: *Ideò finaliter oportet dicere*, &c. post illa verba: *necessaria est hac, vel illa sub disiunctione*; sequitur in aliquibus originalibus sic: *Arist. 7. Physic. dicit, quòd omnes motus eiusdem speciei, possunt esse æquales, & tunc quæritur quare hoc est in alteratione cùm ipsa fiat in qualitatibus, & æqualitas non nisi in quanto? Respondetur, quòd diuersitas, vel æqualitas, vel identitas aliquorum, potest considerari comparando res inter se, vel comparando subiecta in quibus sunt, & dicit Commentator commento 33. in exponendo responsionem, quòd vtrumque considerandum est in iudicando de alteratione. Et dicit etiam, quòd non est perfecta æqualitas duorum motuum alterationis, siue eiusdem speciei, siue diuersarum specierum, nisi attendendo passionem ipsam: similiter & subiectum*, & sequitur, *si enim A simul alteretur*, &c. quæ litera non videtur multùm necessaria, nec communiter habetur, quare vel dimitte, vel lege, videtur omnino additio, vel *Extrà*.

35 Deinde ibi: *Contra E arguitur*, vbi aliqui libri habent *Q*, sed *E* litera rectè ponitur, aduerte, quòd consuetudo huius erat quotare propositiones, & membra distinctionum, & responsiones, per ordinem maximè ad idem argumentum multiplices, & alia loca sæpè per literas Alphabeti, more antiquorum; vnde sæpè hîc quotando Aristot. ponit post *C*, *A*, vel *B*, *C*, &c. ad denotandum, quòd est in principio, vel prope, vel in medio, vel in fine, vel circiter, in originali ergo proprio, vt credo, scripserat huiusmodi literas, sed alij omiserunt eas, vel saltem implicitè subintelligebat eas, & exprimit consequenter ipsas in applicando, vel soluendo, vel instando; sic ergo intellige hunc locum recurrendo ad dicta in præcedentibus, vbi plura sub quibusdam diuisionibus, & notationibus, & propositionibus tetigit, ibi suprà: *Notandum, quòd aliud est ponere* &c. vel potiùs ad illas plures responsiones ad argumentum de alteratione datas debet hîc locus referri, & ad obiectiones ibidem consequenter, & similiter dic de *F*, infrà cum dicit; relinquitur ergo *F*, hæc reddunt valde intricatam literam plerumque hîc, & in Theorematibus, quod credo scriptoris incuria, & longitudine temporis, & breuitate dicendi huius accidisse; lector ergo hîc necessariò habet supputare has propositiones, & loca diligenter.

36 Similiter infrà ibi: *Est ergo contra probationem*, vel propositionem *E*, 13. vel vt alij habent K. hîc 13. si sic, valet, quæratur benè supputando: vel si est K. dic vt prius in Theorematibus, & in tabulis Physicorum, & conclusionibus multoties inquiri debent ea, quæ dicit sic obscurè se remittendo, & supputando.

Locus iste est obscurus valde vsque ibi; *sed primum argumentum*: ideò exponatur castè. Exponit miro ingenio Philosophum, & currit ad astra cum Physicè Sophisticantibus: quære Suuiset, & alios, vt nosti. Ab illo verò loco vsque ibi: *Nota quòd via tenens successionem alterationis*, &c. introducit pulchram disputationem de successione alterationis, & an pars alterata alteret aliam; an certè omnes ab extrinseco simul, vel successiuè, & vtramque partem moderando dicta sustinet: & ibi notanter de duplici contactu, & præsentialitate, & qualiter dantur actu infinita, & qualiter non, & plura alia singularia dicta, vide in 2. vbi suprà, & d. 9. & 14. eiusdem, & in 4. dist. 44. & alibi sæpè ad hæc, in fine verò epilogat resolutè dicta hactenus.

37 Consequenter ibi: *Nota quòd via tenens*, &c. comparat duas vias de successione alterationis inter se, & instat ostendendo in substantia fore motum, & soluit valdè notanter, & replicat pluries, & soluit. Vbi aduerte ad quandam instantiam, quam non soluit apertè, ibi: *Contrà: igitur motus sine mutatione*, &c. & dic benè inuestigando ex dictis, & sequentibus, & alibi, vt scis.

Obiectio

Obiectio vltima 5. vltimarum ibi debet præcedere penultimam, & ad illam q. quinta est, dic consequenter, vt nosti.

Sequitur illa pars: *Ex prædictis nota*, &c. vbi sex conclusiones notabiles: de prioritate, posterioritate,& simultate,atque partibilitate,seu successione transmutationum,proponit,vbi *A,B,D*, accipit,vt in litera exponit,aliter quàm in præcedentibus, & consequenter instat, & replicat, & euadit valdè notanter:vbi omnia verba ponderabis, & maximè in fine de causa successionis in motu,quære in 2. vbi suprà.

38

Sequitur illa pars: *Circa duas istas quæstiones*, &c. vbi accedit ad propositum magis, & pertractat ordinatè, & resolutè quid tenendum in his duabus quæstionibus propositis. Totum quod præcessit ab illo loco: *notandum pro primo argumento*, &c. fuit incidentaliter pertractatum, & tanquam præambulum quoddam, & quodammodo alienum à quæsitis, sed quantæ vtilitatis, & subtilitatis dicant Paduani; principaliter ergo duo facit, primò, recitat quatuor opiniones, & breuibus arguit pro, & contra, secundò declarat veritatem quæsiti secundùm propriam opinionem in 4. articulis principalibus, quorum duo primi in 5. tertius in 3. quartus in 7. membra subdiuiduntur, in quibus paucis multa comprehendit, & singularis valde doctrina continetur, maximè in primo principali, in 2. 3. & 4. principalibus est valdè breuis, & per consequens obscurus, vbi sæpiùs se remittit ad Henric. & alios, & ad dicta sua, & alibi, & quotationes, atque literarum Alphabeti assignationes reddunt literam valde intricatam. Aduerte ergo, quòd Henric. dicta vbi supra ipsum quotaui, & in summa diuidit per *A, B, C*, &c. & dicta sua in hac solutione diuidit per quosdam numeros, & conclusiones Physicorum præsupponit, atque Theoremata: vndè nisi videatur originale suum proprium cum magna difficultate hæc litera ad plenum disponetur; in dies quoque Deo duce omnia in lucem clariùs adducentur, & disponentur: nam principium,quod plusquam rei medietas censetur, iam habetur:substantia tamen literæ, & sententiæ principales clarè habentur. De quotationibus, & remissionibus minor cura est:posuit enim & literas,& numeros ad particulas,conclusiones,obiectiones,& solutiones in hoc toto processu, quos posteri omiserunt; breues ergo instantiæ non solutiones etiam quas alibi dicit quærere, notentur diligenter à sagaci lectore,& continuentur eleganter. Primò, in primo principali membro 3. ibi: *Contrà, tantùm concluditur improprietas*, &c. secundò infrà, ibi, in secundo principali membro. 1. Quære solutionem. Illa etiam litera parum pòst ibi: *Rationale videtur*, &c. vsque illuc: *Item tenetur alia pars*, &c. assignatur *Extrà*. Tertiò infrà, ibi: *Contra* O. 26. vel sic, 4. & 6. *sub de quantitate* 4. ibi: *Responsio 3. tertij*, 5. ibi. *De genere diuiso*, & 6. ibi: *Contra 7. Physicorum de comparatione secundum speciem* 7. ibi: *Contrà primo cœl. & mund.* vide text. comment. 36. & circiter 8. in 3. principali ibi: *de 3. tertius primi*, &c. quæ sequuntur pro,& contra, & specialiter ibi: *Contra* 13.2. *sub, & suprà*, &c. 9. in 4. principali, ibi: *Contra* 10. *Metaph.* &c. 10. ibi. *Ad 6.non* &c. quære:hæc omnia benè ponderentur,& vbi priùs notaui, quærantur quærenda, & soluantur soluenda ingeniosè: ea namque quæ alibi prolixè apud auctores, & in dictis suis propriis inueniuntur, hîc mirabili breuitate fragmentis quibusdam adducit, quare lector lento passu hîc procedat, aliter offendet.

39

Deinde in illa parte; *possent ergo formari tres quæstiones* &c. specialiter prosequitur de formis substantialibus in tribus quæstionibus,& ad partes Henric. & Auerroïs, Auicen. atque Aristot. fundamentis, & aliorum incedit. Finaliter autem tenet in formis substantialibus non esse magis, & minùs de mente Aristot. licèt aliam viam probabiliter defendere videatur, & sequaces eius, vtplurimùm ipsam imitantur: vbi ponderabis articulum Parisiensem de anima intellectiua, quem quotat 21. sed cuius cap. adde, vel absolutè loquitur omnes enumerando, & auctoritates; atque media pro opinione Auerr. sunt apparentia; omnia tamen soluit infrà ibi: *Ad argumenta*, &c.

In aliquibus originalibus habetur quædam litera ante illa verba; *Secunda probatio est Auerroïs*, &c. quæ sic incipit: *Quod motus sit idem*, &c. quam adde si placuerit, totum processum consequenter ibidem ad vnguem examinabis.

Infra ibi: *Contra videtur vnum medium ex auctoritate*, &c. sustinendo aliam viam, considera solutionem illius medij, & sequentis ibidem,vide in q. trium principiorum notanter ad propositum, & super Prædicamenta, & alibi apud modernos.

40

Inferiùs soluendo argumenta alterius viæ scilicet Auer. ibi. Sed quæ causa quare necessariò requirit aliquem gradum, &c. pondera solutionem illius dubij,quære in 4.di.12.q.3.& 4.vt nosti, & alibi sæpè ad hæc.

Consequenter ibi, de hoc est instantia per se, &c. & sequitur, quære, vide in Physicis, & apud calculatorem,& in 4. di. 12.& 43.quæst. 5. ponderabis optimè illas solutiones, & maximè,vbi singularissimè exponit Aristot. 2. de Anima. & adde hic multa alia si placuerit. Nam difficiliora tetigit, tu verò resolues, & terminos notificabis, vt scis. Controuersiæ, si quæ apparebunt in dictis Doct.alibi,& hîc faciliter soluentur solertia ingeniosi lectoris.

De dubitatione verò dicta circa diffinitiones,& numeros, quæ causa essendi vnum,deinceps dicendum esse videtur. Omnium enim quæcunque plures partes habent, & non est, vt aceruus, quod totum: sed inest aliquid totum præter partes, est aliqua causa. *Text.com.* 15.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm ex materia, & forma fiat per se vnum.

Arist. *lib.7. text.* 43. *& hic text.* 15. *& 2. de anima text.* 7. D. Thom. *hic lect* 5. *& 1.p. q.6. art.* 3. Albert. Mag. *hic tract* 2. *c* 6. Flandria *quest.* 10. *art.* 1. Fonf. *cap.* 6. Suarez *dist.* 4. *Met sect.* 3. *num.* 7. *&* 8. Hurtad. *dist.* 10. *Met. sect.* 2. Auersa *q.* 5. *Phys. sect.* 5.

1 *Lib.7.4.5.*

ET videtur quod non: quia ex duobus in actu non fit per se vnum ex 7. text.comment. 49. materia est actus, ex quæstione de entitate materiæ

materiæ &c. Si dicatur, quòd licèt materia in se sit aliquis actus: est tamen imperfectus, & potentialis respectu formæ.

T.c.7. & 13. Contrà, ita subiectum diceretur esse ens in actu imperfecto, & potẽtiali respectu accidẽtis, ergo ex ipso, & accidente fieret vnum per se: quod est contra Arist. in 5. Item, secundò sic, materia, & forma maximè distant; ergo ex eis minimè natũ est fieri vnum. Probatio consequentiæ, partes continui faciunt per se vnum: quia sunt eiusdem rationis: in toto heterogeneo, cuius partes non sunt vnius rationis, minor est vnitas: ergo &c. *T.c.15.* Ad oppositum est Aristot. in litera.

SCHOLIVM I.

Ex *materia, & forma fieri vnum per se, quia alterum est potentia per se: alterum per se actus secundùm Philos. de quo Doct. 2. d. 12. q. 1. explicatur per Thomistas, quod illud ipsum, quod fuit in potentia per materiam est in actu per formam, quæ expositio negat materiam esse actum entitatiuum, quod refutat Doctor cum communi loco citato, & suprà l. 7. q. 5.*

2 Quodlibet ens sequitur sua vnitas.

Responsio, sicut vnum in communi immediatè consequitur ens in communi, ita quòd nullum est medium nobis notius ad hoc demonstrandum, nec fortè aliud medium in re, aliud à quiditate extremorum: ita singula entia secundùm proprios gradus entitatis, consequitur immediatè propria vnitas: sicut ergo non omnis entitas est vnius rationis, ita nec vnitas. Nec est alia ratio diuersæ vnitatis, nisi alia entitas, quam consequitur. Sicut ergo omnino simplex, se toto est ens, & vnum, ita ens compositum ex principiis essentialibus eius, sicut materia, & forma, quæ sola nata sunt aliquod ens per se constituere, est vnũ per se, & hoc propria vnitate alterius rationis ab vnitate simplicis, sicut & ab entitate, altera est entitas. Si ergo quæritur quare ex materia & forma est vnum per se? Respondeo, secundùm Philosophum in litera, quia hoc actus, illud potentia.

T.c.15. Quare ex materia, & forma fit vnum per se?

Hoc sic exponitur: quia illud idem, quod priùs fuit in potentia per rationem materiæ, iam est in actu per formam. Extractio autem de potentia in actum secundùm Comm. hîc, comment. 15. non largitur multitudinem, sed perfectionem. Et videtur expositio commenti consonare cum litera illa.

Materia ita est potentia, quod etiam sit actus.

Sed ista via poneret quodlibet ens verè simplex: non enim albedo est magis composita, si priùs fuit in potentia, & nunc in actu, quàm si semper fuisset in actu. Compositio enim est ex partibus compositi, pars autem est aliqua res in toto. Et licèt aliquo modo in potentia: non tamen sicut generabile est in potentia ante generationem. Hæc igitur via, quæ procedit per hoc, quòd idem ante generationem est in potentia, & pòst in actu, non ostendit, quomodo ex actu, & potentia fit vnum: sed quomodo idem est, quòd quandoque est in potentia; quandoque in actu? Alia est enim vnitas ex vnitis, alia est identitatis vnitorum.

SCHOLIVM II.

Compositvm *esse vnum per se, quia est in potentia ratione materiæ verè præexistentis, & in actu ex parte formæ; nec est quærenda ratio, nisi quia hoc est potentia per se, & illud actus talis, vt benè docet Doctor ex Philos. 2. dist. 12. q. 1. num. 14. disputat pro, & contra de tertia entitate in composito, de quo fusè agit 3. dist. 2. quæst. 1. & 1. Phys. quæst. 9.*

3 Prius exposuit textum. T.c.22. & inde.

Ideò aliter potest dici, quòd sicut dictum est, exponendo textum huius capituli, quòd realiter, & naturaliter compositum est in potentia propter materiam præexistentem, quæ potest esse aliquid eius: quia potest esse sub forma eius iuxta illud 7. cap. 5. *In omni generatione oportet aliquid præexistere, quod sit per se pars generati*; sicut igitur solum agens est causa quare compositum priùs ens in potentia, postea fit in actu, ita ipsum solum est causa quare materia priùs existens in potentia ad formam, postea fit actu sub ipsa, & fit ex eis vnum: huius enim vnitatis nulla est causa intrinseca: nisi velimus introducere, quia hoc actus, & istud potentia: & tunc non est iam dubitatio, quia hoc est primum notum. Sicut enim primum notum est, quòd ens simplex est suo modo vnum, ita ens compositum ex materia, & forma, est suo modo vnum: nec est causa quare, nisi quia hoc materia, illud forma: sicut nec est aliqua causa quare sunt causæ, & quare sunt tales causæ, scilicet intrinsecæ constituentes causatum. Quomodo autem potentia æquiuocè sumitur secundùm quod generabile dicitur esse in potentia ante generationem, & secundùm quod materia dicitur esse in potentia: vt hîc sumitur *potentia*, satis apparet in 9. q. 3. art. 3. solutio.

Agens causa compositi.

Ens simplex suo modo vnum.

4

Contra prædicta obiicitur dupliciter. Primò, quia materia, & forma si intelligantur non vnita, non est contradictio, quòd vtrumque intelligatur in se esse, & compositum non erit: vel sic, illud compositum habet aliquam causam suę vnitatis in se, & non à partibus eius, cuius partes non vnitæ possunt intelligi in se esse, sine contradictione, ex fine 7. ergo ex 7. in fine. *T.c.60.* Aliud est in composito, quo ipsum est vnum præter materiam, & formam. Suppositum etiam apparet esse verum de facto in anima intellectiua, & sua materia, secundùm aliquos. Item, non videtur necessitas ponere aliquod absolutum additum, nisi quia materia, & forma possunt intelligi in se absque contradictione: sicut *a* & *b*, siue syllaba *ab*, & ignis, & aër absque hoc, quòd intelligatur caro, & os. Ex quo sequi videtur, quòd aliquid absolutum erit præter materiam, & formam in composito, quo ipsum fit vnum. Sed si ista ratio valeret, sequeretur eâdem ratione de illo absoluto addito, & partibus quibus additur: quia ex quo absolutum est, non est contradictio, intelligere illud in se illis non vnitum, & sic non est compositum ex illo, & partibus, nisi per tertium absolutum additum. Et eodem modo arguitur de illo tertio, & sic esset procedere in infinitum. Standum ergo est in primo, scilicet quòd nullum additum absolutum est in composito præter partes essentiales, scilicet materiam, & formam.

An danda tertia entitas in composito.

Præterea, relatio non destruitur, nisi facta mutatione circa aliquod absolutum, sicut non potest esse noua relatio, nisi facta noua mutatione aliqua absoluto acquisito in vno extremo, vel in vtroque: materia autem, & forma, si maneant separata, non mutantur etiam destructa relatione vnionis: ergo in composito est aliquid

aliquid absolutum præter materiam, & formam, quod sit immediatum vnionis fundamentum, quo compositum est vnum: non quia hoc materia & illud forma: hoc enim sunt hæc quando sunt separata, & compositum non est.

Prætetea, iuxta obiectionem in prima ratione, cùm accidens sit actus substantiæ: quare ex eis non fit per se vnum? Exemplificat etiam Arist. in illis, quasi in manifestioribus proposito, patet in litera.

5 Propter primam difficultatem, ponetur à quibusdam præter formam, quæ est altera pars, alia forma totius, à qua est vnitas compositi. Sed hoc licèt multipliciter possit improbari, ad propositum tamen hoc sufficit, quia difficultatem non euadit: nam si est alia tertia essentia, non est contradictio intelligere illam aliis non vnitam, & est illa tertia, & non est compositum; ergo in composito est aliquid quartum, & sic in infinitum. Aliter dicitur, quòd forma quando vnitur materiæ, communicat materiæ quoddam *esse* respectu cuius facit vnum cum ea; sed hoc nihil videtur esse, si intelligatur, quòd effectiuè causat in materia aliquod *esse* à seipsa. Dat enim *esse* materiæ formaliter, & ipsum *esse* est ipsamet forma, quia ipsamet materiam informat: nec compositum etiam est formaliter illud, quod est per aliquod *esse* aliud à forma: vt sit fuga, de *esse* communicato, non videtur esse nisi vocalis tantùm. Aliter dicitur, quòd vnitas compositi non est ex ratione materiæ, & formæ absolutè sumptarum: sed secundùm quod sunt vnitæ, & sic non manet sine composito.

Varia opiniones de ratione vnius per se.

Tex. c.60.

Contrà hoc tripliciter. Primò, quia tunc argumentum de 7. Metaphysicæ, vel non valebit, vel sequitur quòd compositum nec illis, nec altero illorum, sit vnum, sed ipsa vnione illorum, quæ est relatio; & ita quodlibet compositum essentialiter erit relatiuum: quia illud est de essentia cuiuscunque, quo completiuè ipsum est vnum essentialiter: quia eodem est ens, & vnum. Secundò sic: quia relatio non potest esse noua, nulla mutatione facta in aliquo absoluto: & hoc neque in vno extremo relationis, nec in alio; materia, & forma si manerent separata: & in nullo illorum fit mutatio: ergo eadem est ipsorum relatio, quæ fuit ante separationem. Si dicatur materiam mutari: quia priùs informata, nunc non informata. Hoc nihil videtur esse: quia terminus relationis formæ ad materiam: vt actus ad potentiam, non est materia informata: sed materia tantùm; illa in se non mutatur.

Vnitatem cõpositi non sumi à materia, & forma vt vnitis.

Relatio noua an petit mutationem in absoluto?

SCHOLIVM III.

REFVTATIS *aliis modis, declarat compositum dici vnum, etiamsi nihil absolutum contineat ab ipsis partibus vnitis distinctum, & soluit optimè argumentum Philosophi 7. Met. fine. de* a, & b, *quomodo non sunt* ab, *quia scilicet neutrum est forma, & si esset non distinguerentur ab* ab, *circa distinctionem totius à partibus optimè pro, & contra, disputat, sed in partem negantem inclinat, eamque asserit hic, & 1. Phys. q. 9. licèt oppositum teneat 3. d. 2. q. 2. nisi glossetur aliter, de quo vide Scholium ibi positum.*

6 Difficilia sunt hæc, & locum habent in quocunque vno, cuius partes sine contradictione possunt manere separatæ: puta in toto integrali quocunque, homogeneo, vel heterogeneo. In quanto quocunque continuo, vel discreto. In vno per accidens ex subiecto, & accidente. Et de hoc tactum fuit in 7. in quæstione de inhærentia accidentis & eius subiecto hucusque dilata. Potest dici pro nunc, quòd omnino conceditur verum esse, quo non concesso, sequitur aliquod inconueniens manifestum. Aut ergo dicamus omne per se ens esse omnino simplex, ita quòd falsum sit illud, *materia est ex qua est res primò cùm insit*, scilicet rei materiatæ: & ita sit composita albedo ex materia, & forma, sicut homo, quia quandoque in potentia est vt ante generationem, & quandoque in actu. Aut secundò dicamus, omnem substantiam materialem componi ex duabus partibus essentialibus ad minus, quarum altera non sit aliqua essentia absoluta, & ita respectus sit de essentia cuiuslibet. Aut si sit absoluta, tamen essentialiter dependens à reliqua parte, ita quòd contradictio sit ipsam separari, cùm sint tamen duæ essentiæ absolutæ, & neutrum causa alterius. Aut tertiò dicamus, compositum non esse vnum, nisi ipsis vnitis: & tamen non esse contradictionem, intelligendo ipsa non vnita. Et quia duo prima videntur inconuenientia, quo ad præsens suppono.

q. 1. Verum est quo non concesso sequitur aliquod inconueniens.

Ad intellectum tertij, sciendum est, quòd quando alicuius causati sunt multæ causæ essentialiter, illæ nunquam causant causatum, nisi in causando concurrant. Concurrere autem, & non concurrere, nihil variant circa absolutam naturam alicuius causæ, nec est ille concursus quinta causa. Itaque sola relatione, alia, & alia, causarum adinuicem, quæ tamen non est eis, nec alicui earum, ratio causandi, causæ quandoque causant, quandoque non. Ita hîc de duabus causis specialiter scilicet materia, & forma, quia vnita, hoc est concurrentia ad causandum, causant: qui concursus fit eorum per actionem agentis: non concurrentia non causant. Ex hoc autem, quòd causant causatum, faciunt vnum, quia idem est causa vnitatis, & entitatis: non igitur aliquo alio absoluto ex materia, & forma, fit vnum ex eis.

Sola relatione causa quandoque causant.

7 Quando ergo arguitur; igitur in composito est aliquid præter ipsa. Si intelligatur *aliquid*, id est, aliquis respectus, arguitur quòd præter absolutam naturam vtriusque, est in composito, non vt causa intrinseca, nec ratio causæ: ac per hoc, nec vt pars essentialis compositi, sed vt concomitans partem, & causam, sine quo causa non causaret: non potest negari consequentia: nec consequens est inconueniens. Si autem intelligatur *aliquid*, id est, aliqua essentia absoluta, vel in composito vt pars essentialis eius: neutrum sequeretur: sic responsum est ad rem. Sed quomodo saluatur argumentum Arist. in fine 7. de *a*, & *b*, & *ab*? Respondeo; ibi arguit, quòd aliquid est in composito præter elemẽta, id est, partes materiales, quarum vna non est actus alterius: sed ambæ simul sunt vna materia receptiua formæ, sicut apparet in *a*, & *b*. Et ista cõclusio probatur sic: quia tales partes sunt sic separabiles, & ab agente naturali: quia separatæ manent, & tunc totum non manet; igitur, &c. Et est ratio necessaria: agens enim naturale non separat formam materialem cõmuniter loquendo in aliis ab homine, à materia, ita quòd vtrũque separatum maneat: sed si transmutet materiam à forma ad priuationem, forma corrumpitur per accidens; ergo communiter in aliis ab homine, illa, quæ manent separata, sunt tales partes compositi, quòd nullum fuit forma: præter autem quotcunque partes materiales, oportet in composito ponere formam; ergo, &c. Sed si arguitur, iuxta hoc de separatim

Tex. c.60.

Totum non distingui à partibus.

ratim manentibus, non per actionem naturæ, sed absolutè sine contradictione; consequentia non tenet: quia alterum illorum separatorum, sic benè potuit esse forma compositi, cùm sit separabilis quæcunque essentia ab aliqua, à qua non dependet essentialiter.

8

Ad secundum, de nouitate relationis, potest dici, quòd nulla pars sola totum constituit; ergo sicut est relatio partis in communi ad totum in communi, & talis partis ad tale totum, ita etiam est talis partis ad talem compartem, vt ita loquar, & èconuerso: sicut habetur in 9. quæst. 3. art. 3. Et potest tunc pars materialis habere pro primo correlatiuo partem formalem, & èconuerso: aut habet corpus materiatum, & formatum pro per se relatiuo, de hac relatione vnius ad duo, ad vnum per se tantùm, & ad aliud primò, quære in 5. cap. de *Ad aliquid*. Vniuersaliter aut facta mutatione in per se correlatiuo, mutatio fit ex consequenti, & in vtroque illorum; vel etiam si illud esset vnius illorum, tantùm fieret in illo, & ex consequenti, & quasi accidentaliter per accidens. In tertio exemplum optimum, in appreciante, precio, & appreciato. Nec enim in precio, nec in appreciato, quæ primò referuntur mutuò, aliquid absolutum mutatur, quando de non precio fit precium; fit tamen mutatio absoluti in voluntate appreciante volentis habere dominium, vel dimittere pro dominio illius, ad quod apprecians dicuntur ambo illa per se. Et ideò per mutationem absoluti in appreciante, fit ex consequenti mutatio in precio, & in appreciato; sic hæc entitas compositi est aliqua entitas tertia ab entitate materiæ, & formæ & causata ab eis; in illa fit mutatio corruptionis, quia non est, posquam fuit: & ad illam dicebantur ambo causantia per se: licèt non primò; ideò sequitur mutatio relationis in eis, ad corruptionem relationis, & fundamenti in illo composito.

L.5. q. 11. 12.

Partes dicuntur per se ad totum.
In corruptione totius mutantur realiter partes.

Contrà: relationes mutuæ materiæ, & formæ dicuntur priores relationibus ipsarum ad compositum: quia sicut causæ priores sunt causato, ita & priùs concurrunt ad causandum: prius autem non corrumpitur propter corruptionem posterioris. Item, separatio materiæ, & formæ videtur prior naturaliter corruptione compositi; ergo in illo instanti naturæ est relatio corrupta, sine mutatione alicuius absoluti. Antecedens probatur: quia sicut concursus materiæ, & formæ est causa compositi, ita in negationibus. Item, sicut materia dicitur primò ad materiatum, & èconuerso, vt pars talis ad tale totum; ita materia, vt informabilis, videtur primò dici ad formam, vt informantem, & èconuerso. Et ita in duabus essentiis absolutè materiæ, & formæ fundantur quatuor relationes, habentes propria correlatiua prima: duæ scilicet mutuæ, & duæ ad compositum: ergo quælibet habet proprium correlatiuum, & non tantùm per se.

An prior separatio materiæ, & formæ, quàm corruptio totius?

9

Respondeo, conclusio istius vltimæ rationis posset concedi. Et tunc esset aliter dicendum ad illud de nouitate relationis, scilicet quòd quando aliqua mutuò referuntur, & incompossibile est illa sic referri, nisi alterum illorum sic referatur ad aliquod tertium, vel ambo; benè potest corrumpi relatio eorum mutua, sine corruptione alicuius absoluti in altero illorum, sola corruptione absoluti positâ in illo tertio, ad quod alterum illorum dicitur. Sic hoc incompossibile est, materiam, & formam esse vnita, nisi vtrumque sit pars compositi; ergo in composito, corrupto aliquo absoluto, quod erat fundamentum relationis totalitatis in ipso, corrumpitur relatio totalitatis; & ex consequenti relatio partis in istis; & tertiò relatio mutua in vtroque istorum: quæ non potest stare sine ista: Ad tertium, & tunc illa est falsa; *Relatio non corrumpirtur, nisi corupto aliquo absoluto in altero relatiuorum*; nisi addatur, vel in aliquo tertio, ad quod necessariò dicitur alterum relatiuorum, ita quòd sine hoc tali relatione non refertur. Tenendo istam responsionem, quæ videtur rationalis, tertia obiectio iam facta non est contra eam.

Quando corrumpitur relatio, sine corruptione absoluti tantum altero relato?

Sed ad alias duas oportet respondere: quarum vtraque procedit ex ratione prioritatis secundùm naturam: In prima obiectione prima propositio videtur falsa, quia essentialiùs videtur materia dependere ad compositum, & èconuerso, quàm ad formam; vel èconuerso essentialiùs videtur prius naturâ, nisi distinguatur *prius natura*, in prius generatione, & perfectione. Concessa tamen illa prima propositione, secunda est falsa in relationibus: nam si est antiqua prioritas in correlatiuis, illa relatio, quæ est causæ, prior est illa, quæ est in effectu, de quo habetur alibi: sed tamen è conuerso est in corruptione. Nam primò corrumpitur fundamentum in effectu, & ideò relatio eius, & quasi tertiò relatio in causa. Ad secundam obiectionem, si prima propositio esset vera, non esset fortè inconueniens in illo signo naturæ, non intelligi aliquam mutationem absoluti: dum tamen in eodem instanti temporis, fit realis mutatio in aliquo absoluto: prioritas enim naturæ non est aliqua prioritas secundùm esse: sed tantum in *intelligi*, siue in per se ratione quiditatiua rei.

Materia an magis dependet ad compositum, quam ad formam?

Prius quandoque corrumpitur, corrupto posteriori.

Aliter, quia nec videtur intelligibile relationem non esse, quæ præfuit, non intelligendo aliquam mutationem in aliquo absoluto. Fortè negaret aliquis antecedens, & ad probationem diceret, quòd in affirmationibus, & negationibus, est ordo contrarius. Sed licèt ita sit in consequentiis, non tamen in per se causis, vt patet 1. Posteriorum. Ideò teneatur prima responsio. Et quod hîc dicitur, *non videtur intelligibile*, &c. falsum est, sicut accipitur non intelligendo aliquam mutationem &c. benè enim potest intelligi, materiam & formam nunc non esse vnita, non intelligendo entitatem compositi non esse. Non tamen potest intelligi ipsa non esse vnita, intelligendo entitatem compositi esse, propter incompossibilitatem: sed quantumcunque affirmatio sit incompossibilis alicui, aliud benè potest intelligi non intelligendo negationem illius affirmationis, ita quòd per ly *non*, negatur actus intelligendi, & non obiectum.

T. c. 5.

Materiã, & formam intelligi non vnita; non intelligendo compositum non esse.

10

Ad secundam autem difficultatem suprà tactam de ente per accidens, responsio: sicut in generali non est causa, quare ens est vnum; néc in speciali, quare hoc ens est sic vnum; ita etiam, nec quare ex istis partibus fit sic vnum; nisi quia tales partes: quia enim ex quatuor elementis secundùm aliquos natum est fieri vnum mixtum, & ex lapide, & carne non est natum fieri; sic igitur apud Aristot. actus, & potentia intelliguntur hîc proportionaliter vnitati scilicet si per se, per se; si per accidens, per accidens. Et quod dicitur, quòd exemplificat quæst. in manifestiori, verum est, quoad aliquam vnitatem, sed non quoad essentialem: nihil enim prohibet minorem vnitatem esse manifestiorem maiore. Sed quare ille actus est per se actus, & ille per accidens? Respondeo, non est causa quare

Quare ex materia, & forma fit per se vnũ, non est quærenda ratio.

quare illa est forma substantialis, & illa est accidens, quia propositiones per se primo modo, non habent *propter quid*: & sicut hæc est per se primo modo, *Albedo est qualitas*, similiter, *homo est substantia*; ita & hæc, *Humanitas qua homo est homo, est forma substantialis*.

Propositiones per se primo modo non habent propter quid?

Ad argumenta principalia. Ad primum, patet ex dictis immediatè. Ad secundum dico, quòd quæ magis sunt vnius rationis, minùs sunt vnibilia: vt ex eis fiat vnum, patet inducendo: & licèt quandoque contingat, sicut exemplificatur in partibus homogeneis, tamen primæ partes in quas est diuisio totius, quæ propriè dicuntur essentiales, sicut potentiale proprium, & actuale, nunquam possunt esse vnius rationis: sed sunt primò diuersæ necessariò. Quæcunque autem sunt vnius rationis, sunt tantùm integrales, & continentur omnes sub vna parte essentiali scilicet sub potentiali præter illud, quod est aliquod actuale, à quo est completiuè vnitas compositi.

Quæ magis sunt vnius rationis, minùs faciunt vnum per se.

ANNOTAT. MAVRITII.

11

SEquitur quæstio quarta & vltima quæstio de vnitate per se compositi ex materia, & forma, t.c.15. In principio declarat veritatem quæsiti, inuestigando causam vnitatis compositi, & instat, & addit, vbi facit mentionem de expositione textus. Quære Tho. contra Gentiles, c 38. & seqq. Inf. ibi: *Item non videtur necessitas*, &c. vsque ibi: *præterea relatio*, ponitur *vacat*, vel *Extra* ab aliquibus. Illa etiam ratio sequens ibi: *Præterea relatio non destruitur*, &c. vsque illuc: *Præterea, vel secundò sic, iuxta obiectionem in prima ratione*, &c. tota tamen litera videtur satis bona.

Inuestigat notabiliter de tertia entitate hîc, & relatione eius ad partes, & partium inter se. Quære opiniones antiquorum, & modernorum. Vide Commentatorem 1. *Phys. commento* 17. & applica alia loca eius plerumque contra se, & maximè 7. *Metaph. comm. vltimo, & 3. de Anima commento 5. circa medium, & 1. Phys. commento* 69. & 3. *Cæl. & Mundi, commento 7. & alibi sæpè*. Vide Vuar. *qu.* 11. 3. *Sententiarum*, qui sustinet viam Commentatoris. Vide Occham *in* 3. *di.* 2. *q.* 1. egregiè & alios sequaces huius, & pondera multiplicem gradum vnitatis, ex 2. *d. pri. par.* 2. & compositionem multiplicem. Quære Occham *dist.* 1. 3. *quæst.* 8. & totum multiplex, & in quo ponenda tertia entitas. In quo non, vide Boëtium lib. Diuisionum, & hunc etiam in 2. dist. 16. & alibi pluries inquire.

12

Soluendo obiectiones infrà, ibi: *De quo habetur alibi*. Vide suprà cap. de Relatione q. 1. oppositum tamen videtur 1. *di.* 2. *q.* 2. & 30. *di. pri. atque* 35. & 43. *eiusdem*: sed tu concordabis dicta, vt sup. in illa q. de Relatione tetigi, & adde hîc multa pro, & contrà. Pondera illud Damasceni, *quod semel assumpsit*, arguendo ad hominem, ex sua propria expositione de partibus principalibus *d.* 16. 3. per locum à minori, Tange etiam de distinctione talis totius à partibus, an propriè realis, an formalis, an mutua, &c. vt nosti. Quære vbique Seraphicum Bonau. & defende, & non errabis. Francisci quoque acumen clarissimum, & Occham licèt aduersantis, atque Aureoli: decorant enim, & declarant sententias Scoticas. Hugo semper fidelis, quia vicinus, de Castro no. manu teneatur.

LIBER NONVS.

IN hoc libro agitur de diuisione entis in ens in potentia, & ens in actu, seu in potentiam, & actum, ex qua multæ quæstiones soluuntur. Priori modo intellecta diuisio, non datur inter entia diuersa, sed inter diuersos status eiusdem entis; ipsum enim ens, quod modo est in actu, antea fuit in potentia; quo sensu parum tractatur à Philosopho. Secundo modo datur inter rationes essentiales diuersas entium, siue actu existant, siue non; quo sensu frequenter tractatur à Philosopho, & potissimè locum habet in substantia, & qualitate, in quibus maximè est potentia, & actus. De hac diuisione disputat Doctor 15. quæstiones summa subtilitate, & magis resolutè, & clarè, quàm in cæteris libris.

Quoniam verò dicitur ens hoc quidem eo quod quid: aut quantitas, aut qualitas: aliud secundùm potentiam, & actum, & secundùm opus. *Text. comm.* 10.

QVÆSTIO I.

Vtrùm potentia, & actus opponantur?

Aristot. *hic c.* 5. *text.* 11. & 5. *Phys. cap.* 2. *text.* 8. *lib.* 1. *de anima cap.* 1. *text.* 6. Auerr. *ibid.* D. Thom. *hîc lect.* 1. & 5. & 1. *sentent. dist.* 7. *quæst.* 1. *artic.* 2. *in corpore.* & *quæst.* 1. *de potent. artic.* 1 *ad* 3. Flandria *hic quæst.* 1 *artic.* 2. Fonseca *cap.* 1. *quæst.* 1. *sect.* 1. 2. & 3. Suarez *disp.* 31. *Met. sect.* 3. Hurtad. *disp.* 2. *Met. sect.* 1.

1

QVòd non, quia actus infert potentiam: sequitur enim; est, ergo est possibile esse; quia oppositum non stat. Item confirmatur: quia secundùm Aristotelem capite 2. text. comment. 7. vbi notificat possibile; possibile est, cuius actus si extiterit, nihil est impossibile: manifestum est, quòd illud, quod actu est, participat hanc rationem; ergo ipsum est possibile, secundum quod

quod Aristoteles loquitur de potentia,& possibili. Item, idem suppositum non potest subesse quandoque vni opposito diuidenti genus: quandoque alteri,sicut patet 4.Topicor.cap.12.de fide, & opinione:sed potentia,& actus dicuntur de eodem:sic quòd homo in potentia, & homo in actu idem sunt: quia non aliud est in potentia, quàm quod est in actu, per Commentatorem 8. huius, com.15.extractio de potentia non largitur multitudinem,sed perfectionem. Item, vnum oppositum non perficit alterum; nec facit vnum cum ipso:actus autem perficit potentiam,& facit vnum cum ipsa:vt patet 7.huius,t.c.12.&.8.t.c.15. Item, illa non diuidunt aliquod diuisum, vt opposita, quorum alterum conuertitur cum diuiso: actus conuertitur cum ente, quia ens in potentia est tantùm secundùm quid ens; ergo simpliciter non ens.

Contra in isto 9.cap.5.t.c.11. Est autem actus existere rem: non ita sicut dicimus potentia, &c, Item,in proœmio de Anima,tex.c.6.& inde.

SCHOLIVM VNICVM.

RESOLVITVR *hac quæstio in quæst.seq.n.2. & argumenta hîc adducta ibi soluuntur,n.12.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm opponantur relatiuè?

Vide relatos quæstione proximè præcedente.

1 QVòd non, quia relatiua sunt simul naturâ: sed actus simpliciter est prior potentia tripliciter 9.Metaph.cap.7.ergo,&c. Item,vnum opponitur tantùm relatiuè vni:sed non tantùm actui vni opponitur potentia vna, vel ècouerso: quia eadem est potentia contrariorum actuum. Vnde in 10. cap. 4. *Contraria sunt, quæ sunt sub eadem potentia.* Et in isto 9. cap. 7. *Omnis potentia simul contradictionis est.* Item, correlatiua opponuntur relatiuè:sed potentia passiua non refertur correlatiuè ad potentiam actiuam;ergo non refertur,nec opponitur relatiuè potentia actui. Item, relatiua non sunt primæ differentiæ entis: sed actus, & potentia sunt huiusmodi;ergo, &c. Item,confirmatur ratio, quia quæ sunt determinati generis, non possunt diuidere ens,inquantum ens: sed relatiua sunt determinati generis; ergo potentia,& actus,quæ primò diuidunt ens,non possunt opponi relatiuè.

T.c.13.& inde.

Tex.c.17.

Tex. c.17.

Contrà: de ratione oppositorum relatiuè est, quòd vnum definiatur per aliud,& hoc non conuenit in aliis oppositis: sed actus,& potentia sunt huiusmodi:vt patet 9. Metaph.cap.7.ergo,&c.

T.c.13.& inde.

SCHOLIVM I.

POSITA *duplici acceptione potentiæ,prout dicit modum entis,distinguit eam in Metaphysicam, Metaphoricam, seu Mathematicam, & Logicam, de quo vide ipsum 1.dist.7.nu.7.& di.10. & in 5. Met.tex.17.vbi fusiùs explicat has potentias. Ad quæstionem primam respondet potentiam Metaphysicam strictissimè sumptam, vt non stat cum actu circa idem,esse oppositam actui.*

Ad solutiones illarum quæstionum, oportet distinguere de *potentia.* Vno modo potentia dicit quendam modum entis. Alio modo specialiter importat rationem principij; cui autem illorum fuit nomen priùs impositum, & inde ad aliud translatum, dubium est; si tamen primò imponebatur ad significandum modum quendam entis, cùm iste non conueniat enti tali, nisi per aliquod eius principium, per quod potest esse,conuenienter potest nomen *potentia* transferri ad principium,tanquam ad illud, quo possibile potest esse, non quo formaliter,sed causaliter. Similiter si primò imponebatur principio, per quod res potest esse, potest transferri ad significandum generaliter modum essendi, similem illi quem habet principiatum in principio.

Potentia dupliciter sumitur.

De primo significato *potentia*, secundùm quod dicit principium, dicetur in sequenti quæst. hîc enim patet,quòd non est de illa potentia difficultas: quia non minùs realiter est aliquid principium quando actu principiat, quàm quando non principiat,sed potest principiare. Et ita pro solutione istarum duarum quæstionum, patet quòd potentia vt est principium,de ratione sui non opponitur actui.

Hîc ergo videndum est de potentia communiùs accepta,videlicet vt importat modum quendam entis in se,sine ratione principij:& quia Metaphysicus considerat ens, & passiones eius, ideò potentia sic sumpta ad considerationem Metaphysici pertinet. Et ideò propter breuitatem in sermone potest dici potentia Metaphysica. Iuxta illam potentiam propriè transumitur nomen *potentia* ad seruandum potentiam Metaphoricam, quæ est in Mathematicis:& etiam potentiam Logicam,siue quæ est in Logicis, vt in propositionibus possibilibus.

Potentia,vt principium non opponitur actui.

Potentia Metaphorica est in Mathematicis.

De Mathematica tangit Philosophus 5. Metaph.cap.de Potentia,vbi dicit: *Secundùm Metaphoram autem qua est in Geometria dicitur potentia*: & sic dicitur lineam posse in suum quadratum, & in numeris similiter radix quadrati dicitur posse in quadratum, & sic in 10. Euclidis,potentialiter commensurabiles dicuntur lineæ, quarum quadrata sunt commensurabilia, quæ potentia non est compositionis: quia ista non est possibilis, *Linea est suum quadratum:* nec est realis, non enim ex lineis fit quadratum: sed est imaginata iuxta potentialem. Si enim realiter materia est in potentia ad compositum,quod per transmutationem materiæ causatur, ita imaginatur punctum fluere, & per eius fluxum lineam causari,& lineam fluere, & per eius fluxum quadratum eius causari.

Tex. c.17.

De potentia Logica dicit Philosophus in 5. t. c. 17. *Possibile,quando non necesse fuerit contrarium falsum esse*,etiam in isto 9.cap.vltimo,t.c.21. *Semper componuntur & non possibilia diuidi*,&c. Et illa potentia est modus quidam compositionis factus ab intellectu, causatus ex habitudine terminorum illius compositionis, scilicet quòd non repugnant. Et licèt communiter correspondeat sibi in re aliqua potentia realis, tamen hæc non est per se de ratione huius potentiæ: & sic possibile fuisset mundum fore ante eius creationem, si tunc fuisset intellectus formans hanc compositionem, *Mundus erit:* licèt tunc nec fuisset potentia passiua ad *esse* mundi, nec etiam actiua, posito hoc per impossibile; dum tamen sine contradictione posset potentia fore ad hoc actiua, & de vtraque potentia dicta tangit Aristoteles in principio noni, t. c. 2. Similitudine quadam dicuntur quemad

3

Quid est potentia Logica?

quemadmodum in Geometria possibilia, & impossibilia dicimus, eo quòd aliquo modo sunt, & non sunt, hoc est, quia sic vera sunt, vel falsa. De potentia Metaphysica dixit Philosophus in principio istius non; t.c.1. *In plus est potentia, & actus eorum, quæ dicuntur secundùm motum solùm.* Et c. 5. t.c.11. *Non solùm dicimus possibile aptum natum mouere,* &c. Sed & aliter ista *potentia* tripliciter accipitur. Vno modo opponitur impossibili, non quidem vt dicit modum compositionis, sicut in secundo membro distinctionis, sed vt dicit dispositionem alicuius incomplexi, quemadmodum secundùm Arist. 5. huius, capitulo de Falso, t.c.34. aliqua ratio dicitur in se falsa, quia contradictionem includit: & sic *possibile* conuertitur cum toto ente; nam nihil est ens, cuius ratio contradictionem includit. Alio modo sumitur *potentia*, vt opponitur necessario: & sic loquitur Auicenna de possibili 1. Metaph. suæ, & sic dicitur *necesse*, quod ex se habet entitatem indefectibilem, ens *possibile*, quod defectibilem. Tertio modo strictissimè sumitur *potentia* Metaphysica, prout non stat cum actu, circa idem, & sic loquitur Aristoteles cap. 5. t. c.11. vbi notificat actum, quòd actus est quando res est, non ita sicut in potentia. Et ibidem ponit multa exempla de oppositis, vt vigilans, & dormiens: & in fine subdit, *Alteri parti est actus determinatus alteri, aut possibile.*

Potentia Metaphysica tripliciter accipitur.

Possibile conuertitur cum ente.

Possibile, & necessarium quomodo differunt?

Ad quæstionem ergo primam dicendum, quòd tantummodo potentia Metaphysica, vltimo modo sumpta opponitur actui: quia circa idem habent fieri, & simul esse non possunt.

SCHOLIVM II.

POTENTIAM, *& actum opponi relatiuè, sed non mutuò; ratio est, quia potentia dicit ordinem ad actum, sicut sciētia ad scibile, sed non ècontra. Tria obijcit. Ad primum, explicat an potentia dicatur ad actum in potentia, vel in actu. Ad secundum, an dicat relationem actualem, vel potentialem. Ad tertium, potentiam, quâ anima est creabilis, fundari in ipsa circa quod mouet, & soluit optimas difficultates.*

4

Ad secundam quæstionem dicendum, quòd relatiuè aliqua opponi, potest dupliciter intelligi: vel mutuò scilicet quòd vtrumque habet habitudinem per se ad alterum; vel non mutuò. Non primo modo opponuntur actus, & potentia, quia cùm talia sint simul naturâ, & definitione, sequeretur tunc, quòd actus non esset prior ratione, quàm potentia: nec ratio potentiæ sumeretur ab actu magis, quàm èconuerso, quod est contra Aristotelem in isto 9. cap.7. t.c.13. Secundo modo opponuntur, nam supponendo significatum nominis, patet quòd potentia sic sumpta dicit ordinem ad actū, & ille ordo essentialiter est respectus ad actum; habens ergo respectum essentialiter ad aliud, inquantum huiusmodi, illi alij non opponitur, nisi relatiuè. Sed hoc non est èconuerso: quia ratio actus est absoluta, vt probatum est ex intentione Philosophi. Exemplum autem, quomodo potest per se esse relatio ad aliquid absolutum, patet secundùm Philosophum in 5. c. de *ad Aliquid*, t.c.20. De scientia, quæ essentialiter refertur ad scibile, non èconuerso; ergo scibile est absolutum, inquantum ad ipsum est relatio scientiæ. Non enim idem est referri, & relationem terminare; immò vbi concurrunt in eodem, videntur per accidens coniuncta: sicut in relatiuis mutuis, licèt hoc ibi sit dubium. Ita posset dici creaturam referri ad Deum, sine omni correlatione in Deo correspondente relationi creaturæ.

Actus, & potentia relatiuè, nō mutuò opponuntur.

Scientia refertur ad scibile non è contra.

Sed circa istam potentiam Metaphysicam, vt opponitur actui, primò dubitatur: quia si dicit ordinem ad actum, vel ad actum in potentia, vel ad actum in actu: primo modo non, quia tunc esset processus in infinitum, quia actus in potentia ad quid: aut sic, aut sic; nec secundo modo, quia ad actum in actu non est potentia, tunc enim simul idem esset in actu, & in potentia, & ita illa non opponerentur, quod negatum est. Item secundò, si potentia dicit relationem, aut ergo actualem, aut potentialem: non actualem, quia terminus eius non est in actu, & relatio non est sine termino; nec potentialem: quia tunc esset potentia ad potentiam, & sic in infinitum. Item tertiò, si potentia est relatio, ergo fundatur in aliquo: non in materia, nec in forma, quia iam esset potentia naturalis, vt patebit in quæstione sequenti. Nec videtur aliquod aliud ens posse dari in quo fundetur, si in non ente fundetur; ergo est non ens: quia relatio non est magis ens suo fundamento.

5

Quod fundamentum potentiæ Metaphysicæ?

Ad ista, intelligendum, quòd potentia Metaphysica præcisè sumpta, scilicet vt abstrahit ab omni potentia naturali, fundatur præcisè in essentia, quæ dicitur possibilis esse, & est ordo illius essentiæ ad *esse*, tanquam ad terminum, sicut in essentia animæ Antichristi fundatur potentia ad suum *esse*. Ista autem potentia, quæ est inter duo, vtrunque illorum potest denominari; vnum vt quasi subiectum, aliud vt quasi terminus. Quemadmodum dictum est in 7. quòd aliter est ista vera: *materia generatur*, & aliter hæc: *compositum generatur*: quia prima vt forma denominat subiectum, secunda vt via denominat terminum. Sic in proposito, & fundamentum est possibile, potentiâ fundatâ in ipso; & terminus est possibilis eâdem potentiâ: quia eadem est ad ipsum terminum. Sed propriissimè & completissimè dicitur totum, quando dicitur essentia est possibilis esse, siue potest esse: quia tunc exprimitur habitudo amborum. Vnde hæc propositio, *possibile est hoc esse*, plus explicat quàm illa, *hoc est possibile*: quia prima includit fundamentum, & terminum. Per hoc ad argumenta.

Ad primum, quando quæritur, aut ad actum in actu; aut ad actum in potentia: dico quòd vtraque pars disiunctiuæ est distinguenda, secundùm compositionem, & diuisionem, & in neutro sensu est verum, quòd potentia est ad actum in actu: quia tunc idem simul esset in potentia, vt terminus potentiæ, & in actu. In sensu etiam compositionis falsum est, quòd potentia est ad actum in potentia. Ita scilicet quòd terminus potentiæ intelligatur hoc totum, *actus in potentia*: nunquam enim terminus relationis est per se compositum ex termino & relatione: sicut per se terminus paternitatis non est filius patris, sed filius. In sensu autem diuisionis est verum, quòd potentia est ad actum in potentia: hoc est, quia actus est in potentia. Et cùm arguitur contra hoc de processu in infinitum. Dico, quòd potentia est ad actum: quia est in potentia eadem, quæ est ad ipsum, non alia: sicut eadem dicitur possibilis, non alia. Et si quæritur ista potentia ad quid? aut ad actum in actu? aut ad actum in potentia? Dico, quòd ad istum eundem actum, qui est in potentia, ista eadem replicata voce tenus: quamuis nunquam est nisi vna potentia, & vnus actus.

Potentia an dicatur ad actum in potentia, vel in actu?

Terminus paternitatis nō est filius patris.

An potentia sit relatio potentialis?

Ad secundum dicendum, quòd potentia est relatio, nec potentialis, nec actualis: sed talis, quæ est ipsa potentialitas: est tamen potentialis in termino suo, qui est potentialis formaliter, non nisi illa eadem potentialitate. Ad tertium dicendum, quòd potentia, quâ anima creanda potest esse, fundatur in ipsa anima creanda, nec requiritur subiectum actu existens, cùm non sit accidens actuale.

6

Et concedendum est, quòd illud quod fundatur in non existente, non est existens: nec in potentia est aliquid existens: quia tunc esset actus, vel in actu. Sed quare ponitur potentia esse aliquid, cùm non sit existens, nec aliqua ratio concludat entitatem aliquam conuenire non existenti, & eodem modo de fundamento eius? Anima enim illa nihil est antequam creatur, aliàs non crearetur. Item, non videtur nisi relatio rationis: quatenus intellectus potest concipere essentiam, quæ non existit, in ordine eius ad existentiam. Ad A potentiæ actiuæ cuicunque necessariò videtur ponere aliquid possibile correspondens, quia respectu eius, quod non est in se possibile, nulla est potentia actiua: Deus autem est creatiuus antequam creet, ergo creabile est possibile creari, non tantùm potentiâ Logicâ, quia illa quantùm est de se posset esse sine actiua, vt dictum est priùs: propter hoc ergo ponitur ista potentia Metaphysica in essentia possibili, aliqua entitas qualis non est in Chimera. Sed de fundamento eius, qualem entitatem habet antequam existat, difficultas est magna: nec hîc pertractanda, fortè enim videretur diffusius, & prolixius principali. Ad secundum dicendum, quòd non omnis relatio, quæ est in obiecto intelligibili, non habente aliquod esse existentiæ nisi in intellectu, est relatio rationis: sicut nec est relatio rationis, relatio finis, quæ inest alicui intento, quando illud non habet aliquam existentiam extra intentionem intendentis. Sed ista sola est relatio rationis, quæ causatur in obiecto actu intellectus comparantis illud ad aliud, sicut est relatio vniuersalis. De hoc ampliùs in 5. cap. de *ad Aliquid*. Potentia autem priùs naturaliter inest obiecto, quàm ipsum comparetur ad *esse* ab intellectu. Non enim quia intellectus creatus comparat ad *esse*, ideò potest esse, sed quia potest esse, ideò est verus intellectus. Et exemplum conuenientissimum est de prioritate temporis, quæ omnino videtur similem relationem importare, sicut potentia. Nam vtraque de ratione sui requirit, vt quando relatio talis est ad terminum, terminus non existat: nec tamen prioritas est tantùm relatio secundùm rationem causata in aliquo ab intellectu considerante, & comparante ipsum ad aliud, quod est posterius tantùm secundùm rationem.

Nulla est potentia actiua ad impossibile.

Potentia Metaphysica quomodo distinguitur à Logica?

Quid relatio rationis strictè sumpta?

SCHOLIVM III.

PROBABILE, *potentiam esse ens rationis, & diuisionem entis in potentiam, & actum, non esse realem, quod certum esse debet in doctrina Aristotelis requirentis extrema realia, & realiter distincta ad relationem realem; de quo fusè Doctor 1. d. 31. Explicat optimè potentiam obiectiuam, seu ad actũ simpliciter; & subiectiuam, seu ad actum secundùm quid, de quo vide ipsum 2. d. 12. q. 1. & vtramque diuidit in varia membra: quia alia est permanens, alia successiua; alia substantialis, vt materiæ ad formam; alia accidentalis, vt subiecti ad accidens; & singula clarè explicat. Item, alia est propinqua, quæ vna mutatione, & alia remota, quæ pluribus reducitur ad actum. Item, alia est potentia primò, vt quando totum est formabile illo actu ad quem est potentia: alia non primò, vt quando solùm pars eius formabilis est, vt potentia hominis ad scientiam. Rursus hæc actuatur quandoque altera parte manente, vt in exemplo; aliquando altera non manente, vt potentia ignis ad formam aquæ.*

7

An ens in potentia sit non ens?

Aliter dicitur, quòd ens in potentia, simpliciter est non ens, & per consequens relatio fundata in ipso, est tantùm rationis: & diuisio entis per ens in actu, & ens in potentia, est quasi diuisio per contradictionem, non simpliciter, quia tunc ens in potentia conuerteretur cum non ente, & diceretur de impossibili: sed sicut priuatio non plus entitatis dicit quàm negatio: licèt sit negatio contracta ad subiectum. Et ideò diuisio per habitum & priuationem, est per contradictionem quandam: sic in proposito, ens in potentia nihil formaliter dicit, nisi non ens quoddam: cui scilicet potest succedere ens: & intelligitur quasi idem ens sibi succedere, quasi primò fundet potentiam, deinde sit terminus potentiæ: quod non est nisi secundùm intellectum concipientem idem. Nam quando nihil est in re, non est idem, nec aliud, quia illæ sunt differentiæ entis: sic ergo potentia, quæ est differentia entis, inquantum intelligitur, determinat sibi pro fundamento essentiam intellectam, quæ eadem postea est: non entitas autem, nec in re, nec in intellectu aliquod subiectum sibi determinat. Et pro tanto videtur ens in potentia magis ens, quàm negatio entis, sicut priuatio videtur magis ens, quàm negatio. Vnde priuatio ponitur terminus motus naturalis, negatio non. Sic enti in potentia intelligitur succedere ens: sed non sic non enti absolutè, secundùm illos, qui ponunt essentiam nullam habere entitatem omnino: nisi quando existit actu. Videtur hæc via secunda probabilis, & maximè si ponat essentiam, & *esse* non differre nisi ratione: tunc enim videtur necessariò concedendum, quòd potentia essentiæ vt fundamenti, ad *esse* vt ad terminum, non potest esse nisi relatio rationis, quia non est inter distincta, nisi ratione tantùm, sicut identitas. Secundùm viam istam, & argumenta superiùs mota scilicet secundum, & tertium, & etiam duo postea inducta contra responsiones ad illa, & quartum argumentum principale ad quæstionem non habent difficultatem. Nec restat nisi respondere ad illud de creatione. Diceretur, quòd illa est relatio rationis, & sufficit quòd sibi correspondet relatio rationis. Si arguitur de agente naturali in quo est relatio realis, ad effectum productum, & eadem præcessit ad productionem, diceretur, quòd non aliter eadem: nisi sicut ens in potentia, & ens in actu sunt idem iuxta modum præexpositum.

Potentia relatio rationis ad actum.

8

Vlteriùs, ad ampliorem notitiam habendam de potentia, vt est differentia entis, ad intellectum multorum, quæ dicuntur de potentia, & in isto 9. & alibi, à Philosopho, sciendum est, quòd illa non diuiditur in potentiam ante actum, & cum actu: quia opposita est actui; & ita nulla est cum actu. Sed tantùm ante actum. Nec diuiditur secundùm quod est termini, & secundùm quod est fundamẽti, vt primo modo dicatur obiectiua, secundo modo subiectiua, quia eadem est potentia, subiectum, & terminum diuersimodè denominans, secundùm quod dictum est suprà. Sed cùm potentia dicat ordinem alicuius in quo est, ad actum, secundùm quòd talis ordo variatur, distinguitur: & proportionabiliter potẽtia. Habitudo autem potentiæ ad actum

Nulla potentia est cum actu.

Potentia simpliciter, & secundùm quid: explicantur.

actum, quædam est ad actum formalem respectu illius in quo est potentia; quædam non. Et de hac secunda dicetur infrà quæst. 4. ad primum argumentum. De prima nunc est dicendum. Cùm autem omnis actus formalis sit *esse*, extendendo *esse*, & *esse* aliquod potest esse alicuius, vel simpliciter, vel secundùm quid: siue proprium, vel siue non proprium, sed quasi extrinsecum:sed hæc erit primaria diuisione duplex potentia; quædam ad *esse* proprium, & simpliciter illius, quod est in potentia; & alia ad esse extrinsecum quasi, & secundùm quid illius,quod est in potentia ad illud *esse*; prima est cuiuscunque essentiæ substantialis, vel accidentalis ad proprium *esse*, & fundatur in illa essentia,cuius est illud proprium *esse*; ita enim essentia accidentis, vel albedinis, est in potentia ad proprium *esse* suum: sicut essentia animæ creandæ est in potentia ad suum *esse*. Et hæc propriissimè est differentia entis,& potest dici potentia obiectiua,quatenus totum est in potentia ad existentiam, & non in actu:tam subiectum eius, quàm terminus: & de hac locum habent tria dubia superiùs mota, & soluta. Secunda non est cuiuslibet entis, quia non est, nisi illius,quod præter *esse* proprium natum est recipere aliud *esse* ab alio;& ita quando non habet illud,est in potentia ad illud:verbi gratiâ, corpus non album est in potentia, vt sic, non simpliciter, sed vt sit album,quod est *esse* eius secundùm quid, & extrinsecum. Et ita potest dici subiectiua:& sic intelligendo, subiectiua potentia, & obiectiua potentia, non sunt vna potentia diuersimodè considerata, sed duæ, quia in duobus, licèt ad eundem terminum; ac per hoc, non ita duæ,sicut secundæ obiectiuæ sunt duæ. Alia quippe est potentia in albedine futura,fundata ad proprium esse suum; & alia in corpore ad illud idem *esse*:nõ vt suum *esse*,scilicet corporis, nisi quasi secundùm quid, & extrinsecè. Prima potentia, siue passiua,non diuiditur in essentialem,& accidentalem,nec propinquam,& remotam;quia in quacunque essentia non existente est æquè propinqua,& æquè essentialis potentia ad proprium *esse*, æquè dico proportionaliter. Sed diuiditur illa potentia in potentiam,quæ est ad actum purum:& quæ est ad actum mixtum potentiæ. Secundùm enim diuersitatem essentiarum potentia est ad actum diuersimodè recipiendum;quandoque simul totum, sicut essentiæ permanentium natæ sunt recipere *esse*; quandoque successiuè, ita quòd semper cum actu terminante potentiam, stet potentia ad vlteriorem actum: sicut in successiuis, ita quòd ibi nunquam potentiæ simul succedit actus oppositus. Hanc diuisionem potentiæ in 5. cap. huius. 9. T. c. 11. Aristoteles ponit ibi: *aliter autem infinitum,&c.*

Potentia, obiectiua, & subiectiua. Scot.2. d.12. q.1.

9.

Potentia subiectiua duplex.

Secunda potentia, scilicet subiectiua diuiditur etiam secundum modum reductionis primæ potentiæ ad actum scilicet simul,vel successiuè,sicut & prima diuidebatur. Nam sicut aliqua essentia informans aliam reducitur ad *esse* proprium simul,vel non simul; ita & formatum reducitur ad idem *esse* quasi participatum. Diuiditur autem ita secunda similiter secundùm diuersos modos, quibus aliquid est informabile illo, quod est in potentia primo modo:aliter enim materia est informabilis à forma inducenda per generationem, aliter subiectum ab accidente inducendo per motum. Ita quòd potentia materiæ ad esse communicatum sibi à forma, potest dici substantialis, & quia ad *esse* substantiale in se: & quia illud, cuius est illud *esse* per se,facit vnum cum materia, quæ est in potentia.Potentia autem subiecti ad *esse* sibi communicandum ab accidente, potest dici accidentalis: & quia ad *esse* in se accidentale: & quia illud non facit vnum per se cum subiecto, quod est in potentia;vt patet. Item, vtraque potentia dicta, diuiditur in propinquam, quæ scilicet per vnam transmutationem reducitur ad actum; & in remotam,quæ.scilicet non potest reduci in actum, nisi per multas transmutationes medias. Et de illa diuisione potẽtiæ tractat Philosophus cap.6.huius libri.T.c.13. *Quando autem,&c.* Item,aliquid est in potentia prima:quia scilicet ipsum totum est informabile ab actu, ad quem est potentia; aliquid non primò, sed per partem,quæ sola informabitur. Et hæc,vel altera manente:& sic homo est in potentia ad scientiam, quæ solam animam informabit manente tamen corpore: aut altera parte corrupta,& sic ignis est in potentia ad *esse* formæ aquæ sibi communicandũ, & hoc corrupta forma ignis. Et istæ diuisiones 4.positæ potentiæ subiectiuæ possunt se inuicem subdiuidere quandoque:sicut patet intuenti.

Potentia materia substantialis.

SCHOLIVM IV.

PRIMVM *dictum huius literæ*;Obiectiua potentia non manet cum actu, quia ei opponitur. *Secundum.* Idem est de subiectiua, eadem ratione. *Tertium*, subiectiua non est eadem illi in quo est. *Quartum*, æquè parua est entitas subiectiuæ, & obiectiuæ, *licèt subiectiua fundetur in existenti: circa quod pulchras excitat difficultates.Quintum, potentia subiectiua est, quæ ponitur in definitione motus,quando dicitur* motus est actus entis in potentia,&c.*Sextum,* Duæ potentiæ ad contradictoria,vel contraria immediata,non stant simul.

10.

Nec obiectiua,nec subiectiua potentia manet cũ actu.

Visa itaque diuisione potentiæ, consideranda sunt quædam de potentia ista Metaphysica in communi,& quædam quæ de hac potentia:& quæ de illa dicuntur.Primum est,quòd neutra potentia prædicta scilicet nec subiectiua:nec obiectiua manet cum actu:quia sibi opponitur secundum quod vtraque numeratur secundùm numerum actuum, sicut vniuersaliter relatio secundùm per se terminum. Et ex his sequitur tertium, quòd potentia subiectiua in quocunque, siue in materia, siue in subiecto aliquo, non est eadem essentialiter illi in quo est:quia illud in quo est, manet cum actu, & non numeratur.Et secunda ratio est ad hoc, quòd illud in quo est,est absolutum; potentia non. Sed nunquid ista potentia est aliud ab illo in quo est? Responsio: diceret aliquis quòd ens in actu, & ens in potentia non connumeratur inter se: sed vel entia in actu inter se:vel entia in potentia inter se.Idẽ enim & aliud,diuidunt ens,sed iam diuisum per actum & potentiam, ita quòd aliquod idem membrum diuisionis per actum,& potentiam præsupponitur diuisioni,per *idem & diuersum*;& tunc potentialitas nec est idẽ subiecto,in quo est, quod est in se aliquod ens actu,& potentialitas non;nec aliud.Aliter posset dici,quòd potentia qualem habet identitatem,ita est aliud:sed nunquid ad ipsam est potentia alia, vt sic eatur in infinitum? Patet quòd non, quando ipsa inest:sed semper inest, nisi quando impossibile est ipsam inesse:& tunc non est potentia ad ipsam,quia ad impossibile non est potentia. Sed quomodo semper inest:cùm quandoque insit actus, cum quo non stat potentia? Respondeo: cum actu illo stat potentia ad alium

Potentia subiectiua distinguitur ab eo in quo est.

Ad potentiã non est potentia.

 actum

actum, non ad istum: nec quando inest, possibile est inesse potentiam ad istum. Hoc super primo Physicorum diffusiùs habet locum.

Quartum est, de comparatione istarum potentiarũ ad inuicem: quòd non maiorem entitatẽ dicit de ratione sua formali potentia subiectiua, quàm obiectiua, quia vtraque est ad eundẽ terminũ, sine cuius entitate neutra est ens. Contrà: quare igitur subiectiua semper fundatur in existente, & obiectiua in non existente? Videtur enim quòd relationibus æquè paruam entitatem habentibus, sufficiant fundamenta æquè paruam entitatem habentia.

Ad aliud potest responderi multipliciter. Dicitur vno modo, quòd falsum supponitur de potentia subiectiua. Nam si aliquis totus ignis crearetur, posset dici quòd ante eius creationem, non tantùm fuit potentia obiectiua in essentia ignis ad suum *esse*, sed etiam potentia subiectiua in materia illa creanda ad formam illam creandam, sicut si materia iam esset creata. Et si ita est, tunc quando ipsa potentia subiectiua est in existente, hoc est per accidens: quia non inquantum existens: sed per se in essentia cui accidit existere, inquantum fundat talem potentiam; sicut scientia per accidens est in homine albo; sed hoc non placet de potentia passiua: sicut nec ignis creandus videtur habere potentiam actiuam, nisi per accidens in potentia, quæ per se est ad *esse* eius, quam consequitur potentia actiua.

Tanta est entitas obiectiuæ, & subiectiuæ potentiæ.

11.

Tunc aliter potest dici: quòd sicut priuatio nihil formaliter includit, nisi negationem; quia est necessariò contracta ad genus, requirit subiectum, quod negatio in communi non requirit; ita nihil entitatis formaliter includit potentia subiectiua: sicut nec obiectiua. Sed quia est determinatus ordo non ad *esse* proprium illius in quo est, sed quasi extrinsecum; ideò præsupponitur in illo, in quo est *esse* proprium. Non enim videtur potentia ad *esse* extrinsecum, nisi reducto iam ad *esse* proprium. Sed ista ratio licèt sit probabilis, tamen non cogit, quia in eodem creando, quod potest aliquo informari, benè posset poni ordo illarum potentiarum, vt quòd obiectiua esset prior: & oportet ipsam priùs reduci ad actu, quàm subiectiuam reduci ad actum, non tamen priùs quàm subiectiua inesset. Exemplum de calore, & siccitate in igne, & eorum effectibus. Vtraque responsio tenet æquè paruam entitatem in vtraque. Quintum est, quòd subiectiua est illa, quæ ponitur in definitione motus, non quæ est ad motum, sed quæ est ad terminum eius: nam ante motum est potentia ad motum, & ita euacuatur cùm mobile incipit moueri; sicut scilicet nata est euacuari, non tota simul, sed successiuè, & respectu huius potentiæ motus est actus: sed cum illo actu stat potentia ad terminum: quæ vel ante motum non infuit, vel quod magis credo, de illa potentia subiectiua Metaphysica priùs infuit, sed non reducitur ad actum immediatè per agens naturale, nisi illa ad motum priùs reduceretur. Simpliciter tamen considerando ambas illas potentias, vt ad Metaphysicum spectant, etiam comparando ad subiectum, in quo sunt, nullum videtur habere per se ordinem, nec actus eorum; vt possit actus vnius dici esse alicuius, inquantum est in aliqua potentia, vel alia à priori: vel eadem differens secundùm completum in termino, & incompletum secundùm illos, qui ponunt talem differentiam inter motum, & terminum. De hac distinctione quære super 3. Physicor. Sextum est, quòd duæ potentiæ ad contradictoria, siue ad quæcunquæ duo opposita immediata, circa aliquod susceptiuum non possunt simul stare in illo susceptiuo: quia illa potentia non est cum actu proprio, patet, & quando ille actus proprius non inest, oppositus inest: ergo, &c. Non tamen istud sextum accidit propter oppositionem potentiarum, quasi sic opponantur inter se, sicut actus, quorum sunt: quod patet. Nam contraria mediata non minùs opponuntur, quàm contraria immediata: tamen potentiæ ad contraria mediata simul sunt in subiecto, quando est sub forma media: multa autem possunt de potentia dicta verificari, quæ nunc prætermitto.

Potentia subiectiua est quæ ponit in diffinitione motus.

Duæ potentiæ ad contradictoria, vel contraria immediata, non stant simul.

12.

Ad argumenta primæ quæstionis. Ad primum dicendum, quòd procedit de potentia Logica, & quando confirmatur per definitionem possibilis positam secundo capite, illa est definitio *possibilis* Logicè. Quod patet, quoniam post illam definitionem, probat ex ea, quòd si antecedens est possibile, & consequens: quod patet non esse intelligendum, nisi de potentia Logica. Et ad secundum dicendum, quòd benè probat, quòd diuisio entis per *actum*, & *potentiam* non est diuisio generis per differentias essentiales, quod concedo. Sed est magis subiecti per passiones oppositas, quæ dicunt modum illius subiecti, qualis est diuisio lineæ per lineas rectas, & curuas. Ad tertium dicendum, quòd procedit de potentia, quæ est principium, non quodcunque, sed passiuum, de quo dicetur in quæstione sequenti. Ad quartum dicendum, quòd licèt ens in potentia non sit ens ita simpliciter, sicut ens in actu, sic ratio possibilis diminuat ens: non tamen omnino destruit rationem entis benè autem tale determinans potest habere rationem diuidentis; ita enim est in diuisione entis per *vnũ*, & *multum*: quia *multum* secundùm suam formalem rationem, inquantum opponitur *vni*, diminuit ens, licèt non omnino destruat. Sed si teneatur alia via superiùs dicta, de potentia omnino, quod destruit ens, & quòd non est relatio, nisi rationis; tunc illud argumentum est concedendum, & est quasi diuisio animalis, per *viuum*, & *mortuum*: cùm diuiditur ens per *actum*, & *potentiam*.

Potentia logica stat cum actu.

Quæ diuisio est illa entis in potentiã, & actum.

Nu. 7.

Diuisio entis in potentiam, & actum sicut animalis in viuum, & mortuum.

Ad primum argumentum secundæ quæstionis, patet quòd maior est vera de correlatiuis, hîc tantùm alterum est relatiuum. Ad secundum dicendum, quòd minor est vera de potentia, vt est principium specialiter passiuum, non de potentia opposita actui. Patet ex secundo notabili suprà. Ad tertium, patebit in sequenti quæstione, quomodo potentia actiua, inquantum principium, non absolutè, sed secundùm transmutatiuum dicitur ad passiuum. Sed potentia, de qua prædictum est etiam, vt inuenitur in potentia actiua tantùm, dicitur ad actum. Ad quartum posset dici, quòd relatio potentiæ non est determinati generis, sed transcendens: & ita etiam posset de dici relatione principij, & causæ, de quibus minùs videtur; nec cadunt illæ rationes sub aliquo modo illorum, qui ponuntur in 5. huius. Aliter potest dici, quòd omnia transcendentia præter *ens* sunt determinati generis quiditatiuè sumpta, licèt denominatiuè sumpta sint transcendentia; quia scilicet omnia denominant. De hoc quære in quarto huius, in quæst. de Vno an significet idem enti.

An vnum vni tantum opponitur?

Relatio potentiæ, an prædicamentalis?

ANNOT.

ANNOTAT. MAVRITII.

13. CIrca primam & secundam quæstionem noni libri de oppositione actus, & potentiæ t. c. 1. aduerte, quòd in hoc nono dilatat se mirum in modum de potentia quantùm ad eius entitatem, conditiones, extrema, oppositionem, & diuisioné multiplicem; & similiter per oppositum habetur notitia actus. Præmittit ergo diuisionem potentiæ in communi valde notabilem fundamentalem, & vbique necessariam, quam tangit aliqualiter, licèt non ita completè, *2.dist.pri.par.2. & 7. dist.eiusdem, & 7. & 12.dist.1. & 27. quæst. super lib. Elenchorum.*

Deinde respondet resolutè ad quæstionem & vltimò mouet dubia de potentia Metaphysica, & soluit valde subtiliter, nullibi altiùs, quàm hîc habentur: valde enim resolutè scribit in hoc nono & clarè, & doctrinaliter, ideò plerumque ad dicta hîc se remittit, & in hac Metaphysica, & alibi.

Infrà cùm dicit ibi: *Sed de fundamento eius qualem entitatem, &c.* vide ad illam difficultatem, *1.di.2.q.1. & 2. & di 36.pri. & 53.* quære Franc. May. *dr.42. & 46. di.pri. Confla. &* P. de A. *in 2. di.3.q.1.* & alios antiquos, & modernos, vt nosti.

Aduerte consequenter ad illos duos modos dicendi de relatione potentiæ: an scilicet sit realis, vel rationis: quorum quilibet est probabilis, & subtilis, quære in quodlibeto *q.13.* optimè ad propositum, & supra *cap.de ad aliquid.*

Consequenter adducit diuisiones speciales potentiæ Metaphysicæ, seu obiectiuæ, & potentiæ formalis physicæ, seu subiectiuæ, & addit sex notanda, seu considerationes de eis, vbi mira solertia laborat; in re enim subtilissima, & minimæ entitatis cognoscitur subtilis, & facillimè difficillima pertractat. Nemo profectò, nec antiquus, nec modernus reperitur in talibus taliter se dilatasse: spiritus proculdubio sapientiæ calamo affuit. Tota litera est benè ordinata, & correcta: quare legatur audacter.

Quod quidem igitur multipliciter potentia, & posse determinatum est à nobis in aliis. Harum autem quæcunque quidem æquiuocè dicuntur potentiæ prætermittantur. *Tex. commenti. 2.*

QVÆSTIO III.

Vtrùm potentia, vt dicit principium, sufficienter diuidatur à Philosopho?

Arist. *lib.* 5. Metaph. *c.12.Text.17. & hic c. 5.Text.2.* Albertus Mag. *5.huius trac.2. c.13. & 14. & hic tract. 1. c.2.* D.Tho. *hic lect.1.* Sonc. *q.6.* Flandria *q.1 art.3.* Fons. *c.1.q.2.sect.1. & 2.* Suarez. *Disp.43. Met.sect.1.*

1. ET videtur quòd non: quia sicut generans primò generat, non autem forma, quâ generat, ita videtur illud esse primò principium, quod principiat: non quo principiat; ergo insufficienter Aristoteles diuidit principium, cùm non diuidat nisi in illa quibus principia principiant, vt ex modis quos ponit, patet. Confirmatur, quia cùm principium *quod, & quo,* non sint idem simpliciter, videtur quòd propria relatio vtriusque ad principiatum sit alia: quia relatio diuersificatur secundùm diuersitatem fundamenti. Item, de actione, & passione considerat naturalis: sicut patet ex 3. Physicorum t.c. 15. & 1. de Generatione, t. c.46. ergo & de principio actiuo, & passiuo: vel ergo nulla potentia, vt est principium, pertinet ad Metaphysicum; vel est alia potentia præter modos hîc positos, qui omnes pertinent ad agere, & pati. Item, non videtur alia potentia, quæ est principium benè faciendi, & patiendi ab illa, quæ est simpliciter principium faciendi, & patiendi; ergo malè distinguitur ab illa. Antecedens probatur, quia sicut potentia est principium absolutè, ita bona, siue perfecta potentia est principium benè; potentia autem, & potentia perfecta non sunt alia potentia. Item, potentia motiua, siue quæ est principium resistendi transmutanti in peius: aut est principium resistendi, quia est principium contra agendi: aut præcisè sine omni contra actione resistendi, quia est principium quiescendi in tali perfectione. Exéplum de primo, calor intensus resistit frigido. Exemplum secundi, durities resistit scindenti. Si primo modo, non videtur alia potentia, quàm actiua; argo malè distinguitur contra eam. Si secundo modo, malè poneretur sub potentia, quia non est principium. Nam non habet aliquod principiatum: nihil enim principiatur à duritie, per hoc, quòd diuidens non potest durum diuidere. Item 5. huius. t. c. 1. dicit Aristoteles quòd quoties dicitur *causa,* toties & *principium;* ergo quatuor debent esse potentiæ correspondentes quatuor causis. Omnes autem hîc positæ videntur correspondere duabus scilicet agenti, & materiali. Confirmatur ratio: sicut enim agens, & materia habent propriam rationem principiandi, quare non similiter forma, & finis? Ad oppositum est Aristoteles hîc. t. c. 2. & in 5. cap. de potentia. t.c.17.

SCHOLIVM.

RESOLVITVR *quæst. seq. num.8. & argumenta hîc adducta ibi soluuntur à num.9.*

Quæcunque autem ad eandem speciem, omnes principia quædam sunt, & ad primum vnum dicuntur, quod est principium transmutationis in alio, inquantum aliud est. *Tex. commenti 2.*

QVÆSTIO IV.

Vtrùm potentia actiua benè describatur?

Arist. *hic c. 1.text.2. & lib.5.huius c. 12.text. 17.* D. Tho. *hic lect.1. & 5.huius lect 14.* Albert. Mag. *hic tract.1.c.2.* Flandria *q.1 art.3. & 5.huius q.13.art.3.* Fons. *lib.5.huius c.12. & hic c.1.* Suar. *disp.43. Met.sect.1.* Hurtad. *disp. 2.Phys.sect.2.*

PRimò contra hoc, quòd dicitur principium: quia si est principium; ergo non agens non habet potentiam actiuam, consequens est falsum secundùm Arist. 3. cap. t. c. 5. contra Megaricos. Probatio consequentiæ: non agens non habet principium in actu, quia illud simul est, & non est, cum principiato in actu, ex 5. huius. t. c .3. Nec habet principium in potentia, quia omnis potentia est ad aliquem actum eius, quod est in potentia,

tia, ſicut patet ex præcedentibus, tam de obiectiua, quàm de ſubiectiua: non agens autem potens agere, non eſt in potentia ad aliquem actum ſui: quia tunc tranſmutaretur quando ageret. Si dicatur, quòd actiuum quando non agit, eſt in potentia ad actum alterius, puta affectus. Contrà: in 1. de Somno, & Vigilia, cap. 1. *Cuius eſt potentia eius eſt actus*, & ſimiliter ſequitur tunc, quòd potentia, de qua in præcedentibus dictum eſt, ſcilicet quæ opponitur actui, non ſufficienter diuidatur in potentiam obiectiuam, & ſubiectiuam: erit enim præter iſtas, potentia tertia non ad aliquem actum ipſius, quod eſt in potentia: ſed ad aliquid aliud ab ipſo. Item, contra hoc, quòd dicitur tranſmutandi aliud, quia ex hoc ſequeretur, quòd potentia creatiua non eſſet actiua: quia non tranſmutat aliud. Vniuerſaliter etiam ſequeretur, quòd potentia actiua non abſtraheret à motu, & mutatione, & ita nulla pertineret ad Metaphyſicum, nec per conſequens aliqua conſideratio cauſæ efficientis ad ipſum pertineret. Item, tertiò contra hoc, quod dicitur, *aliud*, primò arguitur ſic: quia tunc omnis potentia actiua eſſet factiua: quod videtur eſſe contra intentionem Ariſtotelis infrà cap. 7. t. c. 16. diuidentis potentiam in factiuam, & actiuam, cuius ſcilicet vltimus finis eſt vſus, & non aliquid factum. Conſequentia patet, nam actiua ſtrictè ſumpta non tranſmutat aliud ſecundùm Ariſtotelem ibidem: quia actio manet in agente. Item ſecundò, contra idem illud aliud eſt tranſmutabile, ſicut patet: ſed tranſmutabile non videtur ponendum in definitione potentiæ actiuæ, niſi tanquam correlatiuum, non eſt autem eius correlatiuum; probo, quia omnis potentia dicitur ad actum: nulla igitur ad aliud correlatiuum. Si dicatur quod potentia, quæ dicitur ad actum, non eſt iſta, quæ eſt principium, de qua modo eſt ſermo. Contrà: ſaltem habet propoſitum: quia principium per ſe dicitur ad principiatum: tranſmutabile autem non eſt principiatum reſpectu potentiæ actiuæ: quia præſupponitur principiato eius: vt ex ipſo tranſmutabili illud principatium cauſetur; ergo, &c. Conſimiliter poteſt argui contra deſcriptionem potentiæ paſſiuæ. Ad oppoſitum eſt Ariſtoteles.

Cuius eſt potentia eius actus.

SCHOLIVM. I.

EXPLICAT *primò, quomodo quatuor genera cauſarum ad Metaphyſicum ſpectant, & quomodo ad Phyſicum. Secundò, quomodo à relatione principiationis diuerſimodè denominantur, principium, & principians; illud vt* quo, *hoc vt* quod: *in ſimplicibus autem*, quod, *&* quo, *re non diſtinguuntur. Vide in Doct. lib. Elench. q. 16. & ſuper Porphyr. q. vlt. quomodo ſumuntur denominatiua ab abſtractis. Tertiò, quod ſimiliter ſumitur potentialitas, potentia, & potens, quorum primum eſt relatio; alia duo concreta eius, vt* quo, *& vt* quod. *Quartò, an ratio potentiæ tantum conueniat efficienti, & materiæ, & licèt quæſtio ſit de nomine, iuxta Ariſtotelem affirmatiuè reſpondendum eſt.*

2 Hîc ſunt videnda quatuor art. 1. Primò, quomodo potentia, vt principium dicitur, pertinet ad conſiderationem Metaphyſici. Secundò, quid importatur nomine *potentiæ* ſic ſumptæ. Tertiò, de diuiſione eius. Quartò, de rationibus diuidentium. De primo, ſciendum, quòd cùm *propter aliud eſſe*, & *eſſe propter quod aliud eſt*, ſint conditiones entis abſolutè, non contracti ad Metaphyſicum, vel Naturalem, & illæ ſint relationes cauſati, & cauſæ, ſequitur quòd ad Metaphyſicum pertinet conſtituere cauſam & cauſatum. Cumque quatuor genera cauſarum diſtinguant cauſam, per hoc, quòd cauſatum aliter eſt per quodlibet illorum, abſque hoc quòd deſcendatur ad motum, vel quantitatem: ſequitur, quòd omnia genera cauſarum pertinent ad Metaphyſicum. Conferre enim ad *eſſe* alicuius: vt pars eſſentialis eius & hæc, ſiue actualis, ſiue potentialis: patet quòd non contrahit ad motum. Et iſtæ ſunt ſpeciales rationes cauſæ formalis, & materialis, de quibus tractat Philoſophus in 8. t. c. 15. & quomodo ex eis fit vnum: quia hoc actus, & illud potentia: omne etiam bonum, ad quod aliud ordinatur, patet quòd non contrahit ad motum: & hæc eſt ratio cauſæ finalis, de qua loquitur Ariſtoteles in 12. t. c. 36. *Mouet autem, vt amatum, &c.* & alibi t. c. 52. *perſcrutandum autem, & qualiter habet totius natura bonum & optimum.* De efficiente videretur, quòd non abſtraheret à mutatione, & motu, ſed licèt hoc verum eſſet quo ad conuertibilitatem in re, quòd nullum eſſet efficiens quin efficeret per motum, vel per mutationem, tamen de per ſe ratione efficientis: non eſt verum. Nam ſi intelligatur aliquid dare *eſſe*, ſine hoc quòd intelligatur aliquid moueri, vel mutari, certum eſt quòd dans *eſſe* tale, intelligitur habere rationem cauſæ reſpectu producti: & non alterius quàm efficientis, ſicut ratio vnius quod eſt compoſitum ex actu & potentia ſecundùm ſe, non contrahit ad motum: ſed pertinet ad Metaphyſicum: licèt nunquam tale vnum eſſet niſi per motum, vel mutationem potentialis: ita in propoſito. Prædicta tamen quatuor genera cauſarum contracta ad naturalitatem, puta inquantum ſunt propter quæ aliquid habet *eſſe* naturale; vel inquantum propter illa modo naturali aliquid habet *eſſe*, pertinent ad conſiderationem Phyſici. Vnde falſum eſt, vt videtur, aliquam cauſam excludere à conſideratione Metaphyſici, vel etiam Naturalis, licèt diuerſimode eas conſiderent modo prædicto. Et ſicut dictum eſt de cauſis, ita intelligendum eſt de principiis, ſiue principiantibus, ſine quibus alia principiant, cuiuſmodi dicuntur potentiæ, vt patebit in ſecundo argumento.

Quatuor genera cauſarū pertinent ad Metaphyſicum.

Efficiens abſtrahit à motu.

Quomodo quatuor cauſæ pertinent ad phyſicum.

3 De quo ſciendum eſt, quòd ab eodem abſtracto quandoque dicuntur plura denominatiua, quæ ſcilicet nata ſunt denominare diuerſa, ad quæ diuerſa habet habitudinem illud, quod per abſtractum ſignatur. Poſſet in multis exemplificari ſi prolixitas non obſtaret, ſic ab iſta relatione ſcilicet quæ dicitur principiatio ſignata in abſtracto, diuerſimodè denominatur illud quod principiat, & illud quo principiat: quia illud quo immediatè, & illud quod mediatè. Et ſecundùm hoc poſſunt duo denominatiua iſtis appropriari: vt ſcilicet illud quo dicatur principium, & illud quod dicitur principians, videtur autem principium eſſe quaſi abſtractum reſpectu eius, quod eſt principians. Sicut enim calor eſt quo calidum eſt calidum, & ita reſpectu eius abſtractum, ita principium eſt quo principians principiat. Tamen ſecundùm veritatem principium eſt denominatiuum: quia impoſſibile eſt relationem purè in abſtracto ſignificatam de aliquo abſoluto prædicari: quia tunc diceretur in *quid* de ipſo: calor autem dicitur eſſe principium, licèt non principiatio. Patet itaque quòd principium importat eſſentialiter relationem principiationis, & hoc in concreto, vt ſcilicet

Ab eodem abſtracto denominatiua plura.

Principium eſt denominatiuum.

ſcilicet natum eſt concernere immediatum ſuum fundamentum, quod eſt *quo*: non autem remotum, ſiue ſubiectum, quod non eſt *quo*. Et hoc intelligendum eſt vbi *quod* & *quo* diſtinguntur aliquo modo realiter. In omnino autem ſimplicibus, vbi idem eſt rè, *quod*, & *quo*, tantùm differens ratione, idem ibi dicitur principium & principians; ſiue autem idem dicatur principium, & principians vt in ſimplicibus; ſiue aliud aliquo modo, vt in compoſitis; eandem tamen relationem, quam principiatio importat, importat vtrunque iſtorum concretorum: licèt aliquo modo inquantum illa eadem diuerſimodè concernit fundamentum, & ſubiectum, ſicut ſimilitudo eadem denominat Socratem, qui eſt ſimilis ſecundùm albedinem: & albedinem ſecundùm quam eſt ſimilis. Si tamen eſſet aliquod concretum impoſitum, quo albedo poſſet denominari inquantum eſt quo aliquid aſſimilatur.

Aliquando idem principium, & principians.

4

Conſimiliter omnino dicendum eſt de potentialitate, potentia, & potente, quod eandem relationem important. Primum in abſtracto alia duo in concreto: ſed diuerſimodè ſecundùm quod illa relatio nata eſt diuerſimodè denominare fundamentum proximum, & remotum ſiue ſubiectum: ſicut autem alia concreta communiter accipimus pro ſubiectis, inquantum habent tales formas, ità frequenter quando dicimus potentiam non intelligimus de reſpectu: ſed de illo in quo fundatur reſpectus: ſed an potentia importet ita communem relationem, ſicut principium ſiue cauſa, dubium eſt. Et hoc tangit tertium argumentum ad primam quæſtionem. Diceret aliquis quòd ſic, & quòd ita potentia conuenit formæ, & fini, ſicut efficienti, & materiæ: licèt non ſit conſuetum illis cauſis attribuere nomen *potentiæ*, fortè quia in eis non diſtinguitur, *quod* & *quo*. De forma patet, quòd ſit ſimplex; de fine ſimiliter videtur, ſi finis ponatur operatio, cuius *eſſe* eſt ſimplex: ſed tunc non videtur quòd nomen *potentia* deberet attribui materiæ primæ: quia nec ibi diſtinguitur, *quod* & *quo*, niſi fortè ratione, ſicut nec in forma, vel in fine. Aliter poſſet dici, quòd ſecundùm prædicta ſuprà in principio ſolutionis primæ quæſtionis, ab vno ſignificato *potentiæ* videtur nomen tranſlatum ad aliud ſignificatum, propter conuenientiam inter illa: quia ſcilicet nihil habet modum eſſendi potentialem formaliter, niſi quia aliquod principium eſt potentiale reſpectu eius: principium autem potentiale reſpectu principiati, tantùm poteſt eſſe duplex ſcilicet efficiens, & materia: forma enim nunquam præcedit compoſitum, nec per ipſum tanquam per principium potentiale, poſſet compoſitum eſſe in potentia. Similiter, nec finis quantum ad *eſſe* in re. Et ideò fortè, vt *potentia* ſignat principium non eſt impoſitum generaliter omni principio, ſiue cauſæ; ſed tantum principio actiuo, quod eſt quo efficiens poteſt efficere; & principio paſſiuo quod eſt, quo ex aliquo poteſt fieri aliquid: & per vtrumque iſtorum principiatum eſt in potentia. Non oportet contendere de nomine cui ſit impoſitum, quia loquendum eſt, vt plures ex 2. Topicor. cap. 6. Si quis velit primam viam tenere per diſſuetudinem, excuſatur: non oportet laborare ad contra arguendum. Secunda via videtur de intentione Philoſophi, qui de ipſa potentia non loquitur, inquantum eſt principium: niſi vt pertinet ad duplex genus cauſæ, & ratio ad hoc aſſignata tranſlatione videtur ſatis congrua.

Potentialitas dicit rem principij in abſtracto, potentia, & potens in concreto.

Eſſe potentiā an conuenit formæ, & fini.

Loquendum vt plures.

SCHOLIVM II.

PRINCIPIVM *dicit duos reſpectus, alterum ad principiatum, ad comprincipium alterum, & habet potentiam paſſiuam, magis reſpectu comprincipiati: explicat actum tot modis ſumi, quot potentia, & conditiones vtriuſque.*

5

Sciendum tamen ſecundò, quantùm ad iſtum articulum, quòd principium non tantùm habet relationem ad principiatum, & tale principium ad tale principiatum, puta efficiens ad effectum, materia ad materiatum: ſed etiam vnum principium reſpectum habet ad aliud principium: quia ſiue ſint extrinſeca, ſiue intrinſeca, hæc & illa mutuò nunquam cauſant, niſi inter ſe aliquo modo vniantur, & concurrant; quia nulla vna ſufficit ad cauſandum illud, quod dependet à multis cauſis eſſentialiter. Quomodo verò quatuor cauſæ concurrunt in cauſando idem, & quomodo ordinantur eſſentialiter in cauſando, patet concluſione 9. cap. 2. in tractatu de primo principio. Et illæ duæ relationes ſunt omnino alterius rationis; & poſſunt ambæ fundari in eodem abſoluto; immò neceſſariò fundantur quæ eſſentialiùs; vel priùs, non eſt modò quæſtio. Potentia ergo ſi importet illos duos reſpectus in quacunque cauſa, hoc eſt æquiuocè: & pro vtroque exprimendo, videtur nomen accipi quandoque ab Ariſtotele verbi gratia, de potentia actiua exemplificat 5. li. ca. de ad Aliquid, t.c. 20. vt calefaciens ad hoc, quod calefit, &c. Et paulo pòſt, quod fecit ad factum; & facturum ad faciendum: ſicut enim pater dicitur filij pater: conſtat quòd calefactiuum ad illud, quod calefit, non dicitur, vt principium ad principiatum. Sed vt principium, puta actiuum ad paſſiuum, ex quibus ſequitur vnum principiatum, ad quod ambo dicuntur: ſed pater ad filium non ſic dicitur, nec facturum ad faciendum, vt ad principium: ſed vt ad principiatum: & tamen ambo exempla ponit pro ſecundo modo ad aliquid, qui eſt ſecundùm potentiam actiuam, & paſſiuam. In hoc etiam patet exemplum, quomodo principium paſſiuum dicit Ariſtoteles habere potentiam paſſiuam reſpectu alterius principij non reſpectu principiati: ſed reſpectu etiam principiati habet potentiam, inquantum ex illo poteſt fieri principiatum. Vnde in 7. cap. 3. t.c. 22. *hoc autem ex quo fit quam dicimus materiam*, &c. ibi, & 12. huius, c. 1. t.c. 8. *Non ſolùm ſecundùm accidens ex ente fiunt omnia, potentia quidem ente, ex non ente verò actu*, &c. Et in 8. cap. 1. t.c. 3. *Materiam dico, quæ poteſtate eſt hoc aliquid*: eſt prædicatio ſinodoica, quia eſt in potentia, vt ſit pars eius, quod eſt hoc aliquid: & per hoc totum hoc aliquid eſt in potentia, vt ſic.

Principium dicit reſpectū ad principiatum, & ad principia.

Prius ſcripſit de primo princ.

Principium paſſiuum habet potentiā paſſiuam reſpectu comprincipij, à quo patitur, nō reſpectu principiati.

6

Habet etiam paſſiuum principium reſpectum ad formam, cū quo ſicut cum principio intrinſeco principiat principiatū. Et de hoc loquitur 8. lib. ca. vltimo, t.c. 15. quod ideò vnū eſt ex materia, & forma, quia hoc actus, illud potentia, quod expoſitum eſt in vltima quæſtione ſuper octauum. Sed ſicut hæc potentia in tertia ſignificatione ſumitur præter ſcilicet duas, ſecundùm quarum vnam nominat relationem principij paſſiui ad principiatum: & ſecundùm aliam ad principium actiuum: ita & *actus*, quod eſt correlatiuum potentiæ illo modo ſumptæ, æquiuocè ſumitur ab illa ratione actus, de qua dictum eſt in primis duabus quæſtionibus: quæ ſcilicet opponitur potentiæ, vt modus entis

Actus tot modis ſumitur, ac potentia.

entis oppositus sibi. Nam actus illo modo dicitur de forma, inquantum refertur ad materiam, cum qua principiat: & simul sunt potentia isto modo,& actus: & sunt mutuò relatiua, quia sicut potentia hoc modo est respectu alicuius actus:ita & iste actus est alicuius potentiæ actus.Tres conditiones oppositæ sunt in potentia, & actu primo modo sumptis: quia nec vnum est in principio respectu principij, inquantum principium, nec simul sunt,nec sunt mutua.Vnde de primo actu intelligitur,quòd forma est in actu quãdoque, quandoque in potentia opposita actui:sicut & compositum. Sed de secundo actu,& potentia, nunquam forma est in potentia,sed actus; etiam quando est in potentia primo modo, adhuc est actus secundo modo,non potentia.Compositum autem quandoque existit,licèt non sit actus,tamen actus est modus entitatis propriæ totius, non tantùm entitatis formæ. Fortè communiter non curatur de illa æquiuocatione actus, propter hoc, quòd actus compositi primo modo principaliter est ab actu, secundo modo,secundùm commune dictum: licèt non sit ab actu secundo modo:nisi inquantum ille est in actu primo modo.

Tres conditiones opposita potentia, & actui.

SCHOLIVM III.

POTENTIAM *sufficienter diuidi in actiuã,& passiuam, quod optimè explicat, & hoc quoad tertium articulum. Quoad quartum,docet definiri hîc tex.2.potentiam actiuam, non per respectũ ad principiatum, sed ad comprincipium,& non ad hoc, vt actuabile est, abstrahendo à motu. Vnde prima diffinitio eius, scilicet,* principium transmutandi aliud,inquantum aliud, *ad Physicum,non ad Metaphysicum spectat: ponit tamen duas definitiones eiusdem Metaphysicas,& tres potentiæ passiuæ,quæ sunt satis claræ,iuxta varios respectus,quos dicunt, iam explicatos; ex quibus habes responsionem ad quæstionem tertiam,& quartam simul.*

7
art.3.
Potentiam sufficienter diuidi in actiuam, & passiuam.

Ex dictis apparet tertius articulus,scilicet quòd sufficienter diuiditur potentia in actiuam, & passiuam prima diuisione, & hoc intelligendo passiuam triplicitatem æquiuocam,scilicet vt dicit relationem primò ad principiatum passiuè: & secundò ad principium actiuum,non inquantum est actiuum acti, sed inquantum actu actiuum actuabilis:quia sic è conuerso refertur principium actiuum,& passiuum. Et tertiò ad principium actuale, quod secum constituit compositum, faciendo vnum cum ipso. Similiter intelligendo actiuam duplicitatem æquiuocam, scilicet ad principiatum actu: & ad aliud principium actuabile. Tertiam, scilicet ad formam, fortè non oportet ponere, quia sicut eadem relatio actiui denominat formam agentis,vt *quo*, etiam compositum, vt *quod*, secundùm dicta in principio secundi articuli: ita ex parte principiati potest dici, quòd eadem relatio geniti conuenit composito, vt quod respectu agentis; & formæ,vt *quo*,secundùm quòd tactum est in 7. in quæstione de generatione compositi. De relationibus istarum trium causarum ad finem non videtur multùm necessarium ad propositum pertractare.

q.10.

8
art.4.
Potentia actiua per comprincipium diffinitur,non per effectum.

Ex prædictis patet quartus articulus.Non enim deffinitur potentia actiua, inquantum comparatur ad principiatum, & ideò nec per principiatum diffinitur, sed diffinitur inquãtum comparatur ad aliud principium: non tamen in vniuersali, inquantum actuabile, quomodo pertineret ad Metaphysicum: sed inquantum actuale, sic, scilicet transmutabile; vnde & per transmutabile definitur, & ita illa definitio non est Metaphysica: nec potentiæ actiuæ Metaphysicè consideratæ: sed Physica,& potentiæ physicè consideratæ. Similiter de ratione potentiæ passiuæ intelligendum est. Nec valet illa consequentia: in Metaphysica Aristoteles definit hoc sic;ergo hæc est definitio Metaphysica: multa enim in Metaphysica ponuntur pertinentia ad Physicam, & econuerso. Qualiter enim aliter disputaret in 1. Physicor. tex.com.88. & inde, contra illam opinionem, quam dicit à Physico prætermittendam, nisi quia induit formam Metaphysici in arguendo? Exempla possent alia multa adduci. Potest tamen excusari Aristoteles quare talem definitionem ponit, & non propriè Metaphysicam: fortè quia potentia hoc modo descripta manifestior est. Et similiter ex hoc potest satis haberi ratio potentiæ actiuę,metaphysicè loquendo, dimittendo illud, quod contrahit ad naturalitatem, & ponendo generalius, quod pertinet ad Metaphysicum. Est autem potentia actiua,secundùm eius vnam significationem, metaphysicè loquendo, principium agendi agibile: secundùm aliam, principium actuandi actuabile. Potentia verò passiua,secundùm vnam eius significationem, est principium, ex quo aliquid potest mutari: secundùm aliam, est principium actuandi passiuè ab actu actiuo:secundùm aliam,est principium actuabile, siue informabile ab actu, siue à principio actuali.

Multa in Metaph.tractantur physicè, & è cõtra.

Potentia actiua metaphysicè definitur.

Ex prædictis patet solutio vtriusque quæstionis, quomodo diuisio est sufficiens, intelligendo tantùm,quòd sit principaliter in duo membra:alia enim sub illis continentũr,vt dicetur,respondendo ad quartum, & ad quintum argumentum. Et pro secunda quæstione patet, quomodo descriptiones sunt conuenientes,& quomodo debent intelligi.

SCHOLIVM IV.

SOLVIT *argumenta quæstionis tertiæ, adducens optimam, & variam doctrinam, multis applicabilem,vt noto in margine.*

9

Ad primum argumentum primæ quæstionis patet,quòd principium, *quod*, & *quo*, non distinguunt rationem principij,ex secundo articulo. Et cùm confirmatur per diuersitatem fundamenti, responsio patet ex eodem: quia tantùm vnum est fundamentum, & aliud subiectum. Ad secundum argumentum, actio secundùm quòd fundatur in motu,consideratur in 3.Physic.& in 1.de Generatione adhuc particulariùs consideratur scilicet vt est inter contraria;non vt inter terminos tantùm, sed vt agens contrariatur patienti, vt patet ibi: quod non oportet accidere,nisi in alteratione vniuoca,vel generatione vniuoca,extendendo *contrarietatem* ad formas substantiales. Ratio actionis abstractior est, secundùm quod per *agere* intelligitur dare *esse*,secundùm quod satis expositum est in primo articulo:& ab actione sic abstracta, dicitur potentia actiua,vt per se pertinet ad Metaphysicum:sed vt sic abstrahitur, hæc non definitur, vt dictum est in 4. artic. Cum ergo arguitur, quòd aliquis modus est præter illos, qui pertinent ad *agere*,& *pati*,si intelligatur, *agere*, & *pati*, strictè, concedo;si abstractè, non oportet, vt dictum est: quia & illic sic sunt de consideratione Metaphysici.

Actio, vt fundatur in motu, aliter à Physico, & aliter tract. de Generatione consideratur.

Actio quomodo ad Metaph.spectat? Nu.4.

physici. Ad tertium patet in secunda parte secundi articuli, quare non distinguitur potentia in tot, in quot & causa. Ad quartum dico, quòd in actione quacunque bonitas naturalis est à bonitate principij, & ideò sicut procedit argumentum: concedo, quòd potentia agendi sic, non est aliud à potentia agendi, sed continetur sub ea. Et quod Aristoteles non posuerit istum modum, tanquam distinctum à primis in re, sed fortè propter loquentes, qui appropriabant potentiam ad benè: sicut nomen impositum communi, potest æquiuocè appropriari contento, patet in fine secundi cap. huius 9. t. c. 4. *Ipsius benè potentiam sequitur ea, quæ est solum faciendi, & non èconuerso*, &c.

Num. 4.

10

Bonitas moralis potest esse ab alio à principio actionis.

Quandoque autem est in actione aliqua bonitas accidentalis; & ista potest esse ab alio principio, quàm à quo est actio: sicut ponitur bonitas moralis in actu nostro à virtute, non à potentia tantùm, à qua est actiò secundùm substantiam. Et sicut in saltando bonitas accidentalis est ab arte, quâ quis scit corpus aptè mouere: licèt ipsa motio sit à virtute naturali, sed quomodocunque sit aliud principium huius, & illius absolutum, hoc ad propositum pertinet, quod principium actiuum bonitatis in actione, siue vt *quod*, siue vt *quo*, non est modus principij distinctus contra principium actionis in communi: licèt quandoque sit aliud realiter ab aliquo determinato principio determinatæ actionis. Ad quintum dicendum, quòd potentia immotiua à corruptione, dicitur vtroque modo tacto in arguendo. Et quando est primo modo; concedo, quòd non est nisi quædam specialis potentia actiua, inquantum scilicet comparatur ad corruptionem. Quando autem est secundo modo, tunc dico, quòd non accipitur *potentia* positiuè, sicut probat argumentum, sed priuatiuè scilicet pro carentia principij passiui à corruptiuo. Et hoc videtur dicere Arist. in 5. cap. de Potentia tex. c. 17. aliquando pro *habere aliquid*, videtur tale esse: aliquando pro *priuari*, loquitur de posse corrumpi. Sed eodem modo potest dici de non posse corrumpi, quod aliquando est tale pro *habere aliquid*, vt in primo modo; aliquando pro *priuari*, vt in secundo modo, licèt illud *priuari* non sit quãdoque sine hoc, quòd habeatur aliqua perfectio contraria illi, quo priuatur, vel contraria simpliciter: vel cõtraria quantùm ad actum patiendi corruptionem.

Principium bonitatis actionis non est alterius rationis à principio, vt sic.

Potentia purè resistendi, est carentia principij passiui.

SCHOLIVM V.

HABET *optimam doctrinam multis deseruientem in solutione argumentorũ secundæ, id est, quartæ quæstionis. Præmittit potentiam, vt opponitur actui sufficienter diuidi in obiectiuam, & subiectiuam, quas explicuit q. 2. n. 8. intelligendo per* subiectiuam, *subiectum, tam informabile, quàm denominabile, quale est principium actiuum. Ad primum explicat benè id*, cuius est pòtentia, eius est actus: *non habere locum in potentia factiua. Aliter etiam illud explicat; aliter etiam saluat sufficientiam illius diuisionis. Ad tertium, optimè explicat, quomodo potentia actiua, etiam quando agit in se, agit in se, tanquam in aliud. Quod dicit intellectionem esse aliquid absolutum, habet 1. d. 3. q. 6. n. 3. & q. 8. n. 10. & d. 6. num. 3. & passim idem ait de omnibus operationibus.*

11

Ad argumenta secundæ quæstionis. Primùm tangit difficultatem hanc, quomodo potentia, vt opponitur actui, potest applicari principio actiuo. Non enim negandum est illud, quandoque in potentia ad principiandum, alioquin sicut arguitur & benè, non agens non posset agere. Quòd si hoc nomen *principium* importet aptitudinem ad principiandum; tunc quandocunque est in actu primo, est actu principium, sed quandoque in potentia principians. Si autem nomen *principij* importet idem quod actu principians: tunc quando est in potentia ad actum secundum, est in potentia principium. Hoc modo vniuersaliter dicendum est de aliis principiis, & si nunquam sint in potentia principia, si non significant primo modo dicto; possunt tamen omnia esse in potentia principia, saltem illa, quæ possunt præcedere tempore sua principiata, quæ sunt duo: vt dictum est in 2. artic. solutionis. Sed de actiuo, quia non recipit, est difficultas, quomodo est in potentia principians. Patet autem quomodo potentia opposita actui applicetur potentiæ passiuæ ex distinctione potentiæ in obiectiuam, & subiectiuam, posita in prima solutione. Et est dicendum de actiuo, quòd licèt quando non agit, non sit in potentia subiectiua, strictè sumpta, prout scilicet talis potentia est subiectiui informabilis, est tamen in potentia subiectiua, extendendo eam ad subiectum denominabile: actiuum enim est denominabile ab actu, ad quem est ista potentia: licèt illo actu non sit informabile. Et hoc modo potest teneri, quòd potentia opposita actui, sufficienter diuiditur in obiectiuam, & subiectiuam: intelligendo subiectiuam continere sub se vtramque prædictam scilicet strictè, & largè sumptam. Tunc ad illa, quæ obiiciuntur contra responsionem suprà. Ad primum de Somno: quòd non oportet actum esse eiusdem formaliter, cuius potentia est formaliter: nisi tantùm in passiuis, vel actiuis strictè sumptis contra factiuas: sensus autem de quo, & cuius actu ibi loquitur, aut est passiuus, aut actiuus strictè. Aliter posset dici, quòd loquitur de potentia, vt est principium: sicut patet consideranti intentionem eius, non de potentia opposita actui. Sed ista secunda responsio, non sufficit sine prima: quæ dicit in quibus actus est eius, cuius est potentia, in factiuo autem non est eius, nisi vt subiecti denominabilis tantùm. Cùm arguitur secundo, quòd diuisio non est sufficiens potentiæ in potentiam subiectiuam, & obiectiuam. Respondeo, verum est sumendo subiectiuam strictè secundùm quod ista est vera, omnis potentia subiectiua est ad aliquod *esse* formale illius, in quo est illa potentia; est tamen sufficiens extendendo *subiectiuam* ad subiectum denominabile, & informabile. Et sic oportet propositionem illam sic exponere hoc modo; quòd omnis potentia subiectiua est ad aliquod *esse*, vel formale, vel denominatiuum, saltem eius in quo est potentia.

Principium, aptitudinem; principians actum, dicit.

qu. 2. nu. 8.

Potentia opposita actui sufficienter diuiditur in obiectiuã, & subiectiuam.

Cuius est potẽtia, eius est actus, exponitur.

12

Alio modo respondetur tenendo, quòd diuisio potentiæ oppositæ actui, est sufficiens in obiectiuam, & subiectiuam strictè sumptam, & tamen quòd potentia subiectiua applicatur potentiæ actiuæ, & est ad aliquod *esse* eius non absolutum, sed ad relationem actualem, quæ sibi inerit quando aget, & priùs non inest: sed sic oporteret ponere obiectiuam ad productum naturaliter præcedere potentiam ante actum: vt applicatur potentiæ actiuæ: quia non videtur aliqua potentia esse ad relationem: nisi quia eadem, alia aliquo modo est prius ad absolutum: sicut nec mutatio est ad relationem: nisi quia priùs ad aliud absolutum, vel in eodem, vel in alio, ad quod est talis relatio. Si autem negatur illa diuisio potentiæ in

in obiectiuam, & subiectiuam extendere se ad actiuam, & tamen esse sufficiens, vt potentia opposita actui applicetur potentiæ passiuæ: tunc potest dici, tertio modo respondendo, quòd quando potentia actiua est in potentia ad agendum, non est in potentia ad aliquem actum sui, sed ad aliquem actum ab illo, nec illa propositio: *Cuius est potentia eius est actus*, facit contra hoc: quia sicut potentia est eius, non vt in *fieri*, sed vt ab illo fiendi, ita actus est eius, quia ab ipso.

Ad secundum argumentum, patet per prædicta in 4. artic. Ad tertium dicendum, quòd ponit in definitione aliud, aut inquantum aliud. Et quare ita distinguit, innuit in 5. vbi statim subdit, *Ars medicinalis potestas ens existet in sanato, sed non inquantum sanatum.* Vnde dicendum, quòd actiua strictè sumpta verè est actiua, & quando elicitur actio immanens verè in eliciendo eam, est actio, ita perfectè habens quicquid est de ratione actionis, & fortè veriùs, quàm transiens. Agens tamen ista non transmutat strictè sumendo *transmutare*, prout dicitur esse ad actum primum tantùm, nec transmutat aliud, sed idem subiecto, inquantum aliud, sicut magis patebit infra q. 14. Et ideò ratio hîc posita scilicet transmutatiuum esse non conuenit propriè actiuæ potentiæ strictè sumptæ. Ratio tamen Metaphysica scilicet actuatiuum esse, verè sibi conuenit: nam actus secundus, secundùm quòd sic actuabile in actu per ipsũ, verè est actus, & perfectus: licèt non talis, quòd sit propriè transmutationis terminus. Sed quare non est terminus transmutationis, cùm sit natura alia à subiecto, in quo recipitur? Diceret aliquis, quòd propter hoc non terminat transmutationem: quia est actio, & ad actionem non est transmutatio ex 5. Physicor. t.c.10. Sed aliter dico, quòd intellectio licèt dicatur communiter actio, vel operatio, siue actus secundus: verè tamen est terminus actionis propriæ: prout scilicet actio est in Prædicamento Actionis: & est essentia aliqua absoluta, licèt in ipsa necessariò fundetur respectus. Illam autem actionem propriè dictam, cuius intellectio est terminus, designamus communiter per hoc, quod est *elicere*: intellectionem enim elicit intellectus, non autem intellectione aliquid agit, & est exemplum; calor enim natura absoluta terminans calefactionem, prout *calefactio* notat propriè actionem, qua actione calor fit, siue producitur, & quæ actio propriè non producitur. Sed quare non dicitur calefactio elici, sicut etiam dicitur intellectio? Respondeo non est vtrobique sermo fortè æquè proprius. Sed illud de calefactione intelligitur fortè, inquantum ipsa est eadem realiter calori producto, & non secundùm propriam rationem calefactionis: sicut ex alia parte intelligitur de intellectione secundùm propriam eius rationem: aut fortè æquiuocatur vocabulum *eliciendi* ad notandum habitudinem principij actiui ad productiuũ in intellectione, & ad productionem in calefactione: propriè ergo mutatio est, quando infit intellectui intellectio; sed non quæ est terminus motus, qualis est communiter ad formas, quæ communiter vocantur *actus primi.* Ad quartum argumentum, patet per supradicta.

Tex. t.17.

Actio immanens, vera actio, sed non transmutat aliud.

Intellectio est qualitas absoluta 1. d. 3. q. 6. n. 3.

Calefactio an elicitur, vt intellectio?

ANNOT. MAVRITII ad Quæst. 3. & 4.

13 SEquutur tertia & quarta quæstio de diuisionibus, & descriptionibus potentiæ, pro principio acceptæ, t.c.1. quæ notabiles, & doctrinales, atque subtilissimæ sunt. Ad quas soluendas præmittit quatuor articulos. Ex quibus breuiter elicit quid tenendum sit ad vtramque quæstionem. Vbi aduerte qualiter in primo articulo ostendit quatuor causas pertinere ad considerationem Metaphysici, vt alibi sæpè habet. Vide in Theorematibus, & 8. *di.* 1. *in Reportatis, & super* 5. *Metaphysicæ, & primo in expositione*: & quod ibi tangit de efficiente. Vide 1. *di.* 2. *q.* 2. *&* 3. *&* 30. *di.* 1. & alibi sæpe. Quære abstractiones Fran. Mayr. vt nosti plerumque ad propositum.

Consequenter in secundo articulo par. 1. aduerte diligenter ad illum discursum de diuersitate concretorum ab eodem abstracto sumptorum. Quære super lib. Elenchorum *q.* 16. & super Porphyr. *q. vltima.* & in primo *di.* 5. *q.* 1. *& in* 4. *di.* 11. *q.* 1. *& dis.* 12. *q.* 1. & suprà 4. huius, & alibi: vt in Theorematibus ad propositum: sed instantias exclude de identitate concreti, & abstracti in doctrina huius: quomodo ergo vnum multiplex, & aliud simplex suprà tetigi, est enim multiplicitas connotationis non significationis.

Duos modos dicendi ibi de forma & fine an rectè conueniat eis nomen *potentia* pro principio benè ponderabis: quia subtiles, & quotationem de primo principio, ex qua inferre potes illum tractatum, & per consequens Theoremata præcessisse has quæstiones Metaphysicæ, licèt aliquando ibi se remittat ad has: sed hoc ibidem pertractabo.

Cùm parum pòst dicit: *quæ essentialiùs, vel priùs non est modò quæstio*: ad hoc vide notanter suprà, *q. finali.* 8. *lib. & in* 2. *dist.* 1. *q.* 4. *ad finem*, & infrà hîc *art.* 4. *aliqualiter, & q. sequente ad plenum: & alibi*, & totum quod sequitur valde doctrinaliter ex fundamentis Aristotelis & synderesi Scotica menti imprime, & de æquiuocatione potentiæ actiuæ, & passiuæ, & rationibus earum, & qualiter definitiones in Metaphysicâ assignatæ non semper sunt Metaphysicæ, nec in Physica Physicæ, & similiter de Logica, & aliis facultatibus, potest dici. Vnde poteris elicere multa, & maximè de consideratione Metaphysici in vniuersali, videlicet, vel in particulari, per hæc enim dicta multa euaduntur, & declarantur difficilia.

Infrà pro solutione 2. principalis, primæ quæstionis nota ea, quæ dicit conformiter in 2. *di.* 2. *q.* 10. de varia consideratione Arist. in diuersis locis de actione, & sic de aliis. Cæteras solutiones sequentes succo plenas ponderabis, & specialiter ad primum, & 3.2. q. recurrendo ad loca conformia alibi: vt nosti. Vide 13. *&* 15. *q. quodlibet*, *&* 3. *di.* 1. *q. finali* pro dictis ad illud 3.2. q.13. etiam *di.* 4. *q.* 1. *&* 27. *di.* 1. *in Reportatis* ad idem videatur.

QVÆSTIO V.

An potentia actiua, siue passiua inquantum prior est naturaliter principiato, includat essentialiter aliquem respectum?

Auer. *lib. de subs. orbis c.* 1. *&* 1. *Phys. com.* 70. D. Th. 1. *Phys. circa tex.* 64. *&* 1. *p q.* 45. *art.* 8. *ad* 2. Caiet. 1. *p. q.* 53. *art.* 3. Occham *in* 2. *dist.* 16. *q.* 23. Lichet. *ibid. q. vnic.* Ferra. 4. *contra gent. c.* 66 Henric. *quodl.* 3. *q.* 14. *& quodl.* 14. *q.* 1. Heruæ. *tra. de vnit form. c.* 13. *& in sum. art.* 35. *q.* 8. Greg. 1. *dist.* 12. Aureol. *ibid. q.* 1. *ad* 6. Conimb. 1. *Phys. c.* 9. *q* 8. Tolet. *q.* 14. Rub. *tract.* 1. *q.* 6. Fons. 1. *Met. c.* 7. *q.* 3. *sect.* 7. Suar *disp.* 13. *Met. sect.* 8. *& disp.* 18. *sect.* 2. Hurtad *disp.* 2. *Phys. sect.* 2.

1 ARguitur quòd sic: quia idem absolutum potest esse in potentia actiua respectu vnius, & passiua

& passiua respectu alterius; ergo inquantum est actiuum,& passiuum,non distinguitur per aliquid absolutum; si ergo distinguitur, distinguitur tantùm per relationes: necesse autem est,vt videtur, quòd distinguatur; quia aliàs principiatum non haberet principia propria priora se; ergo inquantum est prius naturaliter principiato includit relationem. Idem arguitur de potentiis actiuis inter se comparatis;nam tales plures possunt fundari in eodem absoluto, & oportet ponere distinctionem ipsarum, inquantum sunt priores principiatis, vt ostenditur per probationem præcedentem;ergo hæc est per relationes,quæ erunt eorum differentiæ,inquantum sunt priores.

Ad oppositum:si respectus includitur,hoc non est, vt ratio materialis, quia tunc præsupponeretur absoluto:sicut materiale formali;ergo includitur vt ratio formalis. Hoc videtur falsum, quòd relatio sit formalis ratio principiandi aliquid: sicut etiam inconueniens est, quòd sit formalis ratio terminandi principiationem.

SCHOLIVM I.

SENTENTIA *Henrici quodl. 3. qu.14. & in sum.art.57.q.7.est affirmatiua,& benè explicatur, de quo videri potest Doctor 2. d.16. à num.12. refutatur optimè,& clarè.*

2 Hîc dicitur,quòd forma naturalis non est principium actionis, secundùm quòd est perfectio eius in quo est, sed solummodò secundùm quòd habet respectum ad effectum.Quod potest ostendi, quia non est principium agendi, nisi inquantum habet aliquem ordinẽ ad illud quod agit,vel in quod agit, quia tali ordine amoto, nihil aget: ordo autem ille est relatio, siue respectus. Secundùm hoc ponitur, quòd potentiæ animæ non dicunt nisi eandem essentiam animæ absolutam, cum diuersis respectibus, ad diuersa obiecta,& diuersos actus, qui respectus oportet, quòd cadant in ratione propria potentiarum, inquantum præcedunt actus,alioquin nulla distinctio præcederet in potentiis distinctionem actuum: quod videtur inconueniens:quia licèt actus manifestent distinctionem potentiarum, non tamen eam causant: non enim quia differt intellectio à volitione,ideò differt intellectus à voluntate, sed magis èconuerso. Consimiliter etiam ponitur ex parte obiectorum,quòd differentia formalis obiectorum naturaliter præcedit differentiam actuum, non autem est illa differentia prior per aliqua absoluta. Potest enim idem absolutum esse obiectum plurium potentiarum;ergo est per respectus:ergo illi respectus erunt de ratione obiectorum formalium, inquantum præcedunt naturaliter actus, & hoc respectu potentiarum passiuarum, vt principia aliquo modo actuum.

3 *Potentia actiua, vnius generis.* Contra ista arguitur, quòd licèt potens possit esse compositum,& plura includere,tamen potentiam actiuam in quantum includit quicquid naturaliter præcedit principiatum, oportet esse rem vnius generis, quia non est ens per accidens. Et si proteruiendo diceretur posse esse agens: non tamen potest dici esse potentia actiua: absolutum autem & respectus in eo fundatus, non sunt res vnius generis; ergo præcisè alterum est essentialiter potentia actiua, non relatio tantùm. Patet: tum,quia non est perfectior termino producto, nec æquè perfecta, nec est principium assimilandi sibi passum:sed forma absoluta tantùm; ergo illa præcisè est potentia actiua. Item,si aliqua relatio pertinet ad rationem potentiæ actiuæ, inquantum prior est naturaliter principiato; aut illa est relatio potentiæ vt importat rationem principij, aut potentiæ vt opponitur actui: quia non videtur aliam posse dari. Non secunda,quia illa non manet, quando actu principiat: manet autem in principio quando principiat, quicquid est de ratione eius, inquantum est prius naturaliter principiato. Propter idem etiam non potest dari, quòd illa relatio sit relatio principij in potentia principiantis: quia nec illa manet;oportet ergo dare, quòd relatio sit principij principiantis in actu. Sed hoc est inconueniens: nam illa simul natura est cum principiato, inquantum principiatum, cùm sint correlatiua, & posterior est natura eo, quod est principiatum, hoc est, illo in quo fundatur relatio principiati: quia relatio principiati, quæ simul est cum relatione principiantis in actu,posterior est eodem, quod scilicet est principiatum:oporteret autem relationem intrinsecam potentiæ actiuæ esse priorem natura illo,quod est principiatum;ergo omnino nulla relatio inuenitur talis. Item,hoc videtur specialiter de potentia passiua: nam ipsa secundùm illam rationem essentialem,est pars compositi, & perficitur à forma, quæ est altera pars secundùm quam rationem est prior naturaliter principiato, vt tale principium:hoc autem est præcisè sub ratione absoluta: sic enim immediatè est pars compositi,& perficitur à forma: quia si aliqua relatio esset de ratione eius inquantum est pars compositi, illa etiam relatio esset de ratione compositi, & ita nullum materiale esset essentialiter absolutum.

Relatio non actiua.

Potentia passiua tantum secundum absolutum est prior principiato.

SCHOLIVM II.

POTENTIAM *prout præcedit principiatum sumi tantum pro absoluto,ita quòd nullus respectus in ea præcedat similem respectum in principiato, de quo Doctor* 3.d.15.§. Aliter potest dici,*n.8.& 1.d.7.n. 9.soluit clarè fundamentum primæ sententiæ. Facit longam digressionem de potentiis animæ, occasione positionis Henrici:tenet eas non distingui realiter ab anima,de quo fusè 2.d.16.Explicat etiam optimè, quando potentiæ diuersæ habent necessariò obiecta diuersa, resoluens id tantùm locum habere in potentiis disparatis, non autem in subordinatis: quia in his quidquid est obiectum potentiæ inferioris, est etiam superioris, etsi non ècontra: quicquid enim percipit sensus particularis, percipit communis; & quidquid percipit sensus communis,percipit intellectus,sed non èconuerso, de quo vide eum 1. d.3.q.3. ad 1.pro opin.& 2.d.24.q.vnic.*

4 Ideò dicitur aliter ad quæstionem, quòd cùm relatio quam importat hoc nomen *potentia* (sicut patet ex solutione tertiæ quæstionis)sit simul naturâ cum relatione principiati actu, actu: & potentiâ,potentiâ:ac per hoc illa relatio nullo modo sit prior naturaliter principiato. Ideò quando quæritur de potentia,vt est prior naturaliter principiato,necesse est, quòd hoc denominatiuum *potentia* accipiatur pro subiecto, quod denominat: non in sensu compositionis, quia nec sic est prior: sed in sensu diuisionis: nec tamen pro isto quomodocunque, sed secundùm illam rationem, secundùm quam immediatè recipit prædicationem huius concreti potentia. Et iste modus, loquen

loquendi visitatus est in ista materia de potentia, principio, & causa: sic enim hæc est vera, *causa naturaliter prior est causato, & principium principiato*, & non aliter. Hoc modo intelligendo quæstionem, dicitur, quòd nihil est de ratione potentiæ, nisi absoluta aliqua essentia, in qua immediatè fundatur aliquis respectus ad principiatum; ita quòd nullus respectus præcedit in actu ipsã principiationem, per quam quasi determinetur ad principiandum: sed ab absoluto sine omni respectu præcedente est effectus absolutus, quo posito posterius naturâ sequitur relatio actualis mutua principiati ad principium, quæ in neutro esse potuit, altero extremo non posito: vt argutum est priùs in 2. argumento contra primam opinionem. Confirmatur etiam hæc positio: si enim in essentia absoluta, puta in calore, non posset immediatè fundari relatio principiantis: vt scilicet sine respectu prædeterminante non principiaret, quæro de illo respectu ad quid est? patet quòd ad aliquid extrà, immò ad idem, ad quod est post principiationem relatio principiantis: & tunc ad quid ponentur duæ relationes simul eiusdem ad idem, & secundùm eundem modum relationis? Aut si non sunt duæ, sed vna; quomodo vna præcedit aliam naturâ, & quasi fundamentum eius? Nam quicquid est de ratione potentiæ, inquantum priùs est naturaliter principiato, totum videtur esse de ratione fundamenti relationis ipsius principij, quando principiat aliquod principiatum. Nec potest dici, quòd vna tantùm præcedit aliam tempore: quia patet quòd agens habens actionem coæuam sibi, ita determinatur, & habet quicquid requiritur ad talem determinationem, sicut agens præcedens tempore actionem suam; ergo relatio determinans si qua est, non oportet, quòd præcedat tempore, sed tantùm naturâ: quod videtur inconueniens, secundùm priùs deducta.

Relatio non determinat potentiam.

5 *Causa quomodo prior effectu, & simul cum eo?*

Ad illa, quæ dicuntur pro prima opinione, respondeo, quod primò accipitur de forma naturali, dicitur quòd causa secundùm quòd causa prior est causato, & causa secundùm quòd causa simul est cum causato, vtraque vera est. Sed prima, si reduplicaretur illud absolutum, quod est immediatum fundamentum relationis: secunda, si reduplicetur relatio: sic si reduplicetur respectus, cùm dicitur, *secundùm quod respectum habet ad effectum*, sicut videtur propositio sonare; negatur simpliciter illa propositio; & eodem modo negatur illa, per quam probatur, inquantum habet ordinem. Et cùm probatur; amoto isto nihil aget. Fallacia Consequentis est: coloratum sine quantitate non primò videtur; ergo inquantùm quantum primò videtur. Plus enim requiritur ad hoc, quòd aliquid pertinet ad rationem essentialem alicuius, quàm quòd sine illo non possit esse: sic nunquã aliquid est actiuum, nisi natum sit habere ordinem ad aliquid extra se; nec tamen ille ordo essentialis est actio, vt modò loquimur, hoc est, inquantum est prius naturaliter acto.

Sed nunquid forma, inquantum perficit illud in quo est, est principium agendi? Respondeo, quòd hoc conceditur, si reduplicetur formalis ratio actiui; tamen illud *perficere* præcedit fortè naturaliter ipsum *agere*, quando conueniunt eidem formæ. Possunt enim relationes in eodem absoluto, ordine quodam fundari, vt sic hîc prior sit comparatio actus, quàm est de se ad illud actuabile, cui det *esse* primum; quàm ad agibile ab ipso; licèt per potentiam diuinam prima comparatio actualis possit tolli stante secunda.

Forma prius perficit id in quo est, quàm reddat actiuum.

Ad illud, quod additur de potentiis animæ, dicitur, quòd si *potentia* intelligatur aggregatum ex absoluto & respectiuo, isto modo distinguitur per respectus formaliter. Sed sic non sunt priores naturaliter actibus, proportionaliter accipiendo respectum principij in anima, & in actibus respectum principiati scilicet si actu, actu; si potentiâ, potentiâ. Si autem per *potentiam animæ* intelligatur illa perfectio, quæ præcedit naturaliter actũ, sicut ratio elicitiua actus, siue receptiua motionis obiecti, illa præcisè dicit absolutum. Et tunc tenendo, quòd potentiæ sint idem cum essentia; vel different præcisè, sicut diuersæ rationes perfectionales in eodem vnitiuè contentæ, de qua differentia dictum est in 4. huius quæstione de Vno; vel nullo modo realiter differunt, sed tantùm intentione, vel ratione. Sed nec talis differentia, cùm sit completiuè in intellectu, & non in re, nisi in potentia, præcedat naturaliter differentiam actuum. Quòd si quæritur quomodo ab eodem omnino indistincto, inquantùm est principium, possunt immediatè esse plura? Licèt posset euadi ponendo aliquos actus animæ esse ab obiectis, non tamen oportet sic fugere.

Potentia animæ est absolutum.

q. 2. *Potentia animæ quomodo distinguuntur ab ipsa?*

6 *Multitudo reducenda ad vnum.*

Generaliter respondeo: nisi procedetur in infinitum in entibus, oportet multitudinem reduci ad vnitatem: & in proposito est responsio specialis, & in similibus. Si enim vna forma limitata ad vnam operationem potest esse sufficiens principiũ eius, & quantùm ad entitatem, & quantùm ad distinctionem: & alia alterius forma illimitata aliquo modo respectu istarum, quæ per hoc, quòd potest in aliam operationem, nihil minùs potest in istam; potest in vtramque: & quantùm ad entitatem, & quantùm ad distinctionem earum, sicut & duæ possent. Quòd si arguitur, quòd maior diuersitas non est ab omnino vno, nisi mediante diuersitate minori: ergo nec diuersitas actuum, quæ tanta est, nisi mediante diuersitate minori potentiarum. Responsio, hoc arguit contra hypothesim, quæ hîc supponitur de identitate potentiæ cum essentia, quam quæstionem non oportet disputare: perinde enim esset ad propositum, si potentiæ ponerentur accidentia absoluta: semper enim æquè tenetur conclusio principalis huius quæstionis. Potest tamen dici, qui vult respondere ad maiorem argumenti iam facti, quòd vera est, vbi est ordo essentialis minoris diuersitatis ad maiorem, sic non est in proposito: quia quodcunque ens perfectum immediatum ordinem habet ad propriam operationem. Et sic ens perfectius in istis inferioribus ad plures operationes, quarum forma sua est principium sine alia diuersitate media, sicut si esset vnius principium sine medio. Est ergo maior præcisè vera in illis minùs diuersis, quorum singulum natum esset præcedere singulum maioris diuersitatis: non vbi nullum si esset singulum præcederet aliquod singulum, sicut ponitur hîc.

7 *quæst. 3.*

Ad illud, quod additur de obiectis, licèt hoc tactum sit 6. huius, in quæstione de Ente, & Vero: potest tamen dici, sicut dictũ est de potentiis animæ, quòd si idem absolutum est obiectum, nullus respectus pertinet ad essentialem rationẽ obiecti: quia, vt ibi tactum est, ante omnem respectum potest intelligi absolutum, & impossibile est intelligi, quod non includit rationem formalem obiecti primi intelligibilis, si quod est primum commune. Et cùm quæritur de distinctione obiecto

Distinctio obiectorum, an detur per respectus? quæst. 2.

obiectorum. Responsio, illa nullo modo est per respectus, inquantùm formaliter sunt obiecta, sed respectus consequuntur actus circa illa, si actu, actu, si potentiâ, potentiâ. Distinguitur ergo; vel vt perfectiones vnitiuè, vt dictum est in 4. de Vno, Vero, & Bono; vel nullo modo, loquendo de intellectu, & voluntate: potentiæ enim sensitiuæ patet, quòd habent obiecta distincta, saltem aliquæ. Vbi breuiter sciendum, quòd duæ potentiæ inuicem comparatæ tripliciter se possunt habere: vel vt omnino disparatæ; vel vt ordinatæ; & hoc vel sub, & supra in eodem genere; vel ordinatæ sicut potentiæ generis alterius. Exemplum primi, visus, auditus. Exemplum secundi, sensus particularis, sensus communis; similiter quicunque sensus respectu intellectus, qui omnes sunt in genere potentiæ cognitiuæ. Exemplum tertij, quæcunque potentia cognoscitiua, & potentia appetitiua sibi correspondens. De solis primis verum est per se, quòd diuersæ potentiæ requirunt diuersa obiecta formalia, & patet quòd ibi est diuersitas in absolutis, non tantùm per respectus. De secundis non est verum, nisi sic intelligendo, quòd prima obiecta differant sicut subordinata, hoc est, quòd potentiæ superioris obiectum primum ad plura se extendat, quàm obiectum primum inferioris, tanquam per se obiectum respectu superioris, licèt non primum. Sicut enim album est per se obiectum visus, non primum, sed coloratum sub quo continetur; sic quicquid ponitur obiectum visus continetur sub obiecto sensus communis, & quicquid sit primum obiectum eius, continetur sub obiecto intellectus. Quia enim primum obiectum potentiæ dicitur illud, quod adæquat ipsam: & illud, quod adæquat inferiorem, non adæquat superiorem, sed aliquid communius continens illud, quod adæquat inferiorem; ideò oportet obiecta prima esse subordinata modo prædicto. Nec in istis obiectis per se, & non primis, percipit potentia superior tantùm rationem sui primi obiecti, sed etiam rationem propriam sui per se obiecti, etiam perfectiùs, quàm inferior, cuius illud est primum obiectum. Puta non tantùm sensus communis in albedine, vel colore, percipit confusè rationem qualitatis sensibilis, sed distinctè rationem coloris, immò distinctiùs, quàm visus. Quomodo enim aliter iudicaret differentiam coloris, & saporis? Item, non tantùm intellectus percipit albedinem, in quantum ens, hoc est confusè rationem entis in albedine, sed distinctè propriam rationem albedinis, & perfectiùs, quam visus. Vnde ista est falsa; quælibet potentia perfectiùs percipit suum primum obiectum, quàm aliqua alia percipiat ipsum: cuius alius non est primum obiectum.

Potentia tripliciter ad se comparatur, 1. d. 3. q. 3. ad 1. pro opin & 2. d. 24. q. vn.

Potentia superior distinctiùs percipit obiectum inferioris potentiæ, quam ipsa.

SCHOLIVM III.

RELINQVIT *quasi sub dubio, an obiectum voluntatis, sit idem, quod intellectus; quia non constat, quòd equè latè pateat voluntas ac intellectus, & similiter procedit 1. d. 3. q. 3. num. 22. & fauet 4. d. 50. q. 2. & 3. d. 33. vbi dicit obiectum voluntatis esse bonum verum, vel apparens: sed 1. d. 1. quæst. 1. & 2. d. 23. num. 4. docet obiectum voluntatis esse ens, vel bonum conuertibile cum ente, & hic in illam partem inclinat, explicans benè quomodo id non sit contra Arist. 2. de An. tex. 33. de quo vide quæ dixi in supplemento de Anima disp. 2. sect. 3. & disp. 3. sect. 12.*

8

De tertiis potest simpliciter negari propositio, quia appetitiua videtur in idem tendere formaliter, quod apprehensum est. Quia si aliquis dicat omnem appetitionem respicere formaliter bonum sub aliqua ratione iam videtur voluntas fieri particularior potentia ipso intellectu, quantùm ad rationes in obiectis, licèt non quantùm ad supposita obiecta. Licèt enim quodcunque suppositum sit verum, est etiam bonum; non tamen videbitur, quòd omnem rationem in supposito possit voluntas habere pro per se obiecto, quam potest intellectus: quia non quicquid includit *ens* quiditatiuè, includit *bonum* quiditatiuè: nihil autem videtur per se obiectum potentiæ, vt modò loquimur de per se obiecto: non sicut loquitur Aristoteles in 2. de Anima de sensibili per se, nisi includit quiditatiuè primum obiectum eiusdem potentiæ. Et tunc quæcunque appetitiua cum hoc, quòd est alterius generis à cognoscitiua, si poneretur etiam subordinata cognitiuæ, quantùm ad rationem obiectiuam, licèt non quantùm ad communitatem in obiecto, respectu suppositorum; adhuc posset dici, quòd non esset distinctio cognoscitiuæ, & appetitiuæ per obiecta, in quæ ambæ tendunt: quia eandem rationem formalem obiectiuam respiciunt, licèt illa respectu appetitiuæ poneretur prima, respectu autem cognitiuæ non prima, sed per se: aliter inquantùm ignotum appeteretur. Sed esset differentia illarum potentiarum; vel nulla realis, inquantùm præcedunt suos actus; vel aliunde, quàm ab obiectis, iuxta tacta priùs de potentiis animæ.

Tex. c. 63. & inde.

Obiecta voluntatis, & intellectus an eadem?

Quod dictum est de cognoscitiua, & appetitiua, quòd non habent alia obiecta, non est contra Aristotelem quia 2. de Anima. c. 3. vnde accipitur illa sententia de obiectis, & actibus, dicit sic: *Si oportet dicere quid intellectiuum, sensitiuum, & vegetatiuum; his adhuc priora opposita oportet considerare, vt de alimento sensibili, & intelligibili.*

T. c. 33.

9

Hoc non dicit si potentiæ animæ diuersæ; ergo & obiecta, licèt innuat aliquo modo in exemplo suo: sed vult tantùm, quòd obiectum priùs est cognoscendum, quàm potentia: quia ex hoc cognoscimus animam habere virtutem talis operationis, quia circa tale operatur, non quòd operatio sit causa essendi virtutis, nec in se, nec distinctionis, nec obiectum per consequens, quia de obiecto concludit Aristoteles mediante operatione, sed vtrumque est causa innotescendi nobis distinctionem potentiarum: sed non loquitur ibi Aristoteles aliquid nec ex intentione, nec in exemplificando de potentia appetitiua comparata ad suam cognitiuam; immò in eodem c. 3. *Potentiarum*, &c. vult in principio capituli, si sensitiuum inest, & appetitiuum. Et infrà in eodem probando hoc, dicit *cui sensus, & lætitia, & tristitia*, & infrà, quòd animalibus habentibus tactum, intellige *etiam si sensum habeant, & appetitus insit*. Quomodo hæc essent vera, si potentia cognitiua, & appetitiua haberent obiecta disparata, sicut habent sensus diuersi? maximè cùm obiectum sensus primi non præsupponeret obiectum appetitus, sed magis è conuerso. Quia etiam dicit Aristoteles ibi in 2. de Anima, ca. 2. *Sensitiuo esse, & opinatiuo alterum, siquidem & sentire ab ipso opinari; similiter & aliorū vnumquodque*: non est contra prædicta: benè enim sequitur, obiecta prima sunt alia; ergo & potentiæ aliæ: sed èconuerso est fallacia Consequentis: nam aliunde possunt potentiæ distingui; immò ab obiectis, nunquam causaliter distinguuntur: si autem à signo

Tex c. 27.

T. c. 27.

T. c. 29.

T. c. 22.

Ab obiectis causaliter nō distinguūtur potentiæ, sed tanquam à signis, sed aliter possunt distingui licèt obiectum sit idem.

signo arguitur aliquorum distinctio, èconuerso non sequitur, quia sine istis signis possent distingui. Et exemplificari posset de motu & termino, quomodo diuersitas termini benè concludit diuersitatem motus, non èconuerso: quia multis viis aliunde, quàm à termino distinctis, potest idem terminus acquiri: patet in motu locali. Sed de exemplo isto, quia aliquibus videtur dubium, non oportet hîc disputare. Quod etiam dictum est in tota ista responsione, principaliter obiecta scilicet non distingui per respectus, patet per Aristotelem 2. de Anima, tex. com. 66. vbicunque enim assignat obiectum proprium, illud est absolutum, non respectiuum, vt de visu dicit, cuius est visus, color est: sed nec includit respectum: vnde subdit, quòd est visibile secundùm se, non ratione: sed quoniam in se habet causam essendi visibile, hoc est, non prædicatur respectus de ipso primo modo, sed secundo.

Obiecta non distinguuntur per respectus secundū Aristotelem.

Ad argumenta principalia patet ex dictis: quia siue idem absolutum fundet relationem potentiæ actiuæ, & passiuæ; siue duarum potentiarum actiuarum; vel præcisè est in tali absoluto, inquantum est priùs naturaliter principiato, differentia rationum perfectionalium vnitiuè contentarum; vel nulla differentia realis. Et cùm dicitur, tunc proprij principiati non esset proprium principium. Respondeo, quòd approprietur sic, quòd habeat in se totam perfectionem requisitam, ad causationem huius, hoc oportet: sed quòd limitatè tantùm huius, non hoc oportet, sicut superiùs dictum est: aliter enim causa vniuersalis, non ita posset producere effectum determinatum, sicut & particularis ad talem effectum limitata. Quantò ergo causa indeterminatior est indeterminatione illimitationis, siue indeterminatione imperfectionis (sicut materia est indeterminata, quando est in potentia) tantò est determinatior: sicut oportet ad producendum effectum hæc est actualior.

ANNOT. MAVRITII.

10

SEquitur quæstio quinta de entitate potentiæ actiuæ, & passiuæ in illo priori, in quo præcedit principiatum, & non assignauimus ibi textum super quo fundaretur ista quæstio, nec octo sequentes, quia Doctor incidentaliter hîc disputat copiosè de potentia, vltra ea, quæ tangit Philosophus de ipsa: licèt omnia possent in aliquibus locis textus, aut hîc, aut alibi oriri, quod consideret lector.

In principio solutionis recitat opinionem Henrici, *quodli.* 1. *q.* 14. *& q.* 3. *& in summa art*, 57. *q.* 7. quam impugnat notanter. In primo etiam *di.* 3. *&* 7. & in 2. *di.* 16. & alibi tangit eandem opinionem & impugnat. Deinde ponit aliam, quam sequitur resolutè, & subtiliter, & soluit motiua alterius viæ notanter valde. Vbi in solutione motiui de potentiis animæ, & obiectis earum, dilatat se suo modo, sicut alibi etiam tangit. Vide *in* 2. *vbi suprà, & di.* 3. *&* 9. *eiusdem, & in pri. di.* 3. *q.* 3. *& in quodlibeto q.* 9. *&* 13. *& in* 4. *di.* 44. *&* 45. *&* 49. *& supra* 1. *&* 7. *huius*, & specialiter in 6. *q.* 3. & alibi sæpe ea, quæ sunt ad hæc.

Concordat hîc: & confirmat, sicut & vbique omnia dicta fundamentis Aristotelis.

Textus est correctus in his tribus quæstionibus absque superfluitate, & diminutione.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm potentia actiua fundatur in omni ente?

Trismegist. *in dialogo de communi & de regen. & silen. impos.* Philo. Alexand. *lib. sacra leg. allegor.* Auerr. *hic com.* 7. *& lib.* 12. *com.* 18. Albertus 2. *Phys. tract.* 2. *c.* 3. D. Thom. 1. *p. q.* 45. *art.* 8. *& in* 2. *dist.* 1. *q.* 1. *art.* 4. Petrus de Alliaco *in* 4. *q.* 1. Gabr. *ibid. dist.* 2. *qu.* 1. *&* 3. Ferrar. 4. *con. gent. c.* 66. Fonf. 5. *Met. c.* 2. *q.* 6. *sect.* 1. *& sequent.* Suar. *disp.* 18. *Met. sect.* 2. Hurtad. *disp.* 9. *Phys. sect.* 2. *&* 3.

1

ET videtur quòd sic: quia secundùm Philosophum 4. Meteororum, t. c. 54. omnia determinata sunt operationibus; cuiuslibet ergo entis est propria operatio. Confirmatur per Aristotelem 2. de Cælo & Mundo, t. c. 17. vbi vult quòd omne habens operationem, est propter suam operationem. Ex hoc arguitur, omne ens quod non est finis, est propter aliquem finem: Deus autem quia est vltimus finis, patet quòd habet aliquam operationem: omne ergo aliud ex quo est propter finem, vel est propter operationem, & habetur propositum, vel propter aliquid aliud. Sed illud non est finis eius, nisi quatenus attingit illud per aliquam operationem, vt videtur, & ita sequitur quòd habebit operationem. Item, agere conuenit alicui inquantū est in actu, & hoc perfectiori illo, quod debet causari, vel æquè perfecto: sed quodlibet ens est in actu altero illorum modorum, respectu alicuius factibilis; ergo, &c. Minor probatur per locum à minori: quia quantumcunque imperfectum ens accipiatur, ipsum est in aliquo actu, qui ita perfectus est proportionabiliter respectu alicuius similis factibilis; sicut perfectior respectu perfectioris: verbi gratia, ita proportionabiliter perfectio relationis perfectioni alterius relationis similis ei, quod est dare relatiuum esse, sicut perfectio caloris perfectioni alterius caloris, quem causare potest. Item, species sensibiles & intelligibiles videntur imperfectissima entia; vnde ex differentia ad omnia entia, quæ dicuntur realia, ista dicuntur intentiones, vel entia intentionalia: sed istæ species videntur habere proprias operationes: tum in generando sibi similes, tum in mouendo potentias cognitiuas, secundùm communiter ponentes ipsas.

Contrarium videtur manifestum de omnibus entibus, præterquam de formis substantialibus aliquibus, & aliquibus qualitatibus, quæ solæ videntur actiuæ.

SCHOLIVM I.

SENTENTIA *asserens omnem formam esse actiuam, quatenus perficit suum materiale, reijcitur, tanquam abutens terminis, quia confundit efficientem cum causa formali, cùm tamen ista non coincidant in idem numero.*

2

Ad quæstionem, qui poneret quòd actio prima cuiuscunque formæ est in perficiendo suum proprium potentiale, haberet consequenter ponere, quòd omnis forma est potentia actiua, quia est principium perfectiuum sui potentialis; & talis fortè actio vocatur ab aliquo, vt ab Augustino, actio absoluta: sicut exemplificat 5. 14. 11. 9. Et à Philosopho de *lucere*, quod est operatio manens in agente, & cuius principium est ipsum luminosum

luminosum formaliter per suam lucem: ita posset dici, quòd *quamtere*, vel *quantitate*, vt ita loquar, est propria operatio quanti, & formaliter per quantitatem: & *durere* duri per duritiem.

Contra hanc opinionem non oportet disputare de nominibus, si habitudinem formæ ad materiam, quando ex eis fit vnum, dicat esse actionem, loquitur vt vult. Philosophus autem de tali actione non est locutus: qui in 2. ca. huius credidit sufficienter diuidere potentias actiuas in rationales, & irrationales, de quibus tractat ibi. & c. 4. nihil autem loquitur comparando formam ad perfectibile. Præterea: omnis actio propriè dicta, de qua loquitur Philosophus, siue sit transiens, siue immanens. talis est, quòd per ipsam aliquid est ab agente, & aliud ab ipso: forma autem perficiendo materiam, nihil aliud à se causat in materia: quia ipsamet forma est perfectio propria materiæ, non tantùm aliquid effectum à forma. Et propterea sicut forma, inquantum causa, aliam relationem essentialiter habet ad causatum, quàm efficiens inquantum causa eiusdem causati; ita etiam ad quamcumque aliam causam concausantem: hæ duæ causæ comparentur, aliam habebunt relationem ad illam; ergo ad materiam alia est omnino relatio formæ, & agentis: imò nec possent coincidere in idem numero, & per consequens sicut idem non potest esse agens & forma, respectu principiati, ita nec respectu alterius principij. Si aliquis vellet adducere auctoritates Aristotelis de actione. De 3. Physicorum, & de primo de Generatione, quòd agens, & patiens sunt contraria, & quòd tangunt se, & huiusmodi, multas posset habere, sed non debet immorari.

T. c. 3.

T. c. 10.

Potentia diuiditur in rationalẽ, & irrationalem.

Forma perficiendo materiam, nihil aliud à se causat.

Alia relatio formæ, alia agentis ad materiam.

T. c. 18. & inde.
T. c. 51. & circiter.

SCHOLIVM II.

SOLAM *formam substantialem, & qualitatem esse verè actiuas, seu generatiuas sibi similium; non negat tamen alia aliquo modo esse actiua, saltem quoad sui cognitionem, vel species. Quare autem forma est actiua, & alia non, nulla est ratio, nisi quia hæc est hæc, & illa est illa; ita Doct. 1. d. 7. q. 1. nu. 19. mouet bonas difficultates, quas non soluit, sed puto eodem modo respondendum ad illas, videlicet, quòd nulla ratio in eis assignanda est. Vide loca Doctoris citata hîc à Mauritio.*

3

Solam substantiam, & qualitatem esse actiuas.

Itaque hac opinione, tanquam abutente terminis, prætermissa, simpliciter tenendum est, quòd non solùm non in quocunque ente, sed nec in quacũque forma fundatur relatio potentiæ actiuæ: nec videtur difficultas in ostendendo quòd ita sit: nam cæteris minùs perfectis prætermissis, patet quòd quantum, inquantum quantum, non assimilat, siue adæquat sibi in quantitate aliud quantum proximatum, priùs inæquale: nec durum durat aliud priùs non durum: actiuum autem sibi approximatum opposito modo se habens, statim transmutat, vt assimilet sibi circumscripto impedimento: apparet de calido. Ita potest argui, quòd nulla forma actiua est, nisi aliqua substantialis fortè, & aliqua de genere Qualitatis.

Sed difficultas est in assignando *propter quid*: quare scilicet saltem actus primus, non quicumque est principium actus secundi, & hoc saltem respectu actus similis: cuius scilicet perfectio non excedit perfectionem talis actus, sicut tangit secunda ratio ad hanc quæstionem. Est & alia difficultas de actione, quæ est factio. Si quis velit extendere quæstionem, quare factio, siue productio, simul conuenit imperfectissimis substantiis, vt elementis, & parum ascendendo mixtis inanimatis non conuenit; vltrà ascendendo, mixtis animatis conuenit communiter; vltra ascendendo, perfectioribus, vt intelligentiis, siue corporibus cælestibus non conuenit. Ita quòd non videtur aliqua posse maxima vniuersalis assignari, cui enti conueniat producere. Si medium sumitur ex perfectione, & perfectius magis produceret. Si ex imperfectione imperfectius magis produceret: vtrũque videtur habere instantiam ex dictis. Et ad ista inuestigandum, potest dici primum, quòd *propter quid* aliquid est actiuum.

Ad argumenta. Ad primum dicendum, quòd entium naturalium per se existentium, de quibus videtur ibi loqui, sunt propriæ operationes, & hoc extendendo *operationem* ad quamcunque siue immanentem, siue transeuntem, siue etiam sit ad formam causandam, siue ad *vbi*; & sic graue habet operationem propriam tendere deorsum, quando est extra locum: quando etiam quiescit dicitur habere operationem, & perfectiorem, quàm quando mouetur, de quo posset esse prolixa inquisitio, an sicut moueri à grauitate, ita & terminus scilicet illud vbi continuè causetur à grauitate, quoniã graue quiescit: vt sic dicatur graue operari dum quiescit; sed operationem non videtur Aristoteles ita extendere 2. de Cælo, & mundo, vbi vult quòd imperfectum caret operatione. Et sic etiam in 2. de Generatione negatur grauitas esse qualitas actiua. Non igitur in 4. Meteororum intelligit de *operatione* strictè: nec de quocunque ente, prout ens diuiditur in substantiam & accidens: sed de ente per se, quod est suppositum substantiæ. Ad confirmationem rationis, quæ accipitur de 2. Cæli, & Mun. potest dici, quòd operatio est finis habentis operationem, sicut ibi vult: non habentis, non est. Et cùm arguitur, tunc aliquid est finis, verum est, sed non est finis, nisi attingatur ab illo per operationem huius.

Quomodo omne ens naturale operatur?

Quomodo graue dicitur carere operatione.
T. c. 64. & inde.

T. c. 8.

ANNOTAT. MAVRITII.

4

SEquitur quæstio sexta, in qua & quinque sequentibus facit sermonem de fundamentis & terminis potentiæ actiuæ, & passiuæ: quæ omnes sex in aliquibus antiquis originalibus mouentur simul: & soluuntur sub vna quæstione totali: sed ordo earum seorsum satis placet vt hic ordinantur; quæ quantæ vtilitatis, & singularis doctrinæ sint, res ipsa declarat.

Adducit opinionem antiquam satis singularem: quæ videtur quodammodò Augustini & Anselmi, quam quidam medicorum imitantur. Et breuibus eam impugnat. Et ponit propriam notanter.

Mouet consequenter quasdam difficultates, quas nonsoluit hîc expresè, quære in theorematibus, & in primo Reportationum: *di* 7. *q.* 2. *& in* 1. *di.* 3. *q.* 7. *& in* 4. *di.* 1. *q.* 1. & suprà ad finem 1. lib. in dubio literali, & alibi plerumque vt nosti ad propositum, & quæstione sequente aliqualiter.

Duo etiam vltima principalia solue consequenter, plura bene ponderando.
Vide etiam in 4. d. 12. q. 3.
& sequentib. aliqua
ad hæc.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm relatio potentiæ actiuæ fundetur immediatè in substantia?

Arist. 2. *Phys.c.7.text.*71. D. Tho.1.*p.q.*77. *art.*1.*&* 3.*p.q.*77.*art.*3. Maior *in* 4.*d.*12.*q.*3. Capr.*in.* 1.*d.*3. *q.*3. *art.*2. Caiet.1.*p.q.*77.*art.*1. Ægid. *quod lib.*3.*q.*1.*ad* 2. Henric. *quodlib.* 14.*q.*1. Heru.*quodlib.*3.*p.*11. Occham.1.*in* 2.*q.*13. Durand.*in* 1.*d.*2.*q.*2. Fonf.5.*Met.c.*2.*q.*6.*sect.*2. Conimb.2. *Phys.q.*18.*art.*2. Suar.*disp.*18.*Met.sect.*2 Rub.*tract.de causa efficienti. q.*5. Hurt.*disp.*9. *Phys. sect.*3.*subiect.*2. Vide Scotum *in* 1.*dist.*37.*&* *in* 2.*dist.*17.*&* *in* 4.*dist.*12.*q.*3.

1 VIdetur quòd non:quia naturalis potentia,vel impotentia est in secunda specie Qualitatis, secundùm Aristotelem in Prædicamentis. Item, imperfectissimum non immediatè acquirit summam perfectionem: sed mediante aliqua perfectione minori; ergo essentia substantiæ, quæ est imperfectissima, non statim acquirit perfectionem summam, quæ est operatio, sed priùs aliquod accidens manens, quo ordinetur ad operationem. Item, in eodem genere sunt potentia & actus: omnis actio creaturæ est accidens. Confirmatur: in de Sensu & sensato dicit Philosophus, ignis non agit inquantum ignis: sed inquantum calidus.

C. de qualitate.

Contrà: potentia passiua prima sicut est ad primum ens, scilicet substantiam; ita fundatur in substantia, quæ est materia: ergo à simili potentia actiua prima fundatur in substantia, quæ est forma.

SCHOLIVM.

SVBSTANTIAM *esse immediatè actiuam probatur ratione à posteriori, priori, & authoritate, Quod hîc ait, accidens non posse attingere productionem substantiæ, tractat* 4.*d.*1.*q.*1.*nu.*18. *d.* 6.*q.*5.*d.*12.*q.*3.*&* *d.*13.*q.*1. *Quod ait, relationem fundari in substantia, habet* 4.*d.*6.*q.*10. *& qualitatem esse perfectiorem quantitate, (quod hîc dicit) d.*12.*q.*2.*n.*10. *docet.*

2 Ad quæstionem, omissa, propter breuitatem, opinione contraria, cuius fundamenta tacta sunt in arguendo. Ad quæstionem dicendum est simpliciter, quòd in forma substantiali fundatur relatio potentiæ actiuæ. Quod probatur ratione tripliciter, scilicet primo *quia*, Deinde *propter quid*, & tertio auctoritate. Prima ratio talis est: effectus non potest esse perfectior causa sua efficiente: siue sit efficiens æquiuocum, quia tunc est perfectius effectu; siue vniuocum, quia tunc est æquè perfectum cum effectu: substantia autem per se generatur; ergo per se efficiens illius generationis est substantia: substantia autem non esset per se generans, nisi illud quo generat, esset forma substantialis. Si enim forma accidentalis sola generaret, substantia per accidens generaret. Respondetur, quòd accidens agit in virtute substantiæ, & ideò effectus potest esse substantia. Verum est enim quòd nullum agens in virtute propria producit perfectius se, tamen in virtute alterius perfectioris se potest. Contrà: aut illud in cuius virtute agit, est causa efficiens effectus, aut non: si primo modo, habetur propositum, quia causa non est, in cuius virtute aliud agit, nisi inquantum substantia. Patet, & si est efficiens remotum, eo magis habetur propositum, quia causa quantò prior causato, veriùs causat, ex prima propositione de causis. Si secundo modo, ergo effectus perfectior est sua per se causa efficiente: nam illud, in virtute cuius agit, nullo modo est efficiens. Hoc etiam secundum menbrum statim videtur inconueniens: quia in nullo genere causæ videtur aliquid causare in virtute alterius, nisi illud alterum principalius esset in eodem genere causæ.

Effectus non est perfectior causa.

Accidens non agit in virtute substantiæ.

Nihil causat in virtute alterius, nisi illud sit causa eiusdem generis.

Secunda ratio, quæ est *propter*, quid est talis: agens inquantum est in actu, agit, ita quòd perfectius ens in actu, perfectiùs agit. Quod ex hoc patet, quia aliàs non attribueretur ratio actionis Deo in sũmo, quia nihil attribuitur Deo in summo, nisi quod est perfectionis simpliciter, vel sequitur perfectionem simpliciter, sic quòd si magis, magis; & maximè, maximè: forma autem substantialis est actus perfectior omni accidente; ergo, &c.

3 Si dicatur, quòd immediatum ordinem habere ad actionem, est imperfectionis: quia accidentia ordine quodam insunt substantiæ, ita quòd remotius non est natum inesse, nisi propinquiore priùs inhærente; & ita quod immediatum est respectu actionis, est in proximo gradu respectu eius, quod quidem est imperfectionis: quia quando imperfectiori est propinquius, est imperfectius. Prædicamentum verò Actionis est ens diminutum, quia non dicit rem absolutam formaliter, & ita nec substantiæ conuenit. Præterea: quantitas est actus perfectior, quàm qualitas, quia substantiæ immediatior: nec tamen sequitur, quòd quantitas sit actiua, si qualitas est actiua. Ad 1. quòd quamuis Prædicamenta sint ordinata in ordine prædicamentali, tamen immediatè possunt consequi rem alterius Prædicamenti. Vnde Relatio & Actio immediatè consequuntur Substantiam, nec vnum mediante alio. Similiter, si ratio concluderet, qualitas non esset immediatum principium actionis, quia relatio ordinatur ante actionem. Similiter, nunquam requiritur quantum esse quale ad hoc quòd sit in *vbi*. Ad aliud patet alibi, quòd qualitas est perfectior quantitate. Similiter, licèt quantitas non sit actiua per transmutationem, tamen est actiua in sensum, & intellectum: & facit immutationem sensus, non solùm ad modum immutandi. Sic materia prima est actiua in intellectum Angeli cognoscentis eam: sed non relatio formaliter: sed fundamentum, in quo virtualiter includitur. Si dicatur etiam, quòd secundùm rationem hanc secundam, mixtum, vt lapis, esset magis actiuum quàm elementum, vt ignis: quia est ens perfectius. Concedendum est, quia habet perfectiorem operationem, licèt non cum transmutatione, & compositione.

Relatio fundatur, in substantiâ. 4. d. 6.q.10.

Quantitas quomodo actiua?

Tertiò, auctoritas ad propositum est in 7. huius cap. 7. dicit Aristoteles: *Proprium substantiæ est, quia necesse est praexistere semper substantiam alteram actu, qua facit: quale verò aut quantum non necessarium, nisi potestate solùm.* Impossibile est qualitatem, aut quantitatem esse postquam non fuit, nisi per aliquam causam efficientem: & non oportet præexistere quantum, aut quale actu; igitur substantia istis accidentibus circumscriptis, habet virtutem producendi illa, & ita potentiam actiuam. Posset etiam argui de subiecto respectu propriæ passionis, quòd scilicet habeat potentiam actiuam respectu eius, aliàs non necessariò inesset, quia potentia materiæ non est sufficiens ad necessitatem. Consimiliter ex dicta auctoritate potest aliter haberi propositum: quia si non oportet quantum, aut quale præcedere generationem

*T.c.*31.

Substantia ex Arist. est actiua.

Non oportet quantum aut

quale præcedere generationem.

nerationem quanti, aut qualis, multò magis nec generationem ſubſtantiæ; ergo ſi ſola ſubſtantia præcederet, eſſet generatiua ſubſtantiæ.

Ad primum argumentum poteſt dici, quòd ſi illa auctoritas multùm faceret, ergo ſequeretur, quòd nulla qualitas tertiæ ſpeciei eſſet potentia actiua, quod eſt manifeſtè falſum. Ad ſecundum dico, quòd ſi fiat ſermo de factione, illa non eſt perfectio ſubſtantiæ, quæ facit: ſicut patet ex 7. c. huius 9. Et ideò non oportet, quòd ſubſtantia prius quàm faciat, alio perficiatur. Similiter nec in actione, nec in factione propter idem principium, quia forma ſubſtantialis eſt perfectior accidentali. Et ideò licèt ſubſtantia ſit imperfectior quàm ſubſtantia qualis, intelligendo perfectionem propriam ſubſtantiæ cum alia addita: tamen accipiendo præcisè perfectionem vtriuſque formalem, ſubſtantia perfectior eſt ſubſtantia quali; ergo magis poteſt agere & facere: quia vtrumque eſt perfecti. Ad tertium, illud concluderet quòd omnis potentia actiua eſſet in genere Actionis per ſe: non tantùm enim potentia & actus ſunt in eodem membro entis, vt ens diuiditur per ſubſtantiam, & accidens; ſed etiam in eodem genere, vt ens diuiditur in 10. Genera. Tunc ad argumentum, æquiuocat *potentiam*: quia maior eſt vera de potentia obiectiua: patet ex prima quæſtione. Et in minori accipit *potentiam*, quæ eſt principium actiuum, vel paſſiuum. Ad auctoritatem in de Senſu & ſenſato, diceret aliquis, quòd loquitur de actione ſenſibilis in ſenſum, & ſubſtantia non eſt ſenſibilis, niſi per accidens.

T.c.16.

ANNOTAT. MAVRITII.

5

Sequitur quæſtio ſeptima, in cuius principio ponit motiua Ægidij, *quodlibeto* 4.*q*.8. Quære Tho. *in* 4.*di*.12. & alibi ſæpè, vt noſti. Deinde ponit propriam opinionem quam probat ratione *quia*, & *propter quid*, & auctoritate.

Infrà cùm adducit euacuationem ad 1. rationem ibi: *Reſpondetur, quòd accidens*, &c. eſt reſponſio Thomæ vbi ſuprà.

Deinde ſoluendo inſtantias infrà ibi: *Ad aliud patet alibi*, &c. Quære in Theorematibus notanter. Habetur etiam *in* 4.*di*. 12.*q*.2. De ordine prædictorum, quem ibi tangit, & qualiter relatio immediatè poſſit fundari in ſubſtantia, vide ſuprà lib. 5. & alibi ſæpè, vbi ibi notaui.

Quod tangit conſequenter de ſubiecto reſpectu paſſionis, dic vt ſuprà notaui. Alia plura adde hîc.

Sententia Doctoris in his omnibus quæſtionibus, eſt clara, ideò omiſi explicare eam. Litera etiam ſatis correcta, & ordinata per totum. Singula tamen verba ponderabis vbique. Quod etiam in 1. ratione pro quæſtione principali habet de cauſa æquiuoca, & nobilitate eius reſpectus effectus, limitabis, vt noſti aliàs ſæpè in doctrina eius de cauſa: videlicet, æquiuoca totali, vel principali partiali: ſed videtur velle, quòd ſit verum vniuerſaliter de quacunque æquiuoca, ſicut habet in 2.*di*.3.*q*.10. ideò declara conſequenter; aut ad hominem: aut aſſertiuè, vide 14. *q*. *quodlibeti*.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm qualitas primæ ſpeciei ſit potentia actiua?

D. Tho. 1.2.*q*.49.*art*.3. & *in* 3.*diſt*.23.*q*.1. *art*. 1. Medina, 1.2.*q*.49.*art*.3. Durand. *in* 3.*diſt*.23.*q*.4. Palud.*q*.2. Guliel. de Rub.*q*.1.*art*.3. Bacon. *in* 2.*diſt*.28.*q*.1. *art*.3. Capreol. *in diſt*.17.*q*.1. Salas *tract*.10. *diſp*. 1. *sect*. 2. Fonſ. *hic c*.5. *q*. 4. Vaſq. 1. 2.*diſp*. 83. *num*.4. Suar. *diſp*.44. *Met. ſect*.5. & 6. Hurt. *diſp*.16. *de anima*. Vide Scotum *in* 1.*d*.17.*q*.2. §. *concedo igitur*, & §. *qui vellet*, & *q*.3. *ibid*.

1

ET videtur quòd non: quia potentia eſt quâ habens poteſt ſimpliciter: per habitum autem non videtur aliquis poſſe ſimpliciter, ſed ſic, puta faciliter, vel delectabiliter, vel expeditè: ſi enim habitu ſimpliciter poſſet; ergo ante illum eſſet ſimpliciter impotens, & ita actus præcedens habitum non eſſet eiuſdem rationis cum actu ſequente generationem habitus; ergo nec ex præcedentibus generaretur habitus.

Contra: Ariſtoteles in litera huius 9. c. 2. omnes artes, & factiuæ ſcientiæ potentiæ ſunt principia: nam permutatiua in alio, aut inquantum aliud.

T.c.3.

Ad quæſtionem, qui poneret omnem potentiam, in qua eſt habitus, eſſe præcisè paſſiuam, haberet conſequenter dicere, vt videtur, quòd habitus non eſt actiuum principium.

Sed quomodo habilitatur aliqua potentia ad patiendum, maximè ſi eſt ex ſe ſummè diſpoſita, ſicut eſt de intellectu reſpectu intellectionis? Quomodo etiam vti habitu eſt in poteſtate habentis, ſecundùm Ariſtotelem, ſi vſus eius (licèt impropriè dicatur vſus) ſit tantum in patiendo? pati enim non eſt in poteſtate patientis.

SCHOLIVM.

REIECTA *opinione negante actiuitatem habitui, tenet eum eſſe actiuum, non ſubſtantiæ actionis, ſed modi eius, de quo fusè agit* 1.*d*.17.*q*.2. & 3. *Vbi etiam tenet problematicè non eſſe actiuum, explicans quomodo cum hoc inclinat ad actus. Itaque in hac quæſtione nihil reſolutè tenere videtur.*

2

Ideò aliter poteſt dici, quòd habitus, qui eſt in potentia actiua eſt principium actiuum; & hoc expreſsè vult Ariſtoteles ſicut adductus eſt in arguendo. Et etiam in 5. lib. cap. de potentia dicit, *Ars medicinalis poteſtas ens exiſtet vtique in ſanato*, vbi exponit definitionem potentiæ actiuæ. Et in iſto 9. cap. 4. diuidit potentias in innatas, & acquiſitas; & hoc vel conſuetudine, vt quæ eſt fiſtulandi; vel diſciplina, vt quæ eſt artium, patet, &c. Sed ſaltem loquendo de habitibus acquiſitis, non videtur habitus eſſe potentia eodem modo, quo potentia naturalis, in qua eſt habitus, dicitur eſſe potentia. Nam talis habitus non videtur eſſe principium actiuum, ita quòd ſimpliciter principiet aliquam actionem, ſecundùm ſubſtantiam; eſt tamen potentia actiua, quia vt actiuum principiat aliquem modum actionis, qui modus accidens eſt reſpectu actionis. Si enim poſſet eadem actio ſtare quandoque virtuoſa exiſtens, quandoque eſſe non virtuoſa, pateret modum illum, quem dat ſibi virtus, eſſe accidens actioni: nunc autem actio, quæ manet non poteſt tranſmutari à modo vno, in modum oppoſitum: ſed quemcumque modum habet

T.c.17.

T.c.10.

Habitus quomodo actiuus?

Habitus non efficit ſubſtãtiam actionis.

cùm

cùm est; transeunte ipso sub illo modo transit etiam simpliciter, ita quòd modus omnis actionis propter modum essendi actionis, inseparabilis est ab ea: nec tamen minùs est accidens, & ita quod principiat illum modum, verè est principium, licèt non ita perfecti entis, sicut si esset principium actionis, cuius est ille modus.

Ad argumentum patet ex solutione quæstionis.

ANNOTAT. MAVRITII.

3 SEquitur quæstio octaua in cuius principio posset signari ille textus, qui quotatur post oppositum: sed hîc omisi, vt suprà notaui.

In principio solutionis tangit vnum modum dicendi breuiter, quem impugnat paucis. Quære copiosè primo, *di.* 17. ad hæc.

Deinde ponit suum proprium modum dicendi expeditè, & notanter: quem confirmabis, & declarabis, atque defendes ex dictis in primo *vbi suprà*, & in quodlibeto *quæst.* 18. & in 3. *dist.* 13. & in materia de habitibus, & alibi sæpè. Quare in Ethicis, & alibi plura ad hæc, addendo, & subtrahendo vt scis. Tertia etiam di. 1. & 49. 4. & 14. q. quodlibeti ad hæc inuenies. Quære Henricum, *Quodlibeto* 4. *q.* 10. & God. & Thomam in primo *vbi supra.* & 1. 2. *quæst.* 49. *art.* 3. copiosè.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm potentia posßit terminari ad quodlibet?

Seneca *lib* 4. *de beneficiis c.* 7. & 8. Cicero *lib.* 2. & 3. *de natura deor.* D. Thom. 1. *p. q* 25. *art.* 3. & 2. *Cont. Gent. c.* 25. Alens. 1. *p. q.* 20. Albert. *in* 1. *dist.* 42. *a.* 4. & 6. Greg. & Durand. *ibid. q.* 1. Rich. *q.* 3. & 4. Suar. *disp.* 30. *Met. sect.* 17. Hurt. *disp.* 8. *Phys. sect.* 3. *sub sect.* 3. & *sequent.*

1 ET videtur quòd sic, saltem in creaturis: quia quicquid ibi est, quandoque non fuit; ergo ab aliquo agente. Item, videtur quòd in diuinis (respectu saltem personarum productarum) sit aliqua potentia actiua, vt generatiua respectu Filij, & spiratiua respectu Spiritus Sancti.

Ad oppositum: quod est terminus potentiæ actiuæ videtur esse à per se agente, cuius est illa potentia: casualia non sunt à causa per se. Item, de Deo patet: quia primum in genere causæ materialis, non habet materiam respectu sui; ergo nec primum agens est terminus alicuius potentiæ actiuæ.

SCHOLIVM.

SVMENDO potentiam, *vt abstrahit à mutatione, datur ad quodlibet producendum, præter essentiam diuinam & Patrem, quia omne aliud accipit esse ab his: si tamen sumatur* potentia, *vt dicit ordinem ad aliquid, quod non repugnat non esse, tantùm datur ad creata: quo sensu personæ diuinæ productæ non sunt obiectum potentiæ, sed* possibile, *hoc est, quod esse potest, & non repugnat non esse, est obiectum eius. Doctor hîc rem non explicat, quia est Theologica, non Metaphysica. Vide eum* 1. *d.* 2. *q.* 3. *num.* 8. *vbi de obiecto omnipotentiæ, & d.* 20. *de effectu casuali, seu fortuito. Quod tangit ad primum, vide eum quodlibeto finali.*

2 Ad quæstionem dicendum, quòd cùm non sit intelligibile aliquid esse, postquam non fuerit, nisi ab aliquo habeat *esse*: omne autem aliud à Deo est, postquam non fuit (circa cuius probationem modò non oportet insistere.) Patet, quòd tale ab aliquo habet *esse*, & ita est terminus alicuius potentiæ actiuæ. Sed & si aliquid non haberet nouum *esse*, dum tamen non esset ex se necesse esse, adhuc fortè oporteret, quòd *esse* suũ haberet ab aliquo. De quo quære infrà, in quæstione de sempiternitate mundi, an sit possibilis. Sicut autem quædam entia immediatè à primo habent *esse*; quædam autem à causis secundis; ita aliqua sunt termini huius potentiæ actiuæ tantùm; aliqua illius, & illius simul, si effectus totus causæ secundæ est à prima effectiuè. Deus autem cùm ex se sit necesse esse, non est terminus actiuæ potentiæ propriè, secundùm aliquos, si talis potentia requirit pro termino naturam producibilem, & in supposito absoluto. Diuina enim natura non producitur, licèt suppositum relatiuum in ea producatur, & per hoc ipsa communicetur. Quod an verum sit de potentia actiua, an non in creaturis, videri non potest: quia instantiam ibi non recipit. Fortè eandem naturam communicare videretur perfectius agere, quàm aliam producere. Suppositum etiam videtur primus terminus productionis, sicut primum producens ex 1. Metaph. Si primum potest stare sine secundo, videtur stare actio propria illius, quod dependet à tali primo. De his, quia hîc discutere non est locus cùm sint Theologica profunda, potest hîc transiri. Si autem intelligitur quæstio de actione immanente, & de termino eius, non quo producatur ipsa: sed circa quam ipsa sit, qui terminus dicitur obiectum: patet quòd quodcunque ens est terminus talis actionis: quia ens intelligibile, & amabile.

Vide Mauritium hic.

Diuina natura improducibilis, sup. positum producibile.

Ad primum argumentum patet ex dictis in 6. lib. in quæstione de Ente per accidens. Nihil enim est casuale respectu vnius causæ naturalis, quin sit intentum ab alia: nihilque omnino casuale, aut fortuitum, quod non sit per se terminus potentiæ diuinæ. Esset tamen hîc difficultas, qui vellet immorari, vtrùm respectu fortuiti termini, sit alio modo potentia diuina, quàm respectu per se intenti ab agente à proposito. Si sic, hoc non est, nisi quia causa secunda non agit ad producendum fortuitum, & ita illud erit immediatè effectus Dei: nullo autem modo effectus agentis voluntarii particularis; nisi quia facit illud, ad quod consequitur in paucioribus, Deum facere illud, sine quo fortè Deus non faceret, licèt posset; sed sicut aperiens fenestram, illuminat domum; immò magis, quia semper, vel in pluribus, ad apertionem sequitur illuminatio: nec potest agens non illuminare illo facto. Si nõ; ergo ita coagit Deo causa in productione fortuiti, sicut in productione per se intenti; quomodo ergo est fortuitum? Hîc posset dici, quòd, &c. Ad argumenta facta de Deo, pro, & contra, patet ex solutione quæstionis.

An effectus casualis, sit per se intentus à Deo? quodl. fin.

ANNOT. MAVRITII.

3 SEquitur quæstio nona, quæ clara, & satis facilis est, licèt ad magnam difficultatem deduci possit Theologicè loquendo; an videlicet ad intra in diuinis sit potentia actiua actus transeuntis, de quo quære in pri. *di.* 2. & *infrà sæpe,* & *dist.* 27. *specialiter,* & *in quodlib. q.* 2. Quære alios Theologos, vt nosti, & maximè Magistrum abstractionum,

& Vuar.

& Vuar. & Hen. & Thom. &c. Quære etiam in tractatu de primo Principio, & in Theorematibus ad hæc, Platonem etiam & Aristot. & Auicennam.

Aduerte cùm dicit infrà in solutione: *De quo quære infrà in q. de æternitate mundi*, &c. quod si intelligit per *infrà* 2. Sententiarum, vbi illa quæstio disputatur *di.1.* rectè confirmat illud, quod dixi à principio huius opusculi, in primo generali præsupposito: si verò intendit q.12. huius, vbi illa quæstio posset habere locum, sicut super 8. Physicor. considera: sed primum credo verius. Multa tamē Doctores præsupponunt se interdum dicturos à quibus impediti cessant. Fortè etiam intendit quæstiones super Phys. quas aiunt ipsum scripsisse. Quære *in 2. di.1. & in primo di.35. & sequentibus, & maximè di.39. & 43. & in quodlibeto q.14.* plura ad ea, quæ paucis hîc tangit. *In 5. etiam di. pri. & 26. & 4. q. quodlibeti* inquire idem, alios antiquos, & modernos inducendo.

Ad difficultatem, quam non soluit ad fin. quæstionis posset dari primum membrum disiunctiuæ, ibidem, vel addi, vt nosti; quære tamen ad plenum in quodlibeto *q. finali & 8. di. pri. & 39. & 16. di.3. & 7. q. quodlibeti, & super 2. Phys.* & alibi plerumque ad hæc.

QVÆSTIO X.

Vtrùm potentia passiua sit in quolibet?

Aristot. 8. *Phys. c.6. & 12. Metaph. c.7.* D. Thom. 1. *p. q.9. art.1.* Caiet. *ibid.* Albert. 1. *dist 8 art.28.* Richar. *art.2. q.1.* Antisiod. *in sum. lib. 1. c.1.2. p.* Henric *in sum. art.30. q.6.*

1 ET videtur quòd sic. Et primò quòd in Deo: quia Filius non generatur de nihilo, secundùm Augustinum contra Maximinum, sed de substantia Patris; ergo ista substantia videtur esse in potentia passiua, quasi subiectum generationis. Item, perfectum simpliciter, & imperfectum sunt priuatiuè opposita, diuidentia totum ens: perfectum simpliciter de solo Deo dicitur; ergo quodlibet causatum est imperfectum priuatiue; ergo & perfectibile: quia priuatio non est, nisi in apto nato: omne autem perfectibile habet potentiam passiuam. Confirmatur illud, quia solus Deus conceditur esse actus purus; ergo in omni alio est aliqua potentia passiua.

Ad oppositum, de Deo patet, quia est actus infinitus. Item, de multis creaturis patet, sicut de relatione, & de multis accidentibus, quæ nullius actus sunt receptiua; ergo non est in eis potentia passiua.

SCHOLIVM.

In *Deo, quia sūmè perfectus, nulla est potētia passiua, nec quasi passiua. Hāc propositionē fusè tractat Doctor contra Henr. 1. d.5. q.2. tenentem Filium produci de essentia, quasi de materia; in aliquibus etiam accidentibus, propter imperfectionem, nulla est passiua potētia: non determinat quanā sint ista accidentia, quia nihil resoluit, & dubitat de relatione, an recipiat suam propriam passionem: sed puto non loqui in propria sententia, quia tenet proprietatem non distingui à subiecto, de quo suprà l.1. q.1. num.9. vide Scol.1. ibi.*

2 Ad quæstionem dicendum, quòd aliquod ens propter summam perfectionem, non est aliquo modo perfectibile, & ideò nec habens potentiam passiuā realiter: hoc ens est Deus. Ponunt tamē aliqui in essentia diuina quasi potentiam passiuam, sicut tangit argumentum sumptum ab auctoritate Augustini, sed de hoc transeo. Patet quòd ad nullum actum realiter est ibi potentia passiua, quia nullus est ibi, qui non sit idem essentiæ: potentia autem passiua realiter sumpta, & actus eius realis, nunquam in eodem omnino fundantur; quia receptiuum non tantùm non est receptum, sed ab ipso denudatum, & de se non tale. Impossibile est enim præcisè actuare illud, in quo est potētia passiua realis, quin de se intelligatur non habens actum, cuius est illa potentia. Aliqua verò entia sunt ita imperfecta, vt nullam perfectionem possint suscipere, vt accidentia vltima substantiæ inhærentia: & ideò nullam habent potentiam passiuam, licèt habeant potentiam metaphysicam, quando non sunt in actu, sicut dictum est in solutione primæ quæstionis. Dicunt enim aliqui omnia accidentia esse talia, quòd nullum actum recipiunt, licèt sit quidam ordo inter ipsa in perficiendo substantiam: vnde in quarta, & in secunda ratione contra negantes primum principium, dicit Aristoteles nihil magis hoc illi, quàm illud huic, accidit. Sed de hoc require ibidem in 4. quia Auicenna videtur dicere contrarium 2. Metaph. cap.1. Hoc certum est, quod dictum est, quòd quodcunque accidens non est perfectibile aliquo actu vlteriore, non fundat potentiam passiuam: sed quod sit illud in speciali, prolixum esset: fortè enim relatio, de qua minùs videtur, habet propriam passionem, quæ eam perficit, & respectu eius est potentialis, & receptiua, quod modò prætermitto.

Receptiuum, & receptum realiter distinguuntur. Quædam accidentia non habent potentiam passiuam. q.6.

T.c.14.

Non omne accidens est perfectibile.

Ad primum argumentum, patet ex solutione quæstionis. Ad secundum dicendum, quòd in priuatiuè oppositis, diuidentibus idem commune, hoc generaliter verum est, quòd circa idem diuisum nata sunt fieri, sic intelligendo, quòd priuatio requirit aptitudinem ad habitum in illo, in quo est; non semper secundum naturam propriam eius, sed secundùm naturam illius diuisi. Sic enim rationale in asino non requirit quòd asinus sit aptus esse rationalis, inquantum asinus, sed inquantum animal, hoc est, sibi, inquantum animal, hoc non repugnat: ita intelligendo in proposito de ente imperfecto, quod sibi, inquatum ens, non repugnat esse perfectum, licèt repugnet, inquantum hoc ens. Et de tali priuatione loquitur Aristoteles in 5. huius ca. de priuatione: sicut talpa dicitur cæca: quia inquantum animal, nata esset videre.

Imperfectum non necessariò in se capax perfectionis: sed in suo diuiso.

De priuatione secundum genus. vide 1. d.28 q.1. T.c.27.

ANNOTAT. MAVRITII.

3 SEquitur quæstio decima, in qua sententia Doctoris est clara, & determinata. Vide *in pri di.8. q.1.* & sequentibus, pro principio solutionis ibi de simplicitate Dei. Et considera ad hominem instantiam ibi, cùm dicit: *potentia autem passiua realiter sumpta, & actus eius,* &c. ex 2. di.2. q.10. & 25. di. eiusdem, & 3. di. pri. q.7. & alibi sæpè, & dic consequenter, & pondera.

Ibi etiam opinionem Henr. *quodlib.8. q.9.* & in summa *artic. 50. q. 3.* de quasi potentia in diuinis, quam & eius impugnationem, vide in pri. dist. 5. q. 2. & alibi sæpè incidentaliter, suprà etiam *in 7. q. 10. & in 8. q. 1. & finali.* Vide ad propositum, & pondera quid possit assignari tale vltimum

accidens

accidens, de quo loquitur, & quære in simili super Porphyr. *q.6.* de vltimo in secundis intentionibus.

Infrà ibi; *dicunt enim aliqui omnia accidentia*, &c. Tangit opin. God. Pictauiensis in 4. par. summæ in materia de Eucharistia, quære Ocham in tractatu de Eucharistia, & alibi, & Ægidium, in Theorematibus, vide *in 4. dist.* 12. *q.*2. optimè pro, & contra ad hæc.

Quod vltimò dicit ibi de relatione, & eius passione, considera an famosè loquatur, cùm dicit passionem recipi in subiecto, & respectu eius subiectum esse in potentia passiua, atque per ipsam perfici; an assertiuè, & hoc tenendo identitatem realem eorum: quæstione etiam sequente idem tangit. Vide 8. *di pri. q.* 2. *&* 1. *dist.* 2. *q.* 5. *&* 3. *di eiusdem q.*6. *&* 16. *di.* ad hæc. Vide etiam 35. *di pri. Reportationum* in simili saltem, & adde plura, & antiquos si libet voca.

Ad ea, quæ ad secundum principale dicit de priuatione, applica dicta sua in primo *dist.* 28. & super Porphyr. *q. finali de Differentia*, & in Postprædicamentis, & in 4. *di.* 11. *q.* 4. aliqualiter, & alibi sæpè.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm potentia passiua possit terminari ad quodcumque ens causatum?

Quoad 1. sensum, Tituli vide D. Thom. 1. *p. q.* 45. *art.* 4. *&* 8. Albert. 2. *de anima* & cæteros authores *cit. suprà lib.* 7. *q.* 10. Quoad 2. sensum vide Arist. 1. *de Cælo. Text. Com.* 64. *& seqq.*. Item 1. *de Gen. Tex. Com* 8. Item *Doct. supra q.*6. *huius* & 16. citatos authores: Quoad 3. sensum vide Conimb. *in lib.* 1. *in Physic.* cap. 9. q. 10. artic. 1.

1 Tex c. 19. & inde.

ET arguitur quòd sic: quia Philosophus vult 12. huius cap. 2. quòd omnium sunt principia proportionaliter eadem: quia sicut in substantia est potentiale, & actus, & priuatio, tria principia, ita in quolibet genere, tria proportionaliter alia ab istis: sicut alia genera differunt à substantia: cuiuscunque autem est proprium principium passiuum, illud est potentiæ passiuæ.

Tex. c 6.

Contrà; tunc in omni genere esset propria mutatio. Consequentia ostenditur, quia motus in communi: vt scilicet extendit se ad mutationem, definitur in 3. Physicor. *quod est actus*, &c. ista inuenietur in omni genere dato antecedente. Confirmatur, quia potest intelligi sine mutatione termini potentiæ passiuæ, vt principiatum produci per hoc, quòd suum principium potentiale de propria priuatione reducitur ad actum proprium: consequens, & si non videatur esse contra Aristotelem in 5. Physic. ponentem motum tantùm in tribus generibus, quia ibi strictè accipit *motum*; tamen rationes quibus probat motum non esse in relatione, propter hoc scilicet quòd potest de nouo inesse alicui ad mutationem alterius; & in actione, quia tunc esset actionis actio in infinitum; æquè improbant mutationem in istis, sicut & motum.

Tex. c. 9. & inde.

SCHOLIVM I.

*I*VXTA *triplicem respectum, quem dicit potentia passiua, vt dictum est q.* 1. *huius, explicat clarè, quomodo datur ad quodlibet creatum. Vt sumitur in ordine ad formam, tantùm est quoad formam, quæ nata est informare; quoad principiatum, tantùm est ad compositum; vt respicit potentiam actiuam, tantùm est quoad illa, quæ talem potentiam habent, de quibus quæst.* 6. *huius.*

2

Ad quæstionem dicendum, quòd secundùm dicta in solutione tertiæ quæstionis huius noni, triplex relatio est potentiæ passiuæ scilicet ad principiatum, ad efficiens, & ad formam. Primo ergo modo nihil est terminus potentiæ passiuæ, nisi compositum ex potentiali passiuo, & ex actu eius. Secundo modo nihil est terminus eius, nisi quod habet potentiam actiuam, & quid sit illud quære in prima istarum quæstionum. Tertio modo terminus potentiæ est omnis forma, propriè loquendo, hoc est, quæ nata est aliquid informare: quod dico ad excludendum Intelligentias, quæ quandoque dicuntur formæ. Hæc membra, quia de se patent, non oportet insistere ad probandum.

Potētia passiua triplicem respectum dicit.

Ad argumenta: tangunt quæstionem, quæ quærit in speciali, an in omni genere sit compositum, & forma propria, respectu quorum potentiale principiū propriū sit in duplici potentia: & potest concedi, quòd sic, secundùm intentionē Philosophi in 7. cap. 6. quòd in omni genere generatur compositum, & in 12. sicut allegatur. Sed quomodo illa compositio sit intelligenda, dictum est in 8. in quæstione de simplicitate accidentium. Ad secundum igitur argumentum, quod tangit de mutatione; Dicendum quòd omnis mutatio propriè dicta est inter terminos oppositos, priuationem & formam: illa non sunt simul tempore in eodem: patet, nec priuatio præcedit tempore formam, nisi susceptiuum præcedat eam: quia in non susceptiuo non est priuatio. Ad nullam ergo formam est mutatio, nisi quam præcedit tempore suum susceptiuum: quia multæ formæ necessariò sunt simul cum propriis susceptiuis; ideò sine mutatione insunt. Solummodò autem potest esse mutatio per accidens ad illam, inquantum est ad aliquid, quod est prius ea naturaliter, & quasi ratio susceptiui. Hoc modo quæcunque forma non esset nata sequi tempore *esse* sui proprij susceptiui, non esset nata terminare mutationem: quæ autem non sequeretur, tamen quantùm est de se nata esset sequi, non terminaret mutationem, licèt nata esset terminare. Quando ergo arguitur ex definitione motus, non valet: quia ibi sumitur potentia opposita actui: vbi autem illa est in susceptiuo, benè conceditur mutatio. Sed licèt illa, non sic benè potest esse potentia passiua secundùm triplicem eius respectum, qui dictus est in solutione istius quæstionis scilicet ad principiatum, ad agens, & ad formam: nam vterque istorum inest, quando est in composito; tertius inest in instanti primo, quo forma inest, licèt etiam sine mutatione insit. Potest tamen potentia actiua esse alicuius termini, & potentia passiua similiter, cuius non præfuit potentia opposita actui: ideò nec mutatio est ad illum.

T. c. 27. & 32.

q. 1.

Omnis mutatio inter terminos oppositos.

In mutatione susceptiuum præcedit tempore formam.

SCHOLIVM II.

COROLLARIE *ex quæstionibus disputatis, ponit varias diuisiones potentiæ actiuæ. Alia est in rationalem, & irrationalem, de qua vide eum hìc in text.* 3. *&* 10. *Alia in actiuam propriam, & minus propriam. Tertia est subdiuisio rationalis in innatam, & acquisitam. Quarta in vniuocam, & æquiuocam. Quinta in totalem, & partialem, & singula clarè explicat. Vide annotationem Mauritij.*

Ex

3 *T.com.16. T.c.3. & 10.*

Ex dictis patet diuisio potentiæ actiuæ: nam ex responsione ad tertium argumentum quæstionis quartæ patet, quòd diuiditur in factiuam, & actiuam propriè dictam, & hoc ponitur infrà cap.7.noni, ex dictis autem in quæstione 6.patet, quòd diuiditur in rationalem, & irrationalem, & hoc ponitur cap.2. ab Aristotele & istæ diuisiones manifestabuntur in sequentibus. Prima in quæstione 14. Et secunda in quæstione 15.

T.com.16. Actiua propriè sumpta, finis est vsus, non actum.

Actiua propriè sumpta, secundùm Philosophum, cap.7. est, cuius vltimus finis est vsus, & non aliquid actum: cuius etiam actio manet in agente. Primum est intelligendum sicut expositum est suprà 4. quæstione in responsione ad tertium argumentum: non quin per illam potentiam verè sit aliquid actum, quod etiam est aliqua natura absoluta: sed quia non est tale, quod natum sit in duci per mutationem terminantem motum: nec dicitur actus primus, sed secundus: sicut est de intellectione, & volitione: est tamen aliqua actiua, quæ habet secundam conditionem, scilicet quòd eius actio maneat in agente; non autem primam scilicet quòd vltimus finis sit vsus modo iam exposito: sed etiam finis eius est aliquid actum, quod de natura sua ita est primus actus, quòd natum esset induci per mutationem terminantem motum: talis est potentia actiua subiecti respectu propriæ passionis. Et ita patet diuisio potentiæ actiuæ propriè sumptæ in propriissimam, & minùs propriam.

Actiua propriissima, & minus propria.

Ex his patet quomodo duæ diuisiones prædictæ se habent adinuicem. Quia irrationalis quædam est actiua, quædam factiua; & hæc quædam minùs propriè, vt in subiecto respectu propriæ passionis, nulla propriissima: quia nihil est ibi, quod non sit natum terminare motum, vel sit ipse motus.

Rationalis potentia alia, alia innata acquisita. Text.c.10.

Rationalis autem etiam, secundùm Philosophum, videtur diuidi in actiuam, & factiuam. Sed hoc intelligendum, quòd rationalis diuiditur in innatam, & acquisitam, sicut potest accipi ex principio quarti cap. & etiam ex solutione 8. quæstionis suprà. Et innata, in rationalem per essentiam, & in rationalem per participationem strictè sumptam, quæ est appetitus sensitiuus. Et vltrà rationalis per essentiam largè sumptá, in intellectum, & voluntaté. Cósimili modo diuiditur potentia acquisita, scilicet habitus, in habitum appetitus sensitiui, & in habitum intellectualem, & moralem; non habitum voluntatis, licèt Philosophus diuidendo intellectualem, & moralem, sub morali comprehendat habitum quemcunque appetitiuum, siue voluntatis, siue appetitus sensitiui: si tamen in voluntate aliquem habitum posuit.

4

De omnibus istis potentiis rationalibus Philosophus videtur diuisisse acquisitas intellectuales, in actiuas, & factiuas: sicut patet de arte, & prudétia. Et per cósequens intellectum oportet ponere, tam actiuum, quàm factiuum secundùm istos diuersos habitus: appetitum autem quemcunque, seu habitum eius, non videtur ponere factiuum: sed tantùm actiuum.

Intellectus, actiuus, & factiuus est, appetitus solum actiuus.

Quomodo autem sint ista intelligenda, videlicet quomodò intellectus, vel ars habeat causalitatem efficientiæ respectu artificiati; & quomodo non, tactum est in 7. quæst. de Consequentia Aristotelis contra Platonem, *genitum est hoc aliquid*, &c. Quomodo etiá actiuum aliter conuenit, & aliter diuersis, dictum est in primo, in quæstione de scientia practica. Item, tertio modo principali diuiditur actiua potentia in æquiuocam, & vniuocam.

Potentia vniuoca, & æquiuoca.

Et æquiuoca est, quando fundatur ratio potentiæ super formam alterius rationis, ab illa ad quam est, & ibi semper oportet fundamentum perfectius esse termino, loquendo de totali potentia actiua, alioquin effectus excederet efficiens in perfectione. Vniuoca autem est, quando eiusdem rationis sunt forma, super quam fundatur ratio potentiæ, & ad quam est.

Actiua totalis, & partialis.

Item, diuiditur actiua in totalem, & partialem. Quod intelligo sic: effectus naturalis, vel artificialis communiter producitur à pluribus causis efficientibus ordinatis: omnia illa respectu effectus sunt vnum efficiens totale: quodlibet verò, non loquendo de Deo, est efficiens partiale. Et illorum partialium quoddam dicitur principale; quoddam instrumentale; & quoddam primum; quoddam secundum. An autem idem sit causa secunda, & instrumentum, & de multis aliis dictas diuisiones tangentibus, dictum est in conclusionibus de causis. hîc transeo.

Causarum ergo ordinatarum in quacunque vna actiua, est potentia actiua propria ad eundem effectum, & hæc partialis in suo ordine, non loquendo de Deo: omnes illæ potentiæ simul sumptæ, vt scilicet connexæ, & concurrentes ad effectum, sunt vna potentia actiua totalis; vna inquam vnitate ordinis, non realiter vnitate speciei, vel numero; imò semper differunt specie: sicut dictum est in 2. quæstione de statu, in causis efficientibus.

ANOTAT. MAVRITII.

5

Sequitur quæstio vndecima cuius sententia clara est ex dictis, recollecta ad quæ se remittit. Vbi aduerte ad ea quæ tangit in solutione 2. principalis de mutatione, quære *in 1. distinct. 5. quæstione 2. in solutione 2. principali: & in 2. distinct. 1. quæstione 4. ad finem, & distinct. 17. & in 3. distinct. 2. quæst. 3. & distinct. 7. quæst. 2. & in 4. distinct. 1. quæst. 1. & distinct. 10. quæst. 1. & dist. 11. quæst. 1. & distinct. 43. quæst. 2. & 5.* pro & contra: sed defende quod hîc dicit: quia sic intendit.

Deinde ibi: *Ex dictis patet diuisio potentiæ actiuæ*, &c. Recolligit dicta hactenus suo modo de potentiarum multiplici diuisione. Vbi aduerte primò ad verba sua de subiecto & propria passione: & moderabere vt nosti. Secundò infrà: ibi: *dictum est in conclusionibus de causis*, &c. considera vbi sunt illæ conclusiones: sed videntur omnino esse in Theorematibus: vbi hoc egregiè habet: licèt 1. *quæstione prima distinct.* 4. tangat idem, *& q.5. atque 6. distinct. eiusdem*, *artic.3. quæstione* 1. suprà etiam *lib.* 2. *quæstione* 4. sed quære tabulas in Physicis si volueris. Hinc ergo potest colligi veritas illius, quod suprà sub dubio tetigi *lib. 5. quæstione* 11. quòd videlicet priùs Theoremata scripsit, quàm Metaphysicam: quod verisimile videtur ex multis, licèt alia pars habeat apparentiam, de quo ibi fortè aliqua tangam.

):(

QVÆSTIO XII.

Vtrùm potentia passiua diuidatur in naturalem, & obedientialem?

D. Thom. 4. *dist* 8. *quæst*. 2. *art* 3. *& quæst*. 29. *de verit. artic*. 3. *ad tertium*, Franc. Mayron. *quæst*. 3. *Prologi* Alens. 4. *p. quæst*. 36. *membr*. 5. Caiet. 1. *part. quæst*. 1. *art*. 1. *& quæst*. 12. *art*. 1. Capriol. *in* 1. *dist*. 42. *quæst*. 1. *art*. 3. Ferr. 1. *Cont. Gent. cap*. 102. Fons. 9. Met. *cap*. 1. *quæst*. 4. *sect*. 1. *& seq*. Suar. *disp*. 43. *Met. sect* 4. Hurt. *disp*. 9. *Phys. sect*. 14. *subsect*. 1. *& seq*.

1 ET arguitur quòd non: quia omnis potentia naturalis, est obedientialis, & èconuerso. Probatio, quia potentia naturalis est in susceptiuo ad omnem formam, quæ potest ipsum perficere: sed non est in potentia ad recipiendum aliam aliquam, aliàs enim etiam materia ignis esset in potentia ad recipiendum immediatè intellectionem aliquam, vel volitionem, vel formam Angeli, dato quòd Angelus sit immaterialis: vel lapis esset in potentia obedientiali, vt manens lapis esset sapiens: quod videtur inconueniens. Per idem probatur, quòd omnis violenta est naturalis: quia passiuum non repugnat alicui formæ natæ perficere ipsum, & nullam aliam potest recipere à violentante, si esset violentans.

T. com. 12. Contrà, ex 9. huius cap. 6. colligitur, quòd non quodlibet est in potentia quodlibet: sicut nec terra homo, sed semen, hoc autem est falsum de obedientiali, quâ immediatè ex terra, fit homo. Item, pro alia diuisione: quia violentum per se, sicut & naturale sumitur ex parte passi; sicut enim dictum est in 7. in qu. de rationibus seminalibus, si non esset potentia omnino ad aliquid, non posset violentari; ergo est aliqua potentia, & tamen ad formam violenter inducendam, & illa potest dici potentia violenta: patet etiam quòd aliqua est naturalis; ergo &c. *Quæst*. 11.

SCHOLIVM. I.

MATERIÆ *prima potentiam esse semper naturalem tam quoad materiatum, quam quoad formam; sed materia secunda, est quandoque violenta, vel neutra. De hoc vide Doct. q*. 1. *prolog. num*. 20. *& aliis locis à Mauritio hîc citatis*.

2 Ad quæstionem dicendum, quòd secundùm dicta suprà sæpè, in materia est triplex respectus, scilicet ad materiatum, ad formam, ad agens inquantum actuans ipsam: tam prima quàm secunda, vel absolutè consideratur, vel comparando materiam inquantum existens sub vna forma, transmutabilis est immediatè ad aliam. Primo modo considerando vtramque potentiam illam, dico quòd nulla est in materia prima nisi naturalis: quia naturalem inclinationem habet ex se, vt sit cuiuscunque compositi pars, & quacumque forma perficiatur, cuius potest esse pars, & quâ potest perfici: nec potest contra, nec supra suam inclinationem in aliquo composito esse, vel sub aliqua forma, quæ eius est quomodocunque perfectiua: ad impossibile autem nullam habet potentiam. Vtraque prædicta in aliquo subiecto ente in actu, potest esse violenta, & non naturalis, sicut in aqua manente aqua ad calorem, & in graui manente graue ad ferri sursum: quia tale subiectum propter actum, quem habet, determinatè inclinatur ex se ad oppositum talis formæ: & ita contra naturam suam inest, si inest. Potest autē inesse ab agēte vincente actualitatem istam inclinantem ad oppositum, sicut præsens ignis aquæ vincit actualitatem eius, quâ inclinatur ad frigiditatem. Sed vniuersaliter, prædicta neutra potentia videtur esse obedientialis, nisi illa obedientialis sit, vel naturalis, vel violenta: quia omnis forma etiam à Deo impressibilis cuicumque passo, vel videtur esse secundùm inclinationem passi, vel contra; maximè si ex ipso, quòd non est contra inclinationem passi, sit secundùm eam; si passum quodlibet inclinetur ad omnem actum perfectum eius, cui non repugnat. Quòd si ponatur aliqua forma perfectiua alicuius subiecti, quod ad ipsam neutro modo se habet scilicet quod nec inclinatur ad ipsam, nec ad eius oppositum; tunc potest respectu talis, potentia nuda dici obedientialis, licèt non propriè dicatur obedientialis, vt iam dicetur: nam & talis forma, si qua esset, posset fortè ab agente naturali induci, multò magis quàm forma, ad quam est potentia violenta, quia susceptiuum est magis capax. Sic ergo patet ex dictis quomodo potentia materiæ ad compositum, & formam absolutè sumpta, & cum materia diuiditur propriè in naturalem, & violentam, & fortè in nudam, siue neutram: sed non propriè in obedientialem, vt dicetur.

In materia est triplex respectus.

Omnis potētia materia prima est naturalis,

Quid potētia violenta?

Potētia neutra an obedientialis?

SCHOLIVM II.

EXPLICAT *optimè potentiam in ordine ad formam esse naturalem, violentam, vel neutram, licèt de hac dubitet: sed in ordine ad agens illimitatum, dici obedientialem, quia ab eo potest accipere indeterminatè formam hanc, vel illam, & hoc, vel illo modo, & post hanc, vel illam, sed ista ab agente limitato fieri nequeunt. Si autem accipit formam contra suam inclinationem, erit violenta, si sibi conuenientem, erit ei naturalis. Ita Doctor, q*. 1. *prol. à num*. 20. *& aliàs*.

3 Nunc restat videre de vtraque prædicta, comparando materiam, vt transmutabilis est à forma in formam. Et de hoc videtur dicendum, quòd cùm formæ naturales habeant ordinem necessariò in succedendo sibi inuicem in materia, secundùm quòd manifestum est ad sensum, & aliqui accipiunt ab Aristotele 8. huius cap. 4. de vino & aceto, &c. cuius tamen *propter quid* difficile esset assignare: oportet dicere, quòd materia vt sub vna forma, non est nata transmutari immediatè ad quamcunque: sed ad determinatam. *Text. c*. 14.

Sed quia ordo ille non est necessarius, nisi inquantùm materia transmutatur ab agente naturali, cuius virtuti non subiicitur ille ordo; ideò hîc habet locum potentia obedientialis, secundùm quam materia cuiuscunque formæ capax est immediatè, post quamcunque, per transmutationem ab agente, cuius virtuti subest dictus ordo. Non tamen est hæc potentia materiæ ad formam, vel compositum propriè obedientialis: sed ad agens à quo fic recipit formam. *Obedientia* enim propriè significat subiectionem respectu agentis potentis de obediente facere quod vult. Vt sic breuiter dicatur

Potētia obedientialis est immediatè ad quamlibet formam, ab agente infinito accipiendam.

catur ad quæstionem, quòd comparando materiam quamcunque, hoc est, siue substantialem, siue subiectum accidentis ad materiatum, vel formam;non est in materia potentia obedientialis propriè, sed naturalis, vel violenta, vel fortè neutra iuxta quod expositum est.

4 *Potentia in ordine ad formã est naturalis, violenta, vel neutra in ordine ad agẽs, naturalis, vel obedientialis.*

Comparando autem agens, à quo est actuabilis; potest habere triplicem potentiam prædictam, inquantùm ab agente recipit formam, ad quam secundùm triplicem modum prædictum se potest habere. Sed non habendo aspectum ad formam, sed præcisè ad efficiens, non est nisi duplex potentia in materia: quia vel limitatè subditur agenti, quantùm scilicet primò ad formas determinatas, & secundò quantùm ad modum determinatum recipiendi illas ab ipso, puta per modum talem, vel talem. Et tertiò quantùm ad ordinem determinatum recipiendi hanc post illam: vel illimitatè subditur, scilicet quantùm ad receptionem cuiuscunque perfectibilis inesse, & quocunque modo, & quocunque ordine. Prima potentia dicitur naturalis: quia natura est determinata ad aliquod, vel ad aliqua. Secunda dicitur obedientialis, quia illa est quâ materia subiicitur agenti tali, & perfectè. Itaque accipiendo quamcunque vnam rationem potentiæ in materia, nulla diuiditur per naturalem, violentam, & obedientialem; sed vna per naturalem, violentam, & neutram fortè:alia per naturalem & obedientialem. Et in illa diuisione secunda, in vtroque membro fortè potest incidere violenta. De primo membro si mouetur contra inclinationem suam naturalem, vel naturalis de primo membro, vel neutra, si qua est.

5 *Potentia naturalis, & obedientialis quomodo differunt?*

Per illud patet ad argumenta facta contra diuisionem istam. Cùm enim primò arguitur, quòd naturalis est: obedientialis, & èconuerso: vtrumque falsum est: licèt enim quandocunque est naturalis potentia ad formam, materia ad recipiendum illam sit in potentia obedientiali; non tamen illa naturaliter est obedientialis quia naturalis est ad formam, obedientialis est ad agens vniuersale, à quo potest materia illam formam recipere: est etiam in potentia naturali fortè ad agens naturale, à quo potest recipere eandem. Sed adhuc illa naturalis ad agens, & obedientialis sunt aliæ sicut sunt ad alia agentia. Cùm arguitur de violenta, quòd omnis violenta est naturalis, patet quòd non, in subiectis, vbi est aliqua violenta: in materia prima nulla est violenta; sicut dictum est in prima parte solutionis. Cùm arguitur in contrarium, illud benè procedit de naturalitate in materia respectu formæ,non absolutè; quia si immediatè post formam terræ perficeret materiam formam vini,ita naturaliter perficeret, sicut quando perficit mediatè:sed intelligitur respectu formæ, vt acquisitæ post aliam per transmutationem. Vel aliter potest dici fortè meliùs, quòd ibi non est differentia, comparando materiam ad formam, sed tantùm comparando materiam ad agens. Sicut enim est in potentia naturali, vt post formam seminis recipiat formam hominis; quia respectu agentis naturalis est sic in potentia: & hoc modo non est in potentia, vt post formam terræ immediatè recipiat formam hominis, & hoc tactum fuit in secundo membro distinctionis, scilicet quòd potentia materiæ ad formam, comparata ad transmutationem de vna in aliam, non dicitur obedientialis ad formam, sed ad agens. Quod expressiùs potest dici, quòd simpliciter nulla obedientialis est per se, nisi respectu agentis: non autem respectu formæ, nisi per accidens, inquantùm per agens illa potest induci: semper enim agens formam aliam inducit. Ideò potentia materiæ ad agens, aliquo modo respicit formam.

ANNOT. MAVRITII

Sequitur quæstio duodecima, quæ in originalibus mouetur simul cum 13. de diuisione alia potentiæ speciali,qua vtuntur maximè Theologi, & posset fundari super illa litera,quæ allegatur ad oppositum: omisimus tamen literam assignare hîc, vt suprà dixi.

Sententia Doctoris satis clara est, & quantæ vtilitatis, & subtilitatis narrent hi qui sentiunt; pro cuius maiori confirmatione, vide eum *in primo.quæst.1.prolog.& in 2.dist.18. & in 3.dist. 1.quæst.1. & in 4. dist.10. quæst.8. & distinct. 43. quæst. 4. & in quodlib. quæstione* 19. Francisc. etiam de Mayron. *quæstione 3.prolog.* inchoantis: *Ab Oriente porta tres*, &c. & alios quamplures inquire ad hæc, nullibi ferè clariùs, & elegantiùs quàm hîc: æstimo enim quòd in hoc nono totum conatum fecerit.

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm potentia passiua diuidatur in de qua *siue* ex qua, *&* in qua?

Flandria 5. *Met. q 4. art.2. §. considerandum est* 5. Suar. *disp.*13. *Met.*1.

1 ET arguitur quòd non: quia omnis *de qua* est *in qua*, vt patet, & èconuerso. Probatio, quia si aliqua *in qua*, sit *de qua*, & alia non, oportet ponere materiam aliquo modo esse principium respectu formæ huius, & illius;ergo respectu alicuiùs formæ haberet aliam habitudinem, quàm receptiui; sed vltra hoc non videtur aliquid posse poni,nisi materia; vel etiam aliquid in ipsa ponitur pars formæ, quod est improbatum in septimo, in quæstione de rationibus seminalibus. (Quæst.12.)

Ad oppositum: cùm omnis materia recipiat formam suam, sequeretur, quòd eodem modo se haberet materia aëris ad formam ignis,& corpus organicum ad animam intellectiuam: aër etiam ad lumen, & esset nihil dictu: quòd quædam formæ educuntur de potentia materiæ, siue passi; quædam non: & vanum esset quærere, quæ sint,& quæ non:quæ sunt contra dicta communia,& contra Philosophum, secundùm quem, vt videtur,intellectus est ab extrà.

SCHOLIVM.

EXPLICAT *benè potentiam in ordine ad compositum,dicere respectũ* ex qua, *& in ordine ad actum*, in qua; *& in ordine ad agens*, in quam; *nec opus est ponere plures potentiæ respectus. Ponit diuisiones varias* potentiæ *sumpta pro principio,de quibus in precedentibus actum est. Nota in fine,quod tangit de immaterialitate Angelorum,* dc

de qua nihil resoluit, sed indicat dubiam esse: quæstione 15. de An. tenet vt probabile eos habere materiam, pro qua sententia multos ibi adduxi, & argumentis in contrarium, etsi satis difficilibus, respondere sategi.

2 *2. de generat. anim. c. 3.* *Triplex respectus potentia, ex qua, in qua, in quã.*

Quantùm ad illam diuisionem, de qua quæritur, scilicet *de qua*, & *in qua*, dicendum: quòd in quocunque principio passiuo, hoc est, siue materia, siue subiecto, ille respectus, quem habet tale principium ad compositum ex ipso & actu, est tanquam ex quo tale compositum est, vel potest esse: & ita ille respectus potest dici esse potentiæ *de qua*: Ille autem respectus, quem habet tale principium ad actum, cum quo constituit compositum, est respectus potentiæ *in qua*: quia materia nihil est ipsius actus, qui primo in ea est, quia tunc non esset primò in ea, sed tantùm par partem; sed tantùm est materia proprium receptiuum formæ, & ideò *in qua*, non *ex qua*. Respectus autem tertius materiæ, scilicet ad agens potest dici ratio potentiæ *in quam*: secundùm quòd ille Auctor 6. Principiorum, vult quòd agens requirit aliquid in quod agat. Et hoc in quod est, non est illud quod agens agit: siue vt productum, cuiusmodi est compositum, siue vt quo producitur, cuiusmodi est forma. Isto modo dicta distinctio *ex quo*, & *in quo*, & *in quod*, est distinctio triplicis respectus passiui ad tria, ad quæ comparatur, & est inconueniens distinctio. Sed ad vnumquodque illorum comparando materiam, dicta distinctio non habet locum; quia quilibet respectus præcisè ad suum terminum, ita quòd non possunt concurrere respectu eiusdem termini; sicut faciliter patere potest consideranti rationes eorum. Quomodo enim idem respectu eiusdem passiui, est actiuum, & forma? vel secundò, actiuum, & compositum, cuius illud passiuum est pars? vel tertiò, compositum ex illo, & forma illius? vbique videtur contradictio. Addunt autem aliqui potentiam *de qua*, qualem ponunt in luminoso respectu luminis, negando ipsum educi de potentia medij; & illam potentiam dicunt esse in causa originante virtualiter, & per hoc effectum originatum non esse de nihilo: sed sicut propagans est quoddam originans, ita originans est quoddam efficiens: vel oportebit dare quinque genera causarum. Patet enim quòd sub alio nullo genere continetur, quàm sub efficiente. Itaque si hîc est dicendum, effectum esse de tali; vel *de* sumatur pro quodam *ab*; vel quod verius, de tota substantia sua, vt in diuinis; vel de parte, vt in animatis tanquam de materia, vel quasi materia originans originat: & tunc originatum primò est de illo, quod est sibi materia, vel quasi materia: quod fuit aliquid generantis in creaturis, & est aliquid generatum in Deo: & ideò per se, & primò dicitur originatum de originante ratione illius, quod est, vel fuit aliquod originatum: sicut homo sanatur, quia torax. Hoc modo potentia materiæ *de qua* est materiæ, vel quasi materiæ: nec facit aliud membrum à prædictis duobus, scilicet *ex qua*, & *in qua*. Itaque illa est tantùm trimembris diuisio, non capiens *de qua* quasi quartum membrum, præter *ex qua*, & *in qua*, & *in quam*: intelligendo illa tria membra, sicut suprà expositum est.

Distinctio, in quo, ex quo, & in quod est triplicis respectus passiui.

An lumen educatur de potentia luminosi?

3

Ex dictis apparere potest diuisio completa potentiæ. Exclusa autem potentia metaphoricè, & Logicè, sumpta, & excluso possibili, vt conuertitur cum ente: cuius ratio videtur satis propinqua rationi *possibilis* Logicè sumpti: loquendo de *potentia* propriè sumpta, videtur, quòd ipsum nomen *potentia* videatur importare ordinem, & hoc prioris ad posterius: quia ad prius, inquantum huiusmodi nunquam est potentia: illa etiam quæ simul sunt, inquantum simul, non habent ordinem: priùs autem in communi diuiditur in prius natura, & tempore. Iuxta hoc videtur prima diuisio potentiæ, scilicet vt dicit rationem principij, & vt opponitur actui, vel necessariò: principium enim prius est principiato, & specialiter duo principia, quibus appropriatur nomen *potentia* secundùm dicta in solutione tertiæ quæstionis: potentia autem opposita actui prior eo, tempore: & potentia opposita necessario, aliquo modo intelligitur, vt prior: licèt istum modum non oporteat hîc exponere. Potentia principium diuiditur in actiuum, & passiuum. Diuisio actiui dicta est antè quæstione 12. Et diuisio passiui in quæst. 12. & 13. Diuisio autem vtriusque tacta est quantùm ad aliquid in solutione tertiæ quæstionis. Potentia etiam opposita necessitati, posset diuidi secundùm multos gradus recedendi à necessitate: alius enim est in successiuis; alius in permanentibus per motum inducibilibus, & habentibus propria corruptiua: alius in permanentibus sola mutatione producibilibus, nec per se corruptibilibus, nisi propter accidentia sua habentia corruptiua naturalia propria: alius in non habentibus, corruptiua naturalia, habentibus tamen materiam, & formam. Quintus, & vltimus in Angelis secundùm negantes ibi materiam. Potentia opposita actui diuiditur sicut terminatum est in solutione duarum primarum quæstionum.

Prima diuisio potentia in actiuum & passiuum.

Diuisio potentia, vt opponitur necessario, in quinque membra.

ANNOTAT. MAVRITII.

Sequitur quæstio decimatertia, in qua alia diuisio potentiæ notabiliter pertractatur, vbi sententia Doctoris clara, & solemnis est. Tangit modum dicendi aliquorum quem breuiter excludit. Quære antiquos hîc, & alibi, vt scis. Addit in fine per modum epilogi in tota hac materia summariè diuisiones potentiæ. Tota litera hactenus satis gloriosè correcta & sincera videtur.

Quod hîc & quæstione præeunte tangit de materialitate Angelorum, notabis plura addendo ex 2. & lib. de Anima, & aliis pluribus sententiis aliorum antiquorum, & modernorum.

Similiter, quod ibi tangit de originatione in diuinis de tota substãtia originantis pertractabis, vt habet in primo, *dist.* 5. q. 2. & alibi. Adde aliqua subtilia hîc ex Caietano, & Paulo Veneto, ex clypeo Thomistarum, & capite, si iocari licet.

Quapropter inquantum simul natum est, nihil patitur ipsum à seipso: vnum enim, & non aliud est. *Text. com.* 2.

QVÆSTIO XIV.

An aliquid posit moueri à seipso?

Arist. 7. *Phys. in principio*, & 8. *Phys. cap.* 4. Auerr. 3. *de cælo Comment.* 28. D. Thom. *in* 3. *dist* 22. & 3. *Cont.*

cap 23. Greg. *in 2 dist. 6. q. 1. art. 3.* Capriol. *in 1. dist. 3. q. 3.* Ægid. *quodlib. 3. q. 16. & quodlib. 5. quæst. 15.* Ferr. 1. *Cont. Gent. cap. 23.* Mayron. *in 2. dist 14. q. 6.* Anton. And. *hic q. 1.* Iandun. 8. *Physicor. q. 12.* Abulens. *Matthæi 22. q. 224.* Suar. *disput. 8. Met. sect. 7.* Fons. *hic cap. 1. q 5. sect. 1. & seq.* Vide Scot. *in 1. dist. 3 q. 7. & in 2. dist. 2. q. 10.*

1 *T. c. 2.*

QVia dicit Philosophus in litera cap. 1. istius noni, *Inquantum simul natum est, nihil patitur ipsum à seipso; vnum enim, & non aliud est.* Ideò potest quæri, an aliquid potest moueri à seipso? arguitur quòd non, ex litera Aristotelis iam allegata. Similiter ibidem, vt videtur, innuitur probatio sumpta ex definitione potentiæ: quia est principium transmutandi aliud. Item, arguitur per rationem, quæ innuitur in 2. de Anima: quia tunc semper tale ageret: si est agens naturale: quia actio illa non dependeret ab extrà, ex quo idem est agens, & passum: consequens patet esse falsum.

T. com. 50. & 52. & 59.

Contrà: naturalia habent in se principium motus, & status, *ex 2. Phys.* non passiuum tantùm: tum, quia forma verius natura, quàm materia; ergo verius participat definitionem naturę, ita quòd sit principium passiuum; tum, quia in secundo Physicor. dicitur sic; *Naturalia sunt quacunque à principio in seipsis mota*, &c. principium à quo, est efficiens.

T. com. 1. 2. Phys, Text. com. 12. Text. com. 1.

SCHOLIVM I.

SENTENTIA *negans aliquid moueri à seipso suadetur tribus rationib. in cõmuni: & deinde descendendo ad particularia, id probatur de sex, in quibus aliquid videretur posse agere in seipsum: vel moueri à seipso: quam sententia tenet Godfred. quodlib. 6. quæst. 7. & quodlib. 8. quæst. 2. qui hac ratione negat intellectum efficere intellectionem, de quo Doctor latè 1. d. 3. q. 7. num. 9. quod etiam tribuitur D. Thomæ, non sine fundamento, vt ostendo ex locis eius comment. ad q. 12. de Anima, quem refutat Doctor d. q. 7. num. 16.*

2 *Text. com. 2.*

Hìc dicitur vniuersaliter, quòd nihil mouet se, nisi fortè per partem: quia scilicet vna pars mouet aliam, & hæc non est pars essentialis aliqua: sed pars vna quantitatiua, aliam distinctam loco. Ad hoc ponuntur tres rationes. Prima accipitur ab Aristotele 7. Physicorum *A*, quòd nihil mouetur à se primò, quia tunc non quiesceret ad quietem alterius, quia ad quietem partis. Omne enim mobile habet partem, & illa quiescente, patet quòd totum non mouetur primò. Secunda ratio accipitur ex 3. Physicorum, vbi dicit Aristoteles *species aliqua semper existimabitur mouens: vt actu homo facit ex potentia hominem.* Hinc accipitur, quòd mouens mouet inquantùm est in actu, & mobile mouetur inquantùm est in potentia: vt patet ibidem ex definitione motus. Impossibile est autem idem simul esse in potentia, & in actu respectu eiusdem, & secundùm idem; ergo &c. Idem confirmatur: quia agens, & patiens sunt contraria, ex primo de Generatione, & secundo de Anima. Tertia accipitur ex 5. huius: quia secundùm Aristotelem ibidem in cap. de *Ad aliquid*, actiuum & passiuum, siue motiuum ad mobile realiter refertur penes secundum modum relatiuorum: relationes autem reales oppositæ non videntur posse fundari in fundamento vno limitato; hoc ènim attribuitur essentiæ diuinæ, quia illimitatata est, quòd possit esse fundamentum relationum oppositarum. quare &c.

Text. com. 17. Text. com. 3.

Text. com. 51. T. com. 54. & circiter. Text. c. 20.

Secundùm ista generalia dicitur in speciali secundum ordinem procedendo in entibus. Primò vniuersaliter; quod nihil est effectiuum sui accidentis, licèt sibi coæui, puta quòd subiectum respectu propriæ passionis non habet rationem causæ efficientis: sed tantùm materialis siue susceptiui. Secundò dicitur idem de accidente quocunque: quòd quandoque inest, quandoque non, & hoc siue illud inducatur per motum; puta vbi, vel quantitas, vel qualitas: siue inducatur per mutationem tantùm, vt actus appetitiui, & cognitiui.

3

De istis ergo accidentibus. Primò de *vbi*, non videtur quòd aliquid moueat se ad *vbi* in corporibus, nisi grauia & leuia, & animalia progressiua. De vtrisque negatur idem mouere se. De primis ergo dicitur, quòd graue & leue non mouent se, secundùm Aristotelem, determinatiuè in 8. Physicorum de ipsis dicentem: *Nihil horum habet principium faciendi: sed patiendi tantum:* quod videtur probare quatuor rationibus, quæ patent ibi. Secundò dicitur idem de animalibus: quòd animalia non mouent se motu progressiuo, nisi quia vna pars mouet aliam: sicut videtur determinari in 8. Physicorum de mouente se: & modus motionis huius magis determinatur in lib. de Motu animalium. Tertiò dicitur de motu ad quantitatem: quod animata anima vegetatiua non mouent se in nutritione, vel augmentatione, sed mouent alimentum, quod conuertunnt in se. Quartò dicitur de motu ad qualitatem, quòd nec aqua calida à se effectiuè fit frigida: nec semen animati seipsum alterat: sed semen maris distinctum loco, & subiecto à semine ministrato à matre, & vnum agit in alterum, sicut artifex in lignum, de quo facit scamnum: sicut videtur Aristoteles velle in de animalibus, lib. 16. Vbi autem non sunt duo semina maris & fœminæ, vt in plantis, assignant duas partes in eodem semine distinctas loco, quarum vna agit in aliam. Quintò dicitur, quòd nulla potentia cognitiua est principium actiuum. cognitionis, sed tantùm passiuum; & obiectum actiuum. Et hoc confirmatur per Aristotelem 2. de Anima, vbi vult quòd sensus est passiuus: non actiuus. Et 3. de Anima, vbi idem vult de intellectu. Confirmatur etiam de vtroque: quia cognitio fit per assimilationem cognoscentis ad cognitum; ergo agens ibi est illud cui assimilatio fit: quia agens assimilat sibi passum, primo de Generatione. Confirmatur tertiò de cognitiua, & appetitiua simul: quia *cognoscere* & *appetere* respectu ipsarum potentiarum, videntur esse accidentia communia, quæ adsunt & absunt &c. ad talia autem accidentia non videtur subiectum ex se determinatum, & ita videtur non esse causa sufficiens illorum. Sextò, dicitur idem de appetitu. Quod confirmatur per Aristotelem 3. de Anima: mouens immobile bonum actuale: mouens autem, & quod mouetur appetitiuum. Similiter confirmatur per Commentatorem 12. Metaphysicæ. commento 36. de balneo, quære ibi. Ad singula prædictorum adducunt diuersa: sed & vniuersaliter de aliis quibuscunque conclusio principalis tenetur.

Text. com. 32.

1. de Gener. animalium. cap. 19.

Text. com. 51. T. com. 2 & inde.

T. com 51. & inde. T. com. 51. & circiter.

T. com. 54.

SCHOLIVM II.

PROBAT *efficaci argumento à proportione actiui ad passiuum, posse aliquid agere in se, neque requiri approximationem ad agendum, quando adest præsentia maior, alioquin ignis inexistens aquæ, non calefaceret eam. Explicat benè, tunc tantùm agens in se agere posse, quando natum est terminare actionem forma æquiuoca iam habita: vnde actione vniuoca nihil agit in seipsum, de quo Doctor 1. dist. 3. quæst. 7. num. 27. & 2. d. 2. q. 10. ad primum, & dist. 3. quæst. 8. ad quartum, & d. 25. ad primum.*

4 *Actiuum in communi respicit passiuũ in communi.*

Hîc sic est procedendum: sicut illa positio tenet vniuersalem negatiuam, & ex hoc concedit quæcunque videntur sequi; ita primò ostendendum est generaliter, quòd aliquid potest agere in se quod est contradictorium illius vniuersalis; & deinde in speciali, in quibus particularis illa habeat veritatem. Primum probatur; actiuum quodcunque pro primo obiecto respicit passiuum tale, non hoc passiuum; verbi gratia, tam calefactiuum in communi, quàm quodcunque calefactiuum pro primo obiecto respicit calefactibile in communi, non hoc vel illud; similiter ècontrario, passiuum vt calefactibile, & hoc siue in communi, siue quodcunque calefactibile respicit pro primo obiecto calefactiuũ, nõ hoc, & illud, sed in communi. Ex his sequitur, quòd quodlibet contentũ sub primo obiecto alicuius, sit per se obiectum eiusdem; quodcunque calefactiuum respicit quodcunque calefactibile pro per se obiecto, & èconuerso, quodcunque calefactibile, quodcunque calefactiuum: sed possibile est, quòd aliquid sit actiuum secundum *A*, eodem modo, quo aliquid aliud est actiuum secundum *A*, idem etiam sit passiuum secundùm *A*, sicut quodcunque aliud passiuum est secundùm *A*, ergo illud in ratione actiui, ita habet seipsum pro obiecto in ratione passiui, sicut quodcunque aliud; ergo ita potest in se agere, sicut in aliud. Maior autem satis est manifesta ex prima relatione inter communia: sed minor negaretur, vel etiam ipsâ concessâ, negaretur vltima consequentia: quia agens debet esse approximatum passo, & ita distinctum situ; sic non potest idem se habere ad se.

Idem posse agere in se.

Contra primum; minor probatur, multi sunt effectus nati produci ab actiuo æquiuoco, & non vniuoco, patet de leuitate in igne generato; illam formam æquiuocam oportet ponere, aut formam substantiæ; aut aliam aliquam qualitatem; ergo habens illam actiuam per se est leuificatiuum, vt ita loquar: potest autem ista forma esse in aliquo leuificabili. Patet in exemplo prædicto: quæcunque enim forma in generante poneretur actiua respectu leuitatis, eadem est in igne genito, & prior est naturaliter ipsa leuitate. Patet, quia est principium eius actiuum: ergo non est contradictio, quod ipsa insit generato, leuificante non inexistente: & patet quòd potest inesse illi: quare idem sine contradictione potest esse leuificatiuum, & leuificabile.

5 *Ad agendum non requiritur distinctio situs.*

Contra secundum; probatur illa consequentia vltima: nam approximatio hæc non videtur necessaria ad agendum; vt includit distinctionem situs, nisi quando maior præsentia non est possibilis inter actiuum, & passiuum: si enim hæc præsentia sufficit, multò magis maior præsentia sufficeret. Quod probatur dupliciter; primò ducendo ad inconueniens, alioquin si poneretur ignis inexistens aquæ, sicut Angelus ponitur simul cum cœlo, non calefaceret aquam, nec Angelus moueret cœlum. Secundò probatur idem ex causa, quia non oportet agens esse præsens patienti: nisi quia virtus agentis non potest attingere improportionaliter distans, vt ibi aliquid efficiat. Quòd si passum secum esset, nónne perfectius attingeretur à virtute agentis? hoc ergo supposito arguitur vltrà; cùm idem veriùs est sibi pręsens, si est actiuum & passiuum secundùm idẽ; quàm aliud posset esse sibi præsens: ita verissimè saluatur illa conditio propter quam appropinquatio requiritur, quando maior præsentia esse non potest: ergo verissimè est actio.

Approximatio nõ requiritur ad agẽdum si adest præsẽtia maior.

Confirmatur tota illa ratio: & quantùm ad probationem minoris, & consequentiæ vltimæ. Si *A*, per se sit forma actiua respectu *B*, & *A* sit in *C*, nullus negat quin est actiua respectu *B*, fiendi in *D*, & èconuerso si *A* esset in *D*, esset principium actiuum respectu *B* in *C*: ergo si *A*, est in *C*, & in *D*, & tam *C* quam *D*, sint in potentia ad *B*, & *C* & *D*, agent in se mutuò secundùm *A*, producendo in se mutuò *B*. Sed tantùm videtur inconueniens idem respectu eiusdem, secundùm idem esse actiuum & passiuum, sicut idem respectu sui: quia in aliis est simile, quòd sicut nihil est causa sui, ita nec circulus est possibilis in causis, vt idem respectu eiusdem sit causa, & causatum; ergo si primum possibile sit, & secundùm etiam. Ex istis descendendo in generali patet, quòd dicta ratio non probat idem posse in se agere, nisi actione æquiuoca: & hoc quando est capax formæ, quæ nata est terminare actionem æquiuocam formæ actiuæ iam habitæ. Et ita tenendum est regulariter, quòd solùm, & vniuersaliter tunc potest aliquid in se agere, quando duo ista concurrunt, scilicet quod habet formam, quæ est principium agendi æquiuocè, & quando cum hoc, est capax termini talis actionis.

Idem non potest esse causa, & causatum.

Idem non potest in se agere, nisi actione æquiuoca. Quando aliquid in se agit.

SCHOLIVM III.

6

INFERT *primò ex sententia sua iam probata, & explicata, quòd nihil agit in se formam substantialem. Ratio est clara. Secundò, quòd nihil agit in se actione vniuoca. An verò ratio, quam ad hoc adducit, scilicet quòd tunc plura eiusdem speciei essent in eodem, valeat, vide supra l. 5. q. 7. Tertiò, infert omnem augmentationem esse ab agente æquiuoco, quia quantitas non est actiua, & eadem ratione motus ad* vbi, *est ab æquiuoco. Quartò, quod qualitates omnes possunt esse ab æquiuoco, etsi non semper ita sint. Quintò, quantitatem, qualitatem, &* vbi *posse fieri à substantia in se, quando habet formam, quæ est principium actionis æquiuocæ, & est capax termini illius formæ; si autem causat aliquid coæuum sibi, erit sine mutatione; si non coæuum, cum mutatione, & circa mutationem multa valde philosophicè tractat, de quo vide eum 2. d. 1. q. 4. ad 5. & 4. d. 11. q. 1. art. 3. Quod probat subiectum efficere suam passionem, vel loquitur in sententia cõmuni aliorum, nõ in propria, quæ tenet non distingui propriam passionem à subiecto, de quo supra l. 1. q. 1. n. 9. vel non de* passione *strictè sumpta, sed de accidente realiter inseparabili, & hoc indicat, ponens exemplum de quantitate respectu substantiæ corporeæ.*

Descenden

7 *Nihil agit in se formã substantialem.*

Descendendo igitur in speciali, ex hoc patet primò, quòd nihil agit in se causando formam substantialem: quia nulla de nouo potest aduenire, vt faciat compositum vnum per se, quin illa sit perfectior quacunque entitate præcedente ipsam: imperfectius autem non est principium actiuum respectu perfectioris. Patet secũdò, quòd quacunque actione vniuoca nihil in se aliquid agit: quia tunc ratio agendi, & terminus actionis essent eiusdem speciei, & differrent numero: patet, quia nihil est principium agendi, ergo & duo indiuidua eiusdem speciei possent simul esse in eodem subiecto, quod negatum est in 5. lib. in quæstione de hoc modo, & specialiter in accidentibus absolutis, patet quòd & illa, quæ est ratio agendi, esset absoluta, & illa quæ est terminus. Patet tertiò, quòd cùm omnis augmentatio sit ab agente æquiuoco, quia quantitas non est forma actiua ex 6. quæstione suprà: omnis etiam motus ad *vbi* est à mouente æquiuoco, propter idem: quia scilicet nullum *vbi* est forma actiua. Multæ etiam alterationes sunt ab æquiuoco, vt vniuersaliter illæ, quæ sunt ad qualitates non actiuas, strictè loquendo de *actiuis*: vt loquitur Aristoteles 2. de Generatione: sicut dictum est suprà, *quæstione 6. ad primum argumentum.* Omnis etiam qualitas potest esse ab agente æquiuoco, licèt aliqua possit esse ab vniuoco. Sequitur quòd in genere non repugnat alicui substantiæ causare in se qualitatem, quantitatem, & *vbi*: concurrentibus autem duabus conditionibus suprà dictis causabit; & hoc vel coæuum sibi, & ita sine mutatione; vel nõ coæuum sibi, & ita per motum, vel mutationem. De coæuo patet in subiecto, & propria passione.

Quæst. 7. *Augmẽtatio, & vbi ab agente æquiuoco.*

T. c. 8. *Omnis qualitas potest esse ab agente æquiuoco.*

8 *Text. com. 17. huius 9. Subiectũ an causat, in se passionem?*

Ad quod arguitur dupliciter. Primò, quia potentia receptiua differens ab actu, nunquam ex se necessitatur ad actum; est enim talis quælibet potentia contradictionis: subiectum necessariò determinatur ex se ad passionem; alioquin inhærentia passionis propter quid, siue per principia subiecti, non demonstraretur, quia demonstratio est necessarij. Secundò, quia argumentum priùs factum in vniuersali hîc habet euidentiam. Si enim generans fingatur agens respectu passionis geniti, patet quòd non vniuocè per passionem in generante: maximè si illa passio non est forma actiua. Si etiam est actiua, videretur idem, quòd licèt illa qualitas in tempore præcedenti vltimam generationem, fuit principium alterandi subiectum, cùm illius alterationis in vltimo instanti subiectum, non manet, sed fit aliud: quomodo in illo alio habebit actionem instantaneam, sine motu alterationis facto in illo? Quicquid sit de hoc; arguitur, quando passio non est forma actiua, sicut de quantitate consequente substantiam corpoream genitam, si generans æquiuocè illam causat, quæro, per quid? per *A*: in genito est *A* eiusdem rationis cum *A*, in generante, & prior naturaliter ipsa quantitate: quia in generante poneretur prior natura quantitate in ipso: forma actiua prior naturaliter forma inducibili ab ipsa in receptiuo potest esse principium inducendi illam in illo; Prioritas enim temporis non requiritur; patet de luminoso, & lumine: nec distantia localis, vt suprà probatum est; ergo ita, vel magis genitum causabit in se talem passionem, quàm generans. Et ex hoc patet, quòd dictum est, coæuum causari sine mutatione: quia mutatio requirit terminos oppositos, & ita priuationem præcedere formam: priuatio non præcedit, nisi quando subiectum aptum præcedit formam: hoc non sic, & de hoc dictum est suprà, quæst. 11. responsione ad secundum argumentum.

Ad agendũ nõ requiritur prioritas temporis, nec distantia localis. Coæuũ causatur sine mutatione.

Contra hoc arguitur, quia mutatio stat cum termino *ad quem*: ergo non oportet quòd tempore præcedat priuatio. Item, in illo priori naturæ, quando principia agendi præcedunt terminum, intelligitur subiectum priuatum termino: alioquin iam terminus intelligeretur productus. Item, in primo instanti habet alium respectum ad agens, vt videtur, quàm in tempore consequente: quia in primo dicitur ab ipso induci in tempore illo: non ergo aliqua mutatio est in illo instanti, quæ non est in tempore habito: propter quam etiam dicitur forma tunc primò esse, siue incipere esse.

9

Ad illa respondeo, quòd in primo est fallacia Consequentis. Sequitur enim, mutatio est: ergo terminus, loquendo de indiuisibili, sicut hîc loquimur: non èconuerso, nisi accipiatur *terminus*, non solùm pro illo, quod natum est terminare mutationem, sed etiam pro actualiter terminante. Et quare non èconuerso est? quia forma quæ nata esset esse terminus, non est terminus, nisi præcesserit oppositus terminus: mutatio enim licèt essentialiorem habet habitudinem ad terminum *ad quem*, quàm *à quo*, tamen propriè sumpta sine neutro potest intelligi. Si dicas, mutatio non est aliquid realiter, nisi ipse terminus *ad quem*. Hoc tangit aliud: sed supposito hoc pro nunc, quantùm ad absolutam entitatem, & realitatem, quæ est in mutatione: includit tamen præter hæc respectum ad terminum *à quo*, vt postquam est immediatè, qui respectus non manet in tempore habito, in quo non est forma immediatè post priuationem. Et ideò nec mutatio manet post primum instans in ratione mutationis, licèt absoluta realitas maneat. Iste autem respectus non est in pasione coæua subiecto. Ad secundum, prioritas naturæ non ponit priuationem posterioris: sed tantùm quòd prius intelligatur sine intellectu posterioris, vt sit essentia perfectior in se: sed ex hoc non saluatur priuatio, & ita nec mutatio. Ad tertium, respectum ad agens habet forma alium in primo instanti, quàm in tempore habito: sed ille respectus non complet rationem mutationis: sed complet rationem factionis passiuæ. Vnde tunc dicitur fieri, & pòst non: & sic *primò esse*, & *incipere* comparantur præcisè ad negationis *esse* præcedentem, non autem ad priuationem, nisi quando subiectum aptum præcesit tempore formam. Et tunc concurrunt duo respectus in forma pro primo instanti, vnus ad agens: alius ad priuationem, in quo includitur ille, qui priùs dicebatur esse ad negationem: & ambo respectus non manent tempore habito: sed alter tantùm complet rationem mutationis. De his alibi.

Mutatio sine termino intelligi potest.

Quomodo mutatio differt à termino?

Prioritas naturæ non sufficit ad mutationem.

De mutatione, vide 2. d. 1. q. 4. ad 5. & 4. d. 11. q. 1. art. 3.

SCHOLIVM IV.

GRAVIA *& leuia à se moueri. Ad rationes Aristotelis 8. Physic. quæ videntur esse in contrarium; remittit se ad expositionem textus, & hîc patet eum priùs exposuisse textum Physicorum.*

Reiicit quatuor fugas, seu fictiones negantium grauia, & leuia à se moueri, de quo optimè, & fusè tractat 2. dist. 2, q. 10. §. Concedo ergo, *vbi ostendit se sentire cum Arist. Reiicit affirmantes motum progressiuum, & saltum fieri per pulsum, & tractum: & explicat Aristotelem* 8. *Physicor. asserentem in animalibus vnam partem mouere aliam, de quo optimè loco citato. Vide etiam* 4. *d.* 12. *q.* 4. *& de motu corporis non organico, quem potest anima facere, vide eum* 4. *d.* 10. *q.* 7. *& dist.* 49. *q.* 14. *Hic nota cùm remittat se ad* 3. *de An. videri priùs scripsisse de Anima, quod tamen dubium est, quia non constat, an scilicet se remittat ad sua scripta de Anima, quia ibi non agit de motu progressiuo, si non plura de Anima, qua non habentur, quæstionibus quas habemus, alibi scripserit.*

10 De accidente, quod aliquod subiectum in se causat, non coæuum sibi, nunc videndum est. Et primò in vniuersali dici posset, quòd causa naturalis, licèt ex se terminetur ad effectum: potest tamen impediri; impedimento autem amoto statim agit ad productionem effectus, sicut à principio egisset si non fuisset impedita. Et ita vbicunque saluantur duæ conditiones supradictæ, necessariæ alicui ad hoc, quòd agat in se, si ab extrinseco ponatur impedimentum à principio, postmodùm amoto impedimento, statim aget in se. Et ex isto generali descendendo ad specialia, iuxta processum prioris opinionis, potest dici primò, quòd quodcunque per se ens naturale, habet principium actiuum respectu *vbi* sibi conuenientis: quod *vbi* si non habet à principio sui *esse*, postea per illud principium mouet se ad illud *vbi*. Quomodo debeat autem responderi ad 4. rationes Aristotelis in 8. Physicorum de graui, & leui, & quomodo intendat ibi, quòd mouent se ad *vbi*, quia sunt in potentia accidentali, sicut sciens ad speculandum: quære in expositione illius cap. *Mouentium*, &c. & distinctum est suprà in 7. in quæstione de rationibus seminalibus, de principio actiuo, & passiuo motus in graui: & secundùm alterum est in potentia accidentali ad mouere; secundùm alterum autem est verum illud Aristotelis patiendi tantùm. Illud fugiendo finguntur viæ mirabiles, vnde graue mouetur. patet enim quòd mouetur non impeditum. Si dicatur, quòd à continuè influente in totum medium, quomodo eadem influentia existens in eadem parte medij graue deprimit, & leue eleuat? Si per rationem pleni, scilicet ne fiat vacuum, quia pellit aërem à se, & propter plenum, oportet quòd sequatur aërē pulsum, quomodo pellit, nisi priùs moueatur localiter. Et quæritur vnde: patet enim quòd quiescens localiter non pellit aërem contiguum. Similiter plenū posset saluari per aërē propinquū intrantem locum aëris pulsi, quare lapis intrat. Si tertiò dicatur, quòd centrum trahit graue, quis est ille tractus? nunquid per alterationem grauis; vel latio erit per actionem vniuocam; Similiter per impossibile totâ terrâ amotâ, idem centrum terræ est, quod prius, & ad id mouebitur gleba. Quid attrahet? nunquid Mathematicum *vbi*? Si dicatur quartò, quòd generans mouet, quomodo effectus in actu erit sine causa in actu? Dices: dedit virtutem. Verum est, generauit, & quando generauit, fuit: nunc non est, quomodo nunc mouet? si genitum ab ipso manens nunc mouet, & hoc est, quod quæritur. Itaque istis, quæ fictiones videntur, prætermissis, & sensui concordat, quod graue à se mouetur, & secundùm Aristotelem in 8. Physicorum, *Fatuum est quærere rationem, vbi habetur sensus*: & concordat rationi: quia nullus negat quin graue effectiuè mouet deorsum aliud corpus sibi alligatum, cuius leuitas non excedit grauitatem eius: & per consequens quomodo non priùs se mouebit ad illud *vbi*? nam priùs naturâ intelligitur moueri deorsum, quàm mouere deorsum aliud sibi alligatum: & mouet actione æquiuoca: & ipsum est capax termini illius actionis; ergo sic mouebit se. Quid etiam effectiuè frangit trabem, cuius minor est virtus in resistendo, quàm virtus grauis?

Omne ens naturale habere principium actiuū ad suum vbi.

Exposuit Physica.

T. c 27. & inde. q. 12.

Grauia & leuia moueri à se.

An centrum trahat graue?

Text. com. 22.

Fatuum est quærere rationem vbi habetur sensus.

Mouēs aliud mouet se.

11 Secundò dicitur, quòd animal mouet se progressiuo motu, non tantùm quia vna pars aliam: prima enim pars mouens localiter, mouetur localiter, & non videtur: quòd ab alio. De hoc quære in 3. de Anima. Obiicitur etiam de saltu, in quo totum animal mouet se, non pars partem, & ad hanc obiectionem quasi paruipendendo, respondetur, quòd motus ille componitur ex pulsu, & tractu; ita quòd posterior pars pellit anteriorem, quæ pulsa post se attrahit posteriorem, & illa attracta iterum pellit, & sic continuè fit tam in saltu, quàm in communi progressione. Hoc apparet ad sensum in verme repente; videtur quòd hoc non sufficiat in saltu, quia sicut determinat Aristoteles *in lib. de Motu animalium*: oportet omnem motum inniti alicui immobili, cuius immobilitas maior sit quàm mobilitas moti; sicut patet de existente in naue & pellente nauim innitendo terræ per remum: sicut fit quando nauta primò vult amouere nauem à loco, in quo quieuit diu in sicco; impingens autem in malum non moueret nauem: & sicut ibi vult de immobilitate terræ respectu mobilitatis cœli, quod est satis mirabile. In primo igitur pulsu pars posterior animalis, ex quo innititur terræ, quæ immobilior est parte anteriori animalis, potest illam anteriorem pellere: illa anterior pulsa ad certam distantiam possibilem maximè extensioni partium animalis, attrahet partem posteriorem, & eleuabit parum sic à terra: oportet si erit motus, quòd posterior tracta pellat anteriorem: sed impossibile est, quia ex quo iam separata est à terra, & in aëre est, non habet aliquod immobile, cui innitatur: aër enim non est immobilior parte anteriori animalis talis gressibilis, sicut se habet respectu volabilis, cui aër est quasi terra nobis: ergo post primum tractum & pulsum animalis, nullus potest sequi pulsus, aut tractus, & caderet animal sibi dimissum post 2. dicta; ita quòd nunquam est saltus possibilis per pulsum, & tractum: nec aliquis motus in sursum vltra locum primum, ad quem potest pertingere animal maximè extensum, stando in terra. Quicquid sit de argumento isto de motu animalis, an mouens per se existens, intrà, vel per accidens moueatur; sicut natura mouens nauem motu pulsus à terra, vel ab aqua in remigando mouetur per accidens motu vectionis in naue; saltem dictus motus saluandi saltum non videtur conueniens. Et exponi posset Aristoteles de illis duabus partibus, in quas potest diuidi animal mouens se, quòd vna non sit effectiuè mouens aliam præcisè, sed alia est aptior, vt moueatur: ideò priùs recipit motum, fortè à cognitiua, vel appetitiua, vel altera effectiuè mouente localiter mediante aliqua alteratione:

De progressu, & saltu.

Omne motū innititur immobili.

Saltum non fieri per pulsum, vel tractum.

Quando animal mouetur altera pars non quiescit, & exponitur Aristot. vide 2. d. 2. q. 10. T. c. 17. & inde.

& specialiter. Text.c.20.

teratione: quia species sunt quasi res secundùm Aristotelem. Et ita in 8. Physicor. nititur saluare, quòd motus animalis non sit aliquis simpliciter vnus, quia præcedit motus obiecti, vel continuitatis, vt videtur ibi dicere: non oportet igitur allegare ipsum, quasi vna pars corporis quiescens localiter, moueat aliam localiter, quod intendunt isti, vt videtur.

SCHOLIVM. V.

TERTIÒ *docet nutritionem, & augmentationem fieri ab ipso nutrito, & aucto, de quo latè agit 4.d.44.q.1. art.1. & tangit d.10.q.6. con.5. vide multa quæ circa hoc adduxi in supplem. de An. disp.2. sect.15. Quartò, alterationem fieri quandoque non ab altero, vt frigefactionem aquæ ab ipsa, & alterationem seminis ab ipso, de quo 2. d.* 18. *Quintò, ostendit potentiam cognitiuam agere in se cognitionem, de quo fusè 1. d.3. quæst. 7. n.20. & 2.d.3. quæst.8. & dist.25. & de An. quæst. 13. & ibi in supplement. disp. 2. sect.4. Sextò, quòd voluntas est actiua suorum actuum, alioquin non esset libera, de quo 2. dist.25.*

12 *Text.c.38.& circiter.*

Tertiò de nutritione, quicquid sit: quia nutritio est quædam generatio, vt habet determinari in primo de Generatione: & dictum est priùs, quòd nihil per generationem in se causat formam substantialem: tamen de augmentatione non videtur bona euasio: quia nutrimentum non augetur, sed corrumpitur: animatum quod præfuit augetur. Quid præfuit quod causat quantitatem istam determinatam, quæ est terminus illius motus? Non est dare, nisi quod compositum virtute animæ vegetatiuæ, vt principii actiui; tum quia reprehenditur ille, 2. de Anima, qui posuit principium actiuum huius, esse ignem, & innuitur illud principium esse animam; tum, quia agere est operatio vegetatiuæ, vt principij actiui, ex eodem secundo alibi. Satis etiam apparet sensui, quòd nulla maioratio quantitatis, si fiat ab agente extrinseco, est augmentatio; aut enim est iuxtapositio, aut rarefactio: nec potest in augmentatione dari pars augmentans aliam, distincta loco & subiecto: quia quælibet pars aucti est aucta. Si dicatur secundùm Aristotelem 2. de Anima, cap. 4. quòd cibus nutrit inquantum potentia quid, auget autem inquantum potentia quantum: ergo auctum augetur ab alimento quanto: vilis videtur instantia, non enim quantitas in actu est principium alicuius actionis, quantò magis nec quantitas in potentia: cibus autem corrumpitur aut prius tempore, aut saltem naturâ, quàm fiat motus augmentationis: quia nutritio, in qua corrumpitur cibus, præcedit augmentationem sic, vel sic, quomodo non ens mouebit? Ideò intelligendum est illud dictum Philosophi, sicut & satis litera sonat. Cibus enim inquantum potentia quid quomodo nutrit? non nisi materialiter, quia de ipso, inquantum est in potentia ad formam carnis, generatur caro, quæ generatio est nutritio: ita quòd nutrit materialiter: ita inquantum in potentia quantum, auget materialiter: quia de ipso inquantum in potentia, est quanta caro, generatur caro quanta, per quam generationem consequitur augmentatio. Hîc posset multùm exponi de modo augmenti: sed hoc in 1. de Generatione, & in 2. de Anima, magis habet locum. Pro nunc sufficit quòd in cibo non est efficiens ratio augmentandi, sed in animato conuertente ipsum: non quòd augmentatio fiat per ipsam conuersionem, siue in carnem, saltem quantam, hoc est, habentem quantitatem notabilem: quia maiorem respectu illius, quæ fluxit, cuius loco illa restituitur, nó sic quòd in instanti generationis habeat maiorem: sed nata sit habere maiorem in tempore habito, illi instanti, in quo tempore sit motus augmentationis. Hoc hîc omitto.

T.com.41.

T.com.34. & circiter. Augmentationē fieri ab intrinseco. T.com.47. Cibus nutrit vt potentia quid auget, vt potentia quantum: *exponitur.*

Cibus non auget, sed sumens illum.

13

Quartò dicitur de alteratione tali, qualis est vtraque illarum; de qua exemplificatur, quòd idem se alterat puta aqua frigefacit se, & semen se alterat. De primo dictum est in articulo de accidente, non coæuo in vniuersali; quia amoto impedimento, agit illud quod à principio egisset non impeditum. De secundo alibi prolixior erit sermo domino concedente, & aliquid tactum est in 7. in q. de rationibus seminalibus.

2.d.18.

Cognitiua efficit cognitionem.

Quintò, de cognitiua quomodo est actiua suæ cognitionis, & etiam obiectum, & quomodo duo actiua possunt concurrere ad eundem effectum, alibi diffusiùs habetur. Et per hoc vitantur inconuenientia, quæ consequuntur in ponendo intellectum omnino passiuum: similiter & quæ videntur sequi ponendo ipsum purè actiuum, Ita scilicet quòd obiectum nihil agat ibi. Vtrique videtur Augustinus attribuere actionem 9. de Tri. *à cognoscente*, inquiens, *& cognitio pariter notitia.* Quomodo enim intellectio caloris est à calore solo, vt ab agente æquiuoco, à quo est calor realis genitus, vt ab agente vniuoco: cùm intellectio simpliciter sit perfectior omni calore genito: & impossibile est aliquem eiusdem generis effectum æquiuocum esse nobiliorem effectu vniuoco, quia tunc esset nobilior agente? Quomodo etiam vilificatur natura animæ: quia sensibilia, immò phantasmata sensibilium causant effectiuè perfectionem ita nobilem animæ, respectu cuius anima tantùm est receptiua? alia inconuenientia alibi prædicta hîc omitto.

Cap. vlt.

Effectus æquiuocus non est nobilior vniuoco.

Voluntas agit suos actus, idem est de appetitu.

Sextò, de appetitu intellectiuo tenetur, quòd simpliciter est actiuus. Nec ponentes ipsum esse passiuum merè ab ipso obiecto videntur veram, vel totam saluare posse libertatem in homine; sed tantummodò, vt videtur, necessitatem sic procedendi: sicut & calor in calefiendo: aut solummodò à casu posse aliter esse, sicut dicuntur non esse in potestate nostra, quæ cognoscenda primò occurrant. Sed hæc de voluntate à multis multipliciter sunt improbata, quæ non oportet hîc in speciali, sed alibi explanare.

SCHOLIVM VI.

CVM *natura dignificanda sit quantùm fieri potest: non est ei denegandum quin possit in se producere illas perfectiones, quas nata est habere. Hoc discursu vtitur 2. d.3. q. 11. ad probandum Angelum acquirere notitiam à rebus. Habet pulchram disputationem de ordine causarum.*

14 *Naturæ sæpe concedendum quod melius est, si non repugnat, vel non cōstat de opposito.*

In fine generaliter dicitur, quòd nulli naturæ negandum est aliquid, quod positum perfectionis esset in tali natura; nisi ostendatur aliunde, quod talis perfectio illi non inest; quia semper natura facit quod melius est, quando fuerit possibile, & non defecit in necessariis. Creaturæ communiter producuntur in *esse*, carentes aliqua perfectione, ad quam natæ sunt attingere: puta

puta animata communiter in imperfecta quantitate, sine etiam operibus animæ:alia verò quædam sine qualitatibus propriis:quædam sine proprio *vbi*. Si daretur eius principium actiuum respectu talis perfectionis, ad quam natæ sunt, simpliciter essent perfectiores: quia minùs ab extrinsecis dependentes;ergo quandocunque non apparet quòd talis natura non habet principium actiuum respectu talis perfectionis, immò magis videtur quòd habet, hoc simpliciter concedendum est: quia hoc dignificat naturam.

Contrà: quare ergo non statim dicuntur perfecta secundùm omnem perfectionem possibilem,quia hoc magis dignificaret naturam? Item, natura proportionauit actiuum & passiuum in vniuerso, non semper idem respectu sui,sed aliud respectu alterius, sicut videtur maior connexio in rebus:& ita vniuersaliter dabitur respectu perfectionis possibilis in quocunque,aliquod agens, sed aliud ab illo possibili. Confirmatur: quare enim non vnicuique dedit natura principium actiuum respectu omnis perfectionis sibi possibilis, vt sic auferatur connexio eorum secundùm actionem, & passionem mutuam? Ad primum respondeo. Si causalitas auferatur, non haberent omnem perfectionem, cuius sunt capaces: si autem statim fieret quodlibet vniuersaliter perfectum, quantum posset perfici, vel aliud à producente videretur esse causa alicuius in alio.

Quare statim omnia nõ sũt. perfecta?

Contrà: si ipsummet est causa perfectionis propriæ, quare non à principio se summè perficit? Respondeo, quia natura quæcunque requirit successionem in aliquibus operationibus, propter imperfectionem virtutis agentis respectu effectus producendi. Ita est hîc, verbi gratia, si quilibet homo generaretur perfectæ quantitatis propriæ, non haberet rationem causæ, saltem in actu respectu quantitatis propriæ: nam tantam non posset causare, nisi per motum augmentationis, immò per multos motus consequenter.

15 *Actio vniuoca non facit nexum actiuorũ & passiuorum.* Quæst.4.

Ad secundum, nunquam actio vniuoca facit connexionem actiuorum & passiuorum in vniuerso:nec videtur Philosophus ponere tale agẽs, & effectum, essentialiter ordinata respectu talis tertij: sed secundùm æquiuocè agentia & effectus, est essentialior connexio. Contrà; illam æquiuocationem ponis in vno, non autem vniuocationem; ergo magis tollis connexionem. Respondeo, causæ essentialiter ordinatæ respectu tertij effectus, alium habent ordinem in causando, secundùm quod dictum est in secundo, in quæstione de statu causarum: & ista est essentialis connexio vniuersi fortè, siue vltima causa sit vniuoca, siue æquiuoca cum suo effectu. Et hæc connexio ita saluatur, ponendo in eodem rationem vltimæ causæ respectu effectus: sicut ponendo in alio. Contrà: sicut in eodem possunt concurrere ratio causæ immediatæ, & effectus, quare non ita ratio causæ posterioris, & prioris? & sic nullus ordo causarum videtur necessarius præter primam, cuius ratio non potest concurrere cum ratione formali alicuius posterioris causæ. Respondeo, ratio posterioris causæ, & alicuius prioris benè possunt concurrere in vno supposito, & fortè in vna natura, si habeat vnitiuè plures gradus perfectionis principiatiuos eiusdem effectus, licèt non sit omnium causarum ordinatarum: quia alicuius illarum ratio tantam perfectionem absolutam requirit, in qua fundetur, quòd illa non potest esse in eodem, in quo est alia minor, in qua fundatur ratio secundæ causæ posterioris. Hæc in particularibus exemplis extremis satis patent. Quomodo enim in boue generante possit esse perfectio Solis, secundùm quam cooperatur boui generanti?

Ordo causarũ saluatur, siue effectus sit in causa, siue non.

SCHOLIVM VII.

EXPLICAT *optimè dictum Aristotelis. 7. Physicor. quomodo nihil mouetur à se primò,id est, duplici primitate, scilicet totalitatis, seu integritatis,& causalitatis præcisæ, qualis est subiecti respectu suæ passionis: quod enim mouetur primo modo, quiescit quiescente parte; quod secundo modo, non;quia quod conuenit alicui instar passionis propriæ,eidem conueniet,etiamsi negetur ab omni alio, quod non est ipsum: si ergo aliquid mouetur primo hoc modo, non desinit moueri, etiamsi pars eius quiescat,quia pars non est illud, quod mouetur,sed aliquid eius. Vide hanc expositionem, & solutionem. 2.d.2 q.10. ad secundum,vbi ex ipso Aristot. ostenditur, esse ad mentem eius. Ad secundum, optimè explicat quomodo idem secundùm diuersa posset esse in actu, & potentia; & explicat varias acceptiones* potentiæ, *vt opponitur actui, de quo q. 1. & 2. huius, & vt dicit respectum principij ad principiatum,& ad comprincipium. de quo q.3. & 4. Breuiter dic, aliquid posse esse virtualiter tale in actu, quale est formaliter in potentia; sic aqua calida habet actu virtutem frigefaciendi se, quod est esse virtualiter frigidam, & facta frigefactione erit formaliter frigida. ita Doct. 1. d.3. q.7. ad primum,pro opin. & 2.d.3.q.8. ad 4. Ad confirmationem optimè explicat, quæ contrarietas sufficit ad actionem.*

16

Ad illa, quæ inducuntur pro prima opinione. Ad primum de 7.Physicorum, quærit enim quomodo contradictio est, quòd aliqua passio homogenea, qualis est mouere localiter, insit alicui toti integro, siue quantitatiuo primò, secundùm quod *primò* cadit in definitione vniuersalis, in 1. Poster. & cum hoc *primò*, secundùm quod *primò* sumitur in 5. Physicorum, provt opponitur ei quod est *secundùm partem integralem.* Et de solo tali toto quantitatiuo probat Aristot. quòd non potest moueri à se primò: vt *primò* accipitur quando propria passio dicitur primò inesse proprio subiecto. Tale enim prædicatum nunquam remouetur ab illo cui primò inest, propter hoc, quòd oppositum eius inest alicui, quod non recipit prædicationem illius primi subiecti: pars autem quantitatiua non recipit prædicationem totius quantitatiui,licèt idem totũ vniuersale prædicetur de vtroque in homogeneis;ergo totum quod primò mouetur, sic accipiendo *primò*,non quiescit ad quietem partis, id est, non caret prædicato primò inhærente: quia pars,quæ non est illud totum caret illo: sed omne totum quiescit, &c. quia est diuisibile: & ita sumitur *alterum* apud Arist.pro illo, quod nõ recipit prædicationem primò moti. Et ly, *ad*,tenetur consecutiuè, non causaliter. Quòd si fiat sermo per ablatiuum absolutum *parte quiescente*,&c. debet exponi per,*si*,non per *quia*:licèt enim maior esset vera cum *quia*, tamen minor est falsa. Quia ergo vanum est Aristotelem adducere hîc ad conclusionem hanc generaliter probandam,quod nihil mouet se; cùm in simplicibus motis nihil valeat,

Text.com.11. Text. com. 1.

Nihil mouetur à se primò: *exponitur 2. d.2. q.10.*

Nihil mouetur primò, primitate totalitatis, aut causalitatis præcisa, qualis est subiecti ad suā passionem.

nihil valeat, sicut in potentiis animæ:cùm etiam in quibuscunque quantis, nihil faciat contra hoc, quod aliquis ponit: nam si ignis est causa effectiua proprij caloris, licèt ille totus se totum faciat calidum, & ita idem primo mutat, vel mouet se, vel agit in se, accipiendo *primò*, sicut accipitur in 5. Physicorum: non tamen ille ignis primò facit se calidum, accipiendo *primò* secūdùm aliam significationem:quid mirum? quia vndecumque fiat, nec ille ignis particularis quantus est, sic primò calidus. Sequitur enim contradictio: quòd scilicet non est calidus,si pars eius sit non cadida; & quòd est calidus, si pars eius sit non calida. Primum sequitur ex primitate secundo modo, secundum ex primitate primo modo.

17

A subiectō nō remouetur passio,etiamsi remoueatur ab omni alio, quod non est ipsum.

Quid ergo est calidū primò,vel calefacit primò, sicut *primò* notat inhærentiam propriæ passionis ad subiectum?Respondeo:nullius propriæ passionis consueuit hactenus assignari primum subiectum aliquod singulare,sed vniuersale, quod abstrahit ab omni quanto, & æqualiter saluatur in hoc toto,quanto homogeneo,& in eius parte. Et verum est, quòd ab illo vniuersali nunquam remouetur,si aliquid non sit calidum,de quo istud vniuersale non prædicatur alia circunstantia. Hanc responsionem, & plura de æquiuocatione eius,quod est *primò*:quære in loco suprà signato.

Ad secundum de actu, & potentia, dicitur, quòd in mouente se quandoque sunt plura differentia secundùm intentionem, secundùm quorum vnum mouet, & secundùm alterum mouetur. Et ita non primò mouet idem se, quoad præcedens argumentum; nec secundùm idem est in actu & in potentia, quoad istud secundum argumentum; nec secundùm idem est fundamentum relationum oppositarum, quoad tertium. Exemplificatur de voluntate mouente se, quia est appetitus, & est liber, & inquantum liber mouet. Contra istud arguitur: quia differentia intentionis non est in re, nisi in potentia, secundùm istos, completiuè autem & in actu, est ab intellectu tantùm: si quæ autem differentia requiritur in aliquo ad mouere se, cùm ille sit effectus realis, oportet quòd illa differentia sit realis: quia realis effectus non dependet ab actu rationis. Item,si quæcumque species cùm habeat genus & differentiam, quæ differunt intentione secundùm istos:poterit quæcumque species secundùm formam differentiæ mouere, & secundùm formam generis moueri. Item, totum essentiale est minùs vnum, quàm istud, in quo est tantùm differentia intentionis:quia partes essentiales realiter sunt diuersæ, & veram compositionem realem faciunt: & tamen in tali toto essentiali nunquam forma mouet materiam; ergo multò magis, nec hîc. Item,propria passio recipitur in subiecto,inquantum est in actu per differentiam specificam propriam:Quod probatur;tum,quia aliàs non inesset subiecto primò, si inesset sibi secundùm aliquid in intellectu eius, & non secundùm aliud; sicut homo non primò viuit: licèt per se viuat ex 5.c.de *per se*:tum,quia si inquantum habet formam generis inesset sibi illa passio, cuilibet sub genere inesset, & ita non esset huic propria;aut si ex aliquo impedimento alij non inesset, saltem generi in isto prius natura inesset, quàm illa forma intelligeretur determinari per formam differentiæ.

Effectus realis non depēdet ab ente rationis.

Propria passio recipitur in subiecto quatenus est in actu per differentiam propriam. Text.c.23.

18

Ex hac probata arguitur vltrà:cùm multa, ad quæ aliqua mouent se,sint propriæ passiones eorum, mouebuntur ad illa, inquantum sunt talia per differentias proprias, non solùm inquantum includunt genus; sic enim ad illa mouebuntur, quomodo illa recipiunt: & constat, quòd agant inquantum sunt in actu per formam, ergo secundùm idem re & ratione, vt secundùm immediatam rationem absolutam agunt, & patiuntur. Propter istam rationem specialiter, quæ posset benè declarari, potest dici aliter ad argumentum, quòd si *potentia* accipiatur provt opponitur actui, quomodo sermo habitus est de ipsa in primis duabus quæstionibus huius 9. nunquam idem simul est in potentia, & in actu secundùm idem: nam quando est aqua calida actu, tunc non est actu frigida,sed potentia tantùm. Et cùm arguitur, si est motiua sui ad frigiditatem; ergo est in actu talis, quale est mobile in potentia. Fallacia Consequentis est, intelligendo de actu formali: non enim sequitur, Sol est transmutatiuus materiæ per putrefactionem ad formam vermis; ergo Sol est in actu vermis. Si enim ad agendum effectum sufficit perfectio actiua quandoque eiusdem rationis, cum illa,quæ est in effectu, quantò magis sufficit excellentior? & sic agens quodcunque æquiuocum, est in actu respectu effectus, non formaliter habens actum similem ,quia tunc non esset agens æquiuocum: sed virtualiter habens, quia scilicet formaliter habet eminentiorem. Secundùm quid igitur est in potentia, & secundùm quid in actu. Respondeo, est in potentia secundùm terminum motus, in actu secundùm principium actiuum æquiuocè respectu termini. Si autem *potentia* accipiatur, vt dicit relationem principij, quomodo dictum est de ipsa in 3. & 4. quæst.9.huius: aut dicit relationem principij ad principiatum:aut ad aliud principium, quomodo primò distinctum est in solutione quæstionis 3. artic.2. Si ad principiatum,si illud dicatur actus, concedo quòd nihil idem essentialiter est potentia,& actus:quia nulla vna essentia seipsam principiat propriè effectiuè,nec in quocunque genere principij.

Quæ agunt in se,patiuntur secundū eandem rationem.

Idem non est simul in actu & potentia.

Quod est motiuum sui ad formā, est actu tale virtualiter, vel eminenter.

Idem tamen suppositum potest in se habere duas naturas, quarum altera sit principium actiuum,& altera principiatum:& ita est in potentia, hoc est,potens per principium actiuum,& in actu siue actus propter principiatum: sed isto modo non consueuit communiter accipi *actus* pro acto. Si autem potentia dicat relationem principij ad actum, vt ad aliud principium intrinsecum, tunc accipere quod in nullo vno supposito est,vtrumque est accipere, quòd nullum suppositum est sic prædicamentale: & ita nullum suppositum erit compositum ex principio potentiali,& principio, quod dicitur actus: quod est falsum. Si tandem potentia dicat relationem principij passiui ad principium actiuum, quod dicitur esse in actu, scilicet actiuo,non autem dicitur actus: tunc accipere, quod nihil idem est in potentia,& in actu, non est nisi sub aliis terminis exprimere istud, quod nihil idem est actiuum, & passiuum, & non est probatio à priori. Sed est petitio,idem accipiendo sub aliis terminis ab probationem sui ipsius.

19

Quomodo eadem est potentia, & actu?

Ad confirmationem de contrarietate agentis, & patientis:licèt ex dictis in quæst.6.ad primum argumentum patet,quòd ibi strictè sumitur *actio:* quo etiam modo secundùm prædicta nihil

agit

Agens & patiens contraria.

agit in se: potest tamen dici, quòd sicut agens assimilat sibi passum in fine, ita contrariatur sibi in principio actionis. Quando autem æquiuocè agit, non assimilat in fine formaliter, sed virtualiter tantùm: quantum enim ad *esse* formale, effectus talis imitatur causam, non propriè assimilatur; ita in principio contrariatur passo virtualiter, pro quanto habet in virtute formam aliam formaliter contrariam formæ passi. Et talis contrarietas sufficit ad actionem: sic tantùm contrariantur actus vitiosi habitui virtuoso: quem tamen corrumpunt: patet 2. Ethicorum.

Qua contrarietas sufficit ad actionem. Cap. 2.

SCHOLIVM VIII.

INSTAT *tripliciter, & acutissimè, contra id quod dictum est, actiuum esse in actu virtualiter, & in potentia formali respectu eiusdem formæ, ad quam est illa potentia. Ad primum, optimè explicat quomodo actus virtualis non tollit capacitatem ad actum formalem; vnde Sol, qui est virtualiter calidus, posset esse formaliter talis, si aliunde non repugnaret ei, quia scilicet, non est corpus corruptibile, de quo fusè Doctor, 2. distinct. 25. à num. 14. neque hinc sequitur quodlibet agere in se, vt ibi num. 20. & sequenti & optimè tradit 1. distinct. 3. quæst. 7. num. 30. Ad secundum, non resoluit an cognitiua, vel appetitiua agere possint in aliam potentiam, sed iubet studere pro alia responsione: verum id admittit 2. distinct. 9. quæst. 2. §.* Ad quæst. *num. 15. quia potens producere aliquem effectum, potest eum producere in omni subiecto capaci eiusdem, si debitè approximetur, sed huiusmodi potentiæ corporeæ non approximantur debitè aliis; spirituales tamen separatæ possunt causare actus in aliis potentiis capacibus separatis, & sic Angeli quandoque loquuntur; puto etiam aquam calidam non tantùm se, sed & alia frigefacere si applicentur: vnde quod hìc obiicit Doctor aquam frigefacere alia, tantùm per frigus formale, non videtur verum, sed iuxta principium eius, quidquid efficit effectum, cùm efficere potest in quolibet capaci eius, sicut aqua frigefacit se per suam virtutem substantialem, ita, & alia, esto frigus formale simul concurrat, quando adest. Ad tertium, benè explicat quomodo, & quando relationes oppositæ possunt esse in eadem natura, vel supposito, de quo 1. distinct. 3. quæst. 7. Ad primum pro Godfredo, num. 29. & seq.*

20

Contra responsionem istam, quæ in hoc stat, actiuum est in actu virtuali, & idem est in potentia receptiua formaliter illius, ad quod est illa virtus. Arguitur tripliciter. Primò sic, quod est in actu secundùm aliquid formaliter, nullo modo est in potentia ante actum, ad actum similem; ergo nec quod est in actu virtuali secundùm aliquid est in potentia ad illud formaliter. Antecedens patet: quia tunc duo actus eiusdem speciei possunt eidem inesse. Consequentia probatur. Tum, quia actus in quo est alius virtualiter, perfectior est illo formali, qui est in virtute eius; ergo perficit magis subiectum, & ita tollit potentiam ad formalem magis, quàm alius formalis. Tum, quia frustrà videtur in *fieri* illa perfectio formalis, præhabita ista virtuali: quia per formalem non fit perfectius illud, quod recipit, quàm priùs. Tum tertiò, quia tunc videretur Deus posse esse in potentia receptiua multarum perfectionum, quæ sibi formaliter non insunt, licèt virtualiter insunt; Sol etiam videretur esse in potentia passiua ad formas generabilium, quas habet aliquo modo virtualiter. Secundò arguitur sic: actiuum quodcunque immediatè respicit passiuum tale in communi, & ideò respicit per se quodlibet in quo reperitur ratio talis passiui: sicut suprà probatur in primo articulo solutionis: nullum autem illorum, quæ ponuntur actiua respectu sui, habet rationem actiui respectu passiui alterius à se: quod tamen est passiuum eiusdem rationis; ergo nec est actiuum respectu sui. Probatio minoris, aqua calida aliud frigefactibile approximatum non frigefacit; sed calefacit; ergo non est verè actiua respectu sui, sicut nec respectu alterius; sic cognitiua, vel appetitiua in alia potentia non potest causare actum cognoscendi, & appetendi: quæ tamen alia capax est illius.

21

Confirmatur ratio ista: quia vbi actiuum est æquiuocum, sicut de Sole respectu generabilium, patet quòd æquiuocatio agentis non tollit rationes generales actiui, quæ videntur esse agere tantùm in aliud, & in quodcunque aliud passiuum approximatum: non enim Sol se transmutat ad formam vermis secundùm aliam materiam, & hoc quamcunque æquè dispositam, & approximatam.

Ad istud secundum, cùm arguitur, quod actiuum æquiuocum ageret in aliud à se, sicut agit in se. Responsio, quando est essentialis ordo inter duos effectus eiusdem agentis, inquantum sunt ab ipso, licèt neutrum illorum sit causa alterius: non tamen potest tale agens effectum posteriorem causare, nisi prius naturâ causet effectum priorem. Exemplum de priore parte radij, & posteriore, tenendo quòd totus radius fit immediatè à luminoso, vt à causa; nunc autem effectus causandus in ipso, in quo est perfectio actiua: & effectus causandus in alio, vt in aqua calefacta, sic se habent; ideò non potest frigefacere aliquid, nisi priùs frigefaciat se. Sed hæc responsio deficit, quia aqua causat frigiditatem in alio per effectum frigiditatis propriæ, non per seipsam. Secundò, hæc responsio non se extendit ad potentias apprehensiuas, & appetitiuas; ideò stude pro alia responsione: quòd assumptum est verum de agente actionem transeuntem, non immanentem. Tertiò arguitur per instantiam, quia secundùm dictam responsionem diceretur omnem actionem in aliquo esse à se æquiuocè agente, puta quòd lignum calefacit se; non autem ignis: sed est tantùm sine quo non: sicut ponunt aliqui de obiecto respectu potentiæ, quòd est tantùm sine quo non respectu actus. Confirmatur istud: non enim magis repugnant actus, & potentia in vno, quàm in alio; si ergo alicubi reperitur actus cum potentia sine repugnantia eorum, vbique reperietur; & si alicubi negetur repugnantia eorum, vbique negetur: & tunc nihil videtur esse, per quod improbetur, quòd quodlibet cum hoc, quod est in potentia ad aliquid, est tamen in actu respectu eiusdem, in actu sufficiente ad agendum illud. Iuxta hoc additur, quòd principia Metaphysica, quæ sunt vniuersalissima, nullo modo sunt in quocunque particulari neganda, propter quamcunque difficultatem specialem incidentem. Si enim in vno negentur, & in omnibus; & ita ex ignorãtia vnius conclusionis negarêtur principia, & aliæ conclusiones multæ: quemadmodum si quis

In effectibus ordinatis posterior sequitur necessariò priorem.

An cognitiua possit efficere actũ in alio?

quis ex aliqua ignorantia concederet idem posse album,& non album, primum principium simpliciter negat, quia eadem est ratio in istis,& in aliis.

22

Ad ista, quæ difficilia videntur, responderi potest. Ad primum, quòd consequentia non valet; quæcunque enim ratio assignaretur pro antecedente de actibus eiusdem rationis, pro consequente non concluderet, scilicet de actibus alterius rationis. Ad primam probationem concedatur, quòd præcisè sumendo vtrumque actum scilicet virtualem,& formalem, virtualis pefectior est; quando tamen est limitatus, non est ita perfectus : vt omnem potentiam subiecti excludat respectu formalis, quia ille formalis aliqua perfectio est, inquantum distinguitur à virtuali; & ita secundùm illum proprium gradum eius non perficeretur subiectum, quod haberet solùm virtualem. Per hoc ad secundam probationem, quòd perfectio minor non superfluit in aliquo, quod primò habet maiorem perfectionem, nisi illa maior omnem gradum perfectionis conferret, quàm haberet subiectum habendo illam maiorem cum minore : & hoc nunquam est quoniam illa maior est limitata, quia omnis limitata minor est seipsa cum alia. Confirmantur istæ responsiones : patet enim, quòd substantia quæcunque præcisè sumpta perfectius ens est quocunque accidente suo præcisè sumpto: nec tamen actus substantiæ tollit potentiam ad accidens, nec superfluit accidens, quia substantia cum accidente perfectior est, quàm substantia sola. Ad tertiam probationem patet : nam actus virtualis in Deo infinitus est,& ideò si per impossibile formalis inesset, nullo modo esset perfectior : quia finitum cum infinito nihil maius est infinito solo: sed quod additur ibi de Sole, respondeo generaliter ex ratione actus virtualis, & formalis, nunquam est repugnantia quòd insint eidem : quia tunc vbique esset repugnantia; potest tunc vnus esse in aliquo, cui alius repugnat ex alia causa, non tamen quia habet alium actum, sicut in proposito calidum esse formaliter repugnat Soli, quia est propria qualitas corporis corruptibilis, & per consequens non est Sol subiectum capax eius. Nec ignis capax albedinis, quæ est propria qualitas misti: sed non ideò est Sol non capax caloris, quia est calidus virtualiter: patet enim quod Saturnus, qui ponitur frigidus virtualiter non magis est capax caloris formaliter, quàm Sol; vnde omnia talia argumenta procedunt secundùm *non causam, vt causam*. Nam vbicunque vnus istorum actuum inest, & alius non potest inesse, non est causa impossibilitatis, quia alius inest; sed ex alia causa speciali, quæ si staret sine illo alio actu, adhuc esset causa eiusdem impossibilitatis.

Actus virtualis non excludit à subiecto potentiam ad formalem : sed actus formalis sic.

Omnis limitata potentia, minor est seipsa cum alia.

Finitum cum infinito non facit maius, infinito solo.

Calor repugnat Soli, quia est qualitas corruptibilis corporis.

Per hoc patet ad tertium scilicet ad instantiam illam : nam concedo, quod actus talis & talis, siue actus virtualis & potentia ad formalem omnino in nullo repugnant : quia tunc vbique repugnarent, potest tamen alterum illorum alicui tertio repugnare, cui alter inest:& alicui tertio non : & alicui tertio vtrumque repugnare. Et secundum hoc quandoque neutrum potest inesse : quandoque vtrumque: quandoque hoc sine illo: quandoque èconuerso.

Actus virtualis, & formalis, quandoque simul sunt, quandoque vnus sine alio, quãdoque neuter.

23

Quod ergo dicitur, quia tunc non restat vnde probetur, quòd lignum non calefacit à se, sed ab igne : Respondeo, videntur isti ex defectu argumenti ad propositum suum dimittere partem opponentis, & assumere partem respondentis, sustinendo impossibile : iam enim ad hoc vertitur disputatio, vt contra talem solutionem arguens, probando quòd lignum non calefacit se. Et dico, quòd ad hoc non acciperem argumentum ex repugnantia actuum prædictorum in eodem, sed aliunde. Et illæ præmissæ præcisè nihil concluderent contra me in aliis, quæ dico à se moueri.

Ex defectu argumenti, sumit opponens partem respondentis.

Quod additur de principiis Metaphysicis, verum est, quòd sunt vniuersalissima: sed nullum illorum in aliquo singulari recipit instantiam. Signum enim est sermonum verorum confessè se habere his, quæ apparent : sed quomodo dicetur illud esse principium, ad quod tot absurda sequuntur ? Non credo, quòd Aristoteles posuisset aliquod complexum esse principium non solùm primum, sed nec decimum: ex quo in multis singularibus euidentia absurda sequerentur. Si etiam illud est principium primum Metaphysicum, scilicet, nihil idem potest esse in actu virtuali,& in potentia ad actum formalem, cuius ille virtualis sit principium effectiuum; si inquam est principium primum Metaphysicum, scio quod illud non est in Metaphysica Aristotelis scriptum. Si ipsi habeant aliam Metaphysicam: quomodo soli isti talem intellectum habuerunt, quòd terminos istius principij capere poterant, omnibus aliis non potentibus capere ? quia si caperent terminos, & istud esset, vt principium primum, statim huic acquiesceretur: quod tamen multi non tantùm non capiunt vt principium, immò dicunt simpliciter falsum pro multis eius singularibus.

Non est principium, idem non posse esse actiuum, & passiuum respectu eiusdem.

24

Ad tertium principale, pro opinione prima de relationibus oppositis, dicendum, quòd sicut dictum est in solutione 3.q. huius, 9. art. 2. alia est relatio producentis ad productum, alia principij actiui ad principium passiuum, quæ ambo sunt principia respectu eiusdem producti. Primæ duæ relationes nunquam insunt eidem supposito : nihil enim seipsum gignit : nam tunc quando non esset, esset : sed nec fundantur istæ in aliqua vna natura limitata : quia natura limitata nunquam se totam non diuisam communicat producto supposito. Secundæ duæ relationes quandoque possunt in vno supposito, & in vna natura fundari: quia sic relata non dependent essentialiter vnum ab altero, sed tantùm accidentaliter, hoc vt faciat, illud vt recipiat aliquid ab isto : non vt sit ab illo : In primis relationibus productum, secundùm illud quod est in creaturis, dependet à producente : impossibile est eandem naturam à se essentialiter dependere, non autem est impossibile idem à se dependere, quantum ad aliquam perfectionem accidentalem, siue secundùm *quid*. Posset aliter dici, quòd duæ relationes reales oppositæ quando insunt eidem, prius illi insunt duæ relationes disparatæ, puta duplex respectus principij respectu eiusdem principiati, quàm fortè consequitur relatio mutua principij ad principium. Sed hæc responsio duo dubia supponit : vnum, quòd illæ disparatæ sunt priores oppositis, aliud, quòd talis prioritas aliquid facit ad hoc, vt oppositæ possint inesse. Si enim ex se repugnarent, etiam disparatæ aliæ illam repugnantiam non tollerent. Potest ergo dici, quòd sicut natura omnino illimitata potest esse fundamentum relationum oppositarum primarum producentis,& producti, licèt non causæ, & causati, quia tunc idem à se essentialiter dependeret, ita natura aliqualiter illimitata potest esse fundamentum duarum oppositarum istarum secundarum, quæ minùs repu

Relatio producentis, & producti non possunt esse in eodem supposito, vel natura finita.

Natura illimitata potest esse fundamentum relationum producentis, & producti

repugnant: quælibet autem natura, quæ cum hoc, quod est receptiua alicuius perfectionis, ponitur etiam actiua respectu eiusdem, ponitur aliquo modo illimitata, inquantum præhabet illam virtualiter; ideò, &c.

Contra illud arguitur, opposita omnia includunt contradictoria; ergo si eidem insunt relationes oppositæ, eidem inerunt contradictoria. Item 2. Physicorum, materia non coincidit cum aliis causis: nec in idem specie, nec in idem numero. Ad primum potest dici, quòd relatiua non includunt repugnantiam, vnde relatiua sunt, sed ratione fundamentorum inter quæ est essentialis dependentia. Aliter dicitur, quòd alia à contradictoriis non sunt formaliter opposita, nisi in abstracto, maximè si contraria esse simul, non sit contradictio, vt quidam dicunt. Ad secundum, intelligitur de materia *ex qua*, non *in qua*, & efficiente quocunque; vel si de materia quacunque, tunc de agente vniuoco, non de vtroque generaliter simul. De materia *ex qua* satis videtur Arist. loqui, quam ponit causam vnam in naturalibus.

T.c.70.

Materia non coincidit cũ aliis causis, exponitur.

SCHOLIVM IX.

SOLVIT *argumenta posita num. 3. ad loca Arist. quæ videntur suadere grauia non moueri à se, vide eum 2. di.2.quæst.10.num. 45. & 10. vbi fusiùs tractat solutionem hîc datam. Ad id, quod ait semen mulieris esse actiuum, vide eum 3.d.4.q.1. vbi id probat. Ad secundum principale, optimè explicat, vno ex sex capitibus* contingere, *quòd agens in se non semper agat.*

25

De aliis, quæ adducuntur secundùm primam opinionem in speciali, priùs dictum est, illa improbando: sed in aliquibus tanguntur aliquæ probationes ad quas restat respondere. Cùm adducunt dictum Aristot. 8. Physic. de graui, & leui. Breuiter potest exponi de graui, inquantum consideratur præcisè, vt naturaliter mobile; non autem vt habens principium actiuum mouendi; sic enim est in potentia accidentali ad mouere, sicut sciens ad speculari: & quomodo idem re est principium actiuum ex quo hoc est mobile naturaliter, aliud tamen ratione, tactum est in 7. in quæstione de rationibus seminalibus. Rationes autem in 8. Physicor. non probant simpliciter, quòd graue non mouet se: sed quòd non mouet se agendo vniuocè, vel non sicut animal: quia non habet principium sistendi suum motum: nec ad differentias contrarias mouet se, sicut animal, ita quòd illa argumenta aliquid concludunt de veritate, & intelligenda sunt secundùm determinationem eius sequentem: sicut in aliis locis, vbi arguit: & postea determinat. Ad illud, quod additur de motu animalium, potest benè concedi, quòd aliqua pars quiescens localiter, alterata tamen, mouet localiter alteram partem sibi coniunctam pellendo, & deinde mouetur à primo pulsu trahendo: & sic, quòd ille motus non fit à moto, nisi per partem: & illæ partes, trahens, & pellens sunt duæ partes cordis, non pars superior corporis, & inferior in saltu: sicut probatur suprà. Postea adducitur Arist. in 16. de Animalibus de semine: hoc exponitur secundùm quandam excellentiam actionis ex parte seminis maris: non quòd illud præcisè agat: tum, quia quomodo tunc fœtus quandoque assimilatur matri? tum, quia eiusdem speciei est semen vtrumque: actio sequitur formam. Tum, quia

Quomodo graue mouet, & non mouet se?

Quomodo fit motus progressiuus animalis?

7. huius, cap. 6. equus, & asina quodammodo sunt mulus. Ad illa quæ adducuntur de cognitiuis, patet responsio, si ponatur tam potentia, quàm obiectum esse actiuum respectu actus cognoscendi. Ad illud de accidente communi, non concludit contra cognitiuas, tenendo prædictam sententiam. De appetitu rationali, respondetur in sequenti quæstione, quomodo est sufficiens causa sui accidentis communis. Ad auctoritatem Aristot. 3. de Anima, dicitur, quòd appetitus si intelligitur de rationali, mouetur Metaphoricè, mouet autem propriè effectiuè: nec est inconueniens, quòd in illa breui litera, æquiuocet *moueri*: ita inueniuntur exempla multa in libris eius, in primo Physicor. *prima contraria non sunt ex aliis: nec ex alterutris: sed omnia ex ipsis.* Quomodo sumetur, *ex*, vniuocè, si benè videantur probationes istorum membrorum? Confirmatur illa responsio in 12. Metaph. cap. 4. A mouet vt amatum, & desideratum, finis scilicet, sed hoc est mouere Metaphoricè, quia finis, inquantum finis, non est efficiens; ergo moueri sibi correspondens, est *moueri* Metaphoricum. Per hoc respondetur ad Auerroëm in commento super illud 12. suprà allegatum, quòd falsum dicit: nec in hoc exponit Aristotelem, qui nec ibi, nec alibi inuenitur ponere, quòd amatum dupliciter mouet, scilicet propriè, & Metaphoricè. De hoc quære in 6. in quæstione de Vno.

Tex.c.28. *Equus & asina quodammodo mulus.*

Voluntas mouet metaphysicè. T.c.42.

T.c.36.

Amatum tãtum metaphoricè mouet, & non effectiuè.

Ad argumenta principalia. Ad auctoritatem Aristotelis hîc, patet quòd soluit seipsam: quia enim addidit *inquantum simul natum*; quia absolutè noluit dicere *nihil mouet se ipsum*, sed cum determinatione *inquantum*, &c. & sumitur *simul natum*, pro *idem*, vt patet per probationem: vnum enim & non aliud: & sic in definitione *potentiæ actiuæ* non posuit absolutè *transmutandi aliud*, sed addidit, aut *inquantum aliud*. Ad secundum dico, quòd habito termino agens non agit: non habito etiam, & impediri potest ne agat, per virtutem contrariam fortiorem. Si etiam non est tota causa actiua, sed aliud cum ipso, si illud aliud non adsit, non agit: si etiam non habet in quod, vel circa quod agat, non aget. Si iterum alia actio naturaliter præsupponatur suæ: illa non posita, non aget. Si tandem est liberum ex se, potens non agere, vno istorum sex modorum potest saluari de quocunque motiuo: quare non semper mouet se. Exemplum primi, graue quando est in centro. Exemplum secundi, aqua bulliens præsente igne calefaciente, non frigefacit se. Exemplum tertij, in cognitiuis, tenendo & obiectum, & potentiam agere. Exemplum quarti, & quinti, nihil intelligens nihil vult communiter. Exemplum sexti, intellectu ostendente aliquid, voluntas potest illud non velle, & sic generaliter patet solutio illius argumenti.

Agens in se, quare non semper agit?

ANNOTAT. MAVRITII.

26

SEquitur quæstio decima quarta de motu alicuius respectu sui ipsius, vt mouentis, & moti, t.c.2. & est prima, quam format Ant. Andr. in hoc 9. aut quia non vidit alias præcedentes; aut quia sententias principales aliquarum earum in notandis iuxta literam inseruit: aut quia alibi inserendas ipsas reseruauit. Quomodocunque sit, hæc quæstio est multùm ventilata apud antiquos, & modernos, & maximè in via huius est notabilis, &

copiosè

copiosè hîc eam tractauit. In primo etiam Sententiarum *di.* 3. *q.* & in Reportatis *q.* 1. *prol.* & in 2.*di*.2.*q*.10.*&* *dist*.25. *q. vnica* ipsam disputauit,specialiùs tamen quàm hîc.

Plato,superiùs inchoando,videtur tenuisse partem affirmatiuam in hac quæstione particulariter saltem de anima rationali, & elementis. Vnde Philosophus & Commentator eius:& alij sequaces impugnant dicta ipsius pluribus in locis. Quære 7.Physicor. *commento* 2.& 8.Physicorum, *commento* 40.& 3. Cæl. & Mun. *commento* 28. & 4.Cæl.*commento* 22. & 1.de Anima *commento* 22. Auempace etiam partem affirmatiuam, quantùm ad motum elementorum asseruit. videatur Auerroës 4. *Physicor.commento* 71.& 4.Cæli,vbi priùs.

Doctor autem in principio solutionis ponit opinionem tenentem negatiuam partem in quæstione. Primò in generali, & consequenter descendendo in particulari,vbi 7.vel 8.dicta,seu conclusiones possent formari, & tres rationes principales pro principali conclusione notat.Vide Tho. 7.*&* 8.*Physic.& primo contra Gentiles,& in q de potentia,q*.10.*&* 5.*&* 3.*& in* 3. *par.q*.32. Videatur etiam *in* 2.*dist*.24.*& in q. de* veritate,q. 10.*&* 2.2.*q*.45.*&* 82.*& in prima* 2.*q*.9. *& lib*.3. *contra Gentiles, c*.88. in quibus locis videtur repugnantia in dictis eius:vt patet intuenti rectè.Quæratur etiam God. *quodlibeto* 6.*q*.7.*& quodlibeto* 8.*q*.12. *& quodlibeto* 9. *q.* 19. *vel* 13.*& quodli.* 13. *q* 3. Et Henr.*quodli*.10.*q*.9.*& quodlib*.13.*q*.11.*& quodlib.* 14.*q*.2.*&* 5. Et Ægidius Heremita *super lib.Physicor*.7. *&* 8. *& alibi.* Quærantur etiam sequaces horum, & Albertus Magnus, & Ioannes Iandunus, qui tamen affirmatiuam videtur fouere, saltem partialiter, Ocham, & cæteri Nominales inducantur.

Consequenter impugnat illam opinionem & ponit dicta opposita, in generali, & speciali procedendo,& declarat egregiè: vbi idem,& quando non potest agere in se, vel mouere se, & respectu cuius termini,& vbi,& quando, & respectu cuius sic,& instantias tollit suo modo; & tu impugnabis euasiones Thomistarum, & aliorum hîc garrulantium propriam vocem ignorantium, vt scis.

Infrà ibi,cùm dicit: *de his alibi*,quære super li. Physicor.*& in* 2 *di*.1.*q*.4.*& in* 4.*di*.11.*qu*.1. egregiè,*& in quodlib. q.* 12.aliqualiter, & alibi sæpè. Suprà etiam in hoc lib.& 5.huius tetigit. Ex illis responsionibus instantiarum benè intellectis inferri possunt plura,quæ relinquantur lectori.

27 Ante illam responsionem,ibi: *Ad tertium,respectum ad agens habet forma alium*, &c. ponitur quædam litera, quæ assignatur *Extra*: sed quia notabilis,& subtilis,& suprà omissa, hîc apponam eam,quæ talis est. *Contra,aut intelligis,quod prius, inquantum prius, sine intellectu posterioris intelligitur;quod ostenditur impossibile,cùm sit relatum ad ipsum;aut quod illud,quod est prius, sine intellectu illius, quod est posterius intelligitur: & tunc in sic separatim intelligi consisteret prioritas natura; & tamen illud, quod est posterius, si sit absolutum, similiter possit intelligi sine intellectu illius, quod est prius;sequitur quòd naturaliter posterius est naturaliter prius,sicut èconuerso. Non ergo in hoc,quod est hoc posse intelligi sine illo, consistit natura prioritas huius,ad hoc:sic enim asinus esset prior natura homine:nec in hoc,quòd est hoc esse,vel posse esse,sine illo; quia tunc præmissæ demonstrationis potissimæ non essent priores natura conclusione:cùm Deus etiã non possit facere, quòd illis veris existentibus conclusio esset falsa:in quo ergo consistit ista prioritas? In Prædicamentis dicitur,& 5.Metaphysicæ,quod illud est prius natura à quo non conuertitur subsistendi consequentia:si ista definitio sit conuertibilis cum definito, quomodo tũc præmissæ demonstrationis sunt priores natura conclusione:ibi enim conuertitur existendi consequentia,licèt non causandi. Si dicatur* 5.*modus Philosophi in Prædicamentis,quod duorum secundùm existentiam se consequentium, quod est causa alterius,est prius natura alio:vt hominem esse ad orationem hoc dicentem:quomodo ergo intellectus prius natura voluntate?respectu enim illius,nec est causa partialis, nec totalis, nec vt volunt aliqui,sine qua non.*

Quid prius natura?

28 Hæc litera satis subtilis,& notabilis est,pro cuius declaratione,& euasione, vide in 2. qu.1.& in quodl.q.4.& in Francis.specialiter in primo,Conflat. dist.13. quære Ocham *in pri. dist*.9.*&* 12. sed non imitando, multipliciter acceptionem ordinis in communi,& ordinis naturæ in speciali notabis in diuinis,& in creaturis plura hîc addendo.

Deinde descendendo in speciali ibi, *De accidente, quod aliquod subiectum*, &c. procedit de motu grauium, & leuium,& ibi facit mentionem de expositione illius c.*Mouentium*,&c.8. Phys.t.c. 27.considera an fuerit propria ibi,an alibi,an aliorum:æstimo enim quòd exposuit, & quæstionem disputauit in Physicis,sed in 2.*di*.2.*q*.10.ponit expressè illas responsiones. Quære etiam aliqualiter in 4.*dist*.12.*quæst*.4.*& alibi.*

Excludit consequenter quatuor fugas:licèt plures possent assignari, vt habet in 2. vbi suprà de causa motus grauium. Quære illas vias in expositoribus antiquis 8.Phys.& 3. Cæli,& alibi. Vide modernos Parisienses ibidem:nec enim per se à remouente prohibens, nec ab influentia cælesti,nec à pellente,vt tali, nec à centro trahente,nec à se,vt actu moto,nec à generante, nisi virtualiter;relinquitur ergo quòd à se effectiuè, vt *quod*,& grauitate,aut à forma substantiali,vt *quo*,quod ostendit suo modo discurrendo.

Quod additur ibi de motu progressiuo animalium,pondera per totum,& euasioné,& impugnationem singularem,& expositionem in Arist.non vulgarem,vbi posset introduci id,quod habet in 4. di.10.q.7.& di.49.q.14. de potentia motiua totali: nã quicquid dicet aduersarius de potentia motiua organica saltem de illa totali, loquendo, non valet fuga,recurrendo ad diuersitatem partium.

Aduerte etiam ibidem ad illam remissionem ad li.3.de Anima,an intelligit de litera Aristotelis & antiquis expositoribus:an certè de suis quæstionibus ibidem,quas sibi attribuunt,& hoc secundum videtur probabile, quamuis nonnulli Scotistæ illas qq.velint non fuisse eius,conformes tamen doctrinæ ipsius sunt,& omnino eius esse fortiùs reor.

Deinde ibi: *Tertiò de nutritione*,&c. aduerte ad ea,quæ habet *in* 2.*dist*.15. *&* 19.*& in* 3.*di*.16.*& in* 4.*di*.10.*q*.6.*& di*.44 *q*.1.*&* 49.*q*.13. *& sequentibus,& alibi sæpe.* Quære antiquos, & modernos super li.de Generatione plura addendo:expositionem etiam singularem ibi in Arist. 2. de Anima, pondera signanter.

29 Consequenter cùm dicit infrà, ibi: *De secundo alibi prolixior*, &c..quære *in* 2.*di*.18.*& in* 3.*di*.4. quære Medicos,& in Physi.& alibi plura ad hæc.

Deinde parum pòst cùm dicit,*alibi diffusiùs habetur.*Quære *in q li.de Anima,& q.Collationũ,& in Quodl.q*.15.*& in pri.di*.3.*q*.7.*&* 8.*& in* 2.*di*.3. *par*.2.*q*.1.*& di*.25.*&* 17. *di. pri.* pondera ibi cùm dicit

dicit *alibi prædicta* propter illud, quod suprà in principio præsupposui de his quæstionibus, & scripto in Sententias, quantùm ad prioritatem benè discernendo.

Infrà ibi: *sed hæc de voluntate à multis*, &c. & sequitur, *sed alibi explanare*, quære in 2. vbi priùs, & in primo, & super 2. Phys. & 1. di. pri. & alibi plerumque in doctrina huius, & aliorum, vt nosti 17. di. pri. satis copiosè tractatur, vide vbique Bonauenturam.

Præmissis 6. dictis, seu conclusionibus addit aliam generalem Scoticam, vbique notandam de dignificandis naturis entium, & est sententia Philosophi 8. *Physic. t.c.* 56. *& 2. de Gener. t.c.* 59. *& alibi sapè*, Vide *in 2. di. 2. q.* 11. *& in 1. di.* 17. *q.* 2. *& in* 3. *di.* 3. 13. *&* 14. *&* 19. *& in* 4. *di.* 10. *q.* 7. & aliàs pluries.

Et quod sequitur ibi: *Creatura communiter producuntur*, &c. hoc dicit propter speciales creaturas de potentia absoluta, & fortè ordinata saluandas. Et omnia, quæ sequuntur in obiectionibus, & replicis ibi ad vnguem ponderabis, & solutiones fœcundissimas: nam nullibi meliùs examinauit, & omnem penitus remorsum abiecit.

Responsiones ad argumenta opin. valde fertiles minutìm masticabis, vide in 2. vbi supra prolixiorem subtilitatem de duplici primitate in 1. solutione tacta: sed ad quem locum se remittit in fine illius responsionis notabis, vt suprà sæpè allegaui, multa alia addendo.

Ad secundum argumentum, primò adducit responsionem, quæ videtur Henr. quære eum, vbi suprà, & impugnat singularissimè; & vltimò ponit suam valde doctrinaliter, & vltimò instat tripliciter; vbi adducit responsionem 2. ante quam format 3. & posset litera transmutari: satis tamen benè iacet, ponderabis ibi cùm dicit, *stude*, & an illa verba, quæ sequuntur sint *Extra*, vel vltimata resolutio ad mentem Doctoris.

Cætera, quæ ibi sequuntur, vsque ad finem menti imprime: faciunt enim lectorem, velit, nolit, attentum, nisi sit asinus ad lyram. Expositiones speciales valde in Aristotelem ibi ponderabis, de actu etiam virtuali, & formali, & potentia correspondente: vocat enim *in 2. di.* 3. *q.* 8. actiones tales virtualiter vniuocas. Vide Thom. 1. *par. q.* 77. *art.* 6. *primi*. Videtur ponere huiusmodi duplicem actum: licet non vtatur his terminis. Vide in Quodlib. q. 15. ad finem, & in primo Reportationum, *di.* 35. *q.* 1. optimè ad propositum: sed hæc singularissimè.

Examinabis diligenter illam solutionem de relationibus oppositis: nam in via huius potest ponderari valde illud argumentum difficilius omnibus aliis. Vide 31. *di. pri.* conditiones relationis realis, *&* 6. *q. Quodlibeti, &* 13. *eiusdem, sed* 26. *di. primi*, nota bonam euasionem. Considera etiam an tales relationes sint reales, non obstante, quòd sint 2. modi: posito etiam quòd sint, attende, quòd refert eas poni esse eiusdem, vt subiecti; aut eiusdem vt fundamenti, vel termini. Aduerte etiam, quo modo intelligit Doctor extrema, aut nudè, aut sub relationibus: plura alia subtilia adducantur. Quære Franc. *in primo, Conflat. di.* 3. *qu.* 8. Vide Landulphum, & Pet. de Alia. & alios sequaces, & super 7. & 8. Physicor. resolutos Scotistas, & caue ne Nominalium garritus incurras.

);(

Palàm quia & potentiarum aliæ erunt irrationabiles, aliæ cum ratione: quapropter omnes artes & scientiæ factiuæ potentiæ sunt. *Text. com.* 3.

QVÆSTIO XV.

Vtrùm differentia, quam assignat Aristoteles inter potentias rationales, & irrationales, quòd illæ sint oppositorum, istæ vnius oppositi, sit conueniens? Tex. c. 3.

Arist. *hic c. 2. tex.* 3. *&* 10. *Ethic. q.* 11. *&* 13. *tex.* 41. *&* 42. Aug. *lib.* 3 *de lib. arb.* Euseb. *lib.* 6. *de Preparat. Euangelica*, Damasc. *lib.* 2. *de fide c.* 25. Albert. Mag. *hic tract.* 1. *c.* 4. D. Thom. *lect.* 2. Flandria *q.* 2. *art.* 1. 2. *&* 3. Fons. *c* 2. *q.* 1. *sect.* 1. *& sequent.* Suar. *disp.* 19. *Met. sect.* 1. *n.* 12. *& disp.* 29. *sect.* 6. *num.* 14.

1 Arguitur quòd non: primò de rationalibus sic: Habens potentiam, potest illud cuius est illa potentia; ergo posset aliquis in opposita. Dicitur, sicut videtur Aristot. respondere in litera, quòd non habet potentiam faciendi opposita simul, licèt habeat potentiam simul ad opposita: (T. c. 3. & 10. & 19.) Contrà, in isto *nunc*, in quo est vnum oppositum: quæro an possit in eodem *nunc*, aliud inesse, aut non? si sic, habetur propositum, vt videtur, quòd opposita simul. Si non, ergo potentia ista in hoc *nunc*, non est nisi vnius oppositi. Item, secundò sic: non est potentia, quæ non potest in aliquid: illa autem, quæ est oppositorum, cùm non possit simul in opposita, non videtur posse in aliquid, nisi determinetur, sicut arguitur in litera in 4. cap. (Tex. c. 10.) determinata autem non videtur esse, nisi vnius; ergo inquantum potentia, tantùm videtur esse vnius. Item tertiò, si sic, tunc sequeretur, quòd voluntas posset in oppositum finis: & posset in malum sub ratione mali: sicut & in opposita istorum: consequens falsum, quia in 12. huius, cap. 8. dicit Arist. (Tex. c. 52.) *liberis non licet, quod contingit ferre*, &c. Contra aliud membrum scilicet de irrationalibus, primò sic: Sol potest in oppositos effectus in istis inferioribus, dissoluit enim glaciem, & constringit lutum: tamen potentia eius est irrationalis. Item, infrà cap. 7. vult Philosophus, quòd omnis potentia (Tex. c. 17.) est contradictionis, & declarat etiam in actiuis. (Tex. c. 3.) Item, rationalis secundùm Aristot. non opponitur esse oppositorum per se: sed vnius per se vt habitus, alterius per accidens, vt priuationis: sed potentia irrationalis sic potest esse oppositorum, frigus enim est causa per accidens caloris, & proiiciens pilam ad parietem est causa resilitionis; ergo non est differentia dicta conueniens. In oppositum est Philos. in litera. (Tex. c. 3.)

2 Ad istam quæstionem, tenendo differentiam esse benè assignatam, primò videndum est, quomodo sit intelligenda, deinde quæ sit eius causa. De primo sciendum est, quòd potentia actiua cuiuscunque est, siue actionis, siue termini producti, sic est illius, quòd manente natura eadem, non potest ipsa esse actiua alterius, quàm cuius ex se potest: frigiditas enim manens frigiditas, non potest esse caloris actiua, nec elicitiua calefactionis, si non est de se actiua, quia quicquid circa ipsam fieret, licèt aliud posset aliquid facere, ad esse

Quæ potentia dicitur esse contrariorum?

ad esse caloris, nunquam frigiditas faceret, ad hoc: illa ergo potentia actiua dicitur esse oppositorum, siue contrariorum, siue contradictoriorum productorum, quæ manens natura vna habet terminum primum, sub quo potest vtrumque oppositum æquè cadere. Sed illa est oppositarum actionum, quæ manens vna, est sufficiens elicitiuum talium actionum. Et si actio potentiæ propriæ actiuæ dicatur actum, sicut expositum est quæstione 4. ad tertium argumentum: tunc omnis, quæ est oppositarum actionum, est oppositorum actorum, non èconuerso: hoc autem debet intelligi, quòd potentia sit oppositarum actionum, seu actionis, & negationis eius, sicut patebit in 2. articulo. Et vocatur hæc potentia actiua: non ipsa relatio, quæ numeratur secundùm numerum correlatiuorum; sed natura absoluta, quæ est relationum plurium, quæ sunt ad oppositos effectus, proprium fundamentum.

Forma naturalis tantum assimilat vni opposito.

De secundo videtur Arist. causam dicere ponere talem: quia forma naturalis solummodò est principium assimilandi vni opposito similitudine naturali: sicut ipsa est ipsa, & non opposita: forma autem intellectus puta scientia est principium assimilandi oppositis similitudine intentionali, sicut & ipsa est virtualiter similitudo oppositorum cognitorum, cùm alterum contrariorum includat priuationem alterius: agens autem illius est actiuum, quod potest sibi assimilari secundùm formam, quâ agit: ideò videtur Aristoteles ponere dictam differentiam.

3

Sed illa ratio multipliciter improbatur. Primò, quia forma naturalis potest esse principium assimilandi virtualiter opposito, patet de sole. Secundò, quia solummodò intellectum, vel scientiam ponere videtur potentiam rationalem, quod falsum est, vt pòst dicemus. Hoc etiam expressiùs ponere videtur in 4. cap. vbi concludit, quòd potentia rationalis est oppositorum, & nihil facit, nisi determinetur ad alterum illorum, & illud determinans dicit esse appetitum, aut prohæresim; ergo istam videtur excludere à ratione potentiæ rationalis, vt ipsa est oppositorum. Et expressiùs patet per sequentia, vbi videtur dicere, quòd rationalis sic determinata necessariò faciet, sicut & irrationalis ex se necessariò facit. Videtur ergo simpliciter: quòd non sit potentia rationalis illud aggregatum ex intellectu quem ponit esse oppositorum, & ex appetitu determinante, quem ponit necessarium ad hoc, quod aliquid fiat. Tertiò, non videtur valere probatio, quòd intellectus sit contrariorum, licèt priuatiuè oppositorum: quia contrarium, etsi includat priuationem alterius, non tamen præcisè: sed est aliqua natura positiua, & ita habet aliquam cognitionem propriam suæ entitatis, & non præcisè alterum oppositum; immò per alterum oppositum tantùm secundùm quid cognoscitur.

Tex. com. 10.

SCHOLIVM I.

Primam *distinctionem potentiæ actiuæ, esse in naturam, & voluntatem, illa ex se est determinata ad agendum, ita vt nequeat non agere, nisi impediatur: hæc est indeterminata, ita vt possit agere hunc actum, vel oppositum, vel omnem actum suspendere, & si quæras causam, quare hæc est sic indeterminata, illa non, nulla est, nisi quia hæc, est hæc, &c. Quod docet hanc:* voluntas vult *esse immediatam, habet 3. d. 7. q. 1. n. 7. & 1. d. 8. q. 5. nu. 24. & 2. d. 1. q. 2. n. 9. & suprà l. 5. q. 2. n. 6. Vide Schol. 2. ibi. Quod etiam docet indeterminatum per actualitatem non egere determinante, secus de indeterminato, materialiter, seu passiuè habet 1. d. 7. n. 4. & d. 28. q. 3. n. 12. & aliàs passim.*

4

Quantùm ergo ad secundum articulum, primò videndum est de dicta differentia in se. Secundò de intentione Aristotelis circa ipsum. De primo, sciendum est quòd prima distinctio potentiæ actiuæ est secundùm diuersum modum eliciendi operationem: quod enim circa hoc, vel illud agat, & si aliquo modo distinguat, aut distinctionem ostendat; non tamen ita immediatè: non enim potentia ad obiectum circa quod operatur, comparatur, nisi mediante operatione, quam elicit, & hoc sic, vel sic. Iste autem modus eliciendi operationem propriam, non potest esse in genere, nisi duplex. Aut enim potentia ex se est determinata ad agendum, ita quòd quantùm est ex se, non potest non agere, quando non impeditur ab extrinseco; aut non est ex se determinata, sed potest agere hũc actum, vel oppositum actum: agere etiam, vel non agere. Prima potentia communiter dicitur natura, secunda dicitur voluntas. Vnde prima diuisio principiorum actiuorum est in naturam & voluntatem. Iuxta quod Aristoteles in 2. Physic. duas ponit causas mouentes per accidens: casum iuxta naturam, & fortunam iuxta propositum siue voluntatem. Si ergo huius differentiæ quæritur causa, quare scilicet natura est tantùm vnius, hoc est, cuiuscunque, vel quorumcunque sit, determinatè ex se est istius, vel illorum: voluntas autem est oppositorum, id est, ex se indeterminatè huius actionis, vel oppositæ; seu actionis, vel non actionis. Dici potest, quòd huius nulla est causa: sicut enim effectus immediatus ad causam immediatam comparatur per se & primò, & sine causa media, alioquin iretur in infinitum; ita causa actiua ad suam actionem, inquantum ipsam elicit, videtur immediatè se habere: nec est dare aliquam causam: quare sic elicit, nisi quia est talis causa. Sed hoc est illud, cuius causa quærebatur. Sicut ergo calidum calefacit, quia est calidum, nec ista propositio est mediata: sed est prima in quarto modo per se: ita & hæc. *Calidum ex se determinatè calefacit.* Similiter illa: *voluntas vult*, & voluntas non vult determinatè determinatione necessaria ex se. Contra ista obiicitur primò sic: ista propositio est contingens, *voluntas vult*, si voluntas non est ex se determinata ad volendum: quomodo autem aliqua propositio contingens est immediata? Secundò sic: quare ponitur ista indeterminatio in voluntate, si non potest probari per naturam voluntatis? Ad primum responsio, ex necessariis non sequitur contingens. Patet, accipiatur aliqua contingens; si est immediata, habetur propositum; si non, detur medium; altera præmissa ad ipsam est contingens, aliàs ex necessariis inferretur contingens: ista præmissa contingens si est mediata, altera præmissa ad ipsam erit contingens; & sic in infinitũ, nisi stetur in aliqua cõtingente immediata.

Prima distinctio potentiæ actiuæ, in voluntatem, & naturam. Prima diuisio principij actiui in naturã, & voluntatem. Tex. c. 50. & inde.

Quare causa naturalis agit determinatè voluntas indeterminatè nulla est causa.

Voluntas vult, *est propositio immediata.*

5

Tex. c. 44.

Confirmatur 1. Posterior. vlt. vult Arist. quòd contingit opinari *propter quid*, scilicet per immediata, & *quia*, per mediata: ita in proposito, volũtas vult A, si non est causa inter extrema, habetur propositum; si est causa, puta voluntas vult B, procedetur vlteriùs, alicubi stabitur, vbi? quare voluntas illud volet? nulla est alia causa, nisi quia est voluntas. Et tamen si illa vltima propositio esset

Quomodo probatur indeterminatio voluntatis?

esset necessaria, non antecederet sola ad aliquam contingentem. Ad secundum, à posteriori probatur: experitur enim qui vult se posse non velle, siue nolle, iuxta quod de libertate voluntatis alibi diffusiùs habetur. Secundò, dubitatur circa prædicta, quomodo reducetur talis causa ad actum, si indeterminata est ex se ad agendum, & non agendum? Responsio, est quædam indeterminatio insufficientiæ, siue ex potentialitate, & defectu actualitatis, sicut materia non habens formam, est indeterminata ad agendum actionem formæ. Est alia superabundantis sufficientiæ, quæ est ex illimitatione actualitatis, vel simpliciter, vel quodammodò. Primo modo, indeterminatum non reducitur ad actum: nisi priùs determinetur ad formam ab alio: secundo modo, indeterminatum potest se determinare. Si enim posset hoc, si haberet actum limitatum, quantò magis si illimitatum? cùm nullo tunc careat, quod fuit simpliciter principium agendi: alioquin Deus, qui est summè indeterminatus ad quamcunque actionem indeterminatione illimitationis actualitatis, non posset ex se aliquid agere, quod est falsum. Exemplum huius, ignis est calefactiuus, nec quæritur extrinsecum à quo determinetur ad agendum: si tunc nulla diminutione facta in perfectione caloris, daretur sibi perfectio frigoris, quare non ita ex se determinari posset ad calefaciendum, vt prius? Exemplum tamen illud non est omnino simile, sicut dicetur respondendo ad argumentum principale. Indeterminatio autem quæ ponitur in voluntate, non est materialis, nec imperfectionis, inquantum ipsa est actiua; sed est excellentis perfectionis, & potestatis non alligatæ ad determinatum actum.

Indeterminatum, aliud potentialitatis, aliud actualitatis.

SCHOLIVM II.

EXPLICAT *benè quomodo intellectus sit idem principium, cum natura, quia ex se indeterminatus non est; vt autem saluet intentum Aristotelis, qualiter sit potentia rationalis, id est oppositorum, exponit id intelligendum esse, quatenus eius actus determinatur à voluntate, in ordine ad aliquid faciendum; vnde vt præcedit actum voluntatis, ad naturam spectat: quomodo autem intellectus subsit voluntatis imperio, ad conuertendum eum ad obiecta, vel diuertendum ab eis, tractat benè Doct. 2. d. 42. q. 4. à num. 10.*

6

Sed quomodo faciunt prædicta ad intentum Aristotelis, qui differentiam dictam non ponit inter naturam, & voluntatem, sed inter irrationalem potentiam, & rationalem, per rationalem intelligens solum intellectum, vt videtur secundùm suprà allegata? Respondeo, intellectus, & voluntas possunt comparari ad actus proprios quos eliciunt; vel ad actus aliarum potentiarum inferiorum, in quibus quandam causalitatem habent: intellectus ostendendo, & dirigendo: voluntas inclinando, & imperando. Prima comparatio est essentialior, patet, & sic intellectus cadit sub natura: est enim ex se determinatus ad intelligendum, & non habet in potestate sua intelligere, & non intelligere, siue circa complexa, vbi potest habere contrarios actus. Non habet etiam illos in potestate sua assentire, & dissentire, intantum, quòd si etiam aliqua vna notitia sit oppositorum cognitorum: vt videtur Aristoteles dicere: adhuc respectu illius cognitionis non est intellectus ex se in-

Tex. c. 3. & inde.

determinatus, immò necessariò tunc elicit intellectionem, sicut aliam, quæ esset tantùm vnius cogniti. Voluntas autem ad proprium actum eliciendum opposito modo se habet, vt dictum est priùs. Vnde isto modo loquendo ponuntur tantùm duæ productiones in diuinis, & quòd intellectus est idem principium cum natura. Secundùm hanc primam comparationem non videtur loqui Aristoteles: secunda comparatio videtur quasi accidentalis; tum, quia ad actus aliarum potentiarum non comparantur istæ potentiæ, nisi mediantibus actibus propriis, vt videtur, qui proprij priores sunt illis aliis. Tum, quia specialiter intellectus hoc modo non habet rationem potentiæ actiuæ propriæ dictæ, & tactum est in 7. c. 6. q. 2. Et hoc modo videtur Aristoteles loqui, & ponere talem ordinem, quòd primò requiritur notitia aliqualis oppositorum. Sed ista ex se est insufficiens ad aliquid causandum extrà, quia vt arguit in 4. ca. tunc faceret opposita, hoc non videtur sequi, nisi quia intellectus etiam cognoscens opposita, quantùm ad illud causalitatis, quod habet respectu eorum fiendorum extrà, ex se determinatus est ad illud cuius est; & ita non solùm non est rationalis respectu actus proprij: sed nec completiuè rationalis respectu actus extrinseci, in quo dirigit; immò præcisè sumptus etiam respectu extrinseci, est irrationalis: solummodò autem secundùm quid rationalis, inquantùm præexigitur ad actum potentiæ rationalis. Sequitur voluntas determinans: non sic, quòd ipsa potentia voluntatis ex se determinata sit ad vnum, & per hoc aggregatum, & ex intellectu oppositorum, & voluntate sit vnius, vt suprà allegatur: sed quòd voluntas, quæ indeterminata est ad actum proprium, illum elicit, & per illum determinat intellectum quantùm ad illam causalitatem, quam habet respectu fiendi extrà. Vnde Arist. dicit, *hoc autem dico appetitum: aut proheresim*, id est, electionem: non dicit autem voluntatem scilicet potentiam. Itaque si potentia rationalis dicatur ab Aristotele intellectus, differentia dicta sic intelligenda est, secundùm suprà posita; sibi non conuenit respectu actus proprij: nec inquantùm per actum suum concurrit ad actũ potentiæ inferioris, præcisè sumẽdo actum suum; sed vtroque modo cadit sub natura: cadit autem sub alio membro, inquantum subest per actum suum actibus voluntatis. Si autem intelligitur *rationalis*, id est, cum ratione, tunc voluntas est propriè rationalis, & ipsa est oppositorum, tam quo ad actum proprium, quàm quo ad actus inferiorum: & non oppositorum modo naturæ, sicut intellectus non potens se determinare ad alterum: sed modo libero, potens se determinare; & ideò est potentia, quia ipsa aliquid potest, nam potest se determinare. Intellectus autem propriè non est potentia respectu extrinsecorum, quia ipse si est oppositorum, non potest se determinare, & nisi determinetur, nihil extrà poterit.

Intellectus quomodo idẽ principium cum natura.

Tex. c. 10.

Quomodo intellectus dicitur potentia rationalis?

7

Quomodo voluntas determinat intellectum?

Tex. c. 10.

Quomodo voluntas est rationalis?

SCHOLIVM III.

SOLVVNTVR *argumenta posita n. 3. contra differentiam potentiæ rationalis, & irrationalis assignatam à Philosopho. Ad primũ, benè explicat quomodo potentia Solis non est rationalis, et si quodãmodò sit oppositorum, quia est determinata ad singulos effectus, sicut si ad eum tantùm ordinaretur. Ad secundum, sustinet secundum Aristot. voluntatem non excludi à ratione potentiæ rationalis, nisi prout hæc*

hac incompletè sumitur pro notitia oppositorum, quæ secundùm ipsum nullius extrinseci est causa, nisi determinatione facta aliunde, nempe per voluntatem, quæ propterea est completè potentia rationalis. Explicat alia loca Philosophi, huc spectantia. Vide eum in expositione textus 10. hic. Ad tertium, explicat quomodo aliqualiter vnum contrarium cognoscitur per alterum & docet benè causam liberam, etiam pro instanti, quo agit, posse in oppositum, explicans illud Philosophi: omne quod est, quamdiu est, necesse est esse, *de quo agit 1. d. 39. à 2. num. 18. & 2. d. 1. q. 3. ad 2. pro Henrico num. 17.*

8 Per dicta potest responderi ad illa, quæ superius allegantur contra viam Aristotelis. Ad primum respondeo de Sole, forma naturalis si est illimitata, & principium oppositum in materiis dispositis illorum, est ita determinatè, sicut illa, quæ est vnius tantùm, est illius determinatè: nam non est in potestate sua ad alterutram istarum formarum, non agere præsente passo receptiuo huius formæ, & illius: sicut nec esset, si esset vnius tantùm: voluntas autem actionis suæ, siue circa hoc oppositum in quod potest, siue circa illud, non est principium ex se determinatum, sed potestatiuè determinatiuum sui ad alterutrum. Et per hoc patet, quomodo deficit similitudo superiùs posita, de calore, & frigore, in eodem contentis vnitiuè. Nec breuiter aliquod potest exemplum conueniens omnino adduci, quia voluntas est principium actiuum, distinctum contra totum genus principiorum actiuorum, quæ non sunt voluntas, per oppositum modum agendi: ideò satis videtur fatuum, vniuersales propositiones de principio actiuo applicare ad voluntatem, propter hoc, quòd non habeat instantiam in aliquo alio à voluntate. Sola enim est non talis, nec ideò negandum est eam esse talem, quia alia non est talis, quia principium actiuum creatum capax est sine contradictione illius perfectionis, quam attribuimus voluntati scilicet quòd non solùm determinetur ad vnum effectum, vel actum, quia multas habet in virtute; sed nec ad aliquem istorum determinatur, quos in virtute sufficiente habet. Quis enim negat actiuum esse perfectius quantò minus dependens, & determinatum, & limitatum respectu actus, vel effectus? Et si hoc conceditur de illimitatione ad multos, & contrarios effectus, cum determinatione tamen naturali ad quemcunque illorum: quantò magis, si cum prima indeterminatione, ponitur, & secunda? Hæc enim nobilior est contingentia, necessitate: sicut tactum est in 5. in q. mota cap. de Necessario, scilicet quomodo perfectionis est in Deo nihil necessariò causare. Si ergo ista perfectio, quam attribuimus voluntati, principio actiuo creato non repugnat, & summum tale est voluntas, sibi rationabiliter est attribuenda: & ista declaratio melior est quàm illa priùs posita de calore, & frigore vnitis. Secundùm hoc potest illa ratio, quæ videtur poni in litera pertractari sic: si intellectus per eandem notitiam, est aliquo modo oppositorum, vt ostendens; ergo potentia actiua indeterminatior potest esse excellentiori modo oppositorum, scilicet vt ipsa vna existens, possit se ad vtrumque illorum ostensorum determinare: alioquin frustrà videretur data fuisse potentia prima oppositorum: quia ipsa sine secunda in nullum illorum posset; ita quòd argumentum sit à minori: non autem à causa propria: scientia enim non est causa propria differentiæ prædictæ.

Forma illimitata naturalis est ita determinata, sicut si esset vnius effectus.

Sola voluntas est libera.

Actiuum eo perfectius, quo minùs dependēs, & limitatum.

q. 3.

9 Ad secundum, non excepit Aristoteles voluntatem à potentia rationali: nisi vt potentia rationalis sumitur incompletè scilicet pro notitia oppositorum: sed dicit istam incompletam nullius extrinseci esse causam, nisi determinatione facta aliunde. Quæro à quo sit ista determinatio per electionem? non nisi à potentia eligente, & hæc vt distinguitur contra rationem. Ratio enim non est determinatiua, cùm sit oppositorum, respectu quorum se non potest determinare, nec multò magis aliud à se; aut si determinaret, hoc esset simul ad opposita, sicut Arist. arguit de *agere*: & illud aliud non necessariò determinat ad istud oppositum, quia tunc intellectus, nec in potentia remota esset oppositorum: igitur illud aliud contingenter se determinat: & cùm per actum suum fuerit determinatum, consequenter determinat intellectum. Innuit ergo Aristoteles quòd illa potentia est ex se oppositorum, sic quòd est determinatiua sui ad alterutrum, per cuius actum iam determinatè elicitum, ponit illam determinari respectu operis exterioris, quæ erat ex se sic oppositorum, quòd necessariò nec potuit se determinare. Et ita ostendēdo 4. cap. quomodo rationalis potentia incompleta procedit ad actum, manifestè videtur innuere, quòd est alia rationalis completa, quantùm ad illam differentiam hîc positam, & quòd illæ duæ cum actibus suis concurrunt respectu effectus exterioris, ad quem non est potentia contradictionis propriè in potentia exequente, quæ est rationalis per participationem: sed tota ratio potentiæ ad opposita formaliter est in voluntate.

Non exclusit Arist. voluntatem à potentia rationali. Voluntas est completè potentia rationalis.

T. c. 10. & inde.

10 Quod autem subdit Aristoteles quod rationalis sic determinata, necessariò est vnius, quod concupiscit, principaliter hoc faciet. Posset dici, quòd non est verum de necessitate absoluta: sicut enim antecedens si est antecedens scilicet illud velle, non est necessarium; ita nec consequens, si est necessariò consequens, si illud exterius *facere*, est necessarium. Si autem sequitur, necessariò vult hoc extrinsecum: ergo non impeditum facit hoc: tunc Arist. nullum effectum poneret, nisi à causa priùs determinata ad ipsum, priùs naturâ, quam ipsum producat, excepto solo *velle*, quod sequitur apprehensionem oppositorum, & determinat secundum ipsum respectu sequentium extrà. Sic posset exponi illud, quod est in fine ca. 4. *Propter quod nec si opposita vult, necessariò faciet*, &c. quare enim non sequitur hoc de voluntate? & tamen priùs arguit in principio c. de potentia rationali, quòd ipsa simul faciet scilicet opposita, videtur bona differentia: quia sic faciet, sicut faciendi habet potentiam: non autem sicut habet potentiam faciendi. Potentia autem rationalis incompleta ipsa ex se, vt dictum est, est naturalis respectu oppositorum: ideò quantùm est ex se, non tantùm simul oppositorum, sed etiam oppositorum simul: & ideò si ipsa ex se faceret illa, simul faceret. Sicut Sol est oppositorum simul in diuersis receptiuis; & simul faceret, illis approximatis; & si esset illorum æqualiter, & tantummodò aliquod idem passum æquè receptiuum amborum, esset sibi approximatum, nihil faceret, vel simul in illo opposita: ita hîc. Contrà, intellectus non est æqualiter oppositorum; ergo ageret secundùm virtutem fortiorem. Respondeo: per notitiam vnam, quæ est habitus & priuationis, non est æqualiter istorum: sed huius per se, & illius per accidens: sed per duas notitias positiuas, potest esse causa oppositorum.

T. c. 10.

T. c. 10.

T. c. 3. & 10.

Potentia rationalis incompleta, nō tantū simul oppositorum, sed etiam oppositorum simul.

Aliud habere faciendi potestatem, aliud potestatem faciendi.

Contrà: quomodo valet consequentia Aristote-

lis de *non æqualiter*? Non sic autem de voluntate: si enim est oppositorum virtualiter, simul est eorum sed non eorum simul, quia non est eorum modo naturæ: sed potens se determinare ad alterutrum ante alterum, & ideò sic faciet.

11 Hoc modo posset fortè quartum cap. exponi: quod multum esset pro voluntate, licèt aliquid videatur ibi contra voluntatem. Sed contrà: quare saltem vocat ita frequenter potentiam rationalem intellectum, & non sic voluntatem, licèt innuat secundùm prædicta? potest dici, quòd actus intellectus primus est communior actu voluntatis, & nobis notior. Arist. autem de manifestioribus sæpiùs locutus est, vnde de voluntate pauca dixisse inuenitur: quamuis ex dictis eius aliqua sequantur, in quibus consequenter dixisset, si ita considerasset.

Quare Aristot. sæpiùs vocat intellectum potentiam rationalem?

Tertium contra Aristot. inductum verum concludit, scilicet quòd notitia simplicis apprehensionis, vtriusque contrarij est propria sibi, & per speciem propriam: notitia tamen discursiua, quia vnum est prius naturaliter alio, potest esse principium cognoscendi aliquid de illo: & sic potest exponi illud primo de Anima, *rectum est iudex sui, & obliqui*; iudicium enim non pertinet ad simplicem apprehensionem: sed ad collationem complexorum. Quantùm enim ad notitiam secundùm quid, vnum potest simplici apprehensione apprehendi per speciem alterius; quantùm scilicet ad priuationem, quam includit: non quidem intra suam essentialem rationem, sed concomitanter. Primo ergo modo contrariorum est notitia eadem vnius formaliter, & alterius virtualiter; sicut principij & conclusionum: & si aliqua volitio, puta fortè electio præexigat iudicium aliquod de eligendo, potest vnum contrariorum per alterum cognosci quo ad illam notitiam: licèt contra illud iudicium quandoque eligat. Secundo modo est eadem notitia contrariorum, vnius secundùm quid, alterius simpliciter: & ista sufficit ad hoc, quod voluntas velit alterutrum contrariorum, inquantum ostenditur per illam notitiam, & sic potest in contraria; ergo & simpliciter: quia non repugnant absolutè, nisi ratione priuationis talis, non autem in ratione volibilis: vt videtur, quia vtrumque inquantum positiuum, videtur volibile.

T. c. 85. Rectum index sui, & obliqui.

Quomodo vnum contrariorum cognoscitur per alterum?

12 Si dicatur, quod potentia rationalis valet ad opposita: nisi determinetur ad vnum, & tunc non. Contrà: ex hoc sequitur, quòd non est differentia inter potentias rationales & irrationales, quantùm ad hoc, quod est posse in opposita: consequens est falsum ex isto 9. Metaphysicæ; ergo, & antecedens. Probatio consequentiæ, potentia irrationalis, tam actiua, quàm passiua, vt est prior naturaliter actu determinante, potest in opposita: vt patet ex Arist. 2. Perihermenias, & Boëtio sexto Commentarij super eundem, editione secunda, vbi ponit exemplum de aqua, quæ potest frigefacere, & calefacere. Item, si non posset in opposita quando est actu determinata, hoc est in illo instanti, & pro illo, nullus effectus actuans esset actu contingens: consequens est falsum; ergo, & antecedens, falsitas consequentis patet per Philosophum, primo Perihermenias, vbi vult, quòd hæc propositio est necessaria: *omne quod est, quando est necesse est esse* quia aliquid est contingenter. Probatio consequentiæ, effectus non dicitur contingens in potentia, nisi ratione causæ potentis in oppositum; ergo nec in actu effectus contingens, nisi causa actu causans, actu posset in oppositum pro illo *nunc*, pro quo causat ipsum: sed per te nunc non potest, cum pro tunc sit determinata; ergo. Si dicas, effectus dicitur contingens, quia potest non fieri. Contrà: priùs non fuit ens: ergo nec priùs actu effectus contingens: loquimur enim nunc de contingentia, prout est modus entis in actu, quando est in actu, & pro illo *nunc*, pro quo est in actu.

Cap. 2.

Cap. 6.

Causa libera quando agit potest non agere.

Item, quod conuenit alicui per se, & primò, eius oppositum non conuenit ei per se, nec per accidens ipso manente; alioquin demonstratio *propter quid* concludens passionem de subiecto, non esset ex necessariis: sed posse in opposita conuenit potentiæ rationali secundùm se, & primò, vt propria passio potentiæ rationalis, inquantum rationalis: nam per hoc distinguitur ab irrationali 9. Metaphysicæ; ergo, &c. Item, Deus prædestinatum potest non prædestinare in illo, & pro illo *nunc*, pro quo prædestinauit, non obstante determinatione voluntatis suæ per actum prædestinandi, secundùm omnes; ergo determinatio non tollit posse in opposita.

SCHOLIVM IV.

AD primum benè explicat pro instanti, quo voluntas vult, posse in oppositum, non simul ponendum, sed quia priùs ratione poterat elegisse oppositum; quo sensu Deus ab æterno liberè voluit electos, potens non eligere, & Angelus primo instanti sui esse potuit peccare, de quo Doct. 2. d. 5. q. 2. Ad secundum, benè docet contra Physicas prædeterminationes, primam determinationem voluntatis esse suum actum: intellectum tamen, quia se determinare nequit, ab extrinseco determinari, de quo 1. d. 3. q. 6. Ad tertium, non resoluit hic de obiecto voluntatis; sed quoad velle, tenet esse bonum verum, vel apparens, 3. d. 33. num. 6. & 4. d. 43. q. 2. & d. 50. q. 2. nu. 1. malum autem est obiectum nolitionis eius. Vide suprà q. 5. Scholium tertium. An autem sit libera circa vltimum finem, tam in particulari, quàm in communi propositum, tractat doctor fusè quòd sic 1. dist. 1. q. 4. contra D. Thomam; sed non potest nolle Deum in se, quia nulla est in eo ratio mali, quippe qui est omne bonum, cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

13 Ad argumenta principalia. Ad primum, patet, quòd potentia rationalis, prout dicitur voluntas est contrariorum, non simul fiendorum: sed potest se determinare ad alterutrum, non sic intellectus. Cùm arguitur contrà: possum nunc non sedere nunc, supposito quòd sedeam. Dico, quòd in sensu composito propositio de possibili, componendo opposita, est falsa: quia notat potentiam esse ad opposita simul. Dicerent aliqui, quòd quando est sessio, est necessariò, iuxta illud primi Periherm. *Omne, quod est quando est*, &c. & nihil pro tunc possibile: sed tantùm pro instanti priori, pro quo potuit non fore nunc. Et isti non videntur, quòd possint saluare voluntatem nunc esse potentiam ad oppositum eius, quod inest, huius positionis absurditas patet, scilicet, quòd necessitas, & contingentia non sint propriè conditiones entium quando existunt: sed tunc necessitas, & contingentia nunquam: quia quando non est, nec est necessariò, nec contingenter. Quomodo autem illa auctoritas primi Periherm. pro illis non facit propter fallaciam Consequentis, & figuræ dictionis, & propter *secundum quid*, & simpliciter; prolixum esset nunc explicare.

Necessitas, & contingentia, conditiones entium existentium.

Voluntas pro instanti, quo agit potest non agere, quia prius ratione indifferens est.

explicare. Potest dici aliter, quòd voluntas quando est in aliqua volitione; tunc contingenter est in illa, & illa volitio tūc contingenter est ab ipsa; nisi enim tunc, nunquam: quia nunquam aliàs est ab ipsa, & sicut illa contingenter inest, ita voluntas tunc est potentia potens respectu oppositi, & pro tunc in sensu diuisionis: non scilicet quòd possit illud oppositum ponere simul cum isto, sed quòd possit illud oppositum ponere in hoc instanti, non ponendo illud aliud in hoc instanti: quod tamen aliud diuisim ponit in hoc instanti, & hoc non necessariò, sed contingenter. Ad secundum, si arguitur de voluntate, dicò quòd illa potest in actum nulla determinatione in ipsa præintellecta actu: ita quòd prima determinatio, & tempore, & natura, est in positione actus: & si tunc de ipsa accipiatur, in nihil potest, nisi priùs determinata: falsum est. Si autem arguitur de intellectu cognoscente opposita, tunc verum est, quòd respectu extrinseci non potest aliquid, nisi determinetur aliunde: quia ex se est illorum per modum naturæ, non potens se ad alterum determinare; vel ergo ambo aget, vel nihil. Et si de intellectu concludatur, quod non est sufficiens potentia rationalis: conceditur iuxta prædicta, immò si Sol per impossibile esset cum virtutibus inferioribus, sine voluntate, nihil vnquam fieret nisi determinatè modo naturæ, & nulla esset potentia sufficiens ad faciendum alterutrum oppositorum.

Prima determinatio voluntatis est eius actus, nota contra prædeterminatores physicos.

14

Ad tertium dicitur, quòd potest habere actum circa opposita, quæ subsunt suo primo obiecto: quod quantùm ad actum volendi, ponitur bonum verum, vel apparens: non est autem circa oppositum sui primi obiecti, quod ponitur malum, inquantùm malum. Similiter de actibus ponitur, quòd oppositos potest habere, scilicet velle, & nolle circa illud, in quo potest aliquid inueniri de ratione primi obiecti vtriusque actus, scilicet aliquid boni, & aliquid mali: in fine vltimo nihil inuenitur de malo, & respectu eius videntur aliqui ponere, quòd non sit potentia rationalis. Similiter videntur ponere, quòd per habitum aliquem possit immobilitari respectu aliorum aliquorum à fine vltimo. Discussionem istorum, & an circa finem determinetur ad *velle*, & circa malum, inquantum malum ad *nolle*, hæc omitto quærere. Ad quartum argumentum de Sole patet supra ad responsionem ad primum obiectum contra Aristotelem. Ad quintum dici potest, iuxta principium primi articuli, quòd frigus nunquam facit ad *esse* caloris: facit tamen aliquid, quo facto aliquid aliud potest magis calefacere: puta constringit, ne calor interior diffundatur, & ita calor vnitus magis calefacit. De proiectione pilæ, licèt sit aliqua contrarietas in motu reflexo ad motum rectum, quanta requiritur inter vbi terminantia motum localem: non est tamen contrarietas formalis: quia violenter mouens: aliquid ad *vbi*, mouet ad omne *vbi* possibile acquiri per illum motum; si in directum potest, sic mouetur; si non, redit, & hoc donec factus fuerit motus proportionatus violentiæ mouentis. Hæc, & alia quæcunque in radiis reflexis, & fractis, qualis est in rationalis contingentia, & etiam aliter; nullā talem indifferentiam ponunt in aliqua potentia irrationali qualis est in rationali. Ad vltimum absque exceptione, omnes potentiæ passiuæ ex se sunt contradictionis: licèt si forma necessariò ens, necessariò dependeret ad materiam compositam, esset incorruptibile, & materia necessariò esset sub illo actu; sed non ex necessitate ex parte sui, sed ex forma. Actiuæ verò sunt contradictionis, sicut exponit Arist. per *adesse*, & non. Quod si intelligatur de passiuo approximato, & non approximato; sic omnis actiua, cuius actio dependet à passo, potest esse contradictionis, non ex se, sed aliunde, si intelligitur de impediente; sic omnis actiua naturalis corruptibilis est impedibilis, etiam per causam naturalem aliam actiuam: sed nulla naturalis ex se habet posse oppositas actiones circa idem elicere, seu ex se agere & non agere, quomodo potentia rationalis est contrarietatis vel contradictionis. Ideò illa propositio non facit contra intentionem Aristotelis assignantis differentiam prædictam.

Quod obiectum voluntatis?

Frigus an facit ad causandum calorem?

A quo fit reflexio pilæ?

Omnis potentia passiua est contradictionis.

Actiua quomodo contradictionis.

ANNOT. MAVRITII.

15

SEquitur quæstio decima & vltima huius 9. de differentia potentiarum rationalium, & irrationalium, t.c. 3. quæ pulchra, atque vtilis plerumque est, in qua sententia Doctoris, licèt sit subtilis, satis tamen determinata, declarat primò intellectum differentiæ. Deinde quærit eius causam; vbi videtur tangere modum dicendi aliorum, quem tamen infrà sustinet ad mentem Aristotelis: quære antiquos hîc, maximè Alexand. de Alexan. quem præsupponit vbique in hac metaphysica, & Albertum, & Thom. & alios; obiicit verò contra illum modum dicendi, seu causæ redditionem tripliciter. Deinde prosequitur alio modo intentum sub duplici membro. Alibi sæpè tangit fundamenta huius solutionis. Quære enim 2. *dist. pri. & 10. & sequentibus, in Quodlibeto etiam q.* 16. *& sequentibus, & alibi.*

Quod tangit ibi consequenter de immediatione propositionis contingentis, vide *in prolog.* q. 3. & 8. *di. pri. ad finem, & 14. q. Quodlibeti*, vbi plura ad propositum huius materiæ 39. *etiam di. pri.* & alibi sæpè idem habet. quære Ocham, vt nosti.

Deinde cùm dicit, *Iuxta quod de libertate voluntatis alibi*, &c. quære antiquos quos suprà sæpè notaui, & maximè Theologos. Quære in Theorematibus, & super 2. Physicorum. In primo *dist.* 1. q. 4. *& dist.* 10. *& infra, & in* 4. *dist.* 49. *q.* 10. *& in Quodlibeto q.* 16. *&* 18. *& in secundo, dist.* 25. *&* 28. & alibi sæpe in doctrina huius habetur hoc copiosè: sed Ocham *Quodlibeto* 1. *q.* 16. *&* 17. & alios aduersarios inquire, & exclude vbique.

Aliud notabile, quod consequenter tangit de duplici, videlicet indeterminatione, & determinatione opposita, vide optimè 28. *dist. pri. quæst. finali, & 2. dist. eiusdem, parte 2. quæst. 4. & etiam 3. dist. eiusdem, quæst. 7. ad finem, & 7. distin. eiusdem*, vbi plura ad propositum, & alibi plerumque idem inuenies.

Infrà ibi: *Sed quomodo faciunt*, &c. vide quæ sequuntur ibi *in primo dist. 2. par. 2. q. 4. ad finem, & in quodlib. vbi prius* notanter.

Cætera quæ sequuntur ibi: *per dicta potest responderi*, &c. vsque ad solutiones principalium, nota singularissimè, quia profunda, & necessaria vbique doctrina, & tange plura pro, & contra, vt nosti ex antiquis, & modernis.

16

Motiuum illud, quod tangit in solutione principalis primi ex primo Perihermenias, omne

quod

quod est, &c. videtur esse Henr. Pro cuius clariori notitia, vide in primo *dist.* 39. *soluendo instantias in solutione principali*, *& in distin.* 1. *quæst.* 3. *soluendo rationes Henr. & in* 3. *distin.* 18. *soluendo* 4. *principale*, *& super* 1. *lib. Perihermenias ad finem*, *maximè in modernis Parisiensibus*, *& alibi.*

Quod infrà ibi: *discussionem istorum*, *& an circa finem determinetur ad velle*, *&c.* omisit indiscussum. Quære vbi supra notaui, scilicet *in primo*, *distin.* 1. *quæst.* 4. *& in* 2. *distin.* 6. aliqualiter, & vbi prius, & *in quodlibeto quæst.* 16. optimè, & *in* 4. *distin.* 49. *quæst.* 6. 9. *&* 10. & alibi plerumque. Quære Franc. May. & Ocham, & alios antiquos, vt sæpè notaui. Vult breuiter vbique quòd voluntas creata non necessitatur absolutè respectu alicuius obiecti, & quod potest suspendere actum respectu cuiuscunque: si tamen elicit, respectu finis, vel boni, inquantum tale est tantùm *velle*; & mali tantùm *nolle*.

Deinde, quod breuiter pertractat in solutione 5. principalis de causalitate frigoris respectu caloris, & de motu reflexo, quære in Physicis, & apud Medicos, & in problematibus Arist. & in Perspectiua, & alibi, vt scis, copiosè, & similiter in solutione vltimi principalis, vide diligenter ea, quæ paucis colligit, quia maximæ fœcunditatis.

17 Alias quæstiunculas, quas Ant. And. hîc mouet, videlicet *an actus sit prior potentia*, &c. & *an actio sit in passo*, accepit ex dictis suprà, & in sententiis, & physicis, vide *in* 4. *distin.* 13. *quæst.* 1. *& quodlibeto*, *quæst.* 15. *& primo Reportationum*, *distin.* 27. & alibi sæpè in doctrina huius pro secunda. Prima verò videtur tantùm dubium literale. Quære etiam in sex Principiis pro secunda, altercatio tamen magna apud antiquos videtur esse circa illam, quære Thomam, & sequaces, vide 1. *quæst.* 4. *&* 2. *quæst. quodlibeto artic.* 1. *ratione* 2. *&* 2. *distin. pri. parte* 2. *quæst.* 4. *in solutione*, *& primo Reportationum*, *distin.* 7. *quæst.* 2. ea, quæ faciunt ambiguitatem pro, & contra, an actio sit in agente: an certè in passo.

Similiter quæst. 10. lib. hinc inde collegit. Nam quatuor primæ quæstiunculæ sunt dubia literalia, de quibus fecit Doct. mentionem suprà, aliqua etiam ex Postprædicamentis, & primo Physicorum, accepit in 4. illarum, 5. verò & 6. quæst. accepit ex Sententiis, 8. *distin. primi* & alibi, & Prædicamentis cap. de Qualitate, & ex dictis suprà in 8. lib. & aliqualiter ex 2. *distin.* 15. & ex primo, & quinto Physicorum, & alibi plerumque, satis ingeniosè tamen; vltima autem quæstiuncula est dubium literale; pertractatur autem super Prædicamenta, & in 2. Sententiarum, & primo, & suprà sæpè termini eius habiti sunt.

Quæstionem etiam vnicam vndecimi libri accepit ex dictis suprà, *in* 8. *quæst.* 3. *vel secunda*, & ex Physicis, & ex 2. *dist.* 2. *quæst.* 9. *& sequentibus*, *& ex* 4. *distin.* 44. & ex Prædicamentis, & alibi sæpè in doctrina huius ipsius motiua tractantur; an autem conclusio quam ibi tenet sit de mente huius, satis vbique dubium est, quod discerni poterit ex dictis in 8.

Eodem modo dicendum est de quæst. 12. lib. nam duæ primæ sunt dubia literalia: quæ in plerisque locis in doctrina huius possunt fundari. Vide *in prolog. quæst. finali*, *ad finem*, *&* 3. *distin. pri. &* 2. *&* 2. *&* 8. *distin. eiusdem*, *& alibi sæpe*: 3. verò quæst. accepit ex dictis in quodlibeto *quæst.* 7. *&* 8. *distin. pri. quæst. finali*: 4. etiam accepit ex 2. *distin. prim. quæst.* 1. *&* 35. *distin. prim. & sequentibus*, & ex tractatu de primo principio. Vltimam autem de verbo ad verbum accepit ex 2. *distin. pri*, *quæst.* 3. immò ferè tota hîc habetur.

18 Ex quibus corollariè inferri videtur veritas illius 3. præsuppositi à principio huius tractatus, quòd videlicet tantùm super 9. lib. scripsit Doctor. quæstiones: licèt vt ibi notaui, in aliquibus antiquis originalibus reperiantur quæstiones super alios libros, aut ab ipso additos, aut à sequacibus; sed contenti fuimus communi stylo librorum. Ea certè quæ sequuntur 9. libros in Aristotele vsque ad duodecimum, ferè repetunt quæ priùs dixit. Materia verò 12. libri disputatur in Sententiis, vtputa de vnitate, simplicitate, immaterialitate, primitate, infinitate, intellectualitate, & omnipotentia, atque æternitate, & immutabilitate, & essendi necessitate: necnon, & gubernatione primi entis, atque aliorum ad ipsum dependentia, & ordine; de Intelligentiarum etiam natura, & numero, & de aliis omnibus ferè, quæ ibi tangit Philosophus. Congruè ergo Doctor hîc omisit ista pertractare, vt ea, quæ balbutiendo tetigit Aristoteles de illis, non essent sibi fundamenta quæstionum veracium; sed ea potiùs, quæ veritas ipsa nobis reuelauit in scripturis diuinis. Contentus etiam cum Auicen. amico eodem numero, contentus insuper Angelicus Doctor cum choris. Intelligentiarum: de quarum consortio meruit finaliter effici, triplicis Hierarchiæ triplicatæ numero, quantùm ad libros: & Christi discipulorum circiter, quo ad quæstiones ad cuius obsequium cuncta rectè ordinauit. Quid enim prodest antiquorum somnia de rerum principiis in primo: de veritatis in communi cognitione in secundo; eiusdem inquisitione in particulari altercatiuè in tertio; determinatiuè verò, quo ad ambitum considerationis in quarto; & quo ad nominum multiplicitatem in quinto; atque modum considerationis in sexto; de entis quoque per quiditates prædicabili diuisione, atque ipsius primæ subiectiuæ partis, substantiæ videlicet sensibilis quiditatiua ratione, logica tamen & in communi inuestigatione in septimo; reali autem explicatione in octauo; per potentiam insuper, & actum entis diuisione in nono; de primis passionibus eius in 10. de principiis eiusdem entis incomplexis præambulariter in 11. & vt potuit ingeniosus Arist. determinatiuè in 12. de Mathematicis verò entibus in 13. & 14. contemplari: ac in eorum speculatione confusa, & intricata tempus, & ætatem conterere? nisi mercedem laboris expectemus, vt faciali videlicet intuitu primi entis, Iudicis cuncta cernentis, omnia eminentissimè continentis, obscuram in clarã Metaphysicam commutemus, quod in Olympiadibus dumtaxat præualentibus confertur. Cuncta ergo pauper Mauriti dirige in obsequium Christi, cui sit honor in æuum. Amen.

Lib. 12. metaph. agitur de attributis primi entis.

Quæstiones sunt 79.

19

R. P. F.

LVCÆ VVADDINGI HIBERNI

CENSVRA

De Quæstionibus Scoti in libros 10. & 12. Metaphysicos.

PAVLO postquam ediderat R. P. Cauellus Scoti lucubrationes in Metaphysicam, duo peruenerunt ad manus meas exemplaria quæstionum in libros decimum & duodecimum, vnum Manuscriptũ alterum Venetus ante annorum centuriam impressum. Tradidi vtrumque doctissimo viro, illustrandis Scoti operibus inhianti, vt iudicium ferret & splendorem. Impigrè cum reliquis contulit quæstionibus, & quam in illis recognoscendis adhibuit, in his industriam compleuit. Iudicium prætulit, cui ego subscribo circa authorem: Etenim præterquam quòd Mauritius in capite, & in calce suorum Commentariorum in Metaphysicam, fateatur, se vidisse quæstiones in libros duodecim, Posseuinus & Pitsæus Scotum libris duodecim opus compleuisse testantur. Quòd stylum, aut methodum parumper immutauerit, inde factum Puto, quòd interrupto hoc studij genere, iterum aggressus, breuiter pro complemento operis non tam examinare, quàm indigitare, aut succinctè tradere voluerit, quæ circa Metaphysicalia diffusius libris præcedentibus atque alibi disputauerat, & circa Theologica in Magistrum Sententiarum erat tractaturus. Libri vndecimi quæstiones perierunt, vnum dumtaxat se vidisse testatur Mauritius vel fortè in hunc librum commentarios edere neglexit Scotus, quia omnia discußione digna, iam explicauerat in libris tertio, quarto, quinto, & sexto. Quæ verò circa has quæstiones Cauellus præstiterit, ipse hic præfatur: morte immatura præuentus edere non potuit; nos hic reliquo subnectimus Commentario.

R. P. F.

R. P. F.

IOANNIS DVNS SCOTI

Doctoris ſubtilis Ordinis Minorum

QVÆSTIONES IN LIBRVM DECIMVM & Duodecimum Metaphyſices, caſtigatæ, & ab infinitis mendis, quibus vbique ſcatebant, correctæ, & ſcholiis ad ſingulas adiectis, aliiſque, de quibus in præfatione, exornatæ.

Per Fr. HVGONEM CAVELLVM Hibernum Ordinis Minorum Obſeruantiæ in Conuentu B. Mariæ de Aracæli in Vrbe Sacræ Theologiæ Lectorem primarium & emeritum.

AD LECTOREM.

LICET Mauritius in Prologo ad quæſtiones Scoti ad Metaphyſicam, & in Annotatione ad quæſtionem 15. libri 9. teneat non reperiri communiter quæſtiones eius, niſi ſuper nouem libris, tamen fatetur in aliquibus originalibus haberi ad ſingulos 12. libros. Cæterùm puto nec ipſum, nec Antonium Andream quæſtiones has in decimum & duodecimum vidiſſe, alioquin ſicut cæteras, vt acutiſſimas, ſuôque authore digniſſimas, caſtigaſſent. Eſſe tamen ipſius Scoti mihi ſuadeo: Primò quòd ſub nomine eius impreſſæ anno 1505. per Simonem de Leure in celeberrima ciuitate Venetiarum, in qua ſemper extiterunt doctiſſimi Scotiſtæ, qui ſuppoſititium opus eius nomine prodire ſine contradictione non permitterent. Secundò ſtylus harum quæſtionum Scoto conformis eſt, nec obſtat eas eſſe quæſtionibus aliorum librorum breuiores, tum, quia in aliis libris etiam multæ ſint ſatis breues, etſi quædam longiùs protrahantur: tum etiam, quia materiæ harum quæſtionum ex parte tactæ, vel tractatæ ſint in ſuperioribus libris. Tertiò, quia reſolutiones, & doctrina harum per omnia quadrant & concordant, non ſolùm ſenſu, ſed quandoque verbis, cum

Commentario Scoti in hos duos libros, vt videre poterit, qui hæc ad inuicem conferet. Percunctabitur quispiam, quomodo omisit quæstiones in librum II. cui, si coniicere licet, responderem, non omisisse, sed periisse: sicut fermè perierunt istæ, quæ licèt editæ fuerint, nullibi tamen à multis annis visæ sunt. Si tamen mauis eum omisisse vndecimum librum, quia parum, aut nihil habet, propter repetitionem eorum, quæ in præcedentibus libris tractata sunt (vt notaui in Prologo ad commentarium eiusdem libri) non multùm super hoc tecum contendam. Sed vbi coniecturis tantùm agitur, nihil certi statui potest. In harum castigatione sequentia præstiti: mendas omnes, quibus vbique scatebant, absterfi: textus Philosophi, circa quos ipsæ mouentur, ad singulas apposui: citationes eiusdem Philosophi, quæ vbique deerant, diligenter conquisitas, adiunxi: Scholia, breuiores solutiones quæstionum continentia, inserui, & vbi de eadem re in Theologia agit, notaui: quando autem in Theologia se correxit, vel retractauit, in quibusdam hîc contentis, quod satis rarum est: de hoc etiam te monitum esse volui. Perlege benigne Lector, & mecum senties hasce quæstiones cæteris Doctoris subtilis Metaphysicalibus, nec claritatis lumine, nec ingenij acumine, esse inferiores. Vale.

INCIPIVNT

INCIPIVNT QVÆSTIONES DOCTORIS SVBTILIS IOANNIS SCOTI in decimum librum Metaphysices.

Maximè verò in eo quod est metrum esse principium vniuscuiusque generis est maximè propriè quantitatis. *Tex.2.*

QVÆSTIO I.

Vtrùm vni, quod est principium numeri, debeatur primo ratio mensuræ?

Aphrodis. *hic n.* 3. S. Thomas *lect.* 1. Albertus Magnus *tract.*1.*cap.*3. Ægidius Romanus 10.*Metaphys.quæst.*2. Antonius Andr.*hic quæst.*1. Flandria *quæst.*2 *art.*1.& 2. Suarez *disp.*40 *sect.*3. Fonseca *tom.*4. *Metaphys. cap.*1. *litera* K. Iauellus 10. *Metaphys. in principio.*

1 *Argumenta pro parte negatiua.*

Primum. VIdetur quòd non. Nam mensura est principium cognoscendi mensuratum: sed *vnum* non est principium cognoscendi aliud, sed magis cognoscitur per aliud. Nam *vnum* se habet ad numerum, sicut priuatio ad habitum, & priuatio non est principium cognoscendi alterum: igitur *vni* non debetur ratio mensuræ.

Secundum. Item, in quocunque est reperire posterius, & primum. Si igitur *vni*, quod est principium numeri primò deberetur ratio mensuræ, igitur est ponere vnum principium numeri: sed in quolibet genere est vnum primum, quod est mensura omnium aliorum; ita non est in omni genere reperire vnum quod est principium numeri, vt dicitur in 10. Metaph. tex.2.

Tertium. Item, mensura & mensuratum sunt vnigenea (per Philosophum hîc) sed *vnum* non est vnigeneum cum alio, quia sic maximè esset vnigeneum cum numero: hoc autem non est verum, quia numerus est in genere, vnitas verò non.

Oppositũ Philosophus dicit hîc, & ibi in 5. t.12.

SCHOLIVM.

DECLARAT *benè rationem mensuræ primò conuenire* vni *principio numeri, & hinc ad alia deriuari. Vide eum hic in* 2. & 3. & *lib.*5. *in tex.*12. & *primo dis.*8 *quæst.*3 *n.*24. & 2.*dis.*2.*q.*2.*n.*10. & 4.*dis.*48.*q.*2.*quibus locis omnia ad rationẽ* mensuræ *spectantia optimè exponit ad mentẽ Philosophi.*

2 Dicendum, quòd ratio mensuræ primò debetur *vni*, quod est principiũ numeri, & ex hinc demõstratur, siue deriuatur ratio mẽsuræ ad omne genus.

Quantitas domina mensurarum. Primum declaratur sic: ratio mensuræ primò debetur quantitati, quia ipsa est domina mensurarum: sed de ratione mensuræ est, quod sit certissimum, & per consequens indiuisibile à minùs: quia mensura debet esse talis, quòd quodcunque sui ablatum non lateat: hoc autem non est in magno, quia potest aliquid addi, & aliquid auferri absque hoc, quòd non lateat: Sed *vni* quod est principium numeri, cùm sit secundùm se indiuisibile, nihil potest addi, vel abstrahi quin appareat, ideò toto genere quãtitatis ipsi nõ debetur ratio mẽsuræ. Vnde licèt vnus numerus mensuret aliũ, quilibet tamen mensuratur per vnum: & ideò cognoscentes, quot sint vnitates, statim cognoscimus numeri vnum.

3 Idem etiam patet alio modo sic: Illud est mensura, quod est principium aliorum in illo genere; nunc igitur omne quod est in genere, aut est *vnum*, aut *multa*: ergo quod est prius inter ipsa, priùs habebit rationem mensuræ: sed *vnum* & *multa* possunt esse in vno genere virtualiter aut ita, quòd *vnum* sit essentialiter posterius *multo*, aut ita quòd sit æquale sibi, aut quòd sit prius eo. Si posterius *multo*, tunc cùm prius non participet posterius, nec dependeat ab eo, sequitur quòd *multum* non participat *vni*, nec dependeat ab eo: hoc est impossibile, quia omnis multitudo participat *vni*, & ex vnitatibus constituitur, & per consequens dependet ex *vno*. Similis esset processus in infinitum; quia sic sequeretur, quòd multa componerentur ex multis, & illa ex aliis, & sic in infinitum. Similiter si haberent se æqualiter, ádhuc sequeretur idem, quia quæ æqualiter participant idem genus, neutrum dependet ab alio, nec participat aliud. Sequitur igitur necessariò, quòd *vnum* sit prius *multo*: sed primum est mensura aliorum: *vni* ergo primò debetur ratio mensuræ. Veruntamen illa ratio mensuræ debetur *vni* propter indiuisionem: & ideò cùm indiuisio inueniri possit in quolibet, licèt non indiuisio quantitatis, ex *vno*, quod est principium numeri, determinatur ratio mensuræ ad alias species quantitatis, & ad omne aliud genus, quia illud, quod est principium in vnoquoque genere, est mensura eius, quod est posterius, hoc autem est secundùm analogiam, quantum est in quantitate. *Vnum prius est multo, nõ posterius, nec æquale.*

4 *Respondetur ad argumenta.* Ad primum argumentum dicendum, quod in *vno* conuenit duo considerare, scilicet ipsam indiuisionem, & naturam substantialis indiuisionis. Si consideratur quantùm ad indiuisionem, sic est posterius diuisione, sicut priuatio habitu: sed ista indiuisio est extra significatũ *vnius*, cũ illa indiuisio sit quædã priuatio. Si verò consideretur quantùm ad materiam subiectã isti indiuisioni, sic prius est *multo*, & principium cognoscendi *multum*. Vnde sicut partes definitionis vno modo sunt notiores definito; alio modo èconuersò: vt patet per Aristotelem 1. Physicorum, t.4. Sic nihil prohibet *vnum* vna ratione notius esse *multo*, & alia ratione non. *In vno sunt indiuisio, & materia subiecta.*

Ad secũdum. Ad secundũ dicendũ, quòd vbi est reperire prius & posterius, &c. Dicendum quòd illud est verum in vniuocè dictis, vel in essentialiter ordinatis: vnde si ratio mensuræ reperiretur vniuocè in aliis generibus, & in genere quantitatis, vbi esset ratio mensuræ, ibi oporteret esse *vnum* principium numeri; modò non est ita: igitur, &c. *Primum in omni genere est mensura cæterorum: exponitur.*

An vbi est posterius, & prius? Vel aliter potest dici, vbi est posterius reperire, non est reperire prius; quia caliditas priùs debetur igni, non tamen vbi est reperire calidum, est reperire ignem nisi secundum virtutem: & hoc sufficit. Sed in proposito multò magis vbi est reperire rationem mensuræ non oportet ponere

vnum principium numeri:sed sufficit ponere aliquid proportionaliter quantum ad rationes indiuisionis.

Ad tertium. Mensura & mensuratum vnigenia: quomodo?

Ad tertium dicendum quòd mensura & mensuratum sunt vnigenia, non est sic intellgendum, quòd sint vnius generis per se:sed sufficit quòd ad idem genus pertineant, dummodò tamen hoc sit prius & causa,illud posterius & causatum. Vnde dicit hîc Philosophus, si aliquis loqui velit sine calumnia, magis dicendum est, quòd *vnum* sit mensura numeri, vt magis significetur vnigenietas. Vnde dici potest quòd *vnum* & *numerus* sunt vnigenea:quia numerus nihil aliud est,quam plura vna. Sed tunc potest quæri vlteriùs.

In omnibus autem his metrum & principium vnum aliquid & indiuisibile. *Tex. 4.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm illud quod est mensura in aliquo genere, sit principium, & causa llorum quo sunt in illo genere?

Aphrodis. *n.*4. S. Thomas citat. *in quæst. præcedenti.* Albertus citat. *quæst. antecedenti cap.* 5. Ægid. *hic quæst.* 1. Antonius Andr. citat. *quæst. antecedenti.* Flandria q. 3. *art.* 2. Suar. *disp.* 40. *sect.* 3. Fons. *tom.* 4. *Metaph. c.* 3. *litera* A. D.

1 Primum argumentum.

Videtur quod non: *vnum* est mensura numeri (vt dictum est) sed *vnum* cùm sit oppositum *multo*, non potest esse principium & causa eius: quia oppositum non est principium oppositi.

Secundum.

Item, si omnia entia essent colores, tunc *album* esset mensura omnium entium:sed album non est principium omnium colorum; quia non nigri: ergo, &c.

Tertium.

Item, mensura debet esse pars mensurati, & ita quod aliquoties sumpta, reddat summam totam mensurati: sed punctus est principium in genere quantitatis; punctus tamen nec est pars quantitatis, nec aliquoties sumptus reddit quantitatem: illud ergo, quod est primum non est mensura aliorum.

Quartum.

Item, prima causa est mensura omnium substantiarum; sed prima causa non est in genere aliquo, quod genus est mensura aliorum: ergo non est causa omnium, vel mensura in genere suo: ergo, &c.

Oppositum dicit Philosophus, tex. 4.

SCHOLIVM.

QVOD *est mensura in aliquo genere, id ipsum esse causam & principium omnium contentorum in illo genere, optimè explicat. De quo videri potest in expositione text.* 4. *hîc & locis citatis in scholio quæstionis præcedentis. Circa solutionem ad* 4. *vide eum primo dist.* 8. *quæst.* 3. §. Teneo opinionem, *num.* 16. *vbi fusè probat Deum seu primam causam non esse in genere.*

2

Dicendum, quòd illud quod est mensura in aliquo genere propriè loquendo, est principium & causa omnium aliorum in genere suo. Et ratio huius est, quia in quolibet genere est vnum perfectissimum, quod est causa omnium eorum, quæ sunt in illo genere: quodlibet enim genus diuiditur in duo, quorum vnum est perfectius alio. Non enim potest vtrumque esse æquè perfectum, quia tunc in vno genere essent duo prima perfectissima. Sed illud, quod est perfectissimum, est primum; & si sit primum est causa omnium aliorum. Quia si detur aliud, quod non sit ab eo causatum, hoc non potest esse nisi dupliciter: aut quia non est causatum simpliciter: aut quia causatum est sed ab alio: si non sit causatum, igitur est primum, & per consequens duo erunt prima, quod est impossibile: si sit causatum ab alio, aut ergo ab aliquo alterius generis, aut ab aliquo eiusdem generis: si ab aliquo alterius generis: ergo non est in genere, cuius tamen oppositum priùs est datum. Si causatum illius generis: tunc quæro de isto, à quo causatur? aut causatur à primo, aut non: si sic, tunc habeo propositum; si non causatur à primo, sed ab alio, quæro vt priùs, aut ab aliquo eiusdem generis, aut ab aliquo, quod est alterius generis: & sic erit eadem quæstio quæ priùs. Necesse est ergo dicere, quòd primum in omni genere, est causa posteriorum. Vnde principium in toto genere entium, est causa cuiuslibet entis: scilicet illud, quod est primum principium essendi & cognoscendi posterius. Quod autem est tale, habet rationem mensurandi posterius, & ideò in quolibet genere illa conuertuntur: illud quod est primum est causa aliorum, illud est mẽsura & èconuersò: illud quod est mensura, est causa indiuisibilis, tamen hoc diuersimodè inuenitur: quia sicut aliud dicitur principium, sic debetur sibi ratio mensuræ. Aliquod est principium intrinsecum, & aliquod est principium extrinsecum, sic est mensura quædam intrinseca, alia extrinseca. Principium intrinsecum est materia & forma, & sic materia & forma sunt mensuræ intrinsecæ: sed finis & efficiens sunt principia extrinseca, & sunt mensuræ. Vnde primum in genere finium, est mensura omnium finium, primum efficiens omnium effectuum, & sic de aliis: quia secundùm approximationem ad principium, vel ab eo remotionem, sumitur ratio cuiuslibet posterioris, sicut in genere entium, quod propinquius est primo, dicitur magis ens, & quod remotius est, minùs. Vnde Philosophus hîc dicit quòd *nigrum* est priuatio coloris, & *album* est primum in genere coloris.

In vno genere non sunt duo perfectissima.

Principium & mensura conuertũtur.

Materia & forma causa intrinseca, efficiẽs & finis extrinseca.

3 Ad primum argumẽtum.

Ad primum dicendum, quòd *vnum* dupliciter potest considerari: aut secundùm quòd actu est per suam formam, & sic opponitur *multo*, nec est principium constituendi ipsum, nec mensura eius intrinseca. Vel *vnum* potest considerari secundùm quòd est in potentia ad formam numeri, & sic non opponitur *multo*, nisi sicut potentia actui, & sic est principium materiale numeri. Præter hoc, de ratione quarundam partium integrantium aliquod totum, est, quòd in ipsis sit priuatio formæ totius. Lapides enim sunt non domus, & tamen tales partes sunt in potentia totius: sicut in proposito, licèt *vnum* sit *non multum*; tamen potest esse principium multitudinis.

Quomodo vnum sit principium multitudinis.

Ad secũdum.

Ad secundum dicendum, quòd non semper oportet illud, quod est mensura esse partem totius: ita quòd aliquoties sumpta reddat totum: imò hoc solũ est in quãtitatibus immaterialibus, & in aliis generibus oportet quòd illud, quod est mensura sit principium cognoscendi alia, vel essendi, & cognoscendi: sicut motus primus est mensura omnium aliorum motuum: & est principium mensurandi, & cognoscendi alios motus, & tamen non est pars aliorum motuum, sicut est in aliis

Color albus mēsura aliorum colorum. aliis generibus, vt in coloribus; quia albedo color perfectissimus, est mensura omnium aliorum colorum; non quia constituit alios colores, sed secundùm approximationem, & remotionem ad ipsum, alij colores dicuntur magis & minùs perfecti.

Ad tertium. Ad tertium dicendum, quòd punctum est principium in genere quantitatis; non tamen quodcunque principium, sed rationis; quia sicut in ratione corporis cadit superficies; & in ratione superficiei cadit linea; sic in ratione lineæ cadit punctus: non tamen est in genere sicut species, vel genus, sed tanquam per reductionem vnde sicut est principium, sic est mensura. *In genere cōtinuorum nō est mensura indiuisibilis.* Vnde in genere continuorum non est aliqua mensura quantitatiua, quæ simpliciter est indiuisibilis, sed solùm est indiuisibilis secundùm voluntatem instituentis; eo quòd instituens voluit talem quantitatem pedalem esse mensuram in quantitate, & vnciam in ponderibus; & propterea vna prima ratio mensuræ non inuenitur in continuis: quia prima mensura debet esse simpliciter indiuisibilis: sed in continuis prima mensura non est simpliciter indiuisibilis, sed solùm secundùm institutionem.

4 *Ad quartum.* Ad aliud dicendum, quòd prima causa non est in aliquo genere, quia tunc esset aut genus, aut species, aut indiuiduum, aut principium generis. Non tanquam genus, quia tunc prædicaretur de pluribus: non tanquam species, quia tunc esset in ipso composito generis, & differentiæ, cùm tamen prima causa simplex sit: nec indiuiduum per eandem causam, seu rationem, nec principium, quia principium vnius generis non est applicabile ad res alterius generis. Vnde punctum, quod est principium quantitatis continuæ, non est principium numeri: sed prima causa est æqualiter principium omnium generum: ergo non est, nec potest applicari vni generi, vt principium eius, & ideò extra omne genus est. *Primam causam non esse in genere 1. d.8. quæst. 3. §. teneo opinionem n.16.*

Ad argumentum itaque quòd cùm dicitur à Commentatore, quòd prima causa est mensura omnium substantiarum, quia per approximationem ad ipsam & remotionem ab ipsa aliæ substantiæ dicuntur magis & minus perfectæ, & si dicatur quòd mensura est principium cognoscendi mensurata: sed prima causa non est principium cognoscendi alia: sed magis è conuerso: Dicendum, quòd non eadem sunt nobis nota & naturæ: & ideò licèt principium non sit causa cognoscendi quoad nos, est tamen causa cognoscendi simpliciter. *Quomodo prima causa est ratio cognoscendi omnia alia.*

Sed sicut in coloribus colorem vnum quærendum, ipsum quod vnum, sic in substantia substantiam vnam ipsum vnum. *Tex. 7.*

QVÆSTIO III.

Vtrùm prima causa sit in genere?

Aphrodis. *hic n.7.* S. Thomas *lect.* 2. Albert. Magn. *tract.* 1. *cap.* 7. Ægid *hic quæst.* 6. Flandria *quæst.* 3. *art.* 1. Anton. Andreæ *hic quæst.* 1. Fonseca *cap.* 4. *litera* C.

1 *Arg. primū.* Videtur quòd non: in quolibet genere est vnum primum & maximum, quod est mensura omnium aliorum: sed prima causa non est in genere substantiæ.

Secundum. Item, mensura est vnigenia mensurato: sed prima causa nulli est vnigenia: quia primæ causæ ad alia nulla est comparatio: igitur, &c.

Tertium. Item, mensura est notior mensurato: sed prima causa minùs nota est aliis substantiis: ergo non est mensura eorum, &c.

Oppositum dicit hìc Commentator, tex. 7.

SCHOLIVM.

Primam causam asserit esse mensuram extrinsecam omnium in genere substantiæ, quod bene explicat reiectis duabus aliorum sententiis. Quod verò prima causa non sit in genere resoluit quæstione præcedenti ad 4. Vide loca ibi citata in scholio.

2 *Materia non est mensura substantiarum.* Ad illud tamen dicunt quidam, quòd materia est mensura omnium in genere substantiæ: quia materia est quoddam principium, & secundùm materiam substantiæ numerantur, & per consequens mensurantur. Sed illud non est verum: tum, quia non omnes substantiæ habent materiam: tum, quia materia minùs nota est aliis.

Neque substantia prima. Aliis videtur aliter: secundùm quòd substantia, quæ est genus generalissimum, est mensura omnium substantiarum, eo quòd ipsa est quoddam principium simplex, & per comparationem ad ipsam omnes substantiæ habent additionem. Illud non videtur verum, quia in omni genere est aliquid, quod est mensura omnium aliorum: sed ipsum genus non est in genere, sicut quid generis: non enim dicit Philosophus, quod color est mensura omnium colorum, sed aliquid sub colore, vt album: igitur eadem ratio est in proposito. Propter hoc dici potest hìc, secundùm intentionem Commentatoris, & Philosophi in 12. quòd prima causa est illud primum & maximum, quod est mensura omnium substantiarum. *Tex. 36.* Prima causa enim est primum intelligibile, & primum appetibile, eo quòd est prima substantia: & primum est mensuratio omnium posteriorum: & ideò prima causa cùm sit prima substantia, est etiam mensura omnium substantiarum. *Prima causa est primum intelligibile, & primum appetibile.*

3 *Mensura duplex.* Sed notandum, quòd mensura est duplex, scilicet, intrinseca, & extrinseca. Intrinseca est pars rei, per quam cognoscitur primò, talis est forma: mensura verò extrinseca, est verbi gratiâ, finis & effectus. Sed vtraque mensura potest esse dupliciter: aut enim potest esse in eodem genere, & sic prima Intelligentia esset mensura omnium substantiarum, vel extra genus, & sic est prima causa, eo quòd ista substantia simplicissima est, & perfectissima per comparationem, ad quam omnes substantiæ habent additionem. Vnde prima causa non est mensura intrinseca, sicut vnitas numeri, vel forma compositi, sed pro eo dicitur mensura, quia entitas & gradus cuiuslibet substantiæ cognoscitur per comparationem ad ipsam: per hoc enim est aliqua substantia perfectior, quod est sibi propinquior, & imperfectior, quia est sibi remotior.

4 *Ad primum argum. Quomodo prima substantia est mensura omnium.* Ad primum dicendum, quod in quolibet genere est reperire vnum primum & minimum, sed illud primum est substantia perfectissima in genere substantiæ, vt substantia immaterialis. Illa tamen substantia, quæ est in genere, non est mensura prima, quia eius gradus vel perfectio mensuratur per comparationem ad substantiam, quæ est extra genus. Vnde sicut numerus potest alium mensurare, & tamen vterque mensuratur vno: sic

ſic etſi vna ſubſtantia in genere menſuret aliam, vtraque tamen menſuratur à ſubſtantia prima.

Ad ſecundũ quà menſura eſt vnigenia.

Ad ſecundum, cùm dicitur quòd menſura eſt vnigenia menſurato; dicendum quòd verum eſt de menſura proportionata, ſicut de menſura intrinſeca; talis non eſt prima cauſa, imò pro eo dicitur menſura; quia per approximationem & remotionem ab eo menſurantur perfectiones aliorum.

Mẽſura quomodo notior menſurato?

Ad tertium dicendum, quòd menſura ſimpliciter notior debet eſſe menſurato; & quia licèt prima cauſa minùs nota ſit nobis; notiſſima tamen eſt in ſe; & ideò maximè conuenit ſibi ratio menſuræ ſimpliciter.

Et ſcientiam autem metrum rerum dicimus, & ſenſum propter idem, quia cognoſcimus aliquid, ipſis. Sed menſurantur magis quàm menſurant; ſed accidit nobis veluti ſi alio nos menſurante, cognoſcamus quanti ſumus, per cubitum ad tantum noſtri adiicere. *Text.5.*

QVÆSTIO IV.

Vtrùm intellectus & ſenſus ſint menſuræ rerum: vel èconuerſo?

Ariſt. *lib.4.Metaphyſ.tex.15.& lib.5.tex.20.& li.9.tex.21.* Aphrodiſ. *n.5.in fine.* Auerroës *com.6.* S.Thomas *lect.2 & lib.4.Metaphyſ.lect.8 & lib.5.lect.17.& lib.9.lect.11.* Flandria *hìc quæſt.3.art.2. in corpore.* Albertus Magnus *hìc tract.1. cap.6. & 3. de Anima tract.3. cap.12.* Ant. Andr. *lib.5.Metaphyſ.quæſt.14.in reſponſione ad 2.* Fonſ. *hic in expoſit.cap 2.littera E.*

1 *Primum arg.*

VIdetur quòd ſic: Illud eſt menſura aliorum, per quod alia cognoſcuntur: ſed per ſenſum cognoſcuntur ſenſibilia, per intellectum intelligibilia: ergo, &c.

Secundum.

Item, illud eſt menſura aliorum, quod eſt principium eorum; ſed intellectus diuinus eſt principium omnium naturalium, & intellectus humanus omnium artificialium eſt principium: igitur intellectus eſt menſura rerum.

Tertium.

Item, ſicut ſe habet aliquid ad *eſſe*, ſic ſe habet ad eſſe *verum*; & èconuerſo: ſed veritas primò reperitur in intellectu, per Ariſtotelem in 6. tex. 8. veritas igitur menſurat veritatem in rebus: & ſicut veritas ad veritatem, ſic entitas ad entitatem.

Tex.5.

Oppoſitum dicit Philoſophus hìc, & in fine noni: dicit enim propter nos exiſtimare te eſſe album, tu verè non es albus: ſed propter te eſſe album, nos ideò ſumus veri exiſtimantes.

SCHOLIVM.

SENSVS *& intellectus noſter non ſunt menſuræ rerum naturalium, quia magis menſurantur, quàm menſurant: ſuprà lib. 5. tex. 20. Nec ideò ſic eſt in re, quia nos ſcimus, vel ſentimus; ſedècontra c.de ſubſtantia: ſed intellectus eſt menſura artificialium, ſicut intellectus Dei naturalium; quia vterque intellectus eſt cauſa horum reſpectiuè, & tunc res eſt perfecta quando attingit ad ſimilitudinem ſcientiæ Dei in naturalibus, vel noſtræ in artificialibus. Vide Doctorem in hunc locum.*

2

Dicendum quòd ſenſus & intellectus, ſaltem noſter, non ſunt menſura rerum vniuerſaliter; quia illud eſt menſura, alterius quod eſt principium cognoſcendi ipſum alterum. Nunc autem, eo quod res eſt, vel non eſt, dicitur oratio, vel opinio, vera vel falſa; non tamen èconuerſo. Vnde Philoſophus dicit, quòd quia ſicut eſt in re, ideò verè ſentimus, & verè intelligimus: non tamen èconuerſo. Vnde ſicut aliqua quantitas extrinſecus nobis appoſita menſurat quantitatem corporis noſtri, & per ipſam, quantitatem noſtram cognoſcimus: ſic res per ſenſum & intellectum apprehenſiuè menſurant ſenſum & intellectum noſtrum. Et huius ratio eſt, quia ſenſatio, & intelligentia noſtra non ſunt cauſa rerum: & èconuerſo. Tamen ſi quæ res cauſantur ab intellectu noſtro, ab intellectu noſtro menſurantur. Et ideò res artificiata eſt illud, quod eſt per hoc, quòd perfecta eſſet ſecundùm ſimilitudinem intellectus noſtrì; & ſicut intellectus primi ſe habet ad res naturales; ſic intellectus noſter ſe habet ad artificialia: & ideò intellectus primi eſt menſura naturalium; intellectus noſter rerum artificialium: menſuratur tamen intellectus noſter per res naturales.

Ab eo quod res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa.

Intellectus Dei ad naturalia, ſicut noſter ad artificialia.

3 *Ad primum argum.*

Ad primum argumentum dicendum, quòd aliquid cognoſci ab alio eſt dupliciter; aut tanquam per potentiam cognitiuam; & tale non eſt menſurari; aut tanquam per principium & cauſam cognitionis; & tale eſt menſura. Primò cognoſcitur res per intellectum, ſecundo modo intellectus per res.

Ad ſecundũ: quod eſt cauſa cognitionis rei non vt potentia, eſt mẽſura eius.

Ad ſecundum dicendum, quòd intellectus primæ cauſæ eſt menſura omnium rerum: quia ab ipſo dependent omnes res: & intellectus noſter eſt menſura omnium artificialium, quantùm dependent ab intellectu noſtro: non tamen intellectus noſter eſt menſura rerum naturalium: imò magis dependet ab eis, & menſuratur ab eis.

Ad tertium.

Ad tertium dicendum, quòd licèt veritas primò reperiatur in intellectibus, quàm in re, cauſatur tamen à re. Exemplum: ſanitas per prius dicitur de animali quàm de medicina, & tamen ipſa medicina eſt cauſa ſanitatis in animali: non autem ſanitas, quæ eſt medicina, ſed virtus medicinæ, eſt cauſa ſanitatis. Sic in propoſito per prius reperitur in intellectu, quàm in re, *eſſe* tamen rei eſt cauſa veritatis in intellectu. Vnde ſignanter dicit Philoſophus, *eo quod res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa.*

Veritas prius in intellectu, quàm in re, ſed cauſatur à re.

Ad formam argumenti dicendum, quod licèt *eſſe*, & *eſſe verum*, conuertantur ſecundùm rem, differunt tamen ſecundùm rationem: ſicut dictum fuit ſuprà lib.1.q.11.de *bono & ente*: & ideò non oportet quòd illud, quod eſt principium ſecundùm *eſſe*, ſit primum ſecundùm veritatem: & non èconuerſo.

Opponuntur autem vnum & multa ſecundum plures modos. *Tex.9.*

QVÆSTIO V.

Vtrùm vnum, *&* multa, *opponantur contrariè vel aliter.*

Aphrodiſ. *hic num.9.* S.Thomas *lect.4.* Albertus Magnus *tract 2.cap.1.* Ægidius *hic quæſt.5.* Flandria *quæſt.5 art. 1.* Antonius Andr. *hic quæſt.2.* Suarez *diſp.5.ſect 6.* Fonſ. *cap.4.littera A.*

Videtur

1 *Primum argum.*

VIdetur quòd non contrariè, quia contrarietas est oppositio secundùm formam; sed pars non habet formam distinctam à toto: cùm igitur *vnum* sit pars multitudinis, non erunt contraria.

Secundum. Item, vnum contrariorum non constituit alterum; sed *vnum* constituit *multum*: igitur, &c.

Tertium. Item, si duo ita se habeant quòd alterum eorum dicatur de quolibet, & quòd tertium conuertatur cum vno eorum, oppositum tertij non erit diuersum ab opposito primi; sed ens, & non ens ita se habent, quod alterum dicitur de quolibet, & *vnum* conuertitur cum ente: ergo *multum* erit contentum sub non ente: & per consequens opponitur contradictoriè, & non contrariè.

Quartum. Item, *vnum & multum* opponuntur, sicut diuisio & indiuisio; sed ista opponuntur priuatiuè: igitur *vnum & multa*.

Quintum. Item, *vnum* se habet ad *multum*, sicut mensura ad mensuratum: sed ista opponuntur relatiuè: ergo, &c.

Oppositum dicit Philosophus.

SCHOLIVM.

CVM *Philosopho tenet* vnum *&* multa, *propriè, & per se contrariè opponi impropriè, vel per accidens priuatiuè, & relatiuè; & singula bene probat, & exponit: An* vnum *sit positiuum, quod hic tangit; & an* vnum *quod est principium numeri, differat realiter ab vno transcendenti, & numerus à numeratis? Vide Doctorem 4. huius quæst. 2. & ibi scholion 4. & 5. & hic in Text. 9.*

2

Dicendum, quòd *vnum & multum*, formaliter loquendo, opponuntur contrariè, & non aliter, nisi per accidens. Cuius ratio est: differentia est inter contradictionem, contrarietatem & priuationem. Contradictio saluatur in ente, & non ente: priuatio non saluatur nisi in ente, nullam tamen naturam ponit. Contrarietas est in ente, & naturam ponit; aliter contraria non essent in eodem genere. Sed *vnum & multa* se ita habent, & neutrum dicitur de non ente; cuius probatio satis plana est de *vno*, cùm conuertatur cum ente. Sed quod *multum* dicatur de ente videtur, quia quælibet pars multitudinis oppositæ *vni*, quod conuertatur cum ente, dicitur solùm de ente; diuersitas enim sicut dissimilitudo, inæqualitatis, & ita de aliis. Vnde Philosophus cap. primo ait quòd *non esse* dicitur idem, vel diuersum: sed omne ens alij comparatum dicitur idem, vel diuersum. Tunc idem proportionaliter addit *multum* quod est *vnum* transcendens; sed *vnum* principium numeri nihil addit super *vnum* transcendens, nisi rationem mensuræ: ita quòd circumscripto illo addito, derelinquitur vnum transcendens. Sic *multum* quod est numerus, nihil addit super *multum* transcendens, nisi rationem mensurati, qui circumscripto derelinquitur *multum* transcendens; sed numerus nihil addit non enti: igitur *multum* transcendens non est non ens. Vnde dicit in tertio, quòd non potest dici *multum*, nisi de qualibet parte eius possit dici quòd sit *vnum*; sed *vnum* non de ente: igitur *multum* non reperitur nisi in entibus. Non igitur opponitur cõtradictoriè, nec priuatiuè, quia priuatio illud, quod est, non ens est; vnde nullam naturam ponit: sed *vnum* non est priuatiuum; non enim significat indiuisionem; imò significat ens sub indiuisione, vel vt in diuersis propriè non significat vnitatem: ergo naturam ponit. Non igitur opponuntur priuatiuè, nec etiã relatiuè; quia *vnum, & multum* in se accepta sunt absoluta. Cùm ergo sic opposita naturam ponant, necessariò opponũtur contrariè. Verumtamen sicut scientia secundùm illud, quod est qualitas, quia tantùm qualitatem significat sub quodam ordine ad alterum: ideò dicitur esse relatiuum secundùm *dici*, non secundùm *esse*, cùm relatio non sit de eius significato. Sic *vnum & multum* possunt considerari secundùm illa, quæ sibi accidunt; & quia *multum* significat ens sub diuisione, & *vnum* ens sub indiuisione: sicut scientia significat qualitatem in ordine ad alterum; sic possũmus dicere quod *vnum & multum* sunt priuatiua; quia rationes eorum sunt priuatiuæ, vel propter rationes eius accidentales. Similiter si *multum* consideratur vt mensuratum per *vnum*; sic potest dici quòd relatiuè opponuntur. Vnde dico quòd *vnum & multa* sunt contraria propriè si priuatiuè, vel relatiuè opponuntur, hoc accidit.

Vnũ & multum an absoluta?

Vnũ & multa sunt contraria.

Quid addit vnum *principium numeri super* vnum *transcendens.*

3 *Ad primum arg. quomodo* vnum *opponitur* multo?

Ad primum argumentum dicitur, quòd *vnum* potest dupliciter considerari: vno modo secundùm quod est pars multitudinis, non habens formam præter formam multitudinis, sic non contrariatur *multo*; sicut nec corpus, quod est pars animalis, contrariatur animali: vel potest considerari secundùm quod habet formam diuersam à forma multitudinis; & sic contrariatur *multo*: sicut corpus si consideratur res perfecta à forma animalis, opponitur animali; sicut insensibile sensibili.

Ad secundũ quomodo vnum *est pars multi?*

Ad secundum dicendum, quòd *vnum* contrariatur *multo* secundùm quod formam oppositam habet in actu, & sic non constituit *multum*, vt potest considerari, non vt perfecta est per formam specificam, sed vt perfectibile per formam *multi*; & sic constituit *multum*: sicut est de binario & ternario. Si consideratur binarius inquantùm est quædam species numeri, sic non est pars ternarij; si consideratur in potentia ad formam ternarij, sic potest esse pars eius.

Ad tertium.

Ad tertium dicendum, quòd licèt *ens & vnum* conuertantur, quia tantùm differunt ratione; nihil prohibet aliquid contineri sub vno opposito alteri: ita tamen quòd non alij; ita tamen quòd vtrumque oppositorum includere potest in se rationem entis. Dicunt tamen: ratio entis saluatur simpliciter in ente: saluatur tamen in entibus; sic potest saluari in *vno & multum*; quia *multum* nihil aliud est quàm entia diuisa: & quia tam diuisio, quàm indiuisio conuenire possunt enti, licèt omne ens sit indiuisum in se; quia tamen huic enti non repugnat diuisio ab alio: igitur *vnum* conuerti potest realiter cum ente: quia entia diuisa non sunt extrà ens. Vnde *multum* in substantia opponitur *vni* in substantia; & *multum* in qualitate *vni* in qualitate. Propter hoc non cõuenit: bonum & ens conuertuntur: & tamen non est malum nisi in ente; nec falsum vero opponitur nisi in ente vero: non tamen in vero sunt opposita; sic *multum* non est nisi in *vno*.

Licèt vnum *conuertitur cum ente oppositum eius* multum, *non ideo est, non ens.*

Ad quartum.

Ad quartum dicendum, quòd *multum & vnum* opponuntur, sicut diuisibile & indiuisibile &c. Dicendum quod hoc est verum quantùm ad cognitionem nostram, non tamen quantùm ad significata; quia nihil apprehendimus de *vno*; nisi indiuisionem: sicut nec naturam alicuius simplicis. Vel potest dici, quòd concessum est quòd opponitur quodammodò priuatiuè.

Ad quintũ.

Ad vltimum argumentum dicendum, quòd etsi *vnũ* & *multũ* possint dici relatiua secũdùm *dici*, tamen secundùm illud quod sunt, relatiua nõ sunt.

Ostendit ipsum vnum ex diuisibili in diuisibile. *Text.9.*

QVÆSTIO VI.

Vtrùm vnum *sit prius multitudine?*

Aphrodis. citat. *quæst. antecedenti* S. Thomas *lect.*4. Albert. Magnus *tract.*2.*cap.*1. Ægidius citat. *quæst. antecedenti* Antonius Andreæ *hic quæst.* 3. Suarez *disp.* 5. *sect.*7. Fonseca *cap.lit A.*

1 *Primum argum.*

VIdetur quòd non; priuatio est posterior habitu: sed *vnum* se habet ad *multum* sicut priuatio ad habitum, quia indiuisibile ad diuisibile: igitur, &c.

Secundum.

Item, illud per quod aliquid causatur, & definitur, prius est eo: sed vnum ponitur per multitudinem, vt dicit Philosophus: & multitudo prior est ratione vt ait Commentator hîc.

Oppositum arguitur per eandem rationem, illud est prius alio per quod definitur; sed *multitudo* definitur per *vnum*; quia multitudo est aggregatio ex vnitatibus: igitur, &c.

SCHOLIVM.

VNVM *secundùm naturam esse prius multitudine: si tamen per* multum *intelligas diuisionem, est posterius, quia diuisionis priuatio.*

Dicendum, quòd *vnum* secundùm naturam prius est *multo*, sicut simplex composito. Verumtamen in multitudine duo conuenit considerare; & illud quod est multitudo, & ipsa diuisio. Si primum, sic posterius est vnitate, quia multitudo est aggregatio vnitatum; & non dicuntur aliqua *multa*, nisi priùs vtcunque conueniat esse *vnum*. Si consideratur ipsa diuisio, sic *vnum* est posterius, quia *vnum* est quod non est diuisum, & priuatio posterior est habitu. Vnde intelligendum, quòd quinque se habent per ordinem in consideratione intellectus. Primò, intellectus apprehendit ens: secundò idem: tertiò diuisionem entis à non ente; quia illa possunt dici diuisa, quorum vnum non est alterum; & illa diuisio est contradictionis: quartò apprehenditur huius diuisionis priuatio; & per consequens *vnum*: quintò apprehenditur multitudo causata ex replicatione *vnius*. Vnde licèt diuisum inferat contradictionem, vt saltem diuisio secundùm formam præcedat rationem *vnius*; *vnum* tamen præcedit *multum* secundùm rationem. Et ideò dicendum quòd *vnum* secundùm naturam præcedit *multa*. Illud etiam ostendi potest, vt supra, quæst.1.n.3. huius. Per hoc quòd impossibile est multitudinem præcedere *vnum*: quia si *multum* non dependeret ab *vno*, nec participaret ipso, nunc impossibile *multitudinem* diuidi contra *vnum*; & ideò necesse est *vnum* præcedere naturaliter.

Quomodo multum est prius & posterius vno?

3 *Ad primum.*

Ad primum dicendum, quòd illa sunt posteriora secundùm cognitionem nostram; quia cognitio nostra acquiritur per sensum, & composita sunt notoria sensui: Vnde quæ sunt simpliciter prima, non notificantur nisi per priuationem. Sicut punctum dicimus], cuius pars non est: & primam causam dicimus esse quid immateriale: & ideò licèt *vnum* sit naturaliter prius, *multitudo* tamen est notior nobis. Propter quod dicit Aristoteles, quòd *vnum* opponitur contrario suo. Et vlteriùs nihil prohibet aliquid esse prius & posterius ratione, secundùm diuersa in eo reperta. Vnde *multum* ratione diuisionis priùs est *vno*; ratione tamen formæ propriæ posterius est, & per hoc soluitur secunda ratio.

Vnum prius & posterius multo diuersa ratione.

Per idem etiam aliter patet ad primam, quòd quantùm ad diuisionem, & indiuisionem, *vnum* posterius est; sed tamen ista priuatio, siue diuisio non est de significato *vnius*; & ideò propriè loquendo *vnum* non habet se ad *multum*, sicut priuatio ad habitum. Ratio in oppositum procedit sua via.

Propter quod omne ad omne, aut idem, aut diuersum. *Tex.*11.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm omne *ad* omne *sit idem, vel diuersum?*

Aphrod.*num.*11.S.Thomas *lect.*4.Albert. Magn. *tract.*2. *cap.*2.Flandria *quæst.*5.*art.*2.Suarez *disp.*6.*sect.*3. Fonseca 10.*metaphys.cap.*5.*lit.L. & lib.*5.*cap.*6.

1 *Primum argumentum.*

VIdetur quòd non sit idem. Identitas importat vnitatem substantiæ; & diuersitas pluralitatem; sed non omnia sunt substantiæ: igitur, &c.

Secundum.

Item, ens comparatum non enti, nec est idem, nec diuersum: igitur, &c.

Si dicatur, quòd oppositio intelligenda est in entibus, illud non videtur: nam in omni propositione affirmatiua prædicatiuum idem est subiecto; & in negatiua diuersum: sed hæc est vera, *Chimera est Chimera*; *Chimera non est hirco-ceruus*: igitur *idem*, & *diuersum* se extendunt ad non entia, sicut ad entia.

Oppositum dicit Aristoteles hîc.

SCHOLIVM.

BENE *explicat cum Philosopho quomodo omne ens est* idem *vel* diuersum *omni enti*; *quia* idem *continetur sub* Vno, *&* diuersum *sub* multo. *Vide eum in Tex.*

2

Dicendum, quòd *idem* & *diuersum* sunt contraria; quia *idem* est quoddam vnum, & *diuersum* quoddam *multum*. Sic dictum est suprà quæst.5. huius, quòd *vnum* & *multum* sunt contraria, non extra entia: igitur *idem* & *diuersum* sunt contraria, & non sunt extra entia. Sed intelligendum, quòd quia substantia est radix omnium generum; & quia omnia, quæ habent rationem entis ad substantiam attribuantur, sicut *quod quid est* principaliter in substantiis, per posterius in accidentibus: sic *identitas* & *diuersitas*; siue *idem*, & *diuersum* principaliter insunt substantiis, & per attributionem aliis generibus. Et non solùm extenduntur ad aliqua alia genera; sed etiam ad negationes & priuationes, inquantùm rationem entis participant, & ideo omne ens comparatum enti est *idem* vel *diuersum* sibi.

Idem & diuersum non est tantum in substantia.

3 *Ad primum.*

Ad primum dicendum, quòd licèt identitas & diuersitas

diuersitas per prius reperiantur in substantiis, per attributionem tamen sunt in aliis generibus. Sic autem non est de simili,& dissimili,& æquali, vel inæquali;quia non omnia habent attributionem ad quantitatem,vel qualitatem.

Ad secundū vtrum ens sit idem, vel diuersum, à nō ente?

Ad secundum dicendum, quòd ens comparatur non enti inquantum non ens;nec est idem,nec diuersum. Ens tamen non enti comparatum,inquantum non ens,est quoddam ens;quia in non entibus sic consideratis inuenitur idem & diuersum,vt ratio in contrarium ostendit.

Diuersum enim, & à quo est diuersum, non necesse aliquo esse diuersum; differens ab aliquo, aliquo sanè differt. *Tex.12.*

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm differentiæ sit aliquo modo differentia?

Aphrodis. *num.*12. Auerroes *com.* 13. S. Thomas *lect.* 4. Albert. Magn. *tract.*2. *cap.* 3. Flandria *quæst.*11.*art.*1. Suarez *disp.* 7. *quæst. adiuncta sect.*3. Fons. 10.*metaphys. cap.*5.*lit.O.P.*

1 Primum argumentum.

VIdetur quòd non:quia vnumquodque propter quod,illud magis. Si igitur aliquid differat ab aliquo per aliquid,illud oportet differre, aut per se, aut per aliquid aliud:si per se, habeo propositum; si per aliud,quæretur de isto, & sic infinitum.

Secundum.

Item, idem est alicui,à quo non differt;si ergo differentia propriè esset, quæcunque diuersa non essent, aliquo modo diuersa non differrent,& si non differrent, essent eadem: sequeretur ergo quòd duo prædicata, quæ non sunt in aliquo diuersa,erunt eadem.

Tertium.

Item, differentiæ inferiores includunt intellectum superioris;aliter in diffinitione positis pluribus differentiis non esset nugatio,quod est contrà Philosophum in 7.huius text.43.Sed differentia inferior addit aliquid super differentiam superiore;alioquin non esset alia à differentia opposita:si igitur sunt indifferentia, quæ aliquo modo sunt diuersa; duæ differentiæ essent differentes: quod est contra Philosophum in 10.tex.12.

Oppositum dicit Philosophus.

SCHOLIVM.

IN *hoc differunt* diuersa & differentia,*quod quæcunque non sunt eadem, sunt diuersa, siue conueniant in aliquo,siue non : sed* differentia *in aliquo conueniunt,& in alio differunt. Ad tertium tangit, an differentia inferior includit superiorem? De quo vide eum 7. Metaphys. text. 43. & ibidem quæst.17.& 4.dist.11.quæst.3.ad 1.pro opin. nu.48.*

2 Differentia, & diuersa, quomodo differunt?

Dicendum, quòd differentia est inter *differens* & *diuersum. Diuersa*, sunt entia quæcunque non sunt eadem;si non sint eadem genere, siue specie, siue numero, siue proportione. *Differentia* verò sunt quæcunque in aliquo conueniunt, & in aliquo differunt,siue conueniunt in eodem numero, vt senex à se puero, Socrates albus, à Socrate nigro : siue conueniant in genere & differant per differentias, vt homo, & asinus:siue conueniant in specie,& differant per accidens,vt Socrates & Plato.Propriè tamen,differentia sunt quæcunque conueniunt in aliquo,& per differentias specificas sunt diuersa;vt species eiusdem generis,quæ conueniunt in genere,& differunt per differentias:& ideò propriè aliqua differunt,quæ in aliquo conueniunt,& in aliquo differunt.

Plato & Socrates sunt idem animal.

3 Ad primum.

Ad primum dicendum, quòd si aliquid differat ab aliquo, per aliquid, non oportet illud differre;sed sufficit,quòd vt diuersum: diuersum verò potest esse aliquid à seipso.

Ad secundum.

Ad secundum, cùm dicitur, illud est idem, à quo non differt. Dicendum, quòd ista propositio sic habet intelligi, quòd illud idem est alicui, & sub aliquo, à quo non differt differentia specifica illius;sicut dicit Philosophus ibi,quod *Isosceles*,& *Isopleuros* sunt eadem figura; quia non differunt specifica differentia figuræ:sicut potest dici quod Socrates & Plato sunt idem animal;quia nō differunt differentia animalis. Vnde propositio non vt vniuersaliter intelligenda,sicut assumitur;quòd quæcunque non differunt, sunt eadem, sed quæcunque non differunt differentia generis, de eisdem potest prædicari genus cum nota identitatis.

4 Ad tertium.

Ad tertium dicendum,quòd non est inconueniens duas differentias differre; non tamen hoc est vniuersale, sed per accidens. Quod differentiæ primæ non possint differre vt posteriores differentiæ differunt;hoc erit per accidens. Vel potest dici, quòd illa sunt propriè differentia, quæ constituentur ex diuiso in diuisis,sicut animal diuiditur per rationale,& irrationale:ideo si aliquid constituitur ex animali & rationali,vt homo; & aliquid constituitur ex animali & irrationali, vt homo & asinus;differūt:sic nō est de differentiis. Ponamus,quòd duæ differentiæ diuidant vnā differentiam,vt animatum, & inanimatum, corporeum,& quod vtrumque diuidens includat intellectum differentiæ diuisiuæ: si tunc aliquid esset compositum ex corporeo & animato, & aliud ex inanimato & incorporeo, illa duo composita differunt, & ipsæ differentiæ diuidentes: vt si *corporeum* diuidatur per *A* & *B*, & *corporeum* cum *A* constitueret animatum,& cum *B* inanimatum; tunc animatum & inanimatum differrent,sic fortè non est inconueniens.

Composita propriè differunt,ipsæ differentiæ non. Vide Sco. 4. dist. 11. q.3. ad 1.

Differt autem genere aut specie:genere quidem quorum non est communis materia, nec generatio ad inuicem. *Tex.12.*

QVÆSTIO IX.

Vtrùm illa sint diuersa, quorum materia est diuersa?

S.Thomas *hic lect.*4.*& lib.*8.*lect* 4.Albert Magn. *tract.*2. *cap.*3. Ægidius lib. 11. *metaph. quæst.*1.Fonseca citat. *quæst.antecedenti.* Suarez *disp.*35.*sect.*2.Vide Doct. *infra quæst.*20.*& in* 2.*disp.*3.*quæst.*6.*& quæst.*5.3.

1 Primum argumentum.

VIdetur quòd non quia materia coloris est superficies; nam accidentia materiam non habent *ex qua*,sed solùm *in qua*:materia saporis est humor; si illa essent diuersa quorum materia est diuersa, igitur color & sapor differrent genere: hoc autem est falsum, quia sunt in specie qualitatis:igitur,&c.

Secundum.

Item, corporum cælestium & inferiorum non est vna materia;& tamen sunt in vno genere,substantiæ scilicet.

Tertium.

Item,omnia decem prædicamenta possunt esse in

in eodem subiecto; cùm igitur accidentia non habeant materiam præter subiectum, videtur quòd prædicamenta non sint in genere diuersa, cùm eorum possit esse eadem materia.

Oppositum dicit hîc Philosophus.

SCHOLIVM.

ILLA *dicuntur eiusdem generis physici, quæ sunt ad inuicem transmutabilia, hoc est quæ habent materiam seu subiectum commune; cuiusmodi sunt, quæ se inuicem corrumpunt. Idem genus logicum non petit vnam materiam talem; vnde corporea, & incorporea, corruptibile & incorruptibile sũt eiusdẽ generis logici, sed non physici. Vide Doctorem infrà text. 25. & 4. dist. 6. q. 10. n. 13. & 1. dist. 8. q. 3. n. 16.*

2

Dicit enim, quòd subiecta sunt diuersa, quorum materia non est vna, nec transmutatio eorum ad inuicem.

Genus physicum, & logicum, vtrumque à materia accipitur.

Ad illud dicendum, quòd duplex est genus; scilicet Physicum, & Logicum, & vtrumque à materia accipitur: illa autem dicuntur diuersa genere materiali, quorum materia propinqua, siue realis, non est vna: vnde & talia sunt quorum materiæ non reducuntur ad inuicem; nec ambæ ad tertiam: & sic dicetur naturalis, quod color & sapor differunt genere: sic etiam dicitur, quòd corpora superiora & inferiora differunt genere, vt vult secunda ratio. Genus Logicum à materia, siue materiali sumitur, etsi non significet materiam; quia in homine natura sensitiua comparatur ad intellectiuam, sicut materia ad formam: & ideò quæ participant sensitiuam, dicuntur habere materiam vnam in genere vno: quæ autem non habent sensitiuam dicuntur diuersa genere ab his, quæ habent eam. Vnde quorum materia est diuersa genere, sunt diuersa secundùm naturalem; & quorum illud, quod est materiale, & ratione est diuersum, genere logico sunt diuersa, vel propinquo, vel remoto. Et dico *remoto*, quod licèt quod est materiale proximum, in ratione sit diuersum; illud tamen potest esse naturale remotum, sicut licèt proximum genus herbæ & plantæ sit diuersum genus, tamen remotum est. Deinde quia genus accipitur à materia, licèt vna materia non sit: ideò dicit Philosophus, quòd genere sunt diuersa, quorum materia est diuersa; & quia illa, quæ non communicant in materia, non sunt ad inuicem transmutabilia: ideò addit, & dicit: & quorũ *transmutatio non est ad inuicem.* Hoc autem necessarium fuit addere, eò quòd accidentia materiã non habent, & vniuersaliter accidentia, quæ non sunt ad inuicẽ transmutabilia, genere differũt secũdùm naturalẽ, vt albedo, linea. Per hoc patet ad rationes.

Quorum materia est diuersa genere, & ipsa sunt diuersa genere.

3 *Ad primum.*

Ad primum dicendum, quòd color & sapor differunt genere secundùm naturalem, tamen sunt in eodem secundùm logicum; quia nihil prohibet aliquid materiale idem secundùm rationem inueniri in eis.

Ad secundum: corpora superiora, & inferiora, an idem genere?

Ad secundum dicendum, quòd corpora cœlestia & inferiora sunt diuersa genere Physico, eadẽ tamen sunt genere Logico: quia ratio inueniri potest quoad materiale in eis, in qua conueniunt.

Ad tertium: quæ accidentia differunt genere?

Ad tertium dicendum, quòd quia accidentia habent solùm materiam *in qua*, & non *ex qua*; ideò dicit Philosophus, quòd non solùm genere sunt diuersa, quorũ materia non est vna; sed quorũ non est transmutatio ad inuicem: & quia quædam sunt transmutabilia ad inuicem, vt album, nigrum; quædam non, vt album, triangulum; ideò quædam accidentia sunt genere diuersa, quædam non.

Et hanc dico contrarietatem; quia maxima est differentia. palàm ex inductione. *Tex.* 13.

QVÆSTIO X.

Vtrùm contrarietas sit maxima distantia?

Aphrod. & Auet. *hic* S. Tho. *lect.* 5. Alb. Magn. *trac.* 1. *cap.* 3. Fland. *q.* 6. *a.* 1. Ant. And. *hic q.* 6. Suar. *disp.* 45. *sect. n.* 9. Fons. 10. *metaphys. cap.* 6. *lit. A.*

1 Primum argumentum.

VIdetur quòd non: quia quæ differunt genere & specie, magis distant, quàm quæ specie tantùm: sed aliqua differunt genere & specie: sed contraria differunt specie tantùm: igitur, &c.

Secundum.

Item, à quocunque distat albũ, ab eodẽ albius; sed albũ distat à nigro; igitur albius distat ab eodẽ: sed album & nigrum sunt contraria: igitur erit dare maiorem distantiam, quàm contrarietatem.

Tertium.

Item, etiam transmutatio ex contrariis est, sed contrarietas potest fieri ex medio ad extremum; & è conuerso: ergo medium contrariatur extremo; sed magis extremum contrariatur extremo, quàm medio; ergo contrarietas: igitur, &c.

Oppositum dicit hîc Philosophus.

SCHOLIVM.

CONTRARIA *maximè inter se distant, quia sunt sub eodem genere, & se mutuò corrumpunt: quæ enim differunt genere, non habent talem in se transmutationem, & sic non sunt comparabilia secundùm magis & minùs; quia nõ priùs magis differunt, & postea minus. Vide Doctorẽ in textu citatũ.*

2

Dicendum, quòd contrarietas est maxima distantia; quia contrarietas est quædam differentia; sed quæcunque differunt, genere aut specie differunt; sed in differentibus genere non est inuenire maximam distantiam: quia vbi est repetire maximum, ibi est reperire magis & minùs; sed magis & minùs important comparationem: sed in genere diuersa non sunt comparabilia; per Aristotelem 7. physicorum: text. 24. igitur inter genere diuersa non est reperire magis & minùs; nec per consequens maximum.

Inter genere diuersa non est maxima distantia.

Item, magis & minùs reperiuntur solùm in his, quæ sunt ad inuicem transmutabilia; sed transmutatio est quidam processus ab vno in alterũ; in quo quidem processu vnum extremum maius priùs distat ab alio, minus deinde, quousque transmutatur vnum in alterum: sed inter genere diuersa non est maxima distantia: solùm ergo inter specie diuersa. Istud patet, quia genere diuersa possunt esse in eodem, sicut quale & quantum, & non conuenit de maximè differentibus, sed inter diuersa specie, est propriè transmutatio: solùm ergo maxima distantia est inter specie diuersa; sed tamen non quæcunque specie diuersa maximè distant, sed solùm vltima: si enim peruenìatur ab albo ad pallidum, procedere conuenit vlteriùs; cùm peruenitur ad nigrum, non est procedere ad aliquid vlteriùs. Cùm ergo maxima distantia non sit diuersa genere, sed solùm inter diuersa specie: & hoc dico inter vltima: illa verò, quæ sunt vltima, sunt contraria: sequitur, quòd contrarietas sit maxima distantia. Ex hoc sequitur, quòd contraria sunt in eodem genere; & quia genus accipitur à materia, sequitur vlteriùs, quod contrariorum sit vna materia: & quia materia est in potentia, vel quia materiæ debetur potentia, sequitur, quòd contrariorum sit vna ars, & vna scientia.

Ad

3 *Ad primum. Quæ differũt genere & specie, an magis differant, quã quæ specie? Ad secundũ.*

Ad primum argumentum, cùm dicitur, quòd illa, quæ differunt genere & specie, magis differunt, quàm illa quæ specie. Dicendum quòd hoc non est verum; licèt enim plura differant, non tamen magis distant; quia nec sunt comparabilia, nec ad inuicem transmutabilia: & tamen in his solùm reperitur magis & minùs.

Ad secundum, cùm dicimus, album & nigrum esse contraria; per *album* non intelligimus aliquẽ gradum albedinis citra terminum; sed *album* accipitur ibi, vt commune est ad omnem gradum albedinis; & secundum illud, quod est albius, non magis distat, quàm album; quia illud quod est albius est album; imò & album & nigrum prout sunt verè contraria accipiuntur album & nigrum in termino, & non alio modo; & sic non distat albius magis quàm album.

Albius non plus distat à nigro, quàm album.

Ad tertium.

Ad tertium dicendum, quòd loquendo absolutè non est perfectè medium contrarium extremo; imò extremum perfectius contrariatur extremo, quàm medium, eò quòd perfectius distat.

Prima contrarietas habitus & priuatio est; sed non omnis Priuatio. *Tex.* 15.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm contrarietas prima sit habitus & priuatio?

S.Thom.*lect.*6. Albert.Magn.*trac.*1.*cap.*5.Fland.*q.*7.*art.*1. Ant.And.*hic q.*4.Fons.10.*metaphys.cap.*7.Suar.*disp.*45. *sect.*3.*num.*2.*& disp.vlt.de Entibus rationis.*

1 *Primum argum.*

VIdetur quòd non: nam oppositum non prædicatur de suo opposito; sed contraria & priuatiua distinguuntur per oppositum in genere oppositionis: igitur contraria non sunt priuatiua, nec per consequens habitus & priuatio sunt contrarietas prima.

Secundum.

Item, vtrumque contrariorum aliquam naturam ponit; priuatio verò per se nullam naturam ponit: ergo priuatio de se non est contrarietas.

Tertium.

Item, contrarietas est maxima distantia; priuatio verò non est maxima distantia: quia si careat albedine natum habere, siue sit propinquum, siue remotum, dicitur priuatiuum: non igitur habitus & priuatio dicuntur contrarietas.

Oppositum dicit hîc Philosophus.

SCHOLIVM.

PRIMA *contrarietas, seu principium contrarietatis, est habitus & priuatio, ex eo quod vnum contrarium habet rationem imperfecti, & sic priuationis perfecti, respectu alterius; vt nigrum respectu albi. Sed hoc conuenit, tantum priuationi perfectæ, quæ est extremi; non imperfectæ, quæ est medij. Vide expositionem Doctoris hîc.*

2 *Quomodo differunt* contradictio, priuatio, contrarietas.

Dicendum, quòd contrarietas est quædam priuatio; non tamen omnis priuatio est contrarietas; sed solùm priuatio perfecta. Ratio primæ differentiæ est inter contrarietatem, priuationem, & contradictionem: quod enim contradicit alij, opponitur sibi; sed nihil ponit, nec subiectum requirit; potest enim dici, quòd non ens non videt, & quod lapis non videt. Priuatio autem alij contraponitur; tamen naturam nullam ponit: & igitur non est in genere, subiectum tamen habile requirit, & ideò nec non ens, quia non est subiectum, nec lapis, quia non est aptus, possunt dici *cæca*; sed solum animal. Contrarietas subiectum ab illo requirit, & vtrumque extremum aliam naturam ponit; & igitur contraria sunt in eodem genere: & ideò vbicunque est priuatio, ibi est quædam contradictio; quod enim est eorum, est non videns: similiter vbi est contrarietas, ibi est quædam priuatio. Licèt enim priuatio de se naturam non ponit; naturam tamen primò præmittit: & ideò contrarietas est quædam priuatio. Illud idem videtur per rationem Philosophi: nam etiam generatio est ex contrariis; ita quod vtrumque extremum generationis est contrarium: & hoc vel secundùm se, vel secundùm aliquid sibi coniunctum: sed alterum extremum cuiuslibet generationis est priuatio, &c.

Vbi priuatio, ibi contradictio quædam.

Secundum patet sic; quia priuatio solùm importat carentiam habitus, requirit tamen subiectum cum habitudine ad habitum, siue quod determinatur in qua distantia subiectum sit ad habitum; quia siue sit propinquum, siue remotum, dicitur priuatiuum; quia illud, quod caret albedine, siue nigrum, siue pallidum, dicitur priuatiuum; sed quia caret albedine, non dicitur contrarium, nisi sit in maxima distantia: vnde contrarium requirit subiectum maximè remotum ab habitu; & ideò non omnis priuatio dicitur contrarietas; sed solùm priuatio perfecta, quæ fundatur in aliqua natura maximè ab habitu distante: quæ priuatio de se non recipit magis & minùs. Similiter dicitur perfecta & imperfecta, secundùm naturam, in qua fundatur; vnde perfecta priuatio albedinis solùm dicitur priuatio fundata in nigredine: quia igitur omnis contrarietas est quædam priuatio, & non omnis priuatio est contrarietas, sed priuatio perfecta. Priuatio igitur prior est ratione contrarietate, & est prima radix cuiuslibet contrarietatis; sicut contradictio est prima radix cuiuslibet oppositionis. Ideò dicit Philosophus, quòd priuatio & habitus sunt prima contrarietas; quia sunt prima radix contrarietatis. Vnde propter argumenta intelligendum est, quòd *contrarium* potest considerari, aut inquantum aliquam naturam positiuam importat; & sic absolutè & propriè loquendo contrarium non est priuatio. Vel potest considerari secundùm quòd natura est imperfecta respectu alterius extremi; & omnis imperfectio est priuatio perfectionis; & sic contrarium potest dici priuatio.

Priuatio perfecta est contrarietas.

Priuatio est radix contrarietatis, contradictio omnis oppositionis.

4 *Ad primum.*

Ad primum argumentum dicendum, quòd priuatio diuidit oppositionem, secundùm quod determinat subiectum habile præscindendo naturam, & sic non prædicatur de contrario, & opponitur contrarietati: Si tamen accipitur priuatio absque præcisione naturæ, sic nihil prohibet priuationem prædicari de contrarietate; non inquãtum *contrarium* importat quandam naturam; sed inquantum illud, quod importat est quoddam imperfectum.

Quomodo priuatio dicatur de contrario?

Ad secundũ.

Ad secundum, cùm dicitur vtrumque extremum importat. &c. Dicendum, quòd si *contrariũ & priuatio* accipiuntur secundùm quod in specie oppositionis distinguuntur, vnum non prædicatur de altero, quia vnum priuatio dicitur, & non natura; sed licèt naturam non ponant, naturam tamen poni permittunt, nihil prohibet priuationem prædicari de contrarietate.

Ad tertium. Omnis contrarietas est priuatio non è conuerso.

Ad tertium dicendum, quòd formaliter loquendo contrarietas non est priuatio, nec è conuerso: ratio tamen vnius saluat rationem alterius; licèt enim priuatio non importat maximam distantiam; saluari tamen potest in maximè distãte: & ideò

& ideò dictum est, quod non omnis priuatio est contrarietas, sed solùm perfecta.

His autem entibus palam, quod non contingit vni plura contraria esse. *Tex.* 14.

QVÆSTIO XII

Vtrùm tantùm vnum vni sit contrarium?

Aphrod. *num.* 14. S. Thom *lect.* 5. Albert. Magn. *trac.* 2. *cap.* 4. Fland. *quæst.* 6. *art.* 2. Suar. *disp.* 45. *sect.* 2. *num.* 12. Fons. *hoc loco cap.* 6. *lit.* D.

1 *Primum argumentum.*

VIdetur quòd non: omnis generatio est ex cótrariis, & omnis generatio transmutatio; sed ab vno potest fieri transmutatio ad multa, quia ab igne ad terram & aquam: igitur vni contrariantur multa.

Confirmatio. Illud confirmatur sic: omnis transmutatio est inter priuationem & habitum: sed priuatio & habitus possunt contingere multis modis; quia priuatio dicit carentiam habitus in subiecto apto nato, sed hoc quod determinat alteram dispositionem in subiecto, secundùm quam fit propinquum, vel remotum ab ipso habitu, potest esse multiplex. Si ergo transmutatio fit inter habitum & priuationem, quæ conueniunt multis modis; & omnis transmutatio est inter contraria; eidem possunt multa contrariari; sicut possunt secundùm priuationem oppositionis.

Secundum. Item, virtus & vitium sunt contraria; sed cuilibet virtuti opponuntur duo vitia: igitur, &c.

Tertium. Item, æquali contrariatur paruum & magnum: igitur, &c. Antecedens patet: tum, quia æquale & non æquale contrariantur, & inæquale consistit in duobus, scilicet, in paruo & magno: tum, quia ista interrogatio est, vtrùm vtuntur in oppositis, & vtuntur ipsa inter æquale, & magnum, & paruum: quærimus enim, vtrùm hoc sit æquale, vel maius, vel minus eo.

Oppositum dicit hîc Philosophus.

SCHOLIVM.

QVIA *contrarietas est maxima distantia, ex quæst.* 10. *est tantùm vna, & sic duo vltima habet, nempe extrema; ex quo habetur, quod vnum vni tantum contrariatur; quia si duo vni contrariarentur, aut æquè distarent, & tunc non esset vna distantia, aut vnum magis, & tunc quod minùs distaret, non esset contrarium: quia ex Philosopho fuscum comparatum ad album est nigrum, & comparatum ad nigrum est album. Quod ait ad tertium virtutem & vitium contrariari, intelligit pro materiali vtriusque; quia pro formali tantùm dicunt respectum & priuationem secundùm ipsum* 1. *dist.* 17. *quæst.* 3. §. Quantum ad istum: *num.* 3. *& num.* 13. *&* 3. *dist.* 36. *num.* 17. *& quodlibeto* 18. *a.* 1.

2 *Vnum vni tantum est contrarium.*

Dicendum, quòd tantùm vnum vni perfectè opponitur, & est contrariũ: si enim vni plura sint contraria; hoc est, aut imperfectè, aut æquiuocè. Ratio primæ est; contrarietas est perfecta & maxima distantia; sed maxima distantia sunt tantùm duo vltima; quia quod per superabundantiam dicitur, vni soli conuenit: maxima ergo distantia est tantùm vna, & vnius distantiæ sunt tantùm duo extrema vltima. Si igitur vni opponantur duo, aut æquè distabunt, & tunc non erit distantia vna; si vnum distat magis, & alterum minùs, quod minùs distat non est contrarium, eo quòd aliquid est alterius. Sequitur ergo, quòd tantùm vnum sit perfectè vni contrarium, quod tantùm medium comparatur ad vtrumque; sicut fuscum per comparationem ad album, est nigrum; per comparationem ad nigrum, est album, per Philosophum 5. Physicorum: tex. 20. & inter duo extrema multa possunt esse media & imperfectè multa possunt esse vni contraria.

Fuscum per comparationem ad album est nigrum.

3 *Ad primum.*

Ad primum dicendum, quòd ista, inter quæ est transmutatio, non semper sunt contraria secundùm se; sed aut secundùm se, aut secundùm dispositiones sibi adiunctas. Vnde si ex igne fiat aqua, non est maxima distantia, & ideò non sunt contraria; quia quæ distant per aliquod medium, distant; dicuntur tamen contraria, quia habent dispositiones contrarias, & vni dispositioni est tantùm vna dispositio contraria perfectè, vt sicco humidum, calido frigidum: & ideò igni propter siccum contrariatur aër, & propter calidum terra, & causâ vtriusque, aqua: & exinde sequitur, quòd vni contrariantur multa.

Substantiæ, quæ se mutuo corrumpunt, sunt cótraria secundum dispositiones.

Ad confirmationem. Ad Confirmationem, dicendum, quòd licèt priuatio multis modis conueniat, eo quòd non determinat dispositionem, secundùm quam subiectum sit remotum; maximè propter hoc, contrarium importat quandam naturam, & priuatio non: vnde ad pluralitatem priuatiuam non plurificantur contraria imperfecta.

Ad secundum. Ad secundum, dicendum, quòd virtus & vitiũ dupliciter possunt considerari; aut secundùm rationem boni & mali, & sic virtus contrariatur vitio; quia ab vtroque vitio opposito virtus maximè distat: & tunc vtrumque extremum habet rationem vnius extremi, quia vtrumque est malum. Si verò virtus consideratur secundùm propriam rationem, vt medium inter duo, sic non contrariatur perfectè alteri, quia sic duo vitia sunt magis contraria, quia maximè distant, magis quàm vitium & virtus.

Duo vitia magis distant quam virtus, & vitiũ.

Ad tertium. Ad aliud dicendum, quòd æquale opponitur paruo & magno, vt probatur; non tamen contrariatur perfectè, imò magis æquale opponitur eis, sicut priuatio, quàm sicut contrarium. Et ideò dicit Philosophus hîc, quòd si illud sit æquale, quod nec est magis nec minùs, illa negatio non est negatio simpliciter, sed negatio priuatiua; quia negatio simpliciter dicitur de ente, & non ente; quia nec est maius nec minus; dicitur æquale pro non ente, sed illud, quod neque est maius, neque minus, aptum tamen natum esse maius & minus, illud est *æquale*.

Æquale quomodo opponitur paruo & magno?

Si multa simpliciter vni opponuntur accidunt impossibilia, nam vnum paucum, aut pauca erit. *Tex* 20.

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm de Vno ***dicatur quod*** paucum?

Aphrod. *num.* 20. S. Thom. *lect.* 8. Albert. Magn. *trac.* 2. *c.* 8. Fland. *quæst.* 9. *art.* 1. Fons. *in Exposit. cap.* 9. *in principio* Vide Doct. *in metaph. textuali ad hunc locum.*

1 *Primum argum.*

VIdetur quòd sic: *multum* contrariatur *vni*, vt dictum est quæst. 5. huius, & quòd *multum* contrariatur *pauco*: ergo cùm tantùm vnum vni sit contrarium, *vnum* erit *paucum*.

Secundum. Item, duo sunt multa; quia *duplex* est multitudo; & non sunt multa respectu alicuius: cùm ergo *multum* dicatur ad *paucum*, *vnum* erit *paucum*.

Tertium. Item, quod minus est aliquo *paucum* est; sed *vnũ* est minus duobus: ergo est *paucũ* respectu ipsius.

SCHO

SCHOLIVM.

Vnvm non est paucum quia paucum est multitudo excessa. Vide expositionem Doctoris in textum hunc.

2

Dicendum, quòd *vnum* non est *paucum* : nam sicut longitudo se habet ad producere, & breue, tanquam ad suas passiones ; sed omne breue, est quoddam longum, & breuitas est passio longitudinis : igitur esse *paucum* est quoddam *multum* : quia *paucum* est passio pluralitatis : sed *vnum* non est aliquid *multum* : igitur *vnum* non est *paucum*. Vnde intelligendum, quòd *multitudo* dupliciter potest accipi ; vel potest denominare pluralitatem excedentem, & sic opponitur pluralitati excessæ: *paucum* enim est pluralitas excessa.

Quare vnum nō est paucū?

Paucum est pluralitas excessa.

Aliter potest *multitudo* importare pluralitatē simpliciter, & sic opponitur *vni* ; & quia *vnum* non est multitudo excessa; ideò *vnum* non potest dici *paucum*.

3

Ad primum. Multum opponitur vni, & pauco, diuersimodè.

Ad primum dicendum quòd *multum* contrariatur *vni* vt simpliciter est acceptatum, sed est oppositum *pauco* vt importat quandam rationem excedentis : & ita cùm opponitur *vni* & *pauco*, hoc non est secundùm eandem rationem, propter quod non sequitur quòd *vnum* sit *paucum*.

Ad secundū. An duo sunt multa?

Ad secundum cùm dicitur, quòd *duo* sunt *multa*. Dicēdum, quòd si *multum* importat multitudinem simpliciter, *duo* sunt *multa* respectu vnius. Si verò *multum* importat multitudinem excedentem, *duo* nō sunt *multa* ; imò sic *duo* sunt à primo pauca: quia dualitas est prima multitudo excessa.

Ad tertium.

Ad tertium dicendum, quòd non omne minus aliquo est *paucum* respectu eius, licèt omne *paucum* sit minus alio ; non tamen omne minus est *paucum* ; quia non omne minus est *multum* excessum: & ideò non oportet, &c.

Multitudo enim quasi genus est numeri.
Text. 21.

QVÆSTIO XIV.

Vtrùm multitudo *sit in plus quàm* numerus, *tanquam genus eius* ?

Aphrodis. & Auerroës *hic* S. Thomas citat. *in q. anteced.* Albert. Magn. *tract. 2. cap. 8.* Suar. *disp. 41. sect. num. 4.* Fonseca citat. *in q. anteced.*

Primum arg. Numerus quid?

Videtur quòd non: cuicunque conuenit definitio, & definitum ; sed definitio numeri est *multitudo mensurata per vnum*: cùm igitur omnis multitudo sit mensura per vnum, omnis multitudo est numerus.

Secundum.

Item, quorum species sunt eædem, & passiones sunt eædem, ipsa sunt eadem: sed eædem sunt species numeri & multitudinis; quia quodcunque *vnum*, siue sit principium numeri, siue synonymum enti alteri coniunctum, constituit binariū: igitur *multitudo* & *numerus* sunt eadem.

Tertium.

Item, vbi sunt multa, ibi sunt entia diuisa : & vbi sunt entia diuisa, ibi est dare vnum, quod potest mensurare ea, vel per quod possunt mensurari: sed vbicunque sic sunt aliqua diuisa, ibi est numerus : ergo &c.

Oppositū dicit hîc Philosophus: scilicet quòd *multitudo* est quasi genus *numeri*, quod non esset, nisi esset in plus.

SCHOLIVM

Mvltitvdo est quasi genus ad numerū, *quia inuenitur in rebus quantis, & aliis. Non est propriè genus, quia est transcendens. An verò sit numerus propriè intrà quantitatem : non est quæstio rei, sed vocis. Scotus in hunc textum ait esse, impugnans expositionem D. Thomæ: in quam tamen tandem consentire videtur : quod etiam hîc habet secundùm mentem Philosophi.*

2

Dicendum, quòd *multitudo* absoluta est in plus quàm *numerus*. Sicut enim *vnum* absolutè acceptum est in plus quàm *vnum*, quod est principiū numeri: sic *multitudo* absolutè accepta est in plus quàm multitudo, quæ est numerus. Vnde sicut *vnum* secundum numerum addit super *vnum* absolutè acceptum ratione mensuræ, vel aliquid tale determinans ipsum ad genus quantitatis : sic *multum*, quod est numerus addit super *multum* absolutum ratione mensurati: vel aliquid tale determinans ipsum ad genus quantitatis. Vnde multitudo absoluta non requirit nisi entia diuisa & mensurata : & ideò *multitudo* est in plus quàm *numerus*.

Multitudo plus est quā numerus.

Præterea Mathematica non sunt separata à sensibilibus secundùm *esse*, sed secundùm rationem solùm, *numerus* est res mathematica : igitur non habet esse extrà sensibilia: sed in non sensibilibus est multitudo: ergo &c.

Illud probari potest per easdem rationes, pèr quas probatum fuit lib. 4. Vide lib. 4. Met. q. 2. quod *vnum* quod est principium numeri, non cōuertitur cum ente : tamen licèt *multitudo* sit in plus quàm *numerus*, non tamen est genus eius, sicut nec *ens*, aut *vnum*, sunt genera : & ideò dicit, quòd est quasi genus.

3

Ad primum.

Ad primum argumentum, cùm dicitur, quòd ratio numeri est multitudo mensurata *vno*. Dicendum, quòd omnis multitudo mensurata per vnum determinatum ad genus Quantitatis, est *numerus* : sed non omnis multitudo est talis.

Ad secūdum.

Ad secundum dicendum, quòd non sunt eædem species *numeri* & *multitudinis*, nisi æquiuocè: sicut enim *vnum* est æquiuocum ad vnum absolutum, & ad vnum principium numeri, sic *multum* ad multum absolutum, & ad multum quod est numerus : sic binarius æquiuocè est species multitudinis, quæ est numerus.

Ad tertium.

Ad tertium dicendum, quòd vbi sunt entia diuisa & mensurabilia per vnum determinatum ad quantitatem, ibi est numerus. Sed hoc non conuenit inuenire vbicunque entia sunt diuisa : quia non omnia entia propriè sunt mensurabilia per tale *vnum*, nec propriè sunt omnia entia diuisa mensurabilia : quia ratio mensuræ primò debetur Quantitati : secundùm tamen analogiam deriuatur ratio mensuræ ad alia genera.

) : (

Omnia namque media in eodem sunt genere,& quorũ sunt media.*Text.22.*

QVÆSTIO XV.

Vtrùm media sint in eodem genere cum extremis?

S.Thom. *lect.9.* Albert.*tract.2. cap.9.* Flandria *quæst.10. art.1.* Suarez *disp.45. sect.1 num.8.* Fonseca *in Exposit. cap.10. in princ.*

1 *Primum arg.* VIdetur quòd non: virtus est medium inter duo vitia; sed tamen virtus est in genere boni, vitium in genere mali: bonum autem & malum non sunt in genere, sed sunt aliorum genera, per Philosophum in prædicamentis:tract.2. cap.1. ergo media & extrema non sunt semper in eodem genere.

Secundum. Item, *æquale* est medium inter magnũ & paruum; sed *æquale* pertinet ad genus relationis;magnum & paruum ad genus quantitatis: ergo non sunt in eodem genere.

Tertium. Item,in omni medio est negatio vtriusque extremi;negatio autẽ in nullo genere est:igitur &c.

Oppositum dicit Philosophus hîc.

SCHOLIVM.

MEDIA *sunt in eodem genere cum extremis, quia transmutatio tantùm est inter ea, quæ sunt in eodem genere, & transmutans prius attingit medium,quàm extremũ. Vide expositionem Scoti hîc.*

2 Dicendum, quòd medium est in eodem genere cum extremis; quod patet ex ratione medij. *Medium est in quod continuè permutans prius peruenit,quàm in extremum;* sed transmutatio non est ab vno genere in aliud genus, nisi per accidens: ex albo enim non fit figuratum,nec dulce,nisi per accidens,sed omnis transmutatio est inter ea,quæ sunt eiusdem generis. Cùm ergo transmutatio sit prius ab extremo in medium, & deinde à medio in alterum extremum;medium semper est in eodem genere cum extremis.

Trãsmutatio tantum inter ea, quæ sunt eiusdem generis.

3 *Ad primum.* Ad primum argumentum dicendum, quòd Philosophus dicit in Prædicamentis, bonum & malum esse genera aliorum, secundùm opinionem Pythagoræ;& consuetudo est Philosophi in litigantibus exemplificare secundùm communem opinionem hominum,qui tunc fuerunt.

Vel aliter potest dici, quòd quia Philosophus dicit,in decimo, text.15.quòd habitus & priuatio sunt prima contrarietas, eo quòd inter omnia contraria vnum est priuatio alterius, & imperfectum,respectu boni,cuius est priuatio, quoddam malum est:ideò dicit Philosophus, quòd bonum & malum sunt genera, non quorumcunque, sed contrariorum; non tamen quia verè sunt genera, sed quia communiora sunt,quàm contraria.

Bonũ & malum quomodo sunt genera.

4 *Ad secũdum.* Ad secundum dicendum, quòd *magnum* & *paruum* possunt accipi quantùm ad propositum, aut secundùm quòd *magnum* importat quantitatem excedentem, & *paruum* quantitatem excessam:& sic pertinere possunt ad genus relationis: & sic *æquale* est medium inter *magnum* & *paruũ*, inquantùm hoc est maius, illud minus. Vel considerari possunt inquantùm important magnitudinem,& paruitatem absolutè, & sic pertinent ad genus quantitatis: & sic *æquale* non est medium inter *magnum* & *paruum*. Vel possunt tertio modo considerari secundùm quòd conueniunt alicui speciei naturali: Et sic *magnum* & *paruum* sunt contraria: quia cuiuslibet rei determinata est ratio magnitudinis & paruitatis, & sic *æquale* est medium inter ipsa. Duobus primis modis non sunt propriè contraria, nec per consequens medium habent.

5 *Ad tertium.* Ad tertium dicendum, quòd in omni medio est negatio vtriusque extremi, quanquam tamen ita quòd negationes extremorum cadunt super aliquid vnum determinatum: tunc facile est medium nominare vno nomine:& sic cadunt negationes huius,quod est maius,& eius,quòd est minus super aliquid, quod vnam & eandem quantitatem habet, & nominatur *æquale*. Quanquam verò negationes extremorum non cadunt super vnum determinatum,sed super plura;& tunc medium nominatur: aut pluribus nominibus, sicut medium inter album & nigrum, fuscum, pallidum, &c. aut medium ipsius manet innominatum; & sicut inter bonum & malum est medium, quod nec est bonum, nec malum. Vnde ad formam argumenti deducitur,quòd negatio inquantùm negatio est, non est in genere. Negatio tamen,quæ facit medium,fundatur in aliqua natura, vel super aliquam naturám mediam inter extrema vnius distantiæ. Alioquin duæ negationes non facerent medium vnum, quia nec est homo, nec lapis:non habet rationem medij alicuius,quia non fundatur in aliquo inter ista duo, tanquam extrema eiusdem substantiæ. Vnde quod nec est bonum,nec malum,dicitur medium, non ratione negationis, sed ratione naturæ subiectæ istis negationibus.

Quomodo negatio vtriusque extremi est in medio.

Oppositorum verò contradictionis medium non est, &c.*Text.22.*

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm tantùm inter contraria sit medium?

Aphrodis.*num. 22.* Auerroës *com.23.* S. Thom. *citat. in anteced.* Albert.Magn. *tract.2.c.9,* Anton.And. *hic q.6.* Fonseca *citat. in q. anteced.*

1 *Primum arg.* VIdetur quòd nõ:quòd enim transmutatur,dũ transmutatur, nec est in termino *à quo*, nec in termino *ad quem*: sed conuenit aliquam transmutationem esse inter contradictoria: est enim aliqua transmutatio de subiecto in non subiectum:& èconuerso,per Philosophum 5.Physic. text. 7. ergo dum aliquid est in tali transmutatione sub neutro contrariorum est: sed quod se habet per abnegationem vtriusque se habet ad medium: igitur inter contradictoria est medium.

Secundum. Item, quod transit de extremo in extremum, per prius peruenit ad medium:sed à forma ad priuationem, vel èconuerso, & ab vno relatiuorum ad alterum,&èconuerso potest fieri transmutatio: sicut de iniusto potest fieri iustus, & èconuerso: & de dissimili similis, & èconuerso. Igitur inter priuatiua & relatiua erit ponere medium,in quod prius peruenit transmutans, quam in extremum.

Tertium. Item,ista sunt simul,quorum non est medium: si ergo inter contradictoria, & inter priuatiua non esset medium; contradictoria & priuatiua essent simul: consequens est falsum: ergo & antecedens.

Oppositum dicit hîc Philosophus.

SCHO

SCHOLIVM.

Medivm *propriè est inter contraria, & non inter vlla alia opposita: probat clarè inductiuè, in priuatiuè, relatiuè, & contradictoriè oppositis. Vide eum in hunc textum.*

2 Dicendum, quòd medium propriè contrariorum est; cuius ratio est; nam medium solùm est inter opposita: quod patet per diffinitionem medij. *Medium enim est, in quod prius peruenit transmutatio, quàm in extremum*; sed omnis transmutatio est inter opposita: ergo mediũ solùm est inter opposita: sed non inter contradictoria; quia de quolibet est affirmatio, vel negatio. Vnde contradictio est oppositum, cuius non est medium secundùm se. Similiter inter relatiua, vniuersaliter non est medium; quia quædam non sunt in eodem genere, vt scientia, & scibile, & medium est inter ea, quod est eiusdem generis. Imò si inter aliqua relatiua sit medium, ista sunt vt contradictio, & vt ex æquo ad inuicem. Relatiua priuatiua etiam ad subiectum proprium comparata, immediata sunt; quia omne animal aut est cæcum, aut est videns; & hoc quãdo natũ est videre: quia tamen priuatio variè potest contingere, quia aliquid dicitur priuatum, ex eo quòd nullo modo habitum habet: & aliquid dicitur priuatum eo quòd non habet, quando, aut in qua parte natum est habere, & ideò inter quædam priuatiua est medium; & inter quædam non. Puer non dicitur malus, nec bonus, eò quòd ætatem non habet, in qua natus est dici bonus, vel malus, & hoc secundùm virtutes morales: sed cùm ad ætatem peruenerit, dicitur bonus, vel malus. Similiter aliqua priuatio determinat sibi subiectum, & aliqua non: virtus enim politica determinat sibi pro subiecto hominem ciuilem: & ideò qui non est ciuilis, nec potest dici bonus, vel malus: quia homo agrestis in hoc sensu, nec est bonus, neque malus. Vnde inter talia priuatiua conuenit sic dare medium. Quædam etiam priuatiua determinant sibi subiectum, & non requirunt sibi aliquam circumstantiam, neque ætatem, nec quando: sicut par & impar, & inter talia non est medium. Sed dictum est suprà quæstio. 11. quòd omnis contrarietas est priuatio, & prima contrarietas habitus & priuatio: & ideò non excludit, quin inter sola contraria propriè sit medium: quia vbicunque inter aliqua siue priuatiua, siue relatiua sit medium, habet rationem contrariorum: propter quod dicit Philosophus, quòd solum inter contraria est medium.

Mediũ quid: *Quædã priuatiua habẽt mediũ, quadam non.* *Inter sola cõtraria propriè est medium.*

3 *Ad primum.* Ad primum dicendum, quòd illud, quod transmutatur, dum transmutatur, nec est in termino *à quo*, nec in termino *ad quem*: quia omnis transmutatio est successiua & diuisibilis, vt dicitur 6. Physicorum: cap. 6. Illa tamen successio, vel diuisio, non est in transmutatione, nisi termini trãsmutationis suscipiant magis & minùs. Si termini transmutationis non suscipiunt magis & minùs inquantùm huiusmodi, habent tamen dispositiones contrarias communicantes, quæ suscipiunt magis & minùs, & pro illis dispositionibus verificatur propositio Philosophi, scilicet, quòd illud quod transmutatur, nec est in termino *à quo*, nec in termino *ad quem* simpliciter, sed est in in medio. Vnde propriè non potest dici, quòd aliquid transmutatur de contradictorio in contradictorium, vt de non igne, in ignem secundùm se: sed hoc solùm verificatur propter dispositiones adiunctas. Vnde cùm illud, quòd est non ignis, sicut aër, transmutatur secundùm suas dispositiones, non dicimus, quòd aliquid transmutatur de non igne in ignem, semper tamen est non ignis vsque ad vltimum, & ideò illud, quod dicitur, quòd non est in termino à quo &c. habet intelligi de dispositionibus adiunctis.

Non est trãsmutatio de cõtradictorio in contradictorium.

4 *Ad secundũ. Ab extremo ad extremũ sine medio, quandoque transitur.* Ad secundum dicendum, quod transit ab extremo in extremum priùs peruenit ad medium, non nisi inter ea, quæ sunt diuisibilia, & successiuè possunt acquiri. Et cùm dicitur, quòd transmutatio potest fieri à priuatione ad habitum, vel inter relatiua: dicendum, quòd hoc conuenit inquantùm sunt contraria, vel inquantùm contrariis adiunguntur: vnde in relatione non est motus, sed in eo circa aliquid dicitur relatiuè. Non enim cadit motus circa similitudinem, sed circa album, vel nigrum, penes quem atenditur similitudo. Vnde ad argumentum, quòd si inter priuatiua, vel relatiua, sit medium, hoc est vt participant rationem contrariorum.

Ad tertium. Ad aliud dicendum, quòd esse simul, non est non habere medium conuertibiliter: quia non habere medium est in plus, quàm esse simul: ideò fallacia consequentis est in arguendo. Vnde illa sunt simul, quæ sunt in eodem termino, vel eodem loco, & non quorum non est medium.

Media contrariorum necesse est componi ex his contrariis. *Text.* 23.

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm medium componatur ex contrariis primis?

S.Thom. *lect.* 9. Albert. *tract.* 2. *cap.* 9. Ant.And. *hic q.* 5. Flandria *q.* 10. *art.* 2. Fons. *in Exposit.c.* 10. *ad medium.* Vide Doct. 2. *dist.* 15. *quæst. vnica.*

1 *Primum arg.* Videtur quòd non: quando aliquid fit ex pluribus, oportet alterum se habere ad alterũ, vt potentia ad actum: quia ex pluribus in actu non fit vnum: sed quod sic est compositum habet aliquid ex quo fit. Cùm igitur accidentia non habeant materiam *ex qua*, & media sunt accidentia, media non componentur ex extremis.

Secundum. Item si medium componeretur ex extremis, aut genus mediam viam accipit in extremis, aut non: si actu, tunc dico contradictoria essent simul in eodem, quod est impossibile: si solùm in potentia, medium non differret à prima materia: nihil enim ex aliquo componitur vt videtur: quia ab eo simpliciter amouetur: sed medium importat negationem vtriusque extremi.

Oppositum dicit Philosophus.

SCHOLIVM.

Medivm *componitur ex extremis, non vt ex materia & forma, nec vt ex partibus diuersis, sed quia participat virtutem vtriusque sub quadam remissione; qua ratione elementa dicuntur manere in mixto. Vide Doctorem* 2. *distinct.* 15. *quæstione vnica.*

2 Dicendum, quòd omnia media tam species, quàm differentię componuntur ex contrariis primis; quia illud, quod dicit magis & minùs respectu duorum, habet aliquid vtriusque; sed medium inter duo extrema dicitur magis & minùs respectu vtriusque: igitur &c. Si enim aliquid transmutatur de albo in nigrum, cùm peruentum est ad medium, est minùs nigrum, quàm simpliciter, & est minùs album, quàm simpliciter album. Similiter, est magis nigrum, quàm simpliciter album, & magis album, quàm nigrum simpliciter: aliquid ergo habet medium vtriusque extremi. Sed intelligendum est, quòd sicut in genere mixti formæ substantiales, vel miscibilia, corrumpuntur quantùm ad formas substãtiales; & inducitur vna forma habens virtutem confusam participantem aliquid de virtute cuiuslibet miscibilis: sic est de actibus extremis & mediis: quòd si calidum & frigidum approximentur adinuicem, similiter humidum & sic cum ad generationem misti, corruptis miscibilibus, corrumpuntur istæ qualitates: & sic vna qualitas confusa habens virtutem extremorum, sicut tepiditas habet virtutem calidi & frigidi, & pallidum albi, & nigri. Vnde intelligendum, quòd medium non est compositum ex extremis, tanquam ex materia & forma, vel sicut ex diuersis partibus; sed pro eo dicitur compositum, quòd participat virtutem vtriusque sub quadam remissione, & sic est de speciebus; sic est de differentiis: sicut enim se habet pallidum ad album & nigrum, sic differentia constitutiua pallidi se habet ad differentias albi & nigri.

Medium participat de extremis.

Quomodo medium componitur ex extremis.

Ad primum.

Ad primum dicendum, quòd mediũ nõ dicitur compositum ex extremis, sicut ex materia & forma, sed quia virtutem habet extremorum. Vnde ex hoc non sequitur, quòd medium habeat materiam *ex qua*; quia in his, quæ habent talem materiam, materia manet, & est ibi in composito.

Ad secũdum Quomodo extrema sunt in medio.

Ad secundum dicendum, quòd extrema sunt in medio in potentia, aliter tamen, quàm in materia. Vnde sicut materia distracta est ab omni forma & priuatione, sic distracta est à virtute formæ; sed hoc non conuenit de medio: & propter hoc Philosophus primo de Generatione, text. 84. vt det diuersos modos essendi miscibilium in misto, & formarum in materia, dicit, quòd miscibilia non sunt in misto, nec actu, nec potentia, sed virtute.

Contrarietas igitur erit hæc, palam autem & ex inductione: omnia enim diuiduntur oppositis. *Text. 24.*

QVÆSTIO XVIII.

Vtrùm diuersitas, quæ facit differre species, sit contrarietas?

Aphrodis. *num.* 14. S. Thomas *lect.* 10. Albert. Magn. *tract.* 2. *cap.* 10. Antonius Andreas *hìc quæst.* 6. Flandria *quæst.* 11. *art.* 2. Fonseca *in Exposit. cap.* 11.

1 *Primum arg.*

Videtur quòd non: ista sunt contraria, quę habent in se contraria essentialiter: cùm igitur omnes species ex opposito diuersæ, sint diuersæ specie, si diuersitas in specie esset contrarietas, tunc omnes species ex opposito diuersæ essent contrariæ.

Secundum.

Item, nec substantiæ, nec quantitati est aliquid contrarium, sed si differrent in specie essent contrariæ, & sic in substantia aliqua & quantitate esset contrarietas.

Tertium.

Item, differentiæ substantiæ sunt corporeum & incorporeum, animatum, & inanimatum, sed inanimatum & incorporeum per priuationes sũt, non ergo sola contrarietas facit specie differre.

Oppositum dicit hìc Philosophus.

SCHOLIVM

Omnia quæ specie differunt, sunt contraria: licèt nõ ita propriè, quia non omnia habent distantiã per quam ab vno possit perueniri in alterum: est dicere quod magis spectat specifica diuersitas ad contrarietatem, quàm ad alias oppositiones: non est tamen contrarietas perfecta.

2 Dicendum, quòd differentiæ diuidentes Genus per se, vel diuersitas diuersificans genus in species, est contrarietas. Cuius ratio est, ad hoc, quod aliqua differant specie, oportet quòd in aliquo conueniant, & oportet, quòd illud genus diuersificatum, per se sit in vtroque: vtrumque istorum inuenitur in contrariis, & non in aliis. Contraria tamẽ in eodẽ genere, & genus diuersificatum est in his, in quę diuiditur; sicut animal est in homine & equo. Ista verò, per quæ genus diuiditur, oportet quòd sint opposita; quia quę non sunt opposita, possunt esse simul, & illa per quæ genus est diuersificatum, oportet esse diuersa; illa autem opposita non possunt esse contradictoria; quia negatio nihil prædicat, & species determinantur ad illud, quod est per aliquam naturam. Non ergo potest determinari per aliquam negationem, nec per priuationem ad eandem rationem: quia priuatio inquantum huiusmodi ponit *nihil*: & ideò non potest esse differentia specifica alicuius. Nec possunt esse relatiua, quia relatiua, accidentia sunt, & determinatum genus habent: vnde non possunt esse constitutiua alicuius. Propter quod oportet differentias diuersificantes genus in species, esse contrarias.

Diuidentia genus sunt opposita.

3 *Contrarietas multiplex.*

Sed intelligendum propter rationes, quòd aliqua dicuntur contraria multipliciter. Quædam enim dicuntur contraria, quia in eis saluatur essentialiter per se tota ratio contrarietatis: & inter sic contraria requiritur distantia continua, per quam perueniri potest ab vno in alterum. Sed talis distantia non est inter numeros, eo quòd numeri non sunt continui, nec per continuum distãtes; sed differunt specie per additionem vnitatis: & ideò in numero propriè non est contrarietas. Similiter in substantiis non est distantia perfecta, & continua; quia *esse* in indiuisibili consistit: & cùm materia exuitur vna forma, est in potẽtia ad quamcunque. Vnde in 2. de Generatione, text. 27. si fiat ex igne terra, non oportet tamen fieri per elementa media. Vnde in substantiis nõ est propriè contrarietas. Quia tamen, prima radix contrarietatis est priuatio, & habitus, vt diximus sup. q. 11. & superabundantia & defectus, vt in primo Physicorum, text. 55. differentiarum diuidentium quodcunque genus per se, altera se habet ad alteram vt deficiens, & superabundans, & imperfectũ ad perfectum: nec tamẽ dicit solam priuationem, nec negationem simplicem, sed vtraque differentia naturam aliquam ponit.

Contrarietas propria.

Igitur istæ differentiæ possunt dici contrariæ,

riæ; quia prima radix contrarietatis in eis saluatur, etsi tota ratio contrarietatis in eis non compleatur, sicut in priuatiuis aliquid dicitur priuatiuum alterius, licèt non totaliter priuet ipsum; etsi priuet rationem formalem in ipso; sic iniustum, non priuat totaliter iustitiam: aliquis enim est iniustus si non obediat legibus; sed tamen potest esse iustus secundùm naturam: sed iustitia solùm priuat completam rationem iustitiæ, nec totaliter priuat ipsam, sicut cæcitas priuat visum. Et ideò dictum est suprà quæst.16. num. 2. quòd inter quædam priuatiua potest esse medium circa proprium subiectum, vel comparando ad proprium subiectum, & inter quædam non. Vnde non intendit Philosophus, quod diuersitas secundùm speciem completa sit in omnibus contrarietas: sed ratione oppositionis habet, & plus habet de contrarietate, quàm alicuius alterius oppositionis; quia vtrumque extremum aliquam naturam ponit.

Quadã priuatiuè opposita habent mediũ, quadam non.

Ad primum.

Ad primum argumentum dicendum, quòd non omnia contraria propriè dicuntur, quæ habent in se contraria: imò hoc solùm est verum in illis generibus, in quibus contrarietas propriè inuenitur. Vnde *rationale* & *irrationale* dicuntur contraria: quia *irrationale* habet priuationem *rationalis* sibi adiunctam. Illa tamen priuatio non exprimitur per nomen *asini*, sicut per nomen *irrationalis*: & ideò *homo* & *asinus* non dicuntur contraria, licèt differentiæ eorum contrariæ sunt.

Rationale & irrationale quomodo cõtraria?

Ad secundũ.

Ad secundum dicendum, quòd in substantia, & in quantitate, & in quolibet genere conuenit reperire contrarietatem saltem in differentiis, eo quòd prima radix contrarietatis in eis saluatur: quia tamen in eis non est plena contrarietas, ideò dicit Aristoteles in Prædicamentis, tract.2.cap.1. quòd *substantiæ nihil est contrarium*.

Ad tertium. Pro differentiis positiuis ignotis, vtimur priuatiuis.

Ad tertium dicendum, quòd *inanimatum* & *incorporeũ* secundùm quòd facta sunt differentiæ diuisiuæ substantiæ, solam priuationem non important: vel si sic, non diuidunt Substantiam: sed diuidunt eam secundùm quòd huic priuationi aliqua natura est subiecta. Verumtamen pro differentiis positiuis ignotis, frequenter vtimur priuatiuis: sicut pro differentiis essentialibus vtimur quinque accidentalibus, *propter indigere* vt dicit Philosophus, 1.Topic.cap.14.

Ergo differentia contrarietatis est hoc vnum & diuersa esse specie, in eodem genere. *Text.24.*

QVÆSTIO XIX.

Vtrùm duæ differentiæ differant inter se?

S.Thom. citat.*quæst.anteced.* Albert.Magnus *tract.2.c.10.* Flandria *quæst.11.art.1.* Fonseca citat.*in quæst.anteced.* Suarez *disp.15.sect.10.*

1 Primum arg.

VIdetur quòd non: differentia sunt diuersa circa idem aliquid entia: sed omnia talia sunt composita ex aliquo, quod est idem, & aliquo quod est diuersum: cùm ergo differentiæ sint simplices non sunt differentes.

Secundum.

Item, omne differens est aliquo differens: si ergo differentia differat, quæro de illo, in quo differat, aut illud est differens, aut non? Si non est differens, tunc est diuersum, & pari ratione standum esset in primo. Si differens: igitur aliquo est differens: & sic in infinitum: vel standum est in aliquo, & pari ratione in primo.

Tertium.

In omni composito est aliquid, quod non est elementum, nec ex elementis, per Aristotelem in 7. huius, Text.70. quod quid est formæ siue quiditas rei: si ergo differentia differt, per consequens composita esset, & aliquid esset in differentia præter partes ipsius: & per consequens differentia non esset vltima perfectio diffinitionis sed aliquid formale in differentia.

Quartum.

Idem dicit Philosophus in litera: dicit enim quòd differentia secundùm speciem est contrarietas, nec tamen videtur differre.

2 Primum arg. pro parte contraria. Differentia quid sunt?

Ad oppositum: *differentia sunt diuersa circa aliquid idem entia*; sed duæ differentiæ possunt esse huiusmodi. Probatio assumpti: differentia inferiorum claudit in se intellectum superiorum, aliter pluralitas differentiarum in definitione non faceret nugationem: quod est contra Aristotelem in 7. Text. 42. & differentia inferiorum aliquid addit ad superiorem, alioquin non faceret diuersum aliquid in specie à differentia sibi opposita.

Secundum.

Item, vnumquodque propter quod illud magis: sed species sunt differentes propter differentias: ergo differentiæ sunt magis differentes.

Tertium.

Item, si abstractum de abstracto, & concretum de concreto, sed omnis contrarietas est differentia: igitur omne contrarium est differens: sed differentiæ sunt contrariæ: ergo differentiæ sunt differentes.

SCHOLIVM.

DIFFERENTIAS, *propriè loquendo, non esse differentes: sed si sunt, id eis accidit: quia species tantùm propriè differunt differentiis: quomodo dici possunt differentes impropriè; vel per accidens, explicat. Vide Scholium ad q.8.*

3

Ad illud dicendum, quòd nihil prohibet duas differentias esse differentes: hoc tamen non est necessarium, sed hoc accidit, propriè tamen differentes non sunt: nec necessarium est differentias differentes esse, sed per seipsas. Ad cuius intelligentiam intelligendum est, quòd diuersitas faciens speciem differentiæ, non est differentiæ, sed ipsius generis: differentia enim propriè non diuiditur per differẽtias, sed genus ipsum. Animatum enim non diuiditur per sensibile & insensibile: sed corpus animatum. Vnde illa propriè differunt quæ claudunt in se diuersum per se, & ea, per quæ diuiditur: & talia sunt species: & ideò species sunt differentes propriè. Vnde differentiæ sunt, quæ formaliter diuersa aliquid idem materialiter entia sunt: vnde non omnia, quæ participant aliquid idem, & per aliud sunt diuersa, habent dici differentia: sed requiritur quòd illud idem sit per se diuersificatum. Et ideò licèt duæ differentiæ oppositæ claudant in se intellectũ superioris differẽtiæ, & aliquid, quo sunt diuersæ: nõ illæ differẽtiæ propriè sũt differẽtes: quia ista differentia superior nõ propriè diuersificatur in istas. Exẽpli gratiâ, *animatum* non diuersificatur per se propter sensibile, vel insẽsibile: sed corpus animatum: si tamen animatum diuidatur per *A*, & *B*, & animatum constitueret sensibile cum *B*, intelligi deberet, quòd sensibile & insensibile sint diffe-

Differentia non diuiditur per differentias, sed genus.

differentes:sed non est ita. Imò si diuidatur immediatè diuideretur in sensibile & in insensibile: vnde differentiæ oppositæ eo modo, quo diuersa sunt aliquid idem entia, sunt differentes. Sed tamen illud idem, quod sunt entia, non est aliquid materiale; imò formale:nec se habet differentia inferior ad superiorem, sicut materia ad formam; sed sicut forma ad formam non propriè non sunt differentes: hoc tamen est per accidens. Accidit enim, quòd duæ differentiæ conueniant in aliquo superiori.Si enim hoc esset per se,tunc quæcunque duæ differentiæ oppositæ participarent aliquam differentiam superiorem. Hoc non est nisi quia est deuenire ad aliquas differentias primas, quibus non est aliqua prior: & propter hoc differre per differentias conuenit speciebus,non autem differentiis; quia omnibus conuenit speciebus, non tamen ex omnibus differentiis.

3 *An differentia inferior includit in se differentiam superioris.* Vide suprà quæst.8.

Nec intelligo, quòd omnis differentia inferior includit in se intellectum superioris, sed est vt sic, & est vt non. Quia enim ratio intelligit sensum, dicerem ideò quia rationale non includit sensibile; sed habens duos pedes includit habens pedes; sed dicto *rationali* non superfluit dicere;vel addere *sensibile:*& ideò dicit,quòd vbi est pluralitas formarum, pono ordinem differentiarum; ita quòd significatum vnius non includit significatum alterius;illud tamen quod significatur est idem.

4 *Ad primum.*

Ad rationes in oppositum dicendum, quòd differentia simplex est respectu speciei; sicut & genus simplex est respectu speciei:multùm tamen prohibet differentiam habere intellectum compositum,sicut habet genus.

Ad secundū.

Ad secundum dicendum, quòd duæ differentiæ differentes per aliqua differunt, & illa possunt esse differentia per aliud: sed tamen est deuenire ad aliquas quæ non sunt differentes; quia non habent differentiam superiorem. Nec est eadem ratio standi in vno & in alio.

Ad tertium. In composito est aliquid præter elemēta.

Ad tertium dicendum, quòd in composito est aliquid præter elementa; quod nec est elementum, nec ex elementis; hoc potest esse forma. Forma enim lapidis nec est ignis, nec aqua ex eis:modò si differentia includit intellectum compositum, vel si aliquo modo includit rationem materialis, tamen differentia rationem formæ habet respectu generis:& ideò non obstante tali compositione, potest esse complexio definitionis: vnde sicut in composito non est aliquid aliud præter materiam & formam; sic nec in definitione est aliud præter genus & differentiam.

Adquartum.

Ad aliud dicendum, quòd Philosophus non dicit,quòd non differant,seu differant; sed dicit, quòd non differunt specie, sed faciunt definitionem speciei: & ideò differunt specie. Vnde in capitulo priori dicit Philosophus, quòd cùm album & nigrum differant per congregationem & disgregationem, illa priora sunt magis differentia;quia causant diuersitatem in aliis.

5 *Ad primum pro parte opposita.*

Primam rationem in oppositum concedo.

Ad secūdum, propter quod vnumquodq; est &c. exponitur.

Ad secundum, cùm dicitur, vnumquoque propter quod &c. Dicendum, quòd illud habet intelligi in his,quæ sunt eiusdem generis.Si enim duo sint scibilia,& vnum propter alterum, illud propter magis:si tamen non sunt in eodem genere,non tenet:quia conclusiones sciuntur per principia; principia tamen sciuntur non magis,quia non sunt in eodem genere scibilium,sed in genere intelligibilium. Sic in proposito, licèt sensus differant per differentias:non tamen oportet differentias magis differre:quia differentiæ non sunt in genere differentium, sed diuersorum.

Ad tertium.

Ad tertium, cùm dicitur, quòd si abstractum de abstracto, &c. hoc est verum vbi abstractum differt ab abstracto & non concretum.Nunc autē nō solùm cōtrarietas est differentia,sed contrariū & ideò non oportet, quòd omnia contraria differant: sed aut differunt, aut sunt differentiæ.

Dubitabit autem vtique aliquis, quare fœmina à viro nō specie differt,èconrario masculino, & fœminino existente, differentia autem contrarietate. *Text.com.* 5

QVÆSTIO XX.

Vtrùm omnis contrarietas faciat differentiam in specie?

S.Thomas *lect.*11. Albert.Magn. *tract.*1 *cap.*11.Flandria *quæst.*12. *art.*1. Fonseca *in Exposit.cap.*12.*in principio.* Suar. *disp.*6. *sect.*9.

1 *Primum arg.*

Videtur quòd nō:quę ex eodem semine producuntur,specie non differunt:sed contraria ex eodem semine possunt produci,vt masculus,& fœmina:ergo non omnis contrarietas facit differentiam in specie: Probatio Maioris. Omne agens naturale agit aliquid determinatum:intendit enim producere simile: sed in semine est quædam virtus actiua naturalis ad producendum vnum, & non ad producendum diuersa specie. Minor patet: quia si in semine fuerit calor sufficiēs,producitur masculus:sed si deficiēs,fœmina.

Secundum.

Item, ista non faciunt differentiam in specie, quæ simul reperiuntur in eadem, & successiuè in eodem indiuiduo:sed nigrum & album simul reperiuntur in eadem specie pro diuersis, & successiuè in eodem indiuiduo: igitur, &c.

*Text.*25. *Tertium.*

Item dicit Philosophus in litera, quòd differentiæ materiales, sicut indiuidua, non faciunt differre specie:differentiæ tamen formales & speciei faciunt differre specie: igitur, &c.

Oppositum. Omnis diuersitas diuersificans genus, per se facit differre specie: sed omnis contrarietas diuersificat aliquod genus: igitur,&c.

SCHOLIVM.

Contraria *considerata in ordine ad genus, quod diuidunt, faciunt differre specie,considerata in ordine ad subiectum, non. Vnde album & nigrum respectu caloris faciunt diuersas species, respectu hominis non sic masculus & fœmina sunt species sexus,sed non animalis. Hîc ad mentem Philosophi differentiam materialem vocat,quæ indiuiduum constituit:de quo vide eum* 2.*dist.*3. *q.*6. *& quæst.*5.*ad* 3.

2 *Differentia formalis facit differre specie, materialis non.*

Dicendum,quòd omnis contrarietas facit differre specie: sed contraria possunt dupliciter considerari,vel ad subiectum, vel ad genus,quod diuersificant, si ad subiectum, quædam faciunt differre specie, quædam non. Cuius ratio est: genus sumitur à materia, & materia per se ordinem habet ad formam:vnde contrarietas formalis

lis propriè est ipsius generis, & ista diuersitas formalis circa genus, diuersificat ipsum in specie. Sed alio modo diuiditur species in indiuidua, per differentias materiales, & ista contrarietas non facit specie differre. Talis contrarietas est inter accidentia indiuidua, vt inter album & nigrum: & propter hoc dicit Philosophus, quòd contraria, quæ sunt propriè generis, sunt differentiæ formales, & speciei, & diuersificant speciem. Contraria verò, quæ sunt indiuidua, & materialia, dicuntur differentiæ materiales; quia non insunt communi, siue speciei, nisi quia insunt indiuiduo habenti materiam signatam. Non enim est album, vel nigrum, nisi quia iste homo; vel ille est albus, & ideò sic loquendo de contrariis quædam faciunt sua distantia differre specie in genere quod diuidunt: quia album & nigrum specie differunt in colore, & masculinum & fœmininum faciunt differre sexum, sed non animal.

3 *Masculinum & fœmininū quomodo specie differunt. Respondetur ad argumenta.*

Vnde ad quæstionem dicendum, quod omne genus diuersificans facit differre specie in isto genere, non tamen facit subiectum differre specie. Prima ratio probat quòd masculinum & fœmininum non faciunt differre specie circa animal. Secunda ratio probat quòd album & nigrum non faciunt differre circa hominem. Tertia ratio probat quòd non omnis contrarietas facit differre specie. Primam rationem & oppositum concedo.

Necesse diuersum esse genere corruptibile & incorruptibile. *Text.com.26.*

QVÆSTIO XXI.

Vtrùm corruptibile, *&* incorruptibile *faciunt differre genere?*

S. Thomas *lect.12. & opusc.42.cap.6 & 7.* Alensis *in hunc locum & 5 Metaphys. text.33.* Albert. Magn. *tract. 2. cap.12.* Flandria *quæst.13 art.1.* Suarez *disp.35. sect.3. num.37.* Fonseca *in Exposit.cap.13.*

1 *Primum arg.*

VIdetur quòd non: contraria sunt in eodem genere, & specie differunt: *corruptibile & incorruptibile* sunt contraria; quia differunt secundùm potentiam, & impotentiam: ergo cùm potentia, & impotentia sint contraria, *corruptibile & incorruptibile* solùm differunt specie.

Secundum.

Item, diuersitas in principiatis est ex diuersitate in principiis: quorum ergo principia genere sunt diuersa, & principiata; sed anima hominis est incorruptibilis: si ergo *corruptibile, & incorruptibile* genere sunt diuersa, homo & asinus genere differunt.

Tertium.

Item, quod non potest facere differre specie, non potest facere differre genere; sed *corruptibile & incorruptibile* non faciunt differre specie; quia species & indiuiduū nō differūt specie: igitur &c.

Oppositum dicit hîc Philosophus.

SCHOLIVM

CORRVPTIBILE *& incorruptibile differunt genere Physico, non Logico, & sunt contraria secundùm potentiam & impotentiam, quia vnum potest pati sui destructionem, alterum non. Vide Scholium positum ad quæst. 9. Aduerte secundum Doctorem materiam cælestium & sublunarium non distingui specie in substantia. Vide eum 2. dist. 14.q.1. & q.15. de Anima.*

2

Dicendum, quòd duplex est genus, scilicet genus Logicum & Physicum: illa sunt in eodem genere Logico, quæ sunt in eodem prædicamento: illa sunt in eodem genere Physico, quorum materia est vna. Tunc ad quæstionem dico, quòd *corruptibile & incorruptibile* non sunt in eodem genere Physico, sicut in eodem genere Logico. Ratio primi est, cui inest *corruptibile*, aut *incorruptibile*, per se inest: nam si per accidens, posset sibi non inesse, & per consequens, quod nunc est *corruptibile*, potest fieri *incorruptibile*; quod secundùm naturam est impossibile; virtuti tamen diuinæ non est impossibile. Ergo *incorruptibile* est de essentia eius cui inest, vel consequitur aliquid esse intrinsecum: consequitur enim materiam. Sed differentiæ diuidentes aliquod genus non sunt de essentia eius, nec per se insunt ei: *rationale* enim & *irrationale* non sunt de essentia animalis, nec per se insunt ei; sed animal est in potentia ad vtrumque. Cùm ergo quodcunque ens accipiatur, vel sit necessariò *corruptibile*, vel *incorruptibile*; *corruptibile*, & *incorruptibile* non possunt aliquod genus diuidere necessariò: igitur genere differunt.

Corruptibilitas sequitur aliquid intrinsecū eius quod tale est.

3 *Obiectio.*

Cōtrà: *corruptibile & incorruptibile* immediatè diuidunt ens; illud enim est incorruptibile, quod non potest non esse: igitur uon differunt genere.

Præterea genus sumitur à materia, species à forma: sed potentia propriè debetur materiæ: sicut ergo contrarietas formalis facit differre specie, rationabile est quòd contrarietas secundùm potentiam & impotentiam faciat differre genere, sed sic differunt *corruptibile & incorruptibile*: Ergo genere differunt.

Solutio.

Non tamen potest aliquid inueniri in corruptibilibus, & incorruptibilibus, à quo rationem generis potest accipere, vt corpus; & ideò in genere Logico nihil prohibet corruptibile esse: quia tamen corruptibile & incorruptibile non possunt esse eadem materia, non possunt esse in eodem genere Physico.

4 *Ad primum. Corruptibile & incorruptibile, an contraria?*

Ad primum argumentum dicendum, quòd contraria propriè accepta conueniunt in genere, sed differunt specie: sed *corruptibile & incorruptibile* sunt contraria non diuidentia aliquod genus, sed ipsum ens, quod non est genus, & differunt secundùm potentiam & impotentiam: ergo non differunt specie.

Ad secundū.

Ad secundum dicendum, quod principia non sunt propriè in genere, & ideò diuersitas in Prædicamentis, secundum genus, non est iuxta principia. Quia igitur homo est corruptibilis, sicut & asinus, licèt anima eius non sit corruptibilis, ideò in eodem genere sunt.

Ad tertium.

Ad tertium dicendum, quod quocunque modo est aliquid existens, eo modo est corruptibile & incorruptibile: sed *quod quid est* rei, non est per se existens; imò sicut existit, sic est corruptibile. *Corruptibile* enim est in indiuiduis, sed extrà indiuidua non existit, & ideò non differunt specie. Si tamen esset existens, & non in indiuiduo, specie differret ab indiuiduo: & hoc concludit Aristoteles contra Platonem, qui ponit ideas separatas incorruptibiles, eiusdem tamen speciei cum istis inferioribus. Hoc non potest esse dicit Aristoteles, quia *corruptibile & incorruptibile* differunt genere: & quæ differunt genere, maximè differunt.

LIBER VNDECIMVS DESIDERATVR.

Vide Censuram.

LIBER DVODECIMVS.

Quæcunque ex vniuoco fit substantia. *Text.* 13.

QVÆSTIO I.

Vtrùm generatum sit simile generanti secundùm formam?

Ægidius *lib.* 11. *Metaph. quæst.* 3. Antonius Andreas 12. *metaph.quæst.*1. Flandria *hic quæst.*3 *art.*2. Suarez *disput.*18. *sect.* 2. Conimbr *lib.*1. *de generatione cap.*4. *quæst.*10. Fonseca *lib.*12.*Metaph. in Exposit.cap.*3.

1 *Primum arg.* VIDETVR quòd non: animalia generata per putrefactionem, à corpore cœlesti solùm sunt producta; sed illa animalia secundùm formam cœlestibus non sunt similia: igitur, &c.

Secundum. Item, virtus actiua in semine ex semine producit animam; sed in semine non est anima, cùm ergo generatum habet animam, non sunt similia secundùm formam.

Tertium. Item, motus est generatiuus caloris; sed ipse motus non est calidus: igitur, &c.

Oppositum dicit Philosophus. Dicit enim quòd omnis forma, siue ab arte producta, producitur à sibi simili.

2 Dicendum, quòd omne productum à causa per se, aliquo modo assimilatur generanti. Et dico *aliquo modo*: quia quale est generatum secundùm formam, tale est generans secundùm formam, vel virtutem. Sed intelligendum est, quòd forma generati aliquando est in generante secundùm eundem modum essendi, & in materia eiusdem rationis sibi, vt cùm homo generat hominem, & ignis ignem, talis generatio est vniuoca totaliter. Quandoque verò forma geniti præexistit in generante, non secundùm eundem modum essendi, nec in materia rationis eiusdem: sicut forma domus præexistit in mente artificis, quia domus extrà habet *esse* materiale, sed in mente artificis habet esse immateriale: & talis generatio est partim vniuoca, & partim æquiuoca: quantùm ad formam est vniuoca, quantùm ad materiam essendi est æquiuoca. *Generatio vniuoca & æquiuoca.*

Tertio modo forma generati præexistit in generante, non in actu, sed solùm in virtute: & sic caliditas hîc causata inferiùs, præexistit in Sole, & sic calor priùs existit in motu: motus autem caloré in virtute habet. Sed talis generatio penitus est æquiuoca. Vnde Philosophus dicit, hîc quod omnis forma procedat à sibi simili: sed hoc potest esse perfectè vel imperfectè. Perfectè sicut forma domus in materia, à domo sine materia, vt in anima, & equus ab equo. Sed in generatione æquiuoca nõ est similitudo perfecta, quia in Sole non est aliquid simile caliditati hîc inferiùs perfectè: est tamen in Sole aliqua virtus productiua caliditatis excellens ipsam: & ita forma caliditatis prouenit à sibi simili in proportione. *Calor, à Sole quomodo à sibi simili?*

SCHOLIVM.

GENITVM est simile generanti, vel perfectè & formaliter, vt in generatione vniuoca, vel virtualiter, vt in æquiuoca. Vide Doctorem 4. dist. 44. quæst.2. in fine, & 2, dist.3. quæst.6. num.21. & clarius 7. huius text. 30. vbi explicat tres gradus generationis vniuocæ. Primus gradus est quando generans & genitum assimilantur in forma & essendi modo, & is tantum est perfectè vniuocus; vt quando ignis generat ignem. Secundus, quando assimilantur in forma, sed non in essendi modo, vt domus in mente artificis, & domus extrà: & idem est de aliis artificialibus. Tertius, quando generans non habet similem formam in specie, sed tantùm virtualiter, vel eminenter, vt in Sole, respectu ranæ. Quod tangit ad tertium an semen agat in generante; vide quid de hoc sentiat 2. dist. 18. q. 27.

3 Ad quæstionem dicendum, quòd generatum non semper assimilatur secundùm formam, ita scilicet, quod forma generati sit similis formæ generantis: sed vel forma similis est formæ, vel forma proportionabilis est virtuti. Huius ratio est, quia generans producit genitum ad actum. Sed secundùm Aristotelem primo de Generatione, text. 51. agens & patiens in principio sunt contraria, & in fine sunt similia; & ideo generat semper simile aliquo modo generanti. Quòd tamen non assimilentur in forma, defectus non est in agente, sed in eo quod transmutationem suscipit: quia omne receptum in aliquo est in eo per modum recipientis: si tamen aliqua materia esset susceptiua Solis, in illam materiam posset Sol formam suam inducere. Vnde quod Sol Solem non generat, defectus est ex parte patientis: Sicut in generatione muli: quia menstruum asini non est susceptiuum formæ equi: ideò virtus in semine equi inducere non potest formam equi in menstruo asini: & cùm defecerit à propria intentione inducit formam quãcunq; potest similẽ, & propter hoc inducit formã muli. Si verò causa sit per accidens, nõ oportet vt generatum aliquo modo assimiletur generanti: vt si fodiens inueniat thesaurum, non oportet inuentionem thesauri assimilare fodienti. Similiter est de omnibus: quæ fiunt à casu & fortuna: quia fortuna nihil aliud est, quàm intellectus agens præter intentionem operantis: & casus nihil aliud est, quàm natura operans sine intentione. *Quare equa ex asino non cõcipit equũ, sed mulum? Quid fortuna, & casus? Doctor quodl. 21.*

4 *Ad primum.* Ad primum dicendum, quòd in materia putrefacta est quædam virtus à virtute cœlesti causata, quæ similis est virtuti in semine ab animali deciso; & illa virtus potest animam producere: & licèt anima non sit in corpore cœlesti actu, est tamen in virtute: ideò talis generatio non est penitus vniuoca. *Scot.2.d.18.*

Ad secundũ. Ad secundum dicendum, quòd virtus in semine non est agens principale, sed instrumentale; non enim agit in virtute propria, sed in virtute eius, à quo decidit semen: & ideò licèt non assimiletur semini secundùm formam, assimilatur tamen agenti principali, à quo decidetur.

Ad tertium. Ad tertium dicendum, quòd licèt motus non habeat calorem actu, habet tamen virtute & potentia: vnde est generatio simplex æquiuocè.

Si autem aliquid manet posterius, perscrutandum est: in quibusdam enim nihil prohibet, vt si est anima tale, non omnis, sed intellectus. *Text.17.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm aliqua forma vel intellectus posit remanere corrupto homine?

S.Thomas 12.*metaph.lect.3. & 1. p.quæst.75.art.2.& 6. & 2.contra gentes cap.7. & 79.& quodlib.10. q.3.a.1.* Albert.Magn. *tract.2.de Anima c.20. & tract.3 c.13.* Ægidius 3. *de Anima ad c.* 4. Durand. 2. *dist.18. q.3.* Eugub. *de perenni Philos. à c.18.* Nyphus *opusc.de immortalitate animæ cap.* 1. Conimbr. *tractat.de Anima separ.disp.1. art.3.* Fonseca citat. *q.antecedenti.*

1 *Primum arg.* VIdetur quòd non, semper existens, & semper non existens, sunt contraria, secundùm Philosophum 1. Cœli & mundi in fine: text. 127. & non semper existens, & non semper non existens, sunt sua subcontraria; & illa duo sunt idem subiecto: quia vnum & idem subiecto est, quod quandoque est, quandoque non est: & ibidē, quòd illud est medium inter semper existens, & semper non existens; vnde vtrumque interimit. Quod igitur quandoque est, & quandoque non est, nec est semper ens, nec est semper non ens; sed intellectus quandoque est, quandoque non est: ergo nec semper est, nec semper non est: sed illud quod manet in toto tempore futuro, semper est: igitur intellectus toto tempore futuro non potest manere.

Secundum. Præterea, omne per se existens aliquam propriam operationem habet; sed propria operatio intellectus humani, est intelligere cum phantasmate: cùm igitur hanc operationem non possit habere separatus à corpore, post separationem non potest esse.

Tertium. Item, nihil ab æterno vsque nunc manens, potest nunc non esse. Probatur 1. Cœli & mundi: text.103. ergo per eandem rationem nihil potest de nouo incipiens in æternum fore: sed intellectus de nouo est cùm generatur homo: ergo corrupto homine corrumpitur & intellectus. *Text.101. & 126.*

Oppositum dicit Philosophus. Dicēdum enim quòd omne agens præcedit generatum, forma tamen præcedit; quia tunc illud est sanitas cum est sanum: aliqua tamen forma manet post corruptionem, vt anima, non quælibet, sed intellectus.

Circa istam quæstionem diuersæ sunt opiniones.

SCHOLIVM.

Anima rationalis est incorruptibilis: quia nec per se, nec per accidens corrumpi potest. Explicat vtramque corruptionem. Hîc & aliis locis ita sentit Aristoteles. sed habet alia principia, quæ potiùs probant esse corruptibilem: Vnde in hac quæstione dubius videtur mansisse ex variis locis ipsius ad inuicem collatis: probat Doctor 4.dist.43.q.2.§.de 2.n.13. De quo quidquid sit, certum est ipsum non demonstrasse hanc incorruptibilitatem: vt ibi bene probat Doctor §. Potest dici, *n.16.*

2 Dicendum tamen, quòd intellectus manet post corruptionem compositi; nec est possibile intellectũ corrumpi. Huius ratio est, quia omne, quod corrumpitur, aut corrumpitur per se, aut per accidens: illud, quod corrumpitur per se habet *esse*, & includit in se contraria; quia corruptio principaliter debetur actioni contrariorum: habet etiam in se subiectum transmutationis, quod est materia, vnde quod per se corrumpitur, est compositum. Sed intellectus nec in sua essentia habet aliquam materiam, sicut nec aliqua habet in se contraria, quia quæ contraria sunt in aliis, in intellectu non sunt contraria, nec per modum contrariorum, vna tamen est ratio duorum contrariorum per se: ergo non est corruptibile nec per accidens: quia corruptio alicuius per accidens: quia corruptio alicuius per accidens dependet ab eodem, à quo dependet sua generatio. Quia enim forma materialis non fit, nisi per compositionem, non corrumpitur per accidens, nisi per compositionem. Sed intellectus non fit per perfectionem compositi, quia intellectus ab extrinseco est per Philosophum de partibus animaliũ lib.1. cap.1. Per accidens ergo non corrumpitur ad transmutationem compositi, & necesse est intellectum manere; quia non habet in se principium corruptionis; imò si potest desinere esse, hoc solùm est ex potentia primi, sicut ponit *esse* post *non esse*. *Quod corrũpitur per se includit contraria, & habet materiã.* *Forma corrumpitur per accidens.*

3 *Ad primum.* Ad primum argumentum dicendum, quòd si *semper* importat vniuersalitatem temporis præteriti, præsentis, & futuri, sic *quandoque esse* & *quandoque non esse*, interimunt *semper esse*: non tamen interimunt semper esse in futuro; & sic conceditur intellectum semper esse, scilicet in futuro, non tamen semper fuisse in præterito. *Intellectus semper est pro futuro.*

Ad secundũ. Ad secundum dicendum, quòd *intelligere* ipsius intellectus vniti cum corpore, non est sine phantasmate; intellectus tamen separatus alio modo intelligit; quia per modum substantiarum separatarum.

Ad tertium. Ad tertium dicendum, quòd nihil vsque nunc ab æterno manens potest nunc non esse, nec per transmutationem incipiens potest in æternum fore: hoc probat Philosophus 1. Cœli & Mundi, text.127. quòd nihil generatum sit incorruptibile, nec aliquid ingeneratum sit corruptibile: quia vtrumque tale habet materiam partem sui: eadem tamen potentia ab æterno vsque nunc manens, nec de nouo potest non esse: quare tamen hoc non eueniat, voluntati diuinæ præscribendum est.

Aut

Aut igitur dicimus, est quidem vt est, est autem vt non, puta forsan sensibilium corporum, &c. *Text. 22.*

QVÆSTIO III.

Vtrùm principia omnium sint eadem?

S. Thomas *hic lect.* 4. Flandria *hic q.* 4. *art.* 1. Suar. *disput.* 12. *sect.* 1. Conimbr. *in Physic. lib.* 1. *c.* 7. Fonseca *lib.* 12. *Metaph. cap.* 4.

1 *Primum arg.*

Videtur quòd non: quorum principia sunt eadem, & principiata sunt eadem: igitur non omnia principia, &c.

Secundum.

Item, si principia omnium essent eadem, aut erunt in genere substantiæ, aut accidentis, aut priora his; primum & secundum sunt impossibilia, quia principium & principiatum sunt vnigenea: nec tertium est possibile, quia nihil est prius substantia, vel acidente.

Tertium.

Item, principium animalium est à principiato; si igitur eadem essent principia substantiæ & accidentium, illa essent alia à substantia & accidente; & sic aliquid esset, quod nec esset substantia, neç accidens.

Si principia omnium non essent eadem aut erunt diuersa tamen inconnexa; quod est improbatum in fine 12. aut erit processus in infinitum, quod est improbatum in 2.

SCHOLIVM.

PRINCIPIA *intrinseca omnium, vt materia, forma, actus, & potentia sunt eadem secundùm proportionem. Extrinseca, vt finis, & efficiens, realiter eadem. Vide Doctorem in hunc textum.*

2

Dicendum, quòd principia sunt duplicia, intrinseca, scilicet & extrinseca. Principia intrinseca diuersorum sunt diuersa realiter: alia enim est materia mei, & tui, similiter & forma: omniū tamen principia sunt materia & forma, huius sicut & illius: vel sicut principia huius actus & potentia, sic & illius: & sic possumus dicere quòd omnium compositorum eadem sunt principia intrinseca. Extrinseca principia sunt finis & effectus, & vtrumque potest esse proximum, remotum, & remotissimum. Si proximum, sic aliud est diuersorum: aliud enim est effectus sanitatis, aliud domus, & aliud hominis. Si remotum, siç possunt esse eadem principia omnium inferiorum: si verò accipiatur remotissimum: sic vnum numero est omnium principium, scilicet Deus, quia in causis efficientibus non est procedere in infinitum, sed est deuenire ad aliquod vnum principium. Eadem ratio de fine. Vnde non omnium sunt eadem principia realiter, eadem tamen secundùm omnium proportionem, & vniuersaliter.

Omnium cōpositorum eadem sūt principia.

Principium efficiens, & finale vnum omnium.

Ad primum. Ad primum dicendum, quorum principia proxima intrinseca sunt eadem realiter, & ipsa sunt eadem; sic non sunt omnium principia eadem.

Ad secūdum. Ad secundum dicendum, quòd principia realia omnium, nec sunt in genere substantiæ: quia sicut *esse* accidentis accidentaliter dependet à substantia, sic principia accidentis à principiis substantiæ. Et cùm dicitur, principia principiatis sunt vnigenea, verum est de principiis proximis: principium tamen extrinsecum primum, & remotum non est in genere substantiæ, nec in genere accidentis, nec est inconueniens aliquid esse prius substantia & accidente, quæ in genere sunt.

Quæ principia sunt vnigenia principiatis?

Ad tertium. Ad tertium cùm dicitur, quòd principium est à principio, &c. Dicendum quòd aliquid est secundùm numerum à principiato: secundùm tamen speciem, aut genus, non est aliquid semper à principiato: vnde nihil prohibet substantiæ principium esse substantiam, & accidens esse principium accidenti. Similiter quando dicitur, quòd nihil aliud est à substantia & accidente: dicendum quòd hoc non habet veritatem in prima causa: quia prima causa nec est in genere substantiæ, nec accidentis, substantia tamen est, sed æquiuocè cum his, quæ sunt in genere substantiæ.

Aliquid est quod non est substātia nec accidens.

Quoniam autem tres erant substantiæ: duæ quidem quæ Physicæ, & vna quę immobilis, de hoc dicendum est, quia necesse est esse sempiternam aliquam substantiam immobilem. *Text. 29.*

QVÆSTIO IV.

Vtrùm oportet ponere aliquam causam efficientem sempiternam?

S. Thomas *hic lect.* 5. *&* 1. *contra gentes cap.* 13. Albert. Magn. 1. *Physic. cap. vltim.* Soncin. 12. *Metaph. quæst.* 1. Iauell. *ibid. quæst.* 3. Flandria *q.* 5. *art.* 1. *hic.* Alentis 12. *Metaph cap.* 6. Suar. *in Metaph. disp.* 29. *sect.* 1. Fonseca *in exposit. cap.* 6. *in princ.*

1 *Primum arg.*

Videtur quòd non; quia motus non est æternus, quia tunc infiniti dies præcessissent hunc, & per consequens infinita pertransita essent: igitur, &c.

Secundum.

Item, si substantiæ Platonis essent, nihil admodum prodessent: sic ideæ sunt substantiæ separatæ secundùm Platonem: ergo pari ratione propter motum non oportet ponere aliquam substantiam separatam esse sempiternam.

Tertium.

Item, generatio est perpetua, & tamen nulla generatio est perpetua: imò vna succedit alteri: ergo pari ratione licèt propter motum sempiternum oporteat ponere substantiam sempiternam, non tamen oportet vnam sempiternam.

Confirmatur.

Illud confirmatur sic: omne quod fit per se, aut fit per naturam, aut per voluntatem; sed in his quæ fiunt à natura: natura est sufficiens principium, & in his, quæ fiunt à voluntate, voluntas determinata per electionem est sufficiens principium electionis: ergo non est necesse ponere aliquam substantiam sempiternam propter sempiternitatem motus.

SCHOLIVM.

DATVR *substantia sempiterna, quæ est efficiens causa omnium. Verùm hoc non probatur ratione Philosophi hic, scilicet ex æternitate motus, vel temporis, quia non datur. Facit tamen alia eius ratio pro hoc lib. 2. huius, text. 5. nempe quod in causis*

causis ordinatis, essentialiter non est procedere in infinitum: ex quo sequitur dari unam causam primam, qua nulla est prior, & consequenter erit incausata: quia omni causato aliquid est prius: & hinc erit sempiterna, quia habens esse à se necessariò semper est. Vide Scotum de hoc fusè 1. dist. 2. quæst. 2. art. 1. con. 1. num. 1. & seq. & de 1. princ. cap. 3. & 1. huius q. 6. n. 9.

2

Oppositum: omne quod mouetur, ab aliquo mouetur; sed si motus sit æternus, aliquid mouetur æternè: ergo necesse est aliquid ponere sempiternè mouens: sed nihil mouet, nisi ens actu; ens autem actu per se est substantia: igitur oportet esse substantiam aliquam sempiternam efficientē.

Ad illud dicit textus sic, quòd est necesse ponere aliquam substantiam sempiternam, & sempiternè agentem; quia inter entia substantia est primum ens: si ergo substantia non esset sempiterna, nihil esset sempiternum: consequens est falsum: quia motus est sempiternus secundùm Philosophum; quia non incepit postquam *non esse* habuit, nec desinet, ita quod post non erit. Nam cùm tempus sit mensura motus, tempus non potest esse sine motu: sed impossibile est tempus incipere, vel desinere; quia si incipit, ante non fuit: sed prius, non est sine tempore: ergo tempus fuit ante tempus. Similiter si desineret posterius, posterius non erit; sed posterius non est sine tempore; erit ergo tempus postquam desinet esse. Si ergo tempus est sempiternum, & motus erit æternus, & si motus æternus, & substantia est sempiterna: sed si substantia non semper ageret, contingeret motum non esse sempiternum.

Tempus æternum est, à parte ante & post, secundū Philosophū.

3

Substantiam esse æternam sed ratione Philosophi id non probatur.

Non ergo substantiam solùm oportet esse sempiternam, sed sempiternè agentem: licèt demonstratio Philosophi fundatur super hanc rationem, & super alias, quas ponit in libro Physicorum; rationes tamen non sunt demonstratiuæ: conclusio tamen necessaria est; quia siue ponatur medium, siue non, conclusio est necessaria: quia concesso quòd motus sit æternus, manifestum est conclusionem esse concedendam. Negato etiam motum esse æternum, sequeretur eadem conclusio, quia si motus incepit postquam esse non habuit, necesse est aliquod ens actu per quod in esse productus est: illud ergo ens aut fuit ab æterno, aut non, si sic, habeo propositum; si non, ergo per actum aliquod ens actu productum fuit in actū. Cùm igitur impossibile sit procedere in infinitū in efficientibus ordinatis per Philosophū 2. huius text. 5. quia primum est causa medij, & medium causa vltimi, & si non est primum in efficientibus, non est aliquid posteriorum: quia si non est efficiens, non est effectus: sed in infinitum non est primum, nec igitur erit aliquid posteriorum. Hoc igitur est falsum, & contra sensum: medium enim est, quo aliquid posterius est. Oportet ergo deuenire ad aliquod efficiens primum, & cùm nil sit efficiens suiipsius, oportet ipsum esse non causatum. Ideò siue ponatur motus sempiternus, siue non, oportet ponere aliquam substantiam sempiternam: & quia nihil reducitur de potentia ad actum, nisi per ens actu, cùm nihil sit prius, quod possit ipsum ad actum reducere, oportet quòd semper sit agens: si enim quãdoque ageret, quandoque non, oporteret ponere aliquid per quod actum reduceretur.

Primum efficiens est incausatum.

4

Istud patet ex alio, manifestum enim est quòd quædam sunt possibilia esse, & non esse, & impossibile est omnia esse talia; quia sic omnia quãdoque non essent: & si omnia quandoque non essent, vel poterunt de nouo esse; igitur oportet ponere aliquid quod non potest non esse, tale est necessarium. Et tunc potest quæri de isto necessario, vtrùm habeat causam suæ necessitatis aliūde, vel non, si aliunde, quæritur de causa sua, & cùm non sit procedere in infinitum in causis efficientibus: ideò oportet deuenire ad aliquid, cuius causa ab alio non dependeat, tale autem non potest esse nisi substantia, ens actu: oportet ergo ponere aliquam substantiam sempiternam existētem actu.

Non potest esse processus in infinitum in efficientib.

5

Ad primum.

Ad primum argumentum dicendum, quòd etsi motus non esset æternus adhuc oporteret ponere substantiam esse sempiternam, de mente tamen Philosophi est, quòd motus sit æternus: aliter enim demonstrationes suas non fundaret super æternitate temporis. Ratio tamen sua solubilis est, quòd cùm dicitur, si tempus incepit, prius non fuit, & si desinit, prius non erit: & prius & posterius hæc non sunt sine tempore. Dicendum quòd *prius & posterius* in proposito sunt imaginata: sicut cùm dicitur extra cœlum non est locus: hoc extrà non dicit aliquem locum realem, sed imaginatum: & cùm dicitur ante tempus nihil fuit: *ante tempus*, dicit imaginatiuum.

An detur prius, & post. sine tempore vero.

Vel potest dici, quòd secundùm quòd propositiones sunt admittendæ, sic cadunt sub negatione, scilicet, quod si tempus incepit, non fuit tempus tantùm, & similiter non fuit locus extrà cœlum. Supponendo tamen cum Philosophis motum esse æternum, dicendum est ad rationem, cùm dicitur, quòd si motus non est æternus tunc infiniti dies præcessissent hunc: concedo. Et cùm dicitur infinita sunt pertransita nego, quia omnis transitus est à termino in terminum. Vnde quæcunque dies præterita signetur, inter ipsam & hanc diem, dies sunt finiti: vnde ratio procedit, ac si positis extremis essent infinita media: hoc enim significatur cùm dicitur, quòd infinita pertransita sunt.

Si motus esset æternus: an sit infinitum per transitū.

6

Ad secundū.

Ad aliud dicendum, quòd si ideæ Platonis essent, nihil ad motum conferrent, quia omnis operatio singularium est: sed illæ sunt vniuersalia, & per consequens in eis non est principium operandi, sed substantiæ separatæ singulares: & ideò in eis benè potest esse principium operandi.

Ad tertium. Non potest generatio esse perpetua sine aliqua causa immobili successionis.

Ad tertium dicendum, quòd si generatio est perpetua, & tamen nulla particularis est perpetua, oportet necessariò ponere aliquam causam successionis continuæ, illa causa non potest esse aliquid generabilium, quia non semper est nec omnia generabilia, quia non simul sunt: imò oportet causam huius continuationis esse aliquid, quod semper vniformiter se habeat, & tale secundùm Philosophum est primum cœlum, quod vnico motu mouetur tantùm. Sed quia à causa semper vniformiter se habēte non procedit per naturam nisi vnum: & illa quæ generantur & corrumpuntur aliter, & aliter se habent: igitur præter primum cœlum, quod est causa continuationis, ponit Philosophus circulum obliquum, in quo corpora mota aliter se habent secundum elongationem, & appropinquationem ad hæc inferiora, esse causam generationis, & corruptionis. Videmus enim quòd generatur Sole appropinquante, corrumpitur Sole recedente: vnde generatio non potest esse perpetua, nisi aliqua vna substantia perpetua esset.

Circulus obliquus est causa generationis & corruptionis.

Ad

Ad confirmationem. Natura & volūtas creata reducuntur in causā superiorem.

Ad aliud dicendum, quòd natura non est sufficiens principium in se eorum, quæ fiunt per naturam: natura enim est sicut quædam ars diuina: vnde natura reducitur in aliquam naturam superiorem. Vnde quia natura vniformiter agit, & finem non cognoscit, oportet ipsam reducere in aliquam causam superiorem dirigentem. Similiter voluntatem humanam oportet reducere in aliquam voluntatem superiorem; quia omnia, quæ volūtati humanæ subduntur, mutabilia sunt.

Aut verò si fuerit motiuum, aut offensiuum, non operans autem aliquid, non erit motus: contingit autem potentiam habens non agere. *Text.* 30.

QVÆSTIO V.

Vtrùm substantia prima sit aliqua potentia?

S. Thomas citat. *quæst. antecedenti* Flandria *hic* q. 5. art. 1. Alensis, Iauell. & Fonseca *hic in cap.* 6. Suar. *disp.* 30. *sect.* 8. *&* 35. *sect.* 2.

1 *Primum arg.*

VIdetur quòd sic: Omne intelligens aliud à se habet potentiam ad suum intelligibile; sed substantia prima intelligit aliud à se: ergo in ista est potentia.

Secundum.

Item, de quocunque verum est dicere, quòd possibile est ipsum agere, de eo verum est dicere, quòd habet potentiam ad agendum, quia si potētiam non haberet, esset impossibile: sed hoc est verū de substantia prima, igitur potest agere, &c.

Tertium.

Item, quod quandoque agit, & quandoque non agit, habet potentiam ad agendum. Sed sic se habet prima causa, nunc enim producit, quod priùs non produxit: igitur, &c.

Oppositū dicit Philosophus. Dicit enim quòd substantia prima, si esset in potentia, quandoque non ageret, & per consequens motus sempiternus non esset.

Item, potentia est principium operationis: sed in ipsa substantia operatio non est aliud à sua essentia: cùm ergo sua essentia non sit principium suæ operationis, principium non erit, nec per consequens potentia.

SCHOLIVM.

In *prima substantia non est potentia, quæ sit principium operationis, sed benè effectus ad extrà. Quod benè ostendit esse ad mentem Aristotelis, cuius principium hic est erroneum; nempe motum & tempus esse æterna.*

2

Quare in prima substātia non est potentia passiua? Vide de hac indeterminatione 1. d. 7. num. 4.

Dicendum, quòd sicut *possibile* vno modo opponitur *necessario*, & alio modo *impossibili*: sic potest dici & benè, quòd duplex est potentia. Vna, quæ est indeterminata ad opposita; hæc est potentia passiua materiæ. Alia potentia determinata est: & hæc est actiua. Nunc autem potentiam passiuam in substantia prima nullo modo est ponere, sed in ipsa est ponere potentiam actiuam. Ratio primi est: vnumquodque patitur secundùm quod imperfectum est, & deficiens; sed primæ substantiæ nihil deficit de perfectione: in ipsa ergo non est potētia passiua prima, licèt enim eadem potentia præcedat actū simpliciter: tamen actus prior est potentia. Si igitur in substantia quocunque modo esset potētia passiua ipsa per se ad actum non reduceretur, sed per aliquod prius ens actu. Cùm ergo substantia prima sit primum inter entia (vt dictum est prius q. 4. huius.) substantia prima non habet in se potentiam passiuam; sed actus ipsius est, & nullo modo potentia. Ratio secundi est; vnumquodque agit secundùm quòd actu est perfectum, sed substantia prima est actus purus, & perfectissima substantia: ergo maximè sibi cōpetit agere: sed propter agere dicitur aliquid habere potentiam actiuam: sibi ergo debetur summè potentia actiua.

3 *Potentia actiua indistincta ab operatione, est in prima substantia.*

Intelligendum tamen est, quòd in quibusdam potentia actiua differt ab ipso agere, quo enim ignis calefacit est calor, & ipsius est calefacere. Sed in substantia prima non differt potentia ab operatione. Verumtamen quia potentia non solùm est principium operationis, sed ipsius effectus: ideò licèt in substantia prima non sit aliquod principium suæ operationis, quia sua essentia est sua operatio, differt tamen in ipso esse potentia actiua, eo quod principium est principiū effectus.

Ad primum. Intellectus diuinus intelligit per se alia à se: humanus se per alia à se.

Ad primum argumentum dicendum, quòd esse intelligens aliud à se per rationem intelligendi aliam à se, est in potentia ad intelligibile, sed sic non intelligit substantia prima, sed intelligit alia à se per se: vnde èconuerso est de intellectu humano, & diuino: intellectus humanus intelligit se per hoc quod intelligit alia: sed intellectus diuinus per se intelligit alia inquantū relata ad ipsū.

Ad secundū.

Ad secundùm dicendum, quod omne quod est possibile, habet potentiam, non tamen omne possibile habet potentiam ab actu distantem: vnde in prima substantia potentia & actus sola ratione differunt.

Ad tertium. Quidquid vult Deus, ab æterno voluit. 1. d. 45.

Ad tertium dicendum, quod agens per voluntatem vel per motum non agit nisi determinetur, vel per electionem vel per hæresim: id est, iudicium aut opinionem, vnde si prima causa nunc producat animam, ab æterno fuit determinata per voluntatem vt nunc produceret: sed in æternitate non est prius, nec posterius, quia tota simul est: & licèt nunc producat animam, quam priùs non produxit, ex hoc non sequitur quod in ipsa sit potentia contradictionis.

4 *Ad arg. primum in oppositum.*

Ad primum argumentum in oppositum dicendum, quod Philosophus intelligit, quod in substantia prima non est potentia passiua materiæ: quia quod sic est in potentia non est perfectè vnum, & si talem potentiam haberet contingeret ipsum quandoque non esse.

Ad Secundū. Potentia prima substātia est causa effectus, non operationis.

Ad aliud dicendum, quòd potentia non solùm est principium operationis, sed effectus: vnde potentia primæ substantiæ attribuitur, non quæ sit principium operationis, sed quæ est principium effectus.

Oportet igitur principium esse tale, cuius substantia actus: amplius igitur tales oportet esse substantias sine materia. *Tex.* 30.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm in substantia prima sit materia?

S. Thom *hic lect.* 5. *&* 1. *p q.* 50. *&* 2. *contra gentes à c* 46. Soncin. *lib.* 4. *met. q.* 14 Caiet. *de ent. & essentia c.* 2. Suar. *disp.* 30. *sect.* 4. *n.* 8. *& disp.* 35. *sect.* 1. Vide Doct. *quodl.* 5.

1 *Primum arg.*

VIdetur quòd sic: Quicquid est in effectu, veriùs est in causa; sed materia est in causatis: ergo veriùs in causa prima.

Item,

Secundum. Item, prima forma de se infinita est; quòd autem terminetur, hoc est quia est in materia; sed substantia prima est indiuidua, & per consequens determinata, ergo erit necessaria per materiam.

Tertium. Item, actus & potentia diuidunt vnumquodque genus: sed vbi inuenitur posterius, ibi inuenitur prius: potentia verò posterior est materia: dicit enim Commentator hîc in 12. tex.31.quod omnis potentia ad potentiam materiæ reducitur: cùm ergo substantia prima sit potentia(vt iam dictũ est Quæst. præced.)in substantia prima erit materia.

Oppositum dicit Philosophus, & patet per rationem: omne habens materiam habet magnitudinem: sed substantia prima non habet magnitudinem:igitur,&c.

SCHOLIVM.

Devm *esse sine omni materia probat quatuor pulchris rationibus,omisso ruinoso fundamento Philosophi: nempe quod sequeretur ipsum posse non esse: & consequenter motus & tempus non essent sempiterna. Vide Doctorem de hoc* 1. *dis.* 8. *quæst. vbi agit de simplicitate Dei, de qua D.Thomas* 1. *par. quest.*3. *ar.*7.8. *Sed aduertit Scotus in tractatu conclusionum Metaphys. con.* 23. *lib.* 12. *hanc conclusionem, & eius medium; seu rationem non excludere omnem materiam à substantiis spiritualibus, sed solùm illam quæ est subiectum generationis & corruptionis: quia eius ratio aquè currit de corporibus cælestibus, quæ tamen habent materiam, nec possunt non esse secundum ipsam, lib.*7.*Tex.*20. *Ex quo liquet Scotum inclinare in sententiam ponentem materiam in anima & Angelo, quam tenet vt probabilem quæst.*15. *de Anima, vbi fusius rem hanc tractaui.*

2 Dicendum, quòd in substantia prima non est materia: quod patet ex tribus: vnumquodque enim agit per suam formam: in omni genere eo quod habet materiam est aliquid per quod non agit: cùm ergo substantia prima per se agat, & non per partem sui, in prima substantia non est materia.

Item secundò, patet idem: materia non est per se subsistens, quod igitur habet materiam, habet aliquid cum materia, & per consequens est compositũ, sed nihil quòd est compositum potest esse simpliciter primum:quia *esse* cuiuslibet compositi, ex partibus dependet,nec ad actum reducitur,nisi per aliquod prius ens actu. Cùm ergo substantiâ primâ nihil sit prius, substantia prima nec est composita, nec per consequens habet materiam.

Compositum non potest esse per se primũ.

Item, materia prima vel est potentia passiua, vel in potentia; sed substantia prima non est potentia passiua; igitur nec materia.

3 *Ad primum.* Ad primum dicendum, quòd quidquid est in causatis,est in causa, sed eminentiori modo; non enim quidquid est in causato formaliter, est in causa formaliter; Sol enim non est calidus formaliter, etsi sit causa caloris. Vnde materia est in substantia prima non realiter secundùm *esse*, & modum, quo est in causatis; sed solùm in virtute, eo quòd per influentiam eius materia sumatur in *esse*.

Quod est in causato, & in causa aliquo modo. Quomodo materia est in substantia prima?

Ad secundũ. Ad secundum dicendum,quòd licèt substantia sit indiuidua,tamen non est per materiam; sed per se indiuidua est,& determinata est sua substãtia,& indeterminata:determinata,quia sibi propria:indeterminata,quia infinita, quia ad infinita se extẽdit.

Est determinata & indeterminata.

Ad tertium. Ad tertium dicendum,quòd non omnis potentia reducitur ad potentiam materiæ,quia non potentia actiua,nec omnis potentia passiua;quia potẽtia materiæ nõ est prima potẽtia passiua:prima enim potentia passiua est potentia ad *esse*:nam potentia passiua in materia habet reduci ad potẽtiam passiuã ad *esse*;vt dictũ est:quia licèt potẽtia passiua non fuerit in substantia prima; potentia tamen actiua est in ipsa. Vnde quando Cõmentator dicit, quòd omnis potentia passiua habet reduci ad potentiam materiæ,debet intelligi de potentia passiua in istis inferioribus.

Quæ est prima potentia passiua?

Igitur aliquid est quod non motum mouet sempiternum, & substantia, actu ens. *Tex.* 35.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm prima substantia sit omnino immobilis?

August.10.*super Genes.ad litter.c.*25. *&* 6 *de Trinitat.*7. Ansel.*in monologio c.*24.Hugo Victor *de sacram.par.*1.*lib.* 1.*c.*13.S.Th. *hic lect.*6.*&* 1.*contra gentes, c.* 23. Fland. *hic quæst.*6.*ar.*4.Suarez,*disp.*30.*sect.*8. Conymbr. *lib.*8. *Phys.c.* 4.*quæst.*1.Fons.*hic in Exposit.cap.*7.*in principio.*Vide Doct. 1.*dist.*8.*quæst.*4.

1 *Primum argumentum.* Videtur quòd non;Quod mouet seipsum,non est omnino immobile; sed substantia prima huiusmodi est:igitur &c.Probatio Minoris: intellectus mouetur ab intelligibili,& appetitus ab appetibili;sed substantia prima intelligit se, & amat se; ergo mouetur à seipsa.

Secundum. Item omne quod est tale per participationem, reducitur ad tale per essentiam;sed omne mobile hîc inferius recipit ab alio motum; habet ergo reduci ad aliquid quod mouetur à seipso;sed omnia habent reduci ad primum: ergo principium est aliquo modo mobile.

Tertium. Item, elongari & approximari sunt proprietates mobilis;sed substantia prima elongatur & approximatur ipsis inferioribus: nam felici homini substantia prima est propinquior,quàm eidem,vel alij misero.

Oppositum: omne quod mouetur est corpus; substantia prima non est corpus: igitur, &c.

SCHOLIVM.

Svbstantia *prima,seu Deus,est mouens immobile, quia actus purus nullo modo est in potentia; vnde in ordine mouentium,& mobilium;ex* 7.*Phys. Tex.& li.*8.*Tex.*34. *est dare infimum, quod solum est motum,& medium,quod mouet,& mouetur, & summum quod solum mouet. Quod ait nihil primò seipsũ mouere,explicat benè* 2 *dis.*3. *quæs.*10. *ad* 2.

2 Dicendum, quòd substantia prima est omnino immobilis. Cuius ratio est: omne quod mouetur inquantũ huiusmodi in potẽtia est,& quod mouet inquantũ huiusmodi,actu est.Nunc autẽ impossibile est quòd vnum & idem,secundùm quòd idẽ, in potentia sit & actu:si ergo substãtia prima esset mobilis in potẽtia,esset ad aliquid secũdùm quòd nõ esset actu;sed nihil tale per se vadit ad actũ:foret ergo necessariò ponere aliquod mouens prius substãtia prima;sed hoc est impossibile,igitur,&c.

Substantiam primam repugnat moueri.

Patet:omne quod mouetur per motũ attingit ꝙ priùs non habuit;sed substãtia prima nulla perfectione caret:impossibile est ergo quòd moueatur.

Præterea,quod mouetur secundùm aliquid mouetur,& per consequens est compositum,substantia prima non est composita:igitur,&c.

Posset tamen distingui, quod duplex est motus, scilicet actus entis imperfectus, quia in potentia. Alio modo motus potest dicere quācunque operationem, & sic dicit Arist. 3. de Anima, t. 2. quòd intelligere & sentire sunt motus. Motus primo modo, non est in substantia prima, sed secūdo modo, quia substantia prima intelligit, & amat se, & propter diuersitatem ipsius motus, diuersitas fuit inter Aristotelem & Platonem. Aristoteles enim loquens de primo modo dicto motu, ostēdit, quòd nihil mouet seipsum primò; quia omne sic mobile est corporeorum, & nullum corporeorum potest se conuertere suprà se totum primò. Vnde 8. Physicor. tex. 17. ostendit Philosophus, quòd nihil moueat se, nisi partes habeat, quarum vna mouet, & alia mouetur. Plato verò loquens de motu secūdo modo reduxit omne mobile ad primum seipsum mouens; & ipse ponit substantiam mobilem primum seipsum mouentem, quia seipsum intelligit, & incorporeum nihil prohibet se supra se conuertere totaliter, cùm non habeat partem. Vnde accipiendo primo modo dicendum, quòd substantia prima est omnino immobilis: sed secundo modo potest dici, quòd est mobilis.

Nihil mouet se primo. Sco. 2. d. 2. qu. 10. art. 2.

4 *Ad primum. Quomodo est mobilis prima substantia?*

Ad primum argumentum dicendum, quòd intellectus non mouetur ab intelligibili, motu propriè dicto: quem siquidem motum Philosophus ablegat à substantia prima, sed mouetur motu impropriè dicto; & sic nō loquitur hîc Philosophus.

Ad secundū. Per participationem tale non reducitur ad per se tale eodē modo.

Ad secundum dicendum, quòd non omne quod est tale per participationem oportet reduci ad aliquid, quod est tale per essentiam, secundùm eundem modum, imò illud, quod est mobile per participationem secundùm motum propriè dictum, reducitur ad mobile per essentiam secundùm motum impropriè acceptum: isti tamen motus non sunt eiusdem rationis.

Ad tertium. An prima substātia approximatur alicui?

Ad tertium dicendum, quòd substantia prima non dicitur approximari, vel elongari nisi secundùm similitudinem, sicut Sol dicitur approximari alicui, eo quòd radius attingit ipsum, & econuerso elongari. Sic est de substantia prima, dicitur approximari, vel elongari per hoc, quòd aliquid magis vel minùs participat influentiam eius: sed hoc benè potest contingere absque sua mobilitate.

Mouet autem sicut appetibile & intelligibile: hæc enim sola mouent non motum. *Tex.* 36.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm primum mouens moueat per modum appetibilis siue finis.

Aphrod. *in hunc locum n.* 24. S Th. *lect.* 7. *&* 3. *contra gentes, c.* 17. *&* 18. Flandr. *hîc q.* 6. *ar.* 1. Ant Andr. 12. *Metap. q.* 3. *in corpore.* Suar. *disp.* 24. *sect.* 1. Fon. 12. *Met. in exp. c.* 7.

1 *Primum arg.*

Videtur quòd nō: in separatis & immobilibus non est finis; sed si primum mouens immobile & separatum moueretur vt finis, in separatis esset finis.

Secundum.

Item, finis licèt sit primum in intentione, vltimum tamen est in *esse*, finis enim est terminus motus: si ergo primum mouens moueret vt finis, ante completionem motus *esse* non haberet: hoc autem est impossibile: igitur, &c.

Tertium.

Item, si primum mouens moueret vt finis, tunc mouens effectiuè, aut contingens, haberet finem aut non? si non, est imperfectum mouens: si sic tunc frustrà mouetur, quia habitibus præsentibus in materia cessat motus: 2. de Generatione, tex. 68.

Quartum.

Item, primum mobile mouetur ex necessitate, non necessitate violenta, nec absoluta; sed necessitate propter benè, sed primo mouenti nihil accrescit melius per motum cæli, sed solùm istis inferioribus: ergo generatio & corruptio sunt fines motus, siue primi mobilis, & non primū mouens.

Oppositum dicit hîc Philosophus.

SCHOLIVM.

MOVENS *immotum, seu Deus, mouet vt appetibilis & finis, cuius motus non est naturalis, nec violentus, sed voluntarius. Rem pulcherrimè explicat. Vide eum* 4. *dis.* 49. *q.* 10. *vbi tractat illam quæstionem*: An homo vult omnia propter vltimum finem?

2 *Motus violentus, naturalis, voluntarius.*

Dicendum, quòd primum mouens mouet vt appetibile & finis: cuius declaratio est triplex, est motus scilicet, violentus, naturalis, & voluntarius. Sed motus primus non est violentus: tum, quia violentum est quid priuatiuum, & priuatio præsupponit habitum, & per consequens motu primo esset motus prior: tum, quia nullum violentum est sempiternum, 1. de Cælo & Mundo: t. 13. tum, quia motus violētus non est vniformis, per Arist. 2. Cœli & Mundi: text. 35. Sed intendit vel in fine, vel in medio.

Item, motus primus non est propriè naturalis quia motus naturalis est approximare ab aliqua dispositione naturali ad naturalem, ad quam cùm est peruentum, cessat motus. Sed talis non est motus cœli.

3

Præterea, in motu naturali mouens necessariò mouetur: mouens enim grauium est generans, vel soluens prohibens, quorum vtrumque mobile est. Sed primum mouens immobile est: ergo non mouet naturaliter, nec violenter: ergo voluntariè. Sed in motu voluntario tria sunt, aliquid est motum, non mouens: aliquid est mouens, nō motum: & aliquid mouens & motum. Motum non mouens, est ipse appetens, vel volens; mouens, non motum, est ipsum appetibile; mouens, & motum, est ipse appetitus, qui mouetur ab appetibili, & mouet illud, cuius est. Cùm ergo primum mouens, sit mouens, non motum, necessariò mouet per modum appetibilis: sed appetibile non mouetur, nisi prius apprehensum: bonum enim cognitum appetitum mouet: primum ergo mouens mouet vt appetibile, & intelligibile. Mouens enim proximum ipsius cœli intelligit primum mouens, & appetit assimilari ei in causando, & explicare virtutem eius in hæc inferiora: & ideò continuè mouet propter ipsum primum mouens, sicut nos mouemur propter aliquid appetibile consequendum.

Motum non mouens, motū mouens, & mouens non motum.

4 *Intelligentia mouet cælum propter Deū.*

Duplex finis.

Ad primum argumentum dicendum, quòd duplex est finis; aliquis enim finis præexistit motui, vt si dicatur, quòd finis est medium respectu motus grauium. Alius est finis acquisitus per motum, sicut esse deorsum acquiritur per motum grauis: & sanitas acquiritur per operationem medicinæ. Finis primo modo dictus nihil prohibet esse in separatis & immobilibus, sed finis secundo modo dictus non est in eis: nihil enim prohibet aliquid moueri, vt participet aliquo immobili & separato: immobile autem & separatum non habebit esse per motum.

Quis finis est in substantia separata.

Per

Ad secũdum. Per idem ad aliud dicendum,quòd secundo modo dictus finis est vltimum in *esse*, & primum in intentione:finem tamen primo dictum nihil prohibet esse primum in *esse*, sicut in intentione. Vel *Finis remotus & primũ in esse,& intentione.* potest dici,quòd duplex est finis,scilicet,proximus & remotus,finis proximus est vltimus in *esse*, sed remotus potest esse primũ in *esse* & in intentione.

5 *Ad tertium. Agẽs propter finem conseruandum non cessat habito fine.* Ad tertium dicendum, quòd aliquid mouetur propter finẽ dupliciter,vel propter ipsum habendum, vel propter habitum conseruandum. Illud quod mouetur gratia alicuius habendi,ipso acquisito desistit moueri,sicut ædificator cessat ab ædificãdo facta domo:sed illud,quod mouetur propter habitum conseruandum,non desistit à moueri habito acquisito.Nunc autem mouens effectiuè cælũ non propter aliquid habendum mouet,quod priùs non habuit, sed mouet propter habitum conseruandũ,& ideò vt continuè habitũ conseruet continuè mouet. Vnde ad formam argumenti, cùm quæritur vtrùm attingat ipsum,vel non,dicendum quòd attingit ipsum mouens primum,tamen non cessat, quia non solùm mouet propter ipsum habendum,sed propter habitum conseruandum.

Ad quartũ. Ad vltimum dicendum,quod motus cæli est ex necessitate, illa tamen necessitas non est violenta; quia nihil est ibi cõtra naturam:nec absoluta,quia tunc moueretur cælũ per seipsum, & in potestate sua, & per consequens haberet mouere, & non mouere: sed ista necessitas est propter bene esse, quia non moueretur continuè cælum,nisi saluaretur ordo vniuersi. Vnde motus cæli non est propter generationem & corruptionem, vt finem intentum,quia tunc finis non esset melior his, quæ sunt ad finem,sed propter ordinem totius vniuersi,& vt manifestaretur virtus ipsius primi.Et cùm *Quomodo Deo nihil accrescit.* dicitur,quòd primo nihil accrescit melius, dicendum,quòd verum est, quia nullum ei bonum accrescit, quod sit alterum à se:sua tamen virtus explicatur per motum cæli.

At verò & bonum & propter ipsum eligibile in eadem cælomentatione, & optimum semper. *Tex.*37.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm idem sit primum mouens, primum appetibile,& primum intelligibile?

Vide authores citatos *quæst. antecedenti.*

1 *Primum argumentum.* VIdetur quòd non:effectus & finis non coincidunt in idem numero, licèt forma & finis quandoque, sed primum mouens est effectus, & primum appetibile est finis.

Secundum. Item, primum mouens est hoc aliquid per se existens, sed primum intelligibile est vniuersale: ergo non sunt idem primum mouens & primum intelligibile.

Tertium. Item, intelligibile inquantum tale est in re extra:ergo non sunt idem.

Oppositum dicit Philosophus.

SCHOLIVM.

PRIMVM *mouens & vltimus finis,seu primum appetibile,ac primum intelligibile sunt vnum & idẽ numero. Optimè probat ad mentẽ Philosophi. Sed rem hanc fusè tractat,*1.*dis.*2.*qu.*2.*art.*3.*n.*19. *vbi probat primum efficiens,primum finem, & primum eminens,esse idem numero,& de* 1.*princ.c.*3. *con.*15.

2 Dicendum, quòd primum mouens, & primum appetibile coincidunt in idem numero. Primum enim mouens est substantia, quia accidenti non debetur ratio mouendi,nisi virtute substantiæ.Pri*Primum mouens est substantia simplex, & actus.*mum etiã mouens est substantia simplex,nã si esset composita mobilis esset substantia prima. Est etiã purus actus,nam si esset sola potentia non moueret,sicut nec materia; sed si esset in potentia non excluderetur à motu totaliter. Primum ergo mouens est substantia simplex & actus. Sed in eodẽ coincidunt & primũ intelligibile. Accidẽtia enim non intelliguntur nisi per substãtiam,& inter substantias,substantia simplex est primũ intelligibile: intellectus enim compositi dependet ex intellectu simplicium: & inter simplices actus prior est potentia,quia potentia non intelligitur,nisi per compositionem ad actum primum: igitur intellectus est substantia simplex & actus.

Appetibile habet rationẽ perfecti. Præterea,appetibile habet rationẽ perfectionis, vnumquodque enim appetibile est secundũ quòd perfectum est. Sed inter entia maior est perfectio substantiæ,quàm potentiæ:& ita patet, quòd substantia simplex est actus primum mouens,primum intelligibile,primum appetibile.

3 *Ad primum. An finis & efficiens coincidunt in idem?* Ad primum argumentum dicendum, quod aliquis est finis,qui habet aliud esse in se,& aliter in intentione:sicut sanitas aliud habet esse in intentione medici, & aliud in materia, & talis finis nõ coincidit in idem numero cum efficiente: Vnde Commentator dicit hîc,quòd si balneum haberet *esse* extra animam,finis & effectus in idem numero coinciderent. Sed primum mouens non habet esse in materia,& ideò bene potest esse efficiens primum,& primum appetibile.

Ad secundũ. Ad secundum dicendum,quòd primum intelligibile non est vniuersale secundùm prædicationẽ, nisi per respectum ad intellectum nostrum. Similiter primum intelligibile est, quod est à materia maximè separabile: tale est substantia prima,quæ non solùm separatur à materia secundùm rationẽ, vt vniuersalia & Mathematica:sed separatur à materia signata & communi,secundùm rationem,& secundùm *esse*. Vnde singulare inquantum singulare non repræsentat intellectum: sed singulare inquantum immateriale.

Ad tertium. Primum intelligibile & primum appetibile,sunt idẽ numero. Ad tertium dicendum,quòd primum intelligibile,& primũ appetibile sunt idem realiter;solùm verò ratione differunt:quia intelligibile dicitur,eo quod ratio eius habet *esse* in intellectu,& in quod primò tẽdit appetitus:& propter istã diuersitatem rationis dicit Philosophus, quòd primum intelligibile est optimum,vel proportionabile omni.

Quoniam & delectatio actus huius, & propter hoc vigilatio sensus,& intelligibilia, & delectabilissimum. Species verò & memoriæ propter hoc.*Tex.*39.

QVÆSTIO X.

Vtrùm intelligere primi sit sũma delectatio?

Aphrod.*hic n.*36.S.Tho. *lect.*8.*&* 1.*par.q.*18. Gabr.1.*dist.*35.*q.*1.Aureol *ibid.* Albert. Magn. 11.*Metaph tract.*2.*c.*11.Fland.12.*Metaph.q.*6.*art.*4. Ant.Andr.*ibid.q* 4.*concl.*1. Suarez *disp.*30 *sect.*14 *n.*9. Fonseca citat.*q. antecedenti.*

1 *Primum argum.* VIdetur quòd non. Nam in *intelligere* nostro non est summa delectatio, quia si sic,quilibet

maximè quæret intelligere, & per consequens scientias intelligibiles; ergo in intellectu primi non potest includi summa delectatio.

Secundum. Item, delectatio est quædam passio diuersa ab ipso *intelligere*: si igitur in intellectu primi esset delectatio, in ipso esset aliqua compositio: hoc autem falsum est.

Tertium. Item, quæ differunt genere, non sunt comparabilia, sed primum principium non est in genere cum aliis: igitur in ipso non potest poni sua delectatio.

Oppositum dicit Philosophus, quod in primo intelligibili est summa delectatio.

SCHOLIVM.

INTELLIGERE *Dei est summa delectatio. Probat bene, propriis, & rationibus Philosophi. Delectatio nostra (vt hic ait) est passio, quia posita coniunctione conuenientis seu delectabilis non est in manu voluntatis eum impedire. Est tamen reuera qualitas. De quo bene Doctor* 3. *dis.* 15. §. Aliter potest dici, *nu.* 3. *à quo causetur, cum non sit actus elicitus voluntatis. Vide ibi* §. Vlteriùs de tristitia, *num.* 12.

2 *Vnde est delectatio.* Ratio est: delectatio prouenit ex coniunctione conuenientis cum conuenienti; sed propria operatio vniuscuiusque sibi est conueniens; igitur vnumquodque delectatur in propria operatione; sed *intelligere* est operatio non transiens in extrinsecum, sed mouens intelligibile: ergo maxima est delectatio circa *intelligere*. Sed nunc est ita, quòd circa *sentire* in actu maior est delectatio, quàm circa *sentire* in potentia: maior est enim delectatio circa vigiliam, quàm circa somnum; & sensus actu comparatur ad sensum in potentia; sicut vigilia ad somnum. Quantò igitur intellectus eminentior est, quàm sensus, tantò delectatio circa intellectum maior est, quàm circa sensum. Et ideò dicit Philosophus, quòd delectatio in speculatiuis scientiis affert mirabiles speculationes & sinceras.

3 Præterea, delectationi sensus contrariatur aliquid, quia sicut aliquid delectat sensum, sic aliquid corrumpit ipsum, puta quod est corruptiuũ eius: sed nihil est corruptiuum intellectus: & ideò nihil potest contristare ipsum tanquam contrariũ eius. Delectatio ergo tãtò est maior in intellectu, quantò intelligibile certius est, & cum maiori certitudine apprehenditur: magis enim nos quærimus delectationem alicuius immaterialis, etsi cognitionem probabilem habeamus, quàm cognitionem multorum variabilium. Aliqua etiam maximè delectantur in Mathematicis, eo quòd sunt in proprio gradu certitudinis: sed primum principium intelligit seipsum, & cum certitudine; & ita intelligibile eminentissimum: intelligentia igitur eius est summa delectatio. Vnde Philosophus dicit, quòd in primo intelligente & appetente semper est talis delectatio, qualis est in nobis mouente tempore. Sed illa delectatio est in ipso, eo quòd attingit ipsum primum, & vnũquodque per illud. Vnde magis est delectatio in intellectu primi: & sẽper ita se habet, quia immaterialis est eius natura. *Delectatio intellectus longè maior quàm sensus.*

4 Ad primum dicendum, quòd in *intelligere* necessario maxima cadit delectatio; & ideò omnes homines desiderant scire: multi tamen scientiæ studium non attendunt, eo quòd percipiunt solùm delectationes sensibiles, & propter multas alias causas: sicut dictũ fuit in principio Metaph. q. 2.

Ad secũdum: delectatio nostra est passio. Ad secundum dicendum, quòd delectatio in nobis est quædam passio conueniens intelligere, sed in primo principio non est aliud delectatio ab ipso intelligere.

Ad tertium. Ad tertium dicendum, quòd ista, quæ sunt in diuersis generibus non sunt comparabilia; sed primũ principium non est in aliquo genere; imò prius est quocunque genere: & ideò comparari potest, vel vt ècontra dicatur aliud comparatum ad ipsum: quia aliquam rationem habent ad ipsum.

Ex tali igitur principio dependet cælum & natura. *Tex.* 38.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm à principio primo dependeat cælum, & tota natura tanquam ab efficiente?

Aug. 11. *de Ciuit. c.* 4. Chrysost. *hom* 4. *in Genes.* Damasc. *li.* 1. *de fide, cap.* 3. S. Th. *hic lect.* 8. & 1. *contra gentes, c.* 13. Aphrod. *nu.* 39. Ant. Andr. 12. *Metaph. quæst.* 5. Fons. 12. *Metaph. cap.* 7. Suar. *disp.* 29. *sect.* 2. *num.* 7.

1 *Primum arg.* ET videtur quòd non: Quod enim non potest non esse, non dependet ab alio: talia sunt multa, vt necessaria, & cælum, & natura: igitur à primo principio non dependent.

Secundum. Item, quorum est aliqua causa in eis potest fieri demonstratio per istam causam: sed in manifestis non est demonstratio per causam istam efficientem: ergo Mathematica non dependet à primo principio: igitur, &c.

Tertium. Item, si cælum dependeret à primo principio, hoc non esset nisi quia per suam actionem aliquid induceret in ipsum cælum, sed hoc non videtur verum, quia illud inductum non est esse, quia cælum priùs habuit *esse*; nec est aliquid superadditum *esse*: nam sic vel principium primum non continuè illud influeret: vel si sic, ipsum cælum infinita superaddita reciperet.

Oppositum dicit Philosophus.

SCHOLIVM.

CÆLVM *& reliqua omnia dependent à Deo vt à fine & efficiente. Probat optimis rationibus. Vide ipsum* 1. *dis.* 8. *qu.* 5. §. De intentione, *nu.* 8. & §. Contra illam, *n.* 6. *vbi aduersus Henricum ostendit de mente Philosophi aliqua esse necessaria & à Deo causata. Et de* 1. *princip. cap.* 3. *con.* 6. & 8.

2 *Ens per participationem dependet ab ente per essentiam.* Dicendum, quòd ipsum cælum in tota natura à principio primo dependet, & quantùm ad substantiam, & quantùm ad motum, & quantùm ad durationem vtriusque. Huius ratio est, illud, quod per participationem est, dependet ab eo quod est per essentiam: sed omne quod est citra primũ participat *esse*; vt patet in 10. q. 2. sed ipsum primum est sua essentia: igitur, &c. Assumptum patet ex 3. t. 3. quia omne, cuius *esse* diuersum est à sua essentia, habet *esse* causatum, sed omne causatum, vel causatur ab alio, vt caliditas aquæ ab igne, vel ex principiis essentialibus subiecti, vt risibile ex principiis hominis: sed *esse* primi principij non potest esse causatum ab alio, quia aliquid esset prius eo: nec potest esse causatum ex principiis intrinsecis, quia nihil est causa sufficiens sui *esse*: vel si hoc aliquid esset causatum in eo: per consequens non esset principium simpliciter primum.

Secundò, *esse* quædam actualitas est, & ideò quod diuersum est ab essentia, cõparatur ad ipsũ, sicut actus ad potẽtiam. Sed ostensum est priùs, q. 5. quòd in primo principio nõ est potẽtia passiua: ergo in eo nõ est diuersũ esse ab essẽtia: ergo quod habet

habet aliquid, & non est illud, participat ipsum: vt quod habet ignem, & non est ignis, participat ipsum, hoc est talium; quia sic est ponere aliquid prius, quo participaret *esse*. Si ergo primum principium sit per se subsistens, & est suum *esse*, & *esse* subsistés: sed omne quod per participationem est, ab eo dependet quod est per essentiam: sicut quod participat album, non potest esse album, non existente albedine: igitur, &c.

3 *Causa, alia in fieri, alia in facto esse.*

Item, omnis defectus dependet ex causa, secundùm quòd eius est causa: sed aliquid causa dicitur alicuius secundùm *fieri*, vt ædificator domus; aut secundùm *esse*, sicut forma & materia eius: & sicut subtracta causa in fieri res non ampliùs est in *fieri*: sic subtractâ causâ ipsius, res non habet ampliùs *esse*. Sed primum principium non solùm est causa istorum inferiorum, sed est causa secūda: Dicit enim Aristoteles in 2. huius, tex. 4. quòd sicut primum calidum est causa omnium calidorum: sic primum verum est causa omnium verorum. Sed primum verum est causa omnium, quæ sunt vera, & eadem est dispositio rei in veritate & entitate: ergo primum *esse* est causa omnibus aliis, quod *esse* habeant. Sicut igitur illuminatio medij dependet à Sole, eo quòd Sol non solùm est causa fiendi lumen in medio, sed etiam essendi: sic cælum & tota natura à primo principio dependet, eo quòd est principium essendi vnumquodque.

Primum verum, causa omnium verorum.

4 *Ad primum.*

Ad primum dicendum, quòd nihil prohibet illud, quod non potest non esse, ex alio dependere: sicut conclusiones in demonstratione non possunt non esse, cùm sint necessariæ, & tamen dependent ex principiis. Aliquid enim non dicitur ex alio dependere, quia potest non esse: sed quia si aliud non esset, ipsum non esset, vt si influentia primi subtraheretur, cælum deficeret. Vnde non potest dici, quòd cælum non potest non esse, nisi supponendo influxum primi: sicut nec potest dici quòd medium est illuminatum, nisi præsupponendo influxum Solis.

Aliquod necessariū posse esse ab alio.

Ad secundū Mathematicus non demonstrat per causam efficientem.

Ad secundum dicendum, quòd vnumquodque inquantum habet *esse*, à primo principio dependet. Vnde Mathematica secundùm quòd habent *esse*, dependent à primo principio, sicut à causa efficiente. Sed quod esse habent à causa efficiente non cadunt sub considerationem Mathematici, & ideò per eam efficientem non demonstrat Mathematicus.

Ad tertium.

Ad tertium dicendum, quòd primum principium influit in cælum non semper nouum *esse*, sed continuat primum influxum, & hoc absque motu & tempore, & ideò non erunt infinita superaddita in cælo.

Quicunque autem putant, vt Pythagorici, & Leucippus optimum & nobilissimum non in principio esse. *Tex.* 40.

QVÆSTIO XII.

Vtrùm primum principium sit perfectum?

Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Pædagogi cap.* 9. Cyrillus *lib.* 1. *contra Iulianum, sub finem.* S. Thom. *lect.* 8. *&* 1. *par. quæst.* 4. *art.* 1. Aphrodis. *hic num.* 28. Suarez *disp.* 30. *sect.* 1. Fonseca citat. *quæst. antecedenti.*

1 *Primum argumentum.*

VIdetur quòd non: Quod non est factum, non est perfectum, sed primum principium non est factum: ergo nec perfectum.

Secundum.

Item, principia rerum apud nos sunt imperfecta, vt semina plantarum & animalium: sed in cognitionem separatorum non deuenimus, nisi per cognitionem sensibilium: igitur videtur, quòd primum principium sit imperfectum.

Tertium.

Item, illud est imperfectius, quod additiones plurium potest recipere, sed *esse* plurimas additiones recipit: ergo cùm primum principium sit esse (vt iam dictum est) primum principium erit imperfectum.

Oppositum: illud est perfectum, cui nihil deest: perfectius vniuerso est primum principium per Aristotelem in 5. tex. 21. igitur, &c.

SCHOLIVM.

PRIMVM *principium est perfectum, quia actus purus, & sua essentia. Vide* 5. *huius, cap.* 15. *De perfecto: & Scotum in hunc textum.*

2 *Primū principiū est immateriale.*

Dicendum est, quòd antiqui, vt Leucippus & Pythagorici non attribuunt primo principio *esse* perfectum. Cuius ratio est: quia ipsi considerant principium naturale: materia in potentia est primum principium naturale, & maximè in potentia, & per consequens est imperfectum. Sed primum principium non est materiale, sed efficiens, sed efficiens est in actu, & materia in potentia: primum autem efficiens est maximè actu, & tale est maximè perfectum: primum igitur est perfectum.

Præterea, omnis perfectio, est perfectio essendi, sed primum est causa ipsius *esse*: ergo includit in se omne perfectum. Vnde Commentator dicit in 5. tex. 22. quòd primo principio non deest aliqua nobilitas, quæ in entibus reperitur, & illud est perfectum, cui nihil deest.

3 *Ad primum.*

Ad primum dicendum, quòd de primo principio propriè non potest dici, quod est perfectum, aut quod est factum per similitudinem. Tunc enim res est perfecta, cùm de potentia reducitur ad actum, qualitercunque res habet actum, dicimus eam esse perfectam, & quia primum principium est actus purus, ideò est perfectum.

Ad secūdum. Semina non sunt prima principia.

Ad secundum dicendum, quòd semina non sunt prima principia, semen enim dependet ex aliquo priori perfecto, vt ex animali aliquo deciditur. Vnde cùm semina non sint prima principia naturalia, non est mirum, si non sunt perfecta: sed primum principium est efficiens, nec eo est aliquid prius: igitur, &c.

Ad tertium.

Ad tertium dicendum, quòd *esse* propriè non recipit additionem, sed magis aliqua recipiunt *esse*. Vnde vnumquodque est ens, secundùm quod habet *esse*: & ideò *esse* habet magis rationem recepti, quàm recipientis. Vnde *esse* primum est perfectissimum.

Mouet enim per infinitum tēpus, & non habet potentiam infinitam, finitū. *Tex.* 41.

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm primum principiū sit virtus infinita?

Aphr. citat. *q. anteced.* S. Th. *lect.* 8. *&* 1. *contra gentes, c.* 20. Greg *in* 1. *dist.* 42. *q.* 3. *art.* 1. Marsil. *ibi ar* 2. Occam *quodl.* 3. *q.* 1. *&* *quodl.* 7. *q.* 22. *&* 23. Fland. *hic q.* 7. *art.* 5. Suar. *disp.* 30. *sect.* 2. *n.* 3 Fons. *lib* 12. *Metaph. cap.* 7. Vide Doctorem *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. *&* *quodl.* 7.

1 *Primum argum.*

VIdetur quòd non: Infinitū est imperfectū, virtus primi nō est imperfecta: ergo nec infinita.

Secundum. Item, potentia & virtus manifestantur per effectum; sed nullus effectus primi est infinitas: ergo virtus primi non est infinita.

Tertium. Item, si virtus alicuius corporis esset infinita, moueretur in non tempore per Philosophum 8. Physicor. tex.41. ergo pari ratione si virtus primi esset infinita, moueretur in non tempore; consequens est falsum: igitur & illud ex quo sequitur.

Oppositum dicit Philosophus, tex. 79. Ratio etiam Philosophi, quia mouet infinito tempore: ergo virtus eius est infinita.

SCHOLIVM.

DEVS *habet potentiam infinitam: sed ratio Aristotelis, ad hoc, nempe, quia mouet in tempore infinito, falsa est & erronea. Vide Doctorem de hoc 1.dis.2.quæst.2.6.* Primam viam, *nu.25.& in hunc textum ad 3.explicat id Aristotelis* 8. *Physic.Virtus infinita si esset, moueret in non tempore. De quo agit 1.dis.2.quæst.2. ad vlt.*

2 *Omne quod finitur finitur per materiam vel formam.* Dicendum, quòd virtus primi est infinita; cuius ratio est, illud est infinitum, quod non est finitum: sed aliquid finitur dupliciter, aut per formam, aut per materiam. Illud quod de se est finitum, & finitur per formam, illud est imperfectum; quia finiri per formam, est per formam perfici. Sed finiri per materiam est amplitudinem alicuius in minus trahi, ideò quod non est finitum per materiam, illud est perfectum; & ideò infinitum materiæ est imperfectum: sed infinitum formæ est perfectum. Nunc autem primum principium est maximè separatum à materia; ergo sua essentia maximè formata est infinita. Sed quantò aliquid perfectius habet formam, secundùm quam agit, tantò perfectiùs agit, & perfectiorem habet potentiam agendi sicut quantò aliquid calidius est, tantò habet virtutem perfectiorem calefaciendi, vnde si aliquis haberet calorem infinitum, haberet virtutem infinitam calefaciendi. Sed essentia primi est infinita; ergo virtus eius erit infinita; non tamen priuatiuè; quia sic infinitum non conuenit æternitati, sed negatiuè, quia non limitatur eius potentia ad aliquem effectum, vt probat Philosophus 8.Physicor.tex.78. & hîc similiter supponit virtutem eius infinitam, eo quòd mouet tempore infinito. Nec tamen ex hoc sequitur, quòd virtus Solis sit infinita, etsi moueat hæc inferiora tempore infinito; quia non mouet Sol, nisi motus: vnde motus Solis per tempus infinitum arguit virtutem primi mouentis infinitam. Vnde illud, quod mouere potest tempore infinito, ad hoc quòd aliquid recipiat ab alio, virtutem infinitam habet; tale nihil est circa principium.

Quid sit esse priuatiuè infinitum. Vide 2.huius q 6.n.2.

3 *Ad primum Infinitum in quantitate imperfectum.* Ad primum dicendum, quòd infinitum in quantitate, & ex parte materiæ est imperfectum. Cuius signum est, quòd figura, quæ est terminus quantitatis, quædam forma est, & perfectio est, & ideò quantitas carens termino imperfecta est; sed infinitas ex parte formæ perfecta est.

Ad secũdum: Vniuocum agens agit secundum totam potentiam. Ad secundum dicendum, quòd agens vniuocum agit secundùm totam suam potentiam, homo enim non potest plus facere, quàm hominem generare. Vnde tota virtus agentis vniuoci in effectu manifestatur, sed agens æquiuocum non agit secundùm totam virtutem. Tota enim virtus Solis non manifestatur in generatione animalis generati per putrefactionem; sed ipsum principium est agens æquiuocum, quia cum natura non conuenit, nec in genere, nec in specie. Ideò licèt nullus effectus sit infinitus, ex hoc tamen non sequitur, quod omnis virtus sit finita.

4 *Ad tertium.* Ad tertium dicendum, quòd si virtus infinita esset in magnitudine, moueret in non tempore, vt dicit Philosophus: hoc tamen non sequitur de virtute incorporea. Huius ratio est; quia corpus est agens per naturam; & ideò si aliquod corpus haberet virtutem infinitam, secundùm rationem illius virtutis ageret. Sed corpus est receptiuum alicuius effectus secundùm determinationem agentis; modò est ita, quòd virtus infinita mouet in tempore, & infiniti ad finitum nulla est comparatio nec proportio: ergo si virtus infinita corporea moueret in aliquo, quod non esset proportionabile tempori; tale autem est operans in continenti: sed virtus incorporea non agit ex necessitate naturæ. Vnde agens voluntarium non agit quantum vult, sed agit secundùm possibilitatem materiæ. Ædificator enim non facit domũ quantam vult, sed secundùm possibilitatem materiæ. Nunc autem primum principium mouet voluntariè; & omne, quod mouetur, est corpus; vnde motum influit secundùm possibilitatem corporis: sed impossibile est, quòd corpus in continenti sit hîc & ibi; & ideò non mouet in continenti: vnde ratio solùm concludit de virtute infinita in magnitudine.

Vide Sco.1.d.2.q.2.ad 3.n.36.

Ostensum est autem, & non contingit habere hanc substantiam magnitudinem nullam. *Tex.* 41.

QVÆSTIO XIV.

Vtrùm primum principium habeat magnitudinem?

Arist.8. *Phys. tex.*79. Iustinus *dialogo cum Tryphone.* Cyrillus *lib.1.contra Iulianum sub finem.* August *de hæres. num.*50.*&* 86. S. Thom. *citat.quæst. antecedenti &* 8. *Phys.tex.*79.*&* 1.*par.quæst.*25. *art.*2.*ad* 3. Flandria *hîc quæst* 6.*art.*7. Suarez *disp.*30.*sect* 4. Conimbr.8. *Phys. cap.6. quæst.*1.

I *Primum argumentum.* ET videtur quòd sic: situs debetur corpori, & nulli alij, sed situs debetur primo principio; dicitur enim 8. Physic. tex. 84. quod mouens cælum est in circumferentia: igitur est corpus.

Secundum. Item, animal non est sine corpore; sed primum principium est animal sempiternum; vt dicitur hîc in litera: igitur habet corpus.

Tertium. Item, finitum & infinitum quantitati conueniunt; sed primum principium habet infinitam virtutem: igitur & quantitatem habet.

Oppositum dicit Philosophus, & arguit per rationem sic: omnis magnitudo aut est finita, aut infinita; sed primum principium non habet magnitudinem infinitã, quia tale non est: nec habet magnitudinem finitã, quia virtus eius est infinita; sed in magnitudine infinita non est virtus infinita.

SCHOLIVM.

IN *Deo nulla est magnitudo; quia finita esse nequit in Deo, & infinitam dari repugnat. Secundò quia esset in potentia. Tertiò quia nullum corpus est perfectissimum. Vide Scotum in hunc textum: &* 8. *Physic.tex.*87.

2 Dicendum, quòd primum principium non habet

bet magnitudinem; quia nulla magnitudo mouet non mota; sed primum principium mouet non motum, vt dictum est prius: suprà q. 9.

Magnitudo mouet mota.

Item, in omni magnitudine est aliqua potentia, quia diuisibile est in infinitum, & ibi sunt partes in potentia; sed in primo principio non est potentia; sed actus primus: igitur, &c.

Nulla magnitudo est perfectissima.

Item, primum principium est perfectissimum; sed nulla magnitudo est perfectissima; quia omnis magnitudo est corpus, & aut vitam habet, aut non. Corpus non viuum est imperfectius viuo; corpus autem viuum non habet vitam inquantum corpus; quia sic omne corpus viueret: imò si viuat, hoc est per animam, & inquantum viuum perfectius est non viuo: anima ergo perfectior est corpore: ergo corpus non potest esse perfectissimum; sed primum principium est perfectissimum: ergo non habet corpus; nec per consequens magnitudinem aliquam.

3 Ad primum. Quomodo mouens cælum est in oriente?

Ad primum argumentum, dicendum, quòd situs propriè debetur corpori. Quod autem Philosophus dicit, quòd mouens primum est in circumferentia; hoc non est secundùm determinationem suæ substantiæ; sed secundùm amplitudinem suæ virtutis: si enim primum esset sicut in circumferentia, non semper esset in Oriente. Nunc autem dicimus, quòd mouens cælum est in Oriente; quia ibi motus eius incipit; & ita dicitur primum esse ibi secundùm ampliationem influentiæ, & non secundùm determinationem substantiæ.

Ad secundũ. Quomodo principium primum dicitur animal sempiternũ?

Ad secundum dicendum, quòd Philosophus non intendit quòd primum principium sit animal; sed hoc dicitur à quibusdam secundùm metaphoram; quia nihil viuit apud nos vita intellectiua, nisi animal; & ideò dicunt quidam antiqui dicendum esse animal. Sed manifestum est, quòd in animali aliud est quàm vita, propriè loquendo, quod in ipso est principium vitæ, quo modo est anima. Nunc autem dicit Philosophus tex. 38. huius quòd Deus est ipsa vita optima & sempiterna, quod ipse non dicit de aliquo animali.

Ad tertium.

Ad tertium dicendum, quòd finitum & infinitum ex parte materiæ quantitati congruunt, non tamen ex parte formæ; sed primum principium est infinitum ex parte formæ; non enim oportet, quod habeat quantitatem.

Oportet ergo principium esse tale cuius substantia actus: amplius igitur tales oportet substantias esse sine materia. *Tex.* 30.

QVÆSTIO XV.

Vtrùm primum principium sit simpliciter simplex?

Aphrod. *num* 20. S. Thom. *lect.* 5. & 1. *par. quæst.* 3. Soncin. 4. *metaph. quæst.* 14. Bannes 1. *par. quæst.* 3. *art.* 7. Molina *ibid. disp.* 2. Fland. *hic quæst.* 5. *art.* 2. Suar. *lib.* 1 *de Trinit. cap.* 4. & *in metaph. dist.* 30. *sect.* 3. Vide Doct. *in* 1. & *quæst.* 3. Smisingh. *de Deo vno, trac.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 2.

1 Primum argum.

VIdetur quòd non: illud quod est optimum, attribuendum est primo principio; sed composita apud nos meliora sunt simplicibus: ergo compositio primo principio est attribuenda.

Secundum.

Item, nihil est in seipso; sed in principio est bonitas, vita, dilectio & huiusmodi; ergo principium primum aliud est à sua quiditate: igitur in principio est aliqua compositio.

Tertium.

Item, de principio primo scire possumus an sit? non tamen quid sit; hoc non esset nisi suum *esse* aliud esset à sua quiditate, & per consequens ibi est compositio.

Quartum.

Item, quod in vno est accidens, in nullo est substantia; sed vita, bonitas, sapientia, in nobis sunt accidentia: igitur in primo principio non possunt esse substantiæ.

Quintum.

Item, Primum principium producit hanc animam; nunc quæro, vtrùm illa actio sit idem cum substantia prima, vel non? si non, habeo propositum; si sic, igitur cùm sua substantia fuerit ab æterno, ab æterno hanc animam produxit.

2

In oppositum: in omni composito est aliquid per modum actus, & aliquid per modum potentiæ; quia vel vna pars est in potentia respectu alterius, vt in homine; vel omnes partes sunt in potentia respectu alterius, vt in domo; vel in aliquo tali: sed in primo principio non est potentia passiua (vt priùs dictum est supra q. 5. huius,) ergo nec aliqua compositio: est ergo simpliciter simplex.

SCHOLIVM.

DEVS *est simplicissimum ens: quod benè probat Doctor excludens ab eo omnes compositionis species. De quo vide ipsum* 1. *dist.* 8. *quæst.* 1. & 5. & *supra quæst.* 6. *quæ ferè eadem est cum ista* & *cap.* 4. *de primo princip. con.* 10.

3 In primo principio nulla est cõpositio.

Dicendum, quòd primum principium est simpliciter simplex. Cuius ratio multiplex potest esse; quia omne compositum causam habet; partes enim compositi, quæ in se sunt diuersæ, vniri non possunt, nisi per causam priorem: si ergo primum principium aliquo modo esset compositum, primo principio esset aliqua causa prior.

Item, *esse* cuiuslibet compositi dependet ex partibus suis, & est posterius eis. Si ergo primum principium esset compositum, eius *esse* dependeret ex alio, quia ex suis partibus, & non esset simpliciter primum.

Præterea, omnis compositio, aut est partium quantitatiuarum, aut materiæ & formæ; aut generis & differentiæ; aut *esse* & essentiæ, aut suppositi & naturæ, aut accidentis & subiecti; sed nulla illarum in primo principio potest poni. Non est compositum ex partibus quantitatiuis, ostensum enim est suprà, q. 14. quòd non habet magnitudinem; Nec ex materia & forma, (vt priùs est ostensum: q. 6.) Nec ex genere & differentia; quia tunc esset aliquid in eo per modũ actus, & aliquid per modũ potẽtiæ, & tũc esset in genere, quod fuit suprà improbatũ in 10. q. 2. ad 4. Nec est *esse* & essentia; ostensum enim suprà q. 5. quòd *esse* eius non dependet ab essentia; Nec ex natura & supposito; ostensum est enim in 7. quod in separatis vnumquodque est idem quod quid est: Nec ex accidente & subiecto, quia omne accidens vel est causatum ex principiis essentialibus subiecti, vel ab aliquo extrinseco; sed in primo principio nihil potest esse causatum, cùm sit causa prima: est ergo primum simpliciter simplex ab omni compositione reali absolutum.

4

Ad primum dicendum, quòd in his, quæ nata sunt

Quando cõpositum est melius simplici

sunt componi, compositum melius est simplici. Ex hoc tamen non sequitur quòd quomodocunque simplici compositum sit melius; quia quodlibet alio ab eo participat *esse* ab eo. In quolibet igitur alio est aliqua compositio, scilicet participantis, & participati: primum principium à nullo recipit *esse*; ideò in ipso non oportet esse compositum.

Ad secundũ.

Ad secundum dicendum, quòd de separatis loqui non possumus, nisi secundùm modum loquendi de sensibilibus. Nunc autem existentibus imponimus nomina absoluta, cuiusmodi sunt albedo hominis: quia ergo principium in se maximè subsistit, igitur attribuimus nomina concreta. Dicimus ergo quod Deus est causa, principium, & huiusmodi, & propter eius simplicitatem attribuimus eidem nomina absoluta: est enim vita, sapientia, & huiusmodi; vnde in eo non differunt *Deus*, & *deitas*, *viuens*, & *vita*: imò solùm illa differunt secundùm apprehensionem, siue per conceptionem intellectus nostri: vnde hæc non est magis propria, *vita est in primo principio*, quàm *vita est in vita*, nisi secundùm apprehensionem nostram.

In Deo idem sunt Deus, & Deitas.

5

Ad tertium.

Ad tertium dicendum, quòd *esse* dicitur dupliciter: vno modo *esse* dicit actum entis per decem Genera diuisi. Alio modo significat vnitatem in compositione, quam format intellectus. Si *esse* accipitur pro actu entis, non possumus scire eius *esse*, sicut nec eius quiditatem, quia in ipso idem sunt. Si autem *esse* accipitur secundo modo, sic scire possumus eius *esse* de deo; scire enim possumus, quòd hæc compositio, quam intellectus format de eo, vera est, scilicet *Deus est*.

De Deo scitur esse.

Ad quartum.

Ad quartum dicendum, quòd illud vniuocum quod in vno est accidens, in nullo est substantia; vnde ista, scilicet vita, intellectus, æquiuocè sunt in nobis, & in ipso.

Vita æquiuocè est in nobis, & in Deo.

Ad quintum.

Ad aliud dicendum, quòd quædam relatiua principaliter significant habitudinem, vt pater, filius; dominus, seruus; & alia sunt relatiua, quæ ex consequenti significant habitudinem, aliud tamen significant principaliter vt capitatum, scientia, & huiusmodi. Sunt autem quædam nomina dicta de Deo principaliter quæ significant habitudinem eius ad creaturas, & eius substantiam indirectè, sicut dominus: & quædam nomina principaliter significant directè eius substantiam, & ex consequenti indirectè habitudinem, sicut *creator*, *producens*, *motor*, & huiusmodi; & ideò tam hæc nomina quàm illa, non sunt dicta de primo principio ab æterno, propter habitudinem, quam important, vel directè, vel indirectè. Vnde si primum principium creat animam, creatio actiuè significata, est ipsius substantia, vel essentia; quia tamen creatio non solùm importat actionem, quæ est eius substantia; imò simul cum hoc importat habitudinem; ideò ab æterno non potest dici, quòd creauit animam: quia propter istam habitudinem omnino nomina talia dicuntur de ipso ad tempus, siue ex tempore.

Creatio actiua ipsa substantia Dei.

Quoniam autem quod mouetur necesse ab alio moueri, & primum mouens immobile esse secundùm se, & æternum motum à sempiterno moueri, & vnum ab vno. *Tex.* 43.

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm motor primus approprietur primo mobili?

Auicen. 9 *metaph* c. 4. Aphrod. *num.* 29. Auer. 12. *metaph. com.* 41. & 94. S. Thom. *hic lect.* 9. & 1. *contra gentes cap.* 13 & *quæst de spirit. creat. art.* 6. *ad* 10. Iandun. 12. *metaph quæst.* 17. Iauel. *quæst.* 15. Suar *disp.* 35. *sect.* 2. *num.* 20. Fonsec. 12. *metaph. cap.* 8. Vide Doctorem *in disputatis quæst.* 2. *art.* 1. & *in* 4 *dist.* 1. *quæst.* 1.

1

Primum argumentum.

VIdetur quòd non: nam mouentis appropriari ad mobile est proportio huius in agendo, & illius in patiendo; sed primi principij ad quodcunque mobile nulla est proportio: igitur, &c.

Secundum.

Item, causa & effectus proportionantur, cum vniuersali vniuersale, & particulare: sed si primum principium comparetur mobili, prima causa vniuersalis comparatur effectui particulari; quod est impossibile.

Tertium.

Item, si primum principium moueret primum mobile appropriatè moueret in instanti: consequens est impossibile: igitur, &c. Consequentia patet: quia omne agens secundùm modum suæ virtutis agit.

Quartum.

Item, si principium primum appropriaret primo mobili tunc primum principium produceret & substantiam primi mobilis, & motum, & alia accidentia; sed hoc est impossibile; quia ab vno inquantum vnum, non possunt multa produci, secundùm Auicennam lib. 3. met. c. 7.

2

Oppositum innuit Philosophus hîc; dicit enim, quòd primum mouens mouet primum mobile; moto verò illo mouet alia.

Item, dicit quòd principaliter mouet, quæ causat substantia prima: sunt autem plures motus alij.

Ad illud dicit Auicenna sic; quòd primum principium non appropriatur alio immobili; quia, secundùm ipsum, ab vno simpliciter non procedit nisi immediatè vnum: vnde à primo principio solùm procedit immediatè vna Intelligentia, in qua est aliqua diuersitas; & ideò aliqua Intelligentia diuersa; secundùm enim quòd intelligit se, vt est in potentia, causat orbem, quem mouet; & secundùm quòd intelligit se, vt est in actu, causat suum motum; secundùm quòd intelligit suum principium causat Intelligentiam sequentem, & illa secunda aliam.

Illud verò non videtur verum, nec necessarium; licèt enim ab agente naturali inquantum vnum, non procedat nisi vnum; quia potentia naturalis tantùm vna est vnius (vt dicitur in 9. tex. 3.) in agente per intellectum tantùm & voluntatem, hoc non oportet. Si enim aliquis intelligendo solùm possit producere, si multa potest intelligere, multa potest producere. Nunc autem primum principium intelligendo se, omnia potest intelligere: igitur immediatè omnia potest producere.

Potentia naturalis vnius, voluntaria pluriũ.

3

Præterea, supposito, quòd in primo mobili sit aliqua diuersitas, supposito etiam, quòd omne quod est in superioribus reducitur ad aliquam causam per se, tunc quæro vtrùm illa diuersitas in primo mobili reducatur ad aliquam vnam causam, aut non? Si in vnam; habetur propositum, si ab vno possunt procedere diuersa immediatè; si non in causam per se reducitur, igitur in causis diuersis. Tunc quæro, vtrùm in istis causis est tanta diuersitas, quanta est in primo mobili? si nõ; habeo

In primo mobili est aliqua diuersitas.

habeo propositum: quia ab aliquo vno potest procedere aliqua diuersitas in causa: si sic, oportet illas causas ad alias causas priores reducere, vel vniuersum erit inconnexum: quod est contrà Philosophum.

Præterea, in prima Intelligentia producta erit aliqua diuersitas secundùm Auicennam, & quidquid est in ista produsitur à prima causa immediatè: ergo nihil prohibet ab vno diuersa produci: vnde ratio Auicennæ non videtur concludere.

SCHOLIVM.

PRIMVM mouens appropriatur mobili, ita vt ipsum principalius moueat, non tamen vt solum ipsum: mobile enim primum magis appetit primum mouens, quam cætera mobilia. Vide Doctorem hìc; & ad Tex. 44.

4 *Quo modo primum mouens appropriatur primo mobili.* Ad quæstionem ergo dicendum est sic: quod aliquid appropriari alicui, est dupliciter; vel ita quòd nulli alij conueniat; vel ita quod prius & principalius conueniat ei. Primo modo non appropriatur primum mouens mobili primo; non enim sic mouet ipsum vt finis, sic enim vna Intelligentia mouens vnum orbem, mouet ipsum propter primum: sic secunda Intelligentia mouens secundum orbem, mouet ipsum propter primum: sic tertia Intelligentia mouens tertium orbem mouet ipsum propter primum. Secundo tamen modo appropriatur primum mouens primo mobili; per prius enim & principaliùs mouet ipsum: & hoc patet sic: Primum mouens mouet vt desideratum & amatum; illud ergo magis mouet, quod magis appetit ipsum. Nunc autem est ita, quòd mobile primum magis appetit primum mouens, quàm aliquid aliud; quod manifestum est ex velocitate sui motus: ergo primum mouens magis mouet ipsum. Et hoc intelligit hìc Philosophus cùm dicit, quòd primum mouens mouet ipsum mobile sempiternum: & lib. 1. de cælo & mundo, quòd primi mobilis & incorruptibilis est prima substantia intelligibilis & incorruptibilis.

5 *Ad primum.* Ad primum dicendum, quòd agentis appropriati, ita quòd nulli alij, est aliqua proportio. Nunc autem primum etsi appropriaretur primo mobili, non tamen sic ei, quin etiam alij & principaliter. Hìc verò procedit de agente naturali, & non de agente secundùm voluntatem.

In agente secundum naturam vniuersale correspondet vniuersali. Ad secundum dicendum est similiter, quòd in agentibus secundùm naturam, vniuersale correspondet vniuersali, & particulare particulari; sed in agentibus per voluntatem hoc non oportet.

6 *Ad tertium* Ad tertium dicendum, quòd si virtus primi mouentis esset in magnitudine, tunc moueret in instanti; quia agens existens in magnitudine agit secundùm totam suam virtutem & potentiam. Et ideò si virtus infinita esset in magnitudine improportionabiliter moueret velociùs, quàm aliqua virtus finita. Ita tamen non est de mouente incorporeo, quia non agit secundùm necessitatem naturæ, sed secundùm voluntatem & possibilitatem ipsius mobilis. *Vide suprà quæst. 13.*

Ad quartũ. Ad quartum dicendum, quòd ab vno nihil prohibet procedere multa: illud tamen vnum inquantum diuersa producit, aliqualiter est diuersificatum. Sed ista diuersitas solùm rationis est, nec aliquam compositionem facit.

Quia quidem igitur sunt substantiæ, & harum quæ prima & secunda, secundum ordinem eundem, lationibus astrorum palam. *Tex. 44.*

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm præter primum motorem oportet ponere aliquam Intelligentiam primum mobile mouentem effectiuè.

Arist. 8. *phys. cap. 6. tex. 52.* August. 3. *de Trinit. cap. 4.* S. Thom. *hic lect. 9. & opusc. 10. art. 3. opusc. 11 art. 2. & de potent. quæst. 6. art. 3.* D. Bonauen. 2. *dist. 14. art. 3. quæst 2.* Durand. *ibid.* Argent. *ibid. art. 1. quæst. 1.* Bassol. *ibid.* Sonc. 12. *metaph. quæst. 36.* Suarez citat. *quæst. præcedenti n. 21.* Conymbricen. 2. *de Cælo cap. 5. quæst. 5.*

1 *Primum argum.* Videtur quòd non. Quod potest fieri per pauciora, natura non facit per plura; non enim gaudet superfluis, nec indiget necessariis; sed primum mouens mouere potest primum mobile effectiuè cùm sit virtutis infinitæ: ergo non oportet ponere aliud mouens.

Secundum. Item, pluralitas motorum non ponitur, nisi propter diminutionem virtutis: vt patet in tractione nauis: si igitur oportet ponere aliud mouẽs præter primum mouens, esset virtutis finitæ.

Tertium. Item, numerus substantiarum separatarum est secundùm numerum mobilium; sed si aliquod mouens moueret effectiuè primum mobile præter primum, numerus substantiarum excederet numerum mobilium.

Oppositum: primum mouens mouet primum mobile, vt appetibile, & intelligibile: hoc non esset, nisi aliud esset ipsum appetens & intelligens.

SCHOLIVM.

SECVNDVM mentem Philosophi est, ponendam esse aliam Intelligentiam præter primum mouens, mouentem primum mobile. Sed ratione hoc minimè ostendi potest; quia quidquid facit Deus per alias intelligentias, per se præstare potest. Vide Doctorem in hunc Text. & quodlib. 7.

2 Vnde dicendum, quòd potest poni rationabiliter, quòd nihil mouet aliud primum mobile effectiuè præter primum mouens: & similiter potest poni, quòd alia est Intelligentia mouens primum mobile præter primum mouens; & illud videtur esse de mente Philosophi, & Auicennæ. *Duplex motor primi mobilis.* Omnes enim videntur ponere duplicem motorem primi mobilis, scilicet coniunctum & separatum. Coniunctus est appropriatus primo mobili, & sibi proportionatus in virtute. Vnde 7. Cœli & mundi dicitur quòd si vna stella magis apponeretur primo mobili, mouens ipsum non moueret sine labore & pœna. Hoc non esset nisi aliquid mouens virtutis finitæ & determinatæ moueret primum mobile: quia quæcunque opponerentur primum mouens moueret sine labore & pœna. *Intelligentia præter primum mouens mouet cælum.* Vnde dico ad præsens, quòd præter primum mouens aliqua Intelligentia est, quæ mouet cœlum, & hanc dicunt animam mundi.

3 *Ad primum.* Ad primum argumentum dicendum, quòd illud

lud quòd poteſt fieri per pauciora, & æquè conuenienter, non oportet fieri per plura: nunc autem Intelligentiæ mouent continuè, vt aſſimilentur primo principio in cauſando; vt etiã explicent virtutem, quæ eſt in ipſo primo principio. Nunc autem virtus primi principij non manifeſtatur ex hoc, quòd intelligatur tantùm mediatè mouere primum mobile; nec quia ipſum primum tantùm moueret immediatè illud: perfectior enim eſſet ædificator, qui poſſet domum facere, quæ domus poſſet aliam facere, quàm ſi ipſe per ſe illam faceret. Similiter Doctor melior eſſet, qui poſſet facere diſcipulos, qui alios docerent, quàm ſi ipſe ſolus eſſet docens. Similiter in propoſito magis manifeſtatur virtus & potentia primi principij ex hoc, quòd poteſt aliquid cauſare, quod poteſt mouere aliud, quàm ſi ipſe illud moueret.

Ad ſecundum. Quare ponuntur plures motores primi mobilis?

Ad ſecundum dicendum, quòd pluralitas motorum non ſemper ponitur propter diminutionem virtutis; imò in propoſito ponitur propter manifeſtationem eius, quod eſt virtute in primo principio.

Ad tertium. Numerus ſubſtantiarũ ſeparatarum excedit numerum mobilium.

Ad tertium dicendum, quòd numerus ſubſtantiarum excedit numerum mobilium: ſed Philoſophus ex numero mobilium concludit numerum ſubſtantiarum.

Ad rationes in oppoſitum dicendum, quòd etſi primum mouens moueat vt intelligibile & appetibile, non oportet quòd moueat vt intelligibile ab alio, ſed vt à ſeipſo: vnde propter hanc cauſam non oportet ponere aliud mouens effectiuè.

Sed quæcunque ſunt numero multa, multam materiam habent, vna enim & eadem ratio multorum, vt hominis: Socrates verò vnus. Quia autem quidquid erat eſſe non habet materiam primam. Entelechia enim. *Tex. 49. Eſt & alius Textus 41. conformis huic quæſtioni, vbi tradit primum mouens non eſſe alterabile.*

QVÆSTIO XVIII.

Vtrùm ipſum cælum, vel primum mobile moueatur à voluntate purè intellectuali & intranſmutabili?

Aprod. *hic num.* 30. Auer. 12. *metaph. com.* 36. S. Thom. *lect.* 9. Durand. 2. *diſt.* 7. *quæſt.* 5. Baſſol. *diſt.* 14 *quæſt.* 2. Heru. *ibid. quæſt.* 1. *art.* 4. Mairon. 1. *diſt.* 43. *quæſt.* 5. Aureol. 2. *diſt.* 7. *q.* 2. Gandau. *quodl.* 13. *quæſt.* 6. Conymb. *ſupra citati quæſt.* 7.

1 Primum argumentum.

Videtur quòd non: voluntas intelligibilis eſt actus vniuerſalis; ſed motus & operatio ſunt circa ſingularia: ergo motus cœli non eſt à voluntate intellectuali.

Secundum.

Item, omne nouum ab aliquo tranſmutabili procedit; ſi enim producens non tranſmutaretur, non produceretur magis nunc, quàm pòſt.

Tertium.

Item, ſi mouens cœlum non eſſet tranſmutabile, non eſſet aſſignare, quare nunc produceretur vna pars motus, & alia non.

Oppoſitum dicit Ariſtoteles: dicit enim quòd omnes ſubſtantiæ immateriales ſunt intranſmutabiles.

2 Opinio Auicennæ.

Ad illud dicit Auicenna, quòd motus cœli eſt à voluntate tranſmutabili; motus enim in recto cauſa remota ſeu renouata eſt. Requirit igitur aliquam cauſam intelligentem remotam; ſicut patet in motu grauis deorſum, cauſa enim quare graue nunc eſt ibi, nunc hîc, eſt, quia nunc magis diſtat à termino, & nunc minùs. Similiter in propoſito nunc eſt vna pars mota, nunc alia, quia voluntas mouens remota eſt.

Item, non videtur eſſe verum, quòd effectus ſempiternus, & vniformiter ſe habens à cauſa procedat tranſmutabili: nunc autem motus cæli ſempiternus, & vniformis eſt voluntarius: ergo procedit à voluntate vniformiter ſe habente.

Præterea, motus vnus eſt à motore vno; ſed ſi voluntas mouens innouaretur per innouationem partium ipſius motus, tunc cùm partes motus ſint infinitæ; quaſi infiniti eſſent motores; & per conſequens non eſſet vnus.

SCHOLIVM.

MOTVS *cœli eſt à voluntate intellectuali & immutabili, quia eſt effectus vniformis inuariabilis: ergo dependet ab inuariabili cauſa. Vide Scotum in hunc textum vbi exponit mentem Philoſophi: & con. 56. huius libri, vbi meritò reiicit Ariſtotelem aſſerentem, ſi eſſent plures mundi plura etiam prima principia neceſſariò eſſe ponenda. Tex. etiam 50. hic videtur ponere omnes intelligentias eſſe Deos. Certè in multis lapſus eſt, non ſolum contrà veritatem fidei; ſed etiam contrà multa lumine naturæ nota. Et tamen ibidem ait anteceſſores ſuos tractaſſe de hac ſcientia per modum fabulationis. Notat etiam Doctor in hunc textum D. Thomam ex eo malè intellecto poſuiſſe materiam eſſe rationem indiuiduationis.*

3

Ideò dicendum, quòd motus cæli etiam à voluntate intellectuali eſt, non tamen vniuerſali, ſed particulari; & ideò eſſe poteſt alicuius ſingularis. Eſt etiam à voluntate intranſmutabili, nam ſi aliquis intendat mouere ad aliquem locum, vel terminum, vel præconcipiat diſtantias inter terminos; non oportet mutare voluntatem in quacunque parte motus: non enim præconcipit partes diſtantiæ, vt diſtinctas; ſed ſolùm inquantum vnum, & vt in potentia. Vnde intendit vnum motum, cuius partes ſunt in potentia; & ideò non obſtante motu, vel diſtantia partium, vnitate voluntatis non mutata per totum motum intendere; & ideò non oportet voluntatem, à qua procedit motus, renouari ſecundùm renouationem partium in motu.

Non oportet voluntatem renouari ad nouas partes motus.

4 Ad primum. Voluntas ſpeculatiua & practica.

Ad primum dicendum, quòd voluntas intellectualis duplex eſt, ſcilicet practica, & ſpeculatiua. Speculatiua eſt vniuerſalis; practica ſingularis; & ideò à voluntate intellectuali practicè, benè poteſt motus procedere.

Ad ſecũdum.

Ad ſecundum dicendum, quòd non oportet illud, quod de nouo producitur, ex cauſa remota ſeu innouata produci: ſi aliquis nunc intendat cras currere, non mutatâ voluntate poteſt cras currere, nec oportet voluntatem cras mutari: vnde de agenti naturali procedit ratio, & non de agente voluntario.

Ad tertium.

Ad tertium dicendum, quòd mouens cœlum intendit totum motum; & quia in motu partes ſunt in potentia, ideò pars ſuccedit parti, non quia voluntas ſit remota: ſed quia intendens totum, oportet partes ſucceſſiuè producere.

Quare

Quare & substantias, & principia immobilia, & insensibilia tot rationabile existere. *Tex*.48.

QVÆSTIO XIX.

Vtrùm oporteat ponere aliquem numerum excedentem in ipsis motoribus separatis?

Aphrod. citatus *quæst. antecedenti*. Auer. *hic com*.49. S. Tho. *hic lect*.9. *&* 1. *par. quæst*. 112. *art*.4. *&* 2. *contra gentes cap*.92. *& quæst*.6. *de potent. art*.6. Magist. 2. *dist*. 11. Durand. 2. *dist*. 3 *quæst*. 4. Guilel. *Parisien. trac*. 3. *de Vniuerso in* 1. *par*. 2. *par. cap*. 64. Ferrar. 3. *contra gent. cap*. 92. Fland *hic quæst*.6. *art*. 1. *&* 4.

1 *Primum argum*.

VIdetur quòd non: Numerus est quantitas discreta; vel numerus est res mathematica à continua non separata; sed intelligentiæ sunt absque quantitate: ergo in eis non est numerus.

Secundum.

Item, quantò aliquid propinquius est vni, tantò minus habet de multitudine; sed Intelligentiæ sunt propinquiores primo principio, quod est maximè vnum: ergo habet minùs de multitudine.

Tertium.

Item, numerus substantiarum separatarum est iuxta numerum motuum secundùm Philosophum; tex. 44. & 48. sed numerus ipsorum motuum non est excedens: ergo nec substantiarum.

Oppositum: quantò aliquid est perfectius tantò habet esse in maiori multitudine; quia multa bona meliora sunt paucioribus; sed substantiæ immateriales sunt perfectissimæ inter substantias: igitur, &c.

2 *An sint ponende substantiæ separata sine ordine ad motum?*

Iuxta hanc dubitationem quæritur: vtrùm sit ponere aliquas substantias separatas, ordinem ad motum non habentes? Et videtur quòd non: substantiæ separatæ sunt ponendæ secundùm quòd sunt in optima dispositione: sed in optima dispositione sunt vt causæ; sed causæ non sunt nisi per comparationem ad motum: ergo non sunt ponendæ nisi per comparationem ad motum.

Quæstionis 2. *primum argum. Secundum*.

Item, in cognitionem separatorum deuinimus per cognitionem sensibilium; sed nihil apparet nobis de substantiis separatis præter motum: ergo non est ponere aliquas substantias præter comparationem ad motum.

Tertium.

Item, dicit Philosophus, quòd si aliquæ sunt substantiæ, sunt finis alicuius lationis.

Oppositum: Superiora, non sunt inferiora; sed magis è conuerso: si non esset motus, possibile esset substantias separatas esse: possibile ergo est substantias esse sine comparatione ad motum.

SCHOLIVM.

INTELLIGENTIARVM *numerum posuit Philosophus iuxta numerum variorum motuum superiorum corporum probabiliter, quia vix capi potest, quomodo vna, mouere posset plures orbes, vel vnum diuersis motibus. Secundùm veritatem, numerus intelligentiarum excedit numerum corporalium: quia ad perfectionem vniuersi spectat, nobiliora excedere minus perfecta. D. Thomas* 1. *par. quest*.50. *art*.3. *ita habet: Conclusio tamen intelligenda venit quoad species non quoad indiuidua: quia incredibile est plures esse Angelos, quàm arena grana & arborum folia. Locus Dionysij cap*. 14. *de cælesti hierarchia, quem adducit D. Thomas non probat excedere Angelos res sensibiles, secundum numerum ipsarum rerum, sed secundùm quod à nobis numerari possunt, iuxtà id Apocalypsis*. 7. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, &c. *Vide Suarem de Angelis lib*. 1. *cap*.11. *& dist*.35. *Met. sect*. 1. *Plato posuit numerum substantiarum separatarum, non spiritualium, sed iuxtà ideas rerum sensibilium: quem variis locis reiicit Aristoteles, vt* 7. *huius textu* 28. *& sequen. & tex*.51. *& sequen. &* 1. *Moralium Nicomachiorum cap*. 6. *&* 1. *Moralium Eudemiorum cap*.5 *Vide Scotum* 7. *huius quæst*.11. *&* 18.

3 *An numerus intelligentiarum sit maior sensibilius?*

Dicendum, quòd diuersæ sunt opiniones circa istas quæstiones. Plato ponit numerum substantiarum separatarum iuxta numerum specierum sensibilium, vt ideas: quam opinionem Philosophus improbat sufficienter in pluribus locis. Philosophus verò ponit numerum substantiarum separatarum, iuxta numerum motuum. Nunc autem de separatis cognitionem habere non possumus, nisi per effectus: nullus autem effectus eorum appareret hîc inferiùs præter motum: ideò Philosophus non potest ponere numerum substantiarum separatarum, nisi iuxta numerum motuum. Veritas tamen est, quòd numerus substantiarum separatarum excedit multitudinem omnium sensibilium. Cuius ratio potest haberi ex hoc, quia quantò aliqua in toto ordine vniuersi sunt perfectiora, tantò sunt in maiori excessu: corpora enim incorruptibilia excedunt corruptibilia in magnitudine: tota enim substantia actiuorum & passiuorum motuum est respectu corporum superiorum. Æquè rationabile est, quòd substantiæ separatæ excedant omnes substantias materiales in multitudine.

Corpora cœlestia excedunt inferiora.

Ad hoc tamen non est deuentum per rationem inquirentem, nec per sensum, vel experimentum; sed solùm per reuelationem. Vnde Philosophus per sensum & experimentum procedens circa numerum substantiarum ponit numerum motuum: ipse tamen subiungit quod *hoc rationabile, & non necessarium: & ideò fortioribus relinquatur*.

4 *Ad primum. In separatis non est multitudo discreta*.

Ad primum ergo dicendum, quòd in separatis non est multitudo, quæ est numerus, & quæ est quantitas discreta: sed est multitudo proueniens ex diuisione formarum, quæ est de transcendentibus.

Ad secūdum.

Ad secundum dicendum, quòd quia substantiæ separatæ sunt propinquiores primo principio, ideò minùs habent de compositione in sui natura: non tamen oportet, quòd propter hoc minùs habeant de multitudine.

Ad tertium

Ad tertium, quòd Philosophus procedit secundùm sensum & experimentum; & ideò conuenit numerum substantiarum ponere secundùm numerum motuum.

Ad secundam quæstionem, iam dictum est, quòd aliquæ sunt substantiæ separatæ ordinem ad motum non habentes; ad hoc tamen non potest deueniri per sensum & experimentum: & ideò Philosophus innuit huius oppositum: vnde rationes procedunt suis viis.

***

Et eo

Et eorum quæ ſunt in eadem ſpecie, diuerſa non ſpecie,ſed quia ſingularum aliud ſua materia & ſpecies, & mouens,& mea; vniuerſale autem ratione eadem. *Tex.27.*

QVÆSTIO XX.

Vtrùm Intelligentiæ differant ſpecie?

Bonauen.2.*diſt.*9.*art.*2.*&* *diſt.*5.1.*par.art.*2.*q.*1. S.Thom. *hîc lect.*4 *&* 2.*contra gentes cap.*93.*ratione* 4.*& quæſt.* 6.*de potent.art.*6 *in fine &* 1 *par.quæſt.*50.*art.*4.Alenſis 2.*par.quæſt.*20. *memb.* 6.*art.* 1.*&* 2. Gabriel. 2. *diſt.*3. *quæſt.*1.*art.*2.*concl.*2 *&* 3.Marſil.*quæſt.* 3.*ar* 1.Richard. 2.*diſt.*3.*art.*3.*quæſt.*1.Vaſq.*in* 1.*par.diſ.*181.Suar.*lib.*1.*de Angelis cap.*11.*& in metaph.diſp.*35.*ſect.*3.*à num* 43.

1 Primum argumentum.

VIdetur quòd non. Quæ conueniunt in hoc, quod in eis eſt nobiliſſimum,in ſpecie conueniunt;nam differentia ſpecifica accipitur ab eo, quod eſt nobiliſſimum; ſed omnes Intelligentiæ conueniunt in intellectualitate, quod eſt nobiliſſimum:igitur,&c.

Secundum.

Item, magis & minùs non diuerſificant ſpeciem,ſed intelligentiæ ſolùm differunt ſecundùm magis & minùs; differunt enim per hoc, quòd quædam ſunt ſpirituales, & vniuerſaliores intellectus:ergo non diuerſificantur in ſpecie.

Tertium.

Item; anima humana & Intelligentiæ diſtinguuntur per oppoſitum;ſed omnes humanæ animæ ſunt vnius ſpeciei: igitur Intelligentiæ non erunt vnius ſpeciei.

Ad oppoſitum;in eadem ſpecie non inueniuntur aliqua differre ſecundùm prius & poſterius; ſed Intelligentiæ diſtinguuntur ſecundùm prius & poſterius, ſecundùm authorem de Cauſis, & ſecundùm ordinem motuum per Philoſophum in litera:igitur,&c.

SCHOLIVM.

H*ic reſpondet non ſecundùm propriam ſententiam, ſed ad mentem Commentatoris, plures Angelos non poſſe eſſe eiuſdem ſpeciei. Oppoſitum autem ipſe habet* 5.*huius cap.* De vno *tex.* 12. *& lib.*12. *tex.* 28. *& lib.*12.*tex.* 49. *& fusè ſatis de hoc agit* 7.*huius quæſt.* 13. *vbi num.* 14. *in hanc partem inclinat. Sed quidquid ſit de eius mente circà hoc in Metaphyſica, in Theologia* 2. *diſt.* 3.*q.*7. *ex profeſſo contrà D.Thomam probat plures intelligentias poſſe eſſe eiuſdem ſpeciei:& ſoluit ibi loca Philoſophi, quæ contraria eſſe videntur. Nec eſt quod inferas ex hac reſponſione,ipſum ſibi contradicere locis ex hoc ipſo opere citatis, aut forte has quæſtiones non eſſe ipſius:quia in quibuſdam procedit ſecundum mentem Philoſophi,vel Commentatoris,in aliis ſecundum propriam:in nonnullis etiam magis diſputando,quam reſoluendo,& problematicè proponendo, quàm aſſerendo, vtriuſque partis rationes ponderat;vt monui in præfatione ad quæſtiones Metaphyſica.*

2

Dicendum, quòd Intelligentiæ differunt ſpecie, quia in vna ſpecie eſt tantùm vna Intelligentia; quia ſecundùm Commentatorem in ſeparatis à materia, æqualis eſt numerus indiuiduorum. Nam iſta quæ conueniunt in ſpecie, & differunt in numero habent materiam (vt dictum fuit ſupra 8. tex. 5.) igitur in Intelligentiis non poteſt eſſe diuerſitas in ſpecie, & conuenientia in numero.

Præterea,ſi haberent materiam, adhuc ſpecie differrent nam tunc differrent per hoc,quòd materia vnius,alterius eſſet potentiæ à materia alterius;non enim poſſent differre per materiam diuerſificatam,cùm in eis non ſit quantitas; ſed diuerſitas potentiæ facit diuerſitatem in genere: quia propter hoc corruptibile & incorruptibile differunt in genere:ergo dicendum, Intelligentiæ ſpecie differunt.

Quare corruptibile & incorruptibile differunt genere?

3 Ad primum. Vnde accipitur differentia?

Ad primum dicendum, quod differentia accipitur ab eo quod eſt nobiliſſimum in re:differentia tamen non ſemper excedit genus,ſicut vna natura aliam;ſed ſicut proprium, commune, & determinatum; alioquin in aſino & equo eſſet alia forma ſupra ſenſitiuam communem;quod tamen videtur verum. Sed ſicut animalia irrationabilia diſtinguuntur ſecundùm diuerſos gradus animæ ſenſitiuæ: eo modo Intelligentiæ diſtinguuntur ſecundùm diuerſos gradus intellectiuæ. Vnde verum eſt,quòd omnes Intelligentiæ intelligunt,& conueniunt in *intelligere*;non tamen conueniunt in hoc gradu, vel in illo. Vnde ab eodem accipitur ibi nomen & ratio generis & differentiæ.

Ad ſecundum. Magis & minus in forma quando variant ſpeciem?

Ad aliud dicendum, quòd magis & minùs in eadem forma non diuerſificant ſpeciem,vt magis & minùs in albo:tamen magis & minùs in diuerſis formis poſſunt ſpeciem diuerſificare, vt dicatur,quòd ignis eſt perfectior ſubſtantia aëre.

Ad tertium.

Ad tertium dicendum, quòd bonum ſpeciei præponderat bono indiuidui. Nunc autem eſt ita quòd in genere ſubſtantiarum intelligibilium, anima tenet infimum gradum; ideò rationabile eſt,quòd attribuatur Intelligentiis illud,quod melius eſt;ſed multitudo ſecundùm ſpeciem melior eſt quàm multitudo ſecundùm numerum;& hoc intendit primum mouens: & ideò non oportet, quòd plures ſint Intelligentiæ in eadem ſpecie.

Et harum,quæ prima,& ſecunda, ſecundum ordinem eundem lationibus aſtrorum palam. *Tex.*34.

QVÆSTIO XXI.

Vtrùm ordo ſubſtantiarum ſeparatarum ſit ſecundum ordinem corporum latorum?

Aphrod.*hîc num.*30.S Thom.*lect.*8.*& quæſt* 16. *de malo, art.*10.Albert.Magnus 1.*par.Summa q.*4.*a.*26.Capreol. *in* 2.*diſt.*3.*q.*1.*art.*3. Maior 2.*diſt.*14 *q.*2.Fland.*hîc q.*7. *art.*3 Suar.*diſp.*35.*metaph.ſect.*1. *num.*21. Conymb.2. *de Cœlo cap.*5 *quæſt.*8.Fonſ.12.*metaph.cap.*8.

1 Primum argum.

VIdetur quòd non. Nam maior virtus requiritur ad mouendum maiorem magnitudinem;ſed Sol excedit alios planetas in magnitudine;ergo mouens Solem eſt maioris virtutis;ſed Sol eſt ſuperior planeta in ordine:igitur,&c.

Secundum.

Item maior eſt virtus ordinantis & regulantis,quàm ordinati & recti;ſed motus aliorum planetarum per motum Solis regulatur, & ſequitur ipſum:ergo maior virtus Solem mouet.

Tertium.

Item, ex ſenſibilibus deuenimus in cognitionẽ ſeparatorũ;ſed plures effectus Solis apparẽt in iſtis inferioribus, quàm alicuius alterius planetæ.

Oppoſitum

Oppositum dicit Philosophus: dicit enim, quòd ordo substantiarum separatarum est secundùm ordinem corporum latorum & motuum: igitur, &c.

SCHOLIVM.

Respondet ad mentem Philosophi intelligentias ordinatas esse iuxta ordinem orbium, quos mouent: quod tamen nulla ratione probari potest, sed tantum congruentia quadam. De effectibus quos assignat Planetis, nulla etiam est certitudo. Aristoteles in his, & numero orbium & lationum secutus est Astrologos errantes. Quedam tamen ex hîc dictis, subinde vera sunt: sed ad Astrologiam eorum spectat indagatio.

2 Dicendum, quòd ordo est in substantiis separatis secundùm ordinem in ipsis motibus. Corpus enim continens comparatur ad corpus contentum, sicut totum ad partem diuisi, & forma ad materiam, per Philosophum 4. Physic. text. 24. Et idem planeta superior ad materiam, ad quam ordinatur orbis superior, ita se habet ad planetam inferiorem: quantò enim planeta est superior, tantò est vniuersalioris virtutis & diuturnitatis. Saturnus enim habet respectum ad loca & tempora vniuersalia: vnde sibi attribuitur rei permanentia. Ioui verò attribuitur bona rei habitatio. Marti verò virtus quâ vnaquæque virtus repellit sibi nociua. Vnde isti tres planetæ respectum habent suprà rei existentiam; & subseruiunt primo mobili, quod principaliter habet causalitatem super durationem, & perpetuitatem rei; vt dicit Philosophus in hoc 12. cap. 4.

Tres superiores planetæ respiciunt rei durationem.

3 Alij verò quatuor planetæ inferiores aspectum, & virtutem determinatam habent super motus ipsorum inferiorum: ita quòd Sol habet virtutem magis determinatam, scilicet, super generatione, per quam saluatur *esse* speciei, & ad quam omnes alij motus reducuntur. Mercurius adhuc magis habet virtutem determinatam super multiplicationem indiuiduorum: vnde multos habet motus, & cum omnibus planetis coniungitur. Luna verò adhuc magis virtutem determinatam habet, scilicet, super materiam & transmutationes eius. Quantò igitur orbis est superior, tantò habet effectum superiorem, & diuturniorem, & vniuersaliorem; & corpus mouet tanquam instrumentum substantiæ separatæ. Igitur quantò substantia separata mouet orbem superiorem, tantò vniuersalioris & diuturnioris est virtutis. Verumtamen quia inter omnia motus Solis nobis est manifestior, & Sol principaliorem virtutem habet super motum, cui deseruiunt tres Planetæ inferiores, sicut Stellato subseruiunt tres Planetæ superiores. hinc est quòd Solis plures effectus apparent nobis in istis inferioribus: effectus tamen Planetarum superiorum sunt vniuersaliores & diuturniores.

Tres inferiores respiciūt motum.

Per hoc patet ad rationes: Probatur enim quòd plures effectus apparent Solis, & hoc est verum; quia est causa maioris diuersitatis. Ex hoc etiam sequitur, quòd est maioris virtutis.

Palam autem, quod diuinissimum, & honorabilissimum intelligit. *Text.* 50.

QVÆSTIO XXII.

Vtrum primum principium intelligat se?

Aphrodis. *hic num.* 27. S. Thom. *lect.* 11 & 1. *part. qu.* 14. *art.* 15. & 1. *contra gentes c.* 67. & *q.* 2. *de Veritate a.* 13. Alensis 1. *p. q.* 23. *membr.* 1. & *q.* 24. *memb.* 7. Henricus *quodl.* 9. *q.* 2. Suarez 1. *part. lib.* 3. *cap.* 2. & *in metaph. disp.* 30. *sect.* 15. *num.* 14. Simissing. *de Deo vno: tract.* 3. *disp.* 2. *q.* 2. Vide Doctorem *q.* 3. *prolog.* & *in* 1. *dist.* 3. *q.* 3. & *quodl.* 14. *art.* 2.

1 *Primum arg.* Videtur quòd non: Omnis sciens suam essentiam, redit ad ipsam reditione completa per Auctorem de Causis; Propos. 15. Sed primum principium nunquam suam exit essentiam; quia nullo modo mouetur: ergo sibi non conuenit redire ad suam essentiam.

Secundum. Item, *intelligere* est quoddam moueri, pati, seu perfici; sed nihil mouetur, vel patitur, vel perficitur à seipso: ergo nihil intelligit seipsum.

Tertium. Item, intellectus intelligit se, sicut & anima, per Aristotelem 3. de anima: text. 5. Si ergo primum principium intelligeret seipsum, intelligeret se per aliud, sicut anima, vel intelligeret se intelligendo alia; quod est contra Aristotelem in isto 12.

Oppositum innuit hîc Philosophus.

SCHOLIVM.

Devs intelligit se, & per se: quod fusè probat Doctor 1. dist. 2. q. 2. art. 3. num. 20. & 22. & tractatu de primo principio cap. 4. con. 5. Sed theoremate 14. videtur dicere hoc non demonstrari: vide Scholium ibi positum.

2 Dicit enim quòd in operatione manente in agente; ipsum obiectum operationis est in operante, & hoc est opus in actu; quia obiectum est in ipso. Vnde 3. de Anima text. 38. dicitur, quòd sensus & sensibile etiam actu idem sunt: similiter intelligere in actu, & intellectus in actu. Sed ipsum intelligibile non est in intelligente secundùm seipsum, sed secundùm sui speciem, & per istam speciem assimilatur intelligens intelligibili; & propter hoc intellectus est aliud ab intelligibili; quia intellectus est in potentia ad intelligibile; quia habet solùm similitudinem ad formam eius, & non ipsum, & in primo principio non est vt potentia, vt dictum est suprà q. 5. huius: ideò non est ibi aliqua diuersitas: imò est simpliciter simplex. In intellectu igitur eius non est aliqua species sicut in intellectu nostro: quia antequam intelligat, non intelligit in potentia: quia tunc esset in potentia. Nec est in eo alia species in actu: sicut cùm intellectus noster intelligit: quia sic in eo esset diuersitas: imò illud idem in ipso est intellectus, & intellectum: & ideò seipsum intelligit per seipsum.

Deus intelligit se, per se, nō per aliud.

3 Ad primum dicendum, quòd redire super suā essentiam nihil aliud est, quàm per se subsistere: forma enim, quæ perficit materiam, quodammodò effundit se; vel superinfunditur super materiā: & ideò virtutes cognitiuæ non per se subsistentes

Quomodo primũ principium potest in se redire?

non dicuntur ad suam essentiam redire; sed virtutes cognitiuæ per se subsistentes. Cùm ergo primo principio maximè conueniat per se subsistere, maximè sic loquendo potest in se redire, vel ad suam essentiam.

Ad Secundũ.

Ad secundum dicendum, quòd *intelligere* non est pati, aut moueri, secundùm quòd motus est imperfecti, vt dicit Philosophus 3. de Anima; text. 12. sed secundùm quòd est actus perfecti: & ideò illud *intelligere* dicitur solum pati, vel moueri, etiam perfici non nisi secundùm modum apprehensionis nostræ.

Ad tertium.

Ad tertiũ dicendum, quòd sicut materia se habet in ordine entium, sic intellectus noster se habet in ordine substantiarum intellectualium. Nunc autem est ita, quòd materia prima non habet *esse* naturale, nisi per formam; & eodem modo intellectus est in actu, vel non habet *esse*, actu, nisi per formam, & similitudinem intellectualis. Vnde per similitudinem intelligit intelligibile & per hoc quod intelligit, intelligibile potest intelligere suum *intelligere*, & intelligendo suum *intelligere* potest intelligere se. Vnde non intelligit se, nisi per aliud intellectus noster, & hoc est, quod infimus sit in ordine intelligibilium. Sed sic non est de intellectu primo; non enim est in potentia ad aliud sicut intellectus noster; sed est actus purus; ideò non intelligit se per aliud, sed per seipsum.

Primum quidem igitur, si non est intelligentia, sed potentia, rationabile & laboriosum esse, & continuationem intelligentiæ. *Tex.* 51.

QVÆSTIO XXIII.

Vtrum primum principium sit suum intelligere?

Vide Doctores citatos *quæstione antecedenti*, &c. Aureolum 1. *dis.* 35. *par.* 1. *art.* 3. *diffic.* 2. 3. *&* 4. Capreol. 1. *dis.* 35. *quæst.* 1. *ar.* 2. Ferrarien. 1. *contra gentes cap.* 50. Caietan. 1. *par. quæst* 14. *ar.* 5 Suarez. *disp.* 30. *metaph. sect.* 15. *num.* 14. vide Scot. 1. *dist.* 26. *quæst. vn. Ad* 2. *principium, & quodl.* 1. *ar.* 1.

1 Primum arg.

VIdetur quòd nõ: operatio dicit aliquid procedẽs ab alio; sed *intelligere* est quedã operatio, & primum principium non procedit ab alio: ergo non est suum *intelligere*.

Secundum.

Item, si quis intelligit se intelligere, non intelligit aliquid principale; sed aliquid accessoriũ; sicut dicit Philosophus in primo capitulo: si ergo primum principium esset *intelligere*, esset aliquid accessorium, & non quoddam magnum.

Tertium.

Item si esset suum *intelligere*, tunc intelligere se, esset se intelligere. Et vlterius cùm ipsum sit suum *intelligere*, erit intelligere se intelligere intelligere se, & sic in infinitum.

Oppositum dicit hìc Philosophus.

SCHOLIVM.

DEVS *est suum intelligere, alioquin non esset actus purus, sed ens in potentia. Vide Scotum de hoc, tractatu de primo principio cap.* 4. §. 3. Conclusionem, *num.* 21. *&* 1. *dis.* 2. *quæst.* 2. §. 4. *con. num.* 24.

2 Deus est suũ intelligere.

Dicit enim quòd primum principium est suum *intelligere*; si enim suum *intelligere* esset aliud ab ipso, tunc oporteret, quod sua essentia, vel substantia compararetur ad *intelligere*, sicut potentia ad actum; sed in ipso non est potentia, vt dictum est, igitur, &c.

Præterea; *intelligere* cùm sit operatio manens in agente, se habet ad agens sicut *esse* ad ens, & est perfectio intelligentis, sicut *esse* entis: sed dictum est suprà quòd essentia primi principij est suum *esse*: ergo suus intellectus est suum *intelligere*. Vnde in ipso idem est intellectus & intellectum, & species, per quam intelligit, & *intelligere*; quia sua substantia est intellectus & intelligentia, & species, per quam intelligit & *intelligere*, ita sua substantia, est quodlibet eorum.

3 Ad primum.

Ad Primum dicendum, quod *intelligere* non est operatio procedẽs in aliud, sed manens in agente: nec *intelligere* primi propriè est operatio procedẽs in aliud, sed manens in agente; nisi secundũ apprehensionẽ nostrã, sed est substantia intelligẽs.

Intelligere est operatio immanens.

Ad secundũ.

Ad secundum dicendum, quòd non est per se subsistens, vel si intelligat se intelligere, quòd non est in se subsistens, est intelligere aliquid accessorium, & ideò principale; sed *intelligere* primi est in se subsistens, & ipsum *intelligere* non est accessorium intelligere.

Ad tertium.

Ad tertium dicendum, quòd *intelligere* non est intelligere aliud, sed seipsum: vnde si primum principium esset *intelligere* & *intelligere* suum, esset aliud *intelligere*, procederetur in infinitum: sed sic non est in proposito.

Deinde palam: quia aliquid aliud erit dignius, quam intellectus, scilicet intellectum: etenim intelligere & intelligentia erunt indignissimum intelligenti. *Tex.* 51.

QVÆSTIO XXIV.

Vtrùm primum principium intelligat alia in se?

Auerroës *tex. comment.* 52. Aphrod. *num.* 38. S. Thom. *lect.* 11. *&* 1. *par. quæst.* 14. *ar.* 5. *&* 1. *contr. gentes cap.* 50. *& quæst.* 2. *de Veritate.* Alensis 1. *par. quæst.* 23. *artic.* 1. *&* 3. Henricus *in Summa quæst:* 23. *&* 25. *& quodl.* 8. *quæst.* 1. *&* 9. Capreolus *in* 1. *dist.* 35 Occam *in* 1 *dis.* 35. *quæst.* 3 Ægidius in 1. *d.* 35. *q.* 1. Vasquez *in* 1. *par. disp.* 60. Vide Doctorem *in* 1. *dis.* 35 *quæst.* 1. Flandria *lib.* 12. *quæst.* 8. *art.* 2.

1 Primum arg.

VIdetur quod nõ: intellectum est perfectio intelligẽtis: si igitur intelligeret alia à se aliud esset perfectio eius.

Secundum.

Item *intelligere* specificatur per obiectum, tantò enim *intelligere* est nobilius, quàm intellectum dignius: sed primum principiũ suum est *intelligere*, vt nunc dictũ est, & specificari est per aliud: ergo primũ principiũ specificatur per aliud; sed hoc est impossibile, igitur, &c.

Tertium.

Præterea, patet quod dignius est non videre quàm videre, per Philosophum in litera: ergo pari ratione dignius est aliqua non intelligere, quàm intelligere: sed si primum principium intelligit alia à se, qua ratione intelligeret vnum, intelligeret & aliud: igitur illud, quod est inter entia indignissimum: & per consequens intelligitur aliquid

aliquid, quod melius esset non intelligere. Hoc videtur esse impossibile quod ipse faceret aliquid quod melius esset non facere.

In oppositum est Philosophus; & ratio est; nihil latet eius cognitionem, hoc non esset nisi aliqua à se intelligeret.

SCHOLIVM.

Devs scit omne scibile non tantum seipsum: ipse tamen solus est adæquatum obiectum suæ scientiæ in in ratione motiui: Vide Scotum in hunc textum, & 1. distinct. 2. quæstione 2. numero 14. & distinct. 39. quæst. 1. & per totam; & con. 61. huius. Commentator hic oppositum tenet cui fauet Philosophus, nisi explicetur, vt iam dixi cum Doctore.

8

Dicendum est, quòd omnia alia à se intelligit: cuius ratio est; primum principium est perfectissimum (vt suprà ostensum est, quæstione 12. huius,) est ipsum suum *intelligere*; vt iam dictum est; quæstione 22. ergo suum *intelligere* est perfectissimum: sed intelligit se; ergo intelligit se perfectissimè: sed requiritur vt perfectissimè se intelligat, vt intelligantur omnia, ad quæ virtus rei se extendit: cùm igitur ab ipso dependeat cœlum & tota natura, seipsum perfectè non cognosceret, nisi cœlum & totam naturam cognosceret.

Deus seipsũ perfectè non cognosceret, si alia non sciret.

Item suum *esse* est causa omnium aliorum, sed effectus aliquo modo est in sua causa; quod ergo cognoscit causam, cognoscit effectus, eo modo quo sunt in causa; sed omnia sunt in ipso per modum intelligibilem; nam ipse est causa per voluntatem & intellectum: omnia ergo alia intelligit. Intelligendum tamen est, quòd aliquid potest aliud intelligere dupliciter, aut in seipso, aut in alio. Res dicitur intelligi seipsa, quando intelligitur per similitudinem vel speciem propriã sibi adæquatam; sic intelligimus hominem & asinum. Res autem dicitur intelligi in alio, quando intelligitur per speciem alterius: sicut pars intelligi dicitur per speciem totius. Primum autem principium non intelligit alia in seipsis, sed intelligit alia in seipso, quia sua essentia est species, per quam omnia intelliguntur. Verbi gratiâ, si in aliquo speculo essent similitudines omnium, & speculum posset seipsum videre, tunc speculum videndo se omnia videret. Sic rectè est in proposito. In intellectu primi sunt species omnium, non tamen sunt aliud, quàm essentia comparata ad hanc rem, sicut causa ad effectum: & quia vnica eius essentia causa omnium est, intelligendo vnicam eius essentiam, intelligit omnia.

Quid intelligi in se, & quid in alio?

In intellectu Dei sunt species omnium.

3 *Ad primum. Quomodo intellectus est perfectio intelligentis?*

Ad primum, cùm dicitur; intellectum est perfectio intellectus, dicendum, quòd intellectum est perfectio intelligentis, non tamen secundùm seipsum, sed secundùm suam speciem: nunc autem species, quâ aliqua intelliguntur est essentia eius; & ideò concludit ratio, quòd sua essentia sit sua perfectio.

Ad secundũ.

Ad secundum dicendum, quòd intelligere non specificetur per obiectum, quod intelligitur in alio; sed per obiectum principale, quod intelligitur per seipsum. Nunc autem principale obiectum intellectus diuini est ipsum primum, quia principaliter intelligit se; alia enim intelliguntur in ipso, & ideò sequitur quòd non specificetur per aliud.

Obiectũ minus principale non specificat.

Ad tertium.

Ad tertium dicendum, quòd intelligere aliqua vilia, non detogat dignitati intellectus, vbi intellectus non sistit in eis, si non impediatur ab intelligendo digniora. Si enim intellectus semper intelligat aliquid dignissimum, & intelligendo illud dignissimum aliquid vile, hoc non derogat dignitati intellectus; & sic intelligit primum: ideò non sequitur quòd intelligat aliqua, quæ dignius esset non intelligere, eo modo quo ea intelligit.

Deinde palàm quia aliquid, &c. *Text.* 51.

QVÆSTIO XXV.

Vtrùm primum principium intelligat omnia alia propriè, & distinctè?

Auerr. 12. *Metaph. com.* 51. S. Thom. 1. *part. quæstione* 14. *art.* 6. *& de veritate quæst.* 2. Occham *in* 1. *distinct.* 35. *quæst.* 2. *art.* 1. Gabriel. *quæst.* 2. *artic.* 1. *conclus.* 2. Gregor. *in* 1. *dist.* 35. *q. vnica.* Ferrar. 1. *contra gent. cap.* 50. *Doctores citati q. antecd.*

1 *Primum arg.*

Videtur quòd non: quando primum principium intelligit aliud, intelligit ipsum secundùm quòd in ipso est; sed omnia alia sunt in ipso sicut in causa, & ita in vniuersali: ergo solùm aliqua intelligit in vniuersali.

Secundum.

Præterea, eadem est discretio primi ad quodcunque causatum, & causati ad ipsum; sed per nullum causatum potest distinctè apprehendi distinctio primi; & ideò distinctè non potest cognosci.

Tertium.

Præterea, propria & distincta cognitio habetur per rationem propriam: cùm igitur idem non possit esse propria ratio diuersorum, & primum intelligit aliud per seipsum, propriam & distinctam cognitionem eorum non potest habere.

Ad oppositum: si distinctam & propriam cognitionem non haberet aliorum: suum *intelligere* perfectissimum non esset.

2

Ad illud dicendum, quòd primum principium solùm intelligit alia in communi inquantùm sunt entia, & non distinctè, sicut si ignis cognosceret seipsum, cognosceret naturam caloris, & omnia alia inquantùm sunt calida. Sic in proposito, *esse* primi est causa omnium aliorum: & ideò in cognoscendo se, cognoscit naturam entis & omnia alia inquantùm sunt entia: & illa cognitio communis est, non propria.

Illud non videtur verum: nam cognitio rerum in communi, est cognitio imperfecta, & in potentia solùm. Cùm igitur intellectus noster procedat ab vniuersali ad speciale, & à confuso ad proprium, procedit de potentia ad actum, & de imperfecto ad perfectum. Nunc autem *intelligere* primum, est perfectum, & nullo modo imperfectum, & non in potentia: ergo non intelligit alia solùm in vniuersali, quia sic intelligeret alia imperfectè.

Intelligere primi nõ procedit à potẽtia ad actũ.

): (

SCHOLIVM.

Devs nouit omnia alia à se distinctè, quia causat omnia secundùm quod conueniunt, & differunt inter se, & imperfectionis in nobis est cognoscere res confusè. Vide eum 1. distinct. 39. & dist. 1. quæstione 2. art. 3. numero 20. 21. & tractat. de primo principio cap. 4. con. 4. Non citat Doctor ad hoc Philosophum; quia non parum fauet sententiæ neganti Deum cognoscere alia à se. Vt videre est in textu citato, & aliis eius locis.

3 Ideò dicendum est, quòd omnia alia intelligit cognitione propria & distincta: sic enim aliqua intelligit sicut eorum est causa: nunc autem non solùm est causa illius in quo conuenit, sed & illius, in quo differt, & per quod specie distinguitur: igitur ea per quæ specificè distinguitur, intelligit.

Intelligens perfectè primi alia intelligit. Præterea, in ipso sunt perfectiones omnium (vt dictum est in 5. text. 21.) sed quælibet forma propria rei est aliqua perfectio; igitur in primo sunt omnia, per quæ res ab inuicem distinguuntur: vnde primum principium comparatur ad alia, sicut perfectum ad imperfectum, & non èconuerso: sicut ergo intelligens hominem potest intelligere animal secundùm propriam rationem, licèt non èconuerso: & intelligens senarium, intelligit quinarium; licèt non èconuerso; sic intelligens primum principium potest intelligere quodcunque aliud primò secundùm propriam cognitionem, & non èconuerso. Vnde cùm nihil aliud sit, nisi inquantùm participat, vel imitatur primum, perfectè seipsum non cognosceret nisi cognosceret omnia, in quibus est imitabile, & à quibus participabile, nec perfectè suum *esse* intelligeret, nisi omnem modum perfectè intelligeret.

4 *Ad primum.* Ad primum argumentum dicendum, quòd *sicut* potest referri ad illud quod intelligitur, & ad modum intelligendi, vel ad ipsam cognitionem. Si ad illud quod intelligitur, sic propositio est falsa. Nam qui intelligit lapidem, non oportet quòd solùm intelligat ipsum secundùm illud *esse*, quod habet in intelligente; intelligit enim lapidem secundùm aliud *esse* ab eo: sed secundùm illud *esse* non est in ipso: Si referatur ad ipsam cognitionem, sic propositio vera est; quia quantò perfectior est cognitio, tantò perfectiùs est in ipso. Vnde ad formam argumenti dicendum, quòd licèt à primo non habeat *esse* proprium in ipso primo, secundùm *esse* quod habet extrà, tamen secundùm *esse* illud possunt ab ipso intelligi; quia *esse* perfectius habet in ipso, quàm extrà.

Deus omnia nouit in genere proprio.

Ad secundũ. Per causatũ non cognoscitur perfectè causa prima, sed bene èconuerso. Ad secundum, cùm dicitur per nullum causatum, &c. Dicendum, quòd imperfectum non est principium cognoscendi perfectum; sed magis èconuerso: & ideò per nullum causatum potest apprehendi essentia primi. Sed si quis apprehenderet essentiam eius, apprehenderet quodcunque causatum.

Ad tertium. Ad tertium dicendum, quòd idem non est propria ratio diuersorum cuilibet adæquata; essentia tamen primi excedit propriam rationem cuiuscunque; continet enim perfectiones omnium, & ampliùs, & ampliùs; & ideò benè potest per seipsam propriam rationem vniuscuiusque apprehendere, & per consequens quodlibet aliud sub propria ratione potest intelligere.

Adhuc autem restat dubitatio, si compositum est quod intelligitur, &c, *Tex.* 51.

QVÆSTIO XXVI.

Vtrùm intellectus primi sit discursiuus?

Auerroës citat. *quæstione antecedenti.* S. August. 15. *de Trinitate, cap.* 14. S. Thomas *lect.* 11. & 1. *parte quæstione* 14. *artic* 7. & 1. *contra gentes cap.* 55. & *sequentibus*: & *de potent. quæstione* 9. *artic.* 2. Flandria 12. *Metaph. quæstione* 8. *artic.* 2. Ægidius *in* 3. *distinct.* 3. *part.* 2. *quæstione* 2. *artic.* 3. Gregor. *in* 2. *distinct.* 7. *quæstione* 5. *articul.* 2. Occham ibidem *quæstione* 16. Gabriel. *distinct.* 3. *quæstione* 2. *artic.* 3. Ferrarien. *contra gentes, cap* 91. Capreol. *in* 2. *distinct.* 3: *quæstione* 2. *artic.* 1. Vide Doctorem *quæstione* 3. *prolog. quæstione* 4. & 5. *laterali*: & *in* 2. *distinct.* 7. *quæstione* 1. & *dist.* 1. *quæstione* 6.

1 *Primum arg.* Videtur quòd sic. Primum principium intelligit se, & alia, vt dictum est suprà quæstione 22. & 24. sed secundùm Philosophum 2. *Topicorum*, cap. 4. multa non conuenit actu intelligere simul; si ergo primum principium ista intelligeret, vnum post aliud intelligeret, & ita intellectus eius esset discursiuus.

Secundum. Præterea, intelligere vnum per aliud, est discurrere ab vno ad alterum; sed primum principium per seipsum intelligit alia tanquam per causam; effectus igitur, &c.

Tertium. Præterea quidquid potest virtus inferior, potest & superior, sed nos in in causatis considerantes effectus, discurrimus à causis ad effectus: igitur idem conuenit in intellectu primi.

Oppositũ innuit Philosophus in litera: si enim primum principium intelligeret vnum post alterum discurrendo, eius *intelligere* non esset perfectum; quia post dignissimum intelligeret minus dignum.

SCHOLIVM

Devs intelligit omnia sine discursu, vel vlla compositione sed simplici intuitu. Quod optimis rationibus probat. Hic videtur negare Angelum esse discursiuum: sed oppositum huius tenet contra D. Thomam 2. dist. 1. q. 5.

2 Dicendum ergo quòd in intellectu primi non est discursus aliquis, sed in intellectu nostro duplex est discursus. Vnus cùm multa apprehendimus secundùm successionem, vt cùm vnum intelleximus, ad aliud nos conuertimus: Alius est cùm à principiis ad conclusiones discurrimus. Primus discursus non est in intellectu primi; quia multa, quæ intelliguntur per successionem, secundùm quòd vnumquodque in se apprehenditur, simul intelliguntur, si in alio apprehendantur: sicut partes, quæ distinctæ & seorsum apprehensæ, apprehenduntur per successionem, simul apprehenduntur: si in toto appre

Duplex discursus.

apprehenduntur: & eodem modo de multis, quæ simul possunt videri in speculo. Nunc autem primum principium intelligit omnia in seipso, & ita in alio ab eis. Non igitur oportet quòd ipse intelligat discurrendo. Secundus etiam discursus non est in ipso, quia secundus discursus primum sequitur; quia in secundo discursu ex notis proceditur ad ignota: nam ex principiis notis deuenimus ad conclusiones ignotas: nunc autem primo principio nihil est ignotum; igitur in intellectu eius non est secundus discursus: imò potiùs alius tertius discursus scilicet cùm in ipsis causis cognoscitur effectus. Nunc autem primum principium intelligit omnia in se, tanquam in causa; & ideò intellectus eius in indiuisibili est. Vnde Philosophus hîc dicit, quòd non intelligit vnum post alterum; quia sic suum *intelligere* non esset perfectum & optimum. Cùm enim intelligat seipsum, si postea intelligatur aliquid, intelligetur indignius; & per consequens in intellectu eius esset mutatio, quod est impossibile. Et ex eodem manifestum potest esse, quod non intelligit omnia componendo, vel diuidendo. Quia sicut principium ad conclusiones, sic se habet subiectum ad prædicatum. Vnde sicut intelligendo principium intelligit omnia prædicata, sic intelligendo quodcunque subiectum intelligit omnia, quæ illi subiecto conueniunt, & repugnant. Vnde in re sic est de intellectu eius, quòd si nos intelligeremus hominem intelligeremus alia, quæ sibi conueniunt, & repugnant. Vnde aliter est de intellectu nostro, & de intellectu eius: & idem est de intellectu aliarum Intelligentiarum; quæ substantiæ separatæ comparantur ad animas humanas, sicut corpora superiora ad inferiora: corpora verò superiora paucis motibus acquirunt suam perfectionem, vt dicitur 2. Cœli & mundi: Text. 27. vt primum cœlum vnico motu acquirat suam perfectionem: sed corpora inferiora pluribus motibus ad suam perfectionem perueniunt. Idem eodem modo est de suis substantiis separatis, ipsæ enim vnica apprehensione apprehendunt quæcunque circa rem apprehendi possunt; sed animæ humanæ non sic apprehendunt, imò pluribus apprehensionibus discurrendo ab vno in aliud; & propter hoc animæ humanæ dicuntur rationales; sed animæ separatæ dicuntur Intelligentiæ: vnde horum est intellectus, quæ statim apprehenduntur à nobis sine discursu.

Deus nõ discurrit quia nihil ei ignotum.

Deus nõ intelligit vnũ post aliud.

Orbes superiores paucis motibus acquirunt suas perfectiones.

An Angelus discurrit?

Vnde ad quodlibet dicendum, quòd intellectus primi non intelligit discurrendo, nec componendo & diuidendo; sed sicut materialia intelligit composita simpliciter, & successiua simul & diuersa vniformiter, quæ enim sunt in ipsis diuersa, sunt in ipso vniformiter.

3 *Ad primum. Multa simul intelligi possunt.*

Ad rationes. Ad primam dicendum, quòd licèt non conueniat multa simul intelligere in seipsis; multa tamen simul intelligi possunt in alio.

Ad secundũ.

Ad secundam dicendum, quòd non intelligit per seipsum alia tanquam per causam notam effectus ignotos; sed intelligendo seipsum, simul intelligit omnia alia, quorum species sunt in ipso; vel intelligit omnia alia à quo sunt intelligibilia.

Ad tertium.

Ad tertiam dicendum, quòd quidquid potest virtus inferior, & superior, verum est; non tamen oportet quòd hoc sit eodem modo: imò illud quod intellectus noster potest successiuè, intellectus eius potest simul, & multò eminentiùs.

Omnia verò ordinata sunt aliqualiter &c. & non sic se habent, vt non sit alteri ad alterum, nihil, sed ad aliquid. *Tex.* 52.

QVÆSTIO XXVII.

Vtrùm entia sint ordinata ad se inuicem?

Auerroës *comment.* 53. Aphrodis. *num.* 40. Dionysius *de cœlesti hierarchia cap.* 5. Augustin. 19. *de ciuitate c.* 13. *& lib. de natura boni cap.* 3. S.Thom. *lect.* 12. *& quodl.* 6. *art.* 19. Anton Andreas 12. *metaph quæstione* 15. Flandria *lib.* 12. *metaph. quæstione* 9. *art.* 1. Albertus 2. *part. Summæ quæst.* 63. *tract.* 11. *memb.* 1. Conimbr. 1. *de Cœlo cap.* 1. *quæst.* 1. *art.* 5.

1 *Primum arg.*

ET ostendo quòd non. Optimi est optimum facere: ergo cùm primum principium sit optimum; omnia facit optima: sed melius esset, quòd omnia essent æqualia, & non ordinata quàm inæqualia.

Secundum.

Præterea, quantitas ab vnitate procedit; sed primum principium est vnum: ergo quæ ab ipso procedunt æqualia erunt, & per consequens non ordinata.

Tertium.

Præterea, inconueniens est ponere quod primum principium aliqualiter sine ratione producat; sed non est aliqua ratio, quæ potest ipsum limitare, quod producat entia magis æqualia, quam inæqualia: igitur, &c.

SCHOLIVM.

OMNIA *sunt inter se ordinata, vt disposuit voluntas Dei, qui non propter sui vtilitatem, sed propter suam bonitatem multa produxit: quod manifestiùs apparet in multis, quam in vno. Eadem ratione fecit omnes species rerum inæquales, ita inter se ordinatas, vt imperfectiores sint propter perfectiores, vt plantæ propter animalia, animalia propter hominem: & sic de aliis. Ita Philosophus hic, cui consonat illud Apostoli* 1. *Corinth.* 3. Siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. *Quia talem scilicet habuit Deus intentionis ordinem, cum decerneret ista facere: quædam enim prius aliis voluit, & propter hæc alia. Vide similia ad Colossenses* 1. *de quo Scotus* 3. *dist.* 3. *quæst.* 3. *Vide eum in hunc textum.*

2

Oppositum dicit Philosophus: text. 52. dicit enim quòd omnia entia ab eodem ordinata sunt, & etiam inter se sunt ad inuicem ordinata, & facta inæqualia, à quo sunt distincta. Nunc autem res ad inuicem sunt distinctæ per voluntatẽ primi, vt eius bonitas in diuersis manifestetur; quia enim nulla causa potest eius bonitatem sufficienter repræsentare ideò multa producuntur, vt quod per vnum manifestari non potest, manifestetur per aliud: & ideò eius bonitas sufficientius manifestatur per totum vniuersum, quàm per vnam creaturam. Et ideò diuersa produxit, non propter aliquam sui vtilitatem, sed propter sui bonitatem, & propter idem produxit entia inæqualia: quod patet sic: Duplex est rerum distinctio, materialis, & formalis, materialis indiuiduorum, formalis specierum; & materialis est propter formale. Formalis verò distinctio non potest esse nisi per inæqualia: imò in formaliter distinctis vna forma perfectior est alia

Distinctio materialis & formalis.

alia, perfectior est forma hominis, quàm equi, & equi quàm plantæ, & plantæ quàm lapidis. Vnde ab eodem est, quod res distinguuntur formaliter; & per inæquales producantur. Sed rerum inæqualium vna semper est propter aliam, sicut patet; plantæ sunt propter animalia, & animalia propter homines sunt; & eodem modo est de omnibus aliis. Est enim vniuersum, sicut familia benè ordinata, vt dicitur in litera; in familia sunt diuersi gradus, puta liberorum, seruorum, & bestiarum; & sicut filiis non licet facere aliquid casuale: sed omnia quæ faciunt ordinata sunt; à seruis tamen & bestiis multa fiunt inordinatè: sic rectè est in vniuerso, quod ab Intelligentiis & corporibus superioribus nihil vel parum fit casualiter, sed in istis inferioribus multa. Et propter hoc dicit Philosophus, text. 52. quòd sunt omnia ordinata, quòd omnia, quæ faciunt communicant ad totum, hoc est ad perfectionem vniuersi; eo quòd in multis multa contingunt à casu.

Inæqualium vnū est propter aliud. Vniuersum est sicut familia.

3 *Ad primum.*

Ad primum dicendum, quòd optimi est totum optimum facere secundùm quòd conuenit toti, & non quòd faciat quamlibet partem optimam. Ad bonum enim hominis non esset, quod quælibet pars eius esset disposita sicut oculus. Imò ad bonum eius conuenit; quòd partes eius sunt diuersæ dispositionis. Et eodem modo pertinet ad bonum vniuersi, quòd partes vniuersi secundum formam non sunt æquales.

Ad secūdum. Ab vnitate est æqualitas & inæqualitas.

Ad secundum dicendum, quòd ab vnitate vniuersali procedit, vel potest procedere æqualitas; ab vnitate tamen potest procedere inæqualitas: quia omnis multitudo ab vnitate procedit.

Ad tertium. Inæqualitas arguit diuersitatē in specie, sed non omnia.

Ad tertium, cùm dicitur, quòd non est ratio, quæ limitaret: dicendum quòd ratio qua produxit entia inæqualia est, vt sua bonitas magis manifestetur: si enim omnia produxisset æqualia, omnia essent vnius speciei. Nunc autem inæqualitas in entibus arguit diuersitatem in specie: & maior perfectio repræsentatur per diuersas species, quàm per vnam.

Ad vnum quidem enim omnia coordinata sunt. *Text. 32.*

QVÆSTIO XXVIII.

Vtrùm omnia ordinentur ad primum principium tanquam ad summum bonum?

Aristot. 2. *Physicor cap. 9. & 1. de cœlo cap. 8. & 9. & 2. à text. 6.* Plato *in Timæo, & 4. legum: & in epist. ad Dionysium.* auth. lib. de mundo ad Alexandr. Dionysius 4. *de Diuinis nominibus.* Augustin. *libr. de Ordine, & lib. 1. de doctrina Christiana cap. 23. & in Enchirid.* D. Thom 3. *contra gent. à cap. 17 & 1. p. quæst. 103 art. 2.* Guliel. Parisiensis *lib. de vniuerso.* Conimbr. 2. *Phys. cap. 9. q. 2. & 1. de Cœlo cap. 8. q. vnic. art. 3.*

1 *Primum arg.*

VIdetur quòd non: summum bonum importat aliquid aliud, alioquin summo bono non communicat: si igitur esset summum bonum esset compositum.

Secundum.

Item, omnia appetunt suum finem: si ergo omnia ordinantur ad ipsum, tanquam ad summum bonum, omnia appeterent ipsum: sed hoc non videtur verum.

Tertium.

Item, si vnum contrariorum esset infinitum, non permitteret suum contrarium, sed ipsum corrumperet, vt dicitur in Physicis: lib. 1. text. 50. si ergo primum principium esset summum bonum, & esset infinitum, corrumperet omne malum.

Oppositum dicit Philosophus: dicit enim, quòd vnum est principium, & vnus finis, & propter ipsum, & ab ipso sunt alia: sicut exercitus propter ducem, & à duce: dicit quòd est optimum, & optimum est summum bonum.

SCHOLIVM.

OPTIME *probat omnia ordinari in Deum, vt in vltimum & vnicum finem: de quo vide ipsum 1. distinct. 2. quæstione 2. §.* Iuxta tres, *con. numero 17. & tractatu de primo principio cap. 3. con. 8. vbi fusiùs habet rationes hîc positas. Circa tertium, quomodo ens infinitum compatitur ens finitum: & tamen corpus infinitum, vel calidum infinitum non compaterentur corpus, vel calidum finitum. Vide eum 1. distinct. 2. quæstione 2. ad 2. numero 35. Quod ait in fine omne malum esse propter bonum, bene tradit Augustinus in Psalmum 54. ibi,* Malus ideo viuit, vt corrigatur, aut vt bonus per ipsum exerceatur.

2

Dicendum ergo, quòd primum principium est summè bonum & omnia ordinantur ad ipsum tanquam ad summum: quod patet sic: Vbi est inuenire magis & minùs, ibi est inuenire maximum bonum per Aristotelem 4. Metaphysic. Text. 27. sed est inuenire aliquod bonum, & aliquod magis bonum: igitur est inuenire maximum bonum: sed illud bonum non potest esse aliud quàm primum principium; quia vnumquodque est bonum inquantùm perfectum. Sed triplex est perfectio: Vna est perfectio rei, quæ consistit in *esse*, quod sequitur formam specificam, vel quod habetur in *esse*, vel forma specifica. Alia consistit in actibus & dispositionibus, per quas ordinatur ad suam perfectionem. Et tertia rei perfectio in fine: Verbi gratia, prima perfectio ignis cōsistit in hoc, quod habet *esse* perfectum ignis; secunda eius perfectio consistit in caliditate & siccitate; tertia consistit in hoc, quod est in suo loco. Nunc autem illa tertia perfectio nulli citra primum conuenit per essentiam, sed sibi soli. *Esse* enim, quod in aliis est præter essentiam, in ipso est sua essentia: ita etiam, quæ in aliis sunt accidentia, vt dilectio, vita, bonitas, in ipso sunt substantialiter. Alia etiam ordinantur ad finem alium; primum principium ad alia non ordinatur. Cùm ergo primum principium sit perfectum per essentiam, ita quòd non solùm est bonum, sed ita bonum.

Triplex perfectio conuenit rebus.

Est igitur aliquid summè bonum, & hoc est primum principium: ad ipsum etiam alia ordinantur. Quod patet ex hoc quòd omnia naturalia agunt, propter quod maximū est, ex hoc quòd vniformiter agunt, nisi impediantur. Et sunt multa quæ finem non cognoscunt, vt inanimata: igitur oportet quòd ab aliquo cognoscente finem dirigantur; cognoscens autem finem omniū non potest esse aliud præter primum intelligens. Alia ergo dirigens est primum intelligens; sed per intellectum agit: propter bonum, & finem id cùm

cùm ergo primum non propriè possit agere propter aliud bonum, melius eo agit propter seipsum; & illa omnia ordinata ab ipso ordinantur ad ipsum; sicut exercitus ordinatus à duce, ordinatur ad bonum ducis, ad victoriæ consecutionem; & ideò omnia ordinantur ad ipsum, tanquam ad summum bonum.

4 *Ad primum. Summũ quid addit ad bonum?*

Ad primum dicendum, quòd summum bonum non dicit plus quàm bonum simpliciter, nisi secundùm rationem, dicitur enim bonum in termino per respectum ad alia bona. Nunc autem secundùm relationes, secundùm quas refertur primum principium ad causata alia, res in ipso; imò ipsæ res sunt tanquam causæ: & ideò ex hoc non sequitur, quòd sint composita.

Ad secũdum.

Ad secundum dicendum, quòd perfectiones omnium entium sunt quædam imitationes primi principij, & ideò cùm vnumquodque appetat suam perfectionem quodammodò appetit suum principium, & hoc siue appetat appetitu naturali, siue rationali, siue sensitiuo.

Ad tertium.

Ad tertium dicendum, quòd si vnum contrariorum naturalium esset infinitum, corrumperet suum contrarium: sed sic non est de agente per voluntatem: primum enim principium sic produxit vniuersum, secundùm quod melius, & modo quo magis manifestatur sua bonitas; & permisit malum fieri in entibus, vt ex isto malo eliciatur bonum; vt aërem permittit corrumpi, vt generetur ignis. Vnde malum permittit propter bonum; aliter enim vniuersum non esset perfectum, nisi in entibus esset malum quoddam, vt dictum fuit in nono. text.18.

Nullum malum nisi propter bonum.

Nec bonum pluralitas principatuum, vnus ergo princeps. *Text. vlt.*

QVÆSTIO XXIX.

Vtrùm hoc principium quod est summum bonum sit vnum?

Aristotel. *libr.* 8. *Physic.* 5. *&* 2. *metaphysic. capit.* 2. Auerroës & Themistius *ibid.* Aprodis. *numer.* 45. S. Thomas *lect.* 11. *&* 1. *contra Gen. cap.* 13. *&* 1. *par. quæst.* 11. *art.* 3. Capreolus *in* 1. *dis.* 3. *quæst.* 1. Durandus *ibid dis.* 2. Marsilius *ibid. quæst.* 5. Ferrarien. 1. *contra gen. cap.* 13. Flandr. *libr.* 12. *metaph. quæst.* 9. *ar.* 2. Suarez *disp* 29. *metaph. sect.* 1. *& disp.* 30. *sect* 10. Fonseca 12. *metaph. cap* 10. *in fine*. Conymbr. 8. *Physic. cap.* 5 *quæst. vn.* Vide Doctorem *in* 1. *dist.* 2. *& quodl.* 7.

1 *Primum arg.*

ET Videtur quòd non: *vnum* importat priuationem diuisionis; sed in isto non est priuatio: ergo non est vnum.

Secundum.

Item, vnum inquantum vnum, nihil producit nisi vnum; igitur si esset vnum tantùm produceret vnum.

Tertium.

Item, plura bona meliora sunt paucioribus; sed vniuersum est quoddam bonum: ergo plura vniuersa sunt meliora quàm vnum: & cuilibet vniuerso correspondet vnum summum bonum; ergo melius est plura summè bona, quàm vnum.

Oppositum dicit Philosophus: dicit enim, quòd non est bonum pluralitas principatuum: vnus ergo princeps.

SCHOLIVM.

*V*NVM *tantum est principium primum omnium, quod est ipse Deus. Probat ex simplicitate, infinitate, & immaterialitate. De quo vide ipsum, 1. distinct.2. quæstione 2. art. 3. num.19. & quæstione 3. vbi septem viis conatur vnitatem Dei demonstrare. De quo etiam agit tractatu de primo principio cap. 3. con. 15. & cap. 4. n. 40. & 6.huius, q.6. Tamen Theoremate 14.videtur tenere non demonstrari Deum esse viuum, sapientem, vel volentem: de quibus rationes naturales non minus concludunt quam de vnitate Dei. Sed hoc ibi non asserit, sed disputando proponit. Multi Theologi negant Dei vnitatem rigida demonstratione haberi. Vide Scholium primum dictorum theorematum 14. Quod hîc tenet Doctor, immaterialia non posse plurificari in eadem specie, correxit in Theologia 2. distinct.3.quæstione 7. vbi ex professo probat contra Diuum Thomam dari plures Angelos in eadem specie. Vide Scholium suprà quæstione 20. Vide etiam Doctorem quæst. 15.de Anima.*

2 *Deum esse vnũ probatur ex eius infinitate & simplicitate.*

Dicendum quòd summum bonum est vnum: & hoc patet ex tribus. Primò ex sui simplicitate, quia illud quo Socrates est iste homo, non communicat multis; licèt homo, quà est homo, communicet multis. Vnde si idem esset illud, quo Socrates est iste homo, & quo homo est, sicut non est plures Socrates, vel sicut non sunt plures homines, hic homo; sic homo, non esset in pluribus. Sed in primo idem est quo est homo & quo est: quia idem est, quo est suppositum, & quo est natura; & ideò necessariò est vnum. Secundò, patet idem ex eius infinitate: infinitum in se omnia comprehendit, quia extra infinitum nihil est: cùm ergo primum principium sit infinitum, omnes perfectiones in se comprehendit. Sed si aliud esset primum principium, aliquid conueniret vni, quod non conueniret alteri, vel quod deficeret alteri: alioquin non essent duo: & per consequens in vtroque esset aliqua imperfectio. Tertiò, patet idem ex sua immaterialitate, quæcunque enim non habet materiam, sunt vnum numero in eadem specie, vt dicit Philosophus: sed primum principium non habet materiam: ergo non habet aliquid aliud secum in specie conuenire. Sed si aliud principium esset, in specie conueniret: sicut si aliud esset vniuersum non differret specie ab isto vniuerso: & pari ratione nec principium vnius à principio alterius: igitur est vnum.

Oppositũ habet 2.d.3.q.7.

Ad primum.

Ad primum dicendum, quòd *vnum* non importat indiuisionem de suo significato, sed solùm secundùm modum apprehensionis nostræ; eo quòd non apprehendimus *vnum* nisi vt ens indiuisum.

Ad secundũ. Quomodo ab vno non procedit nisi vnum?

Ad secundum dicendum, quòd ab vno per naturam non procedit nisi vnum, quia vnius vna est natura. Sed agens per intellectum potest agere, sicut intelligit. Nunc autem simplicitati primi non repugnat multa intelligere, sicut dictum est: ergo nec multa producere.

Tertium,

Ad vltimum dicendum, quòd non intendit principaliter bonum indiuidui, sed speciei: propter hoc est generatio perpetua, vt saluetur esse speciei. Nunc autem si essent plura vniuersa, solum esset bonum summum multitudo indiuiduorum, & non specierum: sed multitudo

Primū agens per se non intendit indiuiduorū multitudinem.

do indiuiduorum certum numerum non habet: & ideò agens non intendit principaliter talem naturam multitudinum. Qua enim ratione duo vniuersa essent multa vni, eadem ratione tria duobus, & quatuor tribus, & sic in infinitum: vnde non esset bonum absolutè quod plura essent vniuersa sicut non esset bonum quòd essent plures familiæ in eadem domo adinuicem non communicantes. Entia enim nolunt malè disponi, & ideò bonum est quod inter se communicent: si tamen essent plura vniuersa adinuicem non communicarent: Et ideò dicit Philosophus, quòd vniuersitas entium est sicut vnus principatus, & vnum regnum: vnus igitur est princeps, quod est primum mouens: & ideò perfectissimè primum intelligibile, & ideò verissimum primum appetibile, & ideò optimum, quod est summè bonum, ipse DEVS, qui & regnat in sæcula sæculorum: Amen.

):(

Finis duodecimi libri Metaphysicæ.

INDEX

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
QVÆ IN HOC QVARTO TOMO CONTINENTVR.

Prior numerus paginam signat, posterior est marginalis.

A B

A C

Index Rerum.

A D

Æ

A F

A G

A L

Index Rerum.

Index Rerum.

CH

Index Rerum.

Corruptio

Duplum

E Q

E S

E V

E X

est

Forma

Index Rerum.

Index Rerum.

Indiuiduum

M V

Numerus

R A

R E

Index Rerum.

de Sin

S Y

T A

T E

Index Rerum.

FINIS.